BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
44 G
10

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. H. SEYNENSIS

PRÆDICATORIS CAPVCINI

CONCIONVM OPUS QUADRIPARTITUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.
ANNO M. DC. LXXVII
Cum licentiâ Superiorum, & Approbationibus.

ANNUS ECCLESIASTICUS CONCIONATORIUS QUADRIPATRITUS:

SEU

CONCIONES PRÆDICABILES

IN DOMINICAS ET FESTA PER TOTIUS ANNI DEcurſum, ab Adventu ad Adventum prædicari ſolitæ;

ET IN

QUATUOR TOMIS COMPREHENSÆ:

AUTHORE

R. P. HENRICO SEYNENSI,

PRÆDICATORE CAPUCINO.

Opus univerſis animarum Rectoribus, & Divini Verbi Præconibus, & Catechiſtis utiliſſimum;

Quippe in quo de ſacrificio paſsionum, de exercitio virtutum, de perfectione Chriſtiani per fidem, ſpem, & charitatem, & per Sacramenta; de medelâ vitiorum, de myſteriis Jesu Christi, & B. V. MARIÆ, & aliorum Sanctorum, & de aliis materiis; per Ferias Adventus, & Quadrageſimæ: per Octavas SS. Sacramenti, & Commemorationis Defunctorum, æquè ac de Dominicis, & Feſtis per totius Anni decurſum occurrentibus diffusè agitur.

TOMUS PRIMUS.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.

ANNO M. DC. LXXVII.

Cum licentiâ Superiorum, & Approbationibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBL. CAP.

43. H–

SANCTISSIMÆ VIRGINI
M A R I AE
D E I P A R Æ
TOTIVS ORDINIS FRATRVM MINORVM
S. FRANCISCI CAPVCINORVM
P R O T E C T R I C I
CLEMENTISSIMÆ.

Apprimè locutus eſt Propheta Regius †, Virgo Regia, quippe *quòd ex Regibus orta*, *quòd generoſâ ex ſtirpe David* a ejuſdem, cùm erupit in iſta verba, Deum alloquens, *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Per quæ quaſdam nobis exhibet convenientias pluviæ cum Filio tuo Domino noſtro, quem nobis produxiſti, juxta vaticinium Iſaiæ *b* dicentis, *Aſcendet Dominus ſuper nubem levem*, & expoſitionem S. Ambroſii *c* ſubdentis, *Nubem dixit Mariam, quia carnem gerebat*. Et cùm de te dicat Arnoldus Carnotenſis *d*, *Vna eſt Maria & Chriſti Caro, unus ſpiritus, una charitas.* Et ſic te ſalutet Chryſippus *e*, *Ave nubes pluviæ, potum animis ſanctorum exhibentis.* Prima quarum eſt: Quòd ſicut pluvia oritur è cœlo è manu Divinæ Providentiæ, *Vt plueret ſuper terram abſque homine in deſerto* f: ſic è te, ut *de petrâ deſerti* g intactâ prodiit pluvia myſtica Filii tui, qui interventu tuæ protectionis irrigat, lætificat, & ditat terram Seraphicæ Religionis noſtræ *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* h.

† Pſ. 67. 10.
a S. Bern. ſerm. ex Apocal. Signum magnum
b Iſai. 19. 1.
c S. Ambroſ. Exhort. ad Virg.
d Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
e Chryſip. tract. de Laud. Deip.
f Job. 38. 26.
g Iſai. 16. 1.
h Luc. 1. 78. ex Zach. 2. 9. & 6. 12.

Secunda eſt, quòd ſicut aquæ pluviæ, quæ ſunt leviſſimæ, clariſſimæ, dulciſſimæ, & tenuiſſimæ, plùs refrigerant ac recreant plantas, quàm refrigerent ac recreent eas aliæ aquæ emanantes è terrâ, quæ utplurimùm ſunt luteæ, immundæ, ac turbidæ, quæ ideò non ſunt æquè fertiles ac eæ quæ oriuntur è cælo; prætérquàm quòd iſtæ deſcendentes deſurſum vi & impetu in radices plantarum magis pertingunt: & delapſæ unà cum fulguribus, tonitruis, & fulminibus, quæ vocantur aquæ fulgurales, ut obſervant rerum natura-

lium indagatores, incomparabilem inferunt terræ fettilitatem, eò quòd flatu ſint refertæ: ſic ipſa quæ es *nubes cæleſtis, quæ tonitruum Spiritûs S. in te ipſâ reconditum* deduxiſti *in mundum: & imbrem Spiritûs S. in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu* i demiſiſti. *Hoc Chriſtus in die Pentecoſtes, & interim ſæpè fecit*, interpretatur Dionyſius Carthuſianus *k*, poſtquàm ſic expoſuit prædicta verba, *Pluviam voluntariam, id eſt, rorem gratiæ tuæ fluenta doctrinæ, irrigationeſque varias Spiritûs S. gratis ac ſponte infuſas, ſegregabis, id eſt, ſeorſum ac ſpecialiter dabis hæreditati tuæ, id eſt, populo Chriſtiano electo,* ſeu Ordini Capucinorum, *quem proprio ſanguine liberaſti.* Quem accepit à te: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, dicit Angelus apud S. Matthæum *l*, Sponſo tuo S. Ioſeph, loquens de te.

i S. Epip. ſerm. de L. dib. D. ip.
k Dion. Carthuſ. in Pſal. 67. 10.
l Matth. 1. 20.

Tertiò, Mirabile eſt viſu pluviam æquè in ſterilem delabi terram ac in bonam, æquè in rupem ac in fundum fettilem, æquè ſuper ſentem ac ſuper florem. Hunc inſignem pluviæ delabentis modum Iob *m* in Divinam refundit Providentiam, dicens, *Ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.* Quaſi diceret, Divinam Providentiam aquas in aëre retinere ſuſpenſas ac incluſas, quaſi in ſpongiis cœleſtibus, id eſt, in nubibus, ne præcipites ſimul & unà in unum irrumperent locum. Hanc æqualem liberalitatem præ juſtitiâ diſtributivâ in omnes terræ fructus effuſam deſcribit David, ſic ut aquæ è cœlo cribratæ videantur, dicens, *Cribrans aquas de nubibus cælorum* n. Axa filia Caleb, petivit ab eodem patre ſuo *terram irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius* o. Salomon *p* loquens de fontibus & de aquis, aſſerit ea quaſi ad ſtatêram appenſa à Deo, *Quando librabat fontes aquarum.* Et Ieſus Chtiſtus Filius tuus *pluit ſuper iuſtos & iniuſtos* q, æquè ac Pater ſuus, cum quo idem eſt, dicens, *Ego & Pater unum ſumus* r: ſicut & tu idem es cum eo, dicente de te Damiano *ſ*, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis: primo modo eſſentialiter; ſecundo modo operatione; ineſt & illuminatione; quarto modo ineſt & uni creaturæ videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa.* Et ideò dico tibi cum S. Bernardo *t*, *Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ*, & præcipuè Religionis noſtræ, quam ſpecialiter protegis, *quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.*

m Iob 26. 8.
n 2. Reg. 22. 12.
o Iudic. 1. 15.
p Prov. 8. 28.
q Matth. 5. 45.
r Io. 10. 30.
ſ Damiā. ſerm. 1. de Nat. B. V. M.
t S. Bern. ſerm. 2. in Pent.

Denique, Pluvia labens in triticum, convertitur ſucceſſu temporis in frumentum; cadens in vineam, mutatur in vinum; oleæ radices intimas pervadens, in olivas transmigrat. Vniverſas induit iſtas aqua formas. Ieſus Chtiſtus Filius tuus eſt *frumentum electorum, & Vinum germinans virgines* u: & *oleum effuſum nomen* x ſuum. Per te velut per cœleſtem Piſtricem ipſe ſe præbet univerſis nobis ut man-

u Zach. 9. 17.
x Cant. 1. 2.

na *y*, *& paratum panem de cœlo ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem* z: vel ſicut *panes propoſiti* nis a, qui diverſas referuntur habuiſſe facies. Ideò S. Petrus *b* vocat gratiam multiformem, *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Eò quòd ipſa ſe captibus omnium accommodet. Medicus ſe componit ad infirmitatem ægroti, & ſingulorum infirmorum neceſſitati congruũ remedium decernit applicandum. Tuus *Filius venit quærere & ſalvum facere quod perierat* c. *Ægrotare iam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis ſumus : ſed non deſperemus*, conſulit nobis S. Auguſtinus: *quia enim ad Medicum venire non poteramus, ipſe ad nos venire dignatus eſt* d per te, quæ nobis *omnibus omnia facta* es, *ſapientibus & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem* te feciſti, *omnibus miſericordiæ ſinum* aperis, *ut de plenitudine* tuâ accipiamus univerſi : *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam* e.

y Exod. 16. 4. z Sap. 16. 20. a 1 Reg. 21. 7. b 1 Petr. 4. 10. c Luc. 19. 10. d S. Aug. ſerm. 18. de Verb. Dom. c. 7 in princip. e S. Bern. ſerm. in Aſſumpt. 1.

Hanc igitur *pluviam voluntariam* ſegregavit *Deus hæreditati* Reformationis noſtræ, quæ *infirmata* & veluti deſolata erat eo tempore quo pluviam iſtam expectabat è cœlo. Siccitas eſt quaſi febris ardens, vel hectica, quæ paulatim conſumit quidquid eſt in terrâ jucũdi ac prædivitis, ſic ut marceſcat florum illius decor, tabeſcat fructuum ejus dulcedo, & areſcat plantarum ipſius viror: ſed ſtatim ac aqua in illius viſcera ſe diffundit, nõ ſecus ac ſanguis in corporis humani venas ſe protendit, in priſtinum redintegratur ipſa virorem, amiſſa reſumit ornamẽta, & alimẽta vitæ ſuſtentãdæ congrua denuò incipit producere: aqua eſt veluti cæmentum & bitumen eam uniens, & coagmentans, & ei vires addens admirabiles. Religio noſtra Capucinorum eſſet *ſicut terra ſine aquâ* *, niſi proficuè experiretur hanc *pluviam voluntariam* Filij tui, quæ ſub protectione tuâ ipſam perficit, & unanimi voluntate ad manifeſtandam gloriam Dei, ad promovendum obſequium Divinum, ad ædificandum proximum, & ad cuſtodiendam ſeipſam prout exiguam hæreditatem, vel Portiunculam, excitat ipſam, quæ ſe tibi vovet, dedicat, & conſecrat per me, qui ſum præ omni reverentiâ poſſibili

* Pſal. 142. 6.

Protectrix Clementiſſima

Humillimus ac devotiſſimus cliens tuus F. HENRICUS SEYNENSIS
Prædicator Capucinus Provinciæ S. Ludovici.

APPROBATIONES, FACULTATES, ET CONSENSUS.

Approbationes Theologorum Ordinis.

OPus à Venerabili admodum Patre HENRICO SEYNENSI Ordinis noſtri Prædicatore elaboratum, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, de mandato admodum Reverendi Patris noſtri Generalis, ego infraſcriptus Exprovincialis, & aliàs ſacræ Theologiæ Profeſſor, accuratè perlegi, & examinavi, quod non ſolùm Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus in omnibus conſonum, ſed & Divini Verbi Præconibus futurum perutile judicavi, & tenore præſentium confirmavi. Datum Avenione die 29. Decembris anni 1672.

F. Raymundus Avenionenſis Capucinus.

DE mandato Reverendi Patris Ambroſij Tolonenſis noſtræ Provinciæ ſancti Ludovici Miniſtri Provincialis, ex commiſſione Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis, primum Tomum illius libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Reverendo Patre Henrico Seynensi Concionatore Ordinis noſtri Capucinorum compoſitum diligentiſſimè legi, & examinavi; in eoque nihil invêni, quod ſit Fidei Catholicæ diſſonum, aut bonis moribus contrarium; ſed potiùs amplam concionum ſegetem, Verbi Dei Præconibus multùm utilem continentem: & ideò qui typis mandetur digniſſimum judico. In cujus rei fidem his præſentibus ſubſcripſi in noſtro Conventu Aquensi pridie nonas Aprilis, anno 1673.

F. Adrianus à ſancto Saturnino Concionator Capucinus, nuper Theologiæ Lector.

Facultas admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili in Chriſto Patri Henrico Seynenſi Prædicatori Capucino F. Stephanus à Ceſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CÙm Pater Provincialis Provinciæ noſtræ ſancti Ludovici mihi fidem fecerit de reviſione & approbatione Concionum Paternitatis tuæ, quas typis mandare peroptas; cùmque ad hunc effectum tibi neceſſarium ſit ire Pariſios: idcircò tenore præſentium; & ad meritum ſanctæ obedientiæ indulgeo, ut unà cum ſocio ab eodem Patre Provinciali tuo aſſignando illuc te conferre, ibique morari valeas uſquedum opus fuerit pro impreſſione earumdem Concionum tuarum. Poſtmodum in tuam Provinciam redibis cum benedictione Domini, apud quem memor ſis meî in orationibus tuis. Romæ 24. Septembris 1675.

Locus † Sigilli | *F. Stephanus Miniſter Generalis.*

Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

EGo infraſcriptus Provinciæ ſancti Ludovici Fratrum Minorum Capucinorum Provincialis, licèt immeritus: Visâ indulgentiâ admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, quâ conceditur admodum Venerabili Patri Henrico Seynensi ejuſdem Ordinis & prædictæ Provinciæ Prædicatoris, ut typis mandari faciat Librum à ſe conſcriptum, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Theologis ejuſdem Ordinis examinatum & approbatum, æquo animo conſentio, ut iſte Liber à prædictis Examinatoribus Reipublicæ Chriſtianæ proficuus futurus judicatus, in publicam poſſit prodire lucem, dummodò ſerventur ea quæ de Jure ſervari ſolent. Datum in noſtro Conventu Vapingenſi, die 6. Nov. 1675.

Locus † Sigilli. | *F. Theodoſius Provincialis.*

Altera Facultas admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili Patri in Chriſto P. Henrico Seynensi Concionatori Capucino F. Stephanus à Ceſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CÙm Paternitas tua Coloniæ Agrippinæ typis mandare ſtatuerit quoddam Opus à te compoſitum, ac proptereà à me licentiam poſtulaveris illuc eundi ad effectum prædictum, aſſentiente etiam tuo Patre Provinciali: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſalutaris obedientiæ indulgeo, quatenus Coloniam Agrippinam te conferre, ibique morari valeas unà cum ſocio à Patre Provinciali tuo aſſignando quandiu opus fuerit pro impreſſione dicti operis. Pergas igitur cum benedictione Domini, & . . ne, meî memor in orationibus tuis apud Divinam ejus Majeſtatem. Datum Genuæ 2. Septembris 1676.

Locus † Sigilli. | *F. Stephanus Miniſter Generalis.*

Alter Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

Admodum Venerabili Patri Andreæ Salonenſi Sacerdoti Capucino Frater Theodoſius Aquensis, ejuſdem Ordinis, & Provincialis Provinciæ ſancti Ludovici, licet immeritus, ſalutem.

CUm oporteat ut aſſignemus ſocium A.V.P. Henrico Seynensi Prædicatori Provinciæ noſtræ, ſecundùm poteſtatem nobis traditam ab A.R.P. Generali in literis obedientialibus ab eo nobis exhibitis ex parte illius, ut faciat imprimi Librum ſuum Coloniæ Agrippinæ, Virtute præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ aſſignamus te ad hunc effectum, & tibi permittimus ut diſcedas cum illo. Datum Aquis-Sextijs 22. Septemb. 1676.

Locus † Sigilli. | *F. Theodoſius Provincialis.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LECTOR BENEVOLE,

HÆC ATTENDAS VELIM.

NOn ambigo repetere id,quod aliàs in prooemio mei Prælati Religioſi prælibavi,& dicere præ veritate id, quod S. Bernardus *a* locutus eſt præ humilitate: *Non ſum egò profundi ſenſus, neque adeo perſpicacis ingenij, ut novi quidpiam ex me adinvenire poſſim. Sed eſt fons magnus & indeficiens os* Scripturæ ſacræ,ſanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ, & Interpretum, *quod patet ad nos. De ipſo haurio mihi* denuò. Ideòque dico cum S. Hieronymo *b* poſt Pſalmiſtam: *In Ezechiele c deſcribitur Cherubim quatuor pennarum, in quatuor angulis habere quatuor perſonas, cujus auriga Deus eſt. Cherubim autem interpretatur ſcientiæ multitudo. Significat autem perſona leonis, regalem, hoc eſt, regnare paſſionibus: perſona hominis, rationabilem: perſona vituli, in opere: perſona aquilæ, in contemplatione; hoc eſt, in theoriâ: quæ nos exaltat in virtutibus. Simul autem ut dicamus. Thronus Dei in Sanctis eſt. Decem millibus multiplex. Multa enim millia curruum ſecularium, diviſerunt evangelizantes Chriſtum in univerſo mundo.* Hujus ejuſdem verſus Pſalmiſtæ expoſitionem Beda *d* coarctat etiam ad Prædicatores: quippe qui circumquaque deferant Divinum Nomen & Verbum.

a S. Bern. ſerm. 10. in Cant.
b S. Hier. in Pſ. 67. 18.
c ex Ezech. 1. 5. &c.
d Beda citat. à Lorin. in Pſ. 67. 18.

Iuxta hanc ideam mihi à prædicto S. Hieronymo proviſam, divido totum opus mei Anni Eccleſiaſtici Concionatorii in quatuor Tomos, in quorum principiis continentur, Lex naturæ, Lex ſcripta, & Lex Evangelica. Lex naturæ, in principio Tomi I. in Abraham, qui, juxta propoſita ejuſdem S. Hieronymi verba, *Significat autem perſona leonis, regalem, hoc eſt, regnare paſſionibus*, dilectiſsimum ſuum *Filium unigenitum Iſaac* in monte Moriâ jam jam ſacrificaturus Deo, ſicut habetur in Scripturâ *e*, ſacrificium paſsionum noſtrarum à nobis Deo offerendum innuit: & reformationem virium ac facultatum animæ noſtræ interiorem ſacrificio ſuo credito & exiſtimato ſeu prætenſo nos edocet. Lex ſcripta, in principio Tomi II. in Moyſe, qui, ſecundùm præfata verba ejuſdem S. Hieronymi, *Perſona aquilæ, in contemplatione; hoc eſt, in theoriâ: quæ nos exaltat in virtutibus*, vocatus à Domino *in montem f* Sinai, ſpirituales *aſcenſiones in corde g* noſtro diſponendas, deſcenſiones unde prius diſpoſuerimus, per contemplationem indicat. Et de eodem monte ab eodem Domino juſſus deſcendere, *Deſcende h*; deſcenſum ad actionem oſtendit. Lex vero Evangelica, in principio Tomi III. in Ieſu Chriſto, qui, conformiter ad præallegata S. Hieronymi verba, *Perſona hominis, rationabilem*, in monte *i* Galilææ, ſeu in monte Thabor, ut probabiliter credit idem S. Hieronymus *k*, ſuper hæc verba S. Matthæi, *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem*, dicens, *Ex præcedentibus enim, & ſequentibus, in Galilæâ monſtratur fuiſſe locus, quem putamus eſſe vel Thabor, vel quemlibet altum excelſum montem.* Doctrinam prædicans Evangelicam, nobis exhibet ideam perfectam Chriſtiani incipientis per fidem, proficientis per ſpem, & perfecti per charitatem; ſeu, per juſtitiam initiativam, progreſsivam, & conſummatam. In quo Adventu continetur ſumma totius Doctrinæ Chriſtianæ, & omnium Sacramentorum. Et in principio Tomi IV. in eodem Ieſu Chriſto, qui, prout ferunt prænuntiata S. Hieronymi verba, *Perſona vituli, in opere*. Doctrinam Evangelicam in monte Galilææ, ſeu in monte Thabor, annuntiatam in deſcenſu *de monte l* eodem, confirmans & obſignans miraculis authoritatis ſuæ ſigilli, ut docet idem S. Hieronymus *m*, dicens: *Rectè poſt prædicationem atque doctrinam, ſigni offertur occaſio: ut per virtutem miraculi, præteritus apud audientes ſermo firmetur*: & ſanans infirmos, curandos animæ noſtræ morbos tropologicè indicat.

e Gen. 22. 2. &c.
f Exod. 24. 12.
g Pſ. 83. 7.
h Exod. 32. 7.
i Matth. 5. 1. & 7.
k S. Hier. lib. 1. Matth. 5. 1.
l Matth. c. 8. & 9. & 17.
m S. Hier. lib. 1. in Matth. 8. 1.

Google

Licèt autem conciones omnes, quæ ſcriptis exaratæ ſunt in quatuor iſtis Adventibus, qui ſunt principia quatuor Tomorum, quandam piæ ſe ferre connexionem videantur intuitu primæ ideæ proviſæ à S. Hieronymo: hoc tamen non impedit, quin ſeparatæ aliæ ab aliis, concinnè & accommodè ſervire poſſint illis omnibus, qui ipſis uti volent, æquè ac Feſta, & Dominicæ, quæ paſſim ſunt inter ipſas, ſicut & quæ ipſas ſequuntur ſecundum decurſum ordinarium Anni Eccleſiaſtici, qui incipit ab Adventu, & terminatur ad Adventum: ſicut in ſingulis quatuor Tomis ſit invenire Feſta præcipua Domini noſtri Jeſu Chriſti, qualia ſunt Nativitas Domini, Circumciſio Domini, Epiphania Domini, Feſtum Paſchæ cum duabus Feriis ſequentibus, Aſcenſio Domini, Feſtum Pentecoſtes cum duabus Feriis ſequentibus, & Feſtum SS. Trinitatis. Feſtum autem Corporis Chriſti cum totâ Octava habetur in Tomo I. ſicut & in Tomo II. in quo habetur altera Octava ejuſdem SS. Sacramenti; quemadmodum & Octava Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum habetur in Tomo I. ſicut & in Tomo II. in quo habetur altera Octava Commemorationis eorundem omnium fidelium Mortuorum, poſt Feſtum omnium Sanctorum, quod invenitur in ſingulis quatuor Tomis, æquè ac in eis inveniuntur præcipua Feſta Domini noſtri. Cetera autem Feſta minùs præcipua, ut Feſtum Inventionis S. Crucis, & Exaltatio ejuſdem S. Crucis, reperiuntur duntaxat in duobus primis Tomis. Non memini Feſti Transfigurationis Domini in ſpecie, cùm reperiatur in ſingulis quatuor Tomis Dominicâ II. Quadrageſimæ. Feſta verò præcipua B. V. MARIÆ, qualia ſunt ipſius Conceptio, Purificatio, Annuntiatio, Aſſumptio, & Nativitas, ſervando ordinem Anni Eccleſiaſtici, inveniuntur in ſingulis quatuor Tomis. Sed cùm laudabilis in Eccleſiam ſit introducta conſuetudo, ut in ipsâ Octavæ Conceptionis, Aſſumptionis, & Nativitatis ejuſdem B. V. MARIÆ, ſervando ſemper ordinem prædictum Anni Eccleſiaſtici, prædicari ſoleant; ita tres Octavas compoſui, unam Conceptionis, ſecundam Aſſumptionis, tertiam verò Nativitatis hujus B. V. MARIÆ: ſed illas ita diſpoſui, ut, ad hoc quò ipſæ reperirentur partim in ſingulis Tomis, in ſingulis pariter Tomis poſuerim Feſtum, & diem Octavæ Conceptionis, Aſſumptionis, & Nativitatis ejuſdem B. V. MARIÆ: quæ binæ conciones, Feſti, & diei Octavæ, ſcriptis in ſingulis quatuor Tomis exaratæ, quater ductæ, reperiuntur octo, & faciunt tres Octavas integras. Feſta verò ipſius minùs præcipua, qualia ſunt ipſius Viſitatio, & Præſentatio, habentur in ſolis duobus primis Tomis. Sed cùm in Eccleſiâ cœperit prædicari Feſtum Expectationis partus ejuſdem B. V. MARIÆ, ſeu Feſtum O, quod celebratur die XVII. Decembris, æquè ac Feſtum ipſius, prout Dominæ Victoriæ, quod habetur Dominica I. Octobris, eâdem qua celebratur Feſtum Roſarij ipſius: Feſtum illud Expectationis partus B. V. MARIÆ, eſt ſcriptis exaratum intra Adventum in ordine ſuo in Tomo II. Feſtum verò ejuſdem B. V. MARIÆ, prout Dominæ Victoriæ, reperitur in ſerie ſua in principio menſis Octobris anni currentis, in Tomo I. Feſtum autem prædictum B. V. M. prout Reginæ SS. Roſarij, ſeu Roſarij ipſius, habetur pariter in ordine ſuo in principio menſis Octobris anni currentis, in Tomo III. In ſingulis quatuor Adventibus habentur quatuor ſuæ Dominicæ currentes, cum Feſtis ſuis quæ intra ipſos occurrunt, & ordinariè coluntur, ſicut & cum Feſtis quæ ſequuntur immediatè Nativitatem Domini, & quæ celebrantur communiter in Eccleſia. Feſtum verò SS. Innocentium habetur duntaxat in Tomo I. & in Tomo II. Sed nullam mentionem facio de Feſtis minùs præcipuis, quæ reperiuntur intra quatuor Adventus, & quæ non coluntur, quippe quæ recenſeantur in ſerie ſuâ intra decurſum Calendarij Romani paſſim in quatuor Tomis: Neque memini Feſtorum minùs præcipuorum, & quæ non coluntur, & quæ reperiuntur intra quatuor Quadrageſimas, quæ ſingulæ ſcriptis ſunt exaratæ in ſingulis quatuor Tomis (& quæ ſingulæ ſuas habent Dominicas) cùm ſimiliter paſſim reperiantur in ſingulis quatuor Tomis in ſerie ſua juxta decurſum ejuſdem Calendarij, vel aliquando tranſlata ex occaſione Feriarum Quadrageſimalium. Sed cùm ſingulis diebus Veneris, aut Sabbathi intra Quadrageſimam prædicari ſoleat ut plurimùm, vel in Eccleſiis Monialium, vel in Sacellis Confraternitatum Pœnitentium, vel Regularium, aut alibi, de Paſſione Domini, vel de Doloribus B. V. Mariæ in morte ejuſdem Domini Filii ſui; propterea poſt ſingulas ſextas Ferias cujuſlibet hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ continentur in Tomo I. de Evangelio currente, inſerui ſingulas ſex conciones de Paſſione Domini, quæ ſingulæ ſuos textus habent ſpeciales; & quæ aptè prædicari poſſunt ſingulis iiſdem ſex primis diebus Veneris Quadrageſimæ: & ſimiliter poſt ſingulas ſextas Ferias cujuſlibet hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ continentur in Tomo II. de Evangelio currente, poſui ſingulas ſex conciones de Doloribus B. V. Mariæ in morte ejuſdem Domini Filij ſui, quæ ſingulæ habent unicum textum proprium; & quæ ritè prædicari poſſunt ſingulis iiſdem ſex primis diebus Veneris,

Digitized by Google

neris, aut diebus Sabbathi immediatè pòſt ſequentibus, Quadrageſimæ. Feſtum autem S. Joſephi, quod prædicatur utplurimùm, habetur in Tomo I. & in Tomo II. ſub finem Quadrageſimæ utriuſque, ne fortè interrumperetur ordo Feriarum occurrentium, cum dies Veneris aut Sabbathi eſſent occupatæ concionibus de Paſſione Domini, aut de Doloribus B. V. Mariæ, ultra conciones occurrentes ſingulis quibuslibet ſextis Feriis ex Evangelio diebus illis proprio & congruente. Præter Dominicas, quas jam recenſui, & quæ continentur intra quatuor Adventus, & quatuor Quadrageſimas, & Dominicas Paſchæ, Pentecoſtes, & SS. Trinitatis, quæ omnes continentur in ſingulis quatuor Tomis; in Tomo III. & in Tomo IV. continentur omnes reliquæ Dominicæ à Dominica infra Octavam Nativitatis Domini incluſivè uſque ad Dominicam XXIV. & ultimam poſt Pentecoſten incluſivè: ſic ut in utroque ex iſtis duobus Tomis ultimis ſit integrum Dominicale. Feſtum S. Joannis Baptiſtæ habetur in Tomis I. II. & III. ſicut & Feſtum S. P. N. Franciſci. Cætera autem Feſta SS. Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Pontificum, Confeſſorum, Abbatum, Virginum, & Viduarum, Conſecrationis Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, ſeu Portiunculæ, æquè ac Impreſſionis Stigmatum in corpore S. P. N. Franciſci, necnon & Fundatorum & Fundatricum Ordinum Regularium; ſicut & conciones quæ habentur in Suſceptione habitus aut veli Monaſtici, vel in Profeſſione Religionis; pro Confraternitate Pœnitentium; pro Obitu Epiſcopi, vel alterius alicujus Hominis Nobilis; ſemel, aut bis, ſecundùm occurentias, & juxta dignitates Sanctorum, aut ſubjectorum, quæ tractantur, paſſim ſcriptis inveniuntur exarata in aliquo è quatuor Tomis. In quibus quatuor Tomis nullas authoritates poſui, tam ex Scriptura, quàm ex Authoribus ſacris, & profanis, quas non exegerim ad ipſarum originalia.

Omnia autem, quæ ſcriptis in quatuor iſtis Tomis exaravi ad majorem Dei gloriam, ad honorem B. V. Mariæ Deiparæ, & ad laudem S. P. N. Franciſci, & omnium Sanctorum, ſicut & ad auxilium Prædicatorum, judicio & cenſuræ ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ humillimè ſubmitto; quippe *quæ eſt columna & firmamentum veritatis* n.

n 1 Tim. 3.15.

In conſcribendis autem ſermonibus omnibus & ſingulis iſtis, qui inveniuntur in decurſu hujus Anni Eccleſiaſtici, uſus ſum methodo quam præſcribit Pater Amadæus o Bajocenſis Capucinus in Eloquentia ſua Chriſtiana, cujus verba referre non ambigam, quippe qui Oratorem Evangelicum ad ideam & doctrinam S. Pauli formare contenderit. Tractans igitur de ornatu Eloquentiæ Chriſtianæ, ſeu de Elocutione, ſic ediſſerit: *Hominum genius eſt iſte, ut novitatis & diverſitatis ſemper avidus, res etiam optimas minoris faciat, faſtidiat ac prorſus deſpiciat, ſi vetuſtatis, aut æqualitatis, ſeu (ut ita dicam) identitatis ſpeciem præſeferant. Hinc ad Elocutionis ornatum maximè commendatur varietas, quæ res diverſas, aut eaſdem ſub diverſâ veſte indutas repræſentans, ſatietatem ex ſimilitudine metuendam prævertit, & appetitum diverſitatis illecebrâ provocet. De hac Tullius 2. de Orat. num 177. ſic ſcribit. Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audit, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Proponi oportet quid afferas, & id quare ſit, oſtendere; & ex iiſdem locis interdum concludere, relinquere aliàs, atque tranſire: Sæpè non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit declarare. Si cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes; deinde quod agitur, adjungas: puncta argumentorum plerùmque, ut occulas, ne quis ea numerare poſſit, ut re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur, &c. Idem ſentiunt de Varietate omnes Eloquentiæ Magiſtri, illam ſcilicet ita præſtare arbitrantur, ut maximam inde gratiam bonitati oratorium opus; arridet quippe quod prudenti varietate contextum ac inſperſum proponitur; nauſeat verò, niſi ſordeat, quod diverſitate carent, idem ſemper aut eſt, aut æſtimatur.*

o P. Amad. Bajoc. Capuc. Paul. Eccleſiaſt. ſeu Eloquêt. Chriſt. l. 4. Orat. Eloquêt. Chriſt. [illegible] de Elocut. c. 4. art. 2. ſect. 2. de Varietate ſeu Methodo variâ Orationis. edit. 1670.

Et aliquanto pòſt ſubdit: Neſcio an cum peritioribus benè ſentiam, ſed ingenuè fatebor mihi non omnino probari Oratorem, qui eâdem dicendi formâ dicit ſemper quæcumque dicendo ſuſceperit: hoc eſt, eâdem methodo formatum præmittit Exordium, introductionem ſimili arte inſtructam, partitiones ejuſdem numeri quoad capita, ac paris inventionis, quantum compoſitionis intereſt; cætera item non diſpari ratione tractata quotidie profert; hæc (inquam) frequentior ejuſdem formæ repetitio mihi videtur ab Eloquentia genio recedere: ut enim ab iiſdem aut ſimilibus verbis faſtidium ſumunt Auditores, ita & à paribus concionum formis. Audivi quendam, alioquin non incelebrem Eccleſiaſten, qui de propoſitis diverſiſſimis concionatus, idem tractaſſe propoſitum viſus eſt, quia eandem dicendi formam uſurpaverat in rebus longiſſimè diſtantibus; Iſta plùs ſibi conſtans compoſitionis ac ſtyli æqualitas, anguſtioris induſtriæ argumentum eſt; & quemadmodum pictor ille non cenſeretur in arte primarius, qui tabellas omnes nonniſi ſub unicâ tantùm formâ, vel eodem ſemper colore expreſſas exhiberet; ita nec Concionator diverſa propoſita eodem modo tractans,

vide-

videtur eximiÿ gloriam mereri. Aliàs adhibeatur Introductio, aliàs prætermittatur: Nunc partitionem uſurpet trimembrem: nunc bimembrem. Nunc utatur formà Concionum ordinariâ, nunc verò inſolitâ; quales ſunt Forenſis oratio, Medico-moralis, Dialogiſtica; aliaque ſimiles. Partitiones variari etiam debent. Hæ ſcilicet modò bimembres fiant; modò trimembres; nonnunquam quadrimembres. Aliquando ſubdiviſionibus diſtinguantur; aliquando plurimis partibus gradatim ſuccedentibus increſcat Oratio. Aliàs Exordio, aliàs Introductioni partitiones inſerantur.

Ad hancergo methodum me conformavi, non obſervando ſemper eundem ſtylum, ſed ordinarie uten lo Exordio, aliquando ſed rarò Introductionem omittendo; partitiones faciendo bimembres, aliquando trimembres, quandoque quadrimembres. Secundùm exigentiam materiarum, licèt aliquando duntaxat unicam conſtituerim propoſitionem ſimplicem, vel complexam; interdum adhibendo formam Forenſis orationis, aliàs Medico-moralis, aliàs verò Dialogiſticæ, ſed rarò; aliquando ſatagendo ut plurimis partibus ſeu rationibus diverſis gradatim ſuccedentibus increſceret Oratio; aliquando probando propoſitiones meas ex Scriptura ſacra, è ſanctis Patribus, è Conciliis, ratione, & authoritatibus aliis, ſecundùm quod obſervavi fieri à variis Prædicatoribus, quos audivi; & juxta monitum, quod prædictus Pater Amadæus Lectori tradit in fine Idearum & Partitionum Concionum, ubi quædam propoſita Adventus, Quadrageſimæ, & Octavarum, quæ ipſe tractavit, paucis indicans, ait, *Adventum ſub triplici formâ ſeparatim expendi. Prior eſt de Iuſtitia Chriſtiana, hoc eſt, quid Chriſtianus debeat Deo, Proximo, & ſibi, tam quoad corpus, quàm quoad animam. Altera forma exhibet Antiochum profanatorem & Machabæum Inſtauratorem; Ille templum Dei, id eſt, animam profanat per vitia; iſte inſtaurat per virtutes oppoſitas. Poſterior eſt de Iuſtitia tribunalibus quatuor; videlicèt Divino, Civili, Eccleſiaſtico, & Naturali. Audivi celebres aliquot Oratores, quorum iſta erant propoſita. Aliqui deſtructione civitatis Iericho, pingebant ruinam animæ per peccatum. Alii deſolationem urbis Ieruſalem faciebant peccatoris puniendi figuram. Alii per peccatum & pænitentiam Davidis, ſignificabant varios ſtatus hominis peccatoris & pænitentis. Alÿ moralem Chriſtianam explicant. Alÿ viam ſalutis docent, &c. Quadrageſimalia Evangelia diverſis propoſitis abundant. Octavam triplicem de SS. Sacramento compegi. Prior aperit Inventiones Amoris Divini, qui omnia Divinitatis Attributa manifeſtat in Euchariſtia. Altera exhibet Chriſtum Medicum, qui per Euchariſtiam medetur vitiis. Tertia Doctorem proponit, ut omnium virtutum Exemplar à Chriſto in Euchariſtiâ ducatur.* Eò ferè coincidunt ideæ Adventuum meorum, quas eduxi è S. Hieronymo, Quadrageſimarum, & Octavarum SS. Sacramenti, quæ de materijs ferè ſimilibus, aut ad prædictas aliquo modo accedentibus tractant, licèt ſub diverſis ptopoſitis.

Et cùm de Subdiviſionibus loquens in principio libri quarti Exercitationum Eloquentiæ multiformis, ſeu Artis variandi conciones in plures & diverſas formas, dicat *De Subdiviſionibus, ab aliquibus improbari, à cæteris verò uſurpari*: Et ſubjungat immediatè poſt, *Poſteriorum uſum amplecti uſus ſum*; ijs utor aliquando, illas verò utplurimùm negligo, cùm per eas vix benè poſſit extendi ac explicari materia propoſita.

Non omitto formam Concionum Syncriticam & Parallellam, quæ unum cum altero comparat; formam Lamentatoriam de Concionibus Funebribus; Concionem in forma Horoſcopi, & Symbolorum; nec formam Concionum quæ fit per Paradoxa, ad quas omnes formas, quas ipſe conſequenter proſequitur, ſecundùm ſubjecta occurentia me conformavi. Et ipſe tandem poſt omnes iſtas & alias prævias formas concludit: *Præſtat ergo variam alternatim adhibere formam, quàm ſimilem ſemper uſurpare.*

ANNUS ECCLESIASTICUS

CONCIONATORIUS QUADRIPARTITUS.

TOMUS I.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 18. &c.

VIſio naturalis, juxta id, quod docet Perſpectiva, fit recipiendo ſpecies ab objecto per intramiſſionem; viſio verò Dei è contrà peragitur per extramiſſionem, conſervando nobis dona miſericordiæ ſuæ: videri enim ab illo, & ab eo ſuſcipere beneficia, idem ſunt, ſicut videmus hodiernâ die in duobus iſtis fratribus Simone & Andreâ, *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres*, &c. Illuminavit eis oculos animæ. Intuitus Dei per ſe mirabiles ferunt effectus, *Reſpiciam vos, & creſcere faciam a.* Propterea Virgo Deipara reſpondet in ſuo Cantico, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Audite id quod ſequitur, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt b. Hoc eſt, præclariſſima mihi beneficia eſt largitus, in ſanctificatione, in gratiarum augmentatione, in totius perfectionis collatione; & nunc potiſſimùm in Incarnatione, in qua vera Dei Mater effecta, quodammodo infinita dignitatis prærogativam ſum conſecuta ab eo, qui potens, imò omnipotens eſt, & adeò potens, ut ejus reſpectu omnis creatura ſit impotens, nec ſine illius manutenentiâ per momentum ſubſiſtere valens, qui per me mundum liberare dignatus eſt, & præ omni creaturâ me honoravit, itàquòd Deum omnium Creatorem ac Dominum concepi, & peperi c* ab illo momento, quo audivi Angelum dicentem mihi, *Ave Maria*

a Levit. 26. 9.

b Luc. 1. 48. & 49.

c Dion. Carth. art. 4. in Luc. in 49.

Res eſt obſervatu digna, nimirum viſu, quomodo S. Andreas ter vocatus fuerit à Domino noſtro. Primò, cùm *ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis ejus duo: & reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit, Ecce Agnus Dei: & audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Converſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis, Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas? dixit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt, & apud eum manſerunt die illo. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum d,* &c. Secundò, cùm *Ieſus ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth: aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam: Et reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete: & cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens, Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in capturâ piſcium, quam ceperant. Et ait ad Simonem Ieſus, Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. Et relictis omnibus ſecuti ſunt eum e.* Tertiò, cùm *ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Ne autem præſumat quis confundere vocationes illas tres S. Andreæ, æquè ac D. Petri fratris ejus, audiat Dionyſium Carthuſianum *f* illas authoritate ſuâ ſic comprobantem: *Triplex fuit diſcipulorum iſtorum vocatio. Una ad ſimplicem notitiam, quæ apud Ioannem deſcribitur. Cùm enim Andreas à Magiſtro ſuo Ioanne Baptiſtâ audiſſet, Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi, demonſtrante Chriſtum Ioanne, Andreas ſecutus eſt Ieſum, adduxitque Simonem fratrem ſuum ad eum. Secunda vocatio fuit ad familiaritatem, quæ deſcribitur apud Lucam, quando Petrus viſâ miraculosâ piſcium captione, procidit ad genua Ieſu, dicens, Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum. Tunc enim omnia reliquerunt ad tempus, & rurſus ad piſcandum reverſi ſunt, ſicut & ante. Tertia fuit ad Apoſtolatum, quando ſimpliciter omnia reliquerunt, & iſta deſcribitur hic.* Ex hac triplici vocatione infero tripliciter vocari nos à Deo. Prima vocatio eſt ea, quâ vocat nos ad notitiam ſui ipſius. Secunda vocatio eſt illa, quâ facit nos venire in cognitionem noſtri inſtar D. Petri agnoſcentis ſe peccatorem. Tertia tandem eſt, quâ ita inflammat cor noſtrum amore ſuo, ut deſeramus omnia ad ipſum ſequendum, ut reliquerunt omnia iſti duo fratres.

d Joan. 1. 35. &c.

e Luc. 5. 1. &c.

f Dion. Carth. art. 8. in Matth. 4. 18. &c.

Diviſio.

Primus modus, quo Deus vocat nos, eſt cùm nobis dat notitiam ſui ipſius, ut per hanc cognitionem perveniamus ad dilectionem ipſius, quia, ſecundùm axioma Philoſophicum, *Nihil volitum, quin præcognitum.* Hanc præbuit ipſe cognitionem Gentilibus medio lumine naturæ, ut ait S. Paulus, *g Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.*

I. Pars.

g Rom. 1. 19. & 20.

Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Quæ omnia fuſè exponit Dionyſius Carthuſianus, b *Quod notum eſt Dei, hoc eſt per naturalem rationem de Deo ſciri poteſt, videlicet quòd Deus ſit juſtus & ſapiens, approbans bona, & reprobans mala, & quòd ipſi ſoli ſit cultus perfectiſſimus, utpote honor latriæ exhibendus, manifeſtum eſt in illis, hoc eſt, Gentilibus notum fuit. Deus enim illis manifeſtavit per influentiam luminis naturalis, per quod anima rationalis ex creaturis intelligit Creatorem. De quo lumine ſcriptum eſt Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* i. *Unde Origenes ait, Notum Dei eſt hoc quod ex mundi hujus diſpoſitione, & naturali ratione aſſequi poſſumus. Ignotum verò Dei, eſt ratio ſubſtantiæ ejus, quæ omnem latet creaturam, ſimiliter & myſterium humanæ liberationis. Pluribus autem modis Deus revelavit hominibus veritatem, videlicet per ſapientiæ infuſionem, per Angelicam revelationem, per Sanctorum inſtructionem, per naturalem rationem. Secundùm Damaſcenum quoq; omnibus naturaliter inſerta eſt cognitio exiſtēdi Deum Nunc tamen agit Apoſtolus de revelatione, quæ fit per naturalem rationem, quæ ex creaturis aſcendit ad Creatoris notitiā: ſubditur namq;, Inviſibilia enim ipſius, id eſt, Divina natura incorporea, ſimplex, & inviſibilis, & perfectiones ejus, quæ naturaliter ſciri poſſunt, videlicet juſtitia, potentia, providentia, &c. quæ dicuntur inviſibilia Dei, quoniam licèt ſint unum in Deo, & ipſa Divina eſſentia, tamen ſecundùm rationem diſtinguuntur, diverſimode ſignificantur, & per diverſa cognoſcuntur Hæc ergo inviſibilia Dei à creaturâ mundi, id eſt ab homine, qui inter creaturas hujus ſenſibilis mundi primatum ſortitur: de quo Dominus dicebat, Prædicate Evangelium omni creaturæ* k, *id eſt, omni homini, per ea quæ facta ſunt, id eſt, per res creatas, intellecta, id eſt intellectualiter contemplata: oportet enim inviſibilia Dei intellectualis, puroq; oculo intueri, conſpiciuntur, id eſt, agnoſcuntur. Vel per ea quæ facta ſunt, intellecta, id eſt, per creatā ritè conſiderata. Sempiterna quoque virtus ejus, id eſt, æterna poteſtas Dei, & Divinitas ab homine conſpiciuntur, per ea quæ facta ſunt, non utique per ſpeciem, vel quid ſint, ſed quia ſunt. & quid non ſunt. Cùm enim omnis creatura ſit quidam radius ſui Creatoris, & omnis effectus ſit quædam participata ſimilitudo ſuæ cauſæ (quoniam unumquodque producit ſibi ſimile) certum eſt, quòd ex naturis creatis aliquo modo cognoſcatur increata natura. Videntes quippe Philoſophi ordinem eſſe in rebus, & quòd unum procedit, cauſatur, & gubernatur ab alio, pervenerunt ad notitiam unius primi ſummiq; Entis, quod oportuit eſſe æternum, perfectum & independens Ex uniformi quoque motu cœleſtium, & ſtabili conſiſtentiâ mundi atque gubernatione inferiorum à Superioribus, perpenderunt eſſe in univerſo unum quemdam ſummum Proviſorem, Dominatorem, ac Principem. Quàm multa autem vera, profunda, ac mira agnoverint Plato cum ſuis & Ariſtoteles cum Peripateticis de inviſibilibus Dei, de ſempiternâ virtute ac divinitate ipſius, patet in libris eorum. Prædictis autem verbis Apoſtoli conſonat illud quoque Sapientis, A magnitudine ſpeciei creaturæ poterit Creator horum cognoſcibiliter videri* l. *Omnia enim (ut ait Salomon) propter ſeipſum operatus eſt Dominus* m, *ſcilicet ut in creaturis Divina Majeſtas atque perfectio relucerent: ſicq; ex conſideratione creaturarum incitaretur homo ad contemplationem, amorem, ac reverentiam Creatoris. Hinc ſcriptum eſt, Fecit Deus opera ſua, ut timeatur* n. *Et iterùm, Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc* o. *Intantùm igitur cognoverunt Deum, ita ut ſint inexcuſabiles de ſuis peccatis, præſertim de idololatriâ, Non enim excuſat eos ignorantia.*

b Dion. Carth. art. 4. in Rom. 1. 19. & 20.
i Pſ. 4. 7.
k Marc. 16. 15.
l Sap. 13. 5.
m ex Proverb. 16. 4.
n ex Eccl. 3. 14
o Iſai. 40. 26.

Præter iſtam notitiam naturalem, aliam præbuit Hebræis cognitionem clariorem per Scripturas ſacras revelatas Prophetis Fœderis antiqui: ſed nos qui per miſericordiam ejus ſumus Chriſtiani, illuſtrati ſumus vivis luminibus Filij ipſius, *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* p. Quod non minùs appoſitè Dionyſius idem Carthuſianus q explicat, *Multifariè, id eſt, frequenter, repetitiſq; vicibus, ſeu diverſis ſermonibus, figurativis, obſcuris, & myſticis, multiſq; modis, id eſt, diſtinctis viſionum generibus, ſeu varijs modis loquendi, videlicet interdum per viſionem imaginariam Quemadmodum Iſaias vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum* r. *Et Ieremias vidit ollam ſuccenſam, & virgam vigilantem* s. *Interdum per viſionem exteriorem, ſicut Daniel vidit Gabrielem* t. *Et Iacob Angelum ſecum luctantem* u. *Interdum per inſpirationem anagogicam, ſeu purè intellectualem, ut in David* x. *Quandoque in ſomno* y, *quandoque in vigiliâ, olim, id eſt, præteritis, diuq; lapſis temporibus loquens Deus Patribus, id eſt, præceſſoribus noſtris, Patriarchis, & cæteris bonis hominibus de quibus ait Virgo benedicta, Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus* z: *in Prophetis, id eſt, per Prophetas, quibus per Angelos loquebatur. Sed & inferioribus Angelis loquitur per Superiores Unde apud Lucam* a *habetur, Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus. Hinc quoque per Prophetam* b *Dominus loquitur, Ego viſiones multiplicavi, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum. Noviſſimè, id eſt, in hâc ultimâ mundi ætate, de quâ dicit Ioannes* c, *Chariſſimi, noviſſima hora eſt. Nos enim ſumus in quos fines ſeculorum devenerunt* d, *diebus iſtis, id eſt, tempore gratiæ. Unde ſcriptum eſt, Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini* e, *locutus eſt nobis in Filio, id eſt per unigenitum ſuum incarnatum, qui in Evangelio aſſerit, Mea doctrina, non eſt mea, ſed ejus qui miſit me* f, *Patris. Rurſumq;, Verba quæ ego loquor, à meipſo non loquor* g. Ipſe autem eſt qui Andreæ & ſocio ejus, ambobus diſcipulis Joannis Baptiſtæ, ſuîipſius notitiam præbet, *Et ſecuti ſunt Ieſum. Converſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis, Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi ubi habitas? Dicit eis, venite, & videte* h. Quod non minùs disertè ad rem noſtram exponit idem Carthuſianus i, *Et ſecuti ſunt Ieſum, ut ejus doctrinâ inſtruerentur, quem didicerunt majorem eſſe Ioanne. Cupiebant enim ſortiri chariſmata meliora* k, *& optimo adhærere* l *Magiſtro. Per quod inſtruimur, ut applicemus nos his, quos videmus in ſapientiâ & virtutibus præpollere. Converſus autem Ieſus, hoc eſt, vultum ſuum dulciſſimum ad illos convertens, imò & pietatis ſuæ affectum ſuper eos expandens. & videns eos ſequentes ſe, corporis greſſu & mente fideli, deſiderio quoque proficiendi, dicit eis, Quid quæritis? id eſt, quare venitis poſt me? Non quaſi ignorans quærit, ſed ut illorum reſponſioni convenienter reſpondeat, atque ut illi ſuum deſiderium exprimendo ampliùs incaleſcant, & gratiæ præparatiores reddantur: Simili modo ſi nos cœperimus ſequi & quærere Chriſtum, convertet oculum pietatis ſuæ ad nos & imbecillitatem noſtram juvabit, ac perducet ad thronum gratiæ ſuæ, ſi tamen conſtanter quæramus. Ideò monet Pſalmiſta, Lætetur cor quærentium Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus ſemper* m. *Et denuo. Accedite ad eum, & illuminamini* n. *Qui dixerunt ei: Rabbi ubi habitas? Quæſierunt autem ubi Ieſus habitaret, quoniam ſecum pernoctare optabant, quatenus ejus colloquio, præſentiâ, & familiaritate*

p Hebr. 1. 1. & 2.
q Dion. Carth. art. 1. in Hebr. 1. 1. & 2.
r ex Iſai. 6. 1.
s ex Jer. 1. 13. & 11.
t ex Dan. 8. 15. & 16.
u ex Gen 32. 24.
x ex 2. Reg. 23. 1. &c.
y ex 1. Reg. 3. 4. &c.
z Luc. 1. 55.
a Luc. 1. 70.
b ex Oſe. 12. 10.
c ex 1. Joan. 2. 18.
d ex 1. Cor. 10. 11.
e Iſa. 2. 2.
f Joan. 7. 16.
g Joan. 14. 10.
h Joan. 1. 37. &c.
i Dion. Carth. art. 6. in Joan. 1. 37. &c.
k ex 1. Cor. 12. 31.
l ex Pſal. 72. 28.
m Pſ. 104. 3. & 4.
n Pſ. 33. 6.

tate utterentur. Per quod ſimpliciter Chriſto reſponderunt, quod quærerent: quærebant enim inſtructionem ſalutarem, & gratiam Salvatoris, ſcientes Magiſtrum ſuum Ioannem non mentiri, à quo audierunt, quòd Ieſus eſſet Agnus Dei, tollens peccata mundi, baptizans in Spiritu ſancto, & Filius Dei. Pariformiter & nos cum Sponſâ quæramus ubi habitet Chriſtus, dicentes [o Cant. 1.7.] *illud in Canticis o, Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie. Studeamuſque ſtabiliter Chriſto uniri, imò & actualiter ei, quantùm poſſibile eſt, adhærere, exemplo dicentis, Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini p. Et item, Adhæſit anima mea poſt te q. Rurſumque, Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper* [p Pſ. 26. 4.] [q Pſ. 62. 9.] [r Pſ. 33. 2.] *laus ejus in ore meo r. Dicit eis Ieſus, Venite poſt me, & videte ubi habitem. Moraliter, ſecundùm Origenem, Venite, benè agendo, ac de virtute in virtutem proficiendo, & videte Deum Deorum s ſuaviter contemplando.* [s ex Pſ. 83.8.] *Quia in vitâ activâ, & viâ purgativâ benè exercitati, ad vitam contemplativam, ſeu viam illuminativam, unitivamque cum Deo perfectionem, ſunt apti. Vnde & ait Caſſianus, Oportet ethicam ſeu moralem præire theoricam.*

Eſt igitur nos Deus allocutus per Filium ſuum, quod eſt eximium beneficium, ſi autem Gentiles omni prorſus excuſatione fuerunt indigni, eo quòd ipſis fuerit locutus Deus per creaturas; minùs excuſabiles fuerunt Judæi, quibus eſt Deus locutus per Prophetas, & minùs etiam excuſari poſſunt Chriſtiani, & inter eos Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices, quos Deus vocavit ad obſequium ſuum tot vocibus, tot inſpirationibus, tot luminibus, & cognitionibus Divinitatis ſuæ: cùm enim magis receperint, maximæ erunt conſcij ingratitudinis, niſi ſequantur eum, qui ipſos vocat, qui idcircò ipſis improperabit, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit t.* [t Prov. 1.24. &c.] Illi ergo multùm hallucinantur qui imaginantur ſolos Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices vocatos à Deo ad obſequium ipſius debere vitam ſpiritualem agere, non autem cæteros Chriſtianos: vita enim Chriſtianorum ſita eſt in hoc, ut ſequantur vitam Jeſu Chriſti, quæ fuit tota ſpiritualis & Divina. Vita Chriſtianorum, ne ſuæ detrahat vocationi, conſiſtit in cognitione Dei. Ratio eſt, quia vita cognoſcitur ex operatione: cognoſcitur res aliqua vivere, cum operatur, præſertim verò cùm cognoſcit; & quò operatio perfectior eſt, eò & vita eſt excellentior: atqui non eſt modus magis realis in homine, quàm ſit cognitio, nec ulla ſunt lumina ſublimiora illis, quæ nobis præbent notitiam Dei: ideò vita perfectiſſima Chriſtianorum ſecundum primam vocationem ſuam debet inniti cognitioni Dei, in quâ ipſa conſiſtit. Sed hæc cognitio non debet eſſe nuda & ſpeculativa, juxta ea quæ dixi modò poſt Dionyſium Carthuſianum, poſt Origenem, & Caſſianum, ſed etiam & operi conjuncta, ita ut praxis bonorum operum ſocietur iſti cognitioni Dei.

II. Pars. Secundum genus vocationis eſt, cùm Deus nos facit venire in cognitionem noſtri, ſicut effecit, ut Petrus ſemetipſum cognoſceret intuitu miraculi piſcationis illius prodigioſæ, de quâ ſupra, *Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. Et ait ad Simonem Ieſus, Noli timere.* Super quod mirabiliter more conſueto loquitur Dionyſius Carthus. ad [u Dion. Carth. art. 12. in Luc. 5. 8. &c.] propoſitum noſtrum, *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine, id eſt, tibi aſſiſtere, adeſſe, cohabitare indignus ſum, quia homo fragilis ac peccator, ac ſervus inutilis: tu autem tam potens, tam ſanctus ac Dominus. Itaque ex magnitudine miraculoſi effectus majeſtatem cauſæ penſavit, & quia oppoſita juxta ſe poſita clariùs innoteſcunt, quò Petrus Chriſti virtutem excellentiamque magis attendit, eò propriam culpam ac parvitatem evidentiùs intellexit, atque humiliùs faſſus eſt. Hinc Chriſtum à ſe exire rogavit, non eum indignanter repellens, ſed ex profundiſſimâ humilitate honorans, nec tamen ſpiritualem ejus præſentiam, ſeu gratiæ opem à ſe abeſſe optavit. Vnde in iſto ſimilis fuit Centurioni dicenti, Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus x.* [x Matth. 8.8.] *De hâc quoque ſpirituali præſentiâ ſemper optandâ ait Gregorius, Si te peccatorem conſideras, neceſſe eſt ut à te Dominum non repellas. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in capturâ piſcium, quam ceperant, hoc eſt, vehemens admiratio ex omni parte, atque totaliter occupavit corda iſtorum ex conſideratione tanti prodigij, cujus admirabilitatem tantò certiùs noverant, quò in arte piſcatoriâ exercitatiores fuerunt. Vnde & Chriſtus eorum infirmitati condeſcendens, per tale miraculum voluit eos allicere quod ad eorum officium magis ſpectabat quantùm ad facti materiam: ſicut & Magos Aſtronomiæ intentos per ſtellam apparentem adduxit y.* [y ex Matthæo 2. 1. &c.] *Et ait ad Simonem Ieſus, qui ſicut ſe Chriſto ſingulariter humiliavit, ſic meruit ſingulariter conſolari ab eo. Cor enim contritum & humiliatum Deus non deſpicit z, ſed exhilarat,* [z ex Pſal. 50. 19.] *& confortat. Noli timere immoderato timore, ex conſideratione tuæ parvitatis & culpæ, ex contemplatione quoque ſigni hujus, & excellentiæ meæ, ut ideò petas me exire à te: ſed in conſideratione pietatis & gratiæ meæ reſpira, & gaude.*

Cognitio ſuipſius eſt omnium altiſſima poſt notitiam Dei. *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ a.* [a Gen. 2. 19. & 20.] Sed, quod mirabile eſt, cùm cuilibet rei viventi ſuper terrâ nomen impoſuiſſet, nullum ſibi impoſuit nomen Protoplaſtus iſte noſter: nomen enim iſtud, *Adam*, eſt nomen appellativum commune omnibus hominibus: nam ſicut nomen iſtud, homo, eruitur ab humo; ita etiam iſtud nomen, *Adam*, educitur ab *Adama*, quod eſt nomen Hebræum, quo ſignificatur humus, ut ait Cornelius *b*, poſt Scripturam, *In die quâ creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum. Maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam.* [b Cornel. in Gen. 5. 1. & 2.] *Ab Hebræo Adama. Quaſi diceret, Vocavit eos homo ab humo, ex quâ creavit eos. Eva ergo etiam eſt Adam, id eſt, homo. Vtriq; unum nomen indidit Deus.* Atqui quòd Adam ſibi nomen non impoſuerit, non eſt iſtud immune profectò a myſterio. Quod reſponderi poteſt ad hoc, eſt, quòd ad hoc ut congrua æquè ac propria imponantur rebus nomina, ſcienda eſt propria illarum eſſentia & natura. Cùm igitur Adam in hoc ſtatu notitiam haberet omnium rerum, quæ ſciri poſſunt naturaliter (ut patet ex eo quod ait S. Thomas *c*, *Quòd ipſe impoſuit nomina animalibus: nomina autem debent naturis rerum congruere: ergo Adam ſcivit naturas omnium animalium, & pari ratione habuit omnium* [c S. Th. 1. p. q. 94. art. 3.]

aliorum ſcientiam) facile fuit illi vocatu rem quamlibet proprio nomine: & ſic verba prædicta Geneſis, Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus, exponit Cornelius d, id eſt, Ipſius naturæ conveniens eſt nomen. Quaſi dicat, Adam ſingulis convenientia indidit nomina, quæ ſingulis naturam exprimerent. Ita Euſebius. Et addit. Vide hic ſapientiam Adæ, quâ ſingulorum animalium naturas norat, eiſque congrua indebat nomina. Sed noluit ſibimetipſi nomen imponere, quia non eſt auſus confiteri ignorantiam, quam habebat ſuiipſius, & quòd non cognoſceret ſemetipſum. Docere nos voluit iſte Protoplaſtus noſter, quòd cognitio ſuiipſius eſt res ita difficilis, & Philoſophia ſic ſublimis, ut faciliùs cognoſcere poſſimus quamlibet rem extra nos, quam noſtri notitiam nobis comparare poſſimus. Tanti ponderis fuit hæc ſcientia & cognitio ſuiipſius inter Ethnicos, ut illam præ foribus templi Delphici legendam & addiſcendam propoſuerint præ hâc inſcriptione, Noſce teipſum. Quaſi monitum ſalutare, & ave fortunatum Dij tribuerent illis omnibus, qui præfatum templum ingrederentur: hæc enim cognitio eſt origo & principium omnis boni. Propterea dicebat David e, Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Quod ritè, ſed ſatis fusè ad propoſitum noſtrum explicat Incognitus f, dicens in perſona Davidis, Id eſt, coram facie meâ. Sic enim accipitur contra pro coram. Vnde & alia litera habet, Coram. Contra ſe ergo habet peccatum, qui ejus fœditatem recogitat: poſt ſe peccatum habet, qui de illo non penſat. Prius enim David habuit peccatum ſuum poſt tergum, quando Nathan propoſuit ei parabolam de divite, qui rapuerat ovem pauperis: & ipſe ſententiam contra divitem dedit, oblitus, quia ipſe erat ille dives, qui morte dignus erat, ſed ad verba Nathan ſtatim peccatum coram mente ſuâ ſtatuit, ut verus pœnitens g. Et idcircò nunc dicit, Et peccatum meum contra, vel coram me eſt ſemper. Notandum, quod initium ſalutis peccatoris, eſt ſeipſum, & ſua vitia cognoſcere, quia illis cognitis, ſtatim remedia quærit. Sicut homo ſe infirmum non cognoſcens, non quærit remedia, propter quod dicit Seneca Epiſt. 6. quòd ſignum eſt meliorati animi, cùm vitia ſua cognoſcit, oſtendit per ſimile. Quibuſdam enim ægris congratulamur, cùm ſeipſos ægros eſſe ſenſerunt. Et ideò homines, qui ſuos defectus non advertunt, correctores quærere debent, qui eos doceant, quando peccant. Sic enim in propoſito David peccata ſua non advertebat: ſed per Nathan correctus illa cognovit: propter quod dicit, Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Vnde dicitur, Cum cognoverit homo peccatum ſuum, offeret capram immaculatam h. Id eſt, ſeipſum ad modum capræ ſe Deo debet offerre. Capra enim, ſecundùm Naturales, carnes habet ſiccas, & difficillimæ digeſtionis, pilos habet aſperos; & cibo utitur groſſiori, quia ſcilicet virgultis arborum. Sic verè tales peccatum ſuum cognoſcentes; ut Deo ſatisfaciant, carnem ſiccam debent habere per abſtinentiam & jejunium; quæ debet eſſe difficilis digeſtionis: illud enim, quod digeritur, in alimentum vel ſubſtantiam digerentis convertitur. Talis autem carnem non debet digerere: quia affectiones carnales non debent à nobis ſic recipi, ut in nobis per approbationem convertantur. Pilos etiam aſperos debet habere, quia carnem ſuam non mollibus veſtibus, ſed magis cilicio operire debet. Cibo groſſiori debet uti, id eſt, ſolido, ſcilicet, verbo Dei, quod eſt tanta ſoliditatis, quod manet in æternum i. Et ſicut capra per vias aſperas aſcendit ad alta: ſic & talis per aſperam pœnitentiæ viam ad alta, id eſt, ad cœleſtium contemplationem perveniet: quia, ſcilicet, ex hoc cognoſcet Deum, quem per peccatum offendit. Et tunc dicit illud, Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tuâ humiliaſti me k. Sic & David ſua errata cognoſcens, dicit, Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Sic & Magdalena diſſolutiones ſuas, quæ totam juventutem Jeroſolymitanam profligaverant, æquè ac civitatem pravo exemplo ſcandalizaverant, cognoſcens; ex earundem cognitione ad celeberrimam agendam pœnitentiam ſibi viam aperuit, ut ait D. Lucas, & poſt eum Dionyſius Carthuſianus, l Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes ejus. Conſiderando enim peccatorum ſuorum enormitatem, intantùm contempſit ſeipſam, quòd prorſus indignam ſe reputavit coram Chriſti facie apparere, ejus vultum aſpicere, oculos ad eum levare: quemadmodum publicanus nec oculos audebat levare ad cœlum, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus, propitius eſto mihi peccatori m. Hoc & Maria hæc, & ſic non verbis, tamen totâ anima, corporiſque diſpoſitione ac geſtu dicebat. Sua quippe peccata non verbis, ſed rebus & fletibus confitebatur, paratiſſima utique ad oris confeſſionem, ſed tunc talis confeſſio nondum fuit præcepta Chriſtus namque Sacramentum pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis primò inſtituit n. Denique quia publica fuit peccatrix, omnibus ſua reputaris peccata ſatis aperta. Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. O quanta, quàm cordialis, intenſa ac penetrativa fuit hujus compunctio, contritio, devotio mulieris, quæ non vocata coram tot diſcumbentibus eſt ingreſſa, omnibus conſpiciendam ſe repræſentans, & tam uberrimè coram eis ſeipſam deplorans, tùm tamen tantæ nobilitatis, & opulentiæ eſſet. Sed quia ſua peccata clarè advertit, dignè penſavit, ſeipſam profundiſſimè humiliavit, ineffabiliterque contempſit: idcircò non ſolùm non verebatur confundi, deſpici, irrideri, imò omnia iſta optavit, ut Deo, quem ipſa inhonoravit, aliquam recompenſationem, honoremque faceret: dum ſicut ipſa Deum maximè inhonoraverat per peccata: ſic propter illius honorem recompenſandum ſeipſam præbet maximè confundendam. Et capillis capitis ſui tergebat. Itaque primò ſtetit poſt tergum Chriſti, deinde ſe pedibus ejus provolvit, lacrymis eos humectans. Ex Chriſti etenim prædicatione fuit inenarrabiliter inflãmata, compuncta, ac tota quaſi in lacrymas reſoluta: ipſumque Chriſtum ardentiſſimè cœpit diligere. Et quàmvis contactu pedum Chriſti ſe judicaret indignam, tamen magnitudine dilectionis victa ſe cohibere nequivit. Fervidus nempè amor neſcit modum, menſuram non tenet, rationem non ſequitur: nontamen directè reprehenſibiliter, aut irrationabiliter, ſed ſupernaturaliter operatur, ſancti Spiritûs ſequens tactum, ſucceſſionem, & ſurſum actionem, propter quod communi lege non coarctatur. Et oſculabatur pedes ejus. Ex dilectionis ardore ſereno ac ſpirituali, & quaſi gratias agens pedibus ſanctis, qui corpus illud deferebant, per cujus os ſeu prædicationem ipſa fuit converſa. Prætereà, Quia pedes ſunt inferiores corporis partes, ad eos audaciùs fiducialiùſque acceſſit. Et unguento ungebat. Quia unguentum hoc refrigerativum fuit, & boni odoris, ac corporis delinitivum. Igitur Maria Magdalena creaturis, quibus fuit abuſa, videlicet propriis membris, ac aliis rebus, orſa eſt bene uti in Chriſto. Oculos namque, quibus vaniſſimè & laſcivè fuit multos intuita, jam lacrymando afflixit: capillos, quibus ſe vanè ornavit, ad deponendos pedum Chriſti pulveres, immunditiamque protendit: labia, quæ aliis libidinosè applicuit, pedibus Chriſti lacrymosè impreſſit. Sic & unguento ſuo jam optimè uſa eſt, quo antè utebatur perversè.

Quam

d Cornel. in Gen. 2. 19. citans Euſeb. lib. 11. de Præparat. c. 4.

e Pſ. 50. 5.

f Incognit. in Pſ. 50. 5.

g ex 2. Reg. 12. 1. &c.

h Ex Levit. 4. 28.

i ex 1. Petr. 1. 25.

k Pſ. 118. 75.

l Dion. Carth. art. 19. in Luc. 7. 37. & 38.

m ex Luc. 18. 13.

n ex Jo. 20. 23.

Quàm multùm devincti nos ſumus Deo, qui vocat nos ad cognitionem ſuam, & ad notitiam noſtram tot reflexionibus, tot examinibus, & tot conſiderationibus illius quod nos ſumus, nihili noſtri, illius quod ſumus, & illius quod erimus: hæc autem cognitio utraque humiliare nos facit, & inducit nos ad ſerviendum *Domino in timore, & ei cum tremore o* exultandum, ac præ reverentiâ cum Seraphico Patre S. Franciſco dicente Deo, *Noverim te, noverim me.* vel,

o Pſ. 2. 11.

Scire velint quæcumque alij, mihi ſufficit una
Cognitioque tui, cognitioque mei.

III. Pars.

Tertius modus, qun Deus utitur, cùm aliquem vocat ad obſequium ſuum, eſt, quæ ita inflammat cor ejus igne dilectionis ſuæ, ut ille deſerat univerſà ad ipſum ſequendum, ſicut hodiernâ die faciunt iſti duo fratres, ab ipſo vocati, *At illi continuò relictu retibus ſecuti ſunt eum.* Obſervate, ſi placet, verbum illud, *continuò*, id eſt, ſine morâ, nedum corvinam vocem procraſtinationis ſymbolum proferrent. Unde D. Auguſtinus *p* ait, *Ipſa res eſt, quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras: & ſubitò oſtium clauditur †. Remanſit foris cum voce corvinâ: quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corvi vox.*

p D. Aug. ſerm. 10. de verb. Dom. c. 11.
† ex Matthæ. 25. 10.

Invenimus homines, qui totam vitam ſuam tranſigunt in primâ vocatione, nimirum ubinam Deus habitet: non enim petunt, nec volunt aliud ſcire, niſi quid Deus ſit, & ubinam commoretur: nam ſcire quid ipſi ſint, & ubinam ſint, de hoc minimè ſunt ſoliciti: ſi huc ad concionem pergunt, ideò ut hic audiant ſolutionem quæſtionum ſublimium, & conceptus ſubtiles, Quid ſit Deus, & ubi habitet: inde ſuam omnem hauriunt ſatisfactionem: ſi enim cognuſcendi ipſis exhibentur defectus proprij à Concionatore, in eundem Prædicatorem excandeſcunt, eumque mordicus lacerarent, ſi ipſis liceret, inſtar Nazarenorum illorum, qui tempore, quo Jeſus Chriſtus explicabat ipſis prophetiam Meſſiæ *q*, *mirabantur in verbis gratia, quæ procedebant de ore ipſius.* Sed cùm voluit ipſis oſtendere id, quod ipſi erant, *repleti ſunt omnes in Synagoga irâ, hæc audientes. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum r.* Iratos autem illos dicit Dionyſius Carthuſianus, *s Quia, ut eis apparuit, Chriſtus eos ſuperſluè vilipendit, præferendo eis Gentiles, quos Judæi contemnebant ut canes, & quia ipſos de ingratitudine, alijſque peccatis notavit.*

q Iſai. 61. 1. &c.
r Luc. 4. 16. &c.
s Dion. Carth. art. 11. in Luc. 4. 28. &c.

Alij totum tempus ſuum inſumunt in ſecundâ vocatione, ſe magnos proclamant peccatores, & ſe tales cognoſcunt, ſed nolunt credi, & nominari tales. Hæc eſt humilitas dæmonum. Ipſi ſciunt & cognoſcunt vitia ſua, ſed nolunt haberi pro eo quod ſunt: habent quidem cognitionem ſuî, ſed non habent humilitatem, quam Jeſus Chriſtus nobis prædicat, dicens, *Diſcite à me, quia ſum humilis corde t.* Hæc humilitas annunciata nobis à Chriſto, eſt humilitas cordis, per quam unuſquiſque deſiderare debet æſtimari talis qualis eſt, & minoris quam ſit, quæ eſt vera virtus: non autem prior, per quam cognoſcit quis culpas ſuas, proclamat ſe ore peccatorem, ſed talis non vult reputari, ſed è contrà vitæ probatæ homo.

t Matth. 11. 29.

Alij progrediuntur ulteriùs, & deſerunt navim, & retia, & quidquid habent, ut meliùs abſque obſtaculo ſequantur Dei Filium ipſius vocantem; hoc enim eſt pro comperto, quòd ſi velimus ſequi hunc divinum Ducem in viâ virtutis, deſerenda nobis ſunt omnia caduca, quæ ſunt pondera & impedimenta quæ ſiſtere nos faciunt. Ideò ubi Lectio vulgata *u* ait de Abram, *Erat autem dives valdè.* Litera originalis ſeu Hebraica dicit, *Et Abram gravis valdè.* Ut innuatur, quòd divitiæ ſunt pondera quæ aggravant: licèt primis illis temporibus divitiæ non eſſent tanta impedimenta, quanta ſunt nunc: illi enim qui eas poſſidebant, erant humiles & charitativi: quàmvis enim ille Patriarcha divitijs affflueret, quippe qui per *expeditos vernaculos ſuos trecentas decem & octo x* triumphavit de quatuor Regibus; hoc tamen non impediebat quin ab ipſo lavarentur *pedes* peregrinorum, quibus etiam uxor ipſius faceret *ſubcinericios panes; ipſe verò ad armentum* curreret, *& inde vitulum tenerrimum & optimum y* tolleret ad eos ritè excipiendos: è contrà verò ſæculo iſto, quo vivimus, ſi quis mediocriter dives eſt, ut plurimum ignarus eſt humilitatis, æquè ac charitatis, cùm neutram ex illis exerceat. Propterea oportet, Auditores, ut onus ita grave affectu deſeratis, ſi velitis ſequi Jeſum Chriſtum, qui vocat vos, inſtar duorum fratrum iſtorum, qui *continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Nedum pigritiam præ vobis feratis, & negligentiam veſtram difficultatibus prætexatis, dicentes, *Leo eſt in viâ, & leæna in itineribus z. At continuò relictis* omnibus, & vobiſmetipſis, quod eſt præcipuum: deſerere enim id, quod extra vos eſt, hoc multum non eſt: ſed relinquere voſmetipſos in hoc eſt ſita difficultas, & in hoc etiam conſiſtit perfectio, cùm faciliùs vos inducat ad ſequendum Jeſum Chriſtum.

u Geneſ. 13. 2.
x Gen. 14. 14. &c.
y Gen. 18. 4. &c.
z Prov. 26. 13.

Cum dixiſſet quidam aliàs Socrati, ſe deſeruiſſe ſocietatem & familiaritatem hominum, ut quietior viveret apud ſe, nec tamen majorem inveniſſe ſe requiem in hâc ſolitudine, & interrogaſſet illum Socrates, num ſecum duxiſſet ſemetipſum, & iſte reſpondiſſet quòd ſic, reſpondit illi Socrates, *Igitur ſolus non eras, aderat ſocius, & quod pejus eſt, malus ſocius, ſi ſecum tu ipſe aderas: tu ipſe tibi prius relinquendus eras, id eſt, propria voluntas, quam ſi reliquiſſes, nec ab eâ te trahi ſiniſſes, quietiorem omninò & meliorem vitam inveniſſes.* Supponebat iſte Philoſophus id, quod deinceps explicuit D. Paulus *a*, in nobis eſſe duplicem hominem. *Veterem* habemus ab Adamo: *novum* verò à Jeſu Chriſto: deſerendus eſt igitur ille, & ſequendus iſte, *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum.* Id eſt, ſequendo eundem Jeſum Chriſtum: perfectio enim ſita eſt in eo ſequendo, ſicut eum ſecutus eſt S. Andreas. Sic ad hanc ſequelam ſuî vocat nos ipſemet Jeſus Chriſtus. Sed *quid eſt homo ut ſequi poſſit Regem factorem ſuum b?* Quâ ratione perfungi poterimus hoc mandato, *Venite poſt me*, in ſtatu vitioſo & corrupto, in quo ſumus, in quo non habemus, niſi infirmitates? Quomodo nos peccatores ſequi poterimus eum, qui eſt *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus c?* Reſpondeo, quòd Deus, qui vocat nos ad ſequendum ſe, præbiturus eſt nobis vires ad exequendum id, quod à noſtris exigit obedientiis; ita ut id quod nobis apparebat impoſſibile, reddendum ſit nobis executu ita facilè auxilio ipſius adjutis, ut dicere poſſimus ſinguli, *Omnia poſſum in eo qui me confortat d.* Diſcite hinc, Auditores, quòd in Evangelio *e* ſequi Jeſum Chriſtum, idem eſt ac eum imitari & facere, ſicut ipſe fecit.

a Coloſſ. 3. 9. & 10.
b Eccl. 2. 12.
c Hebr. 7. 26.
d Philipp. 4. 13.
e Matth. 16. 24.

In quo debetis ſpecialiter obſervare, quòd Deus non intendit ut ſimus id quod ipſe eſt, nec poſſimus id quod ipſe poteſt, nec ſciamus id quod ipſe ſcit; ſed vult ſolùm ut velimus id quod ipſe vult: per voluntatem autem ſequimur eum & imitamur, amantes id quod ipſe amat, & abhorrentes id quod deteſtatur ipſe; & ſicut ipſe amat omne bonum, debemus etiam illud amare: exigit igitur à oobis id ſolùm quod poſſumus agere. Ut igitur homo non poſſit queri, quaſi Deus ipſi præciperet aliquid, cujus contrarium ipſemet exequeretur, dicendo ei v.g. Heu! Domine, præcipis mihi ut ſim humilis *f*, & contemnam memetipſum; & tamen ipſe ita diligis honorem tuum & gloriam tuam, ut ſtatim ac circa hunc apicem te Angeli offenderunt, illos *ad infernum in profundum laci* g detraxeris. Vis ut diligam *inimicos* h meos, & deponam arma vindictæ; nihilominùs ipſe es *Deus ultionum Dominus* i. Vis vocari talis, & nemo te offendit quin à te puniatur. Vis ut ſim pauper *ſpiritu* k. Et tamé ipſe ita dives es, ut dicas, *Meus eſt orbis terræ* l. Vis ut ſim mitis *m* more agni, quandiu vidêris ipſe *Leo* n, cujus fortitudini non poteſt reſiſti, quod idem eſt ac ſi diceres mihi ut ſcriberem ſine prototypo. Divina Majeſtas igitur ſumit chartam puram humanitatis ſacræ, & in manu ſuâ, quæ eſt Filius ſuus, pingit omnes virtutes & perfectiones, ut conformare nos poſſimus huic divino prototypo dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* o. Capeſſit hoc ſpecioſum velum ſanctiſſimi Corporis hujus, *quod in* B. Virgine Mariâ *natum eſt de Spiritu Sancto* p, & in eo extenſo ſuper durum lignum Crucis *q* pingit magnis clavis id omne, quod nobis eſt imitandum. Querebamur quod Deus eſſet *terribilis* r. Videte quomodo *tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce; ſic non aperuit os ſuum* s. Quòd nimis ſuam diligeret *gloriam* t. Intuemini quomodo *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis* u. Quòd eſſet *Deus ultionum Dominus* x. Auſcultate quânam ratione ſuum Patrem æternum deprecetur in gratiam inimicorum ſuorum, *Pater*

- *f* Matth. 18.3.
- *g* Iſai. 14. 15. &c.
- *h* Matth. 5.44.
- *i* Pſ. 93.1.
- *k* Matth. 5.3.
- *l* Pſ. 49. 12.
- *m* Matth. 5.4.
- *n* Apoc. 5.5.
- *o* Matth. 17.5.
- *p* Matth. 1.20.
- *q* Joan. 19.18.
- *r* Pſ. 75. 8.
- *s* Act. 8. 32. ex Iſai. 53. 7. & ex Matth. 26.63. & 27.14.
- *t* Iſai. 42. 8.
- *u* Philip. 2.8.
- *x* Pſ. 93. 1.

dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt y. Quòd cùm eſſet ditiſſimus, paupertatem nihilominùs nobis præciperet amplectendam; aſpicite eum omnino nudatum, & ita pauperem, ut noo habeat unde ſuam operiat nuditatem, nec *ubi caput ſuum reclinet* z. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis* a. *Id eſt, ſpiritualium bonorum copiã conſequeremini. Nam Chriſti incarnatio, noſtra Deificatio eſt: Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio: Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia*, ait Dionyſius Carthuſianus *b*. Ecce igitur prototypon, quod nobis eſt imitandum: en id quod ſequi debemus in Deo: jure ergo merito clamat Jeſus Chriſtus, *Venite poſt me*.

Cùm igitur Deus ſe ita ad noſtrarum accommodaverit captum infirmitatum, unde fit ut tam pauci illum ſequantur? Cùm iter aggreſſi ſumus, & periculo aberrandi à rectâ viâ oos intuemur expoſitos, inquirimus à viatoribus de viâ quæ ſit nobis carpenda; ſi ille, à quo ſciſcitamur viam, à nobis eſt remotus, viam nobis capeſſendam pileo ſuo indicat; ſi autem prope nos eſt, illam nobis manu demonſtrat; & tunc ſi declinamus à rectâ viâ, hoc noſtræ culpæ eſt imputandum: omnes nos ſumus peregrini in hoc mundo, ſicut dicebat David Deo, *Quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei* c. *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus* d. Nimirum, cœleſtem. Petimus à Deo cum eodem Davide, *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi* e. Sed ſicut multùm remotus erat à nobis, eò quòd nondum naturam noſtram ſumpſiſſet, nec ſuis nos ita vehementer ſibi devinxiſſet beoeficijs, viam nobis monſtrabat quaſi galero, id eſt, ceremonijs, ſacrificijs, & præceptis legis, quæ omnia S. Paulus *f* vocat *Umbram futurorum bonorum*. Sed cùm acceſſit ad nos Deus per incarnationem, oſtendit nobis viam manu, quæ eſt Filius ſuus, *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat* g. Ipſa eſt *Via* noſtra *h*, quæ ita ducet nos in hâc vitâ per gratiam ſuam, ut pervenire tandem poſſimus ad ipſius gloriam.

- *y* Luc. 23. 34.
- *z* Matth. 8.20.
- *a* 2. Cor. 8.9.
- *b* Dion. Carth. art. 8. in 2. Cor. 8. 9.
- *c* Pſ. 38. 13.
- *d* Hebr. 13.14.
- *e* ex Mich. 2.10.
- *e* Pſ. 24. 4.
- *f* Hebr. 10.1.
- *g* Iſa. 59. 1.
- *h* Joan. 14.6.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis: & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam Virtutes cælorum movebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ, & majeſtate. Luc. 21. 25. &c.

QUemadmodum res eſt naturalis cuilibet opifici, qualiſcunque ille ſit, ſive bonus & induſtrius, ſive malus, & minùs idoneus, ut ſibi in ſuo complaceat opere, ejuſque conſervationem omni modo procuret poſſibili: ſic res eſt quæ unumquemque admiratione percellit, quando opifex videtur ipſiuſmet operis ultrò deſtructionem moliri, & ij qui tale demiramur facinus, fateri coguntur id eſſe ſignum manifeſtum, aut quòd cùm opus ipſius non eſſet apprimè confectum, ita indignum foret quòd oculos intuentium ad ſe alliceret, ſeu quòd ipſe illud præ faſtidio reſpuat, eò quòd alicui alij ſubjecto ſuos alligaverit affectus; ſeu quòd illi, in quorum gratiam illud in lucem ediderat, ſe indignos reddiderunt qui prolixiorem illius ſibi aſciſcerent fruitionem; propter quam rationem non vult ipſe amplius, ut ſubſiſtat illud non obſtante oblectamento quo ipſe in primâ ipſius perfuſus fuerat compoſitione. Deus noſter, qui eſt magnus Opifex rairabilium mundi, Divinam ſuam attulerat induſtriam ac ſapientiam in fabricam cœlorum, aſtrorum, & elementorum, non tam propter ſuum emo¹umentum, quàm propter uſum & obſequium hominum, & in ijs ita ſibi complacuerat, ut ea depreheuderet optima, & omni parte abſoluta, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona* a. Et quidem ritè: ipſa enim erant tot imagines vivæ excellentiarum & perfectionum, quibus erat ipſe cumulatus. Minitatur tamen nobis ſe velle ea deſtruere, auferre à Sole claritatem ipſius, Lunæ faciem obducere caligine, Stellis lapſum immittere *b*, mare deordinare, terram concutere, & firmitatem ei eripere naturalem, aërem ipſum efficere, eumque corrumpe-

- *a* Gen. 1. 31. &c.
- *b* Matth. 24.29.

re, omnibus tandem creaturis abſtrahere decorem & ornamenta, quibus eas inſigniverat. Videbimusne concludere id apertum eſſe indicium, aut eum mutaſſe ſententiam, & eaſdem creaturas non ampliùs deprehendere perfectas, ſicut antea conſueverat, aut quod eas velit ad nihilum redigere, ut locum præbeat aliis, quas ipſe ſit producturus? Ha! Inurbani foremus ſane; gravem enim irrogaremus conſtantiæ judiciorum ejus injuriam. E contra pro certo tenere debemus, quòd illud, quod ipſe ſemel deprehendit bonum, nunquam poſſit ipſe animadvertere malum. Sed cùm ſciamus, ipſum propter homines in lucem produxiſſe univerſa, dicamus audacter id eſſe clarum ſignum, eoſdem homines iis abuſos, & ob ingratitudinem intolerandam præbuiſſe anſam Deo, ut ipſos illorum commodo privaret beneficio. Ideò dicitur nobis his horis matutinis, *Erunt ſigna in Sole*, &c. omnes hos eventus, qui videbuntur *in Sole, & Luná, & Stellis* & elementis, accipiendos à nobis non ut caſuales & fortuitos, ſed ſicut ſigna miſſa ad eum finem, ut improperent hominibus ingratitudinem ipſorum. Vellem equidem iſtud meliùs vobis concipiendum inſpirare: ſed priùs concupiſcerem videre aliquod ſignum certum gratiæ Spiritus ſancti. Id non eſt aliud niſi ſubſidium Mariæ gratiâ plenæ, *Ave Maria*.

Etiamſi omne quod in Deo eſt, ſit æqualiter adorandum, tres nihilominùs eximiæ perfectiones Divinam ipſius miro extollunt modo Majeſtatem, utputa Sapientia ipſius, Sanctitas, & Potentia. Sapientia, quam in omnibus ipſius deprehen-
c Pſ. 103. 24. dere eſt operibus, *Omnia in Sapientiá feciſti* c. *Sa-*
pientia d increata, & incarnata e, quæ non eſt in
d Sap. 7. 24. papyro & in libris, ſcriptis exarata, ut ſapientia
Platonis & Ariſtotelis, ſed quam Dei *unigenitus*
e Joan. 1. 24. *Filius in ſinu Patris* ſ hauſit, per quam de univerſis
e Ibid. 1. 18. diſponit ac ordinat, *Cum eo eram cuncta componens*
f. Sanctitas ipſius, quam univerſa ipſius demon-
f Prov. 8. 30. ſtrant opera, *Sanctus in omnibus operibus ſuis* g.
g Pſ. 144. 13. Sanctitas, quæ non eſt ſicut ſanctitas Sanctorum, quæ in eis eſt qualitas & accidens, ſed in Dei Filio origo gratiæ & principium, è quo in univerſos emanat ipſa Sanctos, *Gratia & veritas per Ieſum*
h Joan. 1. 17. *Chriſtum facta eſt* h. Potentia ipſius, cùm omnia è nihilo eduxerit per creationem, Deuſque Pater per ſuum Verbum fecerit univerſa, *Omnia per*
i Ib. 1. 3. *ipſum facta ſunt* i; cœlum, terram, & elementa, *Qui*
k Pſ. 135. 5. *fecit cœlos in intellectu* k.

Hæ tres eximiæ perfectiones, quæ ſunt inſeparabiles, in Chriſto ſpecialiter emicant. Et tamen in his tribus inſignibus attributis multa pertulit. In Sapientiâ ſuâ, cùm paſſim derideatur ipſe, ludibrio habeatur, & inſcitiæ quaſi ignarus inſimule-
l Joan. 7. 15. tur, *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit* l? In Sanctitate ſuâ, cùm operum Beelzebub averruncum Anteſignani conſcius ab infenſiſſimis ſibi reputetur, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit*
m Luc. 11. 15. *dæmonia* m. *Dæmonium habet, & inſanit; quid*
n Joan. 10. 20. *eum auditis* n? In ſuâ potentiâ, cùm ipſi in cruce pendenti improperetur impudenter a ſubſannatoribus *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere; Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cru-*
o Matth. 27. 42. & 43. *ce* o. Et ſi inſanis Judæorum annuiſſet votis e patibulo deſcendendo, ſuam proculdubio manifeſtaſſet impotentiam, eò quod noſtram non eſſet operatus ſalutem; Potentia autem ipſius in conſummatione noſtræ redemptionis erat propalanda. Æquum igitur eſt, ut veniens his ultimis temporibus *cum majeſtate* ad faciendum judicium ſuum, has tres inſignes præ ſe ferat perfectiones, quæ decent eſſe inſeparabiles ab ipſius majeſtate, Sanctitatem in perſonâ ſuâ, Sapientiam in operi-
Diviſio bus ſuis, & Potentiam in judicio ſuo. Sapientia igitur ipſius Primò omnia diſcooperiet ut infallibilis. Secundò, Sanctitas ipſius erit inexorabilis. Tertiò, Potentia ipſius erit inflexibilis.

I. Pars. Sapientia eſt ergo prima perfectio, quæ Judicem comitatur, ipſa propalabit univerſa, quippe quæ ſit infallibilis, & immunis ab omni peccato & defectu. Illud profectò vocamus in imagine peccatum, quod non ritè repræſentat; oportet enim ut res ad hoc ut ſit perfecta, habeat convenientiam cum ideâ illius, qui eam in lucem protulit, ut imago concordet cum ideâ pictoris, domus cum ideâ artificis, ut ei ſit conformis, eamque rectè exprimat: atqui Dei Filius, qui eſt Sapientia Patris, eſt perfecta expreſſio intellectus ipſius, & ideæ ejus; eſt idea perfectiſſima, & abſque ullo peccato; ſic ut talis, eſt regula omnium rerum extra Deum infallibilis, regula perfecta artis, morum, & naturæ, cùm ſit Opifex & Artifex omnium operum naturæ, ea omnia ordinat. Et licèt Deus Pater Potentiâ ſuâ omnia è nihilo eduxerit; ipſius tamen Filius Sapientiâ ſuâ de omnibus diſponit, omnia ordinat, & univerſis regulam præſcribit, *Ordinatione tuâ perſeverat dies, quoniam*
omnia ſerviunt tibi p. Quæ verba ita vertit S. Am- p Pſ. 118. 91.
broſius q, *Diſpoſitione tuâ permanet dies*. Et S. q S. Ambroſ. in hunc locum octon. 12.
Auguſtinus addit, *Iſta quippe omnia dies* r. Mo- r S. Aug. Conc. 2. in hunc locum.
tus cœlorum dirigit, tempeſtatibus ordinem præfigit opportunum, ſicut & omnibus quæ in naturâ inveniuntur, ita ut his Pſalmi verbis innuatur juxta Lorinum s referentem Clementem Alexandri- s Lorin. in hunc. Pſ.
num t, norma, menſura, diſpoſitio, modus, ordo, t Clem. Alex. in Zach. 6. 32.
& adminiſtratio: *Terminum poſuiſti; quem non transgredientur, neque convertentur operire ter-*
ram †. † Pſ. 103. 9.

Ipſe eſt Author morum, cùm ſit ipſa Sanctitas, gratia per eſſentiam, gratia ſubſtantialis. Motus omnes ordinat interiores, impediens ne præfixos ipſis limites præterlabantur. Non poteſt igitur errare, nec decipi, cùm ſciat omnia, quæ ſpectant ad artes, ad naturam, & ad mores. Ideò Ratio
dicitur, ait S. Auguſtinus u, *Ratio quadam, quæ* u S. Aug. Serm. 190. de Temp.
apud Græcos λόγος nuncupatur, inter Patrem vel Filium perſonas vel vocabula diſtinguit, quia & ipſe Filius Ratio dicitur: quæ tamen Ratio multis nominibus
appellatur, modò Verbum x, *modò Sapientia* y, *modò* x Joan. 1. 1.
Veritas z. *Verbum nuncupatur, quia ſemper in Patre,* y Sap. 7. 24.
& de Patre, & nihil Pater ſine eo fecit, aut juſſit. Sapientia appellatur, quia non aliunde quàm de Patre z Jo. 14. 6.
veniens, credentibus arcana cœleſtia revelavit. Veritas eſt, quia mendacium neſcit. Idcircò infallibilis eſt, quippe qui perfectam omnium præ ſe ferat notitiam; & ut ſic judicaturus eſt omnia Sapientiâ ſuâ, *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in*
veritate ſuâ a. Super quæ verba Lorinus b obſervat a Pſ. 95. 13.
univerſitatem judicandorum in orbe terræ indicatam b Lorin. in Pſ. 95. 13.
ex S. Auguſtino loquente de Adam, *qui eſt forma futuri* d, id eſt, Chriſti. *Quis autem neſciat quòd de*
illo exorta ſunt omnes gentes, ait S. Auguſtinus c: *&* c S. Aug. tract. 9. in Joan.
in ejus vocabulo quatuor literis, quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonſtrantur? d Rom. 5. 14.
Si enim Græcè dicantur, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies ſicut eas pleriſque locis Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam. Dicuntur enim Græcè quatuor memorata mundi partes, ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, quod eſt totus orbis: unde
dicit Dominus à quatuor ventis collecturum ſe electos e S. Aug. tract. 10. in Joan. ex Marc. 13. 17.
ſuos, cùm venerit ad judicium e, in quo judicabit *orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſuâ.* Ubi ob-

obſervanda ſunt, ſi placet, hæc verba Prophetæ, *in veritate ſuâ*. Alij judices judicant in veritate alienâ ſecundùm allegata & probata, vel à Teſtibus, vel à literis crimina continentibus, & à Reis juridicè juxta formas conſuetas recognitis, vel à probatâ infamiâ, vel ab indicijs infamiam æquipollentibus, aut ſimilibus conjecturis prævijs, & ideò poſſunt decipi, ac perſæpè falluntur. Sed

f Act. 10. 42. Chriſtus, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* f, ſummâ ſuâ Sapientiâ *judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſuâ*, cùm omnia intueatur & in artibus, & in naturâ, & in moribus, quoad virtutes & vitia, & intima quæque ac abdita pervadat.

g Jer. 17. 9. & 10. h Corn. in hunc locum. Et licèt Jeremias g dicat, quòd *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile*. Quod ſic explicat Cornelius h, *quaſi diceret, Sinuoſum, & mille cogitationum, cupiditatum, & deſideriorum ſecretis diverticulis, ſinibus, receſſibus, inſtar labyrinthi implexum, & perplexum*: Et quærat idem Propheta, *Quis cognoſcet illud*? Ipſe ſtatim tamen ſubdit: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Quaſi diceret*, ſubjungit Cornelius, *Impenetrabile eſt cor hominum, niſi ſoli Deo, qui ſcrutatur renes, id eſt, affectus, & probat corda, id eſt, intentiones. Arabicus vertit, Cognoſco eum ego Dominus, qui probo corda, & ſcio quid eſt in renibus.* Idemque Cornelius refert Se-

i Sen. Epiſt. 84. necam i quaſi Chriſtianè loquentem: *Nihil Deo clauſum eſt: intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs intervenit.*

k Hebr. 4. 12. l S. Amb. in hunc. locum. Sic S. Paulus k loquens de Verbo Dei, ait: *Vivus eſt Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Verba eximia, & ſeriâ digna conſideratione, quæ ſic explicat S. Ambroſius l, *Hic oſtendit eundem nos habere Iudicem, qui illos propter*

m ex Numer. 14. 29. &c. *incredulitatem eorum damnavit* m. Loquitur S. Ambroſius de ijs, *qui perierunt in deſerto*, & ſubjungit: *Dixit enim, vivus eſt Sermo Dei. Sermo Dei Filius eſt Dei, qui de ſeipſo ait: Si quis Sermonem meum*

n Joan. 8. 51. *ſervaverit, mortem non videbit in æternum* n. *Sicut illi ſi ſervaſſent Sermonem Dei, viverent, terramque promiſſionis intraſſent: ſic & nos ſi ſervaverimus Sermonem ejus, vivemus, requiemque cœleſtem intrabimus. Vivus eſt enim Sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Gladius enim poteſt membra dividere à corpore, & penetrare ſecreta, & naturam carnis: ſed eò multo penetrabilior eſt Sermo Dei*; de quo S. Paulus dicit conſequenter, quòd *eſt pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. Quidnam eſt hoc? Quænam obſervanda eſt differentia inter actiones animales, quales ſunt comedere, bibere, dormire, &c. & alias ſpirituales, quales ſunt, ratiocinari, & reliqua; inter operationes temperamenti, & alias liberas, ſicut dicitur de homine, qui eſt liberalis, quòd manus habeat perforatas, putà quòd omnia promiſcuè & indiſcriminatim profundat: hæc eſt actio temperamenri, Deus eam dividet ab ijs quæ ſunt liberæ, & quæ præ virtute fuerint effectæ.

Alludit S. Ambroſius dicens: *Animâ vivimus, ſpiritu intelligimus, vita nobis carnalis cum beſtijs communis eſt, rationalis & ſpiritalis cum Angelis. Tam efficax eſt judicium Dei, ut diſcernat inter carnalia peccata & ſpiritalia, quis, quid, quo agat animo, vel quo deſiderio ſerviat in corde. Tam penetrabilis eſt ejus intuitus, ut omnia noſtra quæ agimus, vel cogitamus, certiùs agnoſcat, quàm noſmetipſi. Illum ſemper habemus Teſtem actuum noſtrorum, vel cogitationum, quem Iudicem habituri ſumus. Timeamus ejus Potentiam, cujus præſentiam nullatenus effugere valebimus. Dixit enim quòd diſcretor eſt Sermo Dei, id eſt, Providentia Dei, cogitationum etiam & intentionum cordis: quo loco oſtendit quia omnia noſtra interiora vel exteriora dijudicabuntur ab eo, qui omnia noſtra novit, & totus totum penetrat hominem. Nec mirum ſi totus ubique totam ſuam agnoſcat creaturam, ſive ſpiritualem, ſive carnalem, quia nihil, quod factum eſt, ſine eo factum eſt* †. † ex Jo. 1. 3.

o Job. 19. 25. Diem iſtum vocat Job o noviſſimum, *In noviſſimo die*, non tam ultimum, quàm quia dies iſte erit maximè novus, cùm ipſo adveniente aperienda ſint univerſa. In hoc mundo non ſumus *in noviſſimo die*; non eſt hîc dies novus, multa ſunt in eo abſcondita; in illo virtutes inveniuntur celatæ, & vitia ſerata; ſicut & vitia manifeſta non ſecùs ac virtutes propalatæ. Oculis exhibetur proſpicientium intuenda modeſtia, exterior compoſitio, ſed interior non videtur. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus* p. Cui addit S. p Pſ. 44. 14.

q S. Aug. in Pſ. 44. 24. Auguſtinus q, *intrinſecùs. Extrinſecùs non ſolùm veſtis eſt aurea & varia, ſed intùs pulchram novit, qui ſpeciem ejus amavit. Quæ ſunt interiora pulchritudinis? Conſcientia, ibi videt Chriſtus, ibi amat Chriſtus, ibi alloquitur Chriſtus, ibi punit Chriſtus, ibi coronat Chriſtus. In fimbrijs aureis circumamicta varietate, Pulchritudo intrinſecus. In fimbrijs autem aureis varietas linguarum, doctrina decus. Iſta quid proſunt, ſi non ſit pulchritudo illa intrinſecùs.* Omnes iſti actus amoris Dei & proximi, religionis, reſignationis, patientiæ, &c. quos Sancti, & probatæ vitæ homines exercuerunt, & paſſi ſunt, latent; quidquid eſt in ijs pretioſiſſimum ac excellentiſſimum, abſconditum eſt, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* r, ſicut omnes ferè actiones, quibus Dei

r Coloſſ. 3. 3. u S. Amb. in Coloſſ. 3. 3. Filius incubuit per triginta annos, ſunt abſconditæ. Ideò dicebat S. Ambroſius u, *Apud mundi ſenſum mortuus Chriſtus videtur, & diſcipuli ejus, cùm conſtet vivere illum cum his omnibus.* Virtutes in hoc mundo pleræque deprehenduntur abſconditæ, ſicut & vitia quædam ſecreta, non enim videntur omnia. Obſervatur homicidium quoddam manifeſtum, auditur quædam diſſenſio, erumpit impatientia aliqua, quoddam deprehenditur adulterium inter vela cortinarum, & tenebras, quibus obtegitur: ſed tot ſcatet animus humanus impuritatis, vindictæ, proditionis & perfidiæ cogitationibus; hæc omnia ſunt abſcondita; Sed *in noviſſimo die* palam manifeſtabuntur. Sapientia hujus Judicis ſupremi, quando veniet *cum majeſtate*, diſcooperiet omnia. Nihil erit abſconditum in arte, aut in naturâ, aut in moribus. Hæc Divina Sapientia erit infallibilis, ſicut & Sanctitas inexorabilis.

II. Pars. Quæ eſt ſecunda perfectio, quæ majeſtatem Judicis in judicio univerſali eſt elatura, *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magnâ & majeſtate.* Dicitur ipſe ſolus Filius hominis, non Adam per creationem

x Gen. 2. 7. ſuam x, ſed unicus Chriſtus ſanctiſſimæ Virginis Filius, non more aliorum hominum è patre & matre viâ ordinariâ in lucem prodeuntium, ſed virtute Spiritus ſancti * in illibatis Mariæ viſceribus formatus. Sed quare Filius hominis? * Matt. 1. 20.

dice-

dicetis mihi. Ha! hæc verba immo dicunt nobis
incutere deberent terrorem. Judices inceatem
cum omni rigore, & ſervatis omnibus juris judi-
cant apicibus ac formulis; Curiæ vero ſupremæ
mitiùs procedunt. Sic Chriſtus quatenus homo
eo planè eſt ſe geſturus modo: *Neque enim Pater*
y Joan. 5. 22. *judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio* y.
Judicium ad totam pertinet adorandam Trinita-
tem ad extra; ſed pronuntiatio judicij ſpectat ad
Chriſtum quatenus hominem, ut exponit Dio-
nyſius Carthuſianus z. *Oportet advertere quòd in*
z Dion. Carth. art. 14 in Joan. 5. 22. *judicio conſiderantur authoritas judicandi, ſeu ju-*
diciaria poteſtas; ipſa prolatio ſententiæ ſenſibilis at-
que exterior: & quoad hoc, Pater non judicat quem-
quam, ſed ſolus Filius ſecundùm naturam aſſumptam;
imò hoc modo Deus Trinitas judicavit authoritativè,
per Chriſtum hominem executivè, juxta illud A-
ctuum a: *Deus ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt*
a ex Act. 17.31. *orbem terræ in æquitate, in Viro quem ſtatuit. Tunc*
b ex Pſ. 49.3. *enim manifeſtè veniet Deus noſter, & non ſilebit* b,
quando in die judicij videbunt in quem transfixerunt
c Joan. 19.37. ex Zach. 12. 10. c. Contemptus fuerat Chriſtus, deſpectus, & ha-
bitus veluti virorum noviſſimus, *Vidimus eum, &*
non erat aſpectus, ait Iſaias d. *Hoc eſt, non erat aſpe-*
d Iſa. 53. 2. & 3. *ctabilis, non habebat aliquid dignum aſpectu, quod*
aſpicientium oculos ad ſe traheret aut converteret,
ſed erat deſpectus, exponit Cornelius; *& deſidera-*
vimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum. Quod
e Cornel. in hunc locum. ſic explicat Cornelius e, *pro deſpectum, Hebraicè eſt*
ſpretum, hoc eſt, aſpernabilem, miſerum, contempti-
bilem. Pro, noviſſimum virorum, Vatablus & Fore-
rius exponunt, rejectaneum, id eſt, contemptiſſimum
virorum. Tunc autem glorificabitur juxta men-
ſuram deſpectuum, quibus fuerat affectus, *ut om-*
f Joan. 5. 22. *nes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem* f:
* Dion. Carth. art. 14. in Joan. 5. 22. Id eſt, ait Dionyſius * Carthuſianus, *ut omnes*
intellectuales creaturæ honorificent Filium, exhiben-
do ei cultum & adorationem latriæ ſoli Deo debitam,
ſicut honorificant Patrem, impendendo ei latriæ cul-
tum. Sed & honoratio iſta non convenit Filio ſe-
cundùm illam naturam, quâ convenit ei prædicta exe-
cutio judicij, ſed ſecundùm naturam, quâ conſub-
g ex Joã. 10.30. *ſtantialis & coæqualis eſt Patri* g. *Nihilominus, Pa-*
ter dedit Filio ſecundùm naturam aſſumptam hoc ju-
dicium, ut per hoc innoteſcat omnibus, quòd homo
ille eſt verus Deus, ſicque honorificetur ſicut & Pa-
ter.

Tunc videbunt Filium hominis venientem ut Judi-
h Joan. 19.10. cem, qui condemnatus fuerat tanquam Reus h. Si
venturus eſſet Judex ut Deus, in hoc ſtatu unica
lenit eum vel lacryma, unicũ ſuſpirium ex intimis
cordis erumpens penetralibus iram ejus demul-
cere poſſet. *Si impius egerit pœnitentiam ob omnibus*
peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia
præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ
vivet, & non morietur. Oimium iniquitatum ejus
i Ezech. 18.21. & 22. *quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitiâ ſuâ, quam*
operatus eſt, vivet i. Sed venturus ut homo, qui iræ
obnoxius eſt, & ad vindictam pronus, non poterit
quin de hominum criminibus inſignem referat ul-
tionem. Quin imò Hebræi videntes ſibi rem
agendam cum homine, parùm abfuit quin in de-
ſperationem prolapſi fuerint, ſcientes quid eſſet
de homine. Sic tribus annis & ſemi non pluit in
k 3. Reg. 17.1. & Jacob. 5. 17. Iſraël ad precem Eliæ k, qui erat homo terribiliſ-
ſimus. Deus è contra unicâ demulcetur vel la-

crymâ l, ſolâ vel pectoris tunſione m, aut ſingul- l Iſa. 38. 2. &c
tu ſuonunio ſe n. Venturus igitur eſt ut homo. m Luc. 18.13. & 14.
Heu! quantum præ ſe laturus eſt illo extremo ad-
ventu rigorem. Veniet cum iiſdem vulneribus,
quibus fuit consolatus, ea cuſtodit. Vulneratus ſa- n Matth. 15.27. &c.
nari poteſt quidem, ſed cicatrices ſemper impreſ-
ſæ remanent. Iis ſauciatus fuit in hoc mundo, eas
ſervat in cœlo plagas, eaſque formidando extre-
mi judicij die eſt palam manifeſtaturus; *Videbunt*
in quem transfixerunt †. Vulnera dolorem pro- † Joan. 19.37. ex Zach. 12. 10.
ducunt, *Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis*
fremet, & tabeſcet *. Ab homine poteſt quidem * Pſ. 111. 10.
exigi venia peccatorum; ſed Chriſtus memoriam
ſervat injuriæ ſibi illatæ, quod eſt horrendiſſi-
mum. Sanctitas ipſius quæ eſt inexorabilis, nul-
lum tunc patietur crimen impunitum, eam pec-
catores ſufferre non poterunt; in rabiem indu-
centur, in conſuſionem, & in deſperationem, in-
tuentes eam, ſicut & ipſius Potentiam inflexibi-
lem.

Quæ eſt tertia perfectio quæ comitabitur Ju- III. Pars.
dicem ſupremum: Ipſe enim eſt Opifex omnium
hominum, qui ſunt creaturæ ipſius, abſolutam
dependentiam ab eâ præ ſe ferentes, *Manus tuæ*
fecerunt me, & plaſmaverunt me o. *Domine pro-* o Job. 10. 8.
baſti me, & cognoviſti me p. *Vre renes meos, & cor* p Pſ. 138. 1.
meum q. Ipſe eſt ubique per præſentiam ſuam.
Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in in- q Pſ. 35. 2.
fernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, &
habitavero in extremis maris: etenim illuc manus r Pſ. 138. 8. &c. ex Amos 9. 2.
tua deducet me, & tenebit me dextera tua r. Jure
merito dicere poteſt homo, in mundo nullum
reperiri locum, in quo infinitæ s ſe ſubtrahere s Baruch 3.25.
poſſit præſentiæ & potentiæ Dei: dicet enim,
Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam †? † Pſ. 138. 7.
In quemnam me recipere potero locum, in quo
non deprehendam Spiritus ſacri tui præſentiam?
Quonam ſic peregrè fugere valebo, ut illuc facies
tua Divina non penetret? Si in animum meum
induxero elevare me, imò verò etiamſi liceret
mihi in cœlo ſedem invenire, ibi Beatis tuam
manifeſtiùs oſtendis gloriam. Si mihi propo-
ſuero abſcondere me in abditiſſimis inferorum
abyſſis, ibi juſtitia tua ſuper peccatores vibrata,
te præſentem exhibet. Sic ubique te reperio.
Imò quamvis liceret mihi, ut aliis ſubvectus
tranſvolarem Oceanum æquè citò ac Aurora,
quæ ferè unico inſtanti totum noſtrum pervadit
hemiſphærium, tantum abeſt ut ibi me ſubtrahe-
re queam faciei tuæ, quin etiam nunquam illuc
ſim volaturus, niſi omnipotentis manus tuæ ful-
tus ſubſidio; nec ibi poſſim ſubſiſtere, niſi ejuſdem
manus ſpeciali cuſtoditus providentiâ.

Potentia glorificans in cœlo per exhibitio-
nem interminabilem felicitatis ſuæ t; pur- t Joan. 17.5.
gans in purgatorio animas à ſordibus u, quas u Malachiæ 3.3.
in hoc ſeculo contraxerant, & pœnitentiæ la-
mentis non omninò diluerant: & puniens in-
flexibiliter in inferno, & modò, & extre- x Matth. 25. 46.
mi judicij die pœnis æternis reprobos x; i-
pſa circumquaque diffunditur, ipſa ubique in-
venitur, ipſa eſt inflexibilis *in noviſſimo*
die. Ut autem declinemus à rigoribus il-
lius, imitemur eum, qui cogitabat id quod
ipſe fuerat, quid deberet eſſe, & quid
eſſet. Quod fuerat; peccator. Quid

dent? Quomodo igitur ambo privarent ſe unâ parte authoritatis ſuæ, pactum ineuntes de dividendo eo, quod poſſidebant ita pacificè? Nobis ſubminiſtratur anſa mirandi, ſi conſideremus, quomodo hæ duæ perſonæ ſint unus Deus, & una eademque natura †, eâdemque pollent authoritate: ſed ſi expendantur juxta id, quod attribuitur ſpecialiter utrique, aliquid deprehendetur inter eas contentioni formandæ obnoxium, imò ex ipſo quo Filius exivit *à Patre* e *ſuo* per incarnationem ſuam, ut ſe pallio noſtræ indueret humanitatis: Pater enim æternus attribuit ſibi ſpeciatim Potentiam & Juſtitiam; Filius verò Bonitatem & Miſericordiam. Pater punire vellet ſecundùm leges & rigorem Juſtitiæ ſuæ *authoritativè* ut ſupra, & per Filium ſuum *executivè*, communicando ei Juſtitiam ſuam æquè ac Potentiam; Filius autem vellet parcere juxta regulas Miſericordiæ ſuæ ac Bonitatis, & hoc modo circa animas inter eos orta videbatur contentio. Vellet enim eas Pater Juſtitiæ ſuæ ſubmittere legibus, earumque actiones plenâ mulctare ſeveritate; Filius autem vellet eas ſub aſylum ſuæ reducere Miſericordiæ, & mitiùs illas excipere. Huic contentioni limites impoſituri, inter ſe convenerunt, quòd eæ, quæ ejuſdem ſemper forent coloris, ad Patrem æternum properarent, ut omni plecterentur rigore. Sed Dei Filius non minori eſt uſus induſtriâ, quàm Jacob; deſiderans enim adaquare animas noſtras in fluvio Bonitatis ſuæ & Miſericordiæ, in eo poſuit virgas diverſis coloribus reſperſas, & ait hodie nobis, *Erunt ſigna in Sole*, &c.

† Joan. 10.30.

e Joan. 16.28.

Ecce variorum virgæ colorum, Sol & Luna decôrem & ſplendorem præ ſe ferentes, ſed ſubitò obſcuritatem inducentes; Stellæ quæ erunt firmæ, ſed ſtatim concutientur: Terra quæ eſt immobilis, quia *terra in æternum ſtat* f, at quæ tremore percelletur. Intuemini omnes has mutationes & diverſitates, & hoc intuitu concipite mutationem & converſionem vitæ veſtræ depravatæ, morumque diſſolutorum veſtrorum. Si enim mutetis faſtum veſtium ac ſplendorem in habitum luctus ac mortificationis, more Solis, & Lunæ; ſi convertatis obſtinationem & duritiem cordis veſtri in timorem & tremorem judiciorum Dei, ſicut terra; ſi mutetis tranquillum delitiarum veſtrarum, & fauſtum ventum humanæ proſperitatis in amaritudinem & in confuſionem ſeu turbationem conſcientiæ, ſicut mare, hæ omnes metamorphoſes efficient ut in ſortem Filij Dei cadatis; ſicut ſi mutetis etiam magnitudinem & ambitionem veſtram in humilitatem, & in caſum voluntarium; & protegemini ſub aſylo Miſericordiæ ipſius. Et hæc obſcuritas Solis, & hæc eclypſis Lunæ, & hic caſus Stellarum, & iſte tremor terræ, & hæc confuſio maris, quæ ſunt veluti virgæ variegatæ Jacob, erunt tot ſigna felicitatis, quæ vos comitabitur & indulgentiæ, quam vobis Dei Filius impertietur pro peccatis. At ſi non obſtantibus his ſignis firmi jugiter remanetis, & ejuſdem coloris in criminibus veſtris, & moriamini obſtinati, hæc ſigna vobis erunt inutilia, eritis è parte Laban Patris æterni, & rigorem ſeveræ ipſius experiemini Juſtitiæ, quam committet *in noviſſimo die* g Filio ſuo, qui in hoc ſuam nobis exhibet bonitatem, efficiendo ut præveniant diem illum horrendum hæc ſigna prævia, licèt in ſe præſagia videantur rigoris & indignationis ipſius, cùm vera tamen ſint indicia gratiæ, quam impertiri nobis vult in hoc mundo, ſicut gloriam in altero ſæculo.

f Eccl. 1.4.

g Job. 15.25.

FERIA II. DOMINICÆ I. ADVENTVS.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi, &c. Geneſ. 22. 1. &c.

NOn ſatis dignis evehere poteſt Scriptura ſacra encomijs generoſum Patriarchæ Abrahæ animum, qui audito primo Divini beneplaciti mandato propoſuit ſacrificare Deo dilectum & unicum filium ſuum ſuper monte Moriâ. Videntur Verbo Divino efficacia deficere verba, quibus eximiam illuſtris hujus viri evehat virtutem. Quin imò videtur Deus non habere ſatis quod det, niſi ſemetipſum præbeat ut condignam mercedem hujus doni pretioſi, ut præmium huic ſacrificio credito & exiſtimato impendendum, *Ego ſum merces tua magna nimis* a, ita ut ad honorandum eum præmio condigno, ſicut ipſi Abraham ſuum ſacrificare intenderat unicum filium, *Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum; ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus*: ſuum promittit ei Filium, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti voci meæ*; eumque illi actu impertiatur ſuo tempore, promiſſis ſtans ſuis, *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſecula* b, ut concinit Maria, cui priùs dixerat Archangelus, *Ave Maria*.

a Gen. 15.1.

b Luc. 1. 5. &c.

Miratur S. Auguſtinus c inſolitam mandati ſpeciem, quod præ ſe delicti quidpiam videatur ſapere, dum ait: *Novum præcepti genus eſt hominis, legem ſceleris dare, & religioſum habere, ſi impium voluerit perpetrare. Abraham ſi parricidium fecerit, juſtus eſt, ſi non fecerit, indevotus eſt.* O parricidium crudele & miſericors, quod ſine effuſione ſanguinis ita jucundam Deo immolat victimam! O parricidium exemplare! Sed quàm fortunatus eſſet mundus, ſi omnes parentes ſimile perpetrarent parricidium: *Felix orbis foret, ſi omnes ſic fierent parricidæ*, exclamat Zeno Veronenſis d. Oportet nihilominus, ut omnes ſimili communicent parricidio, niſi Deo diſplicere præſumpſerint. Idcircò videamus num modus iſte procedendi Abrahæ noſtras mereatur admirationes, noſtras exigat imitationes, & nobis ſit loco inſtructionis ad ſpirituale animarum noſtrarum emolumentum. Nemo eſt ſanæ mentis compos, qui de hac debeat ambigere veritate.

c S. Aug. Serm. 7. de Tempor.

d Zeno Veron. citat. à Cornel. in Gen. 22. 10.

Juxta ſenſum literalem docentur hinc parentes offerre Deo, ei dare, ſeu potiùs illi ſuos reddere liberos chariſſimos. Ha! Quis neſciat parentes ſuos ſuſcepiſſe filios è manu Dei, è quo univerſa promanant bona? Quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* e, qui eſt Pater omnium parentum, *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur* f. Quis neſciat progenitores ſuos habere liberos non titulo hæreditatis, aut proprietatis, ſed ipſis fuiſſe veluti commodatos filios, & de illis tanquam villicos Deo exactam debere reddere rationem? Grati igitur eſt præ ſe ferre ſpecimen animi, offerre Deo, eique reddere quod ipſe priùs eſt nobis impertitus. Sic non priùs chariſſimum ſuum enixa eſt Anna Samuëlem, cùm illum ad templum detulit, & Divino obſequio ſolemni voto eum conſecravit g. Sic S. Anna Virginem ſacratiſſimam filiam ſuam triennem ſervitio templi irrevocabili dedicavit jurejurando h: Sicut eadem Virgo Deipara in templo præſentavit Filium ſuum quadrageſimo à Nativitate ipſius die i. Sic mater S. Bernardi non priùs in lucem ſuum ediderat fœtum, cùm ſuſceptum partum in Eccleſiam deferebat, illum ſuper altari collocabat, eumque reſtituebat Deo, qui eum ipſi præbuerat, Creatorem enixè precata ut infirmæ illi creaturæ amorem ſuum largiretur, & timorem; & illi chartæ candidæ vivos cœli imprimeret colores, id eſt, virtutes Chriſtianas inſereret.

e Jacob. 1. 17.
f Epheſ. 3. 15.
g 1. Reg. 1. 28.
h Pſ. 44. 15. & 16.
i Luc. 2. 22.

Secundùm ſenſum allegoricum, hoc credito inſtruimur ſacrificio offerre & immolare Deo cor noſtrum, quod eſt filius noſter primogenitus, unicus, & chariſſimus. Filius primogenitus, quia cor eſt prima portio, quæ in noſtrarum ſinu formatur matrum. Filius unicus, eò quòd unicum duntaxat habeamus cor. Filius chariſſimus & dilectiſſimus, cùm cor ſit origo & ſedes amoris, in quo formantur ſpiritus vitales. Nemo eſt qui neſciat Deum requirere totum noſtrum cor, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* k, nec ullum perpeti poſſe rivalem, *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ* l, ait Evangeliſta, *Non poteſtis Deo ſervire, id eſt, verè & obedientialiter ſubditi eſſe*, exponit Dionyſius Carthuſianus m, *& Mammonæ, id eſt, divitijs ſeu dæmoni de avaritiâ tentanti*, cujus avaritiæ contemptum infrà ſuadebimus, quia Deus & Mammona Domini ſunt contrariam præ ſe ferentes voluntatem, ut explicat idem Carthuſianus illa verba ejuſdem Evangeliſtæ præcedentia, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, id eſt, non ſubordinatis, ſed contrariam voluntatem habentibus, videlicet Deo & mundo, Deo & carni*, cujus carnis voluptates fugiendas, ſuo loco edocebimus.

k Prov. 23. 26.
l Matth. 6. 24.
m Dion. Carth. art. 14. in Matth. 6. 24.

Oportet igitur offerre Deo hunc filium primogenitum, unicum, & dilectiſſimum, cùm ad eum pertineat, cùm illum requirat, & præcipiat eum ſibi offerendum ſub ſymbolicâ figurâ Iſaac. Sacrificandus eſt Deo noſter Iſaac, qui interpretatur riſus, id eſt, immolandi ſunt Divinæ majeſtati filij gaudij, quos unicè diligimus, filij carnis, & paſſiones animales, ſed gladio mortificationis, & igne dilectionis. Et licèt anima chariſſimè iſtos diligat liberos, & hos ſummo proſequatur naturæ amore abortivos, ſatis eſt quòd Deus eos à nobis exigat, & præcipiat nobis ut illos ſibi immolemus in perſonâ Patriarchæ Abrahæ, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Oportet ut amor Dei ſupplantet amorem carnis, & ut accenſus noſtræ ſalutis promovendæ zelus iniquas, & innocentiæ Chriſtianæ oppoſitas ſenſuum leges ſuperet, atque regulas. Rectæ igitur rationi valdè conſonum eſt, ut evadamus omnes & ſinguli parricidæ, more illuſtris hujus Viri, cujus probare aggreditur Deus generoſum animum; & ut ſacrificio interiori immolemus Deo noſtros Iſaacos, paſſiones intelligo & affectiones, nec non & potentias animæ noſtræ, quarum reformationem interiorem edocturus ſum vos in progreſſu hujus Adventus. Hodiernâ autem die diſſeram de paſſionibus in genere, & oſtendam vobis Primò, Quid ſint propriè hæ paſſiones humanæ. Secundò, Quotnam illæ ſint. Tertiò, Quare Deus illas animæ noſtræ diſpoſitioni reliquerit ac commiſerit. Quartò, Tandem media, quorum adminiculo debeamus eas mortificare & ſacrificare Deo.

Diviſio.

I. Pars.

Sed antequàm primam partem hujus diſcurſus aggrediar enucleare, Obſervandum eſt, quòd ſicut Abraham *qui eſt pater omnium noſtrûm (ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te) cui credidiſti, qui vivificat mortuos* n; unicum duntaxat habebat, quem ex Sarâ ſuſceperat o, legitimum filium, quem Deus ei præcipit ut ſibi offerat in holocauſtum, immolandum, ita ſinguli nos aliquâ afficimur paſſione ſpeciali, alicui particulari obnoxij ſumus affectui. Aliquis enim amore afficitur, alius odio commovetur: Alij gaudio dilatatur cor; cùm alteri triſtitiâ idem cor conſtringatur: Iſte audaciâ percitus omnia præſumit; ille timore correptus, nihil eſt quod meticuloſè non vereatur: Quidam ſpei veluti anchoræ inconcuſſæ innixus, univerſa ſibi pollicetur; cùm aliquis in deſperationem planè redactus, animum penitùs deſpondeat: Ille immodico ducitur alicujus rei conſequendæ deſiderio; quam iſte ſummâ proſequitur fugâ: vix ullus eſt qui irâ percitus aliquando non excandeſcat. Et hæc eſt paſſio ſpecialis, quam Deus exigit, & quam præcipit nobis ut immolemus ſibi in holocauſtum ſuper altari mortificationis, quæ eſt gladius myſticus, & comburamus eam, in cineremque redigamus medio ſacræ dilectionis igne.

n Rom. 4. 17. ex Gen. 17. 4.
o Gen. 21. 2.

Dixerunt aliàs Antiqui quidam, paſſiones fuiſſe infirmitates humanas, aut morbos animæ noſtræ. Sed hæc opinio non eſt ampliùs recepta. Verum quidem eſt, Stoicos differentiam advertiſſe inter paſſiones & infirmitates animæ, & dixiſſe, referente Senecâ p, quòd *morbi ſunt inveterata vitia & dura, ut avaritia, ut ambitio nimia, poſtquàm hæc animum implicuerunt, & perpetua eſſe mala ejus cœperunt.* Morbus eſt pertinacia, & conſuetudo obſtinata in vitio, ſed paſſiones & affectiones animæ ſunt motus ſubiti, prompti, & non prævisi, qui neglecti poſſunt frequentiâ ſuâ & repetitis ac iteratis actibus infirmitatem animi producere, *Sunt motûs animi improbabiles, ſubiti, & concitati, qui frequentes neglectique fecêre morbum: ſicut diſtillatio una nec adhuc in morem adducta tuſſim facit; aſſidua & vetus, phtiſin*: more fluxionis ardentis ſuper pulmonem, quæ tuſſis eſt in principio ſuo, ſed neglecta & non curata, efficitur phtiſis, aut morbus pulmonis ulcere pravè affecti, quando vetus eſt ac continua. Idcircò in tres dividebatur ipſorum academia claſſes. In primâ inveniebantur Scholaſtici, qui juxta opinionem

p Senec. Epiſt. 75.

nem ſuam liberi prorſus erant à morbis duntaxat, ſed nondum à paſſionibus; multum quidem profecerant, ſed non ſatis. *Itaq; qui plurimum profecêre, extra morbos ſunt, affectus adhuc ſentiunt, perfecto proximi.* In ſecundâ erant Scholaſtici, qui ſe exemerant è morbis & è paſſionibus, id eſt, è vitijs & affectionibus, ſed qui non ſecuri erant, & periculo caſus in eadem erant expoſiti, *Secundum genus eorum, qui maxima animi mala & affectus depoſuerunt, ſed ita ut non ſit in illis ſecuritatis ſua certa poſſeſſio, poſſunt enim in eadem relabi.* In tertiâ claſſe erat videre diſcipulos, qui immunes erant à multis & ingentibus peccatis, ſed non ab omnibus, *Tertium illud genus extra multa & magna vitia eſt, ſed non extra omnia; effugit avaritiam, ſed iram adhuc ſentit: & in ipſo metu ad quadam ſatis firmus eſt, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorem reformidat.*

Iſtud autem intelligetis, ſi paſſionum inquiramus definitionem. Quæſtio iſta eſt non exigua, nec popularis in paſſionum materiâ humanarum.

q S. Aug. lib. 9. Civit. c. 4.

S. Auguſtinus *q* ait hoc in occurſu, *Dua ſunt ſententia Philoſophorum de his animi motibus, quos Græci πάθη, noſtri autem quidam, ſicut Cicero, perturbationes: quidam affectiones vel affectus, quidam verò, ſicut iſte de Græco, expreſſius paſſiones vocant. Has ergo perturbationes, ſive affectiones, ſive paſſiones quidam Philoſophi dicunt etiam in ſapientem cadere, ſed moderatas rationique ſubjectas, ut eis leges quodammodo, quibus ad neceſſarium redigantur modum, dominatio mentis imponat. Hoc qui ſentiunt, Platonici ſunt ſive Ariſtotelici, cùm Ariſtoteles diſcipulus Platonis fuerit, qui ſectam Peripateticam condidit. Alijs autem, ſicut Stoicis, cadere ullas omninò hujuſcemodi paſſiones in ſapientem non placet.* Ex his apertè patet, paſſionem eſſe motum violentum animæ, qui elevatur in ipſius parte ſenſitivâ, qui fit aut ad proſequendum id, quod anima exiſtimat ſibi bonum ac conveniens, vel ad fugiendum illud, quod

r S. Damaſc. lib. 2. de fide. Orth. c. 22.

ipſa credit ſibi eſſe malum atque diſſonum. D. Damaſcenus *r* autem ad propoſitum eam ſic definit, *Affectio, ſenſualis motio eſt appetitiva virtutis, ob imaginationem boni, aut mali. Et aliter. Affectio eſt irrationalis motus ob boni, aut mali opinionem. Nam opinio boni, concupiſcentiam movet: at mali opinio, movet iram. Diffinitur & communiter paſſio hoc pacto. Paſſio eſt motio ex uno in aliud.* S. Thomas *s*

s S. Thomas 1. 2. q. 22. a. 1. ex Ariſt. 3. Phyſ. text. 19. & ſeq.

autem, cùm dixerit juxta mentem Ariſtotelis, quem citat, *Paſſio eſt motus appetitus*, ait in concluſione; *Cùm contingat animam ſentire & intelligere, & ad compoſiti tranſmutationem mutari, aliquam ei paſſionem communiter acceptam convenire neceſſe eſt, paſſionem autem propriè nonniſi per accidens attribui certum eſt* Hæc Doctor Angelicus.

Unde manifeſtum eſt, paſſiones, propriè loquendo, non reſidere niſi in ſolo appetitu ſenſitivo, nec illas formari niſi in ſolâ parte irrationali animæ. Ita ut, ſi attribuatur nomen paſſionum motibus intellectus, aut voluntatis, id fiat modo loquendi improprio & figurato, & per alluſionem ad paſſiones ſenſuum, cum quibus aliquam præ ſe ferunt convenientiam. Ratio autem propter quam paſſiones non inveniuntur in parte animæ rationali, hæc eſt, quia iſta pars corporis non utitur organis in actionibus ſuis, & quòd ex officio non incumbat ei, corpori afferre alterationem, aut mutationem, quæ tamen eſt accidens, quod paſſiones comitatur inſeparabiliter.

II. Pars.

Quod ſpectat ad illarum numerum conſtituendum, variæ ſunt circa illum ſententiæ. Sunt enim quidam Philoſophi, qui paſſiones omnes ad unicam amoris referunt paſſionem, veluti ad centrum & ad radicem, cum paſſio amoris ſit caput & domina omnium aliarum affectionum; & primum mobile, quod ſingulis ipſis motum imprimat. Alij eas ad quatuor reducunt, & dicunt, quòd ſicut ſunt quatuor venti præcipui, qui varias excitant tempeſtates ſive in terrâ, ſive in mari; ſic ſunt quatuor paſſiones primæ & principales, quæ noſtrarum tranquillitatem & ſerenitatem interturbant conſcientiarum, & quæ ſuis motibus immodicis diverſos commovent turbines; nempe timor, deſiderium, gaudium, & triſtitia. Re enim verâ hæ quatuor veluti dominium exercent ſuper omnes alias, quæ ſibi eas proponunt, ut ſuorum motuum objectum. Quidquid enim agant homines, aut timent, aut deſiderant, aut triſtes ſunt, aut lætitiâ perfunduntur: Hæ ſunt hi quatuor venti, aut turbines violenti, qui certant ad invicem, & furioſas in mari noſtrarum tempeſtates excitant animarum, de quibus loquitur Prophera *t*, *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* t, Dan. 7. 2.

In hanc coincidit S. Bernardus *u* ſententiam, *Sunt affectiones iſta quatuor notiſſima, amor & lætitia, timor & triſtitia; abſque his non ſubſiſtit anima: ſed quibusdam ſunt in coronam, quibusdam in confuſionem* Comparatque has quatuor præcipuas affectiones, ſeu paſſiones animæ, quatuor rotis currus; *Habet autem ille quatuor rotas illas, ſcilicet quatuor animi affectiones notiſſimas, amorem & lætitiam, timorem & triſtitiam x.* Eamdem affert Lactantius *y* comparationem, quam S. Bernardus. *Iſta concitationes animorum juncto currui ſimiles ſunt, in quo rectè moderando ſummum rectoris officium eſt, ut viam noverit: Quam ſi tenebit, licèt quamlibet concitatè ierit, non offendet. Si autem aberraverit, licèt placidè ac leniter eat, aut per confragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè quò non eſt opus, deferetur.* Alij comparant eas quatuor humoribus, quibus humanum eſt corpus compoſitum, & dicunt, quòd id quod ſunt hi quatuor humores corpori, illud idem ſunt hæ quatuor affectiones aut paſſiones cordi. Unde S. Auguſtinus *z* ait: *Cupiunt, timent, lætantur & boni & mali: ſed illi benè, iſti malè. ſicut hominibus ſeu recta ſeu perverſa voluntas eſt. Iſta quoque triſtitia, pro quâ Stoici nihil in animo ſapientis inveniri poſſe putaverunt, reperitur in bono.* Ab hoc numero non recedit Boëtius *a*, ſed diſertis illum confirmat verſibus, cùm ſic loquitur:

u S. Bern. Serm. 6. ex Parvis

x & ſerm. 35. ex Parvis.

y. Lactant. l. 6. De vero Cultu. c. 17.

z S. Aug. lib. 14. Civit. c. 8.

a Boët. lib. 1. de Conſol. Philoſ. metr. 7.

Tu quoq; ſi vis,
Lumine claro cernere verum,
Tramite recto carpere callem,
Gaudia pelle, pelle timorem,
Spemq; fugato, nec dolor adſit.

Et S. Auguſtinus *b* refert Virgilium hunc numerum paſſionum & affectionum quaternum ſuâ authoritate confirmantem,

b S. Aug. lib. 14. Civit. c. 8. citans Virgil. l. 4. Æneid.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentq;.

Alij paſſiones undecim conſtituunt, ſex in appetitu concupiſcibili, quinque verò in iraſcibili. Paſſio autem, ut jam diximus, eſt motus appetitus ſenſitivi, ad imaginationem boni, vel mali, cum aliquâ corporis immutatione. Seu, eſt impreſſio, quâ excitatur appetitus ex impreſſione boni, vel mali, interiùs ſenſibus concepta, unde corporis immutatio ſurgit. Iſtæ igitur paſſiones ſunt in appetitu ſenſitivo, qui ex duabus partibus componitur; concupiſcibili, qui in jecore ſedem habet, & iraſcibili, qui exiſtit in corde. Omnes tamen paſſiones perficiuntur in corde, quod omnibus

nibus ijs úrgetur motibus. Actus verò voluntatis, qui nominibus paſſionum appellantur, non ſunt propriè paſſiones, ſed actus ſimplices. Dixi, quòd in appetitu concupiſcibili ſunt ſex paſſiones, & iſtarum tres ſunt circa bonum, quæ ſic ordinari conſueverunt, amor, deſiderium, delectatio. Tres reſpectu mali, quæ ſic ordinantur, odium, fuga, triſtitia. Et quòd in iraſcibili ſunt quinque: Et iſtarum duæ reſpectu deſiderij, puta ſpes & deſperatio. Duæ reſpectu fugæ, quæ ſunt timor & audacia. Et una reſpectu triſtitiæ, quæ eſt ira: Et hæc de numero paſſionum.

III. Pars. Ier. 24. 5. & 8.

Quæ ex ſeipſis ſunt indifferentes, more ficuum, de quibus loquitur Propheta *c*, *Sicut ficus hæ bonæ, & ſicut ficus peſſimæ*; ad bonum, & ad malum inſervientes, juxta uſum, cui illas applicuerimus. E paſſionibus & affectionibus animæ, rectæ rationi conformatis emanant virtutes; ex immoderatis autem & inordinatis oriuntur tum matim vitia. Paſſiones virtutum ſunt parentes, ſi moderatione & prudentiâ dirigantur; infauſtæ autem ſiunt vitiorum genitrices, ſi ipſis æquo liberiùs laxentur habenæ. Non poſſunt eradicari penitùs paſſiones, alioquin deſtruendus eſſet homo; hoc eſſet planè hominem homini eripere, & cùm homo ſit in corpore, velle ut eſſet abſque corpore, ut ait S. Auguſtinus *d*, *Volumus ut nulla ſint concupiſcentia, ſed non poſſumus. Volumus, nolimus, habemus illas. Velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, ſtimulant, inſiſtunt, ſurgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem* *e*. Si enim nullæ eſſent in nobis paſſiones, hoc ſanè eſſet avellere omninò cauſas, & exiccare origines multorum meritorum, & virtutum, quibus incumbimus illarum interventu ac certamine. Purgatis & mortificatis paſſionibus gladio mortificationis & igne charitatis, virtutum ſedulo vacamus exercitio, & æternas nobis teximus coronas & immortales. Purgamus autem & mortificamus paſſiones & affectiones animæ noſtræ, v. g. amorem, amando id quod amore debemus proſequi, & amando magis aut minùs illud, quod eſt magis aut minùs amabile. Ita ut paſſiones benè ordinatæ, ſint merita, ac virtutes; inordinatæ verò è contra ſint vitia, & perturbationes.

d S. Aug. Serm. 43. de Verb. dom. c. 9.

e ex Gal. 5. 17.

Propter hanc rationem Deus & natura paſſiones & affectiones dederunt nobis, & animæ noſtræ diſpoſitioni commiſerunt earum directionem; ipſæ quippe ſunt veluti calcaria & ſtimuli, quæ pungunt & excitant naturam ad operandum. v. g. Ira excitat nos ad exercitium actuum juſtitiæ vindicativæ: Triſtitia ad exercendam miſericordiam in gratiam illorum, qui adverſam experiuntur fortunam, compatiendo illorum infortunio, & miſeriam illorum pro poſſe ſublevando. Sed illis indiſcriminatim & promiſcuè abutuntur homines paſſionibus & affectionibus, ſicut & innumeris alijs, quibus à Deo & à natura affluenter cumulati fuerunt, beneficijs & donis; tantum enim abeſt, ut ijs utantur tanquàm calcaribus ac ſtimulis, quibus ad virtutis exercitium excitentur capeſſendum, tanquàm veri ipſarum domini; quin è contrà intolerandâ puſillanimitate eorum ut earumdem ſervi effecti, intueantur rationem ſuam tyrannico ipſarum opprimi dominio, & ad vitium amplectendum pronam miſerabiliter ruere.

f Sap. 7. 24. g Sap. 8. 1.

Sapientia f Divina igitur, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* g. dedit nobis paſſiones & affectiones animæ tanquam adverſarias, contra quas certamen ineamus; veluti inſtrumenta, quibus noſtra probetur & exerceatur virtus, ut occaſiones conciliat derum nobis ingentium meritorum, ut eas domemus & coerceamus fræno juſtitiæ, atque rectæ rationis. Id fusè oſtendit S. Auguſtinus *h*, dicens: *Apud nos cives ſanctæ civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione ſecundùm Deũ viventes metuũt, cupiuntq́; dolent, gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re, quia ipſi in ſemetipſis adhuc ingemiſcunt adoptionem, expectantes redemptionem corporis ſui* *i*. *Gaudent in ſpe, quia fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoriam* *k*. *Item, metuunt peccare, cupiunt perſeverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Vt enim metuant peccare, audiunt: Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum* *l*. *Vt cupiant perſeverare audiunt, quod ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* *m*. *Vt doleant in peccatis, audiunt: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* *n*. *Vt gaudeant in operibus bonis, audiunt: Hilarem datorem diligit Deus* *o*

h S. Aug. l. 14. Civit. c. 9.

i ex Rom. 8. 23.
k ex 1. Cor. 15. 54. & ex Oſee 13. 14. & ex Hebr. 2. 14.
l ex Matth. 24. 12.
m Matth. 10. 22.
n ex 1. Joan. 1. 8.
o 2. Cor. 7. 8. ex Eccl. 35. 11.

Imaginati fuerant Stoici, paſſiones, licèt inordinatas, non fuiſſe vitia, præſertim cùm non dimovebant animum hominis Sapientis è ſede ipſius naturali, & à legibus rationis & virtutis. Idcircò S. Auguſtinus *p* hanc doctrinam deridet Stoicam, & oſtendit opinionem iſtorum Philoſophorum fuiſſe abuſivam & vanam, cùm autumarent in virum Sapientem non potuiſſe cadere turbationes animi: *Pereant argumenta Philoſophorum, qui negant in Sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur planè animus Chriſtianus, non miſeriâ, ſed miſericordiâ: timeat ne pereant homines Chriſto, contriſtetur cùm perit aliquis Chriſto. Concupiſcat acquirere homines Chriſto, lætetur cùm acquiruntur homines Chriſto. Timeat & ſibi ne pereat Chriſtus, contriſtetur ſe peregrinari à Chriſto* * *Concupiſcat regnare cùm Chriſto, lætetur dum ſperat ſe regnaturum cùm Chriſto. Iſta ſunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & triſtitia, amor & lætitia. Habeant eas juſtis de cauſis animi Chriſtiani, nec Philoſophorum Stoicorum, vel quorumcumq́; ſimilium conſentiatur errori: qui profectò quemadmodùm vanitatem exiſtimant veritatem, ſic ſtuporem deputant ſanitatem, ignorantes ſic hominis animum, quemadmodum corporis membrum deſperatiùs ægrotare, quando & doloris amiſerit ſenſum.*

p S. Aug. tract. 60. in Joan.

* e ex 2. Cor. 5. 6.

Ieſus Chriſtus, qui erat pluſquam homo, habebat propaſſiones, ſuarum erat Dominus paſſionum. *Neſcio quid nobis inſinuavit fremendo ſpiritu, & turbando ſeipſum: Quis enim eum poſſet niſi ſe ipſe turbare. Itaq; Fratres mei primò hic attendite poteſtatem, & ſic inquirite ſignificationem. Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit Ieſus* *q*, *verum eſt, ſed quia voluit: dormivit Ieſus* *, *verum eſt, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat, ſic vel ſic affici, vel non affici: Verbum enim animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam. Quid eſt ergo quòd turbat ſe metipſum Chriſtus, niſi ut ſignificet tibi, quomodò turbari tu debeas, cùm tantâ mole gravaris & premeris. Attende ſi enim te, vidiſti te reum, computaſti tibi. Illud feci, & pepercit mihi Deus; illud commiſi, & diſtulit me: Evangelium audivi, & contempſi: baptizatus ſum, & iterùm ad eadem revolutus ſum. Quid ago? Quò eo? Vnde evado? Quando iſta dicis, jam fremis Chriſtus, quia fides fremit*, ait idem S. Auguſtinus *s*.

q ex Matth. 4. 2.
* ex Matth. 8. 24.
r S. Joan. 1. 41.
s S. Aug. tract. 49. in Joan. 11. 33.

Paſſio-

Paſſiones, ſi ſint immoderatæ, turbines excitant furioſos in animâ atque tempeſtates, ut ait S. Jacobus *t*, *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis quæ militant in membris veſtris.* Quæ verba ſic exponit Cornelius *u*: *Ex concupiſcentiis, quas ſcilicet concupiſcitis, hoc eſt, ex concupiſcentiis opum, ſcilicet honorum, & deliciarum: quia licèt ira ſit in appetitu iraſcibili; oritur tamen ex appetitu concupiſcibili. Ex eo enim, quod obtinere nequit rem concupitam, iraſcitur, lites & bella movet. Quæ militant in membris veſtris. Licèt enim paſſiones & concupiſcentia ſint in animâ & appetitu, vel concupiſcibili, vel iraſcibili; tamen quia hi appetitus ſedem habent, & quaſi caſtra ſua figunt in membris, per eaque ſe exerunt; hinc pariter concupiſcentiæ in membris ſuam habent ſedem, ut ira in felle, libido in membris generationi deſtinatis, triſtitia in liene, amor in jecore, &c.* mortificandæ ſunt igitur hæ paſſiones & affectiones animæ, ſed

t Iacob. 4. 1.

u Cornel. in hunc locum.

Hoc opus, hic labor eſt.

Idcircò querebatur Apoſtolus *x*, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Iſtius querelæ rationem jam præmiſerat, dicens: *Video autem aliam legem*, id eſt, *à lege Dei, cui ratio condelectatur*, ſubjungit Dionyſius Carthuſianus *y*, (*in membris meis*) *id eſt, in carne meâ mortali, vitiatâ, ac fragili, ut potè fomitem peccati, qui primò reſpicit carnem, & ex carnis contactu derivatur ad animam, quæ citò corpori copulatur*, ſubdit Dionyſius (*repugnantem legi mentis meæ*) *id eſt, legi naturali ac Divinæ, cordi meo inſcriptæ* (*& captivantem me*) *id eſt, ſubjicientem per conſuetudinem malam & conſenſum* (*in lege peccati, quæ eſt in membris meis*) *id eſt, ſibi ipſi exiſtenti in corporis membris, quæ univerſa infecta ſunt pronitate ad malum.*

x Rom. 7. 24. & 23.

y Dion. Carth. in Rom. 7. 23. art. 10.

Hanc paſſionum mortificationem præcipit nobis Chriſtus, dicens: (*Abneget ſemetipſum z*) *id eſt propriam voluntatem relinquat, Deo obediat, concupiſcentias vincat, hoc eſt ſecundùm Apoſtolum a, deponere veterem hominem cum actibus ſuis, & induere novum, qui ſecundum Deum creatus eſt in ſanctitate & juſtitiâ*, interpretatur Dionyſius *b* idem. Gladio igitur mortificationis myſtico immolandæ ſunt hæ paſſiones, & igne dilectionis ſacro comburendæ, quia ipſæ animam efficiunt omnino terreſtrem; *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem c*. Paſſer habens pedem funiculo alligatum, in aërem volare contendit, ſed funiculus, cui eſt alligatus, illum in terram deprimit: Ita anima, cujus pedes ſunt affectiones ipſius, ut ait S. Bernardus *d*, *Pes tuus affectio tua*, quæ non eſt ſoluta & immunis à funiculo affectuum ſuorum, non poteſt ad cœleſtia ac Divina elevari. Præterea, Quia paſſiones immoderatæ, irregulares, immortificatæ cæcitate percutiunt animam, quod manifeſtè patet ex comparatione hominis vino immodicè hauſto madentis ac ebrii, cui nimii illius liquoris vapores, animum caligineo fundunt, eum extra propriam ſedem collocant, illumque ad innumeras patrandas inducunt ineptias. Idem probat S. Chryſoſtomus *e* ex comparatione oculi: *Sicut enim oculorum acies pura & lucida cuncta omnia intuetur, neque etiam in tenuiſſimis deprehendendis corporibus elaborat; verùm ſi quis noxius à capite humor, vel caligo aliqua ad oculum aſcendit, denſa quadam ante pupillam nebula obducta, quæ ne craſſiora quidem corpora videre ſinit: Ita animæ uſu venit: cùm omnis perturbatio quæ eam offenderit, purgata eſt, intentè opportuna omnia proſpicit: verùm cùm plurimis turbatur affectibus, vim omnem illam amittit, ut nihil altum valeat intueri; ſed quamprimùm defatigatur ac decidit, & ſomno dedita, atque ſegnitia, quæ ad virtutem & vitam utilia ſunt, nulla rursus capeſſendi alacritate contendit.* Tandem, quia paſſiones immoderatæ & immortificatæ animam quaſi inſenſibilem & veluti mortuam efficiunt.

z Math. 16. 24.

a ex Ephes. 4. 22. & 24.

b Dion. Carth. art. 29. in Math. 16. 24.

c Sap. 9. 15.

d S. Bern. Serm. 13. in Pſal. Qui habitat.

e S. Chryſoſt. homil. 1. in Joan.

IIII. Pars

Sed non ſufficit ut diſſeruerim vobis de infirmitatibus animæ noſtræ; ſeu potiùs de illius paſſionibus & affectibus; & docuerim vos in genere quid illæ ſint in naturâ & in proprietatibus ſuis, niſi oſtendam vobis remedia ſeu media iiſdem curandis, aut ſaltem moderandis & mortificandis apprimè conſona. Incaſſum ſapiens & artis ſuæ peritus Medicus cauſam morbi, quo opprimitur æger, agnoſcit, niſi illi remedium conciliandæ ſanitati opportunum præſcribat. Extremo mulctabant Ægyptii ſupplicio eum, qui novam aliquam deprehenderat plantam mortiferam & venenoſam, niſi ſtatim antidotum malo quod illa producere poterat, conſonum fuiſſet commentus: Reprehenſione pariter dignus ego forem, ſi poſtquam oſtendi vobis in genere animæ noſtræ infirmitates, ſeu affectiones illius, vobis non ſubminiſtrarem remedia aut iis curandis, aut ſaltem mortificandis, *& in ſervitutem e* ſpiritus redigendis congrua.

e 1. Cor. 9. 27.

Dixi vobis, paſſiones ex ſeſe indifferentes eſſe, iiſque poſſe nos uti ad malum operandum, ſeu ad bonum faciendum, juxta uſum, cui eas applicuerimus. Reſecandum eſt igitur ab illis omne quod malum eſt, abuſus, & exceſſus, ita ut in nobis verificetur conſilium Apoſtoli *f* ſuadentis, *Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus*, ut vertit S. Auguſtinus *g* ſubjungens, *Ecce quod nolo, mala deſideria ſurgunt: Sed noli obedire. Arma te, ſume inſtrumenta bellorum. Præcepta Dei, arma tua ſunt. Si bene me audis, & ex eo, quod loquor, armaris. Quid vis jam ut exponam tibi? Fac quod audiſti. Non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato h. Dedit tibi Deus poteſtatem per Spiritum ſuum, ut membra tua teneas. Surgit libido, tene tu membra. Quid factura eſt quæ ſurrexit? Tu tene membra. Noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato. Noli armare adverſarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido ſurrexit, tu tene membra tua. Tene manus ab omni ſcelere. Tene oculos, ne malè attendant. Tene aures, ne verba libidinis libenter audiant. Tene totum corpus, tene latera, tene ſumma, tene ima. Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit. Surgendo aſſiduè ſine cauſâ, diſcit & non ſurgere.*

f Rom. 6. 12.

g S. Aug. hom 43. de Verb. Dom. c. 10.

h ex Rõ. 6. 13.

At non ſatis eſt reſecare a paſſionibus id omne quod malum eſt, ſed deinceps illis addendum eſt quodcumque bonum eſt, ut putà intentio bona, & ordinata moderatio. Deus unam addit literam nomini *Abram*, & vocavit eum *Abraham*; & unam abſtulit nomini *Sarai*, & vocavit eam *Saram* i. Iſtud ordinavit Deus, ut doceremur, quod in iis quæ ad paſſiones noſtras ſpectant, hunc debemus obſervare procedendi modum. In hoc diſſerunt ſculptor & pictor, quod pictor jugiter lineamenta lineamentis, & colores coloribus ſuperaddat, quouſque ultimum attigerit imago perfectionis ſuæ terminum; ſculptor verò è contra ſemper reſecat, incidit, quouſque ſtatua perfectè ſit formata. Sanctificantur opera noſtra intentionibus, quas præ nobis ferimus, cùm eorum ſedulo vacamus exercitio, ſicut aqua communicat qualitatibus foſſilium

i Gen. 17. 5. & 15.

lium,per quę tranſit.Sic omnia opera noſtra bona, jejunium,oratio, eleemoſyna bonis dirigi debent intentionibus, non autē paſſionibus & affectibus pravis,conſuetudine,propriâ voluntate,ne impe- *k* Iſa. 58. 3. peretur nobis id,quod eloquitur Propheta *k*, *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra.* Et ne impleatur in nobis illud, quod minitatur Da- *l* Pſ. 108. 7. vid *l*, *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Neve humanis ducti conſiderationibus, & ad reſpectus hominum attendentes, connumeremur inter infelices illos, qui *receperunt mercedem ſuam m.* *m* Matth. 6.3.& 5. Mortificemus igitur omnes paſſiones noſtras gladio myſtico moderationis, & offeramus eas in holocauſtum Deo, comburendas igne ſacro dilectionis; & Deus ipſe accendet nos igne gratiæ ſuæ in hoc ſeculo, & gloriæ ſuæ in alterâ vitâ.

FERIA III. DOMINICÆ I. ADVENTVS.

Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium. Geneſ. 22.6.&c.

HÆc admittitur differentia inter ſimplex ſacrificium & holocauſtum, quòd in holocauſto totum comburebatur & conſumebatur ad honorem Dei; in eo nullam victimæ ſibi poterant Sacerdotes vendicare partem,nec aliquid illius reſervabatur populo:Sic in noſtrarum ſacrificio paſſionum totum eſt comburendum & conſumendum,nec decet ut ulla prorſus creatura,vel aliquis Sacerdos,vel Sanctus,vel Angelus ad hujus holocauſti admittatur participationem. Quis autem *a* Exod. 20.5. neſciat quòd noſter *Deus zelotes* a eſt,& totum flagitat *cor* b noſtrum, *b* Prov. 23.26. ita ut ſi quis aliquam amet creaturam quantùmlibet perfectam, dividat ſtatim hoc holocauſtum, & illud profanet ſacrificium. Amor quo Apoſtoli ſacram Chriſti proſequebantur humanitatem, adventum impediebat *c* Joan. 16.7. Spiritus ſancti *c*, quantò magis impediet affectus erga aliquam creaturam imperfectam. Non rectè *d* Num. 26. 61. miſcetur ignis iſte profanus cum ſacro,ut fecerunt *e* 1. Reg. 5. 2. Nabad & Abiu *d*: Nec apprimè collocatur Arca Dei cum Idolo Dagon *e*, quod eſt ſacrilegium & atheiſmus.Non eſt claudicandum *in duas partes* f. *f* 3. Reg. 18. 21. Ideò ſi perfectum Deo velimus offerre holocauſtum,totum debemus igne comburere, id eſt,conſumere omnes & ſingulas paſſiones noſtras ad unam uſque, quantùmlibet exigua ſit illa, ut videbitis in priore parte hujus diſcurſus. Diviſio. In poſteriori verò oſtendam vobis modum, quo id ritè & facilè ſit agendum. Sed quia res iſta eſt maximi momenti, neceſſaria nobis eſt gratia: poſtulemus eam à Deo mediâ Mariâ,quæ eâ eſt plena, *Ave Maria.*

I. Pars. Peccatum eſt conditionis ita malignæ, ut unicum quod in noſtrâ regnet animâ, omnia illius deſtruere poſſit opera bona ac merita, *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet* g. *g* Eccl. 9. 18. Et, *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factum eſt omnium reus* h. *h* Jacob. 2. 10. In quo videtur mihi peccatum aſſimilari negationi, quæ naturæ ſic eſt perverſæ, ut ſubſequentia quælibet deſtruat. Dices aliquem eſſe ſapientem,probum,&c, ſed ſi iſta velis deſtruere,præmittenda eſt duntaxat negatio,non,& cum hoc monoſyllabo eum deprimis,quem jam laudibus extuleras,& aſſeverabis eum ſapientiæ,probitatis,&c. expertem. Peccatum eſt ejuſmodi, licèt exiguum; ſit aliquis eleemoſynarius,caſtus, &c. imò verò omnes ſibi conciliaverit virtutes; ſi ſit deſidioſus, aliâve laboret imperfectione, hæc imperfectio virtutibus prædictis illius decôrem eripit: Bonum conſurgit ex integrâ causâ, malum ex ſingulis defectibus. *Agnus absque macula* i debebat eſſe ille, qui erat immo- *i* Exod. 12.5. landus; idem dicendum de homine. Vita hominis probi ſimilis eſſe debet carmini, cui ſi vel unica addatur vel dematur ſyllaba, ſtatim eſt imperfectum: Vita hominis juſti nec excedere debet,nec deficere.

Hoc in memoriam meam revocat ſubtile emblema, quod commentus eſt aliàs eximiæ vir ſanctitatis, ut ſuas exprimeret intentiones, utputà brachium humanum armatum gladio, quo ſeptem capita hydræ Herculis unico ictu præcideret, præ hac inſcriptione, *Aut omnia, aut nullum.* Ut intelligatur, Sciendum eſt, Poetas finxiſſe, monſtrum aut ſerpentem ſeptem capitibus horridum debellatum fuiſſe ab Hercule, qui ut illud monſtrum contereret, debuit non unum, aut duo ſecare illius capita, ſed omnia ſimul, eò quòd reſecto uno, ex eodem oriretur aliud illico, ita ut propoſuerit Hercules omnia unico amputare ictu. Hæc hydra eſt ſeptem peccatorũ lethalium ſymbolum: Oportet igitur ut generoſus Chriſti miles, qui bellum vitijs indicit, omnes reſecet imperfectiones & paſſiones gladio mortificationis, ſi enim vel unica ſuperſtes remaneat, hæc alias abſque dubio producet. Anima *ſi unicam tantùm paſſionem habituatam habuerit, ex eâ ſubjecta jam beſtiæ, horâ etiam minimâ in captivitatem ducetur*, ait S. *k* S. Doroth. doctrin. 11. Dorotheus *k*. Non metuit hoſtem miles cataphractus; ſed ſi membrum aliquod præ ſe ferat inerme,aut apertum, manifeſto vitæ amittendæ exponitur periculo. At Seneca diſcurſum non ſolùm moralem hoc in occurſu promit, imò verò Chriſtianum & Divinum. Sciendum eſt quòd Alexander interemit Calliſthenen, eò quòd ille ipſi diceret rei veritatem,ipſumq; ſuorum argueret criminum;Calliſthenes autem fuit unus ex perfectiſſimis illius ſeculi Philoſophis. Seneca *l* verò ait. *l* Senec. lib 6. Natur. Quæſt. c. 23. *Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet: Nam quoties quis dixerit, Occidit Perſarum multa millia, opponetur, Et Calliſthenen occidit. Quoties quis dixerit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat.* Quotieſcumque allegaverit aliquis, ad extollendam Alexandri magnitudinem, captivum ab eo fuiſſe ductum Darium,necíq; traditum, & totum illius regnum ditioni Alexandri ſubditum, *Opponetur, Et Calliſthenen occidit.* Hæc actio ſola capax eſt quæ præclara cætera Alexandri facinora caligine obtegat. *Quoties dictum erit, Omnia Oceano tenus vicit, & imperium ex angulo Thraciæ uſque ad Orientis terminos protulit*, nec ullum Regem regnumque reliquit, quod ſuo non ſubjecerit dominio, *Opponetur, Et Calliſthenen occidit.* Ad quid iſta omnia, Si Calliſthenen è medio ſuſtulit? Crimen quod non ſolùm minuere, ſed & ad nihilum redigere queat eximia omnia illius geſta. Concludit

dat tandem Seneca: *Omnia licèt antiqua Ducum Regumque exemplum tranſierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit quàm ſcelus Calliſthenis.* Hinc manifeſtè inſtruimur, imperfectiones privare merito holocauſtum noſtrum, illud injucundum Deo efficere (præterquam quòd peccatum, quantumvis exiguũ, eſt Deo maximè exoſum) & ideò debere nos omnes imperfectiones noſtras ad unicam uſq; perfecto holocauſto conſumere, nec ullã quantùmvis exiguam relinquere. Et hoc eſt quod eſt agendũ modo conſono ac facili in hâc poſteriori parte.

II. Pars.

Comburendarum ergo & conſumendarum omnium paſſionum & imperfectionum noſtrarum modus eſt, ſi illum jugiter foveamus ignem amoris Dei, ita ut ſemper ardeat, & ſic tandem eas omnes conſumet. Præceperat Deus alias, *Ignis in altari ſemper ardebit.* Et ſtatim ſubdit modum ut ardere poſſit, *Quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies* m. Idem dicit de lampade, cui Sacerdos oleum debebat infundere, *ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lampades* n. Ut igitur ignis amoris Dei jugiter ardeat ſuper noſtrorum cordium altari, & lumen boni exempli, aut charitatis proximi ſplendeat indeſinenter coram eo, ſubminiſtrandum eſt ei lignum ac oleum, pura facienda ſunt ſancta virtutum exercitia, ac praxes mortificationis harũ omnium paſſionum.

m Levit. 6. 12.

n Num. 4. 16.

Ut autem deſcendamus in ſpecie ad mortificationem harum paſſionum, Sciendum eſt, mortificationem eſſe ſtudium & curam virtuoſam, ratione cujus ſe privat homo propter amorem Dei, ijs quæ naturæ ſunt conformia depravatæ, etiamſi licita; & libenti complectitur animo id omne quod natura reſpuit ut laborioſum. Juxta id vera mortificatio conſiſtit in duabus rebus, ut deneget concupiſcentiæ, id quod ipſa appetit, & efficiatur ſufferat ipſa, quod ipſi eſt abominationi: Sic autem deſcribitur: *Mortificatio eſt virtus, per quam homo privat ſe omnibus illis, quæ ſunt ſecundùm inclinationem naturæ corruptæ, etiamſi aliquando ſint licita; & ſequitur atque amplectitur ea quæ adverſantur carni & ſenſualitati.* Idcircò dicebat antiquus quidam Philoſophus, in his duobus ſitam humanam perfectionem, *Abſtine, & ſuſtine.* Ideò homo ille dici poteſt mortificatus, qui in ſuis ſequitur actionibus motum & inſtinctum rationis, ſpiritus, & partis ſuperioris animæ; & parvipendit inclinationem carnis & partis inferioris aut ſenſitivæ animæ.

Iſtud nomen mortificationis derivatur à morte, propter quamdam ſimilitudinem, quæ reperitur inter mortificationem & mortem naturalem. Sicut enim mors naturalis nihil eſt niſi ſeparatio animæ, quæ corpus deſerens, illud relinquit, ſenſus & vitæ expers; ſic mortificatio conſiſtit in mortificatione voluntariâ animæ, quæ animatum tamen relinquit corpus, quatenus ipſa per mortificationẽ ſe diſſolvit, & veluti ſe exhibet independentem à paſſionibus & appetitibus inordinatis corporis. Unde fit ut ſicut hominem vitâ mors privat naturali, ſic mortificatio ei vitam eripit ſenſualem & animalem: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* o. Id eſt, *mortui* ſenſibus, & omnibus mundanis delicias ſenſuum & carnis redolentibus.

o Coloſſ. 3. 3.

Primum igitur quod mortificare debemus in ſpecie, eſt amor proprius & inordinatus. *Fecerunt itaque civitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei; cœleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui*, ait S. Auguſtinus p. Iſti duo amores ædificaverunt Jeruſalem & Baby-

p S. Aug. lib. 14. Civit. c. 28.

[l]onem. Amor Dei eſt ſtrictus & ſpinoſus, & rudis, *[Arct]a eſt via quæ ducit ad vitam* q. Amor verò ſui inordinatus eſt latus atque ſpatioſus, *Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem* r. Hic amor eſt principium peccati originalis s, ædificat Babylonem, & deſtruit civitatem Dei. Vocatur amor proprius & inordinatus, quia Deus ordinavit quòd ipſe futurus eſſet *finis* t omnium rerum, ut omnia faceremus propter ipſum †, ut univerſa ad ipſum referremus, & inquireremus quidquid ipſi futurum eſſet gratiſſimum. Amor autem proprius ad id vergit, ut ultimus finis ſit ſuum proprium commodum; ut amemus vitia, eò quod ſint delectabilia, perſuadere conatur nobis ut a ſectandis abhorreamus virtutibus, eò quòd difficultatem præ ſe ferant; ut contemnamus æterna, & amemus temporanea; ut cœlum pro terrâ relinquamus, virtutem pro vitijs, & aurum bonorum operum pro ſtercore deliciarum animalium. Hic amor proprius eſt equus Trojanus, in quo inordinatarum includitur infinitas paſſionum, quæ obſident & deſtruunt civitatem Dei, ſicut in prodigioſo illo equo Trojano plures concludebantur milites armati, qui civitatem Trojanam incendio tradiderunt, & funditùs deleverunt. De hoc autem amore proprio loquitur Apoſtolus u, *In noviſſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, voluptatum amatores pluſquàm Dei.*

q Matth. 7. 14.

r Matth. 7. 13.

s Gen. 3. 6.

t Apoc. 1. 8.

† 1. Cor. 10. 31. & Coloſſ. 3. 17.

u 2. Timoth. 3. 2.

Mortificandus eſt hic amor proprius odio laudabili, è quo procedat amor Dei, qui deſtruens civitatem Babylonem, ædificet civitatem Dei, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* x. Ex hoc odio oriri debet etiam contemptus ſuîipſius, qui hunc amorem proprium deſtruat, quem mortificare debemus fugâ, *Ioſeph relicto in manibus* Dominæ ſuæ *pallio fugit, & egreſſus eſt foras* y, per figuram hujus Patriarchæ. Quia verò amor, eſt ille qui omnibus motum imprimit paſſionibus alijs, mortificandæ ſunt etiã affectiones, ſeu potentiæ intellectus, memoriæ, & voluntatis; paſſiones appetitus ſenſitivi, concupiſcibilis, & iraſcibilis, & omnes ſenſus externi moderandi. Et primò quoad mortificationẽ intellectus ſeu proprij judicij.

x Joan. 12. 25.

y Gen. 39. 11. & 12.

Apoſtolus z loquens de fide Abraham, ait, *Contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarũ gentium.* Ut intelligatur, Obſervandum, fidem & ſpem, quę exemplariter in hoc eximio emicuerunt Patriarcha, magnam inter ſe habere convenientiam, & ſic S. Paulus a eas ut geminas unit ſorores veluti inſeparabiles, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Primò enim Fides innititur Verbo Dei quod eſt infallibile b; Spes verò fundatur ſuper promiſſo Dei, quod eſt immutabile. Secundò, Fides habet Deum pro ſuarum objecto veritatum; Spes autem Deum intuetur ut ſuorum ſubjectum myſteriorum. Tertiò, Fides eſt credere ea, quæ non videntur; Spes verò ſperare illa, quæ non tenentur. Quartò, Fides ſuorum videt veritatem myſteriorum *per ſpeculum in ænigmate* c; Spes autem ſuorum expectat veritatem promiſſorum inter moras & languores, quibus nos probat Deus. Quintò, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo* d, Sine ſpe autem difficile eſt obſequium Deo exhibitu. Sextò, *Fides ſine operibus mortua eſt* e, Spes verò cum operibus bonis viva eſt, *Regeneravit nos in ſpem vivam* f. Et S. Ambroſius g ait, *Semper tibi per fidem germinet ſpes ſalutis.* Septimò, Cum Fide omnia ſunt poſſibilia h; Cum Spe verò nihil eſt impoſſibile. Octavò tandẽ & magis ad propoſitum, Fides dictamen debellat rationis; Spes verò probationem ſenſus, nam, ut ait

z Rom. 4. 18. ex Gen. 15. 5. & 6.

a Hebr. 11. 1.

b Matth. 24. 35.

c 1. Cor. 13. 12.

d Hebr. 11. 6.

e Jacob. 2. 26.

f 1 Petr. 1. 3.

g S. Ambroſ. lib. 1. Hexam. c. 13.

h Marc. 9. 23.

i S.Greg. hom. 26. in Evangel.

ait S.Gregorius *i*, *Nec Fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum* Non quòd fides ſit contra rationem, ſed ſolùm citra aut ſupra naturam; Spes verò contradicat regulis proprij judicii & prudentiæ humanæ, quia ſperandum eſt contra apparentiam eorum quæ habentur; & contra experientiam quæ videtur. Sicut igitur in Fide ſuperanda eſt ratio, quæ ſubjicienda eſt pedibus ipſius, & credendum eſt contra id, quod ipſamet nos edocet ratio, & quod nobis demonſtrat ſenſus; Sic in ſpe vincendum eſt judicium proprium, & ſuperanda humana prudentia, id eſt, ſperandum contra apparentiam quæ habetur, & contra experientiam quæ videtur. S. Paulus *k* id nobis ſuadet, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Christi.* Sicut enim Dominus ſuum plecteret ſervum, ſi ſcire vellet cauſam & rationem eorum omnium, quæ ſibi præciperentur à Domino; pari modo mulctandus eſt intellectus, qui vult rationem inquirere myſteriorum omnium, quibus ſuam debet ipſe adhibere fidem.

k 2. Cor. 10. 5.

Non eſt tamen diffitendum non fieri ſine magno labore, ut proprium judicium, & humana prudentia his ſubjiciantur munijs. Tamen Patriarcha noſter *contra ſpem in ſpem credidit: non infirmatus eſt fide, non hæſitavit diffidentiâ: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo* l. Super quæ ultima verba S. Chryſoſtomus petit, quamnam gloriam Deo Abraham præbuerit. Et ipſe reſpondet: *Non curioſe indagare ſuccet, eſt Deum glorificare; ſicut curioſe indagare, eſt peccare* m. Credidit, & ſperavit, *nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam centum eſſet annorum & emortuam vulvam Saræ* n. Sed è contrà fidem & ſpem firmam habuit, *arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus* o. Idcircò præcepit ſervis ſuis: *Expectate hic cum aſino: Ego & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos* p. Sic *contra ſpem in ſpem credidit.* Inter promiſſa conſtitutus erat & præcepta, inter ſpem & deſperationem, inter qualitatem patris & ſervi Dei, inter naturam tandem & gratiam: ſed ultimum prævaluit ſuper primum, ut ait Theodoretus *q*, *Patriarcha medius inter naturam conſtitutus & fidem, cùm utrimque prehenſaretur, fidei dedit palmam victoriæ.* Seu, ut dixit S. Zeno Veronenſis *r*: *Contra ſpem natum Abraham ad aram filium immolaturus Domino authore perducit. Nec deeſt ad miniſterium gladius: ut pater eſſet pariter, & Sacerdos.*

l Rom. 4. 18. &c.
m S. Chryſoſtom. homil. 8. in hunc locum.
n Rom. 4. 19.
o Hebr. 11. 19.
p Gen. 22. 5.
q Theodoret. quæſt. 72 in Gen.
r S. Zeno Veron. ſerm. 2. de Abraham.

Inordinationes plurimæ ex immortificato oriuntur intellectu, diſſenſiones, ſuperbia, aliorum contemptus, ſchiſmata, & hæreſes; quæ mala derivantur poſteà in voluntatem. Sicut enim intellectus voluntatem illuminat, eamque dirigit, capeſſendam oſtendens ei viam; ſic periculoſum eſt ne in ſuis erret hæc voluntas electionibus, nimis intellectui applaudendo. Intellectus immortificati ſunt ſemper præſumptuoſi, & temerarij; Idcircò humilitate mortificandus eſt intellectus; *Quia Deus humilibus dat gratiam* s. Cùm ij mortificent proprium judicium, ſuam ipſorum exiſtimationem, & ſenſus abundantiam.

s 1. Petr. 5. 5.

Quod ſpectat ad mortificationem memoriæ, Certum eſt, nihil eſſe quod tantâ afficiat hominis animum triſtitiâ, ſicut afficit memoria bonorum, quæ poſſedit ipſe aliàs, & quibus ſe videt deſtitutum, infelici humanarum rerum viciſſitudine. *Nihil infelicius quàm fuiſſe felicem, & ex beato miſerum eſſe*, ajebat Antiquus quidam. Non eſt paupertas oneroſior & probroſior, quàm cùm ingentibus quis potitus eſt divitijs; nec morbus ingratior, quàm cum quis longam expertus eſt ſanitatem. Hujus veritatis exempla multa ſubminiſtrat nobis Scriptura. Mulctaturo Deo Protoplaſtum noſtrum ob inobedientiam ipſius, non ſatis ipſi viſum fuit expuliſſe eum è paradiſo terreſtri, veluti indignum qui hoc felix incoleret domicilium: Sed ut magis eum affligeret; eum relegavit, ut quidam dicunt, ſuper collem vicinum paradiſo, unde intueri poterat pulchritudines ac divitias hujus fortunati loci, eaſque compararet cum ſpinis & tribulis, quibus univerſa erat operta terra, quæ dolore cor illius angeret intolerando, *Ejecitq; Adam: & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* t. S. Bonaventura *u* ait, Deum condemnaſſe Adam ut Divinæ Reum Majeſtatis ad exilium perpetuum, tamen prope paradiſum, ut intueretur quantis ipſe ſe privaſſet bonis ingrati animi ſui labe, *In paradiſo voluit eum collocare, ut per ejus ejectionem de loco voluptatis, cognoſceret ſenſibiliter quãta bona ſpiritualia amiſiſſet per culpam.* Quod confirmatur à LXX. apud Gloſſam, *Et ejecit, & habitare fecit contra paradiſum, & ſtatuit Cherubim, & flammeam rhomphæam, quæ vertitur ad cuſtodiendam ligni vitæ viam.* Ubi gloſſa ait: *Alius ſenſus eſt in Hebræo: Et ejecit Dominus, ſcilicet Adam, & habitare fecit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Concordat cum S. Bonaventura S. Chryſoſtomus *x*, *Adam è paradiſo ejectum è regione paradiſi habitare juſſit Deus, ut aſſiduus conſpectus renovans moleſtiam exactiorem illi præberet ſenſum expulſionis è bonis.*

t Gen. 3. 24. &c.
u S. Bon. in 2. ſent. diſt. 17. dub. 2.
x S. Chryſoſtom. conc. 2. de Lazar.

Captivi filij Iſrael Babylone ad deambulandum aliquando perrexerunt, ut hâc honeſtâ exiguâque recreatione, importunæ captivitatis ſuæ aliquo moderarentur faſtidia modo, ad hunc finem ſua deferentes inſtrumenta muſica. Pergentes igitur circa Euphraten, juxta ripam ſederunt illius fluminis, ubi tantiſper immorantibus in memoriã veniunt pulchritudo Sion, & ſanctitas Jeruſalem; & ſtatim lacrymarum rivus ex ipſorum defluit oculis: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus; cùm recordaremur Sion.* Ita ut in ſalicibus ſua ſuſpenderint inſtrumenta muſica, nedum ijs ſuaviſſimum concentum ederent, *In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra.* Et cùm exorarentur à Babylonijs, ut more patrio concinerent, *Illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: & qui abduxerunt nos; Hymnum cantate nobis de canticis Sion*: unanimi proteſtati ſunt conſenſu, ſe non potuiſſe concinere, nec lætari in terrâ ſervitutis, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ* y.

y Pſ. 136. 1. &c.
z Job. 2. 8. &c.

Redactus in cloacam ſanctus Job *z*, cui pro cubili ſternebatur ſtercus, cui ſocij erant vermes, & deliciæ putredo; conſolatio verò & auxilium, injuriæ & improperia propriæ uxoris; de nihilo ſic affligebatur ac de memoriâ illius, quod ipſe fuerat, & quod ipſe habuerat: Ideoq; memoratus temporis, quo amabatur ab uxore *a*, diligebatur à liberis, honorabatur ab exteris, miniſtrabatur ſibi à domeſticis, ſpecioſas ipſe poſſidebat domos, & agros habebat innumeros, nec non ingentem ovium, boum, & camelorum gregem *b*; memoratus igitur eorum omnium, exclamat, *Quis mihi tribuat ut ſim juxta menſes priſtinos, quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei* c?

a Job 1. 2. &c.
b Ibid.

Præſentem quidem experiebatur prodigus afflictionem, videre ſe inter porcos *d*, ſimilem porcis, qui in cœno volutantur; imò inferiorem porcis,

c Job 29. 2.
d Luc. 15. 15. &c.

porcis, cùm deficerent ipſi cibi ſordidi, quibus utuntur ſues: Sed longè majori afflictus fuit afflictione, quando meminit deliciarum & dulcedinum, quibus in domo fuerat perfuſus paternâ; illud enim dolore cor ipſius perculit, lacrymas ex oculis, & verba ex ore ipſius eruit iſta, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!*

Judicate autem, Auditores, ex hoc diſcurſu quantâ affici debebat Abraham afflictione, memoratus bonorum & conſolationum, quibus fuit potitus in ſuavi conſortio dilectiſſimi ſui Iſaac, à quo citò debet ipſe diſſolvi; cùm meminerat gaudij, quo perfuſus fuerat ipſe in nativitate illius *e*, cujus lætitiæ, nomen vel ipſum Iſaac præ ſe fert ſpecimen; cùm reminiſcebatur convivij ſolemnis, quod propinquis ſuis paravit ac vicinis die quo eum ablactavit, & quo uxor ipſius Sara famam recuperavit aliquo modo læſam a ſuſpicantibus, ipſam non fuiſſe veram Iſaac genitricem; oſtendens quòd ſicut Iſaac in viſceribus ſuis novem detulerat ipſa menſibus, ſic eum tunc proprijs lactaret uberibus, ſicut ei jam priùs lac ſuum propinaverat, cùm in memoriam illius veniebant mores graves & honeſti adoleſcentiæ filij hujus, ſapientia illius & obedientia; præſertim verò recordatus promiſſorum ſibi à Deo factorum in grariam ejuſdem Iſaac *f*. Memoria iſtorum omnium ingenti angebat dolore cor Abrahæ, cùm verum ſit non eſſe infortunium ſimile ei, quo quis memoratur ſe aliàs fuiſſe felicem. Memoriam tamen ſuam mortificat Abraham. Et cùm immortificatio memoriæ plurima afferat damna, oblivionem beneficiorum Dei, recordationem injuriarum, diverſas cogitationes & diſtractiones, & vanas imaginationes; ideò mortificanda eſt hæc memoria, ut meminerimus præſentiæ Dei, & beneficiorum ejus, & ut illatarum nobis obliviſcamur injuriarum.

e Gen. 21.2.&c.

f Gen. 15.5.&c.

Quoad mortificandam propriam voluntatem, Chriſtus *g* ad hoc officium nos hortatur obeundum, dicens, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Id eſt, interpretatur Hugo Cardinalis *h*, *Senſum, affectum, & intellectum.* Et ſubjungit: *Chryſoſtomus, Non dixit, neget; ſed abneget: parvâ hâc adjectione multam oſtendens ſuperabundantiam. Vſque ad quantum oportet abnegare ſe? uſque ad mortem exprobrabiliſſimam tollat crucem.* Idipſum nobis perſuadere conatur Salomon *i*, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis.* Mortificanda eſt igitur propria voluntas, ſive ob incommoda & damna, quæ ex eâ ſectanda naſcuntur; ſeu propter emolumenta, quæ ex ejus abnegatione nobis ſunt proventura. *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui* k. Ubi obſervanda ſunt tria, quæ promittit Deus, beneficia ei, qui ſuam ſeriò mortificaverit voluntatem; Primum, Gaudium ſpirituale, *Tunc delectaberis ſuper Domino.* Quæ verba Cornelius *l* ſic interpretatur ex Hebræo: *Quaſi diceret, ſi abſtraxeris te à delicijs carnis, Deus dabit tibi ſuas delicias longè majores, ſcilicet pro carneis dabit ſpirituales, pro temporalibus æternas, pro humanis divinas. Anima enim noſtra delectatione carere nequit, ſed ſi unam non habet, aliam quærit: quocircà Deus ejus affectui naturali indulgens, ſuam ei offert, ſi terrenam reſpuat.* Secundum, Contemptum pollicetur Deus omnium terrenorum, *Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ.* Quod ſic explicat Cornelius, *Quaſi diceret, Si Deum colueris, ſuſtollet te Deus in altum, ut ſcilicet in Deo, & cælo mente fixus, terrena omnia contemnas, ſive proſpera, ſive adverſa; ſive honores ſive contemptus, ſive opes & delitias, ſive paupertatem, atque poſt mortem animâ, ac tandem corpore ipſâ in cælum te transferet.* Tertium, Promittit Deus æternæ poſſeſſionem felicitatis, *Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Quod tandem ita exponit Cornelius: *Quaſi diceret, Dabo tibi inſignia illa bona, quæ promiſi Abrahæ, Iſaac & Iacob, nimirum delicias & divitias gratiæ cæleſtis & virtutum; ac deinde gloriæ & felicitatis æternæ in cælo. Eccleſia enim militans inchoat, & tendit ad triumphantem.*

g Matth. 16.24.

h Hug. Card. in hunc locum.

i Eccli. 18.30.& 31.

k Iſa. 58. 13.& 14.

l Cornel. in hunc locum.

Mortificare ergo debemus propriam voluntatem, intuitu incommodorum, quæ ex ejus naſcuntur praxi, cùm ipſa inficiat omnia bona opera, ita ut ex ijs nullum placere poſſit Deo. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra* m. Idcircò denegandum eſt propriæ voluntati quidquid ipſi placet, nec complacendum eſt ei in ijs quæ ipſa deſiderat, ſed eam in omnibus divinæ expedit conformare voluntati: quia inordinatâ propriâ voluntate, in infinita labetur quilibet vitia, quia *abyſſus abyſſum invocat* n. Id eſt, ut docet S. Gregorius *o*, quoniam *peccatum ſi citius pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.* Ego verò dico ad propoſitum, quòd quando paſſio aut potentia animæ non eſt ordinata, alterius paſſionis ſecum trahit deordinationem; ſicut cùm paſſio deſiderij non dirigitur ratione, & non mortificatur diſcretione, quando non ſubmittitur voluntati Dei, ſed è contrà pertinax efficitur, tunc aliam producit paſſionem ſeu affectionem ſe pejorem, nimirum propriam voluntatem, quæ non eſt aliud niſi deſiderium ardens & pertinax, quod non eſt conforme voluntati Dei, & Superiorum, ut docet S. Bernardus *p*, *Voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non utilitate fratrum, ſed propter nos ipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere proprijs motibus animorum.*

m Iſai. 58.3.

n Pſal. 41.8.

o S. Greg. hom. 11. in Ezech.

p S. Bern. ſerm. 3. Reſurrect. Domini.

Quantùm attinet ad mortificationem paſſionum appetitus tam concupiſcibilis, quàm iraſcibilis; ad eam nos invitat exercendam Apoſtolus *q*, *Fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quæ verba apprimè exponit Dionyſius Carthuſianus *r*, *Id eſt, quamvis aliquo modo obligemur carni, videlicet ut ei neceſſaria subminiſtremus in victu atque veſtitu, non tamen ſic ei obligati ſumus, ut ejus concupiſcentijs acquieſcamus, carnaliterque vivamus. (Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini) morte culpæ in hoc ſæculo, & morte perpetuâ in inferno. (Si autem ſpiritu) id eſt, gratiâ Spiritus ſancti. Vel (Spiritu) id eſt, rationis veſtræ judicio (facta) id eſt, opera (carnis mortificaveritis) id eſt, deſtruxeritis, & abjeceritis tanquam venena, quemadmodum in Eccleſiaſtico* s *præcipitur, Quaſi à facie colubri fuge peccatum. (vivetis) vitâ charitatis & gratiæ in Eccleſiâ militante, vitâ quoque fruitionis & gloriæ in Eccleſiâ triumphante.*

q Rom. 8.12.& 13.

r Dion. Carth. art. 11. in hunc locum.

s ex Eccl. 21.2.

Cùm autem locutus vobis jam fuerim de mor-
tificatione amoris, qui eſt omnium aliarum paſ-
ſionum fermentum; mortificandum eſt odium a-
more, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui ode-*
runt vos: & orate pro perſequentibus & calumnian-
t Matth. 5.44. *tibus vos* t. Hujus veritatem amoris habetis fi-
guratam in David, *Propitius ſit mihi Dominus ne fa-*
ciam hanc rem Domino meo, chriſto Domini, ut mit-
tam manum meam in eum, quia chriſtus Domini eſt.
Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non per
u 1. Reg. 24.7. & 8. *miſit eos ut conſurgerent in Saul* u. Gaudium la-
crymis ſpiritualibus, *Beati qui lugent, quoniam ipſi*
x Matth. 5.5. *conſolabuntur* x. Cujus umbra habetur in Tobia.
Gaudium tibi ſit ſemper: Et ait Tobias. Quale gau-
dium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli
y Tob. 5.12. *non video* y? Dolor gaudio ſpirituali, *Omne gau-*
dium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes va-
z Jacob. 1.2. *rias incideritis* z. Cujus exemplum præbent Apo-
ſtoli, *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu conci-*
lij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contu-
a Act. 5.41. *meliam pati* a. Spes aut præſumptio timore, *Qui*
confidunt in virtute ſuâ, & in multitudine divitia-
b Pſ. 48.7. *rum ſuarum gloriantur* b; ut videmus in S. Petro,
Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo,
c Matth. 26.35. & 70. & poſteà Chriſtum *negavit* c. Timor ſpe aut au-
daciâ, *Expecta Dominum, viriliter age, & con-*
d Pſ. 26.14. *fortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum* d, ut expe-
ctavit Judith, *Exaudi me miſeram deprecantem &*
e Judith 9.17. *de tuâ miſericordiâ præſumentem* e. Deſiderium
f Eccli. 21.4. fugâ, *Quaſi à facie colubri fuge peccata* f, ut *Ioſeph*
relicto in manu Dominæ ſuæ *pallio, fugit, & egreſ-*
g Gen. 39.12. & 13. *ſus eſt foras* g. Ira tandem manſuetudine, *Bea-*
ti mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram h, qua-
h Matth. 5.4. lis erat Moyſes, *Erat enim Moyſes vir mitiſſi-*
i Num. 12.3. *mus ſuper omnes homines qui morabantur in ter-*
râ i.

Mortificationem quinque ſenſuum externo-
k Joſue 10.22. &c. rum exercendam docet nos Scriptura *k*, cùm *præ-*
cipit Ioſue dicens, Aperite os ſpeluncæ, & producite ad
me quinque reges, qui in eâ latitant. Hi quinque
reges ſunt quinque ſenſus exteriores corporis no-
ſtri, qui animæ bellum indicunt, quæ eos expu-
gnare debet ac debellare. Primò aperiendo os
ſpeluncæ, in qua deliteſcunt; ſecundò os eorum
aut collum conterendo; tertiò eos ſuſpenden-
do, aut illis vitam eripiendo: *Et adduxerunt ad eum*
quinque reges. Cùmque adducti eſſent ad eum, ait ad
Principes exercitus, Ite, & ponite pedes ſuper colla
regum iſtorum. Qui cùm perrexiſſent, & ſubje-
ctorum colla pedibus calcarent, percuſſit Ioſue, &
interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipi-
tes. Eos ſenſus mortificare, non eſt crudelitas, ſed
humanitas, non enim ſunt reges, ſed tyranni. Sic-
l Apoc. 19.16. ut igitur unicus eſt nobis *Rex* l, qui ſolus in noſtris
regnare debet animabus, ſic bellum debemus his
indicere regibus, qui dominium noſtrarum in-
tendunt uſurpare animarum, eique mortem in-
ferre. *Hinc Ieremias* m *ait: Aſcendit mors per fe-*
m Jer. 9.21. *neſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. Mors quippe*
per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur, cùm
per ſenſus corporis concupiſcentia veniens habitacu-
n S. Gregor. lib. 21. Mor. c. 2. *lum intrat mentis*, ait S. Gregorius *n*.

S. Hieronymus *o* in illa verba Iſaiæ, *In illâ die*
erunt quinque civitates in terrâ Aegypti, loquentes
o S. Hieron. lib. 7. in Iſa. 19.18. *linguâ Chanaan*, ait: *Quas pleriquo noſtrorum*
quinque ſenſus intelligunt: viſum, auditum, odora-
tum, guſtum, & tactum; has quinque civitates eſ-
ſe quinque ſenſus corporis noſtri, qui ſe dant in
prædam tyranno Pharaoni, & linguâ loquuntur
p Matth. 5.28. Ægyptiacâ. Cùm ergo videmus objectum ali-
quod illicitum, & illud concupiſcimus *p*, tunc *vi-*
ſus noſter loquitur linguâ Aegyptiâ. Cùm liben-
ter audimus murmurationes, & detractiones,
contra id, *Non ſuſcipies vocem mendacij* q, tunc q Exod. 23.1.
auditus noſter loquitur linguâ Aegyptiâ. Cùm
ſuaves inquirimus odores *r*, tunc *odoratus noſter* r Amos 6.6.
loquitur linguâ Aegyptiâ. Cùm abundantiam ci-
borum, & vini delicias inveſtigamus, ſic ut de no-
bis dici poſſit, *Quorum Deus venter eſt s*, tunc *gu-* s Philipp. 3.19.
ſtus noſter loquitur linguâ Aegyptiâ. Quando deli-
cijs corporis diffluimus, & concupiſcentiæ car-
nis blandimur, contra id, *Bonum eſt homini mulie-*
rem non tangere t, tunc *tactus noſter loquitur linguâ* t 1. Cor. 7.1.
Aegyptiâ. Si autem è contra oculos noſtros in cœ-
lum extulerimus, *Ad te levavi oculos meos, qui habi-*
tas in cœlis u, nec eos terræ alligaverimus, *Aver-* u Pſ. 122.1.
te oculos meos ne videant vanitatem x, more Sem x Pſ. 118.37.
& Japhet, quorum *facies averſæ erant* y; tunc *o-*
culus noſter & viſus loquitur linguâ Chananitide. Si y Gen. 9.23.
aures noſtras circumciderimus, & audierimus vo-
cem Domini dicentis interiùs, *Qui habet aures*
audiendi, audiat z; aut exteriorem Prælatorum z Luc. 8.8.
ſermonem, & ſurdi fuerimus ad injurias exemplo
Chriſti, *qui cùm malediceretur, non maledicebat,*
cùm pateretur, non comminabatur a; ſicut neque a 1. Petr. 2.23.
David maledictus a Semei *b*: *auditus noſter loqui-* b 2. Reg. 16.10.
tur linguâ Chananitide. Si curramus cum Sponsâ
in odorem unguentorum c bonorum exemplorum, c Cant. 1.3.
quæ nobis relicta ſunt: *Si Chriſti bonus odor ſumus*
Deo, in is qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt d, tunc d 2. Cor. 2.15.
noſter *odoratus loquitur linguâ Chananitide*, maxi-
mè autem ſi eum mortificemus putredine Job *e*; e Job 17.14.
& ſterquilinio, cui inſidebat *f* exempli noſtri er- f Job 2.7.
go. Cum delitias deguſtamus ſpirituales, quibus
perfruuntur Juſti in exercitio virtutis, *Guſtate, &*
videte quoniam ſuavis eſt Dominus g; Et eſurimus g Pſ. 33.9.
panem vivum cœli *h*, non autem panem morti- h Joan. 6.51.
ferum creaturarum; Guſtumque noſtrum je-
junio humiliamus, inſtar Davidis dicentis, *Humi-*
liabam in jejunio animam meam i, & Danielis i Pſ. 34.13.
Malaſar alloquentis, *Dentur nobis legumina ad ve-*
ſcendum, & aqua ad bibendum k: noſter *guſtus ſta-* k Dan. 1.12.
tim loquitur linguâ Chananitide. Quando noſtrum
caſtigamus *corpus, & in ſervitutem* l redigimus ſpi- l 1. Cor. 9.27.
ritus, ut faciebat Apoſtolus, & ante eum Prophe- m Pſ. 34.13.
tam, *Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar*
cilicio: & propoſitum nobis exemplar imitamur
SS. Franciſci & Benedicti, qui ſe in nivibus volu-
tabant, & in ſpinis, ut ardorem extinguerent con-
cupiſcentiæ, tunc noſter *tactus ſpiritualis eſt*, con-
cludit S. Hieronymus, *& manus noſtra contrectave-*
runt de Verbo vitæ n. Verbum tandem ſilentio n 1 Joan. 1.1.
mortificandum eſt, ut agebat David *o*, *Obmutui, &* o Pſ. 38.3.
humiliatus ſum, & ſilui à bonis.

His omnibus mortificandis conducit id quod
ait S. Paulus *p*, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſer-* p Rom. 6.19.
vire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita
nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſancti-
ficationem. Duplices ſunt nobis hoſtes debellan-
di, ait Origenes *q*, viſibiles & inviſibiles. *Diximus* q Orig. hom. 11. in cap. 9. Joſue.
eſſe duplicem Chriſtianorum pugnam. Perfectis qui-
dem & talibus qualis erat Paulus & Epheſij, ſicut ipſe r ex Ephel. 6.12.
Paulus r *dicit, non erat pugna adversùs carnem &*
ſanguinem, ſed adversùs Principatus & Poteſtates,
adversùs mundi hujus rectores tenebrarum harum,
& ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Inferioribus ve-
rò & nondum perfectis pugna adhuc adversùs carnem
& ſanguinem geritur, qui adhuc carnalibus vitijs
& fragilitatibus impugnantur. Hoſtes viſibiles
ſunt caro & ſanguis, & quinque ſenſus corporis;
inviſibiles verò ſunt dæmones, ut interpretatur
utrumque Origenes: debellandi ſunt iſti; & illi
mor-

mortificandi, ſeu ſacrificandi Deo gladio mortificationis, & igne ſacro dilectiotus, ſi velimus ut ipſe ſuam nobis in hoc mundo impertiatur gratiam, & in altero gloriam ſempiternam.

FERIA IV. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

Cùmque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi, G.n.22.7. &c.

AMor eſt prima & præcipua paſſionum humanarum, & violentiſſimus omnium, quos mortalium cordibus infuderit Deus, affectus. Id obſervatur præſertim in perſonâ parentum, qui diligendorum & fovendorum ſpeciali ducuntur affectu liberorum, ita ut ij qui huic paſſioni limites non noverunt præſcribere, nec eam rectâ ratione moderari, in notabiles labantur exceſſus, mortem perſæpè molientes æternam ijs, quibus vitam largiti fuerant temporaneam; in hoc ſimiles ſimiæ, quæ nimio amplexu ſuos enecat fœtus. Sicut primum mobile inter cœlos, motus ſui violentiâ ſphæras trahit inferiores; & velut rota horologij præcipua minoribus rotis motum imprimit, eaſque ad menſuram ſuam facit incedere; ita inordinatus amor parentum nimio ductorum affectu erga ſuos liberos, reliquos ipſorum ſecum trahit affectus, & omnes curas, ſolicitudines, & labores.

Perpendite quonam pacto artiſex aliquis nocte & die operi incumbat ſuo, quomodo ſuis ſubtrahat quietem oculis, & ſuo refectionem ori; & ſui negligat ſanitatem corporis, imò verò & animæ ſalutem adducat in periculum jacturæ, ut panem lucretur ac bona alendis liberis ſuis eroganda. Amor patris, quem characteribus intimo ipſius cordi impreſſit natura indelebilibus, illuc ipſum attrahit veluti ad ſuum centrum, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcunque feror* a. Mementote amoris, quo David ducebatur erga filium ſuum Abſolom *b*, etiamſi priùs rebellem *c*: Affectus Jacob intuitu Joſeph *d*, & Beniamin *e*. Sed exemplum inveniri ne poteſt magis authenticum, ad probationem hujus veritatis, amore Abraham? Nullum exiſtimo majori patrem proſecutum fuiſſe filium ſuum affectu, quàm ſuum dilexerit hic Patriarcha Iſaac, quem in ſuâ ſuſceperat ſenectute, & veluti præ miraculo *f*, lacrymis, precibus, ac votis *g*; qui naturâ ſuâ erat amabilis, mitis, obediens, & virtute præditus in converſatione æquè ac in moribus, quique tam paternæ pietatis erat imago, quàm hæreditati Abrahæ ſubrogandus erat ſucceſſor.

a S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.
b 2. Reg. 18. 32.
c 2. Reg. 15. 10. &c.
d Gen. 37. 3.
e Gen. 43. 14.
f Gen. 21. 2. &c.
g Gen. 15. 2. &c.

Re verâ ſermo quo *tentavit Deus* ſolidam Abrahæ fidem, & conſtantem illius amorem, oſtendit eum ſuum filium, non ſecus ac ſuorum pupillam oculorum, dilexiſſe veluti ſenectutis ſuæ fulcrum, & ſicut vitæ ſuæ conſolationem, ſeu ut propriam vitam, *Tolle filium tuum.* Hoc nomen filij, eſt verbum amabile, relativuum ad nomen patris, derivatum à Græco φίλος, quo innuitur, amicus. *Tolle*, ergo hunc *filium*, deinde *tuum*, qui eſt portio tui ipſius, ſubſtantia tua, caro tua, & os ex oſſibus tuis: *unigenitum* quod verbum magis extollit amorem ardentem, quo ſuum proſequebatur Abraham filium. Re autem ſanâ quotieſcunque violentum repræſentat Scriptura *h* amorem, eum ſub amore filij delineat unigeniti. *Quem diligis*, non ait Deus, Quem amas, cùm è ſolâ emanet amor naturâ, dilectio verò ad gratiam referatur etiam; & amor in malam æquè ac in bonam uſurpari valeat partem, cùm dilectio ſemper in bonam. Hunc tandem *Iſaac*, qui eſt riſus domus tuæ, & tuæ ſpes ſenectutis, & tædiorum tuorum ſublevator. Et tamen, res miranda! proponit ſibi ſanctus hic Patriarcha propter amorem Dei, quem novit eſſe unicum, & ut ſic unicè, ſupremo modo, & ex toto corde diligendum, vim ſuperare paſſionis hujus naturalis, amorem intelligo, eumque ſacrificare cum filio ſuo, imò verò eum conſumere holocauſto ſuper eodem altari, nobis exemplum præbens mortificandi ob amorem Dei unici, & unicè & ex toto corde diligendi, omnis illius, quod diligimus extra Deum, quin imò ut illud perimamus, & conſumamus igne dilectionis ſacro; ſicut eodem dilectionis igne ſuum proprium conſumpſit amorem Virgo Deipara, reſpondens, *Ecce ancilla Domini* i, cùm diceretur ei, *Ave Maria.*

h Jer. 6. 26. & Zach. 12. 10.
i Luc. 1. 38.

Non eſt diffitendum ſubminiſtrari nobis anſam mirandi, ob quam rationem Romani, qui promiſcuè & indiſcriminatim populorum, quos ditioni ſuæ ſubjecerant, Deos recipiebant, numquam tamen admittere voluerunt Deum Hebræorum, quos ſubjugaverunt. Deos omnes aliarum reverebantur nationum; ſed nullam unquam exhibere voluerunt reverentiam Deo Iſraël, nec inter ſuas ei aliquo modo præbere locum divinitates. Iſtis omnibus templum conſtructum eſt, ut ſub eodem tecto omnes continerentur, puta Pantheon alias Romanorum falſorum omnium officina numinum; ſed die hodiernâ ſanctitatis domicilium, cùm dedicatum ſit illud Sanctis omnibus, imò & Reginæ Sanctorum omnium, Dei veri & unici toto corde adorandi, Genitrici.

Miſeranda ergo penitùs erat cæcitas Romanorum, qui de cætero populi erant ſic induſtrij, ita ſagaces ac politici, & tamen ita cæci juxta electionem & multitudinem ſuarum divinitatum, quarum magnus numerus, ipſarum ſatis demonſtrabat impotentiam, cùm plures requirerentur ad peragendum id, quod virtus unius ſolius non potuiſſet perficere. Diviſio eſt cauſa impotentiæ, ſicut unitas eſt vera & genuina fortitudinis nota. Suas multiplicantes Romani Divinitates, earum proculdubio manifeſtabant infirmitates. Et veluti ſi unus ſolus ex Dijs ipſorum efficere non potuiſſet ut granum in terram projectum germinaret, creſceret, in conſummatam perveniret maturitatem, & in horreo repoſitum, ibi conſervaretur; plures admittebant illi Deos, qui hæc omnia munia vere divinæ ipſorum magnitudini conſona curare ſatagerent: Vnum, qui granum in terram projectum foveret; Alium, qui illud faceret germinare; Alium, qui illi incrementum præberet; Vnum Deum, qui calamum curaret; Vnum, qui ſpicam concinnaret; Vnum, qui granum ad maturitatem perduceret; Vnum, qui illud in hor-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

reo cuſtodiret reconditum; Vnum deum tandem pro ſolicitandis ſingulis hujus generis munijs. Quæ ineptia? Auditores, quanta cæcitas virorum, quorum præclara facinora ſpecioſiſſimam texunt hiſtoriam? Quaſi verò unicus non ſufficeret Deus his omnibus adimplendis officijs, & eorum ad infinitum uſque multiplicandus eſſet numerus. In deducendis ſingulorum officijs nimis prolixus eſſem; qui curioſi fuerint ea ſingula perſcrutari, legant S. Auguſtinum *k*. Vobis eorum naturam enarrare, idem foret ac vobis eorum probare nullitatem, ut vulgò dicitur, *Multitudo Deorum, nullitas Deorum*. Sed tot Deos habeant Romani, quot voluerint: Sua cæpe & porra venerentur Ægyptij, unicum reveretur Abraham Deum, cujus amori poſtponit amorem filij ſui, quem intendit ei ſacrificare; nec nos niſi unum habemus Deum, qui eſt unicus & verus Deus, *Vnus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus* l. Et iſte eſt Deus unicus, quem poſtpoſito amore filij ſui, unicè & ex toto corde diligit Abraham ſacrificaturus ei ſuum Iſaac. Quod inducit me ut oſtendam vobis Primò unicum eſſe tantùm Deum. Secundò hunc Deum unicè, & ex toto corde diligendum eſſe.

k S. Aug. lib. 7. Civit. c. 6.
l Epheſ. 4. 5. & 6.

Diviſio.

I. Pars.

Vnicus eſt Deus, & plures admittere, idem eſt, ac nullum confiteri, cùm eorum pluralitas & nullitas res ſit eadem, nec atheus, qui nullum admittit, majoris ſit conſcius criminis, quam impius qui plures recipit, cùm ambo ejuſdem participes ſint criminis; cùm idem ſit delictum, nullum admittere Deum, aut plures adorare. Impius eſt veluti materia prima, quæ nullam habet formam, cùm plures appetat: Sic nullum habet ille Deum, eò quòd plures velit, qui Deus eſſe non poſſunt, cùm ſit *multitudo Deorum, nullitas Deorum*. Vnus eſt ſolus Deus per eſſentiam, non unitate mathematicâ, quia illa non eſt unitas independens, quippe quæ cùm ſit principium numeri, omne ſuum eſſe habet a materia: Non unitate creaturæ, quæ eſt corruptioni obnoxia: Sed unitate metaphyſicâ, unitate independenti, quæ materiæ non communicat, & omnis expers eſt corruptionis. Ipſe eſt *Solus* m; Ipſe eſt unicus, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt* n.

m Deut. 32. 39.
n Deut. 6. 4.

S. Thomas *o* per tria probat principia unitatem Dei. Primò, Quia ipſe eſt ſimplex, & ideò expers partium, & omnis compoſitionis, unus purus actus, *Spiritus eſt Deus* p. Secundò, Quia ipſe eſt infinitus *q* in ſuis perfectionibus, quæ nullos habent limites, quibus terminentur, continens unitate eſſentiæ ſuæ quidquid eſt pulchrum & perfectum in creaturis. Ideò ſummo nuncupatur *perfectus r* modo; quia eminenter continet in ſe quidquid invenitur perfecti in naturâ, nedum aliquid ei deſit eorum, quæ ipſa poſſidet, cùm effectus nihil habeat in ſe eximium, quod non magnificè in causâ ipſius reperiatur efficienti; quod ſanè non foret, ſi plures eſſent Dij, cùm unus illorum ſæpè potiretur aliquâ re, cujus alius pateretur privationem, quod re verâ eſſet impotentiæ illius nota, quippe qui cùm omnibus non eſſet prædictus perfectionibus, ſuſtineret indigentiam, quæ penitus eſt oppoſita theſauris inexhauſtis, & divitijs infinitis Divinitatis. Philoſophi autem antiqui hàc veritate convicti, principium admittentes infinitum, unicum tantùm confitebantur; quod idem erat ac unitatem Dei unius ac ſolius admittere. Tertium principium, quo utitur S. Thomas ad probandam Dei unitatem, eſt unitas mundi; licèt enim mundus è pluribus & varijs ſit compoſitus partibus, quæ ex ſeipſis innumeras cauſarent deordinationes; hoc tamen non obſtat quin in ijs pulcherrimum deprehendamus ordinem, & Intelligentiam, quæ noſtros ſtupore percellit animos, cum entia inferiora ſubjiciantur ſuperioribus; quod eſſe non poſſet, ſi aliquis non afferret ordinem inter tantam partium diverſitatem, ordinem tamen qui ex unico promanat & ſolo, qui eſt Deus, qui ex ſeipſo illius ſola cauſa eſt *s*. Plures autem non poſſunt eſſe cauſa ejuſdem rei, niſi per accidens, *Quia per ſe unum unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſa unius niſi per accidens*, ait S. Thomas. Unicus eſt ergo Deus, & plures admittere, idem planè crimen eſt in materiâ religionis, ac nullum confiteri. Holofernes autem volens aliàs admittere Deum Judith cum ſuo, ſcilicet Nabuchodonoſor, dicens ei, *Si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus* t, oſtendebat ſe nullum habuiſſe Deum. Ita verum eſt eos qui plures habent Deos, quàm unum, nullum habere, illiſque idem dico, quod annuntiabat Chriſtus Samaritanæ allegantі, *Non habeo virum. Benè dixiſti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt tuus vir* u. Sic Athei nullum habent Deum, quia nimis habent Deorum, cùm multitudo Deorum ſit cauſa totalis exitij ipſorum; & plures expetentes Deos, nullum habent. Nullum habentes Deum, æquo liberiùs in omnia impingunt patranda crimina, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* x. Sed quid ex hoc deteſtabili oritur principio, niſi pernicioſorum ſequela effectuum? *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis*. Ex hoc damnationis oſtio omne genus egreditur peccati. Nullus eſt Deus; Nec ulla ampliùs virtus in mundo, neque ſanctitas. *Non eſt Deus*: Nihil eſt ampliùs præter impuritatem, & ſordes, *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis*, unuſquiſque bonum proximi ſuffurari cogitat, quia *non eſt Deus*, qui patrata mulctet crimina; nihil eſt videre ampliùs præter oppreſſiones, nullus eſt qui malo non ſatagat incumbere, & qui virtutis, aut boni vacet exercitio, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Nulla ampliùs eſt virtus, cùm nullus ſit Deus, qui ei mercedem impertiatur debitam. Ubicunque invenire eſt crimina, quia *non eſt Deus*, qui de ijs vindictam referat. *Non eſt Deus*; nullus ampliùs timor inferni, nec flammarum ejus; nulla ampliùs cogitatio judicij extremi, nec ullus terror ex minis illius conceptus. *Non eſt Deus*; Nulla ampliùs ſpes paradiſi, nulla ampliùs gloria, nullæ ampliùs deliciæ alterius vitæ. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequàm marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrùm exors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors* y. Ecce infortunia quæ accidunt, cùm quis non credit Deum.

o S. Tho. 1. p. q. 9. a. 3. in concl.
p Joan. 4. 24.
q Baruch. 3. 25.
r Matth. 5. 48.
s Gen. 1. 1. &c.
t Judith. 3. 2. 2.
u Joan. 4. 17. & 18.
x Pſ. 13. 1.
y Sap. 2. 6. &c.

Occidit quis fidem Divinitatis, & ſtatim cæco labitur in omnia perpetranda ſcelera impetu. Id videre poſſumus in Cain, quem jure merito potiùs vocare poſſemus fideicidam, quàm fratricidam *z*, Statim enim ac Divinam hanc lampadem in corde noſtro extinximus, quid reſtat nobis quàm ut in omnium incedamus tenebris criminum? *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt*, ait Tertullianus *a*. Hoc eſt caligine offun-

z Gen. 4. 8.
a Tert. Apolog. c. 17.

Digitized by Google

effundere omnia lumina, & contraire directè proprias notitias, quas ipſius nobis imprimit natura ab ipſis vel incunabulis, cum in omnibus eventibus nobis accidentibus ad Deum recurrimus, & illius imploramus auxilium. Deus auxiliare mihi. Unicum & ſolum agnoſcimus. Si autem è noſtris reſurgimus lapſibus & infirmitatibus, illicò dicimus, Priſtinam mihi Deus reſtituit ſanitatem; Teſtem invocamus Deum; Adſit mihi Deus, niſi id ira ſit, Deus videt, Deus ſcit. *Vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus pravis circumſcripta, licèt libidinibus & concupiſcentijs evigorata, licèt falſis Dijs exancillata, cùm tamen reſipiſcit, ut ex crapulâ, & ex ſomno, ut ex aliquâ valetudine, & ſanitatem ſuam patitur, Deum nominat. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* Nonne ipſa eſt natura, quæ ſenſibilibus ſuis errores Atheorum convincere vult demonſtrationibus? *Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, ſed ad cælum reſpicit*, proſequitur idem Tertullianus; *Novit enim ſedem Dei vivi* b: *ab illo, & inde deſcendit.* Quando autem terra tremit, & nos deglutire minitatur; cùm aër eſt totus ignitus, & fulguribus diſſectus, quando tonitrua noſtras obtundunt aures; cùm mare intumeſcit, & fluctibus ſuis ac turbinibus in morem montium inſurgentibus, totum demergere videtur orbem; quando ſuam deſerere videtur ignis ſphæram, ut nos in cineres redigat, ſicut combuſſit alias civitates infames c; ad illa non recurrimus elementa, ut eorum imploremus clementiam, aut ut illorum retundamus furorem, quaſi verò ipſa aliquæ forent divinitates, quæ noſtras exigerent reverentias, ſed ad Deum ſolum *qui habitat in cælis* d; qui ijs perſæpè utitur elementis veluti tot ſatellitibus & miniſtris, quorum adminiculo de noſtris vindictam referat criminibus & rebellionibus, *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum* e. Re enim verà volens Deus ſe ulciſci de Ægyptijs, qui Deorum admittebant pluralitatem, & veluti numina agnoſcebant elementa, ignem, aërem, aquam, & terram, ijſdem utitur elementis veluti tot inſtrumentis, quibus illorum puniat crimina. Aer ſubminiſtravit *fulgura tonitrua*, & fulmina f. Aqua ad producendas concurrit *ranas* g: Terra *ſciniphes* emiſit h: & ignis tonitrua accendit, è quibus educeret fulgura, quæ in impia Atheorum vibraret capita, ut edoceret eos, nullam fuiſſe divinitatem in elementis, ſed quòd unicus Deus omnigenas ipſorum mereretur reverentias.

b ex Matthæ. 16. 16.
c Gen. 19. 24. & 25.
d Pſ. 2. 4.
e Sap. 5. 18.
f Exod. 9. 23.
g Exod. 8. 6. & 8.
h Exod. 8. 17.

Deplorandus erat ſanè error antiquorum Idololatrarum circa multitudinem & mutationem Deorum ipſorum. Quale infortunium! Quod Dij qui exiſtimabantur aliàs à Paganis creaſſe homines, ab ijs fabricarentur hominibus, & ab ijſdem mutarentur juxta beneplacitum, ut illorum loco ſubſtituerentur alij, ob modicam ab ijs ſibi denegatam gratiam. Sed heu! Quotnam his Paganis inveniuntur ſimiles inter Chriſtianos? Quotnam eſt deprehendere inter Eccleſiæ Catholicæ filios, qui urgente neceſſitate pollicentur mirabilia? Si lecto alligati decumbunt infirmitate, vota ſua ad cœlum dirigunt, ut ad priſtinam revocentur ſanitatem; ſi litibus infeſtentur, ſubſidium ejus inclamant; ſi aliquod negotium grave tractandum habeant, auxilium ejus expetunt. Obtinueruntne id quod intendebant? Non ampliùs Dei meminerunt. Sua inquirebant commoda, ſanitatem, emolumentum, & non Deum, ideòque eum mutant, quando illius auxilium non videtur ipſis amplius proficuum. Non eſt hoc habere Deum, ac eum mutare ad placitum. Hoc eſt Deum deridere, ac eum ſic excipere.

Videns Deus quòd homines, qui ſuiipſius *obliti ſunt qui ſalvavit eos* i, vellent alios Deos admittere, tentati à diabolo, qui primus Atheus fuit, *Eritis ſicut Dij* k; veluti pœnitentiâ ducitur quòd illos fecerit, *Pœnitet me feciſſe eos* l. Et ſuum tanto proſecutus eſt honorem zelo, *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* m: Sicque ſategit ne admitterent homines Deorum pluralitatem ex apparentijs, quæ formandæ hujus multiplicitatis eis occaſionem ſubminiſtrare potuiſſent, ut voluerit hominem reddere finitum, poſtquam conſtituit eum operum ſuorum principem n, ſeque ita liberalem erga eum exhibuit, ut videatur nihil oblitus eorum, quæ proprijs illius inſervire poterant oblectamentis æquè ac commodis. Ipſe quippe eſt mundi miraculum, ſumma mirabilium ejus, & illius omnis quod in eo eſt intueri exquiſitiſſimum; perfectio operum illius; quem ſuper omnes creaturas elevavit ſublunares, quibus uteretur veluti ſcalis, per quas meliùs ad ſuum pertingeret Creatorem, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ait David o. Et veluti ſtupore percitus, intuitu magnitudinis ejus, exclamat, *Quid eſt homo quòd memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominùs ab Angelis, gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Suum veluti Vicarium conſtituit eum in terrâ, ſuam communicans illi potentiam; Habet enim eſſe cum lapidibus, vitam cum plantis, ſenſum cum brutis, & intelligentiam cum Angelis, ita ut in ſe omnium aliarum contineat perfectiones creaturarum.

i Pſ. 105. 21.
k Gen. 3. 5.
l Gen. 6. 7.
m Iſa. 42. 8.
n Gen. 1. 27. &c.
o Pſ. 8. 5. &c.

Depingendum ſategit aliàs quidam hominem in imagine, ſuper quâ collocandas juſſit negationes, ſubtus verò delineanda præcepit hæc verba, *Homo nihil eſt; ſi minimum addas, maximus erit.* Ex ſeſe *homo nihil eſt*, ipſa negatio eſt. *Quid eſt homo quòd memor es ejus?* Homo nihil eſt niſi vanitas, *Homo vanitati ſimilis* p. Ipſe *vapor eſt ad modicum parens* q. Umbra pertranſiens, *Dies ejus ſicut umbra prætereunt* r. Purum nihil, negatio arithmetica, cui ſi antè addas unitatem, ex illâ unione numerus fiet denarius. Homo ex ſe nihil eſt: Sed quantumvis parum ei adjeceris, multum eſt, elevatur ſupra id omne quod eſt creatum in naturâ. Ad Angelos approximat in gratiâ; ad ipſam uſque ſe protendit Divinitatem in gloriâ.

p Pſ. 143. 4.
q Jacob. 4. 15.
r Pſ. 143. 4.

Si autem Moyſes hiſtoriam enarrans creationis mundi, tacet productionem Angelorum, iſtud non ſubticet ſine causâ. Profectò enim ſi de ſpiritualibus iſtis fuiſſet locutus Intelligentijs, homines idololatriæ dediti, Angelos reveriti fuiſſent ut Divinitates. Moyſes igitur de ijs non loquitur; ut omnem auferat erroris anſam in materiâ ſic gravi religionis, & ut nos confirmaret ſemper in iſtâ fide, unum eſſe ſolum Deum, & hunc Deum qui eſt unicus, unicè & ex toto corde eſſe amandum, & debere totum cor noſtrum poſſidere.

II. Pars.

Productus fuit homo poſt creationem aliorum omnium entium, ut veniens in mundum, eum reperiret omnibus inſtructum ornamentis neceſſarijs ad ſui conſervationem, & ad excipiendam ſuam magnitudinem, cùm in eum ingrederetur ut Princeps & Dominus, in eoque ſedem ſuam

col-

collocaturus eſſet. Creatus igitur homo,& collocatus in mundo ut in palatio ſuo, ſuum circumquaq; projecit intuitum, ut videret ubinam ſuum collocaret amorem. Cœlos intuetur, eoſque videt ab aſtris occupatos, a planetis, Saturno, Marte, Jove, Venere, Mercurio, Lunâ, & Sole; eos non judicat amori ſuo ſuſcipiendo idoneos. Ignem reſpicit, & deprehendit eum fœdus pepegiſſe cum Salamandrâ; & cùm amor ſit reciprocus, ſuum jam igni cor conſecraverat iſtud animal. Aërem conſiderat, eumque invenit ab avibus incoli. Mare ſcrutatur, & in eo piſces reperit. Terram pervadit, & reperit quòd belluæ eam occupent. Omnia invenit repleta. Unicum intuetur ſinum & cor Dei, hanc abyſſum infinitam magnitudinis t, unde ipſe repleri poſſit, cùm vellet Deus ipſum inducere ut eò denuò ingrederetur per amorem, unde exierat per gratiam. Propter hanc, ut opinor, rationem Dei Filius voluit ut *unus militum lanceâ latus* u ſibi aperiret, quò ad ſuum cor, liberum homines haberent acceſſum, & in eo omnes ſuos affectus collocarent. Deus igitur ut maximè *perfectus* x, & ſolus *omne bonum* y ſummum, debet amari ſolus, & propter ſe immediatè: & ſicut ipſe eſt *unus* z, ita & unicè *ex toto corde* a eſt diligendus. Illud ipſe efflagitat, nec illi poſſimus illud renuere ſine rebellione, & quin inobedientiæ efficiamur conſcij. Deus eſt unicum hominis elementum; eſt illius centrum, in quo cor illius, quod ipſe poſtulat b, duntaxat reperire poteſt quietem c; cùm alibi non inveniat niſi inquietudines, contradictiones, & bella. Non eſt in proprio loco, ideò ei bellum indicunt elementa, ut oſtendant ei ipſum eſſe extraneum, & ad ſuum debere tendere locum. Ipſum jugiter creaturæ perſequuntur in terrâ: Tigrides, leones, urſi minitantur ei mortem. In aquis crocodili, & alij ſerpentes venenati conantur ei nocere. Aër continuis affligit ipſum morbis, ac ſi dicerent homini: Recipe te in elementum tuum, quod eſt Deus; neque poſſeſſionem elementorum civibus ipſorum eripere præſumito. Ideò dicebat David, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* d.

t Baruch. 3. 25.
u Joan. 19. 34.
x Matth. 5. 48.
y Exod. 33. 19.
z Deut. 6. 4.
a Matth. 22. 37.
b Prov. 23. 26.
c Pſ. 16. 15.
d Pſ. 72. 26.

Sed infelix nihil minùs agit quàm iſtud, nempe diligere Deum ſuum. Suos alligat affectus, cui? Terræ ineptijs quæ incapaces ſunt quæ ipſi ſatisfaciant. *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis* †, *cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt* e. Solus Deus replere poteſt capacitatem cordis illius, quælibet alia res ad hoc eſt inſufficiens. Cor humanum eſt triangulare; nulla figura rotunda poteſt illud replere; mundus qui globum conſtituit cum ijs omnibus quæ in ipſo continentur, non poteſt ſic ejus replere capacitatem, ut in eo non ſuperſit vacuum, ideò ad illud replendum requiritur triangulum Divinitatis. Nam *capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit* f.

† ex Gen. 9. 6.
e S. Bern. in declamat. circa med.
f Idem Ibid.

Obſervate autem, ſi placet, quòd *Deus zelotes* g ita eſt, ut totum velit habere cor. Zelus eſt ſpecies febris, quæ motu ſuo oſtendit hominem adhuc vivere. Hunc effectum cauſat zelotypia, & nihil aliud eſt niſi nimius amor, quo aliquid proſequimur, ita ut nollemus ut ullus alius præter nos eo potiretur. Deus igitur zelotypiâ ducitur erga cor humanum, nec pati poteſt ut aliud amemus præter ipſum: nullum ſufferre valet rivalem: totum flagitat, aut nihil vult. Idolum Baal non poteſt cum illo ſubſiſtere, quin imò illud in cineres redigit h Deus. Et ſicut ipſe eſt ſolus, ſolus vult etiam cor, cum ſolus ipſe poſſit illud replere capacitate ſuâ, & ideò pati non poteſt ut ſuum dividatur imperium. *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat* i, Et ideò totum requirit & expoſcit cor, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* k. Præſentandum eſt Deo in holocauſtum, ut conſumatur totum igne amoris divini, ut facit Abraham, præferendo amorem Dei amori filij ſui, quem ei eſt immolaturus.

g Exod. 20. 5.
h Judic. 6. 25. &c.
i S. Aug. lib. 1 Conf. c. 29.
k Marc. 12. 30. & Matth. 22. 37. & Luc. 10. 27. & Deut. 6. 5.

Solus eſt Deus qui noſtros meretur affectus, ipſeque ſolus noſtrum poſſidere debet cor penitus, quod eſt eorundem origo affectuum. Parentes, non imitamini vos Abraham, qui totum cor ſuum Deo conſecrat, in immolando filio ſuo, ejuſque amorem amori Dei poſtponendo; cùm per ſæpè liberos veſtros magis ametis, quam diligatis Deum. Deus iraſcitur, *eum zelotes* eſt, eos vobis eripit, voſque privat eo, quod magis amatis. Non eſt ritè ordinatus amor veſter, in eo eſt exceſſus, qui non reperitur ſine crimine. Deus vocat aliquem è liberis veſtris ad religionem, ad obſequium ſuum, quod ſanè magnus eſt vobis honos; alterum verò in mundo ſtatuit relinquere; illum velletis penes vos retinere; illum verò non vocatum proponitis Divino ſervitio mancipare. Heu! interturbatis vos ordinem Divinæ prædeſtinationis. Ambos ſervare volebat Deus, unum manendo in ſeculo, alterum verò ſerviendo ſibi in clauſtro, & vos hunc ordinem mutatis. Heu! infelices vos eſtis, qui amborum ruinam molimini, eò quòd nimis eos ametis. Sed amor damnabilis iſte eſt, cùm eorum privet vos fruitione; amor criminoſus, cùm profliget id, quod Deus ſalvare ſtatuerat. *Auferte Deos alienos de medio veſtri* p. Eos ut idola colebatis, in diſpendium amoris, quo Deum proſequi tenemini, *Et inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael*, & ideò eos vobis Deus morte eripit importunâ. Deus totum requirit veſtrum cor, & ſicut *Deus zelotes* eſt, ita nec ejus pati poteſt diviſionem. David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* q, ab eodem Domino favorem expoſcit. *Proba me Domine, & tenta me* r. *Vide ſi via iniquitatis in me eſt* s. Si ſit in me creatura aliqua, quædam Bethſabee quæ mihi cor eripiat t. Trevetus vertit ex Hebræo, *Viam inobedientiæ*, apud Lorinum u. Qui ſubdit, *Et hanc eſſe viam idololatriæ, quæ, inquit, valdè oneroſa eſt in ſervitijs, & doloſa in promiſſis, & iniqua in licentiâ criminum, & inobediens contra Dei præceptum.*

p Joſue 24. 23.
q 1. Reg. 13. 14.
r Pſ. 25. 2.
s Pſ. 134. 24.
t 2. Reg. 11. 2.
u Lorin. in Pſal. 134. 24.

Imitemur, Auditores, hunc ſanctum Regem, dicamus Deo more illius, *Vide ſi via iniquitatis in me eſt*, ſi ſit in me aliquod peccatum, quod me tuâ indignum efficiat gratiâ, quod me à Sacramentis tuis amoveat. *Vide ſi* ſit aliquis amor nimius erga terrena, qui impediat ne ſatisfaciam x ijs, quibus nocui, ſive in bonis, ſive in famâ, ſive alio quolibet modo; & præ miſericordiâ tuâ ab eo me eximere dignare, ut totum cor meum tibi ſit conſecratum, cùm totum illud tibi flagites immolandum. Ideò, Auditores, nunquam voluerunt Romani agnoſcere Deum Hebræorum, quia noluit Deus. Ab illis adorari noluit Deus, quia ſua jam dedicaverant falſis divinitatibus ſuis corda. Illa non erant integra, idcircò Deus ea tenuit. *Deus zelotes* eſt, nullum pati poteſt rivalem, diligi vult ſolus unicè & ex toto corde, cum ſolus mereatur totum cor noſtrum, & omnes affectus noſtros.

x Luc. 19. 8.

S. Catharina Senenſis aliquando ab extaſi reverſa, intentâ voce inclamavit: Utinam vires præ me ferrem ſupra ſexum meum. At quid faceres? Quid facerem? reſpondit illa, Auferrem ego omnem gloriam cœli, omnem pulchritudinem paradi-

radiſi, & univerſas beati illius domicilij delicias. Sednunquid non ſacrilegium foret inauditum, auferre gloriam cœli, decorem paradiſi, & empyrei delicias? Etiam, ea omnia auferrem, ut Deus, qui eſt ſolus amabilis, & ſummè amabilis, non ampliùs diligeretur niſi propter ſeipſum, non autem propter ipſius gloriam. Faxit Deus ut in me forent vires ultra ſtatus mei conditionem. Et quare? Ha! auferrem totum infernum, omnes pœnas ejus, omnia tormenta, & univerſos ignes ejus. Ha! omnes demerem diabolos, qui ſunt animarum divexatores. Et quare? Ne præ timore amaretur Deus, qui meretur diligi propter ſeipſum, & ob adorandas ipſius perfectiones. Utinam plus haberem virium, quàm ſint in me. Sed quid ageres? Ab hoc avaro avellerem theſauros, in quibus ſuum collocavit cor *y*, ut illud Deo conſecraret, cùm ſolus illud mereatur cor Deus. [y Matth. 6.21.] Utinam pollerem viribus Samſonis *z*. [z Judic. 14.6.] Verùm ad quid forent illæ tibi proficuæ? Concubinam eriperem huic impudico, & fortaſſe ſuos deinde collocaret affectus in Deo, qui eorum legitimum eſſe debet objectum.

[a Pſ. 4. 3.] *Filij hominum uſquequò gravi corde* a, Heu peccatores uſque nunc fuiſtis veluti columbæ ſeductæ, non habentes cor, *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor* b. [b Oſe. 7. 11.] Nullum habetis cor, quod Deo immoletis, & conſumatis igne dilectionis ſacro; illud jam dedicaſtis impuritatibus, & creaturis. Ha! *Deus zelotes* expectat vos, vos ad reditum invitat, ipſique fiet ſatis, ſi veſtrorum pœniteat vos peccatorum. A vobis duntaxat requirit, ut veſtra diſſolvatis corda ab inquinamentis, & ut illa ſibi offeratis; ſi autem ſint illa immunda, purificabit illa idem Deus. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum* c. [c Ezech. 36.25. & 26.] Si corda veſtra ſint profana, ſanctificaturus eſt eadem Deus, *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus* d. [d Jer. 3.1.] Diligite eum *ex toto corde* veſtro, cùm ſolus ſit ſummè amabilis. Auferte omnia, quæ hunc amorem impedire poſſent, obſtacula. Imitemur, Auditores, Magdalenam, quæ quærens Dominum, & obvium habens Angelum, & agnoſcens illum non fuiſſe Dominum ſuum, *converſa eſt retrorſum* e. [e Joan. 20.14.] Vertamus dorſum ad omne illud, quod non eſt Deus, aut quod non ducit nos ad Deum. Nihil amemus niſi Deum, nihil inquiramus præter Deum. Noſtrum cor poſſideat Deus ſolus. Illud ipſe vult, illud efflagitat, *Præbe fili mi, cor tuum mihi* f. [f Prov. 23.26.] In hoc tota ſita eſt noſtra felicitas, & gloria, putà in diligendo Deo, qui eſt objectum amabiliſſimum omnium, quæ reperiri queant in cœlo, aut in terrâ. Illud eſt ſanè maximum omnium, ad quæ aſpirare poſſumus in hoc mundo, nempe diligere Deum. Hoc eſt glorioſiſſimum Sanctorum in cœlo Empyreo officium *g*. [g Joan. 17.3.]

Quàm eximius eſt favor iſte! Satis erat Deo ut permitteret nobis vilibus creaturis, ut diligeremus ipſum, nedum id præciperet, & ad obeundum tale officium ſub minis horrendis *h* nos compelleret. [h 1. Cor. 16.22.] Diligamus eum igitur, Auditores, ſed diligamus eum *ex toto corde* noſtro. Amemus eum ſolum, cùm ipſe ſit ſolus Deus, & dicamus, Deus noſter, diligimus te *ex omnibus viribus i* noſtris, [i Luc. 10. 27.] diligimus te ex omnibus potentiis animæ noſtræ. Quòd ſi hæc non ſufficiant, ardentiores accende flammas in cordibus noſtris, ita ut mutentur penitus in ardores ſanctæ dilectionis & amoris ſacri, ut poſtquam cœperimus in hoc ſeculo diligere te *ex toto corde* noſtro per gratiam, poſſimus jugiter te amare in altero per gloriam ſempiternam.

FERIA V. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Geneſ. 22. 9. &c.

AMor, quo ſuos proſequuntur parentes liberos, eſt paſſio violenta, ut jam oſtendi vobis. Sed fatendum eſt, amorem, quo erga ſuas afficiuntur avari divitias, majorem ſine comparatione eſſe paſſionem. Et licèt Abraham eximius fuerit vir, videtur tamen, tantiſper hâc avaritiæ paſſione fuiſſe eum affectum. Cùm vocat eum Deus è regno Chaldæorum, eique præcipit ut in terram veniat Chanaan; eumque invitat ut illum idololatriæ locum deſerat, ut terram incultam veniat ſanctam, quæ benedicenda ſit domicilio ipſius, ſuæque poſteritatis *a*: Statim mercedem efflagitat, & ſcire intendit quid daturus ſit ſibi Deus. [a Gen. 12.1. &c. & Act. 7.2. &c.] Res inaudita! Deus ait huic Patriarchæ: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Et is etiam queritur, & poſtulat, *Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis* b. [b Gen. 15.1. & 2.] Super quæ Lipomanus ait: *Multa quidem & magna mihi promittis; maximum autem bonorum in hoc ſeculo ſine quo aliqua non ſunt jucunda, mihi non das, filium ſcilicet de meo ſemine meæ rum rerum hæredem, & fidei.*

Præterea, Cùm oſtendit ipſi Deus extenſionem terræ Chanaan, & pollicetur ipſi, quòd ipſe, & poſteri ipſius eſſent eam poſſeſſuri abſolutè, hujus promiſſionis certitudinem efflagitat, & promiſſionem iſtius doni. *Domine Deus unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam?* Tandem queritur Deo, quòd nondum filios tradiderit ſibi legitimos, qui bonorum ſucceſſores futuri ſunt ſuorum, *Mihi non dediſti ſemen*; & quòd ipſe ſit compellendus, licèt invitus, bonorum ſuorum æquè ac laborum ſervum ſuum Eliezer hæredem inſtituere, *Et ecce vernaculus meus, hæres meus erit.* Nunquid non videntur vobis hæc omnia avaritiæ notæ, ſicut & ſigna affectus immodici erga terrena bona? Verum quidem eſt. Sed immoderatum iſtum affectum erga divitias ſacrificat hodie Abraham in perſonâ filij ſui, quem pergit immolatum: ſicut ſuam ſacrificavit voluntatem Virgo Deipara, conſentiens Angelo, *Ecce ancilla Domini* c, cùm dixiſſet ipſi, *Ave Maria.* [c Luc. 1. 38.]

Propoſitionem enunciat Propheta, quæ primo intuitu paradoxum præ ſe videtur ferre, quâ mundum terram nuncupat deſertam, viarum expertem, & fontibus deſtitutam; *In terrâ deſertâ & inviâ, & inaquoſâ* d. [d Pſ. 62. 3.] Quis enim neſciat mundum ſic numeroſas & populoſas ſuas habere partes, ut eæ, quæ ſemper ſunt glacie conſtrictæ, & nivibus opertæ, & illæ, quas ſuis excoquit immoderatis Sol ardoribus, homines producant? Nulla eſt regio quæ ſuos non habeat incolas. Omnes zonæ habent corpora, quæ conformantur cœlo, ſub quo nata ſunt ipſa. Aer autem vel ardentiſſimus pulmones invenit, qui ipſum reſpirent. Non deficiunt

in orbe itinera;ubique enim inveniuntur viæ commercijs ineundis inter extraneos facilè accommodæ. In illo innumeræ ſcaturiunt aquarum origines,nec noſtra tot habent venas corpora,quibus transferant ſanguinem ad partes,quæ eo indiguerint ad ſui conſervationem; quot mare ſubterraneos habet canales , per quos aquæ, quæ noſtris opportunè medentur ſterilitatibus,noſtris ſecretò diſtribuuntur uſibus. Poſt hæc quomodo fieri poteſt ut mundus vaſtum ſit deſertum, in quo ſit aliquis,cui viæ deficiant,& aquæ ? Ecce exponitur Propheta. In mundo nemo eſt intuitu noſtri,cùm nullus ibi ſit qui verè noſtras conſolari poſſit afflictiones,& noſtras demulcere pœnas. Nullas eſt ibi invenire vias,in eo enim ſic ſimus intricati , ut inde exire nequeamus ſine ordine præſcribẽdo nobis à Deo, & quẽ patienter expectare debemus. Nullas habemus aquas,cùm æſtuemus jugiter,nec noſtros extinguere poſſimus ardores; nec nobis favor conceditur , qui Reis non denegatur extremo ſopplicio perimendis , quibus ſumendus ſubminiſtratur potus. Quidquid nobis impertiri poteſt mundus,noſtram auget ſitim. Divitiæ quæ maximè animos ſibi conciliant, quoſq; maximo proſequuntur homines affectu , noſtra devincire ſibi intendunt ſplendore ſuo corda. Eas proponit intellectus voluntati,ut velut idola colat ; & ſicut ipſa eſt cæca,ita facilè perſuadetur ab eo,quod ipſi arridet,fidem præbens ſeductori,quaſi verò annunciaretur ipſi veritas. Quòd igitur aggrediar ego proponere vobis contemptum illius , quod homines veluti divinitates reverentur, & cui ſupremas ſoli Deo debitas *e* exhibent adorationes,hoc eſt profectò tempus terere , & ultrò conciliare mihi inimicitiam illorum, quibus intenderem contradicere, illorum vituperando affectus,quos ipſi rectæ rationi autumant conſonos. Quodnam eſt in hoc mundo,cui inhietur magis , quàm divitijs ? Credit ſe quis beatum , ſi illarum eſt adeptus poſſeſſionem, ***Beatum dixerunt populum , cui hæc ſunt*** f. E contrà verò miſerum ſe eſſe ille exiſtimat, qui ſe deſtitutum intuetur hoc metallo ſplendenti , quod proſperam conſtituit illorum fortunam,qui illud poſſident. Attamen mihi non videor errare,ſi perſuadere vobis contendam contemptum illius , quod ſacrificavit Deo Abraham in perſonâ filij ſui, quẽ pergit immolatum,ratus divitias ſpernendas,cùm non valeant implere cor humanum , nec ſint permanentes,ſed tranſitoriæ. Et hoc eſt quod propoſui oſtendere vobis, Primò, Divitias eſſe contemnendas , cùm non poſſint integrè nobis ſatisfacere. Secundò,Illas præterire, cùm non ſint permanentes.

e Exod. 20.3.& 4.

f Pſ.143. 15.

Diviſio.

Dico igitur bona temporanea,divitias terræ,& fortunæ commoda,noſtro penitùs ſatisfacere non poſſe deſiderio , neq; vaſtam affectuum noſtrorum replere extenſionem. Et ratio iſtius eſt, Quia hæc omnia cum noſtrâ convenientiam non habent animâ,quæ ijs paſci vellet, nec ullam illorum naturæ inire aliquo modo poſſint adinvicem ſocietatem & communionem. Hanc veritatem,quæ infallibilis eſt,depromo ex experientiâ , quæ docet nos,animal non poſſe nutriri , minùs autem ſubſiſtere alimento ſubſtantiæ,ipſi omninò oppoſitæ;& alimentum, quod nullam habet proportionẽ cum ſtomacho,in quo ipſum recipitur,illi venenum eſſe lethale.Si autem ſumma *Sapientia g* nutrire nos voluit præ exceſſu bonitatis ſuæ , oportuit ut ſe cibum *h* effecerit noſtris conſentaneum infirmitatibus. Quomodo igitur ſatiare nos poſſent bona temporanea ? cùm a noſtrâ ſic diſtent naturâ. Illa quidem nos poſſunt inflare: At tumor non eſt valetudo ; neq; ſanè poteſt quis dicere hydropicum eſſe ſanum , cujus corium tenſum præ abundantiâ humoris,cui eſt immerſus,repræſentat adipem hominis benè valentis; neque quòd habeat aquas ad deſiderium & ad delicias uſque,licèt ijs immodicè exuberet.

I. Pars.

g Sap.7. 24.

h Joan.6 56.

Expoſcite à divite , num forte ſuâ ipſe ſit contentus. Pro certo habeo reſponſurum illum, quòd non. Interrogate David,ſi ipſi ſit ſatis , è paſtore factum fuiſſe Regem,&ex humili conditione aſcendiſſe ſuper thronum Iſraël *i*. Et dicet quòd omnes theſauri & univerſæ deſiderabiles divitiæ ſuis non poſſint ſatisfacere deſiderijs,***Qui replet in bonis deſiderium tuum*** k, loquens de Deo intuitu animę ſuę, & quòd ipſe ſolus Deus ejuſdem animę ſuę vaſtas replere valeat extenſiones,& immenſas potentiarum illius capacitates,***Satiabor,cùm apparuerit gloria tua*** l. Similis eſt hominis animus oculo,cui lumen omnium non ſatisfacit colorum:& auri,quæ ſuaviſſimum poſt melos, novos adhuc inquirit ſonos,& hâc oſtendit aviditate,quòd illud,quod ipſi maximè ſatisfacit,ipſam maximè deſerit indigentem : ***Non ſaturatur oculus viſu , nec auris auditu impletur*** m. Ægyptij autem dicebant,ignem fuiſſe elementum guloſum,quia modico tempore devorato oblato ſibi pabulo,famelicum remanet, ſicut anteà. Ejuſdem farinæ eſt cor noſtrum,quidquid enim poteſt illi mundus offerre , illud non explet. Sic eſt, Auditores,nimis eſt palpabilis hęc veritas, nedum in controverſiam adducatur diſcutienda , nec ullum exiſtimo qui poſſit illi contradicere. Temporaneorum fruitio bonorum faſtidium parit,& divitiarum uſus tædium generat,& ijs applicate poſſemus,niſi Divinis injuriam inferre vereremur Oraculis, id quod Spiritus ſanctus eloquitur de Sapientiâ increatâ.***Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me,adhuc ſitient*** n. Nunquid non autem verum eſt,quòd inter divitiarum poſſeſſiones remanent homines eſurientes , & ſitientes ? & quòd earumdem fruitio non allevians,magis illorum acuat cupiditatem , qui eas poſſident ? & quòd tota eorum ſubſtantia temporalis ijs deſerviat tantùm ut majori vexentur egeſtate ?

i 2. Reg. 16.13.

k Pſ.102. 5.

l Pſ.16. 15.

m Eccl. 1.8.

n Eccli. 24.29.

Aſſerit Propheta divites veluti alios Midas medias inter divitias & ingentes auri acervos perire fame,eoſq; pauperes & egenos repræſentat nobis, dum illos proponit nobis numeroſis redundantes theſauris,***Divites eguerunt,& eſurierunt*** o. Admittenda videtur diſcrepantia in verbis Pſalmiſtæ. Si enim ſunt divites, quomodo ergo eguerunt ? & ſi ***eſurierunt***,& malâ fame pereunt,quaſnam poſſunt habere divitias ? Doctor Incognitus *p* hunc explicans Verſum , huic veritati ac difficultati diem ac lucem conciliat: ***Divitiarum enim abundantia mentem avari non ſatiat,ſed anguſtat in præſenti,& in futuro.*** Divitiæ illorum non poſſunt eis ſatietatem inducere. Ipſi ſibi ipſis ſunt avari, quod efficit ut ſuis non utantur bonis, quibus ſuis neceſſaria provideant neceſſitatibus. Ipſi famelici remanent,& novis ſemper inhiant divitijs deglutiendis , ***Nec eſt ſatiatus venter ejus*** q. Nunquam contenti ſunt avari. ***Egent ergo divites,*** concludit S. Auguſtinus *r*. Conſtat igitur,bona terrena ſuis plenè ſatisfacere non poſſe poſſeſſoribus.

o Pſ.33. 11.

p Incogn. in Pſ.33. 11.

q Job.20 20.

r S. Aug. in Pſ. 33. 11.conc. 2.

Decipitur avarus,ſi autumet bona hujus mundi ipſum ſatiare poſſe. Quantùmlibet eorum acervum ſibi congreget , fateri cogitur invitus,ſe ſemper indigere medias inter opulentias. Fame perit theſauris inhiando;& appetitus inſatiabilis voluntatis ipſius ad novas aſpirando acquiſitiones , licèt

poſſi-

poſſidendo omne quod creaturæ poſſunt ipſi dare, ſatis oſtendit hominem non effici poſſe penitùs felicem niſi Divinarum fruitione rerum. Ita verum eſt S. Auguſtini effatum, quod divites mundani ſunt indeſinenter famelici, *Egent ergo divites*. Si autem hujus veritatis ſcire velitis rationem. Ecce in promptu eſt. Cùm divitiæ ſint vanæ, imò verò ipſa vanitas; vanitas autem & vacuum ſint una eademque res, & vacuum, locum non poſſit aliquem replere; inde ſequitur, quòd cùm omnes divitiæ mundanæ ſint vacuæ, replere non poſſint animæ noſtræ capacitatem. Et, ſicut quotidianâ comprobamus experientiâ, quò plus avari bonorum congregant, eò majori ducuntur comparandorum ſibi eorumdem cupiditate: animæ illorum remanent ſemper vacuæ, nec unquam ſatiari poſſunt, *Avarus non implebitur pecuniâ s*.

s Eccl. 5. 9.

Satietatem pollicentur divitiæ; ſed ſola paupertas, id eſt, divitiarum contemptus, eam largiri poteſt, *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono* t. Hæc eſt conſequentia Prophetæ deducta ex illo antecedente, *Divites eguerunt, & eſurierunt*. Avarus nullo ſatiari poteſt modo, ut dixit Salomon, cum pauperi omnia ſubminiſtrentur neceſſaria, *Pauperes ejus ſaturabo panibus* u. Beatitudinem promittunt divitiæ, *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* x. Et tamen illæ nihil niſi æternum præbent ſupplicium, *Væ ei qui multiplicat non ſua* y. *Væ vobis divitibus* z. E contrà ſi paupertas felicitatem promittat, eam re verâ impertitur, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* a. Pauperes beati ſunt in hoc mundo, & felices erunt in altero. Si autem paupertas cum divitiis altercaretur, jure merito poſſet iſtis illa dicere, quòd iſtæ divitiæ doloſè mortales decipiant, promittentes eis quod nunquam poterunt illis concedere, ornantes ſe attributis & privilegijs paupertatis; quòd polliceantur quietem, cùm tamen quies, ipſius ſit productio paupertatis, ut ait Salomon hujus rei veritatem expertus, *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat: Saturitas autem divitis non ſinit eum dormire* b.

t Pſ. 33. 11.
u Pſ. 131. 15.
x Pſ. 143. 15.
y Habac. 2. 6.
z Luc. 6. 24.
a Matth. 5. 3.
b Eccl. 5. 11.

Verùm enim verò ſanæ conſonum eſt rationi ut paupertas ad æternas pandat iter divitias, & ut divitiæ temporaneæ ad perpetuam ducant ſuos poſſeſſores paupertatem, eo planè modo quo forma prope ſe jugiter habet privationem inimicam, & forma ſuccedit privationi; & ſicut præcipitia ſuccedunt altitudinibus. Sic diviti *dixit Abraham, Fili, recordare quia recepiſti bona in vitâ tuâ, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris* c. Hæc veritas declarata fuit Regi Nabuchodonoſor in ſtatuâ illâ miraculoſâ, cujus *caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis* d. Heu quantùm differunt principium vitæ divitis & ejus finis! Videtur aurum pluere ſuper domum ejus, quòd ipſe natet in argento, quòd æs laudum ipſius circumquaque reſonet, quandiu eſt ipſe in vivis, *donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos*. Id eſt, pes divitis tactus lapide cadente ſine auxilio, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* e, efficit ut dives in terram convertatur, pauper efficiatur, & cùm duxerit *in bonis dies ſuos, in puncto ad inferna* f *deſcendat*, ſicut ſtatuæ illius *tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam*. Pauperes è contrà qui principia habent infirma, & ſunt veluti pes fictilis & ferreus, ab omnibus calcati, & innumeris exagitati laboribus, opus efficientur eximium adveniente horâ mortis, & ſicut aurum purum in cœlo fulgebunt, quod partim oſtenſum fuit Patriarchæ Joſeph in undecim manipulis; & Sole, Lunâ, & ſtellis, quæ *manipulum* ipſius, & ipſum videbantur *adorare* in viſione ipſi exhibitâ g.

c Luc. 16. 25.
d Dan. 2. 32. &c.
e Sap. 1. 13.
f Job 21. 13.
g Gen. 37. 7. & 9.

Filij hominum uſquequò h claudetis oculos huic veritati? Uſquequò veſtris complacebitis vobis in tenebris? Uſquequò ſequemini vanitates quæ nihil habent ſolidum? Uſquequò decipi vos ſinetis apparenti ſplendore metalli, cujus ſpecies efficit idololatras, nec tamen illos conſtituit felices: *Filij hominum* creati *propter* i cœlum, *ut quid diligitis vanitatem* k? cur veſtros alligatis affectus terrenis rebus, quæ indignæ ſunt ut eas veſtro proſequamini amore? Cur complacetis vobis in rebus, quæ vobis libertatem eripiunt? Quare veſtrarum amatis motivum miſeriarum, & veſtrorum cauſas tædiorum? cùm ſacra Scriptura aſſerat quòd ab Aquilone iſto malum ſit hominibus proventurum, *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ* l. Cùm inde extrahatur aurum, ut obſervat Job, *Ab Aquilone aurum venit* m.

h Pſ. 4. 3.
i Prov. 16. 4.
k Pſ. 4. 3.
l Jer. 1. 14.
m Job 37. 22.

Turpiter eſt hallucinari ac polliceri ſibi aliud præter curas & tormenta ex divitiarum poſſeſſione: avarus autem fateri compellitur ſe ſupplicia ſibi comparaſſe, bonorum volendo ſibi coacervare cumulum, quorũ poſſeſſio ipſum efficiat miſerum. Conſiderate, ſi placet, hunc avarum, de quo loquitur Filius Dei n, Neſcit quid ipſe ſit acturus. Nimis arcta videntur ipſi horrea ſua, quia terra abundanter ſubminiſtravit illi frumenta, & influentiæ cœli, quæ ipſum ſterilitate mulctare debebant, ſpei ipſius arriſerunt; ideò ampliora ſibi proponit ea efficere. Sola audiuntur erumpere ex ore ipſius hæc verba miſeris omnibus communia, *Quid faciam*? præ inquietudine quâ premitur, intuitu novæ iſtius affluentiæ, quæ ipſum ad anguſtias redigit. Heu! Quis iſtius non miſereretur infelicis? Abundantia eum opprimit, & villæ illius, quæ bonis ſunt onuſtæ, ut immenſis ejus ſatisfaciant deſideriis, non tot afferunt ei grana, quot curas & ſolicitudines. Lacrymæ ſunt maximi illius redditus, & præcipuæ ejus meſſes dolores ac faſtidia. *Quid faciam*? Hæc ipſa eſt vox miſeri neſcientis ubinam ſit inventurus quod ipſe inquirit, ac concupiſcit, quæque eum ad deſperationis diſponit ſubeundas anguſtias. Quod permittit Deus ut oſtendat, quòd divitiæ poſſeſſores ſuos felices non efficiant.

n Luc. 12. 16. &c.

Filij hominum uſquequò veſtris complacebitis vobis in ſupplicijs? Uſquequò veſtra adorabitis vincula? Filij hominum intelligentiâ præditi æquè ac ratione, qui dicitis Deo, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* o, nunquid in veſtris ſemper involuti permanebitis erroribus? Oportetne ut in dubium revocetis contemptum divitiarum à vobis peragendum? Decebitne ut Ethnicus fideles edoceat? Loquere Alexander proſperæ Fortunæ alumne chariſſime, & hominum maxime: ad noſtrorum, diſcurſum prome, avarorum confuſionem, quippe qui divitias colunt non ſecus ac falſa numina. Videns aliquando eximius iſte Monarcha, quòd egenus Philoſophus Diogenes in ſuâ gauderet penuriâ, rideret ac jocaretur, quandiu ipſe laboribus, curis ac ſolicitudinibus varijs circumquaque angeretur, in gemitus erupit ac ſuſpiria; & ad ſe reverſus, & interiorem in mente ſuâ ſecum revolvens hunc ſermonem, dixit; Alexander, niſi tu eſ-

o Pſ. 4. 7.

ſes Magnus Alexander, propter hanc rationem tu fores pauper Diogenes. Quis poſſet, Auditores, meliùs loqui de amplitudine & magnificentiâ divitiarum, quàm Magnus Alexander? Et tamen iſte qui à nullo ſupetari potuit niſi à ſeipſo, qui eſt magnitudo Solis cœlorum limitibus concluſa, qui eſt gloria quæ utrumque replet polum, qui eſt fortunæ chariſſimus, & à Dijs maximè dilectus, jus cedit voluptatis, ſelicitatis, & oblectamenti Philoſopho totius orbis pauperrimo. Infidelis erat Alexander, & ecce quonam pacto ratiocinetur ille de divitijs, quas tanti æſtimant Chriſtiani, quaſque tanto proſequuntur ardore ac affectu, poſtquam eas contempſerunt omnes homines ſolâ morali virtute prædit; & poſt decretum reprobationis earum editum ab eo qui eſt ipſa *Veritas* p, cùm ait: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terrâ* q. Divitiæ noſtris ſatisſacere non poſſunt deſiderijs, quin imò ea augent jugiter,

p Joan. 14.6.
q Matth. 6.19.

Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit.

Ipſæ ſint inconſtantes & tranſitoriæ; hoc ſupereſt videndum, ut vobis contemptum illarum perſuadeam.

II. Pars. Si natura inconſtantiæ in eo eſt ſita, ut nunquam aut rarò in eodem permaneat ſtatu, ut chamæleon, qui tot varios induit colores, quot diverſa inveniuntur objecta, quæ ei ſe exhibent obvia; quis eſt qui non videat veram illius imaginem eſſe divitias? cùm vix ipſæ contineri valeant, quin è manibus effugiant, nihil habentes conſtantius propriâ inconſtantiâ & mutabilitate, & vix unquam diu eædem perſeverent, ita ut earum poſſeſſores ſuſpectam illarum habere debeant fidelitatem: & licèt contineantur illæ in arcis, & clavibus obſerentur, ſua dirumpent illæ vincula, ut ſuam inquirant libertatem, & in aliorum manus labantur Dominorum, quorum ſervitus fortaſſis non eſt ipſis ſic gravis futura. Videte id, quod vobis annuncio, in praxim redactum in ſeculo; & admiramini talem hodiernâ die opulentum & prædivitem, qui futurus eſt ita miſer craſtinâ, ut forſan deſtituendus ſit pane neceſſario, quo ſuam ſoletur famem. Hæc eſt natura divitiarum ut ſint fugaces. Nulla eſt ſecuritas in earum firmitate. Earum timenda eſt inconſtrantia.

Si fortuna volet fies de Conſule Rhetor:
Si velit hæc eadem, fies de Rhetore Conſul.

Dicitur argentum vivum effici poſſe fixum, ſed moneta, aut pecunia ſignata in fluxu eſt continuo. Quò magis premitur nummus percuſſus, eò magis è digitis elabitur more anguillæ. Nec ideò ſine causâ & abſque myſterio pecunijs ſignatis figura præbetur rotunda. Illi enim qui primi illis hanc formam ſtatuerunt impertiri rotundam, quæ eſt omnium inconſtantiſſima, innuere volebant, nihil eſſe in orbe quod minus præ ſe ferat ſtabilitatis, nec quod currat ita leviter. Aſſimilantur divitiæ tempori, quod ſemper elabitur. Intuentes autem eas in continuo fluxu, qui nobis eas eripit, judicare ferè poſſemus earum eſſentiam inter illas collocari naturas, quas Philoſophi nuncupant Succeſſivas, quia nunquam ſimul ſunt illarum partes, & quòd eo ipſo quo una ſe exhibet intuendam, evaneſcit illico altera prævia, & illa quæ ſequitur, ipſam etiam fugat ſubitò, ut in locum illius ſubſtituatur: ita ut definiri nequeant hæc entia imperfecta, quæ neceſſariam ad nihilum invehunt relationem, quò ſingulis properant momentis, niſi per privationem ſuam, & per defectum ſuum.

Si divitiæ nobis non ſunt utiles ac proficuæ, niſi in quantùm noſtris uſibus ac neceſſitatibus ſunt accommodæ: & ſi verum eſt nos earum jacturas perpeti continuas; quia uſus qui ad noſtrum conſumit eas emolumentum, aut oblectamentum, illas è noſtris jugiter aufert manibus; eruenda eſt conſequentia infallibilis in ſanâ Philoſophiâ, earum fruitionem relationem habere veluti eſſentialem ad ipſarum privationem & defectum; nec illas eſſe bonum, niſi in quantùm poteſt is, qui eas penes ſe habet, iis ſe deſtituere, ut illarum commercio ſibi provideat neceſſaria. Ex iſtâ autem divitiarum inſtabilitate magnarum oriuntur ruinæ familiarum, & caſus particularium domorum, quæ poſt poſſeſſas primas Regni alicujus dignitates, ex hâc eminenti paulatim deſcendunt magnitudine, & in extremas tandem ſe deſpiciunt redactos paupertatis & indigentiæ anguſtias. Excelſiſſimas quaſque diebus omnibus admiramur conditiones infelicitate percuſſas inſperatâ; & infortunijs inopinatis, & quæ nemo unquam fuiſſet veritus, deturbatas. Viſi ſunt ſuper theatro patibulari illi, qui ſe fortunæ & vitæ aliorum effecerant arbitros; probroſum exhibentes ſpectaculum populo, cui jam fuerant ipſi objectum admirationis, & veluti adorationis. Ita verum eſt omnes mundi felicitates, fortunas, benè eſſe, divitias præ ſe ferre inconſtantiam, nec diu unquam in eodem permanere poſſe ſtatu.

Re enim verâ talis potitur hodie bonorum opulentiâ, & divitiarum affluentiâ tantâ, ut quid de ijs ſit acturus prorſus ignoret, & manus inquirat egenas, inter quas illis ſe exoneret, qui citò cum prodigo r curam gerendorum ſuſcipiet porcorum; & manum compelletur protendere ut eleemoſynam ſibi deprecetur erogandam, more miſeri Principis Beliſarij, qui *à prætereuntibus ſtipem emend cavit*: illud *identidem repetens, Da obolum Beliſario, viator, quem invidia, non culpa cæcavit*; cùm priùs fuiſſet *ſtrenuus belli Dux, & in hoſtibus perdomandis feliciſſimus*, ait Calepinus s. Elevationes maximæ non ſunt ſecuræ contra fortunæ adverſæ inſultus. Summi Pontifices evadunt aliquando ſervi; & Alexander III. refertur coquinæ curandæ vacaſſe in quodam Conventu Veneto, declinans à perſecutione Imperatoris Federici, qui Barba Rufa nuncupabatur. Imò verò ipſi Reges in captivitatis rediguntur anguſtias. À nobis ſeſe elongant honores. Divitiæ, in quibus partim noſtram conſtituimus ſpem, nos produnt, cùm nos deſerunt minimè de ipſarum cogitantes infidelitate, & paupertati nos exponunt ſufferendæ.

r Luc. 15. 15.
s Calepin. diction. Verb. Beliſar.

Quid expectatis mortales poſt hæc, ut ex his vos extricetis laqueis, qui crudeli vos irretitos detinent captivitate? Cur ita fortiter veſtram alligatis ſpem divitijs, quæ veſtræ cauſam efficiunt idololatriæ in hoc mundo, ut ſint veſtrorum cauſa tormentorum in altero? Nonne ſcitis verum eſſe id, quod Chriſtus eſt elocutus? *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum* t. Videte quàm periculoſus ſit earum uſus, cùm impediat, ne ij qui illas poſſident, ſuam operentur ſalutem, neve cœlum ingrediantur niſi præ miraculo, id eſt, difficillimè. *Agite nunc divites, plorate, ululantes in miſerijs veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum*

t Matth. 19.24.

rum

Digitized by Google

rum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus u. Mortales autem huic præbete tonitruo, aperite oculos huic veritati. Cavete ne ſplendor hujus metalli, quod non eſt aliud niſi terra flava & cocta, decipiat vos. Diſcite divitias potiùs pandere viam ad infernum, quam ad cœlum, & magis idoneas eſſe conficiendo præcipitio, è quo deſcendat quis in abyſſos, ubi animæ reprobatæ *ignem æternum* perpetiuntur; quàm fabricandæ ſcalæ, per quam aſcendant homines ad beatitudinem, & ad *paratum regnum à conſtitutione mundi* x electis & animabus prædeſtinatis.

u Jacob. 5. 2. &c.

x Matth. 25. 41. & 34.

Ne dubitetis amplius de divitiarum inconſtantiâ. Alienis ſapientes efficimini impenſis. Cavete ne ſpes veſtra fundamento innitatur labili. Tradidit ne vobis Deus bona? Utimini ijs ut decet, negotiamini ea utiliter, illis cœlum emite, pauperes erunt mercatores qui vobis illud vendent, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* y. Vili vobis illud præbebunt pretio, unico panis fruſtulo, uno aquæ calice, exiguâ vel eleemoſynâ, urgente neceſſitate, erogatâ z, Deus ſuam fidem alligat, ſe agnoſciturum id omne, quod in nomine ipſius, & propter Divinum amorem præſtiteritis. Pauperes ſunt ipſius miniſtri; ſi detis eis terram, illi dabunt vobis cœlum. Si exiguum vos illis denegetis, illi vobis renuent plurimum. Collocate aliquid bonorum veſtrorum in manibus eorum, eiſque committite, & poſt hæc nolite vereri, ne vobis veſtra pereant bona. Deus ſe vadem illorum conſtituit, & cautam eorum præſtabit cauſam. In hoc eſt Deus admirabilis occurſu, cùm regnum cœlorum in manibus conſtituit pauperum, ut oſtendat deſiderium quo ducitur, præbendi illud omnibus; & ut omnibus illud emendi inſpiret deſiderium. Qua gemma quæ eſt in divitis manibus mercatoris, qui eam non vendit præ neceſſitate, non emitur niſi juſto pretio; cùm pauper neceſſitate coactus, pro nihilo vendat eam, more galli gallinacei qui pro hordei manipulo pretioſam projicit margaritam. Quam prædives magarita *eſt regnum cœlorum* a! Quam opulenti ſunt Angeli, qui eam poſſident! & ſi deberent eam emere, emptori accideret id quod dicitur, *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſua pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam* b. Ille derideretur ab incolis gloriæ, qui cœleſtem beatitudinem pretio vellet emere terreno; ſed cùm illud penes ſe habeant pauperes, omnibus illud poſſunt impertiri. Ideò ait Salomon, *Da, & accipe, & juſtifica animam tuam* c. Quaſi diceret, Libenti eroga eleemoſynam animo, & pro certo habeto, quòd loco panis quem es erogaturus, gloriam ſis recepturus æternam.

y Matth. 5. 3.

z Matth. 25. 35. &c.

a Matth. 13. 45. & 46.

b Cant. 8. 7.

c Eccli. 14. 16.

Videtur mihi pauper apprimè aſſimilandus ſpeculo, cui ſtatim ac proteoditur manus panem offerens, in eo inſpicitur manus altera eundem panem præ gratiarum actione retribuens. Ideò dixit Eccleſiaſticus d, *Secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Ne autem ſtupore corripiaris, intuitus te tetendiſſe manum plenam, & eam retuliſſe vacuam, ſtatim ſubdit, *Da, & accipe.* Quaſi diceret, Ne verearis tua diſtribuere pauperi bona. Pro certo enim tenere debes, te ea erogare ſpeculo vivo, quod tibi eodem retribuit tempore quidquid ipſi obtuleris. Quòd autem pauperes ſimiles ſint ſpeculo, omnibus eſt manifeſtum, *Nos verò gloriam Domini ſpeculantes; id eſt, quaſi in ſpeculo intuentes*, exponit Cornelius ex Græco, *In eandem imaginem transformamur* e; *Quaſi diceret*, interpretatur Cornelius f; *Cùm Dei gloriam in Chriſto, ejuſque Evangelio, quaſi in ſpeculo intuemur, per hoc quaſi in eandem Dei gloriam transformamur, eamque in nobis repræſentamus. Speculum ergo hoc & ſpeculatio, cauſa eſt repræſentationis, non autem ipſa repræſentatio.* Quænam autem iſta exiſtimatis eſſe ſpecula? Ea ſunt, ut opinor, cœleſti formata artificio; cùm enim aliquis erogat ipſis panem, ſtatim ipſa, ſicut ſunt in nucleonem adamantinum migrantia, infinitos referunt & repræſentant panes cœleſti ornatos lumine; id eſt, non ſatis ipſis videtur retribuere panem aut denarium ſibi oblatum; ſed ipſa efficiunt ut manus miſericors, quæ illum præbet, centum pro uno recipiat, eoſque æternaliter poſſideat. Ne autem quis autumet iſtud oriri ex abuſu cogitationis humanæ falsâ imaginatione delusæ, hanc veritatem certam Deus ipſe proclamat, & verbum illius eſt infallibile g, *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit* h.

d Eccli. 14. 15.

e 2. Cor. 3. 18.

f Cornel. in hunc locum.

g Matth. 24. 35. & Marc. 13. 31.

h Matth. 19. 29.

Sed non vulgaris proponitur quæſtio, Utrùm ſatius ſit dare, quam accipere. Recipiendo poſſidet quis id, quod non habebat: Dando verò oſtendit aliquis potentiam, & magnificentiam ſuam. Recipere enim ſupponit impotentiam, cùm dare poteſtatem magnificet. Recipere includit dependentiam, cùm ſubſidio dantis indigeat. Concludit S. Paulus, *Beatius eſt magis dare, quàm accipere* i. Et profectò ille qui recipit, ſibi devincit animum illius qui munus offert, præſertim in materiâ eleemoſynæ; cum parum præbens, multum ex eo ſperet, Pro temporali, recipiet ſpirituale; & pro exiguo, integrum infallibiliter lucrabitur paradiſum. S. Auguſtinus k exponens illum Pſalmiſtæ Verſum, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*; petit quare hoc. Et ipſe reſpondet, ſuæ ſatisfaciens petitioni: *Nihil invenerunt in manibus ſuis; quia nihil poſuerunt in manibus Chriſti.* Manus Chriſti ſunt pauperes, qui vicem gerunt gazophylacij Salvatoris, ſeu arcæ ſuſcipiendis theſauris aut eleemoſynis accommodæ. Sed invanùm laboro hanc perſuadere veritatem hominibus ad eam ſuſcipiendam imparatis. Si enim impreſſionis illius ſuſcipiendæ eſſent capaces, majori erogandæ eleemoſynæ ducerentur affectu.

i Act. 20. 35.

k S. Aug. in Pſ. 75. 6.

Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te l? Eſtne id ſanè gratiarum actio, quæ à vobis rependitur Deo pro tot beneficijs, quibus Divina ipſius liberalitas vos ingrati animi labe infectos affluenter cumulavit? *Illum diem applica ad vitam tuam, cujus uſus pervênit ad animam tuam*, ait Euſebius Emiſſenus m. In tuorum revoca numerum dierum illum, quem Divino mancipatum percurreris obſequio, & operandæ æternæ ſaluti tuæ impenſum: cæteros autem quos vanitati ſectandæ, indulgendo luxui & genio inſumpſeris, nullâ habitâ ratione aut mentione miſeriæ pauperum eleemoſyois tuis ſublevandæ; tuos eſſe ſcitu eâ conditione, ut de illis exactam ſis Deo tandem redditurus rationem, qui condemnaturus eſt omne tempus, quod Divino mancipatum non fuerit obſequio, aut ſublevandis impenſum pauperibus; ita ut illud tempus ut amiſſum ſit reputandum, & ad gloriam æternam comparandam inutile.

l Deut. 32. 6.

m Euſeb. Emiſſ. homil. 9. ad Monach.

O miſeria! ô perverſitas! homini, ab homine creditur, & non creditur Deo! exclamat Salvianus n: Non credunt homines verbo Dei, promiſſa illius ſuſpecta reputant, & oracula illius non exiſtimant infallibilia. Crederet ſanè quis quòd oſten-

n Salvianus lib. 2. ad Eccleſ. Catholic.

deret alium, ſi de illius ambigeret fidelitate. Quanta eſt hominum cæcitas! Rebus Divinis fides renuitur, cùm humanis exhibeatur: *Humanis promiſſionibus ſpes commodatur, Deo negatur: Omnia denique in rebus humanis, ſpes futurorum agunt. Vita quoque ipſa hæc temporaria nonniſi ſpe alitur ac ſuſtinetur.* Promittat Deus quantùmlibet voluerit, verbum ſuum promiſſis ſuis alliget, eaque ſuo ſanguine obſignet: Incaſsùm hæc omnia peregerit Deus. Verbo illius diffidunt homines, & licèt ipſe ſit *Veritas* o, de certitudine illius non deſinunt tamen illi ambigere. Heu! quis poſſet iſtius exprimere magnitudinem criminis? *Ideò enim terris frumenta credimus, ut cum uſuris credita recipiamus: ideò in vineis labor maximus ponitur; quia homines ſpes vindemiæ conſolatur. Ideò negotiatores emptionibus vacant, dum theſauros ſuos venditionibus ſperant eſſe cumulandos. Ideò navigantes, vitam ventis ac tempeſtatibus credunt, ut ſpebus ſuis votiſque potiantur. Et quid plura? Pax quoque inter feras ac barbaras gentes ſpe innititur; & fide adſtipulante firmatur. Latrones quoque ipſi ac ſanguinarij fidem ſibi invicem non negant; & quæ promiſerint mutuò, ſervaturos eſſe confidunt. Cùmque elementa ipſa, & naturam totius mundi, Dominus noſter fidelem fecerit, illi tamen propè ab omnibus non creditur, qui ſolus fecit ut rebus omnibus crederetur.* concludit Salvianus.

o Joan. 14. 6.

Nunquid non iſtud omnium eſt extremum criminum, & omnium infortuniorum longè maximum? Sed credite ex prænunciatis, Auditores, quidquid volueritis; veritatem ſincerè vobis propalo, nec vobis adulor: Divitiæ ſunt doloſæ, nullam habent illæ ſtabilitatem; & illi ſunt infelices qui in ijs ſuas ſpes collocant, ſicut è contrà felices ſunt ij qui ijs non confidunt, ſed auſcultant Apoſtolum ſuadentem *neque ſperare in incerto divitiarum* p, *id eſt, in iſtis amiſſibilibus divitijs, quæ ſunt bona fortunæ*, exponit Dionyſius Carthuſianus q. *(Bene agere, divites fieri in bonis operibus) id eſt ſpirituales divitias congregare: videlicet cumulum meritorum, & incrementa gratiæ atque virtutum: (Facilè tribuere) eleemoſynas: (Communicare) id eſt: communia reputare, vel facere bona exteriora, (Theſaurizare ſibi fundamentum bonum) id eſt, ſtabilem cordis adhæſionem cum Deo, ſeu opus meritorium: (in futurum) id eſt, ad hoc ut digni ſint bonis ſeculi futuri (ut apprehendant veram vitam) id eſt, æternam vitam ſeu beatitudinem, quæ non eſt fallax & labilis*, ſicut ſunt divitiæ, *conſequantur.* Divitiæ tandem ſuos ſuſpirare faciunt idololatras, qui nulla habent ampliùs verba, niſi ut de earum querantur infidelitate. Collocate eas in cœleſti telonio, ibi aſſident pauperes, qui diſcedentibus vobis ex hoc ſeculo literas dabunt cambiales, virtute quarum dabit vobis Deus pro terrâ regnum cœlorum.

p 1. Timoth. 6. 17. &c.
q Dion. Carth. art. 6 in hunc locum.

FERIA VI. DOMINICÆ I. ADVENTVS.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Geneſ, 22:9. &c.

Dixi vobis heſternâ die, quòd amor quo ſuos proſequuntur progenitores liberos, eſt paſſio fortis; ſed quòd amor quo erga ſuas afficiuntur avari divitias, eſt incomparabiliter fortior. Et licèt hic diſcurſus videatur paradoxicus, eſt tamen Scripturæ, rationi, & experientiæ conſentaneus. Avarus *unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitijs: in hoc quoque vanitas & afflictio peſſima* a. Et, *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit* b. Ubi originale Hebraicum apud Salaſar ſcribentem in hunc locum, legit, *Exturbat, vel perdit carnem ſuam crudelis.* Id eſt, proprium filium, qui eſt caro de carne ipſius. Ratio id ſuadet. Si aurum & argentum ſunt idolum avari, & avaritia *eſt idolorum ſervitus* c, & Mammonæ, aut Plutoni divitiarum Deo ſuas exhibeas ſummas avarus adorationes; non eſt cur miretur aliquis ſi majori afficiatur amore, honore, & obſequio erga Deum ſuum, quam erga proprium filium. Et quotidianâ nos comprobamus experientiâ, patres ſine ullâ comparatione magis amare divitias quas ſibi compararunt, quàm liberos quos in lucem emiſerunt; eoſque præ nimio, quo proſequuntur theſauros ſuos, affectu, oblíviſci amoris, quo erga ſuos affici deberent filios; in hoc ſimiles ſtruthioni d crudeli, *quando derelinquit ova ſua in terrâ: oblivíſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui* e. Aut effecti *quaſi columba ſeducta, non habens cor* f, quæ intuitu pullis ſuis collum torqueri, cervicemque reponi, manet immobilis ſine ullo doloris affectu.

a Eccl. 4. 8.
b Prov. 11. 17.
c Coloſſ. 3. 5.
d Thren. 4. 3.
e Job. 39. 17. &c.
f Oſee 7. 11.

Non ambigam, ſicut nec heri dubitavi, dicere (ſi vobis viſum fuerit) eximium Patriarcham Abraham, quantùmvis ſanctum, viſum fuiſſe tantiſper hoc avaritiæ affectu pravo inquinatum. Cùm Deus illum è terrâ natali, aut è patriâ vult educere g; videte quantas obſervet ipſemet Deus ceremonias; quàm multiplices inſumat perſuaſiones ac promiſſiones, quarum interventu illum aliò transferat. *Faciam te in gentem magnam: & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ.* Et ſicut ſi hæc omnia parùm eſſent, & veluti nihilum foret, ac ipſius multiplicare progeniem, magnificare nomen, & benedicere perſonam; imò verò in favorem ipſius toti mundo benedictiones impertiri, Deus ipſe illi glorioſus apparuit, *Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ* h. Cùm agitur de inducendo Abraham ad deſerendam patriam ſuam, Deus ipſi ſex exhibet promiſſa, primò, *Faciam te in gentem magnam*: ſecundò, *Benedicam tibi*; tertiò, *Magnificabo nomen tuum*: quartò, *Benedicam benedicentibus tibi*: quintò, *Maledicam maledicentibus tibi*. ſextò, *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*: tandem cùm dixiſſet ipſi poſt hæc omnia, *Ego ſum merces tua magna nimis* i; petit Abraham adhuc à Deo, *Domine Deus, quid dabis mihi?* Quaſi Deus, & gloria illius ipſi non viderentur ſufficere. Cùm autem ſanctus ille ſenex ſuadente uxore Sarâ, *Ejice ancillam hanc, & filium ejus* k: expulit Agar domo ſuâ, nunquid non iſtud eſt avaritiæ inſimulandum, ne fortè concubina & filius ipſius illegitimus hæreditati Iſaac filio legitimo relinquendæ communicarent? *Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Nunquid non hæc omnia videntur vobis ſigna nimij, quo bona terrena proſequebatur Abraham, amoris?

g Gen. 12. 1. &c.
h Act. 7. 2.
i Gen. 15. 1. & 2.
k Gen. 21. 10.

Nemo

Nemo eſt qui eat inficias. Sed hodiernâ die hunc
inordinatum aliquo modo affectum avaritiæ ipſe
ſacrificat in perſonâ filij ſui, quem pergit immola-
tum, divitias inconſtantes contemnens, easque
pauperibus erogandas ad ſublevandas ipſorum
miſerias perſuadens nobis. Virgo Deipara huma-
ni generis ſolata eſt miſerias, cùm maximam
iſtam miſericordiam illi erogavit, concipiendo in
l Luc. 1. 38. ſuis viſceribus Dei Filium *l*, illius Salvatorem,
cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

m S. Aug. Conc. 2. in Pſ. 33. Loquens de charitate S. Auguſtinus *m*, ait illam
eſſe ſpeciê debiti, cui impoſſibile eſt ut omninò ſi-
mus pares ſolvendo; quia Deus obligat nos ut il-
lam reddamus, etiam poſtquàm eam proximo no-
ſtro erogavimus; & quoniam ille qui eam à nobis
ſuſcepit, jure viget continuo eamdem repetendi à
nobis; *Ipſa eſt quæ ſemper redditur, & ſemper debe-
tur.* Quod autem eſt admirabile in hoc præcepto,
in hoc ſitum eſt, quòd idem nobis tribuat jus ſuper
alios, quo ipſi pollent ſuper nos, cùm in hoc occur-
ſu ſimus omnes debitores reciproci; & quòd cha-
ritas, quæ inducit nos ut in quibuslibet occurſibus
obviis novam illis cordis noſtri, quod jam ipſi
poſſident, donationem faciamus; ipſorum cor no-
bis tradit obligatione conſimili. Videtur idem
non dicendum de charitate, quæ in gratiam exer-
cetur pauperum a miſerijs ſublevandorum, cùm
miſerandus ſtatus conditionis illorum non per-
mittat eis mutuas ſuſceptis poſſe vices rependere
beneficijs. Quin imò verbum ſuum Deus in gra-
tiam illorum alligat, cautam eorum præſtat cau-
ſam, ſe Vadem illorum conſtituens; & beneficia
eis erogata pollicetur cum immodicâ retribuere
n Matth. 25. 34. &c. erogantibus uſurâ *n*. Audeo autem dicere nihil
glorioſius & utilius eſſe divitibus, quàm largien-
dis vacare eleemoſynis.

Re enim verâ nunquam meliùs virtutis alicu-
jus agnoſcere poſſumus excellentiam, quam ex
o Luc. 12. 33. &c. illius commendatione peractâ a Filio Dei *o*, qui
p Joan. 14. 6. eſt ipſa *Veritas* p, qui illius apprimè pretium novit,
ac valorem. Nihil etiam inducere nos deberet ad
illius exercitium majori ardore obeundum, quam
inducant commoda & emolumenta, quibus eam
ipſe præmiatur. Ex omnibus virtutibus nullam
adverti magis commendatam, & terminis ex-
preſſioribus ſuaſam, quam inſpirata fuerit ab eo
charitas, proximo in neceſſitate aliquâ conſtituto
impertienda; & *quoniam unum corpus multi ſumus*
q 1. Cor. 10. 17. q, vult ipſe ut præ affectu ſincero, & diligentiâ ſe-
riâ parti ſuccurramus totius compoſiti maximè
infirmæ. Ut autem ad ſuſcipiendum illud meliùs
nos inducat officium charitativum, in hunc mun-
dum venit, & in eo exhibetur intuendus noſtris
infirmitatibus indutus, *propter* nos *egenus factus,
r 2. Cor. 8. 9. cùm eſſet dives* r; ut noſtras ſuſcipiat liberalitates;
& vult ut egenos conſideremus non ſecus ac alios
ſemetipſos, ut perſpectis eorum miſerijs, iiſdem
compatiamur, eorumque neceſſitates & penurias
ſolari ſatagamus. Sic æqualiter ſe agnoſcit de-
vinctum, & ſibi factum reputat id, quod fuerit
pauperibus impenſum, *Quamdiu feciſtis uni ex his
s Matth. 25. 40. fratribus meis minimis, mihi feciſtis* s. Et fatendum
eſt vix diſcerni poſſe, utrùm pauper ipſe ſit qui ſti-
pem emendicet a nobis in nomine Dei; aut num
ſit ipſemet Deus, qui eleemoſynam ſibi poſtulat
largiendam in perſonâ pauperis. Eleemoſynam
tandem æqualiter præmiabitur Deus, ſive imme-
diatè fuerit illa erogata Chriſto; ſive impenſa fue-
rit illa pauperibus, perſonam illius præ ſe figurati-
vè ferentibus. Auſim autem ego ferè dicere ma-
jori adſcribendum eſſe merito, eam pauperi ero-
gare, quàm Chriſto impendere; cùm fides ibi ex-
erceatur, nec res ſit ita mirabilis ſi erogaretur elee-
moſyna Chriſto, qui viſibiliter intuendus exhibe-
retur, cùm expectetur ab ipſius liberalitate para-
diſus. Quid excellentius? & quid magis hujus
virtutis gloriam queat extollere? Si autem illius
doceri velitis commoda ac emolumenta, inter
plura quæ ſubticeo, Dico Primò, Quòd ipſa nos Diviſio.
in mundo parvos efficiat deos per imitationem.
Secundò, Quòd eadem noſtrorum nos conſtituat
redemptores peccatorum per interceſſionem.

Deus qui in æternitate ſuam communicat na- I. Pars.
turam Divinis Perſonis *t*, quæ eam terminant
quantùm ad adorandas productiones; ſua com- *t* Pſ. 2. 7. & Joan. 15. 26.
municat in tempore ſuis creaturis attributa: illæ
verò quæ iiſdem magis communicant perfectio-
nibus, magis ſunt ei ſimiles. Reges & Magnates
qui florent in hoc ſeculo, ſunt perfectiſſimæ om-
nium imagines illius, & Dij expreſsè nuncupan-
tur in Scripturâ, *Ego dixi, Dij eſtis* u. Quia illius re- *u* Pſ. 81. 6.
præſentant magnitudinem & potentiam *x*, quæ *x* Pſ. 144. 12.
ſunt unum ex Divinis ejus attributis, quorum ma-
ximè nobis proficuum eſt illius bonitas *y*, quæ il- *y* Pſ. 118. 68.
lum inducit ut omnibus bona det, cùm nomen
ſuum trahat à verbo, do, quia *dat omnibus affluen-
ter* z noſter Deus, qui dicitur a do. In æternitate *z* Jacob. 1. 5.
Deus Pater dat eſſe Filio *a*; Pater autem & Filius *a* Pſ. 2. 7.
dant eſſe Spiritui ſancto *b*. In tempore & ad extra *b* Joan. 15. 26.
in principio creavit Deus cœlum & terram c, & hæc *c* Gen. 1. 1. &c.
omnia mirabilia quæ noſtros ſtupore percellunt
oculos, & quorum magnitudo in admirationem
noſtros rapit animos, & ſtatim inducit nos ut lau-
dibus evehamus ſupremum illorum Opificem.
*Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum
factum ex muliere factum ſub lege: ut eos qui ſub le-
ge erant, redimeret, ut adoptionem filiorum recipere-
mus* d. Filius ſemetipſum tradit in Euchariſtiâ *e*. *d* Galat. 4. 4. & 5.
Et aſſumptus f in cœlum, unde venerat, ad nos ſuum *e* Joan. 6. 56.
mittit Paraclitum Spiritum ſanctum, qui *tanquam
ignis ſedit ſupra ſingulos* g Apoſtolorum. Nec ul- *f* Act. 1. 2 *g* Act. 2. 3
lum eſt momentum quo mundum ſuis non cumu-
let beneficijs; & profectò ſuas jugiter ubertim
profunderet gratias, ſi homines deprehenderet iis
ſuſcipiendis idoneos. Nihil eſt naturæ illius ma-
gis conſonum, quàm dare, & omne illius exerci-
tium in impertiendo eſt ſitum. Sic Sponſa ſacra de
Divino ſuo loquens Sponſo, ait, *Manus illius torna-
tiles* h, eò quòd manus ejus omnia effundant, ne- *h* Cant. 5. 14.
dum aliquid retinere poſſint. Quid quæſo libera-
lius? & quid magnificentius?

Illi igitur inter homines, qui magis huic Divi-
no communicant attributo, magis approximant
ad Deum, & magis aſſimilantur ei. Inter omnes
autem quis neſciat ad eum magis approximare
charitativos, quorum Deus præ ſe fert effectus æ-
què ac nomen? *Deus Charitas eſt* i. Ego autem *i* 1. Joan. 4. 16.
dico juxta meam propoſitionem, eum qui chari-
tati vacat, Deum effici per imitationem. Etiam,
Auditores; Illi qui charitatem exercent, qui in
praxim redigunt opera miſericordiæ in gratiam
egenorum, qui eleemoſynas pauperibus ſublevan-
dis erogant, vivæ imagines ſunt Divinitatis, ex-
preſſa illius lineamenta, imò & Divinitates in ter-
râ, cùm in eâ agant ut Dij, miſeros & in neceſſita-
te conſtitutos ſuis ſolantes auxilijs atque benefi-
centijs. Quid glorioſius? Hanc eximiam ſubmi-
niſtrat mihi S. Gregorius Nazianzenus *k* conce- *k* S. Gregor. Naz. Orat. 16.
ptionem, cùm homines exhortans ad hujus ſanctæ
virtutis praxim exercendam, pro certo eos tene-
re docet, illam vigere poteſtate commutandorum
ipſorum in Deos, *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſe-
ricor-*

ricordiam imitando. O mortalis homo, exclamat S.Gregorius Theologus, vide quòd nullus tibi ſit inſumendus labor quo Deus efficiaris. Cave ne Divinitatis tibi conciliandæ occaſionem fronte capillatâ arreptam abjiciens prætermittas. Et ideò infinitas Deo gratiarum repende vices & actiones pro eo quòd in illo te non conſtituerit ſtatu, in quo manibus indigeas alienis; ſed potiùs quòd alij tuis egeant. Quapropter omnes tuos adhibe conatus ut prædives efficiaris, non tantum pecuniâ ſignatâ & nummis percuſſis, ſed etiam miſericordia, ut imitari poſſis Deum, *qui dives eſt in miſericordiâ* l; non ſolum argento & auro, quin & virtute, ut non minùs alios in hac præcedas poſſeſſione, ſicut eos alijs antecellis titulis: *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Cùm certum ſit nihil divinius in hominem poſſe cadere, quàm ſimilibus ſuis benefacere; & hanc proficuam arripe occaſionem conſequendæ Divinitatis medio exercitio hujus virtutis, cujus praxim tibi proponit Dei Filius, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt* m.

l Epheſ. 2. 4.

m Luc. 6. 36.

Quis avarus ſuorum non erit prodigus diſpenſator theſaurorum in gratiam pauperum ſublevandorum? Quis ſuum denegabit auxilium egenis ad extremas neceſſitatis redactis anguſtias? Quis prætei labi ſinet perutilem occaſionem, quæ capeſſendæ Divinitatis ipſi anſam offerat? Modus adipiſcendæ illius eſt facillimus. Nihil aliud requiritur cum gratiâ ad illam conſequendam niſi praxis charitativa operum miſericordiæ, niſi erogatio eleemoſynæ, *Fac calamitoſo ſis Deus.* Et ratio ſubminiſtratur à S.Iſaac n, *Nihil ita facit appropinquare Deo, ſicut eleemoſyna.* Nihil magis Deum exprimit, quàm hæc virtus: ipſa eum repræſentat perfectiſſimè. S. Leo o verò ait, Deum videre alterum ſemetipſum in perſonâ miſericordis, & in eo ipſum ſuam contemplari vivam imaginem, ibique ſibi complacere ut in expreſſione ſuâ, ſicut noſtram amamus nos imaginem, quæ in ſpeculo nobis oppoſito, noſtras repræſentat actiones, in eâ nobis complacemus, & eam immodicâ præ voluptate ac jucunditate intuemur, *Dominus ubi curam miſericordiæ invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit.* Poſt hæc, Auditores, cogitate, ſi poſſitis, aliquid magis prætendere, quàm quòd fruſtulum panis pauperi porrectum, aquæ calix ſitienti egeno propinatus, lacera ac vilia veſtimenta, aliquod exiguum obſequium in neceſſitate conſtituto impenſum, opus aliquod charitatis modico labore exercitum, ad tantam vos elevent magnitudinem, ut efficiamini Dij? Ha! Quis ita ſancto vacare non dignabitur exercitio? Quis avarus eſt futurus pauperibus, qui ſtatim ſibimetipſi non ſit crudelis? Cùm ſibi perdat id, quod alijs recuſat impertiri, cùm amittat renuendo id, quod conſervare poſſet largiendo, ut ait S.Chryſologus p, *Homo dando pauperi, dat tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter.* Et, *Homo cùm interierit, non ſumet omnia* q. Gratiæ erogatæ à benefactoribus, in ipſos revertuntur benefactores. Datiſne indigenti? prudentia veſtrum comitatur commercium, veſtraque negotiatio in veſtrum profectò cedet emolumentum, cùm ſitis præ immodicâ uſurâ relaturi id, quod illi eſtis impertiti. Divitiæ ſunt fugaces. Quomodonam eas retinebitis? Ubinam deponetis eas? Si eas diſtribuatis pauperibus ad eorum ſublevandas miſerias, eædem vobis manent. Si cuſtodiatis eas penes vos; diſcedunt a vobis, & fugiunt. Deponite eas inter manus pauperum, qui proculdubio eas vobis fideliter cuſtodicent. Deus cautam præſtat illorum cauſam, illorum ipſe ſe conſtituit Vadem, & nihil illarum peribit vobis, ager enim miſerorum eſt fertilis; magis ſemper germinat ac producit, quàm ſuſceperit, & bona eſt terra quæ inſimulari non poteſt ingratitudinis, cùm *centuplum* r retribuat.

n S.Iſaac. lib. de Mundi contemptu. c. 8.

o S.Leo ſerm. 10. de Quadrag. c. 5.

p S.Chryſol. ſerm. 41.

q Pſ. 48. 17. & 18.

r Matth. 19. 29.

Quid? Auditores, tantamne negligemus utilitatem, quam ita facilè conſequi poſſumus, quâ Dij efficiamur? Nunquid non hâc felici ducemur gloriâ, quâ auſu temerario & ſacrilego affectus *Lucifer* præſumpſit poſſidere hanc eminentem qualitatem ut foret Deus? *Similis ero Altiſſimo* s. Si autem diabolus, cui nota erat Adæ nobilitas & dignitas, nullo potentiori ad eum ſeducendum uſus eſt artificio, niſi conſequendæ Divinitatis lenocinio, *Eritis ſicut Dij* t; & ſi iſto deceptus Adam machinamento, diabolicæ conſenſit ſuggeſtioni; & ſi hæc ambitio fuit ita violenta, ut Protoplaſtus noſter factus fuerit infelix ex eo ipſo, in quo ſuam autumabat conſtituere felicitatem, & excelſiſſimam gloriam; nos ſanctè, feliciter, & exiguis impenſis cùm iſtud eximium conſequi poſſimus emolumentum, nunquid non beatitudini noſtræ adverſabimur? cùm poſſimus eſſe Dij, ſolâ vel exiguâ erogatâ ſublevandis pauperibus eleemoſynâ.

s Iſai. 14. 12. &c.

t Gen. 3. 5. &c.

Ha! quàm meliùs divitiæ in manibus pauperum depoſitæ remanerent, qui vobis illas aliquando retribuerent in alterâ vitâ, in quâ æternæ poſſetis eſſe expoſiti mendicitati u. Avari, quid timetis illis confidere id, quod amittere non poteſtis? Deus cautam præſtat illorum cauſam, & ſanguis quo ſuum obſignat promiſſum, eſt veſtra ſecuritas. Sed heu! Video equidem, at invitus; & ſcio ſed ſcientiâ quæ me immodico afficit dolore, vos diffidere illi; & quamvis ipſe ſit *Veritas* x, de fidelitate ejus non deſinitis ambigere, quaſi verò ipſe vos eſſet decepturus. Avari cavete vobis. Non damnabunt vos divitiæ veſtræ, quippe quæ indifferentes ſunt, & ijs ad bonum æque ac ad malum uti poteſtis; ſed ſententiam in vos inducent damnationis, ſi eas in pauperum neceſſitates, eorumque miſerias ſublevandas non impenderitis y. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno; & ipſe clamans dixit, Crucior in hâc flammâ* z. Non quia *erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè:* ſed quia nullas erogabat eleemoſynas Lazaro mendico ante valvas domus ſuæ jacenti, & micas è menſâ ipſius cadentes poſtulanti, *& nemo illi dabat.* Et ut ait S. Chryſologus a, *Nam de divitijs tantis nec victum pauperi, nec ſacrificium Deo minimâ oblatione rependit.*

u Pſ. 58. 7. & 15.

x Joan. 14. 6.

y Matth. 25. 45. & 46.

z Luc. 16. 22. &c.

a S.Chryſol. Serm. 66.

Omnis Sodomæ infelicitas ex alio non eſt orta principio niſi ex ipſius abundantiâ pauperibus inutili; ita ut civitatis iſtius ita ſuperbæ & magnificæ, ſic opulentæ & rebus omnibus prædivitis, ſicut & urbium finitimarum, nihil nobis ſuperſit niſi cineres incendij illius, & vicinarum b, & memoria quâ eam horrori habeamus; *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſaturitas panis, & abundantia filiarum ejus; & manum egeno & pauperi non porrigebant* c. Heu! Oportebitne ut ad confuſionem gratiæ pergamus ad ſcholam naturæ, ut noſtrum obeundum edoceamur officium? Ad exercendam totanos invitat natura liberalitatem, ſuoque exemplo ad erogandam egentibus eleemoſynam nos provocat. Suas ſine ullâ intermiſſione ad nos cœlum tranſmittit opportunas influentias; ſuas communicat nobis Sol virtutes, dum lumen effundit; ignis calorem ſuum; aër ventum, per quem reſpiramus; ſuos terra fructus; mare piſces;

b Gen. 19. 24. & 25.

c Ezech. 16. 49.

ſuam

ſuam tandem animalia carnem;nos verò nihil dabimus?

Pater æternus ſuam Filio ſuo naturam communicat: Pater autem & Filius eamdem ſuam naturam communicant Spiritui ſancto: Filius ſemetipſum præbuit naturæ humanæ per Incarnationem *d*; nobis omnibus per mortem ſuam poſt effuſum pretioſum Sanguinem ſuum ad ultimam uſque guttam, ita ut *unus militum lanceâ latus ejus e* aperiens,perſcrutari videatur utrùm in eo ſupeiſit aliquid vitæ erogandæ, ut eripiat nos ex infortuniis, quibus eramus immeriti. Suum Corpus evacuat Chriſtus, ſuas manus exonerat, ſemetipſum diebus ſingulis nobis tradit in Euchariſtiâ, ſuorumque prodigus efficitur bonorum, ut devinciat ſibi quos? Ingratos,cùm recuſemus dare in nomine ejus, & propter amorem illius fruſtulum panis, & calicem aquæ pauperibus ad neceſſitatis anguſtias redactis. Nolumus deſtitui re,cujus non habemus niſi uſum ſimplicem. Chriſtus peragit præ nobis id quod vult ut faciamus & nos. Nos autem infelicitatis eò uſque pervenimus, ut illius inhærere nolimus veſtigiis. Noſtræ injurioſi proditores efficimur felicitati, ut avaritiæ & cupiditati noſtræ ſatisfaciamus immodicæ. Recuſamus qualitatem Dei,quam poſſemus conſequi per ſanctam eleemoſynæ praxim, quæ reddit homines in terrâ Deos per imitationem, aut per participationem; & ſuorum redemptores criminum per interceſſionem,quod nobis ſupereſt videndum.

d Joan.1.14.
e Joan.19.34.&c.

II.Pars. Veritas illa nullam patitur contradictionem, quæ aſſerit, peccatum noſtris mortem inferre animabus, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* f. Eas per peccatum rabiei & furori dæmonum tradimus exagitandas; totum autem pretium non eſt perſæpè niſi exiguum commodum, aut voluptas momentanea. Mortuæ ſunt illæ,cùm non ampliùs vigeant gratiâ, quæ ipſarum erat vita. Perierunt illæ,cum Domini ſui jugum excuſſerint,ut ſe ſubjicerent tyrannidi dæmonis, qui ipſas excipit ut captivas, nedum nobilitatem originis ipſarum perpendat. Ego autem dico illas è ſuâ exire non poſſe infelicitate, ſua infringere vincula, conciliare ſibi libertatem priſtinam, ſuamque operari redemptionem aliâ meliori viâ, quàm eleemoſynâ erogandâ. Hæc eſt quæ ipſas educet è carcere, quæ pro debitis ipſarum Deo ſatisfaciet, quæ vitam ipſis retribuet, quæ ipſas priſtinæ libertati reſtituet, & ipſas tandem redimet, *Ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam* g, ait Tobias. Et Chriſtus, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis* h. Quod ſic explicat Dionyſius Carth. i, *Id eſt, virtute eleemoſynæ à peccatu omnibus efficiemini puri.* Ita verum eſt eleemoſynam pro omnibus noſtris ſatisfacere debitis Deo.

f Ezech.18.4.
g Tob.12.9.
h Luc.11.41.
i Dion. Carth. art.31.in hunc locum.

Ita ut,ſicut videtis,ſi noſtros ſibi devinxit Salvator noſter animos, eò quòd vice unicâ in Cruce redemerit nos per effuſionem Sanguinis ſui;pluribus nos ſibi devinxerit eleemoſyna vicibus, eò quòd ipſa idem peregerit. Sic ſi Eccleſia aurum poſſidet, non eo fine illud ipſa penes ſe habet, ut illud conſervet, ſed ut illud diſpenſet. Ille autem qui avaritiæ ductus affectu pravo, theſauros ſacros pauperibus ſublevandis non erogarit, corripietur in judicio Dei, eò quòd iis æquè tenacius fuerit uſus in occaſionibus, in quibus erat profuſio neceſſaria. Calices verò pretioſiſſimi ſunt illi, qui redimunt homines inſtar Sanguinis, quem continent, qui noſtræ pretium fuit ſalutis *k*. Sacer jure merito nuncupandus eſt theſaurus, cùm infortunatos ex ipſorum educit captivitate, cùm ſublevat eos, qui penè extremum erant efflaturi ſpiritum, hominesque ſalvat, ut eorum ſalutem operatur Chriſtus. Ideircò Salomon *l* ait, bona præberi divitibus, ut præ ſe ferant imaginem redemptionis in ſuarum adminiſtratione facultatum, *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ.*

k Apoc.1.5.
l Prov.13.8.

Et ſicut Dominus noſter, cujus amor eſt *immenſus* m, non ſolùm nos unâ redemit vice Sanguine ſuo, mortem oppetens; ſed etiam voluit nos redimere ſacro Miſſæ ſacrificio *n*, offerendo illud Patri æterno in noſtrorum expiationem criminum; ſic eleemoſyna eſt ſacrificium, quod ſemper fuit oblatum Patri æterno pro fidelibus ad conſequendam illis peccatorum indulgentiam, *Sacrificium Chriſtianì eſt eleemoſyna in pauperes*, ait S.Auguſtinus *o*. Et S.Chryſoſtomus *p* aſſerit, quòd illa libertatem publicè annunciet, de ſuis triumphet inimicis, iiſque ſolam deferat confuſionem, quâ ſe victos deſpiciant, *Hæc Chriſti aſtat tribunali non tantùm patrocinans, verùm & ipſi perſuadens Iudici, ut reo patrocinium præſtet, & pro eo ſententiam ferat: & licet millies peccaverit, coronat, & victorem promulgat.* Ipſa eſt omnipotens in cœlo, quò cum reverentiâ ſuſcipitur. Imò verò *hæc ſacrificio major eſt. Miſericordiam, inquit, volo, & non ſacrificium*, ait idem S.Chryſoſtomus *q*.

m Baruc.3.25.
n 1. Cor.11.26.
o S.Aug. hom. 29. ex 50. c.1.
p S.Chryſoſtom. hom. 33. ad popul.
q S.Chryſoſt.hom. 51. in c. 14 Matthæi, ex Matth. 12.7.& Oſe. 6.6.

Si autem ille qui eleemoſynam erogat, ſit in ſtatu gratiæ conſtitutus, proculdubiò plurimum meretur per praxim hujus ſanctæ virtutis. Si verò conſcius ſit criminis, inimicus Dei, illique exoſus; illa movet Deum ad conciliandam ei divinam amicitiam, aperit ei templum miſericordiæ, facilemque pandit ei aditum ad indulgentiam conſequendam, *Conclude eleemoſynam in corde pauperu, & hæc pro te exorabit ab omni malo* r. Ita ut eleemoſyna debito egentibus erogata modo, ſit ſemper ſacrificium gratum Deo, cujus beneficio noſtras redimimus animas, & efficimur ſalvatores. Præbendo aut conſervando vitam pauperibus efficimur illorum veluti progenitores, quia juxta Philoſophiam, *conſervatio eſt continuata productio.*

r Eccli. 29.15.

Quia igitur, Auditores, *in multis offendimus omnes* s, & per peccatum noſtras profligavimus animas, eas miſerandum in modum tradentes rabiei dæmonum, nunquid non earum miſerebimur? Confringamus earum catenas, in libertatem reſtituamus eas priſtinam, eleemoſyna eſt illarum omnimoda redemptio. Iſtud ſalutare vobis ſubminiſtro conſilium. Miſeremini veſtri, exercendo opera charitatis erga pauperes. Veſtrâ intereſt; veſtra id exigunt emolumenta; & proculdubiò crudeles vobis eritis, niſi erga alios ſitis liberales. Iratus jure merito Deus juſtitiæ ſuæ gladium diſtrinxerat adversùs Regem Nabuchodonoſor t. Intendens Propheta avertere à Rege pœnam, quam minitabatur ei Deus, ut de enormibus illius vindictam referret criminibus, exoravit eum ut conſilum ſuum ipſi placeret, *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Obſervat S. Hieronymus *u* quòd *fecit quidem Nabuchodonoſor juxta Danielis conſilium miſericordias in pauperes, & idcircò uſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia*, cujus rigorem non ignoratis, *Fœnum quaſi bos comedes.* Per duodecim menſes, quibus eleemoſynam erogavit Rex, nullam protulit Deus in eum ſen-

s Jacob.3.2.
t Dan. 4.22. &c.
u S.Hier. in hunc locum.

ſententiam, ſed poſt finitam ejus miſericordiam. Videtis quomodo crudelis quis efficitur ſibiipſi, non largiendo eleemoſynam. Videte quomodo eummoda noſtra eam exigant.

Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum x. Ubi litera Hebraica originalis ait, *Segregavit Dominus pium ſibi.* Lorinus y autem dicit, *Vertit Auguſtinus, magnificavit*; & deinde, *Sanctum ſuum*, ait, *Alij exponunt, miſericordem, beneficum gratuitò, pium, benignum.* Diſcite Deum magnificaſſe Juſtum, qui eſt liberalis erga pauperes, multiplicando eleemoſynas illius. Ideò jure merito eleemoſynarios vocare poſſemus ubera Eccleſiæ; ſicut enim ubera nutricum, ſtatim atque ab alumnis ſugentibus hauſta ſunt, lacte replentur; nec priùs vacua evadunt, cùm illicò natura ad eadem concurrit implenda; eodem planè ſe gerit Deus modo erga eleemoſynarios. Multiplicato eis quippe reddit fœnore id, quod pauperibus ipſi impenderant.

x Pſ.4.4.
y Lorin. in hunc locum.

Date eleemoſynam, facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt z. Ubi alia translatio fert, *Facite vobis crumenas non veteraſcentes.* Quia Deus *centuplum* a retribuit pro uno; præmiatur cum uſurâ; & quod crumenam evacuare videbatur, illud idem eam replebit.

z Luc.12. 33.
a Matth. 19.29.

Loquens Sophonias b de divitibus avaris & immiſericordibus ait, quòd *diſperierunt involuti argento.* Hunc exponens locum S. Hieronymus, qui omnes Scripturæ ſacræ veritates librat *juxta pondus ſanctuarij* c; miratur Prophetam loqui in præterito, aſſerens quòd avari, immiſericordes, pectora illa ferrea & ænea, quæ non emollit aliena miſeria, fruſtulum panis recuſando ijs qui pereunt fame, *diſperierunt*, cùm videretur debuiſſe dicere in futuro, diſperibunt, naufragium patientur, & recipient *Judicium ſine miſericordiâ, qui non miſericordiam* d fecerint. *Conſidera, quòd non dixerit: peribunt qui erecti ſunt argento: ſed jam nunc antequàm eis veniat ſupplicij dies, in eo ipſo quòd ſuperbiant, & ſemper de theſauris ſuis cogitent, & ſerviant eis, perierint atque corruerint* e. Loquitur Propheta igitur in præterito, ob certitudinem punitionis avaris & immiſericordibus inflictæ, cùm tigrides hi inhumani ad perditionem jam fuerint omnimodam condemnati. Si enim eleemoſynam libenti erogare animo, eſt ſignum prædeſtinationis f: per rationem contrariorum, eam recuſare, cùm vires & facultates ſuppetunt, quis non videat id eſſe infallibilem reprobationis notam? Ideò jure merito ait Propheta, *diſperierunt*: ſed quod majori eſt dignum conſideratione, eſt iſtud quod ſubjungit, *diſperierunt involuti argento.* Non ait, induti, ſed *involuti.* Qui enim indutus eſt, conſervat adhuc in veſtimentis ſuis libertatem motuum corporis; Sed ille qui eſt involutus, & veluti pannis infantilibus circumſeptus, non habet ampliùs membrorum uſum liberum; ſolum duntaxat movere poteſt caput, ut nutus edat, illiſque, oſtendat pauperibus ſe ipſis efflagitatam denegare eleemoſynam; linguamve ſolvere, ut illos à ſe procul amandet, quorum perpeti non poſſit importunitatem. Quantùm ad pedes, nullos habent avari quibus ad xenodochia divertant viſitanda; nec ullas præ ſe ferre videntur manus, cùm eas ad pauperes non extendant. Imitari ſanè deberent arbores, quæ fructibus quamplurimis onuſtæ, ſuos inclinant ramos, & prætereuntibus quibuslibet uberes fructus ſuos carpendos offerunt; & ſic iſtâ liberalitate conſervantur, impedientes ne rami ſui è ſuo nimiâ præ ubertate ac pondere, disjungantur trunco.

b Soph.1. 11.
c Levit. 5.15.
d Jacob. 2.13.
e S. Hier. in Sophon. 1. 11.
f Matth. 25.35. & 42.

Avari non vultis ſeparari à Deo, efficite ut pauperes veſtris communicent facultatibus, ne audire compellamini inviti, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* g, hoc terribile verbum ſeparationis, quod profectò terrore percellere poſſet ipſos Angelos, niſi jam cœleſti potirentur beatitudine; *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Eſurivi enim: & non dediſtis mihi manducare: ſitivi; & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram; & non collegiſtis me: nudus; & non operuiſtis me: infirmus, & in carcere; & non viſitaſtis me.* Heu! quod cauſa reprobationis quorumdam hominum referenda ſit ad defectum charitatis ipſorum, eò quòd miſerti non fuerint egenorum.

g Matth. 25.31. &c.

Heu! Auditores, quis tremore non concutietur ad tonitruum horum terribilium verborum Domini? Quænam corda, quantùmvis lapidea ſint illa & adamantina, quæ hoc horribili non percellantur diſcurſu? Dominus noſter ſe pauperem efficit in perſonâ pauperis, ad tuas accedit valvas, mendici figurâ indutus, ad extremas neceſſitatis & penuriæ redactus eſt anguſtias, quandiu tu voluptatibus diffluis immodicis ac delicijs. Et hoc parùm foret. At, quod eſt æternis deflendum lacrymis, tu illum contemnis, & ſævis excipis verbis, etiamſi illud, quod efflagitat a te, ſit exigui momenti, putà fruſtulum panis ad ſuſtentandam vitam, ne cibi defectu pereat fame, & tu extremæ egeſtatis illius non miſereris. Quid crudelius? Quid immiſericordius? Quomodo autem poſt hæc indulgentiam tuorum poteris tibi ex divinâ miſericordiâ conciliare criminum? & Deum tibi promittere propitium, quem ſic exacerbaſti? *Iudicium enim ſine miſericordiâ, ſupple, erit,* ſubjungit Cornelius, *illi qui non fecit miſericordiam* h. Et deinde idem Cornelius i addit: *Dixerat enim Iacobus ſic nos loqui, ſic nos facere debere omnia, ut ſemper memores judicij divini, illud nobis conciliemus: itaque benignum & propitium experiamur. Iam docet modum illud conciliandi, eſſe miſericordiam, juxta promiſſum Chriſti: (Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* k*:) Ex adverſo enim, qui non facit miſericordiam, experietur illud rigidum, & (ſine miſericordiâ,) id eſt, immiſericors. Sub judicio intellige metonymicè ipſam damnationem, quæ judicio divino impijs, & immiſericordibus infligetur.*

h Jacob. 2.3. &c.
i Cornel. in hunc locum.
k Matth. 5 7.

Veſtras non aperuiſtis pauperibus, Auditores, manus; neque ſuum Deus vobis aperiet paradiſum. Panem eis non præſtitiſtis; neque vitam præbebit vobis Deus æternam. Fructus, quos eſtis meſſuri, convenientiam habebunt cum ſemine, quod terræ commiſeritis. Turbines ſeminaſtis, tempeſtates pariter colligetis. Crudelitatem & ſævitiam exercuiſtis, ſic ſupplicia experiemini atque rigores. Pauperes dereliquiſtis, ita derelinquet vos ille, qui *propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives* l. Idcircò *redite prævaricatores ad cor* m. Declinate præ charitatibus veſtris ab iſtarum rigore pœnarum ſubeundo. Suntne vobis bona? Ex liberalitate Dei venerunt illa vobis, quia *benedictio Domini divites facit* n. Quid magis egiſtis, quo vobis Deum devinciretis, quàm egerit hic pauper cubili alligatus, & fame exanimis, quandiu vos abundantiâ eſtis impinguati, & delicijs & voluptatibus

l 2. Cor. 8.9.
m Iſa.46. 8.
n Prov. 10.22.

bus diſſoluti ? Scitote quòd Deus vobis dat eo fine,ut detis vos pariter. Debetis igitur more Oceani aquas veſtras per meatus ſecretos deducere;alioquin ſi omnia retineatis vobis,crudelitatis eſtis conſcij. Quantùm ad corpus morientur pauperes,vos autem quantùm ad animã; quia occideritis eos,quos paſcere tenebamini. Deus vult ut medijs eleemoſynis veſtris efficiamini Dij per imitationem; & Salvatores conſervando vitam illis qui eam amitterẽt defectu ſubſidij veſtri;ut veſtris beneficijs ſitis redemptores animarum veſtrarum,quas peccato profligaſtis.Date igitur,aut deponite veſtra bona inter manus pauperum,& ea vobis Deus reſtituet. Suum ipſe verbum vobis alligat : quid metuere debetis ? *Non fallit Veritas* o, *non circumſcribit Iuſtitia* p, *non decipit Virtus* q, ait S.Ambroſius r. Commodate Chriſto, *Fidelis autem Dominus eſt* s. Et iterùm audite S. Ambroſium t. *Crede fidem tuam Deo, qui homini pecuniam credis ; fœnerare Chriſto. Bonus depoſita ſpei cuſtos, multiplicatis fides tua talentum ſolvit uſuris.* Date pauperibus terram , & dabitur vobis cœlum. Præbete partem,& recipietis totum. Largimini pauperi,ut largiamini vobis;talis enim futurus eſt hæres veſter,qui erit ingratus , boniſque veſtris Deum offendat, nedum ijs veſtras pœnas mitiget. Nolite injurioſi eſſe felicitati veſtræ , ut ingratis faveatis. Pauperibus *date, & dabitur vobis* u gratia in hoc ſeculo,& gloria in altero.

o ex Joã. 14.6. p ex Pſ. 64.12. q ex Pſ. 45.2. r S. Amb. lib. 1. de Virginib. s 2. Theſſal. 3.3. t S. Amb. Ibid. u Luc. 6. 38.

IN FESTO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Quæretur peccatum illius : & non invenietur. Pſ. 9 39.

HAnc obſervant inviolarè Politici maximam, quâ nunquam totam ſuam vice unicâ exhauriant potentiam , ſed eam maximâ inſumant cum prudentiâ ac diſcretione,ut in populorum , quam ſibi comparaverunt , æſtimatione foveantur & conſerventur,nedum prorſus eâ excidant,ſi in occurſu unico omnes ſuas inſumentes vires , eas omnino infirmarent. Iſtum non cuſtodit Deus procedendi modũ , nam producit unâ vice effectuum omnium , quos producere poſſit unquam,maximum , totam ſuam velut exhaurit potentiam in producendâ Virgine ſanctiſſimâ, quæ eſt unum ex operibus , quæ ipſe aliquando extra ſe produxerit,maximis, *Fecit mihi magna,qui potens eſt* a, ait ipſa in ſuo Cantico. Qui eſt omnipotens , in me operatus eſt eximia. Magnitudines re verâ ita inauditas, & mirabilia ſic extraordinaria in Mariâ peregit Deus, ut nullus intellectus creatus ea poſſit concipere ; imò verò nec ipſa ,in quâ idemmet Deus ea eſt operatus , nobis illa valeat exprimere.

a Luc. 1. 49.

Exprobravit aliàs Neroni Seneca opus quoddam egregium,quod ipſe ſuſceperat : dicebat enim huic Imperatori Philoſophus iſte, Si ad exitum non perducat hoc opus Majeſtas Auguſta, vertetur ipſi in opprobrium , & in confuſionem tale conſilium ; cùm ipſa opus ſuſceperit longè proprias excedens vires , quod ad votum & ad deſiderium nonniſi vix poſſit ipſi ſuccedere : Si verò perficiat illud ipſa feliciter atq; conſummet, dicetur proculdubiò ipſa propriæ potentiæ & gloriæ præſcripſiſſe limites , quos ipſa nequeat præterire. Non poſſumus quidem Patri ęterno exprobrare , quòd ſuſceperit opus, quod ad exitum perducere minimè potuerit ; quia cùm ſit *omnipotens* b, nihil eſt quod ipſius potentiam effugiat. Sed ipſi cum maximâ dicere reverentiâ , divinam ipſius Majeſtatem totam ſuam exhauſiſſe potentiam in productione ſanctiſſimę Virginis Marię, quę eſt unum ex tribus operibus , quę divinam hauriunt omnipotentiam ; quę cùm fuerit operata,ut ait S.Thomas c Incarnationem Verbi divini,id eſt, unionem naturę divinę cum naturâ humanâ in eâdem perſonâ: beatitudinem cœleſtem, id eſt , unionem animę cum Deo in gloriâ per viſionem d, ſecundùm eumdem S.Thomam e, aut per amorem juxta Scotum f, aut per fruitionem complectentem utrumque , ut ait S.Bonaventura g: & Maternitatem divinam h, puta quòd pura creatura efficiatur Mater Dei , nihil magis poteſt efficere. Hęc auguſta Dei Mater futura concipitur hodiernâ die , dicamus ei, *Ave Maria.*

b Eſth. 13.9. c S. Thõ. 1.p.q.25 a.6.ad 4. d Joan. 3. 17. e S. Thõ. 1.2.q. 3. a.4.in corp. f Scot. in 4.ſent. d.49. q.4. g S. Bon. in 4. ſent. diſt. 49.a.1. q.3. h Matth. 1.18.&c.

Inter omnia, quæ de beatiſſimâ Virgine Mariâ celebrantur , feſta , nullum eſt quod ipſi magis proprium ſit ac ſpeciale , quàm Conceptionis Immaculatæ ſolennitas,cujus memoriam recolit Eccleſia die hodiernâ. Licèt enim hæc Eccleſia ſancta celebret ipſius Nativitatem ; hujus attamen feſtivitatis gloriam ſibi partim vendicat cum S. Joanne Baptiſtâ, qui ſanctificatus fuit in utero matris ſuæ S. Elizabethæ i ſexto à conceptione ſuâ menſe. Præterea,Præſentationis ejuſdem in Templo gloriam Eccleſia ſibi putat communem eſſe in perſonâ plurimarum ſanctarum Virginum, quæ Virginis hujus primigeniæ exemplo allectæ , in Templo ſe Deo conſecraverunt, *Adducentur Regi Virgines poſt eam* †. Tandem,Si Eccleſia glorioſam ipſius in cœlum veneratur Aſſumptionem, hujus gloriæ particeps efficitur in perſonâ Henoch k, & Eliæ l, qui rapti ſunt in cœlum, illucque tranſlati in curru igneo. Hoc igitur feſtum inter alia eſt illi proprium , quia hunc honorem cum filio duntaxat babet communem : Eccleſia quippe ſancta duas duntaxat celebrat Conceptiones, alteram Domini noſtri Jeſu Chriſti ſub titulo Annunciationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis m; alteram verò ejuſdem Virginis Sacratiſſimæ,quæ hodie triumphavit de peccato , & cervicem contrivit ſerpentis antiqui , *Ipſa conteret caput tuum* n, Alij Sancti contriverunt tantùm caudam draconis,pura in fine vitæ ſuæ ; ſed Maria contrivit caput ejus ipſo vel Conceptionis Immaculatæ ſuæ momento , quippe quæ glorioſa fuit ob tria privilegia, quibus in eâ fuit ipſa inſignita ; quæ tria privilegia triplicem diſcurſus illius ſunt compoſitura partem.

i Luc. 1. 41.&c. † Pſ. 44. 15. k Gen. 5. 24. l 4.Reg. 2.12. m Luc. 1. 28.&c. n Gen. 3. 15. Diviſio.

I. Pars. Primum privilegium, quo inſignita fuit B.Virgo Maria ipſo felicis ſuæ Conceptionis Immaculatæ momento , in hoc ſitum eſt , quòd Deus ex tunc ipſam fuerit intuitus , & amaverit amore complacentiæ. Suppono primò , Virginem conceptam fuiſſe ſine peccato originali , conformiter ad piam intentionem Eccleſiæ ſanctæ , quæ ob hunc finem hodier-

nà die ſolemnitatem ipſius celebrar. Suppono ſecundò, Eccleſiam ſanctam celebrare ſub nomine Conceptionis Immaculatæ momentum illud, quo ipſius Virginis anima Deo fuit unita. Quibus ſuppoſitis, Dico Mariam amatam fuiſſe à Deo amore complacentiæ. Deus omnes amat homines, imò verò peccatores o [o Sap. 11. 25.]; non amat quidem crimina p [p Pſ. 5. 5.]. ſed diligit criminibus obnoxios, hos amat amore compaſſionis, ut eis bona præbeat, ut eorum miſereatur q [q Sap. 11. 24.]; illos verò, id eſt, alios homines amat, quia ſunt objectum, in quo ſibi complacet. Non poſſumus tamen aſſerere Deum eos amaſſe hoc amore complacentiæ in omnibus circumſtantijs vitæ ipſorum, quia alij vel fuerunt peccatores, vel ſaltem potuerunt eſſe. S. Joannes Baptiſta verè fuit amatus à Deo, quia ſanctificatus fuit in ventre matris ſuæ, ſed antea fuerat Dei inimicus per peccatum originale r [r Rom 5. 12.]. Sola Virgo Beatiſſima omnibus & ſingulis vitæ ſuæ momentis & circumſtantijs fuit objectum amoris, quo Deus complacuit ſibi, quia nullo fuit unquam peccato inquinata, *Quæretur peccatum illius, & non invenietur* Ipſa ſola meruit hunc intuitum, qui eſt Beatorum portio, quia triumphaverunt de peccato. Jeſus Chriſtus ipſo die glorioſæ Transfigurationis ſuæ, cùm ſe præſentavit Patri ſuo æterno, in ſuâ repræſentans omnes Electos perſonâ, audire meruit hanc vocem ab eodem Patre cœleſti prolatam, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* s [s Matth. 17. 5.]. Virgo ſanctiſſima fuit etiam objectum Divinæ complacentiæ, ſeu in quo Deus ſibi complacuit, ob quatuor convenientias, quæ inveniuntur inter ipſius Conceptionem & æternam Verbi Divini generationem.

Quæ prima obſervatur convenientia inter Conceptionem Mariæ & æternam Verbi Divini generationem, eſt, Quia Verbum Divinum eſt prima productio Patris cœleſtis in æternitate u [u Pſ. 2. 7.]: Beatiſſima verò Virgo ſecundùm dignitatem maternitatis, quæ hodie concipitur, eſt pulcherrimum & perfectiſſimum operum omnium, quæ unquam Deus produxerit, & poſſit producere extra ſe. Pater æternus producens Verbum Divinum, totam ſuam exhaurit potentiam; & hodiernâ die producens Mariam, quæ concipitur ſine peccato originali, ut elevetur ad Maternitatem Divinam; potentiæ ſuæ, quoad hoc opus, & quantùm ad cætera duo, de quibus ſuprà, limites veluti præſcripſit; cùm non ampliùs extendi poſſit ad aliquid mirabiliùs operandum.

Secunda convenientia eſt, quòd Pater æternus non ſolùm producit Verbum ſuum, non tantùm communicat illi naturam ſuam, ſed etiam virtutem ſuam & potentiam producendi cum ſeipſo in unitate principij, Spiritum ſanctum, qui eſt Deus. Ita Deus producit hodie beatam Virginem, illique communicat virtutem ſuam producendi, & hoc ſenſu ſunt intelligenda verba, quæ *Angelus dixit ei, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* x [x Luc. 1. 35.]. Ubi obſervandæ ſunt tres in Deo virtutes, Prima eſt illa, per quam Pater æternus ſeipſum contemplans, producit terminum ſuæ cognitionis, qui eſt Verbum Divinum, & hæc virtus propria eſt ſoli Patri. Secunda eſt ea, quam communicat Filio, per quam efficit, ut poſſit Filius cum ſeipſo in unitate principij producere Spiritum ſanctum. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo* y [y Joan. 5. 26.]. Tertia eſt ea, per quam Deus producit omnia alia extra ſe, & hæc eſt communis toti ſanctiſſimæ Trinitati. Deus non communicat hanc tertiam virtutem, neque primam; ſed communicavit quodammodo ſecundam beatiſſimæ Virgini, per quam fœcunda ita effecta eſt, ut Deum poſſet producere, *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Et hoc ex tunc quo recipit ſublimem Matris Dei qualitatem, non quidem quoad effectum, qui non debet eſſe niſi poſt aliquot annos; ſicut dicimus Chriſtum die Circumciſionis appellari Jeſum z [z Luc. 2. 21.], id eſt, Salvatorem, licèt nondum ſalvaſſet homines; hic enim effectus executioni duntaxat erat mandandus in monte Calvariâ, in quo cruci erat ſuffigendus a [a Joan. 19. 18. &c.], & totum ſuum pro nobis fuſurus ſanguinem.

Tertullianus b [b Tert. l. de Carne Chriſti. c. 4.] ait cum magnâ ſubtilitate, Patrem æternum tanti æſtimaſſe ſacram Filij ſui incarnati humanitatem, ut ad authoritatem huic maximo & admirabili myſterio Incarnationis conciliandam, reformaverit nativitatem ipſius temporalem auguſtis generationis æternæ qualitatibus; *Nativitate reformatâ regeneratione cœleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.* Pamelius c [c Pamel. num. 8. in hunc locum.] Scholiaſtes Tertulliani aſſerit, hunc locum eſſe explicandum de humanitate Filij Dei reformatâ qualitatibus generationis æternæ, dicens; *Agit de Nativitate Chriſti ita reformatâ, ut peccati expers fuerit.* Mulier præbere non poteſt homini niſi eſſe vile, & infinitis explicitum miſerijs, ait Job d [d Job 14. 1.], *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs.* Re enim verâ quibus non impetitur homo ex muliere natus infortunijs? Terminus vitæ ipſius omni adverſitatum genere terminatur æquè ac mille infelicitatibus; & nativitas ipſius eſt veluti flos qui ortus *manè* marceſcit *veſpere* e [e Pſ. 89. 6.]; vel *ſicut umbra* f [f Pſ. 143. 4.], quæ fugiendo diſſipatur, & evaneſcit. Idcircò Verbum Divinum ad hunc effectum alloquens in cœlis ſuum Patrem æternum, talem poterat proferre Sermonem ritè; Re quidem verâ Pater æterne, vehementi feror redimendorum omnium hominum deſiderio; ſed conditionem video hominum ex mulieribus naſcentium, ita vilem eſſe, deſpectam, ac contemptibilem; & hanc depreſſionem ita detrahere honori & nobilitati nativitatis meæ Divinæ, cùm nullam poſſideam aliam vitam niſi illam, quâ placet Divinæ Majeſtati tuæ me honorare, ut ferè repellar ab hoc deſiderio proſequendo; & parum abſit quin abdicem hanc voluntatem, & conſilium quo propoſueram hominibus labentibus manum dare, eoſque relevare. Deſidero quidem reparare lapſus & ruinas hujus naturæ convulſæ & dilaceratæ, quæque nullo poteſt è miſerijs ſuis reſurgere modo; ſed illius indignitas eſt obſtaculum generoſitati & gloriæ conſiliorum meorum oppoſitum.

Sed Pater æternus ipſum confirmat in bono conſilio formato, dicens ipſi; Fili mi dilecte, ego reformabo Incarnationem tuam, & nativitatem tuam temporalem generatione æternâ cum tantâ convenientiâ inter has duas generationes, ut nullum diſpendium honori tuo ſit irrogandum, nec ulla labes gloriæ tuæ inferenda; ſed Incarnatio erit ita pura & ſic nobilis, ut magnam ſit habitura conformitatem & inſignem convenientiam cum generatione æternâ, *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt* g [g Pſ. 144. 4.]. Hæ duæ generationes temporanea & æterna tantam habebunt inter ſe conformitatem & convenientiam, ut ambæ ſimul junctæ futuræ ſint ipſi Deo maximè jucundæ. Sciendum eſt autem nobis quem procedendi obſervet Deus modum

dum in reformandâ nativitate temporali ſui Filij generatione cœleſti & æternâ.

b S.Th. 1. p. q. 27 a. 2. in corp.

Tria obſervo ex S. Thomâ *b*, quæ ſummè mirabilem ac eximiam reddunt hanc æternam Verbi divini generationem. Primum, Verbum divinum naſci a Patre, qui per potentiam infinitam habet virtutem duorum quæ concurrunt ad generationem, *Proceſsio, ſecundùm quam Verbum in Divinis procedit, eſt generatio.* Secundum, Ipſum naſci ex intellectu Patris, *Procedit enim per modum intelligibilis actionis*; Eccleſia verò ait, *Et ex Patre natum ante omnia ſecula.* Tertium, Patrem & Filium eſſe unam & eandem ſubſtantiam *; *Verbum procedens procedit ut ejuſdem naturæ ſubſiſtens; & intelligere Divinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis.* Unde quartum infero, Patrem ipſum Verbum ab æterno generare, *Ex utero ante Luciferum genui te r. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te s.* Ideſt, in æternitate, quæ eſt tota ſimul indiviſibiliter. Pater autem æternus voluit ut hæc quatuor mirabilia occurrerent in Incarnatione & nativitate Filij ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſplendidior & glorioſior efficeretur; quod Tertullianus apprimè vocavit reformationem, cùm dixit ſuprà: *Nativitate reformatâ regeneratione cœleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.*

* ex Joã. 10. 30.

r Pſ.109. 4.

s Pſ.2. 7.

t Baruch. 3. 25.

u Pſ.71. 17.

Quoad primum, nimirum Verbum divinum natum ab omni æternitate à Patre, qui per potentiam ſuam infinitam *t*, habet in ſe virtutem duorum, quæ concurrunt ad generationem; David *u* loqui videtur de hâc æternâ generatione, cùm ait, *Ante Solem permanet Nomen ejus.* Quod Genebrardus ſcribens in hunc locum vertit, *Filiabitur.* Et Cajetanus *x*, *Faciebus Solis filiabitur.* Pater æternus intuens ſe in ſpeculo radiorum Solis ſui, generavit Filium momento indiviſibili ſuæ felicitatis ſempiternæ; in quo intuitu æterno non ſolùm comprehendit totam eſſentiam ſuam divinam; ſed etiam quidquid poterat ab eâ emanare; adoranda ſua attributa, & ſummas ſuas perfectiones; hæc omnia conſideravit, univerſa penetravit, genuit terminum ſubſtantialem omninò æqualem ſuæ divinæ cognitioni, & imaginem vivam ſuarum perfectionum, putà Filium ſuum divinum. S. Ambroſius *y* præ magnâ loquitur eloquentiâ de fœcunditate intellectus Patris æterni, cùm ait, fœcundam Patris potentiam futuram ipſi fidelem ſociam ad generandum Filium; Pater enim æternus eſt præditus ſecretâ virtute, quæ obit officium matris, *Ita etiam Patris ſpiritalis eſt vulva, interioris arcanum, de quo tanquam ex genitali alvo proceſsit Filius.* Cui conformiter S. Gregorius Nicenus *z* ait; *Ita ſe habet cum Patre, ut cum mente Verbum & Oratio; non ſolùm propter ortum, qui ſine ullâ fuit affectione, verùm etiam propter conjunctionem cum Patre, & quia voluntatem ejus annunciat.* Et ſic hâc magnitudine vult Pater æternus reformare nativitatem temporalem Verbi divini. Idcircò dicit ei; Ne recuſes humanam aſſumere naturam; tibi enim dabo Matrem Virginem & impollutam, quam præſervabo à peccati originalis labe, cujus virginitas adjuta fœcunditate Spiritus ſancti erit agens ad te generandum: & ſicut in cœlo Patrem habes ſine matre, ita & in terrâ Matrem habebis ſine Patre. Hoc autem eſt quod Tertullianus intelligit his verbis, *Nativitate reformatâ regeneratione cœleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.* Et Pſalmographus iſtis, *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.* Ob convenientiam quæ reperitur inter utramque.

x Cajet. citatâ Lorin. in Pſ.71.17.

y S. Amb. tract. de Benedict. Patriarch. c. 11.

z S. Gregor. Nyc. in fragment. de Cognitione Dei.

a Ruper. in Matth. 1.

Secunda perfectio, quæ ingreditur generationem æternam Verbi divini, eſt ipſum eſſe natum ex intellectu Patris ſui: Atqui voluit hanc eamdem perfectionem includi in generatione temporali filij ſui; ita ut, antequàm hic Filius conciperetur in puris viſceribus ſacratiſſimæ Virginis, voluerit ut ipſa conciperet eum in mente ſuâ, ut hæ duæ generationes planè forent ſimiles. Ita ſentit Rupertus *a*, qui ait, ipſum Patrem, quia cor Mariæ ſemper obediens fuerat & apertum divinis voluntatibus, voluiſſe generationem Filij Virginis ſimilem futuram generationi æternæ; ideòque effeciſſe ut ipſa conciperet potiùs Filium ſuum in mente, quam in carne *b*. Hanc propoſitionem confirmo ſubtilitate ejuſdem Ruperti; qui ait quòd Spiritus ſanctus præſideret ſemper Mariæ & Joſepho ſponſo ipſius; *Quòd conjugum vita ſive conjunctio fuerit tota cœleſtis, & Spiritus ſanctus amborum conjugalis amor, quorum utique converſatio erat in cœlis c, in ambobus præſidens, conjugem hujus viri fidei commiſerit; & de carne Virginis hominem formans, paterno viro huic ejus, qui naſcebatur, infantis amorem penitùs infuderit.*

b Luc. 1. 38.

c ex Philipp. 3. 20.

Ratio autem Ruperti hæc eſt, Quia Virgo puriſſima licèt à peccato originali immunis fuiſſet concepta, & in puritate vixiſſet totius vitæ ſuæ decurſu in carne mortali, ac ſi vixiſſet in ſpiritu more Angelorum, & ſic nullâ fuiſſet unquam peccati labe inquinata; erat ipſa nihilominus creatura, cujus qualitates excedere non poterant limites à Deo naturæ præſcriptos; & ſic cùm eſſet limitata in operationibus ſuis, quæ procedebant à principio creato terminis circumſcripto [illegible] ut ſic nullo modo poterat habere donum ſapientiæ increatæ & infinitæ; quod requirebatur & erat abſolutè neceſſarium ut poſſet interius in corde intellectualiter concipere Verbum divinum. Voluit igitur Deus ut Spiritus ſanctus illi præſideret, ut ei auxiliaretur, & ſupplementum afferret ſapientiæ, quæ in eâ deſideraretur, eo modo qui foret ipſi poſſibilis; eodem omninò pacto quo ſe gerit Doctor, qui Præſidem agens actui celebri alicujus Scholaſtici Sorbonici v.g. ſupplementum affert defectui ſcientię ipſius, eo modo qui poſſibilis eſt ipſi. Eodem more Pater æternus reformat generationem temporalem Filij ſui æternâ generatione; *Nativitate reformatâ regeneratione cœleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.*

d Joan. 14.10.

e Damiã. Serm. 1. de Nativ. B. Mariæ.

f ex Act. 17. 28.

Tertium mirabile quod ingreditur æternam divini Verbi generationem, deſumitur ex eo, quòd Verbum divinum eſt conſubſtantiale Patri *d*: Atqui mirabile ejuſdem rationis occurrit in generatione temporaneâ Filij Dei. Secundùm naturam quippe humanam fuit filius Matris ſuæ, naturalis, & ambo fuerunt unica tantùm ſubſtantia, & una caro, ut ait Cardinalis Petrus Damianus *e*, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis f, primo modo eſſentialiter; ſecundo modo, operatione; ineſt & illuminatione: quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa.* Hinc infertur manifeſtè, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ſanctiſſimam Virginem ipſius Matrem habuiſſe eamdem carnem, eumdem ſpiritum, & eamdem charitatem; & ſic eos eſſe unicam tantùm ſubſtantiam.

Quartum mirabile, quod reddit generationem æternam Verbi divini ita ſublimem, perfectam, & conſummatam, educitur è nativitate continuâ, quam Filius Dei accepit ab æterno à Patris ſui intellectu fœcundo, qui ipſum generat ſine ullâ in-

 tere-

[g Pſ. 109. 3.] terruptione *in ſplendoribus Sanctorum* g omnium momento indiviſibili æternæ felicitatis ſuæ. Atqui beatiſſima Virgo Maria, myſticè loquendo, idem peragit erga Filium ſuum; illum enim concipit, illum generat, atque parit ſpiritualiter ſine ullâ interruptione; ipſa quippe denuò formare deſiderat unicum filium ſuum in univerſis illis, quibus hæc accidit felicitas ut ſint adoptivi Dei *filij,* [h Rom. 8. 17.] *& hæredes; cohæredes autem Chriſti* h; quos etiam [i Jacob. 1. 18.] genuerit Deus *voluntariè verbo veritatis, ut initium aliquod creaturæ ejus* i ſint; attamen non deſinit ipſos diebus ſingulis parere votis ac affectibus miſericordiæ, iterùmque parturire ac *iterùm donec* [k Galat. 4. 19.] *formetur Chriſtus in* k illis. Ergo hæc Sanctiſſima deſiderabat eum pro utilitate & ſalute totius humani generis iterùm concipere, ſed quia realiter hoc erat impoſſibile; eum concipit deſiderio & affectu, ut in omnibus quatenus poſſibile eſt, generatio temporanea æternæ ſimilis efficiatur.

[l Matth. 1. 18.] S. Matthæus l loquens de generatione temporali Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſic loquitur: *Chriſti autem generatio ſic erat.* Hoc verbum, *Erat*, de- [m Joan. 1. 1. &c.] notat æternitatem, ut ſatis oſtendit S. Joannes *m. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Videtur S. Matthæus loquens de hâc generatione humanâ, debuiſſe dicere, *Chriſti autem generatio ſic fuit.* Cur igitur dixit? *Sic erat.* Ratio iſtius eſt, Qſſa cùm Pater æternus eam correxiſſet & reformaſſet qualitatibus mirabilibus generationis æternæ, credidit temporaneam non multùm debuiſſe cedere huic puritati infinitæ. Et ſic, ut videtis, manifeſtus eſt ſenſus verborum Tertulliani, *Nativitate reformatâ regeneratione cæleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.* Sicut & iſtorum Pſalmis, *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.* Utraque generatio tam temporanea, quàm æterna multum jucunda fuit Deo, quia in ambabus invenit delicias ſuas, & ſibi complacuit. In hoc autem myſterio oſtendit Deus unitatem omnipotentiæ ſuæ magnitudinem, ſuæ ſapientiæ theſauros reconditos, & immenſas amoris ſui & liberalitatis ſuæ amplitudines atque extenſiones, ut ait David, *Inclinavit cœlos, & deſcendit* n. Unde obiter diſcere debemus, [n Pſ. 17. 10.] quomodo debeamus nos diſponere ad recipiendum ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quantâ reverentiâ & puritate accedere teneamur ad ſacratiſſimam Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti communionem, quæ eſt veluti altera Incarnatio, ſeu, ut loquuntur ſancti Eccleſiæ Patres, Incarnationis extenſio; ut Filius Dei uniatur nobis in hoc Sacramento ad noſtram ſa- [o 1. Cor. 11. 28. & 29.] lutem, non autem ad noſtram damnationem o.

Tertia convenientia, quam ſanctiſſima Virgo Maria in Conceptione ſuâ immaculatâ habuit cum æternâ Verbi divini generatione, in eo ſita eſt, quòd ſicut Verbum divinum refert id omne quod habet, & id omne quod eſt, ad Patrem ſuum ut ad ſuum principium, à quo procedit, & à quo vitam haurit; eodem modo ſanctiſſima Virgo Maria ipſo immaculatæ ſuæ Conceptionis momento refert ad Deum ut ad ſuum principium, totum eſſe ſuum, omnes ſuas virtutes, omnia ſua merita, omnes ſuas cogitationes, omnes ſuos affectus, & quidquid erat operatura boni toto vitæ ſuæ puriſſimæ decurſu; nam ipſo inſtanti Conceptionis ſuę irradiata fuit interiùs in corde, lumine ſupernaturali à Deo extraordinariè ipſi infuſo, & ex tunc ſatis in ipſa viguit rationis, quâ agnoſceret Deum ſuum, & dependentiam quam habebat reſpectu illius, a quo recipiebat ipſa quodcunque habebat; & obligationem quâ tenebatur ex tunc ſeſe illi offerre. Si autem S. Joannes Baptiſta, licèt maternis adhuc incluſus viſceribus, exultavit prę gaudio, ſexto poſt conceptionem menſe, Dei Filium ad ipſum approximantem veluti ſentiens tempore quo viſitabatur mater ipſius à Virgine Deiparâ, *Et factum eſt ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* p; ſi Domi- [p Luc. 1. 41.] num ſuum agnovit, anticipato ipſi rationis uſu, ſi Deum ſuum adoravit: Nonne potiori ratione debemus id aſſerere de beatiſſimâ Virgine, quę ſola recepit plus gratię & ſanctitatis, quàm omnes Sancti ſimul, cùm receperit Authorem ipſum gratię q, & ſanctitatis r. [q Joan. 1. 17.]

Non eſt diffitendum, multos re verâ fuiſſe [r Matt. 2. 24. & Luc. 4. 34.] Sanctus, plures Apoſtolos, & plurimos Martyres, Confeſſores, Virgines, & alios; ſed illi nihil amplius habebant, quàm weſſent filij Dei, filij adoptionis & gratię; ſed unica tantùm fuit Mater Dei; & gratia, quâ inſignita fuit Maria ipſo Immaculatę Conceptionis ſuę momento, non ſolùm infinitè antecellit gratiam, quę ſimul omnibus fuit conceſſa Sanctis. Licèt autem S. Joachimus & S. Anna ſanctiſſimi Marię parentes jam ſenio confecti ſanctiſſimam hanc produxerint Puellam; non eſt propterea exiſtimandum, illos fuiſſe ſteriles; ſed Deus eos diſponebat ut illorum interventu effectum operaretur ipſe miraculoſum; in illis parabatur quippe quod ſupra naturam fieret: Eodem planè modo quo terra, in quâ aurum generatur, licèt nullam herbam plantamve producat, non debet ob id vocari ſterilis & infœcunda; ſed potiùs dicendum, naturam ſe diſponere & pręparare ad producendum ext•ordinarium effectum in generatione hujus pretioſi metalli, quod omnes concupiſcunt. Sanctiſſima Virgo Maria ex ipſo momento felici Immaculatę Conceptionis ſuę refert eſſe ſuum, vitam ſuam, omnes cogitationes ſuas, omnia deſideria ſua, & univerſos affectus ſuos ad Deum tanquam ad principium ſuum, à quo ipſa hauſit hęc omnia. Heu! fortaſſis per tot annorum curricula, quibus in hoc converſamur mundo, nunquam, aut ſaltem raro gratiarum actionem Deo retulimus pro univerſis beneficijs ab ipſo ſuſceptis. Debemus igitur ad imitationem Marię nos Deo penitus offerre, à quo accepimus id omne quod in nobis eſt.

Quarta convenientia quę eſt inter Conceptionem Marię & ęternam Verbi divini generationem, in eo ſita eſt, quòd ſicut Verbum è ſinu Patris exit, *Exivi à Patre* t, quem tamen non deſerit, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* u, ſed ſe viſibile [t Joan. 16. 28.] exhibet: Sic beatiſſima Virgo licèt exeat à Deo [u Joan. 1. 18.] per creationem x, manet tamen ſemper unita [x Gen. 2. 7.] Deo, non per identitatem naturę, cùm ſit creatura, ſed per conformitatem mentis & voluntatis; Deo *adhæret, unus ſpiritus eſt* y cum eo, ita ut ab eo [y 1. Cor. 6. 17.] nunquam ſeparetur. Hę ſunt quatuor convenientię beatiſſimę Virginis Marię Conceptionem Immaculatam z commendantes, & reddentes [z Cant. 4. 7.] eam objectum divinę complacentię.

Secundum privilegium, quo inſignita fuit bea- [II. Pars.] tiſſima Virgo ipſo Conceptionis ſuę momento, eſt impeccabilitas. Non ſolùm Deus pręvenit eam gratiâ ſuâ *in benedictionibus dulcedinis* a, pręſervans eam à peccato originali; imò verò reddidit eam peccati incapacem perpetrandi. Quod ut [a Pſ. 20. 4.] intelligatur, Obſervandum eſt triplex gratię genus.

nus. Prima gratia eſt ea, quæ aufert peccatum originale, aut actuale; ſed non tollit inclinationem ad peccatum; & hæc eſt gratia Baptiſmi *b*, aut Pœnitentiæ *c*. Per Baptiſmum enim non aufertur à nobis fomes peccati, nec concupiſcentia, licèt poſſit infirmari, ut ait S. Auguſtinus *d*, *Concupiſcentia quotidie poteſt minui, ſed non poteſt finiri.* Vocare ſolemus infantes baptizatos, innocentes, iis blandimur, illos oſculamur, licèt manus habeant quæ poterunt aliquando patrare homicidia, & corda capacia patrandorum enormium facinorum temporis ſucceſſu, quorum priùs conſilia formaverint, quia concupiſcentia ſemper manet, etiamſi peccatum deletum fuerit. Secunda gratia eſt ea, quæ non ſolùm deſtruit peccatum, ſed etiam inclinationem ad peccatum; & hæc eſt quam Spiritus ſanctus infudit Apoſtolis, qui *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* *e*. Tertia verò gratia eſt illa, quæ deſtruit peccatum, aufert inclinationem ad malum, & reddit impeccabiles; & hæc eſt gratia Beatorum *f*.

b Joan. 3.5. *c* Luc. 13.3. *d* S. Aug. Serm. 45. de Tẽp. c. 5. ex Rom. 7. 23. *e* Act. 2. 4. &c. *f* Pſ. 83. 12.

Non eſt propterea ſic loquendum de Virgine Deiparâ; non enim accepit gratiam, quæ deſtruxerit peccatum in ipsâ; illud enim nunquam contraxit: ſed inſignita fuit gratiâ, quæ ipſam præſervavit, quę in ipſâ impedivit inclinationem ad peccatum, & libertatem faciendi mali; ſed ob id non erat tamen minùs libera. Sciendum enim eſt duplex admitti libertatis genus. Datur libertas Adæ, & libertas Chriſti. Libertas Adæ eſt poteſtas facere malum & bonum, *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit* *g*. Libertas Chriſti eſt ea, quæ ſolum bonum intuetur, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* *h*. Si autem gratia eſt meritorum regula, concludere poſſumus in favorem beatiſſimæ Virginis, cum acceperit plus gratiæ, quam omnes ſimul creaturæ, & gratiam eminentiſſimam, quam pura poſſit recipere creatura, putà gratiam Maternitatis divinæ; ipſam maximis cumulatam meritis præ aliis Sanctis, & Angelis. Agnoſcit ipſa unicum duntaxat Deum ſupra ſe, & reſpicit omne, quod Deus non eſt, infra ſe.

g Eccli. 31. 10. *h* Galat. 4. 31.

III. Part. Tertium privilegium eſt, beatiſſimam Virginem accepiſſe gratiam faciendi, dicendi, & patiendi omnia propter purum Amorem Dei, quod invenitur perfectè tantum in cœlo. Cujus veritatis ratio eſt, Quia duo ſint principia actionum noſtrarum, Amor Dei, & amor noſtri. Agere tantùm ob Amorem Dei, reperitur tantùm in cœlo; quandiu enim in mundo converſamur, amor noſtri nos poſſidet, ſuos in nobis operatur effectus; & ſi actiones noſtras non efficit criminibus obnoxias, eas ſaltem labe aliquâ inquinat: omnia ordinariè facimus, vel quia naturali ad ea trahimur inclinatione, aut quoniam ad illa nos invitant noſtra commoda. Secunda ratio deſumitur è divinâ Juſtitiâ, cui debemus ſatisfacere *i*; Nullus eſt Sanctus qui peccato originali non fuerit inquinatus, & actuali; naſcimur omnes inimici Dei, *Omnes nos naturâ eramus filii iræ, ſicut & cæteri* *k*. Et omne bonum quod facimus, nullo modo poteſt æquiparari malo, quod commiſimus vel ſolâ actione, nec injuriam reparare per peccatum Deo irrogatam, quia intuetur objectum infinitum *l*; virtutes verò noſtræ prodeunt è ſubjecto, quod habet meritis præſcriptos limites. Martyres ipſi qui vitas ſuas Deo conſecrabant, exponentes eas carnificum manibus dirè excipiendas, eas perſæpè inſumpſerant in occaſionibus quæ Deo diſplicuerant; & licèt centum tradidiſſent vitas, nunquam tamen ſatis compenſaſſent beneficium quod acceperant a Deo, quòd ipſe ſe pro ipſis priùs tradidiſſet *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* *m*. Omnia ſupplicia ipſorum nihil erant, comparata iis, quæ Chriſtus pro ipſis fuerat perpeſſus, & conſequenter non erant idonei rependendis Salvatori condignis gratiarum actionibus pro beneficio ab ipſius benignitate ſuſcepto. Atqui beatiſſima Virgo immunis erat & ab hoc defectu, & ab obligatione ad ſatiſfaciendum divinæ Juſtitiæ; nunquam enim experta fuit furias paſſionum, nec rebelliones partis inferioris; amor proprius nunquam puritatem intentionum ipſius inquinavit: nullam etiam contraxerat obligationem ad ſatisfaciendum Deo, quia ipſa nunquam peccaverat. Sequitur ergo, quòd omnia quæ agebat, operaretur propter Amorem Dei, ſicut Beati qui Deo ſatisfecerunt aut in hoc mundo per *pœnitentiam* *n*, & per opera mortificationis, vigiliarum, jejuniorum, orationum, & eleemoſynarum *o*; vel in purgatorio *p*. Et hæc ſunt tria privilegia, quæ eminenter illuſtrem efficiunt gloriam Immaculatæ Conceptionis beatiſſimæ Virginis Mariæ; quia fuit objectum divinæ complacentiæ; quia fuit impeccabilis; & quia omnia fecit, dixit, & paſſa eſt propter purum Amorem Dei, quæ ſunt portio Beatorum cœli Empyrei incolarum.

i Rom. 2. 6. *k* Epheſ. 2. 3. *l* Baruch. 3. 25. *m* Epheſ. 5. 2. *n* Luc. 13. 5. *o* Tob. 12. 8. & 9. *p* Matth. 5. 26. & 27.

Beatiſſima Virgo fuit perfectiſſima, & omni genere maximè abſoluta inter omnes creaturas, quæ è Dei manibus fuit egreſſæ; ipſa ſola plus gratiarum & privilegiorum ſuſcepit, quàm collatum fuerit illis omnibus ſimul ſumptis, cùm incomparabiliter & infinitè omnes homines & Angelos, imò verò & ſublimiſſimos Seraphinos antecellat. Merita ipſius ſingularia, & excellentia incomparabilis exigunt a me ut ipſi honores deferam, ut reverentias exhibeam tanquam Genitrici Domini mei ſupremi, & Reparatoris noſtræ naturæ; & hoc eſt quod vos, Auditores, ſeriæ mandare tenemini executioni. Conſideratio ſiquidè ſingularium perfectionum ipſius, veſtrarum jure merito penſa requirit devotionum; alioquin tetrâ ac atroci ingrati animi labe notaremini, quæ vix conſequeretur veniam, ſi non coleretis eam, quæ fuit principium veſtræ ſalutis; & conſequenter conari debetis eam imitari, & veſtigiis ejus inhærere, ſi non per conditionem naturæ, cùm ipſa longè vos antecellat; ſaltem quantùm in vobis erit, per amorem & per affectum.

Beatiſſima Virgo fuit objectum complacentiæ Dei, & ſubjectum Amoris ipſius; fuitque impeccabilis. Nihil eſt certius me eſſe ſubjectum indignationum ejuſdem Dei, & objectum iracundiæ ipſius: crimina & ſcelera vitæ meæ pravæ inter diſſolutiones & facinora tranſactæ ſatis edocent me hanc veritatem Sole ipſo clariorem; & conſcientia, quam continuè & ſine intermiſſione rodit vermis implacabilis, qui nullis ipſi blanditur induciis, nimis jam mihi perſuadet, *Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis; ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia* *q*. Quodnam conſilium mihi eſt capiendum? quale remedium eſt adhibendum inter circumſtantias æternæ ſaluti meæ adverſantes? Excutiendum eſt peccati jugum, deſerendi ſunt pravi habitus, renunciandum eſt diſſolutionibus & impuritatibus, quæ pudorem fronti, & faciei confuſionem imprimerant, ut poſſimus amari à Deo Amore, quo ipſe complacuit ſibi, ut tandem dicere valeat præ veritate, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum* *r*, converg-

q Sap. 17. 10. *r* Prov. 8. 31.

a Baruch. 3.38.
z Osee 2. 14.

verſari *cum hominibus* z, ducere eos *in ſolitudinem, & ad cor* t eorum loqui. Scio equidem, ſed ſcientiâ certâ, & cognitione quæ doloris non eſt expers, me non poſſe ex me ipſo hujus gratiæ capacem effici, *Quia*, Dei Filius ait, *ſine me nihil poteſtis facere* u. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* x; tribus fulti validis motivis, quia Maria, quæ thronus eſt gratiæ divinæ, eſt potens, cùm ſit Mater Omnipotentis; Sapiens, cùm ipſa produxerit Sapientiam incarnatam; & miſericors, eò quòd in lucem ediderit ipſum Miſericordiæ parentem; & ſic non deeſt ei potentia, neque ſapientia, neque miſericordia, ut eam nobis dignetur impetrare. Tandem, Conceptio beatiſſimæ Virginis puriſſima fuit. Debemus igitur eam imitari, & efficere, ut cogitationes & conceptiones noſtræ ſint puræ; removere à nobis omne genus impuritatis; id quod nos poteſt inquinare; purificare omnes intentiones noſtras, ut poſſimus aliquam præ nobis ferre conformitatem cum illâ, quæ omnia dixit, fecit, & paſſa eſt propter purum Amorem Dei, & quæ nunc eſt unita cum ipsâ Puritate y per eſſentiam, quæ eſt Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

u Joan. 15.5.
x Hebr. 4.16.
y Iſa. 6. 3.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Matth. 11. 7. & 8.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Genef. 22. 9. &c.

ANnunciavi vobis nuper amorem, quo ſuum proſequitur pater filium unicum, vehementem eſſe paſſionem, quà nihil amet præter illum, nec honores, nec officia, nec divitias, nec voluptates. Licèt verum ſit, quòd Abraham *erat dives valdè in poſſeſſione auri & argenti* a, & pingues poſſideret agros, & ingentem penes ſe haberet regionem; etiamſi quàmplurimis dominaretur vernaculis & ſervis b; & diligeretur ac coleretur ab omnibus Orientalibus ut Princeps inclytus; nihil tamen hæc omnia ducit, miſerum ſe autumat eſſe ac pauperem, quandiu non habet filium, in quo ſuum collocet affectum, & cui moriturus ſua poſſit relinquere, honorum æquè ac bonorum hæredem eum conſtituendo. Verùm enim verò humilem, ob hunc finem Deo præſentat ſupplicationem, *Mihi non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit* c. Sed ſtatim ac dilectum ſuſcepit Iſaac d, ſe nimis felicem exiſtimat ac prædivitem; & in ſolâ perſonâ Iſaac credit ſe poſſidere omnes honores & magnitudines æquè ac bona poſſibilia. Nec hallucinatur Abraham; filius enim virtutibus præditus, quibus inſtructus erat Iſaac, chariſſimus & pretioſiſſimus eſt patri ſuo theſaurus.

a Gen. 13. 2. &c.
b Gen. 14. 14.
c Gen. 15. 3.
d Gen. 21. 2.

Ob longam filij ſui abſentiam affecta tædio mater Tobiæ in hæc erumpebat verba, *Heu, heu me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis* e. Filius, qualis erat Iſaac, & Tobias, omnes honores continet æquè ac divitias poſſibiles, & eſt compendium omnium bonorum, & honorum, quæ poſſit pater concupiſcere; & tandem eſt veluti imago beatitudinis æternæ. *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum* f, eumque beatum efficit, quantùm poteſt eſſe felix homo in hoc ſeculo.

e Tob. 10. 4. & 5.
f Boet. l. 3. de Conſol. Philoſ. proſ. 2.

Pergens ſacrificatum Iſaac filium ſuum Patriarcha noſter, proponit immolare Deo in perſonâ illius omnes honores ſuos, & univerſas divitias ſuas, ambas iſtas intelligo paſſiones, ſeu affectiones; affectum honoris, ſeu ambitionis; & affectionem divitiarum, ſeu avaritiam, de quâ jam locutus ſum vobis. *Deus etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: etiam cum illo omnia nobis donavit* g. Præbens nobis ſuum Filium Pater æternus, omnes eſt impertitus nobis paradiſi theſauros, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* i. Suum nobis tradidit honorem, imò & Divinitatem ſuam, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* k. Suum jam jam immolaturus Deo dilectum filium Iſaac Abrahamus, ſacrificat ei in perſonâ illius omne bonum ſuum, ac honorem cum amore quo affici poterat erga utrumque, tam erga divitias, de quibus diſſerui vobis nuper, quam erga ambitionem, quam deſpicit hodiernâ die etiam S. Joannes Baptiſta in deſertum profectus. *Quid exiſtis in deſertum videre*, ait Chriſtus; *arundinem vento agitatam?* Quod ſic interpretatur Hugo Cardinalis, *Id eſt, magnum literatum; arundine enim ſcribitur, ſed agitatum vento inanis gloriæ* l? Sed quid ſubdit Hugo? *Hilarius per arundinem deſignat animum cognitione Dei vacuum: quem nec habebat Ioannes, qui nec proſperis erigebatur* per ſuperbiam, & ambitionem. *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt, id eſt, in palatijs Principum*, exponit Dionyſius Carthuſianus m, in quibus maximè viget ambitio & ſuperbia, cujus expers erat Maria reſpondens, *Ecce ancilla Domini* n, Angelo dicenti ipſi, *Ave Maria.*

g Rom. 8. 31. & 32.
i Coloſſ. 2. 3.
k Coloſſ. 2. 9.
l Hug. Card. in Matth. 11. 7.
m Dion. Carth. art. 20. in Matth. 11. 8.
n Luc. 1. 38.

Sacra nobis inſpirant Eloquia, quòd *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* o. Videtur iſtos procedendi modos Dei imitari ſuperbia & ambitio, & lex mundi Legi Dei aſſimilari: ſi enim aliquam præ ſe fert mundus gloriam, illam non niſi poſt longas ac diuturnas impertitur tolerantias; & profunda crucis amplexandæ & colendæ humilitas, quæ eſt regia via ad paradiſum cœleſtem pandens aditum, eſt etiam vehiculum ad magnitudines, quibus conſequendis inhiant animæ ſuperbæ & ambitioſæ. Mundus & fortuna eodem ſe planè gerunt modo, quo ignis, cujus actio potentiſſima ad cineres terminatur; ſplendorem tantillum emittit, qui tandem in cineres

o Luc. 24. 26.

deſi-

[p Gen. 3. 19.] deſinit. Mors in cineres redigit homines p media inter ipſorum conſilia excelſiſſima, cùm *cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire* q, [q Pſ. 20. 12.] omnia prorſus amittentes eo ipſo, quo omnia ſibi acquiſita imaginabantur; & in præceps corruentes, cùm maximam autumabant adeptos ſe fuiſſe celſitudinem.

Verùm enim verò niſi nos omnes duxiſſemus [r Gen. 4. 1. &c.] originem auguſtam è Protoplaſto r Rege, quippe qui ſceptrum Regiæ ſuæ majeſtatis inſigne detulit, & quem mundus ut ſuum agnovit Dominum priſcis temporibus diademate ſplendenti re- [s Gen. 1. 28.] nitentem s; nobis non eſſet ita naturalis ſuperbia & ambitio; ſed cùm è trunco ſic nobili ac glorioſo noſtra fuerimus auſpicati natalitia, remanſit nobis ſuperbia in noſtra depreſſione, ut miseranda originis noſtræ nota. Idcircò ad dignitates ac officia aſpirat unuſquiſque poſſidenda; nec ullus eſt qui non exiſtimet ſe jure merito repetere poſſe partem imperij, quod noſtri poſſederunt olim Protoplaſti, cùm univerſim totius orbis erant Domini. Nobis veluti juris titulo aſciſcimus præ- [t Rom. 5. 12.] rogativam, quam peccato amiſimus t; & appetitus regnandi in noſtrâ jugiter ſubſiſtit miſeriâ. Res inaudita! e ſuâ nec tantillum exciderunt dæmones ſuperbiâ & ambitione, ab ipſo momento quo Deus eos è cœlo ignominioſe expulit, cùm thronum ipſius ſacrilego auſu invadere contenderent, & ideò ſemper dicunt cum Lucifero ſuperbiæ duce, *in corde ſuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad* [u Iſa. 14. 13.] *infernum detraheris in profundum laci* u. In ſuis ſunt ſuperbi & ambitioſi ſupplicijs diaboli; meminerunt è quonam lapſi fuerint ſtatu, & memoria conditionis ipſorum non ſinit ut vivant in eâ humilitate, quæ obſervatur in miſeris; è contrà in ſuis jugiter perſeverant ambitioſis conſilijs: & quia impoſſibile eſt ut *ſuper aſtra Dei ſolium* ſuum exaltent, & thronum ſuum ſuper Sole conſtituant, eum collocare conantur ſuper Juſtis, qui ſunt *quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpe-* [x Dan. 12. 3.] *tuas æternitates* x.

Sed è ſuâ nihil aliud educunt ſuperbiâ & ambitione, niſi confuſionem & opprobrium; & pudor, quo ſuffunduntur, omnem gloriam conſiliorum ipſorum offundit caligine. Gratia enim quæ iſtam tumidam ac ambitioſam perpeti non poteſt elevationem, officium obit Archangeli [y Apoc. 12. 7. & 8] ſancti Michaelis y in animâ, quæ locum jam præbuit his injuſtis uſurpatoribus regni Dei; & inde expellit diabolum præ dedecore, nedum ambitio ipſius ad aliquid ipſimet inſervire poſſit diabolo, niſi ut novas ei producat pœnas, ipſumque propria ſic afficit vana gloria, ut ad eam anhelet per tormenta & ſupplicia. Res ſanguineis deflenda lacrymis! Homines imitantur diabolum, & vanitas efficit ut exiguos, qui nihil durant, inquirant honores, quoſque expectare non poſſunt niſi præ maximâ inquietudine. Poſt fumum currunt, qui ipſis eſt importunus, eumque pretio quietis ſuæ violatæ conſequuntur, & ita inſipienter ac illi, qui à magis caro, emunt pretio ventos, qui navim ipſorum ſunt agitaturi, & funeſtum ipſis molituri naufragium. Hoc ſenſim ſine [Diviſio.] ſenſu induxit me ut oſtenderem vobis primò infelicitatem & funeſtum finem ſuperborum & ambitioſorum; Cùm ſecundò perſequatur eos Deus ut inimicos, gloriam ipſius volentes eripere.

[I. Pars.] Veritas eſt indubitata, Auditores, tempeſtatem non eſſe ſic periculoſam navibus mari proceloſo expoſitis, & velo explicatis medias inter undas tumentes fluctuantibus; nec primigenijs Aquilonem infeſtum floribus, nec grandinem ſpecioſis & prædivitibus importunam meſſibus, ac ſuperbia & ambitio eſt ipſis injurioſa animabus. Quonam nihil eſt, quod magis labi nos efficiat in proclive innumerarum infelicitatum, quam hæc cupiditas gloriæ & vanitatis. Ipſa quippe eſt infidelis, quæ gaudio operit ficto ſua lenocinia, & proſperitate & magnitudine imaginariâ. Ipſa eſt quædam ſpecies mandragoræ, cujus uſus ſumentes à ſanâ mente alienos conſtituit. Ipſa tandem eſt via ſemifracta, quæ ad inopinata ducens præcipitia, & ad fatales inſidias, noſtros omnes ſtupore concutit ſenſus, & omnimodam illorum molitur ruinam ac deſtructionem, ut ſecuriſſimo noſtro eclypſim infundat oblectamento, noſque ultimo noſtro privet bono & ſummâ felicitate, in quâ ſitum eſt *omne bonum* z noſtrum. Nihil igitur infelicius ſuperbo & ambitioſo. [z Exod. 33. 19.]

Error eſt immodicus, in excelſis eſſe ſitam felicitatem magnitudinibus. Superbiæ & ambitioni nunquam fit ſatis; illa eſt ſemper inquieta, jugiter exagitata, & varijs ac pungentibus ſine intermiſſione anxiata cogitationibus. Ipſa ſicut *ignis nunquam dicit, Sufficit* a. Quippe quæ eſt inſatiabilis. Ambitionem non ſatiant omnia ſceptra, nec omnia totius orbis diademata. [a Prov. 30. 16.] Hæc paſſio ſeu affectio immodica eſt veluti ignis, qui eò magis ſuum auget incendium, quò majus & copioſius ſubminiſtratur ipſi pabulum comburendum. Poſt deſtructas tot civitates, poſt tot homicidia patrata, poſt tantum effuſum ſanguinem, & tot erepta bona, in quonam ſitum eſt oblectamentum Alexandri Magni, qui novos etiam debellandos concupiſcit orbes, quique non ſatis numeroſos obvios habet populos, quos in captivitatem redigat, & ſuæ ditioni ſubjiciat? Suam profligaverat ambitioſus hic Monarcha ſub immodicarum paſſionum imperio tyrannico libertatem: Progrediebatur ſemper in hâc ambitioſâ viâ, nec ſuum retinere poterat lapſum, iter pergens lubricum. Si hæc objecta, in quibus error mundanus ultimam conſtituit felicitatem, aliquid præ ſe ferrent ſolidum, ſuâ tandem ubertim affectus implerent abundantiâ. Niſi forent illa umbræ ac phantaſmata, è manibus profectò non elaberentur, nec evaneſcerent, & deſideria ab illis non eſſent immunia. Ubinam autem eſt jus, quod ſibi ipſa vendicaverunt ad iſta bona? cum ſtatim atque ipſa ſunt ea conſecuta, & cor illis ſe alligavit affectu, inde ipſa expellantur præ infortunio, & procul amandentur immiſericorditer, ſicut viſum eſt aliàs Romæ fulmen è cœlo vibrari, etiamſi idem cœlum nullis eſſet opertum nebulis.

Singulis licet nobis admirari diebus, & familiari comprobare experientiâ, eminentiſſimas quaſque conditiones infelicitate percuſſas inſperatâ, & deſtructas infortunio, quod nullas præ ſe tulerat minas. Turpiter igitur hallucinantur homines, conſtituentes felicitatem in his elevationibus, quę nihil habent reale, permanens & conſtans niſi propriam inconſtantiam. Quòd ſi hoc ita ſe habet, ſicut in dubium nemo debet iſtud revocare, aperiamus oculos noſtros, & palpebras noſtras explicemus, ut videamus & agnoſcamus roſas collectas in horto vanitatis & ambitionis non ſubminiſtrare nobis niſi pungentes aculeos & ſucceſſus ita infauſtos in ſuis abortibus, quàm deſiderabiles in ſuis expectationibus. Sed infortunium

intolerandum! Homines naturaliter ingenioſi, & ſanæ mentis compotes, eò ſtultitiæ & cæcitatis pertingunt, ut hanc gloriam aucupentur momentaneam & tranſitoriam, cujus effectus nonniſi ſanguinolentos & ad noſtram proclives ruinam ac deſtructionem moliuntur ſucceſſus.

Interrogatus aliàs Ariſtoteles, in quonam conſiſteret hominis mortalis felicitas? Reſpondit quòd illa foret ſita in vivendo perfectè juxta virtutem: *Felicitas eſt vita perfectè operans ſecundùm perfectam virtutem.* Obſervate, ſi placet, non loqui Philoſophum de virtute, qualiſcunque illa ſit, de virtute enervatâ, & vigore deſtitutâ, ſed de virtute ſolidâ & conſummatâ, quam non conſtituit in honoribus, nec in luxu mundano. Aliâ item vice ait, *Benè agere, vivere, & felicem eſſe, idem eſt.* Nemo quippe beatus eſſe poteſt, virtute deſtitutus. Ecce ſententiæ maxime oppoſitæ opinionibus hominum noſtri temporis, qui ſuperbiâ inflati, & ambitione tumentes, perfectam non conſtituunt felicitatem niſi in adimplendis vanitatibus ſuis. Proſequunturne aliquem honoris gradum, quem juxta conſilia ſua tandem ſibi concilient & adipiſcantur? ſe beatiſſimos illico imaginantur, nec aliquid autumant ſuæ æquiparari poſſe felicitati, non advertentes, quòd ſuperbia & ambitio vitro perſimilis eſt, eoque magis fragilis, quò majori nitet & coruſcat ſplendore. Sed quis eos in tantam deduxit dementiam, niſi ſuperbia & ambitio immodica?

Miſerandâ ſanè percuſſi ſunt illi cæcitate, non intuentes, quòd quò magis ſunt honorati, eò magis ſunt & onerati; cùm certum ſit & indubitatum, honorem nihil aliud eſſe niſi onus, & eminentem ſublimitatem niſi procelloſam ac nauſiagoſam tandem tempeſtatem. Sed nunquid non jure vereri debent merito ne illud onus ita grave honorum & ambitionis, ac ſuperbiæ ſuæ, tandem turpem ipſis machinetur caſum, quo in innumeras labantur infelicitates oppetendas; & ne palatia inquirentes magnifica recipiendis corporibus ſuis accommoda, tenebricoſum animæ ſuæ moliantur carcerem; neve imaginati ſe ad ſuorum diem perveniſſe oblectamentorum, infauſtas celebrare cogantur ſuæ infelicitatis & deſtructionis vigilias? Abuſus ſanè deplorandus filiorum Adam non intuentium, quòd iſtorum bonorum apparentium imaginem innumera ſequuntur mala vera & realia; & quòd iſtud mel apum vanitatis & ambitionis conteget earumdem aculeos: cùm vanitas & afflictio ſocietatem inierint inſeparabilem, *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*
b Eccl. 2. 11. b; & quòd ad augendum infortunium ſuum funeſti ſint efficiendi tumuli incolæ, quò tandem ſua terminari debeat gloria, cùm nihil ſit ſtabile ſub
† Ibid. cælo, *& nihil permanere ſub Sole* † queat, quique non ſecùs ac teſtudines deceptæ, ſe in altum ſinunt elevandos ab aquilâ infernali, ut probroſo & miſerando caſu conterantur.

Præ oculis veſtris ponere poſſem omnes pœnas illatas univerſis ſuperbis Antiquitatis: ſed ſufficit mihi morem ſequi Geographorum, qui parvis notant lineis magna flumina, & exiguis punctis ingentes ac potentiſſimas delineant civitates, paucis multa complectentes. Quid enim actum eſt de Philiſthæo illo incircumciſo, de carneâ illâ turri, de coloſſo illo ſuperbiæ Goliath in terram proſtrato, ictu fundæ vibrato è manu victrici ju-
c 1. Reg. 17. 49. & 50. nioris paſtoris Davidis c? Ille non eſt amplius, *David percuſſum Philiſthæum interfecit.* Teſtis eſt Holofernes Præpoſitus Generalis militiæ Regis Aſſyriorum Nabuchodonoſor, qui ſuperbiâ elatus intolerandâ, ſui Principis ditioni ſubjicere præſumit Bethuliam, eam debellare, univerſos ejus incolas internecione delendos ſatagere, & univerſa civium illius igni & gladio tradere deſtruenda. Heu quot angitur ſuperbus ille Generalis curis ſuperfluis, quippe quæ in ipſius vergent confuſionem & dedecus! Anxiatur ut efficiatur infelix; *Intuere ſuperbiam eorum, & oſtende quoniam præſumentes de ſe, & de ſuâ virtute gloriantes humilias* d, con- d Judith 6. 15.
tentâ voce inclamant ad Deum Bethulienſes obſeſſi. Cui tandem præciditur caput in ultionem
ſuperbiæ ſuæ, manu fœminæ e; ita ut totus illius e Judith 13. 10.
labor inſervierit tantùm ad confundendam Principis ipſius domum f. Ubinam eſt Xerxes, qui f Judith 14. 16.
Oceanum ſuarum opprimebat onere navium, & terram ſuorum gravedine inſtrumentorum bellicorum? E vivis exceſſit. Ubinam invincibilis ille Annibal, qui deprimendos præcipiebat montes, & integros fluvios ſatagebat ſiccandos? Mortuus eſt. Ubinam Cæſar ita commendatus, & ſic ambitioſus, ut brachia ſic concupiſceret protenſa, ut ex illis uno Orientem attingeret, & altero ad Occidentem uſque perveniret, & utrumque ſuo imperio ſubjiceret? Non ſunt amplius hi omnes ambitioſi, nec reſtat ex illorum gloriâ
niſi fabula, ſomniū, cùm *vermes* g ſint hæredes ma- g Iſai. 14. 11.
gnitudinum ipſorum, quæ nihil habentes ſolidum, ad nihilum terminatæ ſunt.

Superbia præ ſe vitri fert ſimilitudinem, cùm ſplendorem emittit, tunc frangitur. Sicut enim orbis è nihilo factus eſt; ita ex naturâ ſuâ ad nihilum tendit; & in bonâ conſequentiâ illi qui vanitatem ut idolum colunt, innitentes mundo,
confidunt in nihilo h, ut nihilum evadant. Quid h Iſai. 59. 4.
actum eſt de Caligulâ ambitioſo illo Principe, qui ut commodiùs regnaret, inſanè cupiebat ut totus populus unicum duntaxat haberet collum, ut ei illud vice unâ vel ictu unico præcideret, ut ipſe ſolus remaneret; quique eò veſaniæ proceſſit, ut Jovi minas intentare non dubitaverit, & exorare Lunam ut ſuo thoro communicaret nuptiali, ſe veluti Deum exhibendo adorandum, & immolandas ſibi victimas præcipiendo? Ubinam ſunt omnes iſtæ vanitates? Quomodonam omnis hæc magnitudo funeſtam eſt eclypſim perpeſſa? *Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant pecca-*
tores à facie Dei i. Hæc omnia evanuerunt ut fu- i Pſ. 67. 3.
mus; & liquefacta ſunt, ut liqueſcit cera igni ardenti oppoſita, ait Propheta, qui alibi funeſtum admiratus ſuperborum exitum, exclamat, *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat: &*
quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus k. Ob- k Pſ. 36. 35. & 36.
ſervate, ſi placet, obiter, quonam inſigniat ſuperbum Propheta titulo. *Vidi impium.* Vocat eum impium, & jure merito, quia ſuperba ſua elevans conſilia contra gloriam Altiſſimi, ipſe ſceleſtus eſt & impius. *Vidi; & ecce non erat.* Sed ſancte Propheta quid vidiſti, cùm non eſſet ampliùs? Aut reditus tuus fuit tardus; aut tua non fuit exacta inquiſitio. Nam fierine poteſt *Hominem elevatum ſicut cedros Libani,* ſublimitate ſuâ veluti cœlo minitantes, tam citò evanuiſſe? Sed ecce video. Tu dicis, *Tranſivi.* Sanè tranſiſti, nec apprimè advertiſti, & fortè novus honor novum contulerat illi gloriæ gradum, & ideò benè ais, *Et ecce non erat* ampliùs in loco, in quo priùs eum fueras intuitus.

Ne-

Nequaquam. Ecce quod ipſe reſpondet : *Tranſivi, & ecce non erat* : Cùm enim viderim eum toti orbi ante pedes ipſius proſtrato dominantem, & ſedentem in puppi, ac maximarum moderantem gubernaculum navium, quæ mundanarum pertranſeunt mare tumidum vanitatum ; en ſtatim Aquilo collateralis eum maximâ impetens violentiâ, in ſcopulos projicit, & deplorandam in eum invehit contuſionem & conquaſſationem: *Tranſivi, & ecce non erat : & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Stupore fui percitus, eò quòd eum non invenerim ampliùs ; illicò enim memoria illius extincta eſt, non ſecùs ac avis Lagopus nomine, quæ leporini pedis præ ſe fert ſimilitudinem, & columbarum magnitudinem candidarum, quæ ſtatim putreſcit ac mortua eſt : gloria illius ad atomos avolavit Epicuri, qui mundum ſtruebat ex atomis, nedum præ conſummato infortunio ſuo, in Kalendario reponeretur cœli, cùm ipſe oraverim ut impij *deleantur de Libro viventium : & cum juſtis non ſcribantur* l. [l Pſ. 68. 29.] Cùm enim non eſſet niſi umbra ſomnij, aut, ſi malitis, niſi ſomnium umbræ; non eſt mirandum ſi faſtus ejus evanuit non ſecùs ac umbra. Superbia illius eclypſim eſt perpeſſa ſicut glacies hyberna reſplendens, quæ liqueſcit ad primum ſolis intuitum, quippe cùm vanitas nihil ſit niſi brevis claritas : *Si aſcenderit uſque ad cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur* *. [* Job 20. 6. & 7.] Herodes Agrippa Rex Judæorum agnoſci vult ut Deus, ut talem populus eum adorat ; cùm intuetur eum *impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani.* Sed ecce ſcatens *vermiculis, accedente fœdâ, nec minùs moleſtâ taurigine, non ſine fœtore graviſſimo* m, [m Joſephus Antiq. Judaic. lib. 17. c. 8.] omiſſis alijs morbis quibus angebatur, quoſque refert Joſephus, miſeram concluſit vitam præ deſperatione, ab omnibus derelictus : *Et ecce non erat.* Et licèt magnitudo illius æquè firma videretur ac ſtellæ firmamento alligatæ, *non eſt inventus locus ejus.* Ideò non poſſum quin exclamem cum S. Bernardo n, [n S. Bern. Serm. 2. de Aſcẽſ.] *O abuſio filiorum Adam ! quia cùm aſcendere difficillimum ſit ; deſcendere autem facillimum ; ipſi & leviter aſcendunt, & difficilius deſcendunt.* Sed progrediamur, ut meliùs punitionem ſuperborum intueamur.

Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum intuitus ſe *elevatum ſicut cedros Libani*, præ ſuperbiâ *in aulâ Babylonis deambulabat, & ait, Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei* o? [o Dan. 4. 26. &c.] Sed attende tibi ſuperbe. Illud enim mel vanitatum, quod tuis aſciſcis meritis, furorem ac aculeos apum tibi parabit. *Deus ſuperbis reſiſtit* p, [p Jacob. 4. 6. & 1. Petr. 5. 5.] & vanitatem Regis hujus proſternit. *Cùmque ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cœlo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex, Regnum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua : fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur, donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Eâdem horâ fœnum ut bos comedit.* Dux Generalis exercitus illius Holofernes manu mulieris obtruncatur q. [q Judith 13. 10.] Imò verò David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* r, [r 1. Reg. 13. 14.] non priùs numerandum præ ſuperbiâ præcepit *populum, ut numerum ejus ſciret*, cùm *immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël, & mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia virorum* s. [s 2. Reg. 24. 2. & 15.] Maledictum vitium ! quomodo caſus ejus non eſſet probroſus, cùm in cœlum ſe elevet, & Deo ipſi æquiparari contendat ? *In cœlum conſcendam, ſimilis ero Altiſſimo* t, [t Iſai. 14. 13. & 14.] ajebat Lucifer.

Quanta temeritas ! Nonne hoc eſt aſcendere ſurſum, ut deſcendatur deorſum ? *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem* u. [u Luc. 10. 18.] Et Adam ejuſdem conſcius criminis in paradiſo terreſtri, eàdem fuit mulctatus pœnâ, cùm *emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt* x? [x Gen. 3. 6. & 23.] Et Petrus in collegio Salvatoris ita ſe jactitans, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo* ; qui tamen *negavit eum coram omnibus* y, [y Matth. 26. 35. &c.] magis territus ex ſolius intuitu ancillæ, quàm ex terribili exercitu. Sed iſta ſint ſatis, ne fortaſſis incurram in crimen Peripatetici Fitmionis, qui eò quòd auſus fuiſſet prolixum texere ſermonem coram Annibale idoneo gloriæ æmulatore, etiamſi diſertiſſimum, temeritatis & inſolentiæ fuit inſimulatus.

Quòd ſi poſt hæc omnia *rebelles lumini* z [z Job 24. 13.] adhuc permanent voluntates veſtræ, nec iſtis volunt acquieſcere veritatibus, luce ipſâ meridianâ clarioribus ; non poſſum quin veſtram deplorem ego infelicitatem, eò quòd alienis ſapientes effici nolueritis impenſis, contra hoc proverbium commune,

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Et ſanè non eſt diffitendum, eum vehementer infremere, & inſigni ſtultitiâ affectum eſſe, qui timore non concutitur, intuitus alium pereuntem ; nec dubitat tranſire per eumdem locum, in quo alium fuiſſe lapſum animadvertit. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat* a, [a 1. Cor. 10. 12.] more ambitioſorum. Videte igitur finem omnium ſuperborum mundanorum, ut agnoſcentes vos ejuſdem criminis conſcios, ijſdem ac illi jure merito vereamini mulctari pœnis. Nulla illorum ampliùs habetur mentio, *Perijt memoria eorum cum ſonitu* b. [b Pſ. 9. 8.] Si autem illorum adhuc aliqua ſuperſit recordatio, illa eo relinquitur fine, ut horrori habeantur & abominationi. Si verò peteretis ab univerſis ſuperbis, quidnam ipſis remaneat ex omnibus ipſorum vanitatibus & ambitionibus : Reſponderent ſanè, ſibi ſolum ſupereſſe tumulum, dicentes cum Job c. [c Job 17. 1.] *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum*, in quo omnes ipſorum pompæ, & univerſæ magnitudines ſint concluſæ ; cùm mors ſit litus, ubi mare iſtud ſuperbiæ ambitioſos ſuos omnes confringit fluctus, *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs ; & hic confringes tumentes fluctus tuos* d. [d Job 38. 11.] Peragite, quidquid volueritis, ad nubes uſque elevate vos, ſi vobis viſum fuerit ; univerſum ditioni veſtræ ſubjicite orbem, venietis *uſque huc, & non ampliùs* procedetis ; tumulus omnes veſtras terminabit ambitiones ; illuc concurrent univerſæ veſtræ magnitudines. Cur igitur in tantam inſurgitis ſuperbiam ?

Superbum Deus non poteſt perpeti veluti ſibi oppoſitum ; ab eo omnino abhorret ; nec unquam ſinet ut ille ſibi ſuam eripiat gloriam ; [II. Pars.] *Propter me, propter me faciam, ut non blaſphemer : & gloriam meam alteri non dabo* e. [e Iſai. 48. 11.] Sed Domine *quis reſiſtet tibi* f? [f Pſ. 75. 8.] Agat quidquid voluerit ſuperbus, elevatio ipſius non ad aliud impen-

impendenda eſt niſi ad fodiendas ipſi foveas caſu
magis præcipiti ipſius replendas. In Deum inſur-
git ſuperbus, eumque divinis deſtituere vult attri-
butis, imò verò vitâ, ſed præ ſuâ ſemper confuſio-
ne. Videte illud in cœlo, & in omnibus hujus ini-
quitatis operarijs. Specioſos creat Deus Ange-
[g Gen. 1. 3.] los *g*, & omnibus præditos perfectionibus. In
gratiarum actionem pro beneficio ita ſingulari
Lucifer iſtius Angelicæ Præſidem agens coronæ,
necnon & omnes ipſius Aſſeclæ Deum privare di-
vinâ contendunt omnipotentiâ, *In cœlum conſcen-*
[h Iſai 14. 13. & 14.] *dam ſimilis ero Altiſſimo* h. Illi volebant eſſe Dij,
aut veluti Dij, omnipotentes ut crearent cœlos,
novos Angelos, & Deo eripere volebant omni-
potentiam. Quam intoleranda ſuperbia! Ecce
præcipitium illius. Deus illam unico nec perpeti
poteſt momento. *Videbam Satanam ſicut fulgur de*
[i Luc. 10. 18.] *cœlo cadentem* i.

Inferno initium præbuit ſuperbia. Illa eſt pri-
mum & maximum criminum, quæ perſequatur
[† Eccli. 10. 7.] Deus, *Odibilis eſt coram Deo & hominibus ſuperbia* †.
Si autem illa infernum auſpicata eſt, ipſa ſuum
è cœlo traxit ortum. Sic diabolus *ipſe eſt rex ſuper*
univerſos filios ſuperbiæ k. In paradiſò terreſtri
[k Job 41. 25.] Adam & Eva perſuaſi ab hoc ſpiritu ſuperbiæ, *Eri-*
[l Gen. 3. 5. &c.] *tis ſicut Dij ſcientes bonum & malum* l, Deo auferre
conantur infinitam *m* ipſius ſapientiam. A divinâ
[m Baruch 3. 25.] nolunt dirigi Sapientia, fructum comedunt ſibi à
Deo vetitum, ut efficiantur æquè ſapientes ac ille.
Sed ecce illorum punitio. Illos *emiſit Dominus de*
paradiſo voluptatis. Nepotes Noë turrim ædifica-
re contendunt, quaſi verò Deo bellum velint in-
[n Gen. 11. 4. &c.] dicere, *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim* n,
quam Deus non ingrediatur, ſubdit Gloſſa Ordina-
ria. Inſurgunt in Dei magnitudinem; Efficiamus
ut in ſuo confundatur Deus conſilio, *Ut non poſſit*
ultrà pertingere diluvium, ait eadem Gloſſa; ſi no-
vo velit fortaſſis nos immergi diluvio. *Erigebat il-*
le Nemroth cum ſuo populo turrem contra Dominum,
[o S. Aug. lib. 16. Civ. c. 4.] *quâ eſt impia ſanctificata ſuperbia*, ait S. Auguſtinus
o. Bellum videbantur Deo velle indicere, illum
habere volebant refugij locum, & ſe in altitudine
collocare. Et eadem Gloſſa ad propoſitum, *Su-*
perbiam mundi, vel elationem hæreticorum, qui fi-
gmenta ſua erigunt contra Deum; unde meritò turris
Babel, id eſt, confuſio dicitur; cenſet intelligendam.
Sed quanta ſuperbia! *Præcipita Domine, divide lin-*
[p Pſ. 54. 10.] *guas eorum* p. Ecce linguarum confuſio. *Erat au-*
[q Gen. 11. 1.] *tem terra labij unius, & ſermonum eorumdem* q.

Cum magis provectæ forent ætatis ſecula, ma-
jori etiam ſcatebant malitiâ & impietate. Cùm
Moyſes in montem aſcendiſſet, in Deum inſurge-
re vult populus Iſrael, & jugum obedientiæ ei ex-
hibendæ excutere, nec eum ampliùs ut Deum ag-
noſcere. Quamnam audaciam! Quamnam te-
meritatem! *Ceciderunt in die illâ quaſi viginti tria*
[r Exod. 32. 1. &c.] *millia hominum* r. Non vult ſuperbus Deum ag-
[s Luc. 19. 14.] noſcere, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* s. Eum
non poſſunt Judæi rectis oculis intueri, *Quid faci-*
[t Joan. 11. 47.] *mus, quia hic homo multa ſigna facit* t? Et Pilatus
ambitioſus veritus ne deferretur ad Cæſarem, &
in jacturam officij ſui incurreret, niſi Dei Filium
condemnaret, crucifigendum eum decernit inter
[u Joan. 19. 16. &c.] duos latrones, *tradidit illum ut crucifigeretur* u.
Ita verum eſt, quod ſuperbus nullum alium Deum
velit agnoſcere, niſi ſemetipſum. A nullo alio vult
dependere. Deus autem qui eſt *omnipotens, & non*
[x Eſth. 13. 9.] *eſt qui poſſit reſiſtere voluntati* x & potentiæ illius,
eum ad nihilum rediget; & confuſione frontem
ejus operiet. Sic eſt, Auditores; funeſtum intue-
mini ſuperborum exitum, nec non & eorum ſup-
plicia, illius Aman *y*, Nabuchodonoſor *z*, & Ho- [y Eſth. 16. 18.]
lofernis *a*. *Deus ſuperbis reſiſtit* b. Superbi oppo- [z Dan. 4. 30.]
nunt ſe Deo, divinis illius nolentes obedire man-
datis; ſed è contra intendentes eripere ei ſceptrum [a Judith 13. 10.]
ipſius ac diadema: Deus autem eos perſequitur ut
objecta juſtæ iracundiæ ſuæ. [b Jacob. 4. 6. & 1. Petr. 5. 5.]

Filij hominum, Adæ & Evæ, Protoplaſtorum
iſtorum ſuperborum *uſquequò gravi corde, ut quid*
diligitis vanitatem, & quæritis mendacium c? Heu! [c Pſ. 4. 3.]
nunquid non videtis, quòd hæ vanitates, quas
tantâ aucupamini ſolicitudine, ſuo vos attrahant
lenocinio, ut faciliùs veſtram moliantur ruinam?
Filij hominum fortunæ facti ludus, qui è veſtris cur-
ritis incunabulis ad ſepulchrum, ut corrodant vos
vermes d; miſerandâ percuſſi cæcitate, qui more [d Iſai 14. 11.]
illorum animalium diem unicum duntaxat vi-
ventium, tumulum veſtrum æquè citò ac cunas
veſtras intuentes; *uſquequò gravi corde* quandiu, e-
ritis obſtinati in veſtrâ infelicitate propter vanam
lætitiam quæ eſt *adinſtar puncti* e, ſed puncti *cujus* [e Job. 20. 5.]
nulla pars eſt, ut ajunt Philoſophi? Licèt enim ſit
principium quantitatis, eſt tamen expers quanti-
tatis; *ut quid diligitis vanitatem*, ut ſitis tandem
præda fortunæ infidelis, ut ſumatis hanc lethife-
ram & venenatam cicutam, ob voluptatem mo-
mentaneam; ut ſecuri dormiatis inter infidelia
periculi veſtri brachia; & amittentes felicitatis
veſtræ lumina, nihil inveniatis niſi infortunij ve-
ſtri obſcuritates, cùm diverſorium ſuperbiæ intro-
euntes, ibi amarum illicò hauriatis interitus pocu-
lum! *Ut quid diligitis vanitatem*, quæ non eſt aliud
niſi Medea inſignis incantatrix, quæ ſuorum ve-
neno præſtigiorum veſtros faſcinat animos? Seu
pharus, quæ lucem non exhibet niſi ut ad infortu-
natum naufragij veſtri vos perducat locum? Quo-
modo autem non cogitatis unquam, hunc ven-
tum, ad quem ſic fortiter anhelatis, futurum for-
taſſis ſuſpiriorum veſtrorum ultimum? Ignora-
tiſne hunc ventum vanitatis eſſe antiquiſſimum
hoſtium veſtrorum, qui noſtris Patribus bellum
indixit ad mortem uſque, quique non minus ru-
bet illorum ſanguine, quam veſtro inhiet, & qui
amplexatur vos, ut vos enecet amplexu? Si vos
elevavit, id egit ut vos deſtrueret; & poſt hæc *dili-*
gitis vanitatem, Hunc ſanguinarium carnificem.
qui vos non intuetur niſi oculo crudeli; quique
non ſcalpit vos unâ manu, niſi ut vos alterâ confo-
diat; vanitatem, quam Deus ut ſibi infenſiſſimam
maximè perſequitur?

Egredimini de Babylone f iſtâ infami ſuperbiæ [f Iſai 48. 20.]
igitur Animæ fideles, ſed quàm citiſſime poteri-
tis. Infodite ut alij Jacobi, veſtrarum idola vani-
tatum ut *Deos alienos ſubter terebinthum* g Crucis, [g Gen. 35. 4.]
ut nullâ ampliùs ducamini ambitione, niſi ut *glo-*
ria & divitiæ æternales & permanentes *in domo* h [h Pſ. 111. 3.]
Dei, veſtrarum ſit terminus ambitionum. Veſtra-
rum cœlum debet eſſe ſubjectum æmulationum
præ humilitate, quæ ad illud pandit viam conſe-
quendum i; cujus eximiæ virtutis Profeſſorem ſe [i Matth. 18. 3. & 4.]
exhibuit Chriſtus, dicens, *Diſcite à me quia mitis*
ſum & humilis corde k. Cùm ſuperbia ex eo apo- [k Matth. 11. 29.]
ſtatas ejecerit Angelos, ut ſuprà.

Sed antequam huic limites diſcurſui imponam,
ſinite ut eadem in medium adducam verba, quæ
protulit Tobias *l* filio ſuo, quibus utemini ut filo [l Tob. 4. 14.]
Ariadnes, ut è periculoſo, ſinuoſo, ac inextricabili
vos extricetis labyrintho dædaleo ſuperbiæ, *Su-*
perbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo do-
minari permittas, in ipsâ enim initium ſumpſit omnis
per-

perditio. Quippe quæ omnes cauſavit infelicitates cœli & tettæ; cùm Angeli & homines in Deum inſurgentes ſuperbiâ, tantâ excepti fuerint ſeveritate. Fugiamus igitur ſuperbiam ut omnium initium malorum, & humiliter proſtrati dicamus Salvatori, Adorande Redemptor, cùm ad deprimendam ſuperbiam noſtram, temet ipſum depreſſeris ad noſtræ naturæ uſque pulverem *m* [m Joan. 1.14.]; effice ut ita clarè intueamur deformitatem hujus vitij, ut non ampliùs aſpiremus, neque ſuſpiremus niſi bonitatem virtutis, ac ejus pulchrituidnem colamus; & ut omnes affectus noſtri magnitudinibus cœli nobis conciliandis ſint alligati: cùmque veniens in hunc mundum inferiorem, deſerens quidquid erat magni, exeundo *à Patre* n [n Joan. 16.28.], te magnum effeceris humilitatis Profeſſorem; admitte nos in Scholam tuam, in numero tuorum colloca nos diſcipulorum, ut in Academiâ tua cœleſti ſic iſtam edoceamur divinam virtutem mediâ gratiâ tuâ in hoc ſeculo, ut in altero gloriâ tuâ potiri mereamur ſempiternâ.

FERIA II. DOMINICÆ II. ADVENTVS.

Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixitque ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Gen. 22.9. &c.

AUdiſtis quòd amor parentum erga liberos, & affectus avarorum & ambitioſorum erga divitias ſuas, & honores ſuos, validæ ſint paſſiones; ſed amor noſtri, amor proprius, ſeu philautia eſt omnium iſtorum affectuum violentiſſimus. Nemo dubitat naturam fortes indidiſſe parentibus erga ſuos liberos affectus ad eos educandos, & ad relinquenda eis moriendo bona, & honores. Omnes fatentur ejuſdem naturæ corruptionem altàs in corde avarorum, & ambitioſorum produxiſſe radices, per quas alligentur amandis honoribus ſuis æquè ac divitiis. Sed majores eadem natura cordibus noſtris impreſſit propenſiones ad amandos noſmetipſos, ad fovendum individuum noſtrum, & propria procuranda noſtra commoda & emolumenta.

Quotidie videntur parentes (ſi tamen parentum nomine mereantur nuncupari, cùm parentes ſint adulterini, naturæ abortivi, & monſtra inferni; in eo pejores tigridibus, aliiſque feris) qui ſuos non amant liberos, ſed eos odio proſequuntur ad mortem uſque, quam ſæpè eis moliuntur. Alios eſt intueri qui non amant divitias, ſed eas deſpiciunt: Alij præ vanitate, ut egerunt Crates Thebanus, & Diogenes Cynicus: Alij motivo virtutis allecti, ut omnes Boni, exemplo Chriſti *a* [a Matth. 8.20.], & Apoſtolorum *b* [b Matth. 19.27.] excitati: Alij obſervantur flocci facere honores. Sed nullus eſt unquam viſus qui ſemetipſum fuerit odio proſecutus: *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fovet eam* c [c Epheſ. 5.29.]. Si autem deprehendantur homines qui ſemetipſos odio proſequantur; non ſunt profectò cenſendi illi homines. Seu, ſi juxta apparentiam ſunt homines, credendi ſunt homines deſperantes, famelici, & mente capti, hominum & humanitatis inimici.

Amor & *charitas ordinata incipit à ſeipſo*, ut vulgò dicitur, deinde ſe communicat omni ei, quod eſt extra nos, ut liberis, divitijs, & honoribus. Vitæ probatæ homo ſuiipſius eſt amicus, & ſicut ipſe ſapiens eſt, ſic ſemetipſum amat primò, & poſteà alia. Priùs illuminat Sol montium cacumina, & deinde vallium profunditates. Citiùs calefacit ignis lignum, aliudve combuſtibile ſibi proximum, quàm quodlibet aliud ab ipſius activitatis ſphærâ æquo longiùs diſtans. Sicut autem ad nos magis approximamus, quam ad nos approximent liberi, divitiæ, aut honores; hinc fit ut majori nos proſequamur amore, quàm ea omnia.

Ideò parentes ſuos deſerunt liberos, & charos avari profundunt theſauros, ut conſervent honorem, ſanitatem, & vitam, *Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ ſuâ* d [d Job 2. 4.], ut tempore infamiæ, peſtis, & famis ingruente.

Multum dilexit Abraham filium ſuum Iſaac. Pater erat. Suas amavit divitias: Homo erat. Non minori ſuum honorem proſequebatur amore: Nihil habebat ab humanitate alienum. Sed ſemetipſum amavit pluſquam illa omnia: Abraham erat. Proprio eripuit Rex quidam Moab filio vitam ſuper mœnibus obſeſſæ ſuæ civitatis, ut tuendæ vitæ ſuæ æquè ac conſervando regno ſuo conſuleret *e* [e 4 Reg. 3.27.]. Amor quo Abraham ſuum proſequebatur Iſaac *in ſenectute ſuâ* f [f Gen. 21. 2.] ſuſceptum, magnus erat, ſicut & ille, quo afficiebatur erga bona ſua, quæ ſibi labore ſuo æquè ac induſtriâ ſuâ comparaverat; & erga bonam famam ſuam *g* [g Gen. 12.5. &c.]: Sed maximus erat omnium amor ejus erga ſeipſum. Probatæ erat vitæ Abraham, ac prudens, & ideò non latebat eum ordo in charitate cuſtodiendus. Multum peregit, cùm mortificavit paſſionem amoris, quo ducebatur erga filium ſuum, divitias, & honores. Sed plurimum iſtorum omnium peragit, ſacrificare proponens amorem proprium. Multum fecit, cùm ſacrificare voluit filium ſuum, & in perſonâ illius omnes divitias ſuas & honores ſuos; ſed maximum omnium facit, cùm ſemetipſum ſacrificat cum eo ſuper eodem lignili, *Abraham ſe immolabat in filio, ut eſſet idem victima & Pontifex, Sacerdos & ſacrificium: Patris erat ibi paſſio tota, ubi filius immolatur* h [h S.Chry. ſol. Serm. 10. de Abrahâ. in Pl 28.]. Dicitur, *paſſio tota*, cùm tota in patre eſſet tolerantia. Non imitatur Cain, qui bona ſua Deo obtulit *i* [i Gen. 4. 3.], ſed ſemetipſum ſibi reſervavit, aut ſeſe ſacrilegè Deo eſt ſuffuratus, non intuitus Deum magis habere gratam oblationem cordis, quàm manus; & priùs reſpicere intentionem internam, quàm actionem externam; potiùs ſacrificatorem, quam ſacrificium; potiùs tandem *ad Abel*, quàm *ad munera ejus* k [k Gen. 4. 4.], aut ad munerum illius odores. Sed è contrà ſemetipſum totum offert Deo Abraham, et amorem ſuum proprium ſacrificat, illum agnoſcit Deum præ magnâ humilitate, ut teſtatur ei ipſemet Deus, *Nunc cognovi, quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Idem *Deus proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum* l [l Rom. 8. 31. & 32.], cùm dixit Angelus Deiparæ, *Ave Maria.*

Digitized by Google

Mirabile viſu mutos omnes ordinariè ſurdos eſſe, *Adducunt ei ſurdum & mutum* m. Surdus eſt aliquis illico ac mutus eſt, magiſq; ſurdus quam mutus. Mutus & ſurdus ſemper ſunt inſeparabiles, ſicut atheiſmus & ſuperbia. Ubi eſt atheiſmus, ibi eſt & ſuperbia, ſeu amor proprius. Sicut radius ſequitur Solem, lumen calorem ſuum, & proprium linea centrum; ſic atheiſmus & ſuperbia, ſeu amor proprius ſemper ſunt ſimul, ut Marcus Antonius & Cleopatra; Si Cleopatra dolore capitis laborat, Marcus Antonius velo circumſeptum defert caput; Si Cleopatra ſibi eruandum ſatagit ſanguinem, Marcus Antonius venam ſibi ſcalpro chirurgico incidendam præcipit. Sic cùm atheum videbitis, dicite audacter, & ſine erroris periculo eum eſſe ſuperbum & proprio amore ductum. Nemini vult atheus cedere, ſeſe authorem ſuæ imaginatur fortunæ, nullum alium Deum agnoſcit niſi ſeipſum, *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia* n. Nemini vult ſe ſubjicere, ſed amore proprio ſuper omnes elevari. Quotnam athei in mundo, *& homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi* o. Quod ultimum verbum ſic exponit Dionyſius Carthuſianus p, *in Deum & Sanctos*, qui in circulis de omnibus jocantur, qui ſermonibus ſuis ſacrilegis profanant quæque ſanctiſſima, quique amore proprio nec Deo vellent cedere, ut ſubtilium ſibi famam comparent apud alios; propoſitiones ſcandaloſas etiam proferentes, ut ſe melius commendent: *tumidi*, cui ſubjungit idem Dionyſius, *contra Deum ſicut ait Iob* q: *Vir vanus in ſuperbiam erigetur*. Athei ſunt, ideò *ſuperbi, tumidi*, & pertinaciter omnia noſtra negant myſteria; nec mirum, cùm oporteat ut judicium ſuum ſubjiciant ei quod non cognoſcunt; maluntque negare, quàm haberi ignari circa dogmata fidei, & ſecretiſſima ac auguſtiſſima Religionis noſtræ myſteria, nimirum quòd ſit Sacerdoti confitendum r, quòd ſumenda ſit communio s, quòd Deus ſit in Hoſtiâ conſecratâ; quòd verus ſit infernus, in quo peccatum lethiferum vel momentaneum pœna plectatur æternâ t: Hæc omnia aciem mentis eorum obtundunt, has concipere non poſſunt egregias veritates; & ex ignorantiâ ſuâ hanc temerariam & criminoſam eruunt concluſionem, quòd nullus eſt Deus. Garrienti creditur mimo præſtigijs oculos vel mentes faſcinanti; & non creditur Deo veritatem ſuorum promiſſorum ſingulis Scripturæ literis confirmanti.

m Marc. 7.32.
n Deut. 32.27.
o 2. Timoth. 3. 2.
p Dion. Carth. art. 3. in hunc locum.
q ex Job 11.12.
r Matth. 16.19. & 18.18. & Joan. 20. 23.
s Joan. 6. 53. &c.
t Matth. 25.46.

Heu! video equidem unde oriatur iſtud. Illorum ratio eclypſim per ſenſuum interpoſitionem perpetitur. Fumus ſuperbiæ ipſorum ſeu amoris proprij ipſos percellit cæcitate; nemini ſe vellent humiliare; & licèt aliquando ſe deprimere videantur coram alijs, hæc ipſorum humilitas eſt ficta & ementita, & vera hypocriſis. Imitantur camelum qui dorſum ſuum deprimit, & genua flectit, ut melius imponendum ſuſcipiat onus; humiliant ſeſe externis, ut majoris æſtimentur. Illorum interius eſt ſuperbia, & amor proprius. Supra omnes ſe extollunt, & veluti cedri, plantari nolunt niſi in Libano monte altiſſimo. Athei igitur ſunt ſemper *ſemetipſos amantes, ſuperbi, tumidi*; & amor proprius, ſeu ſuperbia efficit ut Deum non agnoſcamus; ſicut è contra ratione oppoſitionum reſpectus noſtri, ſeu humilitas in illius nos ducit cognitionem. Ignorantia igitur Dei primo facit ut quis elevet ſe in ſuperbiam, & amore proprio ductus gloriam Deo debitam ſibi vendicet: Sed ſecundò cognitio Dei nos ducit

Diviſio.

in nihili noſtri notitiam, efficit ut deprimamus nos, ut magis appareat eadem Dei gloria.

I. Pars.

Medici aſſerunt, Philoſophia docet, & experientia comprobare licèt, effoſſo uno oculo videre quemlibet melius altero remanente ſano & integro; non dico, quàm duobus ſimul; ſed aſſero eum, qui integer remanet, majori vigere lumine, quam polleret anteà. Sic venator ut rectà ad ſcopum ſibi propoſitum catapultam explodat, alterum claudit oculum, ut radij viſuales meliùs colligantur, & concurrant in eum qui apertus remanet. Et ratio iſtius eſt, Quia nervi qui in modum crucis complicantur, ex unico cerebri oriuntur principio, & ſicut ſpiritus qui in illum confluebant oculum, eum inveniunt clauſum, ſic ad alterum tendunt qui apertus remanet. Idem promendum eſt judicium de atheiſmo, & de ſuperbiâ ſeu amore proprio cum cognitione Dei. Quo minùs habemus unius, eò plus habemus alterius. Superbia noſtra ſeu amor proprius creſcit juxta menſuram ignorantiæ Dei. Noſmetipſos elevamus in nobis; deprimentes Deum, honori illius detrahimus, & eum uſurpare contendimus. Ignorantia igitur Dei eſt tota noſtræ ſuperbiæ cauſa; & amore proprio ducti nullum agnoſcentes Deum, nobis attribuimus omnia, noſmetipſos autumamus independentes ab omnibus, propriæque fortunæ opifices, nemini cedere volentes, & dedignantes legem ab alijs ſumere, ſed tantùm à nobiſipſis.

Proteſtatur Deus ſe nulli ſuam daturum gloriam, dicens, *Gloriam meam alteri non dabo* u. Et tamen Pharao Rex Ægypti ſuperbus, & ſui amans ad exceſſum uſque; ei vult illam eripere; & ideò ſuperbus, quia neſcit Deum, *Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam* x. Crudelis eſt, ſuperbus, amator ſui, quia eſt atheus. Sed certum eſt, quòd Monarcha, qui Deum in ſuo regnare non facit ſtatu Politico, nec eum agnoſcit ut ſupremum Dominum ſuum, neque credit ſe ab eo dependere penitus, ſeque tenere ſceptrum ſuum ac diadema regium è liberalitate illius, regni non meretur habenas moderari, nec regnum illius poteſt eſſe diuturnum. Videte quomodo Nabuchodonoſor alius Monarcha apud Aſſyrios, Deo gloriam velit eripere, & eam ſibi aſciſcere, *Vt ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt* y. Ita verum eſt quòd Deus non honoratur minùs, quàm ubi non eſt agnitus, & ubi ignoratur.

u Iſai. 42. 8.
x Exod. 5. 2.
y Judith 5. 29.

Authoritas ſuprema non venit è cœlo in terram, niſi ut divinis ſubmittatur illa voluntatibus. Ipſa eſt hæc catena myſtica, quæ duas iſtas unit orbis extremas partes, quæque efficit ut tremore concutiantur homines, cùm perſtrepentia audiunt tonitrua. Princeps aliquis, Dominus, Magiſter, Superior eſt in Dei locum ſubrogatus, ejuſque fungitur vicibus; ſi alijs eſt præpoſitus, ideò ut eos ad præſtandam reducat obedientiam, illoſque intra rectæ rationi conſonos coerceat limites. Non agunt illi Præfecti niſi ut inſtrumenta Dei; & ſi authoritate vigeant, idcircò ut eam ad promovendam ejus gloriam referant. Univerſi Magnatum omnium throni non ſunt niſi gradus per quos invincibilis ad nos deſcendit hæc Majeſtas, ita ut Princeps qui gloriam Dei negligit manifeſtare, indignum ſuis ſe exhibeat munijs. Si eam ſibi aſciſcat, illius ſe furem conſtituit. Omnia imperia, univerſæ monarchiæ, & reſpublicæ, in quibus non regnavit *Rex regum, & Dominus dominantium* z, non fuerunt diuturna; ætas eorum oſtendit ipſa

z 1. Timoth. 6. 15. & Apoc. 19. 16.

fuiſſe

fuiſſe nata ut interirent, & cunæ fuerunt ipſis loco tumuli. Inſpiciantur univerſæ hæ magnæ monarchiæ, quæ per tot ſeculorum ſe intuendas exhibuerunt curricula: petatur quare ſic velociter evanuerint: & reſpondebitur quòd impietas, ſeu amor proprius fuerit morbus, qui eis mortem intulerit: Magnates, ſupremi Principes *ſeipſos amantes*, perſæpè non agnoſcunt Deum, in ſuperbiam ſe elevant, rati ſe veluti independentes ab illius authoritate; ſibi appropriant id omne, quod ipſi peragunt. Deus ipſos perdit, exterminat, & ad nihi-
a Pſ. 78. 6 lum redigit, juxta Prophetæ *a* votum, *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt*. Superbia, ſeu amor proprius eſt cauſa iſtius confuſionis; atheiſmus verò eſt cauſa ſuperbiæ. Non cognoſcit quis Deum, ideò ſuperbus eſt, & ideò vulgò dicitur, *Neſcitur Deus, naſcitur ſuperbia*.

Quod Deo eripit quis præ injuſtitiâ, illud aſciſcit ipſe ſibi præ vanitate intolerandâ, & amore proprio ſacrilego. Teſtis eſt impius ille magus Apoſtolorum ſeculo ſuppar, qui erigendum ſibi ſategerat altare portatile, ſuper quo ſacrificia ſibi offerenda emendicaret, præ hác inſcriptione, *Simoni Deo*. Heu quantam ſuperbiam! quàm immodicum amorem proprium! Sed quàm intolerandam inſolentiam præ ſe tulit ſceleſtus ille Simon, cùm ſibi conatus eſt arrogare honorem ſoli
b Exod. 20. 5. Deo debitum *b*! Crimen ſanè in primo læſæ Majeſtatis capite conſtitutum, cùm ſacrificium ſoli Deo ſit impendendum. Impius iſte nimis amans ſui, ſe altiùs quam par eſſet elevabat; ſed elevatio ipſius, caſum effecit probroſiorem; alæ quas aſſumpſerat ut earum volaret beneficio, inſigniori perfuderunt ejus frontem dedecore. Accenſus
c Pſ. 68. 10. irâ juſtâ S. Petrus, quippe quem *Zelus domus c* Dei comedebat, nec valens injuriam perpeti ab hoc impio irrogatam Domino ſuo, oratione ſuâ illum deturbavit præcipitem; ita ut aſcenſus illius ipſi ad aliud non inſervierit, niſi ut ſuum meliùs metiretur caſum, qui tantâ ipſum operuit confuſione, quantum aſcenſus ſtuporem ſpectatoribus præſtigiorum attulerat.

Sic ſuperbiæ illud eſt proprium ut nunquam meliùs aſcendat, quàm ut meliùs deſcendat juxta id,

Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Quæritur quare nycticorax clarâ luce non audeat apparêre. Annon alijs eſt ille avibus diſſymbolus? Nunquid Sol eum confuſione operit, ſplendenti radiorum ſuorum majeſtate? Reſpondetur, ideò ſe intuendum non exhibere nycticoracem per diem, eò quòd nimis debilem præ ſe ferat viſum; quia ille humor cryſtallinus, qui debebat ad oculos ipſius deſcendere, per omnes ejus diffunditur pennas, quas efficit diaphanas. Athei, *homines ſeipſos amantes, ſuperbi, tumidi*, eodem ſe gerunt modo, injuſtè aſciſcunt ſibi illud, quod Deo jure merito tenebantur impendere; eique ſuffurantur quod ipſi eſt debitum, fures ſunt & uſurpatores divinæ gloriæ, ſimiles exiſtimato illi *Simoni Deo*. Mirum igitur non eſt ſi non veniant in notitiam ſpecioſæ illius diei Divinitatis, viſu vigent nimis debili, & Deus notitiam ſui ſolis communi-
d Jacob. 4. 6. & 1. Petr. 5. 5. cat humilibus. *Deus humilibus dat gratiam* d. Hinc impij *homines ſeipſos amantes, ſuperbi, tumidi* univerſa noſtra quæque derident auguſtiſſima myſteria, quia illorum non noverunt ſanctitatem; Sua amant atque colunt phantaſmata, nec à ſuis tantiſper recedere volunt ratiocinationibus; & omnia illorum lumina ad illum ſerviunt finem, ut ipſis ad præcipitia viam pandant.

Superbi ſunt, nec poſſunt ſe deprimere. Si autem aliquando ſeſe humiliare videantur, ementitam prætexunt humilitatem, quâ meliùs exaltentur. Humilitas illorum eſt mercenaria gloriæ aucupatrix. Miſeros ſe ventilabunt buccis circumquaque concrepantibus, & indignos ut in circulis honeſtum occupare valeant locum; omnibus probroſâ ſe ſubjicient veluti ſervitute, verſus component & carmina. Quare autem iſta omnia? Sanè ut gloriam emendicent vanam; ſimiles chamæleontibus qui vento paſcuntur. Omnes iſtæ humiliationes ſunt fictæ. Quòd ſi ſuorum ſcopum ſibi propoſitum aſſequi poſſent conſiliorum, iſti, qui ultrò ſubjici videbantur, dominabuntur tyrannicè. Fabrum imitantur cæmentarium, qui ſcalam muro innixam applicat, ſed ut ſuper eum aſcendat, & illum pedibus proterat. Simia charitatis ambitio dicitur. Imitatur omnia ſimia. Non vos latent faceta, quæ de ſimia referuntur & ludicra. Ejuſdem eſt ambitio farinæ. Charitatem imitari conatur in omnibus. *Charitas patiens eſt* e. Om- *e* 1. Cor. 13. 4.
nia perpetitur ambitio. *O ambitio ambientium* *f* S. Bern. in Florib. c. 4.
crux, quomodo omnes torques, omnibus places f! Aulicum libentiſſimo animo introducerem loquentem, qui iſtas edoceret vos veritates. Quantas vigilias tranſactas, quot mortificationes & abnegationes propriæ voluntatis exercitas, quot virtutes fictas in praxim ſine ullo prorſus merito redactas, quantas perpeſſiones & tolerantias hauſtas! Hæc omnia efficiendis ſufficerent Martyribus, ſi propter fidem ſuſtinerentur, ob amorem Dei, & in gratiam religionis: ſed illa omnia ſunt merito deſtituta. *Charitas patiens eſt* pro ſempiternis, ambitio verò pro temporalibus. Ad illa omnia compelluntur homines perpetienda, ducti affectu pravo amoris proprij, vanitatis, ſuperbiæ, & ambitionis. In iſtum ſcopum tendunt *homines ſeipſos amantes, ſuperbi, tumidi*, ut dicebat ſuprà S. Paulus, hominibus ſervientes alijs, ut aliquid conſequantur, more avium rapacium ſolam inquirentes prædam. Heu! impius amans ſui, nullum agnoſcit Deum præter fortunam ſuam, quæ efficit ut ipſe agat ſolius ſui intuitu commodi, ſuperbus eſt ac tumidus, *Neſcitur Deus, naſcitur ſuperbia*, quæ eſt primus paſſus atheiſmi. Sed ſicut ignorantia Dei facit ut in vanitatem efferantur homines; ita per rationem contrariorum cognitio illius efficit ut ſeſe humilient homines ac deprimant, quò melius exaltentur. Et hoc ſupereſt videndum.

Antiqui Philoſophi qui moralibus ſuis effecti II. Pars.
ſunt commendabiles virtutibus, humilitatem, quæ eſt illarum fundamentum, non noverunt; illos latuit hæc virtus, quæ eſt cæterarum elementum, ut ait S. Cyprianus *g*, *Fundamentum ſanctitatis* *g* S. Cypr. Serm. de Nativ. Christi.
ſemper fuit humilitas, nec in cælo ſtare potuit ſuperba ſublimitas h: *primus Religionis introitus, ſicut in* *h* ex Iſai. 14. 15.
mundum primus Chriſti ingreſſus; ut quicunque piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat i. Ipſa eſt primum *i* ex Pſ. 130. 1.
Chriſtianiſmi oſtium, nec ille fidelis eſt, qui eſt infidelis virtuti, cujus ſolemnem ſe Chriſtus exhibuit Magiſtrum & Profeſſorem, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde* k. Illa eſt omnibus ne- *k* Matth. 11. 29.
ceſſaria, præſertim verò Magnatibus, quia illa eſt

pro-

propriæ ſuæ deſpectus excellentiæ, *Magna proríus & rara virtus, humilitas honorata*, ait S. Bernardus *l*. [*l* S. Bern. hom. 4. ſuper Miſſus eſt.] Verum quidem eſt, illos Philoſophos præ ſe tuliſſe aliquid ſpeciale, ratione cujus famam ſibi conciliarent ultra communem. Alij enim ſic erant pauperes, ut ipſis vel neceſſaria deficerent, velut Diogenes Cynicus. Alij divitias contemnebant, ſicut eas flocci pendebat Crates Thebanus; ſed amore proprio ducti, illinc ad honorem ſibi proponebant aſcendere. Alij virtutibus incumbebant moralibus exercendis, ſed ex illis nullus eſt qui humilitatem in praxim redegerit, quippe quæ illis non eſſet nota. Nec mirum. Erant illi velut animalia gloriæ, nemini cedere volendo. Vanitas erat totum illorum elementum, & anima omnium actionum ipſorum; totaque eorum ambitio eò tendebat ut pertingere poſſent eò, quò pervênit humilitas Chriſti. Gloria, exempli causâ, quâ ducebatur Plato, in eo erat ſita ut notitiam ſuî per totum orbem diffunderet, omnes homines in ſuam ſcholam congregaret, & efficeret ut nomen hominis mutaretur in vocabulum Platonici. Deſideraſſet, ſi potuiſſet, expungere hæc omnia nomina, Romani, Græci, Galli, Germani, Itali, & Hiſpani, & ſatagere ut nullam cognoviſſent homines patriam, niſi Platonis, nec alium Patrem, aut Magiſtrum, niſi Platonem. Ideò erecta fuit in agro Romano Reſpublica quæ nuncupabatur Platonopolis, id eſt Civitas Platonis. Omnis Antiquorum iſtorum virtus mera erat vanitas, & virtus duntaxat apparens; cùm verâ eſſet deſtituta humilitate, quæ genuinam conſtituit virtutem, quæque tota eſt illius baſis ac fundamentum; eam prorſus non agnoſcebant.

Sicut ignorantia Dei eſt omnium causa facinorum quæ contra Divinam ipſius perpetrantur majeſtatem; ſic per rationem contrariorum cognitio illius eſt causa omnis reverentiæ quæ illi exhibetur. Huic veritati ſubſcribit S. Paulus, loquens de horrendo illo facinore, cujus conſcij ſunt effecti Judæi, Dei Filium infami crucis affigentes patibulo. Quare hoc? Annon ut improperijs ſibiipſis objiciendis occurrerent, eò quòd vita illius innocens vitam ipſorum criminibus obnoxiam condemnaret? *Quoniam contrarius eſt operibus noſtris* m; [*m* Sap. 2. 12.] *dicentes, Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terrâ viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs* n. [*n* Jer. 11. 19.] Nunquid non propriorum intuitu commodorum, verentine authoritatis ſuæ jacturam paterentur? *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem* o. [*o* Joan. 11. 48.] Nonne fortaſſis, ut opinatur *unus ex ipſis, Caiphas nomine, quia expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* †? [† Joan. 11. 49. & 50.] Num quia Scribæ & Phariſæi illum maximo proſequebantur odio? Illud eſt veritati conſonum. Sed quare iſta omnia? Cur ſacrilegum perpetrant deicidium? & innocentem morte periment? Auſcultate Apoſtolum *p* aſſerentem, ignorantiam fuiſſe cauſam [*p* 1. Cor. 2. 8] totius illius infortunij & deoodinationis: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Chriſtus verò ait, mundum fuiſſe criminibus immerſum, eò quòd Deum ignoraſſet, *Et mundus eum non cognovit* q. [*q* Joan. 1. 10.] Sic defectu hujus cognitionis, Philoſophi antiqui ſolidas in praxim non redegerunt virtutes; quarum non fuerant exempla demirati. Quonam quippe modo, libenti poterit injurias animo perpeti illatas ſibi aliquis, ſi neſciat Dei Filium patibulo crucis affixum, pro ſuis inimicis deprecatum, vitamque efflagitaſſe in gratiam illorum qui ipſi vitam eripiunt? *Pater dimitte illis*. Eos excuſat, Patrique ſuo allegat ignorantiam, quæ eſt tota cauſa deicidij ipſorum, *Non enim ſciunt quid faciunt* r. [*r* Luc. 23. 34.] Quis vellet humiliare ſe alijs? cum ſimus ſic amatores noſtri, & amore proprio ſcatentes; niſi videret Chriſtum ante *pedes* s Judæ, quaſi dicentem ei, Ecce ego, tuis protere me pedibus, diſpone de me prout tibi placuerit. [*s* Joan. 13. 5.] Sic Chriſtus nunquam tam profecit miraculis ſuis, quàm ſuâ nobis profuerit humilitate. Noſtros ſibi magis devinxit animos opprobrijs ſuis ac humiliationibus, quam gloriâ ſuâ. Quòd beatus foret ipſe in cœlo *t*, exiguæ nobis cedebat felicitas [*t* Pſ. 2. 7. & Joan. 15. 26.] illius, utilitati: ſed nos obſtrinxit ſibi, cùm ſe miſerum effecit in terrâ; & humilitas illius proprios luctatur inimicos, *Verè Filius Dei erat iſte* u. [*u* Matth. 27. 54.] Videte, Auditores, quomodo humilitas nos deducit in notitiam Dei; & conſequenter quonam pacto cognitio illius efficiat, ut ei noſtras exhibeamus reverentias, noſque coram illo humiliemus.

S. Joannes, eximius ille Vir qui meritus eſt aſciſcere ſibi locum Chriſti, & Deiparam ſolicitandam & cuſtodiendam ſuſcipere, inter egregios, quos arrogare ſibi jure merito poterat titulos, nimirum Apoſtoli *x*, Martyris *y*, Virginis, Dilecti *z* (Hæc omnia ipſe eſt, imò aliquid amplius) [*x* Luc. 6. 13. & 14.] Filij Mariæ *a*, qui titulus omnium eſt auguſtiſſimus; [*y* Apoc. 1. 9.] unicum tantùm ambit, excluſis ſupradictis omnibus titulis, qui nimiam præ ſe ferunt emphaſim; [*z* Jo. 21. 20.] illas omnes qualitates autumat nimis eminentes, & majori quam par ipſi videatur ſplendore coruſcantes; [*a* Jo. 19. 27.] ſolum ſibi vendicat Diſcipuli titulum, poſtquam *recubuit in cœnâ ſuper pectus* Domini ſui, ſed titulum humilitatis, nuncupans ſe *Diſcipulum* b illius. [*b* Jo. 21. 20.] Nemo me vocet Apoſtolum, Martyrem, Virginem, Dilectum Jeſu, Mariæ filium: his omnibus prorſus indignus ſum inſignibus; nemo me iſtis glorioſis vocitet nominibus, ſed unuſquiſq; appellet me *diſcipulum*. At titulus depreſſus eſt iſte, nomen eſt abjectionis. Quid intereſt? Illud mihi ſufficit. Ratio iſtius eſt, Auditores, quia S. Joannes Deum noverat, & illicò humiliat ſe; ut deinde fecit Seraphicus S. Franciſcus, qui medias inter ecſtaſes ſuas inclamabat, Ha! Domine quis es tu? & quis ſum ego? Et ante illum S. Auguſtinus alter Seraphinus, qui hâc imbutus notitiâ dicebat, (ut fertur) quòd ſi per impoſſibile ipſe fuiſſet Deus, deſiviſſet eſſe Deus, ut eſſe potuiſſet Auguſtinus, ut meliùs Deum honoraret, eique gloriam referret Divinitatis. Virgo Deipara Deum agnoſcens, fatetur ſe nihil eſſe, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* c. [*c* Luc. 1. 48.] Id eſt, *nihilitatem ancillæ ſuæ*, ut vertunt alij. Ita verum eſt, cognitionem Dei conciliare nobis humilitatem, ſicut ignorantia illius nos attollit in ſuperbiam: *Quomodo credent ei, quem non audierunt* d? [*d* Rom. 10. 14.] Defectu cognitionis labitur quis in contemptum. Ruſticus v.g. ſuum non agnoſcens Dominum, nec ejus inſignia, eum contemnit. Chriſtus ſpernitur in Cruce *e*, Sacramenta [*e* Matth. 27. 39. &c.] ejus proteruntur pedibus hominum *f*, quia non noverunt pretium, nec merita eorum; [*f* Heb. 10. 29.] Deumque offendunt, quia illum non noverunt. Sed Jeſus qui ſuorum non poteſt eſſe inſcius meritorum, *Omnia* [*g* Hebr. 4. 13.] *autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* g, qui novit omnibus ſcientijs ſuis, beatificâ, infuſâ, & acquiſitâ *h*, [*h* Luc. 1. 53.] quanto ſit ipſe dignus honore, humiliat ſe ei, ad nihilum ſe redigit, [*i* Philipp. 2. 8. & 7.] ut meliùs ei exhibeat illud quod ipſe ſcit apprimè illi deberi; *Humiliavit ſemetipſum*, ait S. Paulus, *ſemetipſum exinanivit* i, & ut vertit Tertullianus *m*, *exhauſit ſemetipſum*; [*m* Tert. lib. 5. adverſ. Marcion. c. 10. ex Philipp. 2. 7.] depreſſit ſe uſque ad nihilum noſtræ humanitatis; imò inferiùs, cùm ſe vermiculo æquipararet, *Ego autem*

tem

n Pſ. 21.7 *tem ſum vermis, & non homo* n. Ha quantam de-
preſſionem! Sed unde oritur in eo iſta reverentia,
niſi ex notitia Divinitatis? *Pater juſte mundus te*
o Jo. 17. 25. *non cognovit, ego autem te cognovi* o.
Hæc cognitio ita eum efficit humilem, ut ipſe-
met eſſe velit profeſſor humilitatis, *Diſcite à me*
p Matth. 11.29. *quia mitis ſum & humilis corde* p; eamque ſpeciali-
ter ſuos edocet amicos, ſicut Magiſter qui omni-
bus generatim inſtruendis expoſitus diſcipulis, a-
liquam reſervat ſcientiam, quam non niſi ſuos edo-
cet dilectos, eoſq; quos affectu proſequitur ſpecia-
li. Idem peragit Chriſtus; licet enim ſit univerſalis
omnium Magiſter, hanc non edocet humilitatis
ſcientiam niſi ſuos familiares. Quoad alias ſcien-
tias, habet ipſe magiſtros ſibi ſubſtitutos, ſed quan-
tùm ad iſtam, ipſemet eam docet. Quod ſpectat ad
prudentiam, remittit ad ſerpentem qui eam do-
ceat; quoad ſimplicitatem verò, ad columbam,
Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut co-
q Matth. 10. 16. *lumbæ* q. Quoad providentiam, ad lilia agri; *Conſi-*
r Matth. 6.28. *derate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant neq;*
nent r. Quoad diligentiam, ad formicam, *Vade ad*
s Prov. 6. 6. *formicam, o piger* s. Et ſic de cæteris. Sed quantùm
ad humilitatem, quæ eſt ipſius dilecta, ipſemet eam
edocet, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*
Ipſe eam in praxim redigit, *Humiliavit ſemetipſum,*
factus obediens uſque ad mortem, mortem autem cru-
cis. Hæc eſt ſcientia ipſius, nec eam niſi ſuos edocet
dilectos. Non Angelos, quia eos intuetur crimini-
bus obnoxios, utpute ſuperbos, *In Angelis ſuis repe-*
t Job 4. 18. *rit pravitatem* t. Non homines, quia vani ſunt; *Ho-*
mo vanitati ſimilis u. *Univerſa vanitas omnis homo vi-*
u Pſ. 143. 4. *vens* x. Eligit humiles qui ipſum imitantur, ab om-
x Pſ. 38. 6. ni immunes ſunt ſuperbiâ, & ideò ſuſcipiendarum
ipſius impreſſionum magis capaces ſunt, *Deus Hu-*
y Jac. 4.6 & 1. Petr. 5.5. *milibus dat gratiam* y.
Unde autem oritur tantus amor erga humili-
tatem, niſi ex cognitione Dei, & magnitudinum
atque excellentiarum ejus? *Pater juſte, mundus te*
non cognovit, ego autem te cognovi. Eum cognoſcit,
& ecce illicò deſcendit ipſe è cœlo, ut ſuas illi ex-
hibeat reverentias; ſeſe efficit hominem, ſeſe de-
primit, & ad nihilum redigit, *Semetipſum exinani-*
z Exod. 3.14. *vit*. Dicebat ipſe alias, *Ego ſum, qui ſum* z. O altiſſi-
mum *Ego*! Sed ecce depreſſiſſimum, *Ego autem*
a Pſ. 21.7 *ſum vermis, & non homo* a. Dicebat tunc temporis
b Exod. 3.14. Moyſes de illo, *Qui eſt, miſit me* b. O celſiſſimum,
Qui eſt! Sed ecce abjectiſſimum, *Ego autem ſum*
c Pſ. 21.7 *opprobrium hominum, & abjectio plebis* c. Vocatur à
d Rom. 8 29. S. Paulo d *Primogenitus in multis fratribus*. Et ipſe
eſt eorum ultimus per humilitatem, *Vidimus eum*
e Iſai. 53. 2. & 3. *deſpectum, & noviſſimum virorum* e.
Quid autem cauſat omnes has mutationes, niſi
cognitio quam habet ipſe Dei, & magnitudi-
num ejus, quæ eum ad tantam exercendam com-
pellit humilitatem? *Ego autem te cognovi*. Non ſa-
tis Deus honorabatur in mundo, quia non erat in
eo ſatis cognitus, ſed duntaxat *notus in Judæâ Deus*
f Pſ. 75. 2. f. Iſto allectum motivo *Verbum caro factum eſt* g.
g Jo. 1.14 h S. Th. 3. p. q. 7. a. 6. S. Thomas h autem aſſerit, neminem unquam pro-
fundius majeſtatem Patris æterni, nec majori
modeſtiâ, nec timore magis humili & filiali ado-
raſſe, quam adoraverit eum Jeſus Chriſtus. Naſci-
tur in ſtabulo, in quo pro cunis nihil deprehendit
i Luc. 2.7 niſi præſepium i; & pro commodis nonniſi pau-
pertatem atque miſeriam. Si Præcurſorem ſibi
præparat, Joannem Baptiſtam eligit pellibus o-
k Matth. 3.1. &c. pertum animalium, quique veſcitur cibis, qui aliis
procul dubio inferrent interitum k. Si Matrem ſi-
l Matth. 1.16. bi aſciſcit, ipſa eſt pauper Virgo l. Si patrem nutri-

tium, ipſe eſt faber lignarius m. Si ſocios & Col- m Matth. 13.55.
legas congregat, iſ ſunt piſcatores n imperiti, qui n Matth. 4.18. &c.
nihil habent præter vilia retia. Principes deſerit,
Magnates, Oratores, & Philoſophos, & inſcios aſ-
ſumit. *Ego autem te cognovi*. A gloriâ declinat au-
cupandâ, ut eam totam ad ſuum Patrem æternum
referat o. Si laudes illi præſententur, eas ipſe re- o Jo. 7.18
nuit, dicens ſe non agere niſi prout inſtrumentum,
In digito Dei ejicio dæmonia p. Præ magnâ humili- p Luc. 11. 20.
tate aſſerit ipſe de ſe, *Mea doctrina non eſt mea, ſed e-*
jus qui miſit me q. Et tamen erat ipſe hominum di- q Jo. 7.16
ſertiſſimus, ut ab inimicis illius miſſi *reſponderunt*
miniſtri, Nunquam locutus eſt homo ſicut hic homo r? r Jo. 7.46
Si Sanctiſſimum Euchariſtiæ inſtituere vult Sa-
cramentum s, ſuis lavat Apoſtolis priùs *pedes* t; s 1. Cor. 11. 23. &c.
ſemper humiliatus, ut renuens gloriam, eam ad
Patrem referre poſſit totam, *Ego autem te cognovi.* t Jo. 13.5
Salvator mundi, quem contemplor huic ſiffi-
xum patibulo u; & quem credo & agnoſco ut ve- u Jo. 19. 18.
rum Deum, & Unigenitum, *qui in ſinu Patris* x es, x Jo. 1.18
hanc tibi propono pro toto hoc populo ſupplica-
tionem cum eximio Viro, *Noverim te, noverim me.*
Cognoſcamus te, cùm in hâc notitiâ poſita ſit tota
noſtra felicitas, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te,*
ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum
y. Ut agnoſcentes te humiliatum, efficiamur hu- y Jo. 17.3
miles, ſcientes nos nihil habere niſi ex dependen-
tiâ à liberalitate tuâ. Si autem amore proprio &
ſuperbiâ affecti te non agnovimus, & honori tuo
detraximus, effice ut per humilitatem reſtituamus
tibi id, quod noſtra tibi fuerat vanitas ſuffurata.
Satage Salvator adorande ut tua ſequamur *veſtigia*
z ad operandam ſalutem noſtram, ſicut diabolo z 1. Petr. 2.21.
adhæſimus ad moliendam ruinam noſtram. Per- a Rom. 5 12.
didit nos ſuperbia a; unicum reſtat nobis reme-
dium conſimum humilitas. Oportet ut ipſa nos
reducat eò, unde nos extraxit ſuperbia. Vanitas
eſt cauſa tot irreverentiarum & ſacrilegiorum,
quæ tuam accendunt iracundiam; tot profanatio-
num quæ in ſacris tuis perpetrantur Templis. Ipſa
eſt quę omnes has deordinationes tibi ſic injurio-
ſas cauſat, ideò quia homines te non agnoſcunt,
nec credunt realiter, & hic defectus notitiæ eſt
cauſa iſtius ſuperbiæ.
Sed revertamur tantiſper, Auditores, ſupra nos,
ſi placeat. Salvator noſter, *Princeps* b noſter humi- b Iſa. 9.6.
lis eſt. Ha! quânam fronte poterimus nos eſſe ſu-
perbi? *Ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam,*
quæ eſt corpus ipſius c, Pater æternus. Si Caput no- c Epheſ. 1.22. & 23.
ſtrum eſt humile, quomodo nos qui *membra ſumus*
corporis ejus d, ſuperbiemus? Abſit à nobis iſtud,
Auditores. Non enim ſumus membra hujus Ca- d Epheſ. 5 30.
pitis myſtici, ſi ſimus noſmetipſos *amantes, ſuper-*
bi, tumidi †. Si autem non ſumus uniti huic Capiti, † 2. Tim. 3.2. & 4.
cogitate quidnam ſit agendum de nobis. Iſtud eſt
unicum quod propono vobis exemplar imitan-
dum. Hæc unica & vera via eſt, quæ ad cœlum
viam pandit, Humilitas e, quam docuit nos Chri- e Matth. 18.3.
ſtus, & cujus voluit ipſe Profeſſor exiſtere. Imite-
mur Chriſtum qui eſt illius Magiſter, deprimamus
nos ad exhibendam ei gloriam, ſicut ipſe *humilia-*
vit ſemetipſum * ad honorandum Patrem ſuum. * Philipp. 2.8.
Agnoſcamus nos habere ab illo quidquid poſſide-
mus f. *Ignem mittere* venit in *terram* g, ut ipſe te- f 1. Cor. 4.7.
ſtatur, qui non eſt alius niſi amor ipſius. Ignis non
eſt ſine flammis, & ſuum habent flammæ lumen. g Luc. 12 49.
Renunciemus amori proprio, amemus Deum, &
habebimus hunc ignem, has flammas, iſtud lu-
men, quibus cognoſcemus & amabimus eum
per gratiam, & tandem per gloriam.

FERIA III. DOMINICÆ II. ADVENTVS.

Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixitque ei. Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Gen. 22.10. &c.

ODium eſt paſſio humana, ſeu inhumana, quæ eſt naturaliter oppoſita paſſioni amoris, de quâ locutus fui vobis his diebus præteritis, licèt ambæ in parte reſideant hominis concupiſcibili. Sicut illa bonum proponit ſibi ut affectuum ſuorum objectum; ita iſta, putà odium, malum reſpicit ut horroris ſui ſubjectum. Sicut priori nos concupiſcimus fruitionem rerum ſpecioſarum, bonarum, & amabilium; ſic poſteriori deteſtamur præſentiam & intuitum deformium, malarum & odibilium. Una noſtrum allicit affectum, noſtram inflammat voluntatem, eamque unit objecto ipſi oblato; altera verò noſtrum retrahit affectum, & à propoſito ipſi ſubjecto eum elongat. Sicut paſſio amoris eſt propria & conſona homini affectio; ſic paſſio odij illi ex diametro oppoſita, eſt affectio ipſi extranea, & uno verbo inhumana.

Homo creatus fuit ad amandum Deum, bonum, virtutem, & quidquid eſt amabile. Si verò aliquando amet malum, id agit ſub ſpecie boni ſaltem apparentis. Homo qui non amat bonum aut apparens, aut reale, non eſt propriè homo, ſed ſtatua inanimis, aut homo pictus, qui non eſt verus
a Eccli. 20.25. homo; *Homo acharis quaſi fabula vana* a: Homo ſine charitate non eſt homo, *Deum time, & mandata e-*
b Eccl. 12.13. *jus obſerva: hoc eſt enim omnis homo* b. Homo qui non diligit *Deum ex toto corde* ſuo, nec reveretur eum timore filiali, & ſuum non amat *proximum ſi-*
c Matth. 22.37. & 39. *ut* c ſeipſum, ſed è contrà illum odit, & perſequitur, non eſt homo. Ideò jure merito lamentabatur Jeremias, *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo?*
d Thren. 1.1. & 2. *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus* d. Redundabat urbs hominibus, ſed alienis ab humanitate, amore & charitate, quæ eſt anima hominis, & character rationis, ſicut & ſignum Chriſtiani, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis,*
e Jo. 13. 35. *ſi dilectionem habueritis ad invicem* e.

Fortaſſis autem vobis res videbitur inaudita, ſi aſſeram vobis, Abraham, qui erat vir eximius & probus, hâc inhumana odij paſſione fuiſſe affectum. Si enim attentè omnes perpendatis circumſtantias hujus lethiferi ſacrificij, quod jam jam eſt præſentaturus Deo, cùm *extendit manum & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum*, deprehendetis hoc non eſſe actionem Patris, ſed parricidæ; non amici, ſed carnificis, vel ſi iſtud vocare velitis actionem hominis, eſto, ſed hominis omnium hominum longè inhumaniſſimi. Quid inhumanius quàm ut pater proprium ſuum deſtruat filium, quem in lucem edidit, & illi vitam eripiat, cui illam tradiderat, ſuumque tingat brachium ſanguine innocentis filij ſui? Hinc fit ut cùm Abraham non ſe reputet ampliùs patrem Iſaac, ſic eum non intueatur ampliùs veluti filium, ſed ſicuti victimam ad mortem deſtinatam, & proprio brachio immolandam. Videte quomodo amor Dei prævaluit ſuper amorem carnis & ſanguinis in animâ hujus venerabiliſſimi Senis. Sic propter amorem Dei aliquo modo ſuum proſecutus eſt odio, filium; ſed iſta paſſio odij fuit ſancta, meritoria, & exemplaris in Patriarchâ noſtro, qui cùm eſſet fidelis, non dubitavit quòd Deus reſtituere ſibi poſſet filium ſuum etiam internecione deletum, *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus* f, *non ſo-* f Hebr. 11.19.
lum Iſaac filium ſuum, ſed omnem defunctum, ſubjungit Dionyſius Carthuſianus g; ratus firmiter Deum eſſe, & illum Deum ſui curam habiturum, & ſuorum; ſicut verè ipſius curam egit, cùm ſubrogavit ipſi loco Iſaac immolandi, arietem ſacrificandum. *Per hoc tamen, quòd non Iſaac, ſed aries immolatus eſt, præfigurabatur quòd Chriſtus ſecundùm Divinitatem impaſſibilis, ſecundum humanitatem occiſus eſt* h in corpore formato poſt hæc verba, *Ave Maria*. g Dion. Carth. a. 18. in hunc locum. h Idē ib.

Interrogatus aliàs Cyrus quinam eſſent hominum omnium ſceleſtiſſimi. Reſpondit inopinatò tamen, peſſimos omnium cenſendos eſſe atheos, *Sine Deo vivere*. Inventi quippe fuerunt homines ſic pravis diſſoluti moribus, & vitam agentes tantis obnoxiam criminibus, ut viverent ſine lege, ſine Rege, ſine politiâ, ſine Magiſtratibus, ſed nunquam ſine Deo aliquo. Scythæ ipſi omnium populorum maximè barbari Deos agnoverunt. Si autem mediam inter ferocitatem, exercuerunt rabiem, id factum eſt, quia in ipſorum alphabeto tres deſiderabantur literæ L. F. R. ſine lege, ſine fide, ſine Rege. Sed in alphabeto atheorum deſideratur quarta, utputà D. abſque cognoſcendo Deo, *ſine Deo vivere*.

Apprimè locutus eſt Propheta i de atheo, *Di-* i Pſ. 13. 1.
xit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Stultus eſt, eſſe enim ſtultum, & atheum, ſunt duo ſinonyma, eadem prorſus res ſunt. Quænam enim inſignior dementia, quàm ut quis utatur ratione ad hunc finem ut efficiatur beſtia, & ignarus reddatur illius, quod impoſſibile eſt ut non ſciatur? cùm convictus ſit unanimi creaturarum omnium conſenſu. *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*, dixit Tertullianus k. Hoc eſt ſanè unicâ duntaxat potiri animæ rationalis parte, ac non credere Deum, ajebat Porphyrius ſemiatheus, & integrè politicus (ſi tamen aliqua pars animæ admittenda ſit, cùm ipſa ſit planè indiviſibilis.) k Tert. in Apolog. c. 17.
Hinc atheus qui loquitur ut ſtultus, ſuum non audet errorem propalare, illum tantùm in intimis ſuis profert penetralibus, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*. Suum maximè cavet ne crimen eventilet, venenum ſuum in ſuo continet corde, nec illud foras ſinit erumpere, ne videatur inſurgere in ſanctitatem legum, quæ ipſi inferendum extremum decernerent ſupplicium. Linguâ ipſius dentibus laceraret præcidentibus iſtud cordis abortivum. Ideò illud intra ſe retinet concluſum, nec foras emittit, cùm clarâ ſit indignum intuendâ luce. Tumulum debet nanciſci in loco in quo conceptum ipſum fuit, veluti

omnium

omnium criminum flagitioſiſſimum, quodque maximum omnium meretur ſupplicium.

Monſtrum eſt in natura portentoſum ac atheus in mundo. Erraverunt Pagani in eligendis Dijs ſuis. Turpiter hallucinati ſunt in falſorum numinum ſuorum multitudine, ſic à nullo alieni erant admittendo, cùm tamen nullum agnoſcant athei. Adorabant Populi quidam Solem ut Deum ſuum, ut recumbentes, ſua æquo liberius perpetrare poſſent flagitia, cùm extra præſentiam tunc forent illius, quem offenſuros ſe fuiſſent imaginati, ſi ipſorum interfuiſſet ſceleribus tunc temporis. Alij Lunam, & Aſtra ſupremo reverebantur cultu, ne illorum teſtimonium pernicioſis ipſorum conſilijs, & iniquis praxibus per diem peragendis foret inofficioſum. Omnes tandem nationes aliquos veneratæ ſunt Deos, quibus ſuas exhibuerunt ſupremas reverentias, ratæ futurum ut ipſæ ſine illorum ſubſiſtere non poſſent auxilio. Sed hodiernâ die Abraham agnoſcit unum Deum, qui verè i-

Diviſio. pſius agit curam. Ideò oſtendam vobis Primò, Deum eſſe. Secundò, Hunc Deum ſuorum curam agere.

I. Pars. Illud eſt in ſcholâ veriſſimum proloquium, quo aſſeritur, quòd principia univerſalia non probantur, ſed ſupponuntur tanquam vera; ut quòd totum ſit majus ſuâ parte. Quis eat inficias? Quòd cœlum ſit altius terrâ. Quis eſt qui illud non videat? Scientiæ igitur ſua ſupponunt principia, ſed ea non probant. Supponit Medicina, quòd dentur morbi, & huic principio ſuos efficit inniti aphoriſmos. Corpus naturale ſupponit Phyſica, & conſequenter de illius diſſerit proprietatibus, & ſic de cæteris omnibus alijs ſcientijs. Sola Theologia ſcientiarum Regina inquirit, *Vtrùm ſit Deus*? Omnia entia, & quidquid eſt ſpecioſum in natura, annunciant nobis Deum eſſe, & tamen inter tot ſplendentia lumina, voluntariâ percuſſi remanemus cæcitate. *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc* l hanc veritatem. Si autem non

l Rom. 8. 22. loquantur univerſæ creaturæ, ideò quia puellas & virgines imitantur verecundas, quæ non promunt ſermonem, niſi cùm interrogantur; & organa muſica, quæ nullum ſonitum edunt aut concentum, niſi cùm pulſantur. Si autem ſuo compellantur loqui modo univerſi terrarum & cœlorũ fines, annunciabunt illicò, & auribus noſtris inſpirabunt, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos* m. Unus

m Pſ. 99. 3. eſt Deus qui nos produxit, non ſumus nos noſtri ipſorum opifices; & ſi exiſtentiâ potimur, ipſe nos eduxit è nihilo.

Immeritò igitur ambigeret aliquis de hâc veritate, quam in concione aliquâ præcedenti probavi jam manifeſtam; & ideò dubium illius in luce ſic clarâ & evidenti, & in articulo Religionis ita gravi non poſſet eſſe niſi criminoſum, cùm hæc veritas tot habeat teſtes in gratiam ipſius authenticum perhibentes teſtimonium, quot ſunt entia in universâ rerum naturâ, quæ à Deo traxerunt originem. Seraphicus Pater S. Franciſcus cùm à primis naſcentis Ordinis ſui incunabulis aliqua devota erexiſſet Theologiæ addiſcendæ ſtudia, oblatam ſibi intuitus theſim, in quâ proponebatur hæc quæſtio, *Vtrùm ſit Deus*? dolore affectus non vulgari, exclamavit. Heu infelix ego! Poteramne equidem ſtudia erigenda ſatagere, in quibus de veritate ambigeretur mediâ luce clariori, & omnibus patentiori luminibus? Dubitare, *Vtrùm ſit Deus*? Heu quale crimen! Quantam ignorantiam poſt tot teſtimonia tanti ponderis, quæ de hâc non ſinunt ut ambigamus veritate, niſi infidelitatis velimus eſſe conſcij ſacrilegæ!

Verum quidem eſt, nos naturam illius non poſſe cognoſcere, quia *poſuit tenebras latibulum ſuum* p: ſed exiſtentiam ejus in dubium revocare nemo p Pſ. 17. 12.
eſt qui poſſit, niſi ſit mentis inſanæ, & infidelis circa articulum totius Religionis graviſſimum. Contendens David Divinam inveſtigare naturam, nunquam potuit illius intima pervadere. Nimis breviatus eſt noſter animus, ut Divinam poſſit perſcrutari immenſitatem q. Noſtris non indiget q Baruch 3. 25.
Deus notitijs, ut ſuam conſtituat felicitatem, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* r, r Pſ. 15. 2.
Cognoſcimus eum *nunc in ænigmate*, expectantes intueri eum *tunc facie ad faciem* s, cùm ad cœlum s 1. Cor. 13. 12.
pervenerimus. Sic apprimè quidam interrogatus quidnam ſentiret de Deo, cœlum demonſtravit, quaſi innuens eum non ritè cognoſcendum niſi in cœlo. Sed illud naturam illius ſpectat & ejus perfectiones, quæ animi noſtri captum infinito antecellunt modo. At quoad illius exiſtentiam, eam confitetur unuſquiſque, eamque univerſæ propalant creaturæ.

S. Thomas t Divinam quinque vijs probat exi- t S. Th. 1. p. q. 2. a. 3.
ſtentiam. Primam & præcipuam eruit è motu, quia cùm nihil moveatur à ſeipſo juxta Ariſtotelem, *Quidquid movetur, ab aliquo neceſſe eſt moveatur* u, ad unum perveniendum eſt primum u Ariſt. l. 7. Phyſic. c. 1. text. 1.
principium, quod motum omnibus alijs imprimens, illum à nullo recipiat. Illud autem principium non eſt aliud niſi *omnibus mobilibus mobilior Sapientia* x divina, quæ ſcilicet, ut exponunt Inter- x Sap. 7. 24.
pretes & Theologi, univerſis motum imprimit creaturis, cùm ipſa ſtabilis perſeveret ac immota, cùm ſit ipſemet Deus *idem ipſe* y ſemper. Secun- y Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12.
da via deſumitur è cauſa efficiente, quæ omnibus alijs debet impertiri eſſe, nec tamen eſſe habet niſi à ſeipsâ. Hæc autem cauſa prima & ſuprema non eſt alia niſi Deus, qui eſt *principium & finis* z. Aut enim Deus eſt à ſeipſo, aut ab alio z Apoc. 1. 8.
factus eſt. Si factus ſuit ab alio, altius eſt aſcendendum, & ad infinitum uſque procedendum, à quo natura ſic abhorret infinito, ut illud ultimum ſuorum ac atrociſſimum perpendat & reputet peccatorum. Si autem ipſe eſt à ſeipſo, *perfectus eſt* a, cùm ipſe ſit æternæ ſuæ Opifex felicitatis. Ter- a Matth. 5. 48.
tia via eſt poſſibilium & neceſſariorum. Quarta eſt ſubordinatio entium. Quinta tandem eſt ordo & gubernatio rerum quæ ſunt in mundo, & earumdem directio ad ſuum finem. Ego autem non poſſum meliùs probare exiſtentiam Dei, quàm ex fide, quam ipſe exiſtentiæ ſuæ noſtris imprimit animabus, quæ fides non oritur eis ex opinione, nec ex proprijs ipſarum viribus, ſed ex Deo ſolo, nec noſter animus minimæ ſuſcipiendæ de Deo cogitationis capax foret, niſi priùs ipſi formandæ ejuſmodi cogitationis ideam ſubminiſtraret, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* b. b 2. Cor. 3. 5.

Sic eſt, Auditores; nullum de Deo formare poſſet intellectus noſter conceptum, ſi auxilium ſpeciale Dei in eo non renovaret ideam; & ſic infinitas eſſentiæ illius non magis eum præſentem animabus exhiberet quàm ſit præſens Sol terris ſuper quas recta ſuos dirigit radios, cùm ad medium cœli pervênit. Poteſt quidẽ anima noſtra formare ſibi phantaſmata, chimæras, & montes aureos, & dare eſſe in imaginatione ſuâ rebus quæ nullâ in naturâ ſibi vendicare poſſent exiſtentiam; ſed ſi nullus eſſet Deus, impoſſibile eſſet ut animus noſter il-

lius conceptum efformaret, & ut noſtrum os terminum pronunciaret qui eum ſignificat; quia ſenſus noſtri nihil in totâ deprehenderunt rerum naturâ, quod habeat convenientiam cum eminentibus eſſentiæ illius perfectionibus; & omnes conceptus noſtri ſunt nimis debiles ad formandum conceptum ſic incomparabilem. Quomodo igitur anima noſtra, quæ ſemetipſam perfectè non poteſt cognoſcere, nec formas intueri ſubſtantiales ex transverſo denſitatis materiæ, poſſit ex ſe-ipsâ efformare cogitationem Dei, qui eſt eſſe intelligibile puriſſimum, & a corporibus remotiſſimum? *Spiritus eſt Deus* c. De eo loquimur ut de eſſentiâ infinitâ *in bonitate* d, in magnitudine e, in *potentiâ* f, in extenſione g. Quomodo autem mens noſtra, quæ exiguis vires ſuas concluſas habet limitibus, conceptum formare poſſet de infinito, niſi aliquod eſſet ens infinitum, quod hanc ipſi priùs communicaſſet intelligentiam, & ad iſtam actionem, ipſius captum extuliſſet? Omnes enim operationes menſurantur ad eſſe; & ſicut eæ ſunt illius productiones, ultimus excellentiarum ipſarum terminus in eo eſt ſitus, ut præ aliquâ æqualitate ſuum repræſentent principium, non autem ut illud antecellant. Anima ergo noſtra quæ nonniſi limitatis viget potentijs, non poteſt ex ſe-ipsâ concipere ideam infiniti, niſi Deus ipſe qui *non habet finem* †, ipſi eam imprimat. Et hæc idea ſeu cognitio nobis clare exiſtentiam illius manifeſtat, nedum de eâ jure merito valeamus ambigere.

c Joan. 4. 24.
d Pſ. 118. 68.
e Pſ. 47. 2.
f Pſ. 64. 7.
g Baruch 3. 25.
† Idem Ibid.

Nullus planè eſt ex Antiquis qui hanc manifeſtè non cognoverit veritatem. Eloquentiæ Romanæ Parens Cicero in libris quos conſcripſit de naturâ Deorum, in hanc concurrit religiosè ſententiam. Hippocrates & Ariſtoteles Divinitatem probant. Prior ex admirabili artificio, & eximiâ œconomiâ ac ſtructurâ corporis humani; & ex ſymmetriâ partium ejus, in quo ſunt tot fibræ, tot nervi, tot venæ, tot arteriæ, tot cartilagines, & tot alia mirabilia, quæ altâ, licèt mutâ, proclamant voce Sapientiam infinitam, & Potentiam immenſam. Poſterior verò ex motibus, ex aſpectibus, & ex conjunctionibus aſtrorum, quæ omnia tanto ſicque regulari peraguntur ordine, ut ea mirentur ſubtiliſſimi quique homines. Iſte verò primus Motor, de quo ille loquitur, qui motum omnibus imprimit cœlis, quemque Plato primam nuncupat Intelligentiam, non eſt alius niſi Deus, quem univerſæ annunciant creaturæ, dum *enarrant gloriam* h ejus, quem natura publicat ore pleno, & quem ſoli inſani nolunt admittere. Sed dicant quidquid eſt ipſis ſuggeſtura malitia. *Unus Deus* i eſt qui *operatur* k, nec eſt otioſus, *qui ſcit univerſa* l, qui ſuavitates & coronas habet pro Bonis, tonitrua verò & fulmina pro malis, *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus* m; cùm juſtitiam æquè ac miſericordiam ſibi vendicet.

h Pſ. 18. 2. &c.
i Epheſ. 4. 6.
k Joan. 5. 17.
l Baruch 3. 32.
m Rom. 2. 6.

Mentes profligatæ & moribus pravis diſſolutæ, quæ oculos veſtros inter tot clara clauditis lumina, quæque omnes divinitatis in vobis extinguitis ideas, ne veſtrorum perpetiamini improperium criminum, uſquequò felicitatis veſtræ non agnuſcetis cauſam? Uſquequò renuetis admittere veritatem, quam tot publicant præcones, quot inveniuntur in orbe creaturæ? Refertur Antiquus quidam viginti quatuor filio ſuo providiſſe pueros honorarios, quorum unuſquiſque præ ſe ferebat nomen unius literæ Græcæ, ratus quòd neceſſitas obſequij illorum filio ſuo ab illis vicibus alternis impendendi, auxiliari poſſet ſtupiditati animi illius, cùm vocans eos proprio nomine, ſuum addiſcere poſſet alphabetum. Homo ingrate, divinorum immemor beneficiorum, & omni ſanâ mente capte, Deus ipſe ampliùs peragit, cùm milliones tibi provideat creaturarum obſequium ſuum tibi impendentium eo fine, ut nomen ipſius edoceans; & tamen malitiosè & voluntariè permanes inſcius veritatis ſic claræ, & omnium creaturarum oribus publicatæ.

Heu! iſtius inſcitiæ cauſam intueor, & ſcio, ſed ſcientiâ quæ me dolore percellit immodicô. Nullum vult atheus Deum, & illius jugum excutit. Uultiſne ſcire quare? Ut æquò liberiùs flagitijs incumbat perpetrandis, & ratus quòd ſolus eſt Deus qui ipſum exagitet validis judicij timoribus, aſſerit quòd re verâ ſit ille exinaniendus, ut vivere poſſit ipſe contentus, & immunis ab his agitationibus importunis requiem ipſius interturbantibus. In illum inſurgit & roboratur, *Tetendit enim adversùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt* n, ut meliùs ideam ejus à ſe procul amandet. Eodem ſe gerit modo, quo incolæ civitatis alicujus, qui rebellionem commoverunt contra legitimum ſuum Principem, munitiones conſtituunt, propugnacula ædificant, vicibus alternis è civitate erumpunt, ut jumenta, & impedimenta bellica hoſtium depopulentur, & ſuum aggrediantur Regem, contra quem omnes ſuos conatus exerunt. *Spreverunt Altiſſimum, & dixerunt in corde ſuo, non eſſe Deum* o. Agat atheus quidquid voluerit, inutiles ſunt omnes illius inſultationes adversùs Deum, cujus juſtitia inſequitur eum jugiter, ut de ſceleribus illius vindictam referat. Angitur ille in intimis cordis ſui penetralibus ſine ullâ intermiſſione quietis; ſuum incipit infernum in hoc mundo, ut eum nunquam perficiat in altero, in quo Deum invitus experietur ſeverum vindicem. Hæc eſt omnium origo criminum, cùm quis eò pervenit impietatis. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*, ait Propheta †. Et ſtatim ſubdit, *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis.* Hæc eſt ſequela iſtius antecedentis; *Non eſt Deus*: Valete ergo virtutes; valete bona opera; vale ſanctitas. *Non eſt Deus*: Nullus ergo eſt paradiſus, nulla merces, nulla gloria. *Non eſt Deus*: Nullus eſt igitur infernus: Ecce habenæ laxatæ omnibus ſceleribus ac flagitijs æquo liberiùs perpetrandis.

n Job 15. 25.
o 4. Eſdr. 8, 56.
† Pſ. 13. 1.

Sed quid mirum ſi nullum agnoſcat atheus Deum? cùm difficilia ſenſibus præcipiat Deus, Confeſſionem p, Communionem q, Satisfactionem r. Ha! quàm operoſum eſt illud, ſua aperire ſcelera Sacerdoti, ſubjicere ſe homini, eique omnia intima ſui cordis arcana reſerare! Quàm importunum eſt illud! Præterea, Tot exercendæ veniunt abſtinentiæ, tot jejunia in praxim redigenda, & tot hauriendæ tolerantiæ! Si verò *non eſt Deus*, ab omnibus iſtis immunis eſt unuſquiſque obligationibus, inutiles ſunt pœnitentiæ; & ſic puriores ſunt voluptates, cogitationibus contrarijs non interturbatæ. Præterquàm quòd cùm Philoſophia aſſerat, quòd *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; Hoſpes v. g. accommodat ſe ad captum illius qui ipſum ſuſcipit; figuram ſumit aqua vaſis, in quo continetur; ſi nullum athei volunt Deum, non eſt cur miremur; quia cùm immundi ſint veluti larrinæ, & impudici more porcorum, Deos vellent voluptatum amatores, Deos impuros quales ipſi ſunt. Inde oritur quòd alias

p Matth. 16. 19. & 18. 18. & Joan. 20. 23.
q Joan. 6. 54.
r Luc. 19. 8.

bruta

s Pſ.105. bruta adorata fuerint s ut Divinitates: & vitioſi
19. qui ſummum bonum ſitum in voluptatibus corpo-
ris conſtituunt, extruxerint templa Baccho, Ve-
neri, & aliis infamibus numinibus, quibus ſola pla-
cere poterant crimina, & quorum ſacrificia erant
abominationes.

Ægyptii naturaliter timidi beſtias adorabant
venenatas ac rapaces, ut ab earum ſubeundâ de-
clinarent vindictâ. Galli ſupremum exhibuerunt
Deo Marti cultum, eique humanum ſacrificave-
runt ſanguinem, ut magnanimitati ſuæ bellicoſæ
facerent ſatis. Athenienſes qui ſcientias profite-
bantur, ſuas maximè ſolemnes præſentaverunt
oblationes Deæ Palladi, quam imaginabantur na-
tam è cerebro Jovis, eamque Deam ſcientiæ in-
ſpiratricem colebant. Tot ſibi Romani fabrica-
bant idola, quot erant mala quæ metuebant; aut
quot erant bona, ad quæ anhelabant. Uno tan-
dem verbo quales nos ſumus, tales volumus nos
Divinitates. Hebræi toti animales ſuarum me-
t Exod. mores ollarum Ægyptiacarum t, *fecerunt vitulum*
16.3. *in Horeb, & adoraverunt ſculptile* u. Talis eſt Deus
u Pſ.105. noſter, quales ſunt paſſiones noſtræ. Dii veſtri,
19. Dominæ meæ, ſunt veſtra ſpecula, quæ ſic perſæpè
conſulitis, & præ quibus veſtra flectitis genua: illa
x Matth. ſunt veſtræ Divinitates, ſicut theſauri ſunt Dii ava-
6.21. rorum x. Deos efficimus id quod amamus. Unus
eſt Deus, & ille Deus ſuorum curam peragit.

II.Par. Omnes antiquæ civitates eò religionis & re-
verentiæ proceſſerant ut Deos haberent tutelares;
& earum incolæ ex illorum tantum ſibi pollice-
bantur præſentiâ auxilium, ut aureis illos vinci-
rent catenis, ne eos fortaſſis eriperent hoſtes ali-
quo præſtigio, aut inofficioſo machinamento; &
ſic deſtruerentur, cùm ipſis eſſet ſeſe oblatura oc-
caſio, propitio illorum ſubſidio, cujus beneficio ab
infauſtis liberarentur eventibus, quibus eſſe poſ-
ſent obnoxii. Et ideò Athenæ ſe reputabant in-
vincibiles, eò quòd intra ſuorum ambitum mœ-
nium, concluſum ſuum adorarent Apollinem. At
Deus Iſraël, qui eſt verus, multa operatus eſt mira-
bilia in gratiam populi ſui; totque illi contulit vi-
ctorias, quot ille iniit certamina: certumque eſt,
quòd, quamdiu populus ille divinas ejus cuſtodiret
leges, propitium illi pariter ſemetipſum exhiberet
Deus, & ſubſidium impertiretur ei opportunum,
nedum aliquid ipſi eſſet metuendum, ſed è contrà
felices ipſi expectandi ſemper forent ſucceſſus. Re
enim verâ liberum ei conceſſit tranſitum per ma-
y Exod. re rubrum y; & eædem aquæ, quæ receſſerant in
14.26. gratiam illius, congregatæ ſunt denuò, & conve-
&c. nerunt in unum, & ſuis immerſerunt fluctibus
Pharaonem, & exercitum ejus qui perſequebatur
iſtos filios Iſraël, quorum fortitudo in ipſorum ſita
erat infirmitate; nec magnanimi erant & genero-
ſi, niſi quia verum timebant & colebant Deum,
qui idcircò illorum agebat curam.

Divinam negare Providentiam non eſt minùs
ſacrilegium, & levior blaſphemia, quàm dicere
* Pſ.13.1 abſolutè quòd *Non eſt Deus* *, cùm providentia ſit
attributum à Divinitate prorſus inſeparabile; &
illi qui hujus efficiuntur conſcii criminis, jure me-
ritò nuncupari poſſunt animales, ſtupidi, & impii.
Curam gerit Deus omnium, quæ ipſemet creavit,
Tu autem dominator virtutis, cum magnâ reverentiâ
a Sap.12. *diſponis nos, ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe* a; &
18. omnia conſervat providentiâ ſuâ, quæ definitur
Ratio ordinandorum ad finem, præbendo cuilibet
rei media neceſſaria & congrua adipiſcendo fini
proprio. Qui ergo Divinam negat Providentiam,
non minori maculat ſe facinore, quàm ille qui
Deum non vult admittere. Et ratio clara eſt:
Nullus eſt enim vel minimus Theologus, aut re-
cens Philoſophus, qui confiteri non compellatur,
quòd Deus eſt Spiritus infinitus, & conſequenter
perfectiſſimus. Si Spiritus eſt, cognitionè junctam
habet voluntati, quâ velit bonum creaturis, quip-
pe quæ ſint ipſius opera; & ideò quòd oporteat ut
illis communicet ea, quę ipſis ſunt neceſſaria ad ſui
conſervationem, *Cum eo eram cuncta componens* b. b Prov. 8.
Ubi in Hebræo legitur, *Eram apud eum nutricius.* 30.
Omnium creaturarum curam ſatagit Divina Pro-
videntia, quæcunque illæ ſint, & omnibus ea quæ
ſunt ipſis accommoda, tribuit.

Non eſt Deus minùs admirabilis in formatio-
ne muſcæ, quàm aquilæ; & in œconomiâ formica-
rum, quàm in totius orbis politiâ. Omnia crea-
vit, & ideò curam omnium ſatagit, imò & mini-
morum & viliſſimorum, *Dat jumentis eſcam ipſo-*
rum, & pullis corvorum invocantibus eum c. Alimen- c Pſ.146.
ta Deus providet his animalculis, quæ naſcentia 9.
alba deſeruntur à parentibus imaginantibus ipſa
illegitima. Non ſolùm autem curam ſuſcipit ani-
malium, ſed etiam herbarum, *Producit in montibus*
fænum, & herbam ſervituti hominum d. Omnium d Ib. v. 8.
habet curam, quia cùm providentia ejus ſit infini-
ta, & ideò indiviſibilis, circumquaque extenditur,
& præ ſplendore manifeſtatur in rebus maximè
exilibus, quæ minimum præ ſe ferunt in naturâ
decôrem. Illi igitur loquuntur ut impii & ſacri-
legi qui dicunt, injuriam divinæ irrogari Majeſta-
ti, ac eam ad ſolicitandas res exiguas obſtringere,
Nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambu-
lat e. Hoc eſſet detrahere eminentiæ naturæ i- e Job 22.
pſius, ajunt athei, graviora quidem alia habet ſa- 14.
tagenda negotia. Hæc ſanè eſt cogitatio ſacrile-
ga, quæ Deo ſceptrum velit eripere & coronam,
licèt ei videatur honorem impendere.

Virgo Deipara de ſe loquens in ſuo Cantico,
ait præ humili ſui cognitione, quòd ſi Deus ipſam
plurimi fecit, ideò *quia reſpexit humilitatem ancil-*
læ ſuæ f. Alio verſio fert, *nihilitatem*. Sed cavete f Luc. 1.
ne aliquid depreſſum concipiatis de hâc Virgine 48. &c.
beatiſſimâ, eſt enim eminentiſſima, & ut talē de-
ſcribit eam in cœlo S. Joannes g, *Signum magnum* g Apoc.
apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole. Et licèt res 12.1.
altæ appareant exiguæ, hoc tamen non obſtat
quin ſacratiſſima Virgo magna appareat in cœlo,
nihil habens quòd non ſit elevatum, etiamſi præ
humilitate dicat, *Quia reſpexit humilitatem*, vel
nihilitatem ancillæ ſuæ. Deus nihilominùs hanc in-
tuetur humilitatem, eamque ſic elevat, ut eam
ſuæ potentiæ eximium efficiat opus. Lumen illud
quod *in principio creavit Deus* h, parva duntaxat h Gen. 1.
erat ſcintilla, & Deus illud intuetur inter primum 1. &c.
chaos, illud laudat & encomiis celebrat, *Et vidit*
Deus lucem quòd eſſet bona. Ut diſcamus, illum re-
rum curam ſuſcipere vel exiguarum, cùm illas æ-
què produxerit ac maximas; *Sic curas unumquem-*
que noſtrûm tanquam ſolum cures; ſic omnes tan-
quam ſingulos, ait S. Auguſtinus i, Deum allo- i S. Aug.
quens. lib. 3.
Conf. c.
11.

Si verò Juſti patiantur in mundo, ſi innocentia
opprimatur, & virtus deſpiciatur, hoc divinæ non
detrahit Providentiæ. Deus malum permittit ut
ex eo eruat bonum. Ipſe cauſa eſt univerſalis, nec
aliquid unquam niſi propter bonum finem pera-
git, *Providentia eſt ratio ordinandorum ad finem.* Si
ſinat Deus ut affligatur Juſtus, idcircò ut illum
exhibeat magnitudinis ſpectaculum, & ſubjectum

conciliandis ſibi meritis idoneum, *Spectaculum Deo dignum, ad quod intentus reſpiciat Deus, vir bonus compoſitus cum malâ fortunâ*, ait Seneca k. Job omnem ſuam eduxit gloriam è *ſterquilinio* l, quod fuit velut theatrum, in quo ſuam intuendam exhibuit magnanimitatem m. Aſcendit Joſeph è carcere n ſuper thronum o; libertatem è ſuâ traxit ſervitute; & nunquam ſic felix fuiſſet effectus, niſi priùs miſer fuiſſet. Tempeſtates adduxerunt ei tranquillitatem, & Deus ſic apprimè de illius diſpoſuit afflictione, & de deteſtabili fratrum illius conſilio p, ut omnia maximo ipſius ceſſerint emolumento ac oblectationi, *Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis*, ait Tobias q, Deum alloquens. Monſtra exercendis ſunt Herculibus neceſſaria. Et ſi nullus unquam fuiſſet Saul qui perſequeretur David r, nunquam Princeps iſte, quem *quaſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* s, ſuam virtutem ſic exhibuiſſet commendabilem, quia juxta Eccleſiaſticum t, *vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.*

k Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant. c. 2
l Job 2. 8. &c.
m Job 42. 10. &c.
n Gen. 39. 20. &c.
o Gen. 41. 40. &c.
p Gen. 37. 25. &c.
q Tob. 3. 22.
r 1. Reg. 18. 29. &c.
s 1. Reg. 13. 14.
t Eccli. 27. 6.

Non vult Deus ut magni diffluant animi otioſę vitę delicijs, ſed intendit ut virtutis vacent exercitijs. Eximij viri ſimiles ſunt ijs piſcibus, qui in aquis moriuntur torpentibus, & in agitatis delectantur; nec jacturam in tribulatione patiuntur, ſicut neque Sol aliquid detrimenti recipit ex eclypſi, quæ efficit ut clarior ille pòſt appareat. Quamnam autem utilitatem provenire exiſtimatis impijs ex hujus vitæ commodis? Eſtne aliquid miſerius quam *jumentis inſipientibus* u ſimiles fieri præ ſuorum enormitate vitiorum, & tot criminibus addere impunitatem? Dicetis mihi eos agere quidquid volunt. Ego autem aſſero illos eò eſſe infeliciores. Si enim infelicitas eſt velle malum, duplex eſt infortunium poſſe illud in praxim redigere. Ego autem ſi condignâ depravatæ vitæ hominem plectere vellem pœnâ, non decernerem illi ſubeundas torturas, nec ignes ſuſtinendos; ſed illum implerem argento, auro, & divitijs, & ſic impleto ad fauces uſque, ut ita dicam, velum amoverem, & aſpiciendam ei virtutem exhiberem, & intuendum paradiſum, cùm prodidiſſet illam, & amiſiſſet iſtum pravo ſuo agendi modo. Videte, Auditores, quonam pacto Divina circumquaque extendatur Providentia, & ſemper in gratiam Bonorum, licèt oppreſſorum, cùm è malo educat bonum Deus.

u Pſ. 48. 13. & 21.

Suarum omnium curam habet creaturarum, nec in dubium poteſt quis revocare iſtius providentiam, quin crimen infidelitatis incurrat in materiâ fidei. Si aliquando ad noſtrum venire tardet auxilium, id efficit ut noſtram probet patientiam, *Expecta illum: quia veniens veniet*, ait Habacuc x, *& non tardabit*, poſtquàm dixit in principio, *Si moram fecerit*. Noſtra nimis curat commoda, nedum ea quamcitiſſimè ſolicitanda non ſatagat. Fortè creditis viduas eſſe in oblivione Dei æquè ac hominum, eæ ſunt ſicut Eccleſia in viduitate ſuâ, eas diligit Deus y, earum curam ſatagit, illarum lacrymis madẽtes & *pulchra genæ ſicut turturis* z ipſi placent, nec eas in terram ſinit cadere, quin imò illas ad paradiſum extollit, *A maxillâ enim aſcendunt uſque ad cœlum* a. Pauperis ſuſcepit curam, & orphano ſe tutorem providit, *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor* b. Eorum commoda ſunt ipſi chara, nec unquam ſinet ut illis aliquid deſit; eoſque ex omnibus eximit periculis. Tempore cataclismi univerſalis, qui totam aquis interfectricibus immerſit naturam, ipſemet venit clauſum feneſtram arcæ, ne Noë & familia illius in communi illo periculo vererentur, *Clauſit à foris oſtium Dominus* c. Quæ major cura? Quæ inſignior providentia in gratiam ſuorum? Satagite duntaxat ut ſitis illi fideles, & verbum meum vobis alligo in hâc cathedrâ veritatis, eum auxilium ſuum vobis impenſurum.

x Habac. 2. 3.
y Ephes. 5. 25.
z Cant. 1. 9.
a Eccl. 35. 19.
b Pſ. 9. 35.
c Eccleſia ex Gen. 7. 16.

Quæ cùm ita ſint, Auditores, caveamus ne in illud incurramus crimen ac dicere, vel etiam cogitare, Deum ſuarum curam non ſuſcipere creaturarum, nec earum agnoſcere neceſſitates. *Quid enim novit Deus? Nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat* d. Blaſphemia foret iſtud, & hic conceptus eſſet criminoſus. Deum habemus qui non minùs eſt providens, quàm Deus. Præ amore noſtra veluti ſua reputat commoda. Quomodo autem nobis non fieret auxiliator? Intuetur nos veluti alios Stephanos * media inter certamina, ideò ut noſtris coronas impertiatur agonibus. Nobis ſuam præbet manum, in prælium nobiſcum ingreditur, ſocium ſe nobis exhibet *in tribulatione* e, & in quibuslibet eventibus adverſis ac periculoſis; noſtris vires præbet infirmitatibus mediâ gratiâ ſuâ; quinimò nobiſcum patitur, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* f. Supplicia Martyrum Paſſioni ipſius præbuerunt incrementum, & cauſa fuerunt propter quam *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* g. Tædia ac triſtitiæ, quibus anxiari debebamus, pœnas illius augebant. Et poſtquàm in cœlum *aſſumptus eſt* h, de injuriâ queritur ſuis irrogatâ, ac ſi ipſe inflictos ſibi experiretur ictus, *Saule, Saule quid me perſequeris* i? Patientiam præ nobis feramus, Auditores, Deus noſtri aget curam; non dubitemus de ejus providentiâ, noſtris neceſſaria impertietur indigentijs, ſuum nobis impendet auxilium, & poſtquàm ſuam in hoc mundo nobis contulerit gratiam, ſuam largietur nobis in altero gloriam.

d Job 22. 13. & 14.
* Act. 7. 57.
e Pſ. 90. 15.
f Zach. 2. 8.
g Luc. 22. 44.
h Act. 1. 3.
i Act. 9. 4.

Digitized by Google

FERIA IV. DOMINICÆ II. ADVENTVS.

Pergebant ergo pariter : & venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus.
Geneſ. 22.9. &c.

CReatus homo propter cœlum , nec aliquid inveniens in terra quòd animæ ipſius implere poſſit appetitum, modò illud deſiderat, modò illud concupiſcit, & inter creaturas quærit id, quod non niſi in Creatore poteſt reperire . Non citius unum eſt enixus deſiderii, id eſt, conſilium aliquod perduxit ad exitum, cùm aliud concipit, ſemperque famelicus remanet more prodigi *a*, donec revertatur domum Patris ſui cœleſtis , è quâ exivit , in quâ ad ſatietatem *b* providentur deliciæ. Vocatur Daniel *vir deſideriorum* c multorum, non ſolius. Hodie deſiderat homo honores, cras delicias, poſtea divitias; & agnoſcens quòd his omnibus ſibi non poſſit fieri ſatis , ſemper inquietus remanet , ut ſtylus magnete tactus extra polum ſuum poſitus, & os è ſuo emotum loco : nec ullam inveniet unquam quietem , donec pervenerit ad cœlum, quod eſt centrum, elementum, & *finis* d ultimus ipſius ; *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te* e.

a Luc. 15. 17. &c.
b Pſ. 16. 15.
c Dan. 9. 23.
d Apoc. 1. 8.
e S. Aug. lib 1. Conf. c. 1

Humani cordis peragens Propheta *f* anatomen, ait , *Pravum eſt cor hominis , & inſcrutabile; quis cognoſcet illud* ? Verum eſt. Cor humanum eſt labyrinthus, ſeu locus multis viarum ambagibus inflexus , in quem non videtur ingreſſus, nec ab eo regreſſus , ita ut impoſſibile ſit intimas ejus pervadere cogitationes, & arcana rimari, etiamſi eſſet quis Theſeus, & Ariadnes uteretur filo : Euripus ſine fundo, & abſque litore: & Oceanus ſuos habens fluxus ac refluxus , quorum nulla haberi poteſt notitia , nec ulla certa dari ratio. Verſio ex Hebræo fert apud Cornelium †, *Sinuoſum, & multe deſideriorum*, humanum cor eſt ; *& inſatiabile* , vertunt alij, nimirum quoad deſideria & conſilia. Illud eſt veluti materia prima , quæ novas ſemper appetit formas , nec unquam ſaturatur eâ, quam poſſidet. Vel more ignis qui ſine intermiſſione urit, *Ignis nunquam dicit, Sufficit* g. Quam violenta eſt hæc deſiderij paſſio ! Ipſa eſt canina fames, hydropiſis ſpiritualis , quæ ſemper inquirit nova.

f Jer. 17. 9.
† Cornel. in Jer. 17. 9.
g Prov. 30. 16.

Licèt autem hæc paſſio deſiderij ſit omnibus naturalis; illa tamen eminenter condecet homines vinculo conjugali alligatos , qui continuo ſuſcipiendorum ducuntur liberorum deſiderio. Teſtis eſt Anna mater Samuelis , quæ hoc ducta deſiderio nec requiem capeſſebat, nec *cibum*, quinimò juges fundebat lacrymas *b*. Videte Rachel quæ præ impatientiâ aut deſperatione ejuſdem procreandorum filiorum deſiderij , Jacobo *ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar* i. Audire tandem Abraham, qui queritur Deo , quòd ſibi nondum progeniem indulſerit, & quòd ipſe ſit compellendus ſervum ſuum bonorum ſuorum univerſalem conſtituere hæredem : *Mihi non dediſti ſemen. Et ecce vernaculus meus, hæres meus erit* k. Sed cum homines conjugari in lucem ediderunt liberos , quibuſnam non ducuntur deſiderijs ? Quænam non formant promovendorum eorumdem liberorum conſilia ? Eos deſiderant intueri ſapientiâ, & omnibus virtutibus præditos. Amor ſemper deſcendit, & nunquam aſcendit. Advertite, obſecro , quomodonam unum deſiderium ſuccedat alij, & quonam pacto hæc paſſio indiſcreta ſit & inſatiabilis. Rebecca lethiferæ exponit ſe maledictioni oppetendæ, ut efficiat ut Jacob dilectus ſuus & natu minor ab Iſaac Patre ſuo benedictionem & hæreditatem conſequatur , *In me ſit, ait , iſta maledictio , fili mi* l. Agrippina morti ſe ſubdidit ultrò obeundæ , dummodo filium ſuum Neronem ad imperialis dignitatis faſtigium videret evectum , *Occidat, modò imperet*. Abraham tandem hanc teſtari poteſt veritatem. Plurimis ſanctus iſte Patriarcha anxiatus eſt variorum deſideriorum importunis ſtimulis ut homo , ut pater, & pater habens filium ſpecioſum, & omnibus virtutibus prædivitem. Sed hanc paſſionem deſiderij ſacrificavit Deo, cui immolare debemus nos omnia deſideria prava, nec ea habere niſi pura, ſicut nec niſi pura concepit unquam Virgo beatiſſima deſideria. *Quomodo fiet iſtud ? quoniam virum non cognoſco* m, reſpondens Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria*.

b 1. Reg. 1. 7. & 8.
i Gen. 30. 1.
k Gen. 15. 3. & 4.
l Gen. 27. 13. &c.
m Luc. 1. 34.

Illud ſibi vendicat inter naturæ mirabilia proprium magnes , ut cùm ſtylum tetigerit ferreum, aut chalybeum, occultum illi præbeat motum , & tantam communicet illi inquietudinem , ut ſi collocetur in ſolario, vadat ipſe, revertatur, agitetur, & ſine ullâ moveatur intermiſſione , nec ullam habituris ſit quietem , donec cacumen ſuum ad polarem direxerit ſtellam. Puellæ verecundæ aut honeſtæ mulieres eâdem vigent virtute , quâ magnes. Cùm enim homines pravis ducti deſiderijs, & corda præ ſe ferentes plùs ferrea, aut chalybea, quam carnea, ad illarum acceſſerunt aut approximaverunt pulchritudinem , magis quam ad earumdem virtutem, magis experiuntur effectus naturæ cauſatos ab illarum ſpecie, quam motus gratiæ, qui diffunduntur ſuper eos , qui ad illarum virtutem ſe contulerunt imitandam. Hæc, inquam, corda ferrea , aut chalybea illico tanto cientur motu, ut circumquaque currant, ingrediantur, exeant, vadant, veniant, deſcendant, aſcendant, & innumeros peragant circulos eo ipſo quo tetigit ipſa puellarum aut mulierum magnes , ſeu ſpecies formoſa; nec ullam unquam ſibi ſint conciliatura requiem, donec convertantur ad Deum, qui eſt *Stella* n polaris, quæ ſola requiem afferre noſtris poteſt animis. Seu, ſi malitis, ſicut venator, qui deprehendit & movit cervam quantùmvis veloci curſu celerrimam , novo accenditur proſequendæ illius deſiderio; & veluti ſi novas aſſumeret vires, per colles currit æquè ac per valles , nec ullam capeſſit quietem , donec determinaverit locum, in quo ipſe debeat ſe collocare , ut inde ſecurè ſuam explodere valeat catapultam in cervam illam, aut eam telo, vel ſagittâ petere ; quæ non eſt alia niſi puella aliqua modeſta, aut mulier honeſta, quæ viſâ ab aliquo impudico , tanto cor illius lubricum inſequendæ ipſius inflammavit deſiderio, ut circumquaque currat infamis ille , eam pedetentim ſequatur , & locum diligenter exploret, unde ſagittam vibrare poſſit in caſtum cervæ illius innocentis cor , illudq; pravo deſideriorum impudicorum

n Num. 24. 17.

rum ſuorum telo transfigere; cùm impoſſibile ſit ut viſæ illius memoriam a ſe procul poſſit amandare, & infamia illius poſſidendæ turpiter deſideria. *Diviſio.* Deſidero igitur oſtendere vobis Primò, Quòd homo pravo ductus deſiderio poſſidendæ turpiter alicujus creaturæ, ex eo propriâ exire non poſſit induſtriâ, nec facile oblivviſci illius, quod ſuis ipſe conforme invenit affectibus. Secundò, Vobis exhibebo inquietudines hominis amore impudico affecti, qui non obſtantibus his ſpinis proponit ſibi executioni ſua prava mandare deſideria.

I. Part. *o Pſ. 85. 12. & 13.* Solemnem rependit Deo Propheta o gratiarum actionem, *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Videtur velle David comparare deſideria prava amoris impudici, aut peccati carnalis retibus quæ ad illaqueandos piſces in mare projiciuntur, quæ piſcatores ſic diſponunt, ut in ea turmatim confluant piſces; cùm autem ſemel in ea ſunt ingreſſi, inde nullus ipſis datur exitus: *Sagena cor ejus* p. *p Eccl. 7. 27.* Cor mulieris eſt veluti rete piſcarioni accommodum; os præ ſe fert prægrande ut in illud facilis pandatur aditus, ſed ſtrictiſſimus illius eſt exitus. Patentiſſimæ ſunt viæ, per quas ad cor fœminæ datur acceſſus; aliquando enim in illud præbetur ingreſſus per os & verba mellea, *Favus diſtillans labia meretricis* q. *q Prov. 5. 3.* Modò per oculos allicientes, & per ornatum capitis, ac crinium texturam. Teſtis eſt Sponſus ſacer qui ſancto fuit læſus hoc duplici modo, *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui* r. *r Cant. 4. 9.* Mox per calceamenta, & per pedum agilitatem, quæ aliquando majori vi pollent devinciendi ſibi affectus humani cordis, quam vigeat vultûs ſpecies, ut ea àdmirabatur idem Sponſus, inſigni decorans filiæ Principis titulo Sponſam ſuam, eò quòd præclaris inſtructa foret calceamentis, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis* s! *s Cant. 7. 1.* Et Holofernes ſubito raptus fuit ſtupore, cùm Judith calceamenta fuit intuitus, *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus* t. *t Judith 16. 11.* Statim ac Princeps iſte illum vidit pedem ſic ritè compoſitum, anima illius tranſivit per extremum ejus pedem, & ad cor illius rapiendum uſque perrexit. Modò per collum ad fœminæ cor tribuitur acceſſus, *Et nitidius oleo guttur ejus* u. *u Prov. 5. 3.* Videntur autem illâc oculi & animus hominis ad cor fœminæ ſibi devinciendum, delicioſam ſibi viam pandere. Innumeris tandem modis, & per totidem oſtia in hæc ſe projicit retia miſerandus homo, ratus futurum ut ex ijs ſe poſſit extricare, cùm ipſi viſum fuerit, eo planè modo ac ſi in ea non fuiſſet ingreſſus, non ſecus ac piſcis, qui dummodò ſit aquis immerſus, non advertit utrùm ſit retibus implicatus, aut ab ijs expeditus; & homini, qui ſuarum immodicarum eſt nimis amans voluptatum, quique impudicorum affectu pravo ducitur deſideriorum, dummodo delicias ſuas valeat invenire, in quemcumque locum pergere compellatur, & deſideria ſua lubrica executioni mandare, ſit ſatis, nec ipſe conſiderat utrùm volens delicijs diffluere, & in voluptatibus veluti natare, ſit retibus implicandus; an ſit in gurgite nataturus, aut in ſolâ aquæ ſuperficie: Sed cùm inde vult egredi, ſe retentum deprehendit in laqueis, in quos ſe intromiſit: quando priſtinam vult reſumere libertatem, & extremam uſque ad aquæ ſuperficiem venire, in gurgitem ſic profundum ſe intuetur depreſſum, ut ex eo non poſſit foras erumpere. In illum proprio eſt ingreſſus motu, ubi eum invênit apertum, aditum ampliſſimum, blanditias hujus fœminæ cor dulciter allicientes; ſed ubi illuc vidit ſe ingreſſum, ſic debilis effectus eſt, ut in illis invitus ſit remanſurus laqueis, nec ab ijs unquam uſque ad extremum vitæ ſuæ halitum, niſi præ miraculo gratiæ ſit ſe extricaturus. Non enim ex eodem oſtio, per quod intratur, exitur. Latiſſimum eſt retium os, per quod facilis ad ea datur introitus: ſed ſi de exeundo agatur, oporteret ut piſces per exigua tranſirent foramina, inter quæ mediam ſquamarum ſuarum amitterent partem, nedum poſſent ex illis unquam ſe expedire. Et quoniam hic ſtatus ſimilis eſt conditioni inferni, in quo nulla datur redemptio, liberatum ſe videns David ab amoribus impudicis, & pravis deſiderijs, quibus afficiebatur erga Bethſabee, gratias agit Deo pro eo quòd ipſum ex profundo eripuiſſe videatur inferno, *Confitebor tibi*, &c.

Si autem meliùs perpendere velitis ſimplicem ſimilitudinis delineationem, auſcultate Iſaiam x dicentem, *x Iſa. 5. 14.* *Dilatavit infernus os ſuum*, Sed qualis eſt infernus iſte? Moyſes y illum enunciat, *Ardebit uſque ad inferni noviſſima.* *y Deut. 32. 22.* Nimirum ardor carnis, ſeu calor concupiſcentiæ, quem vocat infernum, & ex hoc igne, ſicut ex inferno difficilius eſt exire, quàm in eum intrare. Nunquid non Poëta id diſertè expreſſit?

Facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum, ſuperaſq; aſcendere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Hæc ſola duntaxat admittitur differentia, quòd nulla relinquatur ſpes exeundi ex igne inferni; quoad verò iſtum ignem concupiſcentiæ, licèt ex eo proprijs quis exire non poſſit viribus, ſperare tamen poteſt Deum ſibi ſuppetias præbiturum, ſeque tandem ex eo mediâ favente gratiâ exiturum. Oſtium illius quoad exitum eſt verè ſtrictum, ſed nihilominùs apertum. Si autem eſt apertum, dicetis mihi, quomodo fieri poteſt, ut homo, qui in ejuſmodi concluſum ſe intuetur inferno, & in miſerandam redactum captivitatem, & januam videns patefactam, inde non contendat egredi? Et ſi verum eſt quòd nihil ſit quod in tantam redigat captivitatem ac concupiſcentia carnalis, quomodo inveniri poteſt aliquis qui in ſuo ſibi placeat infortunio, quique ex eo citiſſimè non concupiſcat eximi? Quânam ratione contingere valet, ut ij qui amoris inſani indulgent legibus, quique appetitui carnis habenas laxant, ſint veluti captivi remos agentes in triremibus; & videntes carcerem apertum, malint illic medias inter ſordes mœrore ac faſtidio confici, quàm priſtinam reſumere libertatem, more captivorum illorum, qui ſatius ducunt ad ſcalmum hærere remigando, quàm portum appellere, in quo aliquâ potirentur requie? Sic eſt, Auditores. Quantumvis enim carnis affectibus alligati ſitis perſonæ, quam pravo proſequimini amore, ſive promiſſis, ſive proteſtationibus, ſive obligationibus, in veſtrâ ſemper poſitum eſt libertate, ut ab illius vos diſtrahatis affectu: & ſicut liberè vos ei obſtrinxiſtis z, ita liberè illius pravum fovetis amorem. *z Eccli. 15. 14. &c.* Quòd autem ad id compellamini, impietas foret id aſſeverare. Quare

igi-

igitur huic pravo non renunciatis amori, & ex eo non exiris!

Heu! Illud equidem video. Reſponſum præ veſtro fertis ore, vultis enim mihi dicere quòd Antiqui, qui vobis fuerunt ſapientiores, agnoſcentes vim paſſionis amoris, præbuerunt ei nomen Dei, talemque amorem nuncupaverunt Deum Cupidinem, ac ſi diceretis, Deum cupiditatis, aut concupiſcentiæ; & quòd à S. Paulo vocatur *idolorum ſervitus* a; quòdq; in veſtris dementijs, ac pravis impudicorum veſtrorum deſideriorum affectibus aliquam experiente Divinitatem, ſuaviter & æquo hanc captivitatem perpetimini animo, ſicut nobilis aliquis vir qui jaceret in vinculis, ſi fortaſſis in carcere ſocium haberet ſuæ miſeriæ Principem aut Regem ſuum, cuſtodiam demceps haberet loco palatij, catenas & vincula reputaret ut ordinem regium equeſtrem, ſordes ut ſuavia olfaceret odoramenta, ſolitudinem coleret ut Curiam, obſcuritatem ut candelarchium aut conclave Regium, araneas ut telas argenteas haberet, fœces inter medias deambularet ac inter hortum viridarium floridum conſtitutum, miſeria tandem, quam perpeti poſſet in illo faſtidioſo domicilio, non vocaretur amplius miſeria, ſed ipſi felicitati loco cederet, unde egredi nollet, ſic felix & gratum eſſet conſortium Regis in qualicumque loco inveniatur. Et licet amor profanus ſit gehenna & carcer intolerabilis, ſi perpendantur tot infelicitates & calamitates quæ ibi tolerantur; tamen quia ibi reperitur, non Rex, ſed Deus, aut idolum, Ha! non eſt amplius ibi carcer, nec infelicitas, nec captivitas. Quod erat carcer, efficitur cœlum; quod erat tormentum, evadit voluptas; quod erat captivitas, vera fit libertas; & quod videbatur omnium cumulus eſſe infelicitatum, integra nunc reperitur felicitas, cum huic amori titulum ac ordinem Dei contuleram.

a Galat. 5.20.

Quis autem neſciat quânam curioſitate Antiqui ſuos cuſtodirent Deos; & quomodo ex ijs fuerunt aliqui quos ſuis catenis ferreis & aureis alligaverunt, ſtatuis Divinitates, ne fortaſſis ſuorum jacturam paterentur falſorum numinum, ſicut Tyrij idolum Herculis, Lacedæmonij idolum Martis, & Athenienſes ſimulacrum Deæ Victoriæ, cui ſculptor noluit alas addere, ne fortaſſis avolaret? quòd Scylla in periculoſis ſuis certaminibus collo appenſam ſemper deferret Apollinis imaginem? & quòd Michas contenta voce inclamans adverſus illos, qui ipſi idola abſtulerant, interrogatus, *Quid tibi vis? cur clamas? Reſpondit: Deos meos quos mihi feci, tuliſtis; & dicitis: Quid tibi eſt* b? Quaſi diceret, quòd extra ſocietatem Deorum nulla percipi poſſit voluptas, nec ullum oblectamentum, ſed quòd ſi habeantur ij, tolerari poſſit adverſitas omnimoda. Agnoſcentes igitur Antiqui paſſionem carnis, & ignem amoris fuiſſe carcerem, gehennam, martyrium, & infernum; & aliunde humanam intuentes miſeriam tatem cordis, quippe quod tantis reſiſtere non poſſet infortunijs, quæ in amore impudico ſectando ſunt exhaurienda, ut vires illi adderent, illudque ſolarentur mediam inter infelicitatem ipſius, phantaſiæ ejus inſpiraverunt, non eſſe Deum nomine Cupidinem, qui gauderet videre ipſum ſic anxiari; ut ad delectandum nunc parvum Deum, æquiori ſufferret ipſum animo ictus & tormenta quæ tolerantur in exercendis pravis ac impudicis deſiderijs, & ut hæc tormenta veluti deliciæ ab ipſo reputarentur, & ſic in ijs ſibi complaceret, ut ab ijs nunquam exire vellet.

b Judic. 18.23.& 24.

Poëtæ deſcripſerunt nobis hunc Deum amoris ſedentem ſuper curru igneo, in formam adoleſcentis tenentis arcum in manu, ſagittas & pharetram in latere, nudum eum exhibuerunt, excepto tenui velo ante oculos poſito, & ſic cæcus erat. Vocarunt ergo eum Deum, ut oſtenderent vim hujus paſſionis amoris, & deſideriorum carnalium. Currus habet ſaltem duas rotas, unam volubilitatem, alteram inconſtantiam. Si verò dicatur eſſe currus triumphalis, cum triumphus victoriam denotet, ſignificat eum orbi penitùs dominari univerſo. Per currum igneum ſignificantur ardentia deſideria paſſionum, quibus ardent in anima earum captivi. Per ignem, aut colorem rubeum denotatur color purpureus in facie amaſiorum. Adoleſcens proponitur, ut ſignificetur vel levitas, vel puerilitas talium hominum; vel quoniam hoc vitium magis convenit huic ætati. Sagittæ ſignificant velocitatem ejus ad ingrediendum cor, & ad diffundendum in illud venenum, & mala innumera quæ inde cauſantur. Oculi ejus velati ſunt, omnes enim è tranſverſo percutit. Ita rectâ ſagittas vibrat, ut corda perfodiat eorum, quos impetit: ſeu quia nos cæcos reddit; vel quia omnem pudorem calcat. Nudus eſt, ut ſignificetur quod hæc paſſio alicui dominatur, omnibus ſit manifeſta, licet contrarium ſentiant ij, qui eâ læſi ſunt; quia nihil poteſt eam abſcondere, ſeu quia omni bonorum genere ſpoliat, teſte prodigo, qui *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè* c cum meretricibus, quæ ſunt veluti ſagittæ venenatæ, igne ardentiores, quæ lædunt & occidunt eminus more ſagittarum. Confirmat S. Paulus d, *Sumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. Et Job e dicit, quòd *hoc nefas eſt & iniquitas peſſima, ignis eſt uſque ad perditionem devorans*. Rectè eas juxta ſupradicta igni comparat: Sicut enim una ſcintilla ingentem ignem & fornacem excitare poteſt, ita vel minima ſcintilla ignis aſpectus mulieris, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, ecce ignitula & ſcintilla; *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* f; ecce ignis peccati mortalis. Idcircò in eo quòd Joſeph ira viriliter reſtitit impudicæ Dominæ ſuæ, ut reliquerit ei pallium ſuum g, videtur Deus majus feciſſe miraculum, quàm in liberandis tribus pueris nobilibus Hebræis è fornace Babylonis h, cùm majores & violentiores ſint flammæ amoris, quàm ignis materialis. Ut autem demonſtretur, quòd ex viſu etiam impudico tot oriantur mala, ſciendum eſt, quod viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio. Ecce ignis infinitus procedens à ſimplici ſcintillâ intuitûs. Ideò Gloſſa Ordinaria his verbis Job i, *Pepigi fœdus cum oculis meis; ut ne cogitarem quidem de virgine*, ſubdit, *cum conſenſu delectationis*.

c Luc. 15. 13.
d Epheſ. 6.16.
e Job 31. 11.& 12.
f Matth. 5.28 ex Eccli. 41. 27.
g Gen. 39. 12.
h Dan. 3. 50.
i Job. 31. 1.

Intuitus *David mulierem ſe lavantem Bethſabee* k nomine, concupiſcit eam, illamque in palatium ſuum præcipit rapiendam, eſfrænibus ſuis deſiderijs ſatisfacit; *Vriam* virum illius perimendum jubet, & ſic plures tranſigit menſes, per quos depravatum vitæ ſuæ modum non advertit, & æque parum Dei recordatur, ac ſi nullus eſſet Deus. Quid eſt hoc? Eximius & ſanctus vir, qui dixit aliquando de ſe, *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum* l, ſe vacaſſe

k 2. Reg. 11. 2.& 4.
l Pſ. 76.8.

ſuæ examini conſcientiæ noctibus ſingulis, ſe incuouiſſe exercitijs pietatis, & meditationibus ſic frequentious, ut veluti ſcopas haberet præ manibus, quibus ſuam à ſordibus interioribus purgaret conſcientiam, *Scopebam*, vel juxta alias interpretationes, *vexabam, ventilabam* m quaſi per cribrum cogitationes meas, & *ſpiritum meum*; viſitabam animam meam, & actiones meas; torturam applicabam memoriæ meæ, ut inducerem eam ad recordandum eorum, quæ peregiſſet contra legem Dei, nec unquam me ſomno tradebam, quin agnitorum delictorum meorum veniam à Deo fuiſſem deprecatus. Ecce omnia iſta apprimè. Sed ſancte Propheta quomodo fieri potuit, ut tu qui ſic aſſuetus eras his exercitijs pietatis, examinum, meditationum, nunquam adverteris te Divinam offendiſſe majeſtatem per menſes aliquot, nec per eos te adulterum agnoveris, nec homicidam? Quomodo? Quandiu tuam purgabas conſcientiam, nunquid non has ſordes animadvertiſti? Cùm everrebas *ſpiritum* tuum, nonne has obſervaſti maculas? Cùm veluti torculari ſupponebas omnes affectus tui cordis, nunquid non ex eo projeciſti affectum illum pravum, quo erga Bethſabee ducebaris? Quando omnes animæ tuæ paſſiones debellaſti, volebas ut indulgeret tibi Deus quodlibet aliud delictum; ſed pravi amoris tui, & impudicorum fortaſſis adhuc deſideriorum tuorum erga illam, nullam apud Deum peragis mentionem?

m apud Lorin in Ps. 67. 7.

Ha! Auditores, Nunquid non videtis iſtius rei rationem? Habebat idolum in palatio ſuo David, catenis & carceri peccati erat mancipatus, ſed carcer erat illi veluti ſpecies libertatis, hæc captivitas erat illi delicioſa, cor ſuum & affectus ſuos, nec non & inordinata deſideria ſua huic alligaverat mulieri; ſed hæc obſtrictio erat illi ſicut ſecuritas, eam enim ut Deum, vel ſaltem ut Deam venerabatur. Idcircò illius examen non erat ampliùs ſic ſeverum, devotiones ejus non erant ampliùs ita piæ, nec ejus exercitia ſic devota; & nedum noctes ad expellenda delicta ſua inſumeret, ea ſemper augebat; nedum ſuam purgaret conſcientiam, eam efficiebat ſordidiorem; nedum mundaret *ſpiritum* ſuum, eum reddebat carnalem; & nedum animam ſuam ab infirmitatibus ſuis curaret, eam in novos labi faciebat morbos.

Cur autem exiſtimaretis Deum amoris vocari Cupidinem, quo ſignificatur deſiderium & cupiditas? Niſi ut innuatur, quòd malignitas hujus voluptatis carnalis ſic ingens eſt, ut ſtatim ac tenetur, etiam deſideretur; & quò magis poſſidetur, eò magis retineri contendatur; eò ſtrictiùs quis in hoc concluditur carcere, meliùs conatur ſe captivum efficere, quia in eo ſemper meliùs experitur hoc idolum, & falſum hunc amoris Deum. Si verò aliquod judicium ſeu ulla prudentia reperiri poteſt inter eos qui profitentur hoc idolum colere, ij qui clariori putant ſe vigere luce, exiſtimant quòd optimū & maximè eſſentiale hujum infamis commercij non ſit poſſeſſio perſonæ amatæ, ſed inquiſitio ſeu inſecutio hujus poſſeſſionis; & quòd illud, quod videtur in omni aliâ re debere largiri oblectamentum homini, quando illud eſt poſſeſſum, hic è contrà faſtidium potiùs conferat atque tædium. Totum hoc peccatum in deſiderio & in cupiditate eſt ſitum. Ratio iſtius evidens eſt. Divitiæ enim & dignitates, quandiu non habentur, vexant, nec ullam conferunt voluptatem; nec enim eas niſi propter uſum veſtrum ſolum deſideratis. Si ijs nun utamini, aut illarum non habeatis uſum, non poteſt dici, quòd ijs ſatisfieri vobis poſſit. Sed in materiâ amoris pravi, ſicut eſt conformitas inter vos & perſonam quam amatis; amando eam complacetis vobis in ejus pulchritudine, aut in illius perfectione, ſicut in quibuslibet alijs ipſius dotibus, & inde voluptatem hauritis; & licèt eam inquiratis perſonam ut illam poſſideatis, & in hâc inquiſitione difficultates experiamini, in his tamen difficultatibus ſuavitatem deprehenditis, quia ſemper amatis id, quod nondum poſſidetis, erga illud afficimini, & ad ipſum aſpiratis, hæc aſpiratio nihil eſt aliud niſi deſiderium. Iſte amor pravus igitur eſt magis in deſiderio, quàm in poſſeſſione poſitum.

Exemplum deſumamus contrarij, & mementote quòd *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini* n, &c. Peto, Odium quo proſequebatur Saulus Chriſtianos, eratne ſitum in morte, quam moliebatur eis, cùm apprehenderat eos; aut in illorum capturâ, aut ſolùm in deſiderio eorum capiendorum? In hoc profectò deſiderio erat poſita Sauli rabies *adhuc ſpirans minarum & cædis*, &c. & conſequenter eos capiebat, & vinculis conſtrictos Judicibus præſentabat cruciandos. Atqui odium & amor licèt ſint contraria, eodem tamen incedunt greſſu. Poſſeſſio igitur perſonæ, quam inquirebatis, non eſt amor, ſed effectus amoris quo erga illam afficimini, antequam enim eam poſſideretis, oportet ut eam inquiſieritis; hæc inquiſitio fiebat medio amore: igitur inquirentes eam, amabatis eam; & amando eam, inquirebatis, & deſiderabatis illam. In hac ergo inquiſitione, & in hoc deſiderio præcipuè conſiſtit amor. Ut autem conſervetur hic amor, eſt cuſtodiendum deſiderium, & ſervanda inquiſitio, cùm deſiderium non poſſit eſſe niſi rei quæ non habetur, & quâ eſt aliquis deſtitutus. Id teſtantur Philoſophus & Poëta. Ille ait, *Privatio eſt cauſa appetitus*; Iſte verò

n Act. 9. 1. & 2.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq́; negata.

Privati igitur præſentiâ perſonæ, quam amatis, nec eam poſſideatis; illam amatis magis, quàm ſi illam poſſideretis; quin imò hæc poſſeſſio eſt potiùs amoris veſtri terminus. Sicut enim inconſtans eſt hominis voluntas, & ſine aliquo non poteſt eſſe deſiderio, ſtatim ac aliquid eius conſecuti quod deſiderabatis, aliquid aliud concupiſcitis; & deſiderando illud, omnino alligatis ei cor veſtrum & aſpirationem veſtram, nec ampliùs acquiſitam vobis amatis perſonam, ſicut eam amabatis antequàm eam poſſideretis, in eâ ſolâ veſtrum figentes deſiderium. Illi, quos excæcat amoris pravi vis, hancn in poſſunt digerere, minùs autem concipere rationem, malentes ſemper tenere, quam deſiderare. Ij verò qui medias inter inſanias ſuas tantiſper ſolidi judicij ſibi poſſunt reſervare, hâc ſe duci ſinunt ratione, & ſibi ſufficere autumāt ad fovendum amorem ſuum, ſi ſuum cuſtodiant & alant deſiderium.

His non obſtantibus aſſero majori dignum eſſe amaſium miſeratione, quandiu ſuis afficitur deſiderijs, quam cùm pacificè, ut dicitur, perſonam poſſidet amatam. Sicut enim tunc ardentiſſimo amoris ſui igne ſuccenditur, ita validioribus tormentis angitur, & ſtrictioribus hujus tyranni vinculis arctatur, nec ab ijs ſe poteſt expedire ob ſuavitatem & felicitatem, quas in amatâ imaginatur perſonâ; Hæc enim imaginatio omnes ſuperat fatigationes & pœnas, quas in illâ experitur inquirendâ, *Amantibus utpote ægris danda eſt venia*, ut vulgò dicitur. Si autem aliquando poſſideant id, quod inquiſierant, & in hâc perſeverent poſ-

ſeſ

ſeſſione, ex eâque hauriant voluptatem, indigni ſunt prorſus indulgentiâ, quia eo ipſo occaſionem nanciſcuntur agnoſcendi illud ſuis non ita fuiſſe dignum deſiderijs, & amaritudines ac faſtidia quę ibi ipſi experiuntur, eſſe abſque ullâ comparatione majora omni voluptate, quæ ibi percipitur; ſeque magis teneri renunciare peccato ſuo, quàm teneantur alij ſuis deſiderijs & inquiſitionibus limites imponere.

Quidquid ſit, utraque conditio eſt veluti duplex os inferni omnium aliorum infernorum profundiſſimi. Licèt enim aliqui Philoſophi & Theologi aſſerant peccata carnis majorem quidem præ ſe ferre pudorem, ſed minorem culpam invehere, & minorem per conſequens mereri pœnam ob magnam fragilitatem, & ingentem propenſionem, quâ ad illa inclinamur perpetranda; attamen multò difficilius eſt ab illis exire, quàm ex alijs; & quò præcipitium eſt magis lubricum in ſuo deſcenſu, eò difficiliùs inde quis remeare poteſt propter clivum; & videtur quòd quantùm quis conatur ſurſum aſcendere, tantùm repellitur in profundum ab eodem clivo. Sic etiamſi non ita vituperemini propter caſum huic præſato ſimilem, ac ſi lapſi fuiſſetis in aliquo alio loco non lubrico, nec periculoſo, ſed plano, in homicidium, in furtum, &c. eorum ſtatim facilè pœnitet vos peccatorum. Sed ſi inclinemini versùs peccatum lubrici, tanto non puniemini rigore in inferno, quanto pro alijs mulctaremini ſupplicio, ſed ipſo momento quo illud perpetraveritis, in abyſſum deſcendetis ſic profundam ac lubricam, ut in profundiſſimum quaſi demergendi ſitis infernum, ſic difficile erit ut ex eo remeetis, niſi inde fortiori educamini à manu Dei, cui gratiarum actionem rependit Propheta, ***Confitebor tibi***, &c.

Quod autem appellatur à David infernus, nun-
o Rom. 7. 23. & 24 cupatur à S. Paulo *o* modò lex, modò verò mors; quibus omnibus ſemper exprimitur vis hujus maledictæ paſſionis. Sicut enim lex alligat hominis affectus, ita hæc paſſio ſic fręnat & conſtringit illius animam, ut non permittat ei ut ſe aliò diſtrahat, ***Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*** Spiritus volare vellet ſurſum, & viam cœli carpere ſecundùm legem Dei, ſed iſta lex carnis & membrorum eum retinet, eique reſiſtit. Et ſicut mors hominem ſuis omnibus privat ſenſibus & facultatibus vitalibus, ita hæc paſſio hominem efficit hebetem, & veluti mente captum, nec valentem formare ullam conſiderationem homine ſanæ mentis compote dignam. Et ſicut è morte rediri non poteſt proprijs viribus, ſed aliena manus & miraculoſa requiri-
p Jo. 11. 43. tur *p*: Ita S. Paulus videns ſe laqueis irretitum concupiſcentiæ per ordinarias, quibus impetebatur, tentationes, validam efflagitabat manum, cujus beneficio ab eâ liberaretur, ***Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*** Vivebat
q Cant. 8. 6. adhuc, ſed ſciens quòd ***fortis eſt ut mors dilectio*** *q*, vellet quidem mori amore bono, putà amore Dei: At videns ſe mortuum & combuſtum lento igne amoris corporis, Ha! id non poterat perpeti, & volebat ab hâc importunâ citò ſe videre immunem morte. Id non valebat ex ſeipſo, & in hoc ſtatu potentiſſimam & miraculoſam Dei manum implorabat, ut ejus virtute ab iſtâ erueretur morte.

Difficile eſt ſi quis aliquando in profani ſe con- II. Pars.
cluſit amoris tumulo, ut ex eo reſurgat, vitamque reſumat priſtinam, & ſi ſemel clauſit oculos hâc ſuavi morte carnalium voluptatum, oportebit fortaſſis ut ibi putreſcat, nedum vitæ reſtitui poſſit præviæ. Sed fieri poſſet ut antequàm quis ſit omnino mortuus, & peccato immerſus, tot inter vias inveniret obvias inquietudines, tot difficultates, & tot ſpinas ut à propoſito proſequendo deterreretur conſilio. Deus enim minitans animæ, quæ veluti adultera propoſuerat ſibi abrenunciare amori ipſius ac obſequio divino, & alios inquiſitum pergeret amaſios, ait illi, Vide quid egeris; ſi enim in propoſito perſèveres conſilio, totam replebo ſemitam, per quam es tranſitura, ſentibus, ut ijs ſtimuleris pertranſiens, ſic ut hujuſmodi anxiata aculeis, ad me redire compellaris, ***Ego ſepiam***
r Oſee 2. 6. ***viam tuam ſpinis*** *r*. Per has ſpinas intelligendæ ſunt contradictiones, quas experitur in ſe peccator, cùm ſibi proponit in Deum per peccatum inſurgere, inſpirationes quibus movetur ut à peccato reſiliat, qui ſunt veluti aculei qui ipſum interiùs pungunt, nec ſinunt ut tam citò in viâ ſuorum procedat conſiliorum; validi timores judicij Dei, & rationis ipſâ interitus horâ extremâ illi reddendæ; quæ ſpinæ hunc tranſitum profectò efficiunt difficilem.

Heu! inquit Apoſtolus *s*, agiturne tantùm de s 2. Cor. 12. 7.
ſpinis & de aculeis? Unam habeo in carne meâ ſpinam, quæ me acriùs angit: ***Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus ſatanæ qui me colaphizet***, cùm oculos & cogitationem versùs Deum intendo dirigere. Habeturne res de ſtimulis & de inſpirationibus? Spiritus ex unâ parte inſpirat, ſed caro ex alterâ deſiderat, ***Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem*** *t*. Suntne t Galat. 5. 17.
ſepes & tribuli juxta paradiſos & hortos ſeculi, inquietudines & difficultates in colligendis mundi floribus? Audiamus turmam otioſorum proponentium ſibi obvias quaslibet præterire difficultates, ut voluptati indulgeant, ***Venite, & fruamur bonis quæ ſunt. Coronemus nos roſis antequàm marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*** *u*. Ita ut ſi difficultates ſint ita ma- u Sap. 2. 6. & 8.
gnæ ut humanum concutiant cor, & illud ab offendendo Deo retrahant, quando æquo liberiores & nequam invenit homo ſocios, veluti novas ſumit vires, quibus occurrentes quaslibet ſuperet difficultates, nam ***frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma*** *x*. Deus bone *y*, unio ſeu conventio x Prov. 18. 19.
hominum in unum non poteſt eſſe niſi bona, ſi ad y Pſ. 118. 68.
bonum tendat illa finem. Si ipſe eos unias, ex illis bonum expecto exitum; ſin autem, nihil aliud niſi infelicitatem & infortunium. Illorum igitur ſiniſtras intentiones & prava deſideria corrige, & efficę ut uniantur ad inquirendam tuam in hoc ſæculo ***gratiam & gloriam*** *z* tuam in altero mundo. z Pſ. 83. 12.

FERIA V. DOMINICÆ II. ADVENTUS.

Pergebant ergo pariter : & venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus,
Geneſ. 22. 9. &c.

ILle qui diebus canicularibus tranſverſum pertranſibit agrum, & advertet quòd Sol ſuos vibrans radios ſuper lapides in unum coacervatos cumulum, eos ſic calefacit ut illos efficiat ſic ardentes ac prunas, dicet eumdem Solem eſſe igne refertum, cùm alium producat ignem. Sed qui è contra media inter hyberni temporis frigora obſervabit, quomodo idem Sol iiſdem ſuis radiis intuens glaciem firmam more cryſtalli, candidam more nivis, & ſplendentem inſtar adamantis, videatur eam calefacere; ſed vice versâ quò magis ingens illius aggreditur debellare frigus, eò magis illa ſuum idem conſervat frigus, & potiùs in aquam reſolvitur, quàm ullam experiatur flammam quâ ipſa comburatur; dicet hunc Solem totum eſſe aquâ plenum, cùm iſtam liqueſaciat glaciem, & in aquam convertat. Idem prorſus dicere poterit ille, qui videt quomodo ignis, qui ſupponitur clibano vitreo aut æreo, carbones accendit quos ibi habet obvios, & per eandem actionem extrahit è floribus in eo concluſis aquam odoriferam. Sed ſi arcanorum naturæ ſecretorum intelligendorum eſt peritus, & Philoſophiæ callear maximas, cognoſcet lapides, quia ſiccos, diſpoſitos eſſe ad recipiendum hunc vehementem calorem qui ignem gignit; & glaciem, licèt firmam, habere nihilominùs humorem naturalem cum extremo frigore, unde fit ut Sol vim ejus poſſit minuere, non verò illi ſuum ignem dare: ut enim illa impediat talem actionem, convertit ſe in aquam, quæ eſt elementum omnium frigidiſſimum; & carbones propter magnam ſuam ſiccitatem citò accendi; flores autem, quia frigidos, redditúros potiùs per clibanum aquam odoriferam, quàm ut ſinat ſe calore ignis conſumi.

Dicamus hunc Solem & hos radios eſſe Cupidinem & ejus ſagittas, de quibus heſternâ loquebar vobis die. Suas vibrat iſte Deus amoris ſagittas per prava deſideria & impudica quæ inſpirat; & cùm corda lapidea, ſicca, & omni humore bono vacua reperit, ea accendit illicò impuris ſuis flammis. Si verò jacula ſua emittat idem Cupido ſuper aliquam glaciem firmam, puram, candidam, & nitentem modeſtiâ & pudicitiâ, puellam intelligo aliquam verecundam, aut honeſtam mulierem, ſicut nihil eſt glacie frigidius, nedum accendatur hæc virgo aut fœmina caſta vi radiorum ejus, in aquas reſolvitur nitidæ puritatis, & potiùs liqueſit, quàm ignem concipiat ſic periculoſum pravorum deſideriorum jaculis Cupidinis contra ſe emiſſorum, à quibus declinare proponit ſibi fugâ, ut dicebam vobis in principio hujus Adventus, deſiderium mortificandum eſſe fugâ, quæ eſt paſſio illi oppoſita, *Quaſi à facie colubri fuge peccata* a, ut Dominæ ſuæ impudicis reluctans deſideriis *Joſeph relicto in manibus ejus pallio, fugit, & egreſſus eſt foras* b. Et die heſternâ audiviſtis Abraham variis ſtimulatum deſideriis ut hominem, ut patrem, & patrem Iſaac ſic virtutibus ornati; quæ tamen deſideria ipſe immolaverit Deo, cui ſacrificare nos pariter deberemus impudica omnia deſideria noſtra, nec ea formare niſi caſta, per paſſionem fugæ eis oppoſitæ, fugiendo impuritatem, ita ut ſi flos cordis noſtri ſpecioſus tantiſper experiatur ardorem carbonum & ignis cupidinis, illico aquas ſtillet ſic odoriferas, ut dici poſſit quòd *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis* c. Quod fiet ſi Virgo beatiſſima, quç eſt *lilium inter ſpinas* d, ſtillet in nos per calorem Spiritus ſancti aquam gratiæ, *Ave Maria.*

a Eccli. 21. 4.
b Gen. 39. 11. & 12.
c Gen. 8. 21.
d Cant. 2. 2.

Una ex maximis, quæ homini conceſſæ fuerint, prærogativis; imò fideliſſima, quam animæ impreſſam ſuæ deferre poſſit, Divinitatis nota, eſt omnium ſuarum dominium actionum, quod liberum ordinariè nuncupatur arbitrium, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* e. Illud voco prærogativam, ſi inſpiciantur bruta, quæ authornare Deus dirigit abſolutâ, ſicut ea ſummâ creavit potentiâ f. Sed homo licèt ex hâc eâdem pendeat quoad primam formationem g ſuam authoritate; in ſuo tamen procedendi modo non tantùm pendet ab hoc ſupremo dominio, quin magnam ejuſdem dominii ſui vendicet partem.

e Eccli. 15. 14.
f Gen. 1. 20. &c.
g Gen. 2. 7.

Quod ſpectat ad gubernationem animalium, nullum aliud datur conſilium præter conſilium Dei. Sed quoad moderationem hominis, ſpeciale admittitur conſilium in capite ejuſdem hominis, quod eſt veluti palatium, in quo habetur ſanctius utriuſque aulicum conſilium hujus exiguæ Monarchiæ. Inde fit ut animalia ad ſuas vi trahantur & compellantur operandas actiones; ſed ad ſuas dirigitur operationes homo ſine violentiâ, ſed ſuavitate exercendas. Cum illis agit Deus ut cum ſervis ſuis; ſed cum homine converſatur Deus veluti cum uno è ſuis familiaribus, quem hortatur & invitat ad agendum aliquid propoſito ei bono, quod inde poteſt evenire, ut, ſi ipſi viſum fuerit, illud operentur ipſi ambo ſimul, mutuam veluti ſibi præbentes manum, ut innuere volebat nobis Sponſa, *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum* h. Quaſi diceret, Tantùm præbe mihi manum tuam, & illicò ſimul properabimus ad imirandas virtutes tuas. Quod ita verum eſt, ut Ethnici non valentes invenire modum conciliandæ hujus noſtræ libertatis cum præſcientiâ æternâ Dei, quâ prævidet ille *omnia antequàm fiant* i, minùs incongruum æſtimaverint hanc Divinam prorſus negare Prævidentiam quoad illud quod noſtras ſpectat actiones, quàm privare hominem hâc libertate, & hoc pleno dominio quo ſupra ſuas potitur actiones.

h Cant. 1. 3.
i Dan. 13. 42.

Et inde videri magnus poteſt abuſus antiquorum illorum Philoſophorum, quos recenſet S. Auguſtinus k, qui liberum negabant arbitrium, ſicut illud conſequenter è medio tollere non dubitaverunt plures Hæretici. Re enim verâ quidnam inveniri poteſt in homine præter illud, quod non ſit totum animale? In quânam re beſtias antecellit, ſi ſuarum captivus efficiatur paſſionum immodicarum l? Quomodonam verum foret iſtud proverbium quod aſſerit, quòd

k S. Aug. l. 5. Civit. c. 8. & 9.
l Pſ. 48. 13. & 21.

Sapiens dominabitur aſtris?

Ad

Ad quid utile, ergo erunt leges, ſi non poſſint eas homines cuſtodire, aut illas infringere? Cur proponuntur mercedes bonis, & ſupplicia malis? ſi bonitas aut malitia non pendet ab hominibus. Quare dantur conſilia, & ad quid tendunt perſuaſiones, ſi homines non ſunt liberi? Ob quem igitur finem Philoſophi tantis proſecuti ſunt vituperijs vitium, & encomijs virtutem? cùm nullum poſſit eſſe vitium, nec ulla virtus ſine libero arbitrio. Et ut quid Salomon tantis evehit laudibus eum, qui cùm poſſit præterire legem Dei, eam tamen adimplevit? *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus; facere mala, & non fecit* m. Ex ijs enim quæ caſu fiunt, aut vi, non poteſt quis vituperari, nec laudari; ſed laus tantùm intuetur bonum, quod peregit aliquis, cùm malo incumbere poterat; nec vituperandus non eſt niſi ille qui ſciens bonum, & cognoſcens malum, dereliquit melius, & elegit pejus. *Exultatis in ſuperbijs veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt. Scienti igitur bonum facere, & non facienti: peccatum eſt illi* n. Et ratio illius eſt, quia *ante hominem vita & mors: bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* o. Unum quod vitam ei largietur, alterum verò quod mortem illi machinabitur. Utrum voluerit, eliget. Hinc oſtendam vobis Primo horrorem peccati. Secundo ſatius eſſe mortem perpeti, quam lethifero conſenſum præbere peccato.

m Eccli. 31.10.
n Jac. 4. 16. & 17.
o Eccli. 15. 18.
Diviſio.

I. Pars.

Non poſſum vobis melius exhibere horrorem peccati, quam oſtendendo quanto ſint *odio Deo, impius & impietas ejus* p, & quanto impium & impietatem ejus mulctet ſupplicio q, & quàm ſevere excipiat inimicum, cujus effectus ad ipſius omnimodam machinandam vergunt ruinam; cùm nihil ſic in ejus Divina inſurgat attributa, & adorandis illius adverſetur perfectionibus, ac peccatum quod peccatorem ab ipſo disjungit, *Iniquitates veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret* r. Quin malitia peccati ipſum Deum ad nihilum conatur redigere. Quomodo igitur Deus illud odio non proſequeretur æterno? Cur ergo juge ei non indiceret bellum? cùm ſanctitas ipſius non poſſit ſociari vitio, & præſentia unius ſemper abſentiam ſupponat alterius: quia ex naturâ ſua *contraria non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto.* Impoſſibile eſt *arcam Dei juxta Dagon* ſtatutam, hoc idolum integrum relinquere, ſed oportet ut jaceat *Dagon pronus in terrâ ante arcam Dei, & truncus* s remaneat. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis* u? Non prius dixit *Lucifer in corde* ſuo, *in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*, cùm in tenebras præcipitandus infernales propter peccatum audit illico, *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci* x. Nec prius in paradiſo terreſtri *comêdit* fructum vetitum Protoplaſtus noſter, cùm *emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis* y ob patratam inobedientiam. Et ſi peccatum totum redundavit per orbem, *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore* z; purgat illud cataclyſmo univerſali, cùm *factum eſt diluvium quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli* a. Cùm non poſſit Deus peccatum perpeti, eò quòd ipſi ſit horrori, quippe quòd ipſum contendat deſtruere, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam* †. Peccatum Deum comparat creaturis, ſi illum comparat, hunc & illas æquiparat & æquales conſtituit. Creatura eſt finita: peccatum contendit Deum reddere finitum: reddere Deum finitum, eſt eum non efficere Deum, cujus natura *non habet finem* b. Ecce injuria quam irrogat peccatum Deo; & quam juſto plectit Deus ſupplicio, dum ipſum odit peccatum idem Deus.

p Sap. 14. 9.
q Matth. 25. 46.
r Iſa. 59. 2.
s 1. Reg. 5. 2. &c.
u 2. Cor. 6. 14. &c.
x Iſa. 14. 12. &c.
y Gen. 3. 6. &c.
z Gen. 6. 5.
a Gen. 7. 7. &c.
† Theologia ex Jerem. 8. 5 & 6.
b Baruch 3. 25.

Peccatum ferre non poteſt ſanctus Spiritus, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* c. Illud ipſe expellit undequaque; illud deſtruit, cùm proprium ſit Spiritui ſancto ſanctificationem animabus infundere, quod fit per deſtructionem peccati, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* d, per infuſionem gratiæ ejus, quæ procul ab ijſdem amandat peccatum animabus, *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in Spiritu Dei noſtri* e. Tota Trinitas illud odio proſequitur. Quomodo autem Pater æternus tolerare peccatum poſſet? cùm ne vel ſolam in Filio ſuo imaginem ejus videre potuerit, quin illam inaudito mulctaverit ſupplicio. *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne* f. Et ideò *propter ſcelus populi* ſui percuſſit *eum* g. Si autem Pater æternus non exaudivit Filium ſuum, cùm *circa horam nonam clamavit Ieſus voce magnâ, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me* h? ſi permiſit ut tam dirè ab ipſius exciperetur inimicis, ut expueretur, & alijs hujuſmodi afficeretur injurijs, ideò tantùm quia præ ſe figuram deſerebat peccati. Poſt hæc quid expectare debet peccator? ſed quid metuere non tenetur? *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet* i? Ha! quid mirum, ſi caro quæ ſemper peccat, tormentis ſit expoſita? cùm vel ipſa imago peccati punita fuerit in carne ejus, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* k; & ſi Deus ſuam vibret iram ſuper imaginem ejus, ut fiebat apud Romanos in ſtatuas illorum, qui reperti fuerant hoſtes Reipublicæ manifeſti. Tandem, Si Chriſtus pertulit ea omnia quæ nobis fides proponit credenda, ideò illa paſſus eſt, quia deferebat imaginem peccati, quod Deus ut ſibi infenſiſſimum perſequitur, quodque ſupplicio plectet æterno, cùm Deo bellum indicat peccatum, & Divinum illius eſſe deſtruere nitatur. Quomodo autem non perſequeretur illud Deus odio? quomodo illud pati poſſet? ut quid vindictam de eo non referret? cùm injuria quam nobis irrogat, & damnum quod nobis infert, efficiat ut aliquo pœniteat Deum modo ſe feciſſe nos, *Pœnitet me feciſſe eos* l. Tantum eſt odium quo proſequitur Deus peccatum. Quod oſtendit nobis quantus eſſe debeat ejus horror.

c Gen. 6. 3.
d Rom. 5. 5.
e 1. Cor. 6. 11.
f Rom. 8. 3.
g Iſa. 53. 8.
h Matth. 27. 46. & ex Pſ. 21. 2.
i Luc. 23. 31.
k 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
l Gen. 6. 7.

Illud ſibi proprium vendicat peccatum, ut non ſolùm in realitate ſuâ horrorem incutiat ijs, qui illud intuentur perpetrari, & illis ipſis qui illud commiſerunt; ſed etiam in imaginatione & in ſolâ ideâ. Ij qui illud concipiunt, & illud vellent ad exitum perducere, in eo deprehendunt neſcio quid horribile & informe, nec illud audent enunciare quin erubeſcant, præſertim ſi ſint homines qui nihil peragere conſueverint vituperio dignum. Sed ſi homo qui animum præ ſe fert pravâ aliquâ paſſione affectum, inveniat fortaſſis alios obvios in eumdem proclives immoderatum affectum, & ejuſdem captivos paſſionis, Heu! tunc

nullas patitur peccatum habenas, nec ullis continetur limitibus. Duplex enim duntaxat erat reſpectus, qui iſtum retineret hominem intra rationi conſonos debiti ſui terminos, timor Dei, & timor hominum. Primus reſpectus effractus eſt eo ipſo, quo peccatum in intimis animæ ſuæ concepit ipſe penetralibus. Secundus reſpectus adhuc retinebat eum, quandiu non audebat illud ipſe manifeſtare ob horrorem illius, nec illud executioni mandare. Sed ſtatim ac iſti carceres diſſipati ſunt, & ipſe propoſuit peccatum ſuum propalare, hominesque invenit diſpoſitos ad conſentiendum peccato ſuo, volentes proprijs manum præbere flagitijs perpetrandis, de ipſo actum eſt, in jacturam incurrit omnimodam.

Vidiſtiſne aliquando ingentes cataractas, quando copioſis ſunt redundantes aquis? Prima origo emittitur ſimul ac eſt aperta, aqua veloci curſu in cataractam confluit: quandiu hanc continebit aquam cataracta, nullum inferet hæc aqua frumentis, vel alijs agrorum fructibus detrimentum: Si autem ſemel aperta aut dirupta fuerit cataracta, & diſpoſiti ſint aditus ad præbendam viam huic aquæ; Heu! intuebimini illam incredibili erupturam rapiditate, & devaſtaturam vineas, paradiſos, ſylvas, hortos, & omnes agros, nec aliquid futurum quod ſeſe poſſit upponere violentiæ illius aquæ; & furori hujuſmodi torrentis, niſi fortaſſis opponat ſe illi rupes aliqua inconcuſſa, contra quam ille torrens irruat, cujus tamen torrentis inſolentes retundat illa rupes impetus. Auſcultate illud, quod ait Job *m*, & videbitis peccatum
m Job 15. 15. & 16. propter horrorem ſuum apprimè æquiparari aquæ, quæ terribilis & horribilis eſt, *Inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus. Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* Peccator peccatum non ſecus ac aquæ potum haurit. S.
n Math. 15.19. Matthæus *n* aſſerit cor pravarum eſſe originem cogitationum, *De corde exeunt cogitationes malæ.* Et cùm peccator pravum aliquod concepit conſilium, tunc origo emittitur; ſed hanc retinere conatur peccator aquam concluſam intra cataractam cordis, aut linguæ propugnaculo dentium limitatæ: ſi enim ſemel aperiatur aut dirumpatur cataracta, ſi amittatis pudorem qui eſt inſeparabilis ab horrore, quem peccatum ſecum trahit ac vehit, & veſtrum manifeſtetis conceptum, & obvias habeatis aures & mentes audientium diſpoſitas ad recipiendam hanc aquam, & ad pandendam viam huic pravo conſilio exequendo: Heu! id profectò omnes depopulabitur fructus bonorum operum, quæ feceritis, & eorum pariter, quæ impoſterùm eſſetis facturi.

Videte quid poſſit unio duorum planetarum, quorum unus erit propitius, alter verò infauſtus: ſi enim Juppiter alicui proficuus eſt temperamento, & ſuas communicando influentias, eæ influentiæ obvium habeant planetam nomine Venerem, illæ multum amittunt vigoris ſui naturalis, & tali conjunctione ſic pervertuntur ut noceant potiùs, quàm proficiant. Videte pariter hominem, cui dominetur Juppiter, id eſt, in quo vigeat ratio & ſapientia, cum hæc utraque Jovi attribuatur; ſi uniatur Veneri, id eſt, pravo alicui deſiderio, vel affectui carnis impudico; huic influentiæ Jovis officient, ſi enim ſapientiâ vigeat, ea eſt carnalis, ut puellam aliquam verecundam, aut honeſtam mulierem decipiat; aut ſi renitentem eam corrumpere non valeat, mortem illi minitetur inferre.

Sed aliqua verecunda virgo, aut fœmina honeſta, quæ apprimè novit, quod *in hunc mundum intravit per peccatum mors* o, & quòd primâ vice, o Rom. 5. 12.
quâ Deus hoc nomen pronunciavit mortis, id effecit, cùm Protoplaſto dixit noſtro, quòd ubi fructum vetitum comederet, illicò mortem oppeteret, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* p; concludit, quòd ſi eumdem ipſa offendat Deum, p Gen. 2. 17.
ſtatim in mortem ſit incurſura animæ, cùm ſciat ipſa, quod *anima quæ peccaverit, ipſa morietur* q. q Ezech. 18.4.
Et ſic mavult ſe morti temporali ſubeundæ exponere, quàm illicitis ac pravis impudicorum amaſiorum ſatisfacere deſiderijs. Hujus veritatis authenticum ſubminiſtrat nobis Scriptura ſacra exemplum in perſonâ caſtiſſimæ Suſannæ, quæ mortem potiùs eligit ſubire temporalem, quàm minitantur ipſi duo ſenes impudici; quàm æternæ ſubiacere, cùm ait: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: Si enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini* r. Virilem animum! Sanctum & mirabi- r Dan. 13. 22. &c.
le conſilium! Nec blanditiæ voluptatis, nec minæ mortis, nec reverentia his ſenioribus exhibenda, nec allicientes illorum perſuaſiones, nec ſecuritas aut ſolitudo loci, nec abſentia viri ſui, nec ſpes munerum, nec ſexûs fragilitas, nec iſtorum authoritas Magiſtratuum, nec alia quælibet conſideratio efficere potuerunt ut pravæ conſentiret illa eorum inquiſitioni, quæ cor ipſius nunquã valuit concutere, cùm ſciret ipſa, quòd omne peccatum mereatur mortem. Ipſamque non latet, quòd actio quæ ipſi proponitur perpetranda, eſt maximum omnium, quæ committi poſſint, flagitiorum. Eligat ergo ipſa utrum voluerit. Minus eligendum cenſet illa, & mortem temporalem ſatius ducit oppetere, quàm divinam peccato conſentiendo lædere Majeſtatem.

Ubi ſunt modò ij qui aliàs tantis extulerunt inter matronas Romanas encomijs caſtitatem Lucretiæ, eò quòd ſe pugione confoderit, poſtquam adulterium cum Imperatore Tarquinio perpetraſſet? Aliqua datur convenientia inter tentationem illius & tentationem Suſannæ, ſed magna eſt differentia in ſucceſſu tentationis. Magnis uſus eſt hic Imperator minis, ut Lucretiam ad crimen ſollicitaret: non enim ſolùm dixit ei, quòd ſi ipſa ſuis non ſatisfaceret deſiderijs, illi mortem inferendam juberet, quin imò & prope illam aliquem è captivis ſuis interimendum præcipetet, ut unuſquiſque cogitaret ambos in adulterio fuiſſe deprehenſos, & eâdem morte mulctatos. Quibus auditis, perpendens illa duas res graviſſimas; mortem, quam minitabatur ipſi Imperator, & infamiam medio illo captivo prope ſe perimendo, ſibi inurendã, conſenſit omnibus quæ exigere voluit ab ipsâ Imperator, ut eâdem actione famæ æquè ac vitæ cuſtodiendis conſuleret. Excuſant aliqui Lucretiam, dicentes, eam non voluntariè, neque ob voluptatem conſenſiſſe animali Principis deſiderio, ſed tantùm ut hæc duo ſic pretioſa cuſtodiret. Sed excuſent eam quantumcumque voluerint; Ego autem nihil invenio ſimile caſtitati Suſannæ, quæ neque ob mortem quam minitabantur ipſi ſenes impudici, neque propter metum dedecoris ſibi irrogandi mediâ calumniâ ipſi imponendâ, ſi ipſa votis non annueret lubricis, noluit conſentire offenſæ Dei. Si autem Lucretia eo viguit animo ut ſibi mortem propriâ intulerit manu, non fuit hoc pudicitiæ

ipſius

ipſius nota, ſed ſolum teſtimonium pudoris, quo poſt patratum ſcelus ſuum fuit ipſa luſſuſa, *Lucretia, quòd ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non eſt pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas*, ait S. Auguſtinus s. Sed maluit Suſanna crudeli carnificum manu, ſi opus fuiſſet, interimi, quam pudicitiam ſuam tantiſper effrænibus impudicorum ſenum deſiderijs proſtituere.

s S. Aug. l. 1. de Civit. c. 19.

Ha! concupiſcerem equidem ut multæ hodie in mundo invenirentur Suſannæ, quæ mortem eligerent potiùs, quàm lethifero conſentirent ſceleri perpetrando. Videtur hæc illuſtris fœmina mente prævidiſſe lectionem, quam poſteà ſuos edocuit Chriſtus diſcipulos, nimirum quoſnam timere deberent ipſi, homines, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam* t. Inde Sancti, qui modò gloriâ potiuntur æternâ in cœlo Empyreo, vera præbuerunt teſtimonia amoris eximij, quo erga Deum afficiebantur, cùm præſentati ſunt coram Tyrannis, qui ipſos ad ſacrificandum falſis Dijs compellere intendebant; & præ ſingulari ſuſceperunt patientiâ decreta mortis oppetendæ adversùs ipſos lata, ne infringerent fidem vero Deo votam & conſecratam. Et tot generoſæ Virgines ſuum profuderunt inter ſupplicia inaudita ſanguinem, cùm ad violandum virginitatis ſuæ ſigillum tentarentur, quia *majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* u.

t Matth. 10. 28.

u Jo. 15. 13.

Non metuebant igitur Martyres tormenta; nequaquam timebant ne in fruſta lacerarentur. Puellæ tredecim aut quatuordecim annos natæ Agnetes & Agathæ ad martyrium properabant ſubeundum fronte hilari ac intrepidâ, potiùs eligentes interitum horribilem, quàm peccato committendo præberent puſillanimiter conſenſum, dicentes more muris Pontici, animalis caſtitatis maximè amantis, ſingulæ, *Malo mori, quàm fœdari*. Et cùm proponebatur ipſis aut lupanarium fœditas, aut leonum ferocitas, reſpondebant ipſæ animo inconcuſſo, Potius ad leonem, quàm ad lenonem. Ita verum eſt, quòd homo ſolido vigens judicio, verus Chriſtianus mille perpeti potiùs debet mortes, quàm lethale ſcelus admittere; imò verò quàm in peccato veniali conſentire, cùm vel ipſi Pagani ſolam virtutum moralium præ ſe ferentes notitiam, & verâ deſtituti fide dixerint, *Melius eſt mori, quàm aliquid committere contra virtutem*. Hæc verba promunt Ethnici, ſed verè aurea. Sed quàm apprimè ratiocinantur! Illis ſola deeſt fides, cùm loquantur ut Chriſtiani, & periti Theologi. Non præcipiuntur aliquæ virtutes niſi ſub pœnâ peccati venialis: v.g. non exercere humilitatem, non eſt niſi veniale peccatum; & tamen ſatius eſt mortem oppetere, quam hujuſmodi veniale peccatum perpetrare.

In hoc manifeſtatur amor, quo erga Deum afficimur, cùm laborioſis incumbimus operibus ut mandatis ejus geramus morem; & cùm omnibus exponimus nos impendijs tolerandis, imò verò morti oppetendæ, potiùs quàm ei diſpliceamus. Aliquid enim peragere non laborioſum, etiamſi virtutem ſapiat, non multum ſecum invehit meritum. Quòd homo qui mundanam parvi pendit famam, nec aliquo movetur ex illatis ſibi injurijs, iræ aculeo, libenti animo ignoſcat inimico ſuo, eumque ſincero ampleſtatur corde, quamnam merebitur mercedem? Non eſt id res ita difficilis. Sed quod vir qui honorem magni ducit, ſibi irrogatam condonare velit injuriam: & licèt ſit generoſus, & dicatur illi quòd ipſe jacturam ſuæ ſit incurſurus famæ, & puſillanimus ſit habendus, niſi deſcendat ad ſingulare certamen ineundum cum inimico, de quo ſe ulciſcatur; velit tamen ipſe ſuum continere animum, & ſuum amplecti inimicum; iſtud eſt multi æſtimandum. Quòd homo qui ſuffuratus eſt omnia quæ poſſidet, aut per rapinam, aut per falſa pondera, aut per menſuras breviatas; & ſciat nullum ſibi à Domino unquam concedendam indulgentiam, niſi priùs malè parta reſtituerit; videatque ſe miſeram & egenam ducturum vitam, ſi reſtitutionem peragat bonorum alienorum; proponit tamen his non obſtantibus miſerijs prævìſis, hanc adimplere ſeriò reſtitutionem x; in hoc conſiſtit meritum. Tandem, Quoties invitamini ad perpetrandum aliquod peccatum, aut blanditijs ſocietatis perverſæ, aut delicijs, aut amore proprio, aut legibus mundi, aut artificio diaboli, aut minis hominum; in hoc veſtrum præ vobis ferre debetis generoſum animum, & ecce in quo veſtrum eximium ſitum eſt meritum.

x Luc. 19. 8.

Si homo, cui minatur Dominus ſuus, quòd ſi ipſi non ſerviat in terminandis contentionibus quas habet ipſe cum alijs, aut in pravis amoribus ſuis ad exitum perducendis, aut in aliquo alio exceſſu perpetrando; eum ipſe malè ſit excepturus, & expulſurus domo ſuâ, ſicut è ſuis affectibus; hunc ſuum nolit audire Dominum, & potiùs virgas toleret, domumque illius deſerat, & obſequium, quam efficiatur inſtrumentum iniquitatum ejus: In hâc gravi occaſione inducere poteſt Deum ut ipſum amet, & ſuas ipſi gratias conferat; oſtendens illi, ſe præferre paupertatem, ignominiam, odium mundi, omneque afflictionis genus, imò verò mortem ipſam uni vel peccato mortifero. Nonne is eſt generoſus animus S. Pauli veluti bellum omnibus indicentis creaturis? *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei* y. S. Anſelmus verò aliquid magis dicit, *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſſariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum, quàm peccatum appeterem*. Quin imò altiùs aſcendit, *Mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere* z: ſic miſeram perpendebat conditionem animæ in ſtatu peccati conſtitutæ.

y Rom. 8. 38. & 39.

z S. Anſelm. l. de Beatit. c. 190. citat. à Staplet. in Promptu. mor. hyé. Dominic. Paſſ.

Cùm video generoſos hos animos ad hoc determinatos ut nulli perpetrando quocumque modo conſentire velint flagitio; intueri mihi videor alios SS. Paulos. Cùm dicit mihi aliquis, ſe præferre ſemper gratiam Dei, familiaritati aut amicitiæ Domini ſui, vel ſupremi Principis, nec æquo pati ſe poſſe animo ut jubeatur ſibi quidquam quod divinæ refragetur Legi, dicendo cum S. Paulo a, *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, aſpicere mihi videor domeſticum Dei, qui domo illius non poteſt expelli. Cùm mulier ne quidem unico vel horæ quadrante perpeti poteſt ut peccatum mortale in ſuâ immoretur animâ; ſed illico illud ſuo detegit Confeſſario, Sacramentali diluendum Pœnitentiâ, intueri mihi videor animam bono affectu ductam, cùm citò agnoſcat peccati amaritudines. Sed illæ quæ in hoc firmo permanent propoſito, nullum præbendi ingreſſum peccato mortali, etiamſi de conſequendo ageretur regno,

a Galat. 1. 10.

regno, de conciliandâ ſibi Principis amicitiâ, de amittendâ vitâ, vel de languendo ſuper ſterquilinio, pro certo teneant illud eſſe notam infallibilem prædeſtinationis ſuæ æternæ, & ſua *nomina in libro vitæ* b eſſe ſcriptis exarata. [b Philipp. 4. 3.] Gratia enim Dei quæ eſt germen immortalitatis, & principium gloriæ, non poteſt expelli niſi peccato mortali: & quandiu non vultis conſentire ingreſſui alicujus peccati lethiferi, hanc gratiam ſemper meliùs animæ veſtræ imprimitis, & majus conciliatis vobis jus ad gloriam. Debetis igitur animum præ vobis ferre ſic virilem ac firmum, ut intentandas vobis irrideatis minas, ut pœnæ infernales vobis ſint loco frœni, & divina Præſentia vobis ducatum præſtet individuum: ut amor Dei ſit vobis veluti calcar, & præſentia ejus ut pharus ſit vobis confitentibus quod divina gratia ſit vobis vires præbitura, quibus impudentiam retundatis æquè ac malam fidem impudicorum illorum, qui fronte effractâ efflagitare præſumerent, ut vos pravis ipſorum deſiderijs faceretis ſatis.

Dicite mihi, obſecro, Numquid non placet vobis continuos divinæ Bonitatis in vobis effectus experiri? [c Pſ. 16. 8] Nonne *ſub umbra alarum* c illius protegi concupiſcitis? Annon deſideratis ut ſe vobis præſentem exhibeat ægris, aut in aliquo eminenti bonorum, aut vitæ periculo conſtitutis, ut vobis ſuccurrat, vos liberet, & vobiſcum ſit *in tribulatione* d? [d Pſ. 90. 15.] Si iter aggredimini, nonne vultis ut Deus ſit vobis *via* e, & à vobis omnem occurſum avertat malum? [e Jo. 14. 6] Si verò Deus vobis diceret, Pergite iter veſtrum: Nolo vobiſcum eſſe, nec videre vos in hac ſylvâ, nec in agro iſto, aggrederemini ne viâ? Nequaquam. Timeretis enim ne occurrerent vobis lupi, & feræ, à quibus diſcerperemini; aut fures, qui veſtra vobis eriperent. Si enim Deus non videat nos, nec nobis auxilietur, dicetis vos, aberrabimus illico ac diſceſſerimus. Cur igitur vultis ut Deus ſit ſolicitus de vobis, & à vobis infauſtos hujus vitæ removeat occurſus; & non vultis ut vos intueatur, & veſtri curam ſatagat in rebus gravioribus ſalutem animæ veſtræ ſpectantibus? Quare ergo præſentes eſſe vultis oculis Dei, ut recipiatis ab illo omne beneficiorum genus; & vos non vultis veſtros in eum injicere oculos, ſi aliquid ſit agendum intuitu illius? Sola præſentia Dei qui eſt *Sol* f, peccati tenebras poteſt expellere; [f Malach. 4. 2.] omnes præſentiæ hominum ſunt veluti exiguæ candelæ, quæ nullam habent cum lampade iſtâ cæleſti comparationem. Candela abaco vel menſæ ſuperpoſita aliquam quidem præ ſe fert claritatem, & aliquas è veſtro expellit tenebras cubiculo, ſed non circumquaque lucem diffundit ſuam, ſed ſolùm prope abacum, aut menſam, & etiam exiguè, & paulatim conſumitur, tandemque extinguitur, ita ut vos medias deſerat inter tenebras. At aperite feneſtras, & date operam ut Sol veſtrum ingrediatur cubiculum, & illud ſubito videbitis omnino clarum, nulla erit in eo ampliùs obſcuritas; & ſi efficere poſſitis ut Sol iſte veſtrum ſemper reſpiciat cubiculum, eodem ſemper potiemini beneficio. [g Malac. 3. 6.] Nolite timere ne minuatur illius lumen, nulla eſt in eo mutatio g; [h Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12.] *Idem* h enim ſemper eſt Sol ſplendens & clarus æquè ac anteà: homines qui ſunt in mundo, ſunt veluti parvæ candelæ; pater tuus, mater, maritus, uxor, frater, ſoror, vicinus, Dominus, Judex, Princeps, Rex nihil ſunt niſi candelæ magnæ, aut parvæ; cavetis ne in aliquem labamini defectum, & in tenebras peccati, quia omnes hæ candelæ vos illuminant. Velles equidem adulterium perpetrare, ſed vir tuus adeſt. Velles hunc amaſium alloqui, ſed videt te mater tua. Velles jurare Dei nomen, ſed pater tuus te auſcultat. Velles ſuffurari, ſed obſervat te Magiſtratus. Velles inimicum tuum pugione confodere, ſed à te ſuos non avertit Princeps oculos. Tandem velles perſæpè plures exceſſus committere, ſed tot habes candelas, id eſt, tot perſonas te aſpicientes, tot vicinos, tot propinquos, tot domeſticos, tot ſervos & ancillas præſentes, ut majori illuſtrêris lumine quam velles, nec audes dicere, aut agere quod velles, quia nimiæ tibi lucent candelæ. Si autem tibi certò conſtaret, te à nemine videri: Heu! ſtatim tua prava exequereris conſilia; furta patrares & blaſphemias, & in omne erumperes abominationum & operum tenebrarum genus. Candelarum igitur te lumen cuſtodit. Ha! jure vereor merito ne non ſatis benè cuſtodiaris: hæ enim candelæ circumquaque æqualiter non illuminant, conſumuntur, & ſuum denique, dum extinguuntur, lumen amittunt. Mater tua lateribus ſemper non adhæret tuis: vir tuus non eſt ſemper domi: vicinus tuus non poteſt ſemper è feneſtrâ reſpicere: Magiſtratus non habet jugiter oculos in populum intentos: ſervi tui & ancillæ tuæ non comitantur te quòcumque pergas, non ſunt ſemper tecum, & eâ tu viges quidem induſtriâ, ut illis exequenda imponas onera, ſeu munia, & eas conſtituas candelas in locis, in quibus non illuminent, nec manifeſtentur. Et licèt concederem tibi has omnes candelas illuminare te ac te intueri, ipſæ nihilominus conſumentur: mater enim tua eſt ſenex, pater tuus eſt ætatis caducæ, vicinus tuus domicilium mutabit ſuum, & Dominus, aut Magiſtratus tuus vetuſtate conficietur. Si autem ſola iſtorum præſentia efficiebat ne in tenebris ambulares, in obſcuritatibus incedes quàm citiſſimè. Si verò à tenebris offendendis pro ſemper declinare velitis, Auditores, incedite ſub lumine Solis qui eſt Deus, aperite ei cordis & cogitationis feneſtras, habete eum præſentem: nec enim mutatur unquam, ipſe ſuo vos ſemper illuminabit ſplendore. & à caſu vos cuſtodiet, *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper* i. [i Pſ. 15. 8.] Et licèt omnes aliæ candelæ eſſent extinctæ, & ſic tenebris eſſetis obſcuris obvoluti ex illâ parte, non habetis unde aliquid unquam timeatis: ſemper enim vobis aderit iſte Sol myſticus, *Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es* k. [k Pſ. 22. 4.] Unicus iſtius Solis radius à lapſu nos præſervabit, ſi velimus; & cùm inceſſerimus ſub lumine iſtius Solis in hoc ſæculo per gratiam, perveniemus ad gloriam, in altero nos illuminaturam.

FERIA VI. DOMINICÆ II. ADVENTVS.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum, cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Gen. 22. 2. &c.

SPes eſt paſſio humana oriens è parte iraſcibili hominis, nota omnibus hominibus, eiſque communis. Nullus homo quantùmvis miſer in mundo qui aliquid non ſperet. Spes eſt paſſio amaſiorum qui aſpirant & ſuſpirant ad id quod amant; ambitioſorum qui honoribus & dignitatibus inhiant; aulicorum qui fortunas & favores Principum aucupantur; mercatorum qui omnes labores ſuos ad lucra ſectanda conferunt; tandem artificum, agricolarum, & omnium hominum; præſertim verò adoleſceotum qui ſunt audaces cùm parum habeant præteriti, & multum futuri. Spes eſt oſtiaria naturæ. Non priùs è cunis emerſimus, cùm introducit nos ipſa in mundum veluti deſideriorum & conſiliorum conditionis noſtræ captum excedentiom; & hoc efficit ut ſpes oſtium claudar, & ioutilia reddat noſtra conſilia.

Licet autem hæc paſſio omnibus ſit communis hominibus, videtur tamen ſpecialis afflictis & miſeris, quibus ſupereſt ſola ſpes, cùm omni aliâ deſtituti ſunt conſolatione & auxilio; eamque cuſtodiunt poſt integrum naufragium deſtructæ fortunæ ſuæ, ſicut anchoram, aut ultimam ſalutis ſuæ tabulam. Quis verò ſciat utrùm inter captivos ad ſcalmum hærentes, & remos agentes in triremibus, inveniatur aliquis qui infortunio adulatus ſuo, ſceptra ſperet & coronas? Sed deſeramus hæc ſomnia & has vanas illuſiones, & dicamus quòd ubi hæc paſſio ſpei rectâ dirigitur rationis regulâ, inſervit ipſa plurimùm ad mitigandas hujus vitæ miſerandæ amaritudines, & addendas animo noſtro vires contra importuna quæ nobis plerùmque accidunt, infortunia. Ideò vocat ſpem S. Gregorius *a* (a S. Gregor. l. 8. Mor. c. 8.) veluti remedium cordis, quod ipſum lætificet cor, dilatet, & contra inſurgentia in illud mala roboret, *Solet mæſtum animum ſpes, vel falſa refovere.* Sed Patriarcha Abraham hanc magis authenticè teſtatur veritatem. Ecce Deus præcipit ei ut egrediatur *de terrâ, & de cognatione* ſuâ, *& de domo patris* b (b Gen. 12. 1. &c.) ſui, & propinquorum ſuorum ſuavem deſerat ſocietatem, & terram incolat extraneam & incognitam. Quantâ afflictione affectus eſt eximius iſte vir? Sed quodnam remedium, cùm loquitur Deus? Suum excitat ipſe animum, Deoque obedit fretus ſpe promiſſorum è proprio ipſius ore ſibi factorum. Quòd nimirum ipſum facturus eſſet Deus *in gentem magnam, & nomen* ipſius magnificaturus. Quòd *in* ipſo benedicerentur *univerſa cognationes terra.* Quòd poſſeſſurus eſſet omnem terram Chanaan. Tandem, Quòd ipſemet Deus futurus eſſet præmium omnium laborum ipſius æquè ac ipſius protectio, *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* c (c Gen. 15. 1.). Hoc venerandum iſtum conſolabatur ſenem, addebat ei animum, eumque efficiebat contentum. Sed cùm patienter expectat eventum atque felicem ſucceſſum omnium harum promiſſionum, ecce Deus præcipit ei ut ſibi ſuum *filium unigenitum Iſaac in holocauſtum* offerat, cujus vitæ, omnes ſpes iſtæ ac promiſſiones erant innixæ. Cui mandato illico gerit morem, ita ut ſacrificet in perſona filij ſui hanc paſſionem ſpei, ſicut & paſſiooem deſperationis ei oppoſitam, ratus complendas omnes iſtas promiſſiones, & credens quòd Deus à mortuis Iſaac revocare poſſet ad vitam, *Obtulit Abraham Iſaac cùm tentaretur: & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones; ad quem dictum eſt (Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen* † († ex Gen. 21. 12.)*) arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. Vnde eum & in parabolam accepit* d (d Hebr. 11. 17. &c.). *Id eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus e (e Dion. Carth. art. 11. in hunc locum.), *typicam ſignificationem, intellexit namque per Iſaac ſignificari Chriſtum*, qui immolandus erat pro genere humano, poſtquàm conceptus fuiſſet in utero Mariæ *f* (f Luc. 1. 38.) poſt hæc verba, *Ave Maria.*

Nihil eſt quod æquè ſapientes nos efficiat coram hominibus ac afflictio, *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui* g (g Iſa. 28. 19.). Et tamen nunquam æquè ſic fuit inſanus Pharao *h* (h Exod. 7. 13. &c.), quàm cùm afflictionibus maximis fuit impetitus; nunquam in majores erupit petulantias, quàm cùm majorem debebat præ ſe ferre ſapientiam. Eò nos pervenimus infelicitatis. Si Deus aliquâ nos afficit afflictione, illico ad deſperationis extremas redigimur anguſtias; nullâ vigemus virtute, quâ conſtanter faſtidia & infortunia à vitâ noſtrâ inſeparabilia perpetiamur; in innumeras præ fragilitate labimur impatientias; furioſi efficimur taurorum more, nihil retinentes penes nos hominis niſi apparentiam exteriorem, neque Chriſtiani præter ſolum nomen. Ad puſillanimum ſpectat non poſſe corde intrepido ſuſtinere eventus infauſtos in vitâ paſſim obvios, nedum eos morte concupiſcat terminandos, ajebat Ariſtoteles. Et tamen miſerandus iſte conſcius effectus eſt criminis, quod perſuadere conabatur alijs evitare, clauſis ſe projiciens oculis in Euripum, ne illius intueretur horrorem. Catonem vituperijs inſequitur hiſtoria, eò quòd ſibi vitam propria eripuerit manu, ut ſibi libertatem conciliatet, non ſatis generoſo pollens animo quo adverſam ſuam pateretur fortunam, ferrum adhibens quo ſe ex victoris eximeret inſolentiâ, cujus imperium ferre æquanimiter non valebat, dum *poſt Pharſalicam pugnam, Vticam ſe recepit: reque à Scipione infeliciter geſtâ, perlecto Platonis de animæ immortalitate dialogo, qui Phædon inſcribitur, necem ſibi conſcivit* i (i Calepinus in Diction. V. Cato.). Scelus vituperio dignum ac cenſurâ omnium hominum. Non diſpliceat ijs, qui homicidium ſacrificij eximio inſigniṛe contendunt titulo, & vitium deteſtabile, quale eſt deſperatio & rabies, laudibus extollere ac ſi virtus illud foret, omnem ſuam inſumentes eloquentiam ut laudibus evehant id quod improperia ſecum invehit, ut omnibus legibus oppoſitum, & naturæ violentum. Qualecumque enim minitetur nobis adverſa fortuna incommodum, nunquam poſſumus in vitam noſtram auſu temerario inſurgere, cùm noſtra mors æquè ac nativitas noſtra ab illo pendeat, qui eſt *Dominus omnium* k (k Eſth. 13. 11.), & ſolus ille

qui nos in mundum introduxit, ab eo poſſit nos educere. Omnium vitę noſtrę ſtatuum reliquit ipſe nobis diſpoſitionem, nec eorum ſibi reſervavit niſi principium & finem. Naſcimur quando illi placet, morimur cùm ipſe ſic ordinat. Hoc eſt jura illius ſibi arrogare, ac horam noſtri anticipare interitus, & iſtorum ſic æmulus eſt titulorum ſuorum ut edat perſæpè miracula, quò oſtendat ſe habere *cla-* [l Apoc. 1. 18.] *ves mortis* l, ſeque illius eſſe Dominum. Sancta excommunicationis fulmine impetit Eccleſia eos, qui ſibi manus violentas injiciunt, ſeq; perimunt, & orans pro omnibus excommunicatis, nimirum *pro Hæreticis & Schiſmaticis, pro perfidis Iudæis, & pro Paganis* ipsâ die Paraſceves, nunquam tamen preces fundit pro deſperantibus, & vult ut honore careant ſepulturæ, niſi fortaſſis *ſepulturâ aſini* m [m Jer. 22. 19.] ſepeliantur, eo enim mori modo non eſt ſuis imponere [n Gen. 1. 27.] finem malis, ſed ſolùm pœnis ſuis principium dare, è malo labi in pejus, è fumo in flammas; & anima quæ eſt immortalis n, nullo mori poteſt modo: finiri videtur temporaliter, ſed ſanè ut duret jugi- [o Matth. 25. 46.] ter inter *ſupplicium æternum* o. Enormitas hujus criminis, à quo abhorruit Abraham, dum ſperavit, quòd poſſet Deus defunctum filium ſuum à mortuis revocare, ſacrificando ei hanc utramq; paſſionem ſpei æquè ac deſperationis, inducit me ut oſtendam [Diviſio.] vobis Primò, nihil horribilius eſſe deſperatione: Secundò propter rationem contrariorum, nihil melius eſſe quàm ponere ſpem ſuam ac fiduciam in Deo, qui ſolus poteſt nobis ferre ſuppetias.

[I. Pars.] [p S. Thô. 2. 2. q. 20. a. 1.] S. Thomas p ait, deſperationem non tantùm eſſe peccatum, ſed principium omnium peccatorum, & univerſarum cauſam culparum: ſtatim enim ac enormi iſti immergimur crimini, omnibus pandimus oſtium alijs, quæ ſunt veluti tot effecta hujus deteſtabilis cauſæ, *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ* [q Epheſ. 4. 19.] *omnis, in avaritiam* q. Cùm ad eas redacti ſumus infelicitatis anguſtias, in ſtatum pervenimus damnationis miſerandum, quia nullum poteſt nobis tunc adhiberi remedium, *Plaga mea deſperabilis*, ait [r Jer. 15. 18.] Jeremias r in perſonâ eorum, qui eò pervenerunt [s Jer. 30. 13] infortunij. Cujus ſtatim ſubdit rationem, *Renuit curari.* Quia ſanitatem nolunt recipere. Et infrà s, *Peſſima plaga tua, inſanabilis fractura tua.* Periculoſiſſimum eſt omnium malorum, quia medela re- [t S. Thô. 2. 2. q. 20. a. 3.] nuitur. Quod induxit ſupradictum S. Thomam t ut diceret peccatum deſperationis eſſe omnium peccatorum maximum. Si enim admittantur in mundo crimina, eorum maximum eſt odiſſe Deum; ego autem non puto in eo majus perpetrari poſſe. Infidelitas ſequitur, ſed deſperatio ſcelus eſt enormius. Licèt enim peccata virtutibus oppoſita Theologicis, quæ Deum habent pro objecto immediato, ſint enormiora quoad genus ſuum, cùm majorem averſionem à Deo ſecum invehant, quæ totum peccati formale conſtituit, attamen deſperatio reſpectivè ad nos, omnium eſt maximum ſcelerum, quia majus nobis cauſat malum, & pluri nos privat bono: nam poſt deſperationem ſola nobis ſupereſt damnatio, ipſa eſt primus poſt deſperationem paſſus, quaſi ſcelus aliquod admittere ſit animæ interitus, & deſperare ſit veluti in infernum præcipites agi, *Anima quæ peccaverit, ipſa* [u Ezech. 18. 4. & 20.] *morietur* u. Sed ſpes relinquitur reſurgendi per [x Luc. 13. 3.] *Pœnitentiam* x, & per Sacramenta; at poſt deſperationem nulla, *In inferno nulla eſt redemptio.*

Deſperare idem prorſus eſt ac damnari, nec ullum jus prætendere amplius ad gloriam & felicitatem Sanctorum. Deſperatio eſt oppoſita ſpei, quæ noſtra ſublevans ac mitigans faſtidia, efficit ut noſtram expectemus ſalutem, & ſacrâ audaciâ ac generoſo animo nos omnibus opponamus obſtaculis, quæ eam poſſent impedire: ſed deſperatio nullam proponens nobis amplius ſalutem, nobis eſt veluti tabula ad omnia perpetranda flagitia; & ſi damnandi ſumus, æquo damnationem in nos invehere debemus titulo; & ſi ſola ſuperſint nobis in aliâ vitâ perpetienda ſupplicia, diffluendum ſaltem nobis erit delicijs & voluptatibus in iſtâ, *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt* y. Eſtne actum de [y Sap. 2. 6. &c.] nobis? conclamatane eſt penitùs ſalus noſtra? debemuſne in ęternum eſſe miſeri, omnibus voluptatibus privati, deſtinati ut ſimus futuri victimæ immolandæ juſtitiæ Dei æternæ? nullane nobis reſervatur indulgentia, nulla ampliùs dulcedo, nulla miſericordia, nulla felicitas, nulla gloria, nullus paradiſus beatificus? ſed ſolę nobis remanent pœnę? Vale ergo *civitas* z ſancta, Jeruſalem cœleſtis: nun- [z Apoc. 21. 23. &c.] quam nos illuminabit *claritas Dei, & lucerna* tua *Agnus* nobis erit inutilis: infernus & tenebræ illius erunt infelix noſtra portio, ignibus comburemur æternis, nedum ex ijs indulgeatur nobis exitus. Actum eſt igitur de omnibus delicijs alterius vitæ, in quâ pœnis angemur ſempiternis? Ha! ſaltem indulgeamus genio in iſtâ, *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt*, inquiramus id omne quod noſtris poteſt ſenſibus facere ſatis, utamur violentiâ, oppreſſione, tyrannide, injuſtitiâ; quid noſtrâ intereſt? *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequàm marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Deliciæ, voluptas, concupiſcentia, venter, caro quid deſideratis? veſtris ſatiſfacite ad plenum deſiderijs ubicumque vobis eorumdem implendorũ ſeſe offeret occaſio opportuna. Nullus ſit ampliùs Deus, nec diabolus, nec cœlum, nec terra, nec paradiſus, nec infernus, nec Angelus, nec homo, nec alius quilibet reſpectus, quibus ab ijs implendis averti poſſimus. Legem deſumamus ex nobis ipſis, nec aliũ legiſlatorem agnoſcamus niſi proprias paſſiones noſtras, niſi noſtrorum conſilium appetituum. Idem prorſus eſt benè aut malè vivere, cùm tandem damnandi ſimus.

Ha! iſto non ſe gerebat ille Religioſæ vitæ Cultor modo, qui eximiâ præditus virtute poſt tranſactam in exercitio ſanctitatis & bonorum operum praxi venerandam canitiem, & totus effectus cœleſtis ac ſpiritualis, monitus à Satana, qui perſæpè *transfigurat ſe in Angelum lucis* a, quòd ipſi ſupereſ- [a 2. Cor. 11. 14.] ſent duntaxat quindecim anni vitæ, poſt quos æternam eſſet ipſe incurſurus damnationẽ, (Intendebat hic inimicus Dei & noſtræ ſalutis, ut ſanctus iſte vir abſtinentias ſuas, & auſterum vivendi modum conſuetum relaxaret, mortificationibus ſuis limites imponeret; voluptatibus indulgeret in hoc mũdo, cùm delicijs alterius ſæculi foret deſtituendus, & finis vitæ ipſius deberet eſſe initiũ infelicitatum & pœnarum ipſius, quæ oriri deberent ex ipſius morte) tantùm abeſt ut generoſus iſte athleta animum ſuum virilem dejiceret, ardores ſuos tepeſaceret, & in extremã deſperationis redigeretur rabiem, nec non & in petulantias animarũ reprobatarum infelicitatis ſigno notatarum; quin è contrà ſuum reaccendit zelũ, ſuos auxit fervores; majori amplexus eſt ardore, quàm feciſſet anteà, auſteritates & mortificationes quibus incumbebat ordinariè, ſuos inflammavit ferventius ignes prunis divinæ Charitatis, humiq; proſtratus, & totus lacrymis immerſus in hæc erupit verba, *Deus magne* b, omni poſſibili adoro reverẽtiâ decreta divinę tuę providentię, quę *attingit à fine uſq; ad finem* [b Dan. 9. 4.]

ſor-

c Sap. 8. 1 *fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* c; & cùm ob peccata mea, quorum infinitus eſt numerus, æternam incurſurus ſim damnationē, & in hunc infortunij & infelicitatis redactus ſtatum, te qui *bonitas* d es
d 4. Eſdr. 8. 36.
eſſentialis, odio ſim proſecuturus ſempiterno, nec aliud in abyſſis infernalibus horrori ſim habiturus, n ſi ſpeciem tuam, quæ gloriā cœli conſtituit Em-
e Jo. 17. 3
pyrei e: Ha! his ultimis quindecim annis quibus victurus ſum, ſic amare & benedicere te cupio intenſivè, ac ſi in æternū victurus eſſem: tantum volo peragere his quindecim extremis annis vitę meę, quantum agere contenderem, ſi æternâ potiturus eſſem felicitate. Saltem mediam inter infelicitatē meam, quę nullo eſt concludenda fine, ſicut nullos peccata mea agnoverunt limites quantùm ad malitiam, illud mihi faceret ſatis, quod dilexiſſem te,
f Exod. 33. 19
qui es *omne Bonum* f ſummum, & exercitio vacaſſem Angelorum, mea Domino ipſorum exhibendo obſeqoia.

Debemus, Auditores, ſpem ſemper præ nobis ferre; & prohibetur nobis ne eam amittamus, ne ſic perdamus fruitionem illius quod ſperavimus (Loquor de ſpe ſupernaturali, quæ conſtituit unā ex tribus virtutibus Theologicis.) Ij verò qui de ſuā ęternâ deſperant ſalute, inſurgunt in altiſſimas Dei perfectiones, & ſuſcipiendâ peccatorum ſuorum ſe indignos efficiunt veniâ eo ipſo, quo eam
g Pſ. 118 68.
ſperare deſinunt. Nam cùm Scriptura dicat, quòd
h Pſ. 23. 8
Deus eſt *bonus* g, *& potens* h, ij qui perſuadent ſibi illum non velle, aut non poſſe ipſis parcere, bonitati illius æquè ac potentiæ ejus injuriam irrogant, & eodem crimine in præcipuas ejus duas inſurgunt perfectiones. Deſperantes namq; imitantur ſuperbos, ſeque Deo æquiparant, amittentes ſpem ſalutis ſuæ: labentes quippe in deſperationē, imaginantur miſericordiam Dei non eſſe ita magnam ac gravia ſunt ipſorum peccata, & injurioſè ac ſtolide malitiam ſuam ſupra bonitatem illius efferunt; imponunt limites amori qui *non habet fi-*
i Baruch 3. 25
nem i, & perfectionem auferunt ab eo qui *perfe-*
k Matth. 5. 48
ctus eſt k eſſentialiter, quique eas omnes poſſidet perfectiones, quas noſter concipere non poteſt animus. Videte, obſecro Auditores, horrorem hujus criminis, & quantùm vitium iſtud eſt abominandum.

Judas, infamis iſte Collegij Apoſtolici deſertor
l Matth. 26. 14. &c.
l, apoſtata & perfidus ingentius perpetravit crimen, & graviùs offendit Deum, de divinâ deſperās
m Matth. 27. 5
Miſericordiâ m, quàm tradendo Dominum ſuum inimicis ipſius, ut eſſet objectum rabiei & furoris illorum. *Nam ſi Iuda factum meritò deteſtamur, cumque Veritas n judicat, cùm ſe laqueo ſuſpendit, ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potiùs, quàm expiaſſe commiſſam; quoniam Dei miſericordiam deſperando exitiabiliter pœnitens, nullum ſibi ſalubris pœnitentia locum reliquit* ait S. Auguſtinus o. Judas ſtrictiùs æ-
n ex Jo. 14. 6
o S. Aug. l. 1. Civit. c. 17
quin ſinem patibularem arctat, meatumque claudit per quem aër, quem reſpirabat, ad pulmones tendebat, & ſic moritur, & in æternum damnatur: Ita deſperans claudit meatum, per quem ſuas Spiritus ſanctus communicat gratias, & ſic eſt in ſtatu damnationis. Quòd ſi deſperatio eſt unum è maximis, quæ perpetrari poſſunt, ſceleribus; per rationem contrariorum ſpes debet eſſe una ex eximijs virtutibus, quæ efficit ut totam in Deo noſtram collocemus fiduciam, cùm ipſe ſolus ut *Om-*
p Eſth. 13. 9
nipotens p nobis præbere poſſit ſuppetias, quas etiam ab ipſo ſolo ſperare debeamus. Et iſtud nobis ſupereſt videndum.

Commune ventilatur in Philoſophiâ prolo-

II. Pars. *Tomus I.*

quium, *Quod eſt in intellectu affirmatio vel negatio, eſt in appetitu proſecutio vel fuga; & quod eſt in intellectu verum vel falſum, eſt in appetitu bonum vel malum.* Id eſt, affirmationem aut negationem intellectus eſſe deſiderium aut fugam voluntatis; & quod eſt veritati aut falſitati conſonum in mente, bonitatem vel malitiam præ ſe ferre in affectu voluntatis, quę accipit omne id, quod ipſa habet boni, aut mali ex hoc principio directionis ſuæ. Fides igitur, quam mens noſtra habere debet de Deo, eſt illum eſſe noſtræ cauſam ſalutis, & eum qui præ exceſſu bonitatis ſuæ noſtra ignoſcit nobis crimina, *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* q. E contrà error eſt, & falſum judicium hu- q Ezech. 33. 11
jus potentiæ, ſi credat illum ut immiſericordem nobis ſuum in neceſſitate conſtitutis renuere auxilium, & noſtrorum veniam delictorum, cùm eam ab illo ſupplices præ humilitate efflagitamus, quod non poteſt cogitari ſine crimine, & abſque blaſphemiâ, nec dici ſine ſacrilegio. Et ita ſicut ſpes quæ efficit ut verè & ſincerè de Deo ſentiamus, eſt virtus heroica & omni laude digna; ſic actus contrarius deſperationis, qui cum ſit erroneus & falſus, huic ſupremæ detrahit bonitati, crimionſus eſt & vituperio dignus.

Ideò excuſare non poſſum diffidentiam hominum deſperantium de divinâ Bonitate, nec perpendentium favores eximios quibus cumulati fuerant ab eâ medias inter occaſiones, in quibus minor erat apparentia auxilij, & major diffidentiæ cauſa: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet*, cùm de ipſius adventu minimè cogitabimus, & deſperata nobis videbitur res; *& non tardabit* r Dominus. Quia quò major eſt neceſſitas, eò propinquius eſt auxilium. Aſcendit Jeſus *in navi-* r Habac. 2. 3
culam s cum Apoſtolis. Ecce optima totius orbis s Matth. 8. 23. &c.
ſocietas; navis ditiſſima, cum totum deferat Chriſtianiſmum, quippe in quâ Jeſus Chriſtus, Apoſtoli, & tota Eccleſia contineantur. Gubernaculum moderatur S. Petrus ut Nauclerus, Apoſtoli alij ad ſcalmos hærent remos agentes, Jeſus Chriſtus ſedet in puppi, ibique quieſcit, cavendum ne excitetur, *ipſe verò dormiebat.* Inſurgunt venti, tempeſtas oritur, intumeſcunt aquæ, omnem adhibet S. Petrus induſtriam, quam peritus artis ſuæ ſolet adhibere Nauclerus, alij Apoſtoli ut induſtrij nautæ ſubalterni remigant, aut remos agere ſaltem videntur, ſecundum quod permittere poteſt ipſis tempeſtas, quæ validiùs inſurgit, & hanc naviculam ad nubes uſque evehit, eamque deinde uſque ad abyſſos deprimit: Apoſtoli jure merito reformidant, *ipſe verò dormiebat.* Illum ſuſcitant, *dicentes, Domine ſalva nos, perimus.* Excitatur Jeſus à ſomno, *& dicit eis, Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgēs imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*

Mira operatur more conſueto S. Chryſologus t, cùm ait, *Nonne ipſe eſt qui fugatis fluctibus maris* t S. Chryſol. ſerm. 50.
profunda nudavit: ut Iſraëliticus populus inter ſtupentes undas ſicco veſtigio velut montium concava pertranſiret u? *Nonne hic eſt, qui Petri pedibus* u ex Exod. 14. 22.
marinos vortices inclinavit x, *ut iter liquidum humanis greſſibus ſolidum præberet obſequium?* Ha! x ex Matth. 14. 31.
ait eximius ille Ravennas Antiſtes, Apoſtolos alloquens, quid timetis? Memetipſum alligaſſem ei? Quid autem timere potuiſſem ſi cum illo fuiſſem? Fluctibus imperat, & tempeſtate ceſſante, ventorum ſibi conciliat obedientiam. Inde edocemur quòd in turbinibus, tempeſtati-

I 2 bus,

bus, infortunijs, & afflictionibus collocanda eſt fi-
ducia in Deo, & tota in eo ponenda ſpes noſtra,
y Pſ. 90. nedum aliquid nobis nocere poſſit, *Altiſſimum po-*
9. & 10. *ſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum* y. Ipſe
eſt portus noſter. Si verò Dei Filius dormire ſe ſi-
mulat in navi, ideò ut conſtantiam Apoſtolorum
exerceat, & noſtram. Periculum intuetur Chri-
ſtus, nec ſuum differt ſubſidium, niſi ut illud magis
commendet. Et ideo illi inexcuſabiles ſunt in
puſillanimitate ſuâ, qui frequentiâ ejuſdem au-
xilij ſibi præſtiti experti ſunt teſtimonia; & ſuppe-
tiæ ipſis ſubminiſtratæ media inter infortunia
præterita, fiduciam ipſorum augere deberent
quoad præſens, nedum ad deſperationem labe-
rentur.

Sed quotnam ſunt in mundo, in Chriſtianiſmo,
in civitate N. hujus enormis criminis conſcij, qui
primo inſurgente impetu, prima intumeſcente
tempeſtate, primo vento oſtium ipſorum concu-
tiente, ad extremas rediguntur deſperationis an-
guſtias, & animum deſpondent penitus, quaſi verò
Deus non ſatis haberet bonitatis, quâ ipſis auxi-
lium impendere vellet, nec ſatis potentiæ quâ
ipſos juvare poſſet? Hallucinamini graviter: Ipſe
ſolus id vult, & poteſt. Idcircò ad illum ut ad por-
tum ſecurum debetis recurrere contra omnes
tempeſtates. *In te Domine ſperavi, non confundar in*
z Pſ. 30. *æternum* z, dicebat eximius Vir medias inter oc-
2. caſiones & infelicitates, quibus impetebatur. *Qui*
a Pſ. 90. *habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli*
1. *cõmorabitur* a, ajebat idem David poſt ſuſcepta ad-
mirabilia divinæ Bonitatis ſubſidia & effecta. Dei
verò Filius videns aliquando magnam multitudi-
nem populi qui ipſum fuerat ſuper montem ſecu-
tus, eloquentiam ipſius demiratus, ut ſuccurreret
ipſorum neceſſitatibus, & ſublevatis oculis in cœ-
lum, illud magnum, quod ſcitis, peregit miracu-
b Jo. 6. 5. lum, *cùm ſublevaſſet oculos* b &c. Sed ad quid hæc
&c. oculorum ſublevatio? Idcircò ut edoceremur de-
bere nos totum auxilium noſtrum è cœlo expe-
ctare, & Deum ſolum omnes noſtras debere ter-
minare ſpes. Illuc ergo omnes noſtros dirigere
debemus intuitus more Chriſti (qui ſuos deorſum,
ubi erat multitudo populi ſolicitanda, projicere
debere videbatur aſpectus) & tamen eos ſurſum
extulit, unde expectare debemus effecta promiſ-
ſionum ejuſdem Chriſti, & gloriam, cujus ſola hîc
habemus duntaxat pignora; cùm noſtra ſalus, quæ
non eſt hic niſi incepta, perfici non debeat niſi in
cœlo, ubi mercedes multùm noſtra antecellent
c 2. Cor. obſequia c. Expectemus igitur è cœlo omne ſubſi-
4. 17. dium noſtrum, illucque noſtrum dirigamus aſpe-
d Pſ. 120. ctum, dicentes cum Davide, *Levavi oculos meos in*
2. *montes, unde veniet auxilium mihi* d. Solus Deus
nobis poteſt auxiliari; & valdè decipimur ſi aliun-
de ſuccurſum nobis impendendum imaginamur.

Mundus eſt proditor & perfidus. Fidelitatem
præ ſe non fert niſi ut nos decipiat, & nobis verba
det. Apparenter nos oſculabitur, & realiter nos
pugione confodiet, ut internecione delevit Joab
e 2. Reg. Amaſam, *quaſi oſculans eum; & percuſſit eum in la-*
20. 9. & *tere, & effudit inteſtina ejus in terram* e. Simulatum
10. pacis nobis infiget oſculum, quale præbuit perfi-
dus diſcipulus Judas Domino ſuo, *Et oſculatus eſt*
f Matth. *eum* f; illudque ſolas præ ſe feret oſculum mundi
26. 49. apparentias, ut meliùs nos ipſemet mundus no-
ſtris prodat inimicis. Nihil habet mundus niſi fig-
menta, dolos, & fallacias, & omnes illius blandi-
tiæ eò tendunt ut nos decipiant. In medias dedu-
cit nos occaſiones periculoſas, & poſteà in neceſ-
ſitatis anguſtias redactos nos deſerit. Interitum

infert ijs quibus blanditur, qualem intulit Jahel
Siſaræ, cùm *poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum,*
percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad ter- g Judic.
ram g. Mulierem imitatur Apocalypſis h, propi- 4. 21.
nantem venenum in calice aureo. Multa promit- h Apoc.
tit, & nihil dat. Honores pollicetur, & confuſio- 17. 4.
nes tribuit. Voluptates ſpondet, requiem & ob-
lectamentum; nec niſi inquietudines, & tormenta
largitur. Ipſe eſt perfidus Achab, qui fictis pro-
miſſis ſuis ſimplicitatem Naboth fallit i. Promit- i 3 Reg.
tit ſe daturum id quod non eſt ſuum, nec de quo 21. 2. &c.
poteſt ipſe diſponere, more diaboli dicentis Chri-
ſto, cùm *oſtendit illi omnia regna orbis terræ in mo-*
mento temporis: Tibi dabo poteſtatem hanc univer-
ſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, &
cui volo do illa k. Univerſa offert Chriſto diabolus, k Luc. 4.
licèt portio illius ſit nihilum, & ipſe ſit captivus 5. & 6.
inferni l. Non igitur in mundo collocandæ ſunt l Iſai. 14.
ſpes noſtræ, cùm ipſe ſit deceptor. In quo ergo? 15.
In liberis? Heu! perſæpè ſunt illi rebelles ut alij
Abſalones. Noſtrum concupiſcunt interitum, &
longi anni noſtri illis faſtidia pariunt, *Filius meus*
qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam m. m 2 Reg.
In mulieribus? Nihil infidelius illis, quippe quæ 16. 11. &c.
arcana reſerant. Dalila Samſonem decipit n. n Judic.
Nulla fides huic ſexui inconſtanti. In ſervis? 16. 18.
Nequaquam. *Et inimici hominis, domeſtici ejus* o. &c.
In quibus tandem? In amicis? Heu! ij ſunt ita o Mich.
rari ac Phœnices, nec ſecula integra unum nobis 7. 6. & Matth.
ſubminiſtrare poſſunt fidelem p. 10. 36.

Triplex admittitur amicorum genus. Alij ſunt p Jer. 9.
veri, alij menſæ, alij verò commodi. Alij ſunt ami- 4. & Thren.
ci menſæ, qui tandiu ſunt amici, quandiu inter 1. 2.
calices & cibos exquiſitos nobiſcum genio indul-
gent; qui adulantur & laudant, dummodo ven-
trem eſcis & potibus habeant refertum. Alij ſunt
amici ſua intuentes commoda, & propriam mer-
cedem, qui ſemetipſos amant, & crumenam ſuam
magis quàm propriam perſonam, veluti merce-
narij. Quotnam inveniuntur ſimiles in Curijs Ma-
gnatum, qui ibi non ſunt niſi ut officium aliquod,
aut beneficium, aut gubernationem aliquam au-
cupentur? Amici commodi, qui nihil operantur
niſi *turpis lucri gratiâ* q. Si autem ſint veri: Heu! q Tit. 1.
quam rari. Sed nunquid ſemper erunt tales? Ne- 11.
quaquam. Vana ſufficit unica imaginatio quæ
omnia profliget, quia *homo vanitati ſimilis factus* r, r Pſ. 143.
nunquam in eodem ſtatu permanet s. Hæc eſt etiam 4.
ratio propter quam interrogatus à Deo Protopla- s Job 14.
ſtus noſter Adam, *Ubi es* t? Non reſpondit ei, quia 2.
mentitus fuiſſet, eò quòd *homo nunquam in eodem* t Gen. 3.
ſtatu permanet. Si dives eſt, locupletes efficere nos 9.
poterit: Si potens, officia nobis diſtribuet, mini-
ſteria nobis committet, ad gradus honorum & di-
gnitatum nos evehet. Quid amplius? Nihil. Sed
eritne immortalis? Minimè. *Statutum eſt hominibus*
ſemel mori u. Univerſos iſtud decretum com- u Heb. 9.
plectitur homines; & perſæpè eripit nobis interi- 27.
tus id, quod maximo proſequimur amore.

Ulteriùs progredior, & ſuppono amicos ve-
ſtros eſſe divites, potentes, veros amicos, & im-
mortales, ſi velitis. Poſt hæc poſſuntne vobis im-
pertiri gloriam, quæ debet eſſe veſter ultimus *finis*
x? Nequaquam? *Nemo dat quod non habet*, ut x Apoc.
vulgò dicitur. Concludamus igitur, ſed præ veri- 1. 8.
tate. *Maledictus homo qui confidit in homine* y. *No-* y Jer. 17.
lite confidere in Principibus, in filijs hominum in qui- 5.
bus non eſt ſalus z. Ipſe eſt David qui loquitur vel- z Pſ. 145.
uti proprijs doctus experientijs, qui internecione 2.
delendum præcepit Uriam, poſtquam uxori illius
Bethſabee famam eripuiſſet a. Et Principes ſeculi a 2. Reg.
poſt- 11. 4. &c.

poſtquàm ſuos perſæpè evexerunt familiares ad thronos uſque , & capita eorum ad diademata extulerunt uſque , eadem illis imperant præcidenda ſuper patibulari theatro violentâ carnificis manu præ ignominiâ inſperatâ. Infauſtis refertæ ſunt hiſtoriæ eventibus illis , qui ſpecioſiſſimas ſpes merunt humanas. Solus Deus veros impertiri poteſt nobis honores, & ſolus opportunum poteſt & vult ſuppeditare nobis auxilium. Nunquam ad eum recurrimus , quin propitios miſericordiæ illius experiamur illico effectus. Quomodo autem nobis non auxiliaretur? cùm ipſe ut *Pater noſter* b, & præ exceſſu bonitatis noſtra commoda maximi ducat æquè ac ſua. Noſtras à nobis duntaxat exigit ſupplicationes , ut ad ipſum recurramus in neceſſitate conſtituti , & certo certius ad noſtrum velociter properabit auxilium, *Invoca me in die tribulationis , eruam te, & honorificabis me* c.

b Matth. 6.9.

c Pſ. 49. 15.

Ieſus elevatis ſurſum oculis Lazarum è monumento eduxit ſuſcitatum *d*, ut doceret nos ex illâ oculorum elevatione debere totam noſtram ſpem in Deo conſtituere, ad ipſius potentiam recurrere, & tunc nos etiam fœtentes ut alios Lazaros in tumulo, inde tamen eruendos & ad vitam ſuſcitandos, *Ecce , non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare nequeat , neque aggravata eſt auris ejus ut non exaudiat* e. Non faciamus ut impij qui nedum recurrant ad Deum, ſuppetias implorant diaboli , ſortilegia adhibent, infernum conſulunt. Deus iraſcitur, & citò aut tardè oſtendet nobis ex ultione, quam ipſe eſt de nobis laturus, ſe jure merito iratum. Mementote, quæſo, Regis Ochoziæ dicentis, *Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate meâ hâc* f. Heu! quòd ad cuſtodiendum equum, vel recuperandam ovem fortaſſis deperditam fiant periammata præſtigioſa, quæ nihil præ ſe ferunt boni niſi verba, quæ pernicioſa dæmonum prætexunt conſilia. Quale crimen! Illud eſt profectò lethiferum. Omnes Senatus, cunctæ Leges, univerſi Canones Eccleſiaſtici damnabiles ut iis ac pernicioſas prohibent praxes. Collocemus in Deo ſolo ſpem noſtram , & ipſe cùm maximâ vigeat potentiâ , ex noſtris omnibus eripiet nos malis.

d Io. 11. 41. &c.

e Iſa. 59. 1.

f 4. Reg. 1.2.

Parentes, veſtros ut idola colitis liberos, in illis omnes veſtras conſtituitis ſpes; & perſæpè ut placeatis eis, Deo diſplicetis. Deus ipſe iraſcitur , & de vobis ſe ulciſcetur aliquando. Superſtitioſi quidam populi virgas in aerem projicere conſueverant, ut ex illarum obſervatis caſibus quid foret eventurum conjicerent. Parentes , liberi veſtri ſunt veluti virgæ , in ijs veſtram collocatis ſpem, Deus juſtâ excandeſcit irâ, ut modo loquar noſtro, illis vos deſtituet Deus , & vobis eos eripiet interitus. *An ſperas in baculo arundineo atque confracto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus* g? In Deo ſolo eſt igitur collocanda tota ſpes noſtra, cùm ipſe ſolus ſuum impendere nobis poſſit auxilium.

g 4. Reg. 18. 21.

Commenti ſunt Poëtæ illud, quod noſtro convenire poteſt apprimè propoſito, quòd cùm Prometheus hominem formaſſet è lacrymis, è quibus exierunt omnes illius miſeriæ, infelicitates, & afflictiones, ad cœlum aſcendit, ut inde ignem erueret, eoque hominem animaret; & quod Juppiter iratus propter audaciam illius ac temeritatem, mulierem fabricavit cui communicavit fortitudinem Martis, pulchritudinem Veneris , eloquentiam Mercurij, prudentiam Saturni, in quam tandem congeſſerunt aliquid Dij ex ſuo , ut illam commendarent , & omni parte conſummarent; poſtea præbuerunt illi pyxidem (quæ nuncupatur adhuc pyxis Pandoræ) præſentandam Prometheo, qui ſuſpicatus ne hamus ſub illo lateret lenocinio, noluit eam recipere , & monuit fratrem ſuum ne illam acceptaret ; quam tamen intuitus ſic prædivitem, ſpecioſam, & gratam, accepit, & ex ea aperta emanxerunt illico omnia mala , quæ noſtras conſtituunt miſerias. Stupore percitus ille propter hujuſmodi eventum inſperatum, clauſit illico pyxidem , ita ut in extrema illius parte ſola remanſerit ſpes; ut edoceamur, quòd inter tot mala varia, quibus impetimur, ſola nobis ſuperſit ſpes veluti ſcutum , cujus adminiculo victores evaſuri ſumus contra omnes adverſarios , qui noſtram moliti contenderint ruinam ; aſſumentes etiam *galeam ſalutis* h. Quod interpretatur Dionyſius Carthuſianus *i*. *Id eſt , ſpem futuræ felicitatis , ſeu charitatem mentis veſtræ ſuperponite , ut contra bonorum præſentium blandimenta , ſpe futurorum atque divino amore armemini.* Eva, mulier iſta totius ſexûs maximè curioſa, hanc obtulit Adæ viro ſuo pyxidem *k*, qui cum aperuiſſet eam, apparentia illius deceptus doloſa , diem præbuit ac natalitia omnibus infelicitatibus, quæ nos ex tunc opprimunt *l*; pro remedio autem ſola nobis ſupereſt ſpes, quæ inducit nos ad credendum , Deum miſericordiâ ſuâ allectum , ab ijs nos liberaturum. Ad illum igitur omnes noſtros dirigere debemus obtutus , ea ſpe freti, quod ipſe nos exaudire ſit dignaturus, & ſpei noſtræ fruitionem in cœlo nobis ſit largiturus, cùm ſinis ſpei ſit ipſa felicitas æterna , ſicut deſperationis finis eſt infelicitas ſempiterna.

h Epheſ. 6.17.

i Dion. Carth. a. 6. in hunc locum.

k Gen. 3. 6.

l Rom. 5. 12.

Omnes igitur noſtras uniamus vires, ut procul a nobis amandemus deſperationem , quæ eſt vitiorum omnium maximum, cum Deum privet uno ex perfectiſſimis ipſius attributis , nimirum miſericordiâ , & ipſemet Deus ſit Ens ſupremo bonum modo, imo verò *omne Bonum* m eſſentiale, cujus proprium eſt ut ſe communicet & circumquaque diffundat, ut ait S. Dionyſius *n*, *Bonum eſt diffuſivum ſui*. Peccator qui in deſperationis ſe redigit anguſtias, canales præcidit , per quos Deus ſuas diffundebat gratias ; & ſe reddens miſerum, Deum conatur efficere minùs glorioſum. Fugiamus igitur hoc crimen , ut amplectamur ſpem, hanc ſpecioſam virtutem , quæ cum ſit remedium ſublevandis omnibus malis noſtris opportunum, ſecuritas in noſtris tempeſtatibus , defenſio in noſtris certaminibus, & gloria noſtra in injurijs noſtris , pollicetur nobis tandem ut filijs adoptionis fruitionem gloriæ æternæ. *Deus qui proprio filio ſuo non pepercit , ſed pro nobis omnibus tradidit illum ; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* o? *donabit*, vertunt alij. Quomodo igitur illam nobis tenuet? Confidamus ergo bonitati illius , recurramus ad illum in neceſſitatibus conſtituti , & profectò nobis erit ipſe propitius , ſuamque largietur nobis gratiam, & denique gloriam.

m Exod. 33.19.

n S. Dionyſ. l. de Divin. Nom. c. 4.

o Rom. 8. 31. & 32.

IN OCTAVA CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Ipſa conteret caput tuum. Gen 3. 15.

NE vituperetis conſilium meum, Auditores, ſi nuncupem diem iſtum, qui ſe inſignem exhibet & commendabilem ſolemnitate ſuâ, nomine certaminis, quod glorioſa ſequitur victoria. Dies iſte eſt dies triumphi pro Mariâ incomparabili; ſed etiam dies pudoris, confuſionis & ruinæ intuitu principis inferni. *Maria victrix eſt*, & Satanas eſt victus. Præludia illius Virginis ſacratiſſimæ ſunt opera eximia, ſunt prodigia & miracula gratiæ, ſuaſq; incipit ipſa glorioſas actiones inde, quò magnanimi Heroës & Duces generoſiſſimi ſua terminaverunt præclara facinora. Maria Bellatrix eſt egregia, quæ glorioſiſſimum triumphorum ſuorum per primum ſuorum computat certaminum, *Ipſa conteret caput tuum*, conterendo caput diaboli, ut exponit Cornelius *a*, *Mulier eſt beata Maria Eva filia. Beata Maria contrivit ſerpentem; quia ipſa ſemper plena & glorioſa fuit victrix diaboli, omneſque hæreſes (quæ caput ſunt ſerpentis) in univerſo mundo contrivit, ut canit Eccleſia.* Venter matris ipſius ſervit ipſi loco caſtrorum. *Quæ eſt iſta quæ progreditur terribilis ut caſtrorum acies ordinata* b? Ibi inſtructa ipſa eſt armis offenſivis æquè ac defenſivis. Uno tandem verbo, *Maria innocens* c triumphat ibi de peccato originali, quod eſt janua omnium peccatorum, & principium omnium ſcelerum. Ibi eſt tota gratiâ repleta, & hanc fateri debet aliquando Angelus veritatem, cùm ſalutaturus eam *gratiâ* d plenam, dicet ei, *Ave Maria.*

a Cornel. in Gen. 3 15.
b Cant. 6 9.
c Cornel. in Gen. 3 15.
d Luc. 1. 28.

Etiamſi omnia crimina inſurgant in Deum auſu temerario & ſacrilego, qui in exceſſum uſque ſe protendit; & divina Majeſtas atrociſſimis noſtris inobedientijs & ingratitudinibus offendatur, quandiu ipſius *rebelles lumini* e ſumus; attamen opponit ſe Deus ipſemet ſpecialiter ſuperbiæ, ut vitio, quod vellet ipſum præſumptione intolerabili deſtruere & annihilare ad ſeſe ritè ſtabiliendum, ſi per ipſum ſtaret; quodque non elevat ſe niſi ut melius ipſum deprimat Deum. Alia peccata inſurgunt in Deum indirectè, ſed ſuperbia inſolens & temeraria directè aggreditur Deum, & conatur ei eripere honorem ipſius & gloriam, cujus cuſtodiendæ magno Deus ipſemet zelo ducitur, ut ipſe proteſtatur per Prophetam ſuum Iſaiam *f*, dicens, *Gloriam meam alteri non dabo.* Unde dici poteſt nihil dari deterius iſto peccato ſuperbiæ, quod ab injuriâ Deo irrogandâ cœpit, dum ſuo dicebat *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* g. Superbia ipſum impetit Deum, ſed ſicut ipſe amantiſſimus eſt gloriæ ſuæ, quam vitium iſtud vellet ipſi eripere uſurpatione crimmoſâ, ideò conatus illius retundit, & omnes impetus illius reddit irritos.

e Job 24. 13.
f Iſai. 42. 8.
g Iſai. 14. 12. &c.

Ita ſentit S. Jacobus *h*, *Deus ſuperbis reſiſtit.* Quem appoſite explicat Dionyſius Carthuſianus *i*, quærens, *Sed cùm Deus omnem vitioſum deteſtetur, damnet, & puniat: cur ſpecialiter ſuperbis reſiſtere perhibetur? Et reſpondendum, quòd quia ſuperbi ſpecialiter ſe extollunt, ſeque Deo opponunt, & quòd Deo debetur (videlicet gloriam & honorem) ſibi uſurpant, & quia ſuperbia omnium vitiorum regina & mater eſt; ideo Deus eis ſpecialiter reſiſtere fertur, eos dejicere, humiliare, comprimere.* Atqui reſiſtere eſt conatum agere, & niti repellere vim hoſtis, qui nobis ea, quæ poſſidemus, vult eripere; ſicut cùm exercitus aliquam obſedit civitatem, & milites furioſis aggrediuntur & comprimunt obſeſſos irruptionibus, ut eos expellant domibus ipſorum, & bona ipſorum auferant, ad extremas uſque reſiſtunt ipſi obſeſſi invadentibus anguſtias, ne hoſtes ſua eripiant ſibi bona, ita *Deus ſuperbis reſiſtit.* Dantur deſideria licita promovendi ſe per vias non vetitas. Sic Sol virtute radiorum ſuorum intima pervadit uſque ad terræ viſcera præ ambitione producendi auri. Univerſæ creaturæ, imò & rationis expertes ambitione ducuntur ſuîipſarum perficiendarum: Ideò non erit homo criminoſus, ſi progreſſus agere nitatur per vias licitas; ſed ſuperbus criminoſus eſt ille, qui centrum ſuum infringens, extollit ſe ſupra ſphæram ſuam, ut ingrediatur fruitionem alicujus rei elatioris & magnificentioris.

h Jacob. 4. 6.
i Dion. Carth. a. 6. in Jacob. 4. 6.

Hæc veritas explicatur clarè ſimilitudine papilionis, cujus principia ſunt viliſſima. Primò enim papilio eſt vermiculus repens, natus hyberno tempore medio humore terræ; deinde cùm terra varijs diteſcit coloribus, vermiculus iſte effectus papilio ſeſe extollit, volat ſuper faſtigium ulmi proceræ, & ſuâ ductus ſuperbiâ naturali, alas concupiſcit habere fortiores, quarum ſubſidio ſuper altiſſimas quaſque volare poſſit arbores, ut omnibus ſuperiorem ſeſe exhibeat. Iſtud conſequitur quod prætendit, ſed non contentus hâc prærogativâ, tempore veſpertino accedens ad palatium Principis, ſplendorem intuetur lucernæ accenſæ, circum quam innumeris gyrat & convolvitur vicibus, & extremis ſuis alis blanditur flammæ. Quale eſt propoſitum hujus papilionis? Vivendi in elemento ignis. Mox erat infirmus & repens vermiculus, & tamen immodicâ ductus ambitione, ex elemento tranſire ſatagit in elementum. Sed quia ſuum deſeruit centrum, ut volaret verſus aliquod quod non erat ipſi proprium, ſuum invenit finem & interitum in flammis. Idem prorſus ſuperbis accidit, *Deus ſuperbis reſiſtit.* Ideò Propheta Aggæus ait, *Comedistis & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati* k. *Id eſt, refecti, exhilarati*, ſubdit Cornelius *l*. Et quare? *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus; & exſufflavi illud.* Id eſt, ut ait idem Cornelius, *Sperâſtis vos habituros meſſem peramplam, & ecce parvam collegiſtis: & paucum quod convexiſtis in horrea, ego Deus exſufflavi illud, id eſt, flatu & nutu meo feci evaneſcere, ſeu redegi in nihilum, uti ſegetes ſolet exſufflare ventus urens, dum grana adurit & deſiccat, itaque folliculos inanes relinquit.*

k Agg. 1. 6. & 9.
l Cornel. in Agg. 1. 6. & 9.

David *m* loquens de ſuperbis, ait, *Errare fecit eos in invio, & non in viâ.* S. Auguſtinus *n* dicit, quòd cùm ſe collocaverit in itinere petroſo, difficilè redire poſſunt ad veram viam virtutis capeſſendam, *Hoc eſt, donavit illos ſibi* Genebrardus *o* vertit, *Errare fecit eos ubi non eſt via, in inani.* Ita ut nemo poſſit eos in viam rectam reducere. Et Symmachus apud Theodoretum *p* ſic explicat, *Errare fecit eos in vanitate mentis.* Sic ſuperbus ſuprà ſe it. Et ſapiens *q* de hujuſmodi loquens ſuperbis, dicit, *Diſrumpet illos inflatos ſine voce.* Nedum pronunciare poſſunt ſacrum nomen Jeſu. Quare hoc. Ra-

m Pſ. 106 40.
n S. Aug. in Pſ. 106 40. ex Rom. 1. 26.
o Genebr. in Pſ. 106 40.
p Theodoret. in Pſ. 106. 40.
q Sap. 4. 19.

tio iſtius in promptu eſt. *Cùm in principio creavit*
a Gen. 1. 1. &c. *Deus* a quatuor elementa, voluit ut divites majoré haberent poſſeſſionem trium ex illis, quam pauperes; ſed quartum diviſit æqualiter elementū inter pauperes & alios. Ampliorem ſibi vendicat dives dominationem ſuper elementum terræ, plures habet hæreditates, & dominia extenſiora; pauper autè vix ſibi aliquid terræ aſciſcit, ut ei mandetur, elatus in cœmeterium defunctus. Elemento aquæ magis etiam dives communicat quàm pauper, habet quippe molendina, fontes, & balnea; pauper autem tantum habet aquæ, quantum ipſius poteſt continere manus, quandiu ipſe eſt juxta fontem. Elementum ignis ſibi magis aſciſcit dives, quàm pauper, habet enim clibanos & prunas ardentes, quandiu pauper vix recuperare poteſt ſarmentum, cujus interventu declinet à ſuſtinendā tempeſtatis frigidæ inclementia. Sed quoad elementum aeris, Deus illud æqualiter diviſit, ut commune foret reſpirationi. Atqui ſuperbus videns quòd pauper elevetur ad tuam magnitudinem, inſtat ſe ut deglutiat aërem illius, & ſic in omnibus eum ſuperet, & cum hujuſmodi aërem attraxerit, eripit illi vitam, quæ ſita eſt in reſpiratione, *Quia ventus eſt vita mea* b. Unde exacerbatus Deus ſinit ut
b Job 7. 7. dirumpatur miſerabiliter, nedum pronunciare poſſit ſanctum nomen Jeſu, *Diſrumpet illos inflatos ſine voce*, modo oppoſito ei, quo *Chriſtus cum clamore valido* c *in manum* Patris ſui commendavit *ſpiritum* ſuum. Deus igitur ut ſuperbum deſtruat,
c Hebr. 5. 7. &c. d Luc. 23. 46. *infirma mundi elegit ut confundat fortia* x. Et hodiernâ die utitur Puellâ ut ruinam illius moliatur
x 1. Cor. 1. 27. omnimodam. Videbimus igitur Primo victoriam
Diviſio. Mariæ ſuper peccatum. Secundò Emolumenta, quæ proveniunt nobis ex hàc victoriâ Mariæ. Attendite, ſi placet, dum incipio priorem probare partem in naturâ, in gratiâ, & in morali.

I. Pars. In naturâ quid levius vento? Nullus eſt qui poſſit illum metiri, ut reſpondit Propheta Eſdras
f 4. Eſdr. 4. 5. f Urieli Archangelo dicenti ubi, *Menſura mihi flatum venti, & reſpondi, & dixi, Quis natorum poterit facere?* Et tamen arbores elatiſſimæ, quæ ad nubes uſque ſeſe videntur protendere, & eas ſuis ramis tangere, concutiuntur, eradicantur, & in terram projiciuntur a vento. Mare intumeſcens, & tempeſtatibus ſævis agitatum ac procellis, fluctibus inflatum & undis, & ad cœlos uſque turbinibus elatum, totam videtur denuò inundare terram, & iterum univerſum orbem iſtum altero diluvio ꝣ immergere. Quid opus eſt ad ſiſtendam
ꝣ Gen. 7. 17. &c. inſolentiam hujus elementi implacabilis? Quinam obices requiruntur ad continendum furorem illius? Nihil aliud niſi aliqua arenæ grana, quæ
a Sap. 7. 24. Divina *Sapientia* a, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* b, poſuit
b Sap. 8. 1. juxta litus ejus, quæ rabiem ejus compeſcant. Quid vilius? quid infirmius? Et tamen ecce ibi ſiſtit mare, & ſuorum mitigat furorem fluctuum, *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* c.
c Job 38. 11. Elephas, gravis hæc maſſa, turris iſta carnea, cùm videatur in lucem veniſſe tantùm ut nihil timeat, in terram tamen proſternitur a parvo mure, qui cornu illius ingreſſus, dejicit illum, eique mortem infert, ut dicitur. Pharao inſolens iſte Monarcha, impius iſte Rex Ægyptiorum, qui nimia inflatus arrogantiâ, deridebat verum Deum Iſrael, dicens, *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, &*
d Exod. 5. 2. *Iſrael non dimittam* d: Id eſt, *Neſcio Deum quem libet, qui mihi tantâ authoritate imperet, ut Hebræas dimittam*: *Pharao hic ſuperbiſſimus, ideoque atheus*, ait Cornelius e citans Pererium, vincitur, ſed à quibus, & quibuſnam armis? A rebus viliſſimis omnium quæ in totâ reperiri poſſint natura, *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* f. Jubente Deo

e Cornel. in Exod. 1. 2.
f 1. Cor. 1. 27

extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntq; terram Ægypti. Percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in jumentis; & omnis pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti g. *Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti: & Dominus*
g Exod. 8. 6. &c. *induxit ventum urentem totâ die illâ & nocte: & mane facto, ventus urens levavit locuſtas; operuitque univerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia* h.
h Exod. 10. 13. &c. Deus igitur conſtruit aciem ranarum, ſciniphum, & locuſtarum, quæ ſuis aculeis veluti tubis ac lanceis hunc ſuperbiſſimum deſolant. Monarcham, de ejus triumphant temeritate, eumque in rabiem inducunt. Et *Goliath Philiſthæus*, qui exprobrabat *agminibus Iſrael, Date mihi virum, & ineat mecum ſingulare certamen, cùm ſurrexiſſet & appropinquaret contra David, feſtinavit David & occurrit ad pugnam ex adverſo Philiſthæi, quia vero nequam David adverſus Philiſthæum in fundâ & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit* i. Ideò, quia *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*.
i 1. Reg. 17. 4. &c.

Idem videmus in gratiâ, quod obſervamus in naturâ. In gratiâ miracula & omnes actiones ſupernaturales non fiunt niſi medijs rebus depreſſiſſimis & humillimis. Peccatum eſt id quod præ ſe maximam fert audaciam & temeritatem; tyrannus qui plurimam in mundo molitur ſtragem & vaſtitatem, qui innumeros ibi efficit captivos, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* k.
k Jo. 8. 34 Et intolerandâ tumens inſolentiâ præſumit inſurgere in Deum *l*. Quæ major temeritas? Deus ipſum vult annihilare; *Quoniam in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* m; Quid agit?
l Iſa. 14 13. &c. m 1. Jo. 3 8. quibus inſtrumentis utitur? Rebus infirmiſſimis & communiſſimis. Quid communius aquâ? Quid infirmius verbo? Nihil eſt aliud niſi aer in ore conſtrictus, & e pulmonibus pulſus, qui tamen in Baptiſmate delevit peccatum originale præ his verbis, *Ego te baptizo* n &c. In Pœnitentiâ
n Eccleſia ex Matth 28. 19 jaculyma contritionis, guttula doloris præ ſus verbis, *Ego te abſolvo*, &c. delet peccatum actuale.
o Eccleſia ex Jo. 20 23 *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*.

Idem obſervamus in morali quod in naturâ, & in gratiâ: & hodierna die proponitur nobis puella, quæ vix in utero matris ſuæ S. Annæ concipi incipit, cùm ipſa ſoli eſt veluti in arena, in qua ſe more generoſa bellatricis gerit. Sed quid infirmius? dicetis mihi, incipit ipſa duntaxat exiſtere, prætererant aliquot momenta, quibus illa non exiſtebat: in ſolis non erat niſi ideis Dei. Verum eſt. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* p. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus q; *Quod factum eſt, id*
p Jo. 1. 4 q Dion. Carth. a. 3. in Jo. c 4. *eſt, omne creatum, in ipſo Verbo vita erat, id eſt, in Verbo vitaliter atque intellectualiter ab æterno fuit, ac ſplenduit per rationem exemplarem ſive ideam, quam habet in Verbo omnia cognoſcente, intellectualiterque producente: quemadmodum artifex facit domum & Medicus ſanitatem per ſpeciem ſeu exemplar domus ac ſanitatis, quod habet in mente. Eſſe igitur creaturarum, quod habent in Verbo, imò in Patre & Spiritu ſancto, totâq; Superbeatiſſimâ Trinitate, ſeu in divinâ Eſſentiâ, eſt eſſe increatum, exemplare, tantùm ideale, atque vitale.* Modò non habebat aliud Maria eſſe niſi iſtud eſſe; ſed ipſo momento fortunato exiſtentiæ ſuæ actualis, primo inſtanti ſuæ Conceptionis ipſa eſt victrix, triumphat ipſa de eo qui eſt

omnium

Digitized by Google

r Job 41. 24. & 25.

omnium malorum fortiſſimus Angelorum, eorumque ſuperbiſſimus, de quo ſcriptum eſt r, *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Ipſa debellat illum, qui *Fortis armatus* s dicitur. *Hoc eſt, diabolus fortis fortitudine naturali: qui ſicut eſt ſublimis natura, ita & magna potentia. Dicitur quoque armatus, multiformi aſtutiâ, longâ experientiâ, naturali induſtriâ atque ſcientiâ*, ait Dionyſius Carthuſianus t. *Ipſa conteret caput tuum.* Ita verum eſt, quòd *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Dicamus igitur in gratiam ſanctiſſimæ iſtius Filiæ quæ modò concipitur, hujus invincibilis Bellatricis, meliùs quam Debora dixerit aliàs in favorem Jahelis generoſiſſimæ illius matronæ, quæ Siſaram interemerat, *Nova bella elegit Dominus* u. Infirmitas triumphat de fortitudine, & hodiernâ die Puella hæc incomparabilis, victrix eſt hoſtis, quem ipſa nondum vidit, diabolus vincitur, & videns eam immunem a peccato originali, quod efficiebat ut ipſe ut ſummus Dominus ſuper omnes regnaret homines, præ pudore cogitur fugam capeſſere, cùm præſentia illius ſit ipſi *terribilis ut caſtrorum acies ordinata* x.

s Luc. 11. 21.

t Dion. Carth. a. 30. in Luc. 11. 21.

u Judic. 5. 4. & 8.

x Cant. 6. 9.

Illâ ſuos hodie incipiente radios diffundere, quæ nuncupatur a Chryſippo y *Fons lucis omnem hominem illuminantis* z; *Solis ortus qui nullum ferre poteſt occaſum* a; & à S. Epiphanio b, *Virgo in lampade geſtans Lucem inextinguibilem* c; lupus ille vaſtator inferni compellitur fugam arripere, & Lucifer, hæc *Poteſtas tenebrarum* d, mihi videtur inclamare præ deſolatione, præ rabie, & præ deſperatione, *Hâc oriente fugor.* Speciosâ hâc Stellâ incipiente hodie illuminare, hoc momento Immaculatæ ſuæ Conceptionis, eclypſi ſuffundor, cùm exiſtentia ejus ſit tota ruinæ & deſtructionis meæ cauſa, *Hâc oriente fugor.* Hoc eſt inſigne Luciferi in gratiam Sacratiſſimæ Virginis, cujus *rurſum præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*, ait idem S. Epiphanius e. Ita ut dicere poſſimus præ veritate ad extollendas meliùs victorias, & ad evehendos triumphos hujus incomparabilis Virginis, *Una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor* f. Infirma creatura, quæ modò concipitur, pudore ſuffudit omnem factionem infernalem. Ha! quali gloriâ inſignitur Maria victrix! ſed quânam confuſione opertus diabolus victus!

y Chryſipp. ſer. de Laudib. Deipar.

z ex Jo. 1. 9.

a ex Eccli. 24. 6.

b S. Epiphan. ſer. de Laudib. Deipar.

c ex Sap. 7. 10.

d Luc. 22. 53.

e S. Epiphan. loco ubi ſuprà.

f Judith. 14. 16.

Primum oſtium, per quod humanæ naturæ hoſtis in hominum illabebatur animas, ſuper illas ſuam exercens tyrannidem, erat peccatum originale quod hæreditarunt à communi Protoplaſto Adamo, *in quo omnes peccaverunt* g, quod totam inquinat naturam humanam; ita ut Maria dicere poſſit præ veritate tantâ ac gloriâ, ſe declinaſſe ab omnibus conſilijs diaboli, & feliciter triumphaſſe de univerſis ejus conatibus. Ille qui victor erat omnium, invenitur hodie victus, *Cadent in retiaculo ejus peccatores; ſingulariter ſum ego donec tranſeam* h. Omnes homines involuti erant laqueis diaboli, nullus ab ijs erat immunis, foret ille Rex, aut ſummus Pontifex, cùm univerſi tam viri quam mulieres, quantumvis nobiliſſimam ferentes præ ſe progeniem, exclamare cogantur ad probandum infortunium ſuum, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* i. Solus Dei Filius huic infelicitati non fuit obnoxius per naturam †, & hodie Beatiſſima Virgo in hæc retia diaboli non incidit per privilegium, ipſa eſt ſingularis poſt Filium ſuum, quæ hoc commune non incurrit infortunium. Sic ipſa *una eſt Columba* k immunis a felle omnis peccati.

g Rom. 5. 12.

h Pſ. 140. 10.

i Pſ. 50. 7.

† Pſ. 5. 5.

k Cant. 6. 8.

Quòd autem iſtud ita ſit, hanc ego ſic probo veritatem. Petrus Damianus citatus à Calamato l, ait, *Caro Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non aſſumpſit.* Et quidem appoſitè, Nam cum per eam ſalus omnibus pareretur hominibus, ipſa eadem prima fructus redemptionis in ſeſe debebat ſuſcipere. Ideò humanam Chriſtus reparaturus naturam, præludia potentiæ & bonitatis ſuæ exercuit in eâ, quæ ipſum paritura eſſet *Primogenitum* m. Debebat enim Deus agere in eâ quidquid erat optimum: Atqui melius erat ut B. Virgo conciperetur immunis à peccato originali, quam illo inquinata. Ideò dicendum eſt legitimâ conſequentiâ, eam ab illo fuiſſe liberam. Deus Pater hoc ita voluit. Ergo & fecit. Si autem rationem iſtius ſcire vultis: Eam eruo è Philoſophiâ, quæ ait, quòd amare eſt velle bonum perſonæ amatæ: Atqui Deus plus dilexit B. Virginem, quam omnes ſimul creaturas, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob* n, ut exponit Lorinus o, citans Hugonem. Ergo voluit illi majus bonum: Atqui velle Dei eſt practicum: Ergo majus fecit ei bonum, plures communicavit illi gratias, quam Angelis, & quam Adæ, quem *creavit* p ſine maculâ & ſine peccato. Prætereà, Caro Mariæ debebat uniri hypoſtaticè Verbo divino, & caro Chriſti extracta eſt è carne Mariæ, *Una eſt Maria & Chriſti Caro*, ait Arnoldus Carnotenſis q. Ergo debuit eſſe illa tota pura, & immunis ab omni ſorde peccati. Ideò Chryſippus r eam ſic ſalutat poſt Angelum *Ave gratiâ plena, Dominus tecum* s. *Ave, inquit, ſuum eſt veriſſime audire iſtud, Gratiâ plena, quia tecum eſt univerſus lætitiæ theſaurus, ſolus lætitia & gratia Rex cum ancillâ* t *cum ſpecioſâ inter mulieres* *, *ſpecioſus formâ præ filijs hominum* t: *cum Puellâ impollutâ, is qui ſanctificat* u *omnia. Tecum eſt Conditor omnium* x, *tecum, utpote, ut ex te gignatur, tecum conceptione, ut ex patre ſuo generetur, tecum velut Deus, ut ex te ſit Deus & homo.* Apprime igitur locutus es Salomon y, cùm dixiſti, *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Natura humana duos agnoſcit fines, conceptionem, & mortem, & ubique Maria eſt immaculata, ubique eſt innocens & immunis a peccato; ubique triumphans de hoc tyranno inimico Dei, & deſtructore hominum, in Conceptione ſuâ, ut jam audiviſtis. In vitâ ſuâ, ut colligi poteſt ex ijs quæ dicit Lorinus loco ubi ſuprà poſt Hugonem, ubi ait, *Tabernacula dicuntur quoque corpora* z, *& ſuper omnia Virginum aliarum corpora, quæ luctata ſunt, ſicut Iacob* a, *contra carnem: dilexit Deus Mariæ portas, id eſt, optimè ſanctiſſimeque cuſtoditos ſenſus & corpus, in quo nulla fuit lucta & pugna, ſed extinctus fomes, ut ratiocinatur Hugo.* Qui fomes eſt effectus peccati originalis. Et in morte ſuâ, cùm fuerit mortua præ amore, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* b.

l Calamat. tom. 2. Sabbath. Dominic. 1. Quadrageſ. citis Petr. Damian. ſer. de Aſſump. in Matth. 8. 25.

m Matth. 1. 25.

n Pſ. 86. 2.

o Lorin. in Pſ. 86. 2.

p Gen. 1. 27.

q Arnol. Tract. de Laudib. Deip.

r Chryſipp. ſer. de Laud. Deip.

s Luc. 1. 28.

t ex Cant. 6. 17.

t Pſ. 44. 3.

u ex Pſ. 45. 5.

x ex Eſth. 13. 10. &c.

y Prov. 31. 10.

z ex 2. Petr. 1. 14.

a ex Gen. 32. 24.

b Cant. 8. 6.

Prima illius actio eſt ipſius glorioſiſſima victoria, primum prælium ejus eſt deſtructio ſuperbiſſimi hoſtium omnium, *Ipſa conteret caput tuum.* Perpendite autem, ſi placet, hæc verba ſingula, quæ mirifico extollunt modo victoriam incomparabilis hujus creaturæ de Principe inferni. *Ipſa*, non Vir aliquis bellicis expeditionibus, aut tractandis armis idoneus, aliquis generoſus Prælia-

tor,

ctor, ſed Puella infirma, quæ modo concipitur, quæ vix exiſtentiam actualem ſortitur. Sed quid agit *ipſa?* Conterit; non ſolùm percutit, aut vulnerat; ſed conterit. Quod enim eſt percuſſum, aut vulneratum, ſanari poteſt; ſed quod contritum eſt, inſanabile eſt. Sed quid conterit *ipſa* huic ſerpenti infernali? Non caudam, quia caudâ contritâ non periret propterea ſerpens, ſed *caput*, cui contrito nullum eſt remedium conſonum applicandum: *Ipſa conteret caput tuum.* At quis eſt iſte qui ita dirè & præ tanto rigore excipitur? Sanè non minimus dæmonum inferni, ſed caput & dux factionis rebellis *Lucifer qui in corde* ſuo dicebat, *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* c. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui mulierem* d primam Evam ſeduxerat, & triumphaverat de ejus infirmitate in paradiſo terreſtri; hodiernâ die verò vincitur & deſtruitur in mundo ab hâc incomparabili Puellâ ipſo Immaculatæ Conceptionis ipſius momento. Videamus quomodo hæc victoria ſit nobis proficua, & utilitates quæ ex eâ nobis proveniunt, cùm B. Virgo ſuam non inſumat potentiam niſi in gratiam noſtri.

c Iſai. 14. 12. &c.
d Gen. 3. 1. &c.

II. Pars.

Licet figura cœlorum ad inſaniam aliquos tulerit Concinnatores horoſcoporum ſeu nativitatum, non poteſt tamen ignorari, quòd Maria concepta hodiernâ die ſub conſtellatione ſagittarij, non retineat qualitatem ſagittæ, cui proprium eſt ut propoſitum conſequatur ſcopum, & quem intuetur ille qui eam ejaculatur. B. Virgo innocens & tota a peccato immunis, orationes fundit pro naturâ humanâ inimicâ Dei propter ſcelera ſua, petit ipſa reconciliationem ejus cum eodem Deo, & preces ipſius chariores ſunt eidem Deo, & majoris momenti ſine ullâ comparatione ſupplicationibus cujuſdam Duciſſæ Valentiæ, quam valdè amabat Franciſcus Galliæ noſtræ Rex, quod illam induxit ut ſumeret pro ſymbolo ſagittam præ ſpecioſâ hâc inſcriptione & titulo pompatico, *Conſequitur quodcunque petit,* Quaſi dixiſſet, ſe nunquam fuiſſe fraudatam à petitionibus ſuis, ſed ſemper exauditam quoad illa omnia, quæ ſupplex expoſtulaſſet; & quòd impetrare nihil majori ipſi conſtitiſſet, quàm efflagitaſſe. Quòd res iſta ſe ſic habuerit, eſto. Laudibus eveho induſtriam iſtius illuſtriſſimæ Dominæ ad conciliandos ſibi ſic affectus illius potentiſſimi Monarchæ, & ad comparandam ſibi tantam apud illum authoritatem, ut ab eo obtineret quidquid expoſceret; tandem quidquid illa petere poterat, non erat maximi momenti: Sed B. Virgo generoſior in conſilijs ſuis, quæ nobis ſunt etiam utiliora, non poſtulat res exiles circumſcriptas temporis limitibus, ſed vitam petit, & vitam æternam pro naturâ humanâ reâ mortis, & mortis æternæ; felicitates poſtulat quæ nullis alijs niſi æternitatis concludi debent veluti terminis, & quod nobis eſt maximè proficuum impetrat, *Conſequitur quodcunque petit.* Reconciliat nos ipſa Deo, fulmina ejus continet, & precibus ſuis avertens à nobis indignationem ejus, impetrat nobis benedictionem ejus, & abundantiam gratiarum illius & chariſmatum uberrimam. Ideò S. Baſilius Seleucienſis e eam ſic ſalutat, *Ave gratiâ plena* f; *Ave, quæ inter Deum & homines mediatrix intercedens, efficis ut interjectus inimicitiæ paries* g *tandem aliquando evertatur, terrenaq; cæleſtibus conjungantur.* Hujus enim interventu non ſolùm maledictionem Evæ Parentis noſtræ, ne dicam peremptricis, abſtulit Deus, quin imò benedictionem ſuam nobis dilargitus eſt univerſis. Quid glorioſius eſſe poteſt Mariæ? ſed etiam quid utilius nobis eſſe poteſt?

e S. Baſil. Seleuc. Conc. de Verbi Incarnat.
f Luc. 1 28.
g ex Epheſ. 2 14. &c.

Blandiantur ſibi quantùmcumque voluerint Hebræi ſummis evehentes encomijs merita & potentiam ſuæ Eſther, eò quòd è mortis faucibus eruerit omnes Judæos ſibi ſeculo ſuppares h, eiſque vitam impetraverit jam damnatis ad interitum imminentem, cùm ſupplex proſtrata ante Aſſuerum, præ ſe ferens induſtriam tantâ Reginâ dignam, lacrymis perfuſa, protulit ei ſermones iſtos, qui veri erant interpretes cordis ipſius afflicti, *Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro quâ rogo, & populum meum, pro quo deprecor. Traditi enim ſumus ego & populus meus ut conteramur, jugulemur, & pereamus* i. Tranſeat, quòd omnis natio Judæa interventu talis mediatricis liberata fuerit à morte. Inde magna accidit huic Reginæ gloria, & orta eſt toti nationi Judææ obligatio, quâ univerſi Judæi ſeſe illi devinctos in æternum profiteri debent. Sed denique à morte ſunt eruti duntaxat temporaneâ; vitam debebant amittere, quam communem habemus cum formicis & cum vermiculis: At medijs Mariæ meritis, precibus, & interceſſionibus plurimi liberati ſunt à Satanæ tyrannide, cui voluntariè ſe ſubmiſerant, & auxilio ejus adjuti, effecti ſunt *cives Sanctorum, & domeſtici Dei* k. Non te latet iſtud, Theophile. Loquere ad ſtabiliendam meliùs hanc veritatem in gratiam B. Mariæ. De te prorſus erat conclamatum; furijs te devoveras omnibus infernalibus, chirographum deditionis tuæ manu tuâ & proprio ſanguine ſubſignatum penes ſe habebat diabolus: Maria orat pro te, quem tui pœnitet criminis, ipſa impetrat tibi veniam ſceleris tui, quod *ignis* qui *non extinguetur* l, erat puniturus, ſed non purgaturus. S. Bernardus m contemplatus actionem & bonitatem incomparabilis iſtius Virginis, exclamat, *Famoſum hujus tuæ benignitatis teſtimonium eſt per te Theophilus reſtauratus gratiæ.* S. iſte Abbas vocat exemplum Theophili *famoſum.* Quia iſtud fuit effectus maximæ potentiæ, eripiendi ex unguibus Satanæ eum, qui ultrò ſe illi addixerat. Diabolus non poteſt reſiſtere potentiæ Mariæ, præſentia ejus illum fugat, & ad ignominioſum compellit eum diſceſſum. Ideò vocatur ipſa in Conceptione ſuâ *Quaſi aurora conſurgens* n. Vix enim incipit ipſa apparere, cùm ſtatim diabolus, qui *eſt Poteſtas tenebrarum* o, ſuum meditatur receſſum, ſicut agere ſolent feræ ad ortum auroræ materialis. *Sicut aurora valde rutilans in mundo progreſſa es ô Maria, quando veri Solis ſplendorem tantæ ſanctitatis jubare præcurriſti, ut verè diem ſalutis dixerim, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus* p, *quem tua charitati initiari dignum fuit. Felix aurora felicis diei extitiſti nuncia. Talis dies talem auroram diei decuit: & rectè quidem auroræ impleſti officium. Ipſe enim Sol juſtitiæ* q *de te proceſſurus, ortum ſuum quâdam matutinâ irradiatione præveniens, in te lucis ſuæ radios copioſè transfudit, quibus Poteſtates tenebrarum, quas Eva produxerat* r, *in fugam convertiſti: atque ita deſideratum cunctis gentibus* † *Solem mundo invexiſti*, ait ei idem S. Bernardus s. In hoc ſenſu victoria Mariæ nobis eſt proficua, cùm ipſa dæmones fuget, ab illorum conſilijs declinet, & illorum conatus omnes efficiat irritos, reddens nos generoſos & magnanimos

h Heſt. 8 5. &c.
i Eſth. 7 3. &c.
k Epheſ. 2. 19
l Iſai. 66 24.
m S. Bernard. ſer. in Deprecat. ad Mariam.
n Cant. 6 9.
o Luc. 22 53.
p ex Pſ. 117. 24.
q ex Malach 4 2
r ex Rô. 5. 12
† ex Agguo 2. 8.
s S. Bern. ſerm. de deprecat. ad Mariam.

mos ad triumphandum glorioſè de illis. Sed tandem felicem certaminum noſtrorum ſucceſſum attribuere debemus S. iſti puellæ, & dici poteſt nobis, ſicut dicebat alias Debora Duci Hebræorum Barac, *Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara* t. Devincti nos ſumus Mariæ, cùm auxilio ejus fulti potentiſſimo, victores ſimus de dæmone, & de omnibus illius conatibus. Quam benefica eſt, potens, & amans in ſuis ſubſidijs! *Ipſa conteret caput tuum.*

t Judic. 4. 9.

In mundo inveniuntur multi qui adjuvent, ſed non efficaciter; ſeu quia auxiliari non poſſunt; aut quoniam adeſſe appoſitè non noverunt; vel eò quòd ſcientes & valentes opem & ſuppetias ferre, hujuſmodi ſubſidium charitativum indigentibus nolint impendere. Sed B. Virgo habet poſſe, velle, & ſcire. Habet penes ſe potentiam auxiliandi, quia ipſa eſt Mater illius, qui eſt *Potentia* u. Præ ſe fert voluntatem adjuvandi, quoniam ipſa eſt Parens ejus, qui eſt *Miſericordia* x. In ipſa eſt induſtria & ſcientia ferendi ſubſidij, eò quòd ipſa eſt Genitrix Filij Dei, qui eſt *Sapientia* y Patris ſui. Idcircò ipſa dicit de ſe, *Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei* z. Tandem præ ſe fert potentiam ut ipſa terror ſit dæmonum, *Mater timoris*. Sic ingentem ſapientiam ut ſe Ducem præbeat aberrantibus ut *Mater agnitionis*. Et ita immodicam charitatem ut ſit ſpes & dilectio deſperantibus, *Mater pulchra dilectionis, & ſanctæ ſpei*. Quanta eſt illius potentia! Quanti ſunt favores ejus erga nos, cum notitias noſtras excedant æque ac merita!

u Pſ. 64. 7
x Pſ. 22. 6
y Sap. 7. 24.
z Eccli. 24. 24.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno a. Ipſa propitia nobis erit, & in omnibus occurſibus efficiet ut ipſius ſuccursûs effectus experiamur. Triumphantes de inimico, quem ipſa jam devicit, vivamus ſine peccato actuali, ſicut ipſa concepta fuit abſque peccato originali. Efficiamus ut omnes conceptus noſtri ſint puri, ſancti, & innocentes, ut ipſa videns in nobis characteres puritatis ſuæ, & ſuarum imitationes virtutum, inducatur ad impendenda nobis majora ſubſidia. Omnia poteſt ipſa in gratiam noſtri erga Deum, qui ſuas nobis non vult communicare gratias niſi per eam, quæ eſt canalis, per quem tranſire illæ debent; & quidquid habemus boni, hæc *Mater pulchræ dilectionis* ſuis precibus & interceſſionibus nobis impetrat. Sic eſt, Auditores, ſi veſtros diſtrahatis affectus ab hâc Babylone mundanâ b; ſi deſeratis illud mare ſeculi tempeſtatibus agitatum c, ut Deo ſerviatis juxta profeſſionem veſtram, hæc Domina Illuminata ducit vos ad portum ſalutis, cujus eſt Mediatrix. Sic èſt, nec ullus ambigere debet, non eſſe medium convenientius redigendis hominibus ad pietatem, quæ hodie veluti extremum agit agonem, & ſtabiliendæ fidei, quæ è noſtris evaneſcit oculis, devotione erga B. Virginem. Cùm totus perierat mundus, miſit eam Deus ſuper terram, & per eam præbuit nobis Jeſum Chriſtum, per quem *gratia facta eſt* d. Nunc autem cùm idem mundus ad ſuam veloci greſſu properat ruinam, nihil æquè poteſt nos confirmare ac ſi devotio erga hanc digniſſimam Dei Genitricem refloreat in Eccleſia, & ſi Deus interventu ejus nobis ſit propitius, & corda noſtra reaccendat.

a Hebr. 4. 16.
b Jer. 51. 6.
c Math. 8. 24.
d Jo. 1. 17

Alias Dei *iratus eſt furor in amicos* Job, & dixit illis, *Job ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia. Et fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis ſuis* e. Et Deus qui eorum preces audire noluerat, exoratus a Job, ſtatim condonavit ipſis peccata ipſorum omnia. Eximium eſt ſtratagema amoris Dei, recuſare ſæpe id quod ab ipſo petitur immediatè, & ſtatim illud idem concedere, cùm exoratur ab aliquo ex amicis ſuis, præcipuè vero à B. Genitrice ſuâ, quam SS. Patres vocant omnipotentem. Illud propter id agit, ut honoretur ipſe in perſonâ ſuâ, & in digniſſimâ Matre ſuâ, cui ſuorum commiſit clavem theſaurorum, *Sancta enim puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis planè arcanus*, ait S. Epiphanius f. Devotio iſta eſt modus facillimus & ſecuriſſimus; certum quippe eſt, quòd quicunque devotioni vacabit erga B. Virginem, nunquam damnationem incurret æternam; illa enim impetrabit ei perfectam Confeſſionem, aut integram contritionem de peccatis ſuis, & quidquid ei neceſſarium erit ad operandam ſalutem. *Beatus homo qui audit me. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino* g. Quid ſibi volunt hæc verba, quæ Eccleſia attribuit B. Mariæ, ſicut & ſequentia? niſi ſalvari, & catalogo Sanctorum inſcribi. *In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* h. Ipſa enim peraget, & opponet ſe inimicis noſtris in gratiam noſtri, nec aliquid erit quod ipſa non inſumat ut veniam nobis a Deo impetret peccatorum omnium noſtrorum; nam Filius illius miſericordiam ſemper impertietur illis, pro quibus à Matre ſuâ fuerit exoratus. Ideò dicamus ei cum S. Anſelmo i, *O beata fiducia, ô tutum refugium, Mater Dei, & mater noſtra*. Beatiſſima Virgo, conſideramus te poſt Deum ut totum aſylum noſtrum; in te collocamus omnem ſpem noſtram; tu es refrigerium ardorum noſtrorum; ros qui ſiccitatem cordium noſtrorum humectabis; locus noſtri refugij in exilio noſtro; arx noſtra in prælijs noſtris; portus noſter in tempeſtatibus, quibus impetimur; fortitudo noſtra, & armamentarium, è quo deſumemus arma, quibus triumphemus de hoſte, quem jam devieiſti. Denique tu es centrum, in quo noſtram inveniemus quietem & pacem k. Continua favores tuos erga nos, & continuabimus exhibere tibi reverentias noſtras, ut interventu tuo mereri poſſimus Filij tui gratiam, & tandem gloriam.

e Job 42. 7. &c.
f S. Epiph. loco ubi ſupra.
g Prov. 8. 34. & 35.
h Eccli. 24. 25. & 31.
i S. Anſel. citat. à S. Bon. in Speculo B. M. V. Lect. 5
k Pſ. 75. 3

DOMI-

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Joan. 1. 10. &c.

Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Gen. 22. 13. &c.

GAudium, voluptas, & riſus qui eſt lætitia exterior oris, oculorum, & totius faciei; ſicut gaudium eſt riſus interior cordis, ad hominem pertinent excellenter præ omnibus creaturis. Hæc paſſio quæ emanat è parte hominis concupiſcibili, ſic eſt illi naturalis, ut ſine illâ ipſe non eſſet homo. Ipſa eſt accidens inſeparabile, & qualitas incommunicabilis quæ illi eſt propria quarto modo, omni, ſoli, & ſemper. Et licèt inter homines tam Ethnicos, quàm Dei amicos obſervati fuerint aliqui qui nunquam riſerint, aut gaudere viſi fuerint, præſertim verò Chriſtus qui nunquam riſit, ut aſſerunt Sancti Patres *a*, ſed perſæpè *lacrymatus eſt* b à præſepio uſque ad crucem *c*; dico quòd ii eximij iſti viri hanc gaudij mortificaverant paſſionem, illam non penitus extinxerant, ſed eam ſopiverant; & quòd alij egerunt iſtud præ vanitate, alij præ virtute, alij ut ſingulares evaderent in mundo, alij ut poſteritati exemplares ſe exhiberent, & fortaſſe alij affectu tetro & melancholico ducti.

a S. Chryſoſt. hō. 15. in epiſt. ad Hebr. S. Aug. ſerm. 83. in Append. de diverſ. feſto Aſſumpt. & S. Bern. ſerm. 4. de Advent.

Si verò multis circumdatur homo doloris & triſtitiæ objectis & ſubjectis, quæ contraria ſunt paſſioni gaudij, quæque conditionem hominis efficiunt infelicem, vitam ejus faſtidioſam, & domicilium quod in hac vitâ peragit, lacrymarum vallem; id tantùm evenit a communi tranſgreſſione Protoplaſtorum noſtrorum *d*, qui agnoſcentes ſe expuliſſe e mundo verum gaudium, & in eum introduxiſſe omne genus doloris & triſtitiæ, filio ſuo natu minori impoſuerunt nomen *Abel* e, quo ſignificatur luctus ſeu fletus. Antea enim cumulatus erat homo gaudio & oblectamento, & vitam agebat ſuavem, gratam, & pacificam; ad quam invitabant eum gratia Dei, quâ potiebatur; obedientia quam ſenſus & caro exhibebant ſpiritui; & delicioſum domicilium paradiſi terreſtris quem incolebant, cùm paradiſus idem ſit ac parans riſum.

b Jo. 11. 35. & ex Luc. 19. 41.
c Hebr. 5. 7.
d Gen. 3. 6.
e Gen. 4. 2.

Hæc paſſio gaudij cùm ſit omnibus naturalis hominibus, illi non ſolùm ſunt obnoxij homines æquo liberiores; ſed etiam ſpirituales & virtute præditi, qualis erat noſter Abraham, qui certus effectus ſe habiturum filium, qui non ſolùm eſſet futurus ſucceſſor hæreditatis, ſed etiam probitatis & virtutis ſuæ, *riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius* f? Sed hic riſus non proceſſit ex eo quòd ipſe diffideret promiſſo ſibi à Deo facto, cùm Moyſes *g* & S. Paulus *h* ejus fidem hoc in occurſu exhibitam laudibus evehant; ſed ortus eſt è gaudio interiori, ut ait Cornelius *i*. *Verba hæc ejus ſunt animi exultantis, gratulabundi, & ad tantum, tamque novum & inauditum beneficium obſtupeſcentis.* Eodem fuit affecta gaudio uxor ipſius Sara, cùm ſuum *peperit filium in ſenectute ſuâ Iſaac; dixitque, Riſum mihi fecit Deus: quicumque audierit, corridebit mihi* k. Vel, juxta verſionem Chaldaicam *l*, *Gaudium fecit mihi Deus: omnis qui audierit, congratulabitur mihi.* Idcirco vocavit Abraham nomen filij ſui quem genuit ei Sara, Iſaac, quo ſignificatur riſus, lætitia, gaudium, ſicut re verâ fuit Iſaac parentum ſuorum oblectamentum. Sed ecce alia nova gaudium iſtud minuentia. Oportet heu! etiam oportet ut filius iſte gaudij & lætitiæ, efficiatur filius triſtitiæ & doloris; ut Iſaac iſte quo innuitur riſus, efficiatur Abel quo ſignificatur luctus; ut iſte *Benjamin, id eſt, filius dextræ*, efficiatur *Bennoni, id eſt, filius doloris* m. Sacrificandus eſt iſte filius concupiſcentiæ ſuper altari obedientiæ; mortificanda eſt hæc paſſio gaudij & riſus, cùm Deus ſic præcipiat: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac*, &c. *Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit. Adſum. Dixitq́ ei. Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Ne autem ſacrificium remaneret imperfectum, & ut grati animi ſui exhiberet Deo teſtimonia Abraham pro ſuo filio ab immolatione liberato, idem *levavit Abraham oculos ſuos, viditq́ poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* S. Joannes Baptiſta interrogatus hodiernâ die à Sacerdotibus & Levitis Judæorum, *Tu quis es? Id eſt, qua, qualis perſona, cujus authoritatis & dignitatis?* ut interpretatur Dionyſius Carth. *n*, *Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Dixerunt ergo ei, Quis es? quid dicis de teipſo? Ego vox clamantis in deſerto.* Gratias agit Deo debitas, omnia quæ habet, ad Deum referens. Super quæ Hugo Cardinalis *o*: *Ideò bene dicit, Ego ſum vox Verbi clamantis in me manente in deſerto. Et quid clamantis? Dirigite viam Domini* p, *id eſt, parate vos ut Deus veniat ad vos*, ſicut ſe paravit Maria, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

f Gen. 17. 16. & 17.
g Gen. 15. 6.
h Rom. 4. 18. & 19.
i Cornel. in Gen. 17. 17.
k Gen. 21. 2. &c.
l apud Corn. in Gen. 21. 6.
m Gen. 35. 18.
n Dion. Carth. a. 5. in Jo. 1. 19.
o Hugo Card. in Jo. 1. 22. & 23.
p ex Iſai. 40. 3.
q Pſ. 34. 1. &c.

Neſcio equidem quidnam velit nobis innuere Propheta *q*, cùm amplam in medium enarrationē promit quorumdam inimicorum, qui ipſum ſunt perſecuti, & injurias recenſet ab illis ſibi irrogatas: à quorum denique ſe intuitus immunem perſecutionibus, humillimas Deo pro liberatione ſuâ gratias rependit, illiuſque memoriam ſe peracturum promittit perpetuam, ut totius recordetur vitæ ſuæ tempore beneficij ab eo ſibi collati, eumque laudibus extollat juxta menſuram donorum ab ipſo ſuſceptorum. *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adjutorium mihi. Confundantur & revereantur, quærentes animam meam. Avertantur retrorſum, & confundantur, cogitantes mihi mala. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.* Ecce ingentes, Auditores, imprecationes, quas ſuis advenire concupiſcit David inimicis. Oportet ſanè ut immodicâ excandeſcat ille irâ, cujus rationē ſatis obſcurè tradit, dicens, *Quoniam*

Digitized by Google

niam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui. Tenſos ſibi aſſerit Propheta laqueos; ſed non exprimit in quonam conſiſterent illi laquei, & quânam ipſum perſequerentur viâ inimici, niſi fortè falſis teſtimonijs, allegantes contra ipſum res, de quibus ipſe nunquam cogitaſſet: *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Induantur confuſione & reverentiâ, qui magna loquuntur ſuper me.* Et quia magnum iſtud beneficium, Deus meus, præteriri non poteſt quin pro eo tibi debitæ reddantur gratiarum actiones, & de eo gaudeant probatæ vitæ homines tecum, *Exultent & lætentur qui volunt juſtitiam meam: & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſervi ejus. Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, totâ die laudem tuam.*

In ſimiles erumpere poſſet S. Joannes Baptiſta imprecationes adversùs *Sacerdotes & Levitas* à Judæis miſſos *ut interrogarent eum, Tu quis es?* Super quæ Hugo Cardinalis ait, *Ideò ut deflecterent eum à teſtimonio Chriſti, miſerunt Sacerdotes & Levitas, qui blanditijs abſtraherent eum à teſtimonio Chriſti. Joannes verò non reſpondit quæſtioni eorum, ſed intentioni. Ipſi enim intendebant facere quòd diceret ſe eſſe Chriſtum: ſed ipſe apertè negavit ſe eſſe Chriſtum. Et hoc eſt quod ſequitur. Et confeſſus eſt publicè, & non negavit veritatem: Quia non ſum ego Chriſtus. Dixerunt ergo ei, illi nunc conſiderantes, quòd nihil magnum diceret de ſe: volentes autem omnibus modis ſcire, quid ſentiret de ſe, addiderunt adhuc, Quis es? Hanc quæſtionem jam fecerant: ſed dolus fecit reiterare: ut reſponſum demus his qui miſerunt nos. In hoc obumbrant dolum, quaſi dicerent, Non aliâ causâ quærimus niſi ut habeamus aliquid certum, quod de te poſſimus reſpondere. Nec tamen hoc habebant in corde: quod patet, quia ſtatim ut audierunt, quid dicebat de ſe, arguerunt eum quare baptizaret.* Id confirmat Dionyſius Carthuſianus ſuper hæc verba Evangelij hodierni ſequentia, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Id eſt, cur novum ritum præſumis inducere, ſi non es aliquis horum? Nullus enim ante Joannem auſus eſt baptizare. Unde Judæi videntes Joannem aliquid novi inducere, voluerunt ſcire, quâ authoritate hoc faceret; & nunc quia ſe dixit non eſſe Chriſtum, neque Eliam, neque Prophetam, incipiunt eum de præſumptione notare.* Sed *reſpondit eis Joannes dicens. Ego baptizo vos in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, perficiens quod ego inchoo,* ſubjungit Hugo Cardinalis. *Qui ante me factus eſt, id eſt, dignior & honorabilior,* ait idem Hugo. Non gaudet S. Joannes de omnibus eximijs his titulis Chriſti, Eliæ, aut Prophetæ, quibus ipſum inſignire videntur Judæi, neque de munijs baptizandi, ſed omnia iſta refert ad Chriſtum; præſertim verò iſtud baptizandi officium, pro quo ei gratias agit. Quod ſenſum ſine ſenſu induxit me ut oſtenderem vobis Primò, quòd quicumque ſpecialem ſuſcepit à Deo favorem, pro eo debitas tenetur ei rependere gratiarum & laudis actiones. Secundò, Quòd hæ gratiarum actiones, quæ illi exhibentur, ſunt veluti diſpoſitio quæ ad novos favores viam pandat ſuſcipiendos ab eo, qui à nullo ſe vinci homine, amoris intuitu permittit.

Diviſio.

I. Pars.

Si velimus agnoſcere quanti Deus æſtimet animam beneficiorum ab ipſo ſuſceptorum memorem, & ſibi pro iiſdem gratiarum vices rependentem, conſiderandum eſt duntaxat odium, quo ipſe ingratos perſequitur. Si autem ſcire velitis quid ſit ingratitudo, auſcultate Senecam r, & ipſe edocebit vos quòd *ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat. Ingratus eſt, qui diſſimulat. Ingratus eſt, qui non reddit. Ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Illi enim, ſi non ſolvunt, tamen debent: & extat apud illos veſtigium certe meritorum, intra malam conſcientiam concluſorum.* Quod ita eſt abominabile, ut ij qui ſunt inimici illorum, qui malum pro bono receperunt, & ingratitudinem pro beneficijs, non poſſint illud æquo perpeti animo.

r Senec. l. 3. de Benefic. c. 1.

Refertur de quodam Marcellino cive Romano, quòd cum inſignia a Pompeio ſuſcepiſſet beneficia, quippe qui fortunam ipſius erexiſſet, ad honores mundanos & ad celſiſſimas ipſum extuliſſet dignitates; tamen benefactori ſuo præ ingrati animi labe terga vertens, ab illius obſequio deficiens, contenderit ad Cæſarem Pompeio infenſiſſimum, & cum eo perpetua miſcentem prælia; & cùm ingratus iſte jugiter malè de Pompeio loqueretur, eumque inofficioſis ſuis contemneret ſermonibus, ratus eo ſe conciliaturum ſibi modo amicitiam Cæſaris, e cujus ſtabat ipſe tunc partibus; ſeverâ correptus eſt cenſurâ à Cæſare demonſtrante ipſi, ſe nihili æſtimaſſe eos, qui ſuſcepta beneficia nonniſi ingratitudinibus agnoſcerent, *Non te pudet Marcelline, ei maledicere, cujus beneficio, ex muto facundus factus es, ex famelico eò perductus ut vomitum tenere non poſſis?* Quid induxit, obſecro, Cæſarem ut ſe Procuratorem aut Advocatum in gratiam Pompeij exhiberet? Non amicitia ſanè mutua: ſed quia perpeti non poterat ingratitudinem illius, qui ſuſceptorum delere volebat memoriam beneficiorum.

Differentia quæ admittitur inter hoc vitium & alia, in eo ſita eſt, ut omnia alia conſcia ſint criminis, aut mali quod perpetrarint; ingratitudo verò non ſolùm ſuorum ſit conſcia malorum, ſed cautam etiam præſtare teneatur cauſam bonorum alienorum; id eſt, ut juxta menſuram numeri, aut qualitatis Boni quod aliquis ſuſcepit ab alio, obſtrictus illi ſit ille; & non ſolùm puniri debeat ſecundùm malum quod huic irrogaverit, ſed etiam juxta bonum, quod ab ipſo ſuſceperit, eò quòd illud aliquo reciproco non agnoverit beneficio. Atqui nemo eſt qui à Deo infinitis non fuerit cumulatus beneficijs. Cùm igitur ingratum ſe exhibet, infinito remanet criminis conſcius modo quoad hæc ſuſcepta ab ipſo beneficia. Quin imò videtur Deus non meminiſſe mali commiſſi, ſi agatur de bono quod non fuit agnitum. *Qui non cognoverunt me, viventes beneficia conſecuti: & qui faſtidierunt legem meam, cùm adhuc erant habentes libertatem, & cùm adhuc eſſet eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, ſed ſpreverunt: hos oportet poſt mortem in cruciamento cognoſcere s.* Videte quomodo nullam peragat Deus mentionem malorum particularium quæ perpetrarint homines, ſed tantùm dicat, quòd gehennæ atque torturæ applicabuntur, & examinabuntur poſt interitum circa bona quæ ab ipſo ſuſceperint: non quòd nequaquam puniantur in altero ſeculo pro utriſque; ſed ideò quia intuitu culparum, quarum ſe conſcios effecerint, non agnoſcentes tantum beneficiorum numerum, omne quod perpetrarint malum, nullo ferè apparebit modo.

s 4. Eſd. 9. 10. &c.

Inveniuntur utplurimùm plantæ aliquæ ex conditione ſuâ naturali amaræ & ſylveſtres, quæ in aliquo plantatæ horto, ibique ab aliquo cultæ & irrigatæ induſtrio hortulano, efficiuntur ſuaves

& ſa-

& ſapidæ : Sed alias è contrà eſt reperire, quæ eò rudiores & amariores evadunt, quò magis coluntur; & ex progenie ortę ſunt ſic pravâ, ut quantalibet ipſis ſolicitandis adhibeatur cura ac induſtria, in amaritudinem abeat tota hæc ſolicitudo. Sic homines deprehenduntur, qui irrigati gratiâ Spiritus ſancti, viſitati & culti beneficijs Dei, ſic efficiuntur ſuaves, ut illorum fructus Divinæ apponantur menſæ; & licèt aliàs præ ſe aliquam tulerint amaritudinem, tamen nunc, cùm Divinâ fuerint culti manu, boni effecti ſunt, & ſuavitate prædivites. Dantur è contrà alij qui irrigatione efficiuntur aſperiores, culturâ magis inſipidi, gratijs Dei ſteriliores, cœleſtibus beneficijs magis ſylveſtres, non valentes proponere ſibi vacare alicui operi bono, perutilemve aliquem fructum producere, quàvis Divinâ moveantur inſpiratione, quòvis divino juventur auxilio, & quantamlibet ipſorum ſuſcipiat Deus curam. *Generatio mala & adultera* t, Homines indigni qui plantentur unquam in paradiſo Dei, plantæ infertiles, eradicandæ, & in ignem infernalem projiciendæ; *arbores autumnales, infructuoſæ bis mortua* u. Sive loquatur Apoſtolus de priori morte cauſatâ per peccatum originale x, & de poſteriori quæ oritur è peccato actuali y perpetrato poſt Baptiſmum. Sive intelligat mortem fructuum in illis, qui nulli bonorum operum incumbunt exercitio. Vel interitum arboris ipſius in ijs, qui pravis ſuis conſuetudinibus, exercendis ſe prorſus inidoneos efficiunt operibus bonis amplius. Duplex eſt iſta mors. Quid autem velletis ex ijs agere arboribus, niſi fortaſſis eas ignibus devovere comburendas? Depravata eſt earum radix, truncus mortuus, fructus putrefacti. Nihil eſt ampliùs agendum ad illarum incrementum, omnia quippe convertuntur in putredinem. Nonne verò omnino idem eſt quod improperabat Chriſtus dicentibus ſibi *Scribis & Phariſæis? Magiſter volumus à te ſignum videre. Generatio mala & adultera ſignum quærit : & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ* z. Progenies maledicta, tot ego jam patravi miracula, & vos uſque nunc tantâ colui curâ, ut illa ad mentem ſanam revocandis vobis debérent ſufficere; ſed genimen eſtis vos ſic pravum, ut nihil amplius induſtriæ colendis vobis ſim adhibiturus, omne quippe opus meum peſſumit; & vobis ſufficere debent ſigna & prodigia quæ uſque modò peregi, & cognitio quam habetis Scripturarum, præſertim verò hiſtoriæ Jonæ, quæ vobis eſſe debet lectionis & exempli loco.

t Matth. 12. 39.
u Judæ v. 12. & 13.
x Rom. 5 12.
y Ezech. 18. 4
z Matth. 12. 38. & 39. ex Jon. 2. 1

Cum Athenas Græcię Metropolim adveniſſent aliàs quidam Legati Regis Lacedæmoniorum, ut peterent a Themiſtocle Athenarum Rege, ut civitatem ne vel diſtricto gladio traderet, & ut Lacedæmonios ſicut ſuos agnoſceret Dominos, ni vellet ipſe cum toto ſuo regno, ferro & igne prorſus è medio tolli : & ut meliùs ſuas intelligendas proponerent petitiones, interpretem adhibuiſſent natione Græcum, & ex eàdem civitate Athenis oriundum, qui ſuam Athenienſibus meliùs exponeret legationem : reſponſum Themiſtoclis non aliud fuit niſi præcipiendo ut ignominioſâ periremetur morte interpres ille, qui ſuorum uſurpaverat idioma civium in gratiam hoſtium ſuorum, *Quoniam linguâ Græcâ ad nutū barbarorum uſus eſt.* Quaſi diceret obiter, quòd petitio ſic erat injuſta, & ita rectæ rationi diſſentanea, ut non ſolùm petitis non annuerent, quin imò nec ſinerent ut ille, qui ipſis petitionem propoſuerat, unâ deinceps remaneret ſuperſtes horâ. Quod autem præſertim intendebat ſapiens ille Rex, illud erat, quòd nimirum perfidus interpres ille merebatur mortem; cùm enim eſſet Græcus, & inter Græcos educatus, ad obſequium patriæ deſtinare debebat non tantùm actiones ſuas, imò etiam verba ſua; nec unquam ore ſuo proferre debebat propoſitionem injurioſam patriæ, à quâ tantis cumulatus fuerat ipſe beneficijs.

In talem non incurrit Propheta a condemnationem, ſeſe quippe exhibet valdè memorem beneficiorum, quibus à Deo ornatus fuit ipſius populus, non ſolum in genere, eò quòd ædificare ſit dignatus ei civitatem Sion, illumque in eâ aluerit, ſolicitamque velut ejus curam geſſerit, ſed etiam quia magis expreſſam pauperum & afflictorum veluti ſolicitudinem ſuſceperit : & deſiderat ut hæc omnia imprimantur memoriæ poſteritatis, & ut cor & lingua iſtius populi perpetuas Deo referant laudes, *Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera : & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Vt annuncient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Ieruſalem.*

a Pſ. 101 17. &c.

Sed quid? Dominus iſte foretne è numero illorum, quibus, verbis & diſcurſibus ſatisfit! Rectæ rationi erat conſonum ut populus ille, qui ei ſic obſtrictus erat, ei laudes concineret ad agnoſcenda beneficia ab eo ſuſcepta; & videntur mihi hæ laudes debuiſſe exhiberi aliquibus eximijs obſequijs, aut operibus inſignibus, quæ aliquam præ ſe tuliſſent cum ſuſceptis beneficijs convenientiam. Sed cum David ait, quòd id, quod Deus exigit, nihil eſt aliud niſi laus, *ut annuncient laudem*, & tantùm invocetur nomen ſuum, & ſua enarrentur beneficia; neſcio an mirari debeam ejus bonitatem, cui ita paucis ſatisfit; vel dicere eum flocci facere hos omnes favores, cùm oſtendat quòd ſibi ſatisfacient verba æqualiter. Nolite exiſtimare, Auditores, me ſine cauſâ demirari hunc procedendi modum, ventilatum enim fuit aliàs illud Græcorum proverbium, *Qui lucernâ indiget, oleum infundat.* Non ſufficit ignem exſufflare ut accendatur, ſed ſubminiſtrandum eſt illi lignum, aut oleum tanquam pabulum quod illum foveat : Non ſatis eſt ad conciliandam vobis amicorum veſtrorum familiaritatem, ut ſpecioſa eis proferatis verba, & diſertas promatis gratiarum actiones; ſed addenda ſunt opera, & obſequijs veſtris exhibendum eſt illis quanti faciatis vos ipſorum bona : alioquin ſi tantùm exſuffletis, & loquamini, nec aliquid ex veſtro addatis, ignis amoris illorum citò extinguetur. Et tamen video Deum à populo ſuo ad agnoſcenda beneficia ſua niſi laudes & gratiarum actiones exigere nihilum.

Verba nuncupat mundus folia, ad conſtituendam differentiam operum, quæ fructuum ordinem ſibi vendicant; quaſi dicat, quòd ſicut homines non paſcuntur folijs arborum, ſed fructibus; minùs etiam ali ſpecioſis debent verbis, ſed ſolis operibus. Teſtes ſunt hæ tres adoleſcentulæ virgines, quas commenti ſunt Græci ſub nomine Gratiarum, quę erant tres ſorores, quæ pingebantur ſemetipſas invicem aſpicientes, & ſibi mutuas dantes manus, & remanentes ſemper adoleſcentes & ejuſdem ætatis, quarum prima exercere incipiebat opera, quæ aliquam merebantur gratiarum actionem, ſecun-

ſecunda illa agnoſcebat medio obſequio quod illi exhibebat, tertia verò ſua dona & munera afferebat; & tres ſimul operibus primæ, & obſequio ſecundæ, & beneficijs tertiæ, remanent obſtrictæ, ſibique mutuas dant manus, ſeſe jugiter invicem intuentes, & mutuam ſine intermiſſione confitentes gratitudinem, cùm gratiarum actiones ſint diſpoſitiones ad concilianda ſibi nova ac nova beneficia.

II. Part. b Pſ. 115 4. & 5. Foretne fortaſſis illud, quod innuere volebat idem Propheta b, dicens, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Non ait, *pro omnibus quæ* tribuit *mihi*, ſed, *quæ retribuit mihi*: ut innueret ſe loqui de ſecundis beneficijs, quibus fuerat ipſe à Deo cumulatus propter obſequia, quæ ipſe illi exhibuerat, quaſi verò Deus & ipſe harum trium perſonas egiſſent Gratiarum. Inceperat Deus ipſi bonum facere; ſuis operibus bonis æquè ac obſequijs agnoverat Propheta beneficia ſibi à Deo collata, quaſi ſecundam agere voluiſſet perſonam; Deus autem, ut repræſentaret tertiam, propitiâ compenſatione nova illi præbuerat bona; quod efficiebat ut, cum non poſſet David aliquid ampliùs agere, quod huic æquipararetur ſecundo favori, qui erat tertia, in admirationem raptus peteret quonam modo huic ultimæ ſatisfacere poſſet obligationi, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Se autem illis imparem agnoſcendis deprehèdens beneficijs, ſibi proponit exercere ſe in exhibendis Deo ſuo laudibus. Sed ne decipiamini & imaginemini illum velle tantum loqui, ipſe ait quòd verba ſua ex intimis cordis ſui procedent penetralibus, poſtquàm horum favorum omnium inebriatum fuerit contemplatione ac dulcedine, *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Attamen ipſe ſemper fatetur ſe ſic Deo devinctum, ut, cùm operibus non poſſit incumbere, quæ ſuis erga Deum ſatisfacere poſſint obligationibus, à laudibus illius nunquam ſit deſtitus celebrandis. Qui beneficia recipit, libertatem ſanè vendit, idcircò mutuas benefactori rependere gratiarum vices, ad juſtitiam ſpectat; & ſic ei, à quo ſuſcepit beneficia, eſt alligatus, ejuſque obſequio ſe debet mancipare, non ex condecentiâ congruâ & voluntariâ, ſed ex juſtitiâ & præciſâ obligatione; quaſi vero beneficia ſuſcepta eſſent miniſtri Juſtitiæ, qui ipſum carceri mancipaverint, & ipſius libertatem alligaverint, quoadusque vices ſolverit æquivalentes. Id apprimè agnoſcebat Philippus Rex Macedonum, qui audito nuntio interitus unius ex amicis ſuis, cui erat nomen Hiparchus Euboicus, ſapienter reſpondit, *Sibi quidem tempeſtivè, ſed mihi propere. Mors enim illum anticipavit, priuſquàm à me beneficium acciperet noſtrâ dignum amicitiâ.*

Non eo inficias Pythagoram ſapientiſſimum fuiſſe Philoſophum, & omnia præcepta & documenta, quæ ſuis præbuit diſcipulis, habuiſſe aliquid elevati ac myſterioſi. Unum tamen tradidit inter cætera, ſcilicet ut ſtatim atque ollam ab igne removiſſent, omnes prunas & cineres remanentes pariter removerent, ita ut nullæ eorum relinquerentur notæ. Videtur iſtud nimis depreſſum ac mechanicum, ut illud uſurparet ita celeber Philoſophus veluti lectionem ſuos diſcipulos edocendam; ſed volebat ut inde diſcerent, quòd in materiâ contentionum, quæ inter ipſos oriri poſſent, etiamſi magni præceſſiſſent impetus & violentiæ paſſionis, & olla ebulliiſſet, nihilominùs ſtatim deberent ipſi ignem extinguere, & removere prunas & occaſiones iræ, ita ut nullæ illius ampliùs remanerent reliquiæ. Poſſet quidem dici, quod Pythagoras, ut refrigerandam ſtatuiſſet hanc ollam, vento exponendam eam debebat præcipere, aut in aliquo alio loco opportuno collocandam; ſed melius judicavit expedire extinguendum ignem, quaſi diceret, Non opus eſt ut aqua frigida projiciatur in cacabum, aut ut iſte exponatur vento, ut citò frigeſcat; ſufficit tantum ut removeatur ignis; aqua enim ex ſeipſa priſtinum recipiet frigus, modo non ſit aliquid quod ipſam denuò calefaciat. Auferte & reſecate ignes occaſionum, & contentionum, & credite quod corda veſtra ex ſeipſis in priſtinum ſuum reſtituentur affectum, qui ſitus eſt in mutuo ac reciproco amore rependendo. Prædictis ſubſcribo, Auditores, ſi eo ſenſu ea intelligat Pythagoras. Sed volo ut ſciatis hoc præceptum non eſſe admittendum quoad ea, quæ à Deo ſuſcepimus, beneficia: eorum namque nunquam eſt extinguenda memoria. Et ſicut ignis amoris ipſius inducit illum ut omnia in gratiam noſtri peragat, oportet ut iſte *ignis ſemper* ardeat, ut ſit *ignis iſte perpetuus, nunquam* c deficiens, ut aſpirationibus noſtris, & gratiarum actionibus hunc ignem exſufflemus; & melius adhuc eum accendemus; c Levit. 6 12. & 13 cùm gratiarum actiones pro ſuſceptis beneficijs ſint diſpoſitiones ad nova ſuſcipienda bona; certumque ſit, donum, aut favorem, quo cumulatur aliquis, eſſe gravidum alijs donis & favoribus novis. Favor ille dat tempore præſenti, & aliquid promittit quoad futurum, & ſola gratiarum actio novum parturire poteſt beneficium; quod melius efficitur, & eſt tunc verè beneficium, cum impenditur illis qui ipſum agnoſcunt, tunc enim ſecum nova ducit beneficia, ſed præ hâc ſemper differentiâ, quòd homines deſiderant ſibi gratiarum actionem retribui ab eo, quem aliquo devinxerunt ſibi favore, & præterea æquivalens rei alicujus, quæ loco ſit mercedis; Deo verò ſatisfaciat ſola mentio beneficij ab ipſo hominibus collati præ uno *Deo gratias*, quod nihil eſt aliud niſi exigua gratiarum actio. Si centum nummos vobis commodaverit aliquis, ſtatim ſchedulam illi porrigitis, in quâ confitemini vos illi devinctos ratione centum nummorum; & quandiu penes ſe habet ille veſtram ſchedulam, tandiu poteſt ille vos in judicium trahere; veſtram duntaxat vobis exhibebit ſchedulam, & ſtatim ac illam agnoveritis, ſuos recuperare volet centum nummos. Deus autem non exigit tantum à nobis, ſed ipſi ſit ſatis ut ſemper agnoſcamus nos ipſi eſſe devinctos; ſua non intendit à nobis recuperare beneficia, ſed delectari & gaudere quodammodo vult in eo, ut ipſi ſimus jugiter obſtricti, & nihili facit ea quæ poſſemus ipſi præter actiones gratiarum rependere.

Nonne id quotidianâ comprobatis experientiâ, cùm peractâ comeſtione hanc ordinariam liberos veſtros edocetis gratiarum actionem? *Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro univerſis beneficijs tuis.* Vos dicitis vos agere, vos dare, aut reddere; & tamen non ſunt hæc omnia, niſi verba. Nonne diceretis melius? *Dicimus tibi gratias.* Nequaquam. Deo enim loquimini, & ſicut ipſi ſit ſatis ſolo verbo, modò procedat illud è corde, nedum recipiat ipſe aliquid à nobis; dicite audacter, vos illi dare, hæ enim laudes magni & ſpecioſi ſibi vendicant locum muneris. Dixi, modò proveniant

niant illæ laudes è corde: ſi enim ſolùm duntaxat audiatur verbum, Deus illud nihili æſtimat; ſed ſi cor operatur, ſimplex verbum ſine aliquâ actione eſt meritorium. Imò aliqui inveniri poterunt, qui per modum actionis gratiarum, opera exercebunt ſpecioſiſſima, magnas erogabunt eleemoſynas, reparanda ſatagent ſacra templa, & peregrinationes peragent; qui in omnibus his non merebuntur tantum, quantum merebitur ille, qui pro magnis beneficijs ſibi à Deo impenſis, dicet ſolummodò, *Deo gratias*. Quia illi fortaſſis ijs incumbent ſpecioſis operibus, allecti vanitate, aut importunitate, aut intuitu humano, nedum præ ſe ferant cordis devotionem: cùm ille forſan bonâ refertus erit voluntate, quâ velit pluſquàm omnia illa peragere, ſi poſſet; & ſicut Deus magis exigit cor, quam apparentias exteriores, ſic ipſi magis ſatisfaciet iſte, quàm ſatisfacere poſſent alij, *Sæpè & qui gratiam retulit, ingratus eſt: & qui non retulit, gratus*, ait Seneca *d*.

d Senec. l. 4. de Benefic. c. 21.

Quid autem innuere volebat nobis Propheta *e* cùm dicebat Deo, *Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar*. Memoratus ſum bonorum officiorum, quibus me cumulavit Divina tua bonitas; & intra me cogitavi omnes favores à te mihi erogatos, aut populo meo impenſos; & ſtatim addit, *Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Extendi brachia mea ad te præ eâdem aviditate, quâ terra nimiâ hians & dehiſcens ſiccitate, calidiſſimâ æſtatis tempeſtate aquam, aut pluviam requirit. Eſtne modus ſperandorum à Deo novorum favorum, ac meditari & cogitare intra ſe ſolùm eos, qui ab ipſo fuerunt ſuſcepti? Nunquid non melius viſus fuiſſet ſanctus iſte Propheta, qui erat Rex prædives, peregulſe, ſi manum crumenæ admovene, liberalitates exercuiſſet regiâ dignas magnificentiâ, ut mutuam pro bonis ſibi, vel populo ſuo à Deo erogatis impenderet ei vicem? Ha! Nequaquam. Quaſi diceret magnus iſte Monarcha: Poſſum equidem aliquid agere, & mihi foret in votis illud ad exitum perducere. Sed eorum quæ facere poſſem, nihil tam meum eſt ac mea cogitatio, & affectus cordis mei. Sacrificia ſunt aliquid extra me, ſicut & eleemoſynæ; & illi qui nummos excuderunt, & hi qui tauros aluerunt, horum bonorum ſibi vendicarent partem operum; ſed cogitatio ſeu meditatio mea, tota mihi eſt; & quia magna conſideravi bona a Deo mihi erogata, ſciens tales illi placere cogitationes, fiducialiter aperui denuò manus meas, & novos ab eo efflagitavi favores.

e Pſ. 142. 5. & 6.

Modus procedendi à Propheta obſervatus, eſt rationi conſonus: Memini enim quòd dum populus Iſraël certamen eſſet initurus cum Amalec, *Moyſes dixit ad Ioſue, Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea f*. Ubi Lyranus *g* ait, quòd hæc virga *non ſolùm erat inſtrumentum divinæ Iuſtitiæ in malis pœna inferenda h: ſed etiam Miſericordiæ in bonis conferendis*. Joſue dicere poterat

f Exod. 17. 9.
g Lyran. in Exod. 17. 9.
h ex Exod. 7. 20. &c.

Moyſi: Expedit ut caſtris interſis, nec decet ut perambulatum pergas, virgam præ manu ferens, cùm in caſtris ſtringendus eſt gladius, aut arripienda lancea. Sed vidit quòd Moyſes magis operaretur virgâ, quam alius enſe & lanceâ; enumeraturus enim erat Deo omnia mirabilia, quæ mediâ illâ virgâ in ſui gratiam fuerat ipſe operatus populi, ſperans quòd iſta narratio unita actioni gratiarum & laudum, victoriam populo cum hoſtibus certamen inituro, illico conciliaret.

Sed video, Auditores, me fortaſſe vobis inſpiraſſe deſiderium recipiendorum a Deo multorum beneficiorum, cùm ea vobis ſic receptu facilia exhibui, & dixi ſufficere, ut illi gratiarum actiones rependantur pro primis, ut vobis erogentur ſecunda ab eo: ſed non dixi vobis, quomodo ſuſcipienda ſint ab eo infortunia & infelicitates, quæ nobis plerùmque accidunt. Si enim pro bonis quæ ſuſcipimus, Deum laudibus debemus evehere, eique grates rependere reciprocas; pro malis quibus impetimur, debemuſne maledicere Deum, qui ea permittit nobis evenire, & illum idcircò faſtidire? Nequaquam. Non enim intelligeretis opera Dei ut decet. Omne id quod nuncupamus infelicitatem, non eſt infortunium. Solum peccatum ſibi infortunij vendicare poteſt nomen, cùm cætera omnia è manu Divinæ oriantur providentiæ, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit i*? Pro certo autem tenere debemus, quòd illud omne, quod accidit nobis in hoc mundo è manu Dei, non poteſt niſi in noſtrum vergere emolumentum: ſi in noſtram tendat utilitatem, illud profectò eſt bonum quo nos afficit Deus: omnia enim ad ſalutem noſtram referri poſſunt operandam, *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum k*. Quæ verba ſic exponit Dionyſius Carthuſianus *l*, *Quoniam diligentibus Deum charitate infuſâ & ſupernaturali ac perſeveranti, omnia tam bona quàm mala, proſpera & adverſa, cooperantur finaliter in bonum felicitatis æternæ, quia per hæc aliquo modo proficiſcuntur ad Dominum. Bona enim, id eſt, opera virtuoſa cooperantur eis in bonum directè, mala verò indirectè. Nam ubi abundavit iniquitas, abundavit & gratia m*. Cogitatiſne quòd Juſti Deum nunquam laudibus evehant, quàm cùm ab eodem Deo acceperunt aliquid, quod mundus maximi æſtimat? qualia ſunt honores, divitiæ, voluptates, pulchritudo, ſanitas, &c. Nequaquam. Ipſi ulterius progrediuntur, & Deo innumeras rependunt gratiarum actiones pro infortunijs, infelicitatibus, & malis pœnæ, quibus impetuntur, intentâ & unanimi voce conclamantes, ſinguli præ grati animi ſui exhibitione, *Laudabit uſque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium n*. Vel, ut vertit Eccleſia, *De manu anguſtiæ Domine Deus noſter*. Uniamus nos voci illorum noſtras gratiarum actiones, & ſuam dabit nobis Deus gratiam, & impertietur denique gloriam.

i Amos 3. 6.
k Rom. 8. 28.
l Dion. Carth. a. 12 in Rom. 8. 28.
m ex Rô. 5. 20.
n Eccli. 51. 8. & 12.

FERIA

FERIA II. DOMINICÆ III. ADVENTVS.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Gen. 22. 2. &c.

a Prov. 14. 16.

APprimè effatus eſt Salomon a, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Lætitia & dolor individuam ſecum ineunt ſocietatem, & gaudium triſtitiam & luctum ſine intermiſſione invehit. Idcircò dicebat Sponſa, *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis* b. Et Seneca c, *Adeò non ſunt gaudia, ut ſæpe initia futuræ triſtitiæ ſint.* Super quæ S. Chryſoſtomus d miro loquitur modo, *Miſericors Deus mœſtis rebus quædam jucunda permiſcuit, quod certò in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de adverſis, tum de proſperis Iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexuit.* Et deinde deſcendens ad individuum, veritatis hujus moralis exemplum proponit S. *Ioſeph virum Mariæ* Deiparæ.

b Cant. 5. 1.
c Senec. Epiſt. 59.
d S. Chryſoſt. homil. 8. in Matth.
d Matth. 1. 16.

Memenrore nativitatem S. Joannis Baptiſtæ multos homines perfudiſſe lætitiâ. Sic prædixerat Patri illius Zachariæ *Angelus, Erit gaudium tibi, & multi in nativitate ejus gaudebunt* f. Et ecce martyrium ejus aut mors dolore & triſtitiâ omnem afficit Judæam, imò verò impijſſimos. Herodes, qui caput illi præcepit amputandum (licèt ſceleſtus) audiens peti a ſe à protervâ ſaltatrice in mercedem ſuæ ſaltationis *caput Ioannis Baptiſtæ, contriſtatus eſt.* Res inaudita! *Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & Primis Galilææ.* Cum ſuis gaudet amicis, eos oppiparè excipit ac regiè. Et ecce pro ſecundâ menſa triſtitia & dolor cor illius conſtringunt: & ille qui immodico fuerat perfuſus gaudio intuitu ſaltationis filiæ Herodiadis, duplici afficitur dolore ex petitione hujus puellæ, *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex* g.

f Luc. 1. 13. & 14.
g Marc. 6. 21. &c.

Sed hæc veritas meliùs videtur in perſonâ Abrahæ, qui gaviſus eſt, cùm ipſi Sara *peperit filium in ſenectute ſuâ, vocavitque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac* h, quo ſignificatur riſus, ſeu gaudium. Exultavit etiam, cùm *puer ablactatus eſt, fecitq; grande convivium in die ablactationis ejus.* Gaviſus eſt in educatione filij ſui, intuitus in eo ſanam mentem, judicium ſolidum, præſertim verò magnum ad virtutem & pietatem ſibi conciliandam affectum. Sed ecce dolor & triſtitia, quæ aliquantò pòſt illud ſequuntur gaudium. Præcipit illi Deus ut ſacrificatum pergat ſuum *filium ſuper* montem Moria diſtantem domo ipſius trium dierum itinere. *Quò hoc ſpectat? Vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcerpatur, ut hinc perurgente præcepto, hinc verò unici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via injungitur, etiam montis aſcenſio, ut in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei & amor carnis, præſentium gratia, & expectatio futurorum*, ait Origenes i.

h Gen. 21. 2. &c.
i Orig. hom. 8. in Gen. 22. 2.

Quænam mutatio inaudita! Iſaac, qui erat vera lætitia & riſus Patris ſui, & totius domûs ipſius, coram quo nihil erat quod non rideret & exultaret; efficitur dolor & triſtitia eorum omnium, quos ipſe gaudio perfuderat. Iſaac, qui erat veluti Sol oriens qui ſplendore ſuo faſtidiorum fugabat tenebras, & noctem diſſipabat triſtitiæ, occidit. Eripitur oculis paternis Iſaac, qui erat aſtrum benignum, quod aſpectu ſuo ſerenitatem inducebat ac tranquillitatem. Iſaac, qui erat flos vernus qui jucundis ſuis domeſticos lætificabat odoribus, & extraneos exhilarabat, areſcit: Iſaac, qui erat politum ſpeculum, in quo ſuam pater contemplabatur imaginem, & alij innumeras intuebantur perfectiones, obſcuratur. Deus ſua complicat brachia, ut fecit aliàs Jacob k, & ſors Ephraim cadit ſuper Manaſſen. Ecce quomodo gaudium & lætitiam ſequantur dolor & triſtitia. Juſtos pariter impetunt afflictiones. Ut eas æquo patiamur animo, imploremus auxilium Mariæ Deiparæ, & dicamus ei, *Ave Maria.*

k Gen. 48. 13. & 14.

Sic eſt proficuum æquò ac delicioſum Dei conſortium, & ſuavitas ac utilitates, quæ ex illo hauriuntur, ſic ſunt independentes ab omnibus tempeſtatibus, conditionibus, & circumſtantijs hujus mundi, ut ij qui illud ſemel ſunt experti, omnia reputent indifferentia, & ipſis idem videatur, ſanitate gaudere aut morbo affici, divites eſſe aut pauperes, proſperâ uti fortunâ aut miſeriâ opprimi, libertate potiri aut in ſervitutem redigi, vitâ frui vel morte à vivis abſumi. Sicut enim Deus ubique eſt, cùm ſit *immenſus* l, *cœlum & terram* m hâc ſua implens immenſitate, illum non poſſunt carceris muri concludere, nec eum diſtantia exilij elongare. Sicut totus *Spiritus eſt Deus* n, *idem ipſe* o ſemper immutabilis, dicens, *Ego Dominus, & non mutor* p; morbi fœtor eum à nobis non removet, *Non accedet ad te malum* q. Sicut eſt *idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* r, paupertas hominis non efficit ut ab illo recedat ipſe. Sicut ipſe eſt *Qui eſt* s, *omnipotens, Dominus omnium* t, omnis mundana non poteſt eum obſcurare miſeria. Et ſicut ipſe *Vita* u eſt in ſuâ æternitate, nullum ei timorem incutit interitus. Tandem, ſicut ipſe infinitè *perfectus eſt* x, & infinito præcellit modo univerſas creaturarum perfectiones; quidquid boni in mundo illi additum, non poteſt eum perfectiorem nec jucundiorem efficere; & omnes defectus & infortunia in eum coacervata (ſi fieri poſſet iſtud) non poſſunt eum minùs amabilem reddere, nec magis egenum (ſi egeſtas in Deo ex ſuppoſitione admitteretur.) Hinc fit ut Martyribus indifferens fuerit mors æquè ac vita, ſciendo apprimè quòd in morte ſicut & in vitâ eum reperirent *qui ſolus habet immortalitatem* y. S. Ignatius z leonibus & feris expoſitus, ſperat ſe inventurum in ventre beſtiarum, & in ipſis infernis ſupplicijs præſentiam Dei ſui, *Ignes, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò ut Ieſum nanciſcar.* Tempeſtate agitatus Jonas, & ſic monitus iræ Dei adverſus ſe accenſæ ob inobedientiam ſuam, nautis dixit, *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos* a; ſperans ſe in profundis maris abyſſis inventurum Deum ſuum placatum, & præ ſe ferentem vultum propitium ac miſericordiâ renitentem. Tres nobiles *viri Iudæi* incedebant ſemper coram Deo præ exactâ legum ipſius obſervantiâ, & præ timore judiciorum

l Baruch 3. 25.
m Jer. 23. 24.
n Jo. 4. 24.
o Pſ. 101. 28. & Hebr. 1. 12.
p Malac. 3. 6.
q Pſ. 90. 10.
r Rom. 10. 12.
s Exod. 3. 14.
t Eſth. 13. 9. & 11.
u Jo. 14. 6.
x Matth. 5. 48.
y 1. Timoth. 6. 16.
z S. Ignat. Epiſt. 3. ad Rom.
a Jon. 1. 12. &c.

rum

rum ejus. Si verò agatur de mittendis ijs *in fornacem ignis ardentis*, ſic æquo ſe ſinunt mitti animo in *medium fornacis ignis ardentis*, ac ſi ad epulas properarent, pro certo tenentes ſe viſuros medias inter flammas eum qui ubique eſt, *& ſpecies quarti ſimilis*
b Dan. 3. 12. &c.
Filio Dei b, memorati quòd Moyſi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi* c.
c Exod. 3. 2.

Quod fuit, ut opinor, ratio propter quam S. Laurentius craticulæ ſupinus ſuperpoſitus vivus
d Pſ. 16. 3
urendus, & *igne* d examinandus; poſt *tranſitum*
e Pſ. 65. 12.
ignem, in refrigerium e eductus, ratus infallibiliter Divinam præſentiam ſuæ ſuppoſitam craticulæ, præ ſacrâ impatientiâ concupivit, & petivit à Tyranno, ut ſe in alteram vertendum juberet partem, ut videret ſuis ibi oculis eum, quem inter prunas credebat eſſe ardentes, *Aſſatum eſt jam, verſa & manduca*. S. Stephanus nonne inter lapides tantâ potitus eſt gloriâ, ac ſi vidiſſet Angelos & Sanctos in cœlo? cùm *plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*, cùm *ejicientes*
f Act. 7. 55. &c.
eum extra civitatem, lapidabant f ipſum Judæi. Idem prorſus erat ei, eſſe in cœlo aut ſuper terrâ, lapidibus obrutus vel gloriâ circumdatus; cumulus enim gaudij, quo Divina perfundit præſentia, ſenſum aufert eorum omnium, quæ videntur corpus aut animum angere poſſe; nec valet aliquid affligere animam, quæ ſuum amat Deum, niſi cùm ipſa ſe intuetur expoſitam periculo amittendæ gratiæ ipſius & amicitiæ.
Diviſio.
Hinc oſtendam vobis Primò, quòd modus efficaciſſimus, quo quis Deum intueatur præſentem, eique adhæreat, eſt ut afflictionibus & perſecutionibus impetatur. Secundò, Nos debere præſentiam & opem divinam implorare in omnibus afflictionibus, non tam ut ab ijs eximamur, quam ut in illis ad voluntatem divinam conformemur.

I. Pars.
Si id quod effecit ut audiverit primus Angelorum, *Ad infernum detraheris in profundum laci*, fuit ipſius ſuperbia & præſumptio quâ Deo æquiparari voluit, cum dicebat ſuo *in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*
g Iſai. 14. 13. &c.
g, a cujus tamen gratia ipſe excidit illâ ſuperbiâ ſua: illud quod nobis divinam poterit conciliare amicitiam & gratiam, & nos in viâ paradiſi conſtituere, erit humilitas & depreſſio. Atqui Pro-
h Pſ. 37. 9
pheta h nos edocet hanc humilitatem ortum ſuum trahere ex afflictione, *Afflictus ſum, & hu-*
i Job 6. 4
miliatus ſum. Cui conformiter Job i dixerat, afflictiones ſuum ebibiſſe animum more ſpongiæ liquorem aliquem attrahentis, *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum*. Si autem ſpiritus ſignificat ventum, ut perſæpè uſurpatur, innuit Job his verbis, afflictionem bibere & attrahere ventum ſuperbiæ inflantis aliquando ſpiritum & caput hominis. Et ſicut ſi quis cicurare velit leonem, aut urſum, non ſtatim relaxat eum ac domum deductus eſt, ſed contra ſtrictè is coarctatur, & intra limites, ex quibus non patet illi exitus, concluditur: & hâc afflictione & coarctatione priſtinum ſuum amittit furorem, & paulatim cum domeſticis aſſuetit: Eodem planè modo, ait Propheta, eram ego quaſi beſtia quærens quoslibet devorare obvios, modò *Bethſabee* per adulterium, modò *Uriam* virum ejus per homi-
k 2. Reg. 11. 4. &c.
cidium k; mox inſurgebam in Deum per contemptum mandatorum & legum ejus, cùm dixi *ad Ioab principem exercitûs, Perambula omnes tribus Iſrael à Dan uſque Berſabee, & numerate populum, ut ſciam numerum ejus* l. Nec unquam cicurari
l 2. Reg. 24. 2.
potuiſſem in domo Dei, niſi ſtrictè ligatus fuiſſem & humiliatus, ſed cùm afflictus fuiſſem, manſuetus evaſi, *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis*. Et quare? Quia *rugiebam à gemitu cordis mei* m.
m Pſ. 37. 9.
Eram veluti leo ferox & rugiens, qui meum priſtinum converti furorem in triſtem gemitum à tempore, Deus meus, quo me in vincula conjeciſti, quod mihi proficuum ſic fuit, ut malim ſic affligi, dummodo in tuâ inhabitare mihi liceat domo veluti unus ex domeſticis tuis, quam inter peccatores vagari præ libertate criminoſâ, *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum* n.
n Pſ. 83. 11.

Videtur autem S. Gregorius o velle aſſerere
o S. Greg. in 7. Pſ. Pœnit. Pſ. 37. 4. qui eſt 3. Pœnit.
hanc humilitatem quæ oritur ex afflictione, nobis ſic eſſe neceſſariam, ut omnes virtutes ſine illa noceant potiùs & officiant illi, qui eâ totus eſſet repletus, nedum ei proficiant, *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat*. Præ veſtris ferte pulverem manibus, minimus exſufflans ventus in veſtros illum projiciet oculos. Vultiſne eum conſervare? Miſcete cum eo aquam, & utrumque cuſtodietis. Habete virtutes omnes excellentiſſimas, quas conſequi poteritis, & nullam præ vobis ferte humilitatem; iſtæ omnes virtutes nihil ſunt niſi pulvis præ veſtris manibus. Si autem vanitas & ſuperbia exſufflet ſuper illum, in veſtros projiciet illum oculos, & vos ita cæcitate percutiet, ut non ampliùs veſtri ipſorum ſitis habituri notitiam; veſtros habebitis oculos ſic plenos amore proprio & æſtimatione veſtri ipſorum, non conſiderando niſi has virtutes & perfectiones, nec in memoriam revocando id quod ait Apoſtolus p, *Quid habes quod non accepiſti? Si*
p 1. Cor. 4. 7.
autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? nec advertendo has eximias dotes nullam habere firmitatem aut ſoliditatem, cùm ventus eas abripiat, ut in præceps lapſuri ſitis, nedum videatis aut cognoſcatis quo veſtros dirigatis greſſus. Si autem omnes veſtras cuſtodire velitis virtutes & perfectiones, eaſque ſolidas & perpetuas conſtituere, miſcete eis aquam afflictionis & lacrymarum, & id quod vobis oberat & cæcitate vos percutiebat, ſtatim vos illuminabit, & immodicum conciliabit vobis emolumentum. Idcircò Job q
q Job 2. 10.
dicebat, *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?* ſi omnia procedant ex eâdem Divinâ providentiâ. Sed quare hoc? Aliqua eſt admittenda differentia. Mala enim ſunt amara, bona verò ſuavia & jucunda. Graviter hallucinamini, ait Job. Bona enim quæ recipimus, non ſunt bona ex ſeipſis, ſed quatenus illa *bona ſuſcepimus de manu Dei*. Si enim ea intueamini in ipſis, vobis æquè nocere poſſunt & officere ac prodeſſe, & ſecum trahere ſuper vos majora infortunia, quam præ ſe ferant apparentiam bonorum. Cum igitur vobis ſint utilia, ideò quia exierunt *de manu Dei* dirigentis ipſa ad bonum finem. Et propter eamdem rationem mala, quæ nuncupatis mala, cùm operandæ ſaluti veſtræ ſint conducibilia, *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* r; eò quòd il-
r Rom. 8. 28.
la præbuerit vobis eadem Dei manus, vocare debetis bona. Si verò manus Dei diſtribuendo nobis bona ſua, nobis fuit jucunda, *Si bona ſuſcepimus de manu Dei*, ſperare debemus, eamdem

manum, quàmvis tantiſper rudem, allaturam nobis bonum, convertendo amaritudines noſtras in dulcedinem, *mala quare non ſuſtineamus?*

Hinc audire mihi videor querelam aliquorum dicentium, ſe quidem expertos effecta hujus manus Dei, ex validis afflictionibus ſibi ab eâ immiſſis, ſed ex ipſis ſe exiguum ſuſcepiſſe emolumentum ac profectum, nec ſe meliùs approximaſſe ad Deum, ut ei adhærerent: quin imò quòd ſicut venator catapultâ ſuâ avem inſequens, eam fugat; ſic afflictiones, quibus ipſos Deus impetit, oſtendunt ipſis quòd non eſt bonum illi ſociari, ipſoſque magis invitant ad fugiendum ab eo, quàm ad revertendum ad illum. Verum eſt, Auditores, iſtud. Si vos non perpendatis niſi primum detrimentum, aut dolorem ſagittis Dei vobis infligendum, videbimini jure merito vos ab ejus præſentiâ removere poſſe, imò verò quando intuitu veſtrorum iratus fuerit peccatorum, illa enim præſentia veſtram moliri poteſt ruinam, quin etiam & vobis inferre
s Pſ. 37. 4. interitum, *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum* s. Si verò advertatis quòd ſagittas, quas immittit in vos, ejaculetur ipſe arcu pleno amoris exceſſu, eas æquo ſuſcipieris animo, non enim ſiſtunt illæ in corpore, ſed recta ad cor properant, ut amans efficiatur Deus illius, cujus cordi ſua infixit tela acuta charitate incomparabili.

Acutiores ſibi infixas aſſerit Propheta ſagittas: Sed propterea ſtupore non percellitur; non enim, ait, in manus Dei mei incidere poteram quin telis
† Ibid. v. 3 confoderer Divinis, *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam* †. Obſervaverat fortaſſis David, quòd ſi venator læſit cervum, nec tamen eum occidit, & ſi iſte cervus globulum quo ſauciatus eſt, deferens, aut ſagittam infixam lateri ſecum portans, curſu præpeti in vitem proſiliat, aut in hortum alicujus qui in ipſum catapultam non exploſerit, aut ſagittam non emiſerit; aut ſi currens per ſylvam, moriatur ibi, & inveniatur ab alio; non pertinebit ille cervus ad eum qui illum vulneraverat, ſed ad eum qui illum invenerit, quique prior manum ei impoſuerit: ſi verò venator eſt pedibus expeditis ac velocibus, ſtatim ac globulum exploſerit, aut ſagittam vibraverit, poſt illum currere ſataget, & prædam ſuam conabitur arripere, ne in alienas manus perveniat. Ait igitur Propheta, Domine, tu qui es magnus Venator, contra omnes homines ſagittas ejacularis, in Bonos eas vibras æquè ac in malos, in Prædeſtinatos ſicut & in reprobos. Verum quidem eſt te eos varijs excipere modis: nam ſicut reprobos afflictionibus inſequeris in hoc mundo eo fine ut tuæ indignationis experiantur tela, nec ſatagis eos habere in domo tuâ, nihil agis in eos niſi duntaxat ut eos vulneres; afflictio aliqua, quâ illos afficis, eſt veluti ictus ſagittæ, ſed poſt illos non curris ut prædam apprehendas; quin imò ſinis ut poſt ſuos eant motus, ut cervi vulnerati circumquaque vagantes, neſcientes ubinam mortem
t Rom. 1. 24. obire debeant, tradens *illos in deſideria cordis eorum* t. Ha! intueor illico innumeram catervam venatorum, qui nihil aliud requirebant niſi ut eos aſpicerent lethali vulnere confoſſos, & omni auxilio deſtitutos, in eos irruentium ut omnimodam illorum moliantur ruinam. Infortunia eos affli-
u Pſ. 70. 11. gunt, homines illos perſequuntur, & diaboli illos arripiunt, *dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat* u. Sed Prædeſtinatos, & eos qui è tuorum numero ſunt amicorum, longè diverſo excipis modo; poſtquàm enim eos aliquo levi vulneraſti ſagittæ ictu, non ſinis ut aliò pergant, fugam capeſſentes, ibique mortem oppetant; ſed ſtatim illos arripis, cùm velis ut præda tibi ſit acquiſita. Ego verò, ait Propheta, id expertus ſum, *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*. Ejaculatus enim es in me ſagittas perſecutionis, & rebellionis peractæ contra me à filio meo Abſalom x; occiſionis exercitûs mei ab Angelo tuo innumeram ſubditorum meorum ſtragem edente, factæ y; & aliarum hujus generis afflictionum quæ mihi magis cor perforarunt z, quàm corpus; quæque exponebant me periculo oppetendæ mortis medios inter inimicos meos, qui me ſic intuebantur ſauciatum & afflictum: ſed ſtatim ac ictus confodit me, antequam liceret mihi evadere, *confirmaſti ſuper me manum tuam* conſolationibus & protectionibus potentiſſimis, quia *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam* a.

x 2. Reg. 15. 10. &c.
y 2. Reg. 24. 15.
z 2. Reg. 12. 16.
a Pſ. 93. 19.

Manum ſuperponit venator avi, quam vult arripere, poſtquam ſuam exploſit catapultam, ne volatu & fugâ vitæ cuſtodiendæ conſulat avis, ſi fortaſſis in eâ reſiduum ſit aliquid vitæ. Deus autem, qui vult nos apprehendere, poſtquàm tela amoris ſui noſtro infixit cordi per vivam inſpirationem, & nos obſignavit ſigillo gratiæ ſuæ, quæ eſt character Electorum ipſius, *quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* b, ne ſuperbia aut vanitas nos temerariâ extollat præſumptione, confirmat *ſuper* nos *manum* ſuam, infligendo nobis ictum alicujus afflictionis, ut ait David c, nimirum quòd ratio propter quam videmus in hoc ſeculo tot homines ſuperbos, qui Divinis abutuntur gratijs, quique medias inter vanitates in ſuarum incurrunt jacturam animarum, eſt quia nullam experiuntur afflictionem, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia.* Ecce ſuperbi ſunt, eò quòd nullâ percellantur afflictione. Servi verò Dei è contra, qui immodica agnoſcunt bona ex afflictionibus manantia, pro ijs laudes rependunt Deo, eique debitas referunt gratiarum vices, quippe qui illis ſe feliciores autumant, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti* d. Si autem ſcire velitis quænam ſit iſta virtus Chriſti; ipſemet ait quòd inſigne ſuum ſpeciale, & virtus, quam maximi æſtimat præ cæteris, eſt humilitas, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde* e. Ipſa igitur eſt humilitas, quæ illuſtri nos inſignit Chriſti charactêre. Ipſa igitur erit afflictio nos impetens, quæ nos magis efficiet humiles: & perſecutio, quam immittet in nos Deus, aut evenire nobis permittet, reddet nos omnino *conformes imaginis Filij ſui*, ut ipſi penitùs adhærere poſſimus.

b Rom. 8. 29.
c Pſ. 72. 5. & 6.
d 2. Cor. 12. 9.
e Matth. 11. 29.

Sed in animum poſſetiſne veſtrum inducere, ab afflictionibus & perſecutionibus immunes eſſe probatæ vitæ homines, eò quòd iuſti ſint, & omnibus præditi virtutibus? Velletiſne tantam ſanctitati ac eximijs dotibus illorum exhibere reverentiam, ut illos liberare velitis ab omni infortunij genere? Proficuum crederetis vos filiis obſequium reddere, & fortaſſis ruinam illorum ac deſtructionem moliremini. Nolite imaginari has omnes egregias dotes, quibus inſigniti ſunt illi, ipſorum nutrire ſuperbiam; quin imò è contra autumate hæc inſignia dona

illos

illos in humilitate cuſtodire. Sed omnes iſtæ virtutes, dicetis vos, nonne ſunt veluti tot pennæ, quibus volare poſſunt illi, non ſecus ac alter *Lucifer* ſuperbiâ tumens in admirationem ſuiipſorum ut juſtâ punitione demergantur tandem *ad infernum in profundum laci f*, ibique condignas vanitatis ſuæ luant pœnas? Nequaquam, quia ſinit Deus illos æquè ac malos afflictionibus impeti. Sed inter illas afflictiones recurrunt ad Deum, qui innocentium *Protector eſt omnium ſperantium in ſe †*, ut facere debent ij omnes, qui aliquâ probantur afflictione, ut agebat Joſaphat afflictus, *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te g*.

f Iſai. 14. 12. &c.
† Pſ. 17. 31.
g 2. Paral. 20. 12. II. Par.

Aquila quæ ſuos intendit aſſuefacere pullos ad intuendum fixis oculis Solem, ut eos ſubtilitatis viſûs ſui hæredes conſtituat, & ſuæ generoſitatis, ſtatim ac exiguis operti ſunt illi plumis, & ſeſe in aëre poſſunt ſuſtinere alarum ſuarum motu, & volatu ſpeciei ſuæ conſono; illos è ſuo ejicit nido, eoſque invitat hâc expulſione ad probandam agilitatem ſuam, eoſque edocet primo hoc volatu, quâ ratione debeant ad hanc approximare mundi lampadem, & non ſinere ſe abripi nec involvi ventis, nebulis, aut turbinibus, quæ aliis dominantur avibus, eaſque impediunt ne ad loca, ad quæ pergere intendunt, celeri recipiant ſe volatu: ſed ſuum applicare viſum contemplando lumini Solari, & inde regias haurire qualitates. Si verò aliquo ingruente infortunio, in illos utpote viſum habentes huic ſplendenti objecto nimis applicatum, & corpus ſuum nimis apertum & expoſitum vaſtæ aëris regioni milvus, corvus, aut quælibet alia avis rapax cæco ruat impetu, eiſque funeſtam ſe facere minitetur ipſos prædam, illico totâ celeritate poſſibili ſub alas parentis ſe recipiunt, ut ſibi tutandæ vitæ ſuæ conſulant; lumen verò Solis nedum illorum oculos caligine offuderit, aut viſum eorum infirmaverit, potiùs eum illis confortavit ut intuendam exhibeat illis parentem, quæ ipſos ſit protectura, & ab imminenti periculo ipſos erептura. Cùm enim ipſorum parens ipſos expoſuiſſet iſti periculo, inducendo ipſos ad Solis fulgorem inconniventibus oculis aſpiciendum, oportebat ut ad illam in evidenti neceſſitate conſtituti recurrerent tantâ fiduciâ, quanto illi complacuerant & obediverant affectu.

Deus noſter *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis h*, nempe populum Iſraël, qui eſt figura Juſtorum, quos ipſe protegit, ut exponit Cornelius i. *Quaſi diceret, Deus ut aquila, Iſraëlem quaſi pullum ſuum, per varia ſigna in Aegypto ad inde exeundum & evolandum provocavit, eumque jam exire parantem, velut in expanſis providentiæ ſuæ alis aſſumpſit, protexit, & ſubvexit, tum per ſe, tum per Angelum viæ ducem, tum per columnam ignis & nubis k.* Deus noſter, inquam, poſt editos in lucem Juſtos veluti maximè legitimos pullos ſuos, inducit eos ad intuendam fixis oculis legem Dei, qui eſt verus *Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus l*; *lucerna pedibus, & lumen ſemitis m* eorum, ut ex pennis ejus ſeu radiis qualitates hauriant Divinas; & videtur eos aliquo modo è nido extrahere, ut meliùs occupentur in contemplando hoc Sole: ſed è tali evulſi nido, illico validis agitantur tentationibus quaſi ventis importunis, & denſis veluti involvuntur turbinibus, qui videntur debere eos ab aſpiciendo ſpecioſo hoc Sole avertere, quaſi verò Sol iſte protectionis ſuæ radiis propitiis illos non intueretur: ſed ipſi non deſiſtunt propterea fixis eumdem Solem aſpicere oculis, & quantumvis exſufflent hi venti tentationum contra ipſos, & ipſos exagitent afflictionum turbines, nunquam tamen diſcedunt ipſi tantiſper à præſentiâ Divinâ, etiamſi immodicâ ventorum vi concuſſi proſterni videantur. In hâc fixi ſic remanent conſideratione, ut ſi turmatim in ipſos cæco irruant impetu milvi, corvi, aliæve aves rapaces, nimirum inimici & perſecutores calumniis & petulantiis in ipſos inſurgentes, ipſiſque funeſtam minentur prædam, & injuſtiorem ſatagant ipſis machinari mortem, quam inferri ſoleat infirmis aquilarum pullis; ipſi veluti pulli debiles veloci properant volatu inter brachia Dei Patris ſui, qui ipſos ad hunc induxerat contemplandum Solem, & ipſos periculo expoſuerat, quique ideò ipſos protegit. Quapropter S. Hieronymus relatus à Cornelio n, ait, *Inter cæteras animantes omnes, aquilarum quidem maximus in pullos eſt amor, quæ in excelſis & inacceſſis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethyſtum quoque inter pullos eorum lapidem reperiri ſcribunt, quo omnia venena ſuperentur. Si hoc verum eſt, rectè affectus Dei in ſuas creaturas aquilis comparatus eſt, qui omni ſtudio protegit liberos, ne coluber antiquus o obrepat novellis fœtibus, ut ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion p, omnes adverſariorum inſidiæ frangantur.* Nobis oſtendit David q quid poſſimus ſperare auxilii à Deo in aliquâ neceſſitate conſtituti, cùm illi ait, *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Quaſi ei diceret, Heu! Domine, multi me perſequuntur inimici, libera me è poteſtate, & è pravâ voluntate illorum; recurro enim ad te ut ad Deum meum, & ſcio quòd cùm ſis Deus, protegere debes eos qui invocant te.

h Deut. 32. 11.
i Cornel. in hunc loc.
k ex Exo. 13. 21.
l Malach. 4. 2.
m Pſ. 118. 105.
n Cornel. in Deut. 32. 11.
o ex Apocal. 12. 9.
p ex Iſai. 28. 16.
q Pſ. 142. 9.

S. Ambroſius r plura enumerans piſcium genera, recenſet inter eos inveniri quædam quæ hâc vigent proprietate, ut quando catulos ſuos inſequuntur alii piſces rapaces, aut piſcatores; ipſi aperiant os ſuum, eoſque ſuis ſuſpendant dentibus, imò tranſmittant eos in ventrem, è quo jam exierant ipſi; cùm autem deſiit periculum, & ceſſavit perſecutio, eos relaxent, quin etiam evomant, & ex alvo ſuâ foras ejiciant, cùm ait eſſe *genera piſcium, quæ cùm ediderint partus, ſi quid fortè inſidiarum terroriſque præſenſerint circa catulos ſuos quemquam moliri, quò tueantur eos, vel teneræ ætatis pavorem materno affectu comprimant, aperire ora; & innoxio partus ſuos dente ſuſpendere, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur alvo abſcondere.* Peto autem à vobis, Si alius piſcis præter matrem propriam, hos vivos deglutiiſſet piſciculos, nunquid non eos devoraſſet? Nemo eſt qui iſtud in dubium revocet. Quare igitur hæc mater eos cuſtodit, eoſque integros denuò emittit foràs? Profectò quia parens illorum eſt, & ideò procurat illis vitam, quam eis conſervat, & ab imminenti eripuit periculo. Eodem ſe planè gerit Deus modo in gratiam Juſtorum perſecutionibus impetitorum, *Cogitaverunt adverſus Sanctos tuos s*. Vel, ut vertunt alii t, *adverſus abſconditos tuos*. Aut juxta S. Hieronymum, ut recenſet Lorinus, *adverſùs arcanum tuum*. Quæ verba Lorinus eruit ex eodem S. Hieronymo u in hæc verba, *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum*. Ubi ait S. Hieronymus, *illuminatio*

r S. Ambroſ. l. 5. Hexam. c. 3.
s Pſ. 82. 4.
t apud Lorin. in hunc loc.
u S. Hieron. in Pſ. 30. 21.

enim vultûs tui teget eos, ne ab humana malitia conturbentur. In abſcondito vultûs tui, ſcilicet juſtitia tua x ex Job 4.12. *abditu, hoc eſt, in ſecreto tuo, ſicut Iob x: & ipſe, & omnia qua habuit, abſconſa fuerunt in Deum. A conturbatione hominum, à perſecutione peccatorum.* Ac ſi diceret Propheta, in facie Dei aliqua dari latibula, in quâ Juſtos recipit afflictos; hæc autem latibula ſunt ipſi oculi Dei; ipſe enim dixit, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* y. y Zach.2 8. Quaſi diceret, ſe oculos habere apertos, ut eos amicorum ſuorum ſublevandis ita intentos habeat neceſſitatibus, ſicut quilibet pupillæ ſuæ curam agit; *Vos enim, ô fideles mei, ita amo, tutor, & cuſtodio*, ait Deus z Corn. in hunc locum. apud Cornelium z, qui ſubdit: *Nihil enim delicatius, charius, pretioſius pupillâ, ac proinde nihil majori curâ cuſtoditur: laſâ enim pupillâ, laditur, & excacatur oculus, qui eſt lumen vita, ac dux omnis via & actionis hominis; ut homo excacatus miſerrimam in tenebris agat vitam, ſitq; inſtar mortui.*

Idem David ait, Deum fuiſſe ſibi veluti ſcutum, quotieſcumque media inter certamina ipſum ſunt inſecuti inimici ſui, *Obumbraſti ſuper caput meum* a Pſ.139 8. *in die belli* a. Sed ſcutum in formam coronæ fabricatum, qualia erant ſcuta Antiquorum bellatorum, *Domine, ut ſcuto bona voluntatis tua coronaſti* b Pſ.5.13 *nos* b. d S. Hier. in hunc loc. Super quæ verba apprimè eloquitur S. Hieronymus d. *Apud ſeculum, aliud eſt ſcutum, aliud corona: apud Deum verò ipſe eſt ſcutum, ipſe eſt corona: quaſi ſcutum protegit, quaſi Deus coronat. Ipſe eſt ſcutum noſtrum, ipſe eſt & corona noſtra, & ob hoc dicit: Domine, ut ſcuto bona voluntatis tua coronaſti nos. Protexiſti nos ſcuto tuo: & protectio tua, corona noſtra fuit, hoc eſt, corona noſtra ſcutum tuum fuit, id eſt, noſtra victoria. Corona enim victoria interpretatur.* Quaſi diceret ei ipſe David, Protexiſti nos, tutatus es nos, cùm injuſtis concutiebamur calumnijs, & perſecutionibus impetebamur, & noſtram propalaſti innocentiam. Ad Deum igitur ſpectat, ſuſcipere, protegere Juſtos in neceſſitatibus conſtitutos, eos ab evidentibus periculis ſive famæ profligandæ, ſive vitæ amittendæ eripere, & ora calumniantium eos injuſtè, obtundere.

Maxima afflictis conſolatio! cùm ſciant quòd ſit Deus *qui abſconditorum cognitor eſt*, & *qui omnia* e Dan.13 42. *antequàm fiant*, novit e; quique *vindictam* f tandem ſit retributurus inimicis ipſorum. f Rom.12 19. & Hebr.10 30. ex Deut.32. 35. & ex Eccli.28 1. Felicitas inæſtimabilis pauperibus, viduis, & orphanis, qui videntur eſſe ſcopus, ad quem dirigantur omnes iniquitates & tyrannides, quæ peragi poſſint non ſolùm ab hominibus ejuſdem ſtatûs ſeu conditionis, qui eos bonis ſpoliare contendant; ſed etiam à Judicibus & alijs Magiſtratibus, qui falſis decretis & alijs Juris corruptelis innumeras adversùs eos exercent violentias, ita ut ſingulis iniquis illis juſtitiæ perverſoribus exprobrari poſſit illud Prophetæ g, g Jer.2. 34. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* Cùm pro certo teneant hi pauperes, Deum ſuam cauſam ſuſcipere ſatagere, & polliceri ſe auditurum gemitus & lacrymas ipſorum, & condignis mulctaturum pœnis eos, qui ipſis injurias irrogaverint, & detrimenta. *Vidua & pupillo non nocebitis. Si laſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: percutiamq; vos gladio, & erunt uxores veſtra vidua,* h Exod. 22.22 &c. *& filij veſtri pupilli* h, ajebat Deus in gratiam omnium afflictorum. Quid enim ageretur de tot miſerandis hominibus, quibus irrogantur tot calumniæ, & tot inferuntur injuriæ, qui omni humano deſtituti ſunt prorſus auxilio, quibus adverſâ ſic dorſum vertit fortuna, ut, ſi ſolum mundi intuerentur procedendi modum, mortem potiùs eligerent oppetere, quàm vitam ſic tranſigere funeſtam, ipſique ſe funeſti & miſerandi ſui miniſtros efficerent interitûs, quem autumarent feliciſſimum, ne perpeti cogerentur rabiem aut inhumanitatem hominum, ubi ſemel cœpit iſta in propriam vitam aut famam inſurgere vel eripiendam, aut denigrandam? Quid fieret de tot infortunatis qui iſtis obnoxij ſunt infelicitatibus, niſi eſſet Deus, cui tanta incumbit cura pauperum ac divitum, miſerorum ac fortunatorum, quique paratus eſt ſemper exaudire, adjuvare, & remunerari eos qui propter amorem ipſius æquo patiuntur animo injurias contra jus ſibi irrogatas? *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum* i, Quique in ſuam vocat domum, omnes eos qui fuerunt fatigati in hoc i Matth. 5.10 mundo, ut eis ſolatium indulgeat, & quietem, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos* k. k Matth. 11.28

Si autem, Auditores, immunes ſitis à criminibus, quorum vos inſimulant linguæ detrahentes; ideò trahetis meritum æquè ac gloriam, dummodò cauſam veſtram prudenter agatis, nedum aliquo doloris aut triſtitiæ motu percellamini immodico, cùm debeatis hoc in occurſu patientiam præ vobis ferre, & vultum ſerenum, nedum injurias irrogetis eis, qui in veſtram inſurrexerunt famam, quia *Veritas liberabit vos* l. Deus qui permittit ut l Jo.8.32 vobis inferatur calumnia, vigilat ut veſtram protectionem ſuſcipiat; ſemper exhibebit intuendum id, quod eſt veritati & innocentiæ veſtræ conſonum; & tunc laudem vobis conciliabitis univerſalem ex ore illorum omnium, qui veſtram mirati fuerint prudentiam & diſcretionem, & vobis manebit patientiæ meritum. Tot ſunt Beati in gloriâ, quos oppreſſit injurijs calumnia, quot ſunt reprobi in inferno, quos in mundo laus extulit falſa. *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico:* ajebat S. Paulus m, *Qui autem judicat me, Dominus eſt.* Parum m 1.Cor. 4.3. & 4. meâ intereſt ut judicent me Juſti aut impij, non enim ab hominibus meorum mercedem ſpero bonorum operum; nec vereor ne ab illis mihi delictorum meorum infligantur pœnæ. Dummodò Deus noverit me malam non habere animam, mihi fiet pluſquàm ſatis. Idcircò dicebat, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, per arma juſtitia, à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam* n: n 2.Cor. 6.4 &c. *Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit* o. o Rom.5. 3.& 4 *Exiſtimo enim quòd non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis* p. p Rom.8 18. Inter eas igitur medias elevemus animam q noſtram ad Deum, & illi confidentes non q Pſ.24.1 & 2 erubeſcemus; quin imò ſuam nobis impertietur ipſe gratiam, & tandem gloriam.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ III. ADVENTVS.

Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum; ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſes ligna in holocauſtum, abyt ad locum quem præceperat ei Deus. Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino: ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos. Gen. 22.3, &c.

PArricidium eſt crimen naturâ ſuâ ſic barbarum, ut pudere non ſolùm faciat eos, qui illud perpetrant; ſed etiam illos infames reddat & æternâ dignos reprehenſione. Et licèt iſtud, quod aggreditur Abraham, expreſſè præcipiatur à Deo; & ſic nedum alicui vituperationi aut opprobrio obnoxiũ ſit, quin potiùs laudem mereatur ac mercedem; tamen hunc venerandum intueor Patriarcham nonnullo affectum pudore, qui eſt paſſio humana hominibus communis, cùm ipsâ conſurgat nocte. *Abrahamum verò nefas ducens quâvis in re Deo morem non gerere, quin potius per omnia parendum ei per quem omnia viverent* a, *celans uxorem tam Dei mandatum, quàm ſuam de pueri cæde ſententiam, ac ne famulorum quidem ulli rem indicans, ne fortè aliquis ſibi obſtaculo eſſet, aſſumpto Iſaaco cum duobus ſervis, impoſitiſq; in aſinum rebus ad ſacrificium neceſſariis proficiſcebatur ad montem*, ait Joſephus b, ut a nemine videretur, ut à mundano declinaret pudore, ſicut & ab opprobrio quo operiri poſſet intuitu ſceleris ſui atrocis; cùm hominem probatæ vitæ ac famæ pudeat, ſi advertatur actionem perpetrare inhumanam. Quòd ſi debito juſtitiæ ad aliquam hujus generis cogatur exercendam, aut aliquo pravo ductus affectu, ſubtrahit ipſe ſe quantùm poteſt hominum oculis, latebras quærit, & nocturnum capeſſit tempus. Verùm enim verò Romanum quendam dignitate Conſulari inſignem deprehenſum aliquando ab amico virgis cædentem aliquem è ſervis ſuis, ſic puduit, ut rubore perfuſus, oculos deprimens, & virgas projiciens, dedecus & pudorem hujus actionis excuſare ſategerit ut potuit.

a ex Act. 17.28.
b Joſeph l. 1. Antiq. Juda. c. 13.

Propter hoc non ſolùm pudet homines, ſed etiam ipſum videtur pudere Deum, licet immunis ſit ipſe ab hâc paſſione pudoris, nec aliquid poſſit peragere, aut præcipere quod dignum ſit pudore, aut reprehenſione. Quoties ſuam voluit Deus exercere juſtitiam, noctem toties elegit, aut veſperam. Si correpturus ſit Adam criminis ab ipſo patrati, ad eum venit deambulando *in paradiſo ad auram poſt meridiem* c. *Putà, inclinante die*, ait Cornelius d. Si punitурus ſit Sodomitas intuitu abominationum inauditarum, duos ad illos mittit Angelos ſub ipſo noctis adventu, *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere* e. Vel ipſemet illuc venit, ſi Concilio fidem adhibeamus Syrmienſi f, *Si quis illud quod ſcriptum eſt; Pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio perceperit, ſed ipſum à ſemetipſo pluere dixerit, anathema ſit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre. Neque enim deſcendit in corpus ſine voluntate Patris, neque pluit à ſemetipſo, ſed à Domino, authoritatem videlicet præbente Patre.* Idcircò ait Lot Deus, *Noli reſpicere poſt tergum.* Quaſi ipſum puderet videri exercendo juſtitiam ſuam. Si omnes interimere vult Ægyptiorum primogenitos, Angelum mittit qui illam edat ſtragem *in noctis medio* g. Si ſuperbiam retundere intendit Regis Sennacherich, *In nocte illâ venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia* h. Cùm punire vult impium Regem Baltaſſar, *In eâdem horâ apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, Mane, Thecel, Phares* i. Deus noctem eligit veluti pudori ſuo perutilem; & ſicuti ſi puniens, aliquam indueret qualitatem naturæ ſuæ diſſentaneam. Cùm punire vult Chriſtus Judam inſignem proditorem, tempus expectat nocturnum, non ſolùm ut enormitatem criminis ejus involveret; ſed etiam ut lateret ipſe dum ſe de eo ulciſceretur, *Cùm accepiſſet ille buccellã, exivit continuò, erat autem nox* k. Tandem Si mundum eſt judicaturus, minatur ſe venturum more furis per noctẽ, *Dies Domini (id eſt, hora finalis judicij)* ut exponit Apoſtolum Dionyſius Carthuſianus l, *ſicut fur in nocte veniet.*

c Gen. 3. 8.
d Corn. in hunc loc.
e Gen. 19. 1. &c.
f Conc. Sym. Can. 15. & 16. ex Gen. 19. 24.
g Exod. 12. 29
h 4. Reg. 19. 35
i Dan. 5. 5. & 25.
k Jo. 13. 30.
l Dion. Carth. a. 5. in 1. Theſſ. 5. 2.

Judicate utrùm parricidium, quod Patriarcha noſter aggreditur, faciem illius pudore non debeat ſuffundere, cùm *de nocte conſurgens, dixit ad pueros ſuos: Expectate hîc cum aſino: ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos.* Sed non obſtante hoc pudore humano, gloriæ ducit obedire Deo, eique ſuum ſacrificare filium, & paſſionem pudoris immolare. Pudorem noſtrum offerre nos pariter debemus Deo, freti auxilio Virginis verecundæ & turbatæ *in ſermone* m Angeli dicentis ipſi, *Ave Maria.*

m Luc. 1. 29. & 28.

Sicut nihil eſt quod majori perfundat pudore hominem agentem vitam innocuam, & maximi ducentem honorem, quam intueri ſe periculo profligandæ famæ ſuæ expoſitum: ita nihil eſt quod ipſi magis addat animum, quàm pro certo tenere ſe nullius eſſe conſcium criminis. Utrumque videtur expertus Propheta, aliquas enarrans calumnias & detractiones, quibus impetitus fuit, & earum interventu pudore ingenti oppreſſus; ſed videns animam ſuam a debitâ Divinorum mandatorum nunquam aberraſſe obſervantiâ, à tempore delictorum illorum n, quæ condignâ, aut ſaltem congruâ diluerat pœnitentiâ o, firmus remanet, nec titubat non obſtante calumniâ ſibi ab inimicis ſuis irrogatâ, *Totâ die verecundia mea contra me eſt; & confuſio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis; à facie inimici & perſequentis.* Quantum fuit in me, declinavi, æquis & rectis non valens intueri oculis eos, qui mutuos & mihi injurioſos inter ſe miſcebant ſermones, quippe qui ſe mihi intenſos ſuis declaraſſent perſecutionibus & detractionibus. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te: & iniquè non egimus in teſtamento tuo. Et non receſſit retrò cor noſtrum* p. Nec unquam terga verti, neque palam procedere dubitavi, ratus innocentiam meam cautam præſtituram cauſam meam; has omnes deriſi calumnias, & fronte intrepidâ ac patenti locutus ſum coram illis qui aliquo faciem meam operire præſumebant pudore.

n 2. Reg. 11. 4. &c & 2. Reg. 24. 8.
o 2. Reg. 12. 13. & 2. Reg. 24. 17.
p Pſ. 43. 14. 16.

Non dubito quin Propheta eo ſe geſſerit modo, nedum terga verterit ob calumnias ſibi irrogatas; ipſe enim generoſus erat *Rex* q at magnanimus; & ſupremum decet Principem ac virilem

q 2. Reg. 15. 34.

animum injurias parvi pendere, necturbari propter verba. Si autem æquo non potuiſſet illa verba & eas calumnias ſuſtinere animo, de ijs facilè medio enſe ſuo regio retuliſſet vindictam: eo enim procedunt viri nobiles modo, ut non niſi medijs armis & certaminibus ſingularibus injurias ſibi irrogatas ab inimicis ſuis ulciſcantur; & proprium eſt puſillanimis fugam capeſſere & terga vertere ijs, à quibus provocantur ad ſingulare certamen verbis injurioſis. Præthereà, Si fortaſſis illi fieret ſermo de pravis amoribus illis antiquis & affecti-

r 2.Reg. 11. 4. bus, quibus Betſabee fuerat proſecutus *r*, non deberemus mirari ſi eorum narrationem libenti audiret animo; homines enim mundani, imò & aulici, præſertim verò Magnates & Principes de ſimilibus gloriantur, & illis placet maximè ut hujuſmodi exceſſus ſui in omnibus propalentur circulis, quippe *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum via perverſa ſunt, &*

s Prov. 2. 14. & 15 *infames greſſus eorum s.*

Sed quod eximiæ virtutis & probatæ vitæ homo aliquis, qui nullum unquam perpetravit crimen cenſuræ obnoxium, qui bonam magni ducit famam, quique eam jugiter veluti pretioſum ſummâ curâ cuſtodit theſaurum, ejuſdem profligandæ ſe intueatur expoſitum, & audiat irrogari ſibi injurias & calumnias, quas ipſe ſcit rectæ rationi & veritati diſſentaneas; & quòd nedum confuſione operiatur facies illius, è contrà loco pudoris ſe veluti ſenſûs expertem exhibeat, & omnes iſtas calumnias flocci faciat; illud videri nobis debet res inaudita ac multata. Sed in hoc oſtendit ille ſuam virtutem ac innocentiam. Hæc enim admittitur differentia inter vitium & virtutem, quod vitioſus homo latebras quærit jugiter, & timet ob excellentiſſimam quamcumque rem: virtuoſus verò bonam præ ſe ferens conſcienriam, manet intrepidus, non latet, ſed prodit in publicum, quidquid accidat. Ideò oſtendam vobis

Diviſio. Primò timorem & pudorem impiorum. Secundò, Juſtorum & Bonorum magnanimitatem admirabimur medias inter pudoris occaſiones.

I. Pars. Hæc admittitur inter bonam & malam conſcientiam differentia, quòd ſana conſcientia omnium concupiſcat oculis exhiberi, cùm è contrà prava ipſas reformidet tenebras. Homo qui conſcientiam præ ſe fert immunem à peccato, prodire ſemper vult & conſpici, & ſpecioſiſſimi dies ac lampades ſplendentes ipſi maximè placent, ſed conſcientia corrupta non ſolùm diem metuit; ſed ipſam etiam noctem timet. Videntur mihi antiqui voluiſſe repræſentare timorem, in quo vivunt depravatæ conſcientiæ homines hâc tabulâ, fingendo Tantalum ſediſſe in quodam loco, in quo erat lapis capiti ipſius ſuperpoſitus ac nutans, qui ventis agitatus minabatur ipſi caput cadendo conterere, ita ut timor illius ſic foret ingens ut ne vel è loco tantillum moveri auderet, nec brachium extendere ad capeſſendum tantiſper fructus, vel cibi circum ſe appoſiti, ne motu brachij ipſius agitatus lapis ſuprà caput ipſius laberetur. Idem accidit illis qui animam præ ſe ferunt antiquis oneratam peccatis; cogitant enim ſemper capiti ſuo ſuperpoſitam pendêre mortem, & ne vel ipſam movere audent manum, quâ alimentum capeſſant neceſſarium, quin timeant, tremant, & metu mortis percellantur.

t Deut. 28. 66. Videte quomodo Moyſes *t* huic alludat lapidi, peccatorem alloquens, *Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Lapis capiti peccatoris ſuperpoſitus, videtur vita peccatoris; exiguo quippe filo eſt alligatus, & exiliſſimus ventus, exiguum periculum, minima infelicitas efficient ut diſrumpatur hoc filum, & cadens conſequenter lapis æternum huic peccatoris capiti inveliat infortunium. Si autem vultis ut clarior fiat vobis ſermo de iſtâ re, & convenientius verbum fabulæ in medium afferatur, auſcultate Job *u* qui miſeriam deſcribit hominis u Job 15. 25.
conſtituti in ſtatu peccati, *Cùm ſe moverit ad quærendum panem, novit quòd paratus ſit in manu ejus tenebrarum dies.* Statim ac ſuam capeſſere vult refectionem, & uti pane, qui eſt communiſſima res omnium, quas præbuerit Deus homini ad vitam ſuſtentandam neceſſariò, pro certo ſe tenere videt ſuis præ manibus tenebrarum diem. Videte, obſecro, terminos qui videntur eſſe contradictorij, qui tamen ſunt myſterioſi. Videntur dies & tenebræ ſociari non poſſe, ſed modo, quo hîc intelliguntur, junguntur in perſonâ peccatoris, qui cognoſcit quòd magnus judicij dies, quo omnes peccatores ejicientur è præſentiâ Dei, & diſcedent *in ignem æternum x* tenebris circumfuſum, x Matth. 25. 41.
non futurus eſt ipſis clarus, nec ſerenus, ſed obſcurus & nebuloſus, qui ipſos pudore ſuffundet, *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum: & revelabo pudenda in facie tuâ, & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam y.* Vel, *Paratus in* y Nahum 3. 5.
manu ejus tenebrarum dies. Quia bona opera ſunt veluti lampades, quæ nos illuminabunt die quo præſentandi ſumus Deo, *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt z.* Peccatores verò z Matth. 5. 17.
videbunt ſe nullam præ ſe laturos lucernam, & iſto die præſentationis ipſorum tenebris circumfundendos. Seu, Peccatores præſumunt ſe ſplendere veluti coruſcantes Soles præ hominibus, nec poſſe ſe unquam labi in tenebras oblivionis, pudoris, ignominiæ, aut infamiæ communis, ut teſtantur opifices turris Babel, qui ſuum celebrare voluerunt *nomen a*: ſed mentio, quæ illorum deinde peracta eſt, gloriam, quam inde educere intendebant, pudore penitus offudit. Hic autem a Gen. 11. 4. &c.
contrarius effectus videtur in manu peccatorum, id eſt, in naturâ & conditione operum illorum, quæ luce publicâ ſunt indigna, aut quæ videantur ab ijs qui rectè vivunt, & id, *cùm ſe moverit ad quærendum panem*, eo ipſo, quo operibus incumbunt maximè neceſſarijs & communibus, qualia ſunt comedere panem, res enim etiam bonę illis timorem & pudorem incutiunt, nec unquam ſunt ſecuri quidquid efficiant.

Univerſaliorem reddit idem Job *b* propoſitionem, dicens peccatorem perpetuis agitari commotionibus; & quod dixit de die *tenebrarum*, id enunciat ſub terminis belli & pacis. Sicut enim pulchritudo diei illum non reddit ſpecioſiorem, nec illuſtriorem, ſed potiùs unicuique exhibet intuendam illius infamiam, & obſcuritatem, & pudorem inſpiciendum, eò quòd recipere non poſſit diei beneficium, ſic eſt obſcurus & nebuloſus, *paratus tenebrarum dies.* Sic ut oſtendantur continuæ agitationes quibus commovetur, dicitur ſemper inter pacem formidare, *Sonitus terroris ſemper in auribus illius; & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Videte miſerandam ejus conditionem, cùm ne vel unicâ horâ pacis potiatur beneficio; ſemper enim in intimis cordis ſui penetralibus clangentes audit buccinas, & perſtrepentia tympana, quæ bellum videntur ei indicere, & univerſi, qui b Job 15. 21. &c.

enun-

enunciantur ipſi ſermones, videntur ipſi interitûs prodromi; ſicut nobilis aliquis vir qui infidelis & rebellis Regi ſuo, arcem occupans ſeditione infami commotam, non obſtantibus pace & inducijs, quibus potiuntur alij, ſibique promiſſis, ſi fortaſſis reſipuerit; aculeo conſcientiæ pravæ ſuæ ſtimulatus, intuens ſe punitione dignum, quotieſcumque clangit tuba, audire ſibi videtur hoſtem; & quoties vel minimum audit ſtrepitum, toties imaginatur Regem, aut quemlibet alium ab illo miſſum, venientem caſtigatum ſe rebellionis ſuæ, quod idem eſt quod eloquitur Salomon *e*, *Sive*

e Sap. 17. 18. & 19 *ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo: deficientes faciebant illos præ timore.* Putatiſne multa requiri ad terrendum peccatorem, ita ut animi patiatur deliquium, pudore ſui criminis intuitu ſuffuſus? Heu! unicus ſufficit exiguus ventus, dulcis avium cantus, torrens aliquantulum rapidus qui efficiant ut vereatur ille ne ventus iſte ipſum in terram dejiciat, ne aves illæ inter ſe interitum ipſius ac deſolationem machinentur; ne rivus iſte ipſum ſuis immergat aquis, neve torrens iſte ipſum ad inferni uſque pertrahat abyſſos. Inde fit ut hujuſmodi profligatæ vitæ homines oſtia ſemper inquirant, unde fugam opportunè poſſint capeſſere, & præ ſuorum pudore delictorum ſe hominum obtutibus eripere, *Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, ſic erunt filiæ Moab* d. Id eſt,

d Iſai. 16. 2. animæ peccatrices jugi perculſæ metu, & continuo pudore affectæ. Obſervaſtiſne aliquando cùm aliquis è caveâ educere vult aliquam avem in eâ concluſam, in eamque ſuam immittit manum, quonam pacto ſuis ſe agitet alis avis? Vadit illa, venit, aſcendit, deſcendit, pedibus percutit æquè ac roſtro & pennis caveam, nec ullum eſt in eâ foramen, in quod ipſa ſuum non conetur intromittere caput, ut tentet utrùm poſſit ipſa e ſuo avolare carcere; & quoties eamdem intuetur manum, licèt non intra eamdem caveam miſſam, iiſdem toties cietur ipſa motibus, & pari angitur ſupplicio. Pulli verò, quos parens è nido expulit, cùm viribus non vigeant ad volandum, & ad ſecuritatem ſibi conciliandam, foramina inveſtigant quælibet obvia, in quibus delitescant, ſentes & rubos intimos pervadunt, intra lapidum acervos permeant, circumquaque vagantur, ad occurſum cujuslibet exilis beſtiæ terrore concutiuntur, & locum mutare coguntur. Si in aliquo ſint concluſi cubiculo, ſubter abacum aliquem ſe recipient, ibique præ tantâ immorabuntur pertinaciâ, ut inde potius eruendi ſint mortui, quàm illinc exire proponant ſibi. Talis eſt prava conſcientia, *ſicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes.* Videte peccatores ſemper fugam inquirere, etiam inter ſentes ac rubos, & loca maximè ſpinoſa ac importuna; imò inter ſecreta abacorum latibula; expulſi enim ſunt domo Dei, & è nido Patris æterni dicentis per Prophetam *e*, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter*

e Iſai. 59. 2. *vos & Deum veſtrum*, ut cuilibet infortunatæ exponantur infelicitati obviæ oppetendæ. Dummodò latère poſſint, utrumque eſt ipſis indifferens; ſciunt quippe ritè quod, ſi ipſi ſe intueantur, ut expedit, nec viribus polleant, nec meritis, quorum beneficio, hominum intereſſe poſſint conſortio, minùs autem Dei præſentiæ ſe exhibere, quin pudore ſuffundantur, terrore percellantur, timore mortis concutiantur, Divina judicia formident, & condignas ſuis iniquitatibus & inobedientijs luant pœnas.

Sed cur exempla emendicamus inter animalia? cùm meliora & manifeſtiora nobis ſubminiſtrent homines. Conſulamus Adam omnium primum, & videamus an non ſtatim ac de fructu comedit, *abſcondit ſe, & uxor ejus à facie Domini in medio ligni paradiſi*, pudore æquè ac terrore repletus, quippe qui *cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata* f. Non ſolùm *f* Gen. 3. 6. &c.
conjunx illius, puſillanimitatis & pudoris actum exercuit, quæque fugam arripuit veluti mulier; ſed ipſe apprehendit fugam primus, ipſe, inquam, qui in ſtatu gratiæ conſtitutus, inſultationibus reſtiterat diaboli, puſillanimior uxore ſuâ effectus, cùm prior fugam apprehenderit. Quænam autem fuit fugæ illius cauſa? Profectò prava ipſius conſcientia. Ait Theodoretus *g*, *Inde conſtare poteſt* *g* Theod. Queſt. 102. in Gen.
apertè, conſcientiæ judicium eſſe inevitabile. Quippe quæ ſuipſius efficitur accuſatrix & teſtis. *Quippe judex incorruptus, conſcientiam puta, cùm adverſus hominem exurgit, clarâ voce clamat & accuſat, & oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit peccatorum magnitudinem*, eloquitur S. Chryſoſtomus *h*. Latet *h* S. Chryſoſt. hom. 17. in Gen.
conſcientia coram omnibus, ſed inſurgit contra peccatorem, qui vellet ipſam abſcondere, concupiſceret ipſa ut ſua oblivioni traderentur delicta, *Nihil potentiùs conſcientiâ, in qua ſcilicet confixa litera ſunt ſolida. Facinora tua te arguunt, & conſcientia tua teſtimonium præbet*, dicit Theodoretus *i* *i* Theod. in c. 17. 3 Jer.
idem, peccatorem alloquens. Ita ut ille qui ſcelera perpetravit, quò magis ea è recordatione ſuâ expungere ſatagit, eò magis illa ſuæ impreſſa memoriæ experiatur, ut majori pudore æquè ac timore percellatur. Et licèt ipſe nullum alium denunciatorem aut accuſatorem pateretur præter ſeipſum, ipſe ſibi ſatis foret ad capeſſendam fugam, *Fugit impius nemine perſequente* k, *Nuſquam* *k* Prov. 28. 1
eſt ſecurus, quia ſemper timet, ſubjungit Lyranus, ſcribens in hunc locum. Cùm in jacturam amicitiæ Dei incurrerit.

Hæc eſt infelicitas, quæ inſeparabiliter comitatur impios. Peccatum enim non ſolum animæ mortem infert, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* *l* Ezech. 18. 4. & 20.
l: Eamque inſuper gloriâ privat ſempiternâ; ſed præterea aliquo modo per ſuos prodromos innumeras illi irrogat mortes tot modis quibus angit cor, & depravatam conſcientiam peccatoris. Compertum enim eſt, quòd ubi aliqui flagitioſo ſe contaminarant ſcelere, illico novo percelluntur timore & pudore, & fugam meditantur, ut oculis hominum ſe eripiant præ pudore. Et illi qui ita liberè criminibus indulgent, ut *quaſi aquam iniquitatem* m bibant, concupiſcerent ut ſua homines *m* Job. 15. 16.
laterent facinora, aut ut eorumdem obliviſcerentur iidem homines; opinio enim, quâ ducuntur ſe fuiſſe viſos, nec ſuas approbari ab honeſtis hominibus actiones, efficit ut continuis anxientur ſuſpicionibus, & animi inquietudinibus; & ut, ſtatim ac duos adinvicem intuentur inter ſe colloquentes homines, ab ijs de ſe miſceri imaginentur ſermones; & ut, ſi aliquam audiant fieri exclamationem ab aliquo, cogitent illico eam ortam ex admiratione ſuorum ſcelerum, & ſuorum tali exclamatione adjurari enormitatem facinorum. Si advertant Dominum ſuum, Judicem, aut Magiſtratum, aut Principem faciē præ ſe ferre iratam, ſtatim exiſtimant culpam ſuam illi eſſe notam; & ideò eum ſic affectum iracundiâ, ut ipſos caſtiget, aut è ſuâ procul ipſos amandet amicitiâ. Si aſpiciant populum aliquo modo magis quam ſolito

com-

Digitized by Google

commotum, inde inferunt deliĉtum ſuum eſſe publicum, ſeque non ampliùs auſuros faciem ſuam purâ pudore ſuffuſam in publicum prodere. Et fortaſſis nemo eſt qui notitiam illius ſibi comparaverit. Neſcient illud Superiores: Propinqui aut vicini nihil illius didicerint: Populum talis latebit iniquitas, nec aliquid illius rumor ſparſe-
n Jer.17.10. rit: Solus *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* n, eam ſciet. Sed quid? Mala conſcientia has producit imaginationes. Deformitas vitij efficit ut qui ipſi eſt obnoxius, omnium vereatur incurrere indignationem, *Fugit impius nemine perſequente.* Maxima autem hominis miſeria in eo eſt ſita, ut ſciat quòd in animâ ſuâ aliquid inveniatur reprehenſione dignum; impoſſibile enim eſt ut non perſuadeat ſibi, quòd citò, aut tarde ſibi ſit eventurum aliquod infortunium; & quantùmcumque hilarem præ ſe ferre videatur vultum, conſcientiam internis perturbatam gerit ſtimulis ipſum jugiter angentibus, & ſingulis momentis intolerandam
o Sap.17.10. ipſi mortem irrogantibus. *Semper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia* o. Quam ut plurimùm conſtatur pallor in facie, tremor in voce, & motus & agitatio in toto corpore: quæ omnia oriuntur ex timore, quo impij percelluntur, vel ex pudore quo ſuffunduntur intuitu ſuorum criminum; cùm è contrà Juſti & Boni generoſum præ ſe ferant animum.

II. Pars. Nihil eſt certius ſolam bonam conſcientiam carere in vitâ metu, & à pudore immunem eſſe medias inter dedecoris occaſiones uſque eò, quòd ſi injuſtæ accuſationis machinamentum inſurgat in aliquem probatæ vitæ hominem, quem non mordeat depravatæ coluber conſcientiæ, quique nihil perpetrarit, quod faciem ipſius pudore poſſit operire, Ha! innocentia ubicumque inveniatur, addit illi animum, & ſi agatur de re aliquâ graviſſimâ, cujus inſimuletur ipſe contra veritatem, ita ut ſiſti debeat ipſe coram Judicibus, & ſuſtinere turbinem tumultuoſum aut falſæ alicujus accuſationis, aut injuſtæ condemnationis, Ha! nihil eſt quod ſtupore animum illius poſſit concutere; viam, per quam ad tribunalia debet accedere, deprehendit omnino planam ac facilem, novis ſe animatum experitur viribus, ſana & impolluta conſcientia ſua celerem ſubminiſtrat ipſi agilitatem non ad fugam capeſſendam, ut fugiebat Cain
p Gen.4.12. fratricidij ſacrilegi conſcius *vagus & profugus ſuper terram* p. Non ad latendum, ſicut latebras quæſivit Adam conſcientiâ ſui criminis ſtimulatus, &
q Gen.3.8. pudore ſuæ inobedientiæ correptus, cùm *abſcondit ſe à facie Domini in medio ligni paradiſi* q. Non ad dicendum ſe indignum eſſe qui cœlos reſpiciat, aut videatur a creaturis, ſicut dicebat Rex Manaſſes ingenti peccatorum onere prægravatus, *Peccavi ſuper numerum arenæ maris: multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum. Incurvatus ſum multo vinculo ferreo, ut non poſſim attolere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi* (ſi fortè conſtrictus ſit iſte vinculis ut ſic trahatur ad carcerem, ſicut catenis vinctus erat Manaſſes Babylone detentus captivus) *quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam, & mandata tua non cuſtodivi: ſtatui abominationes, & multiplicavi offenſiones* r. Sed ut æquo ac libenti
r 2. Paral. c.36. in Orat. Manaſſ. coram Judicibus, inquiſitus ſe præſentet animo. Si enim alicujus ſe criminis agnoſceret conſcium, poſſet ipſe vereri ne propria conſcientia præcipui ageret vices Juſtitiæ miniſtri, qui invitum ipſum traheret ad tribunalia, ipſumque accuſaret in ipſo vel Curiæ veſtibulo, & ne pudor, quo ipſe eſſet ſuffundendus, ipſi ſic ſermonem eriperet, ut ne vel ullum proferre poſſet verbum defenſionibus & juſtificationibus ſuis conſtruendis accommodum ac perutile. Sed ipſe pro comperto ſe habere novit, in animâ ſuâ nihil deliteſcere quod ipſum trahat invitum, animum præ ſe fert ipſe generoſum, & frontem intrepidam, æquiſſimo juri ſuo inconcuſſè innixus; & fortaſſis recordatur ipſe promiſſi, quo alligavit ſe Deus ijs, qui ad hujuſmodi neceſſitatis aliquando ſe intuerentur redactos anguſtias, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos* s. Quaſi di-
ceret, Præbebo tibi ſpiritum fabricandis defenſio- s Pſ.31.8
nibus tuis conſonum, inſtituam te ac edocebo, & te veluti manu ducam per iter, quod erit tibi peragendum; & mei ſuper te figentur oculi, ut viam diſcernere poſſis rectiſſimam, tuendo juri tuo accommodam, ut ſentire videtur S. Hieronymus t.
Qualem intellectum dat Deus Eccleſiæ ſuæ? Vis intel- t S. Hier. in hunc loc.
ligat pro qua cauſa anxiatur Sanctus, & facit proſperare peccatores. Intellectum dabo tibi, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris. In via ſcilicet confeſſionis iſtius doceam te ſapientiam, ut non recedas ab ea. Intelligere te faciam, & docebo te in via hac, quâ gradieris. Vox Domini loquentis inducitur, & docentis, quomodo homo ſuum mereatur auxilium, ſi Dei videlicet præcepta cuſtodiens, recto feratur itinere. Firmabo ſuper te oculos meos. Vox Chriſti ad Eccleſiā. Firmabo ſuper te oculos meos, id eſt, aſpectum Divinitatis. Firmabo ſuper te oculos meos, ut in dilectione luminis mei permaneas ſemper, nec unquam à rectâ mandatorum meorum viâ aberres, ſed intra debitos legis meæ limites inviolatè te cuſtodias medias inter pudoris & dedecoris importunas occaſiones.

Sed quem intellectum impertietur illi Deus in tali occurſu? nam inimici illius qui intendunt accuſare eum coram Judicibus, propoſuerunt ſibi eum convincere alicujus enormis criminis per fas vel per nefas, nec illius parcent innocentiæ, nec ullum obmittent mendacium, aut artificium, nec ullam quamlibet exaggerationem, aut induſtriam ſibi poſſibilem, ut ei dedecus & infamiam inferant. Ha! Deus dabit illi intellectum magis induſtrium quam ſint hæc omnia, ut cuſtodien-
do honori ſuo conſulat, ut ait Lorinus u, *Non de* u Lorin. in hunc loc.
potentia intellectûs, nec de habitu primorum principiorum, nec etiam de dono uno ex ſeptem Spiritûs ſancti x; *ſed de actu docendi loquitur, ſive de auxilio actuali, quo prudens reddatur quis ad cavendas inſidias hoſtium, & diſcernendos inimicos ab amicis.* Et licèt x ex Iſai. 11.2.
honos illius in judicium nunquam fuerit adductus contradictorium, nec in illo obſervatum fuerit unquam aliquid reprehenſione aut cenſurâ dignum, nec edoctus fuerit ipſe juris formulas, nec reſponſa interrogationibus juridicis ſibi faciendis dare ſciat juxta modum procedendi conſuetum & inſtructiones judiciales; quin imò nec fortè ſciat iter, per quod pergendum ſit ad tribunalia, ne ſuum reſpondere noverit ad inquiſitiones ſibi proponendas, & defendere ſe ſuper crimina, quorum eſt accuſandus; conſiderans tamen quod innocentia ſua in gratiam ſui ſit locutura, nec refugit ipſe adire tribunalia, ſecurus quòd probata vita ſua cautam præſtabit cauſam ſuam, confiſus quòd Deus ſibi impertietur intellectum, quo dirigatur ut decet, ita ut ipſo in itinere nec cogitare debeat ipſe quid ſit dicturus, aut unde ſermonem ſuum inchoaturus, aut defenſiones ſuas aggreſſurus, quando ſteterit coram Judicibus: cùm Vadem ſit habiturus Deum, qui dicet ipſi, *Firmabo ſuper te*

ocu-

Digitized by Google

oculos meos. Unde concludit Lorinus, *Ergo firmitas hæc oculorum* Dei, *demonſtrat attentam, ſoriam, ſedulam curam, diligenter excogitata, meditatoque conſilio, quòd alium velit docere, aut ejus commodis conſulere.* Si igitur Deus ſuos in eum projiciat oculos, & conſideret agonem, in quo ipſe generoſo ſe gerit animo, ſeque ei exhibeat præſentem ut vires ei addat, ac animum contra inimicos, à quibus impetitur, ne aliquid fortaſſis agat injurioſum Divinis legibus, & ut hæc Divina ſua præſentia Divinorum judiciorum inſpiret illi timo-
y Pſ. 32. 18. rem, ut ait Propheta y, *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum. & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus:* iſte intuitus ſic erit illi perutilis, ut impoſterùm ſit ipſe crediturus quòd iidem oculi Dei futuri ſunt ſibi ſic propitij, & præſentia illius ita ſibi proficua, quòd illa ſit cautam præſtitura cauſam ſuam coram omnibus, cùm ipſemet Deus Vadem ſe conſtituet pro ipſo; & quod intellectus, quem ipſi providebit, ſit futurus ſpiritus candoris & ſimplicitatis, cùm ſint ipſius *oculi columbarum. abſque eo*
z Cant. 4. 1. *quod intrinſecùs latet* z. Hos igitur oculos præ ſe ferens ſimplices omnino ac puros, non ſataget adhibere mendacia, nec ſubterfugia, nec æquivocationes, nec artificia, nec inventiones, reſpondens purè, & ſimpliciter ad alleganda; & cùm præ oculis ſolam ſit habiturus veritatem ac innocentiam, cauſam tuebitur ſuam, & litem perducet ad victoriam.

Quod autem dixit Deus Prophetis, illud idem annunciavit ſuis Chriſtus Apoſtolis, cùm præcepit eis ut circumquaque liberè pergerent tantâ ſimplicitate, quantâ oves exponuntur lupis, *Ecce ego*
a Matth. 10. 16. *mitto vos ſicut oves in medio luporum* a. Suis fideles ſuos vult communicare Chriſtus paſſionibus; ideò
b Hugo Card. in hunc loc. Hugo Cardinalis b ſuper hæc verba ait, *Hic prædicit inſtantiam paſſionum, ne continua proſperitas emolliat. Dicit ergo. Ecce ego Deus mitto vos homines, ſicut oves in medio luporum. Sicut me Pater ad paſ-*
c ex Jo. 17. 18. *ſiones: & ego mitto vos* c; ut generoſum veſtrum exhibeatis animum, cùm expoſiti eritis tolerantijs & perſecutionibus, quæ veſtræ notæ ſunt prædeſtinationis, & ut mihi prædeſtinatorum Primogenito efficiamini ſimiles, *quos* Pater æternus *præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui,*
d Rom. 8. 29. *ut ipſe Primogenitus in multis fratribus* d efficiar. Eandem magnanimitatem & patientiam præ ſe ferre Juſtos & Bonos invitat Dionyſius Carthuſia-
e Dion. Carth. a. 20. in Matth. 10. 16 nus e, exponens ſupradicta verba Evangeliſtæ, dicens, *Salvator docet diſcipulos, omneſq; Prædicatores*, & in eorum perſona omnes fideles, *ad veram prudentiam, ad invictam atque fortiſſimam patientiam, ad plenam quoque habendam in Deo fiduciam. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, id eſt, ſicut mittuntur homines pij, innocentes, ac ſimplices, qui ovibus comparantur: inter rapaces, voraces, crudeleſq; homines, qui more luporum opprimunt inno-*
f Iſa. 3. 15 *centes: juxta illud Iſaiæ* f *Prophetæ, Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* Cùm ad tribunalia perrexeritis, de varijs inquiſiti criminibus falſis quorum inſimulabimini, videbimini vobis fortaſſis non habituri unde præſentare vos poſſitis Judicibus; ſed ne deſinatis propterea intrepidâ fronte coram illis ſiſti, nec meditemini quænam palam illis dicturi ſitis; veritas enim loquetur pro vobis, veſtra innocentia inquiſitionem elaborabit vobis perutilem, & veſtra ſimplicitas in veſtrum leges interpretabitur commodum ac emolumentum, *Dum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loqui-*
tur in vobis g. Quæ verba diſertiſſimis commen- g Eccleſia ex Matt. 10. 19. & 20.
tatur idem Dionyſius h verbis non omittendis, *Cùm autem tradent vos ante conſpectum Regum & Judicum, nolite cogitare, id eſt, anxie præmeditari, & cum ſolicitudine quadam inquirere quomodo aut quid loquamini, id eſt, per quem modum, vel quam rationem ſeu reſponſionem detis ad objecta vel interrogata. Sed ne homo in ſua præmeditatione, inquiſitione, vel eruditione confidat aut turbetur: & metuat ſi tempus præmeditandi non habeat. Hujus inſuper efficax ratio aſſignatur. Dabitur enim vobis in illa hora traditionis veſtræ, quid loquamini, id eſt, Divinitùs mentibus veſtris infundetur ac revelabitur apta reſponſio. Tunc enim potiſſimum adimplebitur quod Dominus loquitur.* h Dion. Carth. a. 20. in Matt. 10. 19. & 20
Aperi ſeu dilata os tuum, & implebo illud i, *cujus an-* i ex Pſ. 80. 11
nectitur ratio. Non enim vos eſtis qui loquimini quaſi principales locutores, vel ex proprio ingenio reſpondentes, Sed Spiritus Patris veſtri, id eſt, Spiritus ſanctus à
Patre æterno procedens k, *eſt qui loquitur in vobis, id* k ex Jo. 15. 26.
eſt, in anima veſtra, per inſpirationem internam, docendo vos juxta illud, Audiam quid loquatur in me Do-
minus Deus l: *Propter quod dicit Salvator, Paraclê-* l Pſ. 84. 9
tus Spiritus ſanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vo-
bis omnia quæcumque dixero vobis m. *Vel, Loquitur* m Jo. 14. 26.
in vobis, id eſt, per os veſtrum, tanquam principalis lo-
cutor, prout in Actis n *de Stephano ſcribitur, quòd Ju-* n ex Act. 6, 10.
dæi non poterant reſiſtere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur. Juſti ergo & Boni ſunt veluti oves, cùm citantur aliquando ante lupos voraces, id eſt, inimicos ſeu Judices, ſeu accuſatores, qui carnem illarum ovium innocentum, id eſt, hominum probatæ vitæ devorare intendebant; ſed Divinâ ſic diſponente Providentiâ, loco carnis inveniunt ſcelerati illi & iniqui juſtitiæ miniſtri oſſa conſtantiæ ſtabilis & inconcuſſæ, & magnanimitatis incomparabilis; ſi verò velint iſtis hæc oſſa conterere, & hanc firmam conſtantiam labefactare inimici, iſtis alia non opponunt ſimplices illi homines arma niſi innocentiæ, memores illius, quod edocuit ipſos Chriſtus, dicens, *Ne ergo timueritis eos*
o, ſcilicet, addit Dionyſius Carthuſianus p, *pro-* o Matth. 10. 26.
pter injurias & contumelias, quas vobis poſſunt infligere, ſed potiùs exultate in omni adverſitate, quam ab eis patimini: conſiderantes quid paſſus ſim ego, & gloriantes in hoc, quòd Domino veſtro, ac Magiſtro conformari meruiſtis, cùm hoc ſit beneficium ingens. Quid enim tam glorioſum eſt ſervo, quàm ut Domino ſuo aſſimiletur? Ha! quam fidelis eſt hominibus quos impetit perſecutio, cuſtodia, ſana & recta conſcientia. Vitium latet, virtus palàm procedit, conſcius criminis fugam capeſſit, immunis à ſcelere ſe præſentat; Accuſatores, Teſtes, & forſan etiam ipſi Judices utpote criminoſi omnes tremore concutiuntur, & vitæ probatæ homines ex malitia pura accuſati, manent intrepidi, & generoſam præ ſe ferunt magnanimitatem, eò quòd à nullo rodantur conſcientiæ pravæ verme. Veritatem habent pro vade, legem Dei pro tutela, innocentiam pro cauſidico, ſimplicitatem pro procuratore, omnes actiones ſuas prævias pro copijs ſaccularibus juſtificativis, & Deum pro Judice legitimo qui jus ipſis tuebitur contra omnes adverſarios ipſorum, quippe qui innocentum *protector eſt om-* p Dion. Carth. a. 20. in Matt. 10 26.
nium ſperantium in ſe q, ut det illis gratiam q Pſ. 17. 31.
ſuam in hoc mundo, & gloriam ſuam
in altero ſeculo.

Digitized by Google

FERIA IV. DOMINICÆ III. ADVENTVS.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abrahaen de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Gen. 22. 2. &c.

PUlchritudo Eſther tantâ viguit potentiâ, ut ſine multo labore Regis Aſſueri cor ſibi devinxerit, ita ut magnus iſte Monarcha extenderit *contra eam virgam auream, quam tenebat manu* a, ut illam poſtea præ pedibus ejus quaſi victus poneret, & promitteret ei ſe daturum ipſi *dimidiam partem regni ſui*, ſi eam peteret ipſa, poſteaquàm totum ſuum ei cor tribuiſſet. Et ſolus vel intuitus Regis David non ita pudicus, projectus in *mulierem ſe lavantem, ex adverſo, ſuper ſolarium ſuum*, Bethſabee nomine, quæ *erat mulier pulchra valdè* b, & ex oculo delatus ad cor, ſic fuit validus, ut nomen magni iſtius Principis mutaverit, ita ut David nomen ſumens adulteri, amiſerit eximium illud, quo vocabat ipſum *Dominus virum juxta cor ſuum* c: & ſpecies mulieris iſtius fuit iſtius omnis cauſa infelicitatis, cùm tale ſit imperium ejus in corda ſpectatorum ipſius. Lenocinia caſtæ viduæ Judith erant innocua, ſpecieſque ejus formoſiſſima, *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem* d. Ita ut ſpecies & gratia ſimul concurrerint ad perficiendum opus eximium; *Cor autem Holofernis concuſſum eſt: erat enim ardens in concupiſcentia ejus.* Pulchritudo pudica Iſaac magis ſinceros conciliavit ſibi Patris ſui Abrahæ affectus, cùm proprium ſit pulchritudini corda ſibi aſciſcere, ut ait David de Chriſto, cujus typus erat Iſaac, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende; proſperè procede, & regna* f *in homines, hos tibi voluntate ipſorummet ſpontaneâ devinciendo, atque ſubjiciendo*, dicit Lorinus g. Species Iſaac amorem ſibi comparaverat Abrahæ, *Quem diligis Iſaac.* Heri ſacrificavit Deo Abraham paſſionem pudoris, cùm *de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino; ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hodie verò immolat Deo pudicam formam filij ſui, cùm *tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac*, eo fine *ut eſſet typus Chriſti crucem bajulantis*, ait Cornelius h. *Vnde eum & in parabolam accepit* i Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus k, *Vnde & Abraham eum, videlicet Iſaac, in parabolam, id eſt, typicam ſignificationem accepit; intellexit namque pro Iſaac ſignificari Chriſtum, & per immolationem Iſaac Chriſti paſſionem. Per hoc tamen quod non Iſaac, ſed aries immolatus eſt, præfigurabatur, quòd Chriſtus ſecundùm Divinitatem ſuam impaſſibilis ſuit, ſecundum humanitatem verò occiſus eſt.* Et hoc eſt quod dicit ſequela noſtri textûs, *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Super quod dicit S. Ambroſius l, *Quâ ratione arietem? Quaſi præſtantem utique cætero gregi? Quâ ratione ſuſpenſum? Vt adverteres hoſtiam illam non eſſe terrenam. Quâ causâ cornibus ſuſpenſum, niſi quòd caput ſuum virtute ſuperiore à terris levaret? juxta quod ſcriptum eſt, Cujus principium ſuper humerum ejus* m. *Quis utique ſignificatur, niſi ille de quo ſcriptum eſt, Exaltavit cornu populi ſui* n? *Cornu noſtrum Chriſtus eſt, qui præſtitit omnibus, ſicut legimus, Speciosus formâ præ filiis hominum* o. *Solus elevatus & exaltatus à terris, quemadmodum ipſe nos docet; cùm loquitur, Ego non ſum de hoc mundo, ego de ſupernis ſum* p. *Illum vidit Abraham in iſto ſacrificio, hujus paſſionem aſpexit* q, & formam figuratam in ſpecie ſui Iſaac, quam immolat Deo, ſicut ſuam ſacrificavit Deo eidem Maria pulchritudinem, quæ illius Filium ſuis lenocinijs in ſinum ipſius attraxit, in quo *Verbum caro factum eſt* r, ſtatim ac ipſa reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum* s, Angelo dicenti ipſi, *Ave Maria.*

a Eſth. 5. 2.
b 2. Reg. 11. 2. &c.
c 1. Reg. 13. 14.
d Judith 10. 4.
e Ibid. 12. 16.
f Pſ. 44. 5.
g Lorin. in hunc loc.
h Corn. in Gen. 22. 6.
i Hebr. 11. 19.
k Dion. Carth. a. 11. in Hebr. 11. 19.
l S. Amb. l. 1. de Abrah. c. 8

Nemo dubitat nos debere in omnibus Legibus intueri potiùs intentionem Legiſlatoris, quàm ipſam Legem. Perſæpè enim leges vituperatione poſſemus inſequi, neſcientes quid intenderit ille qui eas inſtituit, eò quòd juxta apparentiam riſu dignæ videantur, etiamſi rectæ rationi ſint valdè conſonæ. Re enim verâ qui non calleret intentiones Ægyptiorum, & legem quâ ſtatuerunt, ne calceatæ incederent mulieres, vituperaret eorum inſtituendæ legis hujuſmodi modum velùti nihil præ ſe recti judicij ferentem. Lex inſtitui debet, ut ait S. Thomas t, ad hunc finem, ut pacem conciliet inter homines & Deum, inter uxorem & virum. Volebant igitur Ægyptij ut diſcalceatæ incederent uxores, ut invitarent eas ad cuſtodiendam domum, & ad declinanda adulteria, quæ utplurimùm tot perpetrantur curſibus, egreſſibus, & regreſſibus repetitis inutiliter, pudor enim, quo ſuffundebantur intueri ſe diſcalceatas, efficiebat ut magno ſe velo obnuberent, & ſic velociter ſua negotia expedirent greſſibus citatis, cùm proprium ſit captivorum nudis incedere pedibus. Non debebant igitur illæ aſpici, nec de amore inquiri, cùm magna ſit convenientia inter oculos & aures. Intentio igitur Ægyptiorum in eo erat ſita, ut amoris flammas impedirent obſcœni, inducentes uxores ſuas ut domi manerent ut teſtudines, quæ è ſuis nunquam exeunt habitaculis, quò ab innumeris declinarent infortunijs, quæ ex frequentibus nec neceſſarijs oriuntur inceſſibus & receſſibus. Sic ſi Dina filia Jacob domi ſe continuiſſet, non fuiſſet ipſa cauſa infortunij & dedecoris totius progeniei ſuæ, non fuiſſet Principis Sichem *conglutinata anima cum ea, triſtemque blanditijs* u nequaquam deliniſſet. Si domo non fuiſſet egreſſa filia Jephte, pater ſuus eam non effeciſſet zeli ſui victimam, cùm *votum vovit Domino, dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domûs meæ, mihiq; occurrerit revertēti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtū offeram Domino* x, autumare non valens, quod filia ſua quæ nunquam aut rarò domo exibat, ſibi fortet obviam

m ex Iſa. 9. 6
n Pſ. 148. 14.
o Pſ. 44. 3
p ex Jo. 8 23.
q ex Jo. 8 56.
r Jo. 1. 14.
s Luc. 1. 38 & 28
t S. Thô. 1. 2. q. 99 a. 1. ad. 2.
u Gen. 34 1. &c.
x Judic. 11 30. &c.

obviàm proceſſura, & triumphanti congratulatura. Miſerandus pater iſte ſic afflictus ex hoc occurſu inopinato, ac lætus erat ex felici armorum ſuorum ſucceſſu, eâ viâ ait, *Heu me! filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Qualis infelicitas tibi, & quantum mihi infortunium ut mihi procedas obvia. Sed nihil intereſt. Vota quibus ſe quis obſtringit Deo, inviolatâ cuſtodienda ſunt fidelitate. De tua agitur vita. Ut quid domum non cuſtodiebas? Ipſa profectò calceos præ ſe ferebat. Si conſuetam coluiſſet ſuam Judith ſolitudinem, pravo non fuiſſet illius correptus amore Holofernes, nec eo fuiſſet conſumptus, ſicut paulatim conſumitur papilio calore accenſæ candelæ, erat illa calceata, unde captus fuit ille Dux, *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus* y. Quantâ vi pollet pulchritudo! quanto potitur ſpecioſa forma imperio! Nihil eſt quod ipſa non poſſit. Hoc inducit me ut apologiam texam pulchritudinis modeſtæ, & invehar in inſolentem. Duæ igitur pulchritudines, innocens, & crimino ſà duplicem hujus diſcurſûs conſtituent partem.

y Judith 16. 11.

Diviſio.

Aſſerit S. Thomas z perfectam pulchritudinem hæc tria exigere, integritatem, debitam proportionem, & claritatem. Alij verò dicunt illam eſſe ſitam in concinna membrorum ſymmetria, quæ corpus componant ſuavi, ſpecioſo, & jucundo colore ornatum; ſic candor & rubedo dulciter mixta in facie, manu naturæ benè conſtructa ſplendentem huic dulci pulchritudini afferunt lucem, hanc illuminant formoſam ſpeciem, quam veluti immiſericors idolum homines venerantur, rati non poſſe meliùs illi miniſtrari quàm ſacrificio libertatum & cordium ſuorum. Tantis claret illa lenocinijs, ut fateri cogamur, quòd ratio noſtra nimis ſit debilis ad exponendam ejus naturam, ſicut cor noſtrum nimis eſt infirmum ad declinandum ab attrahenti decôre illius; & omnis ordo, diſpoſitio partium, convenientia linearum, colorum, umbrarum nihil ſunt niſi diſpoſitiones emortuæ quæ materiam præparant ad ſuſcipiendam hanc qualitatem cœleſtem, & ad erigendum ei thronum, unde illa præ majori legem præſcribat majeſtate.

z 1. Part. S. Thô. 1. p. q. 39 a. 8. ad corp.

Tria inter homines eſt invenire ſic prodigioſa ut triumphum de univerſis referant, & hæc ſunt fortitudo, ſapientia, & pulchritudo. Sed præ hac differentia quòd fortitudo labori debeat vacare, brachium movere, & multis ſe periculis exponere, ut ad exitum perducantur conſilia ſemper præ magna cura, & fronte ſudore perfuſâ. Sapientia ſtudio teneatur incumbere, & verbis electis rationes ſuas deducere, quibus ſua exequatur propoſita. Pulchritudo verò abſque ullo labore, brachijs in modum crucis, ut dicitur, complicatis, & ne ullo quidem prolato verbo, ſe duntaxat intuendam exhibendo, certamen indicat, arces obſideat potentiſſimas, glorioſas referat victorias, & omnibus conſilijs ſuis fortunatum impertiatur ſucceſſum. Ideò jure meritò nuncupari poſſet ipſa regnū, quod nullis indigeat militibus, nec ullis inſtrumentis aut tormentis bellicis, generoſè potens, & univerſa ditioni ſuæ ſubjiciens. Antiqui poſituri noſtros ob oculos illius fortitudinem, ſpecioſiſſimam repræſentabant mulierem ſertum ex floribus variegatis compactum præ manibus geſtantem, & proſtratos coram pedibus ſuis intuentem, leonem, leporem, avem, & piſcem, ſignificantes inde, illam ſuperare fortem æquè ac debilem, ſuperbum & humilem; fortem ſignificatum per leonem, debilem per leporem, ſuperbum per avem quæ nubes prætergreditur ac tranſvolat, humilem verò per piſcem qui deſcendit, & in profundis immoratur aquis. Hæc omnia proſternit pulchritudo, & eorum ſibi conciliat abſolutum dominium.

Manifeſtæ ſunt veritatis illius probationes, quæ vos non latent, quas ultrò obmitto ne veſtræ ſim importunus patientię; cùm ſciatis quòd *ſervivit Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* erga eamdem Rachel, quæ *erat decora facie & venuſto aſpectu*. Quin imò & *tandem potitus optatis nuptijs, ſeptem annis alijs* a ſervivit apud ſocerum ſuum Laban, intuitu formoſæ ejuſdem Rachelis. Quòd *ſororem ſpecioſiſſimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, & deperiret in eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cùm eſſet virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneſtè ageret cum ea* b. Quòd Bethſabee quę *erat mulier pulchra valdè*, proſtravit ſanctitatem David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* c, Quia *cùm ingreſſa eſſet ad illam, dormivit cum ea* d. Quòd *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas: his copulatus eſt amore ardentiſſimo; cùmque jam eſſet ſenex depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos* e, ſpecie earum deceptus. Cùmque dixiſſet, *Præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem* f; cogatur tandem dicere, *Stultiſſimus ſum virorum* g. Quòd pulchritudo Omphales Reginæ Lydiæ fortitudinē ſibi devinxerit Herculis, qui dicitur illi in ſervitutem addictus. Sed qualem præ ſe non tulit poteſtatem ſpecies S. Catharinæ Virginis Alexandrinę in Maximinum Imperatorem? Pulchritudo S. Agnetis in filium Gubernatoris Romanę civitatis? Forma S. Agathæ ſuper Quintianum Siciliæ Moderatorem? Et decor tot aliarum Virginum in Tyrannos? cùm iſtæ ſuavem ſuper illorum animos exercerent tyrannidem, cùm illi deinde crudelem & ſævam in earum corpora excrucianda violentiam inſumpſerint: tantum præ ſe fert in corda devincienda ſibi pulchritudo dominium, eò quòd ipſa vocet ad ſe eos qui ipſam intuentur, & ſuis lenocinijs veluti catenis ſecretis & inviſibilibus illorū ad ſe trahat amorem, plerùmque verò præ funeſtis eventibus. Pulchritudo Cleopatrę Ægypti Reginę effecit ut captus amore ejus Marcus Antonius, multa nefanda admiſerit, & deinde bona, honorē, æquè ac vitam amiſerit. Species Helenæ, quā *ſcribit Demetrius Moſchus tantâ venuſtate fuiſſe, ut mirifica admirationi, & ferè ſtupori fuerit ipſis Dijs: quippe cujus curā, Venere tradente, Gratiæ ſuſceperint* †, per multos annos crudele invexit bellum, cujus etiamſi Trojani jure merito timerent exitū, tamen cùm vidiſſent eam aliquando exeuntem è palatio tantis ornatam lenocinijs, quantis eſt decorata Aurora matutino oriens tempore, ſic caligine ſunt offuſi ex intuitu tantæ pulchritudinis ut dixerint quòd ad eam conſequendam, apprimè ſuſceptum fuerit bellum, & quòd merebatur illa ritè ut omnes homines illius ergo adipiſcendę arma capeſſerent. Quod idem eſt quod Aſſyrij dixerunt aliquando de populo Judęo, intuiti formoſam ſpeciem caſtæ viduæ Judith, *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus* h? Belli infortunio captiva effecta puella Hebræa *Eſther pulchra nimis, & decora facie*, oſtendit etiam quod id, quod claritas natalis perſæpè non poteſt promittere, conſequatur pulchritudo, nam cùm *ducta eſt ad cubiculum Regis Aſſueri, adamavit eam Rex plusquàm*

a Gen. 29. 17. &c.

b 2. Reg. 13. 2. & 2.

c 1. Reg. 13. 14

d 2. Reg. 11. 2. & 4

e 3. Reg. 11. 1, &c.

f Eccl. 1. 16.

g Prov. 30. 20

† Calep. in Diction. V. Helena.

h Judith 10. 18.

omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite ejus, feciq; eam regnare i. Ita verum eſt quòd pulchritudo eſt omnipotens ad inducendum ad virtutem, & ad ſanctitatem, cùm eſt innocens.

i Eſth. 2. 7. &c.

Suaviter ipſa devincit ſibi corda, deque ijs triumphat, nedum de rigoribus illius queri poſſit quis. Sic nullos habet ipſa captivos niſi voluntarios, quique ſua adorant vincula. Si autem petatis ab eis, num ipſos ſuæ tædeat captivitatis, & ab eâ volent eximi; reſpondebunt, Quòd non. An pœnas expoſcere velint huic infligendas formæ, quæ ipſos excruciat, nedum deliquerit; Dicent quòd juſte queri non poſſunt de ſupplicio, quod amant, de miſeriâ, quam præ voluptate fovêt, nec de perſona, quam ſummo venerantur cultu, & cui veluti idolo ſua offerunt ſacrificia, cùm ſit martyrij ipſorum interioris cauſa. Sic pulchritudo (loquor de modeſtâ & innocenti) eſt participatio luminis orientis ex eo, qui *candor eſt lucis æternæ* k, radius Divinus in corpora diffuſus, qui eorum exteriorem inaurat ſuperficiem, ijſque communicat quidquid præ ſe ferunt vivacitatis. Poteſtas ejus pendet ab Ente, quod *non habet finem* l. Quare igitur mirabitur quis ſi effecta ejus accedunt ad miraculum? cùm delicias & ſatietates invehant nullis concluſas limitibus, & animos abripiant motu indefeſſo, qui creſcit cùm continuatur, quique non niſi ad ſtuporem terminatur. Nulla præ ſe fert ſpecies lenocinia mercenaria, non amatur illa niſi ob ſeipſam: ſi verò conciliet ipſa ſibi corda, nedum eis utilitatem polliceatur aut commoda, ideò quia eſt imago felicitatis, in quâ inebriabimur *ab ubertate domûs* Dei ſine indigentiâ, *& torrente voluptatum* m ejus potabimur. Nihil igitur invenio in illâ vituperio dignum. Idcirco gravamina & vituperia omnia ei illata penes me ſuſcipio. Dicitur ipſa nos etiam invitos ad ſui amorem allicere, & conſequenter ad offenſam divinæ pertrahere Majeſtatis. Reſpondeo quòd pulchritudo non inducit nos ad violandam Dei legem, ſed pravum noſtrum conſilium, depravata paſſio noſtra, quâ objecta puriſſima torvis intuemur oculis & iniquis intentionibus, & more fœtentium aranearum optima quæque convertimus in venenum. Et ſicut nihil eſt quod non inveniat aliquem ſacrilegum, qui ipſum profanet, ſi pulchritudo, quæ eſt laudum evehenda præconijs, impios reperiat qui ipſam corrumpant, & ſuis ſervire faciant facinoribus; & ſi ex eo quòd malis applicetur uſibus illa, vellet eam quis deſtruere ut damnabilem, & procul à mundo illam amandare veluti ſcopulum, ad quem allideret depravatæ vitæ homines, ab eo auferendum eſſet propter eandem rationem quidquid eſt in eo ſpecioſiſſimum, quia impius poteſt illud profanare, & pravis uſibus applicare. Quid ſpecioſius Sole & aſtris? Et tamen oportet ea à mundo tollere, & nos omni privare conſequenter emolumento quod affert nobis eorum præſentia & influentia. Univerſa ſiccanda eſſent flumina, è quibus tot & tanta educimus commoda, quia in ijs accidere poteſt naufragium. Eliminandæ forent omnes pulchritudines, & cuncti vultus ſpecioſi ab orbe, ut in eo ſolæ remanerent rugæ & imagines peccati. In noſtrâ poſitum eſt poteſtate ut pulchritudines intueamur, aut ut ab eis viſum avertamus. Quoad crimen, totum nobis eſt imputandum, *Perditio tua Iſraël* n. Non arguamus illius pulchritudinem quæ ex ſeipsâ eſt innocens. Hæ ſpecioſæ facies, dicent aliqui, ad ſui nos compellunt amorem, more gratiæ efficacis o, quæ, juxta Theologos, noſtram ſuaviter allicit voluntatem, quia illa venit quodam tempore quibuſdam occaſionibus accommodo, quando non poteſt ei voluntas moraliter reſiſtere, nec impedire ut illa ſuum non ſortiatur effectum; & in hoc à gratiâ differt ſufficienti, quæ medias inter lampades tenebris manet circumfuſa p, nedum ſuum conſequatur effectum. Reſpondeo quòd gratia efficax magis amore nos allicit, quàm violentiâ & quòd in ea ſit magis libertatis, quàm coactionis, cùm ſuis nos ſuaviter attrahat ipſa lenocinis & delicijs. Idem dico de pulchritudine, allicit ipſa nos, nec nos compellit invitos, & omnes ejus violentiæ non ſunt niſi ſuavitates, quæ ſuis nos alliciunt voluptatibus, cùm non habeat pulchritudo ſervos niſi voluntarios. In noſtrâ autem poſitum eſt voluntate ut à pravis ejus declinemus effectibus.

k Sap. 7. 26.
l Baruch 3. 25.
m Pſ. 35. 9.
n Oſee 13. 9
o Ezech. 36. 27.
p Prov. 1. 24. &c.

Quòd ſi pulchritudo modeſta eſſet criminoſa, Virgo Deipara quæ fuit ſpecioſiſſima & perfectiſſima omnium fœminarum, vituperabilis eſſet & criminis conſcia, quod non poteſt dici abſque blaſphemiâ, neque cogitari ſine ſacrilegio. Tot erat illa ornata lenocinijs & ſic innocuis, ut S. Dionyſius aſſerat quòd niſi fuiſſet ipſe S. Pauli diſcipulus, & niſi credidiſſet fide firmâ quòd *Deus unus eſt* q, eam fuiſſet cultu ſupremo veneratus veluti Deam, intuitu tanti decôris, qui reſidebat in eâ tanquam in throno. Pulchritudo modeſta non eſt igitur crimini obnoxia, nec divinus Sponſus ſic ſpecie raperetur Sponſæ ſuæ ut capilli vel unici illius intuitu inflictum experiretur cordi ſuo vulnus, *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa in uno crine colli tui* r. Non opus erat ut *unus militum lanceâ latus* s Chriſti aperiret, cùm vel unus capillus cor ejus vulnerare poſſit. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis* t! *Quàm pulchra es & quàm decora chariſſima* v!

q Deut. 6. 4
r Cant. 4. 9.
s Jo. 19. 34.
t Cant. 7. 1.
v Eccleſia.

Præterea, Si pulchritudo modeſta his obnoxia foret reprehenſionibus, nunquam Dei Filius noſtram aſſumens naturam, in hunc veniſſet mundum his inſtructus ornamentis, ut eſſet *ſpecioſus forma præ filijs hominum* x, præ ſe ferens quidquid deſiderari poteſt ad conſummandam omni parte perfectam pulchritudinem. Corpus habebat puriſſimum, formatum è ſanguine virginali Reginæ virginum, unitum Puritati y ipſi divinæ quæ *non habet finem* z, & organis inſtructum non manu naturæ, ſed digitis Spiritûs ſancti, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* a Opifice longè excellentiore quàm ſit natura; & ſicut illud formabat primum dignitate præ omnibus humanis corporibus, ſic illud primum formavit ſpecie & decôre, impertiens ei formam non mollem & effœminatam, ſed plenam majeſtate conſonâ Divinæ Perſonæ Domini noſtri, & magno conſilio, propter quod illud corpus ipſe ſumpſerat. Debebat igitur Dei Filius incarnatus eſſe *ſpecioſus formâ præ filijs hominum*, & præ ſe ferre lenocinia quibus univerſim omnia ſibi devinciret hominum corda, & ad ſui amorem ſuaviter alliceret.

x Pſ. 44. 3
y Iſai 6. 3
z Baruch 3. 25
a Matth. 1. 20.

Si verò non habuiſſet Dei Filius ſuper facie ſuâ aliquid cœleſte & divinum, nunquam ſecuti fuiſſent eum Apoſtoli, cùm *vocavit eos* b; neque milites qui eum venerant apprehenſum, fuiſſent caligine circumfuſi, nec abijſſent *retrorſum, & in terram* c cecidiſſent. Majeſtas faciei illius ſic erat venerabilis, & fulgura oculorum ejus tantâ fulgebant ſuavitate & vi, ut illi qui eum agnoſcebant, & quibus invidia non turbabat intuitum, eum maximi facerent, illum adorarent, & majo-

b Matth. 4. 22. &c.
c Jo. 18. 6

res ei exhiberent honores, quàm conſequi unquam potuerit a Græcis Alexander Magnus, & Caligula a Judæis. Et tantâ adhuc puerulus & ſic extraordinariâ præditus erat pulchritudine, ut ad eum concurrerent univerſim afflicti omnes conſolationis capeſſendæ ergo, ut ait S. Birgitta, *Dolentes dicere conſueverunt: Eamus, & Filium Mariæ*
d S. Birgitt. l. 4 Revel. c. 7. not. 7 *videamus* d. Et tempore tolerantiarum ejus, miniſtri paſſionis ejus tantos non valentes ſuſtinere radios è Divinâ illius emicantes facie, imitati ſunt corvum qui cadaver aggrediens vorare, eruit illi prius oculos, cùm non poſſit perpeti hanc cryſtallum, quæ ſuam ipſi exprobret crudelitatem; ſic milites rabie agitati *velaverunt eum, & percutie-*
e Luc. 22. 64. *bant faciem ejus* e. Alioquin enim non potuiſſent eclypſi offundere Solem qui tantos luminis vibrabat radios.

Non videtur apprimè ergo locutus Tertullia-
† Tert. l. 3. contra Marcion. cap. 17. ex Iſa. 53. 2. nus †, cùm aſſerit Chriſtum non fuiſſe ſpecioſum, *Si inglorius, ſi ignobilis, ſi inhonorabilis, meus erit Chriſtus. Adeſt Iſaias, Non eſt ſpecies ejus neque gloria: & vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decôrem. Sed ſpecies ejus inhonorata, deficiens citra omnes homines.* Nunquam enim intuenda eſt pulchritudo in tolerantijs, in morbis, in faſtidijs, vel in afflictionibus. Intuetur eum crucifixum, ſanguine perfuſum, oculos præ ſe ferentem lacrymis madidos, os lividum, & totum corpus laceratum, animam præ labijs habentem quam efflet, tunc reverâ haud erat *ſpecies ei neque decor*, ſed *non erat aſpe-*
* Iſai. 53. 2. &c. *ctus* *. Ideò dixit S. Hieronymus f conſiderans
f S. Hier. l. 14. in hunc loc. eum in monte Calvariâ in cruce conſtitutum, *Deſpectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce; & factus pro nobis maledictum* g, *peccata noſtra por-*
g ex Gal. 3. 13. *tabat.* Has omnes propter amorem noſtrum induebat deformitates, licèt foret *ſpecioſus formâ*
† Pſ. 44. 3. *præ filiis hominum* †.

h S. Aug. in Soliloq. lib. uno c. 33 & 31. Vix è ſuâ erutus eſt S. Auguſtinus h cæcitate, cùm aperiens oculos ad intuendam hanc ſpecioſam pulchritudinem, exclamat, *Serò cognovi te Ve-*
* ex Jo. 14. 6 *ritas * antiqua, ſerò te cognovi Veritas æterna. Serò te amavi Pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi.* Auguſtine, quanta erat infelicitas tua! *Væ væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cæli*, & tanto ardore fallacem creaturarum inſequebar pulchritudinem. *Serò te amavi Pulchritu-*
i Dan. 13. 42. *do tam antiqua*, cùm ſis æterna i, *& tam nova*, quia *ſerò te cognovi, & ſerò te amavi.* Sed ſaltem nunc
† ex Deuter. 4. 24. & ex Hebr. 12. 29. & in æternum te diligam, *O Ignis † qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, accende me! O lux * quæ ſemper luces & nunquam obſuſcaris, illumina me*
* ex 1. Jo. 1. 5. k, ut æternæ immergam oblivioni omnes pulchritudines terrenas, ut deinceps in me vigeat me-
k Ibid. Soliloq. c. 34. moria, cogitatio, & amor ſolius tuæ ſpeciei, quæ nullam patitur eclypſim aut imperfectionem. *Nobis ergo jam credentibus, ubique Sponſus pulcher oc-*
l S. Aug. in Pſ. 44. 2. *currat*, ait idem S. Auguſtinus l, ubique ſpecioſus ipſe eſt. *Pulcher Deus, Verbum apud Deum* m in Di-
m Jo. c. 1. vinitate, *in ſinu Patris* n. *Pulcher in utero Virginis,*
n Jo. 1. 18 *ubi non amiſit Divinitatem, & ſumpſit humanitatem*
o ex Luc. 1. 39. o. *Pulcher natus infans Verbum: quia & cùm eſſet infans, cùm ſugeret, cùm manibus portaretur, cæli lo-*
p ex Luc. 2. 7. &c. *cuti ſunt, Angeli laudes dixerunt* p, *Magos ſtella direxit, adoratus eſt in præſepi* q. *Pulcher ergo in cælo,*
q ex Matthæ. 2. 1. & 2. *pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis* r, *pulcher in flagellis,*
r ex Jo. 2. 8. *pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam* s, *pulcher recipiens*
s ex Jo. 19. 1. &c. t, *pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in*
t ex Marc. 16. 6 *cælo, pulcher in intellectu.* Ubique ſpecioſus, & amabilis cùm ſit, Auditores, quare non amamus eum, quare lenocinijs ejus nos abripi non ſinimus. Heu! nunquid noſtræ non pudet nos rebellionis & ſtupiditati.? ut dicamus eodem affectu ducti, quo S. Auguſtinus, *Serò cognovi te Veritas antiqua, ſerò te cognovi Veritas æterna. Serò te amavi Pulchritudo tam antiqua & tam nova, ſerò te amavi.* Bonum eſt objectum voluntatis, ſicut pulchrum intellectûs. Nihil ſpecioſius & melius Chriſto. Quomodo ergo non amabimus eum? Oportet ut ille intolerandâ percuſſus ſit cæcitate, qui iſtis non alliciatur lenocinijs, & omni veluti ſenſu ſeu affectu deſtitutus, qui iſtud non diligat objectum Filij
u 1. Petr. 1. 12. Dei, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* u. Non eſt igitur pulchritudo modeſta vituperatione digna,
x 1. Tim. 2. 9 cùm S. Paulus x conſulat mulieribus conjugatis ut modeſtè orment ſe, quò legitimos virorum ſuorum ſibi concilient affectus, *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe.* Sed è contra crimínoſa.

II. Part. Devinxit nos ſibi Plato eò quòd ipſius interventu effectum fuerimus ſortiti, cujus erat nobis cauſa incognita, quòd nobis aperuerit id quod latebat nos, & amicitiarum nos edocuerit originem. Unde procedit ut intuentes duos homines in ſphæriſterio ludentes pilâ, uni faveamus, in alterius verò jacturam præ deſiderio concurramus; nedum tamen ullum ex illis unquam viderimus? Quid operatur iſtud? Amicitia, ait Plato, cujus rationem ex ſuis eruit ideis. Ait igitur Deos à mundi naſcentis incunabulis feciſſe homines duplices, id eſt, duo præ ſe ferentes capita, quatuor brachia, totidem oculos, &c. ſed quòd homo ſuâ utens fortitudine, præ rebellione in Deos cùm inſurrexiſſet; indignati ijdem Dij & de temeritate conſilij ejus vindictam relaturi, abſtulerunt ab eo mediam ſupradictorum partem, ita ut non remaneant illi ampliùs niſi unicum caput, duo brachia, totidem oculi, &c. Commentum eſt iſtud, & ideò ut fabula admittendum, ſed quod propterea ſpecioſam non deſinit nobis manifeſtare veritatem, propoſito noſtro conſonam, quam è noſtris eduxit Plato Scripturis ſacris. Ait igitur quòd hic affectus, quo magis hunc proſequimur quam alterum, non oritur aliunde quàm ex convenientiâ, quam habemus cum illo, cùm ſit iſta pars quæ ob noſtram nobis fuit reſecta rebellionem. Suæ fi-
y Gen. 2. 18. &c. ctionis è Geneſi y extrahit comminiſcendæ anſam, cùm *dixit Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cùmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cùm mulier ſit pars viri, ſic Adam amavit
z Gen. 3. 6. Evam, ut Deum offenderit z, ne diſpliceret uxori ſuæ; & inde oritur affectus viri erga mulierem, qui cùm ſit naturalis, efficitur crimìnoſus damnabili artificio mulierum, quæ ſuis utuntur pulchritudinibus ut laqueis ad irretiendos homines, & ad per-
a 1. Cor. 6. 20. dendas animas *pretio magno* a, id eſt, Chriſti Sanguine redemptas.

Sicut nihil eſt quod magis manifeſtet cauſas, quàm effectus earum, & de bonitate fructuum infertur ordinariè quales ſunt arbores; dico, nos non poſſe meliùs cognoſcere pulchritudinem criminoſam, quàm conſiderando funeſtos effectus qui ex eâ procedunt. Humanum effundit illa ſanguinem, bella accendit, corpora occidit dum ani-

mas profligat , tandem nemo eſt qui non gemat ſub implacabili tyrannidis ejus imperio. Judicate, Auditores, quam criminoſæ ſint hæ pulchritudines coram Deo & palam hominibus; quotnam homicidiorum, parricidiorum, & ſcelerum ſint illæ cauſæ. Re verà nobis deberet eſſe in votis ut minus eſſet in mulieribus pulchritudinis, ne viri miſeriores evaderent; ordinariè enim eadem objecta quæ placent oculis, cor inquinant illius qui in ijs intuendis voluntariè immoratur; & verè poteſt dici eas eſſe omnium noſtrorum infortuniorum materiam. Falſa earum apparentia nos decipit, & ſi nobis eſſent oculi ſatis perſpicaces, videremus eas nihil habere eorum quæ parent, quæque ipſæ foris oſtendunt. Contemplamini eas ſedulò (loquor de his æquo levioribus mulieribus quæ gloriæ ducunt motivum confuſionis ſuæ) ipſæ ſunt *compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi* b, ſimiles templis Ægyptiorum recondentibus felem, aut murem ſub papilionibus deauratis. Nonne immodica eſt illuſio, tantâ ornare curâ ſtercus, quod brevi in ſepulchrum eſt deferendum, ac ſi ſuper altaribus eſſet collocandum? Heu! ut quid hæc omnia artificia mulierum. *Subter eas ſternetur tinea, & operimentum illarum erunt vermes* c, quæ iſtis omnibus utuntur ornamentis ementitis ad illaqueandos aliquos inſanos amaſios. Nonne igitur hæc criminoſa pulchritudo omnium eſt Oracorum digna reprehenſionibus? cum ſit cauſa naufragij tot animarum, quibus ſalvandis Chriſtus ſuum non denegavit Sanguinem. Prætereà, Quid eſt hæc pulchritudo, ut ſibi tot conciliet captivos? niſi pellis candida & rubicunda extenſa ſuper corpus quod innumeras obtegit ſordes. Ipſa eſt ſtercus nive dealbatum, idolum ſtultorum, flos campi qui habet ferè pro horizonte punctum nativitatis ſuæ. Poteſt illi dari epitaphium roſæ, quæ vix incipit aperiri, cùm deſinit eſſe. Et poſt hæc inſenſati hoc ſplendore decipientur & conſumentur? ſicut fulgore candelæ ardentis allectus abſumitur papilio. Heu maledicta pulchritudo! damnabilis ſpecies! quot animas profligas? toto corpore contremiſco, cùm perpendo notabilem, quam eis irrogas, injuriam; & conſidero exactam rationem, quam redditura ſunt illæ Deo. Illa erat radius primi Splendoris, & vos eclypſi illam offunditis intentionibus veſtris criminoſis. Erat ipſa *donum perfectum, deſurſum deſcendens à Patre luminum* d, & eâ vos utimini ut melius in eum inſurgatis, proprijs armis illi bellum indicentes.

b Pſal. 143. 12.

c Iſai. 14. 11.

d Jacob. 1. 17.

Nolite autem dicere, vos non ornare vos ad pravum finem. Propinaſtis venenum: ſi autem nemo illud hauſit, fecistis id quod potuiſtis; non eſtis immunes à crimine; & ſi aliqua pereat anima, illius rationem reddetis Deo. Heu! mulieres, hæ carnes detectæ nunquid non flammas accendunt concupiſcentiæ? Heu! medios inter verſamur ignes, conſumit nos fomes peccati e, & tamen vos huic igni ſemper oleum infunditis. Nec allegetis mihi S. Paulum f, qui ſuprà conſulebat mulieribus conjugatis ut ſe ornarent, quò licitos maritorum ſuorum conſequerentur affectus. Reſpondi enim vobis cum illo, licere uxori ſuam adhibere pulchritudinem ad placendum marito ſuo, eumque ſuo alligare debito, & ab alijs divertere ſubjectis, ad quæ non poſſet idem vir ſine crimine contendere; patitur quidem S. Paulus *mulieres in habitu ornato: ſed cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſâ, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Ecce quod ait S. Paulus, qui veſtros damnat luxus, veſtraſque vanitates. Quando pergitis ad choreas, ad quas tres aut quatuor horas inſumitis, totum iſtum mundum defertis muliebrem, qui ſufficienti ſupellectile officinam mercatoris inſtrueret. Non igitur ut veſtris placeatis viris, ſuperfluè ornatis vos, ſed ut veſtris ſatisfaciatis vanitatibus.

e Rom. 7. 23.

f 1. Tim. 2. 9. & 10.

Iſto ſuffundi Deus voluit pudore, ac nudus crucifigi, & ſic exponi ante omnem populum, ut pro noſtris vanitatibus ſatisfaceret. Et diabolus dicitur aliàs confeſſus, quòd ſi idem Dei filius luctabatur quotidie animas, ut eas gloriæ ſuæ participes efficeret, per *Carnem* † ſuam in ſacratiſſima Euchariſtia abſconditam; ipſe è contrà infinitas perderet, ut eas tormentis ſuis addiceret excruciandas, per carnes inhoneſtè nudatas. Heu! Dominæ meæ, Dei Filius, qui eſt totus pulcher, & ipſa pulchritudo, carnem ſuam operit; vos autem non pudet effractâ fronte carnem veſtram detegere, quæ ſuſcipiendæ corruptioni habet omnes diſpoſitiones idoneas? Baſiliſcus eſt iſta pulchritudo criminoſa, cùm ipſa ſuo perimat intuitu; & ideò imitamini naturam quæ baſiliſcum in ſuis concluſum tenet antris, ne mundo machinetur exitium. Dicet vobis Chriſtus (ſi licet mihi hîc verba ejus uſurpare) *Nudus eram, & non operuiſtis me*; nudus veſter ſinus poterit vobis dicere, *Nudus eram, & non operuiſtis me.* Et ideò illinc veſtræ damnationis anſam arripiet idem Dei Filius, *Diſcedite à me in ignem æternum* g. In æternam incurretis damnationem, eò quòd iſtas non texeritis nuditates, quæ tot criminibus perpetrandis viam aperuerint. Heu! vos eſtis cauſa jacturæ tot animarum, & nunquid non tremore corripimini? & nonne vos pudet eſſe impudentes? Non audebant aliàs Romani Deæ Floræ ſolitum votum perſolvere, quo *præter verborum licentiam nudabantur flagitante populo meretrices, quæ mimarum functæ officio, in conſpectu multitudinis ad ſatietatem uſque impudicis motibus detinebantur* h, ne in caſti Catonis cenſuram & reprehenſionem incurrerent. Quantò magis timere debetis vos, quia cùm ſitis Chriſtianæ, caſtiores eſſe deberetis, & majori virtute præditæ. Ignoſcite mihi, quæſo. Dixi quod cogitabam. Sed talis eſt conſuetudo, dicetis mihi. Ego autem reſpondeo hanc eſſe maledictam conſuetudinem, ideò à vobis effringendam.

† Jo. 6. 54.

g Matth. 25. 41. & 43.

h Calep. in Dictionar. V. Flora.

Eja ergo imitemur illum eximium Virum qui ſuis pepigerat *fœdus cum oculis, ut ne quidem de virgine* i cogitaret, nec de objectis quæ malam ſenſibus ipſius imprimere potuiſſent ideam. Damnemus noſtros ad non inſpiciendos hos vultus innocuos, qui videntur nonniſi caſtas ſubminiſtrare debere cogitationes. Sed proponamus nunquam approximare ad hæc aſtra maligna, quæ magis comburunt quam illuminent, quæque plus excitant tempeſtatis, quàm luminis diffundant. Maxima Theologorum pars hos damnat intuitus, & licèt criminoſi non ſint, niſi quia periculoſi ſunt, ideò eorum prohibet uſum, ut eorum evitentur pericula. Re enim verà nunquam ſic purus eſt veſter viſus, quin habeat imagines; deſcendit facilè ex oculis ad imaginationem, & inde ad mentem, ita ut ſi poſſet eſſe ſine peccato, non foret tamen niſi rarò abſque periculo illius perpetrandi. Hoc igitur firmum ſtatuamus propoſitum, cùm vivamus in Religione, quæ conſulit nobis ut à voluptatibus etiam innocuis abſtineamus k; & edocti ſimus in Academia, in qua prohibetur nobis intueri hos vultus, qui nos provocare poſſunt ad ſui amo-

i Job 31. 1.

k Matth. 19. 12.

amorem pro offenſa Dei, qui eruendos præcipit oculos qui ſcandala pariunt *. Dicite, Dominæ meæ, cum S. Agnete, *Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo* l. Modeſtia veſtra concupiſcentiarum flammis materiam eripiat; alioquin è favore naturæ facietis crimina & vobis, & aliis. Niſi pulchritudinem veſtram manibus deformetis ſanguinariis, ut hiſtoriæ referunt de quibuſdam, quæ caſtitati ſuæ ſic conſuluerunt cuſtodiendæ, ſaltem eripiat vos modeſtia oculis, qui vos non aſpiciunt niſi ut offendant vos. Operite veſtras nuditates, cùm Chriſtus ſuam tegat carnem in Euchariſtia m æque ac decôrem, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* n. Puritas nos approximat ad Angelos, & ad Puritatem ipſam, quæ eſt Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus o.

* Matth. 5. 10. & 18. 8. & Marc. 9. 47. l S. Amb. l. 1. de Virginib. m Matth. 28. 20. n 1. Petr. 1. 12. o 1. Cor. 6. 17.

FERIA V. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

Cùmque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Gen. 22. 7. &c.

COmpaſſio aut miſericordia eſt paſſio humana, quæ profundiores figit radices in corda parentum, & in iis teneriores producit effectus quàm in aliis hominibus, quæ facit eos compati miſeriæ aut dolori ſuorum liberorum. Ideo Scriptura raro loquitur de parentibus, quin ſtatim meminerit doloris, & laboris. *Ruben primogenitus meus, principium doloris mei* a, ajebat Jacob. Et David b repræſentans ſtragem omnium primogenitorum Ægypti ab Angelo exterminatore editam, ſic loquitur, *Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.* Compaſſio parentum comitatur paſſionem liberorum, ſicut miſericordia ſequitur miſeriam, & dolor oritur ex amore. Cùm filius ſit pars ſubſtantiæ paternæ, pater illius dolorem & afflictionem veluti in ſuum recipit membrum vivens & animatum, *Pater cruciatur in filio*, ait axioma commune. Inde fit ut Deus dixerit, *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me* c. Quod intelligitur de ſolo corpore, quod pertinet ad patrem, cùm ſit pars ſubſtantiæ ejus, & *caro de carne* d illius; non autem de anima, quæ emanat e cœlo, & creatur a Deo, ſuper quam nullâ pater carnalis viget juriſdictione aut poteſtate. Inde fieri ſolet, ut Judices & Magiſtratus perſæpè torturæ extraordinariæ applicandum præcipiant filium coram patre, ut extorqueatur ex ore patris confeſſio criminis, cujus eſt inquiſitus, *Pater cruciatur in filio.* Hinc oritur etiam quòd Chananæa petens liberationem filiæ a diabolo vexatæ, non ait Dei Filio, Domine miſerere filiæ meæ, ſed *Miſerere mei Domine Fili David* e. Cum æque, & forſan magis torqueri eam quam filia. Ita verum eſt quòd *pater cruciatur in filio.*

a Gen. 49. 3. b Pſ. 104. 36. ex Exod. 12. 29. c Exod. 20. 5. d Gen. 2. 23. e Matth. 15. 22.

Quod cùm ita ſit, quis non credat Abraham vivis ſtimulatum fuiſſe compaſſionis aculeis, intuendo miſeram filii ſui ſortem, damnati ad mortem violentam manu proprii parentis ipſi infligendam, *cùm jam eſſet, juxta Joſephum, 25. annorum, die 23. Martii*, ait Chriſtianus Adrichomius in Theatro Terræ S. & Biblic. Hiſtoriar. anno mundi 2073. conſiderando ſuavitatem & patientiam hujus innocentis victimæ deferentis lignum ſacrificii ſui ſine ulla prorſus querela: recogitando hæc verba, quæ dicit ipſi filius ſuus in montem aſcendens, *Pater mi, ubi eſt victima holocauſti?* Reverà *pater cruciatur in filio. Pater tanquam patiens.* ait aliquod ethymon, pater à patiendo dicitur. Compaſſione repleta eſt hæc hiſtoria; nec poteſt eam quis mente meditari, nec depictam oculis intueri, quin compaſſionis percellatur motibus. Teſtatur S. Gregorius Nicænus f, *Vidi ſæpiùs deſcriptionis ejus imaginem, & ſine lacrymis tranſire non potui, cùm tam efficaciter, & ad vivum ob oculos hiſtoriam ejus rei poneret*; & corda mitia compaſſione moveantur, videndo ſuos proximos miſeria aut afflictione perculſos.

Ego autem exiſtimo nihil in progreſſu iſtius hiſtoriæ ſic moviſſe cor Abrahæ ac iſta verba, *Sufficiebat hoc verbum ad laniandam juſti hujus viſcera*, ait S. Chryſoſtomus g, verba quæ poſſent non ſolum lacrymas ex oculis illius educere, verùm & animam e corpore ejus extrahere, *Pater mi, ubi eſt victima holocauſti?* Heu! dicere poterat tunc ſanctus iſte Patriarcha: Modò pater tuus fili iſtius, ſed brevi non eſt ipſe futurus ampliùs filius meus, cùm meâ manu ſit internecione delendus. Ne me, chariſſima progenies, ampliùs patrem tuum nuncupes, qui dulciſſimâ tuâ ſocietate mox ſim privandus. Validas paſſionis iſtius naturalis quæ eſt compaſſio & miſericordia, expertus eſt ipſe commotiones, ſed hanc paſſionem compaſſionis & miſericordiæ ſacrificavit Deo, proponens obedire ei, illique ſuum ſacrificare manu propriâ filium. Compaſſionem pariter & miſericordiam immolare nos debemus Deo, allecti exemplo Abrahæ, & Mariæ Deiparæ quæ filio ſuo morienti compatiens, cum *inclinato capite vir florens ætate expiraverit horâ nonâ diei 25. Martii annos à nativitate emenſus 33 menſes 3. incarnationis autem ſua anno 34 jam pracisè completo*, ait dictus Chriſtianus Adrichomius ubi ſupra in deſcriptione Jeruſalem num. 252. non deſtitit tamen illum Patri æterno ſacrificare h æquè libenti animo ac eum concepit i, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria*.

f S. Greg. Nic. citatus in Concil. Nic. 2. act. 4. can. 2. relatus à Corn. in Gen. 22. 12. g S. Chryſoſt. homil. 47. in Gen. 22. 7. h Jo. 19. 25. &c. i Luc. 1. 30. & 28

Nihil eſt pejus & pernicioſius homini, quàm vindicta, quæ oppoſita eſt compaſſioni & miſericordiæ, cum eripiens ei id omne, quod ipſe præ ſe fert humanum, mutet eum in tigridem, cui nihil eſt magis naturale quam ferocitas. Omnes aliæ paſſiones eſſe poſſunt independentes, & earum una ſine alia. Amat quis nec timet, timet nec amat, deſiderat nec odit, ſperat ſine deſperatione, audet nec formidat, delectatur nec dolet: Sed ſtatim ac iſti obnoxius eſt vitio, ſocias individuas ſibi aſciſcit undecim paſſiones; torvis enim proximum ſuum inſpicit oculis, proſperitatem ejus niſi ægro ſuſtinere non poteſt animo, iraſcitur contra ejus bonum, gaudet de ejus malo, faſtidit illius felicitatem, amat omne id quod eſt illi injurioſum, & omnes felices ejus odit eventus; undecim tandem paſſiones cum vindicta inveniuntur;

ideò nihil indignius homine quàm vindicta, nec illi magis noxium.

Hanc probat veritatem aphoriſmus Medicorum dicentium, quòd mala, quæ magis faciem turbant, ſunt magis periculoſa; omne enim quod eſt in corpore, manifeſtatur in vultu, qui eſt illius imago. Vix commutionem quis experitur interiorem, cùm ſtatim vultus ejus totus accenſus, nobis illius notitiam præbet: Si triſtitia dominatur, legitur illa in fronte, & magis ſenſibiliter oſtenditur contracta, poſtquam amiſit ſuam facies ſerenitatem & jucunditatem. Hæc paſſio ſeſe præſertim intuendam exhibet in oculis; ſicut enim facies eſt imago totius microcoſmi hominis, ſic oculi ſunt imago faciei, & cùm oculi ſunt turbati, ſignum evidens eſt & nota manifeſta morbi maligni, & inde Medici & Phyſiognomi facile corporis infirmitates & morbos cognoſcunt. Dico igitur juxta hoc fundamentum poſitum, quòd vindicta quæ eſt oppoſita compaſſioni & miſericordiæ, quæ magis paret ſuper facie hominis, quam quælibet alia paſſio, in eo majores per conſequens edit ſtrages & ruinas. Videte, obſecro, hanc faciem commutam & veluti igne accenſam; veſtros projicite intuitus ſuper hos oculos in capite gyrantes circum circa non ſecus ac ſi globi forent ignei; ſimiles ſunt caminis montis Veſuvij, qui nihil aliud niſi flammas ſpirant. Pallet quicumque vindictam meditatur capeſſere, ſpumat, ſtridet dentibus, corde diſſiliente tremit, nec ullâ pace potitur, nec aliquâ requie, non ſecus ac ſi totum in anima ferret infernum. Non prius impius fratricida Cain *conſurrexit adverſus fratrem ſuum, & interfecit eum*, cùm ſtatim præ ſe vindictæ notas faciei impreſſas defert, imò verò ante executionem quamdiu in perverſa ſua moratur intentione, flammas vibrat ex oculis, veluti annunciatrices ſanguinarij conſilij ſui, *concidit vultus ejus* k, frontem

k Gen. 4. 5. & 8.

contrahit ac rugat vultus ille reprobus, qui felicitatem fratris ſui non poteſt ſuſtinere, cùm ex ea ſupplicij ſui capeſſat anſam. Maledictum vitium vindictæ, quæ eſt oppoſita compaſſioni & miſericordiæ, quam exercere debent omnes magnanimi, ſicut puſillanimi vindictam in praxim conſueverunt redigere.

Diviſio. Quod invitat me ut oſtendam vobis Primò, Quòd nihil tam detrahit authoritati Magnatum, quàm vindicta. Secundò, Quòd nihil tam decet eos quam compaſſio & miſericordia.

I. Pars. Si verum eſt poteſtates mundi eſſe imagines Divinitatis; *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo* l, dico

l Rom. 13. 1.

eas non aliter poſſe præ ſe ferre cum ſuo Prototypo convenientias, quàm per praxim & exercitium clementiæ; *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus* m, quæ

m Prov. 20. 28

eſt una è præcipuis Dei perfectionibus, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere* n. Et cùm

n Eccleſia ex Sap. 11. 24.

vindicta ſit ei peregrina, *Alienum opus ejus* o; Magnates, quibus incumbit omnes actiones ſuas ſuo conformare Originali, nihil tam amare debent ac ſuavitatem, ſicut nihil tam odiſſe quàm vindictam, quæ maximè authoritati ipſorum detrahit.

o Iſa. 28. 21.

Scala Jacob, per quam *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes* p vidit iſte Patriarcha, edocet Magnates,

p Gen. 28. 12.

quòd cùm ſuper alios aſcenderint præ authoritate, deſcendere debent præ clementia, compaſſione & miſericordia per eamdem viam, per quam aſcenderant; cùm iidem gradus qui eorum aſcenſui fuerant accommodi, ipſorum deſcenſui æquè debeant eſſe perutiles in gratiam ſuorum ſubditorum, cùm nihil magis Magnates deceat quàm clementia, ſicut per rationem contrariorum nihil illis magis detrahit, quam vindicta.

Inter virtutes, quibus inſtructi debent eſſe Magnates, præcipua eſt clementia. Et ideò nihil tam debent amare quàm amari, nihil tam timere quàm timeri; oportet ut ſint Patres æquè ac ſupremi Domini, quò nihil metuant, ut dicere poſſint cum Rege Magno Henrico Quarto, Nihil timeo. Timeant Tyranni, pavore percellantur: Ego autem ſum Rex, ſed etiam Pater ſum.

Nemo eſt qui neſciat quòd virtus præcipua, quæ Principem ſuis ſubditis exhibet commendabilem, & hoſtibus ſuis formidabilem, eſt fortitudo. Ne autem erremus in notitia hujus virtutis, conſulendi ſunt Profani æquè ac Theologi. Dixerunt Antiqui totam hominis fortitudinem, generoſitatem, & magnanimitatem ſitam eſſe in ſuſtinendo patienter, in diſſimulandis injurijs, in non ulciſcendo ſe juxta quod ipſi ſuppetunt vires, poteſtas & authoritas. Hinc inferre poſſunt Nobiles in quo conſiſtat ſua generoſitas. Non eſt fortitudo, ſed injuſtitia, ſed puſillanimitas vindicta ad quam anhelant capeſſendam, nedum aliquid ſuſtinere velint, quaſi verò conſtituti jam forent ipſi in ſtatu felicitatis & impaſſibilitatis, quem expectamus in cœlo q. Ha! non eſt iſtud ſanè probatio magnitudinis eorum, ſed nota infallibilis infirmitatis & puſillanimitatis ipſorum. q Pſ. 90. 10. Illatas ſibi derident Viri magnanimi injurias, ſcientes quòd ipſorum dignitas ipſos ſuper tempeſtates evehit; vanos contemnunt conatus eorum, qui nituntur ipſis officere. Ipſi ſunt Olympi, qui proſtratos præ ſuis intuentur pedibus turbines, nedum eorum reformident malignitatem. Inſignis eſt abuſus ac credere vindictam eſſe glorioſam, Magnates nunquam majori vigere dominio, quàm cùm formidantur, nec inter notas ſupremæ ipſorum poteſtatis ullam eſſe certiorem, quàm ſit mors inimicorum ipſorum. Labes eſt quæ omnem illorum ſplendorem circumfundit tenebris, & totam eorum gloriam eclypſi obſcurat. Quaſnam crudelitatis notas non dereliquit illa in mundo, cùm regnavit in cordibus ſummorum Principum? Quoſnam agros ingenti cadaverum ſtrage non operuit? Et quaſnam non eſt ſpecioſas depopulata Provincias?

Refertur quòd iraſceretur Caligula contra cœlum, cùm fulmina illius officerent aut refragarentur voluptatibus & oblectamentis ipſius, & quòd Deos ad ſingulare provocaret certamen, dicens eis, Aut tollite me è mundo, aut ego vos è mundo tollam. Qualis impudentia! quanta inſania! quiſnam animus vindictæ! Oportebat enim ut imaginaretur quòd non ſolùm Dij ſui ſibi non poſſent obeſſe, ſed etiam quòd illorum fortuna æquè ac felix ſors hominum è ſua penderet voluntate. Vindicta igitur nihil præ ſe magni defert; imò verò cùm cœlum contemnit æquè ac terram, ſuam detegit infirmitatem ac puſillanimitatem, cùm tota fortitudo & magnanimitas hominis conſiſtat in patienter ferendo, *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium* r. Nihil eſt auguſtum præter hoc, cùm omne aliud non aſpiret ad magnitudinem, niſi ut ſuam abſcondat depreſſionem. r Prov. 16. 32.

Theologi & cum illis S. Thomas s contendunt, fortitudinem conſiſtere in reſiſtendo conatibus inimici, in triumphando de ejus rebellione, & in eo ſuperando. Eſt autem hic ſecundus effectus, ſed primus & principalis ſitus eſt in patiendis

s S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 6. ad 1.

æquo

[t Rom. 12. 21.] æquo animo injurijs, *Vince in bono malum* t. Iſtum Sancti in praxim redigunt. Id ſentiunt Philoſophi, & Theologi. Sed quàm exiguâ vigent Nobiles viri noſtri virtute æquè ac generoſitate, cùm vel minima injuria ipſis irrogata, vel leviuſculum verbum inadvertenter prolatum efficiat ut inimicum ſuum provocent ad ſingulare certamen, & hanc injuriam effuſione ſanguinis ulciſcantur, ſeque taurorum more jugulent. Heu! eſtne fortitudo ac non poſſe ſuſtinere verbulum inſulſum, aut intuitum non ita jucundum? [u Jer. 2. 12.] *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* u! Eſtne fortitudo ac interire damnati? Etiam damnati. Loquimini enim tunc temporis illis de paradiſo, de inferno, tempus & operam teritis, & nihil proficitis. Dicite uni ex ijs, cujus lateribus infixus eſt jam enſis, qui ſupereſt eruendus duntaxat inde ut ſupremum efflet ille ſpiritum; Domine, propter amorem Dei, indulge vitam illi, qui tibi mortem infert; parce, obſecro te, ob ſalutem tuam inimico tuo. Nequaquam; nunquam illi ignoſcam: proditor ille eſt ac perfidus. Sed ad hanc concedendam obſtringeris veniam, circa quam de vita agitur æterna. Nihil intereſt, ait iſte reprobus. Damnaberis, niſi peperceris. Malo damnari, quàm ignoſcere. Eſtne ſanè id præ ſe ferre fortitudinem, & magnanimitatẽ quæ conſiſtit in patiendis & ignoſcendis æquo animo injurijs, & non in aggrediendo inimico ſuo, & in eludendis illius inſultationibus? cùm leones & tauri plus habeant fortitudinis iſtius, quàm habeamus nos, & minus alterius quæ eſt inſeparabilis à virtute, quæq; generoſi probatio eſt animi, *Melior eſt patiens viro forti* †. [† Prov. 16. 32.] Nec inconcinnè comparantur magnates bovi, cùm Moyſes loquens de Joſeph, dicat, [x Deut. 33. 17.] *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus* x. Quia bos nullâ viget defenſione propter ſua commoda, ut prædam ſibi conciliet, qualem defenſionem præ ſe ferunt leo & cætera animalia ferocia. Ita Joſeph in Ægypto ad thronum uſq; elevatus, nemini nocet; nullam habet defenſionem ut ulciſcatur [y Gen. 45. 4. &c.] y injurias ſibi illatas à fratribus ſuis [z Gen. 37. 23. &c.] z, à quibus præ tanto exceptus fuerat ipſe contemptu; nec aliter ſuâ utitur poteſtate, quàm ut illis bonum rependat pro malo. Non eſt crudelis bos, nullam edit ſtragem, nullum patrat homicidium ut ſibi nutriendo conſulat, ſufficit ipſi parum fœni, ſuas inſumit vires, labori incumbit, & oneri deferendo ſe ſupponit: Sic Magnates laborare debent ad ſublevandum populum ſuum; & Domini feudales ſubditos ſuos, nedum eos oppreſſionibus onerent, & panem lacrymis perfuſum eos comedere cogant. Joſeph eximius iſte Princeps & ſpeculum Magnatum toti Ægypto ad extremæ neceſſitatis anguſtias redactæ frumenta ſubminiſtravit [a Gen. 41. 45. &c.] a. Quare? Quia *quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus*, clementia ejus exhibuit illum commendabilem, quid dico commendabilem? imo verò adorabilem toti populo. Sic nihil eſt quod magis Magnates deceat, quam clementia, compaſſio & miſericordia, quæ ſplendidiſſimus eſt radius in illorum emicans diademate.

Nilus, qui minus edit ſtrepitus, plus affert utilitatis & fructûs, ſuam circumquaq; effundit fœcunditatem, hi fluvij rapidi nonniſi ruinas moliuntur & vaſtationes quę populos affligunt. Tyrannorum proprium eſt uti vindictâ quæ eſt probatio infirmitatis illorum, ſicut generoſos ac probatos decet viros inſumere clementiam, compaſſionem & miſericordiam, quę eſt nota fortitudinis ipſorum quę ſita eſt in patiendo libenti animo, ſicut Martyres hi generoſi athletæ patientiâ ſuâ de Tyrannorum ferocitate inſignem retulerunt triumphum, ſupplicia ſuſtinentes ſine querela, ac ſi ſenſus doloris fuiſſent expertes, *Non murmur reſonat, non querimonia.* Miror autem ego quomodo nuncupetur leo princeps animalium, cùm ſit crudelis & ſanguinarius, & quòd illatam ſibi injuriam ulciſcatur ſemper, & nunquam ignoſcat. Verum quidem eſt dici de illo, quòd parcat ſtatim ac quis humiliat ſe coram illo, recipiens humiliationem ut quid magnitudini ſuæ jure merito debitum,

Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Sed ſemper crudelis eſt. Nihil autem ſic caligine offundit Magnatum ſplendorem ac crudelitas, nihilque ſic detrahit illorum authoritati ac vindicta, ſicut illos nihil magis decet quam venia, compaſſio, & miſericordia.

Deus qui non eſt Deus niſi quia eſt ſummum *Bonum* b, & ſummum eſt Bonum, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui* c, & ipſe ſic ſe communicat, & ſua utitur bonitate erga quemlibet quantùmlibet ſceleratum; ut ſuas imagines intuetur Magnates, qui intantùm ſunt Reges ac Principes, inquantùm approximant ad Deum; & intantum approximant ad Deum, inquantùm præ ſe ferunt bonitatem, compaſſionem & miſericordiam, quæ debet eſſe qualitas inſeparabilis à regia dignitate & magnitudine. [II. Part. b Exod. 33. 19. c S. Dion. l. de Divin. Nomin. c. 4.] Cum Deo habent convenientiam Magnates, cùm ſint elevati ſupra ſuos ſubditos, ſicut ſupra ſuas evectus eſt Deus creaturas, quę ab ipſo pendent in ſuo eſſe, & in ſuo conſervari d [d Pſ. 103. 29.] tanquam a ſuo principio. Magis igitur aſſimilabuntur Deo, cùm magis illum imitabuntur. Proprium eſt Deo veniam impertiri, *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*, nec unquam Magnates magis imitabuntur Deum quam parcendo; nec unquam majores efficientur quàm per miſericordiam, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Cùm miſericordia ſit ſpecioſiſſima qualitatum ipſorum. *Primum in unoquoque genere eſt regula cæterorum*, ait axioma commune. Illud primum eſt Deus, qui eſt regula & idea Magnatum, ſed ſemper & præſertim per veniam & per clementiam. Sic inſigni decorabantur illo titulo Principes antiqui, Veſtra Clementia, ſicut hoc modo illuſtrãtur, Veſtra Majeſtas. Glorioſiſſima qualitatum illorum erat clementia, quæ plures illis profectò conciliabat ſubditos. Quare autem exiſtimatis adhiberi unctionem in conſecrandis Regibus? niſi ut edoceantur, nihil ſe debere habere magis naturale, ſicut nihil glorioſius quam miſericordiam oleo repræſentatam. Sic Galliæ noſtræ Reges hoc potiuntur præ ſingulari prærogativâ munere cœleſti, ampullæ ſacræ, quæ ipſos bonos efficit ac mites. Teſtis eſt Henricus Quartus, præ excellentia Magnus, cùm eſſet clemens præ exceſſu. Hæc Divina qualitas virtus eſt Principibus propria, & differentia inter diademata & alias fortunas admittitur illius intuitu. Nemo igitur poſtulet quare nuncupetur Henricus Magnus. Reges ſunt tales per clementiam & miſericordiam, & tantum habẽt magnitudinis, quantum præ ſe ferunt iſtius virtutis: Henricus eſt ergo Magnus per excellentiam, cùm fuerit clemens per exceſſum. Ecce probationes authenticæ veritatis iſtius, quę pudore ſuffundẽt hos puſillanimos qui nullam præſumpſerint indulgere veniam, ne apparenti ſuæ detrahere videantur magnitudini. Cùm ſciret Equitem quendam e caſtris ſuis meditatum fuiſſe ſibi mortem paratam in duplici ſclopeto, ab eo ob illum nefarium finem glo-

bulis plumbeis inſtructo,& in ipſum explodendo, eum ſeorſum tantiſper ſecedere ſatagit,& cùm equum illius aſcendiſſet, duo ejus ſurſum explodit ſclopeta, præcipiens illi ut ex exercitu ſuo diſcedat,& fugâ vitæ conſulat, cùm ita infeliciter in vitam ipſius inſurrexiſſet. Quid glorioſius? Pudor igitur veſtras operiat, puſillanimi, facies. Hæc eſt praxis Henrici Magni, & omnium Magnatum, qui eum imitantur,ſicut ille imitabatur Deum,qui ſemper paratus eſt ad parcendum,& ad præbendas nobis gratias ſuas, ſi ad illas diſpoſiti ſimus ſuſcipiendas. Sed quid mirum? Clementia eſt virtus Magnatum,eſt illud oleum conſecrationis illorũ, quod illos edocet miſericordiam;nec unquam Julianus Apoſtata, iſtud naturæ monſtrum ſuam exercere potuit ſævitiam, quàm cùm ſolemni ritu renunciaſſet conſecrationi ſuæ, Baptiſmo ſuo,& ſuæ Religioni;quaſi verò conſecratio ipſius potuiſſet obicem crudelitati ipſius. Ita verum eſt nihil decere magis Principem quàm miſericordiam, quæ illum regnare facit æquè ac vivere in ſubditorum omnium corde ſuorum.

Nihil eſt quod magis ſibi populorum devinciat corda quàm clementia, quæ eſt oſtium,per quod oportet ut Princeps ingrediatur; nec cor unquam meliùs quàm per cor conciliatur. Dicitur Auguſtus peperciſſe illi qui in vitam ipſius inſurgere ſtatuerat. Miſericordiâ motus eſt Alexander Magnus,compatiens infelicitati Regis Darij, videns eum devictum, & ex ejus adverſâ fortunâ aliquo affectus dolore, eò quòd deſpexiſſet ille oblatam ſibi ab ipſo honitatem. Titus nunc priùs ad Imperatoriam evectus eſt dignitatem,cùm dicitur voluiſſe ungi,&dignitati regiæ Sacerdotium jungere,ut meliùs miſericordiam exerceret. Poſtquàm ſuos deviciſſet,& ſuæ ditioni ſubjeciſſet hoſtes conſilijs ſuis reluctantes,Pompeius,ſcripſit Senatui Romano,ſe eo tantùm fine ad thronum aſcendiſſe,ut miſericordiam impenderet, ut ſingulis diebus alicui civi Romano vitam largiretur; ſeq; tandem oblitum fuiſſe omnium ſibi illatarum injuriarum,quarum indulgebat veniam; cùm nihil æquè Magnates deceat ac miſericordia. Nihil obliviſcebatur Cæſar præter injurias. Sic non poteſt ſatis dignis evehi encomijs illa moderatio animi quam præ ſe tulit poſt victoriam à Pompeio victo reportatam; cùm enim in manus illius incidiſſet ciſtula repleta epiſtolis, quarum in reventu detegere potuiſſet eos qui ſe neutros exhibuerant, aut qui ſuum obtulerant obſequium inimicis ipſius medias inter diviſiones civiles,earum ne vel unicam aperire voluit, ſed generoſo animo eas omnes in ignẽ projecit, ut ignoraret nomen eorum omnium, qui ipſi deſideraviſſent malum, & eriperet ſibi omnem ultionis capeſſendæ anſam/cùm vindicta Principem dedeceat. Hæc nova ſpecies clementiæ quæ recuſavit ſcire id quod vix condonatur,cùm eſt ſcitum,oſtẽdit illum non inhiaſſe ſanguini; & vindictam,in qua crudeles animi ſuas conſtituunt delicias, illi diſplicuiſſe plurimùm, cùm exiſtimaverit,nimis ſeverè puniendum fuiſſe odium, quo ipſum proſecuti fuerant inimici, ſi ijdem qui ipſius offecerant proſperitati, non potuiſſent coram ipſo apparere niſi ſuffuſi pudore illo,quo conſciorum alicujus criminis frontem operit revelatio ejuſdem ſceleris arcani. Voluit generatim ut omnes ad ipſum liberè accederent,ſibi pollicerentur honorem benevolentiæ ipſius,& dicerent,Cæſar, qui meas non vidit literas, me torvis non intuebitur oculis. Sic ſpecioſam & glorioſam actionem ſequi non potetat niſi bonus effectus. Illi qui Pompeio adhæſerant, amore ſe alligaverunt huic Principi, qui ita ſibi piè ſuâ utebatur victoriâ; quique nedum ſuorum ipſos inquireret ſcelerum,ipſos ſic apprimè ſibi devincire noverat. Poſt hæc dicite puſillanimi, defeciſſe Cæſarem animo, cùm ita facilè injuriarum obliviſceretur ſibi illatarum.

Clementia Regis ſubvenire debet ſceleribus populi ſui, ſicut ſuavis pluvia ſiccitatibus terræ poſt ardentes calores diei, *In hilaritate vultus Regis,vita:& clementia ejus quaſi imber ſerotinus* e. Imitari e Prov.16 15. debet Deum,qui non deſtruit id omne quod ipſum offendit,quique ſuas offert gratias f ſacrilegis me- f Matt.5. dias inter profanationes, quæ ipſi gloriam ipſius 45. ſuffurantur. Heu! quid ageretur de hominibus,ſi ſeverè omnia illorum inquirerentur crimina,ſi tot eſſent oculi qui ea obſervarent, tot brachia quæ illa punirent,quot ſunt occaſiones committendorum eorum noſtris infirmitatibus infenſæ? Ceſſaret tandem crudelitas ut ignis, qui in cineres totam redegit materiam.Ulciſci ſe de inimicis eſt peſſimus vincendi modus, quia ſolus eſt infelix qui ſubjacet.Sed è contrà ſi magnanimitas inducit aliquem ad ignoſcendum infenſiſſimis ſibi,tot ſibi conciliat ipſe ſubditos, quot habet miſericordiæ ſpectatores;omnes ij quibus ipſe parcit, præcones ſunt gloriæ ipſius,famam ejus diffundunt circumquaq;, ut in cordibus omnium naſci faciant amorem virtutis ſic propitiæ. Qui occidit inimicum ſuum,mortem oppetit cum defuncto, qui autem largitur ei vitam,vivit in memoria ejus, & in recordatione hominum.Glorioſa eſt venia,& quidquid nobis Deus præcipit, glorioſos nos efficit g. g Matt.5 44.&45. Thronum eſt ſibi conſtruere in cordibus hominum ac uti ſuavitate, quam Deus nobis ſic commendat, ut illius velit eſſe Magiſter æquè ac idea, h Matth. *Diſcite à me,quia mitis ſum* h. 11.29.

Invincibilis Monarcha ſupradictus Henricus Magnus, ne ſilentio prætercam id, quod veſtras meretur attentiones,veniam petit à quodam eximio & illuſtri Viro exigui opprobrij,quo adverſus illum invectus erat: cùm enim jam jam eſſet prælium cum hoſtibus initurus, Offendi te,inquit illi, amplectendo illum; hâc die quæ fortaſſis eſt futura extrema vitæ meæ, nolo auferre famam nobilis Viri,non me latet generoſus animus tuus,& tuum agnoſco meritum. Egregia verba! æternâ memoriâ digna profectò ſunt illa. Nobilis iſte Vir tanto confuſus honore, ac miratus magnanimitatem ſui Principis, coram Rege reverenter proſtratus, reſpondet ei,Non diffiteor,læſit me nuperrimè Majeſtas tua,ſed hodie ipſa me occidit: honor enim quo ipſa me afficit, obſtringit me ad fundendum hodie ſanguinem meum pro obſequio ipſius; ſicut re verâ in illo certamine mortem oppetijt.Ex hac actione debent Magnates addiſcere modum conciliandorum ſibi cordium Virorum nobilium. Ille qui natali potitur principis, nec illius gaudet virtute,imaginatur è ſua ſe excedere dignitate,ſi unicum reformet verbum ſuum; irritare mavult animum hominis probatæ vitæ, quam ſuam humiliare ſuperbiam, quam ſuam agnoſcere culpá, quàm ſuas injurias illi irrogatas reparare. Apparere vult impeccabilis, quia illi, quos offendit,non poſſunt de ipſo referre vindictam,nec ipſum punire. Non eo ſe gerit Henricus Magnus modo, injurias ſibi illatas condonat.Non miror.Magnus erat. Proprium autem eſt Magnatibus uti veniâ,clementiâ, compaſſione & miſericordiâ.

Alius è Principibus noſtris acceptâ aliquâ inju-

riâ

riâ cùm adhuc eſſet Dux Aurelianenſis, effectus deinde Rex, ſollicitabatur ab Aulicis ſuis ut injurias
ulciſceretur ſibi irrogatas. Sed eximius iſte Monarcha apprimè reſpondit illis, Non decet ut Rex
complectatur cauſam Ducis Aurelianenſis. Hæc reſponſio fortior fuit ſceptro illius, ditior diademate ejus, & glorioſior toto regno ipſius. Unuſquiſque ſubtilitatem animi illius miratus eſt æquè ac magnitudinem in condonandis generosè injurijs petulanter ſibi irrogatis. Et David, quem
i 1. Reg. 13.14 *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* i, *cum*
k 2. Reg. 16.5.&c. *Semei maledicebat* k ipſum, & inducebatur ipſe ut vindictam ſumeret de illo nebulone (idem enim erat illud ac ſi invictiſſimus Rex noſter in hanc ingrederetur civitatem, & intentâ voce conclamaretur, quòd ipſe eſſet Tyrannus, injuſtus, & populum ſuum iniquis opprimeret oneribus) & ideò peteret ab ipſo Aulicus Abiſai copiam præcidendi capitis infami illi detractori: Princeps iſte eximius Aulicorum ſuorum juſta petitorum irâ compeſcit animos, dicens illis, ſe habere caput
l 1. Reg. 16.13 ſuum adhuc humidum oleo conſecrationis ſuæ *l*, neque decere ut renunciet titulo & qualitati Regis, quæ eſt utiſſ clemens, quò indignam induat Tyranni perſonam, vindictam de injurijs ſibi illatis referendo. Et alias Imperatores Romani maximam ſuam ex iſta eruebant bonitate gloriam, & poſt inſignes victorias glorioſis triumphis decoratas Patres malebant nuncupari, quàm Principes patriæ; & hoc inſigni titulo Optimi ſuum honorabant Jovem, quem ſuorum imaginabantur eſſe Summum Deorum, ante quam nomen Omnipotentis ei tribuerent. Neque Propheta noſter Regius glorioſiori poterit inſignire divinam Majeſtatem qualitate, quàm nuncupando eam Miſericor-
m Pſ. 58. 18. dem, *Deus meus Miſericordia mea* m. Quia omnes
n Pſ. 118. 68. affectus bonitatis *n*, ſapientiæ *o*, & potentiæ *p*
illius in creatione, & in conſervatione omnium
o Sap. 7 24. rerum, oriuntur ex illius miſericordia. Teſtatur
ipſe nobis, ſe eam magis velle, quam victimas, *Mi-*
p Pſ. 64.7 *q* Matth. 9.13 *ſericordiam volo, & non ſacrificium* q, ſeque malle
deſtructionem paſſionis, quàm ruinam criminoſi.
r c Oſee 6.6 Jeſus Chriſtus idea Magnatum, *Rex regum, & Do-*
minum dominantium r, eam nobis oſtendit, cùm
r Apoc. 19.16 Magdalenæ parcit *s*. Cùm mulieri adulteræ igno-
s Luc. 7 47. ſcit *t*. Cùm *peccata* dimittit eis, quorum ſanat
corpora *u*. Cum ait, *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Pa-*
t Jo. 8.11. *ſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* x. Cùm abro-
u Matth. 9.6.&c. gat ceremonias Legis Moſaicæ, quæ poſitæ erant
x Jo. 10 11. in effuſione ſanguinis *y*. Cùm lavat *nos à peccatis*
noſtris in ſanguine ſuo z, ut nobis noſtra dimittat.
y Hebr. 8 8.&c. & 10.5.&c. Et cùm ſinit ut Princeps Eccleſiæ ſuæ *a* præ infir-
mitate labatur *b*, ut ſuo meliùs edoceatur exem-
z Apoc. 1.5 plo ad compatiendum, & ad impertiendam alijs
miſericordiam, quam ipſe ſuſceperat: *Domine, quo-*
a Matth. 16.18. & 19. *ties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque*
ſepties? Dixit illi Ieſus, Non dico tibi uſque ſepties:
b Jo. 18. 25.&c. *ſed uſque ſeptuagies ſepties* c. Ut diſceret ſuavita-
tem ſibi neceſſariam veluti qualitatem inſepara-
c Matth. 18.21. & 22. bilem a gubernatione. Sic Tribuni non fuerunt
alias traditi Gubernatoribus Romanis niſi ut eorum moderarentur authoritatem, & nimium rigorem comprimerent, ut veluti aſtra maligna, eorum unione & ſuavibus illorum influentijs corrigerentur.

Dicebatur de Cæſare, ut jam audiſtis, illum nihil oblitum fuiſſe præter injurias. Ille qui talia promebat verba, ea referebat vel ut Hiſtoriographus, vel ut adulator. Si ut Hiſtoricus, tranſeat: hâc ſanè dignus erat Cæſar laude. Si ut adulator, oſtendebat Principi ſuo qualitatem, quæ ipſi futura eſſet glorioſiſſima, & quam debêret ipſe habere, ſi voluiſſet eſſe bonus Rex: cùm clementia iniri debeat Regiæ dignitati, nec quis poſſit eſſe bonus Rex niſi ſit clemens. Dei Filius ad probandam hanc veritatem, poſtquam diu regiam renuiſſet
dignitatem ſibi oblatam *d*, ut advertit ſe Regem *d* Jo. 6.15
publicatum in Cruce, cui ſuperpoſitus erat iſte ti-
tulus, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* e, ne titulus *e* Jo. 19.
iſte ſibi præ falſitate, ſed præ juſtitia tribueretur, 19.
ait Patri ſuo, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid*
faciunt f, ne populus iſte in ſua decipiatur electio- *f* Luc. 23
ne, & cùm nihil magis Regem deceat quàm cle- 34.
mentia, indulge veniam carnificibus meis, miſerere inimicorum meorum, & vitam impertire eis, qui mihi necem inferunt ignominioſam æquè ac doloroſam.

Vult Deus, Auditores, ut prout Chriſtiani omnes actiones noſtras conformemus huic Divino
exemplo, *Ipſum audite* g. Ut mutemus totum o- *g* Matth.
dium noſtrum in amorem, & omnem furorem no- 17.5
ſtrum in ſuavitatem & in miſericordiam; & cum
omnis *ſoli Deo honor & gloria* h debeatur, & ad il- *h* 1. Tim.
lum referri mereatur, *Quia ipſe eſt Dominus Deus no-* 1.17.
ſter i, & abſolutè pendeamus ab illius authoritate *i* Pſ. 94.7
& dominio, totam reſervat ipſe ſibi *vindictam* k, *k* Hebr.
eò quòd ipſe noſter ſit *Iudex* l, vult ut imitemur 10.30.
bonitatem ipſius, ut conformemus nos clementiæ *l* Pſ. 7.12
& miſericordiæ ipſius, & ut evecti ſupra conditionem mortalem, benefaciamus *his qui* oderunt nos,
& pro perſequentibus & calumniantibus m nos ore- *m* Matt.
mus, deprecantes ipſum pro eorum converſione, 5.44.
& ut exemplo Filij ipſius unici, qui veniam ſuis impetrat inimicis, petamus ab ipſo ut noſtris pareret impertiatur miſericordiam. Maximas reſervat charitati mercedes, dicens, *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter*
cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis homi-
nibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra n. *n* Matt.
Vult ut evertentes mundi maximas, credamus 6.14.&
magnanimitatem ſuſi inuiti injuriarum oblivio- 15.
ni; e noſtris ſatagit delere animabus injuriarum recordationem, & noſtrorum odium inimicorum. Status regni ejus huic innititur legi amoris & charitatis, nec poteſt quis gloriam ejus ſibi aſciſcere, niſi fideliter dulcedinem ejus imitetur ac ſuavitatem.

Ha! quis ex nobis, Auditores, auderet de injuria ſibi irrogata referre vindictam? Aut deſeramus Chriſtianorum nomen, quo decoramur, aut compaſſione & miſericordiâ utamur more Jeſu Chriſti, è quo nomen noſtrum ducimus. E Chriſtianis non remanemus ampliùs niſi homines, ſi renunciemus dulcedini; eſſe enim hominem & mitem, idem ſunt. Conſideremus Deum noſtras ſic patienter ſuſtinere injurias, ut nos ad ſimiles inducat praxes exercendas. Illi qui magis eum offendunt, ſuſcipiunt aliquando è bonitate illius favores temporaneos, quos ſuis non indulget ſervis. Proſperitates impij, hominis animalis, blaſphematoris non probant peccata iſtorum ei eſſe incognita, ſed præ ſe ferunt miſericordiam quæ nos inducit ad retribuendum bonum pro malo. Cùm à veſtris gravabimini inimicis, admiramini hanc invincibilem patientiam Jeſu claudentis oculos, nec intuentis injurias, quas ſimulat ſe neſcire, diſſimulando *peccata hominum* n. Et quia
noſtram non vult jacturam, ita ſe gerit ac ſi no- *o* Sap. 11.
ſtra ipſum laterent ſcelera, eorumque pollicetur 24.
abſolutionem, *Propitiabor iniquitati eorum, & pec-* *o* Jer. 31.
cati eorum non memorabor ampliùs o. 34.

Etiam, peccator quiſquis ſis, quantùmlibet pravam & deteſtabilem peregeris vitam, ne deſperes. Cùm Deus te tandiu ſuſtinuerit, credibilene eſt ut tuam velit perditionem? Heu! Poteſtne in tuam labi cogitationem, quòd cùm tua expectaverit ſuſpiria præ ſuavitate quæ videbatur ignorare id quod agebas, ſubitò iraſcatur, cùm te videbit lacrymis perfuſum, & cùm anima tua ſanctè indignata adverſus ſeipſam, offeret ſe ad exequendum decretum juſtitiæ ejus mediis doloribus pœnitentiæ p? Cogitaſne quòd ille qui tacebat, cùm tu magis eum tuis irritabas impietatibus, incipiat te ſeverè alloqui? quando ſuſpiria tua inducent eum ad dicendum tibi, *Remittuntur tibi peccata, vade in pace* q. Hæc bonitas quæ nullo tibi manifeſtavit modo, quòd ipſa tuos calleret exceſſus, potens tibi dimittere quod ipſa pertulit indignitatum ex modo procedendi vitæ tuæ criminoſæ; nec ſe exhibuit ipſa patientem, niſi ut tibi adjiceret animum recurrendi ad ipſam, & ſcires quòd ille, in quem inſurrexiſti tot criminibus & impietatibus, brachia præ ſe fert ſempèr aperta, & eſt ſemper diſpoſitus ad te ſuſcipiendum. Veniam ipſe tibi præcipit, & eam ipſe tibi impertitur primus.

p Ezech. 18. 21. & 22.

q Luc. 7. 49. & 50

Quod cùm ita ſit, Auditores, iiſdem ſemper intuemini oculis propitiis inimicos veſtros æquè ac amicos. Cùm in domo aliqua non eſt aër ſalubris, idque provenit ex eo quòd illa non eſt ſatis aperta, aperitur ea aliunde, ut illac ingrediatur aër purus. Hæc feneſtra, per quam veſtrum intuemini inimicum, eſt peſtifera, & veneno infecta, hic aër eſt perniciosus eò uſque ut funeſtam inferre poſſit vobis necem: Ha! claudite iſtam feneſtram, & aperite aliam majorem; ne intueamini eum ſimpliciter ut veſtrum proximum, ſed velut creaturam Dei capacem gloriæ ejus, & dicite, Vel damnabitur illa, vel ſalvabitur. Si damnanda eſt, infortunium ejus citiùs incipiet quàm videatur par; & ſi vos aliquo poſſet afficere dolore miſeria ejus, & ſatisfactio quam de criminibus exiget juſtitia Dei, ſanè ei compateremini; ſi verò è contrà ſalvanda ſit, velletiſne manus veſtras ſacrilegas injicere in rem ſic ſanctam & ſacram, & fortaſſis meliorem vobis? *Dimittite, & dimittemini* r. Condonate animo libenti & æquo injurias & calumnias vobis illatas, & Deus remittet vobis peccata veſtra; utimini clementiâ, veniâ, compaſſione & miſericordiâ, & ſuam Deus vobis exhibebit miſericordiam, cùm ſuam tradet vobis gloriam æternam.

r Luc. 6. 37.

FERIA VI. DOMINICÆ III. ADVENTVS.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum; ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Gen. 22. 1. &c.

Sicut bonum quod appetit homò naturaliter cum parte concupiſcibili, varia imprimit animæ ejus genera paſſionum, de quibus vobis locutus ſum; ſic malum quod timet cum parte iraſcibili, cum aliquibus aliis reddit obnoxium, præſertim timori qui eſt paſſio, quæ videtur debilis ex natura ſua, imò verò emortua re verâ; & tamen illa magnanimos enervat quoslibet, ſapientiſſimos quoſque concutit, & ſanctiſſimos ſtuporè percellit. Timor humanus, intuitus hominum impedit perſæpè ne ſpirituales operibus vacent arduis & difficilibus, gloriam Dei & honorem obſequiis eius condecentibus; ne incumbant ædificationi proximi, exercitio humilitatis & Chriſtianarum praxi virtutum; eos pallere facit medias inter occaſiones, & terga vertere ad fugiendas contradictiones, mortificationes, perſecutiones, & generatim ad evitanda omnia mala ipſis imminentia; & eſt inimicus animæ noſtræ, quam inſequitur, & noſtræ deſtruit negotia ſalutis.

a Jo. 8. 59 Et licet Evangeliſta a exhibeat nobis Dei Filium hoc humano timore affectum, & declinantem ab inimicis ſuis, qui *tulerunt lapides, ut jacerent in eum; Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo*; non eſt tamen timor iſte, metus infirmitatis, ſed myſterii; vel timor fictus & non realis; ſeu ſi ſit realis, ille eſt in humanitate noſtra, quæ debi-

b Iſa. 9. 6. lis eſt, non autem in Divinitate, quæ *fortis* b eſt. Si *Ieſus autem abſcondit ſe*, ideò quia mori nolebat in templo, cujus ingreſſus clauſus erat Gentilibus, ſed ſuper monte Calvariâ e patenti & Gentilibus & Judæis, & omnibus hominibus, qui eſt idem locus, ubi ſuum ſacrificare voluit Abraham filium, *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt* d. Noluit Chriſtus lapidari, ſed crucifigi, cùm venerit ad ſatisfaciendum pro culpa hominis, quæ erat furtum; cùm ſuffuratus eſſet fructum vetitum e; non autem pro peccato Angeli, quod erat blaſphemia contra Deum f; fures autem crucifigebantur g; blaſphematores verò lapidabantur h. Vel, *Ieſus abſcondit ſe, & exivit de templo. Quia nondum venerat hora ejus* i. Sicut enim *oblatus eſt, quia ipſe voluit* k, & vitam habebat præ ſuæ manibus providentiæ, ſic diſpoſitio temporis, loci, & modi mortis ex ejus pendebat voluntate, *Poteſtatem habeo ponendi* animam meam, *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam* l. Tandem, *Abſcondit ſe, & exivit de templo*. Ut diſceremus inde quòd licet aliquando fugere perſecutionem, cùm non agitur de gloria Dei, nec de noſtra fide; & quòd prudentiæ proprium eſt, cedere occaſionibus, & tempori.

c Jo. 19. 30.

d Jo. 8. 56

e Gen. 3. 6. &c.

f Iſa. 14. 13. &c.

g Matth. 27. 38

h Levit. 24. 14

i Jo. 7. 30

k Iſa. 53. 7.

l Jo. 10. 18.

Intueor Abraham hoc humano & naturali timore correptum, *Vade in terram viſionis*, ſeu timoris & doctrinæ, ut vertit Cornelius † ex Hebræo. Quod mirum non eſt. Homo erat Abraham ſicut & cæteri,

† Cornel. in Gen. 22. 2.

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto m.

m apud Senec. Epiſt. 95.

Sed

Sed homo timidus ex natura ſua;ideò opus ſuit ut in principio Deus adderet illi animum, *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum,& merces tua magna nimis* n. Timet etiam, cum amet filium ſuum. Qui amat, timet,

n Gen. 15.1

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Timet, cùm nondum perfectum attigerit amorem; *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem* o. Nec conſummatur niſi in cœlo *cum apparuerit gloria* p. Videturque timor iſte varias ac contrarias in corde Abraham ſuſcitaſſe cogitationes. Quomodo? dicebat ipſe intra ſe, Oportetne pater infelix ut ipſe ſis proprij filij carnifex? ut manum tuam ſanguini filij tui innocentis immiſceas? ut vitam eripias ei cui illam jam dediſti,qui eſt vita tua,& tuæ conſervatio ſenectutis? Heu! quid dicet mundus de hoc miſerando Abraham? Quid? Poteritne credere poſteritas,eum ſic oblitum amoris à natura cordibus paternis indita? Sed cùm perveniſſet ſuper montem Moria,& ligna erexiſſet, eique ſuperpoſuiſſet Iſaac,tibi *extendit manum, & arripuit gladium*, qui ſeparare debebat animam à corpore hujus innocentis victimæ,& dividere patrem à filio; ecce pallet facies ejus, comam arrigit caput illius, & ipſe inhorret,cor illius diſſilit, ſanguis in venis ejus more glaciei conſtringitur, lacrymæ ex oculis ejus deſfluunt, brachium ejus tremorè concutitur, & totum pavore illius corpus. Hæc ſunt effecta paſſionis hujus naturalis, & ſigna timoris humani. Sed exemplum admiramini memorandum, & quomodo timor Dei prævaluit ſuper hunc timorem humanum in Patriarcha noſtro tentato, cui dicit Deus, *Nunc cognovi quòd timeas Deum.* Eundem pariter timere debemus Deum in tentationibus,quæ nos impetunt, & in illis per omnia nos ejus Divinæ voluntati conformare, ſicut amore affecta Divino Virgo Deipara, Dei annuit voluntati,cum reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* q, Angelo dicenti ipſi, *Ave Maria.*

o 1. Jo. 4. 18.
p Pſ. 16. 15
q Luc. 1. 38. & 28

Deus, cui placet noſtram exercere fidem *per ſpeculum in ænigmate* r mediis velis, quibus ſuorum operit ſanctitatem conſiliorum, noſtras exigit reverentias,quas perſæpè illi renuimus,ſed præ temeritate, eò quòd illorum non habeamus notitiam, quæ nobis facilem eorum redderet executionem. Angelus à Deo miſſus,de Divino Gedeonem certum reddit auxilio, *Dominus tecum virorum fortiſſime.* Gedeon qui nullum habebat intuitum niſi ut ſuas contemplaretur miſerias, quibus circumquaque opprimebatur,nec ullum habet paratum ad ſuſcipiendam hanc conſolationem, nec credit Angelo ſibi ſubſidium pollicenti Divinum, ignarus maximarum cœli,quibus fertur,quòd Juſti plurimùm participant ſacrificium paſſionum s, & eis earum pars maxima communicatur; *Dixit ei, Obſecro mi Domine ſi Dominus nobiſcum eſt, cùr apprehenderunt nos hæc omnia* t. Eodem ſtupore percitus videbatur David, intuendo quòd Juſti eſſent omnium miſerrimi; quòd domus illorum forent veluti cloacæ, in quas confluerent catervatim omnia mala, quandiu ſcelerati dies tranſigerent ſuos medias inter voluptates nullo dolore interruptas, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* u. Inſurgunt homines in ordinem divinæ Providentiæ, eò quòd nedum pœnas impijs partim diſtribuat, illis vice verſâ Juſtos opprimat, eoſque in ſtatum ſic redigat funeſtum, ut multi, qui innocentiam inſeparabilem à tentationibus & calamitatibus imaginantur, vix proponere ſibi poſſint virtutis amplectendæ exercitio incumbere, videntes fideles Dei ſervos miſeriores eſſe inimicis ejus, quibus utitur ut inſtrumentis rigoris ſui, quibus eos melius affligat; illi verò hoc funguntur officio præ tanto zelo, ut eos efficiant totius ſuæ ſævitiæ ſubjecta.

r 1. Cor. 13. 12
s Rom. 8. 29.
t Judic. 6. 12. & 13
u Pſ. 72. 5

Dicebat alias Chriſtus diſcipulis ſuis, *Abſque Synagogis facient vos* x. Inimici veſtri ejicient vos è Synagogis ſuis veluti indignos ingreſſu earum. Synagoga erat locus communis orationi, & prædicationi Verbi Dei,ita ut ejici ex illis locis ſacris, ad obſequium & cultum divinum deſtinatis,idem eſſet ac excipi more excommunicatorum; Apoſtoli autem amici y Filij Dei, omnibus his aperiri debebant contumelijs, & excipi inſtar fæcis ſeculi, ac ab omnibus procul amandari circulis, *Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema* z. Sed quod majori percellit ſtupore animos; impij inſurgere debebant in Juſtos tanto exceſſu,eoſque tam ingenti perſequi rigore; ut omnis eorum furor reputandus eſſet apud ipſos ut purus zelus gloriæ Dei tuendæ intuitu ſuſceptus a; *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo* b. Sic nihil eſt quòd tantum accendat animos, quantum prætextus Religionis. Videte id in praxim redactum à noſtris Hæreticis. Quamnam non ediderunt ſtragem,hoc funeſto inixi principio? Adversùs nos complevèrunt id, quod prædixit ſuis Chriſtus Apoſtolis, *Abſque Synagogis facient vos.* Noſtra demoliti ſunt templa, noſtra profanaverunt altaria, noſque tanto excipere non dubitaverunt rigore, ut ſufficiat hiſtoriam evolvere, præteritum revocare,& præſens contemplari,ut horreamus à Religione ſanguinariâ; & inter has funeſtas praxes ſua veluti deificantes ſcelera, videntur ſibi maximum Deo ſervitium rependere, *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Ubi Græcum loco, *obſequium*, ponit cultum, λατρείαν, rati ementito ardore ſuccenſi ſe gratiſſimum Deo exhibere ſacrificium, eique maximæ pietatis reddere teſtimonium, ut ait S. Cyrillus Alexandrinus c, *Ad tantum atrocitatis prorumpent, ut ſacrificij vim in cæde poſitam putent.* Sed quare, Auditores,divina Providentia ſinit ut amici ſui ſic tententur, & patiantur? Cur tanto rigore excipit eos,quos ita diligit? Hoc ideò Primò, Ut medijs ſuis tolerantijs efficiantur digni gloriâ, quam ipſa paravit eis. Secundò, Ut ſuum eis teſtetur affectum.

x Jo. 16. 2
y Jo. 15. 15.
z 1. Cor. 4. 13
a Act. 9. 1. &c.
b Jo. 16. 2
c S. Cyrill. Alexand. lib. 10. c. 35 in Jo. 16. 2.
Diviſio.

Licèt nos Deus ab æterno diligat d, & creaverit nos in tempore per ſuam miſericordiam ob gloriam ſempiternam e; tamen ipſe vult per ſuam juſtitiam ut ipſam poſſideamus, non ſolo ſimplici titulo hæreditatis prout filij, *Si filij & hæredes* f: Sed etiam titulo mercedis; quod adverſatur falſæ credulitati noſtrorum hæreticorum,qui nihil agere volunt ut eam conſequantur, imaginati æquè ritè deberi ſibi cœlum ac Chriſto. Error eſt qui eis adulatur,illiſque blandiendo, eorumdem molitur ruinam. Paradiſum veluti coronam ex juſtitia congrua debitam, nobis medio debemus comparare labore,ut laborabat Apoſtolus, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus Iudex* g. Venalis eſt gloria, & Deus vult ut illi, quos ad illius deſtinavit fruitio-

I. Pars.
d Jer. 31. 3.
e Gen. 1. 27.
f Rom. 8. 17.
g 2. Tim. 4. 7. & 8.

nem, mercatores efficiantur ut eam conſequantur; ideò vult ut patiantur, & ut tolerantia totum ſit illius pretium.

Verum eſt, non diffiteor. Suos poſſet Deus Electos ad cœlum deducere per viam floribus conſitam, & delicijs redundantem; ſed conſilio illius placet ut illuc non perveniant niſi per medios ſentes tranſeundo. Noſtrum non eſt inquirere, cur Deus hoc procedat modo, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* h? Si vaſa ele-

b Rom. 9 20. & 21. ctionis inſumantur aliquando ad uſus humiles & depreſſos, ſi numerentur inter ſupellectilem exigui pretij; & ſiniſiper vaſa ignominiæ ſuperponantur menſæ, vel abaco, nemo inquirat quare is qui illa formavit, ſicut & iſta, eâdem manu, & ex eodem luto, utraque applicet uſibus, ad quos illa non exiſtimabamus impendenda. Ipſe apprimè

i Sap. 7. 24. novit quid agat, & ſumma ejus *Sapientia* i, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit o-*

k Sap. 8. 1 *mnia ſuaviter* k, non eſt minùs adoranda, eò quòd ſit ſecreta, & ſint *incomprehenſibilia judicia ejus, &*

l Rom. 11 33. *inveſtigabiles viæ ejus* l; nec deſiderare poſſumus ſine crimine ut ſua aperiat conſilia, quo ſe coram ſuis juſtificet creaturis.

Accidit ne vobis aliquando, ut vobis piſces comedentibus, aliqua veſtro gutturi adhæſerit ariſta, quæ cùm nec progredi poſſit, nec retrocedere, mirum vox anxiet in modum? Cùm autem vobis iſtud evenit, nonne remedium præſentiſſimum eſt iſtud, ut aliquis pluries manu percutiat vobis collum, quoadúſque hæc ariſta foras erupegit & exierit è loco, cui erat infixa, & liberi ſic evadatis ab anguſtia, ad quam vos experiebamini redactos? Cùm autem vobis iſtud officioſum exhibet obſequium, & vobis aliquos infligit manus ictus, nonne ingrati eſſetis, ſi de ijs quereremini, & ſi eum qui percuſſit vos, veſtrum imaginaremini inimicum? Quaſi extra vos rapti videbamini per hanc ariſtam, ad priſtinum veſtrum reduxit vos ille ſtatum, & licèt vobis aliquos inflixerit ictus, quid intereſt? Similis non erat immemor Pro-

m Pſ. 31. 4. &c. pheta m beneficij, quo cumulavit ipſum Deus, quin imò pro eo illi gratias rependit, *Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Adhæ-

n 2. Reg. 11. 4. &c. & 2. Reg. 24. 1. &c. ſerant ariſtæ gutturi meo, eò quòd nimiâ aviditate fruſta comediſſem malè condita n, & ingurgitaſſem me nimis mundi delicijs; id eſt, remanſerant in me ſpinæ pungentes, inquietudines conſcientiæ, quæ minabantur mihi ſuffocationem; ſed tu Domine ſuccurriſti mihi citò, inflixiſti mihi ictus validis afflictionibus, & cùm me vidiſſem agere agonem ob ſpinas iſtas quæ priùs me ſuffocare videbantur, converti me, & reverſus ſum ad te per bonam pœnitentiam, agnoſcens me tibi devinctiſſimum pro bono officio, quod exhibuiſti mihi, cùm hæc afflictio, quâ tentaſti me, ſit futura pecunia, quâ cœlum ſum mihi comparaturus.

Dixi jam tolerantias Juſtorum eſſe illis loco pretij, quo gloriam ſibi concilient; hæc eſt pecunia quæ in cœlis admittitur; & ſapiens mercator debet ſemper providere ſibi merces: quæ melius admittuntur, & divenduntur in locis, ad quæ pergit, ſuumque deſtinat commercium: non enim apprimè procederet ille, qui aurum & margaritas

o Pſ. 111. 3 deferret ad Indiam, cùm illud regnum nos illis locupletes efficiat. *Gloria & divitiæ in domo* o Dei quæ in cœlo eſt, inveniuntur, ſicut & omne gaudium & omnis felicitas cum totali & integra excluſione omnium miſeriarum, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*, ait Boetius p. In eam igitur deferre gloriam p Boët. l. 3. de Conſol. Philoſoph. proſ. 2. & divitias, delicias, gaudium, & felicitatem, illud eſſet omnino tempus terere, & negotiationem inutilem ſuſcipere, cùm incaſſum laboraretur deducere aquæ guttulam in Oceanum, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos* q. In cœlo nulla eſt penuria niſi afflictionum & miſeriarum, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* r. Ex q Pſ. 35. 9 r Pſ. 90. 10. igitur merces illuc ſunt deferendæ, illarum nos decet eſſe mercatores, ut illis prædivitem emamus æternitatis margaritam, in qua poſſidetur s Apoc. 3 18. Chriſtus qui omnes noſtras conſtituet divitias, ut conſulit nobis S. Joannes s, *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Quæ verba t Cornel. in hunc loc. ſic interpretatur Cornelius t, *Haymo per aurum ignitum intelligit Chriſtum paſſionis igne inflammatum, quaſi diceret, Si vis ditescere virtutibus, imitare in tribulatione Chriſti patientis manſuetudinem, pa-* u Pſ. 65 10. & 12. *tientiam, & charitatem, ut poſſis dicere cum Pſalmiſta* u, *Probaſti nos Deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum. Et, Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Quod *communiter expoſitio de refrigerio futuræ vitæ intelligit*, ait x Lorin. in Pſ. 65. 12. Lorinus x. Et idem David y, loquens de ijs, qui y Pſ. 8. 6. eo inſigniuntur honore, ut patiantur propter Chriſtum, qui eos gloriæ coronat diademate, ait *Gloriâ & honore coronaſti eum.* Ubi obſervandum, quòd in titulo Pſalmi ponitur, *In finem pro torcularibus.* Ut innuatur hæc gloria dari ijs qui tolerant perſecutionem propter Chriſtum, *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* z z Rom 8 29. Pater æternus. *Nam & venturum præfatus eſt Dei Filium Principem Sacerdotum; & paſſurum eſſe pro nobis, & Sanguine ſuo mundaturum noſtra peccata, tituli Pro torcularibus declararunt*, ait S. Ambroſius a S. Amb. in Pſal. in 11. 36. a. Et licèt non expectaremus mercedem cœleſtem, & locum illum æternæ quietis poſſidere, præmium noſtrum eſt ſatis amplum poſſe gloriari nos fuiſſe paſſos pro Chriſto. Quin auſim dicere, quòd Deus non foret juſtus, ſi poſt privatum tandiu b 4 Reg. 2. 11. Eliam gloriâ ſuâ b, eum non remuneraretur; & quòd privatio iſta ſupponit obſequium, quod ipſe exhibiturus eſt Eccleſiæ temporibus ultimis Anti- c Apoc. 11. 3. &c. chriſti c; & quòd recepturus ſit ipſe mercedem hujus prolixæ privationis per tormenta quæ perpeſſurus eſt propter amorem Dei, & Eccleſiæ. *Hæc* d Iſa. 30. 20. *eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram* d.

Deus Pater, obſervate ſi placet, paradiſum nobis vendit eodem pretio, quo illum tradidit Filio ſuo naturali. Auſcultate Evangeliſtas, qui veluti Tabelliones publici, illius contractûs actum ſuſceperunt, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in* e Luc. 24 26. *gloriam ſuam* e. Pretio & effuſione ſui Sanguinis cœlum ſibi comparavit Chriſtus. Sed nimium dixi, allegando quòd Pater æternus nobis vendit gloriam ſuam eodem pretio, quo eam ſuo præbuit Filio; excelſius quam ſit par pretium eſt iſtud, & ideò meum retracto verbum, cùm nunquam pati poſſimus ad æqualitatem Filij ejus, qui paſſus eſt ipſe ſolus pluſquam omnes Martyres un- f Thren. 3. 30. quam fuerint perpeſſi, *Saturabitur opprobrijs* f. Id eſt, tanta pertulit, quanta ſuſtinere potuit illius Humanitas. Nobis igitur viliori venditur paradiſus pretio, quàm fuerit Chriſto traditus. Deus honorificentius nos excipit; minus à nobis exigit; cum

cùm ſciat non poſſe nos tantum dare, noſtræ ſe accommodat infirmitatis captui. His demergor ſuavibus cogitationibus. Quis ergo ſic erit temerarius ut pati renuat? Quin imò quis zelo non ardebit perpetiendi magis? ſciens quòd *ſi compatimur, ut & conglorificemur* g. Et quòd maximi Sancti maximè omnium fuerunt afflicti, ut majorem ſibi conciliarent convenientiam cum Chriſto, qui eſt idea cui conformare vos debetis.

g Rom. 8. 17.

Ipſæ ſunt cruces quæ felices iſtas operantur metamorphoſes, quæ nos convertunt in alios Chriſtos crucifixos, quin imò Deos nos conſtituunt, ut eloquitur Tertullianus h, *Qui puniuntur, conſecrantur, & numinuerunt dicenda ſupplicia.* Sic ſuos alloquens Apoſtolos Chriſtus, dicebat, *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum* i. Id eſt, quod in illud deberent ingredi prout ipſe in id intraverat, per tolerantias quæ illius patefaciunt oſtium: magna quippe foret temeritas, aliquem gloriari ſe manere in Chriſto, ſi eandem cum eo non pergeret viam, *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare* k. Et, *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum* l. Suis emit Chriſtus cœlum paſſionibus, oportet ut ſubminiſtremus & noſtras, quæ unitæ tolerantiis ejus, a quibus omnem ſuum deſumunt valorem, nobis illud etiam comparabunt, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* m.

h Tert. in Apologet. c. 12.
i Luc. 22. 29.
k 1. Jo. 2. 6.
l Matth. 10. 24.
m Act. 14. 21.

Verum eſt quòd id omne, quod erogare poſſumus, nihil eſt, gloriæ comparatum æternæ, & quod illa nobis ſemper gratis dabitur, etiamſi ad ultimam uſque profunderemus ſanguinis noſtri guttulam ad eam nobis comparandam, ut ait Apoſtolus n, *Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Nulla datur convenientia inter tolerantias noſtras & illam felicitatem, poſt fruitionem cujus ſuſpiramus. Res empta, erit ſemper ultra pretium quod erogabimus; & eam prorſus eſt deprimere ac eam rebus creatis & terrenis æquiparare, *Quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius* o. Cùm igitur nihil poſſimus dare quod eam valeat; Deo ſatisfit ſi demus ipſi id quod penes nos eſt pretioſiſſimum, nimirum paſſiones noſtras. Paſſio eſt magis quàm actio, cum Apoſtolus ſuprà gloriam comparans cum eo quod eſt in nobis ditiſſimum, dicat, *Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ*, &c. Et, *Melior eſt patiens viro forti* p. Et, *Fortes facti ſunt in bello* q. Hæc fortitudo ſita eſt in patiendo magnanimiter, nec unquam fortiores fuerunt Martyres quàm in tolerantiis, cùm de Tyrannis & de tota eorum rabie triumpharint.

n Rom. 8. 18.
o Sap. 7. 9.
p Prov. 16. 32.
q Hebr. 11. 34.

Vult igitur Deus ut noſtras impendamus paſſiones, & ut iis veluti juſto aut congruo pretio cœlum emamus. Eja igitur, Auditores, *properate, emite abſque argento* r; pauperes æquè ac divites; regnum cœleſte venale eſt, non opus eſt argento, nec theſauris, nec divitiis; nihilo majori conſtat quam parum pœnæ toleratæ ob amorem Dei. Afflictio ſuſcepta cum reſignatione exhibitâ decretis divinæ Providentiæ, aliquis eventus importunus, vel aliquod infortunium quod veſtram examinabit patientiam, quid ſunt hæc omnia, ſi placet, intuitu gloriæ, quæ nobis reſervatur? quid eſt id omne quod perpetimur, comparatum huic felicitati, quæ nobis promittitur? Prorſus nihil, aut, ſi velitis, unicum momentum, *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* s. Deus meus quàm *bonus es tu* t! quàm liberalis & quàm magnificus in remunerandis tolerantiis noſtris. Quis verò pati nolet ob amorem tuum? Quis renuet pœnas & afflictiones, quas ad nos mittit Divina tua bonitas, niſi ſuæ velit ipſe eſſe injurioſus felicitati? *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* u. Vel, *Satiabor, cùm aſſimilatus fuero ad ſimilitudinem tuam* x. Saturabor cùm inſignitus fuero charactere tuo, nimirum paſſionibus, quibus hanc mihi comparavero gloriam. Quis mercator, quantumvis artis ſuæ imperitus, hoc recuſabit commercium, in quo lucrum ſic eſt abundans, & tanto refertur fœnere multiplicatum? Si velimus emere aliquid, quòd exiſtimatur valere centum nummos, & pro eo a nobis exigantur tantùm decem, eos protinus erogamus animo libenti, & credimus illud veluti nobis gratis datum. Ha! parcemuſne noſtro ſanguini, ut emamus cœlum, cujus pretium ſupergreditur omne illud, quod pro eo poteſt dari? Si Deus exigat tantiſper vigiliarum, jejuniorum, patientiæ in tribulationibus, ſubmiſſionis in tolerantiis, reſignationis exhibendæ ordini divinæ Providentiæ; imò etiamſi Deus noſtra efflagitaret bona temporanea, quin & propriam vitam; numquid non hæc omnia traderemus ad conciliandam nobis gloriam? Ha! hæc omnia nihil ſunt comparata ei, quod ipſa meretur, quæ nobis veluti gratis datur, *Exiſtimo enim quòd non ſunt condigna*, &c. ut ſuprà. Talis eſt igitur intentio Dei, tale eſt conſilium ejus, cum Juſtum affligit, vult ut patiatur ad conciliandum ſibi cœlum, ut habeat unde poſſit illud lucrari. Sic eſt, Auditores, Afflictiones in quas incidunt ſervi ejus, infirmitates quæ illorum angunt corpora, paupertates quæ eos mundo efficiunt contemptibiles, quæque illos opprimunt, injuriæ quæ illis irrogantur injuſtè; ſunt effectus divinæ Bonitatis, quæ dirigit ſalutem Electorum ſuorum per vias aſperas, quas ſeculum nuncupat infelicitates; quæque aliquando non videntur æquitati conſonæ illis qui indigent ut veluti pede, ac per vim compellantur ad capeſſendum cœlum; ut poſſit conciliari veritas huic oraculo, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* y. Afflictiones nobis ſunt neceſſariæ, tolerantiæ nobis ſunt utiles, & turbines ac tempeſtates, quibus in hoc proceloſo mundi mari impetimur, nobis proficua ſunt ad hunc finem ut portum appellamus æternitatis, ad quem non amplius habebunt acceſſum, *Et mors ultrà non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* z.

r Iſai. 55. 1.
s 1. Cor. 4. 17.
t Pſ. 118. 68.
u Pſ. 16. 15.
x Pintus apud Lorin. in Pſ. 16, 15.
y Matth. 11. 12.
z Apoc. 21. 4. ex Iſa. 25. 8.

Loquens David a de Juſtis, comparat eus palmæ, *Juſtus ut palma florebit.* Antequàm palma floreat; exit ex illius oculo odorifer quidam liquor flavus, quem ſequitur immediatè flos; iſte enim liquor teneram efficiens pellem ſeu ſuperficiem oculi, eum facit aperiri, *Juſtus ut palma florebit* inter gladios & ſanguinem effuſum, qui ſtillans e corpore illius, facit illum dehiſcere more ſpecioſi floris, cujus odor tanti erit pretii, ut Deus remuneraturus eum, daturus ſit ei coronam gloriæ & immortalitatis. Ideò De Ponte b ſuper hæc verba Canticorum, *Statura tua aſſimilata eſt palmæ* c, explicans iſta S. Pauli, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* d; ait, *Compati eſt perſecutiones tolerare propter ſpem futurorum, carnemq; crucifigere cum vitiis*

a Pſ. 91. 13.
b Lud. de Pont. l. 9. in Cant. 7. 7. exhort. 20. §. 2.
c Cant. 7. 7.
d Rom. 8. 17.

e ex Galat. 5.24 *vitiis & concupiſcentiis* e, *hoc eſt, voluptates & pompas ſeculi ſpernere.* Et Tertullianus f ait, quòd Sacerdotes Dei Mithræ, collocaturi aliquem in catalogo miniſtrorum hujus Dei, ducebant eum domum, in quâ manebant ſacrificatores hujus Dei, in quam cum perveniſſet, ſummus Sacerdos offerebat ei coronam enſi immiſſam; ſi ille homo volebat eam ſuper capite collocare, Sacerdos imponebat eam illius humero; ſi autem miles intendebat eam ab humero tollere, & capiti ſuperponere, ejiciebatur ut indignus honore, ad quem aſpirabat; ſed ſi eam humero impoſitam acceptabat, certus erat ſe viſurum illum Deum in gloriâ ipſius. *Erubeſcite judicandi ab aliquo Mithræ milite: qui cùm initiatur in ſpelæo in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam quaſi mimum martyrii, de hinc capiti ſuo accommodatam, monetur obviâ manu capite depellere, & in humerum ſi fortè transferre, dicens, Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde nunquam coronatur: id quod in ſignum habet ad probationem ſui, ſi ubi tentatus fuerit de Sacramento: ſtatimque creditur Mithræ miles, ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit.* Pamelius Scholiaſtes ejus, ait, *Spelæum nominant eum locum ubi initiati & credentes perbibent.* Et ſuper hæc verba, *mimum martyrii; hoc eſt, inquit Rhenanus, quaſi imitamentum martyrii, quod pro Chriſto tolerant Chriſtiani.*

f Tert. lib. de Coron. Milit. c. 15

Eandem intueor ceremoniam in praxim redactam in gratiam illius, qui aſpirat ad fruitionem cœli, quique in catalogo ſervorum Dei vult reponi. Primò, Ducitur in Eccleſiam, quæ eſt veluti arx ſecuriſſima Chriſtianorum; ibi offertur ei corona, quæ eſt promiſſio paradiſi,
g Marc. 16. 16 *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit* g. Sed hæc corona eſt intertexta gladio, quia ad ingrediendum cœlum eſt neceſſariò dimicandum: *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit* h.
h 2. Tim. 2.5 Si miles, qui ſe præſentat, coronam capiti ſuo vult imponere, eam humero ejus applicant, quia laborandum eſt, non verò triumphandum ante victoriam. Si renuat portare coronam humero impoſitam, reprobatur ut indignus honore, quem inquirit; ſi verò è contrà eam patiatur, eligitur veluti qui mereatur videre Deum in gloriâ ipſius, & in paradiſum aſſumatur, ut in æternum contempletur ibi illum, qui fœlicitatem ſuâ Divinâ præſentiâ conſtituit, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* i.

i Joan. 17. 3
II. Pars.

Permittit Deus ut Juſti patiantur in hoc mundo, quò ſuum erga eos meliùs teſtetur affectum. Si enim (ut audiſtis in priori parte) paſſiones ſunt pretium, quod ipſe exigit à nobis ad emendum cœlum, nunquid nón devincit ſibi eos quós affligit, cùm provideat illis modum peragendæ hujus emptionis cœli, cujus poſſeſſio illos efficere debet beatos? Ego autem exiſtimo hoc eſſe maximum beneficiorum, quibus cumulare poſſit Deus eos, quos tenerrimo diligit affectu; ſic eos omnes ſimilibus obſtringit favoribus. Auſcultate S. Paulum k, quomodo ipſe id aſſerat, *Vobis datum eſt non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.*
k Philipp. 1.29 Deus autem tanti facit tolerantiae ut videatur eas præponere dono fidei l, quam Hæretici noſtri tanti æſtimant ut eam credant eſſe totam ſalutis ſuæ cauſam.
l Jacob. 2. 26 Si S. *Paulus vocatus Apoſtolus per voluntatem Dei* m fuit, & conſtitutus *vas electionis ut nomen* ipſius portaret *coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël* n; idem Deus omnia illius merita inniti facit paſſionibus ipſius, *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati* o.
m 1. Cor. 1. 1
n Act. 9.15
o Act. 9.16 Ecce rationes, quibus inducitur Deus ad cumulandum eum tot prærogativis, nimirum paſſiones, quas tolerare debebat ob amorem ipſius, & ideò S. Paulus Deo erat addictiſſimus, eò quòd iis ſufferendis ipſum inveniſſet dignum, propterea gratias ei rependit debitas, *Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono ejus* p.

p 1. Cor. 9.15

Si ſatis perſpicax vigeret in nobis viſus ad perſcrutanda adorabilia Divinæ Providentiæ arcana, proculdubio brachiis apertis oblatas ſuſciperemus tentationes & tribulationes, eaſque æſtimaremus ut omnium ditiſſima, quibus cumulare nos poſſit Deus, donorū. Sic illæ, ſunt probationes certæ affectus ejus erga nos, & per eas Deus Pater noſtris vult imprimere cordibus vivam filii ſui crucifixi imaginem, ut nos intueatur in hoc ſtatu veluti ſubjectum in quo ipſe ſibi complaceat; *Quem enim diligit Dominus, corripit; & quaſi Pater in filio complacet ſibi* q.
q Prov. 3. 12 Hoc eſt eſſe inſignitum charactère ejus, ac eſſe afflictum pro religione, ac ſuſtinere cum patientiâ more Job r.
r Job 1. 13. &c. Hoc eſt pugnare ſub ſigno Crucis, poſt datum ſuum nomen militiæ & vexillis Crucifixi, et amplecti pœnas, eaſque perpeti ob amorem illius, qui eas ad nos mittit, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt* ſ.
ſ Galat. 5. 24 Crux eſt inſigne fidelium, & character, qui eos diſtinguit à filiis diaboli notatis ſigillo deliciarum & voluptatum damnantium eos ad *ignem æternum* t, ut ibi futuri ſint victimæ infelices iræ Dei.
t Matth. 25.46. &c Deferendum nobis eſt ſignum *thau* u T, quod eſt figura Crucis, †, ut ait S. Hieronymus x, ſi ſalutem noſtram velimus certam efficere.
u Ezech. 9.4
x S. Hier. lib. 3. in hunc locū. Habere debemus vexillum, ſeu *funiculum coccineum* y Rahab, ſi declinare velimus à rabie dæmonum, cùm ſunt nos aggreſſuri, & illud vexillum imponit nobis Deus, cùm affligit nos, cùm ſit veluti ſignum, nos ad ipſum pertinere,
y Joſue 2. 21. &c. *Ordinavit in me charitatem* z, ait Sponſa. Ubi in Hebræo eſt, *Vexillum ejus charitas ſuper me.*
z Cant. 2. 4 Crux eſt verum *vexillum charitatis*, Signum convincens amoris quo Deus nos proſequitur. Cùm igitur imponit nobis Deus hoc ſignum, nota eſt quòd ad illum ſpectamus, quòd ipſe nos recipit ut ſuos, cùm Crucifixi Filii ipſius in nobis deferamus inſignia, *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* a; *in quo eſt ſalus* b.

a Gal. 6. 14
b Eccleſia ex Act. 4. 12

Poſt hæc nonne jure merito noſtram invenire debemus ſatisfactionem in paſſionibus, & eas ſuſcipere ut dona Dei ſpecialia? Ut autem hanc materiam magis vobis exhibeam familiarem, Si lapis qui eſt collocandus in fronte alicujus ſuperbi ædificii, notitiâ vigeret aliquâ honoris quo ipſe afficiendus eſt, cùm in loco ponendus ſit ita digno, nunquid non ſe addictum agnoſceret architecto? Cùm verò ipſum polit ille, quereretur ne ipſe? Nequaquam; alioquin enim in profundum ædificii jaceretur fundamentum, quaſi indignus Solis intuitu. Cœlum, Auditores, eſt iſta cœleſtis *Ieruſalem, quæ ædificatur ut civitas* c, in quâ

c Pſal. 121. 3

Tunſionibus preſſuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,
Diſponuntur permanſuri
Sacris ædificiis d.

d Eccleſia.

Ibi

Ibi nullus auditur ſtrepitus, nec ullus mallei ictus, ſicut nec in templo Salomonis, quod erat figura illius realitatis; *Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur* e [e 3. Reg. 6.7]. Sic oportet ut Juſti antequàm ingrediantur hanc cœleſtem Jeruſalem, ſint politi in hoc mundo ut *lapides vivi* f [f 1. Petr. 2.5] malleo paſſionum & perſecutionum, ſicut illi lapides applicandi ædificio templi Salomonis, politi erant antequàm in ſuo ponerentur loco. Lapis angularis g [g Epheſ. 2. 20. & 1. Petr. 2. 6.] hujus ædificij cœleſtis fuit Jeſus Chriſtus, qui tranſivit per malleos & ſcalpra omnium carnificum h [h Jo. 19. 1. &c.], ut efficeretur lapis excellentiſſimus hujus ædificij. Sic paſſus eſt ipſe pluſquàm omnes, & poſt eum omnes amici ejus. *Omne gaudium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis* i [i Jacob. 1.2], ait S. Jacobus, qui perſecutionibus fuerat impetitus k [k Act. 5. 41.], ut meliùs agnoſceret favores Dei ex tolerantijs, inter quas tandem mortem oppetijt propter amorem ejus.

Sed heu! noſtræ injurioſi ſumus nos felicitati, ut meliùs blandiamur nobis in delicijs noſtris, nihil perpeti volumus in hoc mundo, ut in æternum cruciemur in altero. Recuſamus hoc donũ Dei: & ſi illud ſuſcipimus, id inviti & ægro tollimus animo, more Simonis Cyrenæi l [l Matth. 27.32.], rati illud æquè cauſam infortuniorum noſtrorũ, ac iræ ejus eſſe effectum. Manu ſumimus lævâ hoc munus, quod ipſe nobis porrigit dextrâ, cùm cęcitas noſtra & amor proprius exhibeat nobis iſtud objectum intuendũ aliter quàm ſit in ſe. Deus paſſiones ad nos mittit, Deus ſinit ut impetant nos miſeriæ veluti ſubminiſtraturæ nobis pretium, quo cœlum emamus; & ijs utimur præ deſperatione & impatientia ad lucrandum infernum, & damnationem æternam. Illius adhibemus beneficia ad offendendum eum; & noſtris criminibus efficimus illud noſtrarum cauſam murmurationum, quod debebat eſſe meritò cauſa noſtræ actionis gratiarum. Tandem, Cruces horrori habemus, eaſque proſequimur odio ut noſtris infenſas voluptatibus, & noſtrarum ruinã deliciarum, etiamſi ſtatuant illę noſtram felicitatem.

Cùm regnum cœlorum debeatur tolerantijs, & Deus ex hoc mundo Beatos nuncupet eos, qui propter amorem ipſius patiuntur, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* m [m Matth. 5. 10.]; decrevit idem Deus quòd niſi fuerit aliquis *Benoni, id eſt, filius doloris*, nunquam futurus eſt *Benjamin, id eſt, filius dexteræ* n [n Gen. 35 18.]; & quòd *omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur* o [o 2. Tim. 3. 12.]. Salvator autem noſter veniens in hunc mundum, videtur ideò veniſſe ut efficeret hic Martyres, inſtituendo cruces quæ debent eſſe ſupplicia innocentum, & blanditiæ amicorum ipſius. Expectabatur Meſſias ut *Sponſus* p [p Pſ. 18. 6] gloriæ; & ipſe venit, ut dicebat Sephora Moyſi, ſicut *Sponſus ſanguinum* q [q Exod. 4 25.]. Cùm ex tunc amici illius plus perpeti cœperint; & ideò hunc noluit agnoſcere r [r Luc. 19. 14.], nec recipere s [s Jo. 1. 11] Meſſiam Synagoga, cùm expectans gloriam ab eo temporaneam, non invenerit in adventu ejus niſi dolores & tolerantias, quæ effecerunt ut illa eum rejecerit, ſicut rejecit Moyſen Sephora, *Et dimiſit eum poſtquàm dixerat. Sponſus ſanguinum tu mihi es* t [t Exod. 4 26.]. Derelictio quæ eſt tota cauſa miſeriarum illius temporalium in hoc mundo, ſicut & futura eſt pariter ſuppliciorum ejus æternorum in altero; & eò quòd noluerit perpeti ipſa aliquandiu ſuper terrâ, perpetietur illa in æternum in inferno. Conſulamus ergo, Auditores, ſaluti noſtræ, & efficiamur ſapientes alienis inſanijs & diſpendijs,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Suſcipiamus igitur ut favores, dona quibus nos cumulat Deus, mittendo ad nos afflictiones, & occaſiones exercendæ patientiæ; accipiamus hæc omnia ut effectum certum divini Amoris erga nos, & utamur ijs ut juſto aut congruo pretio quo emamus cœlum, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, ajebat S. Paulus u [u 2. Cor. 12. 9.]. Id proteſtor pro toto hoc populo. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*, dicebat Job x [x Job 1. 21.]. *Benedicamus Dominum* y [y Eccleſia] pro omnibus, & ipſe benedicet nos hic, & in paradiſo.

IN FESTO S. THOMAE APOSTOLI.

Thomas dixit, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Ieſus deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Joan. 20. 24 &c.

QUidam Philoſophus interrogatus quid eſſet homo, reſpondit, *Nihil*. Inquiſitus alius de eodem nomine, dixit, *Omnia*. Tertius autem rogatus ut diceret quid de eo ſentiret, ſuam contexuit reſponſionem ex utraque illorum, dicens, *Nihil, & omnia*. Quaſi dixiſſet, quòd homo eſſet nihil per naturam, & omnia per vanitatem, ut docet Pſalmiſta a [a Pſ. 38.6], *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te, Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens. Omnis ergo homo vanitas eſt, id eſt, hic vanitate vivens*, concludit Incognitus b [b Incognit. in Pſ. 38.6]. Illud erit veriùs, ſi illum conſideremus in ſtatu gratiæ, & in ſtatu peccati: homo enim in ſtatu peccati eſt nihilum privationis, pejus eo è quo eruta fuerant omnia, cùm *in principio creavit Deus cœlũ & terram* c [c Gen. 1. 1. &c.], &c. Quia iſtud eſt capax ſuſcipiendæ operationis Dei, *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas* d [d Baruch 3. 34. & 35.]. Sed nihilum peccati reluctatur Deo, nec adversùs illud datur ulla poteſtas, *Ad nihilum redactus ſum* e [e Pſ. 72. 22.], ait peccator. Sed ipſum conſolatur gratia ſuperveniens. *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* f [f Rom. 8. 16. & 17.]. Fuerat *ad nihilum redactus* infidelitatis *Thomas*, cùm *dixit, Niſi videro*, &c. Sed glorioſè ſuſceptus à gratia, ingreditur cor Dei, *Et dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Locuturi de motivis lapsûs Thomæ, recurramus ad B. Virginem, quæ

cùm ſemper fidelis fuerit Deo ſuo, *Beata quæ credidiſti* g, impetrabit nobis gratiam ejus, ſi dicamus ipſi reverenter, *Ave Maria.*

g Luc. 1. 45.

Admittitur differentia inter reſiſtere voluntati Dei, agere contra voluntatem Dei, & ſuperare voluntatem Dei. Reluctari voluntati Dei eſt cùm peccatores renuunt gratiam Dei, inſpirationes & motiones ſacras, quibus ipſorum vult operari converſionem. Reſiſtere etiam gratiæ Dei eſt etiam cùm Juſti non cooperantur omnibus motibus internis, quos Deus ipſis ſuggerit, & præparatas ab eo gratias primis addendas ſuſcipere recuſant, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* h? De peccatoribus autem ait Scriptura i eadem, *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Facere contra voluntatem Dei, eſt offendere Deum, & peccare: nec enim Deus approbat peccatum, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* k. Sed illud condemnat *in ignem æternum* l. Quàmvis autem aliqui reſiſtant voluntati Dei, & alij faciant contra voluntatem Dei, nemo tamen poteſt ſupra voluntatem Dei, nimis eſt ipſa potens nedum alicui cedat, dicens, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet* m. *Id eſt, dicendo faciens*, exponit Cornelius n: *Dei enim dicere (cùm ſit efficax) eſt facere. Unde efficaciter vertit Vatablus, Quod dico, Et conſilium meum ratum eſt, & quidquid volo facio.* Et hoc eſt quod mirificè docet S. Auguſtinus o, peccatorem alloquens, *Non ſic conſtituta ſunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero conſtituta, Creatoris ſuperet voluntatem: etiamſi contra ejus facias voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet* p: *tamenſi peccaveris, non putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidiſſe quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere ut revertatur & vivat* q: *ita vult poſtremò in peccato perſeverantem punire, ut juſtitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit unde ſuam de te compleat voluntatem.* Iſtud autem ſenſibile videtur Euclides, qui dicebat, quòd homo eſſet velut globus in orbe. Globus non eſt ſemper in eodem ſtatu; quando eſt ſuprà, tunc non eſt infrà, & cùm eſt in uno latere, tunc non eſt in altero: tamen nunquam exit ipſe ex orbe, intra quem concluſus eſt: idem dicendum eſt de homine. Ut autem iſtud concipiatur,

h Cant. 5. 2. & 3.
i Act. 7. 51.
k Pſ. 5. 5.
l Matth. 25. 41. &c.
m Iſa. 46. 10.
n Cornel. in Iſa. 46. 10.
o S. Aug. in Pſ. 110. 2.
p ex Pſ. 36. 27.
q ex Ezechiel 33. 11.

Obſervandum eſt triplicem eſſe ordinem in divina Providentia. Primus eſt generalis. Secundus eſt particularis. Et tertius eſt ſecretus in mente Dei. Oſtendamus hoc in politia, in qua eſt iſte triplex ordo, generalis, particularis, & ſecretus. Ordo generalis eſt, Ut res inferiores ſerviant ſuperioribus; ut illis qui habent minus rationis & luminis, imperetur ab illis qui utriuſque plus habent. Ordo particularis eſt, Ut unuſquiſque vivat & operetur ſecundùm ſtatum ſuum, & juxta officium ſuum: ut Judex juſtitiam adminiſtret; ut agricola terram colat; ut Medicus remedia decernat; & pharmacopola ea præparet. Ordo ſecretus eſt ille, qui eſt in mente Principis, qui penetrari non poteſt. Atqui licèt fieri poſſit aliquid contra ordinem generalem, & contra ordinem particularem, nihil tamen unquam fit contra ordinem ſecretum. v. g. Rex Chriſtianiſſimus imperat ut apprehendatur aliquis vir nobilis, & in cuſtodiam detrudatur; ille, cui Regia Majeſtas tale officium committit, agit contra ordinem generalem: injicit enim manum in majorem ſe, cui ipſe debet ſervire: facit etiam contra ordinem particularem, quia negotijs nobilis iſtius adverſatur: ſed non facit contra ordinem ſecretum Principis ſui, cujus exequitur voluntatem. Sic divina Providentia triplicem habet ordinem, generalem, particularem, & ſecretum. Ordo generalis eſt, Ut omnes creaturæ ipſi ſerviant, *Ordinatione tuâ perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi* r. Ordo particularis eſt, Ut unuſquiſque vivat in illo ordine, in quo collocatus eſt, *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt: in ea permaneat* s. Sed ordo ſecretus eſt ille, qui debet adorari, non autem examinari, *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria* t. Poteſt quidem aliquid fieri contra ordinem generalem, & contra ordinem particularem divinæ Providentiæ, ſed ordo ſecretus illius eſt inviolabilis. V. g. homo qui peccat, facit contra ordinem generalem ſitum in hoc, ut obediamus Deo, ſerviamus ei, & præcepta illius obſervemus: *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus* u. Agit etiam contra ordinem particularem: amittit etiam gratiam, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* x. Sed nunquam facit contra ordinem ſecretum mentis Dei. His ſuppoſitis volo vobis oſtendere Primò, Quare Deus permittat caſum multorum, imò verò juſtorum. Secundò verò & in ordine particulari, Quare permiſit lapſum Apoſtoli S. Thomæ.

r Pſ. 118. 91.
s 1. Cor. 7. 20.
t Prov. 25. 27.
u 1. Jo. 5. 3.
x Ezech. 18. 4.
Diviſio.

I. Pars.

Prima ratio, propter quam Deus permittit caſum multorum, & Sanctorũ, eſt, ut diſcamus, quòd nulla ſit ſanctitas, quantùmvis eminens, è qua non poſſit quis cadere. Primus Angelus, licèt eminens gratiâ, cadit, eò quòd temerariè gloriam Dei præſumpſerit invadere, ut exprobrat illi Iſaias b, *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubiũ, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Primus homo cum omnibus prærogativis naturæ ſuæ, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* c; amittit gratiam & amicitiam Dei ejuſdem, cùm vetito *de fructu comêdit* d. Quia dictum fuerat illi, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* e. Licèt Dei Filius elegiſſet *Apoſtolos Petrum, & Judam Iſcarioten, qui fuit proditor* f iſte tamen, *At ille negavit eum* g. Deus iſtos permittit caſui, ut contineamus nos intra terminos humilitatis, & vereamur ne idem infortunium nobis contingat. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat* h. David qui iſtam fuerat expertus infelicitatem (licèt enim eſſet *juxta cor* i Dei, hoc tamen non impedivit quin offenderet Deum, cùm *vidit mulierem ſe lavantem, ex adverſo, ſuper ſolarium ſuum, erat autem mulier pulcra valdè, Bethſabee uxor Uriæ Hethæi; tulit eam* k, & adulterio ſuo junxit homicidium viri illius, quem præcepit interimendum) reſtitutus in gratiam priſtinam, cùm ipſe *dixit ad Nathan, Peccavi Domino: dixitq; Nathan ad David, Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum, non morieris* l: eumdem Deum orat ut illam ſibi conſervet, *Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me* m.

b Iſai. 14. 12. &c.
c Gen. 9. 6.
d Gen. 3. 6.
e Gen. 2. 17.
f Luc. 6. 13. &c.
g Matth. 26. 70. &c.
h 1. Cor. 10. 12.
i 1. Reg. 13. 14.
k 2. Reg. 11. 2. &c.
l 2. Reg. 12. 13.
m Pſ. 50. 15.

Secunda ratio eſt, Ut diſcamus non deſperare: nullus enim eſt ſtatus ita infortunatus, è quo non poſſit homo reſurgere gratiâ & miſericordiâ Dei adjutus. Dico, beneficio divinę Miſericordię: nã ſi imaginaremur quòd hanc poſſemus operari reſurrectionẽ ſolis naturę viribus, graviter hallucinaremur, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* †. Quia natura inducit naturaliter nos ad ea, ad quæ inclinamur, & quę ſunt ſecũdùm ſenſus: atqui reſurgere à peccato, pœnitentiã agere, converti ad Deum, adverſatur

† Jo. 15. 5.

ſatur ſenſibus, & reluctatur inclinationi naturali hominis: ſed gratia Dei eſt omnipotens, *Omnia poſſum in eo qui me conſortat* n. Si peccatum nos conſtituit inimicos Dei, gratia poteſt nos illi recōciliare, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortē Filij ejus* o. Si diabolus potuit nos ſeducere, & peccati luto nos immergere, gratia ab hujuſmodi ſordibus nos poteſt abſtergere. *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri* p. Et hoc prædixerat Ezechiel q, dicens in perſona Dei, *Effundam ſuper vos aquam mundā, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et Spiritum meū ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et ſi dæmon ſpoliare nos potuit gratiâ, Deus denuò poterit nos induere juſtitiâ ſuâ, *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum* r. Et, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ: & induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis* s. Nemo igitur deſperet quin poſſit reſurgere à peccato, adjutus miſericordiâ Dei, cùm videamus quòd David hoc auxilio fultus, a ſuis lapſibus ſurrexit t; quod ubi *converſus Dominus reſpexit Petrum, egreſſus foras Petrus flevit amarè* u. Sed in hoc eſt ſitum infortunium, quòd unuſquiſq; ſibi blandiatur, & nedum animetur ad pœnitentiam exemplo Sanctorum, è contrà inde capeſſat occaſionem offendendi Deum, dicendo quòd David peccavit adulterio, & homicidio x; quòd Magdalena *mulier erat in civitate peccatrix* y. Sed videte ſequelam, quomodo pœnitentiam egerint. Audite quomodo David pœnitens dicat Deo, *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo* z. Obſervate quomodo hæc *mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguēti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Propter quod remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* a. Legitis Scripturam ſacram, & agitis contra ſancta Biblia: Textus enim divinus non proponit vobis Sanctos imitandos quoad ipſorum vitia, ſed quantùm ad ipſorum virtutes; amatis peccata Davidis, quę ipſe deteſtatus eſt, & deflevit: nolite autem dicere quod Deo ſati-facietis ipſâ veſtræ mortis horâ, dicturi tunc bonum peccavi. Quis autem vos de hac rè certos reddidit? An quia vobis Deus illam revelavit? Si ita ſe res habet, peccate quantùm vobis placuerit. Sed quid dico? Licèt vobis eam rem Deus revelaſſet, non deberetis propterea illum offendere, *Miſericordia Domini ab æterno, & uſq; in æternum ſuper timentes eum* b. Si verò de hac re non eſtis certi, ſanè imprudenter agitis incerto vos cōmittere, & certæ vos exponere jacturæ. Deus igitur proponit nobis exēmpla Sanctorum, ut hortetur nos ad hoc, quòd ſi lapſi ſumus ſicut illi, reſurgere conemur more illorum: miſericordia Domini eſt ſatis potens ad ſuſcitandos nos ſi concurramus cum auxilio ipſius. De tribus rebus certi eſſe debemus. Primò, Quòd ſcelera noſtra damnationē mercantur ſempiternam. Secundò, Quod pœnitentia quam peragimus peccatorum noſtrorum, ſufficere non poſſit ad ſatisfaciendum juſtitię Dei. Tertiò, Quòd miſericordia Dei longè vincit omnia peccata noſtra. Iſtæ tres certitudines animare nos debent ad pœnitentiā peragendam. Non eſt Deus ſicut Judices terreni, qui poſtquam reum aliquem condemnaverunt, nunquam illi parcunt, etiamſi reus iſte proteſtetur ſe impoſterum evaſurum ſanctum; non intuentur illi futurum, ſed præteritum: at Deus modo contrario ſe gerit, non reſpicit prǽteritum, ſed futurum, & bonam voluntatem, quam peccator habet benefaciendi, & in bonam emendatæ vitæ frugem ſeſe recipiendi, reddendo ſe è criminoſo juſtum & innocentem, *Conſiderabo noviſſima eorum* c, ait Deus. Ipſe intuetur ſpecialiter finem vitæ noſtræ. Quid igitur expectas, peccator, ut agas pœnitentiam? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* d.

Tertia ratio, propter quam Deus permittit caſum Juſtorum, eſt, ut ex hujuſmodi lapſu eruamus inſtructionem noſtram, ut videntes occaſiones, quæ illos induxerunt ad malum, ab illis declinare ſatagamus. Sancti non ſolùm docent nos ſanctitate vitæ ſuæ, ſed etiam culpis ſuis; conſiderandæ ſunt occaſiones, quibus expoſiti in malum impegerunt, eæq; ſunt a nobis procul eliminandæ. Verum quidem eſt quod ambitio fuit primum peccatum Angeli e, ſicut & Protoplaſtorum noſtrorum, cùm *ſerpens dixit ad mulierē, de fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, in quocumque die comederitis, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malū* f. Sed auſim dicere quòd occaſio eſt origo omnium criminum. S. Bernardus g conſiderans primā Matrem noſtrā projicientem oculos ſuos ſuper arborē, circa quam ipſa ſerpenti jam ſic reſponderat, *De fructu ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*: ſic illam interrogat, *Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina jacis? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam. An non licet oculos quò volo levare, quos Deus in mea poſuit poteſtate? Et ſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ: & cauſa eſt committendæ. Te enim intentâ ad aliud, latenter interim in cor tuū ſerpens illabitur, blandè alloquitur. Blanditijs rationem, mendacijs timorem compeſcit, Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert conceſſum. Porrigit pomū, & ſurripit paradiſum. Haurus virus peritura, & perituros paritura. Perit ſalus, non deſiſtit partus* h. *Naſcimur, morimur, ideòque naſcimur morituri; quia priùs morimur naſcituri* i. Unde videtis quomodo occaſio ſit omnium origo malorum. *Noë vir juſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* k. Quid tamen expoſuit illum deriſui filij ſui Cham? Ebrietas. *Noë bibens vinum, inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras* l. Quidnam fuit occaſio Loth committendi inceſtûs cum duabus filiabus ſuis? Sanè, eadem ebrietas m. Unde ait S. Ambroſius n, *Sane diſcimus vitandā ebrietatem, per quam crimina cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrij cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Multi ſe fortes putant, num fortiores quàm Loth? num continentiores quàm Noë? num utiq; vitia Patriarcharum Scriptura expoſuit, quos victos vino legimus: ſed ut tu diſceres quid caveres. Ille nudus jacuit, iſte filiarum errori patuit. Et Noë juſtus deceptus eſt, quia vinis vis adhuc ignorabatur: ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus ſe credidit, & per ſenectutem madidam, vino ſolutus eſt, commiſit inceſtum ignorans, tu ſic bibe ne capiaris. Inſtruunt Patriarchæ, non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. Ideò iteratum eſt exemplum ebrietatis;*

n Philipp. 4. 13.
o Rom. 5. 10.
p 1. Cor. 6. 11.
q Ezech. 36. 25. &c.
r Coloſſ. 3. 9. & 10.
s Epheſ. 4. 24.
t 2. Reg. 12. 13.
u Luc. 22. 61. &c.
x 2. Reg. 11. 4. &c.
y Luc. 7. 37.
z Pſal. 6. 7.
a Luc. 7. 37. &c.
b Pſ. 102. 17.
c Deut. 32. 20.
d 2. Cor. 6. 2.
e Iſai. 14. 12. &c.
f Gen. 3. 1. &c.
g S. Bern. tract. de Gradib. Humilitatis, Gradu 1. Curioſitas.
h ex Gen. 4. 1. &c.
i ex Rom. 5. 12.
k Gen. 6. 9.
l Gen. 9. 20. &c.
m Gen. 19. 33. &c.
n S. Amb. l. 1. de Abrah. c. 6.

ut confirmetur magiſterium cautiùs. Quid induxit
Judam Iſcatioten ad prodendum Dominum
ſuum? Amor pecuniæ, *Abiit unus de duodecim,
qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdo-
tum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vo-
bis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta ar-
genteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum*
o Matth. 26.14.&c. *traderet* o. Quænam fuit occaſio Petro negandi
Dominum ſuum? Nonne converſatio ali-
p S.Ambr. lib.10.in Luc.22, 56.&c. quantula cum ancillâ? ut ait S. Ambroſius p.
*Quomodo enim non erraret, quem intromiſit oſtiaria,
& interrogavit oſtiaria, & oſtiaria Iudæorum? Malè*
† Ex Gen. 3.6 *Eva induxit Adam* †, *malè Petrum introduxit fœ-
mina. Sed ille in paradiſo labitur, ubi non veniabi-
lis culpa; hic in prætorio Iudæorum, ubi difficilis in-
nocentia.* S. Thomas igitur labitur in infidelita-
tem, eò quòd receſſiſſet è ſocietate Coapoſtolo-
rum ſuorum, ut ait Textus Evangelii hodierni,
*Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus,
non erat cum eis quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei
alii diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis,
Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mit-
tam digitum meum in locum clavorum, & mittam
manum meam in latus ejus, non credam.* Tales oc-
caſiones induxerunt Sanctos ad malum: illæ
igitur ſunt evitandæ: propter eas etenim per-
mittit Deus lapſus [illegible]orum. Vos autem, Do-
minæ meæ, vultis quidem æſtimari pudicæ, ſed
quæritis occaſiones amittendæ caſtitatis: ſinus
iſti, quos præ vobis fertis ſic apertos & patentes,
non ſunt ſigna magnæ integritatis: complacetis
vobis in ſuſcipiendis viſitationibus quas viri vo-
bis exhibent, eorumque amicitias non recuſa-
tis, dicentes quòd prorſus eſſet univerſas urba-
nitatis leges infringere ac aliter agere: ego au-
tem dico vobis, quòd hæc veſtra facilitas eſt
principium mali, quod ibi non ſiſtet, ſed ulte-
riùs progredietur: poſtquàm enim iſti Domini
domo veſtrâ receſſerint, gratia, diſcurſus blan-
dus, & jucundæ illorum qualitates veſtris ſeſe
offerent imaginationibus, inde naſcetur in vo-
bis deſiderium illorum denuò videndorum, ſen-
ſim ſine ſenſu amore illorum accendemini, ab
illis munera ſuſcipietis: quomodo igitur vultis
eſſe caſtæ, ſi pignora amoris ab illis ſuſcepta cu-
ſtoditis, dona, imagines, &c? Fugite ergo occa-
ſiones, quæ viam pandunt ad omne malum per-
q Pſ.118. 37 petrandum, dicentes ſingulæ cum Davide q
Deo, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*
r Incognit. in Pſ.118. 37 Unde Incognitus r ait, *Iſte verſus de oculis corpora-
libus intelligi poteſt: quia per vanam oculorum viſio-
nem concupiſcentia intrat mentem. Et ſic oculi ſunt
quaſi quadam feneſtræ, per quas intrat mors ad ani-*
ſ Ex Jer.9. 21 *mam* ſ.

II. Pars. Viſis rationibus, ob quas permittit Deus la-
pſum multorum Sanctorum, examinandæ ſunt
illæ, propter quas permiſit caſum S. Thomæ.
Iſtæ autem ſunt tres. Prima eſt, ad ſtabiliendam
fidem noſtram. Secunda eſt, ad confirmandam
ſpem noſtram. Tertia eſt, ad inflammandum
amorem noſtrum. Primò, Deus vult ſtabilire
fidem noſtram viis quæ videntur oppoſitæ fini
ipſius; per eas autem ſuam manifeſtat ſapien-
tiam, cùm fidem noſtram eruit ex infidelitate
diſcipuli ſui. Proprium eſt boni Medici viſita-
t Joan.16. 28 re infirmum ſuum, & omnes curas ſuas impen-
dere ad illum ſanandum, Dei Filius qui exivit à
u S.Aug. ſerm 6. de Verb. Apoſt.c.10 *Patre & in mundum* t venit, ut officio Medici fun-
geretur, ut ait S. Auguſtinus u, *Venit Salvator
ad genus humanum, nullum ſanum invenit, ideo ma-
gnus Medicus venit:* viſitat diſcipulum ſuum S.
Thomam, & ſatagit curare infirmitatem infide-
litatis ejus, offert ei remedium efficax; ut diſſi-
pet obſcuritates illius, & illuminet intellectum
ejus, & aperiat illi januam per quam lux exire
debebat, & noſtris inſervire commodis, de quâ
loquitur Zacharias in ſuo Cantico, *Per viſcera
miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens
ex alto* x: Id eſt, *Viſcera miſericordiæ* Jeſu Chriſti x Luc. 1. 78 ex Zach. 3.9. & 6.12
perforata clavis & *lanceâ* y, quæ aperiuntur S.
Thomæ, ut ex illis emicet lumen, quod ejiciens y Joan.19. 18.& 34
tenebras ipſius, inducit ipſum ad dicendum,
Dominus meus, & Deus meus. Propterea *Ieſus dicit
Thomæ, Affer manum tuam & mitte in latus meum.*
Quaſi diceret illi, *Mitte manum tuam in ſinum,*
non *tuum* z, ut alias dixi Moyſi, ſed *in ſinum,* z Exod.4. 6
ſeu *latus meum.* Ex eâ enim volo facere manum
prodigioſam: conſtituere te volo Ducem gene-
roſiorem Moyſe a, ad ducendam Eccleſiam, a Exod.3. 7.&c.
non per mare rubrum, ſed per omnia maria
Oceani uſque ad Indiam; ad eruendum è capti-
vitate non populum inopem, ut Hebræos, qui
ut haberent *vaſa argentea & aurea, ac veſtes* †, iis † Exod.3. 22
ſpoliaverunt Ægyptios: ſed populum divitem,
poſſidentem foſſilia argenti & auri, & abun-
dantiam margaritarum, cujus ſervitus eſt du-
rior, quàm eſſet captivitas populi Iſraëlitici ſub
tyrannide Pharaonis, quia ſubditus eſt diabolo,
cui ſuos ſacrificat liberos, *Immolaverunt filios
ſuos, & filias ſuas dæmoniis* b. Volo ut iſtâ manu b Pſ.105. 37
ſuſcites mortuos, & ſanes omne genus infirmita-
tum: ſed intueor illam eſſe *leproſam* c infide- c Exod.4. 6
litate: illam ergo *manum tuam mitte in latus
meum,* virtute ſuperans *ſinum* Moyſis; *& ſtatim
ſimilis carni reliquæ* d erit, id eſt, lepra tuæ infide- d Exod.4. 7
litatis ſanabitur: Quod & factum eſt: incredu-
litas enim ejus ſanata ſubminiſtravit nobis lu-
mina fidei, & tenebræ illius diſſipatæ attule-
runt nobis claritatem, *Non hoc caſu ſed Divinâ
diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſu-
perna Clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in
Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera
ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infideli-
tas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum pro-
fuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, no-
ſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur,*
ait S. Gregorius e. Et aliquantò poſt, *Thomas* e S.Greg. hom.26. & 29 in Evang.
*dubitando, vulnerum cicatrices tetigit, & de noſtro
pectore dubitationis vulnus amputavit.*

S. Chryſologus f ait, quòd pertinacia S. Tho- f S.Chryſol. ſerm. 84
mæ voluit adhuc quaſi crucifigere Jeſum Chri-
ſtum, inſumens digitos ſuos inſtar clavorum &
lanceæ, ad perforandum denuò manus, & latus
Salvatoris, quaſi vellet inducere Dominum
ſuum ad ſecundam paſſionem, ut ſibi & nobis
conciliaret fidem, *Cur ea vulnera, quæ manus infixit
impia* †, *devota dextera ſic reſulcat? Cur latus, quod* † ex Joan. 19.18
impii militis lancea patefecit *, *refodere manus uti-* * ex Joan. 19.34
tur obſequentis? Cùm *Ieſus dicit Thomæ, Infer digi-
tum tuum huc, &c.* nonne diceretis, quòd Jeſus,
qui eſt Medicus, evaſit infirmus, & quòd Tho-
mas effectus eſt Medicus? Hæc eſt differentia
inter plagas corporis & vulnera cordis, quòd
illi qui vulnerant corpus, non ſanant corpus:
V.g. aliquis enſe perforat alium, poſtquàm vul-
neravit illum, eum non ſanat, ſed Chirur-
gus: ſed illi qui lædunt cor, vulnus ejuſdem
cordis à ſe læſi ſanare debent: atqui Jeſus Chri-
ſtus læſus fuerat in corde à S. Thomâ, *Omnis pla-
ga, triſtitia cordis eſt* g: Infidelitas S. Thomæ, g Eccli.25 17.

æquè

æquè ac peccata omnium hominum, vulnu inflixerant cordi Jeſu, Salvator petit manum S. Thomæ, quæ ipſius vulneri medeatur: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Contingit autem, ut S. Thomas tangens vulnus corporis Domini ſui, ſanetur ipſe à vulnere quod habebat in mente, & cùm priùs eſſet *incredulus fidelis* efficiatur. *Sic quippe diſcipulum Dominus poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit: nec tamen in dubitatione deſeruit. Nam ita factus eſt diſcipulus dubitans & palpans teſtis veræ reſurrectionis. Palpavit autem, & exclamavit, Dominus meus, & Deus meus,* ait prædictus S. Gregorius h.

h S. Greg. hom. 26. in Evang.

Secunda ratio eſt, ad ſublevandam ſpem noſtram. Licèt autem hæc ratio videatur eadem ac illa, quam attuli jam in priori parte, inter utramque tamen datur differentia, ut patebit. Jeſus ſatagit ſublevare Apoſtolum ſuum lapſum, illum educit ex errore ipſius, viſitatione mirabili; & hæc miſericordiæ, quâ utitur Salvator erga S. Thomam, ſpem nobis debet addere, quòd eâdem erga nos ſit uſurus clementiâ. *Ipſe Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti i; redempti pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati Chriſti k* ejuſdem: & iſte Sanguis eſt motivum ſpei noſtræ. David poſt additum adulterio l à ſe patrato homicidium, dolore ductus ſe offendiſſe Deum, firmiter ſtatuit pœnitentiam agere, & à Deo ſuorum criminum veniam efflagitare: accedit igitur ad miſericordiam Dei, & ait, Fateor, Deus mi, quòd offendi te ſceleribus meis, & ſicut crimina mea non ſunt mediocria, ita non efflagito miſericordiam, quæ ſit communis. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam m.* Deus dormire videtur Davidi, nec ullam erga ipſum habere miſericordiam. Si unicam, Deus mi, duntaxat haberes miſericordiam, timere poſſem jure merito ne ulla mihi eſſet impendenda, ſed cum multas habeas miſericordias, ut ritè ſcio, aliquam ex illis dignare mihi impertiri, *Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Deus eſt inexorabilis adversùs David, nec ullam vult illi concedere remiſſionem. Si verò, Deus mi, confeſſio peccati mei inducere te debet ad mihi largiendam illius indulgentiam, conſidera quòd illud agnoſcam, & illius ſemper memor ſim, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Nulla indulgetur Davidi miſericordia. Heu! Deus mi, non ſolùm agnoſco me offendiſſe, ſed etiam me peccaſſe contra Majeſtatem tuam, & ſicut te ſolum inhonoravi, ita à te ſolo expecto meorum veniam ſcelerum, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Nec ulla Davidi miſericordia conceditur ista vice. David ſuos reduplicat fervores. Deus mi, inquiens, meas ignorare non potes infirmitates, & quòd ſi te potuerim offendere, iſtud infortunium attuli è ventre matris meæ: votis igitur meis dignare te reddere propitium, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Nondum impenditur Davidi miſericordia. Heu! Deus mi, ſcio quidem me non mereri gratiam tuam, me nimis eſſe criminoſum, nedum ſuſcipiam miſericordiam tuam: ſed unum ſcio, quod opponam juſtitiæ tuæ, & quod non contemnes: ſcio, quòd diligas Veritatem, ipſemet hoc me docuiſti: iſtud igitur opus eximium miſericordiæ tuæ offero tibi; parce mihi, quæſo, intuitu illius, *Ecce enim Veritatem dilexiſti.* Litera Hebræa legit apud Lorinum n, *Veritatem dilexiſti aut, voluiſti in renibus.* Tum Deus reconciliat ſibi Davidem, intuitu Filii ſui, qui naſciturus erat ex illo. *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David o.* Unde iſtam educo conſequentiam, ſi Deus parcit Davidi intuitu Sanguinis Filii ſui, qui nondum effuſus fuerat pro hominibus: *quantò magis Sanguis hic idem Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemet ipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi p?* Sane noſtrorum impetrabit nobis veniam delictorum, ſi in illo totam noſtram ſpem collocemus: *Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno q.*

i Rom. 8. 16. & 17
k 1. Petr. 1. 18. & 19
l 2. Reg. 11. 4. &c.
m Pſ. 50. 2. &c.
n Lorin. in Pſ. 50. 8
o Matth. 1. 1
p Hebr. 9. 14
q Hebr. 4. 15. & 16

Tertia ratio eſt ad inflammandum amorem noſtrum. Non eſt aliquid quod potiùs naſci faciat amorem in cordibus noſtris, quàm ſcire quòd amemur; & niſi ſimus expertes affectus, mutuum recuſare non poſſumus amorem impendere iis qui nos diligunt, *Si non vis amare, ſaltem redamare non pigeat.* Nunquid non jure merito debemus diligere Deum, qui tanto nos amore diligit, quandiu ſanare ſatagit S. Thomam, ut ſuo nos accendat amore? Deus nunquam vidit in ſubjecto quod conſiderat, niſi bonum, quod ibi invenitur; non intuetur ibi malum niſi per reflexionem, ut ita dicam, id eſt, per privationem boni, *Nunquid oculi carnei tibi ſunt? aut ſicut videt homo, & tu videbis?* ait illi Job r. Et ipſemet, *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris ſ.* Ipſe intuetur bonum in Verbo ſuo, in quo videt omnia. *Vivus eſt enim Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis t.* Nos autem intueri non poſſumus malum niſi per bonum quod nobis deeſt.

r Job 10. 4
ſ Iſai. 55. 8. & 9
t Hebr. 4. 12

Theologia ait, quòd ad hoc ut habeatur cognitio rei alicujus, ſcire oporteat objectum, ſubjectum, qualitatem, & operationes illius: ut ſciamus quid ſit peccatum, & quænam ejus natura, ſciendæ ſunt ejus operationes, & videnda diluvia u, incendia x, & infortunia y, quæ cauſavit à principio mundi; & conſequenter ſciendum eſt quodnam ſit illius ſubjectum, in quo nimirum formatur, & reſidet: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ z.* Sed iſtud non ſufficit, cùm enim cor ſit limitatum, & verum ſit quòd *quodcumque recipitur, ad modum recipientis recipitur,* malitia peccati non ſatis manifeſtatur: licèt enim peccatum ſit veluti infinitum quantùm ad deſideria peccatoris, tamen non eſt tale extenſivè actualiter, ideò peccatum non ſatis intuendum exhibetur: gratia enim, quæ ſuſcipitur in animam, habet aliquam proportionem cum illâ, & non eſt infinita, cùm homo non ſit illius ut ſic capax: ſic ratione contrariorum etiam, malitia peccati quæ eſt aliquo modo infinitâ, non bene apparet ut cognoſcatur illius in-

u Gen. 6. 12. &c.
x Gen. 19. 14 &c
y Num. 26. 9. &c.
z Matth. 15. 19

finitas ; approximanda eſt ad objectum ſuum, quod eſt Deus, contra quem peccatum inſurgit, & ſic videbimus malitiam peccati, quod habet pro objecto Deum, qui *non habet finem* a. [a Baruch. 3.25] Et iſtud eſt peccatum, quod mortem intulit Filio Dei, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras* b. [b Iſai. 53.5] Peccatum inflixit Jeſu hæc vulnera, quæ ipſe tangere facit S. Thomam, *Infer digitum tuum huc*. Intuere exceſſum malitiæ peccati, vide cor iſtud accenſum amore, quod perforatum fuit, ut inde cognoſcerent homines, quantùm ipſos diligerem.

Vehementer afflictus Job c, [c Job 6.2] iſtud formabat deſiderium, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in staterâ*. Job loquebatur quantùm ad ſecula futura de Jeſu Chriſto, *Qua aliâ ſtatera nomine, niſi Dei & hominum Mediator* d [d Ex 1. Tim. 2.5] *exprimitur? qui ad penſandum vitam noſtram meritum venit, ac ſecum juſtitiam ſimul, & miſericordiam detulit, ſed miſericordiæ lance præponderans, culpas noſtras parcendo levigavit*, ait S. Gregorius e. [e S. Greg. lib. 7. Mor. c. 1. in Job 6.2] Quaſi diceret, quòd ad cognoſcendum magnitudinem amoris Divini, & exceſſum malitiæ hominum qui exceſſus faciebat pati Filium Dei, oportebat ut Pater æternus acciperet ſtateram, & ut in unâ lance collocaret exceſſum peccati, & in alterâ magnitudinem amoris ſui quo Filium ſuum tormentis expoſuit ; & quòd ſic cognoſceret exceſſum ſuppliciorum illius, & malitiam peccati hominis, propter quem paſſus eſt, cautum præſtans illius cauſam, ejuſque peccati ſimilitudinem gerens, *In ſimilitudinem carnis peccati* f. [f Rom. 8.3] *Et livore ejus ſanati ſumus* g. [g Iſai. 53.5] Ideò idem *Ieſus dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Ha! peccator, idem eſt id quod dicit tibi Dei Filius ; qui ſingulis ferè verbis nomen illius juras, *Infer digitum tuum huc*. Intuere exceſſum malitiæ tuæ, quæ cùm ſit infinita ſuo modo, pati facit illum, qui *non habet finem* h. [h Baruch, 3.25]

Hanc oſtendunt Theologi veritatem duobus titulis, quos attribuit Filio Dei Scriptura, ubi vocatur *Liber vitæ* i. [i Apoc. 20. 12] *Et Speculum ſine maculâ* k. [k Sap. 7.26] Ipſe enim *Liber eſt vitæ*, in quo ſcripti ſunt omnes Prædeſtinati, *Et in Libro tuo omnes ſcribentur* l. [l Pſ. 138. 16] In illo Pater æternus omnes videt Electos: quodcumque enim videt ipſe, hoc eſt Verbum ipſius, & hunc librum ab æterno præſentem habet. Ad hunc autem *librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem*, cujus tamen aperta ſunt *ſignacula, quoniam occiſus* † [† Apoc. 5. 1. & 9] eſt in monte Calvariâ, Thomam vocat ipſemet *Ieſus, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Ut his *in foraminibus petræ* m [m Cant. 2. 14] (*Petra autem erat Chriſtus* n) [n 1. Cor. 10. 4] ipſe legeret, quòd cùm Sanguis ipſius eſſet pretii infiniti, oportebat ut malitia peccati foret infinita. Et hoc eſt quod ponderare debet Pater æternus. Gravitas mali cognoſcenda exhibetur ex magnitudine remedii, & ex amore quem Dei Filius nobis exhibuit hoc in occurſu. Eximius *Liber vitæ*! In quo diſcere debemus benè vivere, & peccatum abhorrere, quod remedium exegit ita ſævum ac mortem Filii Dei. Secundus titulus ejus eſt, *Speculum ſine maculâ*. In ſpeculo intuetur ſe unuſquiſque talem, qualis eſt: Pater æternus in hoc ſe contemplatur ſpeculo Filii ſui, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* o, [o Coloſſ. 1. 15] *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* p. [p Hebr. 1. 3] In illo ſuas omnes ſpeculatur perfectiones ; ſed ſpeculum iſtud noſtris ſordibus opertum, eſt obſcurum, *Non eſt ſpecies ei, neque decor* q. [q Iſai. 53. 2] Sponſus comparat oculos Sponſæ ſuæ, oculis columbæ, *Oculi tui columbarum* r. [r Cant. 4. 1] Columba naturaliter ſibi complacet in pulchritudine, ipſa ornat ſe, ipſa volat ſuper arborem aliquam proximam ripæ alicujus fluminis, in cujus aquis velut in ſpeculo ipſa ſe intuetur, & à ſe removet ſi quid fortè in ſe reperiat impurum: per hanc columbam intelligere poſſumus peccatorem, qui, ſi ſpecioſus velit evadere, intueri ſe debet in hoc ſpeculo Filii Dei patientis, in iſto Sanguine ſcaturiente è venis ejus, & videre quantus ſit exceſſus ſuus, quàm immodica ſit malitia ſua, quæ mortem intulit Filio Dei, & conari mundare animam ſuam ab omni impuritate. Ha! eximium ſpeculum, Dominæ meæ, ſi intueremini vos in illo, ſicut intuemini vos frequenter in ſpeculis veſtris, profectò ſpecioſiſſimæ evaderetis, videntes quòd impuritates veſtræ tanto conſtiterint Filio Dei, & quòd exceſſus malitiæ veſtræ in ſtaterâ appendatur cum exceſſu amoris Dei.

Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud ſ? [ſ Jer. 17. 9.] Et, ut ait Cornelius t, [t Cornel. in Jer. 17. 9] *Celebris eſt apologus, quem inter alios refert Lucianus in Hermotimo: Momum reprehendiſſe Vulcanum, quòd non feneſtratum pectus hominis feciſſet, quò ejus cogitatus viderentur*. Sed nullus ampliùs eſt querelæ Momi locus, cùm S. Thomas inveniat cor Jeſu apertum, ipſique præcipiatur ut illuc *digitum* ſuum inferat, & judicet de magnitudine amoris ipſius. Sic ſtupore percitus, exclamat, *Dominus meus, & Deus meus*. Tangit digito id, quod non credebat; & videt id, quod non tangit; tangit Humanitatem, & confitetur Divinitatem: *Hominem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens, Dominus meus, & Deus meus. Videndo ergo credidit, qui conſiderando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat, exclamavit*, ait S. Gregorius u. [u S. Greg. hom. 26. in Evang.] Iſtud eſt cor apertum, quod certos nos reddit de amore Dei. Amor eſt ignis, & cor eſt illius focus ; latère non poteſt amor, ſicut nec ignis : tot ora Chriſtus habebat in corpore ſuo, quot vulnera, quæ ſermone muto, ſed diſerto eloquebantur pluſquàm ſufficienter magnitudinem amoris ipſius.

S. Paulus x, [x 1. Cor. 13. 1. &c.] iſte Seraphinus incarnatus, ſemper verba amoris profert, licèt repetitionibus quæ videntur importunæ, cùm ad idem ſemper tendant, *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam*: &c. Ratio iſtius eſt, quia cùm proprium ignis ſit aperturam ſibi facere, & amor qui erat in corde S. Pauli, eſſet ignis, oportebat ut exiret ; & ideò natura dedit homini os ut caminum: non eſt ergo mirum ſi S. Paulus ita ſæpè de amore loquebatur ; ſed amor ejus erat finitus, propterea os ejus ipſi ſufficiebat : at amor Jeſu erat infinitus: debuit igitur habere aliam aperturam, ſeu alium caminum, idcircò *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua* y. [y Joan. 19. 34] Ut meliùs ſuum nobis exhiberet amorem intuendum. Ideò *Ieſus dicit Thomæ Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus*. Sicut Jeſus Chriſtus vincit hunc Apoſtolum ictu lanceæ: ſic & Apoſtolus iſte mori vult vulnere lanceæ, ut amorem Domini ſui reciprocâ compenſet dilectione. Antiqui devictis hoſtibus deferebant in triumphis ſuis lanceas coronatas ad honorandas victorias ſuas: ſed videtur lancea Domini noſtri inhonorata ; eò quòd cùm crux & clavi vocentur dulces, *Dulce lignum, dulces clavos* ; ipſa vocetur crudelis, *Mucrone diro lanceæ*.

Cujus

Cujus fortè ratio eſt, quia myſterium redemptionis noſtræ, & victoriæ Jeſu Chriſti ſuper mortem, & infernum *z*, perfectum eſt, cùm *Ieſus dixit, Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum* a. Ita ut, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* b, illius victoria eſſet jam acquiſita: & ſic lancea non fuerit laude coronata, ſed potiùs inhonorata: at Jeſus Chriſtus hodiernâ die voluit illam honorare cùm coronâ tanti Apoſtoli, ut hæc ſibi vendicet gloriam, illum viciſſe vulnere quod ipſa ei inflixit in morte ejus, ut quæ vocabatur crudelis, efficiatur dulcis Jeſu Chriſto, qui vincit & convincit hunc Apoſtolum, qui dilectionem ipſius reciprocâ agnoſcens dilectione, percuſſione lanceæ aliquando moriturus pro nomine Domini ſui, audit ipſum dicentem ſibi, *Infer digitum tuum huc*, &c. Deum offendimus corde, & manibus. Corde, id eſt, deſideriis pravis. Et manibus, nimirum, actionibus pravis & criminoſis, conculcantes *Filium Dei, & Sanguinem Teſtamenti*, qui exit è vulneribus iſtis, ducentes *pollutum, in quo ſanctificati ſumus, & ſpiritui gratiæ contumeliam* e *facientes*. Ipſe petit a nobis ut aliquod levamen afferamus doloribus ipſius: erimuſne ſic grati & ita ſtupidi ut renuamus amorem illius reciprocâ dilectione compenſare? Dilectio quâ debemus illum amare, hoc officium à nobis exigit, & commoda noſtra illud requirunt. Unicuique noſtrûm *Ieſus dicit, Infer digitum tuum huc.* Id eſt, *Declina à malo & fac bonum d.* Et conſolaberis afflictiones meas, *Infer digitum tuum huc.* Conſidera vulnus quòd lateri meo inflixiſti per peccata tua, memorare Paſſionis meæ inter tentationes tuas, & ego tibi auxiliabor, & tandem largiar tibi gloriam meam.

z. Oſee 13. 14
a Joan. 19. 30
b Joan. 19. 34
e Hebr. 10. 29
d Pſ. 36. 27.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.
Luc. 3. 5. &c. ex Iſai. 40. 3.

Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Gen. 22. 10. &c.

INter omnes paſſiones humanas, de quibus hactenus vobis locutus ſum, nullam exiſtimo dari, quæ ſic hominis interturbet animum, & rationem illius è propriâ dimoveat ſede, quàm ira quæ eſt paſſio partis iraſcibilis, quæ unico inſtanti hominem ab homine exire facit, eripit illi judicium, rationem, & mentem, & ex homine efficit eum beſtiam, monſtrum naturæ, & dæmonem infernalem. Aliæ paſſiones pedetentim in noſtras illabuntur animas, & ubi in illas ſunt receptæ, inſurgunt in rationem, & dominium ſibi conciliant in hoc exiguo imperio mundi rationalis, niſi ab initio earum reprimamus progreſſum; niſi expellamus illico has *vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas a* Dei; niſi ſtatim allidamus hos abortivos concupiſcentiæ *parvulos ad petram b* mortificationis; & niſi protinus evellamus hæc ſeminum germina ex paradiſo animæ, antequam illuc profundas injiciant radices, & eorum actus tranſeant in habitus, & in conſuetudines pravas.

a Cant. 2. 15
b Pſ. 136. 9

Amor animalis, qui eſt prima & præcipua paſſionum, generatur per longam converſationem, & introducitur per mutuam communicationem intuituum, verborum, epiſtolarum, munerum, quid ſcio? & poſtquam natus eſt & formatus, producit in homine quandam alienationem ab homine, faciendo ecſtaſim; deſtituit eum judicio, ratione, & mente, ſine ullâ differentiâ ætatis, profeſſionis, aut qualitatis, *Omnis amans eſt amens.* Sed paſſio iræ naſcitur formata, *Dum incipit, tota eſt.* Unico accenditur inſtanti circum cor, & totum inflammat corpus hominis, *Eſt accenſio ſanguinis circa cor.* Deinde, Transfert rationem hominis extra omnem rationem, efficitque ut verba promat ille eidem rationi diſſona, & actiones peragat compaſſione magis, quàm correctione dignas. Vinum eſt, cujus vapores in cerebrum illius aſcendunt, eumque inebriant; cujus uſus prohibetur à Lege *c* Nazaræis Evangelicis *d*. Turbo eſt qui unico inſurgit inſtanti, & tranquillitatem animæ noſtræ interturbat. Eſt nebula ſpiſſa, quæ è nihilo formatur, & eclypſi offundit ſerenitatem mentis noſtræ, eique lumen omnis notitiæ abripit. Tandem, Eſt febris ardens, quæ nos inopinanter intercipit, ſanitatem noſtræ depravat conſcientiæ, & deformat pulchritudinem perfectionis ejus, *Ira enim viri, juſtitiam Dei non operatur*, ait S. Jacobus *e* ultra id quod dixit alias Poëta,

c Judic. 13. 7
d Luc. 1. 15
e Jacob. 1. 20

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Ideò S. Baſilius *f* iram vocat inſaniam momentaneam, quæ unico incipit & deſtruitur momento. *Inſania quædam brevis eſt ira. Nam irati in conſpicuum frequenter malum ſeipſos conjiciunt, propter vindictæ ſtudium ſuiipſorum negligentes. Quiſnam malum pro dignitate explicare poſſit? Quomodo proclives ad iram ex levi occaſione accendantur, vociferentur, efferentur, & quâ non venenum ejaculante beſtiâ ſæpiùs impetant? & non priùs deſiſtant, quàm malum aliquod rependerint ei qui irritavit, quàm per magnum & immedicabile malum, irâ ipſis velut bullâ erumpente, inflammatio diſcutiatur. Neque enim enſis acies, neque ignis, neque aliud quidquam horrendum, animam præ irâ furioſam cohibere poteſt, non magis utique quàm eos qui à dæmonis detenti ſunt, à quibus nihil neque habitu, neque animæ affectione irati differunt.*

f S. Baſil. Concion. Contra iraſcentes.

Sed quid dicam de Abraham? Audebone aſſerere eum hâc fuiſſe paſſione iræ affectum aliquo modo in hoc credito filii ſui ſacrificio? Etiam. Audacter dico illud (nedum injuriam memoriæ ſanctitatis ejus interam) Zelus enim quo ferebatur erga Dei mandatum adimplendum, illum quodam exiguo iræ motu ciet, ſed ſanctæ, ait Pererius *g* in hæc verba, *Non extendas manum tuam ſuper puerum.* Dicit ergo, *Extendere manum in aliquem, vel ſuper aliquem, irati eſt: geſtumque percutere volentis oſtendit, ut Iſaiæ 5. 25. Ideò iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum.* Et cùm minamur alicui, ut oſtendamus nos eſſe iratos adversùs eum, dicimus ei, Si extendam manus meas

g Pererius in Gen. 22. 12

meas ſuper te, vel, imponam tibi manus. Et Job h, *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet: niſi in faciem benedixerit tibi*, ait diabolus Deo.

h Job 1. 11

Eodem commovetur iræ ſanctæ S. Joannes Baptiſta affectu, cùm *venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo, Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira* ? Sacra eſt utraque hæc ira, S. Joannis Baptiſtæ ſancto zelo excandeſcentis adverſus Judæos; & Patriarchæ noſtri Abrahæ volentis ſacrificare filium ſuum, & arripientis enſem ad jugulandum eum. Sed datur & ira criminoſa, quam moderari debemus, ſicut moderatus eſt Abraham iram ſuam ſacram, ſtatim ac audivit, *Non extendas manum tuam ſuper puerum.* In criminoſam invehemur, quam Deus non poteſt pati, cùm ſit ipſe ſuavitas & dulcedo per eſſentiam *i*, Statim ac noſtras exhibuerimus reverentias ei, quæ eandem dulcedinem in ſuo concepit ſinu *k*, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

i Matth. 11.29
k Luc. 1. 38. & 28

Sicut omnium animalium eſt homo miſerrimus, ita inter ea nullum datur eo miſericordius quandiu eſt homo, nec ſe ſpoliat eo, propter quod Deus illum produxit, nedum peragat id, quod nunquam cadere in humanam deberet cogitationem, quia talis cogitatio cùm ſit criminoſa, damnatur ad ſupplicia, quæ cùm convenientiam habeant cum criminibus, non poſſunt eſſe niſi maxima. Ideò Antiqui ut meliùs repræſentarent nobis effectus funeſtos iræ criminoſæ, fingebant Deum Martem præ manibus ferentem enſem quo ſibi perforabat pectus, & pedes habentem obſcurâ nube circumvolutos. Myſterioſum emblema quod nos edocet, iram eſſe gladium qui cordi vulnus infligit mortale, hancque furiam ita hominem redigere in captivitatem, ut nulla ſupereſſe ei videatur ampliùs libertas exeundi ex obſcuritatibus infelicis hujus paſſionis. Hæ nebulæ oſtendunt quomodo extinguat illa rationis lampadem, totum interius caligine circumfundendo. Hæc eſt paſſio quæ a Theologis apellatur *Ira per vitium*, ut diſtinguant eam ab altera innocente, cujus ardores ſunt juſti, & cauſæ penitus ſanctæ, quæque ab illis nuncupatur *Ira per zelum*, ira ſancta, & meritoria coram Deo, cùm hæc non inſurgat niſi ut illius cauſam complectatur, & ut deſtruat peccatum quod gloriæ ejus opponitur.

Hunc exhibuit aliàs *Phinees* zelum quo afficiebatur erga honorem & obſequium Dei, cùm deprehenſos in flagranti delicto Judæum & Madianitidem palam omni populo fornicantes, *arrepto pugione perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem l.* Quæ actio ſic Deo fuit grata ut Scriptura ſacra dicat, quòd intuitu hujus zeli, averterit Deus flagellum indignationis ſuæ à populo, *Ceſſavitque plaga à filiis Iſraël.* Propter eundem zelum, ut *acceſſit quidam Judæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram*; *& vidit Mathathias, doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram m.* Quod novos addidit animos Judæis ad reportandam de hoſtibus ſuis victoriam. Et ſicut hæc ira eſt valdè neceſſaria iis omnibus,

l Num. 25. 6. &c.
m 1. Mach. 2. 23. & 24

qui aliquo funguntur officio publico; ita illi omnes qui eâ non afficiuntur, ſunt maximè reprehenſibiles. Heli Sacerdos magnus, eò quod ſuos non ſatis ſeverè correxiſſet filios *n*, graves ſuæ culpæ pœnas luit, morte ſubitâ è medio ſublatus, & filiis ſuis prius orbatus *o*. David, quia non ſatis aſperè corripuiſſet Amnon, qui conſtupraverat ſororem ſuam Thamar *p*, diverſis fuit à Deo afflictus modis *q*; & coactus fuit paulò pòſt deplorare jacturam hujus filii miſerandâ morte perempti *r*. Et Achab Rex Iſraël, eò quòd pepercíſſet Benadab Regi Syriæ, quem captivum tenebat, nunquid non accepit ſententiam condemnationis latæ à Deo, & prolatæ à Prophetâ Michæa *ſ* ? Eſt quædam ira quæ Deum mitigat, qualis fuit ira Phinees. Eſt alia ira quæ directè redundat ad gloriam Dei, qualis fuit ira Eliæ, cùm *prophetas Baal interfecit t*. Et ipſe *Zelus domus u* Dei, aut ira ſacra ejuſdem Dei Filium affecit, cùm facto *quaſi de funiculis flagello, omnes ejecit de templo x* mercatores. Sicut & omnes commovet alios, qui exemplo illius allecti procurabunt cum ardore gloriam Dei, ſicut irâ ſacrâ fuit affectus S. Petrus contra Ananiam & Saphiram *y*. Hæc eſt ira ſancta & meritoria. Sed eſt altera ira criminoſa, quam Deus pati non poteſt, cùm efficiat ut odio proſequamur proximum noſtrum, & vindictam inquiramus adverſus eum. Et hæc eſt Primò contraria proximo. Secundò, Damnoſa nobis ipſis. Tertiò, Injurioſa Deo.

n 1. Reg. 2. 22. &c.
o 1. Reg. 4. 18
p 2. Reg. 13. 21. &c.
q 2. Reg. 15 10. &c.
r 2. Reg. 13. 31
ſ 3. Reg. 20. 32. &c.
t 3. Reg. 18. 40
u Pſ. 68. 10
x Joan. 2. 15
y Act. 5. 3. &c.

Diviſio.

I. Pars.

Ad clariorem intelligentiam eorum quæ dicturi ſumus, & ad majorem notitiam habendam vitii, de quo eſt nobis ſermo, Sciendum eſt quòd id, quod nuncupamus iram, non eſt propriè niſi appetitus ardens & immodicus vindictæ, qui procedit & producitur in nobis ex contemptu & injuriis quæ nobis fuiſſe credimus irrogata: hoc eſt formale hujus vitii, cùm materiale illius nihil ſit aliud niſi commotio quæ nos inflammat totos, *Ira eſt ebullitio, ſeu accenſio ſanguinis circum cor ex appetitu vindictæ.* Aliæ paſſiones, ut jam dixi, paulatim per gradus augentur, hæc verò perfecta eſt ſtatim acorta eſt. Opinio enim contemptus non ſtatim ingreſſa eſt per oculos, aut per aures; non priùs illapſa eſt in phantaſiam noſtram, nobis talem deſpectum meditantibus, cùm imaginatio ſuam communicat influentiam appetitui iraſcibili; & ex tunc veluti ſi ignis tormento applicatus eſſet bellico, editur ſtrepitus & fragor, qui ſpecioſiſſima deformat corpora, ſanguinem commovet, ſpiritus turbat, & omnes ad vindictam capeſſendam tendit venas. Diceretis ſanè, quòd cor nihil eſt ampliùs niſi officina Vulcani, in quâ cogitationes animatæ ad rabiem, veluti tot Steropes, Bronteſque ſervi & tyrones ejuſdem Vulcani, aliique Cyclopes ejus miniſtri ad elaboranda ſuas omnes inſumunt vires tonitrua & fulmina, ad moliendam proximo ruinam. Quomodo autem ira non eſſet contraria amori, quo præcipit Deus ut diligamus illum veluti nos ? *Diliges proximum tuum ſicut teipſum z.* Cùm non provocet bilem, nec ad iſtas omnes feratur petulantias, niſi ut ejus jacturam machinetur, cùm omnes ejus conatus tendant ad ruinam ejus, ut ſuo furori ſatisfaciat, & rabiem ſuam penitus expleat.

z Matth. 22. 39. & ex Marc. 12. 31. & ex Luc. 10. 27.

Heu!

Heu! quot funeſtos effectus producit hæc paſſio animalis. Cùm ſemel invenit ipſa ſanguinem aduſtum, & bilem fumantem, illuc ſe intromittit ut nubes turbinibus prægnans, ignes projiciens, tonitrua immittens perſtrepentia, jacula vibrans, & nihil præter ruinas machinans & deſtructiones omnimodas. Quòd ſi hanc paſſionem iræ comitatur poteſtas & authoritas, tunc eradicat illa penitus civitates, Provincias deſolat fumantes, in homicidiis natat, theatra erigit patibularia ſanguine irrigata, & velis lugubribus tenſa, in quibus agit horrendas tragœdias, ut ſibi ſatisfaciat; ut legimus in Hiſtoria *a* quæ ſuſpiria educit è pectoribus illorum, qui minus præ ſe ferunt crudelitatis, & plus ſuavitatis. Theſſalonicæ, *cùm fortè ſeditio concitata eſſet, Magiſtratus aliquot obruti lapidibus fuêre, & gravibus contumeliis vexati: Quibus rebus nunciatis*, Theodoſius *Imperator bile accenſus, flammam nequaquam repreſſit iracundiæ, neque fræno rationis ejus impetum cohibuit. Sed illius arbitrio permiſit pronunciandæ ſententiæ de ſupplicio Theſſalonicenſibus irrogando poteſtatem. Iracundia igitur hanc authoritatem nacta, velut tyrannus omnia nutu ſuo gubernans, ruptis habenis, & jugo rationis excuſſo, gladios iniquè contra omnes diſtrinxit, & inſontes pariter cum ſontibus trucidavit. Nam ſeptem hominum millia, uti fertur, interfecta fuêre: in qua occaſione non judicium anteceſſerat, neque authores tam horrendi facinoris juſtâ & legitimâ ſententiâ condemnati: ſed omnes ſimul, veluti ſpica in meſſe deſecta, conciſi fuerunt.* Et, *Indignatus Holofernes vehementer* contra populum Dei, omnes incolas Bethuliæ vult igni & ferro tradere, ratus quòd Bethulienſes ſibi non exhiberent reverentiam debitam, neque Domino ſuo Nabuchodonoſor, cujus generales agebat ipſe vices, & quem comminiſcebatur eſſe Deum, *Quoniam non eſt Deus, niſi Nabuchodonoſor; & quoniam Nabuchodonoſor Dominus ſit univerſæ terræ b.* Nihil igitur magis contrarium proximo, quàm hæc ira criminoſa, cui minatur Deus judicium, *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio c.* Siſtendus eſt ergo curſus & progreſſus ejus, proximo contrarius, & ſibi damnoſus.

a Theodoret. hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 17.
b Judith. 6. 1. &c.
c Matth. 5. 22.

II. Pars.

Si devaſtans ignis iſte iræ proximo eſt infenſus, non minus infert ipſe diſpendium ſubjecto quod accendit, & in quo ipſe fovetur & alitur, cùm conſumens illud, omnia obſcuret lumina mentis illius, & hominem redigat in ſtatum ſic miſerandum, ut non niſi ſolam præ ſe ferat amplius hominis apparentiam exteriorem. Ego autem non novi remedium opportunius quo ſiſtantur hæ furiæ, niſi ut offeratur eis ſpeculum in quo ſe intueantur ad libitum, ſi ſatis generoſo vigeant irati homines animo ad ſuſtinendam talem deformitatem. Illud enim vitium ſic eſt deforme, ut ſolus vel ejus intuitus horrorem incutiat aſpicientibus. Remedium illius oritur ex notitiâ ejus; & medela illius eſt unus ex ipſius effectibus. Videte, ſi placet, hos furioſos hâc bilis accenſione inflammatos; efficiuntur rubicundi more criſtæ galli gallinacei, & deinde palleſcunt ut defuncti; oculos præ ſe ferunt ſanguineos inſtar ranarum, ſcintillantes non ſecus ac Gorgonæ lumina; in capite gyrantes, quales erant oculi Caini *d*; rugiunt ut leones, ſpumant velut apri, ſibilant ſicut aſpides, veneno inficiunt id omne, quod intuentur ut baſiliſci, ignem emittunt ut Veſuvius, cœnant lampadibus ſanguineis illuminati ut Cyclopes, noctu incedunt ut percutiant & injurias irrogent ſicut Furiæ; perpetuis tandem inquietudinibus anxiantur ut dæmones; continuas evomunt blaſphemias ſicut damnati, jurant ut deſperantes; nihil reſpirant niſi vulnera, curvitates, & vindictas ut diaboli. Et, ut omnia uno concludam verbo, nihil amplius habent hominis; quàm ut ſint pabulum ſubminiſtrandum ad fovendum *ignem æternum e*, qui *flante Deo, & ſpiritu iræ ejus f* accenſus, tamdiu eſt duraturus, quamdiu futurus eſt ipſemet Deus, ut illorum iram plectat furioſam, niſi tandem reſipiſcant, & ſe in bonam vitæ emendatæ ſedulò recipiant frugem. Nullum videtur in eis amplius judicium; exulat ab illis ratio, nec in illis ullo amplius auditur modo; omnia in eo ſunt inordinata ex quo ſemel hæc paſſio eclypſi circumfudit omnia ſpecioſa mentis lumina. Quid igitur damnoſius homini? Quid funeſtius Chriſtiano? cujus præcipua virtus debet eſſe manſuetudo, ut imitetur Chriſtum Prototypon ſuum, cùm dicat, *Diſcite à me, quia mitis ſum g.* Iræ eſt oſtium, quod clauſum virtuti, non eſt amplius apertum niſi vitiis, quæ perdunt hominem, qui ſe hujus paſſionis captivum efficit.

d Gen. 4. 5
e Matth. 25. 41.
f Job 4. 9.
g Matth. 11. 29.

Prætereà, Ira delet in nobis imaginem Dei, quam manſuetudo conſervabat in nobis. Sicut enim videmus, quòd motus aquæ deſtruit figuram quæ in eâ nobis apparebat, ſic motus iræ, hæ ebullitiones, hi turbines agitantes cor noſtrum, delent ſpecioſam imaginem gratiæ, quæ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis h.* Quod eſt maximum omnium damnorum quæ poſſint nobis evenire, nimirum amittere vivam imaginem & ſimilitudinem Dei; & tamen nobis illud cauſat ira criminoſa detrimentum, eripiens nobis manſuetudinem, quæ illius eſt perfecta expreſſio, *Tu Domine ſuavis & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus te i. Sciendum nobis magnopere eſt, quia quotiens turbulentos motus animi ſub manſuetudinis virtute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire Conditoris conamur. Nam cùm tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo ſciſſamque perturbat, ut ſibimetipſi non congruat, ac vim intimæ ſimilitudinis amittat. Quanta ergo ſit iracundiæ culpa penſemus, per quam dum manſuetudo amittitur, ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur,* ait S. Gregorius *k*. Qui ſubdit inſuper, quòd *per iram ſapientia perditur: ut quid, quove ordine agendum ſit, omnino neſciatur, ſicut ſcriptum eſt: Ira in ſinu ſtulti requieſcit l: quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, dum mentem permovendo confundit. Per iram vita amittitur, etſi ſapientia teneri videatur, ſicut ſcriptum eſt: Ira perdit etiam prudentes m: quia ſcilicet confuſus animus nequaquam explet, etiamſi quid intelligere prudenter valet.*

h Rom. 5. 5.
i Pſal. 85. 5.
k S. Greg. lib. 5. moral. c. 30.
l Eccl. 7. 22.
m Ex Sap. 10. 3.

Heu! Chriſtiani quidnam exiſtimatis agere vos furoribus veſtris? Fortaſſe ignoratis vos quantam veſtris irrogetis injuriam animabus?

Scitote nos nihil habere ſuavius aut miſericordius altaribus noſtris, quòdque *ſine Sanguinis effuſione non fit remiſſio n.* Ibi profectò miſericordiam inquireremus, ſi eam Deus ab omnibus orbis procul amandaſſet regionibus: & tamen quandiu hanc fovetis paſſionem intra cordis veſtri penetralia, privatis vos jure altarium, & omnibus commodis illorum; & ſi vobis ſupereſt aliqua Chriſtianiſmi vena, aliquis Religionis affectus, quoties ad illa acceditis, intimam Filii Dei auditis vocem cordibus veſtris inſpirantem, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſùm te o.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus p. *Hoc eſt, juſtam querelam, propter injuriam ſibi à te illatam, hoc eſt, quia ei tu aliquo malè feciſti. Si enim tu eum offendiſti, ipſe habet adverſùm te, non tu contra eum. Si verò ipſe te offendit, habes adverſùs eum; ſed tunc ſufficit ut ignoſcas ei ſicut vis tibi à Deo ignoſci, nec oportet facere quæ ſequuntur. Quæ tamen ſi feceris, opus magnæ perfectionis exhibes, maximamque mercedem exquiris. Tunc relinque ibi munus tuum ante altare, id eſt,* ait Dionyſius idem, *inchoatum obſequium ſeu oblationem ſuſpende, vel intermitte actu, aut propoſito, quia non eſſet Deo acceptum, niſi quod ſubditur, ſe cerus. Et vade priùs reconciliari fratri tuo, id eſt, placa & ſatisfac ei, veniam poſtulando, & emendationem exhibendo; ſecundùm exigentiam culpæ. Et tunc veniens offeres munus tuum, id eſt, inchoatum Dei obſequium perficies & continuabis, hoſtiam immolando.* Si verò contemnatis hæc verba Salvatoris, & inchoatum ante peractam reconciliationem perficiatis Sacrificium, novum perpetratis ſacrilegium; diſcedendo ab altari & à ſacrificio, declinatis à veniâ & à vitâ. Deinde, Quænam neceſſitas eſt illa, ut ſatisfacturi paſſioni immodicæ, debeatis vivere jugiter continuo irretiti ſacrilegio, veluti excommunicati? Quid infelicius?

n Hebr. 9. 22.

o Matth. 5. 24. & 25.
p Dion. Carth. art. 10. in hunc locum.

Si verò iſtud, Auditores, vobis non ſatisfacit; ſi nondum vobis ſatis dixi ut horrorem vobis hujus vitii incuſſerim; intuemini, ſi ſatis perſpicacibus vigetis oculis, ſpecioſum lucrum quod reportavit Aman primus Aulicus & amicus Regis Aſſueri ex irâ & rabie ſuâ. Perpendite, ſi placet, quomodo inſanâ percitus iracundiâ illatæ ſibi injuriæ creditæ volens mederi, æternæ ſe immerſit infelicitati. Eo quòd non ſatis præ ſe tulerit induſtriæ, quâ exiguam diſſimularet inurbanitatem adverſùs ipſum admiſſam, & contra honorem, quem ſibi imaginabatur deberi ut amico Regis, cùm noluerit primos iſtos extinguere iracundiæ motus, memoria illius in opprobrio eſt ſempiterno. *Cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet quòd Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valdè q.* Mardochæus, quem vilem reputabat hominem, illum non ſalutaverat exeuntem è *foribus palatii*; rabie corripitur immodicâ Aman, ignem & flammas emittit ex oculis, extra ſe rapitur præ nimiâ irâ, hanc exiſtimatam ulciſci vult injuriam ſibi irrogatam quidquid accidat; & licèt ratio ipſius ipſi ſuggerat eum eſſe ex infimâ plebe oriundum, in quem velit ipſe inſurgere; hoc non impedit quin velit eum exterminare, eò quòd ipſum non ſalutaverit, nec debitam amico Regis, ipſi inſurgendo & genua flectendo, reverentiam exhibuerit. Sed, Aman, tuum tantiſper, ſi placet, placato animum, hos primos contine, obſecro, iræ & rabiei motus; non eſt ſic ingens culpa qualem imaginaris. Mardochæus eſt Hebræus, tu verò Perſa, & forſan obſervavit ſuper tuis veſtimentis figuras Deorum Perſarum acu pictas, & *ſolus non flectebat genu, neque adorabat*, ne crederetur ipſe exhibere hunc honorem Diis tuis, & ſic idololatriæ inſimularetur. Nihil intereſt, reſpondet Aman commotus iracundiâ quæ ipſum extra cardines ejicit, jacturam illius meditatus ſum omnimodam. Sed Aman ſi eò uſque pervenias vindictæ, accipe igitur caput Rei, ſatia te illius ſanguine, rabiem tuam exple, & evome quidquid habes contra illum, & parce aliis omnibus Judæis inſontibus. Nequaquam. Illum & omnes ejus poſteros extinguere volo penitus, ita ut omnium Hebræorum memoria omnino deleatur. Ecce annulus Regis præ manibus meis, ut eo obſignatas ad omnes *Provincias* ſatagam mittendas epiſtolas, ut occidantur omnes Judæi *uno die, & bona eorum diripiantur.* Heu! quanta carnificina. *Ecce quantus ignis quàm magnam ſylvam incendit r!* Ob recuſatam exiguam ſalutationem, propter modicam inurbanitatem, intuitu parvi contemptus, quem deſpicere debebat & flocci ducere Aman, facere natare iram in lacrymis tot viduarum, & tot orphanorum, in cæde tot inſontium, in ſanguine innoxio tot & tantarum Provinciarum! Sed Aman credisne quòd nullus ſit Deus? Audiſtine aliquando quòd *in cælo ſedes ejus ſ* ſit? ut vindictam de tantâ edendâ ſumat carnificinâ. Nunquid non ſcis quòd ejuſdem *iram Domini* merens, & ſeveros juſtitiæ ejus es experturus rigores? Aget Deus quidquid voluerit; ſed oportet ut illatam mihi ulciſcar injuriam, reſpondet hic furioſus & inſanus; uxor mea æquè ac amici mei talem mihi conſulunt capeſſere ultionem, nec poſſum quin de hoc homunculo condignam referam vindictam.

q Eſth. c. 3. & ſeqq.

r Jacob. 3. 5.

ſ Pſ. 10. 4

t 2. Paral. 19. 2.

Heu infelix! funeſtum ſuum adhuc ordiebatur conſilium, deplorandum ſuum exequi meditabatur propoſitum, *& ira Dei aſcendit ſuper u eum*, & vindicta Divina irruit ſuper caput illius. Incurrit in inimicitiam Regis, à muliere ignominioſè ſupplantatus. Cùm igitur accedit ad palatium Aſſueri Domini ſui, illicò audit ibi veluti rugitum leonis, *Rex autem iratus ſurrexit*, præcipiens ut è ſuâ removeatur Aman facie, & patibulo affigatur habenti *altitudinis quinquaginta cubitos. Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* Super quæ Celada x ait, *Quod ſtatim factum eſt, ſed priùs translatâ cruce ex Aman domo ad urbis portam, ut notat Cornelius; & habetur in Regiis literis deſcriptum y. Niſi fortè domi ſuſpenſus, poſteà è cruce etiam ſuſpenſus, ad Suſorum portam translatus eſt, ut putat Salianus.* Et ut augerentur infelicitates ejus & infortunia, & majori frons ejus offunderetur pudore, dedecore & opprobrio, *pro ſcelere ante portas urbis Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis: Deo reddente ei*

u Pſ. 77. 31

x Celada in Eſth. 7. 10.

y Ex Eſth. 16. 18.

z Eſth. 16. 18.

ei quod meruit, concludit Scriptura; & omnis progenies ejus illico exterminata ſunt, nec illius ampliùs habita eſt memoria, niſi in execrationi, & æterno anathemati inpoſterum ſubjaceret. Qualia tonitrua, quanta fulmina, quàm immodicas tempeſtates, & quam ingentes turbines vibrat Deus ſuper homines iracundos ſanguini & carni præ vindictâ inhiantes! Heu! qualia ſupplicia animabus æquè ac corporibus inflicta! Poſt hæc, Auditores, audebimuſne adhuc in nobiſipſis hanc ſovere paſſionem, quin illico noſtris ſimus inimici commodis, & noſtræ evadamus injurioſi felicitati?

Si verò inveniantur aliqui ſic inſani, qui ſibi placeant, poſt iſta quæ vobis annunciavi modò; in alendo hoc vitio, & in fovendo hoc igne; non poſſum quin zelo accenſus juſto, illorum maledicam flammis quæ non ſunt idoneæ niſi ut incendia generent, *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura* a, maligna, & inſatiabilis eſt. Heu! Nunquid non deberent miſerandi illi homines cogitare, ſe non eſſe inſontes, & quòd momentum, quod præ ſuis habent manibus, cum ipſo dividant interim, quòdque Deus noſtram non intendat jacturam, ſed potiùs converſionem, & in bonum emendationem, ut prudens Davidem *dixit mulier Thecuitis ad Regem, Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam; ſed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abjectus eſt* b. Ipſe Sol qui eos è cubili ſurgentes eſt intuitus, antequàm cubitum pergant, eos videre poteſt elatos, & in tumulo reconditos, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram* c. *Id eſt, irâ veſtrâ durante*, ait Dionyſius Carthuſianus d: *Tanquam dicat. Si motus iræ exurgat, non maneat. Vel, Sol juſtitiæ* e, *id eſt, Chriſtus, aut certè Sol intelligentiæ, id eſt, judicium rationis, non occidat ſuper iracundiam veſtram, id eſt, à vobis non elongetur, nec ſeparetur propter iracundiæ veſtræ exceſſum.* Quin imò primos retundite motus ejus, ut contrariæ proximo, damnoſæ vobis ipſis, & injurioſæ Deo, quod nobis ſupereſt examinandum.

a Gen. 49. 7. de Simeone & Levi.

b 2. Reg. 14. 9. & 14.

c Epheſ. 4. 26.

d Dion. Carth. art. 4. in hunc locum.

e Malach. 4. 2.

III. Pars.

f Iſai. 9. 6.

Deus qui ſemper prædicatus eſt *Princeps pacis* f, ſic dilexit manſuetudinem, ut, quoties apparuit, ſeque intuendum exhibuit ſub aliquâ figurâ ſenſibili tam in veteri Teſtamento, quam in novo Fœdere, ſub eâ ſemper ſe conſpiciendum præbuerit, quæ illi magis communicat, & ad eam magis accedit. Si venit ad Eliam, ad Prophetam accedit ſub ſuavi Zephyro, *Non in commotione Dominus, & poſt, ſibilus auræ tenuis* g. Si conſpiciendum ſe tradit in Baptiſmo Chriſti, *Baptizatus Ieſus vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*, quæ non habet fel amaritudinis, *& venientem ſuper ſe* h. Et *Verbum caro factum* nomine ſolemni nuncupari voluit *Agnus Dei* i, cùm repræſentaretur in Eccleſia primitiva per eandem figuram veluti magis expreſſivam bonitatis ipſius, quæque ipſi magis placeat, ipſumque meliùs deceat. Quare hoc? Quia cùm ſit *Princeps pacis*, manſuetudinem amat & ſuavitatem, nec poteſt quin oderit oppoſitum ejus, quod eſt ira. Non valet Deus æquis intueri oculis furioſos iſtos, qui veluti Sclopeta & catapultæ ignem emittunt & flammas evomunt, ad minimum vel contactum. Et ſi noluit ut David, quem *quæſivit ſibi virum juxta cor ſuum* k, ædificaret ſibi *domum ad habitandum* l huncque honorem detulit filio ejus Salomoni; ideò quia manus ejus hoſtium ab ipſo occiſorum tinctæ erant ſanguine.

g 3. Reg. 19. 11. & 12.

h Matth. 3. 16.

i Joan. 1. 29. & 36.

k 1. Reg. 13. 14.

l 2. Reg. 5. 3. &c.

Præterea, nullum vult Deus, ut dixi jam, acceptare ſacrificium, ſi cor, quod illud ipſi offert, non ſit tranquillum & pacificum. Res inaudita! Deus ſic amat manſuetudinem, & tanto zelo ac ardore vult ejicere omne odium & vindictam è mundo, ut propriam gloriam poſtponat paci proximi. Quid utilius? & quid plus poterat agere Deus ut ad amorem nos induceret? *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem ſuum deſpicit, dum in proximo charitatem requirit*, exclamat S. Chryſoſtomus m. Nihil glorioſius Deo quàm ſacrificium, quod nullum habet alium ſcopum niſi gloriam ejus, cujus zelo ſic ducitur, ut proteſtetur ſe eam nulli daturum, *Gloriam meam alteri non dabo* n. Tamen cùm agitur de infringendâ pace proximi, cedit juri ſuo, & expectat donec iſta pax in ſtatum ſit priſtinum reſtituta, & reparata, *O admirabilem benignitatem Dei*, qui deſerit occaſionem gloriæ ſuæ, ut capeſſatur anſa pacis ineundæ denuò cùm proximo! Quin imò vult ut ſacrificium, quod ipſi conciliat plus gloriæ quam quidlibet aliud, differatur, ut citiùs finis imponatur odio & inimicitiæ. Quod vobis majus, Auditores, parebit, ſi conſideretis nihil minùs licere tam in Literis Divinis, quam humanis, ac interrumpere integritatem & continuationem ſacrificiorum. Sicut enim per ſacrificia commercium initur cum Deo, videtur ob reverentiam eidem Deo debitam, nihil intervenire poſſe ſic grave, propter quod debeant illa interrumpi. Sic integritas auguſtiſſimi & incruenti Sacrificii Miſſæ ita debet cuſtodiri, ut ſi Sacerdos moriatur poſt conſecrationem peractam, conſentiant omnes Doctores ſubſtituendum eſſe illi alium Sacerdotem, qui inceptum perficiat Sacrificium, etiamſi non ſit jejunus, quod tamen non licet alio tempore. His benè intellectis, Auditores, quis exceſſus amoris, & quænam profuſio charitatis ſine exemplo, ut ſua velit Deus jura amittere, ne amor proximi aliquam ſui patiatur jacturam juris. Volo brachium meum præbere torquendum, ait iſte Divinus Philantropos, ne aliquantulùm pax torqueatur proximi; volo ut Sacrificator ad ima altaris ſiſtens expectet, gladium evaginatum præ manibus habens; & ut gladius proximi in vaginam ſemittatur ſuam, qui in necem fratris erat paratus, *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo* †. Quid potentius ad inducendum nos ad amorem Dei? Sed etiam quid fortius ad inſpirandum nobis horrorem hujus paſſionis iræ criminoſæ? cùm ſciamus eam eſſe injurioſam Deo, cùm velit illa ei eripere illud quod ad eum pertinet. Non ignoratis Deum ſibi ultionem reſervare, *Mihi vindictam: & ego retribuam* *. Vult injuriam vobis inferendam agnoſcere ut Judex, quò eam ulciſcatur, *Mea eſt ultio, & ego retribuam* o. Vult ubique agnoſci *Omnipotens* p, ubique *Iuſtus* q. Ira verò hanc ei eripit gloriam,

m S. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. 5. 23. & 24.

n Iſai. 42. 8.

† Matth. 5. 25.

* Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30.

o Deut. 32. 35.

p Eſth. 13. 9.

q Pſ. 118. 137.

gloriam. Vindictam vult ipſe ſuis ſumere manibus; vult ipſe eſſe & Judex, & Pars, & miniſter ſui decreti exequendi.

Satis præ ſe fert ira temeritatis ut inſurgat in cœlum. Deo ipſi certamen indicit iracundus mente captus, *Contra Omnipotentem roboratus*
r Job 15. 25. *eſt, cucurrit adversùs eum erecto collo r.* Quantam impudentiam! Sed iſta non ſunt ſatis. Furioſus expellit etiam Deum domo quietis & tranquillitatis ipſius, *Et factus eſt in pace locus*
ſ Pſ. 75. 3. *ejus ſ.* Ibi eſt Sanctuarium ejus, illic eſt habitaculum ipſius; iracundus autem ponit eum extra cor ſuum, ut in eo collocet diabolum adverſarium ejus: nunquam enim manet Deus in animâ agitatâ motibus & turbinibus inordi-
t 3. Reg. 19. 11. natis iræ, *Non in commotione Dominus t. Ubi*
u Eccleſia ex 1. Joan. 4. 16. *charitas & amor, Deus ibi eſt u.* Odium verò inde illum ejicit, cùm duo contraria ſociari non poſſint ſimul, & præſentia unius ſupponat ſemper abſentiam alterius. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?*
x 2. Cor. 6. 14. & 15 *Aut quæ pars fideli cum infideli x?* Præterea, Hoc vitium impedit ne legatum Chriſti ſuum conſequatur effectum. Suam legavit hominibus pacem Chriſtus, *Pacem relinquo vobis, pacem*
y Joan. 14. 27. *meam do vobis y.* Et oſtendens eis ſua vulnera,
z Joan. 20. 26. illis *dixit*, *Pax vobis z.* Ut edoceret eos ſe eam comparaſſe pacem effuſione Sanguinis ſui. Furioſus rabie ſuâ impedit ne iſtud teſtamentum ſuum ſortiatur effectum, illud efficit irritum iracundiâ ſuâ. Poſt hæc mirabiminine ſi tanto
a Sap. 14. 9 *odio Deo a* eſt ira? quæ ſic eſt ipſi injurioſa, ut ipſum privet fructu laborum ipſius, cùm tentaverit ipſum privare Divinis ipſius attributis, ipſumque è loco propriæ quietis expellere.

Deus iſtud odit vitium, Auditores. Audebimuſne illud amare? Cùm Deus illud ad ruinam perſequatur uſque, præbebimuſne ei locum in cordibus noſtris? Quin potiùs nonne deſtructionem ejus machinabimur, facientes ut cunæ illius ſint ei loco tumuli, ita ut conceptum in corde, non promatur ore? Extinguamus igitur hanc paſſionem, quæ tot funeſtas in orbe edit clades; ne patiamur ut regnet illa in nobis, cùm ſit contraria proximo, injurioſa Deo, & damnoſa nobis ipſis, cùm tantis nos privans bonis & quoad corpus, & quoad animam, tot malis afficiat utrumque. Ideò Auditores auſcultate conſilium Pſalmo-
b Pſ. 36. 8. graphi *b*, *Deſine ab irâ, & derelinque furorem.* Extinguite hanc ſcintillam in ſuo principio, niſi funeſta perpeti velitis incendia; ſiſtite impetum hujus torrentis ipſo ex initio, niſi graves intueri velitis ſtrages in naturâ veſtrâ. Quandiu agitatur anima veſtra, cor veſtrum turbatur, & venti hujus paſſionis perflant, cavete ne explicatis velis pelago vos committatis, alioquin periculo perpetiendi naufragii eſtis expoſiti; id eſt, ſatagite ne verba vos abripiant, ne inde ad percuſſiones trahamini, *à verbis ad verbera.* Imitamini David qui inter turbines permanebat ſecurus, *Turbatus ſum,*
& non ſum locutus c. Vel Athenodotum Philo- c Pſ. 76. 5.
ſophum, familiarem Auguſti, quem cùm naturaliter iracundum intueretur, hoc eum documento inſtituit: *Quum ira, Cæſar, te ceperit, nihil prius neque dixeris, neque feceris, quàm ipſa quatuor & viginti elementa literarum Græcarum tecum ipſe percurreris, & memoriâ recenſueris: ut ita concitatio illa, quæ momentoſa eſt, mente aliò traducta, parvi temporis interjectu lan-*
gueſcat d. Ira eſt ventus impetuoſus violenter ab- d Calepin. in Diction. V. Athenodor.
ripiens rationem, nedum illi otium præbeat in ſuis primis motibus reflectendi ſe ſupra ſeipſam; ſed cùm homo poſt hæc intervalla potitur ſuâ libertate, hæc præcipitatio convertitur in conſiderationem.

Ne hallucinemur, Auditores. Debemus incumbere manſuetudini, ne Chriſtiano nomine fiamus indigni. Chriſtiani ſumus a Chriſto qui
eſt ipſa manſuetudo *e*, quam ipſe docet nos ex e Matth. 11. 29.
cathedrâ Crucis medias inter toletantias, amaros & pungentes dolores, luctum cœli *f*, te- f Matth. 27. 45. &c.
nebras Solis *g*, aperta ſepulchra, contritos la- g Luc. 23. 45. &c.
pides, motam terram, effuſionem ſanguinis & derelictionem animæ ipſius, *Cùm malediceretur, non maledicebat h.* Chriſtiani imitemur exi- h 1. Petr. 2. 23.
mium Magiſtrum noſtrum. Paradiſus debetur manſuetudini, *Beati mites, quoniam ipſi poſſi-*
debunt terram i. Id eſt, firmam & ſtabilem man- i Matth. 5. 4.
ſionem paradiſi cœleſtis, ut exponit Dionyſius Carthuſianus *k*. Iſtius delicias incipiemus deguſtare in hoc mundo, & eas continuabimus in altero. k Dion. Carth. art. 9. in hunc locum.

FERIA

FERIA II. DOMINICÆ IV. ADVENTVS.

Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum.
Gen. 22. 10. &c.

AUdacia eſt paſſio naturaliter oppoſita timori. Sicut timor, hominis enervat animum, virium eius aciem obtundit, vigorem voluntatis illius infirmat, & impedit ne munia ſuſcipiat ardua & difficilia propter gloriam Dei, ob ædificationem proximi, ad profectum ſuum ſpiritualem; audacia è contra voluntatem inflammat, eamque ad exercitia excelſa & profeſſioni propriæ conſona invitat aggredienda, licèt homini perferendæ ſint multæ difficultates, plures ſuſtinendi labores, & perſæpe ſit ipſi in periculum propria adducenda vita. Hinc fit ut contendant Philoſophi, hominem præ ſe inſigniorem ferre magnanimitatem, & majoris audaciæ probationem exhibere, cùm aliquam ſuſtinet adverſitatem, quàm cùm agit & aggreditur, ut multis probat S. Thomas *a*, poſt experientiam, quam providet nobis Chriſtus in perſona ſua, ſicut & in omnibus Martyribus ſuis *b*. Admirabili ſuſtinet Chriſtus patientiâ blaſphemias, injurias, & perſecutiones a Judæis ſibi illatas *c*. Videte quâ inſolentiâ, temeritate, & quo contemptu dum *ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis, circumdederunt eum Iudæi*. Intuemini quo artificio & quâ deceptione *dicebant ei, Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*. Perpendite quomodo denuò conantur eum lapidibus impetere, *Suſtulerunt lapides d, Iudæi, ut lapidarent eum*. Conſiderate quo pacto arguunt eum *de blaſphemia, quia* dixit *Filius Dei ſum*. Aſpicite quâ ratione *quærebant eum apprehendere*. Sed majorem præ ſe Chriſtus fert fortitudinem, conſtantiam, audaciam, & magnanimitatem, rabiem illorum ſuſtinens, cùm *exivit de manibus eorum*, quàm ſi illos exterminaſſet, ſicut illos ad nihilum poterat redigere.

a S. Thom. 1. 2. q. 45 a. 1.
b Act. 7. 59. & 60.
c Jo. 10. 23. &c.
d Alij addunt, iterùm.

S. Zeno *e* Veronenſis Antiſtes, exponens verba textûs noſtri, miratus magnitudinem & audaciam Abrahæ, exclamat, *Intrepidus ad miniſterium immolationis armatur, rimatur manus ad ictum vulneris, ſecurus animus, ſed ſecurior manus*. Quaſi diceret, Abraham magno voluit animo & ingenti audaciâ ex ſe adimplere mandatum Dei; cui non ſolàm applicuit voluntatem, ſed etiam manus adminiculum, cùm *extendit manum*. Ideò *ſecurus animus*. Re verâ, ait S. Zeno, laudibus eveho voluntatem, magnanimitatem, audaciam, & zelum hujus ſancti Patriarchæ, *ſed ſecurior manus*. Debebat illa horrore æquè ac tremore concuſſa, immobilis labi in ſinum Abrahæ; elevat illa ſe tamen, ſeſe extendit inſtructam gladio, quo innocentem perimat Iſaac. Sic hæc bona voluntas, hæc audacia, hic zelus parùm profuiſſet Abrahæ, niſi extendiſſet *manum, & gladium* arripuiſſet, & aliquod ſignum exterius obedientiæ Deo exhibuiſſet. Idem dicere poſſumus de omnibus bonis operibus. Cùm Chriſtianus proponit eleemoſynam erogare, confiteri, incumbere actioni virtutis, aut mortificare ſe in alia, *ſecurus animus*, hæc bona voluntas eſt laudabilis; *ſed ſecurior manus*, magis meritorium eſt hæc bona executioni mandare deſideria, cùm vires ſuppetunt. Dicimus utplurimum infernum eſſe bonis refertum deſiderijs, paradiſum verò eſſe bonis plenum effectibus. Verum quidem eſt, quòd cùm ea non poſſumus ad exitum perducere, Deo ſatisfit hac bonâ voluntate, quam loco effectûs ſuſcipit. Unde fit ut, cùm Abraham non fuerit conſecutus effectum, ſed ſolâ præ ſe tulerit voluntatem ſacrificandi Deo filium ſuum, Deus gratam habuerit ejus voluntatem, & illi mercedem ejus fuerit pollicitus, *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in litore maris*. Ideò S. Chryſoſtomus *f* ait, *Quia enim Deus noſter liberalis eſt, & noſtræ ſalutis curam gerit: ea de cauſâ quaſi luctam & exercendi materiam nobis proponit, & pro theatro tentationes inferuntur: ut ſi quod noſtrum eſt declaremus, largiore dignetur nos curâ*. In tentationibus audacter ſe gerit Abraham, licèt ſuprà viſus fuerit ſe habere timidè; quod oſtendit omnes res mundi duplicem præ ſe ferre faciem. Virgo Deipara mox futura audacter, licèt humiliter, concepit Dei Filium, ſed timuit & *turbata eſt g* ad hæc verba, *Ave Maria*.

e S. Zeno ſerm. 1. de Abraham.
f S. Chryſoſt. hom. 47. in Gen.
g Luc. 1. 29. &c.

Si illud quod qualitatem impertitur omnibus actionibus noſtris bonis, aut malis, eſt finis propter quem eas peragimus; & iſte finis eſt magnus, qui conſpectus à nobis, primum noſtræ imprimit motum phantaſiæ, noſque ad ipſius provocat inquiſitionem; qualis erit iſte finis, talia erunt media ipſi conſequendo conſona. Si finis eſt utilis, media erunt proficua. Si finis eſt malus, media è contrà non poſſunt eſſe niſi depravata. Finis nobiliſſimus, ad quem aſpirare poſſumus in omnibus actionibus & conſilijs noſtris, ille eſt ut concilhemus nobis amorem Dei, ut diligamus eum *ex toto corde h* noſtro, eique ſtricto adhæreamus affectu, ut unum quid cum eo efficiamur, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt i*. Sed quia iſte finis eſt altiſſimus, & noſtrarum excedere videtur vires mentium, & earundem virium noſtrarum captum, propter quod jure merito deberemus vereri ne unquam inveniremus medium aut induſtriam perveniendi ad iſtum finem, ex iſto nos vult S. Paulus *k* eximere labore, cùm ait, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quaſi diceret, Quòd licèt res omnes diſtinguantur in tres ordines, in bonas, in malas, & in indifferentes, & videantur ſolæ bonæ debere eſſe utiles huic excelſo fini, tamen vis hujus amoris Dei ſic eſt immodica ut ſuam communicet bonitatem omnibus mundi rebus, quibus uti vult aliquis tanquam medijs ad conſequendum hunc finem, bonis, malis, aut indifferentibus, modò ſciat appoſitè quis illas applicare, & congruam illis præbere directionem. Si enim eæ ex natura ſua ſunt jam bonæ, cum bonitate Dei quandam præ ſe ferunt convenientiam. Si ſint indifferentes, & ex bona fiant intentione & propter amorem Dei, efficiuntur meritoriæ. Si verò ſint malæ, etiamſi, cùm fiunt, nullam habeant proportionem cum iſto bono fine; tamen cùm factæ ſunt, miſericordiæ Dei evadunt objectum: & ſi ille qui eas perpetravit, divinum ſibi velit Amorem conciliare, ſuorum memoria peccatorum validiſſimum ſubminiſtrabit ipſi medium recurrendi ad bonitatem ejus, & implorandæ veniæ ac

h Matth. 22. 37.
i 1. Cor. 6. 17.
k Rom. 8. 28.

gratiæ illius , *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur* l.

l Ezech. 18. 21.

Sed ſicut iſte amor Dei eſt ſcopus feliciſſimus, ad quem aſpirare poſſimus unquam; ſic odium & contemptus Dei eſt infeliciſſimum conſiliorum, quæ valeamus aliquando nobis proponere ; & ſi de priori dicebamus, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ; oportebit ut dicamus de iſto poſteriori , Negligentibus Deum omnia cooperantur in malum , quod homini ſpernenti Legem Dei univerſæ res in eventum ſuccedant infelicem. Malę in talem ſucceſſum infauſtum ex ſe ſunt jam proclives. Indifferentes,per pravam intentionem efficiuntur malæ & criminoſæ. Bonæ verò quando non ſunt tales omni ex parte,evadunt criminis

Propoſitio.

conſciæ,& ſupplicio dignæ. Hoc oſtendit,omnes res hujus mundi duplicem habere faciem , & eos valdè decipi qui ſiſtunt in apparentijs vanis hujus ſeculi,non conſiderantes finem,quem illæ ſint ſorturæ.

m Pſ. 61. 10.

Propheta m familiari & quotidianâ edoctus hanc veritatem experientiâ , quaſi rogatus eſſet ſuam de hac propoſitione ferre ſententiam , ait mundanos homines præ ſuis ferre manibus ſtatêram , in qua omne genus inveniatur hominum, quæ efficiat eoſdem homines doloſos & mutabiles,ſicut ſunt re verâ, *Mendaces filij hominum in ſtatêris,ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Appoſitè quidem;ſicut enim ſtatêra modò deorſum deprimitur,mox verò ſurſum aſcendit , neque aliquid præ ſe fert ſtabilitatis ; eodem planè modo res mundi nullam habent ſtabilitatem, & ſemper aſcendunt & deſcendunt, creſcunt & minuuntur, ita ut eodem inſtanti quo quis proſperâ utitur fortunâ,cogitare debeat de ſtatu adverſæ,quam ut ſic ſtatim ſit experturus. Si autem videre velitis quomodo idem Propheta huic annuit explicationi ,

n Pſ. 36. 35.& 36.

ipſe ait alibi n, *Vidi impium ſuperexaltatum , & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi , & ecce non erat.* Intuitus ſum,inquit,ſceleſtæ vitæ hominem elatum ſecundâ Fortunâ & proſperitate non minùs quam ſint elatæ cedri excelſiſſimæ,quaſi oſculantem nubes,& deſpicientem alios,qui ſub illius authoritate jacebant proſtrati. Sed ſicut avis faſtigio arboris innixa,deſurſum radijs Solis illuminata,& deorſum ramis arboris refrigerata, quandiu ſibi placet in hac elevatione , & ſuaves edit cantus , tempus opportunum captante venatore & in ipſam explodente catapultam,lethali vulnere confoditur,& in terram dejicitur,cùm de morte minimè cogitat. Videbatis eam modò lætitiâ & oblectamento perfuſam , eò quòd intueretur ipſa ſe ſic elevatam; caput tantiſper ab arboris intuitu avertiſtis,mox ut iterùm vultis intueri,avem non ampliùs aſpicitis ; aſcendite ſuper ramos,& cùm non ampliùs canat, obſervate tandem ſi alicui illorum eſt innixa , & veſtram amiſeritis operam; non ſolùm enim non eſt ibi ampliùs , ſed ne vel ullum reliquit veſtigium impreſſum loco arboris,cui inſidebat. Pari modo impius, qui ſe intuebatur mox elevatum ſuper faſtigium Fortunæ,ſplendore & magnificentiâ circumdatum,delicijs & voluptatibus refertum, in ſua proſperitate ſibi complacentem, ſeque invitantem ad fruitionem horum commodorum omnium , & dicentem, *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos : requieſce,comede,bibe,epulare* o, cùm ſe ima-

o Luc. 12 19.

ginabatur ſecuriſſimum , ecce adverſæ Fortunæ impetu perculſus,in terram proſternitur miſeriori modo , quàm fuiſſet unquam glorioſus ſuæ proſperitatis tempore , *Et tranſivi , & ecce non erat,& quæſivi eum,& non eſt inventus locus ejus* ; ecce jacet humi proſtratus , nec ulla ſupereſt nota prioris ejus conditionis;& ſi eum velitis invenire , non debetis eum ampliùs ſurſum quærere , ſed deorſum, ita verum eſt proloquium Poetæ dicentis ,

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Ita ſe agit ſtatêra ut citò elevetur ſurſum , quò deorſum illico deprimatur.

Præterea,Qui vellet geminas ſtatêræ lances in æquilibrio conſtituere, id non poſſet niſi præ magna cura. Ut autem una alteri præponderet, ſuperponendum eſt duntaxat aliquid exigui ponderis alteri ex illis,tuncque obſervabitur in lancibus inæqualitas. Sic , ut homo perfectam ſibi concilïet æqualitatem,& efficiat ut negotia ſua pari incedant greſſu,ne domus ſua concutiatur , neve, ut vulgò dicitur,olla evertatur,conſiderate quantum inſumere deceat laborem ad obeunda officij ſui exercitia,quot noctes traducat inſomnes,quantas oporteat ut exhibeat reverentias & viſitationes, quot induſtrijs ei ſit incumbendum , ut ſtatêram cuſtodiat in æquilibrio conſtitutam,& ſtatum priſtinum conſervet integrum. Sed ut declinet aliqua lanx ſtatêræ, ad hoc ſufficit minimum vel infortunium;lis illi intenta, majorem ei conſumet pecuniæ ſummam , quàm fuerit lucratus intra decem annos,aut viginti ; majus ei inferet ſui damnum, quàm dives iſte fuerit effectus poſt labores multos; falſum teſtimonium , infelicitas inopinata,aliudve ſimile eum in extremas miſeriæ deplorandæ redigent & depriment anguſtias. *Quàm multi heri divites,hodie pauperes : quàm multi dormiunt divites, & venientibus latronibus & cuncta auferentibus,evigilant pauperes!* exclamat S. Auguſtinus p.

p S. Aug. Serm. 5. de Verb. Dom. c. 10.

Cùm autem ſtatêrę lanx ſemel cœpit inclinari, & deorſum deſcendit;ut denuò aſcēdat,majora& graviora requiruntur momenta,quam ab ipſa exigerentur ut in priori cuſtodiretur ſtatu , pondera, quaſi magis inclinetur ad deſcendendum deorſum,quam ad aſcendendum ſurſum: Sic ubi lapſus eſt homo , minus quidem habet virium quam haberet antè, & majori indiget auxilio ad reſurgendum , quam egeret ut in priſtina conſervaretur Fortuna. Non deerat illi ſanè labor , cui incumberet , ſed ſaltem in apice manebat conſtitutus; Fortuna permiſit ut caderet funeſto aliquo eventu impetitus inopinato; & veluti ſi eodem tempore ei contrita fuiſſent brachia & crura , nullo ampliùs pollet vigore ad reſurgendum, neque ullo animo; ſuper eum incidunt univerſa,illumque magis ſemper opprimunt. Fortuna eſt quidem inconſtans , ſed tamen præ ſe fert plus conſtantiæ & firmitatis mediam inter infelicitatem & adverſitatem , quàm dum viget ſecundus felicitatis & proſperitatis ſtatus. Nec miror equidem ſi idem Propheta q agnoſcens vanitatem & inconſtantiam rerum mundanarum , nolebat oculos ad eas intuendas aperire , ne ijs forſan deciperetur, Deumque enixè deprecabatur , ut ab ijs ſuam averteret faciem, *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Non ideò quòd omnes res ſuum non habeant eſſe verum , & tale quale dedit eis Deus;

q Pſ. 118 37.

ſed

ſed quia homines illis dant nomen, & titulum aliter quàm debeant; eas non intuentur nudas, quales Deus fecit eas *r*, ſed illas induunt & involvunt telâ diſſonâ, & operimento diſconvenienti, quod eas ſic deformat, ut, cùm eas conſiderant, illas deprehendant omnino mutatas; & cùm oportet ut videant eas pòſt ſicut ſunt realiter, in ijs inveniunt inconſtantiam & inſtabilitatem.

[r Gen. 1. 1. & c.]

Sumamus ad probationem hujus veritatis, eam, quæ omni falſæ exemplum præbuit imaginationi, id eſt, Evam. *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum s.* Quomodo? Nunquid non illud priùs viderat Eva? Annon licuerat ei illud conſiderare? Poſſibilene erat ut ubi erat mulier in paradiſo, ſpecioſa arbor fructibus onuſta, ſed fructibus vetitis, non fuiſſet illa ducta curioſitate eorum & videndorum, & deguſtandorum? Appoſitè reſpondet Rupertus *t*, *Reverâ nondum eo modo viderat, quia hâc præſumptione, quâ nunc intuita eſt, necdum conſideraverat.* Fructum aſpexerat quidem, ſed nudum, qualis erat anteà, ſed modò eum vidit poſtquam illum ſuâ induit imaginatione; ſpecioſus erat quidem, ſed non bonus comeſtu, quippe qui vetitus †; imaginata eſt ipſa quòd bonum eſſet illum comedere, & conſideravit eum ſub hac cogitatione, & ſub hoc novo indumento. Sed quis ei novum hunc præbuerat colorem? Nonne Deus? Nequaquam. Nam *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona u.* Et color iſte hunc fructum reddebat imperfectum. Annon mutatio temporis? Neutiquam. Specioſum enim tempus, & temperamentum aëris & tempeſtatum, quibus noſtri potiebantur Protoplaſti, nullam pati poterant corruptionem quoad res quæ ſolis inſervire debebant hominis voluptatibus, delicijs & commodis; cùm intra ſic exiguum ſpatium, tempus tantam contrahere non poſſet alterationem. Minùs autem quòd vermis, aut beſtia aliqua venenata huic morſum infixiſſet fructui. Quid igitur? Soli oculi hujus mulieris huic præbuerant fructui novum colorem, & apparentiam voluntariam. Ipſi oculi hominis omnibus impertiuntur rebus pigmentum quoddam, indumentum alienum, colorem ementitum, & apparentiam talem, qualem ipſi deſiderant. Vultiſne ut res aliqua ſit vobis utilis? etiamſi vobis non ſit proficua. Videbitis neſcio quid ei ſuperimpoſitum, quod vobis talem eam repræſentabit. Vultiſne ut illa ſit honeſta & licita? Imaginatio veſtra ei conciliabit honeſtatem phantaſticam. Cupitiſne ut ea ſuccedat vobis ad votum? Si phantaſia veſtra in talem proſperum inclinetur eventum, dictabit ipſa vobis illico fortunatum illud eſſe conſilium; ſtatimq; in ea intuebuntur oculi veſtri quidquid voletis, non quòd re verâ illud in ea ſit; ſed quia imaginamini illud in ea inveniri, & eo planè vos geritis modo, ac ſi illud in ea realiter deprehenderetur.

[s Gen. 3. 6.]
[t Rupert. in hunc loc.]
[† Gen. 2. 17.]
[u Gen. 1. 31.]

Illud autem, ut opinor, intendit dicere Propheta *x*, *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Sed ipſe nunquid non aliâ dixerat vice? *Filij hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium y?* Et iterum? *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere z.* Et filius ejus Salomon? Quòd *omnia vanitas a* ſunt. Quare igitur aſſerit David, totam in homine ſolo reperiri vanitatem, nec extra eam ullam dari? Ut quid univerſam vanitatem nuncupat creaturam ſic eximiam qualis eſt homo, quæque eſt ſumma omnium mirabilium quæ exierunt è manibus Dei? Nemo eſt qui inficias eat quòd *ad imaginem Dei factus eſt homo b.* Si igitur homo eſt imago Dei, & *univerſa vanitas omnis homo vivens*, dicendum eſſet quòd originale illius foret quoque vanitas. Vanitatem vocat David hominem, non quòd in ſeipſo non ſit valdè ſolidus & ſubſtantialis, ſed quia per peccatum ſuum ſic ſuam pervertit imaginationem, ut cuilibet rei, veſtem tribuat peregrinam, & vanam repræſentationem. Et ſicut dicimus, quòd ſolus Deus eſt *qui eſt c*, licèt ſint plures aliæ res extra Deum, quia ſumunt illæ totum eſſe ſuum è manu Dei; ſic dicimus cùm Propheta, quòd *univerſa vanitas omnis homo vivens.* Quia ab homine eam hauriunt vanitatem res illæ ut à primo vanitatis authore.

[x Pſ. 38. 6.]
[y Pſ. 4. 3.]
[z Pſ. 126. 2.]
[a Eccl. 1. 2.]
[b Gen. 9. 6.]
[c Exod. 3. 14.]

Oſee *d* loquens de ijs, qui eò inſaniæ pervenerunt ut idola venerarentur, & Dijs falſis ſupremos cultus exhiberent, ait, *Spiritus fornicationum decepit eos.* Qui obſervabit amaſium quendam innumera ſibi proponentem conſilia ad decipiendam aliquam verecundam puellam, aut honeſtam mulierem, agnoſcet ſanè vim aut phantaſiam paſſionis cordi illius impreſſæ; quâ affectus ille paſſione, imaginabitur poſſeſſionem illius perſonæ amatæ futuram omnem felicitatem maximam, quæ ipſi poſſit unquam evenire, & quòd res ſibi ſic facilis ſit, ac ſibi videtur grata & jucunda. Ritus hanc modeſtam pulchritudinem, iſtam verecundam virginem, aut fœminam dictam affectu ad voluptatem obſcœnam capeſſendam proclivi, eam ut Deam ſtatim colet, & illi ſua offeret vota & ſacrificia, ſperans ſibi ab ea præſtandam ſatisfactionem talem, qualem ipſe fuerit imaginatus. Sed ille videbit citò, quòd illa nollet hunc ſuſcipere titulum, eò quòd Deum timeat verum ipſa; unde ille novis implicabitur phantaſijs, quæ certum ei parabunt exitium, nedum quietem illi afferant.

[d Oſee 4. 12.]

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis, ajebat Pſalmographus *e*, loquens de idololatris auri & argenti, aut divitiarum hujus ſeculi. Eorum animus ſic eſt ab omni cogitatione ſemotus, ut nihil ampliùs niſi ſuorum affectum meditantes theſaurorum, in ea cogitatione ſe ſomno tradiderint, & totâ nocte hujuſmodi ſomnijs uſi fuerint jucundiſſimis, & media inter hæc omnia commenti ſibi fuerint montes aureos, flumina argentea, & theſauros conſtantes ex omnibus mirabilibus, quæ in univerſis mundi regionibus inveniuntur. Hæc imaginatio fuit illis jucunda quandiu duravit ſomnium; ſed cùm experrecti ſunt manè, manus ſuas æquè acciſtulas ſuas ſic invenerunt vacuas, quales eas dereliquerant, cùm ſe ſopori dedere cœperunt. Unde hoc? Sanè, quia hæ divitiæ erant imaginariæ, nihil erat in eis niſi ſomnium, & nihil realitatis; experrecti ſunt tamen, & ſuarum agnoverunt ſtatim abuſum idearum, & fallacium imaginationum. Dicamus, Auditores, quòd ſtatim ac amaſius ille captus erit amore alicujus puellæ, aut mulieris, profundo ſopietur ſomno, innixus huic vanæ cogitationi, quòd ipſe jam ſit prædives voluptate, & poſſeſſurus ſit citò cor illius virginis, aut fœminæ, & ab ea relaturus quidquid ſuis pravis arriſerit deſiderijs, & hujuſmodi delicijs ſit diu potiturus, & quòd nihil ſit in mundo quod impedire poſſit ne ipſe ſuas tandem explere valeat voluptates. Sed conſideremus quòd vapor concupiſcen-

[e Pſ. 75. 6.]

ſcentiæ ejus ſic caligine offudit cerebrum ejus, & tanto eum immerſit ſopori hujuſmodi obſcœna imaginantem, ut nihil ipſe ſit ampliùs phantaſiâ revoluturus præter illas ſordes, veluti pro certo tenens eam poſſeſſionem ſibi citò conciliandam. At ubi experrectus fuerit, & à profundo excitatus ſomno, deprehendet nihil ſibi remanere præ manibus voluptatum per ſoporem ſomniatarum, & illas delicias phantaſticas evanuiſſe more fumi.

Verùm enim verò contemplari debemus delicias quæ ſenſibus noſtris blandiuntur, non accedentes ad nos, ſed recedentes à nobis; non quidem cùm veniunt, ſed cùm abeunt, ut eas ritè agnoſcere poſſimus; ſub hac facie operæpretium eſt ut voluptates conſideremus. Si enim iſtamus in intuendo priori illarum vultu, exhibebuntur nobis dulces, ſuaves, ſpecioſis repletæ promiſſis, & tandem fallaces invenientur ac doloſæ. Sed ille qui aliquam videns appropinquare voluptatem, conſiderat eam veluti pilulam deauratam, ſpeciem præ ſe ferentem ementitam, & in ſuperficie exteriori renitentem, ſed intùs inſipidam & amariſſimam, ſummâ cavebit curâ ne illi dentes infigat. Quod enim eſt oculis gratiſſimum, eſt ut plurimum cordi pernicioſiſſimum, ſinitque Deus perſæpè ut cùm nobis propoſuimus voluptatibus & delicijs indulgere, in multigenas incurramus infelicitates & miſerias; quia omnes res mundi geminas habent facies.

Sed ne emendicemus exempla extra propoſitum noſtrum, videte pugnam paſſionum in corde Patriarchæ noſtri, quæ oſtendit quomodo res omnes mundi duplicem habeant vultum, & noſtro limites imponet Adventus. Origenes *f* in illa verba, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac.* &c. ait, *Vide tentationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterùm ac ſæpe repetitis, paterni ſuſcitantur affectus, ut amoris evigilante memoriâ, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & adversùs fidem animi, tota carnis militia repugnaret.* Ideò in memoriam Abrahæ revocantur preces & vota *g*, quæ ipſe cœlo obtulerat, ut hunc impetraret filium in ſenectute ſua: repræſentantur illi promiſſa multiplicandæ poſteritatis ipſius, & ei tandem fit mentio amoris, quo ab incunabulis uſque nunc ſuum proſecutus eſt, & proſequitur adhuc filium. Sed validiſſima tentatio hæc fuit, cùm *dixit* ei *Iſaac, Pater mi, ubi eſt victima holocauſti?* Idcircò S. Ambroſius *h* ait, quòd hæc tenera verba filij ad patrem, *Pater mi*, & patris ad filium, *Fili mi* erant veluti pugiones infixi cordi parentis, quibus impoſſibile erat ut non lethaliter vulneraretur, *Quam impoſſibile eſt ut ferre poſſit, cujus ſe vulneri ſubjicere optaret.* Et S. Chryſologus *i*, *Abraham ſe immolabat in filio, ut eſſet idem victima & Pontifex, Sacerdos & ſacrificium. Patris erat paſſio ibi tota, ubi filius immolabatur.* Et paulò pòſt. *Patris ſuſpenſa eſt dextera, patris gladius eſt remotus, quia non quærebatur mors filij, ſed patris charitas probabatur; nec expetebatur ſanguis filij, ubi tota victima in patris dilectione conſtabat, Scripturâ dicente, Nunc ſcio quia diligis Deum, quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me.*

f Orig. hom. 8 in Gen. 22. 2.

g Gen. 15. 2. &c.

h S. Amb. l. 1. de Abrah. c. 8

i S. Chryſol. Ser. 10. in Pſ. 28.

S. Chryſoſtomus *k* agnoſcit in patre & in filio æqualem conſtantiam, obedientiam, & charitatem, per quam pater mortem filio inferre aggreditur, eique oppetendæ ſeſe offert filius. *Oſtendit Abraham chariſſimum quidem ſibi eſſe filium, ſed multò chariorem filio exiſtere Dominum: nec dulcedinem aut affectum pignoris reſpiciebat, qui juſſionem ut perficeret cogitabat. Adeſt Iſaac patri quidem ætate diſſimilis, ſed fide ac devotione æqualis. Erat enim in utriſque unus animus, par ſenſus, & ſimilis circa Deum affectus, ut generoſitatem patris in filium transfuſam conſpiceres, & innocentiam filij patri non deeſſe videres.* Deinde ſubdit mutuum colloquium patris & filij, patris hortantis filium ad ſubeundam æquo animo mortem, filij verò hortantis patrem ad exequendum Divinum mandatum, ut utriuſque illuſtrior foret & commendabilior obedientia. Pater igitur ait filio, *Patere mi fili, patere votum perficere, patere per te juſſionem Domini expleri. Deus enim qui te condidit, expetit: qui dedit, quærit: qui te creavit, te ſibi deſiderat immolari: non eſt enim hoc parricidium, non eſt crudelitatis admiſſum, quia votum eſt: nec tibi, fili, à genitore mors miſeranda infertur, ſed utriſque nobis ſalubriter providetur. Tantò enim acceptabilior hoſtia, quantò libenter glorioſa mortis exequeris beneficia.* Cui reſpondet filius. *Quod juſſus pater es, perfice: quod diſponis, conſtanter adimple, ego enim nec renuo, nec recuſo: quod volueris volo: quod optas exopto: quod deſideras & ipſe deſidero. Denique eo voto iſtam mortem excipio, quo te eam mihi inferre velle cognoſco.* Et alibi *l* ſuper hæc verba, *Pater mi*, ait, *Hæc verba filij tantam vim habebant ut vel ſaxeum pectus emollire poſſent. Nec tamen adamantem illum perculerunt, imò nec concuſſerunt. Nec dixit, Quid patrem vocas, qui paulò pòſt pater tuus futurus non eſt?* Quin etiam de omnibus triumphat conſiderationibus obvijs, de univerſis difficultatibus carnis, de amore & affectu naturæ, ut loquitur S. Zeno † Veronenſis, *Ecce ſub vinculis jacet filius, vinculis aſtrictus. Ubi ſunt lacrymæ? Ubi dolor qui in humanis ſenſibus verſari conſuevit? In tantis filij caſibus lætatur & gaudet: & ſe Dominum promeruiſſe triumphat.* Nec ſine cauſâ *Angelus* retenturus brachium ejus, exclamavit bis, *Abraham, Abraham.* Unde S. Chryſoſtomus, *Benè hîc geminatione uſus eſt, ut ſuperetur impetus juſti, & quaſi per vocem detineatur juſti dextera jam tendens ad pueri cædem* m. Et *Repetivit vocem, tanquam veritus ne præveniretur ſtudio devotionis, & una vox impetum ferientis revocare non poſſet* n.

k S. Chryſoſt. Ser. de Fide Abrahã, & immolatione Iſaac.

l S. Chryſoſt. homil. 3. in 2. Cor. 2. 7. in Moral.

† S. Zeno Ser. 1. de Abrah.

m S. Chryſoſt. homil. 47. in Gen. 22. 11.

n S. Amb. l. 1. de Abrah. c. 8.

Videte quomodo totus exercitus carnis & naturæ oppugnet fidem & pietatem hujus ſancti Patriarchæ, refragetur obedientiæ & audaciæ illius; quot ipſe tormenta ſuſtineat, quot ictibus impetatur, quot lentis mortibus perimatur ſuperſtes relinquendus, ut labefactetur conſtantia ejus. Idcircò opus erat ei ut adversùs hos omnes exercitus inſurgeret, & ob hunc effectum *extendit manum, & arripuit gladium ut immolaret filium ſuum.* Verbum iſtud, arripere, fortitudinem ſecum invehit & audaciam. Sed heu! contra quem tendis bellare, Abraham? Ecce gladio inſtructa manus tua; contra quem deferes eum? Quid? debeſne oppugnare filium tuum? Neutiquam. Ipſe quippe ſic eſt obediens deſiderijs tuis, æquè ac Divinis voluntatibus, præterquam quòd ipſe manus habet ligatas, & pedes vinctos. Debebat igitur Abraham bellare contra ſeipſum, adversùs cor ſuum, & bellum indicere amori paterno & omnibus affectibus naturæ; expediebat ut oppugnaret ille contradictiones & difficultates menti ipſius oppoſitas veluti tot exercitus; cùm de exequendo cogitabat Dei mandato, ita ut ſibi vim intulerit, & amorem debellarit, *Quaſi exors naturæ exerebat gladium, ne mora ſacrificium decoloraret*, ait S. Ambroſius *o*.

o S. Amb. Epiſt. 43.

Ideò

Ideò cùm vocaſſet eum Deus primâ vice, eique voce ſuavi & ſecretâ ſuiſſet locutus, ſomno ſopitis omnibus domeſticis ejus noctu, præcipiendo ei ut ſacrificaret ſibi *unigenitum* ſuum; retentutus brachium ejus, & volens impedire ne exiſtimatum exequatur Patriarcha ſacrificium, vigilantem eum alloquitur, & voce validâ clamat ei à longe accentu reduplicato, *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham.* Iſtud ergo ſignum eſt, eum eſſe diligentiorem & ferventiorem ad exequenda mandata difficilia & moleſta, quam facilia & grata; *Celerior ad jugulandum filium, quam ad ſervandum* erat Abraham, ait idem S. Ambroſius *p*. Vel, Poteſt dici, Deum clamaſſe voce magnâ & reduplicatâ, ut impediret eũ ab executione hujus ſacrificij crediti, & retineret manum ejus ferro æquè ac audaciâ inſtructam, Dixitq; ei: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Ne Iſaac qui ligatus erat, & lignili ſuperpoſitus, expectãs donec infligeretur ſibi ictus mortis, crediſſet patrem ſuum deſpondiſſe animum, & cor illius amore carnis & ſanguinis delinitum eſſe. Propterea oportebat ut Iſaac hanc poſſet audire vocem, quæ ideò valida eſſe debebat & ſonora. Præterquàm quòd manus & conſilium Abrahæ retineri non poterant, nec revocari niſi voce de cœlo manãti, validâ, & reduplicatâ, ita erat ipſe pius, fervens, obediens, & audax.

p S. Amb. l.1. de Abrah. c.8

Sed quare Abraham divinitùs impeditus fuit ne ſuum ſacrificaret filium: non verò Jephte ne immolaret filiam ſuam *q*? Inter alias rationes hanc promit S. Ambroſius *r*, *Quoniam Abraham juſſus obtulit filium ſuum; Iephte autem fecit quod nullo ſpeciali jubebatur imperio.* Patriarcha noſter id egit obedientiâ cæcâ, Jephte verò prudentiâ ductus humanâ. Hanc eandem tangit S. Auguſtinus *s* rationem. Cui idem S. Ambroſius *t* alteram ſubdit, *Quia non una forma meritorum, ideò non una forma factorum. Pater doluit, flevit filia, uterque de Dei miſericordia dubitavit: non doluit Abraham, nec conſuluit parentis affectum. Vbi audivit Divinitatis oraculum, non diſtulit ſacrificium, ſed maturavit obſequium. Iſaac non flevit cùm ligaretur, non dilationem popoſcit cùm offerretur. Et ideò miſericordia largior, ubi fides promptior.* Sed utquid Patriarcha ligat Iſaac? petit S. Auguſtinus *u*. *Quare? Vincitur innocens hoſtia, ne offerentis devotio putaret ſe minùs aliquid exhibere, ſi impatientiâ doloris victima calcitraret.* Et S. Ambroſius *x*, *Nectit filio manibus ſuis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exuſtus peccatum incurreret.* Quaſi verò minimus motus, licèt involuntarius, aut aliquis ſenſus, aut reluctatio naturalis obedientiam ejus imperfectam redderet, & injucundum ejus ſacrificium. Et hoc zelo ſuum conſecravit filium, Abraham, *Tenebat juſtus & pietatis modum, & executionis ordinem. Denique dum ſacrificio neceſſaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit ut filium reſervaret,* ait idem S. Ambroſius *y*.

q Judic. 11.29
r S. Amb. l.3. de Virginib.
s S. Aug. q.49. in Judic.
t S. Amb. l.3. de Virgin.
u S. Aug. Ser.73. de temp.
x S. Amb. l.1. de Abrah. c. 8.
y S. Amb. l.1. Offic. c.25.

Certamen erat intueri ſingulare in Abraham initum à natura adverſùs fidem & audaciam ejus conſtantem; ſed obedientia & audacia triumphavit, & natura ceſſit præ pedibus obedientiæ & audaciæ proſtrata jacens, ut docet Theodoretus *z*, *Patriarcha medius inter naturam conſtitutus & fidem, quum utrimque prehenſaretur, fidei dedit palmam victoriæ.* Quod non eſt mirum, cùm obedientia præbuerit Abrahæ virtutem Divinam, & audaciam ſupernaturalem ad referendam iſtam victoriam de ſeipſo, & ad triumphandum glorioſè de natura ſua & affectu paterno; ita ut obedientia, ut ita dicam, pugnaverit contra obedientiam, fides contra fidem, & ſpes contra ſpem in illo; *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtella cœli, & arena maris* a. Numeroſam promiſerat illi Deus poſteritatem, & deinde præcipit ei ut ſacrificet ſibi Iſaac, è quo oriri debebat innumera illa progenies; & tamen ſub captivitatem ſuum redigit Patriarcha intellectum æquè ac ſuam voluntatem, perque fidem & obedientiam de ſe ipſo triumphat. Non debebat pugnare contra filium ſuum, cùm *extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret* illum, etiamſi videatur ſe ad certamen accingere; ſed contra ſeipſum, contra affectus naturæ, adverſùs amorem ſanguinis & qualitatem patris, & adverſùm omnes contradictiones & difficultates, quas habuit obvias atque reluctantes veluti tot exercitus; ſed ſibi ipſi violentiam audacter intulit, ſtatim mandatum impleturus, ideòque *de nocte conſurgens*. Quare? *Verebatur ne votum mora offenderet, aut juſſionem tarditas impediret*, ait S. Chryſoſtomus *b*.

z Theodoret. q. 72. in Gen.
a Rom. 4. 18. ex Gen. 15. 5.

Sed attentè conſideremus quàm myſterioſè in montem Moria aſcendat Abraham inſtructus modo. *Ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium.* Eo planè modo Pater æternus duxit Filium ſuum Chriſtum, verum Iſaac, ſic inceſſit ad peragendum ſacrificium aut holocauſtum Filij ſui igne amoris & miſericordiæ, & gladio juſtitiæ propter amorem noſtrî ipſorum, qui ideò eodem pacto aſcendere debemus in perfectionis montem myſticum, in quo jugulare & ſacrificare debemus omnes paſſiones noſtras igne amoris Dei, & gladio mortificationis. Ideò appoſitè effatus eſt Tertullianus *c*, *Sophia jugulavit filios ſuos: Sophia Sapientia eſt. Sapienter itaque jugulavit dum in vitam; & rationabiliter dum in gloriam. O parricidij ingenium! O ſceleris artificium! O argumentum crudelitatis! quæ idcircò occidit, ne moriatur quem occiderit.* Anima devota mirâ ſapientiâ filijs ſuis vitam adimit, id eſt, paſſiones ſuas obtruncat, quia ipſa eas perimit, ne in mortem incurrant illæ. Huic conveniunt iſta, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam* d. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram* e. Et, *Dominus mortificat & vivificat* f. Ideòque prudenter egit Abraham ſacrificaturus Iſaac ſuum, dum uxori ſuæ Saræ ſuum celavit conſilium, *Quod ut omni devotione impleret, matri ejus non indicavit, ne quod dicationi ejus impedimentum afferret: ſciens circa affectum filiorum procliviores amore eſſe mulieres, ideòque celavit eam, non ambigens impleri debere, quod jubet Deus, ut hoc exemplo doceremur, omni curâ Dei facere mandata. Si enim fideliſſimus Abraham in re tam gravi & aſpera obediens invenitur, quantò magis nos, quibus illa præcipiuntur quæ poſſunt portari?* ait S. Auguſtinus *g*.

b S. Chryſoſt. Sermon. de Fide Abrahæ & immolat. Iſaac.
c Tertull. in Scorpiac. c. 7. ex Prov. 9. 1. & 2.
d Matth. 10. 39.
e Pſ. 136. 9.
f 1. Reg. 2. 6

Oſee *h* dicit, *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.* Alia animalia immodicò anguntur dolore in morte catulorum ſuorum, *Veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat* i. Sed ob ſuorum non affligitur interitum pullorum *columba, non habens cor.* Sic nullum præ nobis debemus ferre cor, nec amorem ullum

g S. Aug. l. Quæſt. ex utroq; Teſtam. q. 117.
h Oſee 7. 11.
i 2. Reg. 17. 8.

ullum intuitu iſtius Iſaac, hujus filij gaudij & riſûs, illius paſſionis animalis; oportet ut ſeducamur & naturam decipiamus. Gaudebant Parthi in ſuorum interitu liberorum, & lacrymas in eorum ortu fundebant; cùm naſci videtis aliquem filium ſeculi, aliquem abortivum carnis, aliquem Iſaac filium gaudij & riſûs, debetis flere, & è contra exultare gaudio, cùm moritur. Juvenis erat Iſaac, cùm duxit eum pater ſuus ad ſacrificium; ſacrificare debemus paſſiones noſtras Deo ex earum initio, nec expectare donec converſæ eæ fuerint in conſuetudinem, ſint inveteratæ & radicatæ, ſi velimus ut ipſemet Deus ſuam nobis præbeat gratiam, & gloriam.

IN NATIVITATE DOMINI.

Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Tit 3.4. & 5.

ILle locutus eſt appoſitè qui dixit, quòd amor eſſet author & inventor omnium rerum. Re autem verâ amor benè dicendi, invênit eloquentiam; amor Muſicæ, vocum conſonantiam & harmoniam; univerſas tandem amor adinvênit artes: conformiter ad hoc potiori jure poſſum equidem aſſerere, quòd adorâdum iſtud Incarnationis myſterium excogitavit amor. Hanc veritatem habemus expreſſam in verbis Textûs noſtri, *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Myſterium iſtud, quod hodiernâ celebramus die, ſic eſt ſublime & elevatum, ut de illo loqui non poſſimus ſine auxilio Dei: imploremus itaque lumina Spiritûs ſancti, qui ſpecialiter iſtud opus eximium operatus eſt in utero B. Virginis Mariæ: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* a.
a Matth. 1.20. Hoc autem factum eſt cùm *ingreſſus Angelus, ad*
b Luc. 1. *eam, dixit. Ave* b *Maria.*
28, & 38. Dicere quòd natura, ars, & fortuna operentur omnia, hoc eſt loqui more Platonicorum; ſed Chriſtianus aliter ſentit, & credit firmiter, quòd
c Eſth. 13 Deus fecit *cælum & terram, & quidquid cæli ambi-*
10. *tu continetur* c, ſive viſibile ſit, ſive inviſibile, non neceſſitate, aut coactione, ſed amore; & quòd nullum aliud habuit conſilium in omnibus quæ
d Oſe. 11. fecit, quàm ut ſibi devinciret homines, & traheret
4. *eos in vinculis charitatis* d, dicens, *In charitate per-*
e Jer. 31. 3 *petua dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* e. Si autem id omne quod fit, aut perit, non fit, neque perit niſi propter amorem hominis, ut ſenſerunt iidem Platonici; quanti debemus æſtimare dilectionem Dei, qui tanta operatus eſt in favorem hominis? Non fit aliquid in mundo, neque ibi perit, niſi amore, inquiunt Platonici: cùm enim aqua & ignis ſibi invicem adverſantur, diceretis hoc procedere ex odio & inimicitia, ſed ſanè iſtud oritur ex amore: nam aqua vult convertere ignem in ſe; ignis è contra mutare vult aquam in ignem: cùm lupus quærit ovem ad devorandam illam, hoc non agit ex odio quo proſequatur ovem, ſed ex amore illam inſequitur, cùm velit ſe nutrire; è contrà ovis non fugit lupum, eò quòd lupum oderit, ſed præ amore, quia vult vitam ſuam cuſtodire: amor igitur facit & deſtruit omnia in mundo. Ex hac Platonicorum ratiocinatione concludo, quòd amor Dei ipſum fecit hominem, reclinari fecit *eum*
f Luc. 2. 7 *in præſepio* f, ut miſerorum omnium Principem, lacrymas effundere, vagitus edere more infantis, & ipſum expoſuit omnibus rigoribus vitæ, & frigidæ tempeſtatis inclementijs, ut tandem illum deſtrueret, ſuffigens eum cruci g propter homines,
g Jo. 19 18. &c. ut illos ad ſe traheret. Amor iſte verus eſt & perfe-
Diviſio. ctus ob tres conditiones, quæ ſunt propriæ amori: verus enim amor debet eſſe benefaciens, complacens, & patiens. Iſtæ tres conditiones erunt tres partes diſcurſûs iſtius.

Prima conditio veri amoris eſt, quòd debet eſſe I. Pars.
benefaciens, defectu cujus æſtimatur inutilis, & vanus: atqui Deus nos amans, & verâ charitate nos diligens, id eſt, non otioſâ, ſed liberali, nobis munus offert, non rei communis, ſed ſuâ dignum magnificentiâ, nimirum Filium ſuum: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum*
daret h. Ut autem concipiatur magnitudo iſtius h Jo. 3. 16
amoris ex excellentia doni, quo ipſe nos obſtringit, ſciendum eſt, quòd ad hoc ut donum ſit perfectum, tres debet habere conditiones. Prima eſt, Quòd debeat penitus exhaurire potentiam illius, qui illud facit. Secunda, Quòd deſtrui debeat propter obſequium illius, cui tribuitur. Tertia, Quòd ditare debeat eum, qui illud recipit. Iſtæ autem tres conditiones perfectè inveniuntur complexæ in dono, quod Deus nobis fecit Filij ſui.

Si agatur de potentia Dei exhauſta aliquo modo in hoc myſterio, *Qui potens eſt fecit potentiam*
in brachio ſuo i. Hoc eſt opus eximium potentiæ i Luc. 1.
ejus: non enim poteſt aliquid majus agere, ut do- 49. & 51
cet S. Thomas k, habet *Humanitas Chriſti, ex hoc* k S. Thô.
quòd eſt unita Deo, quandam dignitatem infinitam ex 1. p. q. 25
bono infinito l, *quod eſt Deus; & ex hac parte non po-* a. 6. ad 4.
teſt aliquid fieri melius: ſicut non poteſt aliquid melius l ex baruch. 3.
eſſe Deo. Sed nulla videtur apparenter eſſe propor- 25.
tio inter ſtabulum, fœnum, animalia, & præſepe, & opus tam mirabile, quale eſt naturæ humanæ reparatio: ſi *ſic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum,*
non pereat, ſed habeat vitam æternam m: ubinam m Jo. 3.
ſunt arma, quibus noſtræ debet ſalutis inimicos 16.
expugnare, nimirum diabolum, mundum, & carnem? ubi ſunt milites, regimenta, & exercitus ejus? Ubi ſunt cuſtodes Majeſtatis illius, & apparatus ipſius Regius? Quænam inſignia ſunt hæc, quibus deſignatur *Rex regum, & Dominus dominan-*
tium n, Paſtoribus ab Angelo? *Et hoc vobis ſignum,* n 1. Tim.
Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in 1. 15. &
præſepio o. Ha! ait Pſalmiſta p. *Dextera Domini* Apoc. 19
fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Non 16.
moriar, ſed vivam. Quaſi diceret, Suam Deus me- o Luc. 2
liùs oſtendit fortitudinem & potentiam infinitam, 12.
veniens expugnatum diabolum præſepio, & pan- p Pſ. 117.
nis infantilibus, quàm ſi illum pompatico eſſet ag- 16. & 17.
greſſus apparatu. Quamnam potentiam oſtendiſſet Moyſes, ſeu potiùs Deus per Moyſen, ſi Pharaonem rebellem numeroſo devciſſet exercitu? Sed, ut verum fatear, hæc illius fortitudo fuit admirabilis, quâ ſuperbiam impij Monarchæ illius ſolâ virgâ retudit, æquè ac ſequacium ejus, *Et in-*

roſ-

volvit eos Dominus in mediis fluctibus : nec unus quidem ſuperfuit ex eis q. Illud eſt, quod agit Salvator in præſepi jacens, cùm venit expugnatum Pharaonem infernalem in hoc apparatu, ſub quo nobis eum deſcribit Iſaias r, *Aſcendet quaſi virgultum coram eo.* Et ſecundùm verſionem Theodotionis apud Cornelium s, *Adſcendet ut puer lactens coram eo.* Quaſi diceret, ut ait idem Cornelius, *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, ſcilicet Domino : præceſſit enim (brachium Domini)* cujus potentiâ fretus exibit adversùs diabolum, expugnaturus eum ut infans uberibus adhærens. Quænam fortitudo non fuiſſet addita fortitudini Samſoni, ſi iſte Mare veteris Fœderis cataphractus inimicos ſuos devicisſet Philiſthæos? Ejus tamen fortitudo illa fuit admirabilis, quâ ab ipſo *concuſſis fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat : multoque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat* t. Atqui Iſaias u iſtam prædixit potentiam, quam Deus oſtendit in nativitate Filij ſui, *Quia antequàm ſciat Puer vocare patrem ſuum & matrē ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Id eſt, ſpoliabit infernum, ut notat Cornelius x, *Appoſitè Regnum Damaſci & Samariæ repræſentat, & ſignificat Regnum peccati, & diaboli.* Quàm incompatabilem fortitudinem exhibuiſſet intuendam Gedeon, ſi numeroſum ducens exercitum, & armis idoneis æqualiter inſtructus, ſuos viciſſet hoſtes Madianitas, & alios populos qui *fuſi jacebant in valle, ut locuſtarum multitudo?* Sed ſtupenda fuit illius fortitudo, cùm *diviſit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas, ac lampades in medio lagenarum : cùmque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaveruntque, Gladius Domini & Gedeonis; ſtantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtium; omnia caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt : immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutuâ ſe cæde truncabant* y. Hæc erat figura victoriæ, quam Salvator noſter erat relaturus de inimicis ſalutis noſtræ, quam prædixerat Iſaias z, *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian. Parvulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Quaſi dixiſſet ei Propheta, Viciſti imperium & potentiam inimici, ut Madianitas ſuperaſti interventu tubarum, & lagenarum, in quarum ſingulis erat lampas accenſa; in figuram illius, quòd Salvator naſcens facturus eſſet aliquando, vincens omnes potentias inferni, lagenâ ſuæ humanitatis, lampade ſuæ Divinitatis accenſâ in iſta teſta, & ſonitu buccinarum. *Parvulus enim natus eſt nobis* : ecce humanitas ejus. *Et Filius datus eſt nobis* ; en Divinitas illius. Et vagitus Infantis, ecce ſonitus tubarum. Ecce, *Dextera Domini exaltavit me*, ait Pſalmiſta a. Quaſi diceret, Dei Filius ſe parvum fecit in terra, ut nos exaltaret in cœlo. Ut iſtud intelligatur, obſervandum eſt, quòd homo in ſtatu ſuæ creationis collocatus fuit in ſtatera cum Deo, Deus erat in una lance ſtateræ, homo verò in altera, ita ut ſtatera videretur ſuſpenſa in æquilibrio : *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* b. Nimirum, juſtitiâ originali donatus, & gratiâ præditus : ſed Adam tranſgreſſus Legem Dei, cùm vetito *de fructu comedit* c, confeſtim his omnibus deſtitutus eſt donis, peccator effectus, & tunc ſtatera è lance hominis depreſſa eſt uſque ad ſtatum miſeriarum; & è ſtatu Divino, in quo erat collocatus, *ad nihilum redactus* d eſt, id eſt, in ſtatum peccati; & è ſimilitudine Dei e, cui communicabat, jure merito beſtijs æquiparatus eſt, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit : comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis* f. Sed ut infortunatus ille Protoplaſtus erueretur è luto peccati ſui, oportebat ut Deus, qui erat in altera lance ſtateræ, ita deprimeretur, ut evaderet Infans, &, quod amplius eſt, ut *formam ſervi* g acciperet, & peccatoris, *in ſimilitudinem carnis peccati* h. Et ut reclinaretur *in præſepio* i in ſimilitudinem animalium. *Evangelizo vobis gaudium magnum : quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Ecce lanx ſtateræ valdè elevata è parte Dei. Sed ecce vehementer depreſſa è parte ipſius Dei facti Infantis, *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*, inter animalia collocatum : & ſic homo reverſus eſt in ſimilitudinem Dei, interventu potentiæ ejus, *Dextera Domini exaltavit me.* Iſtud eſt quod Job k concupiſcebat, dicens, *Utinam appenderentur peccata mea; quibus iram merui ; & calamitas, quam patior, in ſtatera.* Videns enim quòd homo per peccatum redactus eſſet ad ſimilitudinem beſtiarum, deſiderabat ut altera lanx ſtateræ deprimeretur uſque ad ſtabulum, ut exaltaretur homo; & ſic homo elevatus eſt uſque ad gratiam, & ad ſimilitudinem Dei, per ejus potentiam. Duo erant in mundo infinitè diſtantia, Verbum, & caro. Verbum erat infinitè magnum: nam Deus *magnus eſt, & non habet finem : excelſus & immenſus* l. Caro autem quaſi ad nihilū redacta erat, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Verbum autem Domini noſtri manet in æternum* m. *Et Verbum erat apud Deum* n Patrem ſuum: & caro erat in Genitrice ipſius futurâ : Verbum exivit *à Patre, & in mundum* o venit, cujus tamen Patris ſinum non deſeruit, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* p. Induit carnem Matris ſuæ, quę tamen ſuam non amiſit virginitatem q; & ſic quaſi exhauriendo potentiam ſuam dilectione benefaciente, univit Verbum cum carne, & carnē cum Verbo, reddidit Verbum particeps conditionum carnis, & communicavit carni nova attributa Verbi, ideò *Verbum caro factum eſt* r. *Dextera Domini exaltavit me.* Magna Deus eſt operatus mirabilia in creatione mundi, *In principio creavit Deus cœlum & terram* s, &c. Sed hæc omnia vocat Pſalmiſta t *Opera digitorum* Dei. Prodigia edidit Deus innumera ad liberandum populum Iſraëliticum è ſervitute Ægyptiaca, ſed hæc omnia non erant niſi *opera digitorum* Dei. *Digitus Dei eſt hic* u. Jeſus Chriſtus *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* x, miracula patravit plurima, dęmones expellendo, &c. ſed hæc non erant niſi *opera digitorum* Dei, *Si in digito Dei ejicio dæmonia* y. Sed quòd ſe fecerit Infantem, *Tuum brachium cum potentia* z. *Fecit potentiam in brachio ſuo* a. Non eſt hoc ſolum opus manûs, ſed etiam brachij ipſius : potentiam adhibuit utriuſque, *Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus* b. Quid poterant homines plus deſiderare à Deo? Ut ipſos alloqueretur? *Locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus* c. Ut ipſemet veniret? *Multifariam multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis : noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* d. Ut ſe communicaret non ſolùm populo Iſraelitico, ſed omnibus abſque exceptione? *Benignitas & Humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*, &c. Ut hominibus ita ſe familiarem redderet, ut dicere poſſet unuſquiſque? *Dominum*

q Exod. 14. 27. & 28.
r Iſa. 53. 2
s Cornel. in Iſa. 53. 2. citans Theodot. apud Euſeb. l. 3. Demoſtrat. c. 2
t Judic. 16. 30.
u Iſa. 8. 4
x Cornel. in Iſa. 8. 4.
y Judic. 7. 11. &c.
z Iſa. 9. 4. & 6
a Pſ. 117. 16.
b Gen. 9. 6.
c Gen. 3. 6. &c.
d Pſ. 72. 22.
e Gen. 1. 27.
f Pſ. 48 13. & 21
g Philip. 2. 7
h Rom. 8. 3.
i Luc. 2 7. &c.
k Job 6 2.
l Baruch 3. 25.
m Iſa. 40 6. & 8.
n Jo. 1. 1.
o Jo. 16 28.
p Jo. 1. 18
q Luc. 1 35. & 38
r Jo. 1. 14
s Gen. 1. &c.
t Pſ. 8. 4.
u Exod. 8. 19 &c.
x Baruch 3. 38.
y Luc. 11. 20.
z Pſ. 97. 1.
a Luc. 1 51.
b Pſ. 97. 2
c Luc. 1. 70.
d Hebr. 1. 1. & 2

e Jo. 20 28. *nus meus, & Deus meus* e. Ne præoccuparentur ho-
mines hoc deſiderio, quo ductus erat David f, di-
f Pſ. 41. 4 cens, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Homo
plus ſuſcepit ab eo quam Sponſa, quæ ſolum ef-
flagitabat oris illius oſculum, *Oſculetur me oſculo*
g Cant. 1. 2. *oris ſui* g. Cum iſtâ gaudeamus prærogativâ ut il-
lum quotidie ſumere poſſimus in Euchariſtia, in
qua ſuam Deus quoque exhauſit potentiam, æquè
ac in Nativitate, cùm Euchariſtia ſit extenſio In-
h Pſ. 117. 17. carnationis. *Non moriar, ſed vivam* h. Hæc eſt al-
tera ratio, propter quam conveniens erat ut Deus
ſalvaturus mundum dilectione benefaciente, quæ
totam ipſius exhauriret potentiam, ſe faceret
i Luc. 2. 12. *Infantem pannis involutum* i. Quia homo graviter
infirmus, mortem jure merito formidans æter-
nam, in hoc ſtatu deſperationis ſuæ ſalutis ope-
randæ, nolebat ſuſcipere legem antiquam, quæ
fuerat ipſi data ut remedium curando morbo i-
pſius proficuum, vel ſaltem morbo ipſius lenien-
do opportunum, quod remedium legis videbatur
ipſi ita rude & aſperum, ut non poſſet illud ſuffer-
re, *Legum, quod neque Patres noſtri, neque nos por-*
k Act. 15. 10. *tare potuimus* k. Nec ſuſtinere præſentiam Medi-
ci, nec permittere ut ſibi pulſum exploraret. Re
autem verà unus ex infirmis iſtis dicebat aliàs,
Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici
l Job 19. 21. *mei, quia manus Domini tetigit me* l. Quia paulò an-
m Job 13. 21. te dixerat Deo, *Manum tuam longè fac à me* m. Hoc
etiam timore correptus Adam, auditâ voce ejus
timuit, & latuit, *Vocem tuam audivi, & timui, & ab-*
n Gen. 3. 10. *ſcondi me* n. Homo formidabat illum videre, & ex-
iſtimabat ſe moriturum, ſi illum videret, ut patet
Samſonis *Manue dixit uxori ſuæ, Morte moriemur,*
o Judic. 13. 22. *quia vidimus Dominum* o. Sed nunc nihil eſt perti-
meſcendum, nullum eſt mortis incurrendæ pericu-
lum, cœleſtis iſte Medicus ſanat dilectione benefi-
câ, quæ exhaurit potentiam ipſius. Homo vereba-
tur aliàs tangi: ſed quis formidaret nunc tangi ab
p Luc. 2. 12. Infante *pannis* p involuto? Intuitum illius metue-
q Ibid. bat; ſed modò poſitus eſt *in præſepio* q, *in medio duo-*
r Hugo Card. in Habac. 3. 2. *rum animalium* r. Fiducialiter igitur accedere po-
teſt homo ad hunc Medicum, qui ita eſt gratioſus,
ut ægrotum tanto labore quærat; ita dulcis, ut ſo-
lum explorando pulſum, medeatur & ſanet; ita
fortunatus, ut ſuo illius directione nullus unquam
æger perierit, *Venit enim Filius hominis quærere, &*
s Luc. 19. 20. *ſalvum facere quod perierat* s. Et ita liberalis & be-
neficiens, ut nullum reportare intendat commo-
dum aut lucrum ex omnibus curis ſuis; & ita no-
ſtræ ſalutis avidus, ut ipſe ſuſtinere velit mortem,
t Pſ. 117. 17. ad dandam nobis vitam, *Non moriar, ſed vivam* t. Et
deſtruere ſe propter obſequium noſtrum, *Conſum-*
u Jo. 19. 30. *matum eſt* u. Quod eſt ſecunda conditio quæ repe-
riri debet in dono ad hoc ut ſit perfectum. Tertia
autem eſt, Ut donum ditet illum qui ipſum ſuſci-
pit. Et hoc eſt quod ipſe Deus fecit, *Deus autem
(qui dives eſt in miſericordia) propter nimiam chari-
tatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui*
x Epheſ. 2. 4. & 5. *peccatis, convivificavit nos Chriſto* x. *Scitis enim gra-
tiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos
egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos di-*
y 2. Cor. 8. 9. *vites eſſetis* y. Id eſt, *ſpiritualem bonorum copiam con-
ſequeremini. Nam Chriſti incarnatio, noſtra deificatio
eſt: Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio: Chriſti pe-
nuria, noſtra eſt opulentia*, ſubdit Dionyſius Car-
z Dion. Carth. 2. & in 2. Cor. 8. 9. thuſianus z.

Ad majorem veritatis iſtius probationem ob-
ſervandum eſt, quòd Jeſus Chriſtus tria tradit, quæ
habet ipſe pretioſiſſima, in gratiam hominum; fa-
mam ſuam, voluntatem ſuam, & vitam ſuam. Tra-
dit famam ſuam detractioni, conſentit haberi ut
peccator a, ut *homo vorax, & potator vini, publicano-* a Jo. 9. 24.
rum & peccatorum amicus b; ut *Samaritanus, & dæ-* b Matth. 11. 19.
monium c habens, præferri ſibi *Barabbam* d, & ut
crucifigantur *cum eo duo latrones, unus à dextris, &* c Jo. 8. 48.
unus à ſiniſtris e. Amantiſſimus iſte Dominus ſuæ d Jo. 18. 40.
nec parcit voluntati, ſed illam ſacrificat, ut exe-
quatur voluntatem Patris ſui in favorem homi- e Matth. 27. 38.
num. Illam non ſolùm tradidit, cùm *bajulans ſibi
crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum ubi*
crucifixerunt eum f. Et in horto Olivarum, *dicens,* f Jo. 19. 17. & 18.
Pater mi, fiat voluntas tua g: Sed etiam ex utero g Matth. 26. 42.
Matris ſuæ: imò verò ab omni æternitate, *Sacri-
ficium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti
mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc
dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut
facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & le-*
gem tuam in medio cordis mei h. Ita verum eſt, quod h Pſ. 39. 7. &c.
Deus ſe conſumat & deſtruat propter obſequium
hominis eò uſque, ut tradat *in mortem animam
ſuam, cum ſceleratis reputatus, & ipſe peccata mul-*
torum i ferat. Videtur quòd non fuiſſet ſatis di- i Iſa. 53. 12.
lectioni ipſius benefacienti expoſuiſſe famam
ſuam detractioni; renunciaviſſe voluntati ſuæ,
ut exequeretur voluntatem Patris ſui, imò verò
ut morem gereret voluntati hominum, quibuſ-
cum eſt *omnibus diebus, uſque ad conſummationem*
ſeculi † in Euchariſtiæ Sacramento, ſinendo ſe † Matth. 28. 20.
ab illis ibi excipi juxta eorum voluntatem; niſi
etiam vitam ſuam prodegiſſet, extremam San-
guinis ſui guttam effundendo, cùm *unus militum*
lanceâ latus ejus aperuit k. Ecce quomodo amor k Jo. 19. 34.
Dei eſt benefaciens, tribuendo nobis donum ma-
ximum, pretioſiſſimum, & ditiſſimum, quip-
pe quod ditare nos debet, ut habeat omnes con-
ditiones doni perfecti. Ha! quod majus bonum
prætendere poſſetis, Auditores, quam ingre-
di communicationem Dei, *adhærere Deo* l. Sic l Pſ. 72. 28.
eſt, felicitas iſta contigit naturæ noſtræ per my-
ſterium Incarnationis, per quod ipſa elevata eſt
ad dignitatem ita eminentem, ut ſublimior
eâ non poſſit concipi, & communicat etiam
omnibus perfectionibus Dei, cunctis gratiis e-
jus, & univerſis divitiis illius. *Gratia vobis &
pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ie-
ſu Domini noſtri: quomodo omnia nobis divinæ vir-
tutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt,
per cognitionem ejus, qui vocavit nos propriâ glo-
riâ & virtute, per quem maxima & pretioſa no-
bis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini Divi-
næ conſortes Naturæ, fugientes ejus quæ in mundo
eſt, concupiſcentiæ corruptionem*, ait atque de-
precatur vobis S. Petrus Apoſtolus m. Ecce quo- m 2. Petr. 1. 2. &c.
modo amor Dei eſt benefaciens. Sed parum eſ-
ſet, ſi ſolùm nobis benefaceret, niſi complaceret
ſibi in videndis nobis ac diligendis: complacen-
tia enim eſt origo omnium bonorum, quæ fiunt
objecto amato. Videamus ſecundo loco quomo-
do amor iſte ſit complacens.

II. Pars.

Dicitur ordinariè quòd complacentia ſit filia
amoris, ego verò meâ quidem ſententia dico, eam
eſſe illius matrem: non enim nobis in aliquo com-
placemus objecto, niſi quia illud amamus: ſed et-
iam aſſero, quòd complacentia quæ fuit mater a-
moris, efficitur illius filia continuatione hujus e-
juſdem amoris. Ut autem melius concipiatis id
quod dicendum vobis habeo, reſolvenda nobis eſt
quæſtio curioſa quæ eſt inter Ariſtotelem & Pla-
tonem. Diſputant inter ſe iſti duo Philoſophi
quæ-

quænã ſit cauſa amoris. Unus dicit amorem naſci è ſimilitudine, alter verò è diſſimilitudine. Iſtæ duę opiniones veræ ſunt, ſed ſunt exponendæ. Verum quidem eſt, quòd amor naſcatur è ſimilitudine: ſic videmus quòd duo homines qui habent aliquam ſymphatiam affectus, aut vultus, mutuò ſe amant: unus homo amat alterum hominem, quia ſimilis eſt ipſi in eſſentiâ, *Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur* u. Ecce quomodo amor naſcitur è ſimilitudine. Sed non eſt minùs verum, quòd amor cauſetur à diſſimilitudine, ſic Dominus amat famulum ſuum, licèt diſſimilem ſibi; pauper divitem amat, & dives pauperem diligit; Medicus infirmum amat, & infirmus Medicum mutuo proſequitur amore. Ecce quâ ratione amor oritur è diſſimilitudine. Sed hæc admittitur differentia inter duos iſtos amores, quòd unus eſt amor complacentiæ, & alter amor commodi. Amicus amicum ſuum diligit amore complacentiæ, invenit in illo qualitates quæ reddunt illum amabilem, & eum diligit propter amorem ipſius: ſed cùm dives amat pauperem, non amat eum niſi amore commodi, ut illius obſequia ſibi aſciſcat: idem dico de amore Domini erga famulum ſuum: Medicus amat ægrorum ut illius pecuniam ſibi comparet; infirmus verò amat Medicum ſuum, ut ab illo ſuſcipiat ſanitatem. Ecce quomodo amor naſcitur è ſimilitudine, & è diſſimilitudine juxta ſententiam duorum Philoſophorum iſtorum. Atqui Jeſus Chriſtus duos iſtos in ſe conciliavit Philoſophos: ſemetipſum exhibuit ſubjectum amoris omnibus hominibus, ut illos ad ſe traheret. Illi qui ſolum amant commodum, inveniunt in eo unde ſibi faciant ſatis: *Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum* o. Ii qui volent illum diligere amore complacentiæ, non poſſunt invenire objectum dignius, nec quod majores poſſideat perfectiones, cùm Verbum perfectum ſit, ſicut ipſius *Pater cœleſtis perfectus eſt* p. Quippe quod ipſius *eſt Filius dilectus, in quo benè* q ipſe ſibi complacet. Ecce quomodo amor Dei eſt complacens, cùm ſe collocet in ſtatu, in quo univerſis complacere poſſit hominibus.

u Eccli. 13. 19. & 20
p Matth. 5. 48
q Matth. 17. 5

Circa quatuor de Deo querebantur homines in Scripturâ. Primum, Circa difficultatem inveniendi illius, eò quòd eſſet inviſibilis, *Deum nemo vidit unquam* r. Et, *Non videbit me homo, & vivet* ſ. Et, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus* t? Secundum, Circa quòd manus haberet ipſe nimis graves, ita ut extendens illas ſuper aliquem puniendum, magnum rigorem adversùs illum inſumeret, propter quod dicebat ei Job u, *Manum tuam longè fac à me*. Tertium, Vehementer timebant audire eum loqui, ideò filii Iſraël, licèt *populus ſanctus Domino Deo* x, *perterriti ac pavore concuſſi*, dixerunt Moyſi. *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* y. Quartum, Pro eo quòd cùm eſſet *Deus majeſtatis* z, *homo putredo, & filius hominis vermis* a, non audebat ad illum accedere, ut offeret illi precum ſuarum ſacrificia: idcircò dicebat Iſaias b, *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*, &c. Sed accenſus amore hominum, quorum converſatio ita ipſi complaceret ut diceret, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum* c; *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d eſt, paſſibilis, & innumeris obnoxius infirmitatibus, excluſis tamen ignorantiâ, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* e; & peccato, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* f. Sic querelas ſupradictas terminat hodiernâ die *Angelus Domini*, *Invenietis Infantem* g. Quaſi diceret paſtoribus, Querebamini quòd Deus eſſet inviſibilis, & ita *abſconditus* h, ut illum invenire non poſſetis: *Invenietis*. Quòd non poſſetis audire eum loqui: *Invenietis Infantem*, qui necdum cœpit balbutire. Quòd manus ejus eſſent nimis graves: cùm nunc eas habeat faſciis infantilibus ligatas, *Pannis involutum*. Dicebatis quòd majeſtas throni ejus vos terrore percelleret, & quòd non auderetis apparere coram Seraphinis deſtinatis ad cuſtodiam ejuſdem throni: videte nunc *poſitum in præſepio* i, *in medio duorum animalium* k illum, qui repræſentabatur vobis *magnus, excelſus, & immenſus* l. Ipſe requieſcit nunc in ſinu B. Virginis Matris ſuæ ut *mitis* m *agnus* n, vel tanquam unicornis, cui comparat eum David o. dicens, *Ædificavit ſicut unicornis ſanctificium ſuum in terra*. Referunt Naturales, quòd illud animal ſit ita ferox, ut nemo coram eo audeat apparere, ideòque venatores ferocitatem illius edocti, hoc utantur ſtratagemate ad ipſum capiendum. Advertere ſatagunt quando ipſum ſe recepit in cavernam ſuam, quod agnoſcunt ex veſtigiis ejus, & ex locis, per quæ tranſire conſuevit; & tunc alligant puellam virginem arbori proximæ itineri; iſtud autem animal attractum odore virginitatis ejus, ad illam accedit, & quaſi admiratum (ut ita dicam) virginitatem iſtam, quâ ipſum cicuratur & demulcetur, requieſcit in ſinu illius, ubi veluti inebriatum ſuavitate virginitatis iſtius puellæ, facilè capitur; & cùm eſſet anteà crudeliſſimum, evadit tunc manſuetiſſimum: magna datur proportio inter hoc animal & myſterium quod honoramus: ponite vobis præ oculis Deum ante incarnationem, ita terribilem, ut nonniſi *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum* p vocaretur; homines non puniret niſi ſeveriſſimè q; nec illis appareret niſi in figurâ r: ſed ſtatim ac intuitus eſt B. Virginem caſtam mente & corpore ſ, attactus odore puritatis ejus, *exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus* t: exivit *à Patre, & in mundum* u venit ingreſſum ſinum B. Virginis iſtius, in quo requievit novem menſibus, ubi ita cicuratus eſt, ut ipſe qui ita *terribilis* x formidabatur ab hominibus ut ad illum non auderent accedere, imò nec illum audire loqui, *quaſi agnus manſuetus* y evaſerit.

r Joan. 1. 18. & 1 Joan. 4. 12
ſ Exod. 33 20
t Pſ. 41. 4
u Job 13. 21
x Deut. 14. 2
y Exod. 20 19. & 20
z Pſ. 28. 3
a Job. 25. 6
b Iſai. 6. 1. &c.
c Prov. 8. 31.
d Philipp. 2. 7
e Coloſſ. 2. 3
f 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53 9
g Luc 2. 9. &c.
h Iſai. 45. 15
i Luc. 2. 12
k Hug. Card. in Habac. 3. 2
l Baruch. 3. 25
m Matth. 11. 29
n Joan. 1. 29
o Pſ. 77. 69
p Pſ. 93. 1
q Num. 15 35. & 36
r 3. Reg. 19. 11. &c.
ſ Luc. 1. 34. &c.
t Pſ. 18. 6
u Joan. 16. 28
x Pſ. 75. 8
y Jer. 11. 19

Ut Maria *peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio; ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* z. Ut innuatur, quòd Filius Dei venerit non ad indicendum bellum, ſed ad inſtituendam pacem; non ad puniendum, ſed ad parcendum; non ad exercendam juſtitiam ſuam, ſed ad magnificandam ſuam miſericordiam, & quòd ductus amore naturæ humanæ, venerit in hunc mundum ad uniendum ſe ei præ amore complacentiæ. Cùm noctu audiuntur inſtrumenta muſica præ foribus alicujus, ſignum eſt hoc manifeſtum ibi intereſſe amaſios: *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet* a, audita eſt ſuper Bethleem muſica Angelorum: nota eſt ergo manifeſta, ibi adeſſe aliquem Amantem. Sed quem? Sanè Filium Dei qui immodico naturæ noſtræ ductus

z Luc. 2. 7 &c.
a Sap. 18. 14. & 15.

 amore,

amore, præ complacentiâ eam ſibi voluit deſponſare, eamque unire cum Divinitate in unitate ſuppoſiti. Non ſolùm autem naſci voluit in ſtabulo, ſed etiam in loco publico, & extra civitatem, quò unuſquiſque poſſet ingredi: ut doceat nos quòd naſcatur ad ſalvandum totum mundum, *Vt ſalvetur mundus per ipſum* b. Deinceps, *Et Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, extra portam paſſus eſt* c Jeroſolymitanam, ut manifeſtaret, quòd ipſe intenderet, ut homines univerſi nativitatis & mortis ſuæ fierent participes. Naſci poterat in templo, quod fuiſſet locus excipiendæ magnitudini nativitatis ipſius aliquo modo conſonus, ſed ipſum non latebat id quod *dicitur in proverbio, Cæcus & claudus non intrabunt in templum* d. Eligere poterat *Sancta ſanctorum*. Sed viſus fuiſſet non veniſſe niſi propter ſummum Sacerdotem: illuc enim *ſemel in anno ſolus Pontifex* e ſupremus ingreditur. Aut palatium Pilati, in quod magnificè fuiſſet exceptus, ſed in illud ingredi non fuiſſent auſi Judæi, *ut non contaminarentur* f. Si natus fuiſſet in civitate, exules illum videre non potuiſſent: natus eſt ergo extra civitatem, quò omnes homines indifferenter poterant accedere, pauperes & divites, Judæi & Gentiles, cæci & claudi, infirmi, æquè ac ſani, ut univerſi homines fierent participes beneficiorum nativitatis ipſius amantiſſimæ, cùm omnes illos dilexerit amore complacentiæ. Sed illud non ſufficit, videamus eum patientem, ut meliùs judicemus de veritate amoris illius.

b Joan. 3. 17
c Hebr. 13. 12
d 2. Reg. 5. 8
e Hebr. 9. 3. & 7. ex Exod. 30. 10
f Joan. 18. 28

III. Pars.

Sanè hoc eſt teſtimonium amoris ſui alicui exhibere ac illi benefacere; ſed dubitari non poteſt quin major ſit probatio dilectionis ac pati pro perſonâ amatâ: cùm enim quis benefacit alicui, dat illi aliquid quod non eſt pars ſui ipſius; ſed cùm patitur, ſemetipſum dat, & poſt ſeipſum præbitum non poteſt aliquid ampliùs tribuere. S. Paulus g loquens de amore Dei erga nos, ait, *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Credere poteramus, quòd Deus nos diligeret poſt impenſa nobis tot beneficia: ſed nemo de amore ejus poteſt ambigere, videns, quæ, & quanta pro nobis tulit, *Forma moriendi, cauſa naſcendi eſt*, ait Tertullianus h.

g Rom. 8. 32
h Tert. lib. de Carne Chriſti. c. 6

Non videtur ipſi ſatis naſci extra civitatem, ſed etiam naſci vult in ſtabulo, & collocari in præſepi, omnibus temporaneis commodis deſtitutus, quod nobis intuendum exhibet amorem ejus patientem, æquè ac humilitatem: re enim verâ ſi excellentia Divinæ Majeſtatis ejus collocaretur in unâ lance ſtateræ, & in alterâ lance collocaretur magnitudo abjectionis & humilitatis ejus, hæc multò mirabilior appareret; non quòd ſit aliquid quod ſuperare poſſit magnitudinem Dei; ſed quia in hâc abjectione multa ſunt quæ præbent occaſionem capeſſendæ majoris admirationis, quia magnitudo eſt Deo naturalis, non autem abjectio, nec paſſio. Unde fit ut, cùm in Miſsâ concinitur ſymbolum fidei, non miremur cùm audimus hæc verba, *Credo in Deum Factorem cœli & terræ* †, &c. Tamen cùm audiuntur iſta, *Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Mariâ Virgine* *, *& homo factus eſt*: unuſquiſque tacet, in terramque procumbit ſuper faciem ſuam præ admiratione. Ezechielis i *animalia, cùm fieret vox ſuper firmamentum quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.* Audientes Cherubini vocem majeſtatis Dei, ſuas deprimebant pennas: ego autem audiens vocem Filii Dei plorantis in præſepi, & inclementiam frigidæ tempeſtatis patientis, alas deprimo mentis meæ, & neſcio quid de ejus amore patiente dicere debeam præ admiratione, quandiu Angeli qui illum intuentur è cœlo ſub hoc apparatu, non minori quàm ego, cientur admiratione: nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus k, *Lacrymatus eſt Ieſus in ſuâ Nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores.* Non immeritò voluit reclinari *in præſepio* l. Ubi enim quærendum erat genus humanum, quod per peccatum ſuum abierat in cathegoriam beſtiarum m, niſi in præſepi animalium? ideo antequam poneretur in præſepi, flere cœpit, quia conſeſtim vidit objectum, quod veniebat quæſitum amore ſuo patiente, repræſentatum his duobus animalibus; quod intuitus, ſuas non poterat continere lacrymas. Hæcine ſunt animæ quas creavi *ad imaginem, & ſimilitudinem* n *meam?* inquiebat ipſe apud ſe; quas ornavi juſtitiâ originali, & gratiâ, & tantâ pulchritudine inſignivi. Hæcine ſunt illæ ſpecioſæ creaturæ, quibus paraveram omnia bona terræ, quæ erant inebriandæ *ab ubertate domus meæ, & potandæ torrente voluptatis* o *meæ?* Iſtæ conſiderationes lacrymas ex oculis ejus eruebant. Poſtquam *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio: audientes tres amici Iob omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur. Cùmque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terrâ ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem* p. Inde oritur etiam, quòd *lacrymatus eſt Ieſus* ſuſcitaturus amicum ſuum Lazarum, *qui mortuum fuerat*, & fœtebat *jam: quatriduanus enim* q erat: nec ſuos continere potuit fletus præ compaſſione ſtatus miſeri, ad quem intuitus eſt illum redactum: ſic exiens hodiernâ die ex utero B. Virginis, videnſque homines, quos creaverat propter tantam gloriam, mutatos in formam animalium per peccata ſua, non poteſt quin fleat, miſeriis illorum compatiens.

† Eccleſia ex Eſth. 13. 10.
* Eccleſia ex Matth. 1. 20
i Ezech. 1. 24. & 25
k Dion. Carth art. 42. in Luc. 10. 41.
l Luc. 2. 7
m Pſ. 48. 13. & 21
n Gen. 1. 27.
o Pſ. 35. 9
p Job 2. &c.
q Joan. 11. 35. &c.

Illi qui volunt ignem excitare, exponunt ſpeculum radiis Solis, & prope hoc ſpeculum ponunt aliquam materiam combuſtibilem, & diſpoſitam ad facilè capeſſendas impreſſiones ignis; & hoc modo reflexio radiorum Solis, quæ fit in hoc ſpeculum illi oppoſitum, inde exire facit ignem. *Deus noſter ignis conſumens eſt* r. Nativitas noſtra erat palea, *Omnis caro fœnum* ſ. Sic ignis in eâ non poterat concipi, donec B. Virgo quæ vocari poteſt *Speculum ſine macula* t (ſicut enim *Speculum eſt Chriſtus, & illud eſt ſine maculâ omnino*, ait Hugo Cardinalis u: Id eſt, per nativitatem; ita B. Virgo *ſpeculum ſine maculâ* per gratiam, quippe quæ *tota pulchra, & macula non eſt in* x eâ) expoſita radiis Divini Solis miſericordiæ, fecit ut ignis amoris illius patientis conceptus ſit in animabus noſtris per nativitatem ejus. Quis non mirabitur igitur in hoc Salvatore naſcente & patiente has uniones ita diſtantes? Quomodo *magnus, & excelſus* y, *parvulus* z factus eſt: Spiritualis a, Corporalis; Æternus b, temporalis; *Deus* c, *homo* d; Virgo, Mater e; *Verbum caro* f. Fides, ratio g. Grammaticus debet admirari, quòd Verbum, æternum ex natura ſuâ, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; fiat caro, *Verbum caro factum eſt* h.

r Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24
ſ Iſai. 40. 6
t Sap. 7. 26
u Hug. Card. in Sap. 7. 26
x Cant. 4. 7
y Baruch. 3. 25.
z Iſai. 9. 6
a Joan. 4. 24
b Dan. 13. 42
c Deut. 6. 4
d Philipp. 2. 7
e Luc. 1. 34. & 38
f Joan. 1. 14
g 2. Cor. 10. 5

eſt h. Logicus mirari debet duo contraria unita in eâdem perſonâ, in quâ ſubſiſtunt duæ naturæ, *Simul in unum Dives & pauper* i. Phyſicus debet admirari Puellam, quæ Virgo permanens, concipit, & parit, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium* k. Rethor admirari debet hunc loquendi modum, quo *multiſariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* l. Theologus mirari debet, quòd eodem tempore credere ſimul poſſumus & videre, *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ* m. Arithmeticus mirari debet, quòd ille qui eſt ſuper omnem numerum, ponitur in numero & in catalogo hominum, *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis* n, &c. Debet Geometra admirari, quòd ille quem univerſus non poteſt orbis capere, permanſerit novem menſibus concluſus in utero B. Virginis, ut concinit ei Eccleſia, *Quia quem cœli capere non poterant* o, *tuo gremio contuliſti* p. Mirari debet Aſtrologus, quòd *Stella, quam viderant in Oriente Magi, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat Puer* q. Et Muſicus mirari debet ſe audire in cœlo harmoniam ſic inuſitatam, *Facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* r.

h Joan. 1. 3. & 14
i Pſ. 48. 3
k Iſai. 7. 14
l Hebr. 1. 1. & 2
m 1. Joan. 1. 1
n Luc. 2. 1. &c.
o ex 3. Reg. 8. 27
p ex Luc. 1. 38
q Matth. 2. 9
r Luc. 2. 13. & 14

Ubi obſervabitis obiter, quòd Dei Filius naſci voluit eo tempore quo Cæſar Auguſtus ſuos omnes præceperat deſcribendos ſubditos; ut ipſe nobis innueret, quòd veniret *quærere & ſalvum facere quod perierat* ſ. Et quòd, ſicut Imperator ſuos ſubditos ſcribendos juſſerat in terrâ; ita ipſe omnes ſcribere vellet homines *in libro* t fortunato gloriæ ſuæ per ſuas paſſiones. Deinde, Quòd naſci voluit tempore generalis illius deſcriptionis, ut nobis præberet notas humilitatis ſuæ, æquè ac amoris ſui patientis, *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis* u. Concludi poteſt ex Nativitate ejus, quòd non venerit in mundum niſi ad patiendum: ſed id, quod auget magnitudinem iſtius amoris patientis, eſt quòd ipſe peregerit triginta tres annos miraculorum, & miraculum quod duravit triginta tribus annis ut pati poſſet: cùm enim anima ejus eſſet beata à primo inſtanti creationis ſuæ per unionem hypoſtaticam Verbo, debebat ipſa effundere qualitates glorioſas impaſſibilitatis, claritatis, agilitatis, & ſubtilitatis ſuper corpus, non ſecus ac animæ reproborum reſumentes corpora ſua, communicabunt eis pœnas ſuas: ſed hunc glorioſum impedivit effectum miraculo, quod triginta tribus annis duravit, ut pati poſſet ipſe pro hominibus, & ſuarum interventu paſſionum authenticum illis perhibere ſuæ charitatis teſtimonium.

ſ Luc. 19. 10
t Pſ. 138. 16
u Matth. 20. 28

Neſcio equidem utrùm dicturus hic ego ſim id, quod peregit aliàs Senator quidam Romanus, qui habens filium inobedientem & diſſolutum, conſenſit ut traderetur manibus Senatus, ad hoc ut juxta ſua puniretur crimina. Senatus igitur cùm præcepiſſet illum apprehendendum, damnavit eum ad mortem: ſed pater illius expiare volens enormitatem criminum ejus, efflagitavit ut executio ſupplicii illi inferendi differretur ad quadraginta uſque dies, ut tot moreretur momentis, quot ipſi ſupererant ad vivendum. Cùm autem filius hic infortunatus didiciſſet decretum ſuæ damnationis, poſtulavit ut ſibi liceret Senatum alloqui: quo ipſi conceſſo, ait ei, *Si non impetro ut vivam, impetrem ſaltem ut non diutiùs moriar.* Potiori ratione hoc dicere poterat Dei Filius Patri ſuo, cùm mortuus fuerit triginta tribus annis, quibus vixit in mundo, quibuſque præſentia habebat omnia tormenta, quæ erat poſtmodum perlaturus.

Ecce tres conditiones quæ comitantur verum amorem, & quæ fuerunt inſeparabiles ab eo quo Deus nos amavit. Certus ſum quòd Deus amet me, ſed amore incomparabili; & diligens me, dederit mihi Filium ſuum: debeo igitur illum diligere, & dare illi aliquid in teſtimonium amoris quo illum proſequor. Dedit mihi ſuum Filium, qui eſt *ſanctus* x, *& perfectus* y. Debeo etiam ei aliquid dare ſanctum & perfectum: ipſe *bonorum meorum non* z eget, ſed poſtulat cor meum, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* †. Donum, quod ipſe mihi tribuit, non eſt tranſitorium, ſed æternum: debeo igitur me illi dare, non ut ab illo me retraham: hoc enim eſſet violare leges donationis; ſed ut vivam, & moriar in obſequio ejus. Præterea, Jeſus, ut mihi teſtimonium perhibeat amoris ſui, & bonarum voluntatum quas habet patiendi propter amorem meum, & ut iſtud exequi poſſit conſilium, miraculum facit: quid debeo ego facere propter amorem illius? Nullam debeo ſinere elabi occaſionem patiendi ob dilectionem ejus, cùm non poſſim illi teſtimonium perhibere amoris mei niſi per tolerantias meas, quæ me diſponent ad ſuſcipiendam gratiam & gloriam illius *.

x Marc. 1. 24
y Matth. 5. 48
z Pſ. 15. 2
† Prov. 23. 26
* Rom. 8. 29

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. Act. 7. 59. &c.

TRes Eccleſiæ conſidero intentiones in celebratione feſtorum intuitu Sanctorum. Prima eſt, Ut agantur grates Deo pro gratiâ, quâ Sanctos donavit ut triumphaverint de vitio, & de Tyrannis. Secunda eſt, Ut invocentur illorum merita, & laudentur virtutes illorum, propterea adhibentur conciones, ubi fiunt panegyres virtutum eorum, ac meritorum, ut imploretur eorum auxilium, & impetretur aliquis favor à Deo illorum interceſſione; ſic videmus, quod frequententur loca, ubi ſacræ requieſcunt illorum reliquiæ. Tertia eſt, Ut proponatur nobis exemplum illorum imitandum, ut diſcamus ex enarratione vitæ eorum quænam debeat eſſe noſtra. Chriſtiani ſunt hodiemâ die promptiſſimi ad ſatisfaciendum duabus primis intentionibus Eccleſiæ: eloquentiſſimi ſunt ad publicanda eorum merita, ardentiſſimi ad illos invocandos, ſed pauci ſunt qui ſtudeant eos imitari: iſtud tamen debet eſſe officium noſtrum, quod edocet nos Eccleſia in celebritate S. Stephani, quòd illius exemplo noſtris ignoſcere debemus inimicis, ſi gloriæ illius veli-

mus eſſe participes. Materies hæc eſt maximi momenti, & flagitemus continuationem luminum cœli per merita B. Virginis, dicendo ei, *Ave Maria.*

Tres obſervo ſcholas Jeſu Chriſti, naturam, gratiam, & Calvariam. Natura eſt liber, in quo ex notitiâ perfectionum quas in creaturis admiramur, elevamus nos ad cognitionem magnitudinum Dei: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas* a. Hæc ſchola nos edocet, quòd liber iſte naturæ eſt fertilis, & ex fœcunditate ejus concipimus quòd ſit Deus, qui generat Verbum ſuum, *Eructavit cor meum Verbum bonum* b. Et quòd Pater & Filius in unitate principii ejuſdem voluntatis ſuæ producunt Spiritum ſanctum, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* c. Firmitas terræ, *Terra autem in æternum ſtat* †, monſtrat nobis immutabilitatem Dei, *Ego enim Dominus, & non mutor* d. Et ſic de aliis perfectionibus. Hæc tamen ſchola ad ſolos pertinet Philoſophos: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit, ita ut ſint inexcuſabiles* e. Secunda ſchola, & quæ eſt communis omnibus Chriſtianis, eſt ſchola gratiæ, in quâ diſcimus ad imitationem Salvatoris & Magiſtri noſtri exercere omnes virtutes Chriſtianas; animare nos ad tolerandos omnes eventus vitæ, ad exemplum illius, *Si benè facientes, patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* f. Nos humiliare, cùm præ noſtris ponimus oculis humiliationes vitæ ejus, ad quas imitandas nos ita ipſe hortatur, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde* g. Et obſervare mandata illius, intuentes rigorem quem exercet adversùs tranſgreſſores illorum *h*. Tertia verò & principalis ſchola eſt Calvaria, in quâ ipſe Chriſtus crucifixus eſt, *Tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis* i. Hæc ſchola eſt pro ſolis perfectis, quæ ipſos docet diligere *inimicos* k, & perſecutores. S. Stephanus fuit primus diſcipulus Jeſu Chriſti in hâc ſcholâ; perfectè imitatus eſt Magiſtrum ſuum. Videbitis igitur progreſſum quem in eâ fecit, per tres convenientias quas habuit cum Jeſu Chriſto, quæ erunt tres partes diſcurſus illius.

a Rom. 1, 20
b Pſ. 44. 2
c Joan. 15. 26
† Eccl. 1. 4
d Malach. 3. 6
e Rom. 1. 19. & 20
f 1. Petr. 2. 20. & 21
g Matth. 11. 29
h Matth. 25. 41. &c
i S. Aug. Tract. 119. in Joan. 19. 25. &c
k Matth. 4 44

Diviſio.

I. Pars.

Prima convenientia, quam obſervo inter S. Stephanum & Jeſum Chriſtum, eſt, quòd ſicut Jeſus Chriſtus mortuus eſt *per invidiam* l Judæorum: Ita S. Stephanus lapidibus obrutus eſt ex invidiâ eorundem Hebræorum *m*. Non eſt vitium furioſius, & quod majores cauſet deordinationes, quàm producat invidia. Verum quidem eſt, quòd omnes paſſiones interturbent rationem, & quòd in hâc deordinatione ſpecioſiſſimis mentis luminibus extinctis, virtutes etiam ab eâ procul eliminantur per tyrannidem vitiorum, quæ tamen ordinariè non aggrediuntur niſi virtutem in ſpeciali, ſuperbia inſurgit contra humilitatem, avaritia contra liberalitatem, luxuria contra caſtitatem, gula contra temperantiam, ira contra manſuetudinem, acedia contra diligentiam, ſed invidia illas omnes impetit, omnibus adverſatur ipſa bonis habitibus, nec eſt virtus ulla cui ipſa bellum non indicat: invidus enim odio proſequetur humilem, liberalem, caſtum, temperantem, manſuetum, diligentem. Ipſa etiam invidia procuravit mortem Jeſu Chriſto, in quo obſervabantur omnes virtutes ſplendere tanquam in throno ſuo, *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic Homo multa ſigna facit. Expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* n. Statim ac aliquis eſt iſtâ paſſione præoccupatus, nulla eſt juſtitia, nec ulla lex, quam non violet, ut illi ſatisfaciat. Hoc ego obſervo in tribus circumſtantiis violatis in condemnatione Jeſu Chriſti. Lex enim prohibet ne ſuſcipiatur depoſitio ſeu teſtimonium ſervi, aut domeſtici contra Dominum ſuum: tamen Pontifices non ambigunt ſuſcipere teſtimonium Judæ diſcipuli Jeſu Chriſti, qui Dominum ſuum tradit, *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum: & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos* †. Præterea, Ipſa vetat ne attentetur ſuper perſonam Rei, qui quandiu manibus juſtitiæ traditus eſt, eſt aliquid ſacrum, *Res eſt ſacra reus.* Propterea dantur illi cuſtodes, qui ſecurè illum ſervent, ne malè excipiatur, ſi fortè in ſuorum manus incideret inimicorum: Hæc nihilominùs circumſtantia violatur in perſonâ Jeſu Chriſti: docet enim nos Evangelium *, quòd *unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici?* Tertia formalitas juſtitiæ violatæ in perſonâ Filii Dei, eſt, quòd condemnetur ſine probationibus; & quòd ille, qui anteà erat ejus Advocatus, evadat Judex illius, tradens hoc procedendi modo & juſtitiam, & conſcientiam ſuam: nam paulò antè dixerat *Pilatus*, alloquens *Iudæos*, *Ego nullam invenio in eo cauſam* o. *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidiſſent eum. Videns autem quia nihil proficeret; acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine Iuſti hujus. Tunc Ieſum flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur* p.

l Matth. 27. 18. &c.
m Act. 6. 8. &c. & 7. 1. &c.
n Joan. 11. 47. & 50
† Matth. 26. 14. & 15
* Joan. 18. 22
o Joan. 18
p Matth. 27. 18. &c

Si tres iſtæ circumſtantiæ non inveniuntur eædem in morte S. Stephani; in eâ tamen reperiuntur tres aliæ, quæ cum illis habent convenientiam. Primò, Synagoga eum accuſat, ipſa quæ debebat eum defendere, *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagogâ, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Ciliciâ, & Aſiâ, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur. Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & Deum. Commoverunt itaque plebem, & ſeniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium* q. Secundò, Inſumitur violentia adversùs illum, *Et impetum fecerunt unanimiter in eum* r. Tertiò, Condemnatur ſuper depoſitione falſorum teſtium, *Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent, Homo iſte non ceſſat loqui verba adversùs locum ſanctum, & legem: audivimus enim eum dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes* ſ. Ecce quomodo invidia excipiat S. Stephanum, virum plenum virtutibus & meritis, cujuſque ſanctitas ſe intuendam exhibebat ſuper facie ipſius, *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli* t. Quod tamen non impedivit

q Act. 6. 8. &c.
r Act. 7. 57
ſ Act. 6. 13. & 14
t Act. 6. 15

quin

quin hæc invidia Judæos impulerit ad damnandum eum pœnâ adverſus blaſphemos lata in Lege, *Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum univerſus populus* u. *Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant* x. Ecce, Auditores, portio filiorum Calvariæ, pati *perſecutionem propter juſtitiam*, atque contemptus, licet ipſi ſint innocentes, *quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* y. Hæc nihilominùs eſt ordinaria querela Chriſtianorum dicentium, cùm affliguntur, quòd ipſi æquo ſuſtinerent animo, ſi id quod patiuntur, eſſet rationi & juſtitiæ conſonum. Ecce detrahitur famæ mulieris alicujus, ad extremas confeſtim redigitur ipſa deſperationis anguſtias: ſi quis aggrediatur illam conſolari, illamque diſponere ad ſuſtinendam æquanimiter hanc injuriam, reſpondet ipſa, quod talis injuria non videretur ipſi ita gravis, ſi de ipſâ annunciaretur veritas. Ha! Domina mea, conſidera quòd gloria filiorum Jeſu Chriſti, quos ipſe parturivit ſuper Calvariâ, quia *facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* z, ut ait S. Auguſtinus, eſt pati cum innocentiâ pro juſtitiâ: ſi vis eſſe filia Jeſu Chriſti, eandem non debes recuſare portionem: pati aliter, eſt pari cum diabolo: diabolus nihil meretur in tolerantiis, quia ex ſine ſupplicium decretum ipſi à Deo propter crimen ipſius, ab illo *ad infernum in profundum laci* † detractus; ibi patitur cum infamiâ: ſed Chriſtianus qui patitur cum innocentiâ, patitur cum honore: noli igitur ampliùs dicere, quòd hæc injuria tibi non videretur ita gravis, ſi id quod dicitur de te, conſonum eſſet veritati, ſi vis pati ut Chriſtiana, & exemplo S. Stephani, quem invidia reddidit Martyrem Jeſu Chriſti.

u Levit. 24.14 — x Act 7. 58 — y Matth. 5.10 — z S. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34 — † Iſai. 14. 15. &c.

II. Pars.

Secunda convenientia, quæ honorat S. Stephanum glorioſâ ſimilitudine cum Domino ſuo, eſt, Quòd ſicut Ieſus Chriſtus fuit Martyr ſui Patris æterni, teſtans & obſignans Sanguine ſuo veritatem eſſe illius, *Qui eſt Teſtis fidelis in Sanguine ſuo* a: ſic etiam S. Stephanus fuit Martyr Ieſu Chriſti, teſtificans gloriam ejus, illamque ſuo ſanguine obſignans, *Et ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum* b. Duplex datur genus teſtium. Alii confitentur quidem veritatem, ſed illam non ſuſtinent. Alii verò non ſolum deponunt veritatem, ſed etiam parati ſunt ſuſtinere omne genus tormentorum pro tuendâ veritate, quam ſunt confeſſi; propterea Iudices jam auditos teſtes audiunt denuò, ut advertant num futuri ſint conſtantes in affirmandâ eâdem veritate, quam priùs depoſuerunt: atqui perfectus teſtis non ſolùm debet ſincerè deponere veritatem, ſed etiam debet eſſe conſtans in ſuſtinendâ veritate à ſe propoſitâ: Ieſus Chriſtus fuit *Teſtis fidelis* Patris ſui; audacter publicavit magnitudinem atque fœcunditatem ejus, affirmans quòd ipſe eſſet Filius ejus legitimus, coram Præſide Pilato, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati* c. Imò verò cùm antè interrogans ipſum ſuper hunc articulum *Princeps Sacerdotum, ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei: dicit illi Ieſus, Tu dixiſti.* Hæc autem libertas procuravit ipſi mortem: Nam confeſtim ac ipſe immediatè pòſt ſubdidit, *Veruntamen dico vobis, Amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli: tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua,*

a Apoc. 1. 5 — b Act. 7. 56. & 59 — c Joan. 18. 37

dicens, Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis d. Nec tacebit donec perfunctus fuerit perfecti Teſtis muniis, moriendo pro confeſſione veritatis. S. Stephanus verus diſcipulus Calvariæ altâ voce prædicat Iudæis veritates Evangelicas, eiſque exprobrat duritiem ipſorum ac malitiam, *Durâ cervice e & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de adventu Iuſti f, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis* g. Id eſt, *Quia cum traditore ejus fraudulenter de ejus morte turpiſſimâ tractaſtis* h, *& per manus militum feciſtis crucifigi eundem* i. *O quanta fuit hujus ſancti Viri conſtantia, quanta fidei fortitudo, quantus ardor amoris, quanta promptitudo ad moriendum pro Chriſto, quantus zelus juſtitiæ, quanta ſecuritas atque tranquillitas mentis,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. Et licet Textus dicat, quòd *audientes hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum:* ipſe tamen, *cùm eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magnâ, continuerunt aures ſuas.* Id eſt, ut ait idem Carthuſianus, *Ne verba ſuâ æſtimatione blaſphema audirent, zelum Dei ſe habere ſimulantes, ejuſque injuriam quaſi perpeti non valentes: ſed ipſi tanquam ſibi ſalſitatis obſtruxerunt eas veritati tam ſublimi ac ſanctæ. Et impetum fecerunt unanimiter in eum. Id eſt, pari malitiâ. Non enim ex charitate, ſed ex infidelitate unanimitas illa proceſſit.* Perfectus iſte Teſtis non ſiſtit ibi propter violentias ſibi irrogatas ad hoc ut taceat; ſed proprio ſanguine vult obſignare veritatem, quam annunciat. Inimici autem ejus non valentes ſuſtinere libertatem loquendi illius, quâ ipſis propriam exprobrabat perfidiam & infidelitatem, *ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* Ibi autem mortuus eſt Martyr Ieſu Chriſti, ſicut Ieſus Chriſtus Martyr fuerat ſui Patris æterni: & quemadmodum *Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, extra portam paſſus eſt* l: ita S. Stephanus *extra civitatem* lapidatus eſt. Eximiam S. Leo m rationem affert, quare Chriſtus mori voluerit extra Ieruſalem, dicens, *Siquidem Paſcha noſtrum, ut ait Apoſtolus* n, *immolatus eſt Chriſtus, qui ſe novum & verum reconciliationis Sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec intra ſepta civitatis, ob meritum ſui ſceleris diruenda* o, *ſed foris & extra caſtra crucifixus eſt, ut veterum victimarum ceſſante myſterio, nova Hoſtia novo imponeretur altari: & Crux Chriſti, non templi eſſet ara, ſed mundi.* S. Stephanus ad imitationem Domini ſui *extra civitatem* lapidibus obrutus eſt: hanc autem circumſtantiam permiſit Deus in morte illius, ut elevaret gloriam martyrii ejus (ipſe enim erat victima nimis ſancta, ut occideretur in civitate ita abominabili) & ut animarentur omnes fideles ad hoc ut eſſent conſtantes in confeſſione fidei, ad exemplum S. Stephani, qui tantâ moriebatur conſtantiâ propter cauſam Ieſu Chriſti. Deus, inquam, permiſit iſtam mortem *extra civitatem*, ut illa foret nota omnibus fidelibus, & univerſæ Eccleſiæ; proponens eum ut exemplum & prototypon fidelitatis atque conſtantiæ, ut ille fieret *ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus* p.

d Matth. 26.65. &c. — e ex Deut. 31.27 — f ex 2. Paral. 24. 22. & ex Matth. 23 35 — g Act. 7 51. &c. — h ex Matth 26.15 — i ex Matth. 27.1 &c. — k Dion. Carth. art. 7. in Act. 7.52. &c. — l Hebr. 13. 12 — m S. Leo ſerm. 8 de Paſſ. c. 5 — n Ex 1. Cor. 5.7 — o Ex Luc. 19.44 — p 1. Cor. 4. 9

In hoc glorioſo Martyre impletum fuit deſide-

rium Chriſti dicentis, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* q. Super quod ait Hugo Cardinalis r, *Non orat ut non veniat, ſed ut tranſeat, ita quòd in diſcipulis ſuis tranſeat, non remaneat per mortem.* Quaſi diceret, quod ſicut ipſe mortem conſtanter & voluntariè perferebat; ita deſiderabat ut diſcipuli & Martyres ſui, qui poſt ipſum eſſent venturi, conformantes ſe voluntati ipſius, inſtructi exemplo ipſius, conſtanter & voluntariè morerentur pro tuendâ fidei causâ. Hoc ſentire videtur S. Hilarius ſ, cùm ait, *Interrogo eos qui hoc ita exiſtimant, an ratione ſubſiſtat, ut mortem timuerit: qui omnem ab Apoſtolis timorem mortis propellens, ad gloriam eos ſit martyrii adhortatus, dicens: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus* t. Iſtud eſt quod commendat excellentiam martyrii S. Stephani, cùm verum ſit iſtud Evangelicum u, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Propterea *Paulus vocatus Apoſtolus* x ſimpliciter, ſtatim ac inſcriptus fuit catalogo illorum, qui *digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati* y, vocatur *Paulus vinctus Chriſti Ieſu* z, *Vinctus in Domino* a. In quo præfert ipſe glorioſum nomen martyrii qualitati apoſtolatus. Eodem ſe gerebat S. Paulus modo, quo procedunt viri nobiles, qui ſe vocant Barones, Comites, Marchiones; ſed confeſtim ac Duces evaſerunt, illi primi tituli ceſſant: à ſe vocabatur S. Paulus, *Prædicator, Apoſtolus, Doctor Gentium* b. Sed ſtatim ac cœpit exercere ſe *in paſſionibus*, & adimplere *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne* † ſuâ, factus particeps crucis ejus, de hâc ſolâ cruce gloriatur, *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* c. Et vult vocari *Paulus vinctus Chriſti Ieſu* d.

q Matth. 26.39
r Hugo Card. in Matth. 26. 39
ſ S. Hilar. lib. 10. de Trinit.
t Matth. 10. 38
u Joan. 15. 13
x Rom. 1. 1
y Act. 5. 41
z Epheſ. 3. 1
a Epheſ. 4. 1.
b 1. Tim. 2. 7
† Coloſſ. 1. 24
c Galat. 6. 14
d Philem. V. 1.

Magnis remunerari Reges ſolent præmiis milites & Duces exercituum ſuorum, qui in oppugnatione civitatis, capite depreſſo primi invaſerunt hoſtes, aſcenderunt mœnia, aut tranſierunt per labefactionem lanceis & haſtis quaſi hirſutam, & tormentis bellicis circumcinctam, ut accidit Joab Præpoſito generali exercituum Regis Davidis, *Aſcendit igitur primus Ioab filius Sarviæ, & factus eſt Princeps* e. Idem contigit S. Stephano, qui in oppugnatione cœleſtis Jeruſalem primo impetu irruit in hoſtes ſuos, fundendo ſanguinem ſuum, & ideò meritò coronatus eſt, cùm nomen ejus, Stephanus, nonniſi coronam ſignificet, S. Stephanus *aſcendit igitur primus, & factus eſt Princeps* Martyrum, præbens eis exemplum perpetiendi martyrii imitatione, ſicut ipſe exemplo Domini ſui adhærens, martyrium paſſus eſt.

e 1. Par. 11. 6

Cùm *ingreſſi ſunt filii Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eorum & lævâ* f: & fuit illis *in mari rubro via ſine impedimento* g: obſervat Genebrardus *h*, quòd Aminadab Dux tribus Juda primus ſeſe expoſuerit aggrediendo itineri, quod aquæ diviſæ maris rubri aperuerant, & quòd propter eximium opus iſtud, ſceptrum & diadema data fuerint poſteritati ipſius, & quòd ex illo egreſſi fuerint omnes Reges Iuda i, *Aminadab autem dicitur fuiſſe de exeuntibus, ac unus de primis mare ingreſſus poſt Moſen cum filio Nahaſſone, & paulò pòſt mortuus.* Martyrium eſt quaſi mare rubrum ſanguinis, quem Martyres effundunt propter nomen Ieſu Chriſti: S. Stephanus, ut alter Aminadab, exiturus ex Ægypto hujus mundi, primus expoſuit ſe mari rubro martyrii, ut cauſam Ieſu Chriſti amplecteretur: & ſic alii Martyres incitati ſunt ad faciendum idem quod ipſe egit, ad exemplum ipſius, & ſic effectus eſt Protomartyr, ſeu Princeps Martyrum *tertio Auguſti, feria quartâ, adoleſcente Paulo Gamalielis diſcipulo, cuſtodiente veſtes lapidantium, ac conſentiente neci ejus*, ait Chriſtianus Adrichomius *.

f Exod. 14. 22
g Sap. 19. 7
h Genebrard. lib. 1 Chronol. ætat. 3
i Ex Num. 1. 4. & 7
* Chriſtiā. Adrich. in Theat. Terræ S. & Biblic. Hiſtor. anno Chriſti 34

Cervi habent caput ſic elevatum & ita grave ob cornua ſua, ut trajecturi natando fluvium aliquem rapidum, eligant ſuo modo aliquem inter ſe fortiſſimum, quem conſtituunt primum, cujus dorſo innititur caput ſecundi, & altius dorſo caput tertii, & ſic de reliquis, & ita facilè flumen tranant; primus cervus repræſentat S. Stephanum, qui videns difficultatem tranandi fluvii rapidi & ſanguinolenti martyrii, primus aquis illius ſe exponit ut omnium fortiſſimus, *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine* †. *Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant* *. Hujus dorſo innixus eſt S. Iacobus, *Herodes Rex occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio* k. Et ſic alii Martyres ſucceſſivè innixi dorſo hujus cervi tranſierunt *per aquam* l Martyrii.

† Act. 6. 8
* Act. 7. 58
k Act. 12. 2
l Pſ. 65. 12

Sed dicet mihi aliquis, Numquid non Scriptura meminit aliquorum, qui martyrium pertulerunt ante S. Stephanum? In Lege naturæ, *Conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* m. Et iſtum inter Patriarchas. Inter Sacerdotes Legis ſcriptæ, Ad imperium Saulis *converſus Doëg Idumæus, irruit in Sacerdotes, & trucidavit octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo* n, inter quos erat magnus Sacerdos Achimelech. Inter Prophetas, *Ioas Rex interfecit* Zachariam *filium* o Ioiadæ. Imò in Lege Evangelicâ, *Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà* p. Et alter *Herodes Ioannis Baptiſtæ, miſſo ſpeculatore, præcepit afferri caput, & decollavit eum in carcere* q. Omnes illi martyrio coronati fuerunt ante S. Stephanū: quare igitur iſte vocatur Protomartyr? Primò, Quia primus martyrium paſſus eſt poſt mortem Ieſu Chriſti. Secundò, Quoniam mortuus eſt pro confeſſione Fidei Evangelicæ, quod Innocentes, & S. Ioannes Baptiſta non fecerunt: præterquam quòd cùm Martyr, Græcè idem ſit ac Teſtis Latinè, cùm ipſe primus teſtimonium Fidei noſtræ perhibuerit ſanguine ſuo, jure merito vocatur Protomartyr. Tertiò, Quia exiens ex hoc mundo, invenit *cœlos apertos* †. Innocentes enim, & S. Ioannes Baptiſta morientes non ſtatim iverunt ad cœlos, qui nondum erant aperti, ſed deſcenderunt ad lymbum: at S. Stephanus ſtatim poſt martyrium ſuum conſecutus eſt coronam gloriæ, edocens nos, quòd certiſſima via conſequendo cœlo opportuna eſt via martyrii.

m Gen. 4. 8
n 1. Reg. 22. 18
o 2. Par. 24. 22
p Matth. 2. 16
q Marc. 6. 21. &c.
† Act. 7. 56

Conformiter ad hoc Ethnici commenti ſunt, Mercurium inſtitutum fuiſſe à Diis ut eſſet nuntius & interpres voluntatum ſuarum hominibus; propterea ſtatua ejus erat poſita in magnis itineribus ſuper acervo lapidum, unde ipſe digito prætereuntibus viam demonſtrabat. Fabula eſt, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes* r. Veritas tamen eſt, quòd iſtud officium commiſſum eſt S. Stephano, qui collocatus ſuper acervo lapidum, ſeu, ut meliùs dicam, qui grandine lapidum obrutus, digito demonſtrat viam gloriæ, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* ſ.

r Pſ. 118. 85
ſ Act. 14. 21

Volente populo Iſraël lapidibus impetere Moyſen, ipſe fugit, ut ait Hugo Cardinalis t poſt Scriptu-

t Hugo Card. in Num. 16. 41. &c.

Digitized by Google

Scripturam, *Murmuravit populus contra Moyſen & Aaron, volens eos lapidare: ſed ipſi fugerunt ad tabernaculum.* Quare hoc? Si enim ita glorioſum eſt mori pro Deo, quare oblatâ ſibi occaſione ita opportunâ Moyſes *ad tabernaculum* ſe recepit? & è contrà S. Stephanus videns inimicos ſuos lapidibus in ſe projiciendis inſtructos, procedit illis obviàm, nedum fugiat, & mortem æquanimiter amplectitur? Ratio illius diſparitatis eſt, quia tempore Moyſis, cœli non erant aperti, ideò ipſe timebat mori, quia ſic docere non potuiſſet homines, quòd via certa dirigens ad cœlum eſſet martyrium: ſed S. Stephanus moritur hilariter, ideò Deus aperit illi cœlos, cùm jam jam eſt lapidandus, *Ecce video cœlos apertos*, &c. Hic obiter obſervo, cœlorum Scripturam meminiſſe bis apertorum. Primò, Statim ac fuit *baptizatus Ieſus, ecce aperti ſunt ei cœli* u. Secundò, Aſſerit ipſa *cœlos apertos*, cùm lapidandus erat S. Stephanus: quod non vacat à myſterio. Sicut enim *quis renatus ex aquâ & Spiritu ſancto, in Regnum Dei* x introit, ſi moriatur ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſmum, qui illud ipſi aperit: ita quis baptizatus ſanguine ſuo, quod eſt ſpecies ſecundi baptiſmi, ſtatim invenit *cœlos apertos*. Et quia S. Stephanus fuit primus Martyr, ideò voluit Deus ut videret *cœlos apertos* tempore Martyrii ſui, ut oſtenderet efficaciam martyrii, & ut animaret fideles ad perferendam libenter mortem pro confeſſione fidei, cùm per crucem perveniatur ad gloriam, ut repræſentatum fuit illi, ſicut & repræſentatur nobis, per illam, quam fratris ſui Eſau perſecutionem fugiens, & in Meſopotamiam pergens *Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam: & Dominum innixum ſcalæ* y. Hæc eſt ſcala crucis & martyrii, per quam aſcendunt & deſcendunt, non Angeli, qui non ſunt corporei, ſed puri ſpiritus; ſed homines Angelici, qui deſcendunt per tormenta & ſupplicia, & aſcendunt ad æternitatem, & ad gloriam: Deſcendunt ſecundùm corpus in ſepulchrum, & aſcendunt ſecundùm animam in paradiſum. S. Stephanus vidit hanc ſcalam, non ſolùm habens caput ſuum innixum lapidi, ut Iacob, ſed totum corpus ſuum repetitis lapidum ictibus diſciſſum. *Iacob vidit Dominum innixum ſcalæ.* S. Stephanus autem vidit illum in faſtigio ſui martyrii. *Vidit Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Patriarcha iſte dicebat, *Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Noſter verò Protomartyr, *Ecce video cœlos apertos.*

[u Matth. 3.16]
[x Joan. 3. 5]
[y Gen. 28. 10. &c.]

Dicunt Medici quòd viſio fit mediis duobus nervis, quos vocant Opticos, qui deſcendentes è cerebro in formam crucis antequàm ingrediantur oculos, faciunt viſum; pari modo ſicut viſio fit interventu crucis, ita frui non poſſimus viſione gloriæ beatificæ niſi beneficio crucis, inſtar S. Stephani. Et in Canticis z refertur, *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: mediâ charitate conſtravit.* Thronus iſte repræſentat gloriam cœleſtem & æternam, ſicut lignum Libani eſt incorruptibile, reclinatorium ejus denotat quietem ſempiternam & glorificationem animæ: quatuor columnæ argenteæ innuunt quatuor dotes corporis glorioſi: aſcenſus verò purpureus ſignificat, quòd ſcala per quam aſcenditur ad hunc thronum, eſt rubra, irrigata ſanguine Martyrum, interventu charitatis: ſudandum eſt igitur, & laborandum, ut perveniatur ad hunc thronum gloriæ per ſcalam crucis & paſſionum.

[z Cant. 3. 9. & 10]

Alias quædam matres ſuis non porrigebant jentaculum filiis niſi ea conditione, ut fruſtum panis, quod ipſæ ſuper perticâ collocabant, prius illi excuterent, ſi comedere vellent: Ieſus Chriſtus conſtituit panem gloriæ ſuper perticâ crucis, & vult ut illum excutiamus ictibus repetitis, ſi eo frui velimus, & ut imitemur S. Stephanum, qui lapidum ictibus impetitus, hunc panem excutit, & glorioſè abripit, ſuſcipiens coronam gloriæ ſimul cum coronâ martyrii conformiter ad nomen ſuum, quod ſignificat coronam. Super quod obſervabitis, quod in ludis Olympiacis Veteres inſtituerant Præſidem, qui poſitus in extremis carceribus, palmam ſurſum elevatam manu tenebat, ut illius aſpectus adderet animos illis qui ſperabant in illis victoriam ſe relaturos, æquè ac prædictam palmam conſecuturos: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe* a. Hoc exercetur in curſu & ſtadio vitæ noſtræ, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ait Iob b. Et S. Paulus, *Neſcitis quòd ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* Ieſus Chriſtus eſt in fine ſtadii, habens præ manibus ſuis palmam gloriæ, id eſt, *coronam incorruptam* c. Ut inducat nos ad perfungendum muniis noſtris, intuitu illius, *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus* d. Aſpectus hujus gloriæ animabat S. Stephanum, & eum inducebat ad ſublevandos ſurſùm oculos, *Intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* †. Hoc innuit, quòd quandiu oculos habemus terrenis alligatos, impoſſibile eſt ut unum habeamus oculum in cœlum, & alterum in terram; ut immergamus nos terreſtribus, voluptatibus indulgeamus, & cogitemus nos perventuros in cœlum per viam deliciarum: carpenda eſt igitur via crucis, & martyrii, quam ſecutus eſt S. Stephanus. Sed ſi S. Stephanus Martyr fuit Ieſu Chriſti, ſinite, ſi placet, Auditores, ut hodiernâ die à vobis efflagitem, cujuſnam ſitis vos martyres. Non auſim dicere, quòd martyres ſitis Ieſu Chriſti, ſicut illius fuit Martyr S. Stephanus: actiones veſtræ detraherent iſti fidei: non enim video quod præ vobis feratis teſtimonium Ieſu Chriſti, nec effectus verorum Chriſtianorum. Quibuſnam conſecratis corda veſtra, cogitationes veſtras, actiones veſtras, & verba veſtra? Sanè vanitati, impuritatibus, & detractionibus, quæ damnantur à Ieſu Chriſto ut ſculptilia ab ipſius Lege e prohibita: non eſtis igitur martyres Ieſu Chriſti, ſed diaboli, vos, inquam, qui deſcenditis in arenam initum ſingulare certamen cum inimicis veſtris, ut illis fauces præcidatis, ſi per vos ſtet: non enim eritis martyres Jeſu Chriſti, ſi in hâc infortunatâ occaſione moriamini. Pari modo, Dominæ meæ, quæ immodicè ſupra ſtatum veſtræ conditionis ornatis vos eo fine ut amorem pravum accendatis in cordibus amaſiorum veſtrorum, &, quòd pejus eſt, quæ fortè proſtituitis vos, & adulteria perpetratis, non eſtis martyres Ieſu Chriſti, ſed diaboli.

[a Jacob. 1. 12]
[b Job 7. 1]
[c 1. Cor. 9. 24. & 25]
[d Apoc. 3. 21]
[† Act. 7. 55. & 56]
[e Exod. 20. 3. &c.]

III. Pars.

Tertia circumſtantia, per quam Ieſus Chriſtus voluit reddere martyrium S. Stephani ſimile ſuo, eſt, quòd ſicut ipſe cruci ſuffixus, Patrem ſuum exoravit pro illis qui ipſum crucifigendum ſategerant, æquè ac pro illis qui ipſum patibulo affixerant, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* f: ita S. Stephanus deprecatus eſt Deum pro illis qui ipſum lapidibus impetebant, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Dei Filius ſic Patrem ſuum orat pro inimicis ſuis, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*: Hæc oratio offertur Deo præſertim pro Prædeſtinatis. hæc enim oratio duas habet partes. Prima eſt, *Pater, dimitte illis.* Secunda eſt, *Non enim ſciunt quid faciunt.* Omnes participant quidem primam, ſed non ſecundam: eſt enim propria Iudæis. Ieſus Chriſtus Patrem ſuum orat, ut illis dimittat, eò quòd neſciant quid agant; re autem verà Chriſto mortem inferendam procuraverunt, quia illum non cognoſcebant: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* g. Hæc oratio non poteſt applicari Chriſtianis, quia ſciunt quid agant cum offendunt Deum. Hic avarus non ignorat, quòd omnes contractus ſui ſunt fœneratorii: Mercator iſte qui in obſcuritate officinæ ſuæ vendit unam mercem pro aliâ, ſcit apprimè quid agat, & ideò quòd ipſe, ſicut & alius ſint *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* h. Non ſolùm autem Ieſus Chriſtus pro ſuis orat inimicis, imò verò interrumpit ipſe ſacrificium hoc cruentum, per quod debebat operari *ſalutem in medio terræ* i, ut cogitaret de inimicis ſuis: antequàm enim Patris ſui commendaret *in manus ſpiritum* k ſuum, obtulit ei preces ſuas pro inimicis ſuis, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Sicut enim erat ipſe Magiſter perfectiſſimus, voluit ipſemet exercere id, quod docuit. Sic ſi præcepit ipſe nobis jejunium per ſuum Prophetam l, *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio*: illud ipſe exercuit, *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* m. Si hortatur nos ad praxim humilitatis, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde* n; doctrinam ſuam propriâ praxi confirmat, *Humiliavit ſemetipſum* o. Si jubet nobis, *Diligite inimicos veſtros* p: hoc idem ipſe exequitur, memoratus quòd ipſe aliàs præcepiſſet, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſùm te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum* q. Ideò hoc idem ipſe exercet, interrumpens ſacrificium ſuum, ut veniam petat pro inimicis ſuis. Idem etiam peragit S. Stephanus: eo enim ipſo quo noſtrorum nos obliviſcimur amicorum, ille ſuorum recordabatur inimicorũ, ait S. Maximus r, *Videte affectum beati Viri: videte magnam & admirabilem charitatem. In perſecutione poſitus erat, & pro perſecutoribus ſupplicabat: atque in illâ lapidum nimâ, quando alius obliviſci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille Domino commendabat inimicos.* Non ut ultionem expeteret, ſed ut veniam pro illis efflagitaret, & ſicut perfectus diſcipulus Ieſu Chriſti, omnem affectum vindictæ extinguit, eumque in ſacrificium offert Deo gratius, quam eſſet illi ſacrificium vitæ ſuæ: antequàm enim Textus dicat de eo, *Obdormivit in Domino*. præmittit hanc illius orationem in gratiam inimicorum ſuorum, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Ecce quomodo S. Stephanus glorificat Dominum ſuum morte ſua, ſeque ſimilem ei reddit imitatione earundem virtutum quas exercet in morte ſuâ.

Petens a Deo *Moyſes, Oſtende mihi faciem tuam, oſtende mihi gloriam tuam*, hoc accepit duntaxat privilegium ut humeros illius videret, *Ecce, inquit, ſtabis ſupra petram: cùmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea* ſ. At S. Stephanus lapidibus impetendus, *intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* †. Si lapis contra lapidem collidatur, ex illâ colliſione oritur ignis: S. Stephanus erat lapis conſtantiæ, collocandus inter fundamenta Eccleſiæ: non eſt ergo mirum in perpetiendo martyrium pro causâ Domini ſui, qui ſuis parcit inimicis, & lapidibus materialibus percutientibus hunc lapidem myſticum, inde exeant ſcintillæ ignis amoris & charitatis erga inimicos ſuos; & ſi Ieſu Chriſto dicente, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* t: S. Stephanus ad imitationem illius dicat, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Videtur Iſaias u de illo dixiſſe hæc verba, *Iſte in excelſis habitabit, & munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Jubal & Tubalcain erant duo fratres, ſed affectibus valdè differentes, ut ait Scriptura x, *Iubal fuit Pater canentium citharâ & organo: Tubalcain fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Atqui quandiu iſte percutiebat ferrum & incudem, ille concinebat ſuaviter: iſti duo fratres repræſentant nobis Synagogam & Eccleſiam duas ſorores germanas, ſed affectibus ita differentes, ut quandiu illa non reſpirat niſi reduplicare ſuper corpora fidelium quaſi ſuper incudes ictus malleorum per cruces, tormenta, & ſupplicia; ita concinat ſuaviter hæc verba S. Stephani, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Judæi *duræ cervice, & incircumciſi cordibus* y, quorum nimirum erat induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* z ſtrictum, recurrebant ad lapides adverſùs S. Stephanum, *Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant*: S. Stephanus autem recurrebat ad orationem, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cùm haberet cor ſuave & mite, & tanquam bonus diſcipulus illud exequeretur mandatum Magiſtri ſui, *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* a.

Appoſite locutus eſt Seneca b, cùm dixit, *Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus: utique ſi & provocavit. Non video, inquam, quid habeat Iuppiter in terris pulchrius, quàm ut ſpectet Catonem, jam partibus non ſemel fractis ſtantem nihilominùs inter ruinas publicas rectum.* Idem dicere poſſumus de S. Stephano, *Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, Vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus.* Nimirum *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine* c, adverſam experiens fortunam: id eſt, qui impetitur perſecutionibus, injuriis, calumniis, & falſis teſtimoniis ab inimicis, qui falſo zelo ducti non cogitant niſi de morte ipſi inferendâ; ipſe verò ad ſe defendendum non inſumit niſi Scripturam, veritatem, & patientiam, nec cogitat niſi de vitâ æternâ illis procurandâ: illi non reſpirant niſi fundere ipſius ſanguinem; ipſe verò concupiſcit illis ſalutem: illi recurrunt ad lapides; ut necem ipſi conſciſcant; ipſe verò alia non adhibet arma niſi charitatis, ut vitam illis

depre-

f Luc. 23. 34
g 1. Cor. 2. 8
h Hebr. 6. 6
i Pſ. 73. 12
k Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6
l Joel. 2. 12
m Matth. 4. 2
n Matth. 11. 29
o Philipp. 2. 8
p Matth. 5. 44
q Matth. 5. 24. & 25
r S. Maxim. Taurin. hom. in Natal. Steph.
ſ Exod. 33. 12. &c.
† Act. 7. 55. & 56
t Luc. 23. 34
u Iſai. 33. 16
x Gen. 4. 21. & 22
y Act. 7. 51. ex Deut. 9. 13
z Job 41. 15
a Joan. 13. 35
b Senec. lib. Quare bonis viris mala accidant. c. 2.
c Act. 6. 8. &c.

deprecetur impertiendam, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Redeamus ad id, quod dixi in principio diſcursûs iſtius, de diverſis intentionibus Eccleſiæ in celebratione feſtorum ad honorem Sanctorum. Dico igitur quòd præcipua intentio Eccleſiæ eſt, ut hortetur nos ad imitationem virtutum illorum, nobis proponens eas in exemplum, ut ipſa facit hodie in feſto S. Stephani, in quo declarat ipſa nobis intentionem ſuam in oratione Officij & Miſſæ illius, *Vt diſcamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum.* Chriſtiane, imitariſne S. Stephanum? oraſne pro inimicis tuis? poteſne recuſare eis veniam, videns hunc Sanctum orantem pro lapidantibus ſe? Non propono tibi exemplum Dei: diceres enim mihi, quòd actiones ejus ſunt admirabiles, & non imitabiles: ſed propono tibi virum, qui eoſdem habebat affectus, quos tu habes, ſed qui illos ſacrificat, ut honoret martyrium Domini ſui, ſeque ei conſecret. Nonne deplorabile eſt viſu homines qui profitentur Chriſtianiſmum, & qui tamen cuſtodiunt odia irreconciliabilia? & quòd dicatur? Illa domus nunquam fuit iſti domui amica. Noſtris tamen tenemur inimicis parcere: dilectio enim inimicorum non eſt conſilium, ſed præceptum, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros* d.

d Matth. 5.44.

Sed dicet mihi aliquis, Ignoſco inimico meo, ſed non poſſum illum videre, occurſus illius interturbat me. Si autem Deus tibi idem diceret, Ignoſco tibi, ſed nunquam videbis faciem meam, quid ageretur de te? Alius dicet, Patiar quidem videre inimicum meum, ſed in hoc vincere non poſſum naturam meam ut illum alloquar, ut eum frequentem, & cum illo converſer. Si verò Deus tibi diceret, Parco tibi, ſed nunquam particeps eris Regni mei, nunquam ſocietatem habebis mecum, aut cum eſſentia mea: velleſne hæc verba audire ex ore Dei? Ignoſcite igitur, Auditores, inimicis veſtris, reconciliamini eis ad exemplum S. Stephani, & ad imitationem Domini veſtri, & nolite hanc actionem difficultate prætexere: non me latet quòd hoc opus nō ſit effectus naturæ, quæ nos inducit ad vindictam, ſed gratiæ, quam Jeſus Chriſtus eſt nobis meritus; ſufficit ut illâ nobis applicemus, & tunc facilè poterimus hoc auxilio ſupernaturali fulti id, quod deſperabamus nos acturos ſolis naturæ viribus adjutos, ita ut dicere poſſimus ſinguli, *Omnia poſſum in eo qui me confortat* e: S. Stephanus ſuis non pepercit inimicis hoc ſolo naturali auxilio, ſed ope ſupernaturali fretus, *Stephanus autem plenus gratiâ* f.

e Philip. 4.13.
f Act. 6. 8.

Duplex eſt genus Martyrum. Alij ſunt Martyres pro fide. Alij ſunt Martyres pro charitate. Martyres pro fide ſunt illi, qui moriuntur pro veritate Evangelij. Omnes Chriſtiani iſto duci debent affectu; ideò cùm legitur Evangelium, ſtamus; propter eundē finem Equites Melitenſes diſtrictum prę manibus tunc tenent gladium, proteſtantes hàc actione ſe eſſe paratos ad effundendum ſanguinē ſuum pro causâ Evangelij tuenda. Martyres charitatis ſunt illi, qui moriuntur pro adimplendis ijs quæ exarata ſunt ſcriptis in Evangelio; pauci tamen inveniuntur, etiamſi obligatio ſit univerſalis. Nobis præcipit Evangelium g ut diligamus *inimicos* noſtros, mori potiùs debemus quàm mandatum iſtud præterire: Deus ſuum præbuit Sanguinem ut iſtam nobis facilem redderet actionem, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus* h. Sanguis iſte, cujus intuitu *petræ ſciſſæ ſunt* i, nonne diſcindet hæc corda marmorea? Sanguis iſte qui conjunxit cœlum & terram, *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* k? nunquid non uniet Chriſtianos? Nonne Sanguis iſte, quo *monumenta aperta ſunt* l, aperiet corda noſtra ad reconciliationem, ad ſuſcipiendam *gratiam, & gloriam* m?

g Matth. 5.44.
h Rom. 5. 10.
i Matth. 27.51.
k Coloſſ. 1.20.
l Matth. 27.52.
m Pſ. 83. 12.

IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus. Joan. 21, 20.

QUàmvis feſta ſemetipſa ſequantur, ipſa tamen non ſunt ſimilia. Heſternâ die celebrabamus feſtum glorioſi Martyris S. Stephani, qui primus mortuus eſt pro gloria Domini ſui, & pro confeſſione veritatis Evangelicæ: hodiernâ verò die colimus ſolemnitatem S. Joannis Evangeliſtæ dilecti Jeſu, qui mortuus eſt dilectione: Eccleſia rubeis erat heri inſignibus ornata, hodie verò candidis decoratur; ita verum eſt quòd feſta non ſint eadem, ſed differentia, & in hac illorum diverſitate proponit ipſa nobis excellentias & merita Sanctorum imitanda, ut animemur exemplo illorum ad praxim virtutis. Ipſa intuendum nobis exhibet hodie S. Joannem, qui propter merita & eximias ſuas qualitates meruit eſſe dilectus Jeſu. Temeritatis inſimularer jure merito, ſi diſcurrere vellem de hoc eximio Viro conformiter ad ipſius merita; ea ſunt nimis eminentia nedum debitè exprimantur: non me latet etiam, quòd ſilendo, ingratitudinis ego arguerer, & virtuti ſuffurarer præcipuam ipſius mercedem: contendam tamen non depravare diſcurſu meo id, quo digne pertingi non poſſum ratione impotentiæ meæ, locuturus vobis de amore, quo Virum ita charum dilexit Dei Filius. B. Virgo, *Mater pulchra dilectionis* a, quæ fuit una è maximis probationibus dilectionis illius, data ei *Mater* b, impetrabit nobis lumina cœli, ut de hoc filio ipſius adoptivo digne loquamur, ſi reverenter dicamus illi cum Angelo, *Ave Maria.*

a Eccli. 24.24.
b Jo. 19. 27.

Inter omnia infortunia, quæ à noſtro hæreditavimus Protoplaſto, iſtud primas ſibi partes vendicat, quo non ſolùm facti ſumus participes peccati ejus, quod criminoſos nos efficit priuſquàm natos, quippe *in quo omnes peccaverunt* c homines; ſed etiam ignorantiæ illius conſtituti ſumus hæredes: cùm enim nimis ſcire voluerit d, nos omnes fecit ignaros; & cùm aperuerit oculos magis quàm eſſet par, univerſos nos genuit cæcos. Infelix primus ille Parens! Si nunquam peccaſſet, cum

c Rom. 5. 12.
d Gen. 3. 5. & 6.

innocentia cuſtodiviſſet ſimul omnium rerum notitiam; inobedientia offudit caligine ſpecioſa ipſius lumina, producens tenebras, quæ noſtras obvolvunt adhuc mentes, ita ut non poſſimus cognoſcere res cum omnibus ipſarum proprietatibus & circumſtantijs: ſi autem cognoſcamus aliquid, illius notitiam non habeamus niſi per apparentias, aut effectus, ita ut ad hoc ut aliquid perfectè cognoſcatur, omnino ſit cognoſcendum ſic ut nihil illius cognitionem noſtram lateat: atqui inter omnia, quæ minùs cognoſcimus, collocare poſſumus amorem, etiamſi nobis ita ſit familiaris: ſi verò cognoſcere non poſſumus amorem humanum, minùs etiam cognoſcere poterimus Amorem divinum, qui Deus eſt, *Deus charitas eſt* e. [e 1. Jo. 4. 16.] Atqui natura Dei omnem ſuperat cognitionem, & univerſum creatæ mentis captum, *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* f. [f Jer. 32. 19.] Eſſet igitur temerarium velle includere in mentibus noſtris naturam ſic eximiam, quæ nullis coarctari poteſt limitibus, aut luminibus, *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus* g. [g Baruch 3. 25] Si autem ſcire poſſimus aliquid naturæ amoris Dei, hoc cognoſcimus ex illius effectibus, quos, etſi Deus communicet illos omnibus creaturis, majori tamen prærogativâ communicavit S. Joanni, quem dilexit Jeſus amore obligante, affligente, & remunerante. [Diviſio.] Iſtæ tres conditiones amoris Jeſu erga S. Joannem conſtituent tres diſcurſûs iſtius partes.

[I. Pars.] Prima conditio amoris Jeſu erga S. Joannem eſt, quòd fuerit obligans. Hæc eſt differentia inter amorem humanum, & amorem Divinum, quòd Divinus Amor eſt omnipotens, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra: in mari, & in omnibus abyſſis* h. [h Pſ. 134. 6.] Sed humanus amor non eſt potens niſi deſiderijs, ſed infirmus & impotens quantùm ad effectus: Magdalena voluiſſet quidem cùm *acceſſit ad* Dominum ſuum, *habens alabaſtrum unguenti, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis* i, [i Matth. 26. 7] ut unguentum pyxidis ſuæ fuiſſet pretioſiſſimum omnium odoramentorum, quæ inveniri potuiſſent in natura, ut ipſa ſuum magis commendaſſet amorem, ſed effectus non reſpondebat deſiderio ipſius, ita verum eſt quòd humanus amor non eſt potens niſi quantùm ad deſideria. Sed non eſt ita loquendum de Amore divino, qui nihil vult quod ſtatim non communicet objecto amoris ſui. Amor iſte ſplenduit in perſona S. Joannis: primò enim Deus illum obligavit, præbens illi omnes gratias, & cuncta miniſteria, quæ communicaverat multis alijs Sanctis. Primò enim, Fuit Propheta, quod manifeſtè patet ex libro Apocalypſis, quẽ ſcripſit, in quo repræſentat ſtatum Eccleſiæ militantis, tam præſentem, quàm futurum cum omnibus eventibus. Secundò, Fuit Apoſtolus: Chriſtus enim *elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, Joannem* k. [k Luc. 6. 13. & 14.] Fuit enim adhibitus ad prædicandum Evangelium nationibus, *Hos duodecim miſit Jeſus: præcipiens eis, Euntes prædicate dicentes, Quia appropinquavit Regnum cælorum* l. [l Matth. 10. 5. &c.] Tertiò, Fuit Evangeliſta: ſcripſit enim unum è quatuor Evangelijs, in quo altiſſimè omnium locutus eſt: ita enim fuit illuminatus, ut penetraverit uſque ad ſinum Patris æterni: omnes alij Evangeliſtæ non diſſerunt niſi de generatione temporali Jeſu Chriſti, ipſe verò ut confunderet hæreticos, Carpocraten, Cerinthum, & Ebionem, qui dicebant, quòd Jeſus Chriſtus eſſet pura creatura, Filius Joſeph & Mariæ, more aliorum hominum, ut recenſet S. Irenæus m: [m S. Iren. l. 1. adv. Hæreſ. c. 24. 25. & 26.] deſcripſit æternam Verbi generationem, & omnia myſteria quæ nos edocent Divinitatem ejus, æquè ac incarnationem, *In principio erat Verbum, &c. Et Verbum caro factum eſt* n. [n Jo. 1. 1. &c.] Tandem, Doctor fuit, ſed ita eximius, ut non ſolùm docuerit homines, ſed etiam Angelos: Origenes o enim docet, Angelos didiciſſe à S. Joanne myſteria, quæ prius ignorabant, [o Orig. Hom. 22 in c. 3. Luc. circa fin.] *Scriptum eſt in Apocalypſi* p *Joannis, Angelo Epheſiorum Eccleſiæ ſcribe: Habeo aliquid contra te. Et rurſum: Angelo Eccleſiæ Pergami ſcribe: Habeo quippiam contra te. Certè homo eſt qui ſcribit Angelis, & aliquid præcipit.* [p ex Apoc. 2. 1. & 12.] Et S. Hippolytus q vocat S. *Joannem Theologum.* [q S. Hippol. orat. de Conſummat. mundi, & Antichr.] Ecce quomodo Jeſus Chriſtus obligavit S. Joannem, communicans ei omnia privilegia, & omnia miniſteria, quæ diſtribuerat alijs Sanctis. Iſtam verò nos edocet Eccleſia veritatem: in Miſſa enim quam ipſa celebrat hodie, conſiderat illum ut Apoſtolum, Doctorem, Martyrem, & Evangeliſtam. Introitus eſt idem qui dicitur in Miſſis Doctorum r, Offertorium Martyribus s eſt congruum: [r ex Eccli. 15. 5 s ex Pſ. 91. 13] Præfatio eſt communis Apoſtolis: Evangelium verò eſt idem quod ipſe ſcripſit, in quo de ſe loquens ipſe ait, *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc.*

Amor Jeſu erga S. Joannem fuit etiam obligans in eo, quòd ſicut ipſe eſt objectum *in quo* ſibi Pater æternus *benè* t complacet; [t Matth. 17. 5] ita ſubjectum amoris ſui & Divinæ ſuæ complacentiæ reddidit S. Joannem, qui ideò ſeipſum vocat *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.* Et ſicut ipſe *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* u, [u Jo. 1. 18] ab eo nunquam recedit: ita S. Joannes nunquam receſſit à Jeſu Chriſto, ſive in cœna, ubi *erat recumbens in ſinu Ieſu* x. [x Jo. 13. 23.] Sive in horto, ubi *Ieſus aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe* y. [y Matth. 26. 36. & 37.] Sive in monte Calvariâ, ubi ſtabat *juxta crucem Ieſu* z. [z Jo. 19 25.] Et ſicut Filius Dei in ſinu Patris ſui vitam ſuſcipiens a, [a Pſ. 2. 7.] ibi recipit amorem, & ibidem communicat amorem ſuum b [b Jo. 15 26.] dilectione reciprocâ: ita S. Joannes recumbens in ſinu Jeſu, ab eo haurit ardentem amorem. Tandem, Sicut Verbum ſuſcipit omnia ſua lumina in ſinu Patris ſui, fœcunditate intellectûs ipſius; ita & Jeſus communicat Dilecto ſuo notitiam altiſſimorum myſteriorum fidei noſtræ. Ecce quomodo S. Joannes dilectus fuit à Jeſu Chriſto amore obligante, & effectus eſt objectum Divinæ complacentiæ ejus.

Sed magis authenticum teſtimonium iſtius amoris obligantis Jeſu erga S. Joannem fuit communicatio ſecretorum ipſius. Quæritur ordinariè quænam ſit vera probatio amoris. Scio equidem quòd dicetur mihi, eam ſitam eſſe in exhibitione munerum. Ego autem dico, illam conſiſtere in communicatione ſecreti: ſic videmus, quòd uxor, quæ thorum conjugalem adulterio maculaverit, hanc infidelitatem viro ſuo non manifeſtabit, neque propinquo. Quare? Quia crimen hujuſmodi ſecretum eſt; ſed ſi ipſa habeat amicum, illud ei non celabit ipſa ſecretum: hoc modo S. Joannem dilexit Jeſus, *Erat ergo recumbens in ſinu Ieſu* c. [c Jo. 13 23.] Ubi fit particeps ſecretorum, & cogitationum ejus, & legit quidquid debebat illi contingere in progreſſu paſſionis & mortis ipſius d. [d Jo. c. 18 & 19] Sicut autem proprium amoris eſt aſſimilare, & Magdalenæ quærenti *in horto* e Dominũ ſuum, [e Jo. 19 41.] idem Dominus apparuit ut *hortulanus* f: [f Jo. 20 15.] & duobus *ex illis* peregrinis, qui *ibant ipſâ die in caſtellum Emmaus*, tanquam *peregrinus* g: [g Luc. 24 13. &c.] ita omnibus omnia fit Dei Filius, ait Clemens Alexandrinus h, [h Clem. Alex. l. 1 Pædag. c. 6] *Omnia eſt Dominus, ut nos eo fruamur, qui in ipſum credidimus.* Et, *Verbum eſt omnia infanti, & Pater, & Mater, & Pædagogus, & Altor.* Amor illum Puerum effecit diebus iſtis,

Puer

i Eccleſia ex Iſa. 9. 6. *Puer natus eſt nobis* i. Fortè ſcitis id quod recenſetur de Alcibiade, Principe eximio, quòd cùm curreret in ſtadio ſuper arundinem cruribus interjectâ cum filio ſuo, & ſic deprehenſus fuerit à Legatis currens cum filio ſuo, & puerum agens cum puero: amor paternus inducebat hunc patrem ad agendū puerum cum puero ſuo: Jeſus Chriſtus puerum agit cum S. Joanne, facit illum recumbere *in ſinu* ſuo, ibi blanditur ei, ſicut blandiri ſolent parentes liberis ſuis, & ibi communicat illi ſecreta ſua, *Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei, Domine quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit*
k Jo. 13. 25. & 26. *Iudæ Simonis, Iſcariotæ* k.

l Iſa. 6. 1. &c. Eximiam in templo habuit Iſaias *l* viſionem, *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciē ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Ita ut Iſaias videret ſolū cor Dei, amorem illius, aut effectus ejus. Et addit, *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Licèt autem Iſaias hanc magnam habuerit viſionem, eam tamen nobis non explicat: ſed S. Joannes nobis aperit id, quod penna Iſaiæ nobis texit. Docet nos æternam Verbi generationem repræſentatam per
m Jo. 1. 1 caput Dei, *In principio erat Verbum* m. Præthereà, Deſcribit nobis illius incarnationē figuratam per
n Jo. 1. 14. pedes, *Et Verbum caro factum eſt* n. Tandem, Oſtendit nobis myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum, & unitatis Eſſentiæ Divinæ, cùm ait, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, &*
o 1. Jo. 5. 7. *Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt* o. Et ad iſtas tres perſonas Divinas dirigitur hoc triſagion Iſaiæ, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Et ecce quomodo amor Jeſu erga S. Joannem fuit obligans, communicando ei omnia miniſteria, & omnia dona, quæ diſtribuit alijs Sanctis, faciendo eum objectum amoris ſui, ſicut ipſe Jeſus eſt objectum amoris Patris ſui; & communicando ei ſecreta ſua, quod eſt maximum amoris ſignum. Sed videamus quomodo amor iſte fuit affligens.

II. Pars. Amor Dei ſimilis eſt amori hominū, affligens eſt: nec enim poteſt quis aliquem amare ſine afflictione: ſic videmus quod pater qui ſuos diligit liberos, continuis vexatur inquietudinibus & timoribus ne moriantur, neve ſiniſtrum aliquod contingat illis infortunium, cùm certum ſit, amorem eſſe ſemen dolorum: ſic cùm diligitis amicum, affligimini: aut enim fidelis erit in amicitia, aut ingratus: utrùm autem è duobus accidat, affligemini, ſive timendo ne patiatur, ſive intuitu ingratitudinis ejus: dicite igitur cùm amatis aliquem, vos ſeminare dolores: pari modo Jeſus excipit S. Joannem, ſicut illum tenero diligit affectu, ita illum affligit: nam quemadmodum cor S. Joannis intimè erat unitum cordi Jeſu, ita & experiebatur id omne quod affligebat Jeſum, ita ut Jeſus non pertulerit aliquid, quod pari paſſione cor S. Joannis non pertulerit.

Triplex eſt genus Martyrum. Alij ſunt Martyres pro Chriſto. Alij Martyres in Chriſto. Alij verò Martyres a Chriſto. Conſidero S. Joannem in unoquoque ex iſtis ſtatibus. Primò enim, Paſſus eſt in perſona ſua pro gloria Jeſu Chriſti: exilium enim quod pertulit *in inſula, quæ appellatur*
p Apoc. 1. 9. *Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu* p,
q Eccleſia & *ferventis olei dolium*, in quod miſſus q eſt, ſatis iſtam probant veritatem. Martyr fuit in Chriſto,
r Jo. 19. 25. ſtans *juxta crucem Ieſu* r. Ubi patiebatur in corde ſuo, & in anima ſuâ tormenta, quæ effectivè affligebant corpus Jeſu. Plato qui inſtituebat ideas univerſales pro qualibet ſpecie, dicebat, quòd ſi prima idea eſſet ſenſibilis, omnes aliæ particulares dependentes ab ea eſſent etiam ſenſibiles: atqui amor facit in S. Joanne id, quod iſte Philoſophus volebat inſtituere in natura: nam S. Joannes, quem ſcimus fuiſſe *diſcipulum, quem diligebat Ieſus*, & perfectum tranſumptum hujus magni Prototypi nobis dati pro exemplo perfectionis à Patre di-
s Matth. 17. 5. cente, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* s; & ideæ primæ & viven-
t Jo. 1. 3. tis, per quam *omnia facta ſunt* t, debebat pariter eſſe ſenſibilis, & ſuſceptibilis omnium paſſionum Jeſu, qui ſeipſum reddiderat paſſibilem propter amorem hominum. Tandem, Martyr fuit a Chriſto: nam ſicut *privilegio amoris præcipui, cæteris altius à Domino meruit honorari*, ut concinit Eccleſia;
u Matth. 20. 23 ita Jeſus Chriſtus magis participare eum fecit *calicem* u ſuum, imprimendo cordi ejus omnia tormenta paſſionis ſuæ, ſed multò potentiùs quàm omnes carnifices potuiſſent unquam imprimere corpori illius. Philoſophia enim docet nos, quòd quando cauſa prima agit ſola, ipſa potentiùs agit quam cùm operatur mediis cauſis ſecundis, quia illæ infirmant virtutem ejus, & actionem illius debilitant: Jeſus Chriſtus igitur imprimens dolores ſuos cordi dilecti diſcipuli ſui, affligebat ipſum majori dolore, quàm ſi ipſum expoſuiſſet immaniſſimorum quorumcunque ſævitiæ tormentorum excruciandum. S. Joannes ergo glorioſiſſimus fuit Jeſu Chriſti Martyr, & multò honorabilius paſſus eſt, quam omnes alii, quia perpeſſus eſt manibus Amoris divini, qui eſt Amor affligens, cùm alij perpeſſi fuerint manibus carnificum, qui erant perſonæ infames. Eadem manus *quæ gloriâ*
x Pſ. 8. 6 *& honore* x coronat Sanctos ſuos, ipſa eſt quæ affligit S. Joannem, qui ſemetipſum propterea vocat *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.*

III. Pars. Vidimus hactenus amorem Jeſu obligantem, & affligentem erga S. Joannem, ſupereſt ut videamus illum remunerantem. Amor ut ſit perfectus debet eſſe remunerans, nec unquam melius talis eſt quam ipsâ mortis horâ, cùm homines priuſquàm ex hac vita diſcedant, de ſuis bonis diſponunt in gratiam illorum quos diligunt. Vos verò, Dominæ meæ, nolite credere quod viri veſtri vos diligant, quia adulantur vobis hoc verbo amoris, vel quoniam vobis blandiuntur, hæc omnia non ſunt niſi diſſimulationes, expectate ad horam mortis uſque, & tunc de amore illorum judicabitis. Atqui Jeſus Chriſtus antequàm moreretur, voluit dona facere, & diſponere de bonis ſuis in favorem S. Joannis, *quem diligebat* præ cæteris. Suam jam dederat Eccleſiam S. Petro, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*
y Matth. 16. 18. & 19. *Et tibi dabo claves Regni cælorum* y. Suum reſervabat commendare *ſpiritum* z, vel animam ſuam
z Luc. 23. 46. Patri ſuo: Corpus ſuum jam dederat *diſcipulis ſuis*, & in eorum perſona omnibus fidelibus, cùm ait,
a Matth. 26. 26 *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum* a. *Milites*
Pſ. 3. 6 *cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (&*
b Jo. 19. 23. *fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam* b. Sola ſupererat ipſi Mater ſua, quam poſſet dare: de ea igitur diſpoſuit in gratiam S. Joannis, *quem diligebat.* Non poterat illi dare aliquid pretioſius, nec mercedem ampliorem, quàm dando illi Genitricem ſuam, quæ erat Mater gra-

tiæ,

tiæ, & Mater Dei. Si verò minima gratia valet plus quàm omnia terrena, quanti æſtimare debemus eam quæ eſt tota *gratiâ plena* c, (c Luc. 1. 28.) quæque majores habet gratias ſola, quàm habeant omnes homines, & univerſi Angeli? S. Joannes fit filius adoptivus B. Virginis per hæc verba Jeſu, *Ecce Mater tua* d. (d Jo. 19. 27.) Non enim poterat eſſe filius ejus naturalis; B. Virgo adoptat illum pro filio ſuo, cùm ipſi *Ieſus dicit, Mulier, ecce filius tuus* e. (e Jo. 19. 26. & 27.) Non licebat aliàs mulieribus, ſecundum legem, adoptare, niſi in hoc caſu, quando incurrebant jacturam filiorum ſuorum in bello, aut alio quovis infortunio, ſuppoſitâ tamen licentiâ Principis: B. Virgo adoptat S. Joannem pro filio ſuo, quia ipſa amittebat Filium ſuum in cruce: habet ipſa authoritatem *à Ieſu Chriſto, qui eſt Princeps Regum terræ* f, (f Apoc. 1. 5.) qui ipſi *dicit, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.*

Si autem deſideretis ſcire quomodo id acciderit, audite eam ſic loquentem apud S. Birgittam g, (g S. Birg. l. 4. Revel. c. 70. notâ 6) *Plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines, & oculos, & barbam replentibus, ut quaſi mihi niſi Sanguis totum videretur, nec ipſe me aſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem. Me igitur diſcipulo ſuo commendatâ per eum.* Maria eſt igitur mater S. Joannis, & in perſona ejus eſt ipſa etiam mater noſtra. Si autem ſcire deſideretis quomodo, attendite. Si factus eſt Abraham, *qui contra ſpem in ſpem credidit, pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & arena maris* h: (h Rom. 4. 18. ex Gen. 15. 5. & 6.) id eſt, quòd non ſolùm eſt pater *filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac* i; (i Gen. 21. 3.) ſed etiam hujus magnæ multitudinis Juſtorum, qui regnaverunt in Iſrael, quique imitati ſunt pietatem & virtutes ejus: ſi, inquam, *pater eſt omnium noſtrûm* k, (k Rom. 4. 16.) id eſt, omnium fidelium; cui meliùs convenit eſſe matrem verorum filiorum Dei, omnium credentium, cunctorum verorum Iſraëlitarum ſecundùm ſpiritum quàm huic B. Virgini? cui ſtanti *juxta crucem, Ieſus dicit, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua* l. (l Jo. 19. 25. &c.)

Sed quare Chriſtus dare volens filium Matri ſuæ, non elegit S. Petrum, aut S. Jacobum, &c.? Nonne poterat ipſe qui Deus erat, efficere ut illi ſtarent juxta crucem, & intereſſent ſupplicio ſuo, & honoraret eos hâc auguſtâ qualitate, ſicut eâ inſignivit iſtum Evangeliſtam? Cur iſtum gloriâ iſtâ digniorem judicat? Sanè, meâ quidem ſententiâ, hoc ita diſpoſuit Dei Filius, ut intelligeremus, quòd ipſa eſt univerſaliter mater omnium fidelium: S. Joannes enim eſt veluti imago omnium hierarchiarum Sanctorum lucentium in firmamẽto Eccleſiæ: ſi enim ibi ſint Virgines, ipſe eſt Virgo; ſi ibi ſint Apoſtoli, ipſe eſt ex eorum choro; ſi ibi ſint quatuor Evangeliſtæ, ipſe eſt illorum aquila; ſi ibi ſint Martyres, eorum coronis ipſe communicat? nam cùm a fide non poſſet averti, juſſu Domitiani, Romæ ante portam Latinam in ferventis olei dolium miſſus eſt 6. Maij, die Dominicâ, anno Chriſti 98. unde cùm illæſus exiſſet, in Inſulam Patmos relegatus eſt; Si ibi ſint Confeſſores, ex illorum ipſe eſt numero; ſi Doctores, ipſe ſociatur eis; ſi Prophetæ, ipſe excelluit quoad viſiones: ideò potiùs Chriſtus S. Joannem filium dedit Matri ſuæ, quàm quemlibet alium, ut doceret nos, quòd ſicut ipſa eſt Mater ipſius qui eſt Filius Dei, ita & ipſa eſt Mater adoptionis omnium fidelium, Virginum, &c. & quod non ſolùm adæquat, ſed etiam ſuperat gloriam *Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrûm* m. (m Rom. 4. 16.)

Sed quare Dominus noſter tribuens eam & velut reſignans S. Joanni ut matrem, non vocat illam Matrem ſuam? ſed ei *dicit, Mulier, ecce filius tuus?* Heu! Salvator adorande, in hac immodica afflictione ad quam redactam intuebaris chariſſimam Genitricem tuam, eſne auſus ei eripere ſuaviſſimum nomen Matris, & illi tribuere nomen mulieris? dicens, *Mulier, ecce filius tuus,* excipiendo illam ſic ſeverè, quandiu committebas eam dilecto diſcipulo tuo, qui triumphos agit de hoc favore ſingulari, audiens hæc verba dulciſſima ad ſe directa, *Ecce mater tua.* Merebanturne lacrymæ ejus ut ſic illam exciperes? unde oriri poteſt iſte rigor, qui poſſet illi mortem inferre? nonne illam ſic vocaſti veritus ne iſtud nomen ſuaviſſimum Matris novo cor illius afflictum dolore afficeret, & amaritudinem illius augeret? aut potiùs nunquid non eam ita appellaſti ut immodicam tuam erga nos oſtenderes charitatem, nobiſque ſignificares, quòd ipſe te deſtitueres eo, quod ipſe habebas chariſſimum, ut illud nobis conſignares, eoque nos honorares? Nonne voluiſti in hac occaſione tenere locum Sponſi, & non Filij, ut nos generares ſpiritualiter in ea, quam dediſti nobis in matrem, reſignans illam ut ſic S. Joanni Evangeliſtæ, dilecto diſcipulo tuo? Sed quare etiam, Auditores, Jeſus Chriſtus volens illi tribuere glorioſum titulum Matris omnium filiorum ſuorum credentium, reſervavit ſibi facere hanc electionem & hanc adoptionem in cruce? cur non fecit illam? cùm Mater ipſius *reclinavit eum in præſepio* n. (n Luc. 2. 7. &c.) Aut cùm *Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam adorare eum* o. (o Matth. 2. 1. &c.) Vel cùm *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ; & erat Mater Ieſu ibi, vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli ejus ad nuptias,* ubi primum fecit miraculum ſuum per *aquam vinum factam. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus* p, (p Jo. 2. 1. &c.) æquè ac paſtores, & Reges tempore Nativitatis ipſius. Nonne illo ſe geſſit ipſe modo, ut oſtenderet nobis quàm bonam præberet ipſe nobis matrem, & quanti ipſa deberet nos æſtimare? Res quæ multo conſtiterunt, ordinariè magni æſtimantur, ratione pretij ſui; nec ullus eſt efficacior modus imprimendi amoris erga filios cordibus matrum, quàm eos illis tribuere inter dolores immodicos: ſi ergo judicandum eſt de amore matrum erga liberos ſuos, intuitu dolorum, quos illæ perpeſſæ ſunt in partu, *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum* q: (q Jo. 16. 21.) quænam tormenta poſſunt æquiparari ſupplicijs, quæ Maria pertulit ſtando *juxta crucem* r, (r Jo. 19. 25.) ubi juxta prophetiam S. Simeonis, *ipſius animam gladius* s (s Luc. 2. 35.) pertranſivit doloris acerbiſſimi? Verum quidem eſt, quòd nullum ſit ferè genus inſtrumenti ſupplicij & mortis quod non fuerit inſumptum ad cruciandam Humanitatem ſacram Filij ejus: adhibita ſunt enim flagella, ſpinæ, clavi, mallei, crux, fel, & acetum adversùs eam: imò verò poſt mortem Jeſu Chriſti, *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* t. (t Jo. 19. 34. &c.) Sed hæc Humanitas ſacra gladio non ſunt confoſſa, ita ut Chriſtus jam mortuus ſentiret dolorem ex inflicto ſibi vulnere lanceæ: quare hoc? niſi quia chariſſimus iſte Filius reſervabat hoc tormenti genus dilectiſſimæ Matri ſuæ, cujus

ani-

animam gladim pertranſivit, quippe quæ repercuſſionem ictûs lanceæ experta eſt. Ideò de illa ait
m S. Hildephonſ. Serm. 2. de Aſſumpt. n ex Matthæ. 16. 56. S. Hildephonſus m, *Quòd ſi gladius uſque ad animam pervénit, quando ad crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis n, cùm videret Dominum pendentem: etiam pluſquàm Martyr fuit: quia in animo non minùs amoris, quàm mæroris eſt intùs gladio verberata. Parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix jure pluſquàm Martyr Mater eſt, quæ nimio amore vulnerata, Ieſu extitit Salvatoris.* Exaggerentur omnia ſupplicia Martyrum, conſiderentur illi
o 1. Cor. 4. 9 ſuper theatris *ſpectaculum facti mundo, & Angelis, & hominibus* o. Aſpiciantur inter ungues & dentes ferarum, leonum, tigridum, & pantherarum; conſiderentur medias inter cruces, & rotas novaculis inſtructas, aut inter ignes accenſos, ut redigantur in cineres, omnia tormenta illorum æquiparari non poſſunt doloribus B. Virginis: ſi ergo dolores ejus ſic fuerunt immodici, cùm ipſa data nobis eſt mater hoc ipſo inſtanti partûs iſtius myſtici, ad quantum altum gradum ardoris aſcendere debuit amor ipſius erga nos?

Eſtne igitur Abraham illi comparabilis? Deus
p Gen. 15. 5. ait illi, *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei, Sic erit ſemen tuum* p. *Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen*
q Gen. 17. 19. *ejus Iſaac* q. *Viſitavit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat, & implevit quæ locutus eſt. Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſua. Vocavitque Abraham*
r Gen. 21. 1. &c. *nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac* r. *Quæ poſtquàm geſta ſunt, tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque conciſiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium. Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum,*
s Gen. 22. 1. &c. *& arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum* s. Quis poſſet exprimere dolorem illius inter hos ſenſibiles naturæ conatus? nonne vultus patris iſtius eſt velo obducendus? ſicut in ſacrificio Iphigeniæ fecit Timanthes, *quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mæſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit,*
t Calepin. Diction. V. Timanthes. *velo obduxit* t. Sed quid accidit circa iſtud ſacrificium Abrahæ? Auſcultate id quod addit Scriptura, *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens, Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixitque ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Vocavit autem Angelus Domini Abraham ſecundò de cœlo, dicens: Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in litore maris.* Ecce quomodo hæc promiſſio fuit illi ratificata inter ſupplicia & tormenta mentis ipſius afflictæ. Sed quis non videt quòd B. Virgo
u Jo. 19. 27. conſecratur *Mater* univerſorum fidelium, ſicut
x Rom. 4. 16. ille Patriarcha, *Pater eſt omnium noſtrûm* x, Maria, inquam, inter majores anguſtias, quàm Abraham? Poteſtne igitur comparari tormentum Patriarchæ illius, qui paratus erat ad ſacrificandum filium ejuſdem conditionis, cujus erant cæteri homines, ſupplicio B. Virginis hujus, quæ deſtrui videbat vitam Filij, qui erat Deus? Quos ardores igitur amoris expectare non debemus à matre, quæ parturivit nos inter anguſtias ita prodigioſas, & dolores ſic inauditos? Sanè ut jugem illorum memoriam cuſtodiat, defert ipſa ſemper in ſinu ſuo monumenta hujus paſſionis amaræ Filij ſui, *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mibi, inter ubera mea commorabitur* y. Myrrha, ut ajunt Naturales, y Cant. 1. 12.
folia habet acuta, ita ut contrectari non poſſint, quin manus contrectantium lædant ejus folia, tanquam ſpinæ: quale ſertum igitur eſt iſtud ut collocetur in ſinu Virginis? Iſtud tamen ſertum eligit B. Virgo partim propter amorem quo ducitur ipſa erga nos, ut intuitu objecti iſtius ac imaginis dolorum quos ipſa pertulit, cùm creata fuit *Mater* noſtra, majori nos affectu diligat. Sed inter hanc memoriam dolorum acerbiſſimorum præ omnibus illis, quos imaginari poſſumus, audeo dicere, quòd Abraham non fuit pater Iſaac, nec illum naſci vidit cum majori gaudio, quàm gaviſa eſt B. Virgo videns ſe conſtitui Matrem S. Ioannis, & in perſona hujus Evangeliſtæ, omnium fidelium, & filiorum Dei. Hic autem præterire nolo aliam proprietatem myrrhæ in hoc ſitam, quòd hæc arbuſcula, cujus folia aſſimilantur ſpinis, liquorem ſuum effundit eo abundantiùs, quò vehementiùs agitatur tempeſtatibus, & ventis percellitur; ita ut pretioſus iſte liquor, qui ex ipſa emanat, quique præſervat corpus à corruptione, largiùs effluat, quò ipſius arbuſcula impetuoſiùs excutitur vento, aut pluviâ: hoc innuit, quòd quando ſervi Dei impetuntur aliquâ tempeſtate adverſitatum hujus mundi, pretioſam emittunt myrrham, quæ mentes ipſorum præſervat à corruptione. Scriptura z loquens de Apoſtolis, ait, z Act. 5. 41.
Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quàm magnâ gloriâ debent affici illi, qui patiuntur propter amorem Dei! Apoſtoli erant *Sal terræ, Lux mundi* a. Et tamen maximo ducunt honori ac poſſe pati pro gloria nominis Domini ſui Ieſu Chriſti, qui vocat ipſos *Amicos* b, & de ipſis loquitur ut de *Fratribus* c ſuis, *Quibus dignus non erat mundus*, ait S. Paulus d. Ipſi vel Principes terreni, Reges, Monarchæ, Imperatores ſua projecerunt diademata ante pedes illorum, poſtquàm mortui ſunt: & tamen illi de nulla re alia trophæum agebant niſi de afflictionibus & paſſionibus: cùm igitur B. Virgo ſinum habeat repletum re ita pretioſâ, cogitate quanto amore ipſa dilexerit S. Ioannem, & quanto ipſa proſequatur nos, quos ipſa parturivit inter tot ſpinas ac dolores.
a Matth. 5. 13. & 14.
b Jo. 15. 15.
c Matth. 28. 10.
d Hebr. 11. 38.

Sed iſtum non eſt adeptus S. Joannes favorem propter conſanguinitatem, quam habebat cum Chriſto, ſed propter merita ſua. In Domo Dei conſanguinitas, aut affinitas cedit nomen virtuti: ideò S. Hieronymus f ait, *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum* g; *ſed quicumque talem ſe præbuerit, ut Regno cœlorum dignus fiat: hic accipiet quod non perſonæ ſed vitæ paratum eſt.* Idem ait Hugo Cardinalis h ſuper hæc verba, quibus, cùm *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens aliquid ab eo; reſpondens Ieſus dixit, Sedere ad dexteram meam, & ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Id eſt, *Quia conſanguinei, ſed quia boni.* Quaſi diceret eis, ut exponit conformiter ad hoc Diony-
f S. Hiero. l. 3. in Matth. 20. 23.
g Rom. 2. 11.
h Hugo Card. in Matth. 20. 23. &c.

i Dion. Carth. o. 34. in Matth. 20.23

ſius Carthuſianus i, *Sedere ad dexteram meam, & ſiniſtram, id eſt mihi collateralem & proximum eſſe in cœlo, non eſt meum, hoc eſt, non ſpectat ad me juſtum Iudicem, qui perſonam non accipio, ſed ſecundùm merita reddo, dare vobis, ſed illis quibus paratum eſt à Patre meo. Et utique paratam fuit Iacobo & Ioanni præmium iſtud, præſertim cùm Regnum cœlorum ab origine mundi paratum eſt Prædeſtinatis, juxta illud, Venite benedicti Patris mei* k, &c. Si autem S. Joannes favores inſignes ſupra Coapoſtolos ſuos à Domino ſuſcipit, ideò quia illos meritus eſt prærogativis amoris ſui, ut concinit Eccleſia in favorem illius, *Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit. In cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit.*

k Matth. 25.34

Cùm *Abraham dixit ad ſervum ſuum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat, Pone manũ tuam ſubter femur tuum: ut adjurem te per Dominũ Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem filio meo Iſaac: poſuit ſervus manum ſub femore Abraham Domini ſui, & abiyt, profectuſque perrexit in Meſopotamiam ad urbem Nachor. Cùmque camelos feciſſet accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ veſperè, eo tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham: Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam: & illa reſponderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac* l. Rupertus m explicans locum iſtum, ait quòd cùm Abraham ſuſcepiſſet juſjurandum ſervi ſui, famulus ejus Eliezer ita ratiocinabatur, Efflagitabo potum à prima puella, quam habebo obviam prope fontem, & ſi illa potum mihi præbeat, ipſa erit uxor Iſaac. Sed ſi hæc prima ſit Chananæa, & non Hebræa, quomodo ſatisfaciet Eliezer juramento ſuo? Reſpondet Rupertus, *Credidit homo, quòd explorata, & hoc indicio deprehenſa frugalitas, Domini moribus conveniens eſſet digna.* Dato quòd hæc puella non fuiſſet Hebræa, & ex conſanguinitate Abrahæ, ſicut illam ex conſanguinitate ſua deſiderabat hic Patriarcha, exiſtimavit ſervus iſte, quòd puella iſta virtuoſa & charitativa, futura eſſet grata ſuo Domino: & proculdubiò fuerat illi revelatum, quòd in domo Dei, & ſervorum ejus, præferendæ ſint virtutes & anteponenda merita conſanguinitatibus & affinitatibus. Et ſuppoſito quòd femur ſit ſymbolum generationis, cùm Abraham ſuſcepit juſjurandum ſervi ſui ſub femore ſuo, idem fuit ac ſi illum jurare feciſſet per Meſſiam, quia Meſſias erat deſcenſurus ex ipſo Abraham ſecundùm carnem, *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham* n. Hoc ſuppoſito, quando Jacob luctatus eſt cum Angelo, & poſt longam luctam de Angelo triumphavit, quare remanſit claudus, & in femore vulneratus? *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè. Qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit* o. Iſte Patriarcha vulneratus fuit in femore, quod eſt locus generationi ſubſerviens, ut intelligeret, quòd ipſe non à Meſſiæ venturi conſanguinitate benedictionem promereretur, cùm ex ipſo per Abraham, & per Iſaac deſcenſurus eſſet Meſſias, ſed ex longa & continua lucta: *Dixitque ad eum; Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* Id eſt, Angelus, cum quo luctabatur, ut dicitur in Textu. *Reſpondit*, id eſt, Jacob, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco.* Hanc benedictionem impetravit ſanctus iſte Patriarcha propter virtutem ſuam, ut agnoſceret quòd in domo Dei, majoris æſtimantur merita, quàm ſiant vel ipſi propinqui & conſanguinei Dei hominis. Quin imò, quod mirabile eſt, Ieſus Chriſtus majoris æſtimabat Genitricem ſuã, eò quòd eſſet ſancta, quàm quia erat Mater ſua ſibi conſanguinitate conjuncta, *Non abs re ejuſmodi virtutis nomine Matrem ſuam deprædicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita eſt ut Virgo Mater fieret*, ait S. Juſtinus p. Hoc confirmat S. Ambroſius q ſuper hæc verba Scripturæ; *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo* r; dicens, *Quo loci illud adverte, quia extra paradiſum vir factus eſt* s, *& mulier intra paradiſum* t: *ut advertas, quòd non loci, non generis nobilitate, ſed virtute unuſquiſque gratiam ſibi comparat.*

l Gen. 34 1. &c.
m Ruper. in Gen. 34.14.
n Matth. 1.1, &c.
o Gen. 32 24. &c.
p S. Juſt. Martyr. in reſp. ad q. 136 ad Orth.
q S. Amb. l. de Paradiſ. c. 4
r Gen. 2. 15.
s ex Gen. 2 7
t ex Gen. 2. 22.

David u loquens de oblectamento, quo perfundebatur ex promiſſione futuræ conſanguinitatis ſuæ cum Deo homine per Incarnationem, dicebat, *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine.* Quaſi diceret, Addictiſſimus tibi ſum, Domine, eò quòd domum meam ſis dignaturus honorare conſanguinitate tuà ſecundùm carnem, quam ſumpturus es è mea progenie. Propterea eidem Davidi exponenti vitam ſuam belli periculis, dictum eſt, *Ne extinguas lucernam Iſraël* x. *Id eſt, ne tu extinguaris in bello, qui es lucerna Iſraël* y. Quod intelligentiam præbet prædicti loci, *Tu illuminas lucernam meam, Domine.* Id eſt, reddidiſti domum meam glorioſam humanitate, quam ex me ſumpturus es. Quod cùm ita ſit, *quæ utilitas in ſanguine meo* z? Nimirum, ſi non eſſem ſanctus, quodnam emolumentum proveniret mihi ex hac conſanguinitate? cùm verum ſit quòd in domo Dei, conſanguinitas Dei hominis non eſt ullius conſiderationis, ſed ibi conſiderantur virtutes & merita, quæ conciliaverunt S. Ioanni omnes favores, quibus honoravit ipſum Ieſus Chriſtus: & quos recenſet Chriſtianus Adrichomius in Theatro Terræ S. & Biblic. Hiſtor. anno Chriſti 109. dicens, *Tempore Trajani, Ioannes Evangeliſta, anno poſt paſſionem Domini 68. ſuæ verò ætatis 99. confectus ſenio Epheſi, Virgo dormivit in pace 8. Calendas Iulij die Dominico, die 27. Decembris. Tum ſplendor tumulo circumfuſus, loci hominumq; aſpectum circumſtantibus ademit. Hic dilectus Domini, Virgo, Apoſtolus, Evangeliſta, Propheta, cuſtos Virginis, & filius ejus, infinitâ laude digniſſimus, etiam corpore jam glorificato, cum Virgine Matre triumphat in cœleſtibus.* Ecce effectus amoris Ieſu erga S. Ioannem. Eruamus igitur inſtructiones aliquas ex toto iſto diſcurſu.

u Pſ. 17 29
x 2 Reg. 21 17.
y Hugo Card. in 2. Reg. 21.17.
z Pſ. 29 10.

S. Ioannes dilexit Ieſum, & hunc *diſcipulum diligebat Ieſus.* Sinite, Auditores, ut petam à vobis, cuinam conſecraſtis amorem veſtrum. Dedicaſtiſne eum Ieſu Chriſto? Nequaquam, ſed illum addixiſtis creaturis, quas diligitis. Avarus cor ſuum habet alligatum auro ſuo, & nummis ſuis. Impudicus illud habet ſuis ſordibus implicatum: Ambitioſus ad aucupandas auras populares & ad comparandas ſibi dignitates illud habet intentum: toti enim ſumus deditі illi rei, quam diligimus: ſic noſtris dicere ſolemus amicis, Addictiſſimus tibi ſum. Ha! quando toti erimus addicti Deo, ut diligamus eum *ex toto corde* a noſtro, & ut

a Matth. 22.37

ut diligamur ab eo? Quid tardamus nos ei conſecrare, præcipuè diebus iſtis, quibus exhibuit nobis probationes dilectionis ſuæ? *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei* b. S. Joannes dilectus fuit a Jeſu, quia caſtus erat & virgo: puritas ejus fuit motivum magnæ iſtius dilectionis Jeſu erga eum: ſi ergo diligi velimus à Jeſu, oportet ut removeamus à nobis omne genus impuritatis & ſordium, & induamus ſanctitatem: amor enim Ieſu ſociari non poteſt amori profano, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet* c. S. Ioannes *recubuit in cœna ſuper pectus* Ieſu, illuc terminabatur amor ejus, eò tendebant inclinationes illius; deſideria & cogitationes ipſius: Heu! quò dirigunt hodiernâ die homines cogitationes ſuas? in quo collocant & ſtabiliunt ſpes ſuas? Alij conſtituunt eas in divitijs ſuis, alij in honoribus & dignitatibus, alij in perſona liberorum ſuorum, mulieres in pulchritudine ſua, non attendentes id quod ipſas edocet Salomon d. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum, ipſa laudabitur.* Hæc omnia ſunt tranſitoria, collocandæ ſunt ſpes noſtræ in aliquo quod ſit permanens e, nimirum ſuper pectore Ieſu, ut dicat Matri ſuæ in perſona S. Ioannis in gratiam noſtri, *Mulier, ecce filius tuus* f.

b Tit. 3. 4
c Matth. 6. 24
d Prov. 31. 30.
e Hebr. 1. 11.
f Jo. 19. 26.

Virgo Deipara, idem tibi dico, *Ecce filius tuus.* Omnes iſti Auditores mei ſunt filij tui, illos cunctos agnoviſti tales paſſionibus tuis, cùm ſtabas *juxta crucem Ieſu* g, cùm conſecrata es *Mater* h S. Ioannis. Incolæ civitatis N. ſunt filij tui per devotionem, quâ afficiuntur erga te: *Mater* bona eſto eis, providenda eis ſatage neceſſaria, ſpiritualia æquè ac corporalia: effice ut ſicut illos peperiſti doloribus tuis, ita ipſi æquanimiter aliquid patiantur in praxi operum laborioſorum. Domini mei Eccleſiaſtici, impetrabit ipſa vobis puritatem eminentiæ miniſterij veſtri conſonam, ut adimplere poſſitis id, *Mundamini qui fertis vaſa Domini* i. Domini mei juſtitiæ Præpoſiti, obtinebit ipſa vobis æquitatem veſtris procedendi modis congruentem, ut juſtè judicetis populos, quorum vitæ æquè ac fortunæ eſtis arbitri: Domini mei Nobiles, procurabit ipſa vobis cor diſpoſitum ad virtutem, ut triumphetis de paſſionibus veſtris: Et per eam *gratiam, & gloriam dabit Dominus* k omnibus.

g Jo. 19. 21.
h Jo. 19 27.
i Iſa. 52 11.
k Pſ. 38 12.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus. Matth. 2. 16. &c.

JUdæa natans tota in ſanguine Innocentium iſtorum Martyrum, qui ſunt primi ſoliculi non aperti roſarum Eccleſiæ, ſicut eos ſalutat hæc eadem Eccleſia, concinens,

Salvete flores Martyrum:
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit,
Ceu turbo naſcentes roſas:

eſt velut hæc pars Oceani, quæ vocatur mare beatum unionum & gemmarum; cùm oritur quædam ſtella quo incipit ver in inſulis fortunatis, conchæ ſic ſunt diſpoſitæ ad generandos uniones, ut quotquot ex ipſis ſumuntur, & mucrone pugionis perfodiuntur, totidem reddant uniones ex ſingulis guttis ſanguinis quæ ex ipſis manant; ſicut effuſio ſanguinis iſtius ſit id, quod efficit iſtud mare beatum, & hanc inſulam fortunatam: dum naſcitur *Ieſus ſtella ſplendida & matutina* a, ad ortum auroræ & veris virtutum, Judæa ſic eſt diſpoſita, ut, ſi tranſacto die quadrageſimo à nativitate Ieſu Chriſti, & præſentationis ipſius in templo, ipſi Domino, crudelis Herodes perforet hos Innocentes, qui ſunt adhuc velut incluſi in concha, id eſt in cunis, & imperat ut ſui tortores infigant eorum cordibus pugiones ſuos, ſanguis hic innocens facturus ſit uniones ita ſplendentes, ut tota Iudæa decoranda ſit gemmis his innumeris Innocentium, æquè ac paradiſus ornandus: *Quos Herodis impietas lactentes matrum uberibus abſtraxit, qui jure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit*, ait S. Auguſtinus b. Ad videndum iſtud miraculum, & ad colligendos iſtos uniones, expectandum eſt donec ſuper nos oriatur *Stella ex Iacob* c. Id eſt, Ieſus Chriſtus, & Spiritus ſanctus ipſius nos illuminet. Cœlum, quod portavit hanc Stellam, eſt beata Virgo Maria: *Illa reperietur eſſe cœlum, templum, & thronus*, ait S. Epiphanius d. Hæc nobis favorabilis erit pariter ſtatim ac ipſi dixerimus cum Angelo, *Ave Maria.*

a Apoc. 22. 16
b S. Aug Serm. 10 de Sanct.
c Num. 24. 17.
d S. Epipha. Ser. de Laud. Deip.

Nunquam ſic aliquid æquè commovit corda ſapientiſſimorum & ſanctiſſimorum quorumlibet hominum, ac videre modum procedendi divinæ Providentiæ. Nam ille qui *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* e; id eſt, cujus potentia eſt infinita, ſapientia immenſa, & bonitas inexhauſta, quomodo permittit ut Innocentes excipiantur, non ſecus ac ſi eſſent criminoſi? Potentia ipſius ſuſcitat mortuos, *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit* f. Tremore concutit mortem, & infernum, ſicut ipſemet ait ei per Oſee g, *Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero inferne.* Et tamen ipſe non dignatur hos Innocentes è manibus Herodis liberare: eſtne in ipſo providentia? Ipſius ſapientia modum adinvénit auxiliandi eis, qui de ipſo non cogitant, qui vix ipſum invocant, & qui potiùs ipſum offendunt: *Notas facite in populis adinventiones ejus* h. Et ecce Innocentes, puri more Angelorum perimuntur immiſericorditer: & nihilominùs ipſe ſilet: & ubinam eſt ipſius providentia? Ipſius bonitas ſic eſt immodica, ut circumquaque ſuos effundat theſauros, imò verò ſuper inimicos ſuos, *Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Iuſtos & injuſtos* i. Interim Innocentes propter amorē ipſius tranſeunt per manus carnificū: ipſe poteſt verbo vel unico eos liberare ab hac tyrannide; nec tamē ipſe facit hoc: ubi autem eſt ipſius providentia? Hoc eſt motivū querelç Job k dicentis, *Quare impij vivūt, ſublevati ſunt, confortatiq; divitijs?* Et Davidis l, *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſūt greſſus mei. Quia zelavi* ſu-

e Baruch 3. 25.
f 1. Reg. 2. 6
g Oſee 13. 14
h Iſa. 12 4.
i Matth. 5. 45.
k Job 21 7.
l Pſ. 72. 2. & 3.

ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Et Jeremiæ
m Jer. 12. 1. m, *Juſtus quidem tu es Domine , ſi diſputem tecum : veruntamen juſta loquar ad te. Quare via impiorum*
n Habac. 1. 3 *proſperatur: benè eſt omnibus qui prævaricãtur, & iniquè agunt?* Et Habacuc n, *Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio juſtiorem ſe?* Dico, Auditores, pro materia totius iſtius diſcurſûs, quòd
Propoſitio. altiſſima providentia Dei manifeſtatur in hoc, quòd illi, qui maximè derelicti ſunt apparenter, ſunt illi quorum Deus maximam curam habet.

Lapis eſt offenſionis, & res quæ ſcandalizat homines, videre ſic obrui innocentiam : credine poteſt quòd ſit in cœlo providentia, videndo id quod peragitur in terra? *Religio labefacta cadit, cùm lætos florere vides nocentes, & pios vexari*, dixit Ethnicus quidam. *Si curarent Dii humana , benè Bonis eſſet, malis autem malè* , dicebat alius Idololatra. Sed ille Paganus meliùs prioribus iſtis locutus eſt, qui dixit, *Bonum virum in deliciis non habet Deus, experitur, indurat, ſibi illum præparat.* At quod ſtupore percellit omnes homines , eſt videre quòd Deus amet innocentiam, & tamen faciat illam ſcopum, quò dirigit ipſe ſagittas omnium malorum, ſeu pœnarum, *Tetendit arcum ſuum, & poſuit*
o Thren. 3. 12 *me quaſi ſignum ad ſagittam* o, ait ejuſdem Dei Fi-
p Epheſ. 5. 30 lius incarnatus, de ſe, ſicut & de Juſtis ſuis. *Quia membra ſumus corporis ejus* p. *Et ipſe eſt caput corporis*
q Coloſſ. 1. 18 *Eccleſiæ* q. Unde Pintus r dicit, *Id voluit Simeon ſignificare de puero Jeſu, cum dixit, Poſitus eſt in ſignum,*
r Pint. in Thren. 3. 12. *cui contradicetur* s. *Et S. Paulus* t *moleſtiis & anxietatibus circumſeptus, Nemo (inquit) moveatur tribula-*
s Luc. 2. 34. *tionibus iſtis: ipſi enim ſcitis quòd in hoc poſiti ſumus. Ac*
t 1. Theſſ. 3. 3 *ſi dicat: Nemo ob calamitates meas perturbetur: nã ad hoc ſum veluti ſcopus conſtitutus , ut jaculis trajiciar.* Re autem verâ talis eſt Dei ſtylus ab ipſis vel mundi naſcentis incunabulis. Abel eſt innocens : *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorũ: &*
u Gen. 4. 4 *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* u. Et ecce ſtatim Cain ipſum interimit , *Conſurrexit Cain*
x Gen. 4. 8. *adverſus fratrem ſuum, & interfecit eum* x. Noë eſt ipſa juſtitia , *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in ge-*
y Gen. 6. 9. *nerationibus ſuis, cum Deo ambulavit* y. Et ecce con-
z Gen. 9. 22. feſtim *Cham pater Chanaan* z, filius ſuus, paratus ad deridendum ipſum. Iſaac eſt purus inſtar An-
a Gen. 21. 9. geli ; & en Iſmahel ludendo a ipſum percutit & affligit. *Tunc is qui ſecundùm carnem natus fuerat,*
b Galat. 4. 29 *perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum* b. Eſt *Jacob vir ſimplex* c & mãſuetus ſicut agnus: & ecce Eſau
c Gen. 25 27. homo ferox, qui torvis intuetur ipſum oculis , & meditatur ipſi mortem inferre, *Oderat ſemper Eſau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater; dixitque in corde ſuo: Venient dies luctûs patris mei, & occi-*
d Gen. 27 41. *dam Jacob fratrem meum* d. Quid innocentius Joſeph? *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plùs cunctis filiis amaretur, oderant eum , nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Miſeruntq; eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmahelitis viginti argenteis,*
e Gen. 37 4. &c. *qui duxerunt eum in Aegyptum* e. Item, *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in*
f Num. 12. 3 *terra* f. Et tamen *locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus Aethiopiſſam, & dixerũt, Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne &*
g Num. 12. 1. & 2 *nobis ſimiliter eſt locutus* g. Præctereà, *Vir erat in terra Hus, nomine Job: & erat vir ille ſimplex & rectus, ac ti-*
h Job 1. 1 *mens Deum , & recedens à malo* h. Et ita bonus, ut Deus ipſum proprio ore laudaverit, *Et dixit Dominus ad Satan, Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens*
i Job 2. 3 *innocentiam* i? Et tamen eidem Satanæ plena datur poteſtas affligendi illum : quin & uxor ſua conatur ipſum inducere ad negandum Deum : *Dixit* [...] *Dominus ad Satan, Ecce, in manu tua eſt , veruntamen animam illius ſerva. Egreſſus igitur Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere*
k Job 2. 6. &c. k. Si Tobias non erat innocens, quis unquam talis fuit? *Tobias , cùm irent omnes ad vitulos aureos , quos*
l ex 3. Reg. 12 28. *Jeroboam fecerat Rex Iſraël* l, *ſolus fugiebat conſortia omnium. & pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël, omnia pri-*
m Tob. 1. 2. &c. *mitiva ſua & decimas fideliter offerens* m. *Contigit autem ut quâdam die fatigatus à ſepultura , veniens in domum ſuam, jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet : & ex nido hirundinum dormienti illi calida*
n Tob. 2. 10. & 11 *ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus* n. Probatæ vitæ *erat vir Judæus in Suſan civitate, vo-*
o Eſth. 2. 5. *cabulo Mardochæus* o. Et tamen ambitioſus Aman machinatus eſt illi ruinam inferre, *& juſſit excel-*
p Eſth. 5. 14. *ſam præparari crucem* p, ut in illa ſuſpenderetur. David erat vir ſecundum cor Dei, *Quæſivit Dominus*
q 1 Reg. 13. 14 *ſibi virum juxta cor ſuum* q. Et tamen Saul, quem
r 1. Reg. 16. 14 *exagitabat ſpiritus nequam à Domino* r, meditabatur exitium ejus, *Porrò Saul cogitabat tradere David in manus Philiſthinorum. Factuſque eſt Saul inimicus*
s 1. Reg. 18 25. & 29. *David cunctis diebus* s. Suum adorabat *Daniel Dominum Deum : quia ipſe eſt Deus vivens* t. Et nihilo-
t Dan. 14 24. minùs *Babylonii miſerunt eum in lacum leonum* u.
u Dan. 14 27. & 30 Similiter , Ejuſdem veri Dei cultores erant *Sidrach, Miſach, & Abdenago* x. Et tamen *Nabucho-*
x Dan. 3 16. *donoſor repletus furore , viris fortiſſimis de exercitu ſuo juſſit, ut ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis. Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis , & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis*
y Dan. 3 19. &c. *ignis ardentis* y. Quid amplius? *Alii verò ludibria & verbeta experti , inſuper & vincula, & carceres : lapidati ſunt , ſecti ſunt , tentati ſunt , in*
z Heb. 11 36. &c. *occiſione gladii mortui ſunt , circuierunt in melotis , in pellibus caprinis , egentes , anguſtiati , afflicti,*
a Dion. Carth. a. rt. in Hebræ. 11 36. &c. *quibus dignus non erat mundus , in ſolitudinibus errantes , in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ* , dicit S. Paulus z. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, *Alii verò ludibria, id eſt, irriſiones, contumeliaſque verborum; & verbera experti, inſuper*
b ex Jer. 27. 12 &c. *& vincula, & carceres, id eſt, incarcerationes. Juxta quod ait, inſuper , notat hæc in eiſdem facta perſonis,*
c ex Judic. 16 21 *videlicet in Jeremia* b, *Samſone* c, *Michæa* d. *Lapidati*
d ex 3 Reg 22 26. & 27 *ſunt, ut Jeremias in Aegypto , Zacharias filius Joiada Pontificis inter templum & altare* e. *Secti ſunt ut*
e ex 2. Par. 24. 21. *Iſaias à Manaſſe. Tentati ſunt adverſitatibus, ut Tobias* f. *Vel , blandis promiſſionibus, ut averterentur à*
f ex Tob. 2 10 & 13 *Deo, ut Matathias* g, *& Eleazarus* h. *In occiſione gladii, id eſt gladio factâ, mortui ſunt* i. *Nam & Manaſ-*
g ex 1. Mach. 2. 17. &c. *ſes implevit Jeruſalem ſanguine innocentum uſque ad os* k. *Circuierunt varia mundi loca in melotis , id eſt , veſtibus factis de pilis camelorum , ſicut Joannes*
h ex 2. Mach. 6 18. &c. *Baptiſta* l. *Vel , melota eſt pellis hiſpida animalis, quod dicitur melus. In pellibus caprinis , ut Elias* m.
i ex 2. Mach. 5. 13. *Egentes victu atque amictu. Anguſtiati , id eſt, diverſis animi afflictionibus preſſi. Afflicti in corpore.*
k ex 4. Reg. 21. 16. *Quibus dignus non erat mundus , id eſt , mundanorum hominum cœtus : quia & ipſi ea , quæ mundi ſunt , vilipenderunt , & mundus propter ſuam*
l ex Matthæ. 3. 4. *impietatem dignus non fuit converſatione ipſorum. In ſolitudinibus , id eſt , locis deſertis ,*
m ex 4. Reg. 1. 8. *erran-*

errantes per devia, ut David cum ſuis tempore Saulis
a ex 1. Reg. 22. 1. &c. & 26. 1. &c. *n: & Mathathias cum ſuis tempore Antiochi Illuſtris* o.
In montibus, & in ſpeluncis & in cavernis terræ commorantes, ut legitur de Elia, & filiis Prophetarum,
o ex 1. Machab. 1. 40 *quos abſcondit Abdias tempore Iezabelis* p. *Vnde &*
p ex 3. Reg. 18. 4. &c. *David* q, *Ecce, inquit, elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Fugerunt enim hominum aſpectum ac ſtrepitum,*
ut Deo vacarent liberiùs. Tandem, Quid dicam vo-
q Pſ. 54. 8 bis? Non latet vos quòd Salvator loquens de S. Joanne Baptiſtâ, dixerit, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſtâ* r. Et tamē *Herodes Rex*
r Matth. 11. 11 *miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco, &*
ſ Marc. 6. 21. &c. *decollavit eum in carcere* ſ. En hodie exercitus integer Innocentium: & hos alter Herodes, ſcilicet Aſcalonita, Idumæus natione, pater illius Antipæ qui decollandum præcepit S. Joannem Baptiſtam, occidendos imperat, quod & mandatur executioni.
t Joan. 16. 28 Exeat à *Patre, & in mundum* t veniat Dei Filius: *tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, &*
u Luc. 18. 32 *conſpuetur: & poſtquàm flagellaverint, occident eum* u.
Nedum tamen Deus ſatagat hanc impedire carnificinam. Eſtne inuſitatum id quod Jeſus Chriſtus dicebat de S. Joanne Baptiſtâ, vocans eum Eliam? *Dico vobis, quia Elias venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*
x Matth. 17. 12 *Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis* x. Et, juxta Dionyſium Carthuſianum y, *Dico autem vobis,*
y Dion. Carth. art. 10. in Matth. 17. 12 *quia Elias jam venit, non perſonaliter, ſed æquivalenter, videlicet alius in virtute & ſpiritu ejus* z. *Et non cognoverunt eum Iudæi increduli, ſcilicet, Scribæ, Sacerdotes, ac Phariſæi, dicentes de Ioanne, quia dæmonium habet* a. *Et quàmvis Herodes & alii quidam*
z ex Luc. 1. 17
a ex Matth. 11. 18 *maligni aliqualiter Ioannem noverunt, (Sciebat enim Herodes quòd eſſet vir juſtus & ſanctus* b) *di-*
b ex Marc. 6. 20 *cuntur tamen eum non cognoviſſe, Primò, quoniam neſcierunt quòd eſſet Chriſti Præcurſor. Secundò, quoniam documenta & opera ejus finaliter reprobaverunt. Sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, id eſt, multipliciter perſecuti ſunt ipſum. Nam & Herodes de conſenſu & forſan conſilio Scribarum, Phariſæorum, ac Sacerdotum, Ioannem incarceravit, &*
c ex Marc. 6 17. &c. *decollavit* c. *Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis ſupplicium crucis, quia in paſſione idem Herodes ſprevit Chriſtum, albâque veſte illuſum reddidit voluntati Pilati, qui tandem procurantibus Iudæis crucifixit*
d ex Luc. 23. 11. &c. *Chriſtum* d. Et ubinam igitur eſt providentia Dei? ubi charitas ipſius? & ubi cura ipſius, cùm permittat hæc univerſa? Sed pejus eſt id quod Sponſæ *Dilectus loquitur, Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ: tempus putationis advênit* e. Super quod de
e Cant. 2. 10. & 12
f De Pont. 5. in Cant. 2. 12 exhort. 19. parag. 1 Ponte f dicit, *Vnde tempus hoc putationis, tempus eſt amoris & gaudii, quia non ex odio, vel irâ putantur hujuſmodi arbores, ſed potiùs ex amore & benevolentiâ ne pereant, quinimò fructuoſiores & pulchriores fiant.* Confeſtim ac flos, id eſt, homo vitæ probatæ apparet in mundo, *tempus putationis advênit.* Videtur ipſe natus duntaxat ad hoc ut præcidatur, & obruatur. Quid dicetis de Jeſu Chriſto qui veluti trophæum agit, cùm amicos ſuos projicit inter lupos? *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio*
g Matth. 10. 16 *luporum* g. Quaſi diceret, ut ait S. Chryſoſtomus
h S. Chryſoſt. hom. 34. in Matth. 10. 16 h, *Sufficiat hoc vobis ad omnem conſolationem, ſatis ſit ad confidendum, nec quemquam metuendum eorum qui in ipſos irruat. Sic enim dicere videtur, Nolite turbari, ſi quaſi oves in medio luporum vos verſari & columbas eſſe jubeo. Nam & ſi poſſum contrarium quoque præſtare, ut nihil laboris atque doloris ad vos perveniat, neque ut tanquam oves lupos timeatis, ſed quaſi leones terrorem inferatis omnibus; tamen confert ita fieri quemadmodum jubeo: id enim illuſtriores vos facit, id meam facilè declarabit virtutem. Sic enim poſteà dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur* i. Heu! quin i ex 2. Cor. 12. 9
imò iſtud ipſe vocat immodicum favorem, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* k. Seu, juxta Dio- k Joan. 20. 21
nyſium Carthuſianum l, *Id eſt, quemadmodum Pater miſit me ex verâ charitate & pietate, ad prædicandum Evangelium vicâ Iudæis, à quibus multas ac* l Dion. Carth. art. 48. in Joan. 20. 21
varias perſecutiones, & tandem amariſſimam perpeſſus ſum mortem: ſic ego nunc mittam vos ad prædicandam Evangelicam legem Iudæis, ac Gentibus ex charitate & pietate ad vos, & item ad illos, à quibus multa adverſa & mortem ſuſtinebitis.

Homo juſtus, eſt hîc in terrâ, ſicut piſcis volans maris Orientalis: ſi natat in mari, omnes piſces conantur illum devorare: ſi volat in aërem, cunctæ aves nituntur eum diſcerpere: ſi ſe projicit in terram, univerſæ beſtiæ contendunt ipſum dilaniare: & ſi vitam ſuam ſatagit ſalvam facere volans ſuper antennas navium, in ipſum explodunt nautæ catapultas ſuas: Heu! non eſt aliquis qui conatus ſuos non adhibeat ad capiendum eum, nec ullus eſt, qui poſſit illum apprehendere. Si Jeſus Chriſtus declinat à Juda, Annas apprehendit ipſum, *Iudas cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit. Cohors ergo & Tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligaverunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm* m. Si Jeſus evadit inde, Caiphas ipſum m Joan. 18. 3. &c.
arripit, *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem* n. Si illinc egreditur, Pilatus eum ca- n Joan. 18. 24
pit, *Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium* o.
Et ſi exit inde, *Herodes* p tenet illum ligatum. o Joan. 18. 28
Tandem, Si fugit è manibus Herodis ecce denuò
labitur in manus Pilati, militum, carnificum, p Luc. 23. 8
crucis, & mortis quam procurant ei Judæi inferendam, *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum. Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe, Ieſum tradidit voluntati eorum. Et poſtquàm venerunt in locum qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum: & latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris* q. O In- q Luc. 23. 13. &c.
nocentia! O Innocentes!

Heu! Auditores: S. Jacobus r ulteriùs pro- r Jacob. 1. 2
greditur, cùm ait nobis, *Omne gaudium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Heu! quònam pervenimus? nedum nos conſoletur, & nobis addat animos, ipſe dicit, nullum eſſe gaudium in mundo, niſi eſſe infelicem, eſſe innocentem & crudeliter oppreſſum. Numquid non videtur quòd omnia elementa conſpiraverint adverſùs innocentiam ſanctam, & quòd Divina Providentia dormiat? Dicitur Deus triumphare quandiu nos ſumus oppreſſi, *Dies erit vobis ſancta atque venerabilis, & affligetis animas veſtras* ſ. Super quod ait Origenes t, *Si* ſ Num. 29. 7
vis diem feſtum agere, ſi vis ut lætetur Deus ſuper te, affligo animam tuam, & humilia eam. Feſtivitates t Orig. hom. 23. in Num. 29. 7
Dei non recipiunt dulcedinem corporalem, nihil remiſſum, nihil voluptuoſum, aut luxurioſum volunt, ſed afflictionem animæ, & amaritudinem, humilitatemque depoſcunt. Quandiu ſumus nos oppreſſi ſub torculari malorum, Eccleſia triumphans ſuos dies feſtos agit intuitu ſuppliciorum noſtrorum. Poſthæc dicine poteſt quòd ſit Providentia? Sed ponamus quòd Deus nos dereliquiſſet, poſſetne nobis contingere pejus quàm iſtud? cùm Job repræſentetur nobis percuſſus *ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem ra-*

a Job 2. 7. & 8
debat, ſedens in ſterquilinio u: item, *in ferventis olei dolium miſſus beatus Ioannes Apoſtolus*, ut canit Ec-
x Act. 7. 58
cleſia: S. Stephanus lapidibus obrutus x: S. Lau-
y Pſ. 16. 3
rentius *igne* y *examinatus*: S. Bartholomæus excoriatus: S. Sebaſtianus ſagittis confoſſus: S. Paulus gladio peremptus: S. Petrus cruci ſuffixus, juxta prædictionem Salvatoris, *Extendes manus*
z Joan. 21. 26
tuas z: *Id eſt, crucifigêris*, ſubdit Gloſſa Ordinaria. Et ſic de omnibus aliis Martyribus, præſertim verò de Innocentibus noſtris, quos Deus relinquit in prædam lupis rapacibus. Mirabimurne ergo? ſi
a Pſ. 72. 2. & 3
David a exclamet, *Mei autem penè moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei: quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Heu qualis Providentia! quod Innocentes opprimantur, & criminoſis omnia ſuccedant ad votum.

Sed heu! quiſnam ſermo, quænam blaſphemia, dubitare de Divinâ Providentiâ? Poſſetne contingere major felicitas his Innocentibus, quàm ut morte ſuâ è terrâ in cœlum transferantur? *Hi à cunabulis in cœlum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolii Senatores, & Iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis; aſſiſtuntque miſerationibus & ultionibus Divinis, ſed ſæpiùs Agni, quem quocunque*
b ex Apoc. 14. 4
ierit, proſequuntur b, *manſuetudine, quàm irâ vel furore utuntur*, ait S. Cyprianus c. Nunquid non hoc
c S. Cypr. ſerm. de Stellâ, & Magis, & Innocent. nece, n. 8. & 9.
eſt eximium ſtratagema providentiæ Dei? *Sic Sanctorum perſecutionibus Tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, meliorîs vitæ ſtatum eis procurat: & quod ille in perditionem molitur, mutuantur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur*, dicit paulo antè idem S. Cyprianus d.
d Idem Ibid. n. 6.
Non eſt ergo cur defleamus eorum interitum, in-
e Euſeb. Emiſſ. in Nativit. Innocent.
quit Euſebius e: *Ubi enim lætitia vincit lacrymas, gaudium mœrorem, & gloria paſſionem, ibi conſolatio neceſſaria non eſt. Magis enim lætandum eſt de illâ vitâ, quam de iſtâ ſit dolendum quam amiſerunt. Quid eſt enim hæc vita ad comparationem illius vitæ?* Eſt igitur adoranda Divina Providentia, nedum accuſanda, cùm terra mutetur eis in cœlum.

f Philo lib. de Joſeph In Gen. 44. 1. & 2
Sed quàm apprimè & perfectè Philo f cognovit hoc Divinum ſecretum, cùm dixit, *Ioſeph dat fratribus munera, quaſi vellet benè meritis ſolvere beneficium perſecutionis, ejectionis in ciſternam, & ven-*
g ex Gen. 37. 18. &c.
ditionis g. Nedum Joſeph queratur de fratribus ſuis, è contrà reſpicit eos ut inſtrumenta ſuæ felicitatis, & ait illis, *Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me: ſicut impræſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos popu-*
h Gen. 50. 20
los h. Ceſſate igitur ignari, deſinite ingrati queri de Deo: & diſcite à S. Stephano novam loquelam,
i Act. 7. 60
Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum i. Non iraſcitur S. Stephanus adversùs eos, quorum interventu ſibi paradiſi gloriam cernit aperiri. Vidiſtiſne unquam virum nobilem qui iraſcatur contra Regem qui ipſum conſtituit Equitem ordinis? Vel hominem vilis conditionis qui maledicat ei qui ipſum facit opulentum? S. Stephanus intuetur ſe fieri Martyrem, nunquid iraſcetur? Conſtituitur Princeps cœli, fierine poterit ut efferatur irâ propter aliquos iſtorum lapidum, quibus impetitur? Dantur ei omnes divitiæ paradiſi, irritabiturne propterea? Dicam vobis quid amplius, quòd in ipsâ crudelitate ſupplicii, diſtillant in eum omnes
k S. Ambr. ſerm 45. de bono Latrone. ex Luc. 23. 45
dulcedines paradiſi, ſicut ait S. Ambroſius k de bono Latrone, *Non patitur ſupplicium, dum paradiſum promeretur.* Refertur ad hoc propoſitum de quadam Matronâ Romanâ, quòd, cùm promiſiſſet ſe tradituram Gallis patriam ſuam eâ condi-

tione ut ſibi magnus numerus daretur annulorum & gemmarum, tantus datus ſit ipſi torquium & catenarum aurearum numerus, ut ſub onere ſic gravi moreretur & rideret ipſa ſimul, quippe ſic immodico pondere extincta æquè ac oppreſſa: Innocentes ſe vident oppreſſos palmis, trophæis, & coronis; plus palmis quàm manibus, plùs coronis quàm capitibus, & plus trophæis quàm corporibus: vultiſne ut iraſcantur? Nolite reſpicere ſanguinem qui fluit, ſed gloriam quæ inde acquiritur. Quando conchæ unionum matres cruentantur, ſtatim videntur omnes guttæ ſanguinis in uniones mutari; quò plus eſt in eis ſanguinis, eò plus eſt in illis divitiarum. Impoſſibile erat ut major felicitas contingeret his parvis creaturis. Putatiſne vero quòd Herodes occiderit hos infantes, aut ſibimetipſi fauces præciderit? *Magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inventor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis pejor, peſſimus ſibi, in ſe vadit, qui vadit in Deum; ſe occidit, qui Vitam*
l ex Joan. 14. 6
l *conatur occidere*, dicit S. Chryſologus m. Sic
m S. Chryſol. ſerm. 152
ut crudelitas irruerit in ſeipſam, & Herodes mortuus ſit manu ſuâ, & gladio proprio, ſicut *arripuit Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum* n. Nam
n 1. Reg. 31. 4
quantum ad iſtos Innocentes, Ha! ipſi ſunt pleni felicitate, martyrio coronati, *Ecce parvuliſſimi, quos hoſtis naturæ, pietatis inimicus, beſtialis ſævitia, inaudita crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubitò fiunt Martyres, & dum vice Chriſti, & pro Chriſto avulſi à matrum uberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione, & ſufficit cauſæ teſtimonio, licèt nondum eloquio diſtinguatur*, ait S. Cyprianus o. Et Sancti ordina-
o S. Cypr. loco ubi ſuprà n. 6
riè, cùm opprimuntur ab hominibus, inebriantur dulcedinibus Seraphinorum, ſicut ait S. Ambro-
p S. Ambr. ſerm. de S. Laurent.
ſius p de S. Laurentio inflammato ardoribus ignis Divini: *Hoc igne beatus etiam Laurentius accenſus, flammarum non ſentit incendium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnâ non ardet. In quantum enim in illo fidei ardor fervet, in tantum ſupplicii flamma frigeſcit. Corporalis enim beatus Laurentius dum laborat incendio, hinc amore Chriſti ſuccenditur, inde perſecutoris flammâ torquetur, ſed Divinus Salvatoris ardor materialem Tyranni reſtinguit ardorem.* Nec mirum, cum Patriarcha Jacob amore Rachelis ductus, pœnis licet oppreſſus, majores expeteret ad conciliandam ſibi eandem Rachelem, quæ erat figura gloriæ, *Die noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis* q, ajebat ipſe, ſoce-
q Gen. 31. 40
rum ſuum Labanum alloquens. *Servivit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* †.

† Gen. 29. 20
Cornelius r explicans hæc verba Scripturæ,
r Cornel. in Gen. 25. 23
Major ſerviet minori, dicit, *Primogenitus Eſau ſerviet minori Iacob. Tropologicè, Mali ſerviunt Bonis, Tyranni Martyribus; qui à ſuâ perſecutione, cruciatibus, & tormentis parant & fabricant eis coronas æternas.* Id eſt, Sicut malleus & incus ſerviunt auro, cùm illud poliunt; quemadmodum fornax ſervit eidem auro, cùm ipſum purgat vi ignis; & non ſecus ac rota quæ decôrat adamantem: re enim verâ tot mala Eſau intulit Jacobo ſ, ut dici non
ſ Gen. 27. 41. &c.
poſſit quid amplius: ſed ſine malis iſtis fortaſſe Iacob non fuiſſet ita ſanctus. Eripite crucem S.
* Joan. 21. 26
Petro *, gladium S. Paulo, & S. Iacobo t, oleum
t Act. 12. 2
fervens S. Ioanni Evangeliſtæ, lapides S. Stephano
u Act. 7. 58
u, craticulam ignitam S. Laurentio, ſagittas S. Sebaſtiano, & pugionem Innocentibus, ſpecioſiſſimam gemmam aufer etis à corona eorum, &

avelletis

x Apoc. 14. 2.

avelletis palmam ab illorum manu. S. Joannes x ait, *Et vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Iſtæ citharæ ſunt corpora Martyrum extenſa ſuper equuleos, & rotas, & ictibus flagellorum percuſſa: tota autem illorum gloria eſt laudare Deum pro eo quod patiuntur ipſi propter amorem ejus. *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus* y. Auſcultate quomodo, ſicut canit Eccleſia, *cùm perveniſſet beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit, & dixit: O bona crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus qui pependit in te.* Quâ ratione S. Ignatius Martyr z veluti bellum indicat omnibus creaturis, eaſque provocet ad ſe cruciandum, *Ignes, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò ut Ieſum nanciſcar.* Et quo pacto S. Paulus a dicat, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio, an gladius? Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

y Pſ. 149 9.

z S. Ignat. Epiſt. 15 ad Rom.

a Rom. 8 35. &c.

b Tertul. l. de Patient. c. 14.

Tertullianus b loquens de Job, dicit de eo, *Operarius ille victoria Dei. Quale in illo feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit?* Id eſt, interventu patientiæ illius, quæ, ſicut ait S. Jacobus c, *opus perfectum habet.* Quia, ut dicit S. Thomas d, *per patientiam dicitur homo animam ſuam poſſidere* e, *inquantùm radicitùs evellit paſſiones adverſitatum, quibus anima inquietatur.* Eſtne igitur oblviſci Sanctorum, ac eos collocare in altiſſimo honoris apice, eripiendo eis omnes perturbationis cauſas? Et Seneca f diſſerens de conſtantia Catonis, ait, *Non fuit Diis immortalibus ſatis, ſpectare Catonem ſemel. Retenta ac revocata virtus eſt, ut in difficiliori parte ſe oſtenderet, Non enim tam magno animo mors initur, quàm repetitur. Mors illa conſecrat, quorum exitum & qui timent, laudant.* Innocentes ſunt majores patiendo mortem, quàm Adam in paradiſo *voluptatis* g: & glorioſiores ſanguine ſuo cruentati, quàm Lucifer gratiâ radians in firmamento, *in deliciis paradiſi Dei, perfectus in viis ſuis à die conditionis ſuæ: donec inventa eſt iniquitas in* h *ipſo.*

c Jacob. 1. 4

d S. Thom. 2. 2. q. 136. a. 2. ad 2

e ex Luc. 21. 19

f Senec. l. Cur bonis viris mala accidant. c. 2.

g Gen. 2. 8.

h Ezech. 28. 13. & 15.

Origenes i ſuper hæc verba S. Matthæi, *Statuet oves à dextris ſuis*, quærit quare Prædeſtinati vocentur oves. Et reſpondet, *Oves dicti ſunt qui ſalvantur, propter manſuetudinem quam didicerunt ab eo qui dicit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde* k. *Et propter quod uſque ad occiſionem parati fuerunt venire imitantes Chriſtum, qui ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce* l: *& non ſimpliciter ſine voce, id eſt, coram auferente quæ ſunt ipſius & diripiente.* Sic Prædeſtinati, ſunt velut oves innocentes, (*Quia propter te mortificamur totâ die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*, ait Apoſtolus m poſt Pſalmiſtam Deum alloquens) ut victimæ deſtinatæ ad afflictiones, ad adverſitates, ad flagellationes, ad incarcerationes, & ad omne genus malorum. Et ſuper hoc Interpretes quærunt quare ex omnibus animalibus Deus elegerit ovem & *agnum* n pro ordinario & gratiſſimo ſuo ſacrificio potiùs, quàm quodlibet aliud & nobilius & excellentius animal. Et reſpondent, *Quia ovis tota ſancta & utilis eſt.* Nulla pars in ea eſt, quæ non ſerviat ad gloriam Dei. Nam primò pellis crudeliter extenſa, faciebat tympana pro Muſica; inteſtina tracta ſuper equuleos ſerviebant ad faciendas citharas Levitarum; oſſa perforata & bene limata, inſumebantur ad concinnandas fiſtulas; & caro & ſanguis adhibebantur ad holocauſtum: hoc animal ad nihil aliud valebat niſi ut in fruſta diſcerperetur, ideoque erat victima grata quæ ſacrificabatur Divinæ Majeſtati: eximia & digniſſima figura Sanctorum: videntur enim ipſi non eſſe idonei, niſi contuſioni, percuſſioni, & combuſtioni: & tamen ipſi ſunt amici Dei, & vera holocauſta Divinæ Magnitudinis: ipſi ſunt velut aurum purum foſſilium terræ, tranſiens per paſſiones & tolerantias, ut ait Eccleſiaſticus o, *Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Ideò ut Deus oſtendat potentiam ſuam, ſapientiam ſuam, & bonitatem ſuam in modo procedendi ſuæ providentiæ, quæ in principio diſcursûs iſtius videbatur anſam ſcandali porrigere capeſſendam. Potentiam ſuam, educendo totum e nihilo, ſicut aliàs in creatione p, è cineribus Phœnices, è centro luti aurum puriſſimum, è tempeſtatibus maris uniones Orientales, è turbinibus aëris iridem præclaram, è flammis ardentibus ignes lætitiæ & ſtellas micantes, tandem è ſtercore paradiſum. Sapientiam ſuam, ſatagendo ut deſperatio pariat ſpem, mors parturiat vitam, infernus tormentorum enitatur paradiſum deliciarum in favorem Sanctorum, de quorum ſalute videbatur conclamatum: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio, exitus illorum. Et ab itinere juſto abierunt in exterminium, & quod à nobis eſt iter exterminii: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos* q. Bonitatem ſuam, mutando ſpinas in roſas, clavos in ſceptra, torques in coronas gloriæ, gladios in palmas, rotas in trophæa, tumulos in mauſolea, corpora eorum in thecas ſacras, corda eorum in pretioſas reliquias, & animas ipſorum in Angelos, & in parvos Deos: *Ego dixi, Dii eſtis* r.

i Orig. Tract. 34 in Matt. 25. 33

k Matth. 11. 29

l ex Iſa. 53. 7. & ex Act. 8 32.

m Rom. 8 36. ex Pſ. 43. 22.

n Levit. 3 6. & 7

o Eccli. 2. 5

p Gen. 1. &c.

q Sap. 3 2. &c.

r Pſ. 81. 6.

S. Chryſoſtomus s loquens de patientia Job à diabolo cruciati, dicit, *Noſti quale tribulationis ſit lucrum? Niſi enim vulnerum ſtimulus eius fodiſſet corpus, nunquam interiores radii relux iſſent: Niſi in ſtercore ſedere coëgiſſet virum, nequaquam ejus divitias cognoviſſemus.* Oportebat ut iſte vir eximius undequaque perforaretur, ut tot virtutes ipſius emicarent. *Frater fui draconum* t, ait ipſemet. Super quod ait S. Gregorius u, *Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet* x: *ſic roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit.* Propterea Sponſus ſacer ait, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* y. Oportet ut unuſquiſque paſſiones pertranſeat, ut manifeſtare poſſit virtutem ſuam. Cùm *Abraham extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum: ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham, nunc cognovi quòd timeas Dominum* z. Quaſi diceret, Anteà cognoſcebam per deſideria, nunc autem cognoſco per effectus. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt*, ajebat David a. *Tribulationes cor meum ſurſum elevaverunt*, legunt aliqui. *Diluvium* quod demerſit improbos, elevavit Noë & *arcam in ſublime à terra* b. Cùm Darius animare voluit milites ſuos, qui dimicaturi erant cum Alexandro Magno, dixit eis hæc verba gravia & urgentia, *Hæc dies imperium, quo majus nulla vidit ætas aut conſtituet, aut finiet*, Sic Divina Providentia alloquitur Electos,

s S. Chryſoſt. hó. 5 de Patient. Job ex Job 2, 7 & 8

t Job 30. 29.

u S. Gregor. l. 20. Mor. c. 29.

x ex Gen. 4. 4. &c.

y Cant. 2. 2.

z Gen. 22. 8. &c

a Pſ. 24. 17.

b Gen. 7. 17.

& hoc

& hoc eſſet eis injuriam irrogare, ac illos à perſecutionibus liberare. Putatiſne quòd Sanctos pœniteat aliquid pertuliſſe? Nequaquam: cùm è paſſionibus ſuis magnas hauſerint utilitates. Re autem verâ Seneca c putat, quòd patientia eſt ſolus modus, qui nos ſimiles facit Deo, nos reddit parvos Deos, imò verò nos velut extollit ſupra Deum, qui pati non poteſt; dicens nobis, *Ferte fortiter; hoc eſt, quo Deum antecedatis.* Sic eſt, Auditores: efficimur Dii patiendo: *Nam quos praſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d. Quod intelligi debet de afflictis & patientibus, quorum Jeſus Chriſtus primus eſt. Abrahæ *dicit Dominus, multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris* e. Sed ſi non ſunt niſi arena, quomodo poſſunt eſſe ſtellæ? *Quomodo nempe ſtellæ in nocte lucent, in die latent: ſic vera virtus, quæ ſæpè in proſperis non apparet, eminet in adverſis*, ait S. Bernardus f. Unde videtis quòd eſſe debeamus ſtellæ lucentes nocte faſtidiorum & adverſitatum. Sed quomodo arenæ maris? Oportet ut ſimus arenæ maris, ad hoc ut efficiamur ſtellæ paradiſi; percuſſi inſtar arenæ, ut ſublimemur ad gloriam. S. Joannes g ait, *Ipſa civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd primùm vitrum, quod unquam factum eſt, fuit ex arena maris aliquibus mixta lapidibus, & in ignem projectâ: ſtatim enim viſus eſt manare nobilis iſte liquor micans inſtar argenti fluentis: totus paradiſus factus eſt è vitro, id eſt, è Sanctis, qui cùm fuerint arena per humilitatem, contriti lapidibus calumniæ & oppreſſionis, & projecti in ignem paſſionum h, exiverunt inde more ſtellarum ſplendentium: & ſi velimus ad illorum ſocietatem admitti, debemus eſſe arena per depreſſionem, & nos ſubmittere cum generoſâ reſignatione decretis Divinæ Providentiæ in omnibus quæ nos intuebuntur.

c Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant, c. 6

d Rom. 8. 29

e Gen. 22. 16. & 17

f S. Bern. ſerm. 27. in Cant.

g Apoc. 21. 18

h Sap. 3. 6

Tertullianus i profert verbum pretioſum, quo cum finio diſcurſum iſtum: nam deridens Ethnicos, qui vexabant Chriſtianos, & putabant eis jacturam irreparabilem inferre, dicit illis: *Ut reverâ nobis, maximè qui propter Deos ipſos plectimur, ſolatium pœnarum eſſe poſſit, quod eadem & ipſi patiuntur, ut fiant. Crucibus & ſtipitibus imponitis Chriſtianos? In patibulo primùm corpus Dei veſtri dedicatur. Ungulis deraditis latera Chriſtianorum: at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſcia, & runcina & ſcobina. In metalla damnamur: inde cenſentur Dii veſtri.* Quaſi diceret, Inde conſolatione perfundimur nos Chriſtiani, qui affligimur ob Deos veſtros, quòd iſti ſimilia paſſi ſunt tormenta, ut admitterentur ad numerum Deorum. Alligatis nos patibulis? Sed eadem patibula, quæ ſunt inſtrumenta ſupplicii noſtri, ſunt etiam materia, quâ conſtant ſtatuæ Deorum veſtrorum. Ungulis ferreis raditis corpora noſtra: ſed membra Deorum veſtrorum ligneorum & lapideorum nunquid non poliuntur iiſdem ungulis, ut ſunt aſciæ, ſecures, ſerræ, & ſcalpra? Damnatis nos ad foſſilia: ſed ut educamus inde metalla, quibus Dii veſtri funduntur. Dicamus igitur, Auditores, Deo cum S. Auguſtino k, *In hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit.*

i Tert. Apologet. c. 12

k S. Aug. in Pſ. 37. 2

IN CIRCUNCISIONE DOMINI.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer †, *vocatum eſt nomen ejus Ieſus.* Luc. 2. 21.

† ex Levit. 12. 3

DEus decreverat aliàs, ut, ſi aliquis neceſſitate ductus poſſeſſionem ſuam vendidiſſet, propinquus ipſius poſſet illam redimere, cõſignando eandem ſummam, quæ pro illius venditione ſuſcepta fuiſſet. Ecce tenor legis Levitici a, *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus ejus, poteſt redimere, quod ille vendiderat.* Quis ex nobis neſcit, Auditores, quomodo Adam vendiderat prædivitem poſſeſſionem cœli, cùm vetito *de fructu comêdit* b, & conſequenter omne jus quod prætendere poteramus ad beatitudinem? Secundùm iſtam legem nobis ſpes effulgebat illam denuò ingrediendi, cùm aliquis è propinquis ipſius poſſet illam redimere, ſi haberet unde ſolveret ſummam requiſitam. Adam multos habebat propinquos: omnes enim homines ſunt ipſi propinqui, deſcendentes ab ipſo veluti tot rivi c; ſed omnes erant pauperes, nec ullus ſolvere poterat pretium neceſſarium ad hanc redemptionem, nec ſatis dives ad ſolvendum illud debitum: Deus erat quidem ſatis opulentus, cùm *gloria & divitiæ in domo ejus* ſint, ut ait Pſalmiſta d: ſed non erat è progenie noſtrâ: tamen miſericordiâ ductus intuitu infortunii noſtri, quod reddebat nos conſcios criminis antequàm aperiremus oculos ad cognoſcendum idem crimen; voluit ſe facere hominem, ut conjungeret ſibi hominem, & hoc modo redimeret, ut verus propinquus, hæreditatem noſtram: *A plantâ pedis uſque ad verticem non erat in nobis ſanitas* e: *erraveramus ab utero* f: *in utero damnati antequàm nati: quia de peccato & in peccato concepti* g. *Chriſtus ergo ibi primùm medicinam appoſuit, ubi primus vulneris patebat locus: & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus, de Spiritu ſancto conceptus eſt* h: *ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus ſi non fecerat, tamen infecerat* i: *ut non eſſet otiosa in utero vita ipſius otioſa, dum novem menſibus purgat vulnus antiquum, ſcrutans, ut dicitur, uſque ad imum putredinem virulentam, ut ſanitas ſempiterna ſuccederet*, ait S. Bernardus k. Sed hodie præſertim incipit admovere manum crumenæ, ut conſignet ſummam, quæ peragat redemptionem noſtram, quæ ſolvat debita noſtra, & quæ nos reſtituat in hæreditatem noſtram. Pretioſus ſanguis ipſius eſt iſta pecunia, quam B. Virgo Mater ſua providit ipſi, cùm conceperit ipſum *in utero* l ſuo, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* m *Maria.*

a Levit. 25. 25.

b Gen. 3. 6

c Gen. c. 4. & ſeqq.

d Pſ. 111. 3

e ex Iſai. 1. 6

f ex Pſ. 57. 4

g ex Pſ. 50. 7

h ex Matth. 1. 20

i ex Sap. 2. 24. & ex Gen. 3. 1. &c.

k S. Bern. ſerm. 2. Penteceſt.

l Luc. 1. 31 ex Iſai. 7. 14

m Luc. 1. 28

Non eſt aliquid quod æquè commendet excellentiam cauſarum ac magnitudo effectuum ſuorum; & homines vellent quidem, ſi poſſent, ſe reddere immortales in operibus ſuis, ut eorum aliquam recordationem poſteritati relinquerent, & ipſi viverent omnibus ſeculis per famam: hoc eſt ipſorum conſilium, & ad hoc tendunt maximi conatus ipſorum; & propter hunc magnum

effectum

effectum inſumunt ad hoc maximas potentiæ ſuæ notas. *Porrò Abſalom erexerat ſibi cùm adhuc viveret, titulum, qui eſt in Valle regis: dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine ſuo, & appellatur, Manus Abſalom* n. *Fecit etiam Salomon thronum de ebore grandem: & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: non eſt factum tale opus in univerſis Regnis* o. Sic Imperator Juſtinianus eodem motivo ductus ſategit ædificandum Conſtantinopoli altare S. Sophiæ ex argento, ex auro, è lapidibus pretioſis, & ex omnibus raritatibus mundi, quæ omnia fundi & liquefieri fecit & coadunari induſtriâ nondum viſa, ſicut ad illud opus eximium concurrerunt divitiæ & potentia totius Imperii: & præcepit prope illud collocari ſtatuam Salomonis, qui ſtupere videbatur, & abſcondere ſe præ pudore quo ſuffundebatur, videndo ſuam quam ipſe Deo *ædificavit domum, & conſummavit eam* p cum tantâ magnificentiâ, veluti ſuperari a templo iſtius Imperatoris. Quod erat pura vanitas Principis mundani, qui non agebat niſi intuitu gloriæ quam volebat acquirere, deſiderans ſe commendabilem exhibere poſteritati, & exigere univerſorum populorum admirationes. Quòd immortales nihil facere poſſunt immortale, & ultra ſphæram activitatis ſuæ; & tamen conantur relinquere eis, qui ipſis ſuccedunt, opera abbreviata ad probationem ſuæ magnitudinis, & in teſtimonium ſuæ potentiæ: quid agere debebat ille qui eſt *Rex gloriæ* q, *& habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* r? Numquid non eſt res condecens ipſius majeſtatem, ut, poſtquàm extendit ſuper capita noſtra hunc prædivitem papilionem cœlorum, qui nihilominus non eſt niſi opus digitorum ſuorum, ſicut ait Pſalmiſta ſ, ipſum alloquens, *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum*, faceret monumentum, ad quod concinnandum ipſe faceret *potentiam in brachio ſuo* t, & ad quod congregaret delicatiſſimos quoslibet ſuæ pulchritudinis characteres, & omnia manifeſtiſſima ſuæ poteſtatis inſignia? Et illud eſt quod ipſe fecit in myſterio Incarnationis, terræ dans hominem Deum, qui eſt opus ſuum eximium, *Qui eſt imago Dei inviſibilis: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* x. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* y. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* z. Et in quo ipſe exhauſit potentiam ſuam, cùm non poſſit ipſe facere quid dignius & majus Deo humanizato & homine deificato, ſicut docet S. Thomas a, *Quòd humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* b, *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* c, *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei* d, *habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito quod eſt Deus* e: *& ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Et is eſt iſte Infans, quem vidimus ab octo diebus reclinatum *in præſepio* f, qui cùm ſit re verâ id omne quod dixi, videtur apparenter contrarium illius. Is eſt iſte Infans qui hodie nobis apparet in apparatu oppoſito ſuæ magnitudini: & licèt ipſe ſit opus eximium Omnipotentis, tamen non contentus eo quòd ſe fecerit

n 2. Reg. 18. 18
o 3. Reg. 10. 18. &c.
p 3. Reg. 6. 14. &c.
q Pſ. 23. 7. &c.
r Apoc. 19. 16
ſ Pſ. 8. 4
t Luc. 1. 51
u Coloſſ. 1. 15
x Coloſſ. 2. 3. & 9
y Sap. 7. 26
z Hebr. 1. 3
a S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
b ex Joan. 1. 14
c ex Joan. 17. 3
d ex Luc. 1. 31. & ex Iſai. 7. 14
e ex Baruch. 3. 25
f Luc. 2. 7

hominem propter amorem noſtrum, *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* g: apparet ut peccator præ exceſſu amoris ſui, *In ſimilitudinem carnis peccati* h. Unicum remedium peccatorum, circuncidi vult ut peccator. Et cùm felicitas ſuæ nativitatis ipſum reddiderit in æternitate coæqualem Patri ſuo, ſicut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* i: in tempore amor ſuus reddit ipſum æqualem fratribus ſuis, qui ſunt homines, *Debuit per omnia fratribus ſimilari* k. Videbitis igitur in duplici parte diſcurſus iſtius duos magnos effectus iſtius amoris. Prior erit circa circumciſionem ſuam. Poſterior autem circa impoſitionem ſacri nominis Jeſu, conformiter ad verba Textus mei.

g Philipp. 2. 7
h Rom. 8. 3
i Joan. 10. 30
k Hebr. 2. 17
Diviſio.

L. Pars.

S. Cyprianus l ait, quòd omni tempore fuerunt aliqua remedia ad delendum peccatum originale, unò verò ante circumciſionem, quæ Deus revelavit Adæ, & per eum conſequenter omnibus patribusfamilias uſque ad Abraham, cui lex circumciſionis data fuit m: ecce verba illius: *Sanè originale peccatum, quod à primis patribus in totam generis hujus ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licèt vim plenam ſignificantiæ non habuerint, donec ad ipſam rem ventum eſt. Et licet Sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam* n *uſque ad Noe* o *ſacrificia Deo conſtat fuiſſe accepta, quæ uſque ad illud tempus ſine legis diſtinctione divinitùs inſpirata inſtitutione primi homines celebrarent.* Neceſſitas circuncisionis non erat momenti minoris in Lege antiquâ, quam ſit nunc in Lege gratiæ, neceſſitas Baptiſmi, in quo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* p. Videmus illius neceſſitatem in mandato quod illius fecit Deus Abrahæ poſt diluvium, *Dixit Deus ad Abraham, Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris* q. Et hoc, ut eſſet ſignum diſtinctionis inter filios Dei & infideles: nam olim quicumque non erat circumciſus, idem erat ac ſi fuiſſet infidelis, & inter Judæos vir incircumciſus habebatur ut abominabilis, & Matrimonia non erant licita nec honeſta cum illis qui erant incircumciſi.

l S. Cypr. tract. de Ratione Circumciſ. n. 3.
m Gen. 17. 10. &c.
n ex Gen. 4. 4
o ex Gen. 8. 20. & 21
p Joan. 3. 5
q Gen. 17. 9. &c.

Iſtius veritatis exemplum profert nobis Scriptura r, dicens, *Egreſſa eſt Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illâ, vi opprimens virginem. Et conglutinata eſt anima ejus cum eâ, triſtemque delinivit blanditiis. Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem. Quod cùm audiſſet Iacob abſentibus filiis, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit donec redirent. Egreſſo autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Iacob, ecce filii ejus veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati ſunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſrael, & violatâ filiâ Iacob rem illicitam perpetraſſet. Locutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi uxorem. Et jungamus viciſſim connubia: filias veſtras tradite nobis, & filias noſtras accipite. Reſponderunt filii Iacob Sichem & patri ejus: Non poſſumus facere quod petitis, nec*

r Gen. 34. 1. &c.

dare ſororem noſtram homini incircunciſo : quod illicitum & neſarium eſt apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus. Tunc dabimus & accipiemus mutuò filias veſtras, ac noſtras : & habitabimus vobiſcum, erimuſque unus populus. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus. Nec diſtulit adoleſcens quin ſtatim quod petebatur, expleret : amabat enim puellam valde.

f S. Thom. 3. p. q. 70. a. 1. in corp. & a. 2. S. Thomas f ait, quòd circuncisio non ſolùm ſerviebat ut ſignum, ſed etiam erat ut ſolemnis proteſtatio fidei, & profeſſio publica religionis & cultus veri Dei, ſicut eſt nunc Baptiſmus : *Quòd Baptiſmus dicitur Sacramentum fidei : inquantùm ſcilicet in Baptiſmo fit quadam fidei profeſſio, & per Baptiſmum aggregatur homo congregationi fidelium.* t 2. Cor. 4. 13 *Eadem autem eſt fides noſtra & antiquorum Patrum, ſecundùm illud Apoſtoli t, Habèntes eundem Spiritum fidei, credimus. Circunciſio autem erat quadam proteſtatio fidei. Unde dicitur quòd Abraham accepit circuncisionem tanquam ſignaculum fidei u.* u ex Rom. 4. 11 *Unde & per circunciſionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Prætereà, In circunciſione homo profitebatur obſervantiam veteris legis, ſicut in Baptiſmo profitetur obſervantiam novæ legis, unde Apoſtolus x dicit,* x Gal. 5. 3 *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſa legis faciendæ.* Tandem, Circunciſio erat olim inſtituta ad delendum peccatum originale, ſicut illud nunc delet Baptiſmus, cùm peccatum originale a principio mundi infecerit totam naturam humanam, & homines ex tunc venerint in mundum *naturâ filii iræ* y. y Ephes. 2. 3 Sed quidnam intueor hodiernâ die ? Cum circuncisio ſit remedium peccatorum, Jeſus circunciditur velut unus inter peccatores. Sed quid ? *Chriſtus Filius Dei vivi* z, z Matth. 16. 16 *Rex gloriæ* a, a Pſ. 23. 7. &c. naſcitur ut pauper, *in præſepio* b; b Luc. 2. 7 circunciditur ut peccator apparens, *In ſimilitudinem carnis peccati* c; c Rom. 8. 3 redimitur d d Exod. 34. 20 ut ſervus; & crucifigetur ut fur infamis ſuper ignominiæ patibulum, & crucifigentur *cum eo duo latrones : unus à dextris, & unus à ſiniſtris* e e Matth. 27. 38 ? *Quis audivit unquam tale ? & quis vidit huic ſimile* f? f Iſai. 66. 8 Sed ad quid iſta circuncisio ? Benè quidem pro filiis Adæ : ſed hæc non decet Filium Dei. Convenit ipſa quidem peccatoribus : ſed dedecet eum *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* g. g 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9 Verum eſt, Auditores : humilitas & amor Salvatoris ſimul ſtupore me cient : ſed etiam ipſius circuncisio videtur occaſio ſcandali. Circuncisio eſt remedium contra peccatum originale : Filius verò Dei nullum patràvit unquàm peccatum, cùm ſit ipſamet Innocentia, & Sanctitas per eſſentiam, putà, *Sanctus ſanctorum* h: h Dan. 9. 24 & ut ſic eſt in ſanctâ impotentiâ committendi unquam peccati, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait illi Pſalmiſta i. i Pſ. 5. 5 Conſiderare debemus illum ſicut eum, quem *fecit Moyſes ſerpentem æneum* k k Num. 21. 9 in deſerto, qui habebat quidem formam ſerpentis, ſed non habebat illius venenum : nam ipſe ſumpſit quidem habitum peccatoris, *In ſimilitudinem carnis peccati* l. l Rom. 8. 3 Sed non venenum peccati, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* m. m Joan. 1. 29 Cur igitur ſe ſubjicit huic ignominioſæ legi, quæ non eſt inſtituta niſi pro peccatoribus ? De famâ ipſius agitur, honor ipſius incurrit jacturam, & magna irrogatur injuria innocentiæ & ſanctitati ipſius incomparabili. *O ſuavitatem, ô gratiam, ô amoris vim ! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium ? Quis hoc fecit ? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius ? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum ? Amor eſt. Quæ eſt vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam ? Denique, ſemetipſum exinanivit* n, n Philipp. 2. 7 *ut ſciat amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt*, exclamat S. Bernardus o.

o S. Bern. ſerm. 64. in Cant. 2. 15 Judæi videntes flere Filium Dei ſuper mortem Lazari amici ſui, inde infallibilem eduxerunt conſequentiam amoris quo eum diligebat, qui amor declarabatur lacrymis quæ ſunt dilectionis probationes, *Et lacbrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum* p. p Joan. 11. 35. & 36 Quòd ſi Judæi eruebant hanc legitimam conſequentiam, concludentes quòd erat in Jeſu Chriſto affectus, cùm in eo eſſent lacrymæ : nunquid non meliùs argumentabuntur Chriſtiani, inferentes quòd eſt amor in eodem Salvatore, videntes exire ſanguinem è ſacro corpore ipſius ? Si enim lacrymæ communes ſunt teſtes amicitiæ, quantò plus lacrymæ ſanguineæ tales erunt ? Quòd ſi amare eſt facere bonum, & plus bonum facere eſt plùs amare, hà qualis amor ! Homo conſcius mille criminum, ab æternâ Juſtitiâ requirebatur ad circunciſionem, ad mortem, & ad damnationem : amor autem Jeſu ſic fortis fuit, ut ipſum induxerit ad exponendum ſe pro eo rigoribus cœli, ad ſuſtinendam pœnam, licèt non patraſſet peccatum. Amor adorabilis Salvatoris mei, qui eſt immodicus ! Ab octo diebus duntaxat natus eſt, & effundere vult ſanguinem ſuum : ipſe dat arrhas ad redimendas animas noſtras, quas per peccatum ſubjeceramus tyrannidi dæmonis, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* q, q Joan. 8. 34 dixit deinceps idem Filius Dei. Et S. Chryſoſtomus r, r S. Chryſoſt. hom. 33. exc. 9. Matth. *Magnus dæmon peccatum eſt.* Et die Paraſceves ipſe tribuet totam ſummam dans ſanguinem ſuum totum ſ. ſ Luc. 22. 44. & Joan. 19. 1. &c.

Sed quare Filius Dei tantum laborem ſuſtinet, niſi ad devinciendos ſibi ingratos, qui non requirunt niſi mortem ipſius, quandiu ipſe vult eis dare *vitam* t ? t Joan. 10. 10 *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* u. u Hebr. 6. 6 Amor ſuus ipſum inducit ad obediendum huic legi circunciſionis ignominioſæ ſimul & doloroſæ, licèt ad eam non eſſet obſtrictus. Heu ! quali excuſatione poterimus prætexere puſillanimitatem noſtram, non obedientes legi Dei, cujus obſervantia ſic eſt facilis ? *Et mandata ejus gravia non ſunt* x. x 1. Joan. 5. 3 Jeſus ſe obſtrinxit pro nobis ad circunciſionem ſic rudem, carnem ſuam obtulit cultro lapideo præcidendam : Heu ! quid dicemus Patri æterno, cùm allegabit nobis obedientiam Filii ſui ? cùm improperabit nobis inobedientiam noſtram, poſt exemplum quod Jeſus Chriſtus nobis dedit obedientiæ ? *Ipſe Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere*, ait S. Bernardus y. y S. Bern. in Declamat. in princip. Si Deus nobis idem mandatum feciſſet, ad quod obſtrinxit Judæos, vel homines primorum ſeculorum, *Maſculus, cujus præputii caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo* z: z Gen. 17. 14 oporteret ut iſtud executioni mandaremus. Ipſe tamen non petit à nobis nonniſi res faciles executu a; a Exod. 20. 3. &c. circa quas, peccator, renuis ei obedire. Credisne quòd Dei Filius fuerit circuncisus ? Non credis iſtud verâ fide : ſi enim hoc crederes verè, ſanè Deum non offenderes. Jeſus Chriſtus humiliat ſe in omnibus actionibus ſuis, ſed nunquam ſic

ſe

ſe humiliat ac in circumciſione ſuâ. Humilitas ipſius apparet in nativitate ſuâ, cùm propter amorem noſtrum reclinatur *in præſepio* b. Sed hæc ſublevatur per apparitionem ſtellæ, & adorationem Magorum, æque ac per canticum Angelorum, & viſitationem paſtorum, *Et paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce, Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Et hoc vobis ſignum, Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo; & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum eſt ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores loquebantur adinvicem: tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de Puero hoc* c. *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* d. In Baptiſmo ſuo humiliat ſe, ſubmittens ſe S. Joanni Baptiſtæ, ſed deſcenſus Spiritus ſancti in forma columbæ, apertura cœlorum, & vox Patris æterni admittentis ipſum pro Filio ſuo, plus ipſum elevant, quàm ipſe ſe deprimat: *Venit Ieſus à Galilæâ in Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aquâ: & ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* e. Tempore ſuæ paſſionis ipſe ligatur, colaphizatur f, flagellatur, *ſpinis* g coronatur, & crucifigitur; ſed gloria ipſius apparet, *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* h. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* i. Sed in circumciſione non videntur ſimilia prodigia, ſed ſola nota peccatoris, licèt ipſe ſit ipſamet Sanctitas: nos autem volumus apparere juſti, venientes ad Confeſſionem; nolumus fateri nos peccatores, licèt ſimus veri criminoſi. Filius Dei circumciditur: oportet etiam ut nosmetipſos circumcidamus quantum ad pravas conſuetudines noſtras, & vitioſas inclinationes noſtras, & quoad occaſiones contagioſas, quæ nos inducere poſſunt ad peccatum: *Hæc enim dicit Dominus, Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum* k.

Conſuetudo erat in lege Moſaicâ imponendorum nominum infantibus in circumciſione l, ſicut nunc fit in Baptiſmo, ad innuendum, quòd homo non meretur deferre ſpecioſum hoc nomen hominis antequàm ſit lotus à peccato originali, cujus maculæ delebantur alias in circumciſione, ſicut nunc expunguntur in Baptiſmate: propterea *poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus*. Nomen auguſtiſſimum omnium quæ unquam fuerint, *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſâ terrâ!* dicit illi Pſalmiſta m. Sed

b Luc. 2. 7
c Luc. 2. 8. &c.
d Matth. 2. 1. & 2
e Matth. 3. 13. &c.
f Joan. 18. 22. & 22
g Joan. 19. 2. &c.
h Luc. 23. 45
i Matth. 27. 51. & 52.
k Jer. 4. 31 & 4
II. Pars.
l Luc. 1. 59 & 60
m Pſ. 8. 2

nomen quod nobis detegit ipſius amorem, cùm Jeſus ſit idem ac Salvator. *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* n.

Non me latet, quod, cùm Deus ſit infinitus in eſſentiâ ſuâ, *Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus* o: non poteſt habere nomen quod magnitudines ipſius explicet, cùm nomina imponantur ad manifeſtandam naturam rerum: ideòque nomen tetragammaton p in Lege Judæorum habebatur ut ineffabile, ſignificans unitatem eſſentiæ & trinitatem perſonarum in Divinitate, quod eſt prorſus ineffabile. Sed licèt non poſſimus tam propter impotentiam noſtram, quàm propter magnitudinem ſuam dare ipſi nomen conveniens eſſentiæ ſuæ, tamen conformiter ad infirmitatem noſtram vocamus eum diverſimodè, modò nomine *Saddai*. Et, ut ait Cornelius q, *Saddai ſignificat Deum quaſi mammeum, qui omnem ſufficientiam & abundantiam quaſi omnipotens tribuat*. Modò nomine *Adonai*, de quo ipſemet *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis* r. Et Cornelius, *In Hebræo non eſt Adonai, ſed nomen tetragammaton. Dico ergo, hoc nomen dici ineffabile, eò quòd ab Hebræis haberetur ſacratiſſimum, & ſummè venerabile, tanquam nomen Dei primarium, proprium & eſſentiale, quod eſſet fundamentum & radix aliorum omnium nominum Dei, eò quòd hoc nomen ſignificat ipſam immenſam eſſentiam & majeſtatem Dei incomprehenſibilem & ineffabilem, à quâ cætera omnia promanant.* Modò *Iehova*, vel, *Iheva*. Et proſequitur Cornelius, *Verum dico, hoc nomen tetragammaton Iehova ſignificare eſſentiam Dei, ipſamque eſſentiæ Divinæ abyſſum, & pelagus immenſum; hoc enim ſignificat nomen, Qui eſt* ſ, *quod idem eſt cum nomine tetragammato. Iehova ergo, ait Maſius, idem eſt quod, qui ab æterno exiſtit, ipſeque ſibi eſſentia eſt, & à quo pendet rerum omnium eſſentia.* Sed inter hæc omnia nomina utiliſſimum, & id quod optimè nobis teſtatur ipſius amorem, eſt nomen Ieſu, quod ipſi fuit impoſitum in circumciſione ex mandato cœli, *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in utero conciperetur.* Unde concludit præfatus Cornelius t, *Allegoricè, Iehova Redemptor Iſraelis ex Ægypto, fuit typus Ieſu, qui fuit Redemptor mundi à captivitate & tyrannide diaboli; hinc nomen Ieſu in Iehova continebatur & repræſentabatur, & hoc illius erat quaſi ænigma, ipſumque nomen Ieſu eſt quaſi declaratio nominis Iehova. Hinc rurſum nomen Ieſu ſanctius & venerabilius eſt nomine Iehova, uti ex Abulenſi demonſtravi Philipp. 2. V. 10. Imò noſter Prado in Ezech. contendit nomen Iehova potiſſimùm referri ad incarnationis & redemptionis humanæ myſterium, illudque à futuro Verbi facinore derivari aſſerit. Iehova enim, ait, idem eſt cum, Ero qui ero, ſcilicet, homo & Redemptor mundi, hoc eſt, Ieſus, id eſt, Salvator hominum.* Nomen admirabile, cùm in nomine illius Reges ſalvari deſiderent, *Deus in nomine tuo ſalvum me fac*, ajebat ei Rex David u. Cùm totum Regnum Iſrael illud admiretur, *In Iſraël magnum nomen ejus* x. Cùm totus mundus ipſum laudet, *A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini* y. Cùm omnes nationes illud timeant, *Timebunt gentes nomen tuum Domine* z. Cùm ita ſanctum ſit & terribile, *Sanctum & terribile nomen ejus* a. Cùm ab ipſo totum pendeat auxilium noſtrum, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* b.

n Luc. 19. 10
o Baruch 3. 25
p ex Exod. 6. 3
q Cornel. in Exod. 6. 3
r Exod. 6. 2. & 3
ſ Exod. 3. 14
t Cornel. in Exod. 6. 3
u Pſ. 53. 3.
x Pſ. 75. 2
y Pſ. 112. 3
z Pſ. 101. 16
a Pſ. 110. 9
b Pſ. 123. 8

Cùm in ſolâ virtute illius ſperemus nos ſalvandos,
Nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo
c Act. 4. 12 *oporteat nos ſalvos fieri* c. Nomen formidabile,
cùm ad ſolam illius pronunciationem fugam ca-
peſſant dæmones, *In nomine meo dæmonia ejicient*
d Marc. 16.17 d. Nomen potens, cùm illius interventu impe-
tremus a cœlo quodcumque volumus, *Si quid*
petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis e. Cùm
e Joan. 16. 23 per illud juſtificemur & reddamur filii Dei, *Sed*
abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis
f 1. Cor. 6. 11 *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* f. Nomen quod
complectitur excellentias omnium aliorum no-
minum, *In die illâ erit Dominus unus, & nomen*
g Zach. 14. 9 *ejus unum*, dicit Zacharias *g*. Et S. Paulus *h*,
Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.
h Philipp. 2.9 Nomen magnum, cùm venerationem Magna-
tum requirat, *Reges terræ, & Principes, &*
omnes Iudices terræ, laudent nomen Domini: quia
i Pſ. 148. 11. & 12 *exaltatum eſt nomen ejus ſolius* i. Et oportet *ut in*
nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terre-
k Philipp. 2.10 *ſtrium, & infernorum* k. Nomen, quod ipſe ſibi
conciliat pretio ſanguinis ſui, *Poſtquàm conſum-*
mati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer, vocatum
eſt nomen ejus Ieſus.

Vidimus die nativitatis Infantem natum, vi-
demus hodie parvum Jeſum datum naturæ huma-
næ in bonam ſtrenam: quid autem dabimus da-
tori, & dato, Patri, & Filio in actionem gratia-
rum pro ſtrenâ ſic proficuâ? quid reddemus Deo
Patri, qui nobis dedit hodie Filium ſuum, & Filio
qui nobis dedit ſanguinem ſuum in bonam ſtre-
l Pſ. 115. 3 nam? *Quid retribuam Domino* l? Menſis Aprilis
ſic fuit vocatus à Latinis à verbo aperio, quia ter-
ra quæ clauſa fuerat rigore hyemis, incipit aperire
ſinum ſuum, ut nobis largiatur abundanter fru-
ctus fertilitatis ſuæ, ſecundùm hoc effatum Poë-
ticum,

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:
Nam tunc omnis ager, tunc omnes parturit arbos.

Invenio alterum menſem aperturæ, & excellen-
tiorem menſe Aprili, ſcilicet menſem Januarium.
Menſis Ianuarius eſt menſis aperturæ: ipſe enim
aperit annum, & ut ſic vocatus *Annorum ſæclique*
caput. Propterea dicatus fuit Iano idolo apertu-
rarum. Sinus Patris æterni apertus fuerat die In-
carnationis ad mittendum Filium ſuum qui ait,
m Joan. 16. 28 *Exivi à Patre, & veni in mundum* m. Cœlum
apertum eſt ad dandum ei tranſitum, *Utinam di-*
n Iſai. 64. 1 *rumperes cælos* n. Nubes effractæ ſunt ad pan-
o Iſai. 45. 8 dendum illi iter, *Et nubes pluant Iuſtum* o. Ter-
ra aperuit viſcera ſua, ut germinaret illum, *Ape-*
p Ibid. *riatur terra, & germinet Salvatorem* p. Id eſt, die
nativitatis ſuæ cor ſanctæ Matris ſuæ apertum eſt
præ affectu, ut ipſum daret naturæ humanæ, & vi-
ſcera ejus virginea dederunt ipſum. Hodie verò
Pater æternus aperit manum ſuam, & dat illum
nobis in bonam ſtrenam, *Aperis tu manum tuam,*
q Pſ. 144. 6 *& imples omne animal benedictione* q. Et dans illum
nobis, replet nos benedictionibus, *Qui ſolvens ma-*
ledictionem, dedit benedictionem; & confundens mor-
tem, donavit nobis vitam ſempiternam, canit Eccle-
r Luc. 1. 78 ſia. Filius aperit *viſcera miſericordiæ* r ſuæ, ſinit ut
aperiatur ſibi caro gladio lapideo circuncißionis, ut
ſanguinem ſuum nobis det in bonam ſtrenam,
quæ eſt omen ſecundi, & tertii doni. Re autem
ſ Matth. 26. 26. & 28 verâ ipſum nobis dabit pro ſecundâ vice in Cœnâ
in refectionem ſ. & pro tertiâ vice in Cruce in
t Joan. 19. 18. &c. redemptionem t, ſicut canit Eccleſia, dabit *ſe*,

convescens in edulium, ſe moriens in pretium. Atqui
Pater æternus, Auditores, aperuit ſinum ſuum,
& nobis dedit Filium ſuum; Filius aperuit car-
nem ſuam, & nobis dedit ſanguinem ſuum:
quamnam aperturam faciemus utrique? quid
reddemus Patri, & Filio? Nobiles, quid aperie-
tis Deo, qui vobis ſic eximiam largitus eſt ſtre-
nam? David u vos illud edocet, cùm ſit ipſe u Pſ. 23. 7
prototypon veræ nobilitatis, *Attollite portas Prin-*
cipes veſtras. Aperite huic amabili Ieſu portas do-
morum veſtrarum, & ipſe ingredietur eas; &
ut in eis maneat, ejicite ab illis odia, luxus, &
juramenta. Quid autem reddetis ei? Idem Da-
vid x vos iſtud etiam docet, *Quid retribuam Do-* x Pſ. 115. 3. & 4
mino pro omnibus quæ retribuit mihi? Aliqui ver-
tunt, *Quid redire faciam ad Dominum?* Quaſi dice-
ret, Totum quod habeo, venit a te: quid ergo
redire faciam ad te? nec enim aliquid habeo niſi
per amorem tuum. *Calicem ſalutaris accipiam, &*
nomen Domini invocabo. Bibam calicem Salvato-
ris alacriter, cùm ipſe incipiat hodie effundere
ſanguinem ſuum; dimittam libenter injurias,
cùm ipſe non dedignetur hodie peccator appa-
rere, licèt *ſanctus, innocens, impollutus, ſegrega-*
tus à peccatoribus y. Præpoſiti juſtitiæ, quid ape- y Hebr. 7. 26
rietis Domino? *Aperite portas juſtitiæ* z. Rese- z Pſ. 117. 19
rate portas prætoriorum veſtrorum, juſtitiæ,
non autem corruptioni, & avaritiæ: *Hæc porta*
Domini a. Id eſt, per quam ingredi vult apud a Ibid.
vos. Quid dabitis ei? Non indiget ipſe bonis
veſtris: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam*
bonorum meorum non eges b. Sed habet egena b Pſ. 15. 2
membra c, quæ indigent juſtitiâ veſtra, tot vi- c Matth. 25. 40
duas deſolatas, tot pauperes orphanos: reddite
illis brevem & æquam juſtitiam: & ſi non ha-
bent unde vobis juſtitiæ ſumptus impendant, of-
ferte labores iſtos Deo pro ſtrenâ. Mercatores,
Deus aperuit vobis theſauros ſuos, largiendo vo-
bis Filium ſuum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapien-*
tiæ & ſcientiæ abſconditi d. Nunquid denegabitis d Coloſſ. 2. 3
ei denarium, vel aſſem, ſi hunc petat a vobis pro
pauperibus? Eccleſiaſtici, quid dabitis Deo?
Ipſe ſe dedit vobis communiter in circuncißione
ut Caput hominum, *Quia membra ſumus corporis*
ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus e. *Et ipſe eſt* e Epheſ. 5. 30
Caput corporis Eccleſiæ f. Sed ipſe ſe vobis dedit f Coloſſ. 1. 18
ſpecialiter in hæreditatem, cum ſuſcepiſtis ton-
ſuram Clericalem, dicentes, *Dominus pars hære-*
ditatis mea g. Sic dediſtis vos ipſos ei ſuper fon- g Pſ. 15. 5
tibus Baptiſmi *h*, abrenunciantes Satanæ; & de- h Joan. 3. 5
inceps dicaſtis vosmetipſos illi, ſumentes Ordi-
nem ſacrum *i*, unde vocamini Clerici à nomine i Joan. 20. 22. & 23
quod ſignificat ſortem, ad innuendum, quòd eſtis
ſors & pars Domini: *Igitur Clericus qui Chriſti ſer-*
vit Eccleſiæ, interpretetur primò vocabulum ſuum, &
nominis definitione prolatâ nitatur eſſe quod dicitur.
Si enim cleros Græcè, ſors Latinè appellatur, propterea
vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel
quia Dominus ipſe ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui
autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem ha-
bet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Domi-
num, & ipſe poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſi-
det, & cum Prophetâ k *dicit, Pars mea Dominus, nihil* k ex Pſ. 72. 26
extra Dominum habere poteſt. Quòd ſi quippiam aliud
habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Domi-
nus, V. g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi va-
riam ſupellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus
fieri non dignatur. Si autē ego pars Domini ſum, & fu-
niculus hæreditatis ejus l, *nec accipio partē inter cæte-* l ex Deut. 23. 9
ras tribus, ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis;
& al-

Digitized by Google

m ex Nū. *& altari ſerviens, altaris oblatione ſuſtentor* m; *ha-*
18.21. & *bens victum & veſtitum, his contentus ero* n; *& nu-*
ex Joſue *dam crucem nudus ſequar*, ait S. Hieronymus o. Fa-
13.14 cite ergo, Domini mei Eccleſiaſtici, ſicut Deus:
n ex 1. ipſum non pœnitet dediſſe ſe vobis: date vos igi-
Tim.6.8 tur illi. Ecce ſtrena, quam dabitis ei: Renovami-
o S.Hier. ni die iſtâ: *Porta atrij interioris in die Calendarum*
epiſt. ad *aperietur* p. Relinquamus aperturam templi ma-
Nepotia. terialis Judæis: Deus habet alia templa in lege
p Ezech Evangelicâ. Sed qualia? Auſcultate S. Paulum
46.1 q, *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* Iſtud templum
q 1. Cor. duas habet aperturas, unam interiorem, & alte-
3.16. ram exteriorem. Ecce Calendæ Calendarum,
primæ anni, *Porta atrij interioris in die Calendarum*
aperietur. Debetis ei aperire portam interiorem,
r Matth. quæ eſt cor ad diligendum ipſum *ex toto corde* r ve-
22.37. ſtro, quod ipſe petit, *Aperi mihi ſoror mea* s. Dein-
s Cant. 5 de, Portam exteriorem, quæ eſt os, ad piè conci-
2. nendas laudes ipſius, *Domine labia mea aperies: &*
t Pſ.50. *os meum annuntiabit laudem tuam* t. Religioſæ ve-
17. rò vitæ Cultores & Cultrices quid dabunt Deo?
Dominus noſter dixit aliàs Seraphico Patri S.
Franciſco, quòd ipſe vellet aliquid ab ipſo habere.
Heu! Domine, reſpondit illi ille Patriarcha pau-
perum, ipſe ſcis quod nihil mihi ſupereſt, cùm *om-*
u Matth. *nia* u reliquerim propter amorem tuum, & me-
19.27. ipſum obſequio tuo mancipaverim. Dominus
&c. noſter dixit ei, Franciſce, mitte manum tuam in
ſinum tuum, & invenies ibi quod mihi tribuas. Is
morem geſſit, & invênit ibi nummum aureum;
quod egit bis, & ter; & ſic invênit ibi tres num-
mos aureos, qui ſignificant tria vota Religionis.
Ego verò quid dabo vobis, Auditores? *Meum os*
x 2. Cor. *patet ad vos* x. Imitabor antiquos, de quorum
6.11. conſuetudine ſcriptum eſt à Profanis, *Incipientis*
anni diem lætis precationibus fauſtum invicem omina-
bantur. Si non habebant quod darent, mutuis
votis & precibus ſibi ſtrenam largiebantur invi-
cem: *Deus det vobis cor omnibus, ut colatis eum. Ad-*
y 2. Ma- *aperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis* y.
chab, 1.2 Utinam Deus, qui vobis apetuit hodie carnem
&c. ſuam ad dandum vobis ſanguinem ſuum pro ſtre-
na, aperiat corda veſtra ad ipſum diligendum ſu-
per omnia, manus veſtras ad agenda bona opera,
& ora veſtra ad concinendas laudes ſuas.

Sed heu! nedum aperiatis os veſtrum ad cele-
brandas laudes nominis Dei, non aperitis illud
niſi ad proferendum hoc ſacrum nomen juramen-
tis execrabilibus. Vigebat aliàs apud Romanos
lex, quæ ad mortem damnabat eos, qui per no-
men Jovis jurabant? profanatores verò ſacri no-
minis Jeſu manebunt impuniti? Hoc ſacrum no-
men ignominiosè excipietur ab impijs, & de his
nulla pœna requiretur? Inter eoſdem Romanos
altera lex erat, quâ ſtatutum erat, ut, ſi quis jura-
ret per Deum Janum, perimeretur eodem extre-
mo ſupplicio, niſi fortè Senatus id permitteret, &
adeſſent Sacerdotes, ut juramenta non inſume-
rentur niſi propter res graves, & cum reverentia.
Heu! qualis pudor Chriſtianis, videre quod à
Paganis reverentiùs exciperentur Dij ſui falſi,
quam excipiatur à nobis noſter *Deus gloriæ* z. *Ob-* z Act.7
ſtupeſcite cæli ſuper hoc a. Quale crimen, ſine cau- 2.
ſa, ex levitate, ſingulis ferè momentis, ex conſue- a Jer.2.
tudine negare hoc ſpecioſum nomen Jeſu, quod 12.
ipſe ſibi conciliavit pretio ſanguinis ſui! illud ju-
rare, eſt mutare effectum illius, qui eſt ſalvare; &
inſumere ipſum ad jacturam: *Maledictio veniet ad*
domum jurantis in nomine meo mendaciter: & com-
morabitur in medio domus ejus, & conſumet eam, &
ligna ejus, & lapides ejus b. Si alias propter blaſphe- b Zach.5
miam, quam contra Deum vomuit *Sennacherib* 3.&c.
Rex Aſſyriorum c; *in nocte venit Angelus Domini, &* c 4.Reg.
percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quin- 18.13.
que millia d: miror quod Deus non mittat ali- &c
quem Angelum exterminatorem ad redigendos d 4.Reg.
in pulverem illos impios, qui profanant ſacrum 19.35.
nomen ipſius; quod terra non aperiat os ſuum
ad deglutiendos eos; & quod creaturæ inſenſibiles
non tueantur honorem Creatoris ſui, cum homi-
nes rationis compotes ipſum deſpiciant. Heu!
ſiccine poteſt ut non inveniatur aliquis, qui au-
deat corripere hæc ora infernalia? Heu! Si of-
fenderet quis Regem terrenum, confeſtim de il-
lo pœnæ ſumerentur: *Rex gloriæ* e offenditur, e Pſ 23
& nemo cogitat de corripiendo eo qui Deum ſic 7.&c.
offendit. Heu! quam meritò jure facere poſſem
in civitate N. id quod egit alias antiquus quidam
Philoſophus Atheius, qui ibat clarâ luce per vicos
& plateas civitatis cum laterna accenſâ ad inve-
niendum hominem: neminem invenio in civitate
N. qui amplectatur cauſam Dei, qui corripiat eos
qui jurant ſacrum nomen ejus. Confeſſarij, im-
ponite audacter rudes pœnitentias, propter illud
crimen, quod cùm ſit peccatum conſuetudi-
nis, nullam mereri deberet veniam, cum
enormitas criminis non poſſit hos tranſgreſſores
retinere.

Adorande Salvator, cùm Divinus amor tuus
inducat te hodie ad effundendum ſanguinem
tuum in favorem noſtrum, miſerere noſtri per hoc
ſacrum nomen quod tibi imponitur, *Propter no-*
men tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: mul- f Pſ. 24.
tum eſt enim f. Et cum illud nomen Jeſu ſit nomen 11.
ſalutis, ſalva nos, obſecramus te, ut des huic no-
mini tuo implementum illius quod ipſum ſignifi-
cat, & ipſum repleas in perfectione ſua: &
cùm des nobis ſanguinem tuum in ſtrenam, &
vitam tuam in exemplum, fac ut agamus
tibi gratias pro illo, & imitemur hanc:
ut habeamus gratiam, & glo-
riam tuam.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

CRederetiſne iſtud, Auditores, quòd Deus nunquam meliùs manifeſtaverit gloriam ſuam, quam hodiemâ die? In præſepio meliùs admirari debemus ipſius omnipotentiam. In nativitate ſua ipſe agnoſcitur exiguis muneribus paſtorum, qui adorantes ipſum, oſtendunt oblationibus ſuis depreſſionem nativitatis ipſius, *Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc* a. Sed hodiernâ die Reges reverentijs, quas illi exhibent, & muneribus, quæ ei offerunt, propalant ipſius magnitudinem: *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus; & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum thus, & myrrham.* Et ſi uſque nunc ipſe apparuit Protomartyri S. Stephano, qui in ardore animi publicat ipſius ſanctitatem per effuſionem ſanguinis ſui, *Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei: & ejicientes eum extra civitatem, lapidabant* b: Si diſcipulus, *quem diligebat* c ipſemet, de quo canit Eccleſia d, *Fluenta Evangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit*, oſtendit ipſius excellentias: Et ſi Innocentes, iſti parvi agni balatu ſuo concinunt ei laudes, *Hi ſequuntur agnum quòcumque ierit* e: totum iſtud nihil eſt comparatione diei iſtius, quâ ipſe apparet ut Monarcha, cùm ſtabulum ſit palatium, in quo ipſe agnoſcitur ut Rex; templum, in quo ipſe adoratur ut Deus; & theatrum, ubi ipſius magnitudo ſe exhibet intuendam; cùm in hoc ſtatu Reges veniant ſe proſtratum ad pedes ipſius, exhibeant ipſi reverentias ſuas, confiteantur ſe ſubditos ipſius, & agnoſcant ipſum ut ſupremum Dominum ſuum. B. Virgo Maria adeſt, ut de hoc loqui poſſit: dicamus ei cum Angelo, *Ave Maria.*

a Luc. 2. 16. & 17.
b Act. 7. 55. &c.
c Io. 21. 20.
d Eccleſia ex Jo. 13. 23.
e Apoc. 14. 4.

Dicunt Theologi ſapientiam tres habere res pro objecto, quas ipſa intuetur, perſonam, œconomiam, & politiam; & ſic eſſe partem providentiæ, cui proprium eſt perducere rem aliquam in finem ſuum. Magi attrahuntur ad cognitionem Dei interventu ſtellæ, quæ ſervit ipſorum perſonæ, quod vocatur providentia: ipſorum familiæ, quantùm ad œconomiam, cùm Deus ipſis benedicat, ipſorumque familiæ convertantur: & ipſorum politiæ, cùm omnia ipſorum regna deſerant idololatriam. Qualis ſapientia Principis noſtri; & quænam directio ad finem, quem ipſe ſibi propoſuerat, & quàm congrua ſunt media, quibus uſus ut adhunc effectum!

Quis neſciat quòd glorioſiſſimum omnium operum, quæ Deus unquam fecit in æternitate, eſt opus Incarnationis ab ipſo peractum, *ubi venit plenitudo temporis* f? Si in æternitate ipſe producit Verbum ſuum viâ intellectûs, *Ex utero ante Luciferum genui te* †: ſi communicat huic Filio ſuo totum eſſe ſuum ſine ulla diminutione vel jactura propriæ naturæ ſuæ, *Deum de Deo*, ſicut canit Eccleſia in Symbolo Nicæno; ſi totum gignit eum ſibi coæqualem, ſicut iſte Filius ait, *Ego & Pater unum ſumus* g; licèt diſtinctum ſuppoſito; ipſe habet ſemper eandem cum illo naturam, quæ nullo modo differens eſt: iſtud multum eſt. Si veniamus ad extra ad ſecundam productionem, quæ eſt creatio; ipſe educit de nihilo tot creaturas, quæ ſunt motivum admirationum noſtrarum, *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt* h. Hoc pulchrum eſt, ſed non multo conſtat: unicum ſignum Divinæ voluntatis ipſius hoc facit: *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* i. Hæc productio Deum valdè glorificat, ſed non ad æqualitatem incarnationis Verbi, in qua tot fiunt miracula, Virgo Mater, Virgo parturiens ſine impuritate k; Deus impaſſibilis l, patiens; immortalis m, obnoxius morti. Quot prodigia, Auditores! Et in hoc ſtatu depreſſionis in præſepi, in conſortio animalium agnoſcitur ut Rex, *Vbi eſt qui natus eſt Rex*, &c. Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò, quod tenebræ & umbræ præſepis diſſipant totam ignorantiam mundi, & nos æquè ac Magos docent id quod Deus eſt. Secundò, quòd ſtultitia apparens Jeſu Chriſti in præſepi confundit totam ſapientiam mundi.

f Gal. 4. 4.
† Pſ. 109. 3.
g Jo. 10. 30.
h Rom. 4. 17.
i Pſ. 148. 5.
k Matth. 1. 25.
l Pſ. 90. 10.
m I. Tim. 1. 17.
Diviſio.

Non eſt ignorantia periculoſior, craſſior, & ſtupidior ignorantiâ Divinitatis; non poteſt hæc ignorari niſi præ malitia, vel præ puſillanimitate criminoſa: præ nobis ferimus cognitiones illius interiores, ſicut ait Pſalmiſta n, Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* Et omnes creaturę ſunt totidem præcones ipſam publicantes: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, dicit S. Paulus o. Et ſine hac cognitione labimur miſerabiliter in via ſalutis noſtræ: nam ſi ignoramus Divinitatem, non agimus ampliùs ex principio virtutis, nec ex motivo timoris ſuppliciorum quæ vitijs reſervantur, nec ex ſpe mercedum quæ bonis operibus debentur, cùm ignoremus eum, qui nobis eas promittit, dicens, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* p. Et qui ſolus poteſt nobis illas dare. Eſt igitur ignorantia craſſa, ſtupida, æquè ac periculoſa, ignorare id quod neſciri non poteſt, *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*, ait Tertullianus q.

I. Pars.
n Pſ. 4. 7.
o Rom. 1. 20.
p Matth. 19. 17.
q Tertull. in Apologet. c. 17.

Ad ſciendum id quod Deus ipſe eſt, deberemus habere verba Dei: id eſt, oporteret ut ipſe, *Qui eſt* r, & qui *verba vitæ æternæ* s habet, nos iſtud edoceret. Dicturus vobis igitur id quod Jeſus Chriſtus eſt in præſepi, affero eadem verba Dei, quæ educo è S. Bernardo: ſed hæc ſunt innixa Sermoni Dei, qui ait de ſe, *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita* t. Et S. Bernardus u, *Via in exemplo, Veritas in promiſſo, Vita in præmio.* Jeſus Chriſtus eſt Via. Ut ſciatis id quod eſt via, petite illud à Philoſophis. Iſti dicunt quòd ipſa duas res habet, acceſſum, & diſceſſum: atqui in Jeſu Chriſto ſunt duæ iſtæ res, acceſſus, & diſceſſus. Diſceſſus eſt Divinitas, cùm ipſe veluti exeat è ſinu Patris ſui. Et acceſſus eſt humanitas, quæ venit ad nos, ſicut ipſemet ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum* x. Cùm ipſe ſit id, quod non

r Exod. 3. 14.
s Jo. 6. 68.
t Jo. 14. 6.
u S. Bern. Serm. 2. de Aſceſ. Dom. in fin.
x Jo. 16. 28.

non erat anteà; quod ſit per fidem & per imitationem, cum fides, per quã imus ad Deum, ſit primus greſſus, ſine quo non poſſemus ad eundem Deum accedere: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt* y. Ecce fides, quæ eſt via, per quam imus ad Deum per imitationem, per virtutes: atqui ſunt magnæ virtutes, quas non poſſumus imitari: propterea ut ſe conformaret ad captum infirmitatum noſtrarum, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* z: *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* a. Ut enim ſerviat quis loco prototypi, debet eſſe imitabilis: in Empyreo in Divinitate non poteramus imitari Deũ: ipſe nimis erat elevatus, *Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes ejus* b. *Magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus* c. Ipſe prætergrediebatur omnes cognitiones noſtras, *Incomprehenſibilis cogitatu* d. Propterea requirebatur homo, ſed non ſolus: ut enim quid benè transſumatur, prototypon debet eſſe ſine defectu: omnes homines ſunt obnoxij alicui defectui: purus ſeu simplex homo non ſufficiebat; Deus pati non poterat, ſicut ait illi David e, *Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et ſunt aliquæ virtutes, quæ requirunt corpus, ut conſtantia in magnis conſilijs, patientia in rebus arduis & difficilibus, & ad hoc ut quis dicatur generoſus, debet eſſe homo: requirebatur igitur homo Deus, qui nobis ſerviret loco prototypi, ad hoc ut ipſum imitantes, operaremur ſalutem noſtram, *Via in exemplo.* Jeſus Chriſtus igitur in præſepi eſt hæc via: videte quomodo Reges ſequantur iſtam viam, & fide credant, quòd iſte Infans eſt Deus: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Omnes homines inſtructi ſunt iſtâ veritate in perſona iſtorum Magorum: quis autem de ea dubitaret? Ecce *ſtella* dirigit ipſos in iſta via, tanquam dux, & velut aurora præcedit iſtum Solem: in hoc ſtatu Reges ipſum agnoſcunt in præſepi velut in palatio ſuo; ipſum adorant in ſtabulo ut in templo ſuo, & in cunis ut ſuper throno ſuo: ad eorum imitationem ſequamur iſtam viam: en prototypon noſtrum: adhæreamus ei, *Via in exemplo.*

y Hebr. 11. 6.
z Philip. 2. 7.
a Baruch 3. 38.
b Pſ. 10. 4.
c Baruch 3. 25.
d Jer. 32. 19.
e Pſ. 90. 10.

Secunda res, quæ propria eſt huic Infanti, quæque nobis manifeſtat ipſius Divinitatem, eſt *Veritas in promiſſo.* Eſt Veritas, quia mentiri non poteſt, *Nec inventus eſt dolus in ore ejus* f. Mendacium provenit vel ex ignorantia mentis, vel ex malitia voluntatis. Nulla eſt ignorantia ibi, ubi ſunt omnia lumina, & univerſæ cognitiones ſcientiarum, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* g. Ipſe nihil ignorat, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* h. Ipſe non poteſt decipere, nec decipi. Quantùm ad malitiam, ipſe ignorat omnes fraudes, nedum illas in praxim redigat: & voluntas ipſius, quæ eſt origo totius felicitatis, ferri non poteſt ad crimen: & ideò eſt ipſamet Veritas: & Judæi in inſolentia ſua immeritò dicunt ei, *Teſtimonium tuum non eſt verum* i. Illud congruit quidem hominibus, quos amor proprius excæcat, qui ſibi blandiuntur, quique poſſunt ideò recuſari in proprijs ſuis depoſitionibus, veluti quærentes ſemetipſos: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt: non quæ Ieſu Chriſti* k. Omne quod de magnatibus enuntiatur, dicitur per quandam ſpeciem adulationis: ſed Jeſus Chriſtus eſt *verax, & viam Dei in veritate* l docet: ideòque mentiri non poteſt, *Veritas in promiſſo.* Ipſe adimplet id omne quod ipſe promiſit: & præ nobis ferre debemus animum: cùm polliceatur ipſe nobis cœlum, illud ipſe nobis largietur, ſi fideles ſimus. Propheta Balaam longo tempore ante prædixerat, *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet Duces Moab* m. Illud eſt adimpletum, B. Virgo Maria eſt hæc Stella, quæ produxit nobis hunc præclarum Solem: *Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter,* canit ei Eccleſia n. *Ipſa namque aptiſſime ſideri comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium; ſic abſque ſui læſione Virgo parturit Filium* o. *Ipſa eſt igitur nobilis illa Stella ex Iacob, cujus radius univerſum orbem illuminat* p, ait S. Bernardus q. Hæc virga Iſraël, eſt iſte recenter natus, qui deſolavit imperium Moab inferorum, iſtorum illegitimorum uſurpatorum, qui in inſolentijs ſuis innumeras patrabant violentias, *Cujus ſplendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat,* proſequitur immediatè pòſt idem S. Bernardus. Ipſe de illis triumphavit: & vix ipſe natus eſt, cum imponit illis ſilentium, & privat eos imperio ſuo, & cogit ipſos ad dicendum,

f 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
g Coloſſ. 2. 3.
h Hebr. 4. 13.
i Jo. 8. 13.
k Philip. 2. 21.
l Matth. 22. 16.
m Num. 24. 17.
n Eccleſia ex Malach. 4. 2.
o ex Matth. 1. 25.
p ex 1. 9 Jo.
q S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt in fin.

Me Puer Hebræus cedere ſede jubet.

Idola reddebant oracula, adorabantur, ſuſcipiebant obſequia, & ſacrificia infantium, *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan* r. Sed Jeſu Chriſto nato, thronus eorum evertitur, & thronus ipſius erigitur ſuper eorum ruinam, *Veritas in promiſſo.* Iſtud eſt quod attrahit hodie Magos, & quod inducit omnes Chriſtianos ad paria obſequia: quia cùm *fidelis Dominus* s ſit, adimplebit id omne quod promiſit.

Tertia res, ſeu tertius character, cujus interventu intuenda exhibetur Jeſu Chriſti Divinitas in præſepi, eſt quod vocatur Vita. *Vita in præmio,* dixit ſupra S. Bernardus poſt S. Joannem. Quòd ſit Vita, iſtud eſt pro comperto. Pater æternus fecit omnes creaturas ſuper ideam Filij ſui; & omnia habent vitam in illo, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* t. Invenio quatuor genera vitarum. Datur vita idealis, vita naturalis, vita ſupernaturalis gratiæ, & vita ſupernaturalis gloriæ. Habemus autem omnes iſtas vitas per Jeſum Chriſtum. Idealem: Pater æternus omnia fecit per ideam Filij ſui, *In principio creavit Deus cœlum & terram* u. Seu, juxta Cornelium x, *In principio, id eſt, in Filio. Per Filium enim quaſi per ideam & ſapientiam Patris omnia eſſe creata, docet Apoſtolus* y. Naturalem: Ipſe eſt principium vitæ, *Apud te eſt fons vitæ,* dicit ei David z. Et non habemus vitam niſi per ipſum: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* a. Vitam gratiæ: Ipſe nobis eſt eam largitus ſuper monte Calvariâ, perdens vitam ſuam, ut nobis iſtam vitam gratiæ redderet: & hâc fruimur per ſanguinem ipſius: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ Dei in hoc tempore* b. Vitam gloriæ: Non fruimur eâ niſi per merita ejus, cùm ante ipſius incarnationem portæ cœli nobis eſſent clauſæ ut inimicis Dei: *Gratiam & gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te,* dicit Pſalmiſta c, Deum alloquens. *Vita in præmio.* Magi veniunt igitur ſub directione ſtellæ

r Pſ. 105. 37. & 38.
s 2. Theſſ. 3. 3.
t Jo. 1. 4.
u Gen. 1. 1.
x Cornel. in Gen. 1. 1. citans S. Aug. l. 1. de Gen. ad lit. c. 1. S. Amb. & S. Baſil. hom. 1. Hexam.
y ex Coloſſ. 1. 16.
z Pſ. 35. 10.
a Act. 17. 28.
b Rom. 3. 24. &c.
c Pſ. 83. 12. & 13.

ad

Digitized by Google

ad hanc vitam; & poſtquam habuerunt vitam naturalem, venimus fruitum vitâ ſupernaturali gratiæ, ut habeant tandem vitam glorioſam & beatam cæli Empyrei. Si mortui ſumus, privati hâc vita ſupernaturali, eamus ad præſepium ubi reperiemus eum; eamus ad Filium Dei reclinatum *in præſepio* d Bethleem, ſicut Magi: eamus illuc, ut ibi agnoſcamus eum, ut reddamus ei vota noſtra, reverentias noſtras, & obſequia noſtra: & infelicitas eſſet maxima, ſi homines non agnoſcerent Deum, poſtquam omnes creaturæ publicaverunt eum. Cœlum ipſum agnoſcit, & ſplendere facit novam *ſtellam*, quæ ducit ad ipſius cognitionem. Terra cognovit eum, & tremuit, *Et terra mota eſt* e. Infernus cognovit eum, & reddidit captivos ſuos, *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm et triumphans illos in ſemetipſo* f. Et hoc poſtquam ipſe captivorum hujuſmodi confregit catenas, eoſque reſtituit in libertatem, juxta prædictionem Iſaiæ g ſic alloquentis ipſum, *Vt diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini.* Non eſt aliquid quod ipſum non cognoverit, ſi excipiamus hominem: *Quoniam Dominus locutus eſt: Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit* h. Videte jacentem in præſepi ipſum, qui erat glorioſus in cœlo; intuemini patientem ipſum, qui erat impaſſibilis: ſanè non cognoſcitur: non enim ſic deſpiceretur; & redderetur ei illud quod ipſe requirit à nobis reverentiarum & adorationum.

d Luc. 2. 7.
e Matth. 27. 52.
f Coloſſ. 2. 15.
g Iſa. 49. 9.
h Iſa. 1. 2. & 3.

Conſuetudo eſt, ut, cùm aliquis Monarcha vadit captum poſſeſſionem Regni ſui, tunc ſui milites ac ſua Curia procedant ipſi obviam ad congratulandum ipſi & congaudendum cum ipſo pro eo quod videant ipſum hoc Statu novo velut investitum, gratias agentes Deo pro eo quòd hunc ipſi providit; tertius ſtatus, ſeu populus veniat etiam ad agnoſcendum Principem ſuum, & Dominum ſuum legitimum: poſtea Magnates Regni ſequuntur, ut offerant ei munera ſua, & jurent ſibi fidelitatem & obedientiam. Jeſus Chriſtus habet duo Regna, Regnum cœli, & Regnum terræ: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*, ait ipſe per Pſalmiſtam i ſuum. Et per Dionyſium Carthuſianum k, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Chriſtus, inquantùm Deus, plenam habet authoritatem omnium creaturarum, nec ſic conſtituitur Rex ſuper aliquid, ſed ipſe cum Patre & Spiritu ſancto eſt unus & idem omnium rerum Creator ac Dominus, Iudex & Rex: ſed prout homo eſt, ſic data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra, ſicut Matthæus* l *ſcribit. Sic etiam conſtitutus eſt Rex ab eo, ſcilicet Deo Patre, imò à tota ſuperbeatiſſima Trinitate, cujus opera ſunt indiviſa* m, *ſuper Sion montē ſanctum ejus, id eſt, ſuper populum Iſraël, illum præſertim, qui credidit, qui dicitur mons propter legis ſublimitatem, & gratiam electionis. Omnes quippe Prophetæ* n *Meſſiam appellant Regem Iſraël. Vel, per Sion, quod interpretatur ſpeculatio, intelligenda eſt Eccleſia militans, id eſt, populus Chriſtianus Chriſtum contemplans, & ejus lege, fide, ac gratiâ ſublimata ſuper circumjacentes terræ partes.* Ipſe poſſidet Regnum cœli pacificè, cùm ſit locus qui nullum patitur bellum o. Quantùm ad Regnum terræ, diabolus illud uſurpaverat: ideoque Jeſus Chriſtus venit in mundum, ut eum inde ignominioſè ejiciat, & capiat poſſeſſionem Regni ſui: *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* p. Propterea omnes primi milites Curiæ ſuæ cœleſtis venerunt ipſum viſitatum, agentes gratias Deo pro eo quòd ſtabilitus fuerit in throno ſuo, & pro diademate quod ipſe recuperabat, *Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* q. Populus venit etiam, id eſt, paſtores ad viſitandum & agnoſcendum hunc novum Regem, & ad agendas ei gratias: *Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Et reverſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos* r. Hodie verò Principes & Magnates Regni veniunt ad jurandam ei fidelitatem: *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus: & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.*

i Pſ. 2. 6.
k Dion. Carth. in Pſ. 2. 6.
l ex Matthæ 28. 18.
m ex S. Aug. in Enchir. c. 38.
n ex Iſa. 62. 11. & ex Zach. 9. 6
o Jo. 90 10:
p Jo. 12. 31.
q Luc. 2. 13. & 14.
r Luc. 2. 16. & 10

Jeſus igitur in infantia ſua facere voluit epiphaniam ſeu manifeſtationem ſuæ majeſtatis, potentiæ, & gloriæ multò majorem quâlibet aliâ: & ſicut duo termini & duo effectus maximarum humiliationum ipſius fuerunt præſepium, & crux; ſic ipſe voluit illuminare ſuæ nativitatis obſcuritatem ſplendore hujus myſterij: ſicut deinde ipſe ſublevavit humilitatem ſuæ crucis per titulum qui declaravit ipſum Regem: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Jeſus Nazarenus Rex Iudæorum* s. Et per tot prodigia quæ apparuerūt t in morte ipſius: jungens ſemper magnitudinem ſuam cum parvitate noſtra; magnus in rebus depreſſis, glorioſus in cunis, adorabilis in præſepi, & potens in cruce: magnus & parvus quem ſuſcipere debemus cum reverentijs pro vero & legitimo Rege animarum noſtrarum; & agnoſcere quod omne id quod eſt magnitudinis, ſubjacere debet ſummo dominio humillimæ infantiæ ipſius. Offeruntur ipſi obſequia in nomine totius mundi; iſtud eſt adoratio publica, quâ agnoſcitur ut Filius Dei, & ut Dominus mundi, licet apparenter ipſe non ſit niſi Infans. Pater æternus ipſum glorificavit in nativitate ſua, ipſum manifeſtando: & propter hanc publicam adorationem Magorum myſterium Epiphaniæ eſt ſpleudor & gloria humillimæ nativitatis ipſius: & ipſa nobis parùm fuiſſet utilis, niſi nobis manifeſtata fuiſſet: nam gratiæ Dei nobis non proſunt, niſi inquantùm agnoſcuntur, & benè ipſis utimur. Potentia Infantis Jeſu jacentis in præſepi, quò trahit ſplendoribus & luminibus ſuis omnia ad ſe, Angelos è cœlo, paſtores à Judæa, Magos ab Oriente, & tot animas è ſæculo *in odorem unguentorum* u ſuorum, quæ ſunt virtutes, paupertas, humilitas, & patientia, quas exercet in hoc humili ſtatu! Hæc ſunt vincula, quibus ipſe utitur, faſciæ infantiles, & aliæ infirmitates quas ſumpſit, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* x. Jeſus Chriſtus habuit duos thronos, in quibus regnavit, & triumphavit: præſepium ſuum, & crucem ſuam, *Dominus regnavit à ligno* y. Ipſe triumphat hodie de Gentilitate, & idololatria in perſona Magorum, illuſtrans eos luminibus ſuis, & faciens eos cognoſcere id quod ipſe eſt, non obſtantibus umbris & obſcuritatibus præſepis. His illuſtrati Divinis luminibus, quærunt eum, *dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Ipſi adimplent id quod Salvator deinceps dixit, *Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis:*

s Jo. 19. 19.
t Luc. 23. 45 & Matth. 27. 45. &c.
u Cãt. 1. 4
x Oſee 11. 4.
y Pſ. 95. 10. juxta S. Aug. in Pſ. 95. 10 S. Cypr. de Mont. Sina & Sion. Et Tert. l. 3 contra Marcion. c. 19

pul-

z Luc. 11. 9. *pulſate, & aperietur vobis* z. Multi quærunt Jeſum
Chriſtum: ſed ubi? Facientem miracula *a*, vel
a Jo. 6. 24 regnantem *in cœlo* b. Sed Magi quæſiverunt illum
b Pſ. 10. 5 recenter natum in præſepi, *Ubi eſt*, inquiunt ipſi,
c Deut. 32. 39. & non ille qui ſuſcitat mortuos *c*, non ille qui
1. Reg. 2. 6. triumphat in cœlo, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu*
† Jo. 1. 18 *Patris* †: ſed qui recenter natus adhæret uberi-
bus Matris ſuæ? Gratia eſt neceſſaria ad quæren-
dum Jeſum Chriſtum, qui ait, *Nemo poteſt venire ad*
d Jo. 6. 44 *me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum* d. Multi
inveniunt Jeſum Chriſtum, qui non quærunt eum,
Invenerunt, qui non quæſierunt me, ait ipſemet per
e Iſa. 65. 1 Iſaiam *e*. Saulus non quærebat Jeſum Chriſtum,
ſed e contrà perſequebatur eum: & tamen invênit
eum æquè feliciter ac inopinanter: *Saulus autem*
adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini,
acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epi-
ſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet
hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeru-
ſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinqua-
ret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo.
Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi,
Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es
Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris:
durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tre-
f Act. 9. 1 &c. *mens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* f?
Multi quærunt Jeſum Chriſtum, res ſtupenda! &
g Jo. 7. 34 non inveniunt eum, *Quæretis me, & non invenietis* g.
Quia non quærunt eũ cum diſpoſitionibus requi-
h Pſ. 35. 7 ſitis, & bono fine, *Iudicia tua abyſſus multa* h. Mul-
ti quæſierunt Jeſum Chriſtum in vita ſua, ſed non
purè propter ipſum, ſed ut ab eo ſuſciperent ali-
quos favores ſanitatis corporalis, *Turba multa ex*
Iudæis venerunt, non propter Ieſum tantùm, ſed ut La-
i Jo. 12. 9 *zarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis* i. Sola
Maria Magdalena ivit ad Jeſum propter Je-
ſum ſolum, ut ab eo ſuſciperet animæ ſuæ ſani-
tatem, & non propter aliquam gratiam corpora-
lem: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut*
cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit
alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus,
lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui
tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento un-
gebat. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi pecca-
k Luc. 7. 37. &c. *ta* k. Jeſum etiam propter Jeſum ſolum quærunt
Magi, dicentes, Et venimus adorare eum. Tota vita
noſtra vacare debet quærendo Jeſũ, & ubique di-
cere debemus, *Ubi eſt qui natus eſt?* Et, *Num quem*
l Cant. 3. 3. *diligit anima mea, vidiſtis* l? Jeſus meretur quæri
pretio omnium laborum: quærendus eſt ad hoc
ut inveniatur, cum reperientes eum, inveniamus
cauſam noſtræ ſalutis. Quæritur deſiderio, & in-
venitur voluntate.

Jeſus invenitur tribus modis per relationem ad
Mariam. Primò, Per myſterium Incarnationis,
vel interventu iſtius myſterij per reſidentiam in
illâ: *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph, an-*
tequam convenirent, inventa eſt in utero habens de
m Matth. 1. 18. *Spiritu ſancto* m. Et eodem modo Jeſus inventus
eſt in eâ. Secundò, Jeſus invenitur cum Maria
Matre ſua, ſicut toto tempore infantiæ: ſic *paſtores*
invenerunt Mariam, & infantem poſitum in præſe-
n Luc. 2. 15. & 16. *pio* n. Jeſus præſentatur à Maria in templo *o*; fu-
o Luc. 2. 22. git *in Aegyptum*, & inde revertitur *p*; *Et cùm factus*
eſſet annorum duodecim, in templo q reperitur
p Matth. 2. 14. & 21. ab ea quando putatur deperditus. Jeſus inve-
nitur ſemper cum Maria. Qui habet Mariam, ha-
q Luc. 2. 42. &c. bet Jeſum etiam, qui eſt in ipſius poteſtate, *Et erat*
ſubditus illis r. Id eſt, Mariæ & Joſeph. Jeſus non eſt
r Luc. 2. 51. ſolitarius, nec ſuiipſius, nec ſuæ poteſtatis, ſed Ma-
riæ Matris ſuæ: Jeſus & Maria ſunt ambo ſimul

Tomus I.

uniti. Tertiò, Jeſus invenitur per Mariam: *Inveni-*
mus Ieſum filium Ioſeph s. Id eſt, Mariæ: non enim s Jo. 1. 45
erat Filius Joſeph, niſi quia Filius erat Mariæ: ſic
debemus ſemper quærere Jeſum per Mariam: &
ipſa nobis obtinebit gratiam ad eum inveniendũ:
Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus t t Hebr. 4. 16.
per illam. *Invenerunt Puerum cum Maria Matre e-*
jus. Excellens dignitas Mariæ contenta verbis
iſtis. Nam primò ipſa apparet ut Domina, & Ma-
ter familiæ Jeſu Filij ſui in terra: ad illam igitur
ſolam pertinet ſuſcipere in domum ipſius, & ado-
ptare animas pro domeſticis & pro ancillis, & ut
ſint è familia Jeſu, & ſuâ. Magi intuentur eam ut-
ſic, & agnoſcunt illam ut Dominam & Matrem
familiæ Jeſu Filij ſui. Secundò, Maria in hoc my-
ſterio aſpicitur ut Mater Jeſu Regis recenter nati,
& ut Regina omnium Regnorum Filij ſui: ſi enim
Magi quærunt & inveniunt Regem natum Judæo-
rum, inveniunt eum cum Maria, quę conſequenter
eſt Regina Mater: & ut ſic ipſa ſalutata fuit pri-
mùm ab Angelis *u*, deinde à paſtoribus *x*, & tan- u Luc. 2. 13. & 14
dem à Magis. Quæ ſunt tria Regna Mariæ, quæ
agnoſcere debemus. Maria eſt Regina Angelo- x Luc. 2. 16.
rum, Judæorum, & Gentilium, & prout talis ag-
noſcitur & honoratur. Tertiò, Cùm Rex aliquis
eſt in minoritate, conſuevit Regina mater fieri
regens & adminiſtratrix Regni: ſic Maria in in-
fantia Jeſu Filij ſui habet poteſtatem & authori-
tatem ſuper omnia Regna ipſius; & univerſa pen-
dent ab ipſius diſpoſitione: propterea Magi ſuſce-
perunt ab ea facultatem ingrediendi, & adorandi
Jeſum. Jeſus invenitur a Magis non ſolùm cum
Maria, ſed etiam ſub poteſtate Mariæ: non enim
eſt ſui, nec propriæ poteſtatis, ſed ſub tutela & au-
thoritate Mariæ: ipſa non vult aliquid exteriùs
agere, nec aliquid dare, imò nec vivere, niſi per de-
pendentiam à Maria: Maria ergo, prout Mater,
Nutrix, Tutrix, & Moderatrix infantiæ Jeſu, nu-
trit, conſervat, & gubernat eum ut ſibi ſubditum.
Qualis poteſtas Mariæ! Sicut *Ieſus dixit, Nemo no-*
vit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Fi-
lius, & cui voluerit Filius revelare y: ſic dicere poſſu- y Matth. 11. 25 & 27.
mus quòd nemo cognoſcit eundem Filium, prout
hominem, niſi Mater ſua, & illi, quibus voluerit
hæc Mater revelare. Ad illam igitur pertinet fa-
cere nos invenire Filium ſuum, nobis eum mani-
feſtare, & illum nobis dare. Sicut enim in illa, &
per eam Pater æternus nobis voluit eum dare: ſic
in illa, & per illam vult eum nobis hodie man fe-
ſtare. *Maria ancilla Domini* z eſt: & ut ſic ipſa con- z Luc. 1. 38.
currit ad myſterium Incarnationis: in quo ipſa
maximum ſervitium exhibuit, dans ſanguinem
ſuum & ſubſtantiam ſuam Deo: ut ancilla ipſa
ſervivit illi nato in mundo: ipſa cuſtodivit illum,
reddens ei omne genus bonorum officiorum ex-
teriùs, & interiùs reverentijs ſuis.

Imitemur, Auditores, Mariam, & Magos iſtos:
offeramus Jeſu Chriſto munera, ſicut iſti Reges, ut
ait Poëta,

Aurum, thus, Myrrham Regique, hominique, Deo-
que
Dona ferunt.

Requiſitus aliàs Alexander Magnus ad curren-
dum in ſtadio, reſpondit, *Currerem, ſi eſſent Reges.*
Si nolitis, Auditores, currere cum paſtoribus, eò
quòd vobis videantur conditionis depreſſioris;
currite cum magnis iſtis Regibus, imitando eos.
Ipſe eſt Rex veſter: ipſe vos *acquiſivit ſanguine ſuo* a Act. 20. 28.
a. Vos ipſe regit ingenti dulcedine; noſtre ex-

V pecta-

pectare donec hæc ſuavitas mutetur in rigorem. Ipſe eſt Rex, ſed Infans: nihil dulcius: ne expectetis donec convertatur in leonem, *Leo rugiet, quis non timebit* b? Ipſe lumina vibrat ex tranſverſo umbrarum & obſcuritatum præſepis: & ibi etiam in ſtultitia apparente præſepio, totam mundi confundit ſapientiam.

b Amos 3.8

II Pars.

Quòd Verbum Deus ſit *ſapientia* c Patris, iſtud eſt pru comperto: hæc eſt attributum ipſi maximè proprium. Sed ſicut maximæ Dei ſunt oppoſitæ maximis mundi, *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum* d: Et è contra ſapientia Dei, eſt ſtultitia mundo: videte quomodo per hanc ſtultitiam ipſe triumphat de ſapientia mundi, *Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* e. Triplex à S. Jacobo f mundi ſapientia conſtituitur, *Sapientia terrena, animalis, diabolica.* Filius autem Dei in præſepio per hanc ſtultitiam apparentem de ea glorioſè triumphat. Prima terrena eſt: homines non cogitant niſi de terra, de divitijs, de pompis, & de proſperitatibus. Videte modum procedendi mundanorum: Quicumque ſe magnificat præ cæteris, eſt omnium ſapientiſſimus; qui benè novit agere negotia ſua, qualificatur iſto nomine: non afficiuntur homines niſi erga aurum, vel argentum, quod facit tot captivos, æquè ac tot adoratores:

c 1. Cor. 1 30.
d 1. Cor. 3.19.
e 1. Cor. 1.23.
f Jacob. 3.15.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Et ecce Jeſus triumphans per apparentem ſtultitiam ſuam, per paupertatem ſui præſepis de auro, calcat divitias: ſic Magi divitias ad pedes ipſius ponunt, *Obtulerunt ei aurum.* Sapientia Dei triumphat de hac ſapientia mundana per contemptum, quem tot perſonæ Religioſæ faciunt bonorum terrenorum per votum paupertatis g. Secunda mundi ſapientia, animalis eſt, id eſt, ſenſuum, quæ conſiſtit in quærendis commodis & voluptatibus. Adoleſcens in occaſionibus apparet induſtrius, & defert qualitatem ſapientis, ſi noverit aſtutè decipere puellam, parare laqueos puritati ejus, & triumphare de illius infirmitate: Puella verò reputatur ſapiens, ſi garrula ſit, & ſuas delicias quærat. Filius Dei in præſepi triumphat de hac ſapientia animali: ſic offertur ipſi myrrha, quæ eſt ſymbolum mortificationis, *Obtulerunt ei myrrham.* Sponſa ſacra loquens de Sponſo ſuo, ait, *Faſciculus myrrha dilectus meus* h. Blanditiæ ipſius ſunt affligentes, ipſe non lætificat niſi ad affligendum, dulcedines ipſius immiſtæ ſunt abſynthio. Jeſus jacens in præſepi, cum hoc dulci vagitu, in hoc ſtatu pœnæ triumphat de ſapientia animali mundi. Tertia mundi ſapientia, diabolica eſt: Cùm mundus feciſſet erigi ſibi altaria, reddi obſequia, adorationes, & ſacrificia ab hominibus, diaboli agnoſcebantur ut Dij, ſed iſtâ præſepis die hæc ſapientia exinanitur: Jeſus Chriſtus de illa triumphat, & Reges veniunt oblatum ipſi thus, in probationem ſuæ Divinitatis, & quòd nemo præter ipſum meretur illud, *Obtulerunt ei thus.* Imperium diaboli deſtructum eſt: hic Infans expulit eum è mundo, & eripuit ei ſceptrum, & diadema quæ ille uſurpaverat.

g Matth. 19.27. &c.
h Cant. 1 12.

Triumphat etiam in præſepi de omni ſapientia, de univerſis artibus, & ſcientijs. De Grammatica, quæ facit nomen, & verbum. Hîc autem eſt Verbum ſine nomine, cùm non loquatur, licèt ſit *Verbum* i Patris. De Dialectica, quæ conſtituit duos terminos, & unum medium ad eos uniendos: hîc autem ſunt duo extrema, Deus homo k; immortalis l; mortalis; impaſſibilis m, paſſibilis; quid remotius ſine termino? De Phyſica & Medicina docentibus, quòd corpora minùs diſpoſita minus patiuntur: hîc verò corpus optimè concinnatum, formatum *de Spiritu ſancto* n, plus patitur. De Aſtronomia dicente, quòd cœli tractant indifferenter omnia corpora: hîc autem præ ſe ferre videntur reverentiam, cùm *ſtella* firmamenti veniat, & exhibeat ſe ut Ducem. De Rhetorica, quæ requirit verba electa ad attrahendum: Hîc verò ſilentium, Verbum quod ſilet, trahit Magos ab *Oriente.* Et de Geometria, quæ ait, quòd non poteſt inveniri quadratura circuli: hîc verò eſt quadratura cunarum in rotunditate Divinitatis. Ecce ſapientia Dei, quæ triumphat per apparentem præſepis ſtultitiam de ſapientia Magorum noſtrorum, qui redigunt *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* o. Unde S. Bernardus p non laudat fidem eorum niſi admirationibus, *Cui comparabimus, & cui ſimiles æſtimabimus viros iſtos? Si Latronis fidem, ſi Centurionis confeſſionem conſidero, in eo ſuperexcellere videntur iſti, quòd jam tunc miracula multa fecerat, jam tunc à multis prædicatus fuerat, à multis adoratus: Attamen conſideremus, quid & illi dixerint: Clamabat Latro de cruce: Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum* q. *Ergone per ſupplicium illo vadit in Regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam* r? *Tu quoque Centurio eum unde noſti? Videns quòd ſic clamans expiraſſet, Verè, inquit, hic homo Filius Dei erat* s. *Mirarès, & omni admiratione digna. Propterea, rogo vos, intuemini & videte quàm oculata ſit fides; quàm lynceos habeat oculos, diligenter conſiderate. Cognoſcit Dei Filium latentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: ille clavis infixum, iſti pannis involutum* †. *Centurio verò vitam agnovit in morte, iſti Dei virtutem* * *in teneri corporis infirmitate; ille ſummum Spiritum in expiratione, iſti Dei Verbum in infantia cognovêre. Siquidem quidquid illi ſermonibus, iſti muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio Dei Filium ſimul & hominem pronunciat. Et hæc tria ipſa Magorum munera indicant, niſi quòd thure non tam Dei Filium monſtravêre, quàm Deum.* Verus amor eſt plus activus, quàm contemplativus, nec quieſcit niſi cùm laborat pro re dilecta, & munera ſunt ipſius probatio. Quod edocet nos, quòd ſicut ſtatim ac Magi viderunt hoc aſtrum novum, quæſierunt eum qui recentèr erat natus, ut offerent ei munera ſua: ſic differre non debemus bonam actionem, ſed eam executioni mandare, nedum quando habèmus illius inſpirationem, dicamus ſicut Pharao, qui, cùm ipſi dixit *Moyſes, Conſtitue mihi quando deprecer pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſervis tuis, & à populo tuo: & tantùm in flumine remaneant: reſpondit, Cras* t. Nam, ut ait S. Ambroſius u, *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritûs gratia.* Cùm hora pulſatur malleo ſanctæ attractionis, oportet ut, quemadmodum in horologio, momenta noſtri interioris ſolvantur cum impetu; id eſt, ut velociter curramus ad Deum, qui nos vocare dignatur. *Neſcitis quòd ij qui in ſtadio currunt,*

i Jo. 1.1.
k Jo. 1 14
l 1. Tim. 1.17
m Pſ. 90. 10.
n Matth. 1.20.
o 2. Cor. 10.5.
p S. Bern. Ser. 2. de Epiph. Dom.
q Luc. 23 42.
r ex Luc. 24.26
s ex Matth. 27 [illegible] 39
† ex Luc. 2.12
* ex 1. Cor. 1.24
t Exod. 8.9
u S. Amb. l. 2. in Luc. 2. 39

omnes

omnes quidem currunt: ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam x. Imitemur igitur Magos illos, eamus agnitum hunc novum Regem; ſequamur ſtellam quæ nos dirigit ad Deum, attendentesne in mundo, id eſt, in ſapientia mundi, amittamus hanc ſtellam, quæ nos deducebat ad Deum; in hoc, inquam, mundo, ubi virtuoſi reputantur pro ſtupidis, & ubi mulier, aut puella frontem præ ſe ferre debet elevatam, & impudens apparere, ut ſapiens habeatur. Sequamur igitur hanc ſtellam, quæ nos deducet ad Deum, & cùm invenerimus eam, more Magorum revertamur *per aliam viam.* Si per viam impuritatis inceſſimus, revertamur per viam puritatis: & ſi per viam odij ambulavimus, redeamus per viam amoris. Adorande Salvator, Ipſe es Rex noſter: eramus captivi, & ipſe noſtra *dirupiſti vincula: tibi hoſtiam laudis* y ſacrificabimus: eramus nos perditi, & ipſe ſalvaſti nos, triumphans de Tyranno, qui nos in ſervitutem redegerat, *Nos autem populus tuus, & oves paſcua tuæ* z. Utere miſericordiâ erga nos, nedum conſideres crimina noſtra: largire nobis gratiam tuam in iſto mundo, & gloriam tuam in altero.

x 1. Cor. 9. 24. & 25.
y Pſ. 115. 7.
z Pſ. 78. 13.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. V. MARIAE.

Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. 22.
ex Levit. 12. 6. &c.

LIcèt Eccleſia diverſis temporibus diverſa feſta celebret, & præ intentionibus æquè differentibus ac myſteria eorum ſunt differentia, hoc tamen non impedit quin multa ex illis gratas adinvicem convenientias habeant. Videte, ſi placet, conſonantiam myſterij feſti Pentecoſtes cum myſterio feſti hodierni: Illud celebratur quadrageſimo die poſtquam Maria *peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum* a. Illud autem quinquageſimo die poſtquàm idem Jeſus *ſurrexit* b, & renatus eſt è tumulo, ſicut priùs natus erat in ſpelunca Bethleem. In illo nova ſuſceperunt Apoſtoli & diſcipuli lumina cum linguis igneis, quæ deſcenderunt de cœlo, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* c. In iſto fideles medijs cereis accenſis igne deferunt præ manibus ſuis ſigna viſibilia luminis inviſibilis Spiritûs ſancti accenſi in animabus ipſorum, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* d. In illo offerebantur primitiæ frugum terræ, *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum meſſis tuæ triticeæ,* ait Scriptura e. *Quaſi dicat*, inquit Cornelius f, *Celebrabis feſtum Pentecoſtes poſt hebdomadem hebdomadarum, id eſt, poſt ſeptem hebdomadas, putà poſt quadraginta novem dies, quinquageſimo die à Paſchate, in eoque offeres primitias panum Deo.* In iſto verò præſentantur primitiæ benedicti *fructûs* g orti è virga *de radice Ieſſe* h. Nam, ut ait S. Epiphanius i, *De radice Ieſſe ortus eſt Rex David* k, *& de tribu Regis Davidis ſancta Virgo. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* l *ſuſcipiens etiam manipulum germinavit. Ipſa clibanus intellectualis, quæ ignem & vitæ panem* m *habebat. Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit.* In illo, cùm cœlum ſuſcepiſſet è terra Deum, cùm *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum* n, præ gratitudine quaſi volens hoc beneficium compenſare, mittit ad terram Deum, & illam replet *Spiritu ſancto* o. Cum Dei Filius aſcendiſſet in Empyreum, ut frueretur ibi gloriâ, quam ſuis ipſe ſibi conciliaverat laboribus, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* p; Spiritus ſanctus deſcendit in terram: & ſi Salvatorem mundi deſerentem terram *nubes ſuſcepit* q in aſcenſione ipſius: Spiritus ſanctus veniens in terram, deſcendit in pluvia *ignis* r. In iſto, terra volens honorificè perfungi munijs gratitudinis, cùm ſuſceperit è cœlo Deum, vice reciprocâ offert ei Deum hominem, & hic aliquid plus quàm ab illo receperit. Iſtud eſt quod exequitur hodie Maria in perſona Filij ſui, *Tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* O liberalitas Patris Jeſu, qui *cum illo omnia nobis donavit* s! O prodigentia Matris Jeſu, quæ dat huic eidem Patri ultra omnia, præſentando ei Filium ſuum! Sancta Domina, quæ præ tanta dignitate & gloria juſtis perfungeris hodie iſtis munijs, offer pro te, & pro nobis hunc Filium tuum Patri ejus, ut ritè poſſimus & nos obire munus noſtrum, & effice nos participes eminentiſſimarum diſpoſitionum tuarum: hanc efflagitamus a te gratiam per ſalutationem, virtute cujus ſuſcepiſti ab iſto Patre eundem Filium, quem venis ipſi redditum, poſtquam *ingreſſus Angelus ad te dixit, Ave* t *Maria.*

Quamvis Eccleſia directa à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* u, multa tribuat ſpecioſa & differentia nomina B. Mariæ, qualia ſunt, *Cauſa noſtræ lætitiæ, Refugium peccatorum, Conſolatrix afflictorum*, & cætera hujuſmodi: inter ea tamen obſervo tria maximi momenti, quæ præcellunt alijs, & perfectè nobis exprimunt magnitudines excellentiæ ejus, & excellentiam magnitudinum illius: hæc autem, ſunt qualitates Matris, Virginis, & Dominæ, *Sancta Dei Genitrix, ſancta Virgo virginum, O glorioſa Domina.* Nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus x, *Maria interpretatur Domina, & ipſa utique eſt cœli Regina, Domina mundi, quia Genitrix Dei.* Qualitas Matris eſt altiſſima, ſanctiſſima, & rariſſima omnium, quæ ſunt in cœlo & in terra. Eſt qualitas altiſſima, eò quòd Maria videns omnia ſub ſe, non agnoſcit niſi Deum ſuper ſe, ut ait illi S. Epiphanius y, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis.* Et S. Anſelmus z, *Nihil tibi, ô Maria æquale, nihil tibi comparabile: omne enim quod eſt, aut ſuper te eſt, aut infra te eſt. Super te ſolus Deus eſt: infra te eſt omne quod Deus non eſt.* Supra te eſt ſolùm quod

a Matth. 1. 25.
b Marc. 16. 6.
c Act. 2. 1. &c.
d Rom. 5. 5.
e Exod. 34. 22.
f Cornel. in Exod. 34. 20.
g Luc. 1. 42.
h Iſa. 11. 1.
i S. Epipha. Ser. de Laud. Deip.
k ex Matth. 1. 6. &c.
l ex Jo. 12. 24.
m ex Jo. 6. 48.
n Marc. 16. 19.
o Act. 2. 4.
p Luc. 24. 26.
q Act. 1. 9.
r Act. 2. 3.
s Rom. 8. 32.
t Luc. 1. 28. &c.
u 2 Petr. 1. 21.
x Dion. Carth. a. 3. in Luc. 1. 27.
y S. Epipha. Ser. de Laud. Deip.
z S. Anſel. l. de Concept. Virgin.

qui Deus eſt. Eſt etiam qualitas ſanctiſſima: quia dicere Matrem Dei, eſt dicere id omne quod poteſt dici, imò verò concipi, id eſt, quod ipſa plus includat ſanctitatis quàm omnes Sancti, & quàm univerſi Angeli, qui eam agnoſcunt ut Matrem omnium Sanctorum, & illius qui eſt *Sanctus Sanctorum* a, id eſt, qui poſſidet ſanctitatem per eſſentiam, ſicut illi eam non habent niſi per participationem: propterea Scriptura *b* aſſignat illi habitationem in Sanctorum plenitudine, ſicut ipſamet ait, *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Tandem, Qualitas eſt rariſſima, quia unica eſt. Infiniti ferè numero ſunt Angeli, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millia centena millia aſſiſtebant ei* c. Multi Patriarchæ d, & Prophetæ e: ſcimus eſſe multos *Diſcipulos & Apoſtolos* f. Ingens eſt numerus Martyrum, *qui per fidem vicerunt Regna operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones* g. Scriptura multos memorat Confeſſores *candidatos, qui legem Domini compleverunt* h. Et numerum quaſi innumerũ Innocentium, & Virginum *Centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quòcumque ierit* i. Sed ſicut unicus eſt *benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti* k inter perſonas Divinas increatas; ſic unica eſt Mater Dei inter perſonas humanas creatas, *Sancta Dei Genitrix.* Sed licèt ipſa ſit Mater, non deſinit propterea eſſe Virgo, & ſi ipſa non eſſet Virgo, nunquam fuiſſet Mater Dei, & Deus naſcens non poterat naſci niſi ex Matre Virgine: & in hac dignitate ſupereminenti ipſa honorat *ubi venit plenitudo temporis* l, per maternitatem ſuam virgineam, paternitatem virginalem Patris Divini in æternitate,

a Dan. 9. 24.
b Eccli. 24. 16.
c Dan. 7. 10.
d Gen. 49. 1. &c
e 1. Reg. 9. 20. &c & ſeq. cap.
f Luc. 6 13.
g Hebr. 11. 33
h 4 Eſdr. 2. 40.
i Apoc. 14. 4.
k 2. Cor. 1. 3
l Galat. 4. 4

Prima Trias Virgo eſt m.

Sicut enim Pater æternus, licèt Virgo, eſt tamen Pater Verbi Incarnati, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* n: Maria Mater & Virgo ſimul, eſt Genitrix ejuſdem Dei hominis: *Naſcenti enim Domino non eſt ablata ſed conſecrata virginitas, quæ ipſa Sponſum genuit ſui pudoris, ipſa cuſtodi præbet fidele ſervitium. Fœta ſed Virgo: Virgo ſed Mater: ſterilitate enim caruit, non pudore. Beata fœcunditas, quæ & honorem acquiſivit maternum, & caſtitatis præmium non amiſit*, ait S. Auguſtinus o. Et Eccleſia concinit, *Nam virginitatis gloriâ permanente lumen* p *æternum mundo effudit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Denique, Ipſa eſt Domina, non ſolum cœli & terræ, hominum & Angelorum, ſicut ſuprà dixit Dionyſius Carthuſianus, & quemadmodum eadem cantat Eccleſia, *Regina cœli, Regina Angelorum, Regina Sanctorum omnium*; ſed præterea ipſa ſupremum habet dominium ſuper eum qui eſt Dominus *cœli & terræ* q, qui fecit *cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium* r. *Et erat ſubditus illis* s. Id eſt, Jeſus Mariæ & S. Joſepho Sponſo illius, Parentibus ſuis. Dominium, ſi mihi dicere liceat, excellentiùs agnitum ab obedientia Jeſu, quàm dominium Patris æterni, ſi obſervetis triplex genus obedientiæ: datur enim obedientia ſufficiens, alia abundans, & alia ſuperabundans. Obedientia ſufficiens reveretur Superiorem. Abundans agnoſcit æqualem. Et ſuperabundans ſe ſubmittit inferiori. Atqui Salvator reddidit obedientiam ſufficientem Patri æterno ut Superiori ſuo, *Factus obediens uſque ad*

m S. Gregor. Nazian. in Carm. de Virginit.
n Matth. 17. 5.
o S. Aug. Ser. 18. de Temp.
p ex Pſ. 35. 10.
q Matth. 11. 25.
r Eſth. 13 10. & 11
s Luc. 2 51.

mortem t. Quia, ut docet S. Athanaſius u, *Minor Patre ſecundùm humanitatem.* Exhibuit ei obedientiam abundantem ut æquali ſibi in Divinitate, *Et ego mitte me* x. Et, *Ego & Pater unum ſumus* y. Et, *Aequalis Patri ſecundùm Divinitatem* z. Sed præbuit obedientiam ſuperabundantem Mariæ, ipſe Superior obediens inferiori ſuæ, Creator creaturæ ſuæ, *Et erat ſubditus illis.* Et ecce id quod ſpectat Maternitatem, Virginitatem, & dominium Mariæ: & en quomodo myſterium, quod honoramus, eſt myſterium depreſſionis & humilitatis & ſimul exaltationis & elevationis propter iſtas tres ſupereminẽtes qualitates Mariæ, Matris, Virginis & Dominæ, quæ conſtituũt tres diſcurſûs iſtius partes. Diviſio. I. Pars.

Diximus hoc jam, ſed dicamus illud demùm, quod Divina maternitas Mariæ eſt ſumma ipſius magnitudo, & quomodo non eſſet illius ſuprema dignitas, cùm in iſto ſtatu ipſa ſit ita elevata ut æquiparetur Patri æterno, cum ſit ipſa Mater Dei, ſicut ille eſt Pater Jeſu. Ita ut ſi Deus diviſibilis eſſet, dicere poſſemus præ veritate de illa id, quod Poeta dicebat præ vanitate, & præ mera adulatione de Cæſare reſpectu Jovis,

Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.
Diviſum imperium cum Patre Mater habet.

Aut ſaltem cum S. Bernardino a, quòd Paternitas Dei & Maternitas Mariæ ſic ad ſe referuntur, & tantâ affinitate, ut una tangere videatur alterá, ita ut, ſi per impoſſibile Pater æternus amitteret Paternitatem ſuam, aut illam mutaret, nihil deſiderare poſſet, quod magis accederet ad puriſſimas creaturas, quam incomparabilis Maternitas Mariæ, *Oportuit, ut ſic dicam, fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam, per quandam infinitatem perfectionum, quam creatura nunquam eſt experta.* Et tamen, ò prodigium! in hoc myſterio hæc ſumma qualitas quaſi videtur exinanita; obſervamus quòd hoc illuſtre privilegium, quod extollit illam ſuper id omne, quod eſt eminens, videtur amittere ſplendores ſuos. videmus enim quòd Maria tranſeat hodie ſub rigorem legis b, ad quam expreſsè ſolæ tenebantur mulieres, quæ fœtus ſuos viâ conceperant ordinariâ, *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus. Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Atqui Maria concepit fœtum ſuum operatione ſecretâ & internâ Spiritûs ſancti, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* c. Propterea S. Epiphanius d ait, *Virgo eſt telum* e *immaculatum, quæ roſam* f *immarceſſibilem genuit Chriſtum: Vitis* g *Veritatis* h *fertiliſſima, & quoad virginitatem minimè vindemiata, quæ licèt non foſſa, uvarum tamen feraciſſima, nempe quæ maturam uvam germinavit Chriſtum.* Et ſe ſubjiciens legi purgationis, Maternitati ſuæ irrogat injuriam. Præterea, Lex iſta non obſtringebat niſi mulieres quæ enixæ fuerant peccatores; ſed cùm Maria peperiſſet eum, qui debebat eſſe ſanctificator peccatorum, & re verâ *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio* i: non debebat iſti legi ſe ſubmittere: ſed cùm Salvator verus Deus, æquè ac Filius ejus, qui ſanctificat peccatores, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* k, circumcidi voluerit more cæterorum hominum peccatorum, *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur*

t Philip. 2. 8.
u S. Athan. in Symb.
x Iſa. 6. 8
y Jo. 10. 30.
z Athan. in Symbol.
a S. Bernardin. Serm. 6 de Virg. c. 11.
b Levit. 12. 2.
c Matth. 1. 16.
d Epiphan. de Laud. Deip.
e ex Cant. 2. 2
f ex Eccli. 24. 18
g ex Eccli. 24. 25.
h ex Jo. 14. 6.
i 1. Cor. 1. 30.
k Luc. 19. 10.

tur

l Luc. 2. 21 *tur Puer* l: Maria Mater ejus, nedum peccatrix eſſet, ſed tota plena puritate, ut ait illi Sponſus ſuus, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt*
m Cant. 4. 7. *in te* m: & S. Epiphanius n, *O beata Virgo, columba o pura, & Sponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cœlo & terrâ Solem p habes Chriſtum: nubes q lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum*: & conſequenter nedum vitam præbuerit peccatori temporalem: ſed ut ſic puriſſima inter puras, ſanctiſſima inter ſanctas, & perfectiſſima inter perfectas, ſubjacere voluit legi purgationis, inſtar cæterarum mulierum immundarum, ut in eâ manifeſtaret humilitatem ſuam, ſicut Dei Filius & ſuus humilitatem ſuam exhibuit intuendam in circumciſione ſuâ. Conſiderate enim, ſi placet, Filium Dei & Mariæ inter maximas humiliationes ipſius, nunquam videbitis illum magis humiliatum quam in hoc occurſu: in omnibus enim aliis myſteriis humiliationis, humilitas ipſius remuneratur aliquâ mercede. Si ſe concludit in caſtis viſceribus Matris confeſtim ac Angelo reſpondens eadem *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm ver-*
r Luc. 1. 38 *bum tuum* r: non concipitur ibi more cæterorum infantium, nec ibi contrahit peccatum originale, *Fulget novus ille conceptionis modus, ut non in iniqui-*
‡ ex Pſ. 50 7. & ex Job 14. 4 *tate* †, *quemadmodum cæteræ omnes, ſed ſupervenientê Spiritu ſancto* ſ, *ſola, & de ſolâ ſanctificatio-*
ſ ex Luc. 1. 35 *ne Maria conciperet. Nam quòd verum Deum & Dei Filium genuit ut idem ipſe Dei atque hominis Filius unus omnino Deus & homo prodiret ex Mariâ, abyſſus eſt luminis: nec facilè dixerim, quòd vel Angelicus oculus, ad hujus fulgoris vehementiam non caliget*,
t S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1 Signum magnum, &c. ait S. Bernardus t. Si ipſum Mater ſua parit, reclinatque *eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio*, & ipſe æquè ac illa deſtituti ſunt omnibus commodis vitæ fovendæ peropportunis, ſtatim agnoſcitur ibi ab Angelis, a paſtoribus, & a Regibus, *Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos*, id eſt, paſtores. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et paſtores venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infan-*
u Luc. 2. 7. &c. *tem poſitum in præſepio* u. *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam. Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat Puer. Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus, &*
* Matth. 2. 1. &c. *procidentes adoraverunt eum* *. Quin imò creaturæ ratione deſtitutæ, exhibent ei ſervitium juxta poſſe ſuum, aſinus & bos calefaciunt illum halitu ſuo, *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum; & aſinus præſepe*
x Iſai. 1. 3 *Domini ſui* x. Admiramini humilitatem ejus in circumciſione ipſius, ſed hæc humilitas remuneratur impoſitione nominis Jeſu, quod idem eſt ac Salvator, *Et poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer: vocatum eſt nomen ejus Ieſus*
y Luc. 2. 21. y. Licèt enim circumciſio z non eſſet ordinata niſi
z Levit. 12. 3 propter expiationem peccati originalis, & non obſtringeret ad ſui ſuſceptionem niſi eos qui illo inquinati erant: Dei Filius ſe voluit illi legi ſubjicere per humilitatem, licèt eſſet ipſe objectum dilectionis ſui Patris æterni propter innocentiam ſuam. Vidiſtis eum pauperem, intuiti eſtis illum peccatorem apparentem, *Eum qui non noverat*
a 2. Cor. 5. 21 *peccatum, pro nobis peccatum fecit* a, æquè ac *egenus*
b 2. Cor. 8. 9 *factus eſt, cùm eſſet dives* b. Si pergit in deſertum, ut baptizetur ibi a S. Joanne Baptiſtâ, Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eum, ut teſtimonium reddat ſanctitati illius, & Pater æternus facit eum audire vocem ſuam, quæ illum publicat objectum beneplaciti ſui, *Venit Ieſus à Galilæâ in Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Baptizatus autem Ieſus, vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* c. Si intimè ſolitudinem pervadit, ut ibi ten- c Matth. 3. 13. &c.
tetur a communi humani generis hoſte, & auſtero jejunio vacet, de illo glorioſè triumphat, nec exit è deſerto niſi palmis coronatus, poſtquam fuit ab Angelis ipſi miniſtratum poſt abſtinentiam ſuam, *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Tunc dicit ei*, id eſt, diabolo *Ieſus, Vade Satana: Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis: &*
illi ſoli ſervies d. *Tunc reliquit eum diabolus: &* d ex Deut. 6. 13
ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei e. Si vo- e Matth. 4. 1. &c.
catus a Judæis contumelioſe *Samaritanus, & dæmonium* f habens: oſtendit virtute miraculorum f Joan. 8. 48
ſuorum, præſertim cùm *erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ*, quòd non *in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia* g, g Luc. 11. 14. &c.
ſed virtute omnipotentiæ ſuæ Divinæ. Si aſcendit ſuper montem Thabor, ut humiliet ſe coram Patre ſuo, illuque oret, corpus ejus, quod ita diu privatum fuerat gloriâ ſibi naturaliter debitâ, ſpecimen ejuſdem gloriæ ſuſcipit, quod ipſum facit agnoſci Filium Dei *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce vox de nube, dicens, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè*
complacui: ipſum audite h. Et Carthuſianus i ait, h Matth. 17. 1. &c.
Secundùm commune dictum Doctorum in reſurrectio- i Dion. Carth.
ne futurâ dotes corporum glorificatorum, erunt ex art. 30. in
redundantiâ beatitudinis animarum in corpora, quod Matth.
intelligendum videtur per modum cauſæ meritoriæ, 17. 2
non effectivæ ex parte animarum. Anima autem Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex Divinæ diſpenſationis moderamine retractâ atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata. aliquando tamen fuit permiſſa, ſcilicet in transfiguratione.

Sed forſan dicetis mihi de *Chriſto Ieſu*, quòd nunquam magis *humiliavit ſemetipſum*, quàm cùm Patri ſuo *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Sed reſpondeo, quòd, præterquam quod hæc humiliatio remunerata fuit mercede, non ſecus ac aliæ, *Propter quod & Deus exaltavit illum* k, &c. non erat ipſa niſi ſatisfa- k Philipp. 2. 6. &c.
ctoria: Non enim erat neceſſarium ut Jeſus Chriſtus moreretur ſuper infami patibulo crucis ad operandam ſalutem noſtram, cùm ſalvare nos poſſet vel unâ e minimis cogitationibus & affectionibus ſuis puriſſimis: ſed hæc humiliatio, quam intuendam exhibet hodiernâ die in præſentatione ſuâ in templo, eſt ſatisfactoria, & aliquo modo obligatoria ſimul, *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Lex præcipiebat eam: debebat igitur illam adimplere, non ſecus ac legem circumciſionis, cùm ipſemet dicat, *Legem non veni ſolvere, ſed*

l Matth. 5. 17
adimplere l. Ut autem lex adimpleretur perfectè, requirebatur ut infans qui offerebatur in templo, redimeretur pretio quinque ſiclorum, *Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes* m. Id eſt, *Quinque ſiclis*, *ut patet Num. 18. 16.* ſubdit Cornelius n. Et iſtud eſt, quod peregit Salvator præſentatus in templo. En igitur ipſe captivus, pauper, & peccator apparens. Captivus in redemptione quæ ſolvitur pro eo. Pauper in eo quòd Parentes ejus, ut canit Eccleſia, *obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*: cùm Mater ejus utpote pauper non haberet unde agnum offerret more mulierum divitum ſecundùm eandem legem. Et peccator apparens, in eo quòd ſumit ſimilitudinem peccatoris, *In ſimilitudinem carnis peccati* o.

m Exod. 13. 53
n Cornel. in Exod. 13. 13.
o Rom. 8. 3

O humiliatio Jeſu! ô humiliatio Mariæ! Quandonam afficiemur erga imitationẽ utriuſque medias inter vanitates noſtras? Nunquid non nos ſuperádos ſinemus à raris iſtis exemplis humilitatis? Auſcultate lectionem, quam ipſe vos edocet, Auditores, hodiernâ die inter ulnas ſummi Sacerdotis S. Simonis, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* p. Potentiſne contemplari hanc humilitatem Filii & Matris, quin amore ducamini virtutis iſtius vobis conciliandæ? Superbe, aperi aures cordis tui ad hæc ſuavia verba: Iracunde, audebiſne truces manus tuas purpurare ſanguine proximi tui, eripere ei vitam, provocando illum ad certamen ſingulare, poſt tantam dulcedinem? Sed ſcito quòd inſurgis in Deum, quòd ei bellum indicis, ſed etiam quod ipſe te faciet experiri ſeveræ juſtitiæ ſuæ rigores: Impudice, volutabiſne te ſemper in cœno ſordium tuarum, videns offerri hunc Agnum immaculatum à Matre quæ eſt Virgo? *Ovis immaculata, quæ peperit Agnum* q *Chriſtum*, ait de illâ S. Epiphanius r. Id eſt, quæ non ſolùm eſt Mater, ſed etiam Virgo.

p Matth. 11. 29
q ex Joan. 1. 29
r S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. II. Pars.

Secundò, Non ſolùm Maria non apparet in hoc myſterio Mater Dei; verumetiam non apparet Virgo: ſed Filius ejus amplectitur cauſam illius, ut cuſtodiat ei utramque qualitatem. Scriptura ſ ſacra memorat, quòd cùm Iſaac *ablactatus eſt, fecit Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.* Super quod Toſtatus t æquè ac ſuper verba immediatè præcedentia, *Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit jam ſeni?* ait, *In Hebræo dicitur, Quòd lactaret ei filios. Ex hoc dicunt Iudæi, quòd mulieres vicinæ Saræ, quæ viderant eam temporibus præteritis, nunquam concepiſſe, nunc autem vetuſtam eſſe, non crediderunt, quòd peperiſſet, ſed quòd acceperat eum latenter ab aliquâ muliere pro pretio, & dixerat ſe eum genuiſſe. Ad tollendam hanc opinionem, Abraham fecit magnum convivium in die ablactationis Iſaac, & convocavit vicinos viros, & mulieres eorum, & fecit quòd apportarent parvulos ſuos, & lactavit Sara eos ibi corã matribus eorum.* Et ſic Sara recuperavit honorem bonæ & legitimæ matris, qui fuerat imminutus ex ſuſpicione mulierum Hebræarum. Atqui Maria, licèt Regina cœli & terræ, hominum & Angelorum, nobiliſſima & ſapientiſſima omnium mulierum, in actu ſuæ purificationis, cujus adimplere voluit legem non ſecus ac ſi ipſa fuiſſet collocata in cathegoriâ mulierum immundarum, in hoc occurſu ſupererogationis, cui ipſa non erat obſtricta, multùm minuit famam bonæ Matris: multi enim crediderunt, quòd eſſet quidem Mater, ſed quod virginitatem ſuam non cuſtodiviſſet, nam cùm permanſiſſet Virgo poſt partum ſuum, ut ipſamet ait apud S. Epiphanium u, *Non experta, nec cognoſcens virum* x, *peperi Deum qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum: nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res meæ ac illarum: non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitavit*: ipſa non erat obſtricta legi purgationis, quæ non obligabat ad ſui obſervantiam niſi mulieres immundas, quæ fœtus ſuos conceperant viá ordinariâ: tamen ipſa maluit in hâc actione depreſſionis, intueri humilitatem quam cuſtodiam famæ ſuæ, quæ ibi minuebatur: ſed amantiſſimus Filius ejus reparare ſategit hunc honorem qui videbatur læſus, & reſtituere ei gloriam incomparabilem dignitatis ſupereminentis Matris Dei, & Lactis ejus Virginei. Dei Filius hanc ſpecialem curam ſuſcepit ob amorem dilectiſſimæ Matris ſuæ, eò quòd ſic amanter exceptus eſſet in puriſſima illius viſcera, cum dignatus eſt operire ſe infirmitate noſtrâ, & induit ibi carnem hanc pretioſam quæ Verbum Divinum condecebat y. Sic cùm voluit inducere Patrem ſuum ut miſereretur infirmitatis humanitatis ſuæ, quæ ita violentum perpeſſura erat martyrium in patibulo crucis, non ait illi, Memento, Deus mi, quòd ego ſim dilectus Filius tuus, tu verò Pater meus: nec etiam dicit ei, Domine, conſidera, quòd ad hoc ut ſatisfaciam juſtitiæ tuæ pro peccatis hominum, morior vulneribus confoſſus, & doloribus ac tormentis oppreſſus: non quærit hujuſmodi ſermones funebres ad commovendum Patrem ſuum; ſed tantum inquit illi, *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre Matris meæ* z. Seu, *Avulſiſti, inquit ex utero*, vertit Tertullianus a. Qui ſtatim ſubdit, *Quid avellitur, niſi quod inhæret, quod infixum, innexum eſt ei, à quo ut auferatur, avellitur?* Cùm figitis baculum in terram, & inde illum eruitis, non aufertis terram, quia non habet radices; ſi verò avellitis arborem, quæ radices in eam infixerit, ſimul abripitis terram cum trunco: ſic Filius Dei, qui eſt *lignum vitæ* b, quia, ut ait Dionyſius Carthuſianus c, *Per lignum vitæ intelligitur Chriſtus ſapientia Dei Patris, ſecundùm quod in Proverbiis* d *de Sapientiâ Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam*: cùm jeciſſet radices in viſcera Matris ſuæ, cùm egreſſus eſt ex utero ejus, traxit ad ſe partem viſcerum ejuſdem ſuæ Genitricis, id eſt, carnem quâ indutus erat, *Una eſt Maria & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis e. Et ſicut arbor educit vitam è terra, cui radices ipſius adhærent, & ſi inde evellatur, ſtatim ipſi vita abripitur; & ſi ipſa ratione vigeret, ſtatim experiretur quod ipſam ſic evulſam mors abripit: ſic Dominus noſter Jeſus Chriſtus cùm radices fixiſſet in viſcera Matris ſuæ, unde ſuam vitam trahebat, & alimentum ſuum, cùm ſentiebat ſe avelli ex illo cœlo dulci felicitatis ut tranſplantaretur in iſtam miſerâ lacrymarum vallem, tantæ gloriæ duxit, ut eſſet Filius iſtius Matris, & indutus carne ſic ſanctâ & ſic innocenti, videndo quòd tota puritas ſuæ nativitatis æternæ potiùs auxerat quàm minuerat gloriam ſuam, ipſum operiendo carne ſic pretioſa, ut, licet ſibi ſuffixo cruci diceretur, ut deſcenderet de cruce, & quod ſic agnoſceretur ut Filius Dei: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo liberet nunc eum ſi vult* f: *dixit enim, Quia Filius Dei ſum* g: non dignatus ſit tamen unde moveri, tantæ gloriæ ducens

u S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. x ex Luc. 1. 34
y Joan. 1. 14
z Pſ. 21. 10. & 11
a Tertull. lib. de Carne Chriſti c. 20
b Apoc. 22. 2
c Dion. Carth. art. 23. in Apoc. 22. 2
d ex Prov. 3. 18
e Arnold. Carnot. tract. de Laud. B. M.
f ex Pſ. 21. 9
g Matth. 27. 42. & 43

tens apparere in hâc occaſione Filius ſuæ Matris, ac ſui Patris æterni; *Qui poſt multas aſſumpta carne injurias, & ad ultimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo* h, *ut te veram Matrem oſtenderet, verum ſe hominem patiendo monſtravit*, ait S. Auguſtinus i, B. Virginem alloquens de Filio ipſius. Quaſi dixiſſet Chriſtus, Ut oſtendam me eſſe Filium meæ Matris, nolo deſcendere è cruce, & volo ut credatur, quòd ſi gloria mihi provenit immenſa ex eo quòd ſumpſerim nativitatem à Patre meo cœleſti, ita me reputo valdè honoratum eò quòd genitus ſim à tali Matre; & quòd ſi teneo Divinitatem à Patre meo, ita acquiſivi à Matre meâ humanitatem & mortalitatem: quia verò tunc erat tempus paſſionis, Pater æternus voluit quaſi ab ipſo ſe ſeparare, ut ipſemet queri videtur, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* k? Et voluit ut Mater ſua intereſſet omnibus tormentis ipſius, ſtando *juxta crucem* l. Hæc omnia inducebant Jeſum Chriſtum, ut ſemper ſupereminenti dignitati Matris ſuæ conciliaret authoritatem.

h ex Matth. 27.26. &c.
i S. Aug. in feſt. Aſſumpt. quod eſt ſerm. 35. de Sanctis.
k Matth. 27.46. ex Pſ. 21. 2
l Joan. 19. 25

Et tamen in purificatione ſuâ videtur ipſa non eſſe Virgo. Virgines non comprehendebantur ſub iſtâ lege, cùm debuiſſent mulieres concipere & parere viâ ordinariâ, ad hoc ut ad illam obſtringerentur: interim ingreſſus in templum prohibetur ei per quadraginta dies quaſi mulieri immundæ, non ſecus ac ſi ipſa non eſſet Virgo. Olim Virgines Veſtales, erant cuſtodes templi, quia virginitatem profitebantur; ingreſſum ad illud profanis vetabant, nedum prohiberetur ipſis ingreſſus hujuſmodi. Sed, ô prodigium inauditum! tantùm abeſt ut Maria Regina Virginum ſit in templo, quin è contra ingreſſus ad illud prohibetur ei. In Lege m antiquâ dicebatur miniſtris templi, *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Qualis debet eſſe puritas Mariæ, quæ defert, non vas Domini, ſed ipſum Dominum? cùm ſit ipſamet, ut ait S. Epiphanius n, *Urna aurea continens manna cœleſte*. Qualis debet eſſe puritas noſtri, qui tractamus eumdem Dominum in ſacrificio Miſſæ? Et qualis eſſe debet puritas veſtri, qui ſic perſæpè collocatis illum in vaſe cordis veſtri in ſacrâ Communione?

m Iſa. 52. 11
n S. Epiph. ſerm. de 4 Laud. Deip. ex Hebr. 9 4
III. Pars.

Tertiò, B. Virgo ſe ſubmittens legi purgationis tantum abeſt ut injuriam irrogaverit ſummo dominio ſuo, quin è contrà nunquam ſic apparuit Domina ac in ſimili occurſu: offerens enim Dominum ſuum in templo, apparet ipſa Domina non ſolùm alicujus partis mundi, ſed etiam illius qui *Dominus omnium* o eſt. In hâc enim actione ipſa non ſolùm offert eum Patri æterno, ſed & illum ſacrificat, & tradens eum in mortem, teſtatur ſe habere authoritatem, & jus ſpeciale ſuper vitam ejus. Debètis enim ſcire, quòd hæc oblatio, quam peragit hodiè Maria Filii ſui in templo, eſt ſacrificium, & figura illius ſacrificii, quod ipſa faciet ejuſdem Filii ſui ſuper monte Calvariâ, cùm ſtabit *juxta crucem* p ejus. Nolite enim cogitare, quòd Judæi fecerint ſacrificium corporis Jeſu Chriſti, cùm milites duxerunt illum *in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* q. Intendebant illi peragere occiſionem, non autem ſacrificium: ſed B. Virgo ſtans *juxta crucem*, mediis diſpoſitionibus ſuis interioribus, omnino conformis voluntatibus Patris æterni, ſacrificavit Filium ſuum juſtitiæ Dei: & ſicut cùm *Abraham extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* r, ita ut Deo ſatisfecerit hæc voluntas Patriarchæ: ita Maria offerens hodiernâ die Filiū ſuum Patri æterno, cùm hora conſummandi illius ſacrificii nondum adveniſſet, præſentat illi loco ejus *par turturum*, & duobus iſtis animalibus, quibus nihil eſt magis ordinarium quàm gemitus, noſtra gaudia reſummuntur; ita ut Maria faciat hodie figuram illius, quod effectivè peractura eſt ipſa ſuper monte Calvariâ, & ex nunc ipſa offert & ſacrificat Filium ſuum in templo, ut aliquando immoletur ſuper patibulo crucis: ita ut dicere poſſimus ex nunc de Matre id, quod S. Paulus ſ dixit de Patre, *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Videte ergo, ſi placet, quale ſit dominium ejus, cùm ipſa diſponat dè vitâ illius, qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* t: tradendo Filium ſuum ad mortem pro gloriâ Dei, & pro amore hominum.

o Eſth. 13. 11
p Joan. 19. 25
q Joan. 19. 17. & 18
r Gen. 22. 6. &c.
ſ Rom. 8. 32
t Apoc. 19. 16

Videte interim, obſecro, quomodo myſterium hodiernum eſt myſterium depreſſionis & humiliationis & ſimul magnitudinis & exaltationis quantùm ad Mariam; & quòd ſi perfectiones ejus ex unâ parte fuerunt humiliatæ, Deus ex alterâ illas extulit beneficio potentiæ ſuæ, quæ poteſt unico vel inſtanti, in ictu oculi conjungere omnia totius orbis extrema, unire Orientem Occidenti, Septentrionem Meridiei, & cuncta facere ſibi, quò Divinæ perveluntur ipſius voluntates, ſicut *omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra; in mari & in omnibus abyſſis* u.

u Pſ. 134. 6

Maria ſe ſubmittit legi purgationis cum apparenti diſpendio ſuæ famæ, cùm videmus quòd in hoc myſterio magnitudo trium eminentiſſimarum qualitatum ipſius ſic profundè fuerit humiliata. Eſſe *ſervum* x Jeſu Chriſti, & ut ſic ei obedire, eſt major honor, quam deferre diadema in capite, ſceptrum præ manibus, & purpuram Regiam humeris impoſitam; imò verò pluſquam eſſe ſupra Angelos & Thronos; ita ut verus honor conſiſtat in exhibitione obedientiæ legi Jeſu Chriſti: Maria cum apparenti diſpendio famæ ſuæ ſe ſubmittit eidem legi Dei obſervandæ; homines verò qui ſunt ratione præditi, de quibus David y ait in perſonâ ſuâ, Deum alloquens, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: homines Chriſtiani, effecti *Divinæ conſortes naturæ* z; *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* a: renuunt illi ſe ſubmittere. Magne S. Paule, quàm paucos imitatores habes, cùm inquis, *Non erubeſco Evangelium* b. Heu! quotnam videmus fideles, quos Deus *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum* c, quos pudet non ſolùm credere id, quod proteſtantur, minùs autem illud executioni mandare, ſed qui contrarium illius omnino peragunt? Lex Jeſu præcipit veniam inimicis indulgendam, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros* d. Homines pudet illis parcere. Imperat ut ſubleventur pauperes, *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam* e. Nihilominùs iſti contemnuntur. Jubet humilitatem, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde* f. Et homines ſtudent arrogantiæ. Prohibet ſanguinem, *Date locum iræ* g. Et tamen addiſcunt homines induſtriam illius effundendi, & gloriantur ſe homicidia patrare, quod magno ducunt honori, ut adhæreant maximis & regulis mundi innocentiæ Chriſtianæ contrariis, tantum abeſt ut pudore ſuffundantur propter id quod magni æſtimant.

x Pſ. 115. 7
y Pſ. 4. 7
z 2 Petr. 1. 4
a Rom. 5. 5
b Rom. 1. 16
c 1. Petr. 2. 9
d Matth. 5. 44
e Luc. 11. 41
f Matth. 11. 29
g Rom. 12. 19

Adim-

Adimplet exactè Maria legem Dei, nedum ſolicita ſit de eo quod poſſit evenire, quod poſſit dici de ipſa quæ ſubjacet periculo ne habeatur ut immunda, licèt ſit ipſa Sole purior; ne reputetur ut mulier, quàmvis ſit ipſa *Regina Virginum*: ne æſtimetur peccatrix, etiamſi ipſa ſit *tota pulchra, & macula non* fuerit *in* h eâ unquam: parvipendens
h Cant. 4. 7
iſtud, Quid dicetur, mundanum? Quid dicetur, ſic formidatum in ſeculo, & præ timore iſtius, Quid dicetur, lex Dei non obſervatur ab hominibus mundanis. Domine, recuſa certamen iſtud ſingulare tibi indictum. Sed quid dicetur? Reformanda eſt tibi hæc impenſa, iſta pompa & ſuperfluitas veſtium. Sed quid dicetur? Renunciandum eſt ſaltationi publicæ, huic converſationi periculoſæ, iſti circulo minùs honeſto, ubi ſic perſæpè in peccatum impegiſti. Sed quid dicetur? Reſtituendum eſt iſtud bonum viâ iniquâ acquiſitum, & dicendum Deo, more Zachæi, *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* i. Sed quid dicetur? Ego neſcio quid dicetur, ſed ſcio unum
i Luc. 19. 8
quod dicit Evangelium k, Auditores, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Ardendum eſt uno vel altero è duobus iſtis ignibus, aut igne amoris Dei in hoc mundo, aut igne inferni in altero: extinguendi ſunt ignes concupiſcentiarum, avaritiarum, & vindictarum noſtrarum, lacrymis veræ Pœnitentiæ, aut pergendum continuatum ardere igne inferni. Tandem, Maria ut ſatisfaciat legi Dei, non parcit Filio ſuo: & tu parcis unico vel obolo; videtur evelli tibi vita de corde, cùm eruendus eſt è crumenâ tuâ denarius ad ſublevandas pauperum penurias erogandus; ut autem ſatisfacias legibus mundi, temetipſum conſumis, & agis pluſquàm poſſis. Maria in publicum prodit quaſi peccatrix potiùs quàm Dei legi deſit, etiamſi ipſa ſit innocentiſſima omnium creaturarum: Heu! quoties tranſgreſſus es legem Dei, ne te confitereris peccatorem vel in ipſâ Confeſſione Sacramentali, quàmvis ſis verus reus. Maria apparet id quod non eſt, ut ſatisfaciat legi Dei: tu verò violando legem Dei, non vis apparere id quod es; taceo larvas quibus operis te noctu, cùm diu, imò verò & mediâ luce larvatus incedens, per compita & plateas civitatis more inſani frendeas hoc tempore diſſoluto; tibi ſufficit habere virtutem in phantaſmate, quandiu habes vitium in eſſentiâ; tu deſeris medullam arboris, & more Protoplaſtorum noſtrorum, qui *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* l, te foliis operis: tu vadis ſecundùm exterius, ut placeas mundo, nedum
k Luc. 13. 3
l Gen. 3. 7
ſolicitus ſis de interiori, ut ſatisfacias Deo: gaudes apparendo id quod non es; & erubeſceres, ac horrore fremeres ſi videreris id quod es: vis apparere nobilis; & nunquam fuiſti talis: vis æſtimari dives; & miſer es mendicus: vis reputari caſtus; & non ignorantur infamia tua commercia, ſic ut applicari tibi poſſit hæc ſubſannatio Poëtica m,

m Juvenal. Satyr. 2

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Euge igitur, Auditores, efflagitemus à Deo per interceſſionem Mariæ, ut ſatisfaciamus legi Divinæ in omnibus, & ubique, quidquid accidat: parùm noſtrâ intereſt utrùm parvi aut magni æſtimemur ab hominibus, tota noſtra felicitas in hoc eſt ſita, ut dicere poſſimus ſinguli cum S. Paulo n, Ego ſum *ſervus Ieſu Chriſti*. Euge ergo
n Rom. 1. 1
dicamus cum affectibus illius incomparabilis Apoſtoli, cum verbis magni Regis & magni Prophetæ o, & ad imirationem Reginæ hominum & Angelorum; dicamus, ſed ex toto corde
o Pſ. 118. 57
noſtro, *Portio mea, Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.* Imprime eam ſic intimè cordi meo ut ſemper exprimatur actionibus meis; illuſtra me *ſpiritu intelligentiæ* p, ut illam intelligam; præbe
p Eccli. 39. 8
mihi animum defendendæ ejus, & poteſtatem exequendæ illius, ut merear gratiam tuam, & tandem gloram tuam.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Et dederunt ſortes eis. Et cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Act. 1. 26. &c.

a Gen. 1. 1. &c.
IN *principio creavit Deus cœlum & terram* a, *& quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium* b ſcilicet mundum produxit univerſum propter
b Eſth. 13. 10. & 11
obſequium ſolius hominis. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* c. Id eſt, renovare
c Galat. 4. 4. & 5
voluit hunc mundum materialem, quem produxerat, depravatum deinceps inobedientiâ Protoplaſti noſtri, qui vetito *de fructu comedit* d. Cùmque
d Gen. 3. 6. &c.
vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram e:) loco mundi
e Gen. 6. 12
iſtius materialis voluit nobis dare mundum novũ, qui eſt admirabilis mundus gratiæ, in quo intueor emicare id omne quod eſt exquiſitiſſimum in omnibus variis mundis, quos Philoſophi & Theologi diſtinguunt. In illo deprehendo veram formam & genuinam ideam mundi archetypi & Divini, qui eſt Deus, qui producit in ſemetipſo eum qui fieri non poterat, putà Deum, qui cùm fieri non poſſet in ſuo eſſe Divino, &, ut ait S. Paulus f. *Qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt*
f Philipp. 2. 6. & 7
eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Ut fieret Author novi mundi gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* g. Et, ut ait Dionyſius Carthuſianus h, *Quia gratia, id eſt, liberatio à peccatis, juſtificatio generis humani, ſupernaturale donũ Spiritus ſancti perficiens animam, eamque Deo acceptam, & ad promerendum idoneam faciens, per Ieſum Chriſtum facta eſt. Chriſtus namque ut Deus, cauſa eſt principalis atque efficiens gratiæ hujus: ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria ejus: ipſe quoque per aſſumptam humanitatem implevit & verificavit, quæ de ipſo pronunciabantur in Lege & Prophetis per figuras, ſeu verba Prophetica. Hinc tempus Chriſti novaque legis vocatur tempus gratiæ, quoniam lex nova dat gratiam, inquantùm includit Sacramenta Eccleſiæ, quæ faciunt quod deſignant, & propter*
g Joan. 1. 17
h Dion. Carth. art. 5. in Joan. 1. 17

copio-

*copioſiſſimam gratiam , quam Chriſtus nobis prome-
ruit, item propter ineffabilem magnitudinem benefi-
ciorum Dei , & promtitatem ejus ad dandam gratiam
tempore Evangelicæ Legis. Unde Philoſophis dicitur*
i ex Rom. 1.19.& 20 *innotuiſſe Divina Majeſtas* i, *Judæis juſtitia* k, *Chri-*
k ex Philipp. 3.6 *ſtianis verò Miſericordia innoteſcit , prout ad Titum
proteſtatur Apoſtolus; Apparuit benignitas & huma-*
l ex Tit. 3. 4 *nitas Salvatoris noſtri Dei* l. *Et alibi, Apparuit gra-
tia Salvatoris* m. In hoc mundo reperio excellen-
m Tit. 2.11 tias mundi Angelici, cùm contineat Dominum
Angelorum; *In quem deſiderant Angeli proſpicere*
n 1.Petr. 1.12 n. In ipſo invenio ſplendores mundi cœleſtis,
quia Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter o, *erat Lux vera*
o Eccleſia ex Malach. 4.2 *qua illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum* p. *Id eſt, illuminat lumine gratiæ omnem*
p Joan. 1.9 *hominem venientem in hunc mundum, id eſt, omnem
qui illuminatur gratiâ ſpirituali, quam nullus ſortitur*
q Dion. Carth. art. 4. in Joan. 1.9 *niſi à Filio*, ait idem Carthuſianus q. Non loquor
de mundo elementari & materiali, qui non me-
retur comparari huic mundo ſpirituali; tranſeo
ad microcoſmum hominis in perſonâ B. Virginis
Mariæ: ſicut enim ille, in quo vivimus, conti-
nere non poterat eum, qui *magnus eſt, & non habet*
r Baruch 3.25 *finem, excelſus, & immenſus* r: imò verò quem
cœlum, & cæli cœlorum capere non poſſunt ſ: ita
ſ 3.Reg. 8. 27 Deus ipſe volens facere mundum novum gratiæ,
in quo partes iſtius mundi, id eſt, Apoſtoli, & S.
Mathias etiam cum illo laborare debebant ad ju-
ſtificandas animas, incluſit ſe in utero præfatæ B.
Virginis (ut canit illi Eccleſia, *Quia quem cœli
capere non poterant, tuo gremio contuliſti*) cùm di-
ctum eſt ei, *Ave Maria.*

Siſtat hodiernâ die ſua ſecularis ambitio con-
ſilia, non aſpiret ampliùs ipſa ad mundanas di-
gnitates; nihil præ ſe ferunt hæ ſpecioſum niſi
exiguum ſplendorem, qui citò evaneſcit: ali-
quot abſolvuntur ipſæ momentis, & finem acci-
piunt cum illis, qui ipſas poſſederunt, *Præte-*
t 1.Cor. 7. 31 *rit enim figura hujus mundi*, ait S. Paulus t. Et
u Dion. Carth. art. 7. in 1. Cor. 7. 31 Dionyſius Carthuſianus u poſt eum, *Præterit
enim, id eſt, indeſinenter cadit, ſeneſcit & varia-
tur figura hujus mundi, id eſt, diſpoſitio, pulchritu-
do, & ſtatus terrenarum ac temporalium rerum, quæ
ſunt in tranſmutatione continuâ. Propter quod ait.*
x 1.Joan. 2.17 *Ioannes* x, *Et mundus tranſit, & concupiſcentia*
y Eccl. 1. 14 *ejus. Et in Eccleſiaſte* y *habetur, Vidi cuncta quæ
fiunt ſub Sole, & ecce univerſa vanitas, & afflictio
ſpiritus.* Non eſt aliquid comparabile magnitu-
dinibus & dignitatibus ſpiritualibus: & ad Di-
vinam aliquo modo eſt accedere perfectionem
ac exhibere ſe inſtrumentum & cooperatorem
Dei ad peragendam animarum juſtificationem &
z S. Dion. lib. de cœl. Hier. c. 3 ſalutem, ut ait S. Dionyſius z, *Uniuſcujuſque
eorum qui in Hierarchiâ cooptati ſunt, in eo poſita
perfectio eſt, ut pro ſuâ quiſque virili parte ad Dei
imitationem contendat: & id quo nihil Divinius eſt,*
† ex 1. Cor. 3. 9 *Dei, ut ſacra Scriptura* † *loquitur, fiat adjutor,
Divinamque in ſe actionem, quantùm poteſt, oſten-
dat.* Sic Judæis dicebat aliàs *Ieſus*, *Pater meus*
a Joan. 5. 17 *uſque modò operatur, & ego operor* a. *Id eſt, im-
pios juſtificando*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus
b Dion. Carth. art. 13. in Joan. 5. 17 b. Iſte eſt etiam ſpiritus Apoſtolorum qui ſunt
milites Dei Patris; præcones Filii, qui ipſos
propterea *elegit duodecim* c ad eximium munus
c Luc. 6. 13. &c. iſtud obeundum; & organa Spiritus ſancti, qui
ſemper, & ubique ore eorum loquitur, ut dixit
eis idem Dei Filius, mittens ipſos ad collabo-
randum, & ad ſalvandas ſecum animas: *Non
enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris ve-*
d Matth. 10.20. &c. *ſtri qui loquitur in vobis* d. Propugnatores erro-
ris, & defenſores veritatis, quam ſtabiliverunt,

& proprio ſanguine e obſignaverunt *in domo Dei,* e Act. 12.
*quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum
veritatis* f. Præſides religionis, & Sacerdotes ac f 1. Tim. 3. 15
Pontifices ſanctitatis novi mundi gratiæ producti
à Jeſu Chriſto, qui illius Author eſt, quam poſſe-
derunt in ſemetipſis, & deinde diſtribuerunt aliis.
Iſta eſt magnitudo, in quam loco Judæ eligitur S.
Mathias ſorte, id eſt, gratia Dei Primò: & Secun- Diviſio I
dò virtutibus ſuis.

Abſit à me ut collocari velim hodiernâ die in I. Pars.
cathegoriâ eorum, qui malitioſè claudentes ocu-
los Divinæ Providentiæ, aut illam torvis oculis
intuentes, ſuam impendunt operam ad decipien-
dos ſemetipſos, ne videantur addicti huic ſapien-
tiſſimæ Magiſtræ, quæ Præſidem agit nativitatis,
& conſervationis illorum omnium quæ videntur
in univerſo orbe, *Hæc attingit à fine uſque ad finem
fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* g. Re autem ve- g Sap. 8.1
râ multi inventi ſunt (faxit autem Deus ut noſtro
nullus remanſerit ſeculo) qui confitentes poten-
tiam & ſapientiam Dei in primâ creatione mun-
di, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, &
creata ſunt* h: eripuerunt ei directionem & guber- h Pſal. 148.5
nationem illius, poſtquàm ab ipſo creatus eſt: alii
attribuentes tale regimen huic ordini, quem vo-
cabant Naturam: alii neceſſitati inevitabili, quam
appellabant Fatum: & alii ſorti aut Fortunæ: ita
ſanâ mente capti, ut nullam obſervantes cauſam
ſenſibilem effectuum mirabilium, quos oriri vide-
bant quotidie in mundo (*Quia quod notum eſt Dei,
manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit: in-
viſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ fa-
cta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque
ejus virtus & divin:ias: ita ut ſint inexcuſabiles* i) per- i Rom. 1. 19.& 20
ſuaderent ſibi, quòd omnia in mundo ſorte accide-
rent, & ex ignorantiâ ſuâ voluntaria fingerent ſibi
Deam, quam vocabant Fortunam, pingentes eam
oculis velatis, gyrantem ſuper rotâ quæ nunquam
ſiſtit negotia mundi, quæ aliquos elevat, & alios
deprimit, nec unquam homines in eodem ſtatu ſi-
nit conſiſtere, ſed munera ſua & favores ſuos ſorte
tribuit, nedum conſideret aut cognoſcat illos,
quos hujuſmodi cumulare vult beneficiis. Utinam
illi, qui regimen mundi tradunt illi cæcæ (ſi qui
fortè ſuperſint hoc depravato, quo vivimus, ſecu-
lo) eidem duntaxat uno anno, uno menſe, uno die
committerent Fortunæ gubernationem domus
ſuæ; & proculdubiò familiam ſuam confeſtim in-
tuerentur collabentem & vergentem ad exitium.
Quàm cæci ſunt illi (ſi aliqui adhuc inveniantur)
quippe qui non conſiderant, quòd exigua familia
non poteſt uno anno ſubſiſtere, ſine magnâ pru-
dentiâ; & volunt ut univerſus orbis iſte compoſitus
ex ita diverſis partibus ſubſiſtat tot millibus anno-
rum ſub regimine ſortis & Fortunæ. Noſſent ipſi
commiſiſſe cuſtodiam ovium ſuam unn, patri ri qui
non eſſet perſpicax, ſeu qui depreſſum haberet in-
tuitum; & committere volunt temeritati cæcæ
ſortis & Fortunæ, gubernationem tot regionum
hominum, & Angelorum. Sed quare hæc proge-
nies ingrata, iſti mortales idololatræ altaria erexe-
runt Diis ſuis, ſi opiniones ipſorum ſacrilegæ non
adorabant niſi Fortunam? cur auſi ſunt ſacrificare
poſt victorias ſuas, ad agendas gratias ſorti, vel
Fortunæ, quæ ipſos non vidit, cùm ipſos adjuvit, &
ſalvavit (juxta ipſorum opinionem erroneam)
quæque ipſos nec etiam vidit, cùm ipſi ei gra-
tias agerent? Fortaſſis imaginati ſunt illi Eth-
nici, quòd hoc phantaſma haberet aures me-
liores oculis. Sed hallucinabantur illi turpi-
ter, non eſt Fortuna niſi chimæra, & ima-

ginatio, quæ nullum haberet eſſe niſi in ipſorum phantaſiâ, nec conſequenter oculos, nec aures, *Simulachra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum; oculos habent, & non videbunt;*
k Pſ. 113. 12. &c.
aures habent, & non audient k. Abſit a me, Auditores, ut ita loqui velim, & ſorti aut Fortunæ regimen mundi committere: ſed dico, quòd ſi Fortuna non poteſt gubernare mundum iſtum materialem, qui finiri debet & terminari per deſtructionem ſuarum partium, *Adveniet autem dies Domini tanquam fur; in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ*
l 2. Petr. 3. 10
in ipſâ ſunt opera, exurentur l: multò minùs audebo illi concedere gubernationem mundi ſpiritualis, qui eſt Eccleſia, quæ durare debet uſque ad æternitatem Dei, ut patet ex viſione quâ S. Joannes
m Apoc. 19. 11. &c.
m vidit quòd *Exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum. Quod de civibus Eccleſiæ triumphantis Regem ſuum comitantibus accipi poteſt*, ſubdit
n Dion. Carth. art. 30. in Apoc. 19. 13. & 14
Dionyſius Carthuſianus n poſtquàm ſuper hæc immediatè præcedentia verba ejuſdem S. Joannis, *Et vocabitur nomen ejus Verbum Dei*, dixit, *Id eſt, unigenitus Patris æterni. Eſt enim Verbum æternum; quod Pater ſeipſum intelligendo intra ſe invariabiliter profert. De quo ſcriptum eſt, In principio*
o Joan. 1. 1
erat Verbum o. Hanc enim Eccleſiam Deus gubernat etiam, eamque dirigit providentiâ ſuâ; cùm fundaverit illam potentiâ, & bonitate ſuâ, regit eam ſapientiâ ſuâ, & pollicitus eſt ei, ſe nunquam illam derelicturum, cùm propterea dederit illi Spiritum ſanctum ſuum, qui dirigit actiones ejus, moderatur intentiones illius, Divinas inſpirat ei veritates, *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt*
p 2. Petr. 1. 21
ſancti Dei homines p. Et omnia ipſius conſilia ad felicem ſemper perducit exitum, licèt hæc perſæpè videantur ſorte contingere, nimirum illis qui cœleſtia non ſunt edocti myſteria; ſicut eſt iſtud quod hodiernâ die accidit in electione S. Mathiæ ſubrogandi in locum Judæ Proditoris. Non me latet, quòd aliqui auſi fuerint vituperare hanc actionem Apoſtolorum ſorti committentium rem tanti momenti: ſed nihil eſt ibi reprehenſibile, ſi ritè conſiderentur omnes illius circumſtantiæ. Sors enim propriè loquendo eſt ſignum quod datur, aut actio quæ fit ad cognoſcendum aliquid incognitum, & cujus notitia manifeſtari poteſt, aut ab aſtris, aut à dæmonibus, aut ab inſpiratione Dei. Et hoc modo ſunt diverſæ ſpecies ſortis ſecundùm finem ad quem inſumitur ſors. Hæc enim adhiberi poteſt, aut ad diſtribuendum aliquid illis, quibus illud juſtè & legitimè debetur, cùm merita ſunt æqualia inter eos qui ad illud aſpirant, & ignoratur quiſnam ex illis illud meliùs mereatur. Vel ad conſulendam & inquirendam voluntatem Dei in re aliquâ dubiâ & incertâ. Aut ad ſciendum futurum. Atqui certiſſimum eſt, quòd inſumi non poteſt ſors ad ſciendum futurum, quia talis ſors non poteſt dirigi à Deo, qui nunquam promiſit ſe manifeſtaturum futura talibus modis; ſed eventus ſemper contrarium oſtendit, cùm aliunde nulla ſit neceſſitas quæ inducere poſſit Deum ad manifeſtanda ea quæ nondum ſunt: unde fit, ut ſperaretur directio talis ſortis ab aſtris, quod eſſet alligare eorum motibus, aſpectibus, & influentiis actiones quæ pendent à liberâ hominum volunta-
q Iſai. 45. 11
te, quod eſt contrarium Scripturæ q, *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſraël Plaſtes ejus, Ventura interrogate me.* Aut expectaretur, aut educeretur talis cognitio à dæmonibus, qui invocarentur ſaltem tacitè ad gubernandam ſortem, & ad procurandum illius eventum. Non licet etiam uti ſorte, ut inde conſulatur quid ſit agendum circa res incertas & dubias, niſi Deus inſpiret ad hoc; quæ tamen inſpiratio debet ritè conſiderari, cùm adeſt magna neceſſitas: alioquin hoc eſſet tentare Deum, & Diabolus ibi ſe miſcere poſſet ad decipiendos nos vanis ſuperſtitionibus: ſed datâ gravi neceſſitate, & adveniente inſpiratione Dei agnitâ interventu aſſiduitatis precum, adhiberi poteſt ſors in rebus dubiis. Multò meliùs etiam adhiberi poteſt ſors in electione hominum, aut in diſtributione rerum exteriorum, officiorum, & dignitatum, quæ commodiùs, faciliùs, & gratiùs non poſſunt diſtribui. Sorte pariter dividi poſſunt hæreditates & poſſeſſiones ad terminanda diſſidia, aut ad evitandas lites, ſicut Scriptura ſacra aſſerit, quòd terra promiſſionis ſic diſtributa fuit à Joſue Iſraëlitis, *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis* †.
† Pſ. 77. 55 ex Joſue c. 13. & ſeq.

Sic S. Auguſtinus r ait, quòd, ſi tempore perſecutionis, in aliquâ civitate diſceptent Eccleſiæ miniſtri, quinam abire, & quinam remanere debeant ad miniſtrandum Sacramenta fidelibus,
r S. Aug. Epiſt. 180 ad Honorat. in fine.
hæc altercatio ſorte terminetur, *Quanquàm ò ſi inter Dei Miniſtros inde ſit diſceptatio, qui eorum maneant, ne fugâ omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placeant charitati. Quæ diſceptatio ſi aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant ſorte legendi ſunt. Qui enim dixerint ſe potiùs fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum ſuſtinere noluerunt, aut arrogantes, quia ſe magis qui ſervandi eſſent, neceſſarios Eccleſiæ judicarunt. Deinde fortaſſis ii qui meliores ſunt; eligent pro fratribus animas ponere* ſ; *&*
ſ ex 1. Joã. 3. 16
hi ſervabuntur fugiendo, quorum eſt minùs utilis vita, quia minor conſulendi & gubernandi peritia. Qui tamen ſi piè ſapiunt, contradicent eis quos vident & vivere potiùs oportere, & magis mori malle, quàm fugere. Ideò, ſicut ſcriptum eſt, Contradictiones ſedat ſortitio, & inter potentes definit t. *Meliùs enim Deus*
t ex Prov. 18. 18
in hujuſcemodi ambaglóus quàm homines judicat, ſive dignetur ad Paſſionis fructum vocare meliores, & parcere infirmis, ſive iſtos facere ad mala perferenda fortiores, & huic vitæ ſubtrahere, quorum non poteſt Dei Eccleſiæ tantum quantum illorum vita prodeſſe. Res quidem fiet minùs uſitata, ſi fiat iſta ſortitio. Sed ſi facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? Quis non eam niſi imperitus, aut invidus congruâ prædicatione laudabit? Sic in Rebuſpublicis benè moratis ut evitentur diſceptationes & ſubornationes quæ accidunt ex ambitu Officiorum & dignitatum, ſors mittitur, ut eam Deus dirigat ad manifeſtandam gloriam ſuam, cùm ipſe ſit moderator ſortis, ſecundùm id quod ſcriptum eſt, *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur* u. Inde idem S.
u Prov. 16. 33
Auguſtinus x definiens ſortem, ait, *Sors non aliquid*
x S. Aug. Conc. 2. in Pſ. 30. 16
mali eſt: ſed res eſt in dubitatione humanâ Divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Iudas tradito Domino periit. Et ſicut de illo ſcriptum eſt, Abiit in locum ſuum, cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur. Electi ſunt duo judicio humano, & electus de duobus unus judicio Divino. De duobus conſultus eſt Deus quemnam ipſorum eſſe vellet. Et cecedit ſors ſuper Mathiam. Hic autem modus mittendæ ſortis non eſt novus in domo Dei: Sorte enim Joſue detexit quomodo *Achan inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſicles argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum concupiſcens* y, abſtuliſſet contra voluntatem Dei,
y Joſue 7. 14. &c.
qui

qui tantâ irâ accenſus eſt, ut populum ſuum ab hoſtibus percutiendum permiſerit, & juſſerit Duci exercitus ſui Joſue ut quæreret reum ſorte, & igne eum comburendum ſatageret, quod & factum eſt. Sic Saul ſorte creatus fuit & unctus in Regem Iſraël, *Et applicuit Samuel omnes tribus, & cecidit ſors tribus Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit uſque ad Saul filium Cis. Et ait Samuel ad omnem populum, Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait, Vivat Rex* z. Sic Apoſtoli *ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt, Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis: & cecidit ſors ſuper Mathiam & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Illa eſt ſors, aut bona fortuna S. Mathiæ; aut potius voluntas & gratia Dei, quæ direxit iſtam ſortem ad utilitatem illius. Sicut enim non eſt aliquid in mundo, quod ſuum eſſe & conſervationem ſuam non debeat voluntati Dei. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* a: ſic hæc eadem voluntas diſponit & ordinat quodcumque eſt in orbe, eo modo quo ipſi placet; trahit ipſa aliquos, & deſerit alios nedum illos vocet ad tale, aut ad tale officium & illos collocat in tali officio, aut in tali; alios vocat in ſtatum politicum & mundanum; alios vero ad ſtatum Eccleſiaſticum, aut ad ſtatum Regularem, nedum illius Divinæ diſpoſitionis inquirere debeamus rationes, niſi errare velimus, ſed pro certo tenere debemus, quòd talis eſt voluntas Dei, ait S. Auguſtinus b, *Voluntas Dei in humano genere ſors eſt: ſors veniens de Dei occultâ voluntate, apud quem non eſt iniquitas* c. *Non enim ille perſonas accipit* d, *ſed occulta illius juſtitia tibi ſors eſt.* Adoranda eſt manus iſta, quæ unum trahit, & alium deſerit juxta id quod modo dixi, quoniam Deus nihil unquam niſi rationabiliter ordinat, ait Tertullianus e, *Res Dei ratio, quia Deus omnium Conditor, nihil non ratione providit, diſpoſuit, ordinavit, nihil non ratione tractari intelligique voluit.* Voluntas igitur Dei, iſtam direxit ſortem; aut potiùs ipſa eſt eadem voluntas quæ ſuam gratiam communicat aliquibus potiùs, quam aliis, cùm a S. Auguſtino f vocetur iſto nomine hæc quæ *cecidit ſors ſuper Mathiam*, dicente, *Quid igitur eſt, In manibus tuis ſortes meæ? Sortes dixit, quantùm ego exiſtimo, gratiam quâ ſalvati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc eſt ſors. Meritò tunica illa Domini deſuper texta, quæ ſignificat charitatis æternitatem, cum dividi à perſecutoribus non poſſet, ſors ſuper eam miſſa eſt* g: *ad quos pervenit, eos ſignificavit qui videntur ad ſortem pervenire Sanctorum. Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, ait Apoſtolus* h. *Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Video ſortem. Et hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus quaſi vos benefeceritis, ut ad hoc accedere digni eſſetis. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Hæc quodammodo ſors occulta eſt.* Sic S. Paulus hanc agnovit veritatem locis prædictis, & ſequentibus, in perſonâ ſuâ, & omnium fidelium; *Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine* i. *Et, In quo etiam nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui operatur omnia, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* k. Propter eandem ſortem, aut bonam fortunam, ſeu potiùs propter eandem gratiam, lætabatur Salomon ſe ſuſcepiſſe animam pruchram ad virtutem, eamque collocatam in corpore immuni à ſordibus ordinariis, *Sortitus ſum animam bonam: & cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum* l.

Sicut principium motus non acquiritur motu, ſed ſupponitur venire ab aliquâ aliâ re ut neceſſariâ ad ipſum incipiendum; ſic prima gratia, quæ eſt ea quæ dat initium converſionis peccatoris, non acquiritur merito noſtrorum operum, quantumlibet ſanctitatis apparentiam præ ſe ferre videantur, ſed oritur è purâ liberalitate Dei, qui cum nemini aliquid debeat, eam abſque obligatione largitur iis, quorum cor placet ipſi tangere, ut eos trahat ad Pœnitentiam, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* m. Sicut igitur expectamus à Sole primos radios claritatis, qui intuendas nobis exhibent pulchritudines luminum; ſic expectandæ ſunt a Deo primæ inſpirationes ſalutis noſtræ, cùm in noſtrâ non ſit poſitum poteſtate convertere nos, niſi illuminemur; ſicut videre non poſſumus Solem, niſi beneficio lucis. Hinc Deo dicebat Pſalmiſta n, *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Et Ephraim, *Converte me, & ego convertar* o. Deus igitur communicat abſque ullâ injuſtitiâ dona gratiæ ſuæ illis quibus ſibi placet, & aliquando non iis qui videntur juſtiores coram hominibus, ſicut non præbuit gratiam Apoſtolatus, *Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus*, ſed Mathiæ, quia in rebus gratuitis quæ procedunt e pura liberalitate, admitti non poteſt acceptio perſonarum, *Non facio tibi injuriam* p. *Sic Mathias Hebr. idem eſt quod donum Dei, vel donatus à Deo. Unde Beda cenſet nomen ejus fuiſſe omen, quòd donandus eſſet Apoſtolatu*, ait Cornelius q.

Quod cùm ita ſit, caveat Chriſtianus ne intumeſcat propter gratiam quam ſuſcepit, cùm illa ipſi venerit à Deo: Eccleſiaſticus ne ſuperbiat pro eo quòd evectus ſit in donum Dei, cùm è liberalitate Dei ſuam teneat magnitudinem, & excellentiam, & fortè præpoſitus fuerit tot aliis melioribus & dignioribus ſe, *Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time*, ait illi Apoſtolus r. Id eſt; *Noli ſuperbire, vel de teipſo ſublimiter quid ſentire præferendo te illis*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus ſ. *Sed time judicia Dei, filiali ac caſto timore.* Nimirum, *Cum metu & tremore ſalutem* t *tuam operare*, exercendo miniſterium tuum cum timore, ut cum ſis *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis* u, ſuſcipere poſſis *Regnum immortale*, cùm habeas *gratiam, per quam ſervias placens Deo, cum metu & reverentiâ* x. Si enim Deus non pepercit Judæis, è quorum progenie ipſe ortus erat y, *Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, judicate inter me & vineam meam: Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem: Et po-*

z 1. Reg. 10. 20. &c.
a Act. 17. 28
b S. Aug. Conc. 2. in Pſ. 30. 16.
c ex Rom. 9. 14
d ex Rom. 2. 11
e Tertul. lib. de Pœnit. c. 1
f S. Aug. Conc. 2. in Pſ. 30. 16.
g ex Matth 27. 35. & ex Marc. 15. 24. & ex Luc. 23. 34. & ex Joan 19. 24. & ex Pſ. 21. 19.
h ex Epheſ 2. 8. &c. & ex Galat. 2. 16.
i ex Rom. 9. 26 &c. Coloſſ. 1. 12
k Epheſ. 1. 11
l Sap. 8. 19. & 20
m Rom. 9. 16
n Pſ. 84. 5
o Jer. 31. 18
p Matth. 20. 13
q Cornel. in Act. 1. 23
r Rom. 11. 20
ſ Dion. Carth. art. 15. in Rom. 11. 20
t Philipp. 2. 12
u 1. Petr. 2. 9
x Hebr. 12. 28
y Matth. [illegible] &c.

nam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur: & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ: & nubibus mandabo, ut pluant ſuper eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt: & viri Iuda, germen ejus delectabile: & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor a. [a Iſai. 5. 3. &c.] Si illos, inquam, Deus reprobavit, nec tibi parcet, etiamſi ſis Chriſtianus. Si ab eo reprobati ſunt Scribæ & Phariſæi, è quibus ipſe deſcendebat ſecundum corpus, *ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* a: [a Matth. 21. 43] Et, *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ* b? [b Matth. 23. 33] Nec Sacerdotibus & Eccleſiaſticis novi Teſtamenti dimittet. *Igitur Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolatâ, nitatur eſſe quod dicitur: ſi enim κλῆρος Græcè, Sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet; talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino*, ait S. Hieronymus c. [c S. Hier. Epiſt. 2. ad Nepotian. to. 15] Propterea, Domini mei, cùm inſtituti fuimus Clerici, ſuſcipiendo primam tonſuram, Dominus Epiſcopus dixit nobis, & nos diximus cum illo hæc verba Pſalmiſtæ d, [d Pſal. 15. 5] *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Quaſi tunc dixerimus ſinguli, Sumo & eligo hodiernâ die Deum ut theſaurum meum, velut hæreditatis meæ portionem, abrenuncio terræ, & mundo; dedico me ſacro obſequio ejus, & ipſe ſuſcipiet me ut vaſallum & ſervum ſuum præ hac pollicitatione, quòd æternâ ſit me donaturus hæreditate, ſi perfectè perfungar eo, ad quod exequendum vocatus ſum. Verba Divina, quæ memoriæ noſtræ jugiter manere debent impreſſa, æquè ac iſta ſequentia ejuſdem S. Hieronymi immediatè poſt ſubdentis, *Qui Dominum poſſidet, & cùm Prophetâ dicit: Pars mea Dominus* †; [† ex Pſ. 72. 26] *nihil extra Dominum habere poteſt: quòd ſi quippiam aliud habuerit, præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: V. g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cùm iſtis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis ejus* e: *nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Levita* f, *& Sacerdos, vivo de decimis; & altari ſerviens, altaris oblatione ſuſtentor* *: *habens victum, & veſtitum; his contentus ero* g; *& nudam crucem nudus ſequar* h. [e ex Deut. 32. 9. & ex Pſ. 104. 11 f ex Num. 18. 20. &c. & ex Joſue 13. 33 * ex 1. Cor. 9. 13 g ex 1. Timoth. 6. 8. h ex Matth 16. 24] Præfata ergo verba ſacra tenaci memoriæ ſunt commendanda, ut exactè illa perpendentes, nihil agamus unquam, quod adverſetur huic oblationi, quam fecimus Deo noſtri ipſorum, & electioni, quam idem Deus noſtri dignatus eſt peragere: non enim ſola gratia Dei inſtituit nos in ordine ſpecialium ſervorum ſuorum, qui cooperantur cum illo ad ſalvandas animas; ſed gratiæ Dei addere debemus etiam actiones noſtras virtuoſas, quibus mereri poſſimus perſeverantiam in hâc vocatione, quæ ita nos honorat.

[II. Pars.] Non igitur ipſa eſt bona fortuna, ſeu gratia Dei ſola, quæ reddit nos felices, etiamſi ſit ipſa janua cœli, & manus quæ viam nobis aperit ad veram gloriam, quæque perducit ad cumulum beatitudinis ſempiternæ: ſed iſti etiam debemus ſuperaddere conſenſum virtutis, ad quam pertinet præſcribere limites felicitatis noſtræ, & determinare favores, quos ſuſcipere debemus à Fortunâ, quam Ethnici agnoverunt ut Deam, quæ felices reddit eos, qui ſuas impenderunt operas ad ipſam inquirendam; & ideò ipſa eſt invocanda manu. Virtus, ut commenti ſunt iidem Pagani, evexit Jovem ſuper fratres ipſius, cumulans eum gloriâ & felicitate præ illis omnibus, eique primo ingreſſum præbuit in domicilium cœleſte: quaſi dixiſſent quòd Fortuna & Virtus conſpirantes ſimul, eſſent menſura felicitatis hominum, & junctæ ſimul eos collocare poſſent in ſerie ſemideorum, & illos reddere felices: hoc autem ego dico meliùs & rationabilius de gratiâ Dei: licèt enim ipſa ſola eligat homines, eoſque trahat ſuis ſuavitatibus, quandiu alios deſerit qui nolunt ipſam ſuſcipere; nunquam tamen ipſa ſuos ultimos communicabit favores niſi iis qui enixè laborabunt, omneſque ſuos adhibebunt conatus ad peragendam ſic glorioſam acquiſitionem. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* i. [i Rom. 8. 16. & 17] Dei eſt vocare nos ad ſe, eodem modo quo nos elegit, *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit* k. [k Rom. 8. 30] Sed noſtrûm eſt, ut hæc vocatio & electio fiat efficax, ut ait S. Petrus, *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis* l. [l 2. Petr. 1. 10] *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate* m. [m Epheſ. 1. 4] Ipſe ad glorioſum Apoſtolatus officium *vocavit inter ſuos, & elegit Apoſtolos Iudam Iſcariotem*: ſed quia iſte, *qui fuit proditor* n, [n Luc. 6. 13. & 16] non univit bona opera & virtutem bonæ fortunæ ſuæ, id eſt, gratiæ vocationis ſuæ, lapſus eſt ex hâc eminenti dignitate, *De quâ prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum*. Et ſic amiſit gloriam, quàm ex eâ ſibi comparaſſet, ſi more cæterorum Coapoſtolorum ſuorum, probatam duxiſſet vitam in obeundo ſublimi miniſterio ſuo. Iſtud etiam eſt punctum, ad quod Chriſtianus debet principaliter attendere, nimirum, conſiderare ſtatum, ad quem vocatus eſt, ut in eo dignè ambulet, ſicut ipſi conſulit Apoſtolus, *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis* o. [o Epheſ. 4. 1 & 2] Ad hoc ut, ſi mereri non poteſt primam vocationem, quæ gratis oritur à Deo, juxta id quod dixi ex eodem Apoſtolo p, [p Rom. 9. 16] *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Saltem conetur mereri illius continuationem. Illud eſt quod peregit S. Mathias: poſtquàm enim *exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, Viri fratres: oportet ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati, in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis uſque in diem quâ aſſumptus eſt à nobis, teſtem Reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis: & ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus; & Mathiam: & orantes dixerunt, Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum: & dederunt ſortes eis: cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cū undecim Apoſtolis* propter merita ſua, & virtutes ſuas, quæ meruerunt ipſi continuationem gratiæ ſuæ. Unde Cornelius q ait, [q Cornel. in Act. 1. 23] *Addit Beda, & alii, Mathias Hebr. idem eſſe quòd parvus Dei, quòd Apoſtolorum fuerit ultimus, quodque merito humilitatis erectus ſit ad Apoſtolatum, juxta illud Chriſti, Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis* r. [r Matth. 11. 25] Sed poſtquàm S. Mathias

meruit

meruit continuationem gratiæ ſuæ propter virtutes ſuas, per eaſdem conciliavit ſibi gloriam, quæ debebatur laboribus ipſius; ſicut enim certum eſt quod Deus trahat nos bonitate ſuâ, & vocet nos purâ miſericordiâ ſuâ abſque ullo prævio merito noſtro, *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi*
s Jer. 31. 3. *te miſerans s:* ita pro comperto eſt, quòd nunquã ſuam dabit nobis gloriam, niſi illam exercitio bonorum mereamur operum, *Si vis ad vitam ingredi,*
t Matth. 19. 17. *ſerva mandata t.*

Omnes gratiæ, quas ſuſcipimus, debent eſſe ſuum & nativitatem ſuam ſoli bonitati Dei; ſed earum augmentum non tantum pertinet ad miſericordiam Dei, quin etiam ſpectet laborem noſtrum; quod veriſſimum eſt tam de iis, quæ nos juſtificant, & educunt a peccatis, quam de illis quæ gratis nobis dantur propter utilitatem communem Eccleſiæ, aut ob profectum ſpecialem membrorum illius, *Quia membra ſumus corporis ejus u:*
u Epheſ. 5. 30. quales ſunt eæ, quas recenſet Apoſtolus x, qui de
x 1. Cor. 12. 3. &c. gratum facientibus differens, ait, *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus: niſi in Spiritu ſancto.* De gratis datis autem loquens, ſtatim ſubdit, *Diviſiones verò gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritûs ad utilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in uno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.* Dignitas Apoſtolatûs, & quælibet alia Eccleſiaſtica eſt ex iſtarum gratiarum gratis datarum numero, & licèt primitus ornatur à Deo, nunquam tamen erit utilis iis, qui ad ipſam vocati ſunt, ſi in ea non ſe gerant ſicut decet. Propterea S. Paulus y ſcribens diſcipulo ſuo
y 1. Tim. 3. 14. & 15. Timotheo, ſic illum hortatur, *Hæc tibi ſcribo, fili Timothee: ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* In qua *quodlibet donum Dei pecuniâ,* favore, aliâve conſideratione *poſſideri z* non
z Act. 8. 20. debet, ſed ſoli virtuti tribui; ita & adimpleri debet omni curâ & diligentiâ poſſibili quælibet dignitas Eccleſiaſtica *in ædificationem, & non in deſtru-*
a 2. Cor. 13. 10. *ctionem a:* Ita ut illi, quos Deus *idoneos fecit Miniſtros novi Teſtamenti b,* ſuoſque cooperatores ad
b 2. Cor. 3. 6. peragendam animarum ſalutem, quippe *ut diſpen-*
c 1. Cor. 4. 1. *ſatores myſteriorum c* ſuorum, plus prædicent exemplis & actionibus, quàm verbis. Idcircò illi qui vocantur ad aliquem ſtatum, ſcire debent ad quid teneantur circa illum exequendum, ut debito ſuo ſecundùm illum perfungantur; ſicut enim faber cæmentarius qui vocatur ad fabricandum, debet ædificare, ſi ſuo ritè perfungi velit officio; ita Chriſtianus, qui vocatus eſt ad cuſtodienda Dei & Eccleſiæ mandata, hæc omnia debet exequi, ſi in ſua dignè velit incedere vocatione: Eccleſiaſticus ſimiliter vocatus eſt ad celebrandum ſacrum; illud ergo debet peragere & ad Divinas laudes concinendas in choro; ibi debet intereſſe; & devotè, æque ac modeſtè hoc Divinum penſum perſolvere; vita ejus debet eſſe exemplaris, ne fortè alius tandem occupet locum ipſius, ſicut S. Mathias occupavit *locum miniſterij & Apoſtolatus hujus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum.* Aut ſaltem ne morienti in dignitate ſua, hæc eadem dignitas majus ipſi invehat ſupplicium. Quis enim, ſi placet, ſuſtinere poſſet opificem otioſum, qui tota die ſederet, luderet, aut dormiret? Sed quis perpeti poſſet eum, qui non ſolùm nihil ageret, ſed etiam alios à benefaciendo deterreret? Tales ſunt hodiernâ die multi Chriſtiani, qui manent otioſi, nedum laborent ſecundum vocationem ſuam; & quos tædet videre quòd alij labori incumbant. Idcircò S. Bernardus perſæpè ſeſe ſic interrogabat, *Bernarde, Bernarde ad quid veniſti?* Sic ſeſe interrogare debet quilibet Chriſtianus, Eccleſiaſticus, & Religioſus. Vocatus es ad Eccleſiam Dei, aut ad Religionem colendam, cave ne illam incultam negligentiâ tuâ deſeras, niſi velis ut electio, quam tui fecit Deus, tua ſit condemnatio. Conſidera Judam, attende Mathiam ſubrogatum in locum illius: Judas amiſit dignitatem Apoſtolatûs ſui propter nequitiam ſuam, propter ſuam avaritiam, eò quod profanè res Divinas tractaſſet, bona ad ſublevandas pauperum neceſſitates, & ad obſequium Eccleſiæ data ſibi arrogaſſet, *Quia fur erat, & loculos habens, ea quæ*
mittebantur, portabat d: Quòd calumniatus eſſet d Joan. 12. 6. &c.
Mariam, eò quòd cùm accepiſſet *libram unguenti nardi piſtici pretioſi, unxit pedes Jeſu, & extersit pedes*
ejus capillis ſuis e. Quòd *abijt ad Principes Sacerdo-* e Ibid.
tum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Loquens de Domino ſuo. *At illi*
conſtituerunt ei triginta argenteos f. Et tandem cum f Matth. 26. 14. & 15.
illis perijt, quibus ſcandaloſum ſuæ perfidiæ præbuerat exemplum.

Chriſtiane, Eccleſiaſtice, aut Religioſe cur non tremore concuteris intuitu exempli iſtius? Quare ſimilem non metuis infelicitatem tibi imminentem niſi in meliorem emendatioris vitæ frugem te receperis? Ut quid non times ne lapſus tuus ſit eò gravior, quò ipſe ſublimiùs elatus es ad obſequium Dei? S. Mathias meliùs inſumpſit vocationem ſuam, quam ipſe tuam adhibueris, cùm in ſua ſemper perſeveraverit, & virtus ſua effecerit ut martyrium ſit paſſus, lapidibus obrutus, & ſecuri percuſſus, vitam ſuam præbens, & ſanguinem ſuum fundens propter honorem illius, qui ipſum vocaverat; ob defenſionem Eccleſiæ, in qua ad dignitatem evectus erat; ad inſtructionem infidelium; & ad conſervationem Chriſtianorum: *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam*
Dei recipiatis g. Illam reciperetis in vacuum, ſi il- g 2. Cor. 6. 1.
lam relinqueretis otioſam; ſicut *in principio terra* h Gen. 1. 1. & 2.
erat inanis & vacua h. Quia nondum aliquid produxerat. *Quapropter fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem*
faciatis. Sic enim abundanter miniſtrabitur vo- i 2. Petr. 1. 10. & 11.
bis introitus in æternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti i.

FERIA IV. CINERVM.

Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Matth. 6. 16.

a Gen. 3. 6. &c. NOn priùs Protoplaſtus noſter Divina tranſgreſſus eſt mandata *a*, cùm univerſa rerum creatura in ipſum inſurrexit. Inter omnia autem, à quibus hoc in conflictu fuit expugnatus, validiſſima omnium fuerunt domeſtica, utpote propriј ipſius affectus ac ſuæ paſſiones. Sed non eſt diffitendum, eos Philoſophos non fuiſſe benè ratiocinatos, qui paſſiones humanas è noſtra conabantur averruncare natura, ut eam perfectiorem viderentur efficere; cùm vice verſa illi eriperent inſtrumenta, quorum interventu virtutem ſibi compararet, & ad ſummum perfectionis Chriſtianæ, quam profitemur, apicem evehatur. Eâ ducebantur ratione, Quia cùm paſſiones, ajebant ipſi, ſint animi perturbationes, non forent illæ ſociabiles ſapientiæ, quæ conſiſtit in tranquillitate, & in conditione ab omni perturbatione immuni; *Iram vocat Seneca brevem inſaniam*, referente Lorino *b*. b Lorin. in Pſ. 29. 6. ex Senec. l. de Ira c. 1. Quomodo igitur ſubſiſtere poſſint paſſiones cum ſapientia, quæ ſtultitiæ eſt oppoſita? inquiebant Stoici. Non eſt igitur cur miretur, ſi in ſua opinione graviter hallucinati ſint, cùm cæci eſſent, & ut ne ignorarent, ipſas paſſiones, virtutis directione, rationis imperio poſſe ſubjici.

Verùm enim verò hęc eſt vox traditionis Apoſtolicę, iſta eſt praxis Eccleſię primitivę, hoc eſt exercitium primorum Chriſtianorum; & id, quod c Matth. 3. 1. &c. *S. Ioannes Baptiſta* c prędicavit, putà pœnitentia, carnis mortificatio, & jejunium, quę corpora noſtra infirmantia, paſſiones noſtras rationis fręno coercent. Si enim Judęi ſe à longo diſponebant d Exod. 12. 3. &c tempore ut *agnum* d paſchalem comederent; Chriſtiani ut ſe diſponant ad Paſcha ſumendum, e Jo. 1. 29 in quo Agnum *Dei, qui tollit peccatū mundi* e, comeſturi ſunt *f*, f Jo. 6. 51 non debent tenere talis pœnitentię exercitio vacare; cùm ipſis pręceptum fuerit tempore opportuno ad moderandas paſſiones, & eâ non fuerint donati innocentiâ, quâ fuit inſignita Virgo Deipara, pręſertim verò cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria*.

Deus eſt unus, & niſi foret unus, non eſſet Deus; g Deut. 6. 4. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter Deus unus eſt* g. *Et uniſſimus* h, ait Boëtius. h Boëtius citatus ab Alber Magno l. 1. c. 2. Cōpend. Theol. Verit. Unus eſt in eſſe ſuo, in ſuis operationibus, & in requie ſua. In eſſe ſuo, cùm ipſius eſſe & exiſtentia ipſius ſint una & eadem res. In ſuis operationibus, cùm opera ipſius ad extrà ab eodem principio emanent, *Opera Dei ad extrà ſunt indiviſa*. Mundus autem unicus eſt. In requie ſua, cùm Pater ęternus fœcunditate Divini ſui intellectûs generet ſuum Filium *i*; i Pſ. 2. 7 Pater verò & Filius voluntate ſuâ ut unico principio k Jo. 15. 26. producant *Spiritum* k ſanctum. *Vnus Deus, una Fides* l, l Epheſ. 4. 6. & 5 una Religio. Una fides quę non poſſit dividi, quin ſtatim è medio tollatur. Una Religio, quæ tota ſancta eſt in ſeipſa, in ſuis operationibus, & in Sanctis ſuis, & ſic requirit Sanctos, id eſt, homines, qui pravis ſuis affectibus violentiam inferant, qui paſſiones ſuas in captivitatem redigant, & eas rationis imperio ſubjiciant. Textus autem, quem deſumpſi ex initio noſtri Evangelij, intelligitur de fortitudine, cujus exercitio & praxi incumbere debent veri Chriſtiani. Verum quidem eſt Eccleſiam ſanctam, quę eſt communis & benigna Mater omnium Chriſtianorum, tantum rigorem, quantum ſolebat ſeculis primitivis à naſcentis ipſius incunabulis, à filijs ſuis fidelibus tempore præſenti quo vivimus, exigere neutiquam; ipſi ſiquidem ſatis ſuperque ſit, ſi filij ipſius tantiſper pœnitentiæ praxi, & jejunij, quod nobis innuit Evangelium noſtrum, vacent exercitio. Et dato quod ipſa id non præciperet hoc ſacro Quadrageſimæ tempore, huic deberemus tamen ſedulo incumbere exercitio, ut domeſticum [illegible] maremus hoſtem, qui ad malum nos inducens, exitum noſtrum & ruinam noſtram machinatur; nec ullus legitime, niſi pro puſillanimo haberi velit, rationes poteſt ſpecioſas prætexere, quibus ab hoc exercitio tuta conſcientia diſpenſetur colendo. Quod cauſa eſt cur velim vobis oſtendere in hoc diſcurſu, quòd iiſdem motivis quibus quis ſe Propoſitio. exiſtimat ab exercitio pœnitentiæ & jejunij diſpenſari, ad praxim ejuſdem pœnitentiæ & jejunij obligatur.

Triplex obſervatur Homo in mundo à S. Paulo Apoſtolo dicente, alium eſſe animalem, alium politicum, & alium ſpiritualem. Homo animalis eſt ille, qui vivit duntaxat juxta leges ſenſuum, carnis & ſanguinis, & qui affectibus ſuis laxat habenas immoderatis, ut eò pergat, quò eorundem impetu dirigitur; & is eſt infra hominem. Homo politicus eſt ille, qui vivit ſecundum mundi maximas ut plurimum & ordinariè innocentiæ & ſanctitati Chriſtianæ oppoſitas; & iſte eſt intra hominem. Spiritualis autem homo eſt ſupra hominem. Homo animalis nihil inquirit præter delicias ſenſuum, voluptates, carnem, ſatisfactionemque affectuum minus rationi conformium, more brutorum, *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* m. m 1. Cor. 2. 14. Secundus eſt homo politicus ſecundum mundi maximas, qui induſtrijs & calliditatibus dirigitur politicis, ut feliciorem negotiorum ſuorum ſortiatur effectum mediâ mundanâ ſapientiâ; *Sapientia hujus mundi* n. n 1. Cor. 3. 19. Politici infortunati, qui Religionem Statui Politico, & omnia proprio faciunt inſervire commodo. Tertius eſt homo ſpiritualis, qui ſanè de rebus judicat omnibus, ipſe verò à nullo judicatur, *Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur* o. o 1. Cor. 2. 15. Quippe qui conſiderat res in ipſis, ſecundùm naturam ipſarum & valorem; qui intuetur Deum & cœlum. Non loquor de hoc homine ſpirituali, ſed de ambobus alijs, animali & politico.

Paſſiones ex ſe ſunt indifferentes, nec magis verſus malum, quam verſùs bonum inclinantur; ipſæ non ſunt vel bonæ vel malæ niſi ex diverſitate objectorum, ad quæ feruntur; & ex modo tendendi ad eadem. Ut autem ritè intelligatur hæc veritas, Obſervandum eſt, formam ſuperiorem continere in ſe eminenter formas inferiores; ſic forma cœli v. g. continet eminenter formas elementares & ſublunares: Atqui homo, qui eſt microcoſmus ſeu parvus mundus, continet in ſe omnes formas animatas, & ſenſitivas. Formæ animatæ quibuſdam pollent proprietatibus, quæ ipſis ſubſerviunt ut apprimè ſua munia obeant naturalia; ſic planta proprietatem habet nutritivam,

augmen-

augmentativam, & generativam. Formæ ſenſitivæ habent ſenſus exteriores, quibus ſua apprehendant objecta; & alios interiores, qui ſervi ſunt animæ ſenſitivæ, ut ipſorum interventu eadem cognoſcat: & præter hanc potentiam cognoſcitivam, quâ ipſa anima trahit ad ſe imagines objectorum, quaſdam habet inclinationes, quæ conveniunt huic facultati, quâ fertur ad objectum, quod bonum aut malum, naturæ ſuæ conveniens aut diſconveniens imaginativâ ſuâ exiſtimavit. Atqui anima rationalis, quæ eſt ſuprema animarum omnium, & univerſarum formarum corporearum & materiali concretioni alligatarum, eas conſequenter omnes eminenter continet, communicatque iiſdem potentiis, iiſdemque inclinationibus, quæ ipſis ſunt propriæ, ad agendum; ita ut per conſequens habeat potentiam cognoſcitivam, quâ objecta ad ſe trahat, & quaſdam inclinationes convenientes; hæ verò inclinationes nihil aliud ſunt niſi quidam appetitus, & quædam propenſio quam ipſa habet ad aliquid. Et hoc eſt, quod vocamus paſſiones, quæ bonæ ſunt, cùm rationis regulis conformantur; malæ verò, cùm æquitatis legibus adverſantur.

Homo poteſt comparari aëri, qui três regiones continet ac complectitur, infimam, mediam, & ſupremam. In regione infima aër eſt mixtus, in media verò & ſuprema eſt purus. Ita planè dicendum eſt de anima noſtra; cùm enim fertur ipſa ad objectum aliquod, quod ipſa exiſtimat bonum, & naturæ ſuæ conſonum ac conveniens, tale objectum ipſo eodem momento excitat in ipſa amorem. Et ita de aliis paſſionibus, quæ cùm rationis & æquitatis diriguntur regulâ, efficiuntur animæ inſtrumenta, quibus ipſa virtutem conſequatur, & Amorem Dei ſibi conciliet. Inordinatæ verò è contra. Cùm enim eis veluti equis indomitis laxantur habenæ, ipſæ ſunt omnium maxima malorum, quæ perferre poſſit homo, cùm eæ illum penitùs evertant, rationem illius è loco deturbent naturali, &, ut uno dicam verbo, hunc hominem animalem in catalogo brutorum collocent q.

q Pſ. 48. 13. & 21.

Cenſuerunt ipſi vel Pagani ſolo luminis naturalis & rationis radio illuſtrati, veram & apprimè directam Rempublicam docere, quo pacto agendum ſit bonum, ac fugiendum malum ac eliminandum. Sed quæ præclarior Reſpublica Chriſtianorum Republicâ, Religione Chriſtianâ, cujus præcipuâ fertur maxima? *Declina à malo, & fac bonum* r. Religio hæc ſancta eſt in ſeipſa, in ſuis moribus, & in ſuis operationibus; cùm ipſa præcipiat puritatem vel ipſis oculis, neque ſinat id deſiderari s, quod licitè non poteſt poſſideri, & ſic reprimenda jubeat deſideria minùs æquæ rationi conſona. Aliæ Religiones, v.g. Lutheri, Calvini, ſecta Mahumetica permittunt abominationes, ipſæque nonniſi gladiis, ferro, & vi ſubſiſtunt: Sed Religio noſtra Chriſtiana in eo ſita eſt, ut ſuam conſtituat in macerationibus, in pœnitentiis & jejuniis exercendis fortitudinem. Ha! quantâ perfunditur quis conſolatione, cùm mente recogitat fortitudinem ac pœnitentiam primorum Chriſtianorum, quorum alii brachiis in terga retortis more captivorum, aut reorum, cœlum intuebantur, alii catenis alligati ſuſpirabant, alii repetitis iterum atque iterùm lapidum ictibus pectora tundebant; & noctes inſomnes, medias inter orationes, tranſigentes alii, & proſtrati ante pedes Sacerdotum Divinam implorabant miſericordiam. Ratio iſtius eſt, Quia propriis violentiam inferebant paſſionibus.

r Pſ. 36. 27.

s Exod. 20. 17.

Verum quidem eſt illas maximam poſſe in proprio ſubjecto cauſare ſtragem. Sicut autem in ſtatu Politico & in Monarchia benè ordinata requiritur ad conſervandam pacem & unionem, ut Princeps ſupremus ſit diſcretus & prudens, ut Magiſtratus & Miniſtri Regii in unam coincidant cum Rege voluntatem, populuſque legibus ſibi à Principe impoſitis gerat morem: Ita ad conſervandam pacem & animi tranquillitatem in nobis, & ad continendas paſſiones intra præſcriptos ipſis limites, oportet ut intellectus noſter, qui eſt veluti Princeps ſummus, prudenter agat; & imaginatio & alii ſenſus interiores, qui ſunt veluti Miniſtri & Officiales hujus exiguæ Monarchiæ, quorum interventu parvus hic Princeps agit, ſemper ſubjaceant juri rationis, & intellectûs; quorum alterum ſi deſit, ſtatim oritur in regno animæ noſtræ deſolatio eo planè modo, quo naſcitur rebellio in Monarchia ſupremi Principis. Sicut autem illi qui loquuntur de apum œconomia, ajunt eſſe mirabile viſu diligentiam & ſolicitudinem, quâcum hæc animalcula parvis ſuis funguntur muneribus; ſed cùm illarum Princeps moritur, aſſerunt illi naturalium rerum curioſi indagatores, tantam inter eas exurgere perturbationem, ut omnes commoveantur: Ita dicendum eſt de paſſionibus noſtris, niſi regulâ rationis, quæ eſt ipſarum Regina, dirigantur, & mortificatione proprii corporis, in quo reſident, macerentur.

Alioquin enim lumine rationis extincto, id ingentem in interiori animæ regione perturbationem cauſat, quæ eam circumquaque concutit. Sol per univerſas totius orbis oras ſplendidiſſimos luminis ſui radios communicat & diffundit, modò non impediatur ſpiſſis & tetris vaporibus illis & exhalationibus, quæ aqua & terra in aërem mittunt, quorum interventu ac oppoſitione eripiatur nobis lucis illius beneficium: Ita intellectus, qui eſt veluti Sol circumquaque ſuos ſplendores communicat, & lumina ſua diffundit, cùm paſſiones non immittunt in ipſum vapores hos atros & iſtas exhalationes, quæ perturbatione ſuâ inter alios, hos duos producunt effectus infelices, cæcitatem rationis, quam ſpiſſi hi vapores & iſtæ exhalationes offundunt; & captivitatem voluntatis, quæ vinculis conſtricta ſuſpirat; quia cùm præcipere deberet huic microcoſmo, huic parvæ Monarchiæ, ſubjacet ipſa iiſdem legibus, quas debebat ipſamet ſtatuere, ut lamentabatur S. Auguſtinus t ante converſionem ſuam, *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed ferreâ meâ voluntate velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me.* Et David u canebat poſt peccatum ſuum, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Non erat hæc vita Chriſtiana, quam Auguſtinus ducebat in hoc ſtatu infelicitatis, impuritatis, & diſſolutionis: hæc erat vita animalis, quæ ſolas ſenſuum intuebatur delicias, & paſſionum animalium ſatisfactionem.

t S. Aug. l. 8. Confeſſ. c. 5.

u Pſ. 118. 61.

Si vivere velitis juxta hunc hominem animalem, adhærere huic vitæ carnis & ſanguinis, huic vitæ animali; *quæ ſeminaverit homo, hæc & metet* x; corruptionem ſeminatis duntaxat, nihil præter corruptionem metetis. Si velitis ducere hanc vitam animalem, & politicam, ambitioſi, lubrici, & avari, qui violentis his commovemini paſſionum veſtrarum perturbationibus; nonne verum eſt, ambitioſe, cùm furiis iſtis agitaris infernalibus,

x Galat. 6. 8.

bus, cùm ut vanitati inſervias, bonum proximo tuo eripere ſulicitaris, quò ſupra id, qu[illegible]es, eleveris; aut fortaſſe ut illud in proſtitutiones & commercia illicita impendas, luxurioſe; cùm te tuus theſaurus, avare, alligatum tenet immodica cupiditas; vos omnes ſeminare ventos, & nihil ex ijs univerſis præter turbinem & tempeſtatem meſſuros. Si velitis hàc vitâ vivere animali & politicâ, exite è Chriſtianiſmo, ·tiatam aſſumite mahumeticam, & Mahumetiſmum profitemini. Si autem ſcire velitis quænam ſint inſtrumenta, quibus vobis utendum ſit ut hos hoſtes evellatis domeſticos, ea ſunt pœnitentia & jejunium, quibus incumbere debetis Divinæ confiſi Miſericordiæ. Licèt autem difficillimum ſit ut ille, qui perturbationi & ſtrepitui paſſionum eſt aſſuefactus, audiat Dei vocem, nihil tamen eſt impoſſibile homini ejuſdem Dei gratiâ adjuto, ſicque poteſt dicere cum S. Paulo, *Omnia poſſum in eo qui me confortat* y. [y Philip. 4.13.]

Sed objicitur jejunium & pœnitentiam infirmare corpus ſimul ac mentem. Ego autem reſpondeo ob hanc eandem rationem debere vos jejunare & pœnitentiam agere; ſpiritus enim validior efficitur cùm corpus maceratione debilius redditur; *Cùm enim infirmor, tunc potens ſum* z, [z 2. Cor. 12.10.] ait S. Paulus, qui de Sanctis loquitur, *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate* a. [a Hebr. 11.33. & 34.] Obſervate, ſi placet, hæc Apoſtoli verba, Virgines adoleſcentulæ tredecim aut quatuordecim annos natæ, ſexûs, conditionis, & ætatis debilis, Tyrannos exploſerunt, carnifices deriſerunt, eorumque ſupplicia & tormenta contempſerunt, jejunijs, pœnitentijs, & mortificationibus maceratæ. Bellum obſervatur juge inter corpus & ſpiritum, *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem* b. [b Galat. 5.17.] Nondum potuit aliquis hoc bellum conciliare, niſi Verbum Divinum *ubi venit plenitudo temporis* c, [c Gal. 4.4] ineffabili Incarnationis ſuæ myſterio. Cùm autem ad infirmanda corpora ſeu debilitanda, ſecundùm Medicos, diætæ ſint neceſſariæ, & ob id per hebdomadam comeſtiones aliquæ reſecandæ (omitto cogitationem æternitatis *d* [d Pſ. 76.6] beatificæ, quæ valet quidem parum mortificationis & pœnitentiæ) quid non fecerunt primi Chriſtiani? quas mortificationes, quas pœnitentias, & quæ jejunia non exercuerunt? Nunquid non S. Paulus *e* [e 1. Cor. 9.27.] ait? *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

Sed aliud motivum prætexitis, aliam rationem apparentem præſumitis allegare, ut diſpenſetis vos ab hoc pœnitentiæ exercitio, quod maximam profectò vobis afferret utilitatem, ſi illius praxi ſedulæ velletis vacare; cùm dicitis: Jejunium efficit ut dormire non poſſimus, quod magno nos afficit tædio, eò quòd non ſatis cibi & alimentorum ſumpſerimus, quod erit cauſa ob quam omnes ferè noctes ſint inſomnes traducendæ, vel ſaltem media ſit earum pars in vigilia tranſigenda. Verum eſt, non diffiteor. At hæc vigilia vobis eſt neceſſaria, hæc vita eſt vigilia æternitatis, omnis Quadrageſima eſt vigilia feſti Paſchatis. Hanc praxim conſilio ſalutari ſuadet vobis S. Petrus *f*, [f 1. Petr. 5.8] *Fratres, ſobrij eſtote, & vigilate.* Non ignoratis tempore belli totâ nocte vigilare cuſtodes, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* g. [g Job 7.1] Omnes nos ſumus milites; oportet igitur ſemper vigilare, & eſſe veluti cuſtodes, *Sobrij eſtote, & vigilate.* Primi Chriſtiani noctes tranſigebant medias inter vigilias & orationes. Tempus vitæ tempeſtas eſt pœnitentiæ, quâ virtuti, pietati, & ſanctitati Chriſtianæ vacetur. Tempus eſt vigiliæ, ubi ſunt obſervandæ inimicorum noſtrorum nos aggredientium inſidiæ; *Quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs Principes & Poteſtates tenebrarum harum* h. [h Epheſ. 6.12.]

Sed dicet fortaſſis tenera & delicata mulier. Pulchritudine meâ excidam, & macie conficiar. Quin imò nunquam formoſior & vegetior apparebis, quam cum jejunaveris. Recordare, quæſo, modi procedendi illuſtris viduæ Judith; nihil eâ ſpecioſius poſt exercitum ab ipſa jejunium, *Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ* i. [i Judith 8.6] Imò vero Holofernes ſolo ſandaliorum ipſius raptus eſt intuitu, *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus* k. [k Judith 16.11.] Memento etiam puerorum illorum nobilium, quibus ſola dabantur *legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum, & contemplaro vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui veſcebantur cibo regio* l [l Dan. 1. 12. &c.] diebus ſingulis menſæ Nabuchodonoſor appoſito. Non eſt ipſe cibus, qui nutrit; ſed concurſus, quem Deus ipſi tribuit: oportet ut unuſquiſque ſciat, non vegetari cibis ac alimentis corpora præciſè, ſed benedictione, quam Deus ipſis communicat cibis. Cùm fame populos vult Deus affligere, concurſum ſuum retrahit à pane, & à cæteris alimentis; multum tunc comedunt homines, & ipſis non fit ſatis; non expletur ipſorum fames, nec ſatiatur ullus, quantumvis comedat, quia Deus ſubtrahit ab eſcis concurſum ſuum; *Et vocavit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contrivit* m. [m Pſ. 104 16.] E contrà verò ne timeas deformitatem, & maciem, cùm gratia, quæ jejunio acquiritur, animam Deo gratam efficiat. Hæc eſt decus & ornamentum animæ, quæ jejunio comparatur. Jejunato igitur, cùm talis ſit jejunij praxis à tempore Apoſtolorum.

Sed allegabis etiam; Medicus meus dixit mihi, conſtitutionem corporis mei & temperamentum meum non indigere his macerationibus, his mortificationibus, & his pœnitentijs; omnes hos cibos macres, hæc jejunia, has vigilias ſanguinem accendere, humores depravare & corrumpere, perturbare bonum ordinem & rectam totius corporis œconomiam, & cauſare cruditates & cacochimiam, & idcircò non oportere ut pœnitentiæ talibus incumbam exercitijs. Credis tuo Medico; tranſeat, cùm id tibi indulgeat Eccleſiaſticus *n*, [n Eccli. 38.1.] ut honores eum ob utilitates tibi ex eo provenientes, *Honora medicum propter neceſſitatem.* Sed etiam crede S. Paulo, *Quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* o. [o Rom. 8 18.] Et, Quòd *id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* p. [p 2. Cor. 4.17.] Quæ comparatio aliquot dierum jejunij & pœnitentię cum ęternitate beata, cum gloriâ quę duratura eſt tandiu, quandiu Deus, & quę erit poſſeſſio ejuſdem Dei? Tu credis Medico tuo; ſed crede etiam Eccleſię, & ei, quod promiſiſti, ſaltem quod promiſit patrinus tuus nomine tuo in Baptiſmo, cùm *fuiſti renatus ex aqua & Spiritu ſancto* q, [q Jo. 3. 5] & interrogatus, *Abrenuncias Satanæ? Abrenuncio: Et omnibus pompis ejus? Abrenuncio: Et omnibus operibus ejus? Abrenuncio.* Reſpondiſti te abrenunciaſſe carni, & omnibus voluptatibus ejus, & tamen in ea conſtituis totam felicitatem tuam.

Non eſt judicandum de voluptatibus & delicijs hujus ſeculi ex ſolis apparentijs exterioribus.

Digitized by Google

Janua domûs aut caſæ plebeij aut ruſtici viri ipſo die nuptiarum ipſius circumquaque cingitur ramis viridibus, & lauro circundatur atque ornatur; quòcumque projiciantur oculi, nihil eſt in ea intus & foris præter herbas odoriferas intueri: ſed ſi tantiſper interius penetretis, percipietis proculdubio aratrum diſpoſitum, quo ſtatim die craſtinâ ad ſudorem uſque labori ipſe incumbat ſedulo, & agro vacet colendo. Tales planè ſunt voluptates hujus ſeculi, ſpecioſæ, & gratæ juxta apparentiam exteriorem; poſſidet quis copioſam magnificamque ſupellectilem, & domum inhabitat pretioſis ornatam tapetibus; plauſum conciliat ſibi generalem eorum omnium, qui judicium conſtituentes ſuum in ſuperficie harum rerum exteriorum, felices reputant eos, qui bonis talibus potiuntur r, ignorantes quid ſint hæc, cùm non ſciant hæc omnia eſſe labores & tormenta graviora, majuſque tędium & faſtidium ſine comparatione poſſeſſoribus ſuis afferentia, quàm afferat aratrum agricolæ.

r Pſ. 143. 15.

Cùm profundo oppreſſus aliquis ſomno, ſe à dæmone auferri ſomniat, vel à tauro furioſo cornibus circumagi & ventilari, videtur ipſe apparenter dormire, & ad delicias uſque requieſcere; interius attamen, quò noſtri pertingere non poſſunt oculi, horrendis dolorum ſtimulatur aculeis, & lethiferis implicatur anxietatibus; ita ut evigilans, ſtatim in violenta erumpat ſuſpiria, teſtimonium doloris, quem patiebatur, præ ſe ferentia. Si verò quis ejus querelas audiens, earum ab ipſo ſciſcitetur cauſam, cùm anteà ita ſuaviter requieſceret: Reſpondebit profectò, ſomnum ſuum fuiſſe ſomnio interruptum horribili, quod omnia ipſius oſſa veluti contriverit. Idem planè dicendum de pluribus hominibus, qui inter delicias & voluptates ſuas videntur quiete tranquillâ potiri ac ſecurâ, quorum tamen voluptates nihil ſunt præter ſomnia importuna, quæ ipſos exagitant timore ne è veris excidant gloriæ delicijs ſempiternæ, ne priventur jure quod habent ad hæreditatem cœleſtem s, & ne a diabolo auferantur, eò quod noluerint pœnitentiæ praxi incumbere, & jejunij exercitio vacare.

s Rom. 8. 17.

Videbitis caſtellum vetus apparenter deſtructum, faciem illius everſam, papiliones apertos, proſtratas porticus, palatium tandem deſolatum: nihilominus ſi illud ingrediamini, ſuperbas in eo invenietis aulas magnificis tapetibus inſignitas, & pretioſis ſupellectilibus decoratas, in quo nihil præter divitias ſit invenire. Talis profectò eſt conſcientia illorum, qui vanitates ſepeliunt, ſuaſque voluptates & delicias ſeminant in terra oblivionis. Sed homo juſtus, qui exteriùs apparet mortificatus, & qui pœnitentiæ & jejunij exercitio incumbit, dives eſt in interiori animæ ſuæ regione donis ſpiritualibus, ſanctis ardoribus, & Divinis inſpirationibus. Creditis veſtro Medico; ſed credite ſanctis viris, quibus cùm Medici gravi morbo laborantibus, remedium præſcripſiſſent ſaluti animę & conſcientię diſſonum; Ha! reſpondebant ipſi, Moriamur tẽpori, ut vivamus æternitati; ita ejus uſum recuſaverunt remedij. Credite tot aliis vitę probatę hominibus, qui jejunio ſeduò in utuerunt colendo. Jejunate igitur, & ſi vobis vires ſufficere non videntur, quibus abſtineatis à carnibus, tempore quo vobis eſt ijs uti licitum; ſaltem te ſaltem ut moderationem aliquam afferatis in condimentis, & in impenſis, quæ ut plurimùm fieri ſolent, & ut micę mendicis erogentur Lazaris, ne pereant fame t.

t Luc. 16. 21. & 20

Jejunate quoad hominem exteriorem, & quoad hominem interiorem. Si enim uterque erravit, ambo debent jejunare; ſi peccavit lingua, ęquum eſt ut jejunet lingua; ſi omnia membra peccaverunt, oportet ut omnia jejunent membra; oculi pravis aſpectibus, oculi qui ſunt januę & mediatores infelicitatis noſtrę. Ex oculis proceditur ad cogitationem, è cogitatione venitur ad cor, ubi formatur delectatio, conſenſus, conſuetudo, indeque ſequitur mors ęterna. Laudibus jure merito extollendus eſt quidam Romanus, qui cùm duobus ſuis fuiſſet orbatus luminibus, ajebat ſe inſenſiſſimos ſibi duos hoſtes amiſiſſe, puta oculos. Ratio ea eſt, quam allegat Jeremias u, *Oculus meus deprædatus eſt animã meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Heu! Quot adulteria, oculorum patrantur interventu! Si David Bethſabee è palatio ſuo non fuiſſet intuitus x, eam in domum ſuam non imperaſſet rapiendam, ut viri ipſius thorum nefando macularet adulterio, & huic priori crimini poſterius putà homicidium in perſona Uriæ conjungeret. Maria Magdalena y offenderat oculis, qui erant veluti ſagittæ, quibus multorum corda vulneraverat: efficit ipſa ut hi jejunent oculi, quos ad fletus damnat; ex ijs prodeunt lacrymę quibus rigat ipſa pedes Domini ſui, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Capilli ipſius, adoleſcentes amaſios alligaverant innumeros, efficit ipſa ut jejunent hi capilli, quibus ipſa abſtergit ejuſdem Domini ſui pedes, quos jam ſuis irrigaverat lacrymis, *Et capillis capitis ſui tergebat.* Tandem ſi pedes peccaverunt, ſi vos ad exercitia illicita & minus rationi conſona, & ad commercia infamia deduxerunt peragenda, jejunare debent ipſi pedes; oportet ut inducatis eos ad viſitationem xenodochiorum & infirmorum, ut illos in ipſorum afflictionibus conſolemini, & ipſorum indigentiam ſubleveris ac miſeriam. Sed ut uno dicam omnia verbo, Si quis offendit Deum medias inter occaſiones, debet ab illis omnibus occaſionibus jejunare, & ſolitudinem colere, præſertim verò mulieres, & puellæ virgines. Honeſtæ mulieres ſunt martyres pudoris, quia nedum ſanguinem è vulneribus effundant, quibus Tyranni ipſa Martyrum corpora lacerant & cruentant, ipſæ ſuum diffundunt ſuper genas ſuas ſanguinem præ pudore, cùm occaſio ſeſe ipſis offert peccandi, *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua z.* Ac ſi diceret Sponſæ Dilectus, Non minoris æſtimo ſanguinem, qui in lilijs genarum tuarum diffuſus eſt præ pudore peccati, & timore prævaricandæ Legis meæ, quam ſanguinem Martyrum, qui pro nomine & honore meo tutando moriuntur; quia cum rubore erubeſcis, martyr pudoris evadis, qui efficit ut ſanguinem tuum fundas.

u Thren. 3. 5

x 2. Reg. 11. 2. &c.

y Luc. 7. 37. &c.

z Cant. 4. 3

Ubi obſervandum eſt, ſi placet, multa in Eccleſiâ reperiri Martyrum genera. Alij ſunt Martyres fidei, ut S. Stephanus a, S. Laurentius. Alij veritatis, ut S. Joannes Baptiſta b. Aliæ virginitatis, ut S. Agatha, S. Agnes, S. Lucia, S. Catharina. Aliæ verò pudoris, nimirum puellæ, & mulieres, cùm ipſis vel minima perpetrandi ſeſe offert occaſio peccati; tunc enim hæ virgines aut honeſtæ fœminæ ſanguinem emittunt e genis, quæ pudore ſuffunduntur. Hic autem color eſt præcipuus effectus Sanguinis Filij Dei, *qui redemit nos* c, qui ſe intuetur in pudore ſicut in ſimili ſibi, *Sanguis ejus ornavit genas meas*, ajebat S. Agnes. Quaſi diceret: Cùm intuitus impudens hominis alicujus lubrici me pudore ſuffundit, id effectus eſt ſpecialis Sanguinis Sponſi mei Jeſu Chriſti,

a Act. 7. 59. &c.

b Marc. 6. 28. &c.

c Apoc. 1. 5

Eliezer famulus Patriarchæ Abrahæ, ducens è regione longinqua Rebeccam virginé, ut Iſaac filio ipſiuſmet Patriarchæ deſponſaretur, accedens ad terras habitationis Domini ſui, & a longè Iſaac intuitus, cùm Rebeccæ monſtravit, & dixit [a]; Juvenis ille, qui procedit tibi obvius, futurus eſt ſponſus tuus. Ubi obſervat ſacer Textus, ſtatim hanc virginem velo ſuo caput ſimul & faciem obduxiſſe, nedum ea detegeret, ut exhiberet formam ſuam eximiam ac pulchritudinem, ſicuti facere ſolent mulieres & virgines mundanæ, quæ parum pudori conſulunt cuſtodiendo, *At illa citò tollens pallium ſuum, operuit ſe d.* Sed quare ſe ita velavit hæc ſpecioſa virgo? Hanc aſſert

d Gen 24. 63.c.c.

iſtius rei rationem S. Ambroſius *e*, dicens, quòd Rebecca non ſe velavit ut ſpecioſa non appareret, ſed potiùs operuit ſe verita ne impudens & inhoneſta viſa fuiſſet, ſi velo ſuo caput ſuum & faciem ſuam non obduxiſſet; *Caput ſuum pallio obnubere cœpit, docens verecundiam nuptijs præire debere. Inde enim & nuptia dicta, quòd pudoris gratiâ puellæ ſe obnuberent.* Cùm è contra hodiernâ die pluri mæ ſe contegāt mulieres non tam præ pudore ac honeſtate, quàm ut ſuarum operiant defectus faciei um, & proprias deformitates, intuentium oculis eripiant. Sic obſervabitis mulierem deformem, velo ordinariè faciem habere obductam, quæ tamen manus habebit diſcoopertas, ſi ſpecioſæ ſint illæ & formoſæ: Illam verò, quæ decora eſt facie, & manibus deformibus, faciem deferre apertam, manus verò ſemper chirothecis obductas. Tales autem mulieres, vel virgines ſe operire ſolent potiùs præ cura & ſolicitudine pulchritudinis & formæ, quàm honeſtatis cuſtodiendæ intuitu. At non ſufficit ut aliqua fœmina ſit virgo, ſed præterea exhibere debet virginitatis effectus; ita ut ipſius honeſtas & modeſtia, virginitatis ipſius perhibere debeant teſtimonium; oculi enim nullum ferre poſſunt judicium niſi ex actionibus ſenſibilibus, quas vident ipſi exteriùs, & apparenter, ut ſic dum intuetur quis virginem, non debeat ambigere utrùm virgo ſit.

e 6 Amb l. 1. de Abrah. c. 9

Ex hoc diſcurſu intelligitur locus ille Job *f*, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Pactum inivi cum proprijs luminibus, ut intellectus meus relinqueret ipſis amplam poteſtatem ac libertatem promendi judicij de virginibus, quia vident ipſarum actiones; cùm non ſatis ut ut aliqua fœmina virgo ſit, ſed inſuper requiratur, ut ipſa ejuſdem virginitatis manifeſta præ ſe ferat indicia, & evidentes propalet effectus. Quia illa, quæ diſcooperta eſt, quæ intuitum deterre geſtit lubricum, inceſſum ſuperbum, converſationem delicatam, & diſcurſus non ſatis honeſtos, evidenter teſtatur, ſe theſaurum virginitatis ægrè & non libenti animo deferre, eoque ſe velle ſpoliari. Cui conformiter obſervat Evangeliſta, quòd, cùm S. Gabriel Archangelus legatione fungens versùs illam creaturam perfectiſſimam, quæ futura erat Verbi Divini Genitrix, ad Mariam miſſus eſt, dicatur miſſus ad Virginem, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem g.* Sed quòd ipſe fuit attonitus, cùm inveniret eam vocari Mariam, *Et nomen Virginis Maria.* Ratio iſtius eſt, Quia Deus vult ut nomen Virginis ſit nomen proprium, quod illam manifeſtet; & Mariæ nomen ut nomen appellativum: & vera virgo potius agnoſcatur virgo actionibus & modeſtia, quam proprio nomine.

f Job. 31. 1.

g Luc. 1. 40. & 27

Conſervationi fructuum omnium neceſſaria providit mater natura providentia ſingulari. Cum duro operuerit amygdalam cortice, exigua duntaxat illi præbuit folia: Racemis verò, qui ſunt fructus teneri & delicati, folia ſubminiſtravit ampla & lata, quæ ipſos tuentur & ſecuriùs conſervent, quæ ubi ſemel ex trunco ſeu ex palmitibus decidunt, ſtatim ipſi fructus areſcunt & marceſcunt. Puella virgo, ſive mulier præclaris aliquibus naturalibus donis prædita, adinſtar racemi, eſt veluti fructus delicatus, quem quilibet æmulatur, & quem ideò natura magnis & validis circumcinxit folijs, quæ ipſum cuſtodiant, & ab alienis tuentur incurſibus: quòd ſi hæc folia ex ipſa virgine, vel muliere honeſta, veluti ex arbore decidant, nimirum pudor & ſolitudo; ſi ipſa non maneat ſolitaria, quin è contra ſi ipſa intereſſe ſatagat occaſionibus, à quibus abſtinere & jejunare foret ipſi proficuum, ſtatim ſacer iſte fructus virginitatis, aut puritatis areſcit & marceſcit. Confuſionem hujus ſeculi! corruptos & depravatos mores! diſſolutas mulieres, quas non pudet eſſe libidinoſè impudentes! Videns Apelles imaginem ſpecioſiſſimæ mulieris à Protogene depictam, illam laudibus extulit, aſſerens eximiam imaginem quidem, ſed non ſatis impudicam, & defuiſſe illi aliquid venerei. Idem penitus hodiernâ peragitur die; licèt enim virgo aut mulier ſit omnibus donis prædives naturalibus, quæ in fœmina deſiderari queant; ſi modeſta ſit, dicetur quidem ſpecioſa, ſed non ſatis proſtituta, & quòd deficiat ipſi aliquid venerei. Si verò ipſa ſit impudens, aſſeretur illico, quòd ipſa ſit formoſa, & induſtria, & mirabili modo ſciat hominum corda ad ſe allicere, eaque amore ſuo ineſcare ſubtili ſtratagemate. Heu corrupta noſtra ſecula!

Ut autem, Auditores, tales videamur & æſtimemur ab hominibus, quales nos eſſe decet & convenit, fugiendæ nobis ſunt omnes occaſiones lethiferæ, & abſtinendum nobis ſedulò ac jejunandum ab omni eo, quod poſſet eſſe nobis occaſio labendi in peccatum. Oportet ut jejunet anima; comedit ipſa cibos pravos, qui ipſam ſatiare non valebant, nec explere; hauſit ipſa vanitates, ambitionem, ventum, fumum, & auras populares, quæ omnia ſolicitè eſt ipſa aucupata; congruum eſt ut jejunet ipſa, & alatur cibis ſolidis & ſalutaribus; decet ut cibus ipſius & alimentum ſit gratia, & ipſa præ oculis habeat paradiſum, more Fratris Ægidij ſocij Seraphici Patris S. Franciſci, qui ſimul ac iſtud nomen paradiſi audiebat pronunciatum, in ecſtaſim rapiebatur. Extollamus igitur oculos noſtros ad cœlum, cùm ipſum titulo hæreditatis poſſidere debeamus *h*. Ha quam ſanè æternitas panim pœnitentiæ meretur! Pœnitentiam agamus igitur, jejunemus à peccatis, ut alamur ſolâ gratiâ, & gloria tandem ſatiemur *i* ſempiternâ.

h Rom. 8. 17.

i Pſ. 16. 15.

FE-

FERIA V. POST CINERES.

Cùm introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio. **Matth. 8. 5. &c.**

Milites, quorum ſanguis ſemper impietate fervet, & quorum animus fœcundus eſt atque fertilis ad nova & inaudita comminiſcenda ſcelera, deferunt utplurimùm cor lapideum in anima veluti ferrea, & animam quaſi æream in corde adamantino, cor & animam non minùs dura, quam ſit ipſorum thorax chalybeus. Videntur ipſis omnia licita, & libertas quâcum committunt crimina, ipſis tranſit velut in naturam, ita ut poſt patrata ſcelera, impunitatem ſibi polliceantur æquè ac indulgentiam. Non magis mentes ipſorum allicit virtutis ſpecies & decor, quam ſplendor Lunæ glaciei diſſolvat frigus, & marmorum emolliat duritiem;

Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Armis imputant id, quod ſoli ipſorum impudentiæ, quæ eſt cauſa unica omnium diſſolutionum & exceſſuum, quibus ſe dedunt, eſt attribuendum. Sancta Mater Eccleſia Divinitùs inſpirata, confuſura eorum temeritatem, & eorum faciem pudore opertura, ſpeculum ipſis exhibet hodiernâ die intuendum in perſona Centurionis viri quidem militaris, ſed viri virtute præditi, ut ait S. Chryſologus †, *Servitutem militiæ ſecularis in Divinam ſuſtulit dignitatem.* [† S. Chryſol. Ser. 15.] Ideò Filius Dei eum non eſt dedignatus æquiparare Abrahæ, Iſaac, & Jacob, *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* Abrahæ ob eximiam ipſius fidem *a*; Iſaac ob ardentem charitatem *b*; & Jacob ob profundam humilitatem *c*. [*a* Gen. 15. 6. *b* Gen. 22. 6. &c. *c* Gen. 32. 24. &c.] Ita quidem eſt humilis, ut ſe præ cognitione, quam ſuorum habet defectuum ac impotentiæ ſuæ, humiliet tunc temporis cùm ab omnibus extollitur. Virgo verò ſanctiſſima ita humilis eſt, ut cùm Deipara vocatur, ipſa ſe Dei ancillam *d* nominet, cùm dicit ipſi Angelus, *Ave Maria.* [*d* Luc. 1. 38.]

Deus noſter, cui proprium eſt ut ſe communicet, cùm ſit ſummum *Bonum e* quod *eſt diffuſivum ſui f*, ut ait S. Dionyſius; [*e* Exod. 33. 19. *f* S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4] non minus liberalis eſt ad largiendas nobis gratias ſuas, quàm nos ignavi ſumus ad eas ſecundùm ipſius voluntatem inſumendas. Egreſſus ſum de paradiſo, ut univerſas orbis regiones fœcundarem more fluvij ſpecioſi, ait ipſe per Salomonem *g*; *Ego quaſi fluvius Dorix, & ſicut aquæductus exivi de paradiſo.* [*g* Eccli. 24. 41] Sol autem materialis, qui luminibus ſuis & influentijs omnes res animat ſublunares, cùm ſit in continuo propriorum motu beneficiorum, quorum nunquam intermittit curſum; præ tanta non pervadit hunc mundum cura nec ſolicitudine, ſicut viſitat *h Sol i* iſte myſticus Dei Filius quatuor mundi regiones, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. [*h* Luc. 1. 78. *i* Malac. 4. 2] Quod ajo cum S. Thoma *k*, contra aliquos impios, qui nefanda temeritate audebant aſſerere, Verbum Divinum incarnatum fuiſſe, & naturam noſtram aſſumpſiſſe pro unica duntaxat regione Judææ, errorem ſuum prætexentes his Scripturæ *l* verbis, *Notus in Iudæa Deus; in Iſraël magnum nomen ejus.* [*k* S. Thõ. 3. p. q. 43. a. 3. in corp. *l* Pſ. 75. 2] Sed ecce frænum quod hæc ora coerceat ſacrilega, *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum m.* [*m* Rom. 10. 12.] Deus venit in terram pro omnibus, & quia *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis n*, & pro omnibus & ſingulis hominibus; [*n* Epheſ. 5. 2] eorum conſequenter omnium & ſingulorum ſalutem intendit, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire o*; [*o* 1. Tim. 2. 4] in nobis eſt ut negotiemur apprimè, ſi volumus, gratias quibus nos abundanter ipſe cumulare dignatur, quaſque nobis offert. Sufficit tantùm ut eas ſuſcipiamus ob hunc finem, propter quem nobis eas præſentat, nimirum ad eas inſumendas ad operandam noſtram ſalutem, quam à nobis exigit in gratiarum actionem pro univerſis beneficijs à ſe nobis conceſſis; ipſe enim hujus rei causâ duntaxat mortuus eſt, *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus p.* [*p* 1. Tim. 2. 6] Sanguis ipſius ſatisfacere poteſt pro omnibus; efficax eſt pro nobis omnibus & ſingulis; dummodò illum nobis applicemus, ut par eſt. Et quia ipſe eſt Deus omnium, conſequenter & ipſe ſalutem vult omnium, ut ait ei S. Auguſtinus *q*: *Et tu Domine omnipotens r, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, tanquam ſolum cures, ſic omnes tanquam ſingulos.* [*q* S. Aug. l. 3. Cõf. c. 11. *r* ex Eſth. 13. 9.]

Evangelium hodiernum hæc ora obturat ſacrilega, eorumque impudentiæ ſilentium imponit, ita ut nullus ſit ampliùs ambigendi de hac veritate locus, quæ ſe ſic ſenſibilem noſtris exhibet cognitionibus, ut ipſo Solis ſplendore appareat ipſa clarior; cùm Gentilis & idololatra proponatur nobis veluti ſpeculum virtutis, & mereatur ut comparetur ob eximiam ſuam fidem, Abrahæ, ob ardentem ſuam charitatem, Iſaac; & ob profundam ſuam humilitatem, Jacob. Videbimus igitur Centurionis noſtri Fidem, quâ ad Deum accedit; charitatem, quâ famuli ſui paralytici ſanitatem poſtulat; & humilitatem, quâ ſe Dominicâ indignum reputat viſitatione; tres eximias & eminentes virtutes, quæ Centurionem noſtrum ad ſupremum gloriæ evehent apicem, & quæ inducunt Dei Filium ut dicat, *Amen dico vobis; Non invêni tantam fidem in Iſraël.* [Diviſio.] Fidem, quâ Deum intuetur; charitatem, quâ ad proximum refertur; & humilitatem, quâ ſemetipſum reſpicit. Tres hæ præclaræ virtutes totam diſcurſûs iſtius texent œconomiam.

[I. Pars] Cum audiſſet noſter Centurio idololatra famam Jeſu, qui uno ſolo verbo ſanitatem reſtituerat priſtinam paralytico dicenti, *Domine, ſi vis, potes me mundare: Volo, Mundare s*; [*s* Matth. 8. 1. & 2.] ad eum recurrit, ipſum deprecaturus ut miſereretur famuli ſui paralyſi laborantis, idcircò *miſit ad eum Seniores Iudæorum t.* [*t* Luc. 7. 3.] Id eſt, Sacerdotes. Magnitudo legationis ipſius oſtendit profunditatem reverentiæ ipſius, fideique ipſius magnitudinem. Deſtinati erant Sacerdotes ab omni tempore, & ab omnibus Religionibus ad hoc ut offerrent ſacrificia, & ut veluti mediatores apud Deum pro populo intercederent; & eorum officium tanti alias æſtimabatur, ut æquipararentur Sacerdotes Regibus & Imperatoribus, Reges verò ut majorem ſceptris ſuis conciliarent authoritatem, Sacerdo-

tium regno uniebant *u*. Sed quonam intelliguntur hæc omnia modo? S. Matthæus ait, ipſum acceſſiſſe ad Jeſum, *Acceſſit ad eum*. S. Lucas verò aſſerit illum tantùm ad Dei Filium miſiſſe, *Miſit ad eum*. S. Auguſtinus *x* ait, Centurionem miſiſſe ad Jeſum Sacerdotes, ipſum verò ad Dei Filium fide acceſſiſſe, & meliùs quàm Sacerdotes propriâ ipſorum præſentiâ. Ita ut in hoc conſentiant Evangeliſtæ, & Centurio ad Deum propius fide acceſſerit, quàm Sacerdotes proprijs ipſorum perſonis ad illum approximarint.

u Gen. 54.18. *x* S. Aug. l. 2. de Conſenſu Evangeliſt. c. 20.

Ita eſt. Nos fides ad Deum plùs facit accedere. Fide cœlum adimus, ibique Deum invenimus. Fide ſanctificamur, fide credimus, fide operamur, inde meremur, ut poſteà glorificemur; *Reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam* y. Fide Martyres glorioſum de Tyrannis retulerunt triumphum, *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum z*. Fide plùs manifeſtamus gloriam Dei *a*, quàm alijs virtutibus. Fide eum credimus talem qualis eſt, putà Deum *b*. Charitate non amamus eum, ſicut ipſe præcipit *c*, ac meretur: Spe propria intuemur commoda *d*: Sed Fide gloriam Dei propalamus, ipſius omnipotentiam credimus, immenſitatem *e*, & cætera ipſius attributa. Fide Centurio ad Deum accedit, *Credere enim oportet accedentem ad Deum* f. Fides eſt primus calcaris ictus, quem Deus nobis veluti imprimit, ut convertamur ad ipſum *g*. Fides eſt ſtella quæ nos ad Deum ducit, *Lingua cœlorum*, ait S. Auguſtinus *h*, quæ Magos ad Chriſti in præſepi jacentis pedes, duxit; quæ novum ipſis declaravit natum. Illâ luce incepta eſt fides Gentium, in perſona iſtorum Regum Orientalium, Domino jam nato; ſicut tenebris obſcurati Solis *i*, eodem Chriſto mortuo, accuſata eſt perfidia Judæorum. Fides eſt fundamentum ſalutis, *Omnis qui credit in illum, non confundetur* k. Fides eſt prima res, quæ facta eſt in mundo, *Fiat lux* l. Quia antequam lux fieret, omnia erant tenebræ, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Sed ſtatim atque lux diffunditur, diſſipantur omnino tenebræ, & penitus evaneſcunt.

y Rom. 4. 9. *z* Hebr. 51.33. *a* Jo. 20. 29. *b* Jo. 9. 38 *c* Matth. 22.37 *d* Matth. 6. 9. &c. *e* Baruch 3.25. *f* Hebr. 11 6. *g* Act. 9.6 &c. *h* 8 Aug. Ser. 2. de Epiph. ſeu 30. de Tēp. ex Matt. 2. 2. &c. *i* Luc. 23 45. *k* Rom. 10.11. ex Iſa. 28. 66. *l* Gen. 1. 3. & 2.

Fide igitur Centurio ad Deum magis appropiat, quàm Sacerdotes proprijs ipſorum perſonis, quod confirmo exemplo mulieris patientis *fluxum ſanguinis*. Hæc igitur *mulier* tanto laborans morbo jam *duodecim annis*, advertens multitudinem plurimam ſequi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus præclara circumquaque perſonabant facinora, audienſq; famam tot mirabilium & virtutum illius, quę hominum captum ſuperarent; *acceſſit retrò, dicebat enim intra ſe; Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero*. Quod accidit re verâ, ut ipſa dixerat: *At Ieſus converſus, & videns eam, dixit; Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora* m. Effectum fidei ſuæ eſt conſecuta, priſtinamque recuperavit ſanitatem. *Et ait Ieſus, Quis eſt qui me tetigit? Dixit Petrus, & qui cum illo erant; Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis; Quis me tetigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis: Nam ego novi virtutem de me exijſſe* n. Ha! Apoſtoli mei nondum apprimè edocti eſtis ſcientiam & magnitudinem myſteriorum Religionis, quam profitemini; nondum accepiſtis Spiritum ſanctum, non eſtis à concretione corporea ac materiali penitus immunes, nec cogitationes veſtræ ſunt ſatis puræ: hæc mulier fide ſuâ me tetigit, *Nam ego novi virtutem de me exijſſe*. Ipſa me fide ſuâ ſic tenet alligatum, ut non poſſim quin ipſi ſanitatem impertiar concupitam.

m Matt. 9.20. &c *n* Luc. 8 45. & 46

Centurio noſter ita fide ad Deum approximat, accedens ad Salvatorem mundi, ut Jeſum Chriſtum vocet Dominum, *Domine* o. Sed, ut videre eſt, fides hæc Centurionis debilis eſt ac infirma, quippe quæ tantùm naſcatur, *Rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus* p. Quaſi verò non poſſet ſanare ſervum ipſius Dei Filius, quin ad hoc ipſius præſentia requireretur corporea. Augetur ipſius fides, illuminatur Centurio, plus appropians ad hanc luminis originem, & videns eum hominem, Deum agnoſcit æquè ac omnipotentem. Nam, ut ait Pſalmiſta *q*, *Accedite ad eum, & illuminamini*. Ipſum orat, ut jubeat tantùm, *Dic verbo* r. Ha! Domine, non opus eſt ut venias, *Tantùm dic verbo* s. Iſto diſcurſu Divinam ipſius agnoſcit omnipotentiam, petens ut ſanaretur ſervus ſuus eodem pacto, quo mundus creatus eſt a Deo ſolo verbo unico, *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* t. Quin imò cùm ait, *Dic verbo*, confitetur Chriſtum eſſe Verbum Divinum, ſecundam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis, ac ſi diceret; Præcipe per teipſum, qui es perſona Verbi. Confitetur ſanctam Trinitatem, æternaſque ealleт proceſſiones, quia non ait, dic Verbum, quoniam Patri proprium eſt producere *Verbum* u ſuum, *Sed tantùm, dic Verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc, & facit*. Licèt ego agnoſcam Cæſarem, habeo tamen poteſtatem meis imperandi militibus, qui mihi gerunt morem: Ita Domine, licèt tu ſub poteſtate Patris tui, quatenus homo, ſis conſtitutus; potes tamen, quatenus Deus, præcipere Angelis tuis, eorumque miniſterio, nedum corporea tua requiratur ad hoc præſentia, imperare infirmitati ſervi mei; quæ ſtatim diſcedet: & ſanitati, ut redeat, quæ ſtatim revertetur, & ad placitum obediet tibi.

o Matth. 8.6 *p* Luc. 7. 3 *q* Pſ. 33 6. *r* Luc. 7.7 *s* Matth. 8.8 *t* Pſ. 148. 5. *u* Pſ. 44 2.

Ha! Qualem cognitionem magnitudinum Dei! Qualem fidem hujus Centurionis, & quàm eximiam! Talis & tanta fuit hæc fides, ut vel ipſi Dei Filio admirationem pepererit, *Non invêni tantam fidem in Iſraël*. Judæi crediderunt, ſed poſt viſa miracula, & evoluta Scripturarum volumina: Atqui Centurio noſter ea nunquam vidit, nec unquam Biblia tractavit, nedum ea evolverit aut legerit. S. Andreas credidit, ſed poſtquam ipſe audivit à S. Joanne Baptiſta, *Ecce Agnus Dei* x. S. Petrus credidit, ſed poſtquàm S. Andreas Chriſtum eundem prædicavit. S. Philippus credidit, ſed legendo Codices ſacros. Nathanaël credidit, ſed poſt acceptas Divinitatis notas, *Cùm eſſes ſub ficu, vidi te*, Sed Centurio meliùs credit, quam hi omnes crediderint, *Non invêni tantam fidem in Iſraël*.

x Jo. 1. 16. &c.

Jairus

Digitized by Google

Jairus Princeps Synagogæ, veniens ad Filium Dei, non ait ipſi, *Tantùm dic Verbo*, Et, recipiet vitam filia mea, *Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet* y. Nicodemus audiens Chriſtum
y Matth. 9.18
de fidei noſtræ myſteriis diſſerentem, admiratione percellitur, & petit ab eo, *Quomodo poſſunt hæc*
z Joan. 3. 9
fieri z? Martha & Magdalena ſorores Lazari dicunt Salvatori, *Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non*
a Joan. 11. 21. & 32
fuiſſet mortuus a. Quaſi dubitarent Potentiam Divinam non potuiſſe extendi ultra præſentiam ipſius corpoream. Sed Centurio ait, *Tantùm dic Verbo*. Nequaquam Domine tua requiritur præſentia corporea, cum vel unicum Verbum tuum ſufficiat.

Ha! Auditores, quam meritò jure dicere poſſim ad confuſionem veſtram, & ad gloriam noſtri Centurionis, *Non invêni tantam fidem in Iſraël*. Non reperio ſimilem fidem inter Chriſtianos. Quis enim ex vobis, quæſo, credit ſed firmâ & vivâ fide non tantùm miraculum unicum, ut Centurio idololatra, ſed centum, & centena millia, quæ fides Catholica nobis credenda propoſuit? quis ex vobis credit tartarea inferorum ſupplicia
b Matth. 25.41
b? quis ex vobis credit unicum peccatum lethiferum pœnarum mereri æternitatem? *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam* c. Ut poſſim dicere, ſicut Dei
c Jacob. 2. 18
Filius alias infenſiſſimis ſibi ajebat Judæis, *Si mihi*
d Joan. 10. 30
non vultis credere, operibus credite d. Quis ex beatiſſimis Spiritibus id credit? Creditiſne? ſed dicite, Creditiſne illud apprimè? Heu! exiſtimo quòd non. Illud enim non creditis, quia ſi illud ritè crederetis, proculdubio à peccato abſtineretis, *Filium Dei* non conculcaretis, nec pretioſum *Sanguinem*
e Hebr. 10.29
Teſtamenti pollutum e duceretis, nec arma imponeretis manibus Dei, quibus de nefandis veſtris vindictam ſumeret ſceleribus. Si non creditis ſupplicia, quomodo fideliores eritis mercedis intuitu? Ha! Quis ex vobis credit paradiſum? quis gloriam credit in alterâ vitâ ſempiternè beatam? quis ſperat æternam remunerationem propter exiguum actum charitatis exercitæ erga egenum, ob panis fruſtulum, ob *calicem aquæ frigidæ* f
f Matth. 10.42
propter amorem Dei mendico porrectam? Quis credit hæc? *Non invêni tantam fidem in Iſraël*. Nullam prorſus invenio fidem. Si quæ enim foret fides, proculdubio vacarent Chriſtiani exercitio charitatis, & bonorum operum praxi. *Non invêni tantam fidem in Iſraël*. Heu! quantùm fides Chriſtianorum differt à fide Centurionis.

II. Pars.

Fides Centurionis non eſt fides mortua, ſicut noſtra; ſed viva, formata fides, & animata charitate, quæ eſt ipſius anima. Sola quippe fides non ſufficit ad juſtificationem noſtram. Unde S. Au-
g S. Aug. ſerm. 137. de Temp. c. 2
guſtinus g ait, *Fides appellata eſt ab eo quia fit quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides. Prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te, utrùm credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides eſt.* Si fides noſtra charitate non eſt animata, nihil plus habemus, quam habeant dæmones; quia in inferno *& dæmones credunt & contremiſcunt* h. O-
h Jacob. 2.19
portet ut verbum cum manu conveniant, & ambo ad noſtram concurrant juſtificationem, quia *fides*
i Jacob. 2. 26
ſine operibus mortua eſt i. Illa ſine iſtis inutilis eſt, noſque majoribus reddit criminibus obnoxios & implicatos. Mementote illius mercatoris Evan-
k Matth. 25.14 &c.
gelici k ſeu parabolici, qui *vocavit ſervos ſuos, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, qui abiens fodit in terram*, qui idcircò ejectus eſt *in tenebras exteriores*, eò quod illud talentum non eſſet negotiatus. Fides eſt hoc talentum, quod nobis committitur in Baptiſmo in quo renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto* l. Cum illud non negotiamur bonis operibus, in terram illud fodimus, & Deus petet à nobis rationem illius; *Veniens Dominus poſuit rationem cum eis*. Si autem illud negotiati fuerimus, mercedem accipiemus;
l Joan. 3. 5
Euge ſerve bone, intra in gaudium Domini tui. Si autem illud in terram foderimus, ſeverè puniemur, *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium*. Quid enim proficeret fides ſine operibus?

Centurio noſter habet fidem, ſed fidem animatam charitate, quæ efficit ut cum eximiâ ſolicitudine bonum proximi ſui procuret, *Domine, Puer meus*. Vocat famulum ſuum præ amoris exceſſu filium ſuum, ut majorem erga illum teſtetur affectum. *Malè torquetur*. Amplificat non ſecus ac pater, qui adiens Medicum, ad excitandam in eo commiſerationem, & majorem diligentiam, ait illi; Heu! Domine, morbo ita gravi laborat filius meus, ut jam jam ſit moriturus, accelera, ſi placet, medere infirmitati illius, ne parcas curis tuis ac induſtriis, priſtinamque ei reſtitue ſanitatem. Quid majus? quid iſta charitate commendabilius? Non ampliùs extollatur laudibus Tobias in mandandis terræ cadaveribus occupatus
m. Prætereatur charitas juſti Lot peregrinos & hoſpites domi ſuæ alentis & reficientis n. Hæc omnia parvi ſunt æſtimanda comparatione eorum, quæ exercet Centurio noſter, non Sodomæ ſicut Lot, ſed in medio Paganiſmi, obſcuris infidelitatis & idololatriæ tenebris immerſus. Quid majus? *Charitas non quærit quæ ſua ſunt* o. Centurionis charitas propriis non invigilat commodis, quin imò eſt penitus perfecta, quippe quæ ſolum proximi intuetur bonum. Quòd Centurio idololatra curas ſuas omnes pro vili inſumat famulo, cohortem ſuam ſeu turmas ſuas deſerat, fortunam ſuam propriumque ſtatum periculo exponat, ſe humiliet, adeat *Seniores Judæorum*, ſeu Sacerdotes Synagogæ, quorum interventu enixè roget Dei Filium, ad impetrandam ſanitatem vel ſimplicis famuli: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* p! O cœli ſpectatores magnitudinum, quæ in terrâ exercentur, admiramini has virtutes extraordinarias, quæ communes longè antecellunt admirationes! quandoquidem *de forti egreſſa eſt dulcedo* q.

m Tob. 2, 9
n Gen. 19. 2. &c.
o 1. Cor. 13. 5
p Jer. 2. 12
q Judic. 14. 14.

Puer meus jacet in domo. Domi, inquit. Non illum ſtatim deferendum præcipit ad Xenodochium, etiamſi centum haberet famulos, aut milites; iſteque longo ac faſtidioſo paralyſis detineretur morbo, ac decumberet ſine motu, abſque obſequio, inutilis ad omnia, niſi fortè ad exercendam Domini ſui patientiam. *In domo*. Apud ipſum eſt; illum curat, illum fovet, anxièque ſolicitat eum Centurio. O viſcera miſericordiæ inauditæ! ô inextinguibiles charitatis flammas! Centurio, quantumvis illuſtris perſona, ipſemet procurat reſtituendam illi ſanitatem, Medicum quærit, omneſque curas ſuas inſumit, ut dolores illius compeſcat. Eximium Politicum! Quam apprimè noverat ipſe nihil charius eſſe debere Dominis quam ſervos, quos veluti inſtrumenta rei familiaris animata debent ipſi conſiderare.

Ha! Si ferrea hæc improborum Dominorum pectora intimè impreſſa haberent ea, quæ ad ipſos dirigit Apoſtolus, verba; majorem proculdubiò ſuorum ſuſciperent famulorum, quàm habeant, curam. Audite, quæſo, Domini & Dominæ, horrenda hæc verba ex ore S. Pauli cum ingenti ſtre-

pitu prodeuntia, *Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior* r. Quicumque nullâ ducitur ſolicitudine in graſiam eorum, qui propriæ commiſſi ſunt curæ, apoſtata eſt infamis, fidem abnegavit Chriſtianam, pejor eſt idololatrâ, nequam eſt, & ſolemnis Catholicæ Religionis deſertor, majoribus criminibus atrocioribuſque facinoribus obnoxius atque implicatus ante oculos Divinæ Majeſtatis, quàm ille qui idola veneratur, falſiſque numinibus adolet thura, ſupremaſque exhibet adorationes, quas Deus ſolus jure merito exigit, & ſibi offerri decrevit ſ. Perpendite ſerio Domini & Dominæ, ſervos veſtros, quorum vobis incumbit cura ſatagenda, eſſe homines; famulos eſſe quidem, imò contubernales; ſervos eſſe, quin etiam conſervos; eoſque ad ſupremum gloriæ apicem ac faſtigium evehi poſſe, Fortunâ ipſis ridente; vos verò adverſante eâdem Fortunâ ad centrum nihili uſque deprimi poſſe, ut apprimè concinit Poëta,

r 1. Tim. 5. 8

ſ Exod. 20. 2. & 3

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Conſul.
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

III. Pars.

Centurio noſter non eſt in numero illorum computandus; minus habet criminis, & plus virtutis; ſed charitatem in ſummo poſſidet apice; charitatem, inquam, quam comitatur humilitas, cùm ſine illâ aliæ virtutes non forent veræ virtutes. Fidem habet charitate animatam; fidem & charitatem ſtabilitas in humilitate, quæ conſiſtit in vili & depreſſâ ſui ipſius æſtimatione. Audite Centurionem noſtrum, quomodo illius ipſe vacet exercitio, *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Non promit ſuas magnitudines, neque publicat id, quod ipſum poteſt exhibere commendabilem; ſta tacet omnia; non ait, In palatium meum, in turres meas, in papiliones meos, in aulas meas pretioſis & exquiſitis tapetibus ſtratas ac ornatas, in cubicula mea auro & argento ſplendida, in laquearia mea colore cæruleo cœlum imitantia, in magnificam domum meam; de hoc faſtu nequaquam gloriatur, ſed ait tantùm, *Sub tectum meum*, in tugurium meum, *Domine, non ſum dignus* hâc viſitatione, quâ intendis me honorare; tu enim ais, *Ego veniam, & curabo eum.* Ha! Domine, abſit ut talem tibi impendas laborem, meque tanto afficias honore, quo penitus indignus ſum.

Ha qualem humilitatem! Unuſquiſque ipſius merita extollit laudibus, Sacerdotes ipſi ſeſe in gratiam ejus exhibent advocatos apud Chriſtum, dicentes, *Dignus eſt ut hoc illi præſtes* t. Meretur quidem ut exaudiatur à te ſupplicatio quam ipſe tibi præſentat; *Diligit enim gentem noſtram*, ajunt Judæi Salvatori, *Synagogam ipſe ædificavit nobis.* Ecce inſignia & probationes affectus ipſius erga nos; ſpecioſam propriis ſumptibus ædificandâ nobis curavit ipſe Synagogam; idcircò *dignus eſt ut hoc illi præſtes.* Omnes enim propalant hoc favore dignum, & inter has omnes acclamationes, qualem humilitatem! eo ſe reputat honore indignum, *Non ſum dignus.* Cœlum & terra eum laudibus evehunt, & ipſe ait ſe nihil eſſe, & nihil mereri, de omnibus ſuis nihil loquitur magnitudinibus. Diſcite, Adoleſcentes, qui populares auras aucupamini, ab hoc Centurione, ab hoc viro militari, qualem de vobis æſtimationem habere debeatis. S. Ambroſius u ait, hunc Centurionem habuiſſe domi ſuæ idola, idcircò indignum ſe dixiſſe Dominicâ viſitatione; quippe qui non ignoraret Arcam Fœderis non potuiſſe ſimul habitare cum idolo Dagon †, Deumque verum non venire illuc, ubi ſunt idola: *O fides Chriſtiana, quæ cum humilitate totum impetrare conſueſti! Ecce religioſus Centurio ad accipiendam ſalutem dignior fuit, dum ſe profitetur indignum: & dum ædes ſuas injurioſas putat, magis eas honorificas fecit & gratas.* Ex illo deſumimus hæc verba ante ſacram Communionem, *Domine non ſum dignus* &c. ut diſcamus, ſi in nobis aliquod ſit idolum, illud foras mittendum, ut Chriſtus admittatur apud nos: alioquin futuros nos indignos ut ipſum recipiamus; Jeſus enim non eſt ſociabilis cum Belial, & præſentia unius ſupponit abſentiam alterius; idcircò ſi aliquod idolum peccati erexiſtis, deſtruite illud ſtatim, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial* x?

t Luc. 7. 4. & 5

u S. Ambr. ſerm. 89

† 1. Reg. 5. 3

x 2. Cor. 6. 14. & 15

Ibi non ſiſtit humilitas noſtri Centurionis; pervenit namque ipſe uſque ad centrum humiliationis; ad ſupremum evectus eſt apicem ac faſtigium virtutis eminentiſſimæ, quæ conſiſtit in cognitione ſuiipſius, quam ita ventilarunt & laudibus ſummis extulerunt Sapientes omnes priſcorum ſeculorum; & cujus acquiſitio ita difficilis eſt, ut pro eâ ſpecialem Deo offerat Pſaltes y deprecationem; *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos; ut ſciant Gentes quoniam homines ſunt.* Et ecce noſter Centurio apprimè peritus hujus ſcientiæ, *Nam & ego homo ſum* debilis, & inconſtans, ac fortunæ aleæ expoſitus; & tu es *magnus Dominus, & laudabilis nimis* z, qui nulli ſubjaces mutationi a: Tu es *omne bonum* b, & ego nihil: Tu es Dives c, *Ego vero egenus & pauper ſum* d. Tu es Creator omnipotens e, & ego infirma creatura: Tu es *Virtus* † omnigena, & ego nihil præter vitium, & purum nihilum, *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te* f, mutationi ſubjacens, *& nunquam in eodem ſtatu* g permanens. *Homo ſum.* Ecce cognoſco, Domine, eſſe meum, nativitatem meam, & nihilum meum. Non ignoro debilitatem & infirmitatem naturæ meæ, & quot infortuniis ſubjaceat ipſa ac infelicitatibus. Uno verbo, *Homo ſum.* Centurio, non eſt diffitendum: Maxima eſt fides tua, nimia eſt tua charitas, & majori quam ſit par humilitate præditus es, nedum aliquid tibi debeat renui: Humilias te, & Deus venit ad te; *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit* h. Poſtulata tibi conceduntur omnia, ſanatur ægrotus tuus: famulus tuus ſanitatem corporis, tu verò ſalutem animæ longè eâ pretioſiorem ſuſcipis.

y Pſ. 9. 21

z Pſ. 47. 2

a Malach. 3. 6

b Exod. 33. 19

c Pſ. 111. 3

d Pſ. 69. 6

e Gen. 1. 2. &c.

f Pſ. 38. 6

g Job 14. 2

‡ Pſ. 45. 2

h Pſ. 137. 6

Sed quidnam utilitatis & reflexionis ex toto iſto referemus diſcurſu? Diſcite Superiores, quibus eſt animarum cura demandata ſalvandarum, Sacerdotes, Parochi, Paſtores, aliive viſitare ægrotos morbo decumbentes, exemplo Chriſti ſupremi animarum Paſtoris, allecti. Dicite eum Chriſto, ſimul ac vobis de illorum conſtat infirmitatibus, *Ego veniam, & curabo eum.* Allegate eis aliquod conſolatorium verbum, ipſos hortando ad patientiam præ ſe ferendam: Macte animo, frater mi, & cũ alacritate deferto crucem Chriſti Domini tui; e[...]mitare illum præ amore in montem Calvariam uſque, ſe[q]uere illum medias inter tolerantias, ut poſſis tandem gloriæ illius fieri particeps; nam ait S. Paulus, *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis* i. *Si compatimur, ut & conglorificemur* k. Sed cavete ne illorum paupertas veſtræ obſtet charitati, quominùs veſtris funga-mini

i 2. Cor. 1. 7

k Rom. 8. 17

animi muniis in grave conſcientiarum ipſorum diſpendium. Alioquin enim à vobis Deus rationem animarum ipſorum pretioſo *Sanguine* I*e*ſu redemptarum exiget, nimirum *animam pro animâ m.* Si anima hæc pereat, perditionis ipſius rationem reddetis, eò quòd conſcii fueritis jacturæ ipſius. Sed ſatagite ne vobis exprobret S. Auguſtinus *n* cum Ezechiele *o*; *Quod infirmum eſt, inquit, non confortaſtis. Paſtoribus malis dicit, paſtoribus falſis; paſtoribus ſua quærentibus, non quæ Ieſu Chriſti p, ex commodo lactis & lanæ gaudentibus, oves omnino non curantibus, & quod malè habuit, non corroborantibus.* Sed abſit ut id vobis poſſit unquam exprobrari.

l Apoc. 1. 5

m Deut. 19. 21

n S. Aug. lib. de Paſtoribus c. 6

o ex Ezech. 34. 4

p ex Philipp. 2. 21

Diſcite hinc Domini, Superiores, curam gerere famulorum, aut ſubditorum veſtrorum, invitati exemplo Centurionis; procurare illis ſanitatem ſpiritualem æquè ac corpoream, cùm utraque indiguerint. Famuli vero, vel ſubditi, edocemini inde fidelitatem inviolatam, ſanctamque obedientiam Dominis veſtris, aut Superioribus exhibere. Dicite Domini, dicite more Centurionis: *Mihi hic ſervus eſt, & ego Creatoris. Iſte me ſuper terram, & ego magnum in cœlis habeo Dominum. Si ego ejus non miſereor, quomodo ille mei miſerebitur? Si ego huic non ſubvenio, quomodo mihi ille ſubveniet? Sic debent omnes qui famulos & famulas habent, cogitare, ſic miſereri, & condolere eis, ſupplicare, & curam habere de ſervis, vel de ancillis ſuis, ſicut ille beatus Centurio fecit*, ait Origenes *q*. Vos verò famuli & ancillæ quandiu integrâ ſanitate potimini, præbete præ obſequiis veſtris anſam Dominis veſtris retinendi vos in domibus ſuis advenientis infirmitatis veſtræ importunâ tempeſtate, ut veſtri curam gerant; efficite ut *oculi r* veſtri ſint ſemper illis alligati, ut promptè & expeditè operi & executioni mandetis id omne, quod ipſi à veſtrâ exegerint fidelitate & obedientiâ, & quod præ juſtitiâ & æquitate debetis ipſis rependere. Dicite eis, ut ipſis bonarum veſtrarum voluntatum probationes & notas exhibeatis, id, quod ajebat alias populus Iſraeliticus Joſue Duci exercituum Dei Generali, *Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus; tantum ſit Dominus Deus tuus tecum †*. Domine, nihil nobis magis eſt in votis, quàm ut tibi morem geramus in univerſis, in quibus Divinæ non occurrerit offenſa Majeſtatis; ſemper tibi ſubditi erimus in omnibus, quæ conſcientiarum noſtrarum tranquillitati non adverſabuntur, nec paci. Viri militares diſcite ab hoc Centurione, arma eſſe ſociabilia cum virtute, & virtutem cum armis poſſe ſubſiſtere: Quidquid autem injuſtè peragitis, id credite effectum eſſe veſtri criminis, non autem exercitii bellici, & referri debere ad diſſolutionem veſtram, veluti ad cauſam unicam & originem omnium exceſſuum, qui perſæpè perpetrantur in exercitibus.

q Orig. hom. in Diverſos, ex Matth. 8

r Pſ. 122. 2

† Joſue 1. 16. & 17

Tandem, Chriſtiani, quicumque vos ſitis, diſcite ab hoc pio Centurione fidem erga Deum, eum orare, illi vos ſubjicere præ omni reverentiâ poſſibili, & ad illum recurrere in omnibus neceſſitatibus & infirmitatibus veſtris, cùm ipſe ſolus ſalutare & præſentiſſimum poſſit illis applicare remedium. Diſcite ab eo, ſanctæ charitatis exercitio vacare, cùm neceſſitas proximi veſtri id à vobis exegerit. Diſcite ab illo tandem humilitatem, quam nimirum humilem de vobis debeatis habere æſtimationem. Timete ne jure merito accidat vobis hoc infortunium quod minitatur vobis hodiernâ die Deus ipſus, ob demerita & ſcelera veſtra, *Dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* Plurimi ſunt venturi è tenebris obſcuris infidelitatis & Paganiſmi ad clarum lumen gratiæ, & collocandi in cœlis *cum Abraham, & Iſaac, & Iacob*, è contrà verò Eccleſiæ filii, fideles Chriſtiani, viri nobiles Curiæ Dei, eò quòd gratiæ non fuerint cooperati, imo verò eo quod illam reſpuerint & deſpexerint *ſ*, è nobilitate ſuâ excident, & tanquam rei in tenebras projicientur æternales, *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Obſecro, Domine mi, pro univerſo hoc populo, ne infelicitas hæc ipſi contingat. Si autem aliquis ex iis, qui in hoc inveniuntur circulo, ob peccatum, quod ipſum efficit paralyticum, & ideo impotentem ad agendum bonum, tuæ ſubjaceat indignationi *t*; permitte mihi ut præ omni reverentiâ poſſibili, ex intimis cordis mei viſceribus, eandem, quam fecit Centurio ſupplicationem, ad te dirigam, & cum maximo affectu hæc ultima promam verba:

ſ Prov. 1. 24. &c.

t Sap. 14. 9

Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Heu! Domine, miſerere mei, intuere, ſi placet, miſerandum, in quem redactus ſum, ſtatum; obſecro te ut te moveat miſeria mea. Anima mea paralytica eſt quoad omnes potentias ſuas, quæ ſunt omni deſtitutæ motu & deſiderio procurandæ ſalutis æternæ. Memoria mea non ampliùs tuorum recordatur beneficiorum *u*, pro quibus immortales tibi deberet grates rependere. Voluntas mea non te amat, glacieque conſtringitur in iis, quæ obſequium tuum ſpectant *x*. Intellectus meus cæcus eſt in Divinorum tuorum cognitione donorum *y*. Heu! hæc anima tota ægra eſt & paralytica, ſana eam virtute Divini Verbi tui, *Tantùm dic Verbo. Puer meus jacet in domo paralyticus.* Miſera hæc anima mea, Deus meus, eſt in domo Eccleſiæ tuæ inter tot remedia, gratias, & Sacramenta, paralytica intuitu boni, ſeipsâ movere ſe non poteſt ad bonorum operum exercitia. *Et malè torquetur.* Magnis angitur anima mea languoribus, & gravibus incommodis, ipſa jam jam eſt moritura, niſi omnipotentis auxilium manus citò ſit expertura. Heu! Domine tu *omnipotens* ‡ es qui poſſis ipſi mederi; & æqualiter *bonus es tu z*, ut ſalutem ejus velis. Tu es ſupremus ille *Medicus a* qui de cœlo in terram deſcendiſti, ut nobis omnibus impertireris ſanitatem: Miſerere igitur animæ meæ; proclamo te Deum miſericordiæ, aperi ergo januas hujus ſacratiſſimi templi; exere immenſa Divinæ bonitatis tuæ dona & *viſcera miſericordiæ b*, & omnipotentiam tuam manifeſta: largire ſanitatem ſpiritualem animæ meæ, *Puer meus jacet paralyticus*, ipſa eſt penitus oppreſſa, & mox è medio tollenda, niſi advenientis tui Divini ſubſidii ſublevetur adminiculo.

u Deut. 32. 18

x Pſ. 118. 28

y Rom. 1. 21

‡ Eſth. 13. 9

z Pſ. 118. 68

a Matth. 9. 12

b Luc. 1. 78

Heu! verum eſt, non diffiteor. Sed indignus ego ſum, quem ingrati animi labe notatum tanto cumules beneficio, *Domine non ſum dignus.* Sed Deus meus ſuppleat defectum meum infinita *c* tua bonitas; largiatur ipſa mihi ex pura miſericordiâ id, quod mea non poſſunt impetrare merita. Unicum duntaxat Verbum deſidero, quo ipſi priſtina reſtituatur ſanitas, *Tantum dic Verbo, & ſanabitur puer meus.* Divinum illud Verbum reſtituet animæ meæ vitam gratiæ, quam ipſa amiſerat, & conſequenter ipſi gloriam impertietur in vitâ ſempiternâ.

c Baruch 3. 25

FERIA

FERIA VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis ; Diligite inimicos veſtros. Matth. 5. 44. &c.

QUod videtur impoſſibile, hodiernâ die ſuſcipio : intendo aliquid magis agere in hâc cathedrâ, quam egerit Dei Filius in monte Calvariâ : perſuadere enitor dilectionem inimicorum, quam Sanguis Jeſu Chriſti recenter effuſus, & adhuc ebulliens, dum in cruce idem Salvator extremum vitæ ageret halitum, non potuit cordibus inſpirare mortalium. Homines ferrei, corda marmorea, rupes animatæ, ſed quæ tamen videmini ſenſus expertia, audite hanc amoris vocem, quæ veſtris inſonat auribus : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos veſtros.* Deus ipſe eſt, qui vobis hoc præceptum intimat, ſuavemque hanc præſcribit vobis amoris legem, quam obſervavit ipſe prius moriens in crucis patibulo, ut gratiam inimicorum ſuorum *a.* Deus ipſe eſt, qui hoc præcepto veluti compendium vobis facit totius potentiæ ſuæ ; & omnis reverentiæ, quam ipſi exhibere debetis, ſicut & univerſorum, quibus ab ipſo eſtis donati, beneficiorum. Verbum Divinum ipſum eſt, quod loquitur, *Verbum* b increatum Patris, & *Verbum* c incarnatum Mariæ. Verbum non accidentale, non tranſitorium; ſed ſubſtantiale, permanens, & ſubſiſtens in Deo, *per* quod *facta ſunt* d univerſa. Verbum, quod loquitur fortiter, & quod ait: *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros. Sapientia* e æterna ipſa eſt, quæ facit audire vocem ſuam. Doctor *juſtitiæ* f ipſe eſt, promiſſus à Deo, qui vos docet. *Filius* g Patris æterni ipſe eſt, qui vobis præcipit, obedite voci ipſius. Non loquatur vobis ampliùs Moyſes *h*, taceant Prophetæ i, conticeſcant omnes creaturæ. Audiatur ſolus Jeſus, qui vobis præcipit amorem inimicorum veſtrorum, ipſe qui *cum inimici eſſemus* k, factus eſt homo pro nobis, carnem ſumens humanam in ſinu beatiſſimæ Virginis eo momento, quo ſalutavit eam Angelus his verbis, *Ave Maria.*

Cum verum ſit, & nemo ambigat (eò quòd iſtud ſit propoſitio, quam irrefragabiliter amplectuntur omnes Doctores ſine ullâ contradictione) omnes fideles veluti componere quaſi tot membra unum corpus myſticum, cujus Jeſus Chriſtus *eſt caput l*, Virgo ſanctiſſima collum *m*, Apoſtoli ſunt brachia *n*, Patriarchæ humeri *o*, Prophetæ oculi *p*, Confeſſores renes *q*, Martyres femora *r*, Evangeliſtæ *pedes ſ*, Virgines *facies t*, Populus ſtomachus *u*, Doctores lingua *x*, Concionatores verò dentes, ut ait Sponſa, *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro* y: Chariſſime Sponſe, dentes tui ſimiles ſunt velleri candido, quod mox exit è lavacro: fortè petetis à me: Quare Concionatores æquiparantur dentibus? Quænam, quæſo, proportio Concionatorum cum dentibus? *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro* Non ait iſtud profectò Sponſa abſque maximo myſterio. Subtilis eſt hæc comparatio, cujus aliquas affero convenientias.

Dentes ut ſint ſpecioſi & decôrem præſeferant in ore, quatuor eſſe debent qualitatibus inſigniti, quæ qualitates mirum in modum Concionatorum perfectionem extollunt. Primò, Debent eſſe candidi; dentes enim nigri oris non benè conveniunt. Secundò, Debent eſſe apprimè uniti, & ritè ordinati, more exigui caſtelli eburnei. Tertiò,

a Luc. 23. 34. &c.
b Pſ. 44. 2
c Joan. 1. 14
d Joan. 1. 3
e Sap. 7. 54
f Joel 2. 23
g Pſ. 2. 7
h Deut. 55. 7
i Pſ. 34. 12. &c.
k Rom. 5. 10
l Coloſſ. 1. 18
m Pſ. 86. 1
n Pſ. 44. 17.
o Gen. 4. 1. &c.
p Iſai. 1. 2. &c.
q Iſai 11. 5
r Hebr. 11. 33. &c.
ſ Rom. 10. 15. ex Iſai. 52. 7
t Cant. 2. 14
u Iſai. 51. 7
x Eccli. 15. 5
y Cant. 4.

Debent eſſe fortes & validi, ut benè officium obeant ſuum, & dignè ſuo fungantur munere, quod ſitum eſt in mandendis & bene conterendis cibis. Quartò, Debent eſſe ritè æquales. Quatuor eximiæ ſunt hæ qualitates, quæ decent Concionatores, quaſque ipſi tenentur habere. Primò enim, Candidi eſſe debent in puritate & ſanctitate vitæ. Quid enim mihi prodeſſet vitium corripere, ſi atrocioribus ipſe forem moribus, quàm ſint ii, in quos increpationibus meis excandeſco? Quid proficerem concionibus meis, & totâ doctrinâ meâ? Cum poſſet inſimulari mihi tantâ cum veritate, quanta cum juſtitiâ exprobrabatur iſtud Chriſto a Judæis, *Medice cura teipſum z.* Secundò, Dentes debent eſſe benè uniti, ut diſcant Concionatores ſe debere inter ſe adinvicè eſſe benè unitos magnâ concordiâ, cùm omnes tendant ad eundem finem, qui eſt gloria Dei, & ſalus animarum æterna. Tertiò, Debent eſſe fortes, ut intrepidi vitium corripiant, non timentes equuleos, gladios, ſecures, neque patibula, ſed potenti accenſi zelo more alterius Eliæ in faciem reſiſtentis Regi Achab, *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu, & domus Patris tui: qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baal m a:* & alterius S. Joannis Baptiſtæ dicentis Regi *Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* b. Domine mi Rex, tuus procedendi modus non eſt rationi conſonus, egrederis è debiti tui limitibus, & authoritas tua eò uſque non extenditur, ut licite abuti poſſis uxore fratris tui; unuſquiſque inde ſcandali anſam arripit, tu es lapis offenſionis univerſo regno tuo. Vindictam de te ſumpturus eſt Deus c, niſi te in bonam frugem receperis. Quarto tandem, Requiritur æqualitas in Concionatoribus. Ita eſt. Scientia mea non eſt diviſa : Veſtis Chriſti non eſt diſciſſa d: Doctrina, quam vobis prædico, annuntiatur quoad ſubſtantiam ſuam in quatuor mundi regionibus, in Oriente, in Occidente, in Septentrione, & in Meridie. Annuntiata fuit circumquaque ab Apoſtolis, & ab aliis illuſtribus Antiquitatis Viris, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* e.

Sed iſta non ſufficiunt. Alias habent cum dentibus Concionatores convenientias, quas omitto, ut dicam duntaxat, ipſorum officium in eo ſitum eſſe, ut bene cibos conterant, ne in cibis laboret ſtomachus digerendis. Quod cauſa eſt cur voraces & guloſi quotidie ſtomachi doloribus opprimantur & pectoris, & perſæpè apoplexiâ è medio tollantur, eò quòd cibos non ritè manderint. Prima digeſtio, ajunt Medici, fieri debet in dentibus: Idcircò oportet ut Concionatores, qui ſunt veluti dentes hujus corporis myſtici Eccleſiæ, cujus Chriſtus *eſt Caput*, mandant & conterant ciborum fruſta fortia & digeſtu difficilia. Non ſecus ac corpus naturale vivere non poteſt, niſi comedat: ita dicendum eſt de animâ, quæ interiret ſine alimento ſpirituali. Sed qualis eſt iſte animæ cibus? Docet nos eum Dei Filius, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me* f. Ipſa Lex Dei eſt vita animæ, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata* g. Cibus animæ ſunt mandata Dei; ſed quia hi cibi ſunt digeſtu difficiles, præſertim verò ille, quem Dei Filius hodie nobis porrigit, cùm ait, *Ego autem dico vobis;*

z Luc. 4. 23
a 3 Reg. 18. 18
b Marc. 6. 18 ex Levit. 18. 16
c Hebr. 13. 4
d Matth. 27. 35. & Mar. 15. 24. & Luc. 23. 34. & Joan. 19. 24. ex
e Pſ. 18. 5
f Joan. 4. 34
g Matth. 19. 17

vobis : Diligite inimicos veſtros. Oportet ut Concionatores, qui ſunt dentes myſtici hujus corporis, illum mandant & conterant, ut populi ſtomachus in eo non laboret digerendo.

Quòd præceptum illud, quod hodiernâ die Filius Dei nos jubet obſervare, ut noſtros amemus inimicos, ſit difficile, & fruſtum digeſtu rude, tot aderunt hujus teſtes veritatis, quot invenientur in hujus Eccleſiæ circulo homines. Nunquam laboratur magis in perſuadendâ articulorum noſtrorum Catholicorum fide, infidelium mentibus, quàm cùm agitur de inducendis ipſis ad credendum mandatum dilectionem inimicorum præcipiens. Quomodo enim diligere poſſimus eos, qui noſtram, uxorum noſtrarum, & liberorum noſtrorum machinantur ruinam? Quo pacto amare eos, qui nobis deſtructis fortunam intendunt ſtabilire ſuam? Quis modus affectu proſequendi ſincero illos, qui vellent nos deprimere, ut elevarentur nobis cadentibus? Cùm eclypſis felicitatis noſtræ futura ſit dies ſereniſſima oblectamenti ipſorum; noſtraque ipſa felicitas ipſorum furorem acuat & invidiam, more canum illorum, qui latrant adversùs Lunam, cujus ſplendorem perpeti non poſſint. Quomodo ergo diligere eos, qui exitium moliuntur noſtrum, noſque ad mendicitatem conantur redigere? *Durus eſt hic ſermo; & quis poteſt eum*

b Joan. 6. 61

audire h? Aſſero nihilominùs, Auditores, fruſtum eſſe digeſtu facile dilectionem inimicorum, & ſuave. Divido igitur hunc diſcurſum in duplam conſiderationem, Quarum prior exhibebit vobis ſuavitatem & facilitatem hujus mandati dilectionem inimicorum præcipientis: Poſterior verò oſtendet vobis ejuſdem præcepti obligationem & neceſſitatem. Attendite, dum incipio.

Diviſio.

I. Pars.

Amor Dei eſt principium, origo, & pater amoris proximi. Et ſicut dicimus: Si nulli eſſent patres, nulli conſequenter eſſent futuri filii: Ita pariter dicere poſſumus, nullum eſſe amorem proximi, quia nullus eſt amor Dei. Non diligitur Deus: odio habetur proximus. Nemo autem dicat, mandatum, quod hodiernâ die proponit nobis Dei Filius obſervandum, non habere facilitatem & ſuavitatem. Quia cùm ipſe ſit Suavitas ipſa per eſſentiam, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*

i Matth. 11. 29

i; ſi præcipit nobis hunc amorem ita abſolutè, ſi exigit à nobis ut amemus inimicos noſtros, ſi ad hunc amorem nos obligat ſub tantis & ita gravibus pœnis; cùm quotidianâ comprobare nobis liceat experientiâ, effectus ordinariè cauſarum bonitatem imitari ſuarum, cauſaſque dulces effectus ſortiri ſuaves, cùm Chriſtus ſit ſuavis, *Mitis ſum*, præcipiatque nobis ut amemus inimicos noſtros, hoc mandatum non poteſt eſſe niſi ſuave, cùm ſit filius intellectus Chriſti: Lex enim eſt filia Legiſlatoris, & productio intellectus ipſius.

Deus Pater intellectu ſuo generat Filium ſuum

‡ Pſ. 2. 7

†, & hâc generatione Filius eſt ſimilis Patri, beatus, *immenſus* k, *omnipotens* l æquè ac Pater. Et

k Baruch 3. 25

l Eſth. 13. 9

ſicut clibanus vitreus aut æreus herbas recipiens in ſinum ſuum, cùm operculo tegitur, aquam extillatam è canali emittit eodem odore fragrantem, quo vigebat herba, è quâ ipſa aqua expreſſa eſt; ſi aqua eſt dulcis, dulcis erat herba pariter; ſi flos erat fœtidus, fœtet ſimiliter aqua: Lex erat hæc aqua extillata ex ſacrâ humanitate Chriſti; totus ſuavis erat Chriſtus, *Mitis ſum*. Quod procedit ex eo, ſuave eſt: Et ſic præceptum de diligendis inimicis, nihil habet niſi facile & ſuave. Tertullianus *m* ait magnam eſſe temeritatem, velle

m Tert. lib. de Pœnitent. c. 4

perſcrutari; an hoc præceptum ſit æquum; utrùm hæc lex amoris, quam ſtatuit Deus, ſit juſta; cùm Deus ipſe ſit, qui eam inſtituerit: *Audaciam exiſtimo, de bono Divini præcepti diſputare*. Impudentia ſanè eſt intolerabilis, ejus æquitatem examinare velle, cùm ne vel ipſæ hominum leges examini jure merito ſubjiciantur; quia ipſarum cognitio earumdem omnimoda ruina foret ac deſtructio. Eas examinare, eſt illas penitus irritas facere, deſtruere, & ad nihilum redigere: Probari ipſæ renuunt, ne in reprobationem incidant. Sic lex Mahumetica prohibet ſub gravibus pœnis mortis, & per obſcœna palo actionis, ne quis ipſam examinet, quia ipſa eſt lex animalis, infamis, & injuſta; & ſi examinaretur, ſtatim reprobaretur, & è medio tolleretur, ut injuſta & ſenſibus omnino dedita. Sed cùm Deus ſit totus *juſtus* n, totus *ſanctus* o, totus *bonus* p, maxima eſt eorum impudentia, qui illius æquitatem præſumunt examinare, cùm illius Author ſit ipſamet Juſtitia.

n Pſ. 118. 137

o Iſai. 6. 3

p Pſ. 118. 68

Diſcipuli cujuſdam Philoſophi nihil aliud allegabant pro totâ concluſione, niſi hæc verba, *Ipſe dixit*. Ha! Auditores, Chriſtus dixit, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*. Planè eſt dubitare de ejus ſcientiâ, & eum objurgare, ac non velle ei obedire. Sufficiat vobis ipſum eſſe Deum, qui vobis iſtud præcipit, *Ipſe dixit*. Nullam aliam inquiratis rationem. Hæc verba curioſitati veſtræ præſcribunt limites. Cùm præcepiſſet Deus Noë ut fabricaret *arcam*, & dixiſſet ei: *Ex cunctis animantibus univerſæ carnis, bina induces in arcam* q,

q Gen. 6. 14. &c.

imò habentia inſtinctus oppoſitos & non ſociabiles, qualia ſunt lupi & oves, canes & feles, ſimpliciter morem geſſit Noë, ſciens talem fuiſſe voluntatem Legiſlatoris, nedum curioſè inquireret quonam pacto pacificè hæc animalia invicem poſſent vivere inter occaſiones belli & diſcordiæ. Satis videbatur ipſi ſcire, Deum ipſum fuiſſe, qui id præcepiſſet, quique potuiſſet eorum diſcordiam conciliare. Si ſapientem verò, induſtrium, & peritum agere voluiſſet, fortè Deum ad iracundiam provocaſſet, obrutuſque fuiſſet implacabilibus diluvii inundationibus, quibus univerſa fuit operta terra. Præcipit nobis Deus ut inducamus in arcam cordis noſtri inimicos noſtros. Dicitis futurum ut non poſſint illi in eo permanere, quippe qui vobiſcum non ſint ſociabiles, cùm ipſorum affectus veſtris non ſint conſoni. Cavete, miſerandum peribitis in modum, & naufragio immergemini irreparabili, niſi obediatis Deo, qui ita ſuaviter vobis præcipit, *Diligite inimicos veſtros*.

Chriſti verba ſunt Spiritus & vita, ut ipſemet ait, *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt* r. Chriſtus *vivus eſt Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* †. Sermo qui illuminat, ut ſe intelligendum præbeat; qui corda ſuaviter inflammat, ut ad ſui amorem trahat; & gratia & dulcedo infinita, quæ ad ſui obſervantiam ducat. Chriſtus perſuadet docendo, & vim faciendi præbet præcipiendo: potenter cordibus noſtris imprimit id, quod ſummo modo auribus noſtris exprimit: Foris loquitur, & ſuavitatem gratiæ ſuæ & luminis ſui intùs diffundit. Idcircò ait; *Iugum meum ſuave eſt; & onus meum leve* ſ. Quia licèt præcipiat difficiliora quàm in Lege veteri, ſicut hodie, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*; petens à nobis majorem perfectionem; ſubdens iis, quæ aliàs dixerat; *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros*; tamen auxilium gratiæ ipſius, & unctio

r Joan. 6. 64

‡ Hebr. 4. 12

ſ Matth. 11. 30

Spiritus ſancti,& *Charitas Dei diffuſa in cordibus no-*
t Rom. 5. 5 *ſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* t; miti-
gat illud jugum,& reddit hoc onus non ſolùm le-
ve, ſed allevians,ſuave,& facile,non ſecus ac pen-
næ avibus; imò vero jucundum & gratum: *Hæc eſt*
enim charitas Dei , ut mandata ejus cuſtodiamus : &
u 1. Joan. 5. 3 *mandata ejus gravia non ſunt* u.

Præcipit nobis Deus ut ſe diligamus tribus mo-
dis, qui referuntur ad tria mandata prioris tabulæ
decalogi,corde,ore,& opere. Primò,Affectu cor-
x Deut. 6. 5.& Matth 22. 37. & Marc. 12. 29.& Luc. 10. 27 dis; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* x.
Secundò , Laudibus oris , *Non aſſumes nomen Do-*
mini Dei tui in vanum y. Quod inducit nos,ut ſan-
ctificemus illud Nomen, & laudemus. Tertiò,O-
y Exod. 20. 7 & ex Deut. 5. 11 pere manuum, *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*
z. Quod continet cultum, & reverentiam, quam
z Exod. 20. 8 & ex Deut. 5. 14 exhibere debemus Deo. Imperat nobis Chriſtus ut
diligamus inimicos noſtros his tribus modis, cor-
de,ore,& opere. Primò, Affectu cordis, *Diligite ini-*
micos veſtros. Secundò, Operibus bonis & effecti-
bus, *Benefacite his,qui oderunt vos.* Tertiò,Oris te-
ſtimonio, *Orate pro perſequentibus & calumnianti-*
bus vos. Charitatem ardentem Jeſu , qui vult ut
amemus inimicos noſtros eodem modo quo
Deum amare tenemur,ita ut non poſſimus amare
Deum, quin etiam amemus proximum noſtrum,
imò verò inimicum ! Validum motivum , quo
amemus inimicos noſtros , intuentes & amantes
Deum in illis,& illos per reſpectum ad Deum!

Jeſus Chriſtus (quod eſt admiratione dignum,
& quod ad amorem vel ipſa tigridum corda de-
bet inducere) non ſolùm nos docuit verbis , ſed
multò fortiùs & validiùs exemplis ſuis. Cùm
enim eſſet crucis ſuffixus patibulo, nobis, qui ini-
mici ipſius eramus, hæc tria exhibuit ampla amo-
ris teſtimonia. Amavit nos corde. Ha! Qualem
amorem , qui efficit & ut patiatur & amet uſque
ad mortem , & moriatur propter amorem no-
ſtrum. Uſque eò ſiquidem Deus mundum amavit
(ut dicebat ipſe Chriſtus quaſi attonitus præ tanti
amoris exceſſu, quo proſecutus eſt nos) *Sic Deus*
a Joan. 3. 16 *dilexit mundum,ut Filium ſuum unigenitum daret* a.
Amavit nos effectu, *Cùm inimici eſſemus,reconcilia-*
b Rom. 5. 10 *ti ſumus Deo per mortem Filii ejus* b. Suam meritus
eſt gratiam iis, qui eâ erant indigni, *Quoniam cùm*
adhuc peccatores eſſemus , Chriſtus pro nobis mortuus
c Rom. 8. 9 *eſt* c,& vitam propriâ morte nobis præbuit. Ama-
vit nos ore , cùm oravit pro iis qui ipſum cruci
ſuffigebant, *Pater dimitte illis ; non enim ſciunt quid*
† Luc. 23. 34 *faciunt* †. Rubum charitatis Jeſu ardentem inter
ſpinas * peccatorum , & ingrati animi tribulos!
* Exod. 3. 2 Præcipit nobis ut diligamus inimicos noſtros , ut
executioni mandemus ſpecioſum hoc præceptum
amoris, quod nihil habet niſi facile & ſuave ; non
inquirentes alias rationes, niſi quia ipſe eſt qui id
præcipit ; cùm non obligentur ſupremi Legiſlato-
res rationem reddere legum, quas inſtituunt , ne-
que Reges edictorum ſuorum ; ſufficit enim ut di-
cant, Tale eſt beneplacitum noſtrum ; neque Cu-
riæ ſupremæ motivorum areſtorum,quæ ipſæ pro-
d Iſai. 33. 22 nunciaverint : Ita ſufficit Chriſto Regi *d* noſtro,
e Ibid. Judici *e*, & Legiſlatori *f* ſupremo dicere, *Ego au-*
f Ibid. *tem dico vobis : Diligite inimicos veſtros.*

Oportet igitur ut amemus proximum noſtrum,
ſicut Deus ipſe nobis præcipit , cùm in iſto man-
dato nihil ſit niſi ſuavitatem & facilitatem inve-
nire. Hoc eximiâ demonſtratur ſimilitudine,quo-
modo ſtatim ac amamus Deum , amemus etiam
proximum noſtrum. Non ſecus ac enim duæ lineæ
ad centrum è circumferentiâ ductæ, quò magis ad
centrum accedũt, eò ſibi ſunt invicem propiores;
eo planè modo, quo plùs ad Deum , qui eſt cen-
trum noſtrum †, approximamus, eò plùs affectu † Prov. 16. 4
propè ſimus inimicis: Debemus igitur amare pro-
ximum, ſi Deum amemus ut decet. Et licèt Deus
dixerit, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitu-*
dinem noſtram g; id eſt, fecerit nos liberos *h*, & no- g Gen. 1. 16
ſtri ipſorum Dominos , tamen præbuit nobis ſu- h Eccli. 15. 14. &c.
premas animæ noſtræ potentias intellectum &
voluntatem ſub naturâ feudi. Et quamvis poſſi-
mus uti facultatibus noſtris juxta beneplacitum
noſtrum, debemus tamen in gratiarum actionem
obſequium aliquod exhibere Deo Benefactori
noſtro , non ſecundùm propriam voluntatem no-
ſtram; ſed tale, quale ſummus iſte Dominus à no-
ſtris exiget obedientiis , quo deficiente veluti in-
grati animi labe notati , feudo noſtro privabimur.
Ita fertur Lege i, *Non eſt alia juſtior cauſa beneficii* i L. Juſtinian. lib. 2. de Feud. titul. 24
auferendi , quàm ſi id, propter quod beneficium datum
fuerit, hoc ſervitium facere recuſaverit. Cùm igitur
præbuerit Deus homini intellectum & volunta-
tem ſub naturâ feudi, vult ut homo ipſum agno-
ſcat, ipſique ſerviat his duabus facultatibus , non
ſecundùm propriam voluntatem , ſed ſicut Deus
præcipit, & iis utatur juxta Divinam voluntatem
ipſius.

V. g. Licèt myſteria fidei noſtræ annunciata à
Chriſto & ab Apoſtolis , non ſint nota intellectui
noſtro propter ipſorum obſcuritatem , ipſum ta-
men intellectum inducit Deus ad illa credenda, ut
hæc potentia ſpiritualis , juxta conſilium Apoſtoli
k, ſubmiſſiones ſuas ipſi apprimè exhibeat, *In ca-* k 2. Cor. 10. 5
ptivitatem redigentes omnem intellectum in obſe-
quium Chriſti. Pari modo exigit aliquid difficile à
voluntate , ut inde hæc facultas affectiva ſuo ritè
fungatur munere. Communi fertur adagio, uni-
cam dumtaxat ſufficere bonam voluntatem,ut de-
bitæ gratiarum actiones benefactori rependantur:
Atqui Deus aliquid magis à fidelibus ſuis exigit,
nimirum ut bonâ voluntate erga ſuos ferantur ini-
micos, inde teſtimonium perhibentes amoris, quo
Dominum ſuum proſequuntur ; & executioni
mandantes id omne, quod ab ipſis exigit, ipſiſque
præcipit : Tali quippe exercitio ſervi Dei , qui
Domino famulantur, dignoſcuntur, & diſcernun-
tur ab iis , qui mundo inſerviunt ac propriis com-
modis , in omnibus ſuas quærentes utilitates ac
ſatisfactiones adimplere.

Hoc innuit Chriſtus conſequenter expreſſis
verbis , *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam*
mercedem habebitis ? Nonne & publicani hoc faciunt ?
Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs
facitis ? Nonne & Ethnici hoc faciunt ? Eſtote ergo vos
perfecti. ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Hoc
eſt, ſicuti Deus, quatenus Deus, perfectus eſt ; ita
fideles , quatenus homines , perfecti eſſe debent :
Atqui perfectio hominis fundata eſt in juſti-
tiâ , quæ in eo ſita eſt , ut reddat unicuique quod
ſuum eſt : Homo autem promptam, integram,&c,
ut dicitur , cæcam , Deo debet obedientiam ; &
cùm præcipiat hodiernâ die amorem inimico-
rum, tenetur homo illi morem gerere. Nihil au-
tem prodeſt allegare , rem prorſus rudem eſſe æ-
què ac difficilem eam, quam Deus à nobis requi-
rit,nam præter exemplum , quod Chriſtus pro-
priis exercitiis, quæ debent eſſe actionum noſtra-
rum regulæ,nobis dereliquit; largitur nobis etiam
gratiam ſuam *l*, quæ mitigat amaritudinem æ- l Ezech. 11. 10
què ac difficultatem hujus præcepti, & ſuave red-
dit ac facile id , quod videbatur rude & difficile
ſenſibus , qui concitantur ſolo vel hoſtium oc-
curſu. Nemo igitur dicat præceptum dilectionis

inimicorum aliquid præ ſe ferre rigoris, cùm nihil habeat niſi facile ac ſuave, propter rationes jam allegatas.

Facilitatem hujus præcepti deſumo adhuc è triplici principio; ab eo, qui illud facit; ab iis, quibus fit; & à natura præcepti. Ille, qui hoc præceptum inſtituit, eſt Chriſtus Deus & homo, & homo Deus. In Chriſto etenim ſunt duæ naturæ, Divina, & humana *m*. Sive igitur conſideremus eum quatenus Deum, ſive prout hominem, dico hoc præceptum ſuave eſſe ac facile. Quia quatenus Deus, totus ſuavis eſt, *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* n. Quatenus homo, eſt Suavitas ipſa, & ſuavitatis ſe dicit profeſſorem, *Diſcite me, quia mitis ſum.* Si autem ſuavis eſt, præceptum, quod ipſe inſtituit, ſuave eſt; Lex, quam promulgat, ſuavis eſt ac facilis; cùm videamus effectus eſſe conformes naturæ cauſarum, a quibus producuntur. E parte eorum, quibus hoc præceptum fit, Dico etiam in eo nihil inveniri niſi ſuavitatem & facilitatem. Quod eſt naturale, ſuave eſt, & ad illud inclinamur cum facilitate & jucunditate: Amor eſt homini naturalis: Idcircò hoc præceptum amoris inimicorum ſuave eſt æquè ac facile.

m Joan. 1. 14
n Pſ. 33. 9

Præterea, Bonum eſt objectum voluntatis, ad hoc inclinatur voluntas ſine violentiâ, cum voluptate; omnia intuentur ſua objecta, & ad illa cum jucunditate feruntur: Atqui omne genus bonorum reperitur in amore proximi, in dilectione inimicorum; bonum utile, bonum honeſtum, & bonum delectabile, quæ tria ſunt, quæ obſervantur à Moralibus Philoſophis, bonorum genera. Quòd bonum utile ibi inveniatur, evidens eſt. Non loquor de gratiâ, quam acquirimus, quæ eſt bonum ſupernaturale; neque de gloriâ, quæ nobis promittitur ob magnanimitatem, quam exhibemus in ſuperandis violentiis *o*, rebellionibus, & inſultationibus naturæ debilitatæ & vitiatæ peccato. Taceo, quòd Domini efficiamur miſericordiæ Dei, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* p. Prætereo, quòd dilectione inimicos noſtros confundimus, *Carbones ignis congeres ſuper caput ejus* q. Siſto in propriâ utilitate, & in quiete, quam acquirimus parcendo: Non enim amplius cogitationibus ſtimulamur, nec cor habemus curatum anxietate laceratum, rabieque & furore correptum; ſecuri ſumus, & ſine ullo timore quocumque qualibet horâ pergere poſſimus; ubique reperimus aſyla. Quid utilius? Nunquid non devincit ſibi nos donis ſuis Deus inſtituens nobis hoc præceptum amoris? Præcipere enim amorem cordi, eſt ipſi imperare rem, quæ ipſi eſſentialis eſt, ſuavitatem nimirùm homini qui eſt *nudus egreſſus de utero matris* r ſuæ, ſine armis, ſine ullâ defenſione, cum tantis infirmitatibus, cum lacrymis, quas ſtatim edit *plorans* ſ, ut miſerandum conditionis ſuæ oſtendat ſtatum. Alia animalia naſcuntur armata, rhinoceros habet tegmen ſuum, leo ſuas fibulas ſeu uncos ſuos, taurus cornua ſua, aquila ſuos ungues, ſcorpio venenum ſuum; Homo nihil habet horum. Quam ergo Deus illi injuriam irrogat? Quin imò id favor eſt. Si ipſi vindictam imperaſſet, ut in Lege veteri *minando pœnam, nec adjuvando per gratiam*, ait S. Auguſtinus *t*, Lege rigoris & ferreâ, *Dentem pro dente exiges* u; potuiſſet dici, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* *?

o Matth. 11. 12
p Matth. 6. 12
q Rom. 12. 20
r Job. 1. 21
ſ Sap. 7. 3
t S. Aug. in Pſ. 57. ex Rom. 8. 3.
u Deut. 19. 21. & ex Exod. 21. 23. &c. & ex Levit. 24. 20.
* Joan. 6. 61

Bonum honeſtum ibi invenitur. Quid honeſtius quam imitari Deum, & ita perfecto exemplo ſe conformare? *Primum in unoquoque genere eſt regula, & menſura cæterorum*: Deum, inquam, imitari, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos.* Amor igitur inimicorum eſt honeſtus, cùm Deum imitetur. Amor amicorum eſt honeſtus, magis rationi conſonus; ſed mercedem non meretur æternam; *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Imò & bruta ipſa quid ſimile operantur. Amor exigit amoris compenſationem; ſed amor inimicorum eſt amor veluti ſupernaturalis, qui gratiam producit; amor honeſtus, qui Deum imitatur. Delectabile bonum pariter in eo invenitur. Quid delectabilius quàm ut quis ſit filius Dei adoptivus? Hanc nobis amor inimicorum eminentem conciliat qualitatem, *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Et conſequenter cœleſtem nobis pollicetur hæreditatem †. Qualem nobis ſatisfactionem! ut tantillam nobis inferentes violentiam, tantis cumulemur bonis, utili, honeſto, & delectabili, ſolâ obſervantiâ præcepti ſuavis & facilis, maximique inſuper momenti, obligatorii ac neceſſarii.

† Rom. 8. 17

II. Pars.

Injurias condonare, inimicos diligere, bona facere iis, à quibus mala ſuſcepimus, devincire nobis eos, qui nos oderunt, non tam eſt electio virtutis, quam obligatio & neceſſitas ſalutis; cùm Deus nolit ut ſperemus remiſſionem peccatorum noſtrorum niſi eâ conditione, ut irrogatas nobis ab aliis injurias condonemus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Oratio autem & ſacrificium, quæ ſunt duo puncta eſſentialia Religionis noſtræ, non poſſunt ſubſiſtere ſine veniâ proximo conceſsâ *: Inter Hebræos verò quicumque oratus ſe inexorabilem exhibebat, hac inurebatur infamiæ notâ ut appellaretur *ſicut Ethnicus & Publicanus* †. Id eſt, peccator, & veluti excommunicatus haberetur, ac ut membrum putre, & è ſocietate humanâ eliminandum. Præceptum eſt, quod Deus nobis facit; *Ego autem dico vobis.* Ego ipſe, qui ſum Deus veſter, Creator, Dominus, Judex pronuncio, declaro, & manifeſto omnibus fidelibus Chriſtianis, qui gloriantur ſe eſſe in ſinu Eccleſiæ meæ, ſub vexillis meis militare, inſignibus meis ornari, & profiteri Religionem meam, agnoſcentes me ut ſuum Caput, *Diligite inimicos veſtros.* Hæc eſt mea voluntas, & abſolutè volo ut diligant inimicos ſuos, & illis bonum pro malo reddant. Si verò id agere renuant, nullo modo agnoſco eos ut ſervos meos, meis non decorantur inſignibus; & ut ſic nullam cœleſtis hæreditatis ſibi poſſunt polliceri portionem.

* Matth. 5. 24. & 25
† Matth. 18. 17

Sed ne quis rationes in contrarium fortaſſis afferat, certo certius eſt illum, qui hoc præceptum violat, inimicum Dei conſtitui, *Qui non eſt mecum, contra me eſt* x, ajebat Filius Dei. Et, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* y. Quorum affectus oppoſiti proculdubiò cauſant diviſionem: Oportet enim ut quis alterius indignationi ſubjaceat, ſi alteri morem gerat. Deus & mundus ſunt duo Domini, quorum procedendi modus eſt oppoſitus, ſemper enim ipſi ſibi invicem adverſantur, nec ullus poteſt mundi legibus obedire, quin Dei præceptis illico refragetur. Eligite utrum volueritis: Veſtrâ intereſt: Sed ritè perpendite electionem veſtram. Si eligatis legem mundi, qui populares aucupatur auras, qui mavult mori millies, quàm ſemel ſine affectu ſumendæ vindictæ vivere: egredimini ex Eccleſiâ, renunciate Baptiſmo, in quo renati eſtis *ex aquâ & Spiritu ſancto* z, pergite ad infideles, tiaram aſſumite mahumeticam, ſi veli-

x Matth. 12. 30
y Matth. 6. 24
z Joan. 3. 5

tis Turcæque efficimini; quin imò inter ipſos etiam Turcas invenietis leges amorem ſub obligatione præcipientes; feſtumque quoddam dicuntur colere, in quo irrogatas ſibi omnes adinvicem dimittunt injurias. Exire è naturâ, cum non poſſim vobis invenire locum in natura, in mundo, poſtquàm ex eo altaria clementiæ & miſericordiæ avulſeritis.

Si verò dicitis vos eſſe diſcipulos Chriſti, & prout tales vultis legem ipſius obſervare, quia *plenitudo Legis eſt dilectio* a; *Diligite inimicos veſtros.* Hoc eſt præceptum, quod vobis facit; *Benefacite his, qui oderunt vos.* Si autem allegetis, latâ primâ injuriâ ſine vindictâ, ſecundam provocari; ſuavitatem & manſuetudinem impudentiæ aperire viam, virumque conditionis non vulgaris nunquam ita deprimi, quàm cùm oſtendit ſuam puſillanimitatem, injuriam deferens impunitam. Ha! quam ignari ſumus magnitudinum Dei, & verbis illius infideles. Hoc eſt ſanè Chriſtianos eſſe apparenter, & realiter adhærere maximis mundi, quæ toties nobilem Francorum noſtrorum effuderunt ſanguinem. Si verò adhuc inſtetis ſuper dividendum obſequium veſtrum: Compellar vobis dicere animatus eodem zelo, quo alias Elias adverſus Hebræos, intuitus illos congregatos ſæpè cum Gentilibus, & conveniſſe invicem ad ipſorum templum, ut ibi adorarent Baal; die verò Sabbatti ingreſſos cum aliis in Synagogam, ut Deum verum adorarent; eadem verba, quæ iſtis dixit Propheta: *Vſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: Si autem Baal, ſequimini illum* b. Idem vobis dico: Si agnoſcitis mundum ut Deum, *ſequimini illum,* obedite illi, & deſerite Chriſtum: Si verò honoratis Jeſum, renunciate mundo, & falſis omnibus honoribus illius; & ſcitote vos extremo formidandi judicii die non judicandos ſecundùm mundi maximas, ſed juxta leges Chriſti, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* c.

a Rom. 13. 10

b 3. Reg. 18. 21. &c.

c Act. 10. 42

d 1. Reg. 24. 1. &c.

Inveniens *David* d Saulem infenſiſſimum ſibi in cavernâ, quò perrexerat ipſe ut fugeret & liberaretur ab adverſario ſibi ita importuno, cùm ſuam poſſet ſtabilire vitam ac ſecuram reddere, occidendo Regem, ei eripiendo vitam, quæ in ipſius manu erat, non eſt tamen auſus eandem *manum* ſuam ferre in eum, *quia Chriſtus Domini* erat; ſed ſatis ipſi viſum fuit, ſi extremam pallii regii oram præſcinderet. Cùm primùm autem obvium habuit Saulem David, ait illi: *Pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu meâ; quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animadverte, & vide, quoniam non eſt in manu meâ malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem inſidiaris animæ meæ, ut auferas eam.* Non deerant adulatores qui perſuadere vellent Davidi ut Regem occideret, dicentes ei: *Ecce dies, de quâ locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* Obſervat autem ſacer Textus Davidem Aulicorum ſuorum iram mitigaſſe verbis ſuis, *Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos ut conſurgerent in Saül.* Effecit David ſuis perſuaſionibus, ut nullum Sauli inferrent malum. Et ſic fecerunt Aulici ob gratiam Davidis, quod agere renuiſſent, ut Deo obedirent. Perſuadet David id, quod neque Lex Dei, nec omnes ejus mercedes, nec univerſæ ipſius minæ his unquam perſuadere potuiſſent Aulicis.

Ha! plus poteſt homo, quam poſſit Deus. Præcipit nobis Deus ut amemus inimicos noſtros, *Diligite inimicos veſtros.* Amorem illum reſpuimus: Precatur nos de tali amore homo, & illi morem gerimus. Quamnam Chriſtianiſmi proſtitutionem! Quamnam verbo ipſius reverentiam exhibemus, cùm affectu deſtituti videamur? Exercet Jeſus quidquid nobis præcipit, amorem corde, ore, & opere; *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Amemus, ſed amemus ex corde, condonantes injurias, non more illorum qui ajunt, Illis ignoſco, iis nullum volo malum; ſed illorum præſentiam ſuſtinere non poſſum. Ha! claudite illud os, nolite illud ampliùs aperire, ſaltem coram vulneribus Chriſti, quæ ſanguinem fundunt ante vos contra vos. Quodnam os feretis ampliùs ad altaria, quæ videmini venerari? Quale cor reſtat vobis conſervandum Deo? Eſtne illius aliqua pars quæ non ſit felli immerſa? Quid expectatis horâ exitus veſtri, cùm extremum efflabitis vitæ halitum, niſi ut eadem ſingulis vobis verba repetat Deus? Nullum tibi volo malum, nulla mihi ſunt ſupplicia, nec equulei, nec ardentes lampades, quibus te cruciem, ſed nunquam Divinæ faciei meæ potieris dulcedine, nunquam videbis vultum meum. Quid autem ſignificant hæc horribilia verba niſi damnationem æternam e? Cùm vel ſolùs Divinæ faciei intuitus nos beatos efficiat, ſitaque ſit tota noſtra felicitas in viſione Dei f. Ignoſcite igitur inimicis veſtris, ſed ignoſcite eis ex toto corde veſtro.

e Matth. 25. 41

f Joan. 17. 3

Conſiderate, Auditores, Filium Dei, ut oſtenderet nobis, quanti duceret hoc præceptum, quo nobis imperat ut diligamus inimicos noſtros, proprio ſuo exemplo, mori voluiſſe præ infamiâ inauditâ in patibulo crucis, ubi veniam poſtulavit à Patre æterno pro inimicis ſuis, dicens, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*: Quæ indulgentia ipſi ſerviret loco mercedis paſſionum ipſius ac mortis, ut ait Arnoldus Carnotenſis g; *Nullus omnino ſeveritati locus ibi eſſe poterat, ubi vulneratus Chriſtus propriis mercedem Sanguinis exigebat.* Quia petebat veniam pro criminibus illorum, loco mercedis laborum ſuorum. Chriſtiane edocere in hâc ſcholâ amorem, aſcende in montem Calvariam, ibique ſedulò conſidera Chriſtum, non prætereundo tantùm more Judæorum, *Prætereuntes* i. Ha! flammis Divini amoris ipſius accendêris. Intuere Filium Dei cruci ſuffixum: Pedes habet alligatos, ut tuam expectet pœnitentiam k: Brachia habet extenſa, ut interea miſericorditer te recipiat: Cor habet apertum, ut tibi in illud liberum præbeat acceſſum; ne renuas in illud intrare: Corpus ipſius pretioſi Sanguinis guttis totum defluit veluti tot linguis, ſi ignoſcas inimicis tuis, ut pro te veniam tuorum criminum poſtulet à Patre ſuo, qui largiatur tibi conſequenter gratiam, & gloriam ſempiternam.

g Arnold. Carnot. tract. de ſeptem Verbis Dom. de Verbo illo Domini in cruce, Pater dimitte, &c. Luc. 23. 34

i Matth. 27. 39

k Ezech. 18. 21

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST CINERES.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquàm flagellaverint, occident eum. Luc. 18. 31. &c.

NOn ſine myſterio hodiernâ die in Evangelio Dominicæ præcedentis, quod reſumo ut congruum ſubjecto, quod habeo tractandum diebus Veneris Quadrageſimæ, Salvator apertè loquitur de paſſione ſua diſcipulis ſuis, manifeſtans eis illius arcana, & ſtatim viſum tribuit cæco, proponens nobis ſimul morbum & antidotum ejus, cæcitatem & remedium illius. Paſſio enim Filij Dei eſt veluti fel *piſcis* a Tobiæ, virtute cujus cæcitas hominum fuit ablata: & ſicut hæc paſſio eſt principium vitæ ſpiritualis totius mundi; ſic ipſius cogitatio & memoria eſt principium ejuſdem vitæ, & reformationis morum, cùm unuſquiſque meritorum ipſius fiat particeps. Mors igitur Jeſu Chriſti eſt medicina iſtius cæci, & viſus non datur ei niſi ſub hac conditione ut videat ipſius paſſionem. De ea loquitur ipſe aperte Apoſtolis ſuis, & eam ponit præ oculis eorum; ſed ipſi manent cæci, *Et ipſi nihil horum intellexerunt.* Hi videre non poſſunt quin ipſe tribuat ipſis novum viſum: non enim poſſumus videre pati Deum: oculi carnei non poſſunt videre pati niſi corpora: & ſi Filius Dei vult dolores ſuos nobis reddere ſenſibiles, oportet ut ſe faciat hominem ſicut nos, ut ſumat corpus ſicut noſtrum, quod & re verâ ſumpſit *in utero* B. Virginis, poſtquam *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* b *Maria.*

a Tob. 11. 13. &c.

b Luc. 1. 31. & 28. ex Iſa. 7. 14.

Muſica in luctu importuna narratio, dicit Eccleſiaſticus *c*. Sic ratione contrariorum dico non eſſe quid incongruentius & injucundius luctu inter gaudia & oblectamenta, cùm verum ſit id quod ait idem Eccleſiaſtes *d*, *Omnia tempus habent*. Quod dico, Auditores, ut reſolvam difficultatem, quæ proponi poſſet, Quare Eccleſia, quæ dirigitur à *Spiritu ſancto* e, & quæ ut ſic nihil unquam agit niſi appoſitè, præ noſtris poſuit oculis Dominicâ præcedente, die Bacchanalium & lætitiæ, paſſionem Jeſu Chriſti, quæ gaudia noſtra replere poterat *amaritudinibus* f ſui fellis, & vulnerum ſuorum? Inter alias rationes hujus, quas afferre poſſem, mihi ſufficit ut dicam, quòd ipſa hoc ideò fecit, ut virtus paſſionis ipſius nobis eſſet nota. Hâc enim die incipit Dominica Quinquageſimæ (cujus Textum reſumo) quæ terminatur ad Paſcha, numerus quinquagenarius, qui eſt numerus jubilei *g*, quando fiebat remiſſio generalis omnium debitorum: & ſic debita noſtra hoc ſacro tempore fuerunt remiſſa per paſſionem Jeſu Chriſti: nam *nos omnes eramus naturâ filij iræ* h, & ut ſic obnoxij Juſtitiæ Divinæ punitivę rigoribus ſuſtinendis: Filius autem Dei per miſericordiam ſuam voluit ei ſatisfacere, *Quæ non rapui, tunc exolvebam* i. Et ut ſua ſatisfactio reſponderet culpæ, pati voluit eâdem die, & eâdem horâ, nimirum, *ſextâ horâ* k, quâ Adam *de fructu comêdit* l vetito, ſicut ait S. Irenæus *m*. *Manifeſtum eſt, quoniam in illa die mortem ſuſtinuit Dominus, obediens Patri* n, *in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo; in qua autem mortuus eſt, in ipſa & manducavit. Dixit enim Deus, In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini* o. *Hunc itaque diem recapitulans in ſemetipſum Dominus, venit ad paſſionem pridie ante Sabbathum, quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt* p, *ſecundùm plaſmationem eam quæ eſt à morte, per ſuam paſſionem donans.* Præterea, Illo tempore jubilei, venditores reſumebant id quod vendiderant: ſic erat unuſquiſque noſtrûm miſerabiliter *venudatus ſub peccato* q. Sed miſericorditer ſumus *empti pretio magno* r ſanguinis Jeſu Chriſti effuſi in paſſione ſua, cùm nos reſtituerit in priſtina jura noſtra, & in hęreditatem noſtram, *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, dicit illi David s in ſpiritu. Inſuper, Illi qui ſervitio ſe addixerant, venditâ libertate ſuâ, tempore jubilei revertebantur in primam ſuam libertatem: nos omnes eramus ſub ſervitute diaboli, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, dicebat idem Dei Filius *t*. Et S. Chryſoſtomus *u*, *Magnus dæmon peccatum eſt.* Et Petrus Cellenſis *x*, *Servus peccati, ſervus eſt tot Dominorum, quot vitiorum.* Et virtute paſſionis ejuſdem Salvatoris reſtituti ſumus in primam libertatem noſtram, *Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*, dicit nobis S. Paulus *y*. *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* z. Tandem, Fugitivi & vagi, revocabantur tempore jubilei: eramus omnes ejecti è præſentia Dei, & veluti vagi errabamus *ſicut ovis quæ periit* a, in deſerto hujus mundi: & per paſſionem ejuſdem Jeſu Chriſti, revocati ſumus & admiſſi ad patriam cœleſtem, *Iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum*, ait S. Paulus *b*. Non igitur immeritò die Dominicâ Quinquageſimæ, paſſio Jeſu Chriſti nobis proponitur, quia cùm ſit repræſentatio jubilei, in ipſa vere & realiter adimpletur id omne, quod tunc fiebat in umbra & in figura. Quod nobis clarè manifeſtat magnas utilitates quę nobis advenerunt ex hoc principio infinito meriti, cùm vel nunc Primò memoria ipſius ſit nobis præſens remedium contra tentationes, ne conſentiamus peccato. Quòd ſi fortè quis ei conſenſerit, ſola cogitatio ipſius eſſet Secundò ſatis fortis ad educendum eum inde. Cum illius recordatio Tertiò ſit talis virtutis, ut convertat omnia tædia noſtra in gaudia. Videamus tres iſtas veritates in progreſſu diſcurſûs iſtius.

c Eccli. 22. 6.
d Eccl. 3. 1.
e 2. Petr. 1. 21.
f Thren. 3. 15.
g Lev. 25. 10. &c.
h Epheſ. 2. 3
i Pſ. 68. 5
k Matth. 27. 45.
l Gen. 3. 6. &c.
m S. Ire. l. 5. Hæreſ.
n ex Philipp. 2. 8.
o ex Gen. 2. 16. & 17.
p ex Gen. 2. 7
q Rom 7. 14.
r 1. Cor. 6. 20.
s Pſ. 15. 5
t Jo. 8. 34
u S. Chryſoſt. hó. 33. ex c. 9. Matth.
x Celleſ. l. de Panib. c. 15.
y Rom 6. 18.
z Gal 4. 31.
a Pſ. 118. 176.
b Rom. 5. 9

Diviſio.

I. Pars.

Paſſio Salvatoris eſt remedium potens contra tentationes. Quis autem dubitavit unquam de iſta veritate? Propterea vocatur à Sponſâ *Faſciculus myrrhæ* c. Quia ſicut proprium eſt myrrhæ præſervare à corruptione, ſic memoriæ paſſionis Salvatoris proprium eſt præſervare à peccato: hîc autem Sponſus ſibi complacet videre Sponſam ſuam, dicens ei, *Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam* d. Unde dicit Dionyſius Carthuſianus *e*, *Per foramina petræ valdè convenienter intelliguntur vulnera Salvatoris: de quo S. ait Apoſtolus* f, *Petra autem erat Chriſtus. Et ipſemet Dominus, Super hanc Petram, id eſt, ſuper meipſum, quem tu ô Petre confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam* g. *Per cavernam demum maceriæ aptiſſimè deſignatur vulnus Dominici lateris. In quibus vulneribus ac cavernâ Sponſa moratur, dum Dominicam Paſſionem devotè, compaſſivè, ac ſapien-*

c Cant. 1. 12.
d Cant. 2. 14
e Dion. Carth. a. 6 in Cât. 2. 14.
f 1. Cor. 10. 4
g ex Matthæ. 16 18. &c.

tialiter meditatur, ejuſq; meritis ac virtuti innititur, ac fructum vulnerum horum ſacratiſſimorum perpendens, in eis ſuam figit fiduciam, & univerſam Sponſi paſſionem cordi ſuo inſcribit: quod aſſiduè faciendo fit Sponſo chariſſima. Oſtende mihi faciem tuam, id eſt, ſtude ac ſatage teipſam mihi puram & irreprehenſibilem exhibere. Sub hoc aſylo ſecuri ſumus ab univerſis inſultationibus in nos irruentibus.

Ut autem ratiocinemur ſuper hoc, ſcire debetis quòd vix in mundum venimus, cùm ſtatim ibi apparemus ut milites, arma præ manibus geſtan- [h Job. 7. 1.] tes, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* h. Nobis incumbit hoſtes potentes impugnare ex ipſo ingreſſu ad ſtadium, puta, mundum, diabolum, & carnem; diabolum, qui nos aggreditur ſuggeſtionibus ſuis: carnem, quæ nos impetit lenocinijs ſuis: & mundum, qui inſurgit in nos apparentijs ſuis doloſis. Iſte nobis offert venenum; & licèt ipſe nobis præſentet illud in calice aureo, non ſecus ac illa *mulier habens poculum aureum in manu* [i Apoc. 17. 4.] *ſua*, de qua loquitur Apocalypſis i; hoc non impedit quin ſit venenum. Caro nos prodit, ſicut [k Judic. 16. 6. &c.] aliàs Samſonem tradidit infidelis *Dalila* k. Diabolus utitur nobiſipſis adversùs noſmetipſos; nos ſervimus ei ut armamentarium, è quo ipſe deſumit arma ad nos offendendos: nos ſumus in medio periculorum circumquaque ab hoſtibus obſeſſi; propterea nobis eſt neceſſariò dimicandum. [l 1. Jo. 2. 16.] S. Joannes l dividit omnes iſtos hoſtes in tres acies, quæ hoſtilem componunt exercitum: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Id eſt, luxuria, avaritia, & ſuperbia; tres acies quas infringere debemus. Atqui dico quòd ad triumphandum feliciter de iſtis hoſtibus, debemus habere memoriam paſſionis Jeſu Chriſti: priuſquàm ingrediamur hanc militiam, induere debemus armaturam bellicam recordationis paſſio- [m Rom. 13. 14.] nis hujus, *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum* m, [n 1. Cor. 2. 2] *& hunc crucifixum* n, conſulit nobis S. Paulus. Quis enim ſe fineret abripi blanditijs & lenocinijs carnis, conſiderans *eum, virum dolorum, quaſi lepro-* [o Iſa. 53. 2. &c.] *ſum, & percuſſum à Deo & humiliatum* o? Quis ſe [p 2. Cor. 13. 11.] dederet avaritiæ, cùm iſte *Deus dilectionis* p, dederit ultimam uſque ad ſanguinis ſui guttam, ut nos eriperet è ſervitute diaboli, cui ſubjacebamus? *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavi-* [q Epheſ. 5. 2.] *tatis* q. Quis efferretur in ſuperbiam, videns quòd [r Act. 7. 2.] *Deus gloriæ* r, *ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſe-* [s Philip. 2. 7. & 8] *metipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* s? Non eſt igitur aliquid potentius ad triumphandum de univerſis conatibus hoſtium noſtrorum, & de omnibus tentationibus, memoriâ paſſionis Salvatoris. Quòd ſi fortè reperiremus ita ſanctum aſylum, ſanè tuti erimus & immunes ab omni genere tentationis. Dicamus [t Pſ. 30. 2. &c.] igitur Salvatori cum Pſalmiſta t, *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut ſalvum me facias.* Et ipſe nos ſuſcipiet ſub protectionem ſuam, ſicut ait idem Pſalmiſta, ipſum alloquens paulò poſt, *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Sed quid eſſe poteſt abſconditum in facie Dei, cùm ſit abyſſus infinita Luminis, & ſit ipſa ſua Di- [u 1. Jo. 1. 5] vinitas? *Quoniam Deus lux eſt* u. Facies Dei eſt abſcondita, id eſt, Jeſus Chriſtus eſt abſconditus in paſſione ſua: propterea in doloribus & paſſioni- [x Iſa. 45. 15.] bus ſuis, vocatur Deus abſconditus ab Iſaia x, qui ſic ipſum alloquitur, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Nam quid eſt magis abſconditum quàm Deus *ſpinis* † coronatus, clavis tere- [† Jo. 19. 2. &c.] bratus, & cruci ſuffixus? Quàm intimè eſt abſcondita Dei majeſtas in humilitate, Divinitas in cruce! Ibi ergo completur effatum Propheticum *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* Ibi Deus abſcondit ſuos ab univerſis conturbationibus, quia Juſtus virtute memoriæ paſſionis Salvatoris immunis efficitur à tentationibus, quæ ordinariè nos impetunt in decurſu vitæ, manens inconcuſſus inter omnes turbines, ut ait illi David y, *Altiſſimum* [y Pſ. 90. 9. & 10] *poſuiſti refugium tuum. Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Qui enim devotè contemplatur paſſionem Filij Dei, invenit remedium efficax & univerſale contra omnes inſultationes dæmonis, adversùs cunctas blanditias & voluptates carnis, & contra univerſas fallacias mundi. Re autem verâ quis conſentire vellet tentationi, intuens oculis animæ ſuæ hoc objectum adorabile, quod ſit objectum iræ Dei Patris ſui? *Qui etiam proprio filio non pepercit,* [z Rom. 8. 32.] *ſed pro nobis omnibus tradidit illum* z, ait S. Paulus. Et ipſemet apud Iſaiam a, *Propter ſcelus populi mei* [a Iſa. 53. 8.] *percuſſi eum.* Quis vellet acquieſcere tentationi, conſiderans Salvatorem *deſpectum, & noviſſimum* [b Iſa. 53. 3.] *virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem* b? Et quòd *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera no-* [c Iſa. 53. 4. & 5] *ſtra* c. Quis ſibi complacere vellet in rebus illicitis, videns quòd ille, *in quem deſiderant Angeli pro-* [d 1. Petr. 1. 12.] *ſpicere* d, factus eſt *opprobrium hominum & abje-* [e Pſ. 21. 7] *ctio plebis* e? Quòd ille, *qui peccatum non fecit, nec* [f 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9] *inventus eſt dolus in ore ejus* f, ſic ſeverè punitus eſt ac ſi ſceleſtiſſimus fuiſſet? *Et cum ſceleratis reputa-* [g Iſa. 53. 12.] *tus eſt* g. Heu! Auditores, ſi Dei Filius *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* h, ſic eſt [h Hebr. 7. 26.] exceptus, quomodo excipietur peccator? *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* i? Unde pu- [i Luc. 23. 31.] tatis enim quòd procederet inordinatio tanta Dominicâ præcedente, hoc tempore Bacchanaliorum, cùm homines immergebant rationem vino, indulgentes crapulæ & ebrietati, lætantes in exceſſibus immodicis, frequentantes conſortia, in quibus puritas patiebatur naufragium, & dedebant ſevitio quod maximè regnat inter omnia? quodnam erat motivum univerſarum illarum diſ- [k Jer. 12. 11.] ſolutionum? Illud appoſitè Propheta Jeremias k ediſſerit, cùm ait, *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui recogitet corde.* Cauſa omnium hujuſmodi exceſſuū erat defectus memoriæ paſſionis Salvatoris: ſi enim recordaremur dolorum, quos ipſe pro nobis pertulit, quomodo gauderemus? quo pacto voluptatibus indulgeremus & delicijs, conſiderantes quòd Pater ſuus illum *replevit amaritudinibus, inebriavit abſinthio* l [l Thren. 3. 15.] *eum*?

Jeſus Chriſtus cognoſcens utilitatem & neceſſitatem recordationis iſtius paſſionis ſuæ, de ea ſæpè loqui voluit Apoſtolis, ut illam meliùs imprimeret mentibus eorum: & ut in perpetuum conſervaret illius memoriam in eis, inſtituere voluit ſacroſanctū Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt illius memoriale, *Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquàm cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam*

Digitized by Google

meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat m. [m 1. Cor. 11.23. &c.] Ex his eſt facile viſu utilitatem & neceſſitatem memoriæ paſſionis Jeſu Chriſti. Sed progrediamur ulterius in illius utilitates.

[II. Pars.] Cogitatio paſſionis Filij Dei non ſolùm nobis ſervit ut remedium ad hoc ut non conſentiamus peccato, ut diximus, ſed etiam eſt nobis remedium efficaciſſimum ad hoc ut ab illo reſurgamus, ſi fortè ei conſenſum præbuimus. Ad hoc autem ut ab illo exeamus, ſciendum eſt quænam res ſit peccatum. David ait, illud eſſe cloacam, in quam cùm ipſe cecidiſſet, clamabat, *Infixus ſum in limo profundi* n. [n Pſ. 68.3] In hoc ſtatu manum petit auxiliatricem, quæ ipſum inde educat, *Emitte manum tuam de alto, eripe me* o. [o Pſ. 143. 7.] Atqui manus hæc ſeu iſta auxiliatio, quæ ſic abſolutè requiritur ad exeundum ex iſta fovea infortunij, non poteſt eſſe major quàm memoria paſſionis Jeſu Chriſti, quæ nos unet ei, ubi erimus in ſecuritate, ſicut ipſemet nobis pollicetur, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* p. [p Jo. 12. 32.]

Præterea, Non eſt aliquid maleficentius peccato, nihil injurioſius Deo, nec aliquid damnoſius homini, quàm ſit idem peccatum. Horremus Judam, qui poſt ſuſcepta tot à Domino ſuo beneficia, in actionem gratiarum pro tot favoribus, præ inſigni ingratitudine *abijt ad Principes Sacerdotum: & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. Qui tradidit eum* q. [q Matth. 26. 14. &c.] Abominamur Pilatum, qui decretum mortis injuſtum pronunciavit adverſus Jeſum, quem Judæis *tradidit ut crucifigeretur* r. [r Jo. 16. 16.] Deteſtamur eoſdem Judæos, qui hanc mortem huic innocenti inferendam ſategerunt, ſed mortem ignominioſiſſimam omnium in medio duorum latronum oppetendam, quaſi fuiſſet ipſe ſceleſtiſſimus illorum, *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris* s. [s Matth. 27.38. &c.] Peccatum autem totum iſtud peregit, *Traditus eſt propter delicta noſtra* t. [t Rom. 4. 25.] Hæc igitur cogitatio nos recedere faciet à peccato. Conſideremus, Auditores, Dei Filium, qui *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* u [u Jo. 19. 17. & 18] miniſtri Præſidis ad inſtantiam Judæorum: & ſciamus quòd peccatum eſt cauſa, propter quam ſic dirè exceptus eſt, & derelictus ab omnibus, excluſis S. Joanne Evangeliſtâ, Magdalenâ, & Matre ipſius mortē ipſius lamentantibus x. [x Jo. 19. 25. & 26.] Ha! peccatum eſt cauſa deſolationis iſtius: quis autem auderet illud patrare, & corda ſic innocentia affligere? S. Bernardus y [y S. Bern. Serm. de Lament. B. Virg.] introducit hanc ipſius dulciſſimam Genitricem ſic loquentem, *Aſpiciebam ego infelix & miſera Deum meum & Filium meum in cruce pendentem, & morte turpiſſimâ morientem: tantoque dolore & triſtitiâ vexabar in mente, quòd non poſſet explicari ſermone. Nec mirum: erat enim aſpectu dulcis, colloquio ſuavis, & omni converſatione benigniſſimus. Manabat namque ſanguis ejus ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno manibus pedibuſque confixis. De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis: & qui erat præ filijs hominum ſpecioſus formâ* z, [z ex Pſ. 44.3.] *videbatur omnium indecorus. Videbam quòd complebatur illud Propheticum* a [a ex Iſai. 53.2.] *in eo, Vidimus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor. Vultum enim illius iniquorum Iudæorum fœdaverat livor. Iſte erat dolor meus maximus: quia videbam me deſeri ab eo quem genueram; nec ſupererat alius, quia mihi erat unicus. Vox mea ferè perierat omnis: ſed dabam gemitus ſuſpiriaque doloris, Volebam loqui, ſed dolor verba rumpebat, quia verbum jam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris, ad ſe imperfectum revocabat dolor intimus cordis. Vox triſte ſonabat foris, vulnus denuncians mentis. Verba donabat amor, ſed raucè ſonabant, quia lingua magiſtra vocis uſum perdiderat loquendi. Videbam morientem, quem diligebat anima mea* b, [b ex Cãt. 3.3] *& tota liqueſiebam* † [† ex Cãt. 5.3] *præ doloris anguſtia. Aſpiciebat & ipſe benigniſſimo vultu me Matrem plorantem, & verbis paucis voluit me conſolari, ſed ego nullo modo conſolari potui. Flebam dicendo, & dicebam flendo, Fili mi, fili mi: væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi ut ego moriar pro te, Fili mi* c? [c ex 2. Reg. 18. 33.] *O miſera quid faciam? Moritur Filius meus: cur ſecum non moritur hæc mœſtiſſima Mater ejus. Mi Fili, Fili mi, amor unice, Fili dulciſſime, noli me derelinquere poſt te, trahe me ad teipſum, ut & ego moriar tecum. Malè ſolus morieris: moriatur tecum iſta tua Genitrix. O mors miſera noli mihi parcere, tu mihi ſola præ cunctis places, exaggera vires, trucida Matrem, Matrem cum filio perime ſimul.* Hactenus S. Bernardus. Quod nobis oſtendit, peccatum eſſe cauſam iſtius deſolationis Deiparæ, æquè ac mortis Filij ſui.

Inſuper, Peccatum habet maximam deformitatem, inquinat ſubjectum in quo reperitur, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis* d. [d Thren. 4.8] Non eſt aliquid eo deformius. Videte deformitatem illius in perſona Jeſu Chriſti patientis ſuper monte Calvariâ, *Putavimus eum quaſi leproſum* e. [e Iſa. 53. 4.] Ita deformatus erat, ut S. Bernardus f [f S. Bern. Ser. 3. de Circũciſ.] aſſerat, quòd *Pater ſi poſſet non agnoſcere Filium, in quo ei bene complacuit* g. [g ex Mat. 17.5] *ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum, inventâ in eo circumciſione* h. [h ex Luc. 2.21. & ex Levit. 12.3.] Quia ibi apparuit ut peccator, *In ſimilitudinem carnis peccati* i. [i Rom. 8 3.] Inde oculi noſtri aperiuntur ad cognoſcendam deformitatem & gravitatem peccati, & quantùm diſpliceat illud Patri æterno, cùm ipſe illud puniat tanto rigore & tanta ſeveritate in proprio Filio ſuo, qui cautam præſtiterat hominum cauſam, ſicut ipſemet Pater æternus ait, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et ipſe peccata multorum tulit* k. [k Iſa. 53. 8. & 12] Licèt ipſe eſſet *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* l. [l Hebr. 7 26.]

Ubi, ſi placet, obſervate, quòd S. Auguſtinus m [m S. Aug. in Pſal. 149. 7. & 8.] miratur, quòd Reges teneantur ut captivi catenis conſtricti, dicens, *Multi tenent ipſam nobilitatem in Chriſto, tenent regias poteſtates. Et ſic ſunt Chriſtiani. Ipſi ſunt tanquam in compedibus, & tanquam in vinculis ferreis. Unde hoc? Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes ſapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea, & non argentea? Ferrea ſunt quandiu timent; ament, & aurea erunt.* Sic amor Jeſu Chriſti mutat ferrum in aurum, cùm illi qui Deo ſerviebant cum timore, incipiunt ei famulari cum amore, contemplantes ipſius paſſionem, ubi agnoſcunt deformitatem criminum ſuorum, ut illa deteſtentur, ſi fortè in illa ceciderunt: *Certum eſt quia ubi mors Chriſti circumfertur, non poteſt regnare peccatum. Eſt enim tanta vis crucis Chriſti, ut ſi ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipſam mortem Chriſti intentis oculis aſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit invidia; ſed continuò ad ejus præſentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus*, ait Origenes n. [n Orig. l. 6. in c. 6. epiſt. ad Rom.] Ideòque peccator, agnoſce gravitatem vulnerum tuorum ex illis quæ oportet ut Deus tuus ſuſtineat, ut tibi medeatur. Peccatum conſideratum in ſe ipſo, ſic eſt abominabile, ut ipſum videre non poſſimus quin ſtatim ipſum horreamus; & ut meliùs

Vi-

videamus ejus deformitatem, debemus ipſum intueri in paſſione Jeſu Chriſti, ubi malitia ipſius clariùs aſpicitur. Unde S. Bernardus ait *o*, *Cognoſce anima mea, cognoſce, hic eſt Dominus Deus noſter, Ieſus Chriſtus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo, qui ſolus ſub Sole ſine macula inventus eſt. Et ecce cum ſceleratis quomodo reputatus eſt, & quaſi leproſus, noviſſimus virorum æſtimatus eſt* p; *& tanquam abortivum quod projicitur à vulva, ſic projectus eſt ab utero* q *matris ſuæ infelicis Synagoga. Iſte formoſus præ filijs hominum* r, *quàm deformis factus eſt. Hic vulneratus propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* s, *& factus in holocauſtum ſuaviſſimi odoris in conſpectu tuo Pater æterna gloria, ut averteres indignationem tuam à nobis* t, *ut conſedere nos ſibi faceret in cœleſtibus* u. Nuditas Filij Dei in cruce, eſt perfectum ſpeculum, quod nobis repræſentat & miſeriam noſtram, & gravitatem noſtram: corpus iſtud ſacrum, quod à Spiritu ſancto formatum fuerat in ventre B. Virginis (*Quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt* x) ſic deformatum, nobis oſtendit deformitatem animarum noſtrarum poſt peccatum: vulnera ipſius nobis manifeſtant plagas noſtras: ſicut enim cùm præſentantur multa objecta alicui ſpeculo, ſtatim in eo videntur omnes eorum ſimilitudines; ſic Jeſus Chriſtus Dominus noſter, *ſpeculum ſine macula* y, prout Deus, perfectè repræſentat Patrem ſuum, quatenus *eſt imago bonitatis illius* z. Sed prout homo in cruce, ipſe eſt figura noſtra, *In ſimilitudinem carnis peccati* a. Si autem nunc, Auditores, deſideramus intueri deplorandam miſeriam animæ noſtræ in ſtatu infortunato peccati, ſufficit ut projiciamus oculos mentis noſtræ ſuper *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* b. Cùm præ ſe ferat illius figuram: & ipſe ſic cruci ſuffixus, monet nos etiam manifeſti periculi, cui eramus expoſiti, & ſeveri ſupplicij quod imminet capiti noſtro, niſi ſatagamus exire citò ex abyſſo peccati, & in bonam emendatæ vitæ frugem nos recipere. Educamus autem punitionem peccatis noſtris debitam, ex hac comparatione. Imaginamini, Auditores, hominem ſic vehementer exacerbatum contra vos, ut modis omnibus poſſibilibus quærat vos deſtruere, & in pulverem redigere: ſic autem iratus eſt, ut, ſi cadatis in manus ejus, infallibiliter ſit vobis illaturus ruinam ad explendam rabiem ſuam, cùm ſit fortior & potentior vobis: ipſe quærit vos, ipſe perſequitur vos, ipſe circumquaque reſpicit ut poſſit vos diſcernere: & quandiu ipſe iræ ſuæ fervet impetu, ipſe obſervat quòd multi homines congregati ſic vehementer contemplantur pulchritudinem alicujus tabellæ, ut in hac contemplatione mens eorum velut extra ſe rapiatur, eò quòd ipſi intueantur eam ex omni parte abſolutam: hic inimicus ſiſtit ad eam videndam, ipſe ſpeculatur eam, in ea ipſe ſibi complacet, ipſe laudat illam, & illius intuitu in admirationem rapitur æquè ac alij circumſtantes: ſed illam contemplans attentiùs, ipſe advertit quòd hæc tabella eſt imago & ſimilitudo ſui inimici; tunc atripit eam, & illam lacerat. Admiratores ſic eximiæ pulchritudinis, & ita exquiſitæ perfectionis, quæ nullam habebat ſimilem in arte, deplorantes hunc eventum, petunt ab eo propter quid ipſe ſit ita iratus adversùs hanc tabellam: & ipſe reſpondet, ideò quia illa tabella deferat imaginem & ſimilitudinem inimici ſui: & quòd, cùm nullo modo ſuſtinere poſſit illius intuitum, propterea coactus ſit illam infringere.

o S.Bern. Serm. de Paſſ. Domin.
p ex Iſa. 53. 3. &c.
q ex Pſ. 21. 11.
r ex Pſ. 44. 3.
s ex Iſa. 53. 5.
t ex Pſ. 84. 4.
u ex Epheſ. 2. 6
x Matth. 1. 20.
y Sap. 7. 26.
z Ibid.
a Rom. 8. 3
b 1. Cor. 2. 2

Heu infelix ille! inquiunt iſti huic inimico, ſi incidat ipſe in manus tuas; cùm tantam iram exhibeas adversùs imaginem ejus, quæ in nulla re te offendit. Sicut autem dari non poteſt amplior ſatisfactio, & majus oblectamentum peccatori contrito, qui exiens è peccato ſuo, proponit ingredi viam ſalutis, quàm ut exhibeatur ipſi remedium curandæ infirmitati ſuæ opportunum: Jeſus Chriſtus patibulo crucis ſuffixus ob amorem ipſius, & propter ipſius curationem, eſt ſpectaculum peccatori, cujus eſt in ſuis criminibus ſuis induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* e ſtrictum: nec poteſt ipſi exhiberi intuendum ſpectaculũ terribilius eodem Jeſu Chriſto crucifixo. Sed quomodo? dicetis mihi. Ecce Juſtitia Patris æterni quærebat & perſequebatur circunquaque peccatorem, ut ulciſceretur injuriam ab eo ſibi illatam, ideòque puniret illum conformiter ad ſua crimina: inter inquiſitiones ſuas obvium habet Jeſum Chriſtum, qui eſt imago ſic perfecta ut ipſe dicat, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* d. Sed quia præ ſe ferebat formam peccatoris apparentis, *In ſimilitudinem carnis peccati* e, ipſemet Pater æternus ſic eſt iratus, ut ipſum damnet ad mortem crucis ignominiosè oppetendam; ipſe conterit hanc ſpecioſam imaginem, ideò duntaxat quòd habeat figuram inimici ſui, ſeu ſimilitudinem peccatoris, licèt re verâ ſit ipſe *Sanctus Sanctorum* f. Id eſt, ipſa Sanctitas, & ipſa Innocentia.

S. Bernardus *g* ait, quòd Dei Filius voluit circumcidi, ut nos faceret horrere peccatum, quia, ut iſte ſanctus Abbas dixit ſuprà, *Pater ſi poſſet non agnoſcere Filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum, inventâ in eo circumciſione* h. Heu! Auditores, tremore concutior ob conſeqnentiam, quam inde cogor educere, Quid agetur de peccatore in realitate? Quænam ſupplicia parantur ad punienda ejus crimina? Argumentamini à minori ad majus, quòd ſi Juſtitia Divina præ ſe tantum rigorem tulit ad puniendam figuram & ſimilitudinem peccatoris, quid eſt quod ipſa non faciet ad mulctandum peccatorem in realitate? *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis i.* Quale infortunium tibi, peccator miſerabilis, quòd ſis objectum juſtitiæ & iræ Dei, quòd uſque nunc cæcus fueris in deformitate criminum tuorum, nedum videres infelicitates quæ tibi imminent? En hodiernâ die viſus tibi præbetur in paſſione Jeſu Chriſti: *Ad hunc autem attentius intuere quàm grandi admiratione, & tenerrimâ compaſſione dignus appareat. Vide nudum, & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominioſa ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & poſt mortem lanceâ in latere vulneratum* k, *& copioſos ſanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum pedum & lateris effundentem. Fletus deducite oculi mei, & liqueſce anima mea igne compaſſionis ſuper contritionem amabilis viri hujus, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus*, ait S. Bernardus *l*. Ibi reperies remedium ſublevandis caſibus tuis opportunum, & conſolationem in faſtidijs tuis, ut hæc cum gaudio ſuſtineas. Et hoc eſt quod nobis ſupereſt videndum.

S. Paulus *m* nobis tribuit illud conſilium inter anguſtias quibus affligimur, ut eo utamur velut antidoto; nimirum, ut cogitemus de Jeſu Chriſto crucifixo, qui habet virtutem mitigandi omnes amaritudines noſtras, & univerſas moleſtias noſtras, immergendo eas felli & amaritudini paſſio-

e Job 41. 15.
d Matth. 17. 5.
e Rom. 8. 3.
f Dan. 9. 24.
g S. Bern. Serm. 3. de Circunciſ.
h ex Luc. 2. 21. & ex Levit. 12. 3.
i Heb. 10. 31.
k Jo. 19. 2. &c.
l S. Bern. Serm. de Paſſ. Domin.
II. Pars.
m Hebr. 12. 3.

ſionis ipſius, cùm ait, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùm ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Effectus eſt bonitatis ipſius, ut gaudia noſtra reperiamus in doloribus ipſius, & conſolationem noſtram in laboribus ipſius. Ipſe promittit etiam præ exceſſu amoris ſui, ſe futurum nobis comitem individuum, in adverſitatibus noſtris, *Cum ipſo ſum in tribulatione* n. (n Pſ. 90. 15.) Audiſtiſne unquam quòd Princeps terræ, cùm audiviſſet quòd aliquis è ſervis ſuis projectus eſſet in aliquem carcerem obſcurum, pedibus ejus æquè ac manibus ligatis, vehementi afflictione affectus ob hunc eventum deſcenderit cum eo in hujuſmodi locum fœtentem, ut conſolaretur eum præſentiâ ſuâ, & ſocius fieret illius in infortunio ſuo? Illud nunquam contigit Principibus terræ, ſed Regi cœli, qui eſt *Rex magnus ſuper omnes Deos* o, (o Pſ. 94. 3) qui nos videns detentos captivos inter vincula, oneratos faſtidijs & laboribus, voluit ipſemet præ exceſſu amoris ſeipſum collocare in vinculis, & in pœnis, ut ſocius laborum noſtrorum, conſolaretur nos præſentiâ ſuâ.

(p Sap. 9 10.) Iſte eſt favor, quem Salomon p efflagitabat à Deo, dicens ei, *Mitte illam*, id eſt, Sapientiam, *à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret.* En, Auditores, efficax medicina curandis omnibus malis noſtris accommoda in paſſione Domini noſtri Jeſû Chriſti. In hac piſcina myſtica quinque porticuum, id eſt, quinque vulnerum Salvatoris, reperimus omnimodam curationem ab univerſis malis noſtris, ſicut cùm erat *Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens: & in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum: Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & movebatur aqua: qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate* q. (q Jo. 5. 2 &c) Et idem Salvator, cùm *exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos: & adducunt ei ſurdum & mutum: & deprecabantur eum, ut imponat illi manum: & apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & expuens tetigit linguam ejus; & ſuſpiciens in cœlum, ingemuit: & ait illi, Ephphetha, quod eſt, adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus: & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè* r. (r Marc. 7 31. &c.) Sed quare Salvator ingemuit hoc in occurſu, Auditores? Eratne motivum gemendi cùm agebatur ut Dei Filius homines ſibi devinciret? Inter alias iſtius rationes, reſpondetur, quòd cùm lingua ſit ita periculoſa, & tot homines perdiderit, oportebat ut Dei Filius illam redderet huic infirmo cum gemitibus. Sed nunquid non ſatius eſſet ut hic homo fleret, qui eſt infirmus, quàm Jeſus qui eſt Medicus? Ha! Auditores, Jeſus Chriſtus impertiens aliquem favorē alicui, vult eum ſibi devincire ſicut decet, nolens ut ipſius ſanitas ipſi conſtet ſuſpirio, contentus eo quòd infirmus patiatur, & ipſe conferat ei ſanitatem: hic enim conſenſus eſt neceſſarius. Summus Pontifex nihil aliud ponit ad ima libellorum ſupplicum in curiâ Romanâ exauditorum, ſeu diplomatum, niſi, *Fiat*. Poſt hæc autem ſolvenda ſunt jura, & dandum eſt aliquid Secretario. Sed quantùm ad id quod intuetur bonum animarum noſtrarum, nos non ſubminiſtramus niſi conſenſum noſtrum, dicendo, *Fiat*. Deus autem vires nobis providet. Videmus hoc in cæco Evangelij noſtri, *Ieſus cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamavit, dicens, Ieſu Fili David miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret. Ipſe verò multò magis clamabat, Fili David, miſerere mei. Stans autem Ieſus, juſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit; Domine, ut videam. Et Ieſus dixit illi, Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum.* Eccleſia ſancta *Spiritu ſancto* s inſpirata, (s 2. Petr. 1, 21.) nobis proponebat igitur Dominicâ præcedente, die depravationis & diſſolutionis, hunc textum paſſionis Salvatoris (quem appoſitè reſumo hodie) ut nobis aperiret oculos animæ, & per hoc funeſtum vexillum nobis imprimeret juſtum horrorem peccati, quod eſt cauſa mortis ſic crudelis. Sic Ægyptij miſcebant aliàs cadavera mortuorum convivijs ſuis, ut iſtorum temperarent ardores: non enim tam Judæi mortem ſategerunt inferendam Salvatori noſtro, quàm peccata noſtra. Nunquid non, Auditores, hoc vexillum Divinum ſufficiet ad nos educendos è diſſolutionibus noſtris, ut collocet nos *in umbra juniperi* t (t 3. Reg. 19. 4.) iſtius ſpinoſæ crucis? *Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum*, ait S. Bernardus u. (u S. Bern. Serm. 5. in Feſt. omn. SS.) *Rebecca conſpecto Iſaac deſcendit de camelo*, cùm Iſaac veniret peditando *per agrum in occurſum* x (x Gen. 24. 64. & 65.) ipſius. Davidem pudet habitare in palatio cedrino, quandiu arca Domini habitat ſub pellibus, *Rex dixit ad Nathan Prophetam, Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium* y? (y 2. Reg. 7. 1. & 2.) Deſeramus igitur oblectamenta, & ſocios adhibeamus nos Salvatori qui aſcendit *Ieroſolymam ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* z. (z Matth. 20. 18. & 19.) Quomodo non pateremur aliquid animo libenti propter amorem ejus, videntes quòd ipſe tanta fecit & tulit propter amorem noſtrum? Nunquid non amaritudo fellis illius convertetur nobis in mel ſuaviſſimum? Quomodo renueremus agere pœnitentiam, cùm ipſe primus eam exercuerit, ut nobis illius exercendæ præberet exemplum, nedum ipſe eâ indigeret, qui eſt *Sanctus Dei* a? (a Marc. 1 24. & Luc. 4. 34.) Quo pacto recuſare poſſemus jejunare hoc ſacro tempore Quadrageſimæ, cùm ipſe jejunaverit *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* b? (b Matth. 4. 2) Nulla eſt ampliùs difficultas exercendorum operum pœnitentiæ: animabus enim devotis omnia convertuntur in dulcedinem virtute memoriæ paſſionis amaræ Salvatoris: propterea de ea loquitur ipſe frequenter diſcipulis ſuis, ut edoceat eos, quòd deberent in eâ reperire genus omne ſatisfactionis, & quòd illa deberet eſſe portus & refugium ipſorum inter omnes tempeſtates & turbines hujus ſeculi, & quòd in ſola illius recordatione reperienda foret quies inter labores; denique quòd ipſe eſſet veluti tabula marina, quam ipſi jugiter intueri deberent in hoc mari procelloſo, in quo navigabant, habentes eam ſemper præ oculis, ut à ſcopulis illius declinarent. Idem dico vobis ego, Auditores. Sed heu! *Et ipſi nihil horum intellexerunt.* Cæci ſumus quantùm ad iſtas veritates, quas nolumus agnoſcere, & prout impij, Dei ſapientiam damnamus impotentiæ, quaſi non habuiſſet aliud medium operandæ ſaluti noſtræ congruentius, quàm crucem & paſſionem, non intelligentes, quòd iſtud ſit opus amoris ipſius, & exceſſus miſericordiæ ipſius, non autem defectus potentiæ ipſius. Sed hæc bonitas noſtram damnat ingratitudinem, eò quòd ipſe tanta fecerit pro nobis, & quòd nos ſic exiguum, vel nihil faciamus pro illo: *Et ipſi nihil horum intellexerunt.* Hoc erat ſupremum faſtigium amoris,

mori pro homine : propterea ſapientia humana pervenire non poteſt ad hanc notitiam, concipere [c Act. 7. 2] non valens quòd *Deus gloriæ* c mori poſſet pro ſic vili creatura. Nihil intelligimus iſtius myſterij crucis, nihil videmus iſtarum veritatum, eò quòd palpebras noſtras habeamus nimis oneratas humoribus rerum terræ, qui impediunt quin intuea- [d Malac. 4. 2] mur hunc ſpecioſum Solem *juſtitiæ* d, *in meridie* e [e Cant. 1. 7] ardorum ſuorum, *Super cecidit ignis, & non viderunt* [f Pſ. 57. 9] *Solem* f. Ipſe dixerat aliàs, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus* g: En ipſe eve- [g Jo. 12. 32.] ctus ad ſummum amoris ſui apicem : & tamen peccator ſemper manet in luto criminum ſuorum. Heu quàm immodica cæcitas!

Animæ redemptæ *pretioſo ſanguine quaſi Agni im-* [h 1. Petr. 1. 19.] *maculati Chriſti & incontaminati* h, eritiſne tot beneficiorum ſuſceptorum immemores ? Nequaquam, Salvator mi : en omnes iſti Auditores mei, tibi gratias agunt pro favoribus , pro quibus tibi ſunt devincti : ideòque nolunt ampliùs vivere niſi propter te , dicentes tibi, ſicut dicebant alias Iſraëlitæ Gedeoni , *Dominare noſtri, quia liberaſti nos de manu Madian* i. Regna ſuper nos , impera [i Judic. 8. 22.] nobis cum authoritate , cùm liberaveris nos a morte, non *lagenas* k confringendo, more Gedeo- [k Judic. 7. 19. &c.] nis qui illud ſic imperaverat , ſed conterendo ſacram humanitatem tuam in prælio crucis. Propterea in actionem gratiarum pro tanto beneficio à nobis à te ſuſcepto, dignare ut tibi proponam ſupplicationem iſtam humillimam in gratiam totius iſtius populi, *Domine, ut videã*. Illumina nos impoſterùm , ut videamus in paſſione tua exceſſum amoris tui, & remedium quod nobis ibi reliquiſti curandis noſtris infirmitatibus accommodum, ſicut & ſcutum, cujus interventu declinare poſſimus ab ictibus adverſariorum noſtrorum viſibilium & inviſibilium, ut perſpicaces effecti, more cæci noſtri , laudare te poſſimus hîc , & aliquando in cœlo.

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. &c.

JEſus Chriſtus Dominus noſter , qui eſt regula noſtra infallibilis , cui conformari debemus, ſinit ſe dirigi à Spiritu Dei vivi , proprio Baptiſmi ipſius die, quia *poſt Baptiſmum nulla eſt mora à tentatione*, ut obſervat gloſſa ordinaria ; & ab eodem Spiritu ducitur in ſolitudinem , ut ibi tentetur à communi naturæ hoſte, putà dæmone ; oſtenſurus exemplis ſuis quonam pacto macetanda ſit hominis caro ; & diabolum volens ab obſidione civitatis, hoc eſt, ab expugnatione animarum noſtrarum , quarum ille ruinam indeſinenter machinatur, divertere , trahit illum in deſertum intuitu ſingularis certaminis , quod cum illo eſt initurus; & ut faciliùs glorioſum de ſuperbo hoc hoſte referat triumphum , oratione & jejunio ſe munit veluti expeditiſſimis , quibus naturæ noſtræ infenſiſſimum debellet , armis. Ter Dominum aggreditur antiquus ille hoſtis ; ſed intrepidè repellens illum Dominus valido Divini Verbi ſui gladio, illum ad fugam inducit capiendam. Ter- [† Gen. 3. 1.] ga vertit callidus ille *ſerpens* †. Et accedunt Angeli ut miniſtrent Domino ſuo , eique in neceſſitatibus ſuis ſubſerviant. Diſcamus , Auditores, expugnare dæmonem , ſub auſpicijs & vexillis Jeſu, cœleſtibus armis, ſi velimus, ut nobis cœlum noſtras Angelorum interventu ſubminiſtret neceſſitates. Sed antequàm ultrà progrediamur, ne omittamus exhibere reverentias noſtras ordinarias ſanctiſſimæ Jeſu Genitrici , & Angelorum Reginæ , dicentes ei more ſolito, *Ave Maria*.

Obſervatur & diſtinguitur ſub adorando Jeſu [a Hebr. 6. 20.] Chriſti Domini noſtri Pontificatu *a* Eccleſia triplex , Eccleſia triumphans , Eccleſia patiens, & Eccleſia militans. Prima, ſeu triumphans eſt in [b Iſa. 35. 10.] cœlo *b*. Secunda, ſeu patiens *c* eſt in purgatorio. [c Iſa. 4. 4] Tertia , nimirum militans *d* ea eſt, in qua vivi- [d Job 7. 1] mus in terra. In prima quæ eſt in cœlo , quod eſt Beatorum ſedes glorioſa , nihil eſt intueri niſi lau- [e Apoc. 5. 9. &c.] ros, coronas, palmas, atque trophæa ; nihil ibi canitur præter victorias atque triumphos *e*, quæ fortes & generoſi militiæ Dei propugnatores ſibi comparaverunt in terris, gladiorum aculeis expoſiti, pretio ſui ſanguinis, propriæque vitæ periculo, eò quòd *bonum certamen* f certaverint in caſtris [f 2. Tim. 4. 7] Religionis Catholicæ , *curſum* conſummaverint ſub vexillo crucis Chriſti, *fidem* ſervaverint illibatam pro nomine Domini ſui, pro ruina mundi, pro acquiſitione cœli , pro victoria gratiæ , & pro triumpho gloriæ quâ fruuntur , & qua potientur in æternum.

In ſecunda Eccleſia licèt nulli ſuperſint ictus porrigendi, nullaque referenda certamina, inveniuntur tamen tolerandæ pœnæ , ad expiandas culpas & negligentias commiſſas vel in ipſâ certaminum victoria, debellatis inimicis. Ibi quippe illi, qui non egerunt id omne , quod peragere poterant, etiamſi triumphum retulerint , tenentur in expiationem negligentiarum & defectuum ſuorum expectare præ maximo languore , imò verò incomprehenſibiles inter tolerantias , finem laborum ſuorum omnium , & propter hoc vocatur hæc Eccleſia, patiens. In tertia bellum inardeſcit Eccleſiâ perpetuum ac juge , in eâ eſt conflictus nunquam interruptus : Sicut enim circumquaque hoſtibus cingitur , & ab ijs obſidetur, ita nihil eſt in eâ intueri , niſi exercitus & milites; *Quid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum* g? [g Cant. 7. 1] Oculis adverſariorum ſuorum ut exercitus benè ordinatus exhibetur , *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata* h. Idcircò vocatur hæc Eccleſia, mili- [h Cant. 6. 3. & 9] tans. Eſt autem magna obſervanda differentia inter milites , qui nomen ſuum militiæ cœleſti dederunt inſcribendum , & eos , qui ſub vexillis Principum terrenorum , Regumque hujus mundi ſtipendijs militant. Licet enim ij , qui ſub vexillis Regum hujus ſeculi incedunt , eorumque militant ſtipendijs , omnes ſuas teneantur vires inſumere , ut inſultantibus in ſe reſiſtant hoſtibus , eoſque debellare & expugnare conentur, non obligantur tamen victoriam de ijs reportare, nec glorioſi de ijs referre triumphum.

Non eſt diſſitendum victoriam pendere quidem aliquo modo ex eorũ generoſitate, induſtria, & virtute, ſed non abſolute. Perſæpe enim virtus & generoſitas numero ipſi prævalent. Aliàs verò numerus ſolus virtuti & generoſitati prępõderat. Taceo

quòd ordinariè victoria pendeat è voluntate & è
i Iſai 5. 7 beneplacito *Domini exercituum* i, qui in manibus
ſuis fortunas omnium terræ Principum tenet in-
k P. 30 cluſas, ut ait ei Propheta Regius, *In manibus tuis*
16. *fortes meæ* k. Sed univerſi Eccleſiæ milites, ne vel
unico excepto, tenentur vincere in omnibus, &
ubique, cùm non ſit politum in poteſtate hoſtium
ipſorum, ut ipſos vincant, niſi ipſi proprio ho-
nori & ſuæ felicitati parùm conſulentes, ſemet-
ipſos prodant, & præ intolerabili puſillanimi-
tate arma, quibus poterant hoſtes vincere, de-
ponant, ſeque captivos efficiant voluntarios eo-
rum ipſorum, de quibus glorioſam, ſi volunt,
poſſunt reportare victoriam. Qualis nobis, Au-
ditores, gloria, ut ſimus è numero militum hujus
Eccleſiæ ſub glorioſo vexillo crucis ordinatæ; ut
ſciamus & dicere poſſimus, futurum in nobis
Chriſtum ſequentibus ut de hoſtibus glorioſum,
ſi velimus, referamus triumphum. Sed è con-
trà quo pudore & quo dedecore ſuffundemur, ſi
valentes de iis victoriam reportare, eorundem ef-
ficiamur prædæ & ſpolia, præ noſtra puſillanimita-
Diviſio. te, & perfidia inaudita. Diſcamus igitur in pro-
greſſu hujus diſcursûs Primò, Quomodo no-
bis ſit agendum, ut ſemper vincamus. Secundò,
Videamus arma, quibus nobis utendum ſit, ut co-
ronam mereamur.

I. Pars. Hiſtoria Græca ſummis extollit laudibus, &
maximè admiratur certamen Alexandri Magni
& Darii, qui ambo neminê poterant ſibi pati ſimi-
lem. Sed prævalens contra hiſtoriam Græcam hi-
ſtoria Romana, eximia decernit elogia certamini
Cæſaris cum Pompeio, quorum iſte nullum pa-
tiebatur Dominum, ille verò neminem agnoſcere
ſocium poterat. At ſi maximâ percellimur ad-
miratione, cùm exhibentur nobis profanorum
iſtorum illuſtrium Virorum certamina; non mi-
nori erimus ſtupore attoniti, conſiderantes ea, quę
nobis proponuntur in Scripturâ ſacra prælia, quo-
rum maximum eſt illud, quod initur hodiernâ
die adversùs Filium Dei à communi generis hu-
mani hoſte, nimirum dæmone, in deſerto. Ten-
tatur Jeſus, ut ſit nobis loco Mediatoris in tenta-
tionum victoria, non ſolùm auxilio ſuo, imò verò
l S. Aug. exemplo ſuo, ait S. Auguſtinus, *Ideò tentatus eſt*
in Pſ. 30. *Chriſtus ne vincatur à tentatore Chriſtianus* l. Et,
Si non tentaretur, tibi tentando magiſterium non præ-
m Idem *beret* m. Aſſerit Job n, quòd *militia eſt vita hominis*
in Pſ 60. *ſuper terram, & ſicut dies mercenarii dies ejus.* Id eſt,
n Job 7.1 velut milites qui ſemper ſunt in ſtadio. Oportet i-
gitur ut pugnemus unà cum Jeſu, & pugnemus va-
lidè more Jeſu adversùs tentationes, quarum pri-
ma victoria conſiſtit in cognitione illius, quod
nos impetit tentatione: Non multum producit
cuniculus eventilatus effectum: Sic hoſtis agnitus
& diſcoopertus facillimè à nobis ſuperabitur.
Propter eminentem igitur hunc finem circum-
quaque projiciendi ſunt oculi, & intuendum eſt
unde veniat tentatio, quò vadat, qualis ſit illius
radix, quis curſus ejus, quis progreſſus ipſius, &
quænam potentia, quam ſibi adversùs nos intendat
conciliare: *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennato-*
o Prov. 1. *rum* o. Qui habent oculos, quibus videant; &
17. alas quibus volent, omnes derident venatorum
laqueos.

Quædam ſunt tentationes jucundæ, alacres, &
ridentes in principio, ſed quæ terminantur ad in-
gentes turbines, ut ſunt tentationes (ſi curſum ſe-
qui velitis Evangelii hodierni) gulæ. Infelix pri-
ma mater Eva intuetur fructum ſibi a Deo prohi-
bitum, perpenditque illum eſſe jucundum intui-
tu, unde ipſa infert, eum debere eſſe guſtu dele-
ctabilem, *Vidit mulier quòd lignum eſſet pulchrum*
oculis, aſpectuque delectabile p. Ecce tentatur ipſa. p Gen. 3.
Captat inde occaſionem *Serpens*, inſinuat ipſi pol- 6. &c.
licetur commoda inde proventura, ſi ex eo come-
derit: *Cur præcepit vobis Deus? Nequaquam morte*
moriemini. Scit enim Deus quòd in quocumque die
comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis
ſicut Dii, ſcientes bonum & malum. Ecce inducitur
ipſa in tentationem, id eſt, tentationi conſentit &
porrectum ſibi a ſerpente fructum comedit, *Et tu-*
lit de fructu illius, & comedit. Sed quid accidit in-
felici huic primæ genitrici? Statim in brutorum
numero collocatur q, imò verò conditione ju- q Pſ. 48
mentorum ſe longè intuetur inferiorem, cum 13. & 21.
peccatum committit, quod nunquam animalia
rationis experta perpetrarunt. Multos, qui et-
jam multo plures quam par ſit, depravatis his
temporibus intuemur homines infortunatæ hujus
primæ novercæ natura ſequi & guiam mutantes. Præ-
cepit Deus hac ſacra Quadrageſimæ tempeſtate,
ſuo peccati noxa lethifera, abſtinentiam a quibuſ-
dam cibis, & jejunium, dummodo quis ratione æ-
tatis vel nondum ſatis, vel nimis provectæ, aut in-
firmitatis, aut laboris, aut jejunio non ſociabilium
aliarum functionum neceſſariarum, ab his obliga-
tionibus, ſalva tamen ſemper Paſtorum Eccleſiæ,
quæ peti debeat, venia, non diſpenſetur: Videt
quis guloſus lautum aliquem cibum, tentatione
ſtatim perſentitur, cibus iſte guloſi famem vel ſolo
acuit intuitu, moroſe delectatur ipſe in conſidera-
tione cibi illius illiciti, prohibet tamen Deus illius
uſum tibi, cum iſtico adeſt diabolus, aut ex con-
ſiliis illius quis dicens: *Cur præcepit vobis Deus ut non*
comederetis? Quare prohibuit tibi Deus uſum iſtius
cibi? Authoritates Scripturæ afferet in contra-
rium; *Nequaquam morte moriemini.* Tempore Pa-
ſchatis adveniente, confitenti tibi, Confeſſario
tuo, cum triplici *meâ culpa*, hæc noxa, ſi quæ ſit, re-
laxabitur. Comede ex eo ſine ullo timore: Nihil
eſt magis deliciis ſenſuum inſerviens, quam vi-
tam agere, cum ſeſe offert occaſio opportuna. Sed
quid accidit ut plurimum, cum nimis quam par ſit,
vitæ agendæ indulgetur? Abbreviatur vita præ
exceſſibus diſſolutionum, ſive diſſipando commo-
da, quæ deſiciunt pro ſuſtentanda hac vita, eò quod
in profuſiones ſunt impenſa. Deſtruitur ſanitas præ
nimia *crapula & ebrietate* r. Oriuntur rixæ ex ni- r Luc. 21
mia concordia prævia. Vino immergitur ratio, 34.
cum propinando petitur ut ſibi fiat ratio. Illique,
quibus honor defertur, ut poſſint accedere ad
menſam s & cibum *Angelorum* t, efficiuntur bru- s Jo. 6. 51
ta, quin & pejores animalibus, quippe quæ nun- t Pſ. 77
quam Dei leges ſint tranſgreſſa. 25.

Hujus generis ſunt etiam tentationes volupta-
tis & amoris profani; illæ quippe incipiunt a ful-
guribus ſplendentibus, & terminantur ad toni-
trua. Voluptates ſeculi rident ſecundùm apparen-
tiam exteriorem, & realiter mordent. Sicut au-
tem uſus illarum eſt illicitus, ita oportet ut ipſas
mors neceſſariò ſequatur u. Ecce ſe vobis offert u Ezech.
tentatio carnalis, nihil eſt eâ ſuavius, nihil magis 18. 4.
alliciens. Sed quid accidit? Si quis in ea paulu-
lùm immoretur, ſi quis in eâ ſibi complaceat, à de-
lectatione progreditur ad affectus inhoneſtos, ad
amores profanos & pravos, ad rabiem tandem,
ad furorem, ad deſperationem.

Apprimè æquiparatur voluptas à S. Auguſtino x S. Aug.
x piſcatori, qui eſcam piſci præſentat, ſed hamus l. de A-
intus eſt abſconditus. Ad oblatam accurrit piſcis gone
eſcam, lætatur, ludit, exultat; ſed inter ludendum Chriſt. c.
7.

capitur,& vitam amittit; *Gaudet & piſcis,quando hamum non videns,eſcam devorat. Sed cùm piſcator eum educere cœperit, viſcera ejus torquentur primò. Deinde ab omni lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua lætatus eſt,ad conſumptionem trahitur: Sic ſunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos ſe eſſe putant; hamum enim acceperunt, & cum illo ſibi vagantur.* Nolite exiſtimare hominem beatum in iniquitate, undequaque ortum illa ſumpſerit, ille ſiquidem eſt veluti piſcis, qui in eſca ſua gaudet & exultat; ſed cùm jam habeat hamum in faucibus, ſe vitâ gaudere putat, cùm mortem in ſinu ſuo jam teneat. Idem dicendum eſt de omnibus, qui infamibus voluptatis illicitæ indulgent exercitijs. Tota ratio ſita eſt in notitia hujus tentationis: *Uniuſcujuſque rei finem ante initium conſidera*, ait

y Nilus c. 30. Parænet.

Nilus y. Certo enim certius eſt, eum, qui benè intuebitur exitum actionis pravæ, eam nunquam ſuſcepturum. Non tam eſt inſpicienda tentationis importunitas, quàm perpendanda ea, quæ ex ipſius victoria nobis provenit,corona.

Idem prorſus dicendum eſt de tentationibus vanæ gloriæ,& ambitionis. Seminantur venti,& fumus;& metuntur turbines, ac colliguntur tempeſtates. Incipiunt illæ à fumo, & terminantur

z Iſa. 14. 12. &c.

ad ignes & ad flammas. Exemplum Luciferi z nimis eſt horrendum, & tamen illius imitatio nimis eſt familiaris apud homines, qui velut alij Icari & Phaëtontes ſupra captum ſuum exaltantur,

Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Hæ omnes ſeculi hujus ſortes ac fortunæ ſunt veluti ſpecioſæ ac proceræ arbores, quæ majorem perſæpè præbent anſam ſuîipſarum percutiendarum;majuſque præciſæ igni, quem foveant,alimentum ſubminiſtrant. Si ritè agnoſceretur qualis ſit tentatio vanitatis, nunquam ejus auræ quis incumberet captandæ;nam intueretur, illam efficere ut conſcendamus,uſque ad ſummum magnitudinis faſtigium & apicem, gradum unum poſt alterum; eamque primum deſtruere gradum ſtatim ac illum aſcendimus, & ſic ubi ſurſum evecti ſumus, ſolum nobis ſupereſſe præcipitium, quò deſcendamus. Exempla tragica, quæ quotidie noſtris ſubjiciuntur oculis, deberent incutere nobis horrorem imitationis ipſorum,cùm videamus eos,qui eò uſque perducuntur,fortunam ſortiri ſimilem ei,quæ accidit Simoni Mago, qui coram S. Petro volare præſumpſit,& plantas amiſit, eò quòd temerè pennas aſſumpſiſſet volandi ergo.

Idem judicium ferendum de tentationibus avaritiæ, quæ incipiunt à divitijs, & terminantur ad paupertatem. Apparenter debent conſtituere reges,& realiter faciunt captivos. Bonam fortunam pollicentur,& effectivè nihil præter infortunium impertiuntur. Spiritus autem mendacij, *&*

a Jo. 8. 44.

pater ejus a, non poteſt tamen quin aperiat hanc veritatem,omnia offert,omnia pollicetur. Ridiculã liberalitatem ſpiritûs illius nequã, qui offert id,quod non habet, & promittit id, quod ipſius non eſt traditum poteſtati,ut illud largiatur! Vult omnia dæmon præbere, cùm nihilum tamen ſit ipſius portio. Omnia mundi offert regna, cùm ipſe miſer ſit nihilominùs inferorum captivus. Sed intuemini quâcum hæc omnia dare intendit conditione; *Hæc omnia tibi dabo,ſi cadens adoraveris me.* Infringendæ ſunt nobis cervices, ut bonam mereamur fortunam. Infringite vobis, ſi placet, cervices veſtras,& tunc illa omnia ſanè præclaro vobis futura ſunt commodo. Ecce qualis ſit modus procedendi,quem obſervat avarus, divitias per fas perque nefas congregat, non ut eas poſſideat, ſed ut ab ijs poſſideatur, earumque captivus efficiatur; non ut eis dominetur,ſed ut illę ipſi dominentur. Videte quantâ ſolicitudine commodis ſuis invigilet, quâ reverentiâ procedat adversùs argentum ſuum ac aurum,quæ veneratur quaſi idola; ea intuetur,ea adorat,mortemque potius eligit,quam ea offendat, nedum ea ſi ſummodo tangat.

Sufficit igitur ut benè agnoſcamus hanc ſpeciem tentationis. Sed quid agendum eſt? Offertur occaſio lucrandorum centum nummorum; ſed expediendæ ſunt hæ litteræ (licèt contra jus) Domine Judex, Domine Tabellio, &c. Præſto ſunt nummi aurei, Domina mea, imò pretioſa & exquiſitiſſima munera, ſed *ſi cadens adoraveris me*, peragẽdus eſt ſaltus, proſtituenda eſt anima tua. Si veluti mercaturam exercetis,& propoſuiſtis vobis nũdinas veſtras claudere,licemini merces veſtras; licitare id,quod intenditis vendere, ei qui pretij augmentum ad ſummum pro ijs vobis eſt conceſſurus. Ecce præſto eſt dæmon,qui offert vobis *omnia regna mundi,& gloriam eorum*, eâ conditione ſolâ interpoſitâ,ut genua flectatis ante ipſum, *Si cadens adoraveris me*, ut animas veſtras profligetis. Sed audite: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua* b? Unde licet vobis inferre victoriam tentationis dependere à cognitione. Eſt ferè viciſſe hoſtem, ac eum cognoviſſe. b Matth. 16. 26.

Quicumque pugnant contra hoſtes ſuos, ſoliti ſunt, quæ ſunt adverſariorum ſuorum vires & induſtriæ, perpendere,ut diſponant arma idonea, quibus eos vincant atque debellent. Eundem obſervat Satan procedendi modum; deſcenſurus in arenam, & certamen ſingulare initurus cum Chriſto, ſita metatur arma, quæ conformia exiſtimat viribus illius, quem intendit expugnare; rudemque adversùs illum conflictum ſuſcipit armis vanitatis, ſuperbiæ, & ambitionis, quorum ultima ita valida erant,ut illis nemo præter Deum reſiſtere potuiſſet. Primò, Quia propter ambitionem diabolus è cœlo deturbatus fuerat †. Secundò, Quoniam ob ambitionem,primi paradiſi terreſtris incolæ ab eo exulaverant *. Tertiò, Eò quòd ambitio potentior eſſet amore; quia amor utpote terrenus, & corporeæ concretioni immiſtus, ſatiari poteſt; ambitio verò, quia terrigenæ molis expers, & ſpiritualis nullo valet expleri modo. Hæc ipſa eſt, quæ efficit ut gemat Alexander Magnus, audiens ab eximio Philoſopho (licèt hunc ipſe mundum deviciſſet univerſum) alios ſibi plures ſuperfuiſſe debellandos,de quibus tamen nullam eſſet victoriam relaturus; Unde dictum eſt de eo: *Unus invenitur, qui præter omnia aliquid concupiſceret.* Et,

II. Pars.

† Iſa. 14. 12. &c.

* Gen. 3. 5. &c.

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis †.

† Juvenal. Sat. 10. citat. à Calep. in Dictiõ. V. Pellæus.

Quartò, Quandoquidem ambitio eſt origo vitiorum omnium,ut ait ſanctus Bernardus r, *Cupiditas radix iniquitatis, ambitio ſubtile malum, peſtis occulta, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea*

r S. Bern. Serm. 6. in Ps. Qui habitat.

tinea Sanctitatis, & excæcatrix cordium. Et Cicero d; *Facillimè impellitur ad res injuſtas, qui gloriæ cupidus eſt.* Hanc experta fuit veritatem Agrippina Neronis Mater, quæ cùm didiciſſet ab Oraculo filium ſuum fore quidem Imperatorem, ſed eum ipſi vitam erepturum, injuſtæ ſuæ conſenſit morti, dicens, *Occidat, modò imperet.*

d Cic. lib. 1. de officiis, citatus in Polyanth.

Ita inſumit diabolus artificia, ut armis ſuis tribuat pondus. Primò enim Jeſum aggreditur in deſerto, in quo alias primam genitricem noſtram Evam vicerat. Secundò, Ad illum accedit jejunio *quadraginta* dierum & totidem noctium maceratum. Catilina conabatur agnoſcere ſubditorum ſuorum propenſiones, eiſque ſatisfaciebat juxta ſingulorum affectus & inclinationes; lubricis offerebat ſcorta, avaris autem divitias: Ita diabolus longè callidior intuitus Chriſtum longo tempore permanſiſſe jejunium, *lapides* illi offert, quos in panem convertat. Tertiò, *Receſſit ad tempus* e, ne militares ſubminiſtrare videretur ei induſtrias. Prohibuit Lycurgus Lacedæmonis ne dimicarent, veritus ne militaribus exerciti muniis, rebellionem aliquando formarent adversùs ipſum. Sed cùm ad tempus Lacedæmone diſceſſiſſet, Ageſilaus illi bellum indixit, eoſque milites effecit ſtrenuiſſimos. Holandi verò dimicantes cum Hiſpanis, mirum in modum evaſerunt armis commendabiles; à quibus magna pars Nobilitatis noſtræ Gallicæ ex occaſione non parum didicit mediis in conflictibus inter hanc utramque nationem frequentiſſimis.

e Luc. 4. 13

Arma, quibus utitur Jeſus Chriſtus adversùs hoſtem ſuum diabolum, quorum ſubſidium, exemplo Ducis noſtri allecti debemus inſumere, cùm ſeſe obtulerit occaſio dimicandi contra hunc adverſarium, quieti noſtræ, & æternæ felicitati noſtræ infenſiſſimum, ſunt humilitas, ſolitudo cordis, jejunium, oratio, & Verbum Divinum. Voluptate ſeu recreatione perfuſuri Alexandrum Magnum è militibus ipſius duo egerunt alter perſonam Darii, alter verò perſonam Alexandri, & veluti funeſto augurio voluerunt ex iſto ſingulari certamine educere bonam ipſorum ſortem, & fauſtum felicemque belli ſucceſſum. Qui perſonam Darii Regis agebat, cataphractus in locum pergit aſſignatum, armis validis æquè ac prædivitibus inſtructus ac refulgens. Qui verò perſonam ac vices repræſentabat Alexandri Magni, apparet roſis opertus, corbem pro armis deferens floribus repletum, dimicaturus cum hoſte, qui ipſum expectabat intrepidus. Tunc ementitus Darius irâ excandeſcens, ratus irrideri ſe ab adverſario ſuo talibus armis inſtructo, incipit gladium diſtringere, & iterùm atque iterùm repetitis enſis ſui ictibus aërem tranſverberare, & veluti perforare. Quod falſus Alexander intuitus, florum manipulos in oculos illius injiciens, eripuit illi ſenſum, terram, & adverſarii ſui intuitum, & ſubitò in illum inſurgens, abſtulit ab eo enſem, & effecit induſtriâ ſua, ut ille propriam vitam, quæ tunc ipſi eripi poterat, ab ipſo expoſceret. Admiratione percitus verus Alexander præ novitate rei inſolitæ & inauditæ, ad ſe vocavit militem, qui perſonam ipſius egerat, & ab eo hujus rationem poſtulavit commenti. Cui ille reſpondit; Domine mi Rex, hoc innuit, majeſtatem tuam quaſi ludendo certamina reportare, neque vel dignari ipſum enſem deſtringere ut glorioſum de hoſtibus referat triumphum. Sed id quod Aulicus iſte dicebat Alexandro Magno adulatus; præ maximâ dicere poſſumus nos veritate de Jeſu Chriſto Domino noſtro adversùs diabolum hoſtem humano generi infenſiſſimum: Chriſtus enim Satanam devicturus, ſolam adhibet humilitatem: Quia cùm poſſet illum in ſubterranea inferorum ergaſtula præ ingenti dedecore procul amandare, illum tamen præ ſummâ humilitate ſecum patitur dimicantem. Exemplo autem Ducis noſtri invincibilis inhærentes, adverſario noſtro nobis inſidias molienti, & pro viribus, quantum in ipſo eſt, ruinam noſtram & exitium noſtrum machinanti, humilitate debemus reſiſtere; jam ſemivictus eſt; victoria de illo tunc nobis erit relatu facilis, & tamen utilis valdè, & maximè glorioſa, cùm certum ſit victoriam tentationis eſſe infallibilem adoptionis notam f.

f Apoc. 3. 21

Quod verò ſpectat ad ſolitudinem, commendatur illa nobis in textu Evangelii hodierni, ubi verbis iſtis, *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu*, ſubdit Gloſſa ordinaria, *Poſt Baptiſmum, quia nulla eſt mora à tentatione: ut doceat mox baptizatos de mundo exire, in quiete Deo vacare; Sic filij Iſrael poſt tranſitum maris per deſertum aſcendunt, & manna comedunt* g, *donec veniant ad terram promiſſionis.* Et ſtatim hanc rationem elucidat, dicens: *Hic eſt ordo rectæ converſationis, ut poſt acceptam Spiritus ſancti gratiam, contra Diabolum arctiùs accingamur, & mente ſeculum deſerentes in vita æterna gaudia quaſi manna eſuriamus deſerti.* Præterea, Exhibetur nobis hæc ſolitudo colenda exemplo Chriſti Jeſu, qui eſt regula noſtra infallibilis, cujus ordinaria habitatio fuit ſolitudo. Complacebat quippe ipſe ſibi ut eſſet ſolus, quò poſſet ipſe honorare magnitudinem ſuam æternam, in quâ *ſolus* h ipſe eſt Deus cum Patre & Spiritu ſancto; & humanitùs loquendo, ut majori potiretur libertate, quâ cum Patre ſuo æterno de omnibus negotiis ipſius gloriam, & æternam ſalutem noſtram ſpectantibus tractaret, iiſque ſedulò ſolitarius ſine ullo obſtaculo externo incumberet, & veluti ſpecialiùs circa omnia, quæ nos intuentur, conſilium iniret i. Noſtra quippe erant hæc negotia, & ſola negotia, quibus in mundum veniens totis erat ſuis invigilaturus viribus k.

g ex Exod. 16. 17. &c.

h Deut. 32. 39

i Luc. 6, 12

k Luc. 2, 49

Sed non eſt diffitendum, Chriſtum præbere nobis admirationis anſam conſiderantibus, quòd cùm ipſe triginta tribus annis in hoc mundo fuerit commoratus, triginta primis vitam abſconditam duxerit, quâ *erat ſubditus* k parentibus ſuis in civitate Nazareth, & vix circa trigeſimum apparuerit, & fuerit manifeſtatus, cùm dicat Eccleſiaſticus, *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus: quæ utilitas in utriſque* l? Et noſter Evangeliſta m, quòd lucerna *ſub modio* poſita demereatur, eò quòd lumine ſuo neminem perfundat; cùm virtus ignorata bonum ſit infœcundum; propalata verò, admirationem ſibi conciliet, æquè ac amorem. Siccine ergo Chriſtus, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* n, manſit abſconditus poſt nativitatem ſuam o, & reliquum ætatis ſuæ tempus, uſque ad annum trigeſimum, cùm ipſe ſit *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* p? Ha! Auditores, Rationem hujus diuturnæ ſolitudinis à Chriſto Jeſu Domino noſtro exercitæ intueor. Cùm univerſas in domo ſuâ Nazareth inveniret delicias, eas alibi inveſtigare recuſabat, cùm ibi

k Luc. 2, 51

l Eccli. 20. 32

m Matth. 5. 16

n Coloſſ. 2. 3. & 9

o Luc. 2. 7

p Joan. 1. 9

habens ſanctiſſimam Genitricem ſuam vice illuſtris academiæ aut athænei, ſacra hæc Deipara foret ipſi veluti encyclopedia, quâ majorem nullibi eruditionem aut cognitionem ipſo condignam poſſet deprehendere. Ecce ratio, propter quam tanto Chriſtus ſtudio, & tam ingenti ſolicitudine coluit ſolitudinem. Sed altera ratio in promptu eſt, nimirum; Quòd Magiſter noſter Chriſtus omnium dogmatum ſuorum difficillimum ſuadere volens nobis primum, nempe colendæ ſolitudinis, annos triginta, aliis autem quamplurimis tres ſolos aſſignat; eò quòd quicumque in academiâ Chriſti, hanc doctrinam, quam in eâ edoctus fuerat S. Bernardus q, *Ama neſciri*, didicerit, facilè cætera edocebitur. Dominus noſter igitur triginta annis continuis nihil nos docuit niſi ſolitudinem. Heu! Quàm mali diſcipuli ſumus Divini illius Magiſtri: quàm malè profecimus in cœleſti ipſius ſcholâ; quaſi verò nos qui Chriſtianam profitemur Religionem, & qui pro certo ac infallibili tenemus Deum noſtrum, qui ubique eſt præ potentiâ, eſſentiâ, & præſentiâ r, à nobis nunquam abeſſe, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* ſ, majorem non habeamus anſam dicendi, quàm ille Ethnicus, *Nunquam minùs ſolus, quàm cùm ſolus*: cùm indeſinenter ſuaviſſimâ potiamur Jeſu Chriſti Domini noſtri, ſanctiſſimæque Genitricis ipſius Virginis Mariæ ſocietate. Tali namque conſortio cùm interſimus, nihil malè loqui ſeu agere poſſumus; cùm ſimus in ſcholâ omnium mirabilium; Maria quippe eſt officina Spiritus ſancti; & cum Verbo Divino, cum Deo, qui *intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat* t: *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere* u.

q S. Bern. ſerm. 3. in Nativit. Dom.
r Jer. 23. 24
ſ Act. 17. 28
t Jacob. 1. 13
u 1. Cor. 10. 13

Quoad jejunium verò, ſciendum eſt illud eſſe cibum virtutis, viaticum ſanctitatis Chriſtianæ, ita ut ſatagere debeamus caſtiganda jejuniis corpora noſtra, ut animæ noſtræ virtutibus ſacris impinguentur, juxta votum Prophetæ x canentis, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Sobrietas eſt origo fœcunda, quæ virtutes irrigat. Anima & corpus ſunt veluti duæ ſtateræ lances, ſi alteram deprimatis, alteram elevabitis: ſi carnem maceretis, dominabitur Spiritus. Sed jejunium iſtud debet eſſe duplex: Si corpus jejunet in nobis abſtinentiâ cibi, oportet etiam ut jejunet ſpiritus abſtinentiâ vitii. Macerare enim corpus, & fovere affectus pravos, eſt jejunare more dæmonum, qui nihil comedunt ex naturâ ſuâ, cùm ſint ſpiritus, ſed unumquemque devorant tabie malitiæ ſuæ, *Quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* y. Tandem Eccleſia id clare oſtendit, dicens Deo: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.*

x Pſ. 62. 6
y 1. Petr. 5. 8

Oratio etiam eſt gladius validus, quo inimicos noſtros debellemus, eorumque tentationes efficiamus irritas. Ecce ſalutare & præſentiſſimum remedium, quod Magiſter noſter ſuis præſcripſit diſcipulis; *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* z. Et David Deum benedicebat, eò quòd ſibi non eripuiſſet orationis remedium a; *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam à me.* Si autem oratio poteſtate viget placandæ Divinæ iræ, quomodo furori & rabiei dæmonis non reſiſtet? Ait Dominus iratus ſervo ſuo Moyſi; *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos* b. Sine, Moyſes, ut puniam hunc populum rebellem, deſine mihi preces offerre in gratiam ejus; non enim poſſum eum punire, quandiu pro illo apud me interceſſeris.

z Matth. 26. 41
a Pſ. 65. 9
b Exod. 32. 10

Authoritas tandem Verbi Divini nobis valdè utilis eſt, ſtatim ac ſeſe nobis offert tentatio, quæ nos ſolicitet ad peccatum perpetrandum. Ad quòd? Concupiſcentiæ? Sed Deus dixit: *Non concupiſces* c. Ad quod? Furti? *Veritas* d autem infallibilis ait; *Non furtum facies.* Ad quod? Adulterii? Puritas e ipſa inquit; *Non mœchaberis.* Ad quod? Vindictæ? *Deus ultionum* f eam ſibi reſervat; *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus* g. Ad quod? Gulæ? Chriſtus hodie ait dæmoni: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei.* Deus vetat, dæmon ſolicitat. Deus prohibet, & contemnitur: Dæmon perſuadet, & auditur.

c Exod. 20. 16. &c.
d Joan 14. 6
e Marc. 1. 24
f Pſ. 93. 1
g Rom. 12. 19. & ex Hebr. 10. 30. & ex Deut. 32. 35.

Addo tandem ad complementum totius iſtius diſcurſus, fugam occaſionis eſſe peccati ipſius interitum, ſicut occaſio eſt ejuſdem funeſta parens. In paradiſo terreſtri unica duntaxat erat occaſio offendendæ ſupremæ Dei majeſtatis, nimirum comeſtio fructus arboris *ſcientiæ boni & mali* h. Hæc ſola occaſio noſtris viam aperuit Protoplaſtis ad tranſgrediendum Divinū mandatum inobedientiâ ſuâ i, quæ ſequelâ lethiferâ poſt ſe ſcelera & culpas traxit hominum ſeculorum omnium k. Non ſufficit ut declinet quis a malo, ſed prætereà requiritur ut diſcedat ab occaſionibus ad ipſum malum inducentibus. Conformiter ad hoc, Quæritur, Quare hæc *Stella* l mirabilis, quæ duxit Magos ab Oriente ad intuitum illius, qui *viſitavit nos, Oriens ex alto* m, ſtatim ac Magi ingrediuntur Jeroſolymam, ipſa ſe abſcondit, & non amplius videtur; *antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat Puer.* Reſpondetur, piè credendum, Illam Stellam fuiſſe Angelū, qui veluti puer honorarius datus fuiſſet Chriſto, qui eſt ſummus *Rex gloriæ* n, a Patre ipſius æterno, ne infans iſte *Filius* o Dei unicus, *Lumen de Lumine* p, habitus eſſet ut homo vilis & infimæ conditionis, ut curſor nocturnus, & otioſus, ac nequam, ſi medias inter tenebras ſine prævio inceſſiſſet lumine: & hunc puerum honorarium veluti fuiſſe miſſum, ut Magis procederet obvius, in gratiam hujus Regis recenter nati ipſis manifeſtandi. Accedit igitur ille Jeſu famulus Jeroſolymam veluti facie opertâ per regionem quaſi hoſtilem incedendo, quia *Magi per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Quaſi verò ſapientes illi Reges didiciſſent ab illâ Stellâ ſuâ duce, diſcedere Jeroſolymis, ubi illam adverterant evanuiſſe; cùm ne in cœlo quidem ab impio Rege Herode ſecura ſibi videretur, nec tuta.

h Gen. 2. 17
i Gen. 3. 6
k Rom. 5. 12
l Matth. 2. 9. &c.
m Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12
n Pſ. 23. 7
o Pſ. 2. 7
p Eccleſia ex Joan. 1. 9. & 3. 19

Heu! Quòcumq; ſe vertat quis, in quamcumque partem inclinetur, ibi ſemper inveniet unde timeat ne in peccatum labatur, & in offenſam Dei. Lucifer peccavit in *cœlo* †, Protoplaſtus Adam deliquit in paradiſo terreſtri. Unica vel abſentia, defectus præſentiæ exhibendæ loco ſeu tempori aſſignato, ſola vel apparentia æquo frigidior, ſolum vel ſilentium, labor exilis, exigua diverſio infinitos ſæpè inimici laqueos fecerunt irritos: unica araneæ tela, fortiſſimum erit caſtitati tutandæ aliquando munimentum, cui alias Semiramidis mœnia non erunt ſatis.

† Iſai. 14. 12. &c.

Quippe, jubente Deo, dum nevet aranea telam;
Tela putabatur, murus ahenus erat.

Univerſa Deus ſummâ ſuâ gubernat providentiâ q. Bona verò voluntas, quæ cum auxilio gratiæ ipſius

q Sap. 8. 1

Google

ipſius ſufficientiæ, quæ nulli unquam deeſt *r*, cooperatur *ſ*, ſecura eſt in periculis quibuslibet, & medias inter flammas perſeverat inviolata *t*. Sed tandem ſuppono adeſſe hoſtem, cum quo jam jam ſit ineundum certamen ſingulare. Non ſunt modò vertenda terga; dimicandum eſt intrepidè ac fortiter; nullus ſupereſt conſulendæ fugæ locus. Numquid oportet habere pedes cervinos? Quin potius cor leoninum? & præclara Franciæ noſtræ inſignia præferre? *Adverſis clariùs ardet.* Vel ſaltem iſta, *Tu ne cede malis, ſed contra audentius ito.*

r Hebr. 12. 19
ſ 1. Cor. 15. 10
t Hebr. 11. 33

Qualis honor nobis proveniret, ſi ad primum cujuslibet obvii criminis occurſum arma deponeremus! Ha! Quid non faciunt Politici, milites, & Duces exercitus, quibus commiſſa eſt civitas aliqua, vel arx cuſtodienda? Perduci ſe ad ultimos uſque ſinunt terminos, antequàm civitatem illam, vel arcem hoſtibus tradant. Aculeis ſe quippe enſium & haſtarum, & tormentorum bellicorum exponunt; non flammam, non ignes, imò nec ipſam mortem metuunt; quin etiam aliquando ad inferos non verentur deſcendere, antequam terga vertant, & Ducem ſuum deſerant. Ubi autem eſt noſter Chriſtianiſmus, niſi fidelitatis noſtræ ac magnanimitatis generoſas Deo exhibeamus notas? Tot Martyres ignibus ſunt combuſti, ne vel unicum verbum proferrent malum. Tot Virgines ſanguinem fuderunt, ne vel ullum ſignum pravum exhiberent. *Scribet manu ſuâ, Domini ſum,* ait Iſaias *u*. Auditores, præbete mihi atramentum, ut ſignem hanc veritatem. Ha! Sanguine meo intendo eam obfirmare, quia Chriſtus totum ſuum fudit *x*, ut daret mihi gratiam ſuam, & conſequenter gloriam ſuam.

u Iſai. 44. 5
x Apoc. 1. 5

FERIA II. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ; & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Matth. 25. 31. &c.

EXigit id fides Chriſtiana, quam profitemur, præterquàm quòd ſola hoc humana evincie ratio, non priùs animam rationalem à corpore ſeparatam eſſe, cùm ſtatim præſentari tenetur ante tribunal Dei, ut recipiat ibi præteritæ ſuæ vitæ judicium. Ille quippe ſtatus eſt, qui certaminibus imponens noſtris limites, debet aut ſuppliciis puniri, aut beari coronis, juxta puſillanimitatem, aut generoſitatem, quam media inter illa præ nobis tulerimus certamina. Hæc eſt clauſula computi *a*, per quem oſtenditur cujuſnam rei ſimus creditores, aut debitores. Hic eſt veſper diei noſtræ, quo fit æſtimatio laboris noſtri, ut conveniens ei merces impendatur *b*. Hoc tandem tempus eſt, quo determinatur de vitâ æternâ, vel de morte æternùm miſerandâ. Sed poſt judicium hoc particulare, docet nos ipſa fides, futurum alterum generale, in quo omnes homines cum corporibus ſuis reſuſcitatis manifeſtabuntur *ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum* c. Decretum eſt hoc invariabile. Nemo ambigit quin illud ſit futurum; ſed nullus eſt qui ſciat illius hôram, vel momentum *d*. Heu! Quid terribilius & magis formidandum certitudine hujus judicii inter incertitudinem horæ illius, vitæ noſtræ, & conſcientiæ propriæ? Deus meus, qui poſtquàm fueris *Ieſus* e meus, debes eſſe *Iudex* f meus die illo horrendo, quo aſtra palleſcent ante faciem tuam *g*, & univerſa orbis hujus machina ſub tuis contremiſcet greſſibus; præ timore funeſtorum effectuum hujus ſeveræ juſtitiæ, vita mea foret impoſterùm omnimoda deſperatio, niſi intuerer juxta te omnipotentem Advocatam, ſanctam intelligo Genitricem tuam *h* ſimul & miſericordiæ, quæ mihi proculdubio eam eſt a te impetratura, ſi priùs ei dixero cum Angelo, *Ave Maria.*

a Luc. 16. 2
b Matth. 20. 8
c 2. Cor. 5. 10
d Marc. 13 32
e Luc. 2. 21
f Act. 10. 42
g Matth. 24. 29. &c
h Matth. 1. 25

Inter varios, quos aſſignamus Chriſto, titulos, ſecundùm diverſa munia, quibus erga nos functus eſt, tres obſervo ſpeciali dignos conſideratione, nimirum Sacerdotis, Regis, & Judicis. Titulum Sacerdotis, *Tu es Sacerdos in æternum* i. Titulum Regis, *Ubi eſt qui natus eſt Rex* k? Titulum verò Judicis, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ.* Officia, quæ exercuit ipſe variis temporibus, & diverſis modis. Munia Sacerdotis obivit ex ipſo ingreſſu in orbem, cùm eſſet ipſe Sacerdos & victima, ſeſe offerens ex inſtanti Conceptionis ſuæ Patri ſuo æterno, in templo auguſtiſſimo, & ſuper altari totius naturæ maximè venerabili, putà ſacratiſſimæ Virginis ſinu, *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi: Ecce venio* l. Nunc munia Regis peragit in cœlo; *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus* m. Unde virtuti mercedes aſſignat, & ſupplicia vitio decernit. Et officio Judicis fungetur, cùm extremis temporibus judicaturus eſt vivos & mortuos; *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.*

i Pſ. 109. 5
k Matth. 2. 2
l Pſ. 39. 8
m Pſ. 2. 6

Sacerdotis officium exercuit, cui proprium eſt abſolvere & parcere miſericordiâ ſuâ. Sic legimus in Evangelio eum noluiſſe condemnare *mulierem in adulterio deprehenſam. Ieſus dixit ei, Mulier, Nemo te condemnavit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: Vade, & jam ampliùs noli peccare* n. Officium Regis exercet partim juſtitiæ zelo, partim miſericordiæ affectu ductus, cùm proprium ſit magno Regi fideles ſubditos miſericorditer excipere, rebelles verò & reos implacabiliter caſtigare,

n Joan. 8. 3. &c.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos o.

o Virgil. lib. 6. Æneid citatus à S. Aug lib. 1. de Civit. c. 6

Officium Judicis exercebit ſolâ juſtitiâ animatus, cùm ſit proprium Judici integro inviolatè juſtitiæ adhærere, nullumque miſericordiæ intuitum habere, juxta Antiqui cujuſdam pronunciatum, *Qui Iudicem induit, amicum exuat.* Ita ut hoc extremo die judicaturus ſit ſolâ juſtitiâ, ſine ullâ miſtione miſericordiæ.

Poſtquàm igitur apparuerint *ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis; tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ & majeſtate* p homines judicandi. Non *quaſi Agnus manſuetus* q erit plùs, ſed ſicut *Leo rugiet, quis non timebit* r? Non ampliùs ut *Deus abſconditus* ſ, ſed prout Deus apparens: Non quatenus Deus *humilis corde* t, ſed prout Deus *in majeſtate ſuâ*: Non quatenus *Deus patiens*

p Luc. 21. 25. &c.
q Jer. 11. 19
r Amos 3. 8
ſ Iſai. 45. 15
t Matth. 11. 29

u Pſ.7.12 *patiens* u, ſed prout Deus terrorem omnium ho-
minum cordibus incutiens. Non ampliùs ab ho-
x Joan.19. 36 minibus judicatus iniquis x, ſed homines impios,
imò verò & juſtos judicans. Non plùs parcens
miſericordiâ ſuâ, ſed puniens inexorabili juſtitiâ
ſuâ. Sola vel adventus iſtius cogitatio terrore me
concutit, & hæc cogitatio confundit cæteras om-
nes cogitationes meas, ita ut inter has omnes per-
turbationes & commotiones exprimere non poſ-
ſim vobis ea, quæ de hoc adventu concipio. Splen-
dor majeſtatis Judicis perſtringit oculos meos, &
præ illâ caligatione vix poſſum infirmitates meas
ſtabilire & eas ſecuras reddere.

Sed licèt amaritudinem ſolam præ meis verbis
feram, quâ veſtris animis hodiernâ die terrorem
incutiam, nihilominùs antequàm dividam hunc
diſcurſum, eumque incipiam, producere vobis
volo cogitationem amoris, quam diſcipulus,
y Joan.21. 20 *quem diligebat Ieſus* y, mihi ſubminiſtrat, *Pater*
diligit Filium; & poteſtatem dedit ei judicium fa-
z Joan. 5. 20.& 27 *cere, quia Filius hominis eſt* z. Pater amat Filium
ſuum, & eum amans ſubjicit illi omnes creaturas
cœli & terræ: Atqui ſicut amor eſt communica-
a S. Dion. lib. de Div. Nom. c.4 tivus, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui* a, oportet ut
Pater communicet & det omnia Filio ſuo, *qui eſt*
b Hebr. 1. 3 *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* b, ratione
cujus dirigit, non ut artifex dirigit manum tyro-
nis in operationibus; hoc enim ſupponeret im-
perfectionem in Chriſto, & Filium eſſe poſterio-
rem Patre, & non ei æqualem; ſed dicendum eſt,
hanc totam Patris directionem in Filium eſſe
ipſius Patris æternam generationem. Deus Pater
c Pſ.2.7 generat Filium ſuum c ab æterno, intuitu infinita-
rum perfectionum ſuarum, communicat illi eſſen-
tiam ſuam, quia eum amat, *Pater diligit Filium, &*
d Joan.3. 35 *omnia dedit in manu ejus* d. Idcircò Judicem eum
conſtituit; *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed*
e Joan.5. 22 *omne judicium dedit Filio* e. Et, *Cùm venerit Filius*
hominis, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.

Si autem ſcire deſideretis quare Dei Filius *con-*
f Act. 10. 42 *ſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* f. Re-
ſpondeo id effectum fuiſſe, ut præberetur anima-
g Gen.1. 27 bus vita. Sicut enim animæ vitam acceperunt in
h Apoc.1. 5 creatione g, in redemptione h, & in conſervatione
i Sap.8.1 i, quæ eſt continuata productio, oportebat etiã ut
hæc vita ipſis daretur in reſurrectione. Prætereà,
Cùm Chriſtus judicatus fuerit à ſuis creaturis, quæ
de ipſius Divinitate dubitavêre, oportet ut idem
Chriſtus earundem Judex conſtituatur, ut mani-
feſtè videant id, de quo dubitaverunt. Tandem,
Quia Dei Filius *cùm in formâ Dei eſſet, ſemetipſum*
exinanivit, formam ſervi accipiens: Humiliavit ſe-
k Philipp. 2.6.&c. *metipſum, factus obediens* k Patri ſuo; hâc exina-
nitione & obedientiâ iſtâ ſibi comparavit domi-
nium rerum omnium; & conſequenter earum Ju-
dex eſſe debet. Hæc obedientia attribuitur ſoli
humanitati, ſolus autem Filius factus eſt homo,
l Joan.1. 14 *Verbum caro factum eſt* l. Ideò debet habere do-
minium & qualitatem Judicis. Dei Filius fuit *ab-*
m Iſai.45. 15 *ſconditus* m in omnibus myſteriis ſuis; præſertim
verò in Paſſione ſuâ, in quâ *cum ſceleratis reputatus*
n Iſai.53. 12 *eſt* n. Abſconditus eſt in cœlo. Si afflictionibus
nos caſtiget, eas clam mittit ad nos, ita ut videatur
nos admonere, non damnare. Sed in judicio ma-
nifeſtabit ſe, ut impios condemnet. Parebit igitur
ut Judex, qui examinabit omnia, ut videbimus in
Diviſio. primâ parte hujus diſcurſus. Ut Judex qui con-
demnabit ſine appellatione, ut in ſecundâ. Tan-
dem, Ut Judex, qui puniet ſine ullâ remiſſione, ut
in tertiâ.

Veniet igitur Judex iſte, & examinabit omnia. I. Pars.
Examen horrendum, & longè diverſum ab exa-
mine judicum hujus mundi! Aliquâ ſaltem con-
ſolationis ſpecie perfunditur miſerandus Reus, qui
ſcabello inſidens ante Judices ſuos legitimos, cer-
tus eſt ſe nullam rationem redditurum, neque pœ-
nam aliquam laturum ſiniſtrarum ſuarum inten-
tionum, pravorumve deſideriorum ſuorum, ſeque
condemnandum duntaxat fore ob crimina, quæ
perpetrarit ante Teſtes, qui poſſint ipſum com-
muniorum ſcelerum convincere. Sed Chriſtus exa-
minabit omnia, non ſolùm actiones noſtras, &
ſcelera noſtra patrata coram hominibus & Ange-
lis, ſed vel ipſa crimina maximè abſcondita; Ju-
dex iſte univerſa diſcutiet.

Iudex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit o. o Eccleſia.

Tunc manifeſta fiet publicatio omnium peccato-
rum in ipſis cordis intimis penetralibus recondi-
torum. *Et erit in tempore illo: Scrutabor Ieruſalem*
in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus
ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet benè Domi-
nus, & non faciet malè p. p Sophon. 1.12

Examen generale non ſolùm actionum, ſed et-
iam intentionum noſtrarum. In Politiâ ſeculari
non examinantur deſideria, nec intentiones. Quin
imò licèt ea Reipublicæ bono faveant, nulla ta-
men propterea donantur mercede, quia eidem
Reipublicæ ſunt inutilia, & nullo poſſunt eſſe ei
commodo. Sed hîc ſicut eſt nobis agendum cum
Judice, qui mercedem impendit intentionibus
ipſis & deſideriis q, licèt ipſa non fuerint execu- q Gen.22. 16.&c.
tioni mandata, cùm impotentia fuit obſtaculo,
quò minùs ipſa ſuum ſortita fuerint effectum: Ita
oportet, juxta rationem & regulam contrario-
rum, ut pravas puniat voluntates & perverſos af-
fectus, etiamſi ad ſuum perducta non fuerint exi-
tum propter aliquod impedimentum, aut ali-
quem reſpectum humanum, aliudve ſimile. Et ſi
propter bonam intentionem, paradiſi cœleſtis
præmio afficit; propter pravam, inferni ſuppliciis
mulctare debet ſempiternis, cùm ne vel ipſi præ-
varicatores Angeli plùs effecerint, quippe qui ſolâ
pravâ peccaverint intentione r. r Iſai.14. 12. &c.

Imò examinabit omnia verba noſtra otioſa,
Quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint
homines, reddent rationem de eo in die judicii ſ. Sed ſ Matth. 12.36
quare tam ſerium examen verborum adhibebitur
otioſorum? Ratio iſtius eſt, Quia verbis otioſis
tempore abutimur; & ſicut Rei conſtituimur ob
pravum exercitium, quod fecerimus rei omnium
pretioſiſſimæ talis quale eſt tempus, cujus vel mo-
menta ſingula Chriſti *Sanguine* t fuerunt redem- t Apoc.1.5
pta, tunc valor illius nobis manifeſtabitur: *Cùm*
accepero tempus, ego juſtitias judicabo u. Perpendite, u Pſ.74.3
ſi placet, loquendi modum. Tempus noſtrâ nunc
eſt in poteſtate, *Dum tempus habemus, operemur bo-*
num x. Inſumamus illud, eoque utamur ut par eſt. x Galat.6. 10
Tempus non eſt noſtrum, Deus illud nobis com-
modat. Veniet dies, quo à nobis illud recupera-
turus eſt Deus, quod nobis commodaverit: *Cùm*
accepero tempus. Nobis illud largitur Deus modò,
ſed tunc illud eſt repetiturus. Tunc nullum ſuper-
erit tempus, *Iuravit per viventem in ſecula ſeculo-*
rum. Quia tempus non erit amplius y. Tunc non am- y Apoc. 10.6
pliùs poterit laborari, *Venit nox, quando nemo poteſt*
operari z. Nox, quâ inter obſcuras tenebras nul- z Joan.9. 4
lum

lum ampliùs exercebitur commercium. … ducere debet nos ad ritè & proficuè intu… m hoc tempus, quod Deus nobis modò commodat, & chariſſima æſtimare ſingula vitæ noſtræ momenta, cùm eorum ſingula beatam parare poſſint nobis æternitatem. Non ſolùm examinabit peccata noſtra publica, ſed etiam abſcondita; non ſcelera tantùm, quæ commiſerimus, ſed etiam ea, ad quæ præ malo noſtro exemplo viam aliis aperuerimus; vel quæ authoritate publicâ, aut privato conſilio, aut alio quovis modo poteramus impedire ne fierent *a*.

a Pſ. 18. 13

Sed quid dico? *Iuſtitias judicabo.* Judicabit etiam opera noſtra bona, & fortaſſe condemnabit nos propter opera apparentet eximia, quæ aliorum animos ſuſpenderint præ ſtupore & admiratione. Examinabit enim Confeſſiones noſtras, num fuerint integræ: Communiones noſtras, utrùm fuerint ſacrilegæ: Jejunia noſtra, eleëmoſynas noſtras, otationes noſtras, an præ humano reſpectu illorum incubuerimus exercitio. Chriſtiane, cujus totus ad carnem & ad ſanguinem fertur affectus, qui more ſuis infamis volutaris in cœno tot cogitationum impudicarum, tot verborum indiſcretorum, & infinitarum actionum dolo, injuſtitiâ, fraude, & horrore refertarum; Si reddenda à nobis ſit ratio culparum vel leviſſimarum, imò verò illarum, quæ oculis noſtris non ſunt ſenſibiles: Quid reſpondebimus, cùm exprobrabuntur nobis crimina, quorum cogitationem, ut nobis viſum erit, nequidem formaverimus? Cùm in actionibus noſtris vel puriſſimis manifeſtabuntur nobis maculæ & ſordes? Cùm exiſtimantibus nobis, examinandos nos de ſolis actionibus noſtris, improperabuntur aliena peccata, quorum cauſa aliquo modo fuerimus? Cùm examinabitur pater de peccatis filiorum, mater de diſſolutione filiæ, cui nimis laxaverit habenas præ purâ negligentiâ, & defectu correctionis? Cùm mulieres examinabuntur de concupiſcentiâ, quam apertis plus quàm par eſſet, pectoribus ſuis, in corde amaſiorum accenderint?

Quantus tremor eſt futurus,
Quando Iudex eſt venturus,
Cuncta strictè diſcuſſurus b.

b Eccleſia.

II. Pars.

Præterea, Judex iſte condemnabit irrevocabiliter, ſine ullâ appellatione. In judiciis humanis à latâ ſententiâ, triplici poteſt appellari ratione. Primò, Cùm ille, qui ſententiam pronunciavit, non fuit Judex competens. Secundò, Cùm non habuit integram litis cognitionem. Tertiò, Cùm interfuit propinquitas. Intuitu trium rationum iſtarum nulla eſt appellatio à Judicio Chriſti admittenda, quia ipſe eſt ſupremus Iudex totius mundi, cujus eſt Dominus abſolutus, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus* c. Oſtendet autem ſe talem eſſe, cùm apparebit ut Iudex, *Cognoſcetur Dominus judicia faciens* d. Et ita ſupremus Iudex eſt, ut omnes ſit judices judicaturus; *Ego juſtitias judicabo.* Secundò, Nullus eſt locus appellationi à ſententiâ Chriſti dandus, ob defectum cognitionis cauſæ, quia ipſe eſt Iudex, præ cujus oculis, abyſſi non habent ſatis obſcuritatis & tenebrarum, ut abſcondantur, & eripiantur cogitationibus & luminibus ipſius *e*; qui plures habet oculos, quàm firmamentum fulgeat ſtellis, quorum perſpicaciâ vel intima cordium noſtrorum & conſcientiarum noſtrarum pervadat penetralia; qui non ſolùm notitiam habet omnium actionum noſtrarum, ſed etiam omnium noſtrarum cogitationum; & non ſolùm eas videt, quin & eas eſt à longè intuitus, ut ait ei Propheta *f*, *Intellexiſti cogitationes meas de longè*, nimirum longo tempore priuſquam eas concepiſſem, puta ab æternitate, quià ipſi ſunt omnia præſentia. Ita ut non poſſimus appellare ab eo quaſi malè informato, ad ipſum poſteà veluti benè informatum circa omnia negotia noſtra, cùm perfectâ vigeat rerum omnium notitiâ; *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* g.

c Pſ. 23. 1
d Pſ. 9. 17
e Dan. 3. 55
f Pſ. 138. 3
g Hebr. 4. 13

O ſupreme *Iudex vivorum & mortuorum*, ſi me condemnes, actum eſt de me, & omnia mihi ſunt perdita, etiamſi nihil perdas tibi. Sed heu! quoad id quod ad me ſpectar, funeſtas poſt ſe ſequelas mea trahit condemnatio infelicitatem præ ſe infinitam laturas. Attamen cavebo maximoperè ne te ſim recuſaturus, etiamſi foret alterum tribunal, ad quod jure merito appellare poſſem, & proponere denuò ei cauſam meam examinandam. Sed ſi aliquo eſſes recuſabilis modo, recuſare te ſanè poſſent inimici mei, putà dæmones, qui non ignorant quanto tu nos fueris amore proſecutus, cùm, ut amorem tuum erga nos demonſtrares, naturam noſtram humanam non ſis dedignatus aſſumere, noſtrumque propinquum carnis cognatione te efficere *h*, quæ unica poſſet eſſe cauſa recuſationis ipſorum.

h Joan. 1. 14

III. Pars.

Judicium igitur ſine appellatione, quod ſequetur caſtigatio & punitio ſine ullâ penitus remiſſione, quæ fiet pœnâ generali, æterna, & æquâ. Pœnâ generali punientur ii, qui condemnati hoc juſto judicio Dei, exponentur ſubeundo omni generi pœnarum, & dolorum, omnium, qui concipi unquam poſſint, maximorum. Uſque nunc mulctavit Deus peccatum pœnâ ſpeciali duntaxat. Corruptionem & ſordes carnis impuræ lavit in diluvio aquarum generali, ſub cataclyſmo univerſali *i*. Abominandas Sodomam & Gomorrham civitates, ac alias vicinas, quæ ſcelera omnium, quæ in naturâ committi poſſent, maxima perpetrabant, pluviâ igneâ & ſulphureâ è cœlo ob deteſtanda incolarum ipſarum facinora irato, proveniente combuſſit penitus *k*. Subitaneo ac præcipiti terræ hiatu rebellionem trium otioſorum & nequam Core, Dathan, & Abiron punivit *l*. Diſſolutiones, quibus ordinariè diffluimus, frequentibus corripit belli, peſtis, & famis flagellis †, quæ omnia utplurimùm depopulantur. Sed tunc puniet generaliter, *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum* m *univerſam*; omnes inſumet Deus creaturas adversùs rebelles Legibus ſuis, quæ hoc in occurſu Divinam exequentur voluntatem: Quia *omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. Vanitati enim ſubjecta eſt, non volens* n. Præ ingenti quippe violentia patiuntur tot abuſus, quos ipſarum facimus, inducentes eas ut nobis ſubſerviant in levando *contra* communem Creatorem mundi, *calcaneum* ſ. Sed tunc hæc univerſa creaturarum caterva turmatim inſurget, irritata ob profanom iſtud ſuiipſarum exercitium & abuſum, ſeque potenter armabit adversùs nos; ut juſta contra nos & ſanguinaria proferat teſtimonia, nos criminum convincat noſtrorum, ac noſtra augenda ſatagat ſupplicia.

i Gen. 7. 23
k Gen. 19. 24. & 25
l Num. 26. 10
† 2. Reg. 24. 13. &c.
m Sap. 5. 18
n Rom. 8. 22. & 20
ſ Joan. 13. 18 ex Pſ. 40. 10

In quo parebit potentia Dei, & juſtitia ipſius, quæ *non habet finem* t. Nunc infirmitatis noſtræ conditio non ſinit, neque ſatis amplam præbet creaturis anſam agendi contra nos; nec ſatis mate-

t Baruch 3. 25

materiæ ſubminiſtrat aquis, ut nos ſuffocent; nec flammis ſatis virium, ut nos in cineres redigant; nec feris ſatis ſævitiæ, ut nos lacerent, & in fruſta concidant: Sed tunc loco cumuli bonorum omnium, aggregatione cunctorum opprimemur malorum, nimirū pœnis æternis longè diverſis ab iis, ad quas Judices hujus mundi Reos criminis alicujus lethiferi conſcios condemnant, cùm eos tantùm damnent, ut unicâ duntaxat vice morti eos exponant: Sed juſtitia Dei ſola hoc gaudet privilegio, ut conſervet ſimul eodem momento, ac pœnâ caſtiget æternâ, *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem* u. Quia ignis iſte imitabitur naturam Dei, qui eſt æternus x. *Mors depaſcet eos* y. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis* z.

u Pſ. 48. 9. x Dan. 13. 42 y Pſ. 48. 15 z Apoc. 9. 6

Æquâ tandem punientur pœnâ, quia nihil æquius eſt & magis rationi conſonum, quàm ut ii, qui adversùs adorandas inſurrexerunt Dei voluntates, cujus eſt majeſtas infinita, malis obruantur infinitis; quàm ut ii, qui nullum finem agnoverunt in peccatis Deum offendentibus, nullum præſcriptum intueantur ſuis pœnis finem. Debetis enim ſcire, eos, qui moriuntur obſtinati *in peccato* a lethifero, non amiſiſſe nihilominùs voluntatem, quā habebant offendendæ ſupremæ majeſtatis Dei; & in hoc ſunt luſoribus illis ſimiles inſignibus, qui ludo ſuo finem duntaxat imponunt, cùm ipſos deficit illuminare candela, ſed qui propterea ludendi non amittunt deſiderium, & re verâ adhuc luderent, ſi haberent unde illuminarentur. Pœnâ igitur puniuntur æquâ, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* b. Pœna debet eſſe peccato conveniens, *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus* c. Heu! Auditores, formidandus re verâ Judex eſt Deus noſter. Heu! quàm terribilia ſunt illius judicia! Quare non ea remanent jugi memoriæ hominum impreſſa? Ha! Quamnam ob rationem ea præ oculis mentis ſuæ indeſinenter iidem homines non habent, ut diſſolutionibus ſuis renunciantes, in meliorem ſe recipiant frugem?

a Joan. 8. 25 b Apoc. 18. 7 c Deut. 25. 2

Sed ecce præſto ſunt nobis modi, quibus utamur, ut funeſtas eludamus horribilis hujus judicii ſequelas. Oportet ut agamus, quandiu vitâ fruiti erimus, id, quod acturus eſt ipſe Judex ſupremus poſt mortem noſtram; *Si noſmetipſos dijudicaremus: non utique judicaremur* d. Oportet ut noſmetipſos judicemus, ſed examine integro. Ut condemnemus nos ſine appellatione. Et ut puniamus nos ſine ullâ remiſſione. *Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi Judex: torqueat te timor, erumpat confeſſio, dic Deo tuo. Quoniam iniquitatem meam cognoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper*, ait S. Auguſtinus e. Conſcientia nobis eſſe debet loco Judicis, imò loco Dei; ipſa ſiquidem nobiſcum ſemper eſt, indeſinenter eſt ipſa nobis præſens, nec ullo nos unquam momento deſerit. Faciendum eſt hoc examen generale omnium culparum noſtrarum. Poſt diſcuſſionem hujus examinis univerſalis, oportet nos condemnare ſine ullâ appellatione. Imitandus eſt hoc in occurſu Pilatus, dicens, *Quod ſcripſi, ſcripſi* *. Hoc ita mihi propoſui. Et nos tandem punire ſine remiſſione, hoc eſt, pœnâ generali, æternâ, & æquâ.

d 1. Cor. 11. 31 e S. Aug. ſerm. 13. in Append. de Diverſ. ex Pſ. 50. 5 * Joan. 19. 22

Et propter hunc magnum effectum, petenda eſt à Deo participatio triplicis divini attributi ipſius, ut ritè huic examini diſcutiendo incumbamus. Primò, Communicatio Divini luminis ipſius, quo diſſipentur omnes obſcuritates & tenebræ, quibus anima noſtra obvelatur, & ſic dicendum à nobis eſt ei cum Pſalmographo, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam* f. Vel cum Job, *Quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera mea & delicta oſtende mihi* g. Si enim diſquiramus peccata noſtra ſolo lumine naturali, non inveniemus ea, vel ſaltem non deprehendemus ea talia, qualia in ipſis ſunt; non ſecus ac antiqui illi Philoſophi, qui Divinam ſibi cōparare autumantes cognitionem, ſolo ducti naturalis rationis radio, in ſublimem illam lapſi ſunt ſtultitiam, ut vitia loco virtutum deſumerent, vilibuſque creaturis, imò verò operibus manuum ſuarum ſupremos cultus, & adorationes ſolius Dei ſummæ majeſtati debita exhiberent, præ inſanâ illâ ſapientiâ, quæ collocavit idola in cordibus æquè ac in templis; *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula* h. Iſto autem modo hæc peccatorum noſtrorum monſtra apparebunt nobis veluti phantaſmata; hi montes proceri, & iſti gigantes ſuperbi videbuntur nobis tanquam non entia. Idcircò inſpicienda ſunt Divini luminis adminiculo, ut ritè deprehendamus quanta ſit illorum gravitas. Heu! Si poſſemus oculis corporis monſtrum iſtud peccati abominandum intueri, proculdubio animi deliquium pateremur præ dolore & horrore nimio. Dæmones, quantùmvis horribiles ſint, nihil tamen habent horribile niſi peccatum: Inferna non habent ſupplicia, nec Deus *accendit omnem iram ſuam* i niſi adversùs peccatum.

f Pſ. 42. 3 g Job 13. 23 h Rom. 1. 21. &c. i Pſ. 77. 38

Ad condemnandum peccatum ſine appellatione, petenda eſt à Deo participatio ſanctitatis ipſius, quæ nullum unquam habuit cum peccato commercium; cùm non ſolùm peccatum, imò verò peccati ſimilitudo nos ſeparet à Deo. Id aſſerit Chriſtus de ſeipſo, *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Et ſtatim rationem addit; *Tu autem in Sancto habitas* k. Atqui ſi Pater æternus ſeparavit ſe à Filio ſuo, *in quo benè* l ſibi complacuit, etiamſi ſolam haberet apparentiam exteriorem, & ſimilitudinem peccati, *in ſimilitudinem carnis peccati* m: Debemus petere ab eo radium ſanctitatis ipſius, quâ non ſolùm ſeparemur à peccato, ſed etiam ab ipſa apparentia & ſimilitudine peccati, & poſſimus nos condemnare ſine appellatione; ita ut tales ſimus, qui dicamus; *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti* n? Tandem petenda eſt participatio & communicatio zeli, quo Deus fertur erga juſtitiam ſuam; ita ut puniamus nos ſine ullâ remiſſione, juxta criminum noſtrorum gravitatem & enormitatem. In his ſiquidem occurſibus magna ſeveritas eſt ingens miſericordiæ ſpecimen.

k Pſ. 21. 2. & 4 l Matth. 17. 5 m Rom. 8. 3 n Rom. 8. 35

Si judicari non velimus, utendum nobis eſt modis, quos ego propoſui vobis, ut poſſimus conciliare nobis benevolentiam ſupremi Judicis *vivorum & mortuorum*, eumque reperire propitium die illo horrendo, & audire cum ſingulari conſolatione areſtum hoc vitæ, quod ſequi debet æterna vita: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Si autem priùs noſmetipſos non judicamus, ſubeunda à nobis erit invitis formidabilis iſtius executio decreti: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Heu! Adorande Ieſu, obſecro te per Sanguinem

nem tuum pretioſiſſimum, quem pro Reis his miſeris in ara crucis fudiſti *o*, ut ſinas poſtulare me a te indulgentiam vel unicam in favorem eorum. Heu! Domine, tuam nequaquam ambiunt, nec expoſcunt gloriam beatificam: Sciunt quippe ſed ſcientiâ, quæ mirum in modum ipſos affligit, poſt diſſipata medias inter diſſolutiones beneficia tua, ſe non eſſe dignos ut vocentur filii tui *p*, neque debere ſe prætendere hæreditatem *Domini* q, nec ullam in cœlis portionem luminis, quod Sancti tui vident ac videbunt *in lumine tuo* r; cùm propria *opera tenebrarum* † reddant ipſos indignos ſpecioſo illo die, quem nulla ſequetur unquam nox, quia *lucerna ejus eſt Agnus* ſ. Cùm non ſint ampliùs *filii* tui, non poſſunt eſſe *hæredes* ſanctuarii tui, nec tibi *cohæredes* t *in terrâ viventium* u, cùm pretioſum tuum Corpus conculcaverint, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* duxerint, *in quo* ſanctificati ſunt; *& Spiritus gratiæ contumeliam* fecerint *x*.

Heu! Domine, nequaquam poſtulant exitum ex inferno, nec liberationem ab iſtis pœnis jure merito ipſis debitis. Apparere enim duntaxat ante faciem tuam iratam, ipſis ſanè foret infernus, & gehenna, quæ longè excederet omnia tormenta inexplicabilia, quibus implacabiliter cruciantur. Hoc unicè duntaxat deſiderant ad nihilum redigi, cùm commiſerint opera peccati, quod purum *nihilum* y eſt. Si verò illos indignos exiſtimes, quibus hanc infortunatam largiaris gratiam; ſaltem poſt innumera ſeculorum inter pœnas horribiles tranſactorum curricula, nunquid nun expectare poterunt tantillum intermiſſionis a pœnis iiſdem ſubeundis momentum? Poſt plura ac plura annorum millia nonne exigua guttula refrigerii & conſolationis irrigabit labia eorum rimas agentia præ ardore hujus ignis devorantis, non ſecus ac terra hians præ aridirate & ardoribus æſtivis, magnâ aviditate pluvias è cœlo decidentes ſuſcipit? Quid? Domine, nunquid nun aliquando permittes ut Lazarus aliquis *intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret* z linguas accenſas horum divitum epulonum flammis immerſorum? Sed irridebiſne ſemper viventem illorum mortem, nec illis unquam parces?

Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum a! Quid audio in intimis animæ meæ penetralibus? Qualis Echo funeſta, hæc horrenda verba auribus meis inſonat? Illis ero ſemper inexorabilis. Ha! Anima mea, tuum non eſt perſcrutari Divina ſecreta, ne magnitudine illorum obruaris, quia *qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloriâ* b. Exulta potiùs cum Juſtis propter hanc æquam *vindictam, manus in ſanguine* c horum peccatorum lava tuas: Lumina tua exere ex illorum tenebris, & ſalutarem theriacam conficito è veneno infortunii eorum. Reflecte potiùs te ſuper malitiam peccati, & ex effectu ita horribili judica de magnitudine cauſæ. Cogita, ſi videres Patrem jure merito projicientem filium ſuum in fornacem ardentem, te ex gravitate ſupplicii, & ex rigore paterno, magnam in filio iſto culpam illaturam. *Pater miſericordiarum* d, Ha quanto peccatorem & peccatum *odio* proſequeris e! cùm punias tanto, imò verò æterno rigore animas redemptas pretioſo Filii tui Sanguine, qui *melius loquitur, quàm Abel* f, quique poſſit abſtergere univerſas ſordes, & *nive* g candidiores efficere quoſcumque peccatum magis nigros quam ſit carbo, reddiderat. Pone tibi præ oculis mentis tuæ, anima mea, rem unam, quæ nunquam tamen eſt eventura, habita ratione diſpoſitionis & ordinis ſummæ Providentiæ & Divinæ Juſtitiæ, etiamſi foret illa poſſibilis ei, cujus omnipotentia *k* cùm ſit infinita, nihil eſt quod non poſſit ipſa efficere; eduxiſſe Deum è tenebricoſis illis, horrendis, & terribilibus averni ergaſtulis, quò redemptio non habet acceſſum, aliquem ex infortunatis illis, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum* l; ut præberet illi otium agendæ pœnitentiæ; & cogita quàm eximias ageret grates Reparatori ſuo pro beneficio ita ſingulari, & quàm ſedulò pretioſum hoc inſumeret tempus, ut è mediis illis æternis eriperetur ſuppliciis. Chara anima mea, oporret ut judicii & rationis omnino ſis expers, niſi agnoſcas, beneficium præſervationis eſſe longè majus beneficio hujus imaginariæ liberationis, cùm educat ex iiſdem ſuppliciis tot criminibus debitis. Quare igitur in gratiarum non diſſulvemur actiones? Quare negligentes erimus, ut redimamus tempus amiſſum; & puſillanimi, ut invadamus, ut amplexemur, ut naufragi, *alicujus tabulæ fidem* m Pœnitentiæ *n*, quæ nobis ſupereſt poſt naufragium Baptiſmi, in quo *ex aquâ & Spiritu ſancto* o renati ſumus?

Ο Deus bonitatis infinitæ, qui dixiſti: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ & vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis: & quare moriemini domus Iſraël* p, ſi vos ad vitæ probæ bonam receperitis frugem? Ha! Hanc a te poſtulo indulgentiam, ut mandem executioni vel aliquam particulam eorum, quæ acturus eſſet ille, quem potentia extraordinariâ, & miſericordiâ inauditâ eduxiſſes ex obſcuris illis inferorum ergaſtulis. Ha! Domine, non ambigo, hanc particulam futuram totum pœnitentiæ meæ: Palpebræ ſiquidem meæ lacrymis indeſinenter maderent, pupillæ meæ ſemper forent humidæ *q*, flerem die ac nocte *r*, genæ meæ ſine intermiſſione eſſent rigatæ; quotidie comederem *cinerem tanquam panem, & potum meum cum fletu* ſ miſcerem; nec ullus eſſet dolor exterior, aut interior, quem libenti non paterer animo, ut præſervarem me ab incendiis devorantibus his, in quibus continuè blaſphemaris *u*. Libera *me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam* x. Et quia tibi gratum eſt *ſacrificium ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non* y deſpicias, & efficias ut declinem à lapſu in hanc abyſſum; ut ſuper me tuæ *Sol juſtitiæ* z *exurgat, & diſſipentur* a tenebræ & obſcuritates, quibus perturbatæ animæ meæ offunduntur facultates; ut deſcendant ſuper me radii hujus *prudentiæ* b ſupernaturalis, cujus adminiculo mediis utar conſonis, quibus has effugiam pœnas, & gratiam merear in hoc mundo, & gloriam in altero.

Margin references, left column:
o Apoc. 1. 5
p Luc. 15. 13. & 21
q Pſ. 126. 3
r Pſ. 35. 10
† Rom. 13. 12
ſ Apoc. 21. 23
t Rom. 8. 17
u Pſ. 141. 6
x Hebr. 10. 29
y Pſ. 72. 22
z Luc. 16. 24
a Pſ. 72. 26
b Prov. 25. 27
c Pſ. 57. 11
d 2. Cor. 1. 3
e Sap. 14. 9

Margin references, right column:
f Hebr. 12. 24. ex Gen. 4. 10
g Thren. 4. 7. & 8
k Pſ. 64. 7
l Rom. 1. 28.
m Tertull. lib. de Pœnit. c. 4
n Luc. 1. 3
o Joan. 3. 5
p Ezech. 33. 11
q Thren. 2. 18
r Pſ. 6. 7
ſ Pſ. 101. 10
u Iſai. 33. 14
x A. oc. 33. 5
z Eccli. 51. 4
y Pſ. 50. 19
z Malach. 4. 2
a Pſ. 67. 2
b Exod. 28. 3

FERIA III. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic?
Matth. 21. 10. &c.

ADvertiſtis aliquando, dum in cœlo obſervatur recens aliquod phænomenum, novaque aliqua apparet Stella magnitudine inſolitæ & immodicæ, aut figuræ cujuſdam extraordinariæ, unumquemque rei nondum viſæ demirari novitatem. Stupore concutiuntur ignari, qui hujus effectus ignorant cauſam, cùm ignorantia ſit admirationis cauſa: Perplexitate anguntur docti, non ritè percipientes quid prænunciet novum illud phænomenum, & ad quid tandem ſit terminandum. Deprehendo hodiernâ die, Auditores, in Evangelio noſtro novam ſtellam, quæ ſe exhibens in Judæâ civitati Ieroſolymitanæ intuendam, omnes illius incolas percellit admiratione: *Cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic?* Ieſus eſt vera Stella hæc ani-
a Num. 24.17 marum noſtrarum, ut prædixerat Propheta a,
Orietur Stella ex Iacob. Figura ipſius eſt omnino
b Hebr. 1. 3 ſpecioſa, *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* b. Virgo ſacratiſſima hanc produxit nobis ſtellam
c Matth. 1. 25 Iacob c, poſtquam dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Res eſt omnino ſanè admiratione digna, &
d Philipp. 3.20 conſideratione ſpectabilis, *Salvatorem* d animarum noſtrarum, qui eſt ſuavitas ipſa, cujus ipſe ſe magiſtrum profitetur, dicens, *Diſcite à me, quia mitis*
e Matth. 11.29 *ſum* e; cùm eſſet, ut ait Iſaias, *Princeps pacis* f, cujus
f Iſai. 9.6 mel & lac erant cibus ordinarius, *butyrum & mel*
g Iſai. 7.15 *comedet* g; in nullum perrexiſſe locum, quin ſtatim illuc commotionem atque perturbationem intulerit. Sequimini me, ſi placet, mẽte ac cogita-
h Joan. 16. 28 tione, & videte quòd, ut venit (*in mundum* h) carnem ſumpturus noſtram in ſacratiſſimis Deiparæ Virginis viſceribus, Angelus ineffabilis hujus myſterii nuncius hanc Virginem, cui adorandum hoc prænunciat Sacramentum, turbatione commo-
i Luc. 1. 29. &c. vet, *Turbata eſt in ſermone ejus* i. Ecce jam motus. Non priùs natus eſt k, cùm ecce commovetur aër,
k Luc. 2. 7. &c. cantantibus Angelis, exultantibus præ gaudio & alacritate, ac canticum lætitiæ præcinentibus, Regi recenter nato congratulantibus, præbentibus illi gloriam, aut ſaltem illam ſatagentibus manifeſtandam, & hominibus bonæ voluntatis in terrâ deſideratam prænunciantibus pacem; *Gloria in altiſſimis Deo; & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Montes commoventur præ exultatione, *Montes exultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni*
l Pſ. 113.4 *ovium* l. Paſtores veniunt ut illum venerentur,
m Luc. 2. 15 dicentes m, *Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt.* Motus advertitur in cœlo, cùm nova ſtella appareat, quæ ipſum
n Matth. 2.2 Magis oſtendit, *Vidimus Stellam ejus in Oriente* n. Motus pariter in Ægypto, ſtatim enim ac illuc
o Matth. 4.14 pergit Chriſtus o, ibi oriuntur commotiones; idola quippe, quæ oracula pronunciabant, in terram decidunt, & muta efficiuntur; *Tunc conturbati*
p Exod. 15. 15 *ſunt Principes Edom* p, id eſt, diaboli, qui exige-
q Orig. hom. 6. in c. 15. Exod v. 15 bant adorationes veluti Dii, ut ait Origenes q. *robuſtos Moab obtinuit tremor* r. Motus in Oriente, cùm Magi iter aggrediantur, ut munera ſua offe-
r Exod. 15. 15 rant huic Regi recenter nato, eique ſummas rependant ſuas adorationes, *Vidimus ſtellam ejus in*
ſ Matth. 2. 2 *Oriente, & venimus adorare eum* ſ. Motus & perturbatio in curiâ Herodis, in quâ impietas thronum ſuum collocaverat, *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo* t. t Matth. 2. 3. &c.

Motus igitur in ipſius nativitate, motus in vitâ, motus in morte, cùm in monte Calvariâ extremum vitæ egiſſet halitum. Ubique motus & alterationes inſpiciuntur; motus in Sole, qui ſua abſcondit lumina, *Et obſcuratus eſt Sol* u. Motus in u Luc. 23. 45
terrâ, *Et terra mota eſt* x. Motus in lapidibus, qui x Matth. 27.51
conteruntur; *Et petræ ſciſſæ ſunt* ‡. Motus in ſe- ‡ Ibid.
pulchris, ut reddant cadavera ſibi commiſſa: *Et monumenta aperta ſunt* *. Motus in limbo & in * Ibid.
infernis, cùm Victor iſte illuc deſcendit, ægrè ferentibus dæmonibus ſe cogi ignominiosè & invitè reddere prædam & ſpolia ſua, *Expolians Principatus, & Poteſtates* y. *Et multa corpora Sanctorum,* y Coloſſ. 2.15
qui dormierant, ſurrexerunt †. Quod fuit ipſis deſperatio & rabies, ſed exultatio gaudii his ſanctis † Matth. 27.52
Patribus, qui ibi captivi detinebantur, videndo catenas ſuas confractas, ſeque donari libertate: *Vt diceres his, qui vincti ſunt Exite: & his, qui in tenebris, Revelamini* z. Motus in Reſurrectione ipſius,
Et ecce terra motus factus eſt magnus. Angelus enim z Iſai. 49. 9
Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem a. Motus in Aſcenſione & ingreſſu ipſius in a Matth. 28.2
cœlum, *Attollite portas, Principes veſtras, & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ* b. Sed b Pſ. 23.7
quare tot iſti motus, & hæ alterationes? Quare hæ perturbationes & commotiones fiebant? Fortaſſe dicetis mihi, ipſum fuiſſe magnum Regem, gloriâ ac pompâ eximiâ circumdatum, ingreſſurum in mundum, ubi fiebant apparatus: Angeli ſiquidem veluti pueri ipſius honorarii, & manſionarii deſignatores, ſeu comitatus ejuſdem deductores diſponebant ſe ad conciliandum illi adorationes & obſequia. Forſan allegabitis, illum fuiſſe magnum Ducem exercitus, qui conquireret milites ad conſcribendum exercitum, qui tormenta præpararet bellica, qui vexilla extenderet & explicaret, qui buccinam clangere, tympanum pulſari, & ſignum certaminis dari præciperet. Fortè etiam vobis videbitur ipſe fuiſſe veluti magnus Sacerdos, qui veniret ut nos reconciliaret Deo, ut illi offerret Sacrificium; & majeſtatis ipſius magnitudo, & ornamentum ejuſdem omnino magnificum admirationem & commotionem omnibus intuentibus peperiſſe.

Sed eò ſemper redeo, unde diſceſſi. Quare tot iſti motus & hæ perturbationes, cùm ſit ipſe, ut jam dixi, *Princeps pacis?* Myſterium, Auditores. Hoc ideò factum eſt, ut diſcamus Deum nunquam aliquem locum ingredi, quin ibi eodem tempore perturbationem & commotionem excitet. Si hodiernâ die civitatem ingreditur Ieroſolymitanam, pueri commoti concinunt, *Hoſanna filio David.* Animæ ſanctæ, teſtes vos invoco: Proh Deus bone r! Qualem commotionem in vobis, r Pſ. 118. 68
cùm ſuâ Deus vos honorat viſitatione! Cùm igitur Deus animam Iuſti viſitat, in eâ motus excitat & commotiones. *Natura eſt principium motus,* ſecundùm Philoſophos: *Gratia* igitur, quæ, juxta Theologos, *eſt participatio Divinæ Naturæ*, erit

princi-

principium motûs, qui fit in anima Juſti, illiuſque cauſa. Triplicem admittunt motum Mathematici; motum reflexum, motum progreſſivum, & motum circularem. [Diviſio.] Videamus, ſi placet, in triplici hujus diſcurſûs parte, quomodo Deus cauſet hos tres motus in anima eodem momento, quo ipſam ingreditur per gratiam ſuam.

[I. Part.] *Motus reflexus* juxta doctrinam Philoſophorum, *eſt ille, qui fit ab ipſo movente ad terminum ad quem, & inde reſilit ad ipſum movens.* Ut autem intelligatur meliùs hæc veritas: Obſervandum eſt à vobis, quòd *Motus directus eſt ille, qui fit rectâ lineâ à movente ad terminum ad quem diſtantem à movente.* Et è contrà quòd *Motus reflexus eſt ille, qui ab illo termino diſtante reſilit ad ipſum movens.* Exemplum hujus veritatis vobis explicandæ ſenſibile ſubminiſtro. Ludentes in ſphæriſterio, pilam luſoriam pulſatis reticulo ſphæriſtico è nervis diſtento: Violenter rapitur pila luſoria: Ecce motus directus. Sed ſi hæc eadem pila reſervet aliquid adhuc virium a movente ſibi impreſſarum, & obvium habeat aliquod corpus durum, quod firmiter reſiſtat, revertitur ipſa ad vos, qui eam pulſaſtis, & facit motum, quem vocamus reflexum. Hoc benè intellecto, Suppono unam veritatem omnino conſtantem, cui nemo contradicat, ſuſcepto à nobis Baptiſmate *d*, [d Jo. 3. 5] & animâ noſtrâ lotâ & purgatâ ab impuritatibus ſuis (quas peccato originali contraxerat *e*) [e Rom. 5. 12.] in ſacro illo lavacro, quod omnem ſuam deſumit virtutem è *Sanguine f*, [f Apoc. 1. 5.] & meritis Chriſti infinitis *g*; [g Baruch 3. 35.] nos eſſe in poſſeſſione Dei, eumque præ jucunditate nos tenere præ manibus ſuis tanquam rem ſuam, in qua ipſe ſibi complacet, & quæ ad ipſum pertinet. Ut ſic ipſe nos amat, nobis blanditur: & in hoc ſtatu omnes & ſinguli ſumus veluti ſpecioſæ pilæ in manibus Dei, *Homo eſt pila, quâ ludit Deus*, ait Plautus *h*. [h Plaut. citat. in Theatr. Vitæ Hum.] De nobis agit, ſicut ipſi placet; tractat nos ſicut vult, nobis ludit ad libitum, *Ludens in orbe terrarum* i. [i Prov. 8. 31.] Chariſſimæ ipſius deliciæ in eo ſunt ſitæ, ut convertetur nobiſcum, *Delicta mea eſſe cum filijs hominum* k. [k Ibid.] In eo quippe ipſe ſibi complacet, ut nobis indeſinenter blandiatur, & nos ſine ulla intermiſſione præ manibus habeat, *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt* l. [l Sap. 3. 1]

Quanto honore, Auditores, & quàm magnâ familiaritate donamur? Quam proficua & utilis nobis res eſt, ut gratiâ Dei & Divino ipſius fruamur amore! Nihil tunc temporis funeſti & moleſti nobis poteſt accidere: Mortis ipſius aculeus nobis erit ſine aculeo, *Et non tanget illos tormentum mortis* m. [m Ibid.] Quid autem poſſet nos Deo unitos triſtitiâ afficere? Paupertas, afflictiones, infortunia, infelicitates, & aliæ quorumvis nobis charorum jacturæ? Ha! Deum habentes, omnia cum ipſo habebimus: quandiu ipſi apprime adhæſerimus, felicitatum omnium cumulo perfundemur, *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt ponere in Domino Deo ſpem meam* n. [n Pſ. 72. 28.] Nihil nocere nobis poterit, quandiu ipſius Divinæ protectioni innixi fuerimus: imò vero medijs in doloribus felicitatem inveniemus ut ait S. Ambroſius *o*, [o S. Amb. l. 2. Off. c. 4] *Eſt beatitudo & in doloribus.* Quandiu voluntates noſtras Divinæ voluntati ipſius conformes effecerimus, ſatisfactionem integram reperiemus in paupertate, quam vix ſufferre queant homines minori virtute præditi, & dicemus cum S. Ludovico Toloſatum Archipræſule, *Divitiæ mi a Chriſtus, deſint cætera omnia.* Totus theſaurus meus Jeſus eſt, illo ſolo mihi ſatisfit, alijs mihi quibuſcumque deficientibus.

Maneamus, Animæ juſtæ, in Divinis ipſius manibus; ſinamus ut diſponat de nobis prout ipſe voluerit, ut ventilet nos ad dextram vel ad ſiniſtram pro ſuo libito; ſimus tanquam pila in manu Dei. Quæ nobis utilitas ut ſimus in manu Dei! Quæ ſecuritas nobis ſic benè nos collocatos intuentibus ibi, ubi nihil à nobis timendum ſit; cùm conſtituti in tali loco aſyli, ab omni periculo, & à cuncto eventu infauſto ſimus immunes! Quanti æſtimare debemus hoc privilegium, & chari ducere gratiam, quæ hoc ſpeciali nos donat privilegio, ut ſimus cum Deo, cujus ſocietas totam conſtituit felicitatem noſtram. Cùm ſimus in manibus ipſius, nihil nobis ſupereſt impoſterùm pertimeſcendum. Sed quàm infelices & infortunati voluntariè efficimur. Divinis illius manibus eripimur, illaſque deſerimus *p* [p Iſa. 59. 2.] toties, quoties peccato lethifero veluti maculâ voluntariâ animam noſtram inquinamus. Tunc temporis incipimus experiri, ob juſtam punitionem criminum noſtrorum, infirmitates & incommoda *q*. [q Pſ. 6. 3.] Tunc omnes creaturæ jure merito armantur adversùs nos ut nobis bellum indicant *r*. [r Sap. 5. 18.] Tunc ſuam ſuper nos exercet mors poteſtatem, veluti ſuper victimas ſuas, ipſiuſque præda conſtituimur, *Mors depaſcet eos* s. [s Pſ. 48. 15.] Noluimus permanere cum illo, idcircò omnibus ſubjacemus confuſionibus. Contemnit nos Deus veluti curis ſuis indignos, & nos projicit, *Quaſi pilam mittet te in terram; ibi morieris ignominia Domini tui* t. [t Iſa. 22. 18.]

Cùm ſeparamus nos ab illo, ipſe deſerit nos *u*, [u Jo. 8. 21.] & inde omne nobis infortunium oritur, omniſque nos infelicitas ſequitur; in illius indignationem & odium incurrimus *x*: [x Sap. 14. 9.] & diſcedentibus nobis ab illo per peccatum quod nos avertit à Deo, ut convertamur ad creaturam, quod eſt deplorandum, *Averſio à Deo, & converſio ad creaturam*, ajunt Theologi poſt Scripturam †; [† Jerem. 8. 5. & 6.] neceſſaria eſt gratia, ut priſtinam denuò nobis Dei conciliemus amicitiam, quam amiſeramus. Hæc autem gratia non dependet à nobis; Dei eſt ipſam nobis largiri præ pura miſericordia: ab illo, quem offendimus, dependet hoc donum: ipſius eſt ſibi devincire inimicos & reos, qui ipſi vitam voluerunt eripere, ſibi ipſis mortem inferentes, ſeque peccatis ſuis efficientes indignos dono, quod facturum eſſet initiũ & conſummationem felicitatis ipſorum. Hunc autem motum reflexum ſine ipſius auxilio facere non poſſumus; requiritur gratia, ut redeamus ad Deum, quem deſeruimus. Vires noſtræ naturales nimis exiles ſunt, imò verò hujus reditûs incapaces ſine auxilio Divino, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* y. [y Jo. 6. 44.] Nihil poſſumus ex nobis ipſis intuitu boni, *Sine me nihil poteſtis facere*, ait Salvator per Evangeliſtam z. [z Jo. 15. 5] Et S. Bernardus *a*; [a S. Bern. Serm. 85. in Cant.] *Aſcenſus profectò arduus eſt, & caſſus conatus abſque Dei adjutorio* Poſſumus tantùm concurrere cum illo, conſenſum noſtrum præbentes; ideò S. Auguſtinus *b* [b S. Aug. l. de Gratia & lib. Arbitr. c. 17. ex Philip. 2. 13.] ait; *Ipſe ut volumus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Deus ad bonum nos excitat; nam quandiu in peccato ſumus, non poſſumus ex nobis concipere vel cogitationem efficacem ſalutis noſtræ, quin ipſe nos præveniat gratiâ ſuâ *c*, [c 2. Cor. 3. 5] & ſic mota voluntas noſtra cooperatur, ut dicebat Sponſa, *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum* d. [d Cant. 1. 3] *Trahe me*, ecce gratia, quæ vocat, gratia præveniens. *Curremus*, hæc eſt gratia quæ adjuvat, cui cooperamur, cùm prima gratia ſit ſemper neceſ-

ſaria ut revertamur ad Deum. Cùm voluntas noſtra diſceſſerit à Deo voluntariè per peccatum, cùm peccatum ſit voluntarium, oportet etiam ut hæc eadem voluntas illuc revertatur, ut faciat hunc motum reflexum, revertens illuc unde diſceſſerat. Diſceſſit ipſa à Deo, cùm peccando illum deſeruit, oportet ut benefaciendo ad eum revertatur; ut hoc cymbalum tinniens voluntatis reſonet pro vivis, poſtquam reſonuit pro mortuis. Loca quædam ſunt in quibus eſt unicum cymbalum indifferenter & vivis inſerviens & mortuis: Ita utendum eſt voluntate noſtrâ. Cùm enim illam induximus ut ſonitum ederet pro mortuis, peccando lethiferè, ſtatim compellenda eſt ut pro vivis ſonitum ſuum diffundat, revertendo ad Deum per pœnitentiam.

Liberum arbitrium requiritur in converſione
e S. Aug. Serm. 15 de Verb. Apoſt. 11 — noſtra, ut ait S. Auguſtinus e, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Fecit nolentem, juſtificat volentem.* Non autem ſolum, ſed gratiâ Divinâ adjutum: *Vis ſanus fieri?* ait Jeſus paralytico, cùm
f Jo. 5. 6. &c. — concurſus noſter neceſſarius ſit cum gratia. S. Paulus nihil poteſt ſine gratia, ſed cum gratia omnia poteſt, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*
g Philip. 4. 13. — g. Liberum arbitrium noſtrum vellet quidem piſcinæ immergi, ſed non poteſt ſine gratia. Poſſumus quidem, ſi volumus, præcipitare nos in abyſſos; ſed ut inde exeamus, non eſt in noſtra id poſitum poteſtate, ut poſt peccatum ſuum dicebat Deo David, *Emitte manum tuam de alto, eripe me*
h Pſ. 143. 7 — h. Poſſumus re verâ ex nobis ipſis peccatum perpetrare, deſcendere in hanc profundam abyſſum; ſed inde revocare gradum, ex nobis ipſis non valemus, oportet ut Deus ſuam nobis præbeat manum, Divinumque ſuum nobis impendat auxilium. Sumus nos inſtar januarum illarum, quæ attractæ, ſeipſis clauduntur ſine clave, ſed ad ipſas aperiendas requiritur clavis: ita planè de nobis agitur, nobiſmetipſis januam claudimus, diſcedimus a Deo; ſed ut aperiamus eam, & revertamur ad Deum per motum reflexum, neceſſaria eſt clavis gratiæ. Queritur David Deo i, eò quod poſt
i Pſ. 142. 4. — adulterium cum Bethſabee patratum, in tenebroſis ab ipſo fuiſſet collocatus locis, *Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi*; inſtar mortuorũ ſenſus incapacium. Ita poſt peccatum non poſſum facere hunc motum reflexum, ut revertar ad Deum, a quo per peccatum diſceſſi, niſi gratiâ Divina adjutus.

Quædam invenitur avis in Ægypto, nomine Ibis, quæ purgat omnem illam regionem, occidens omnia animalia venenoſa. Symbolicè repræſentatur cum roſtro lacerante ſerpentes, præfixa inſcriptione, *Noxia pello.* Ita gratia cum invenitur in anima, ab ea ejicit omne peccatum lethale, noxia pellit. Sponſus cœleſtis loquens de ſpecie Sponſæ ſuæ, comparat eam horto concluſo;
k Cant. 4 12. — *Hortus concluſus Soror mea Sponſa* k. Sed quare eam horto æquiparat concluſo? Ratio iſtius eſt, Quia
l Gen. 3 18. — hortus ex ſe *ſpinas* producit *& tribulos* l. Ut autem bonas germinet plantas; & flores, fructuſque ferat utiles, neceſſaria eſt hortulani cultura & operatio. *Fons ſignatus*, addit inſuper Sponſus. Oportet præterea bene eum irrigare: Pari modo, nihil niſi *ſpinas & tribulos* germinamus peccatorum & imperfectionum. Si autem deſideremus producere bonos fructus, germinare opera bona, requiritur cultura hortulani, quæ nihil eſt aliud niſi Gratia divina: neceſſarius eſt concurſus cœleſtis. & ros
m Jacob. 1. 17. — *deſuper ſum deſcendens a Patre luminum* m. Alioquin enim ſteriles erimus, nec aliquid boni germinabimus. Cum gratia verò, & cum cooperatione ejuſdem gratiæ, mortem omnium vitiorum noſtrorum ſerpentibus inferemus, & evellemus *ſpinas & tribulos* peccatorum noſtrorum ex horto animarum noſtrarum.

Diſcamus hinc, Auditores, qualem nobis injuriam irrogemus, cùm ſeparamus nos à Deo per peccatum. Crudeles nobis ipſis efficimur, & injurioſi felicitati noſtræ, quam profligamus. Timeamus, imò verò in continuo permaneamus timore, quamdiu peccamus; quia poſitum eſt in poteſtate illius, quem offendimus, dare nobis gratiam ſuam, quam ex nobis nullo mereri poſſumus modo. In nobis quidem eſt, more corvi n, exire — n Gen. 8. 7. &c.
ex arca gratiæ, ut requieſcat pes noſter inter cadavera & ſordes peccati; ſed ut in eandem redeamus, poſtquam ex ea exivimus, neceſſariæ ſunt alæ columbæ, requiritur auxilium Spiritûs ſancti, quem Evangeliſta o repræſentat nobis ſicut *columbam.* Et hoc erat deſiderium Regis pœnitentis, ex ea per peccatum egreſſi p, in eandem reverti cupientis, *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo, & requieſcam* †? Quomodo igitur offendemus Deum? quomodo diſcedemus ab eo per peccatum? Cùm non poſſimus ad illum ſine ipſo reverti. Quis audebit impoſterum ſe peccato lethifero inquinare? Quis ita cæcus & impudens, & ſic ſuæ ſalutis oblitus, ut diſcedat à Summo Bono q, & ab ultimo Fine ſuo r? Heu! Quot tales inveniuntur (*hoc & flens dico* s) faxit autem Deus ut nulli inveniantur in hoc circulo. Si verò forte aliquis talis reperiatur hic, ipſum obſecro validiſſimis omnibus conſiderationibus, quæ animum flectere queant rationis capacem; ut motu reflexu moveatur, & revertatur per pœnitentiam ad Deum ſuum, a quo ipſe diſceſſerat per peccatum. Ipſum Dei Filius *expectat ut miſereatur* t ipſius; brachia habet aperta, caput deprimit *ſpinis* * coronatum ut ipſi pacis infigat oſculum; *Sanguis* u ipſius e venis ſcaturiens ipſum invitat ut ſuæ adeat *cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam* x conſequatur. Sacra ipſius vulnera teſtimonium ipſi præbent exceſſûs amoris ſui. Euge igitur peccator, qui diſceſſiſti a Deo tuo per peccatum. Ipſe te ſollicitat ad reditum, *Revertere, revertere* y. Elice hunc motum, revertere ad Deum per gratiam, a quo egreſſus fuiſti per crimen; gratiam, quam Deus operatur in nobis, cum ipſâ facit hunc motum, qui ipſi cauſatur ab hoc principio, ſicut & progreſſivus,

o Matth. 3. 16.
p 2. Reg. 11. 4. &c.
† Pſ. 54. 7.
q Exod. 3. 19.
r Apoc. 8
s Philipp. 3. 18.
t Iſa. 30. 18.
* Jo. 19 2.
u Jo. 19 34.
x Hebr. 4 16.
y Cant. 6. 12.

Qui in eo ſitus eſt, ut procedat quis ſemper *de virtute in virtutem* z, de perfectione in perfectionem, ſemper progrediendo, nec unquam retrò reſpiciendo, more animalium Ezechielis a, quæ tantùm oculos habebant ut ante ſe reſpicerent, *Unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat: ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent*, eſuriendo b profectum ſuum ſpiritualem, concupiſcendo proceſſum in via ſanctitatis, ut ait Apoſtolus c, *Sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino ſervientes.* Eſtiſne devoti? progredi ſemper conamini in via devotionis & ſanctitatis; *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc* d. Et ratio illius eſt, Quia homo eſt hujus naturæ, & ita mutationi ſubjacet ut nunquam in eodem perſeveret ſtatu, *Homo vanitati ſimilis* e, *nunquam in eodem ſtatu permanet* f. Corpus oppoſitum ſpiritui, ipſum deorſum trahit; *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogi-*

z Pſ. 83. 8.
a Ezech. 1. 12.
b Matth. 5. 6
c Rom. 12 11.
d Apoc. 22. 11.
e Pſ. 143. 4.
f Job. 14. 2.

[g Sap. 9. 15.] *cogitantem* g; niſi ſpeciali gratiâ ipſe ſurſum ſe elevare conetur.

Oportet igitur ut conemini ſemper progredi. Inviſitiſne xenodochia, pauperes, & ægrotos? Id efficite ſemper cum majori fervore, nunquam in eodem ſtatu permanendo, ſed ſemper progrediendo, & nunquam ſiſtendo, [h Pſ. 83. 8.] *Ibunt de virtute in virtutem: Videbitur Deus Deorum in Sion* h. Non ceſſant fluere donec revertâtur *ad locum unde exeunt,* [i Eccl. 1. 7.] *flumina, ut iterùm fluant* i. Ignis aſcendit ſine ulla mora ad ſuam uſque ſphæram: Luna non deſinit creſcere, quoadusque ſuam attigerit plenitudinem: Sic nec nos unquam noſtrum debemus interrumpere progreſſum, donec ad limites mortis pervenientes, ingrediamur hoc mare infinitum gloriæ virtutibus plenæ, ubi accenſi Divino amore ſiſtemus & quieſcemus in Deo ut in propria noſtra ſphæra, ut conſulit nobis Apoſtolus [k Philip. 3. 14.] k in perſona ſua, *Quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea quæ priora ſunt me extendens, ad deſtinatam perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Obliviſcentes eorum, quæ retrò nos ſunt, obliviſcentes præteriti, illudque contemptui habentes, & inſumentes omnes vires noſtras ad conſequendas res priſtinas, nunquam aſpicientes retrò; ne fortè applicari nobis debeat illud ejuſdem Apoſtoli [l Philipp. 3. 18. & 19.] l dicentis, *Multi enim ambulant (quos ſæpe dicebam vobis) quorum finis interitus;* conformiter ad hæc Evangelica [m Luc. 9. 62.] m verba, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Quia Filij Iſraël egreſſi ex Ægypto, redierunt retrò pravis deſiderijs ſuis [n Num. 11. 4. &c.] n, idcircò terram promiſſam non ſunt ingreſſi [o Deut. 1. 34. &c.] o. Imitandum nobis eſt exemplum Chriſti, qui *proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines* [p Luc. 2. 52.] p. Prohibuerat aliàs Deus, ne conſtitutus ab Iſraëlitis Rex poſt exitum ex Ægypto, eundem populum ſum in Ægyptum idem Rex reduceret [q Deut. 17. 15. & 16.] q; ut oſtenderet nobis quàm longè abhorreat à reditu retrò. Juſti comparantur Soli, *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem* [r Prov. 4. 18.] r. Idcircò debent more iſtius aſtri ſemper procedere, & creſcere uſque ad ſplendidum meridiem gloriæ; *Juſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum* [s Matth. 13. 43.] s.

S. Thomas [t S. Thō. lect. 2. in hunc loc. Philipp.] t ſuper hæc verba Apoſtoli, *Quæ retrò ſunt obliviſcens,* petit quomodo ſint illa intelligenda. Et reſpondet; Obliviſcendo divitiarum, & infinitorum aliorum commodorum ſuorum, & donorum, quibus perfruebatur. Erat enim prædives S. Paulus, nobiliſſimus, ortus ex illuſtri familia Abrahæ, è famoſâ progenie Beniamin [u Rom. 11. 1.] u, è qua tribu egreſſus eſt primus Rex Juda [x Act. 13. 21.] x. Doctiſſimus erat, *Secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis* [y Act. 22. 3.] y. Et cùm peragraſſet Athenas, rarâ ſuâ doctrinâ ibi confudit Philoſophos quoſdam Epicureos & Stoicos, illicque magnum S. Dionyſium Areopagi decus, & alios ad fidem convertit [z Act. 17. 15. &c.] z. Nulluſque unquam majori honore affectus fuit, quàm ipſe fuerit ibi exceptus, cùm ipſi vellent Athenienſes offerre ſacrificia, rati illum fuiſſe *Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi* [a Act. 14. 10. &c.] a. Ipſe *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* [b 2. Cor. 12. 4.] b. Ecce ea quorum oblivisci nos decet, ut oblitus eſt Apoſtolus, *quæ retrò ſunt obliviſcens.*

S. Auguſtinus [c S. Aug. in Pſ. 9.] c ait id intelligendum; Obliviſcendo peccatorum ſuorum; rabiei, quâ ductus fuerat adversùs fideles, quibus erat infenſiſſimus, cùm omnibus modis ipſorum exterminium ac ruinam fuiſſet machinatus, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* [d Act. 9. 1.] d. Quod ipſemet teſtatur, dicens, *Perſecutus ſum Eccleſiam Dei* [e 1. Cor. 15. 9.] e. Non ignoratis, Auditores, quantus fuerit iſtius Apoſtoli alias furor. Sed quomodo illud? Nonne licet, imò verò nonne actio ſancta eſt ac meritoria peccatorum ſuorum meminiſſe tranſactorum? Nunquid non Concionatores & Confeſſarij inculcant animis Auditorum & pœnitentium ut ea revocent in memoriam, ut ea deteſtentur, & generaliter ipſa confiteantur? Quare igitur S. Auguſtinus ait, peccatorum eſſe obliviſcendum? Reſpondetur ad tuendum S. Auguſtinum, duo eſſe genera oblivionis peccatorum noſtrorum. Prius eſt, ut eorum non meminerimus ita ut in ijs nobis complaceamus; non autem vice verſâ, deplorandam infelicitatem! more illorum, qui eorundem recordantur, ut ex ijs gloriam ſibi vendicent, *qui lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis* [f Prov. 2. 14.] f. Inde enim anſam ſumunt aucupandæ vanæ gloriæ, unde confuſionis occaſionem deberent arripere. Secula perverſa & corrupta, quibus vitium exultat, virtus verò deprimitur! Conſtupraverit aliquis virginem, aut mulierem cognoverit, & inde gloriabitur! Meretur-ne vitium laudem? Illud eſt, cujus decet obliviſci. Hæc recordatio mortem animæ infert; non autem ea, quæ peccatorum tranſactorum nobis dolorem conciliat. S. Chryſoſtomus [g S. Chryſoſt. hom. 12. in Epiſt. ad Philipp. 3. 14.] g autem inde intelligit pœnas & labores, quæ Apoſtolus hauſerat, catenas, ergaſtula, paupertatem, flagella, naufragia [h 2. Cor. 11. 23. &c.] h, &c. eorum omnium obliviſcens, eò *quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [i Rom. 8. 18.] i. Quid enim patimur comparatione eorum, quæ nobis promiſſa ſunt? Cùm polliceatur nobis Deus æternam felicitatem pro momento laboris vel unico tolerati; *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis* [k 2. Cor. 4. 17.] k.

Tria Deus odio proſequitur, quippe qui ea pati non poſſit in homine, qui ijs obnoxius eſt; deſerere, reverti, & ſiſtere. Deſerere, nimirum apoſtatas, ſolemnes illos deſertores, qui deſciſcunt à fide, quâ ſemel donati ſunt in Baptiſmo, in quo *ex aqua & Spiritu ſancto* [l Jo. 3. 5.] l renati ſunt. Reverti, putà eos, quorum eſt, more *canis, reverſus ad ſuum vomitum* [m 2 Pet. 2. 22. ex Prov. 26. 11.] m, poſt ſuſceptos bonarum inſpirationum motus [n Prov. 1. 24. &c.] n, imò verò poſt emendatam priorem vitã profligatã ſeriâ & ſanâ pœnitentiâ. Et ſiſtere, ſcilicet illos, qui cùm inceperint præ ardore currere *viã mandatorum* [o Pſ. 118. 32.] o Dei, & in virtutis ſemitâ progredi ſectandâ, ibi ſiſtunt, nedum in eâ procedant; *In quibus omnibus ſi quis forſitan proficere diſſimulat, & proficiſci de virtute in virtutem, noverit quiſquis hujuſmodi eſt, in ſtatione, non in proceſſione ſe eſſe, imò verò & in regreſſione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi eſt, cùm nihil adhuc in eodem ſtatu permaneat,* ait S. Bernardus [p S. Bern. Ser. 2. de Purific.] p; ipſaque imperfectio & gravitas naturæ noſtræ deorſum nos trahant; *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam* [q Sap. 9. 15.] q. Non ſecus ac horologij libramina, quæ ſic deſcendunt ut ipſa interdum ſint elevanda, ut horologium ſolitâ incedat viâ: ejuſdem ſumus conditionis nos, oportet ut elevemur virtutis exercitio & praxi, ni velimus deſcendere deorſum, imperfectionum noſtrarum nimio pondere prægravati. Nobis ergo eſt progrediendum, ſi nolimus regredi, cùm impoſſibile ſit, ut jam dixi, ut in eodem ſemper permaneamus ſtatu.

Sic eſt, Auditores, & de hac veritate nullus relinquitur ambigendi locus. Deus ſolus ſemper idem eſt, nullis unquam mutationibus aut altera-

tio-

[← r Pſ.101. 28.] [← s 3. Reg. 19. 7.] tionibus ſubjacet, *Tu autem idem ipſe es* r. Si ſiſtis, ô homo, regrederis. Quomodo autem ſiſtendum? cùm iter ſic longum nobis agendum ſit à terra ad cœlum uſque, quorum tanta eſt diſtantia, & ſic prolixa itineratio; *Grandis enim reſtat via* s. Heu! Quàm multùm illinc diſtamus! Quod autem pejus eſt, nobis eſt incognitum, an nobis committendum ſit tempus, quo viam illam tranſigamus. Fortaſſe poſt diem unum, vel alterum nobis erit diſcedendum, & receptui canendum, & fortè citiùs quàm de diſceſſu cogitaverimus ſuſcipiendo. Non exigui, ſed graviſſimi res eſt iſta ponderis, in ea quippe agitur de paradiſo. Siſtemuſne in via? an brachia in crucis modum complicabimus? quieſcemuſne, cùm nobis neceſſarius eſt labor? invigilabimuſne ſic parùm commodis noſtris ac noſtræ ſaluti? Nequaquam. Sed operi incumbemus, exercitio bonorum vacabimus operum, progrediemur ſemper, nec unquam quieſcemus, ne non perveniamus ad Beatorum domicilium, quò vocati ſumus. Macti igitur animo operemur ſalutem noſtram præ ardore ac diligentia, *Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare*, ait Eccleſiaſtes t.

[← t Eccl. 9 10.] Ingredientes Romani veteres templum, peragebant in eo circulum, priuſquam ſederent, ut innuerent laborem eſſe neceſſarium ante quietem. Laboremus igitur ad comparandum nobis cœlum, quod debet eſſe merces ſudorum & laborum noſtrorum, progrediamur ſemper, nec unquam retrò aſpiciamus, memores exercitij Apoſtoli, *Quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea quæ priora ſunt me extendens, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Obliviſcamur divitiarum, quæ obſtaculo ſunt ijs, qui incedere volunt in via mandatorum Dei, & in ſemita virtutis, *Retrò enim eſt omne quod tranſit*, ait S. Gregorius u.

[← u S. Gregor. l. 33. Moral. c. 23.] [← x Luc. 17 10.] Obliviſcatur unuſquiſque peccatorum ſuorum veterum, nec ullus eò procedat impudentiæ ut de ijs glorietur. Ne meminerimus bonorum operum, quibus fortaſſe operam navavimus, præ periculo captandæ præſumptionis; cùm id omne quod agimus, nihil ſit habitâ ratione eorum, quæ agere deberemus x, & eorũ, quæ nobis pollicitus eſt Deus. Progrediamur igitur, faciamus hunc motum progreſſivum, & deinde incumbemus circulari, qui eſt duobus prioribus perfectior.

[← III. Pars.] [← y Job. 10 8.] [← z Apoc. 3. 8] Natura & perfectio hujus motûs circularis in eo ſita eſt, ut reverſus fiat ad idem punctum unde factus eſt exitus. V. g. circulum circino efficitis, perfecto circulo extremum circini redit ad idem punctum unde exierat. Exivimus omnes nos è manibus Dei, *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me* y. Oportet ad perfectionem noſtram conſummandam ut ad eum redeamus. Omnes nos eramus in Deo, antequàm in nobis eſſemus; ipſe eſt Principium noſtrum, cùm ab ipſo eſſe habeamus noſtrum. Ad illum ergo ut ad centrum noſtrum, & ad finem z noſtrum pergere debemus.

[→ a Exod. 33. 19.] [→ b S. Aug. l. 1. Cõf. c. 1] In hac poſſeſſione unica quietem inveniemus, cùm felicitas noſtra conſiſtat ut redeamus illuc per gloriam, unde exivimus per gratiam. Effectus cenſetur perfectus, quando ad ſuum recurrit principium. In hoc ſita eſt perfectio noſtra, eò omnes noſtras dirigere debemus cogitationes, omneſque conatus noſtros inſumere, ut huic vacemus motui circulari, qui eſt terminus & complementum felicitatis noſtræ. In vanum hîc laboramus rerum terrenarum intuitu, ut comparemus nobis temporalia commoda, quippe quæ brevi de medio tollenda, & peritura. Inanes omnes vigiliæ noſtræ & inutiles omnes ſudores noſtri, niſi ſuſcipiantur ad terminandum hunc motum, qui nos ad noſtram evehit felicitatem, uniens nos primo principio noſtro, quod eſt Deus. Fruſtra noſmetipſos conſumimus, ſi illum non habemus præ oculis. Sit ergo hoc ſpecialis cura noſtra, adhibeamus omnes vires noſtras ut uniamus nos principio noſtro. Quælibet alia res vana eſt ac ſuperflua, niſi intueatur hanc unionem cum Deo, qui eſt ſummum Bonum a noſtrum. Motus iſte eſt penitus neceſſarius ut nos in æternum beatos conſtituat. Hoc ipſum eſt centrum felicitatis noſtræ, in quo quieſcere debemus, cùm extra ipſum omnia ſint inquieta, ut ajebat S. Auguſtinus b, Deum alloquens: *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

[→ c Luc. 10. 41.] [→ d Luc. 10 42.] Queritur Salvator Marthæ ob nimiam ſolicitudinem, quam ipſa exhibebat in excipienda humanitate ſua; licèt ſacra foret hæc ſolicitudo: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima* c. Vobis idem dico, Auditores. In vanum hîc laboratis intuitu bonorum temporalium, ut congregetis divitias, quas mox deſeretis, & quas auferre non poteritis: *Turbaris erga plurima.* Avare, cui bono tot ſolicitudines, quæ perſæpè tuam requiem interturbant? Impudice, nimio labore cõſumeris ut infamibus, quæ tibi parant exitium, vaces voluptatibus. Superbe, quid non agis ut ambitionem tuam ad exitum perducas uſque? Sed imitaris araneam, quæ ſua viſcera diſcindit, ut telam texat vel minimo flatu venti, aut ſaltem ſcoparum ictu exiguo auferendam: *Turbaris erga plurima.* Ha! Unica res tibi ſufficit, *Porrò unum eſt neceſſarium* d, & nihil amplius. Hæc eſſe debent Chriſtiani inſignia. Omne aliud, hoc deficiente, inutile eſt. Enitendum nobis eſt ut faciamus hunc motum circularem, in quo adimplendo tota ſita eſt noſtra felicitas, & univerſa perfectio noſtra. Revertendum nobis eſt ad Deum noſtrum, à quo exivimus. Illuc pergere debent omnes intentiones noſtræ. Illuc dirigere debemus omnes curas noſtras, cùm alia quælibet cogitatio ſit ſuperflua, quæ hoc objectum non ſibi proponat ut finem.

[→ e Jo. 16 7. &c.] [→ f Pſ. 38. 13.] Meminiſſe debemus illius, quod Chriſtus e dixit diſcipulis ſuis ante Aſcenſionem ſuam: *Vado ad eum, qui miſit me. Expedit vobis ut ego vadam.* Apoſtoli mei, non ſum ego de hoc ſeculo, *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ita vos, Auditores, dicere debetis diabolo ſolicitanti vos ad perpetrandum aliquod peccatum: *Expedit ut ego vadam.* Ha! Quomodo fieri poteſt ut tali me inquinem ſcelere, quod mihi ſuggeritur? *Expedit ut ego vadam.* Diu non ſum in hoc mundo victurus, in eo ſum veluti *advena & peregrinus* f. Cui ergo bono tot ſolicitudines ad comparanda bona tranſitoria? Cui commodo tot curæ, cùm periculo profligandæ animæ meæ, & incurrendæ indignationis Divinæ præ commercijs illicitis exponar? Cui autem relinquam hæc omnia, quæ mihi modò tantum laborem afferunt? Fortaſſe ingratis, qui ne vel unicum denarium ad quietem animæ meæ è corpore ſolutæ procurandam impendent. Fortè prodigis, qui ea diſſipabunt, indulgentes diſſolutionibus, luxui, exceſſibus oris & ventris, & alijs praxibus infamibus & inhoneſtis, quibus offenditur Deus. Cùm igitur hæc omnia non poſſim auferre, & id mihi ſit impoſſibile, *expedit ut ego vadam*, oportet ut hunc motum peragam

gam

gam circularem, & revertar ad Deum, à quo exivi, ſicut opus ad ſuum principium. Faciamus, Auditores, hos tres motus. Reflexum, Si ſimus in peccato, revertamur illuc unde exivimus: Deus ſuam nobis ad hunc effectum offert gratiam. Progreſſivum, Euntes *de virtute in virtutem*. Et Circularem, Cùm pergemus ad fruendum Deo. Redeamus igitur ad eum per gratiam, & uniemur ei in gloria.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMAE.

Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.
Matth. 12. 38. &c. ex Jon. 2. 1. &c.

HÆc eſt maxima in ſcholis univerſim ſumpta, quà fertur, *Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt*. Color v. g. candidus nigro colori applicatus, evidentiùs apparet, & ſplendorem ſuum magis exhibet. Idcircò pictores operibus ſuis maximè delicatis ſubjungunt nemora, ſylvas, & umbras, ut majorem ſuis addant picturis ſplendorem. Hunc obſervat hodiernà die procedendi modum in Evangelio noſtro Dei Filius, opponens Judæorum obſtinationi promptam Ninivitarum pœnitentiam, ut meliùs ingratitudinem ipſorum oſtendat, & malitiam. Sed id quod dicebatur alias Judæis, dirigitur hodie ad Chriſtianos. Hic agendi modus docet nos agere pœnitentiam, quà ſuſcipiant gratiam, cujus Maria; quæ
a Cant. 4. 7 jam erat innocens *a*, accepit plenitudinem eodem momento, quo dixit ei Angelus, *Ave Maria*.

Intuitus aliàs diabolus Dei Filium accedere ad ſe, ut ſe è corpore, quod ipſe poſſidebat, expelleret, humi proſtratus illum adoravit, contentà voce inclamans, *Quid mihi & tibi eſt, Ieſu Fili*
b Luc. 8. 28. *Altiſſimi? Obſecro te ne me torqueas* b. Videns ſe nihil profeciſſe adversùs illum in deſerto *c*, gulâ,
c Matth. 4. 3. &c. vanitate, & avaritiâ; adulatione eum aggreditur, ante illum vadit, & quaſi verò velit eum agnoſcere, hæc verba profert ſupradicta. Su-
d S. Chryſol. Ser. 57. per quæ Sanctus Chryſologus *d* hæc aurea promit: *Credit infelix, ut eum, quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere, poſſit adulatione pulſare.* Sed hæc omnia inutiliter. *Nam & modò ut adulator; non ut devotus & obſequens hic adorat.* Non præ devotione, ſed præ adulatione, & falsâ adoratione Chriſtum veneratur diabolus. Sed Chriſtus, qui deteſtatur hoc vitium, illum ignominiosè expulit, *Præcipiebat*
e Luc. 8. 29. &c. *enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine* e, &c. Videns ergo diabolus ſe deprehenſum, hodiernà die adhibet Scribas & Phariſæos ut ei adulentur, eumque ſic alloquantur: *Magiſter*, &c. Chriſtus abhorret ab hoc vitio, & reſpondet, *Generatio mala & adultera*, &c. Quod conve-
f S. Aug. in Pſ. 69. nit adulationi, juxta id quod ait S. Auguſtinus *f*, *Plùs perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* Dicebant veteres quidam Philoſophi, ſe maluiſſe devorari à corvis, quàm laudari ab adulatoribus: quia corvi oculos evellunt è cadaveribus, cùm adulatores eos eruant è corporibus viventibus, ſintque iſti peſtes Reipublicæ.

Sed obſervate, ſi placet, eorum verba, *Magiſter, volumus à te ſignum videre.* Quàm temeraria eſt impietas, quantâ præſumptione referta! *Magiſter*, effice aliquod miraculum, quo noſtræ curioſitati facias ſatis. *Volumus à te ſignum videre.* Quæ audacia! *Volumus.* Illum vocant Magiſtrum: ſed hypocritæ illi oſtendunt ſatis operibus ſuis ſe non eſſe profectò veros diſcipulos, *Quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapien-* g 1. Cor. 1. 22.
tiam quærunt g. Voluiſſent ut ille, quò ipſi meliùs in notitiam Divinitatis illius perveniſſent, præcepiſſet Soli ut ſtetiſſet, ſicut tempore Joſue
h Joſ. 10. 12. *h*: aut ut fuiſſet retrogreſſus, in gratiam ipſorum, ſicut *in horologio Achaz, reverſus eſt decem lineis per gradus, quos deſcenderat* i, ea, quâ regnabat Eze- i Iſa. 38. 8.
chias, tempeſtate. Jeſus reſpondit eis, nullum illis dandum ſignum, *niſi ſignum Ionæ Prophetæ in ventre ceti.* Sed quid? Signum mortis Chriſti, ubi *obſcuratus eſt Sol* k, *& velum templi ſciſ-* k Luc. 23. 45.
ſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum, &
l Matth. 27. 51. & 52. *petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* l; ubi tota natura videbatur diſſolvenda: Hæc omnia nunquid non ſunt ſpecioſa ſigna? S. m S. Hilar. Comment. in Matth. can. 12.
Hilarius *m*, & S. Hieronymus *n* reſpondent Chriſtum intellexiſſe id de ſigno reprobationis & condemnationis: illos nullum aliud habituros ſignum, *niſi ſignum Ionæ.* Hoc dirigitur ad nos. Ego n S. Hier. l. 2. Côment. in c. 12. 39. Matth.
autem oſtendam vobis primò, Me facere id, quod fecit Jonas, ut vos inducam ad pœnitentiam. Secundò, videbitis potentiam pœnitentiæ. Tertiò, Non eſſe abutendum pœnitentiâ. Diviſio.

Non ignoratis quid acciderit Jonæ Prophetæ, I. Pars.
cùm mandatum accepiſſet à Deo eundi Niniven, ut prædicaret in ea Verbum Divinum, eamque ad pœnitentiam induceret amplectendam. Ecce patentes literæ officij illi commiſſi. *Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia ejus coram me* o. Miſſus igitur fuit Jonas à Deo directè & im- o Jon. 1. 2. &c.
mediatè ad prædicandum civitati huic magnæ, in qua luxus, avaritia, diſſolutio, & cætera omnia vitia thronum ſuum collocarant. Concionatores nunquid non ſunt veluti alij Jonæ immediatè miſſi a Deo, per quos loquitur idem Deus, juxta promiſſum ipſis factum? *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* p. Pergit Jonas non alijs lite- p Matth. 10. 20.
ris patentibus & teſtimonialibus munitus, niſi Verbo à Deo ſuo ſuſcepto. Sed Concionatores nunquam Divini prædicandi aggrediuntur officium Verbi ſine licentia Ordinariorum, & quin à Prælatis mittantur; *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur* q? Quod non dicitur de Hæreticis. q Rom. 10. 15.

Prægrandem hanc ingreditur Jonas civitatem, vir incognitus, natione Judæus, in eaque incipit prædicare *non in ſublimitate ſermonis* r; r 1. Cor. 2. 1.
non facundiâ, nec figuris Rhetoricis, nec periodis verbis exquiſitis atque electis quadrantibus inſtructus; ſed verba promens auſtera & rudia:

ſ Jo. 3. 4. &c. *Adhuc quadraginta dies , & Ninive ſubvertetur* s. Quid ſiccius, quid auſterius his verbis ſterilibus ? Et ecce ſtatim Rex *ſurrexit de ſolio ſuo*, depoſitiſque ſceptro ac diademate regiæ majeſtatis inſignibus, incumbit pœnitentiæ praxi; omnes civitatis hujus incolæ prægrandis ſaccis operiunt ſe ac cilicijs , necnon & minimus è populo, Regis ad exemplum , omnes illi eidem vacant macerationis exercitio. Nemo eſt qui lacrymis ſuis non inſtet juſtam Dei iracundiam mitigare , ut revocetur ſententia mortis & ruinæ comminatoria, ad quam juſtè & meritò damnati fuerant ob ſua ſcelera : imò verò ipſi *jumenta* ſua inducunt ad jejunandum & abſtinendum propter hunc effectum per dies aliquot. Heu ! Concionatores veniunt, prædicant minas, ſupplicia, indignationes, infortunia, infelicitates, inferna ; & tamen nihil proficiunt. Figuras adhibent , & omnibus utuntur eloquentiæ lenocinijs , quibus auditorum demulceant animos : Sed, Heu deplorandam ſanguineis lacrymis infelicitatem! nullus eſt qui pœnitentiam agat ; *Omnes declinaverunt , ſimul inutiles facti ſunt , non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*

t Pſ. 13. 3 t. Primâ die prædicationis Jonæ, unuſquiſque vitio valedicit, & virtutem amplectitur ſedulò ; nec ullus eſt qui Prophetæ verbis contradicat, aut ijs ſe opponat. Die autem hodiernâ ſi Concionatores in vitium invehantur , in diſſolutiones , & in ſcelera, quibus indulgent homines ; Si in pecca-

u 2. Paral. 19. 2. ta excandeſcant, quæ *iramu* Dei trahunt ac indignationem , eique præ manibus ponunt virgas & flagella , quibus hominum flagitia juxta ipſorum demerita excipiat : Si in impuritatem , uſuram, avaritiam, & ambitionem inſurgant : Ha! Clamoſus eſt iſte Concionator , inquiunt illi , nobis aures obtundit, nobis eſt importonitati ac faſtidio. Cur ſic clamat nobis ? Cui autem bono tot verba inutilia ?

Tres habuiſſe dicitur Ninive civitas dies circuitûs, ſex leucas latitudinis , centum & triginta turres , & tres inceſſiſſe referuntur ſuper ipſius mœnia unâ fronte rhedæ; in eaque fuiſſe centum & viginti millia animarum , quæ tunc nondum actualiter peccaviſſent , quippe quæ adhuc incapaces diſcernendi boni à malo , infantes nimirum lactentes , matrum adhærentes uberibus,

x Pſ. 118 68. innocentes. Deus bone x! Quam ingens hic erat populus , & quàm numeroſa iſta civitas ! Et tamen omnes civitatis hujus incolæ convertuntur , ipſis prædicante Jonâ. Primâ ſiquidem die prædicationis Jonæ, unuſquiſque pœnitentiam amplexus eſt ; quin imò & ipſa bruta jejunare compulſa ſunt. Heu! Auditores, Nunquid non accuſabit vos hoc jejunium ? Nonne condemnabit vos hæc pœnitentia extremo judicij die ? Annon Ninivitæ cauſam dicent & judicium pronunciabunt adversùs vos ? Sic eſt. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta , & condemnabunt eam , quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Ha! Auditores , poteramne dicere peractâ hâc ſacrâ Quadrageſimâ , quæ nobis ad agendam datur pœnitentiam, me converti ſſe , non totum hunc , quo circumcingor, populum , ſed unicam vel animam ? Imò verò me vel impediviſſe, ne quis in peccatum lapſus fuerit lethiferum ? Deus bone ! Quâ donarer felicitate , ſi tali & tam felici eventu me cœlum bearet. Labores meos benè inſumptos exiſtimarem ; & quam voluptatem inde haurirem ! *Ninivitæ* audientes primam concionem Jonæ Viri cujuſdam ignoti , Religionis diverſæ , prædicantis ipſis Deum , quem ipſi ignorabant, *pœnitentiam egerunt* , jejunaverunt , & ſaccis ac cilicijs ſe operuerunt : Ego verò jam à longo ſic tempore vobis Divinum Verbum annuncio , vobis notus ſum , eandem , quam vos profitemini , Religionem colo , eundem Deum adoro , quem vos ut ſupremum veſtrum veneramini Dominum ; & tamen nullum in vobis pœnitentiæ depræhendo fructum , nullam mutationem , nec ullum peragendæ converſionis deſiderium. Semper enim in pravis habitibus perſeveratis ſolitis , ſine intermiſſione commercijs vacatis illicitis , & veſtris indulgetis voluptatibus. Feliciorem, quàm ego nunc habiturus ſim, ſortitus eſt e concione ſua Jonas effectum. Populus Ninives magis credidit Verbo ipſius ; meliùs profecit, quàm profint huic populo N. diſcurſus mei , licèt minus rudes, & prolixiores : Ideò *viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta , & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Iona.*

Fortaſſe Jonas majori, quàm ego vigeam, pollebat merito. Verum eſt, ingenuè fateor. Fortè aliquid erat magis, quàm ego ſim: & hoc diffiteor: *Et ecce pluſquàm Ionas hic.* Sic eſt, Auditores. Ecce ego quâ aliquid magis ſum , quàm fuerit Jonas. Quod ajo nullius vanitatis, nec præſumptionis alicujus conſcius. Jonas non erat Sacerdos : Ego autem ſum Presbyter (licèt immeritus.) Non prædicabat Jonas Jeſum ; Ego verò annuncio *Chriſtum crucifixum* y. Jonas deſtructionem Ninives

publicabat : Ego verò nullum vellem mtueri malum incolis civitatis N. eventurum ; ſed è contrà omne boni genus. *Et ecce pluſquàm Ionas hic.* Jonas erat Propheta, quod ego non ſum, niſi fortè prædicam vobis infortunia , quæ minatur vobis Deus, niſi pœnitentiâ veſtrâ Divinam mitigetis ipſius iracundiam. Tantum meſſuit Jonas ex unica vel concione fructum : Ego autem forſan nullum ex repetitis concionibus colligam. Integram Jonas convertit civitatem : Et fortè egone vel unicam converſurus ſum animam in civitate N. quod multo me afficit dolore. Nunquid enim non peractâ dicere potero Quadrageſimâ , ſi fortè è concionibus meis nullum decerpſeritis fructum ? *In vacuum laboravi , ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi* z.

Verùm enim verò, Auditores, vobis non adulor; id ajo præ dolore, quo afficior jure merito. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta , & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Iona. Quia,* ut ait S. Chryſoſtomus a, *illi Prophetam receperunt.* Ninivitæ , etiamſi Pagani & idololatræ , ad vocem ſimplicem Viri incogniti, natione Judæi , quem nunquam viderant, Concionatoris Religionem , quam ipſi non colebant , profitentis, prædicantis ipſis illud , de quo ſermonem fieri ſibi nunquam audierant , & à quo abhortent omnes delicati, ipſum audiunt , & illi cæco gerunt morem impetu, nedum requirant ab eo officij ipſi commiſſi patentes literas ; neque ſigna & miracula, quibus tanquam ſigillis veritatē, quam ipſis annunciat, obſignet ; quiſve ipſe ſit, vel à quo mittatur, & quare, ab eo non inquirunt. Qui tandem à longo tempore catenis dæmonis alligati, tamen illicò *facti ſunt populus Dei*. Cùm è contrà Chriſtiani uberibus Legis & Prophetarum lactati, educati mediam inter libertatem filiorum adoptionis b, & tot tantiſq; ſignis & miraculis nutriti,

non

y 1. Cor. 2. 3.

z Iſa. 49. 4.

a S. Chryſoſt. hom. 30. ex c. 12 41. in Matth. incert. author.

b Gal. 4 30. & 31.

non ſolum non credunt Concionatorū verbis, ſed quod pejus eſt, quodque me cogitantē perterret, *facti ſunt populus Satanæ*. Quomodo igitur Ninivitæ non eſſent illorum frontes pudore ſuffuſuri? *Viri Ninivitæ ſurgent*; imò verò vos condemnant modo, incolæ civitatis N. Quia fide prædìti deſpectui habetis pœnitentiam, cujus non ignoratis obligationem & neceſſitatem. Non enim vos latère poteſt, quòd *ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis* †. Diſponere igitur debetis vos ad pœnitentiam amplectendam. Ut autem illius perſuadere vobis poſſim exercitium, videamus quænam ſit poteſtas pœnitentiæ in hac ſecunda parte.

† Luc. 13. 5.

II. Pars.

Pœnitentia eſt unicum & præſentiſſimum remedium; imò verò, ſi auſim dicere, Curia ſuprema, in qua ſæpè, & ferè ſemper irrita efficiuntur areſta adversùs peccatores in tribunali divinæ Juſtitiæ pronunciata. S. Joannes Climacus *d* ait, orationem habere ſuum tribunal & aulas juſtitiæ, ubi perſæpè peccata dimittuntur medijs actibus amoris & contritionis, qui in ea exercentur: *Oratio eis qui rectè orant, Curia, & judicium, & tribunal Domini ante futurum tribunal eſt*. Sed ſuprema Curia pœnitentiæ majori viget authoritate, quia ſuam duntaxat oratio exercet poteſtatem ante condemnationem peccatoris; Pœnitentia verò poſt decreta Divinæ juſtitiæ, cùm ſit veluti privatum Regis Conſilium, à quo irrita fiunt & revocantur areſta ab inferioribus lata Senatibus. Pari modo cùm in Conſilio Sanctiſſimæ Trinitatis intervenit pronunciatio areſti mortis contra peccatores; Pœnitentia veluti magnum & privatum Conſilium, quaſi verò majori vigeat, quàm polleat ipſa Divina Juſtitia, authoritate, revocat & irrita facit hæc areſta mortis lata ab eadem divina Majeſtate. Ita ſentit S. Cyrillus Jeroſolymitanus *e*, qui loquens de areſto mortis, quod pronuntiaverat Deus adversùs Regem Ezechiam, ait, quòd cùm Rex iſte auſteræ pœnitentiæ exercitio incubuiſſet, oculos lacrymis perfundens, cor dolore conterens, totus maceratus præ horrore peccati, ſtatim hoc areſtum audivit revocatum, & executionem illius ſuſpenſam, nec adimpletam, *Divinam ſententiam promulgatam hic idem per pœnitentiam revocavit*. Unde videtis decreta lata à divina Juſtitia, revocari & irrita effici a Curia ſuprema Pœnitentiæ: & inde à vobis eſt inferendum, quanta ſit illius poteſtas.

d S. Climac. Scala gradu 28. de Orat.

e S. Cyrill. Jer. de ſu... pſim. catech. 2. ex Eſa. 38. 1. &c.

Decretum adversùs Lamech pronunciatum à divina Juſtitia, videbatur nunquam irritum efficiendum, eò quòd decreviſſet Judex illum ſupplicijs fore mulctandum horribilibus, & ſeptuagies ſepties puniendum; *Ultio dabitur de Lamech ſeptuagies ſepties* f. Nihilomninùs Theodoretus *g* credit illum egiſſe pœnitentiam, & in hac ſacra Curia irritam fuiſſe effectam & revocatam Divinam ſententiam, *Pœnam tamen evaſit propter peccati confeſſionem: & contra ſe ferens ſententiam, evitavit ſententiam Divinam*. Deus deſtruere vult Ninivitas: ad illos mittit Concionatorem dicentem, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur. Pœnitentiam* agunt, & decretum ruinæ ipſorum revocatur, evocant cauſam ſuam, appellant à tribunali juſtitiæ ad tribunal pœnitentiæ, quæ irrita efficit decreta à Juſtitia divina lata, Deumque inducit ut ſe retractet ac conſilium mutet (ſi ita loqui fas eſt.). Hæc verba ſatis amplum vobis perhibent teſtimonium authoritatis & poteſtatis Pœnitentiæ. Suppoſito igitur omnes nos eſſe peccatores *h*, & hanc veritatem, quam mox propoſui vobis, eſſe infallibilem, debemus jugiter progredi in via pœnitentiæ.

f Gen. 4. 24.

g Theodoret. q. 44. in Gen.

h 1. Jo. 1. 8.

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes,

ait proverbium. Quantò magis ut eximatur anima è periculo æternæ ſuæ jacturæ perpetiendæ.

Dixit Salomon *i*: *Sapientia juſtum deduxit per vias rectas*. Ut res aliqua ſit recta, & talis vocetur, oportet ut proportio ſit æqualis inter medium principium & finem. Ut deprehendatur an linea ſit recta, clauditur alter oculus, ut feratur viſus alterius directè ſuper longitudinem lineæ. Si illa ſit gibboſa, aut ſinuoſa in medio, dicitis illam eſſe gibboſam, obliquam, aut tortuoſam, & nullam eſſe proportionem medij cum extremis; ita ut ad hoc ut res aliqua ſit recta, & dicatur talis, oporteat ut medium ſit æquale & omnino conveniat fini & principio. Hoc ſuppoſito Salomon ait, *Sapientia Iuſtum deduxit per vias rectas*. Homo fuit *natus plorans* k. Hæc autem nativitas lugubris inducit illum ut vitam ſuam finiat lacrymis. Si verò medium duorum iſtorum extremorum medios inter tranſigatur fletus, vitam ſuam deducit ipſe per viam rectam. Sin autem vitam ſuam finiat voluptatibus diffluere, diſſolutionibus, ludo, & riſui immodico indulgere, hoc medium, quod eſt vita, non convenit duobus extremis, quæ ſunt nativitas & mors. Sic intelligendus eſt iſte Sapientis locus. Atqui licèt per pœnitentiam peccata ita facilè remittantur, tamen hæc veniæ facilitas non debet homines ad peccati perpetrandi licentiam inducere, ſic ut debeant ipſi nimiâ ejuſdem pœnitentiæ abuti poteſtate præ dilatione ipſius, quod ſupereſt oſtendendum in hac tertia parte.

i Sap. 10. 9. & 10.

k Sap. 7. 3.

III. Pars.

Hanc nobis proponit doctrinam Tertullianus *l*, cùm ait, peccatores non debere peccato indulgere, vitio ſe dedere, illâ ſpe allectos, aperiendam ſibi mediâ pœnitentiâ gratiæ januam. Non oportet ut Clementia divina ipſos magis peccato addictos efficiat ac diſſolutioni; quia fieri poterit ut nimis quàm par ſit divinæ confiſi Miſericordiæ, & ſic ſæpiùs in iterata denuò ac denuò relapſi peccata, ipſi ſint impoſituri finem dilationi divinæ Juſtitiæ, quia utique ſuis peccatis nullum imponunt finem, nec ullos unquam præſcribunt eis limites. Sic autem loquitur Tertullianus de impio: *Utique finem evadendi habebit, cùm offendendi non habebit*. Perpendenda à nobis ſeriò ſunt hæc verba. Videbit finem harum dilationum, & miſericordiam Dei non ampliùs ſibi propitiam futuram peccator, quia peccatorum ſuorum non interrumpit curſum, quorum unum eſt cauſa alterius, *abyſſus abyſſum invocat* m. Sicut enim nequam vitio deditus, atque diſſolutioni indulgens cùm duo aut tria famoſa perpetravit ſcelera, qualia ſunt homicidia, furta, aliave hujuſmodi, etiamſi à Judicibus mulctatus fuerit, & in carcere detentus; liberatus tandē vel authoritate amicorum ſuorum mediâ, vel erogatæ interventu pecuniæ, è manibus juſtitiæ ſeveris, nō deſinit propterea pravis ſuis adhærere affectibus, & priſtinam diſſolutæ vitæ ſuæ ſequens ſemitam, novum denuò perpetrare ſcelus, cujus puniendi ergo ad triremes damnatus, & catenę alligatus duriſſimę, modum adhuc comminiſcetur exeundi è captivitate, catenā ſuam limâ deterens, ſeq; priſtinę libertati intuitus reſtitutum, pravorum ſuorum ſolitam ſequetur affectuū viam, & peſſimę ſuæ inclinationi habenas laxans, novo ſe iterùm inquinabit crimine,

l Tertul. de Pœnit. c. 7.

m Pſ. 41. 8.

Digitized by Google

ratione cujus apprehenſus, & ad Judices tractus, damnabitur ad mortem ignominioſam, quem carnifex impoſito collo ipſius fune ad patibulum ducit, nedum amici ipſius, aut propinqui, aut pecunia hanc poſſint impedire mortem: Atqui hic homo nequam ceſſat tandem ſe ſubtrahere rigoribus juſtitiæ, quia nullum impoſuit diſſolutionibus ſuis ac ſceleribus limitem: *Vtique finem evadendi habebit, cùm offendendi non habebit.*

Idem peragitur in tribunali juſtitiæ Dei, cùm enim peccator enormi ſe aliquo crimine inquinavit, & illud confitetur, rigorem evitat judiciorum Dei. Sed cùm multa patraverit ſcelera, quæ ipſi Miſericordia divina condonaverit, ſi accidat ut ab incepta pravorum habituum ſuorum viâ non deſiſtat ſectandâ, iraſcitur Deus intuitu peccatorum illius, eumque morte puniet ſubitaneâ: & tunc infelix ille finem imponet dilationi juſtitiæ Dei, eò quòd ipſe ſuis finem non impoſuerit exceſſibus. Et hoc eſt quod Tertullianus ait nobis his verbis: *Vtique finem evadendi habebit, cùm offendendi non habebit.* Ut diſcamus non abuti pœnitentiâ, differentes illius exercitium ad horam mortis uſque, quia tunc temporis reputari jure merito poteſt ficta ac diſſimulata.

Sic Deum precatur David, *Contere brachium peccatorũ & maligni; quæretur peccatum illius, & non invenietur* n. Alludit Propheta Reis torturæ applicatis, à quibus vi tormentorum & dolorum extorquetur criminum confeſſio. Statutum autem eſt Legibus, confeſſionem tormentorum vi extractam nullam eſſe, niſi ratificetur & confirmetur à Reo poſt torturam, quia præſumendum eſt hanc confeſſionem vi torturæ extortam fuiſſe; ita ut cùm illam poſt tormenta revocaverit, ſeque ab illo crimine, cujus accuſatur, eſſe immunem declaraverit, torturæ denuò applicetur, carnifexque vi tormentorum hanc ab eo extorqueat confeſſionem, quæ ſemper dubia remanet, niſi à Reo extra torturam confirmetur; quia, ut jam dixi, locus eſt præſumendi vim tormentorum hanc ab eo extorſiſſe confeſſionem. Ita David intuitus peccatores non confiteri peccata ſua, & propter ea pœnitentiam non agere, ait Deo: *Contere brachium peccatorũ & maligni; quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Quaſi diceret; Domine, applica illos torturæ alicujus morbi, ut chirurgus more carnificis eis brachia ſtringat vittis ſuis, illiſque venas aperiat, ut magno mali dolore cruciati, peccata ſua confiteantur. Genebrardus o vertit ab Hebræo, *Vires & poteſtatem ejus frange*; id trahens à S. Auguſtino p, qui ait, *Brachium enim ejus dixit potentiam ejus.* Percuſſi peccatores, & vexati mortis anguſtijs, & decumbentes in cubili, veluti torturæ applicati, præ lacrymis aliquam petunt doloribus ſuis intermiſſionem concedi. Confitentur quidem enormitatem criminum ſuorum, & exceſſum diſſolutionum ſuarum ſuper ſe induxiſſe omnia iſta mala, ſuaque adversùs Deum perpetrata ſcelera ſe ad has periculoſas redegiſſe anguſtias; ſeque tandem nullum alium ob finem ſanitatem deſiderare, niſi ut magis idonei praxi exercendæ efficiantur pœnitentiæ. Commotus Deus illorum orationibus, priſtinam eis reſtituit ſanitatem, expectans ut ſuam ratificent confeſſionem, & ſeveram pro peccatis ſuſcipiant pœnitentiam, cùm è tortura morbi fuerint extracti; quâ durante, dicebant more fratrum Joſeph, *Meritò hæc patimur; quia peccavimus in fratrem noſtrum* q. Id

n Pſ. 9. 36.

o Genebrard in Pſ. 9. 36.

p S. Aug. in pſ. 9. 36.

eſt, in Jeſum. Et tunc morum mutationem promittebant.

q Gen. 42. 21.

Hic adoleſcens decumbens, mirabilia pollicebatur, ſi ab infirmitate foret liberandus: Hæc mulier ſe futuram modeſtam; hic dives ſe miſerturum pauperum, à terra diſſolvendum, ſolique cœlo deinceps more Sanctorum victurum. Attamen ſtatim ac convaluerunt hi peccatores, & liberati ſunt à morbi, quo angebantur, torturâ; *quæretur peccatum illius, & non invenietur*; non ſecus vivunt ac ſi eſſent Juſti, & nullius criminis conſcij: Ita ut ſi horum inquiratis peccata hominum, ut ſciatis utrùm eorundem egerint pœnitentiam, ea non ſitis inventuri, *Requiritur delictum ejus, nec invenitur*, ait S. Auguſtinus r. Priſtinæ reſtituti ſanitati, obliviſcuntur confeſſionis ſuæ. Atqui, juxta ea quæ diximus, illi qui expectant confiteri, cùm jam extremum vitæ halitum acturi ſunt, quique cùm totam vitam medias inter infames delicias tranſegerint, ad extremas iſtas uſque horas differunt pœnitentiam; apparenter pœnitentiam agunt, ſed, ut verum fatear, maximè dubiam, quia crimina ſua non confitentur niſi præ vi tormentorum; & potiùs præ timore damnationis æternæ, quàm ut placeant Deo. Sicut enim arbor, quæ non floret, vel quę gelu percuſſa eſt, nullos fructus profert; quia ſi fructus produceret, & nullos præ ſe tuliſſet flores prævios, id fieret præ miraculo: Pari modo illi, qui in juventute ſua non florent virtutibus, vel qui marceſcunt gelu vitiorum, difficilè, ne dicam impoſſibiliter, bonorum producent fructus operum, cum ad ſenectam uſque pervenerint. Talis eſt ordinariè mors qualis fuit vita. Fructus ſanctæ vitæ eſt bona mors. Et è contrà fructus malæ vitæ eſt mala mors, ut ait S. Auguſtinus s; *Illa eſt enim pœna peccati juſtiſſima, ut amittat unuſquiſq; quo benè uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quod rectum ſit: & qui rectè facere cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit.*

r S. Aug. Ibid. ubi ſuprà.

s S. Aug. l. 3. de lib. Arbitr. c. 18

Illi, qui horâ mortis, & paulò antequàm expiret, Sacramenta petet Eccleſiaſtica, non debent, nec poſſunt ea denegari; ſed tamen nulla eidem dari poteſt propriæ ſalutis æternæ ſecuritas. Væ enim illi, qui non ceſſat perversè agere, voluptatibus oris & ventris, alijſque diſſolutionibus indulgere, niſi quando ceſſat vivere; cui voluntas peccandi non videtur defuiſſe, niſi quando defuerunt ipſi occaſio, & media patrandis ſceleribus conſona. Quod ajo intuitu illorum, qui ad extremam uſque ſenectam differunt pœnitentiam, cùm jam perturbati ſunt omnes ipſorum ſenſus, cùm redacti ſunt ad boni impotentiam peragendi, cujus concipiunt quidem deſiderium, ſed tardiùs quàm ſit par; cùm ratio tenebris offunditur, & vires ipſæ deficiunt, *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua* t. Heu! Auditores, Quid expectamus ut æternam noſtram ſalutem operemur? Quare cras, cras? Quare non modò? Deus corda noſtra die hodierna tangit, fortaſſe ſi reſiſtamus inſpirationi Divinæ, actum eſt de noſtra ſalute. Converſio noſtra eſt effectus gratiæ. Non pendet illa à nobis duntaxat, licèt ad eam concurſus noſter ſit neceſſarius; *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* u. Non eſt igitur pœnitentia in craſtinum differenda. Hæc vox corvina, cras, cras, eſt periculoſa, & veluti infallibile rui-

t Thren. 3. 27.

u 1. Cor. 15. 10.

ruinæ proximè imminentis prognoſticon. Quare
in craſtinum differre, & non hodie pœnitentiæ
vacare exercendæ? Iſtud eſt planè ac ſi diceretur
militi in bellum profecturo: Teſtamento tuis ca-
veto rebus ante diſceſſum tuum. Nequaquam, re-
ſponderet ille. Redux teſtabor. Sed quis promiſit
tibi è bello reditum? Ha! Talis è bello evaſit.
Evadam profectò non ſecus ac ille. Et quis tibi
dixit hoc? Fuitne tibi illud à Deo revelatum?
Licèt autem id eſſet futurum, numquid te diſpen-
ſare deberes ab exequendo opere rectæ rationi
conſono? Seraphicus Pater S. Franciſcus id ſcie-
bat, ſecurus erat de æternâ ſalute ſuâ; id ipſi fue-
rat à Deo revelatum; & tamen ferventiùs pœni-
tentiæ incumbebat. Tu autem ages temerarium,
non ſecus ac ſi Deus ſuum tibi præbere teneretur
paradiſum, & expectare opportunitatem tuam,
ut tuo ſatisfacias debito. Sed bonus latro, dicet
hic ſalutis ſuæ incurioſus, miſericordiam ſub fi-
nem vitæ ſuæ adinvenit. *Ex particularibus nihil
concluditur*, ait Philoſophia. Prava conſequentia,
quæ eſt tot animarum ruina. Non eſt id ritè argu-
mentari, è particulari concluſionem eruere uni-
verſalem. Ha! Erat tunc tempus jubilei, dies in-
dulgentiæ, & reconciliationis generalis, cùm
Sanguis Filii Dei fervebat adhuc, & pro eo à Pa-
tre ſuo æterno ipſe miſericordiam poſtulabat; ad
ſupremum amoris ſui apicem evectus fuerat; San-
guinem ſuum offerebat ſimul ac vitam ſuam in
gratiam hujus animæ, quam petebat ut merce-
dem laborum ſuorum, *Et ideò dixit illi: Amen*
x Luc. 23. 43. &c. *dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* x. Loquitur
illi ſoli: *Amen dico tibi.*

Verùm enim verò ſocius illius etiamſi intuea-
tur miracula, quæ eveniunt in morte Salvatoris,
& quidquid in hâc funeſtâ tragœdiâ prodigioſi
peragitur, moritur obſtinatus, & pœnæ æternæ
addicitur, cùm ſemper malè vixiſſet. Mala mors
eſt pœna malæ vitæ; ſicut è contrà bona mors eſt
probæ merces vitæ. Sed habebo vitæ cultorem
Religioſæ, qui auxiliabitur mihi morituro; Sacer-
dotem qui ponet præ oculis meis Jeſum Crucifi-
xum. Impius ille latro aliquid plus babebat, cùm
præ oculis haberet Dei Filium, extremum vitæ
halitum agentem; Virginem Deiparam *juxta*
y Joan. 19. 25. &c. *crucem Ieſu* y ſtantem; bonum latronem ſup-
plicii ſocium, ſicut & ejuſdem criminis reum, qui
ipſum hortabatur ut Deum agnoſceret, & ab eo
peccatorum ſuorum veniam poſtularet. Aderat &
Centurio contentâ voce inclamans, *Verè Filius Dei*
z Matth. 27. 54. &c. *erat iſte* z. Intererant pariter Judæi; qui *percutien-*
tes pectora ſua, revertebantur †. Sicut & omnes
† Luc. 23. 48 creaturæ, quæ lugebant in morte Creatoris ſui, &
a Luc. 23. 45 compatiebātur ei. *Et obſcuratus eſt Sol* a. Eò quòd
conſcius eſſet nefandi hujus Deicidii, & reus cri-
minis, eò quòd lucem ſuam ſubminiſtraſſet ſacri-
legio ita enormi. *Et terrâ mota eſt* b, univerſaque
b Matth. 27. 51. &c. dolebat natura. Et tamen hæc omnia non fuerunt
ſatis huic impio ut inde converſionis anſam arri-
peret. Et ſicut malè vixerat, malè mortuus eſt:
talis mors, qualis vita.

Poſt iſta, peccatores, indulgete vobis media
inter crimina, differte pœnitentiam veſtram; ibi
agitur vel de ſalute æternâ, vel de ruinâ irrepara-
bili. Omnis dilátio veſtra majoribus vos efficit
criminibus obnoxios:

Si non es hodie, cras minùs aptus eris.

Ninivitæ non ſolùm condemnabunt vos ob ne-
gligentiam veſtram præ ſuâ diligentiâ, ſed etiam
eò quòd egerint pœnitentiam ita inſignem, ut ſit
ipſa noſtrarum objectum admirationum, ſicut &
confuſionum. Agnoſcentes enim, culpas ita enor-
mes, quales erant ipſorum, non potuiſſe ſatis de-
fleri; & ad agendam ſatisfactionem condignam,
quadraginta dies non valituros ſufficere, habitâ
ratione magnitudinis criminum ſuorum, ad jeju-
nandum infantes induxerunt lactentes, & bruta,
quæ electionis incapacia, immunia ſunt à culpâ;
ut ſatisfacerent brevitati termini ſibi præſcripti,
qui videbatur ipſis brevior quàm par eſſet; quaſi
verò inferrent, Deum æquo ſuaviorem, & nimis
inclinatum ad indulgendum, & pro tot crimini-
bus ita exiguam pœnitentiam non ſatisfacturam
ei. Heu! Ubi ſunt peccatores hodierni, qui per-
ſuadeant ſibi, plures annos pravæ vitæ exigere ſe-
cula pœnitentiæ, ut crimini æquiparetur pœni-
tentia? Saltem ſi induci poſſent ad credendum,
ipſos ob unicùm delictum lethiferum toto vitæ
ſuæ decurſu debituros ſuſpirare, ſupereſſet ipſis
aliqua ſpes exeundi è profundâ peccatorum ſuo-
rum abyſſo.

David c poſt peccatum ſuum Deo ait, *Domine,* c Pſ. 6. 1. & 6
ne in furore tuo arguas me. Et ſtatim paulò pòſt, ſe
ſuas loturum noxas non unâ vice duntaxat lacry-
mis ſuis, ſed noctibus ſingulis pollicetur; *Lavabo*
per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtra-
tum meum rigabo. Natare faciam, fert quædam
verſio. Eximium promiſſum, ait S. Chryſoſtomus
d, ſed conſilium Rege digoum. Nos verò indul- d S. Chryſoſt. in Pſ. 6 circa med.
gentes nobis media inter crimina, unum crede-
mus pœnitentiæ momentum pro pluribus poſſe
peccatis Deo ſatisfacere? Perſuadebimuſne nobis
poſt inſumptam horam ad diſcutiendam con-
ſcientiam noſtram examine, & fortè ſine con-
tritione, laxari debere nobis habenas ut indul-
geamus diſſolutioni, & ab omni poſſimus abſol-
vi crimine? Abuſum deplorandum! Petit à Deo
veniam quis, confitetur; ſed quia confitendi mos
eſt Paſchali tempore, ſed ſine dolore, & credet ſe
Deo ſatisfeciſſe pro pœnâ peccato debitâ. At fal-
litur. Eo modo non ſatisfit Deo. Idcircò ſatisfa-
ciendum eſt Juſtitiæ Divinæ vel in hâc vitâ, aut in
alterâ uſque ad *noviſſimum quadrantem* e. Ha! per- e Matth. 5. 27
petrarit inſignis aliquis peccator infinita crimina,
& ratione eorum accipere renuet pœnitentiam
adimplendam. Unicum peccatum lethiferum
meretur ſeculum lacymarum; Nos autem conti-
nuè ſuſpirare deberemus, ut irâ Dei mitigaremus;
& tamen nullum ob peccata noſtra concipimus
dolorem, nec meditamur pœnitentiam amplecti,
etiamſi nos ad eam minis æquè ac ſuavitate invi-
tent Concionatores.

Animæ redemptæ *pretioſo Sanguine Chriſti* f, f 1. Petr. 1. 18. & 19
reſiſtetiſne ſemper cœleſtibus motionibus? Clau-
detiſne ſemper aures veſtras voci Concionato-
rum? *Et ecce plusquàm Ionas, hic.* Ecce ego ut al-
ter Jonas, qui annuntio vobis pœnitentiam: *Ad-*
huc quadraginta dies, & poſt hos actum eſt de vo-
bis. Nunquid non imitabimini Ninivitas in ipſorũ
pœnitẽtiâ? Differetiſne ſemper converſionem ve-
ſtram, cùm ipſa tantâ vigeat poteſtate obtinendæ
vobis à Deo veniæ? Velletiſne *in judicio* Dei illo-
rum opprobria ſuſtinere? Idcircò *hodie ſi vocem*
ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra g. Ha! g Pſ. 94. 8
convertimini ad Deum hoc momento, præ con-
tritione vos eum offendiſſe; Deum bonitatis, qui
tot vos cumulavit beneficiis, vice quorum ingrati
illum deſpectui habuiſtis. Ecce Deus veſter qui

vos expectat brachiis expanſis, quibus vos amplectatur. Si ea, quæ filiorum erant, amiſiſtis; ne vereamini illum perdidiſſe ea, quæ ſunt Patris. Ecce ſacrum hoc caput inclinatum, ut oſculum pacis vobis infigat. Ecce latus ipſius apertum ut in eo ſitis velut in aſylo: illuc ingredimini, & ibi videbitis exceſſum amoris, quo vos eſt proſecutus, qui efficit ut torum Sanguinem ſuum ad ultimam uſque profuderit guttam pro vobis redimendis †. Pœnitentiam ergo agite, ut mitigare dignetur Deus *omnem iram* ſuam, & benedictiones ejus & miſericordias ſuper vos poſſitis attrahere.

‡ Joan. 19. 1. &c.
h Pſ. 84. 4.

Si verò ſuperſint adhuc aliqui obſtinati, obſecro te, Domine, in gratiam illorum, cum Pſalmographo, *Contere brachium peccatoris, & maligni.* Triumpha Deus bone de obſtinatione illorum, vindictam ſume de eorum reſiſtentiâ, in eum illos ſtatum redige impotentiæ, ut te non offendant. Lecto alliga hunc diſſolutum, qui omnes impetit homines, & qui ſuperbiâ cœlo videtur bellum indicere inauditâ. Efficito ut cognoſcat conatuum ſuorum infirmitatem, & conſiliorum ſuorum temeritatem ac impudentiam. Deformem redde hanc puellam, vel mulierem, quæ fucatâ & ementitâ ſpecie abutitur, ut majeſtatem tuam Divinam lædat, *pedibus inſipientium* i laqueos injiciat, & deſtruat id, quod pretio comparaſti tui Sanguinis infinito *k*. Illam ſpolia his omnibus naturæ donis, quæ ei contuliſti, cùm ei ad ſectandum crimen pandant viâ, aliiſque aperiant; ut nihil illi ſuperſit niſi id, quo indigebit ut humilietur. Aufer ab hoc avaro poſſeſſiones ſuas, in quibus totam ſuam conſtituit fiduciam. Avelle peccatorem à dulcedine voluptatum & deliciarum ſuarum, affige illum, excrucia eum; ut ſingulis aperias oculos ad hoc ut ſuorum intueantur horrorem criminum, ut poſſim tibi dicere generaliter, aut ſingulariter ſingulorum omnium organo: Etiam, Salvator adorande: modò pœnitentiam amplectimur; nobis proponimus meliùs nos impoſterùm tibi eſſe famulaturos. Præteritorum criminum noſtrorum à te miſericordiam imploramus: conſilia noſtra confirma; efficaces redde voluntates noſtras; & cùm nullius *mortem* l velis, ſed omnium vitam ac ſalutem, largire nobis gratiam tuam in hoc mundo, ut in eo ita Chriſtianè vivamus, ut in altero mereamur fruitionem gloriæ tuæ.

i Sap. 14. 11.
k Baruch 3. 25
l Ezech. 33. 11

FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Miſerere meî Domine, Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. &c.

QUandiu vivit homo, inter media verſatur certamina, *Militia eſt vita hominis ſuper terram a*. Quandiu ſpirabit in præcordiis noſtris halitus, ſtringendus eſt à nobis gladius, & habenda ſunt præ manibus noſtris arma, cùm vitâ fruentes ſimus quaſi in caſtris conſtituti, in quibus ſunt pugnæ perpetuæ, & bella nunquam intermiſſa, & ita numeroſâ circumquaque cingamur multitudine adverſariorum ruinam noſtram & exitium noſtrum æternum machinantium ſine intermiſſione, nec ullas nunquam nobis inducias præbentium, niſi fortè quibus nos ſeducant, & fraudibus nos circumveniant. Validiſſimus eſt noſter adverſarius, & maximâ præditus induſtriâ, ne dicam, incomparabili inſtructus calliditate & verſutiâ, qui eos duntaxat potiri tranquillâ ſinit quiete, & impugnare negligit, de quibus ſine difficultate triumphat, quos imperii ſui dominio ſubjacentes, & in captivitatem redactos tenet. Si verò ſermo ſit de de Sanctis qui ei reluctantur, & de Juſtis qui eidem reſiſtunt, invigilat ſemper ille ut de iis victoriam referat, *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* b. Si autem fortis eſt ille, nos autem infirmi ſumus; ſi induſtrius eſt ille, nos verò ſtupidi; ſi diligens, nos autem pigri; ſi callidus & aſtutus, nos autem ſimplices & doli expertes, quid nobis ſupererit niſi ut fiamus illius præda, ſi cum illo dimicemus, & de puſillanimitate noſtrâ triumphet, niſi fortè aliunde ſubminiſtretur nobis auxilium? Dimicante Joſue cum Amalecitis, adversùs eos prævalebat mediâ oratione Moyſis, *Cùm levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël* c. Orationis interventu de inimicis noſtris triumphabimus. Ut autem id meliùs nobis ſuccedat, imploremus ſubſidium ſacratiſſimæ Virginis, quæ hanc Deo obtulit orationem, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum* d, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria*.

a Job 7. 1
b 1. Petr. 5. 8
c Exod. 17. 9. & 10
d Luc. 1. 38

Rex ille qui præceſſit *ſapientiâ omnes* e alios Reges, in inquirendâ laborare videtur muliere forti, quæ præ ſe virilem ferat animum, nihilque habeat puſillanimitatis ſexui convenientis, *Mulierem fortem quis inveniet* f? Et jure merito, quia mulier eſt infirmitatis imago, mulier quaſi mollis aër; ideòque ut dicatur quis puſillanimus, vocatur communiter effœminatus. Sapientiſſimus ille Monarcha, cui *fuerunt uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ* g (eò voluptatis & deliciarum proceſſerat) poſt diligentem inquiſitionem, nullam invenit, *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Ne arguatis, quæſo, conſilium meum, ſi è partibus mulierum ſtem, præſertim cùm è muliere natus ſim. Mementote igitur, ſi placet, quæſtionis aliàs propoſitæ: Quænam foret omnium mundi res fortiſſima. *Unus ſcripſit, Forte eſt vinum h.* Quod fortiſſimos quoſque homines & validiſſima concutit capita. *Alius ſcripſit, Fortior eſt Rex,* Qui omnia ſuæ poteſtati ſubjicit, & ſceptro ſuo & authoritate ſuâ omnes tremore percellit. *Tertius ſcripſit, Fortiores ſunt mulieres. Super omnia autem vincit veritas.* Quæ de omnibus triumphat. Si verò liceat mihi opinionem meam promere, dicam cum iſto tertio, *Fortiores ſunt mulieres.* Mulierem eſſe eorum omnium fortiſſimam, partes primas illi præbebo, & victoriam ei decernam, cùm ipſa glorioſum de Rege, de vino, & de ipsâ veritate per eſſentiam, triumphum referat.

e Eccl. 1. 16
f Prov. 31. 10
g 3. Reg. 11. 3
h 3. Eſdr. 3. 10. &c.

In cujus veritatis propoſitæ probationem, affero vobis hodiernâ die exemplum mulieris Chananeæ in noſtro Evangelio triumphantis de Deo, qui *Rex regum, & Dominus dominantium* i nominatur. Triumphat illa de veritate, cùm Salvator noſter ſit Veritas prima, eſſentialis, dicatque idem Chriſtus Dei Filius de ſeipſo, *Ego ſum Veritas* k. Triumphat illa tandem de vino, cùm idem Chriſtus in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento vocetur

i 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16
k Joan. 14. 6

l Zach. 9. 17

cetur *Vinum germinans virgines* l. Idcircò idem Dei Filius ab eâ exoratus, cogitur ipſius exaudire ſupplicationem. Vidit Cherubinos Ezechiel m

m Ezech. 1.5. & 6

accedentes ad thronum Divinitatis, quibus ſingulis erant alæ binæ ſuper, & binæ ſubter, *Quatuor pennæ uni.* Hæ quatuor alæ repræſentant nobis qualitates, quas habere debemus in orationibus noſtris, quibus *adeamus ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* n, & impetremus à Deo petitionum noſtrarum effectus. Has quatuor qualitates videbimus in quadruplici hujus diſcurſus parte.

n Hebr. 4. 16

Diviſio.

I. Pars.

o S. Chryſoſt. in Pſ. 4

Oratio eſt colloquium, quod init anima ipſa cum Deo ſuo, ut ait S. Chryſoſtomus o, *Oratio cum eo colloqui nos aſſuefacit.* Videte ad quam nos extollat illa magnitudinem, cùm ipſa nobis animos addat, & fiduciam præbeat accedendi ad majeſtatem ita adorandam. Repræſentabatur illa alias à ſapientibus Gentilium viris per Mercurium alatum, habitum ut nuncium Deorum, ſeu falſorum numinum veterum; legatum negotiorum ab illis ipſi commiſſorum, & precum exceptorem humanarum. Oratio eſt unio animæ cum Deo ſuo; tunc enim anima unitur Principio p ſuo, ſed id mediâ humilitate; Deus autem qui nihil agit niſi propter gloriam ſuam, *Universa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* q, tenetur ex quâdam condecentiâ favere humili, qui eandem gloriam inquirit manifeſtare; non autem ſuperbo, qui eam ſibi attribuit, & qui agit contra conſilium Prophetæ r dicentis, *Magnificate Dominum.* Hæc admittitur differentia inter figuram concavam & figuram convexam, quòd concava recipit id omne, quod offertur, ſibi illud unit, exile oſtendit ac minutum; convexa verò illud extendit ac magnificat: Eodem ſe res habet modo reſpectu Dei, ſtatim enim ac ipſi extollimus nos ſuperbiâ noſtrâ, illico Deus removetur à nobis, *Alta à longè cognoſcit* ſ. Sed ubi deprimimus nos præ humilitate, dicentes ei, *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te* t, mox deprimitur Deus ad nos, & nobis favet, *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit* u. Quare hoc? Sanè, quia ipſe ſibi cum humilibus benè complacet, quorum grata ſibi judicat eſſe obſequia, *Ab humilibus honoratur* x.

p Apoc. 1. 8

q Prov. 16. 4

r Pſ. 33. 4.

ſ Pſ. 137. 6

t Pſ. 38. 6

u Pſ. 137. 6

x Eccli. 3. 21

Humilitas igitur eſt prima qualitas, quâ inſigniri debet oratio, ut efficax reddatur, *Deus humilibus dat gratiam* y. Solis humilibus ſe communicat Deus, & eorum oratio tantam præ ſe fert efficaciam, ut ipſos etiam pervadat cœlos, *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit* z. Illa quippe ipſum Dei adit thronum, & ab eo quodcumque expoſcit, impetrat; *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio*, ajebat Deo caſta & humilis vidua Judith a, cùm jam jam ſe diſponeret ad glorioſum de intolerandâ ſuperbiâ Holoſernis populo ſuo infenſiſſimi inferendum triumphum. Humilis propriis diffiſus viribus, Deum inducit ut ſuccurrat ſibi, & propriæ confeſſione infirmitatis eundem ſuaviter impellit ut ſibi faveat. Superbum omnino ſuis confiſum viribus ac induſtriis deſerit Deus ſine auxilio, nec intuetur eum niſi præ deſpectu, veluti indignum ſubſidio, quod poſtulare dedignatur, etiamſi illo indigeat.

y 1. Petr. 5. 5. & Jacob. 4. 6

z Eccli. 35. 21

a Judith 9. 16. &c.

Mementote, ſi placet, ob hunc effectum, duorum illorum hominum, qui aſcenderunt *in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus* b. Veniam à Deo poſtulabat *Publicanus à longè ſtans, percutiebat pectus ſuum*, ſe peccatorem agnoſcebat, & ut talem ſe confitebatur, & hâc humili ductus ſuî cognitione, Divinum petebat auxilium, *dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Deus intuetur illius humilitatem, Deus illum exaudit: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Id eſt, à Phariſæo, qui orando ſuperbiam extollebat ſuam, quaſi cœlo bellum indicens, aliis ſe veluti virtute ſuperiorem excelsâ præferens; *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, non ſum ſicut cæteri hominum.* Alii ſunt peccatores, ego verò Juſtus ſum, ego vaco bonorum exercitio operum, *Jejuno bis in Sabbatho.* Sed alii nihil operantur illorum omnium. Quàm intolerandam vanitatem! Aſcendit ut oraret, & noluit Deum deprecari, ſed ſe laudibus extollere. Præfert ſe illi qui rogat, & prætereà ſe illi injurioſum exhibet, & ideò exploditur ipſius vanitas; *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus* c. Sicut approximat ad Deum Phariſæus præ ſuperbiâ, ita Deus ab eo recedit præ contemptu: *Publicanus de longinquo ſtabat, ſed Deus ad illum de longinquo non ſtabat*, ait S. Auguſtinus d. *Nolebat nec oculos ad cœlum levare*, dicit ſupradictus Evangeliſta. Non audebat aſpicere, premente ipſum propriâ conſcientiâ, ſpe ipſum ſublevante, *percutiebat pectus ſuum*, pœnas à ſemetipſo exigens. Ideò confitenti ignovit Deus. Superbia maximè Deo diſplicet, humilitas autem eſt ipſi gratiſſima, quia ipſa agnoſcit, ſe quidquid habet, ab ipſo accepiſſe: Maria verò præ humilitate Divinam merita eſt Maternitatem.

b Luc. 18. 10. &c.

c Pſ. 63. 8

d S. Aug. in Pſ. 30

Humiles meliùs cognoſcunt Dei magnitudines & omnipotentiam. Pigmæus, & exilis homo ſtaturæ, minimus apparet oppoſitus ingenti coloſſo. David qui clarè intuebatur nihilum ſuum, licèt magnus foret ipſe Rex, etiamſi eximiâ præditus ſanctitate eſſet ac Vir *juxta cor Dei* e, dicebat ſe nihil eſſe præ oculis Dei conſtitutum, *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te* f. Et Abraham magnus ille *Pater omnium credentium* g, ſe nihil eſſe proteſtatur niſi pulverem & cinerem, *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis* h. Idcircò omnes illi illuſtres Viri præ humili cognitione ſui ipſorum eximia impetraverunt dona, & beneficia ſingularia è liberali ac magnificâ Dei manu, *Humiliatus ſum, & liberavit me*, dicebat David i. Achab ſe coram Deo humilians, impetrat ab ipſo miſericordiam; & Eliæ adversùs hunc Regem zelo accenſo reſpondet Deus (veniâ ab ipſo præ humilitate Regis extractâ, cùm ipſe aliquid humilitati non poſſit renuere) *Nonne humiliatum Achab vidiſti coram me* k? Jacob triumphat de Deo humilitate ſuâ; hæc exquiſita virtus efficit ipſum de invincibili victorem, *Contra Deum fortis fuiſti* l. Id eſt, in humilitate. Qualem & quantam humilitatis virtutem! Si Virgo ſacratiſſima effecta eſt Deipara, ut jam dixi, hanc humilitate ſupereminentiſſimam ac Divinam obtinuit qualitatem, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* †. *Quia*, ecce cauſa ſuperexcellentiſſimæ hujus dignitatis, quæ Divinæ limites imponit Omnipotentiæ, ut ait S. Thomas m, quæque totam replet puræ creaturæ capacitatem, nullum præter Deum in cœlo, nec ullum in terrâ Superiorem agnoſcens.

e 1. Reg. 13. 14

f Pſ. 38. 6

g Rom. 4. 11

h Gen. 18. 27

i Pſ. 114. 16

k 3. Reg. 21. 9

l Gen. 32. 28.

† Luc. 1. 48

m S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4

Et ecce mulier Chananæa hodiernâ die humilitate ſuâ, humili oratione ſuâ *venit, & adoravit*, proſternit ſe, adorat. Humi proſtrata oſtendit ſummam, quâ cum poſtulat, reverentiam, cujus interventu infallibilem ſuæ petitionis ſortitur effectum; *Fiat tibi ſicut vis.* Triumphat ipſa de Deo. Mulier, tu omnia potes abſque ulla penitus exceptione, fiat tibi ſicut deſideras, tibi poſſibilia ſunt

univer-

univerſa; eò tua extenditur potentia, quò tuum deſiderium; tu potes tantum, quantum vis; humilitas tua te omnipotentem efficit; *Fiat tibi ſicut vis*. Qualem poteſtatem humilitatis orationis! Deus velut humiliatur ut eam meliùs audiat, & faciliùs illam exaudiat, *Humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*. Ecce prima qualitas orationis, quæ eſt humilitas, quæ nos Deo unit, & ab eo nobis impetrat quidquid ab illo poſtulamus.

II. Pars. Secunda qualitas orationis eſt fiducia filialis, quâcum rogare debemus, & ſupplicationes noſtras Deo offerre, conſiderantes qualis & quanta ſit ſuavitas & manſuetudo illius, ad quem orationes noſtras dirigimus, more mulieris Chananææ, quæ compaſſa infelicitati filiæ ſuæ à dæmone implacabili modo excruciatæ, Dei Filium adit, eique præ omni reverentiâ poſſibili, & fiduciâ ſingulari ait, *Miſerere mei Domine, Fili David*. Conſiderat ipſa ſuavitatem & manſuetudinem illius, quem ipſa deprecatur, *Fili David*. David enim erat totus manſuetudo, totus ſuavitas, totus miſericordia, ut ipſe teſtatur de ſemetipſo, dicens Deo, *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus* *.

* Pſ.131.2 Idcircò ſicut ab eo deſcendis, (ait Chananæa, Chriſtum alloquens) & illuſtris es palmes emiſſarius vitis iſtius nobiliſſimæ, infallibiliter ſpero, te eâdem erga me uſurum, quâ uteretur ille, ſi adhuc inter vivos converſaretur, manſuetudine, & eâdem miſericordiâ; Eja ergo *miſerere mei Domine, Fili David*. Ecce neceſſitas petitionis illius, *Filia mea malè à dæmonio vexatur*. Heu, qualem neceſſitatem! Poſſideri à dæmone naturæ noſtræ infenſiſſimo! *Adeamus ergo*, Auditores, *cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiã conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* †.

† Hebr.4.16 Deus enim noſter, qui nihil niſi petitiones noſtras expectat eo fine ut ſupplicationes noſtras exaudiat *n*, & meliùs ex quâdam teneatur condecentia noſtrarum nobis effectum largiri petitionum

n Pſ.49.15

(ſicut ait pater adversùs filium, quem amat, renuendo illi id, quod ab ipſo expoſcitur, ut ab eodem inſtantiùs rogetur) inducit nos ad orandum, & renuit apparenter nobis poſtulata (ſicut pater ille filio ſuo) quæ tamen re verâ, ſicut pater ille ſuo filio, vult nobis impertiri.

Poſtulemus res neceſſaris, non autem ineptias, vanitates, divitias, voluptates, & honores, more filiorum hujus ſeculi. Ha! nihil ſunt iſta omnia; nihili quippe æſtimari debent, nimiùmque ſanè eſt deprimere Divinam Majeſtatem, quam oramus, ac ei ſimiles ſupplicationes proponere, quæ nullam habent cum magnitudine ipſius convenientiam, imò verò quæ potiùs ipſam offendunt, non ſecus ac ſi peterentur a Rege cubiculi ſui ſordes ſcopis congregatæ, aut ſuorum ſtabulorum ſtercora; hæc omnia decent ſervus aut famulos, non autem Regem, *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum* o.

o Pſ.16.14 Hæc ſunt divitiæ, theſauri, & foſſilia, quæ filii hominum tanti æſtimant, & quæ Deus abſcondit in centro terræ, in intimis maris penetralibus veluti ipſorum indigna affectibus. Sic idem David cœleſti irradiatus ſplendore, accenſus zelo adversùs filios hominum, in eos inſurgit, & illos acriter objurgat, *Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* p?

p Pſ.4.3 Uniones, quos tanti mulieres ducunt, quid ſunt aliud niſi lacrymæ concharum? Veſtes ſericæ, quibus tantâ ornamur præ vanitate, quid aliud niſi bombycum excrementa? Videte, quæſo, quanti æſtimet has omnes ineptias S. Paulus. Edoctus vir iſte in ſchola cœlorum, raptus *uſque ad tertium cœlum*, in quo *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* q, flocci facit q 2.Cor.12.2.& 3 omnes mundi magnitudines, eaſque affectibus ſuis & amore ſuo indignas exiſtimat dicens, *Omnia arbitror ut ſtercora* r; eas non majoris æſtimat, r Philipp.3.8 quam æſtimentur ſordes & ſtercora: imò verò eas nihili ducit, eas intuetur ut contemptus ſui objectum, quippe qui earum novit abuſum. Petendæ ſunt igitur a Deo res bonæ & neceſſariæ cum fiducia filiali, quâ deficiente noſtras non exaudiet Deus ſupplicationes.

Sed dicet mihi aliquis, Ita ſæpè petivi, ſic perſæpè eandem propoſui Deo ſupplicationem, quam nunquam tamen ille dignatus eſt exaudire. Quin imò omnia, quæ ab illo petivi, ſemper ipſe mihi denegavit. Ha! Scitiſne, Auditores, quare? Ratio iſtius ea eſt, quam allegat S. Jacobus ſ, *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis*. ſ Jacob.4.3 Non petitis res neceſſarias, & ideò veſtra non exaudit Deus petita, eaque vobis denegat, quia videt ea vobis non expedire. Filii Zebedæi petunt honores, dignitates, gradus & officia t. t Matth.20.20.&c. putà ſedes ambas principes ipſius regni Chriſti, quod imaginabantur ipſi temporale; Salvator ipſis ea recuſat omnia, quin imo ipſos ignorantiæ inſimulat, *Neſcitis quid petatis*. Heu quam multi filii Zebedæi in mundo! Quantus eſt numerus ambitioſorum in hâc civitate N. qui auras aucupantur populares, qui magnitudines ambiunt, & cæteris antecellere geſtiunt, cùm opportuna ſeſe ipſis offert occaſio; quibus Deus tamen non concedit poſtulata, cùm talia ab ipſo petunt, quia illa non ſunt res bonæ, nec neceſſariæ! Deus quippe novit & meliùs ſcit, quam noverimus & ſciamus nos, cùm videat ſcientiâ ſuâ infinitâ & infallibili, futurum ut illa nobis eſſent medium, quo exitium noſtrum machinaremur, *Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus* u. u Hebr.4.13

Noverunt meliùs Medici quid opus ſit infirmo, eique neceſſarium, quàm noverit ipſemet æger; eidem ſæpè denegant ægroto ipſi Medici quod ab ipſis petitur, quia poſtulatum non eſt infirmo futurum utile. S. Paulus x præ moleſtia, x 2.Cor.12.7.&c. quâ angebatur, petit à Deo ut dignetur ſe liberare ab importuna tentatione; quâ perſæpè vexabatur, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet*. Suam reiterat orationem, rogat præ majori ardore, inſtantiùs expoſcit ut ab eâ penitus immunis efficiatur; *Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me*. Sed Deus ipſi reſpondet: *Sufficit tibi gratia mea*. Paule ne verearis hoc Divino munitus ſubſidio. Ab ea prorſus noluit Deus Apoſtolum eximere tentatione, quippe quæ illi erat utilis, & majoris occaſio meriti; præbuit illi gratiam ſuam (quam nemini unquam denegat ſufficientem y) qua adversùs eam prævaleret, de y Hebr.12.15 eaque victoriam reportaret. Deus exaudit ad commodum, non ad deſiderium, ut tentationes nobis ſuccedant ad augendum meritum; non exaudimur ad voluntatem, ut exaudiamur ad ſalutem.

Modum obſervat procedendi Patris prudentis, qui puero panem præbet præciſum, & non gladium; non largitur quidem eum integrum: Deus eodem ſe gerit modo erga nos; non præbet totam gratiam ſuam, ſed id quod eſt neceſſarium gratiæ, qua tentationi reſiſtamus, *Sufficit tibi gratia mea*. Petenda ſunt igitur neceſſaria, putà ea quæ ſalutem noſtram decent æternam, ut filia noſtra, hoc eſt, anima noſtra liberetur à diabolo, ab illius

tyran-

tyrannide, ab oppreſſione peccati: *Miſerere mei Domine, Fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur.* Alia verò commoda vitæ humanæ petenda ſunt cum conditione, ſi ita Deo placuerit; *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo neceſſaria*, poſtulabat Salomon *a*. S. Chryſoſtomus *a* verò ait, petendum eſſe à nobis *panem noſtrum quotidianum*, huncque panem quotidianum comprehendere quæcumque vitæ noſtræ ſuſtentandæ ſunt neceſſaria. Petamus igitur ſed cum fiduciâ filiali quaſcumque res neceſſarias. Hæc eſt ſecunda orationis qualitas, progrediamur ad tertiam.

a Prov. 30. 8

a S. Chryſoſt. hom. 20. in c. 6. Matth. v. 11

III. Pars.

Tertia orationis qualitas eſt perſeverantia, non deficiendo animo; cùm ſit ipſe finis qui opus coronet, & ſibi pretium vendicet. S. Auguſtinus *b* ait nos omnes mendicos eſſe, *Quantumvis habeas, quicumque dives es, Dei mendicus es.* Advertiſtis aliquando quomodo illi mendici, qui ante valvas templorum noſtrorum ſtantes petunt eleēmoſynam ab introeuntibus, & ab exeuntibus, ſint ſecuri, quânam induſtriâ poſtulent; & qui etiamſi non exaudiantur ad votum, imò verò perſæpè verbis excipiantur æquo acrioribus, non deſiſtunt propterea ab eleēmoſynâ petendâ, nec iraſcuntur, ſed inſtant continuè, eloquentiam ſuam ac facundiam naturalem præ majori exhibent artificio, nec ceſſant à poſtulando, donec importunitate ſuâ multoties iteratâ denarium aliquem extorſerint. Mendici ſumus omnes nos: Oportet igitur ut petamus, ſi velimus ut nobis detur; ut pulſemus cum inſtantiâ, ſi velimus ut aperiatur nobis; ut quæramus cum jugi perſeverantiâ, ſi velimus invenire, juxta conſilium quod præbet nobis Dei Filius; *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis* c.

b S. Aug. ſerm. 41. de Verb. Dom. c. 5

c Luc. 11. 9

Videte hanc praxim in perſonâ noſtræ Chananææ mulieris verè conſtantis; illa quippe animum non deſpondet, etiamſi ſe deſpectam intueatur à Salvatore ipſam apparenter audire nolente, & dicente ipſi, *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.* Quid clamas inutiliter poſt me, & importunis vociferationibus tuis aures meas incaſſum obtundis? In hunc non veni mundum niſi propter Electos, & ob populum meum Iſraëliticum; non autem in gratiam Chananæorum idololatrarum, qui nomen meum non noverunt. Non deponit arma propterea Chananæa, quin imò non ceſſat clamare, *Domine adjuva me.* Dicito quidquid tibi placuerit, *non dimittam te, niſi benedixeris mihi* d, & meam exaudiveris ſupplicationem; potiùs coram pedibus tuis obibo. Ha! Quid dicerent magnæ illæ civitates Tyrus & Sidon, & omnes nationes exteræ, ſi ille qui creditur Salvator & Meſſias *e*, deprecationem mulieris Chananææ repelleret? Non dedignatus es miſereri mulieris fluxu ſanguis laborantis †. Heu! *Adjuva me.* Ha! *Non dimittam te*, donec ſupplicationi meæ in gratiam filiæ meæ *malè à dæmonio* vexatæ annueris. Agat quidquid voluerit Chriſtus, magis illa clamat & inſtantiùs orat. Vocat eam Chriſtus canem, dicens ei, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Non irritatur propterea Chananæa affecta tantâ injuriâ, nec deſiſtit à petendo donec audiat, *Fiat tibi ſicut vis.* Deus gratam habet hanc importunitatem, quia ipſe qui ad poſtulandum nos inducit, dare utique vult; nam ſi dare nollet, ad expoſcendum non invitaret. Chananæa præ ſuâ perſeverantiâ impetrat id, quod ipſa petit. Deum eſt offendere ac illum non orare.

d Gen. 32. 26

e Joann. 4. 42

† Matth. 9. 20. & 22

Dicitur Regi Achaz, *Pete tibi ſignum à Domino.* Et Monarcha ille impius reſpondet, *Non petam.* Illico autem Textus ſacer ſubjungit, *Quia moleſti eſtis & Deo meo* f. Id confirmat idem Propheta Iſaias g, *Aporiatus eſt Dominus, quia non eſt qui occurrat*, & qui ad ipſum exaudiendas dirigat ſupplicationes.

f Iſai. 7. 11. &c.

g Iſai. 59. 16

Idcircò Auditores *petite* ore, *quærite* corde; *Dominus autem intuetur cor* h, quod maximos efficit conatus in hoc orationis animæ cum Deo certamine: *Dominus reſpexit in orationem humilium* i. Genebrardus *k* hæc verba explicat de cicadâ, quaſi diceret Propheta, *Dominus reſpexit in orationem* cicadæ. Cicada, juxta naturalium rerum curioſos Indagatores, diebus canicularibus, quibus canes linguam præ nimio calore longiùs ex ore exerunt, aveſque in nidis ſuis cum ſingulari commorantur ſilentio, canere tamen dicitur, ſed etiam cantare pectore obſervatur, quandiu aliæ aves roſtro, ſeu ore canunt. Heu! Quàm paucæ cicadæ in civitate N. inveniuntur! Quàm paucos ſit reperire, qui corde orent, qui ex intimis pectoris ſui penetralibus preces effundant! Hic adoleſcens in Templum pergit, ibique commoratur, dum Divinum peragitur Officium, & adoranda offeruntur Patri æterno Redemptionis noſtræ in Sacrificio miſſæ Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Filii ipſius myſteria *l*, non ſanè more Angeli cum reverentiâ ſacris exhibendâ myſteriis; ſed inſtar catapultarii, unico duntaxat flexo genu, altero vero elato, nullo modo attendens iis quæ ipſe dicit, nec illis quæ dicuntur, aut peraguntur; animum habens vagum, nullo amoris Divini ductus affectu, aliquas evolvit & recitat orationes Dominicas ſine ullâ attentione. Dei Filius *poſitis genibus orabat* m. Nos autem impudentes agemus ac temerarios, quaſi verò Deus nobis eſſet addictus, & nobis aliquo foret inferior modo? Ha! quàm merito jure exprobrare poteſt hodie Deus populo civitatis N. idem, quod improperabat aliàs Chriſtus populo Judaico, *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me* n. Puella hæc vaga & impudens circumquaque intuebitur, non advertens ſe eſſe in præſentia Dei, coram quo *columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus* *, veniens in Templum ut videat, ac videatur; nedum ſibi invigilet, & attendat orationi ſuæ, & Deo, cui illam offert ac proponit.

h 1. Reg. 16. 7

i Pſ. 101. 17. & 18

k Genebrard. in Pſ. 101. 18

l 1. Cor. 11. 24. &c.

m Luc. 22. 41

n Matth. 15. 8. ex Iſai. 29. 13

* Job 26. 11

Pergens Dei Filius in hortum Gethſemani ut ibi oraret, *dixit diſcipulis ſuis, Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem* o. Nonne idem agere deberemus, cùm Templum ingredimur, ut ibi preces noſtras fundamus? Nunquid non dicere deberemus omnibus negotiis, occupationibus & diſtractionibus noſtris cum Prototypo noſtro? *Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.* Alioquin enim falsò reſpondemus Sacerdoti Miſſæ Sacrificium celebranti, & canenti, *Surſum corda*, Fratres mei, corda veſtra in altū attollite, *Habemus ad Dominum.* Attenta ea Domino præ nobis ferimus, & fortaſſis habemus ea cibis & potibus immerſa; aut fortè, quòd eſt pejus, infami alicui creaturæ adhærentia. Orate igitur, ſed corde, canite more cicadæ, corde; *Pſallite Deo, quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter* p; cùm perſeverantiâ inſtar Chananææ. *Chananæa* linguâ Hebraicâ, nihil aliud ſonat Latino idiomate, niſi *Mercatrix.* Advertiſtiſne aliquando modum procedendi à mercatore obſervatum, quo merces ſuas ac pannos

o Matth. 26. 36

p Pſ. 46. 6. & 7

nos ſuos divendat? Venit emptor ad officinam ipſius, ea intuetur, præ manibus gerit & tractat, ſeriò conſiderat, pauci ducit, imò verò longè minoris æſtimat quàm valeant re verâ, pretium eorum deprimit cum quodam deſpectu, qui ſatis exhibeat exiguum eorundem valorem. Non commovetur propterea mercator deſpectu qui fit ſuarum mercium, patienter agit, exeuntem emptorem ex officinâ ſuâ vocat, & revocat iterùm atque iterùm; tandem reduplicatis & multiplicatis ſuis inſtantiis mercem ſuam emptori divendit. *Chananæa*, ſapiens hæc mercatrix non commovetur, cùm deſpicitur à Filio Dei; cùm vocatur ab eo canis, non irritatur propterea, patienter agit, id concedit, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum ſuorum.* Apoſtoli dicunt Chriſto, *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Agit Chriſtus ſicut illæ mulieres; quæ videntes amaſios amore ſui ipſarum captos, verbis adversùs eos utuntur rudibus, quibus non obſtantibus manent illi nihilominùs ante valvas ipſarum. Quare hoc? Ducuntur affectu, amor idoli ipſorum ipſos eò redigit. Sic Chananæam Chriſtus excipit, hanc tamen hi rigores apparentes magis excitant, ita ut perſeverantiâ ſuâ impetret poſtulata, *Fiat tibi ſicut vis.* Hæc eſt tertia orationis qualitas, perſeverantia.

IV. Pars. Quarta orationis qualitas eſt egreſſus à peccato, more Chananææ: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Exeundum eſt è peccato, & ex occaſione peccati, ſi velimus gratas fieri Deo orationes noſtras. Si enim ſunt impuræ, & peccatorum vitiorumque labe inquinatæ, ei placere nullo unquam poterunt modo; *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam*, ait Deus. Sed quare non exaudies, Domine? *Manus enim ve-*

q Iſai. 1. 15 *ſtra ſanguine plena ſunt* q. Deus peccatorum ſupplicationes nullo exaudit modo, *Peccatores*

r Ioan. 9. 31 *Deus non audit* r. Id eſt, *peccatores* quatenus obſtinatos, ut ait Philo Carpathiorum Antiſtes ſ,

ſ Philo Carpath. in c. 3. Cantic. *Non novit unquam patrocinari Deus, nec obſtinatos peccatores exaudit.* Vel, ſi vultis, eos non ita facilè exaudit, ac Juſtos. Utinam omnes qui orant, gallum imitarentur gallinaceum, qui priuſquàm canat, ſemetipſum alis excutit ſemel ac iterùm, veluti ſe ad ſuaviorem cantum excitans. Idcircò repræſentatur gallus gallinaceus in ſymbolo, alis extenſis præ hac inſcriptione, *Excutit, inde canit.* Hæc eſt ſincera veræ orationis repræſentatio & figura. Excutiendum quippe eſt à nobis omne peccati genus, reſecanda omnis cogitatio minùs rationi conſona, & diſtractio quælibet nos à Deo avertens, alioquin enim eſt mentiri, quia *mentiri eſt contra mentem ire.*

Queritur Deus peccatori ſic, *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſu-*

t Pſ. 49. 16 *mis teſtamentum meum per os tuum* t? Quomodo autem exaudiret Deus inimici ſui orationem? Nunquid præclarè ageret quis, ſi mox ut abſolutionem enormis alicujus facinoris à ſe patrati poſtularet à Principe, eodem momento duceretur deſiderio gravioris priore criminis committendi? Nonne Regem is magis ad iracundiam provocaret? Quid autem agimus nos, cùm oramus, quandiu adhuc in peccato, vel ſaltem in voluntate committendi peccati permanemus? Nunquid non magis ac magis iram Dei adversùm nos accendimus, nedum ipſe noſtras exaudiat orationes? *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exau-*

u Pſ. 65. 18 *diet Dominus* u. Si preces veſtræ aliquo inquinatæ ſunt ſcelere, non exaudiet eas Deus: Quomodo autem peccator audes te Deo præſentare, conſcientiam criminibus & flagitiis onuſtam præ te ferens? Quomodo pudore non ſuffunderis, permanens coram eo, qui eſt *Sanctus Dei* x, peccatis

inquinatus? Regiam profectò offenderet ille Majeſtatem, qui ſpecioſum offerret Principi fructum in ſordido & fæcibus ſcatenti vaſe contentum: x Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34

Quid autem agimus nos, quandiu oramus corde impuritate & impietate refer to? Nonne exhibemus Deo ſpecioſos & exquiſitos fructus, ſed in catinis ſordidis, nimirum in cordibus noſtris peccato inquinatis, contentos?

Heu! Peccator quomodo Orationem audes recitare Dominicam? *Pater noſter qui es in cælis* y.

Quânam temeritate præſumis pronuntiare hoc verbum, Patris, tu qui non es filius Patris, *qui eſt in cælis*, ſed dæmonis, cùm peccatores ſint filii diaboli? *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere* z. Quomodo igitur potes appellare y Matth. 6. 9. &c.

Deum Patrem tuum, cùm opera veri filii non peragas? *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite* a, dicebat alias Judæis Chriſtus. Ego autem dico tibi, Si z Ioan. 8. 44

filius Dei es, opera Dei fac; alioquin immeritò Patrem tuum vocas Deum. Quo jure dicere potes? a Ioan. 8. 39

Sanctificetur nomen tuum. Quomodo enim ſanctificabitur nomen Dei ſacrum ore tuo ſacrilego proferente ſine intermiſſione blaſphemias, juramenta, & infinitas alias ſordes ore Chriſtiani indignas? *Adveniat regnum tuum?* Ha! Perfide, regnum cœleſte non datur niſi filiis, *Quòd ſi filius, & hæres* b; &iis, qui reſiſtentes pravis affectibus ſuis, illud præ b Gal. 4. 8

violentiâ ſibi comparant, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* c. Tu verò habenas vitiis laxas, eòque inclinaris, quò te dirigunt pravi c Matth. 11. 12

habitus tui, & perverſæ tuæ conſuetudines. *Fiat voluntas tua?* Ha! Mentiris, tu illa verba ore tenus profers, & nihilominùs omnino contrarium eiſdem peragis. Sciſne quænam ſit voluntas Dei? Audi Apoſtolum d, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat* d 1. Theſſ. 4. 3

unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Et tamen impudenter ſpurcitiarum cœno immergeris. Voluntas Dei eſt, ut ſis ſanctus, nihilominùs verò malitiâ diabolus effectus es. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie?* Tu petis *panem* a Deo? Et quare? Eſtne ut eo alaris, quò meliùs Divino ipſius incumbas officio? Nonne id poſtulas ab eo bonum, ut inde occaſionem arripias graviùs Divinæ ipſius lædendæ majeſtatis? *An nequam es tu, quia bonus* e ille eſt ſupremo modo? *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Nihilominùs verò cor e Matth. 20. 15

tuum felli & amaritudini totum eſt immerſum; tu nihil niſi vindictam meditaris, ſicut & media, quibus opportunè de tuis ulciſcaris te inimicis. Ob exiguum verbulum ſine malâ intentione prolatum, quod tibi non arriſerit, nunquid diſſolvendi ſunt omnes affectus? Et nonne id eſt exigere vindictam pro condemnatione tuâ, cùm eodẽ modo, quo dimiſſurus es aliena debita, tibi propria ſint à Deo dimittenda? Cave tibi, anima crudelis; *Eâdem quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis* f. Dare verba Deo impoſſibile eſt, nec ullum falles unquam. *Et ne nos inducas in tentationem?* Ha! Infœlix, audeſne hanc orationem texere tu qui mediis verſaris ſemper in occaſionibus, qui in iis tibi complaces, qui eas inquiris, & ante eas vadis, qui in cœno peccatorum tuorum more porci ſemper volutaris: f Luc. 6. 38

Egre-

Egredere, egredere infortunate è peccato tuo: egredere ex iis occaſionibus, quæ tibi ad offendendum Deum viam pandunt. Imitare Chananæam hodiemâ die, *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Deſere audacter maledictam illam peccati regionem, ſi tuarum velis effectum impetrare precum, ſicut illa ſuarum ſucceſſum ſortita eſt felicem. *Sed libera nos à malo?* Tu petis quod non vis. Deus vult te liberare à peccato, & tu vis peccatum infenſiſſimum Deo, quod ipſemet Deus
f Sap. 14. 9 nullo pati poteſt modo †. Hoc apud te Dei tui inimicum foves peccatum, quod non eſt in te, niſi voluntarium, & ſi vis, ſtatim ab eo liber eris, & Deus tuas exaudiet preces illico.

Humiliare igitur coram Deo, agnoſcens nihilum
g Baruch 3. 25 tuum, & immenſam g Dei ejuſdem magnitudinem. Confide illi, & exaudiet petitionem tuam, dummodò ſit juſta, rationi conſona, & rerum neceſſariarum; & fiat cum puritate cordis, & præ perſeverantiâ; præcipuè verò ſi offeratur abſque peccato, & abſque occaſione ullâ peccati, ut audire poſſis, ſicut Chananæa, *Fiat tibi ſicut vis*, ſanitatem corpoream filiæ ſuæ, animæ verò ſuæ ſalutem ſpiritualem impetrando.

Adorande Jeſu, Salvator animarum noſtrarum
h Apoc. 1. 5 pretioſi Sanguinis tui effuſione redemptarum h, *Fili David*, ſine, obſecro, ut ante pedes Divinæ majeſtatis tuæ proſtratus humiliter, eandem ſupplicationem, eâdem ductus intentione, quâ dicitur hæc *mulier Chananæa* hodiemâ die, proponam tibi in gratiam omnium meorum Auditorum, præſertim verò peccatorum; *Miſerere meî Domine, Fili David.* Miſerere culparum noſtrarum. Tu es ipſa manſuetudo & miſericordia Patris æterni, intuere nos, quæſo, Jeſu, miſerandum redactos in ſtatum. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Animæ noſtræ ſunt in ſtatu peccati [illegible] constitutæ, & ut ſic ſunt extra tuam gratiam; diabolus iis infenſiſſimus illas exagitat crudeliſſimè, & adverſùs eas omne genus hoſtilitatis exercet, ac rigoris. Ha! Deus maxime miſerere earum, libera eas ab illius tyrannide, priſtinæ eas reſtitue libertati, contere earum vincula & catenas; imo verbo, eripe eas è poteſtate dæmonis implacabil[illegible]. *Miſerere meî Domine, Fili David.* Largire nobis indulgentiam delictorum ac peccatorum noſtrorum; expelle dæmonem ex animabus noſtris, libera eas ab hoc dæmone peccati, ſicut alias *quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul* proavus tuus *David tollebat citharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saül, & leviùs habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus* i. Dicito nobis, i 1. Reg. 16. 23
ſicut dicis hodiemâ die mulieri Chananææ te ſupplicanti; *Fiat tibi ſicut vis.* Fiat vobis eo planè modo, quo deſideratis efficiendum. Proteſtamur autem, nos nihil omnino velle niſi id, quod tibi placuerit; nihil præter te, nihil quod à ſanctiſſimâ tuâ deviet voluntate. Effice nobis præ miſericordiâ tuâ quidquid vis facere de nobis, & quidquid intendis agere noſtrî ipſorum interventu; dummodò id facias largi[illegible] o nobis gratiam tuam in hoc mundo, [illegible] dem imperti[illegible] nobis gloriam tuam in altero ſeculo.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina. Joan. 5. 2. &c.

Est quidem facilè viſu, nec multam adhibebo operam ut probare vobis id contendam, Legis antiquæ piſcinam fuiſſe figuram, imaginem, adumbrationem, & veluti ſpeculum, quod repræſentaret nobis realitatem noſtri Baptiſmi, & ſpe-
a Joan. 3. 5 cioſarum harum aquarum a pretioſo *Sanguine* b
b Apoc. 1. 5 infinitis c meritis Jeſu Chriſti ſanctificatarum.
c Baruch 3. 25 Id appoſitè dixit Tertullianus d, loquens de ex-
d Tert. lib. de Baptiſmo c. 5 cellentiis & præeminentiis, quibus aquæ Baptiſmi prævalent adverſùs aquas hujus piſcinæ, quæ veluti umbræ, imagines, & figuræ debebant præcedere id quod figurabant & repræſentabant: *Figura iſta medicina corporalis ſpiritualem medicinam canebat ea formâ, quâ ſemper carnalia in figurâ ſpiritualium antecedunt.* Inde cognoſcitis, Auditores, quiſnam ſit futurus conſilii mei ſcopus, & quid ſim vobis dicturus. Sed antequàm ſermonem aggrediar de materia-
e Joan. 4 13. &c. libus aquis texere, poſtulemus aquas e ſpirituales Spiritus ſancti. Virgo ſacratiſſima fuit canalis, in quem omnes confluxerunt, & Angelus earum plenitudinem in eâdem invênit, cùm dixit ei, *Ave Maria.*

In gratiam piſcinæ, ſimul ac Baptiſmi noſtri, aggredior hodiemâ die aquarum panegyrim agere, & propoſui mihi, earundem laudes & elogia publicaturus, oſtendere vobis, quomodo Deus iis ſemper uſus fuerit; cùm elevaverit hoc elementum ipſemet Deus ſupra cætera elementa, quod tamen ex naturâ ſuâ erat eorum ferè omnium viliſſimum. Hæc eſt maxima in Philoſophiâ univerſim ſumpta, quippe quæ infallibilis ſit, & quam quotidiana nobis licet comprobare experientiâ, quâ fertur, omnes res ejuſdem ſpeciei eſſe penitus æquales in naturâ ſuâ, cunctaſque iiſdem gaudere proprietatibus; ſed tamen omnes iiſdem non frui proprietatibus in eodem excellentiæ gradu; ſemper enim inter eas eſt aliquas deprehendere, quæ eaſdem poſſideant cum majori eminentiâ & prærogativâ, & quæ habeant aliquid altioris & magis elevati. Omnes homines V. g. eſſentialiter ſunt homines, ſed in ipſorum ſpecie inveniuntur ſubtiliores aliqui, & perſpicacioris ingenii, quàm ſint alii. Omnes aves ſunt aves, ſed inter eas aquila eſt ipſarum facilè princeps. Omnia animalia ſunt animalia, ſed præ illis omnibus leo eſt rex. Omnia metalla ſunt metalla, ſed aurum quod inter metalla computatur, eſt omnium ipſorum pretioſiſſimum. Omnia elementa ſunt elementa, ſed aqua cætera omnia dignitate & eminentiâ longè antecellit.

Deus, cujus ſapientia *omnia in menſurâ, & numero, & pondere* f diſponit tam in ordine f Sap. 11. 21
naturæ, quàm in ordine gratiæ, aquâ ſemper uſus eſt veluti ſubjecto maximè congruo ad exhibenda mirabilia ſua. Ab ipſius mundi incunabulis *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas* g. g Gen. 1. 2
Vel, juxta aliam verſionem, *incubabat aquis.* Ut oſtenderet ſe toti mundo mediis aquis fœcundi-

cunditatem impertiturum. In ſtatu naturæ, univerſum hunc purgat mundum aquis diluvii generalis *h* à tot tantiſque ſordibus & impuritatibus, quas contraxerant ipſius mundi primi incolæ inter commercia illicita, & praxes minùs rationi congruas, quin imò ipſi innocentiæ oppoſitas; *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam* i. Si in Lege ſcriptâ vindictam ſumpturus eſt de Rege incircunciſo, de Tyranno opprimente populum ſuum, de eo ſe ulciſcitur mediis aquis, quæ ſunt veluti milites Dei ipſius, qui ſalvat Iſraëlitas in iiſdem aquis *k*. Quam mirabile viſu mare rubrum aperiri, liberumque ſinere tranſitum exercitui, in quo erant *ſexcenta millia peditum* l, ut concinit David, *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones* m. Quique admiratione commotus exclamat, *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia converſus es retrorſum* n? Si ſuam Deus magnificare vult potentiam, id exequitur aquis; ipſæque rupes vel duriſſimæ perculſæ aquam profundunt, unde bibant ſervi Dei, præcipiente Moyſe; *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum* o. Super hoc elemento omnem ſuam Deus manifeſtavit potentiam, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyſſis* p. Mare verò intumeſcens, & univerſo orbi exitium & ſubmerſionem minitans, ipſi ſubjacet, neque limites ab ipſius Dei majeſtate ſibi præſcriptos audet præterire; *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur; neque convertentur operire terram* q. Et, *Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos* r. Execrationis aquæ † deſtinatæ ad aperienda crimina occulta uxorum, potæ ab adulteris, diſrumpebant ipſarum ventrem & viſcera in conſpectu adſtantium omnium; & è contrà loco benedictionis erant innocuis, quæ earundem potu fœcundæ efficiebantur. Si verò in ſtatu gratiæ, in Lege novâ Jeſus Chriſtus Dei Filius potentiam ſuam vult magnificare, id agit mediis aquis. Hoc elementum præ cæteris eſt ipſe præcipuo proſecutus honore, *ambulans ſuper mare* ſ. Cùm Apoſtolos ſuos ex aquâ extrahit, & eos, qui *mittentes rete in mare, erant piſcatores, piſcatores hominum* efficit t, oſtendit ipſe ſalutem noſtram initia ſua auſpicari ab aquis, incipere ab hoc elemento, quod maxima ipſius propalat mirabilia, & noſtras ipſi reverentias aſciſcit.

h Gen. 7. 21 — *i* Gen. 6. 12 — *k* Exod. 14. 27. &c. — *l* Num. 11. 21 — *m* Pſ. 113. 3 — *n* Pſ. 113. 5 — *o* Pſ. 113. 8 ex Exod. 14. 27. & ex Joſue 3. 16 ex Num. 20. 11 — *p* Pſ. 134. 6 — *q* Pſ. 103. 9 — *r* Job 38. 11 — † Num. 5. 27. &c. — ſ Matth. 14. 25 — *t* Matth. 4. 18. & 19

Mediis aquis operatus eſt Deus univerſa, ut ait Tertullianus u, *Diſpoſitio mundi modulatrici bus quodammodo aquis Deo conſtitit.* Mediante aquâ incepit exhibere potentiam ſuam Chriſtus in nuptiis Canæ per *aquam vinum factam. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ; & manifeſtavit gloriam ſuam; & crediderunt in eum diſcipuli ejus* x. Et, juxta eundem Tertullianum y, *Prima poteſtatis ſuæ rudimenta, vocatus ad nuptias, aquâ auſpicatur.* Aquâ piſcinæ Probaticæ ſanitatem paralytico ipſe impertitur. Baptiſmo ſuo ipſe ſanctificat aquas Jordanis z. E facto ipſius latere *lanceâ* perforato *exivit aqua* a. Si verò ipſe honore inſignivit alia elementa, terram, cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* *. Aërem & ignem Aſcenſione ſuâ, cùm *aſſumptus eſt in cœlum* b, aquam maximè honoravit in fluvio Jordane. Ita ut concludat idem Tertullianus c, nunquam Chriſtum fuiſſe abſque aquis, *Chriſtus nunquam ſine aquâ.* In vitâ quippe ſuâ, ſicut & in morte ſuâ aquam ſpeciali ſemper eſt proſecutus honore, quæ tamen non erat niſi figura, imago, & adumbratio eorum, quæ ipſe eſſet operaturus mediante Baptiſmo. Sicut autem non meliùs de Sole judicamus, quàm ex ejuſdem radiis oculos noſtros illuminantibus; & de dignitate alicujus cauſæ, quam ex excellentiâ effectuum ipſiuſmet cauſæ: pari modo non poſſumus meliùs agnoſcere dignitatem Baptiſmi, quàm agnitâ effectuum ejuſdem Baptiſmi excellentiâ. Hoc inducit me ut oſtendam vobis quinam ſint effectus Sacramenti Baptiſmi, nimirum tres, qui triplicem diſcurſus iſtius conſtituent partem.

u Tert. lib. de Bapt. c. 3 — *x* Ioan. 2. 9 & 11. — *y* Tert. loco ubi ſuprà c. 9 — *z* Matth. 3. 13. & 16 — *a* Ioan. 19. 34. — * Baruch 3. 38 — *b* Marc. 16. 19 — *c* Tert ubi ſuprà c. 9

Diviſio.

Hoc habet imprimis Baptiſma ut ſit nobis loco *portæ Orientalis* d ad æternitatem, ad quam nobis pandens viam, nos hæredes paradiſi conſtituit. Secundò, ut nos membra Chriſti efficiat. Tertiò, ut nos rectà ad gloriam dirigat. Quæ tria ſunt in toto hoc diſcurſu diſcutienda. Ut autem agnoſcatis quænam ſit malitia peccati, nullâ factâ mentione peccati actualis, quis non videat peccatum originale privaſſe nos jure quod habebamus ad gloriam, *Nos omnes eramus naturâ filii iræ* e. In lucem prodimus crimini obnoxii, ſalutamus diem ut Rei, fune collo alligato; januæ cœli nobis erant veluti rebellibus clauſæ. Sed Deus, qui nunquam ceſſat ingratos ſibi devincire, & bona præbere hominibus, qui eis utuntur ut inde majorem arripiant lædendæ Divinæ majeſtatis ipſius anſam, præ exceſſu bonitatis ſuæ, miſericordiam ſuam adverſus nos manifeſtavit, præbens nobis medium, quo è lapſu noſtro reſurgeremus, quod eſt Baptiſma, quo regeneramur, & filii Dei efficimur per gratiam, ſicut eramus filii diaboli per peccatum; & ſic habemus jus ad gloriam, & hæredes conſtituimur paradiſi per hanc admirabilem adoptionem.

I. Pars. — *d* Ezech. 10. 19 — *e* Epheſ. 2. 3

Per peccatum efficimur filii iræ. Peccatum denigrat hanc ſpecioſam imaginem, quam hauſeramus à Deo, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis* f. Per Baptiſma, quod confert nobis hanc gratiam, evadimus filii Dei; *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei* g. Ibi efficimur filii ipſius adoptivi, & ſicut ibi ſuas nobis cum profuſione gratias communicat, & nos ut ſuos agnoſcit; ſic gloriam ſuam largiri vult nobis titulo hæreditatis, *Quòd ſi filius, & hæres per Deum* h. Obſervat Evangeliſta i *Spiritum* ſanctum in Lege gratiæ deſcendiſſe *ſicut columbam ſuper* i Chriſtum baptizatum. Inveniri autem non poteſt illum in Lege naturæ, aut in Lege ſcriptâ ſub tali ſpecie apparuiſſe; ſed ſolam auditam fuiſſe vocem turturis animalis ſolitarii & lugubris, *Vox turturis audita eſt* k. Ut oſtenderetur Lex antiqua fuiſſe Lex gravis & moleſta, *minando pœnam, non adjuvando per gratiam*, ait S. Auguſtinus *l*. Sed Spiritus ſanctus in Lege gratiæ exhibet ſe intuendum ſub forma columbæ avis ſine felle, mitis, & cicuratæ, oſtendens nobis inde ſuavitatem & facilitatem Legis gratiæ, præ abundantiâ bonorum, quibus nos erat cumulaturus. Idcircò mutavit rigorem Circuncifionis *m* in ſuavitatem & facilitatem Baptiſmi.

f Thren. 4. 8 — *g* Rom. 8. 14 — *h* Galat. 4. 8 — *i* Matth. 3. 16 — *k* Cant. 2. 12 — *l* S. Aug. in Pſ. 67. 10 — *m* Gen. 17. 10. & Levit. 12. 3 & Luc. 2. 21

Baptiſmo igitur, & ſalutaribus illius undis regeneramur in Deo, & de novo producimur in Chriſto Jeſu, *Conſepulti enim ſumus in illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* n. Baptiſmus eſt ſepulchrum, in

n Rom. 6. 4

quo

quo omnia crimina noſtra fuerunt ſepulta, ubi vita noſtra criminibus obnoxia finem ſortita eſt, in quo omnibus renunciavimus quæ erant veteris
o Coloſſ. 3.9
Adæ, nos *expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum* o, ut non vivamus ampliùs niſi vitâ omnino novâ & innocuâ, quæ eſt
p Gal. 2 20.
vita Jeſu Chriſti. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus* p, ait Apoſtolus. Qui ſcribens Corinthijs poſt enumeratam vitiorum, quibus erant immerſi, ſeriem, antequam converſi fuiſſent, & ſalutari Baptiſmatis lavacro abluti eſſent, dicit illis, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &
q 1. Cor. 6.11.
in Spiritu Dei noſtri* q. Ante Baptiſma eramus omnes nos abortivi, inimici Dei, & iræ ejus obno-
r Rom. 5 12.
xij, latum adversùm nos ſubieramus decretum mortis r: Sed virtute Baptiſmi, quo initiati ſumus, efficimur filij Dei, & hęredes glorię ipſius, omnino puri & nitidi, cùm anteà ſordidi eſſemus ac inquinati, *Secundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ
s Tit. 3. 5 &c.
ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* s. Ait Apoſtolus, *abundè*, cùm ibi recipiamus omnes gratias, quia hoc Sacramentum eſt janua omnium aliorum, & nobis eſt magis neceſſarium quàm ſint omnia alia, quia ad ingrediendum cœlum neceſſariò tranſeundum eſt per hanc januam, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt
t Jo. 3. 5.
introire in regnum Dei* t.

u Epheſ. 4.5
Vnum Baptiſma u eſt & ſolum, quod efficit nos filios Dei adoptivos *vel in re, vel in voto*, ajunt Theologi. Hæc eſt ablutio exterior, quæ interiùs operatur ſuum effectum; quæ nos generat in Chriſto, & nos regenerat in gratia per virtutem, quam Deus illi communicat. Cujus rei validam promo rationem, quam obſecro vos ut obſervetis, quippe quæ veſtrâ digna ſit attentione. Cùm Salvator *ba-
x Matth. 3.16. &c.
ptizatus* x fuit, & Baptiſmate ſuo ac tactu ſuo ſacro ſanctificavit fluenta Jordanis, dicitur Spiritus ſanctus in columbę forma apparuiſſe, & perhibetur audita fuiſſe vox è cœlo prolata, quę diceret, ipſum Dei dilectum fuiſſe Filium. Verum quidem eſt, Patrem ęternum hoc dixiſſe de Filio ſuo naturali, non quòd Baptiſma attuliſſet ej aliquod perfectionis incrementum (quin potiùs ipſum apparenter exhibebat peccatorem, cùm ſoli eſſent peccatores qui veniebant ad Joannem ut baptizarentur *ab eo in Iordane*) Sed in gratiam noſtri eadem etiam protuliſſe verba. *Obſerva, quòd hæc vox Patris in Baptiſmo facta eſt ad ſignificandum, quod in Baptiſmo efficitur homo filius Dei adoptivus*, ait
y Stella enarrat. in c. 3. Luc. v. 22.
Stella y. Pro nobis igitur & in gratiam noſtri ipſorum protulit hęc verba etiam Pater ęternus, ut nobis oſtenderet mirabiles effectus hujus Sacramenti Baptiſmi, quo initiamur in Chriſtianiſmo. Hoc ajebat pro nobis baptizatis, quia abſque hoc erat Chriſtus verus Dei Filius naturalis, & hoc Baptiſmo de novo ſibi nihil comparavit. Habe-
z Jo. 1.14
bat enim gratiam unionis z, gratiarum omnium maximam; gratiam habitualem, ſanctificantem, & juſtificantem; gratiam infuſam; & omnes gratias cum omnibus extenſionibus ipſarum a primo inſtanti Conceptionis ſuæ: Quæ gratiæ ipſum reddebant omnino gratum ſuo Patri æterno, & legitimum objectum, in quo ſibi idem Pater complacebat. In gratiam igitur novorum baptizatorum, *Ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et ſicut complacentia ſupponit amorem, quippe quæ ſit filia amoris, ita Deus ſummo proſequitur amore animam ſalutaribus aquis Baptiſmi regeneratam, eodemque momento illam gratiarum ſuarum cumulat benedictionibus, *Amare eſt facere aut velle bonum*, copiosè ei dona ſua confert, illam ut ſuam agnoſcit, & characteribus ſuis inſignitam, *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.*

Sed proſequamur. *Et ecce aperti ſunt ei cœli.* Paradiſus aperitur huic animæ; ipſa quidem ad illum habet jus veluti ad ſuam hæreditatem. Statim enim ac homo baptizatus eſt, mox ipſe deſerit infamia ſuæ ſervitutis & captivitatis inſignia. Culpa & pœna ipſi omnino dimittuntur, non eſt ipſe ampliùs filius iræ, ſed filius adoptionis, in ipſo nullum ampliùs eſt invenire peccatum, cui ſucceſſit gratia. Et poſtquam patrinus aut matrina interrogati vice infantis; *Credis in Deum?* reſponderunt loco baptizandi (niſi ipſe jam ſit adultus) *Credo: Abrenuncias Satanæ? Abrenuncio*: Ablutione factâ, efficitur baptizatus *filius* adoptivus Dei, *& hæres* gloriæ ipſius cœleſtis. Et licèt anteà Paganus eſſet, infidelis, idololatra, Judæus, Maurus, aut Turca, infans, vel adultus, ſi in hoc ſtatu poſt Baptiſmum ſuſceptum immediatè moriatur, rectà cœlum pergit, nedum aliquid habeat ſolvendum in purgatorio pro expiatione peccatorum ſuorum, quæ omnia dimiſſa ſunt ipſi in Baptiſmo quoad culpam, ſi ſit infans; & quoad culpam & pœnam, ſi jam fuerit adultus. S. Hilarius a ſuper a S. Hilar. can. 2 in Matth.
hæc verba: *Et ecce aperti ſunt ei cœli; & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: ait: *Vt ex his quæ conſummabuntur in Filio Ieſu Chriſto, cognoſceremus per aquæ lavacrum, & de cœleſtibus portis in nos Spiritum involare, & paterna vocis adoptione Dei filios fieri.* S. Thomas autem, qui illum citat, 3.16. & 17. citat. à S. Thomas. p. q. 39. a. 8. ad 3.
dicit, Patrem æternum ſpecialiter dixiſſe in Baptiſmo Chriſti, eundem fuiſſe Filium ſuum: *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me* b. b ex Jo. 5 37.
Et hoc præcipuè in Baptiſmo, per quem homines renaſcuntur in filios Dei adoptivos. Filij autem adoptivi Dei inſtituuntur ad ſimilitudinem Filij naturalis, ſecundùm illud; Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui c. Nimirùm noſtram c Rom. 8 29.
prædeſtinationem ſitam eſſe in hac conformitate, quam debemus habere cum Filio Dei.

Idcircò *Verbum* d Divinum, *Sapientia* e increata Patris, & incarnata f Mariæ Chriſtus aquâ uſus d Pſ. 44. 1 e Sap. 7. 24.
eſt in hoc Sacramento, ut oſtenderet Baptiſmi f Joel. 14.
eoſdem effectus operari in anima, quos aqua operatur in corpore. Primò enim, Non ſecus ac aqua mundat ſordes, purificatque inquinamenta, quibus peccatum animas noſtras infecerat, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* g. Heu! Domine, ajebat David pœni- g Pſ. 50. 8
tens, immundus ſum non ſecus ac diabolus præ mearum multitudine iniquitatum: ſed ſpero me veniam impetraturum à miſericordia tua, & gratiæ tuæ aquis dealbandum. Hæ ſunt aquæ ſalutares, quas pollicebatur Deus per Prophetam h h Ezech. 36.25.
ſuum, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Hæ ſunt aquæ mirabiles Baptiſmi, de quibus loquebatur ſuprà Apoſtolus, dicens Corinthijs, & in eorum perſona fidelibus Chriſtianis, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Aquæ, quæ in Sacramento Baptiſmi conferunt gratiam *ex opere*

operato, mediantibus Chriſti meritis , ut volunt
unanimi conſenſu omnes Theologi. Præterea
Hæc aqua Baptiſmalis refrigerat,imò verò extin-
guit flammas æternas actuali peccato adultorum
debitas,moderatur ardorem concupiſcentiæ, mi-
nuit fomitem peccati,qui in nobis remanet; non
quòd illa eum extinguat integrè , ſed ſolùm ejus
diminuat ardores. Tandem,Sicut aqua eſt corpus
diaphanum & lucidum , ita Baptiſmate efficimur
omnino diaphani & ſplendidi ſine ulla labe pec-
cati,Deo grati, ſicut dilecti filij ipſius , cùm nihil
ſit in nobis,quod ipſi diſpliceat, ablato peccato , à
i Sap.14. quo maximè ipſe abhorret , *Odio ſunt Deo impius,*
9. *& impietas ejus* i. Dilecti filij ipſius efficimur ado-
ptivi, & conſequenter hæredes paradiſi conſtitui-
mur,*Quòd ſi filius , & hæres per Deum*. Sed præterea
Baptiſmus nos Chriſti membra efficit.

II. Pars. Veritas ſanè eſt Chriſtiana,cui nemo ſanę men-
tis compos contradicere poſſit , omnes fideles
Chriſtianos efficere unum *corpus* myſticum , cujus
k Epheſ.1 *Caput* k eſt Chriſtus Jeſus,cui proprium eſt mem-
23.& 5 5 bris ſenſum communicare medijs nervis, & ſpiri-
tibus tam animalibus , qui reſident in cerebro,
quàm vitalibus qui ſunt in corde , & ex ipſo vitæ
procedunt principio. Præterea , Caput externâ
moderatione dirigit omnia alia membra , eiſque
motum impertitur. Oculis influit ut videant, au-
ribus ut audiant , naribus ut odorentur , palato ut
guſtet,toti corpori ut tangat. In ijs cauſat primò
ſenſum ; prętereà, præbet eis motum,quo exe-
quantur hunc ſenſum. Ita medio Baptiſmo ba-
ptizatus, qui eſt membrum hujus corporis myſti-
ci,recipit ſenſum à Capite,quod eſt Chriſtus. Un-
l Matth. de autem fit,nos credere paradiſum *l*, trinita-
25.34.& tem perſonarum Divinarum in unitate eſſentiæ
46.
m Matth. ſolius *m*, & alia tot quæ captum longè ante-
28.19.& cellunt intelligentiarum noſtrarum, niſi median-
1.Jo.5.7 te ſenſu , quem habemus adminiculante fide *n*,
n Rom. virtute nobis impreſsâ ab iſto Capite ? Poſt ſen-
10. 17.
o Jo.15.5 ſum,præbet nobis motum,quo agamus *o*; virtu-
tem , quâ bonorum incumbamus exercitio ope-
rum. Et hoc eſt quod agit Caput. Sed ſicut ali-
quando accidit membra eſſe paralytica , qualia
ſunt illa , quæ in noſtro recenſentur Evangelio,
proveniente illo ex eo quòd ſpiritus pervenire
non poſſint ad hanc uſque partem conſopitam :
Idem ſępè accidit corpori myſtico Chriſti : In eo
quippe ſunt paralytici,qui non ſuſcipiunt hanc in-
fluentiam gratiæ. Hi autem ſunt membra putri-
da,& impedimento ſunt Chriſto , & Eccleſię ſan-
ctę Sponſę ipſius ; mortui ſunt ipſi gratię , & ſolas
habent vitæ apparentias ; ipſiſque jure merito ex-
probrari poteſt id, cujus inſimulatur quidam Epi-
ſcopus à S. Joanne Evangeliſta , *Nomen habes quòd*
p Apoc. *vivas,& mortuus es* p. Heu! Infelix,tu temetipſum
3.1 decipis : vidêris quidem tibi benè valere,ſed pro-
fectò mortuus es,nomen habes duntaxat,& ſolam
viventis ſpeciem.

Si nobili alicui Viro in platea civitatis deam-
bulanti, veniens Sacerdos , aquâ benedictâ , ſuper-
pelliceo, ſtolâ,rituali,& cereo ſacro inſtructus , &
genuflexus diceret, *Proficiſcere anima Chriſtiana de*
hoc mundo,&c. Heu! Quid eſt hoc? Sic eſt, Do-
mine,*Mortuus es*. Ego? Illudiſne mihi , & dare
verba mihi intendis , doloſe Sacerdos ? Benè va-
leo equidem. Domine,tibi non conniveo: *Mor-*
tuus es. Non hallucinor : *Nomen habes quòd vivas,*
& mortuus es. Avare,qui dicis, *Anima,habes multa*
bona poſita in annos plurimos : requieſce,comede,bi-
q Luc.12 *be,epulare* q; *mortuus es. Animalis homo* , qui non
19.
percipis *ea,quæ ſunt Spiritûs Dei* r, *mortuus es*. Ira- *r* 1. Cor.
cunde,qui foves odia & inimicitias , nec injurias 2. 14.
tuis ullo vis condonare modo inimicis,*mortuus es*.
Impudice,qui a tempore ita longo veluti ſus infa-
mis in cœno volutaris & luto ſordium tuarum,
mortuus es. Tu ſimilis es *ſepulchris dealbatis* , *quæ*
aforis parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt
oſſibus mortuorum , & omni ſpurcitiâ s: & ſtercori- *s* Matth.
bus & foveis hyberno tempore nivibus opertis ; 23.27.
nihil habes magis quàm ſimplicem apparentiam
vitę exteriorem: *Nomen habes quòd vivas,& mortuus*
es.

Chriſtiani nos ſumus ſecundùm numerum, &
meritum. Boni qui ſunt in gratia,Chriſtiani ſunt
& ſecundùm numerum , cùm ſint *tanquam lapides*
vivi * collocandi in ædificio paradiſi: & ſecundùm * 1. Petr.
meritum participantes & communicantes vitę 2. 5
Chriſti,viventes vitâ ipſius. Sed mali qui ſunt in
peccato,Chriſtiani ſunt tantùm ſecundùm nume-
rum,& non ſecundum meritum , cùm ſint mem-
bra putrida, fœtida, vitæ & ſensûs expertia. Inſi-
mulate me mendacij , pudore non ſuffundar , re-
tractabo me præ gloria,& commoda veſtra futura
mihi ſunt glorioſa. De his loquitur S.Chryſoſto-
mus *t* in perſona Scribarum & Phariſæorum , ſu- *t* S. Chry
per hæc Evangeliſtæ verba : *Væ vobis qui juſtificatis* ſoſt.hô.
vos ipſos, Deus autem cognoſcit corda veſtra u. *Propter* 33 in
quod & ficus x *dicti ſunt,habentes folia ſine fructu, id* Matt. 1
eſt,ſpeciem ſanctitatis,non ipſam ſanctitatem , quam *u* ex Luc.
æſtimatione quidem juſtitiæ ſectabantur , opera autem 16.19.
abhorrebant. Exhibete operibus veſtris vos fide *x* exMat-
vigere,& mortuos non eſſe,quin imò è contrà vos thæ. 21.
vivere. Si autem renuamus id credere, poteritis 19.
tunc nobis dicere ; *Si mihi non vultis credere,operi-*
bus credite y. Ad Confeſſionem,& Communio- *y* Jo. 10.
nem accedo,Miſſam audio, eleemoſynam erogo, 38.
horas & coronam beatiſſimæ Virginis Mariæ re-
cito,&c. Hæc omnia ſunt laude digna. Eccleſia,
quæ de ſolo judicat exteriori , rectum de tuo pro-
cedendi modo profert judicium : Sed ſi hæc non
agas,ſi Deum offendas , ſi peccatum committas, ſi
non obſerves mandata Divina , ſi non declines *à*
malo,& bonum z facias, *mortuus es*. Quænam eſt *z* Pſ. 36.
vita animæ? Sanè gratia. Non habes gratiam ? 27.
Ergo *mortuus es*. Peccatum *occidit animam* †. *Pec-* †Sap.1.11
catum,cùm conſummatum fuerit , generat mortem a. *a* Jacob.
Peccaſti? Gratiam amiſiſti: Ergo *mortuus es*. Pro- 1. 15.
videatur igitur exequijs tuis : *Nomen habes quòd vi-*
vas,& mortuus es. Accedant diaboli te delaturi in
infernum , locum ſepulchri vicibus tibi deſtina-
tum ; quia cùm non ſis membrum Chriſti Capitis
hujus corporis myſtici , illudque caput non ſit in
te , nec tibi poſſit communicare ſpiritus ſuos præ
obſtaculis peccatorum,quæ opponis; tu es mem-
brum diaboli, à quo recipis & ſenſum & motum,
cùm hoc perditionis caput *b* communicet tibi o- *b* Gen.3.
mnes ſuos ſpiritus , qui tibi præbent ſenſum, & 1.&c. &
motum, qui te deferant ad perpetranda ſcelera & Sap.2.24
flagitia,quibus ut plurimùm incumbis.

Sed applicemus magis viva lineamenta , &
ſubtiliores charactêres. Extollamus majoribus
Baptiſmi gloriam laudibus. E beneficijs, quibus
cumulavit nos Deus , tria ſpeciale ipſi perhibent
in terris teſtimonium : *Tres ſunt qui teſtimonium*
dant in terra : Spiritus,aqua,& ſanguis c. Chriſti *c* 1. Jo. 5.
Sanguis d, pœnæ ipſius & labores oſtendunt no- 8.
bis quanta ipſe pro nobis pertulerit , cùm amor *d* Jo. 19.
ipſius fuerit morte fortior *e*, quia de illa glorioſè 34. &c.
triumphavit *f*. Etiam Domine Jeſu, hæc vulnera *e* Cât.8.6
ſanguinolenta , hoc Corpus viſceribus planè di- *f* Oſe.13
ſciſſis 14.& 1.
Cor.15
55.

ſciſſis contritum, hic ſanguis circumquaque diffluens, authentica nobis ſunt amoris tui teſtimonia, & quò exceſſus ipſe pervenerit. *Spiritus*, ipſæ ſunt gratiæ, Divinæ inſpirationes, motus interiores, quæ cauſat in nobis ſanctus *Spiritus* g. [g Rom. 8. 26.] *Aqua*, eſt virtus, quam communicat Baptiſmo, in quo efficimur filij Dei; nam infans, aut adultus baptizatus, ſi illico è vivis excedat, ſtatim in cœlum rectà dirigitur, ut alter parvus Jeſus Chriſtus crucifixus, ut alter Jeſus totus Chriſti meritis onuſtus: Cœlum ipſi debetur ſicut Chriſto; illuc vadit cum illius meritis; paradiſus ipſi apertus eſt adminiculante hoc Sacramento: *Et ecce aperti ſunt ei cœli.*

Præterea, Dico in gratiam Baptiſmi: Si Chriſtus in hunc venit mundum, id fecit ut Baptiſmum in eo inſtitueret. Finis ipſius fuit Baptiſmus; *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat* h. [h Luc. 19. 10.] Ecce quæ ſit cauſa Incarnationis ipſius. Baptiſmus eſt primum ſalvandarum animarum medium *vel in re, vel in voto*, ſicut ipſe ſtatuit Chriſtus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei* i. [i Jo. 3. 5.] Triplex datur baptiſmus. Sanguinis, pro Martyribus. Deſiderij, pro illis qui non poſſunt eum ſuſcipere propter obſtacula. Et Baptiſmus aquæ, quo utimur, & quod eſt Sacramentum, cùm alia non ſint talia niſi per analogiam. *Baptiſmus ſanguinis, flaminis, & fluminis.* Finis igitur adventus Chriſti in hunc mundum fuit Baptiſmus.

Matres, quæ prægnantes ſic parùm tutando fœtui ventris veſtri invigilatis: Matres, quibus ſunt liberi, hoc ſingulare munus vobis *datum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* k. [k Jacob. 1. 17.] Omnes mulieres hâc non fuerunt cumulatæ benedictione: & tamen ſic parùm cavetis vobis, & fructui veſtro, ut veſtrâ incuriâ æternam illi ruinam machinemini & quoad corpus, & quoad animam: & id aliquando ob mundi conſiderationes, & reſpectus purè humanos. Hæc anima, quæ creata fuerat ut cœlum poſſideret †, [† Gen. 1. 27.] ut gloriâ Dei potiretur æternâ, ſempiternæ ſubjacet ruinæ. Heu, quales querelas formabit ipſa per totam æternitatem. Angelorum ſedes deſtructæ ſunt rebellium l; [l Apoc. 12. 4. &c.] oportet ut interventu liberorum veſtrorum eaſdem ſedes iſtorum ſolemnium domicilij cœleſtis deſertorum & apoſtatarum reparetis. Et ſicut diabolus infenſiſſimus Deo, & omnibus hominibus ipſius imaginibus m, [m Gen. 1. 27.] tentatione *mulierem* n [n Gen. 3. 1. &c.] aggreſſus eſt, de eaque victoriam reportavit; oportet etiam ut mulier è ſexu veſtro dæmonem vincat, & de eo glorioſum referat triumphum. Et hæc eſt Virgo ſacratiſſima o, [o Gen. 3. 15.] quæ *peperit Filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Ieſum* p. [p Matth. 1. 25.]

Matres imprudentes, quæ, ut laſciviatis, ſaltetis, & choreas ducatis bacchanalium tempore, fructui veſtro vitam eripitis, nullâ habitâ mentione aliorum exceſſuum, quibus eſtis obnoxiæ, & quos optime noſtis, quale infortunium innocentibus his creaturis machinamini? Privatis eas, culpâ veſtrâ, cœli, paradiſi, & gloriæ æternæ poſſeſſione, ſaltatione veſtrâ, & atrocioribus fortaſſis criminibus. Quas gratiarum actiones rependere tenentur vobis hi Rei innocentes pro incuria veſtra? Numquid non ſatius fuiſſet illis nunquam fuiſſe conceptos, quàm vitam in veſtris habuiſſe ſinibus, ut in æternum perirent? Recogitate quæ dico, ſi placet, & videte quanti ſit hæc veritas momenti. Et vos Parentes, qui præ humanis reſpectibus, præque vanitate Baptiſma ſatagitis differendum, ut expectetis Dominum talem, qui ſit Patrinus, & Dominam talem, quæ ſit Matrina infantis veſtri, qui hoc intervallo moritur interjecto; Heu! quid dicetis? Quid reſpondebitis Deo? Quid dicet hæc anima innocenter conſcia tempore judicij finalis q, [q Matth. 25. 31. &c.] videns ſe collocatam cum reprobis? In quaſnam erumpet reprehenſiones? Sed quænam injuſtitia, ut ijdem qui ipſi vitam dederunt poſt Deum, horribile cogitatu! mortem ei machinati ſint æternam? Heu! Quis verbis ſatis validis hanc poſſit exaggerare injuſtitiam! Mihi non ſuppetunt, ideò illam taceo. Sed expediret audire reprehenſiones infelicium iſtorum infantium. Quid dicent? Vel potius quid non dicent adversùs inhumanam progenitorum ſuorum ſævitiam? Se nimirum alienâ perditos fuiſſe perfidiâ, ſe proprios parentes ſenſiſſe parricidas, progenitores ſuos catenarum fuiſſe ſuarum infelices opifices, cùm ipſis vitam eripuerint eodem ferè momento, quo eam ipſis fuerant impertiti. Crudelitatem minori dignam veniâ, & majori obnoxiam punitioni! Qualem ſævitiam adversùs innocentes hos Reos, quâ parentes ipſi ſint ſuorum parricidæ liberorum! Crimen omnium atrociſſimum, quòd cauſa ſuum deſtruat effectum, quòd mater ſuo infanti crudelem non vereatur inferre mortem! Nihil habet magis ſanguinarium obſidio Jeroſolymitana; & quidquid de ea refertur, longè minus & inferius eſt eo omni, quod dicimus; ibi quippe ſolum occidebatur corpus, ut comederetur à matribus: hic autem corpus & anima ſimul perimuntur. Quam ſævior eſt iſta crudelitas ſævitiâ Samariæ r? [r 4 Reg. 6. 28. & 29.]

Finiamus hunc diſcurſum. Et cùm, Chriſtiani, ſuſceperimus Baptiſma, quod eſt maximum omnium, quibus inſigniri poſſumus, privilegiorum; honorem ei ac reverentiam exhibeamus. Peccata quædam ſpecialia præcipuè ſunt illi oppoſita, nimirum blaſphemia, & juramentum. Heu! cùm blaſphemamus, quid agimus niſi quòd Baptiſmo noſtro veluti pugionem infigimus? Eſtne hęc gratiarum actio Deo pro tot ſuſceptis ab ipſo beneficijs impendenda? Negare Deum Creatorem ſuum, Heu proſtitutionem Chriſtianiſmi! Quònam pervenimus? Eſtne id quod ei promiſimus in Baptiſmo? *Credis in Deum? Credo.* Eſtne illum revereri, ac eum negare?

Intereà confitetur quis. Petit ab illo Confeſſarius; blaſphemaſtine aliquando? Juraſtine nomen Dei? Etiam, Reverende Pater. Acciditne illud tibi ſæpè? proſequitur Confeſſarius. Perſæpè, reſpondet pœnitens. Quoties, ter, quater, quinquies? Plùs decies, plùs vigeſies, plùs centies. Heu! tremore concutior, hæc audiens, plùs centies? *Abominationem deſolationis* s! [s Matth. 24. 15. ex Dan. 9. 27.] Plùs centies? Eſtne ſanè id honor & fidelitas, quæ debetis, Chriſtiani, exhibere veſtro Baptiſmo? *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt* t. [t Matth. 10. 33.] Verba & minæ, quæ animos noſtros timore & tremore debent percellere, Deum negare? Infortunium omnium, quæ unquam accidere poſſint, maximum! Deum negare? Heu! Quid ſibi vult iſtud, niſi ut ille qui his horrendis eſt aſſuefactus juramentis, ſit infamis titio in hoc mundo, & in altero ſit flammis addicendus æternis? Scitote vos omnes perfidi & infideles homines, qui Deum ſic juratis, veſtrum vos mendacij inſimulate Baptiſma.

Promiſimus in Baptiſmo, nos voluptatibus renunciaturos carnis, illius blandimentis, mundi vanitatibus; tentationibus inferni & diaboli. Promiſſis non ſtetimus; ſed è contra Baptiſma noſtrum

ſtrum veluti pugione confodimus. Infirmamur, mortui ſumus, vel ſaltem gravi ægrotatione decumbimus. *Quomodo enim renuntiavimus diabolo & Angelis ejus, ſi eos facimus? Quam diſcordiam ſuſcepimus tu eos, quibus exhibitionis noſtra gratiâ obligati ſumus? Potes linguâ negaſſe, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto ſtruis? Unum Deum colere, qui faiſes facis?* ait Tertullianus u. In Baptiſmo renuntiavimus mundo, & omnibus maximis illius, innocentiæ oppoſitis. Quid autem agimus, cùm mundo adhæremus, niſi quòd infidelitates perpetramus, occidimus fidem noſtram, ac Baptiſma noſtrum? Mundus ait, vindictam eſſe de irrogatis ſumendam injurijs, ſingulari idcircò dimicandum certamine, amittendam vitam ſimul ac Chriſtianiſmum profligandum, quem profiteris: Evangelium verò, quod elegiſti, jubet dimittendum x, & patientiâ defendendum, *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum* y. Patrinus reſpondit pro te, *Abrenuntio*. Heu! Perfide, cur adhęreſcis maximis mundi, & agis adversùs id quod ſolemni ſpopondiſti juramento? Renunciaſtis mundo omnes vos, renunciando *Satanæ & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus*. Statiſne promiſſis? Quin imò contrarium penitus agitis. Hæc puella, vel mulier reſpondet, ſe, cùm ſit adhuc junior, debere circulos frequentare, ibique cum pompa ſe intuendam exhibere: Modeſtiam autem veſtium illâ ætate à ſe requiri, ſe reverâ id nimiæ reputare ſeveritati. Rigorem ibi autumatis, Auditores, ut dicitis. Ego autem dico vobis, vos omnes Chriſtianos eſſe nomine tenus, & infideles realiter.

u Tert. l. de Idololat. c. 6

x Marc. 11. 25.

y Rom. 12. 21.

Quotnam inveniuntur, qui apparenter duntaxat ſunt Chriſtiani? Quot ſunt qui ſuum Baptiſma gladio veluti perimunt, qui mendacij ſacrilegi fidem impudenter inſimulant, quam ſuſceperunt? Nunquid nō ſufficiunt impuritates, fornicationes, adulteria, latrocinia, & alia hujuſmodi crimina, nedum ſubdantur iſta? Peccator, hanc igitur gratiam amiſiſti? Speciosam hanc veſtem innocentiæ in Baptiſmo ſuſceptam inquinaſti? peccaſti? *Mortuus es*, vel ſaltem paralyticus es. Deſideraſne hodie ſanitatem? *Vis ſanus fieri*? Viſne redire ad hunc primum Baptiſmi ſtatum? Ecce offero tibi *hominem*, qui te reconciliabit Deo tuo, & efficiet ut denuò privilegijs filiorum ipſius potiaris, & membrum Chriſti reſtituaris. Sufficit tantùm ob hunc effectum ut velis, & nullam prætexas excuſationem, dicens cum paralytico, *Hominem non habeo*; auxilium tibi deeſſe, cùm tua ſanitas à tua pendeat voluntate. Illud offert tibi Medicus tuus, dicens, *Vis ſanus fieri*? Turbabit ille quippe aquam cordis tui. Immergere piſcinæ Sanguinis ipſius, & vulneribus ipſius. Ecce aperta ſunt. Quinque ſunt vulnera in hac, ſicut *quinque* erant *porticus* in Probatica piſcina, per quas ad ipſam dabatur acceſſus. Dic cum Davide z, *Ingreſſus in eas, confitebor Domino*. Poſtquàm autem tua fueris Sacerdoti confeſſus peccata; *jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Cuſtodi te in gratia, ut potiaris tandem gloriâ.

z Pſ. 117. 19.

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMAE.

Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Matth. 26. 14. &c.

Legitimum non poteſt imponi rei alicui pretium, niſi valor illius cognoſcatur: Jeſus Chriſtus tanti valoris eſt, ut nullus intellectus creatus poſſit in illius notitiam pervenire: valor ipſius eſt ultra omne pretium, *Neſcit homo pretium ejus*, ajebat Job a. *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*, dicebat Salomon b. Ipſe plus valet ſolus quàm tota gloria, quam ipſe cauſat præſentiâ ſuâ, ſicut ipſemet *ſublevatis oculis in cælum, dixit, Pater, Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* c. Ipſe eſt ſecluſorium omnium theſaurorum Divinitatis, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, dicit S. Paulus d. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus e, *In quo Chriſto ſunt omnes theſauri, id eſt, copioſiſſima plenitudo ſapientiæ Divinorum, & ſcientiæ creaturarum abſconditi, id eſt, incomprehenſibiliter exiſtentes. Chriſtus namque ſecundùm Divinitatē eſt ipſa æterna atque immenſa ſapientia, cujus non eſt numerus* f: *eſtque increata ſcientia, cui convenit illud, O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei* g! *Secundùm humanitatem quoque aſſumptam, repletus eſt ſapientiâ in contemplatione Divinorum, & ſcientiâ in ſpeculatione creaturarum, præſertim cùm anima Chriſti præ univerſis Beatis Divinitatem ac Trinitatem ab exordio ſuæ creationis clariùs videt, & omnia illa cognoſcit, quæ cognoſcit & Verbum, ſcientiâ viſionis, id eſt, cuncta quæ unquam fuerunt, ſunt, aut erunt.* Quomodo ergo Judas infelix illi pretium poterat imponere, cùm impoſſibile ſit ut ejus valor cognoſcatur? B. Virgo Maria ritè cognoſcebat pretium illius: proptereà ipſa ſuum libenter conſenſum præbuit Angelo, ut Mater ejus efficeretur, reſpondens illi, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, poſtquàm hic *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria.*

a Job. 28. 13.

b Sap. 7. 9

c Jo. 17. 3. &c.

d Coloſſ. 2. 3

e Dion. Carth. a. 2. in Coloſſ. 2. 3

f ex Pſ. 146. 5.

g Rom. 11. 33.

h Luc. 1. 28. & 28.

Quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd quantùmvis bonum ſit vinū, aceſcit; quòd quantùmlibet bona ſint veſtimenta, lacerātur; & quòd caro veteraſcit; & quòd anni fluunt & prętereunt: ſola amicitia vera nunquam depravatur, nec unquam bona converſatio corrumpitur: eſt ergo moleſtiſſimum viſu amicum mutatum, & qui infringit fidelitatem ſuam, & qui, nedum exhibeat officium amicitiæ, ſe convertit ad proditionem & inimicitiam. Quænam major proditio concipi poteſt proditione Caini adversùs fratrē ſuum Abelem, qui nunquam ipſum offenderat, & cui æquè ſtrictè ligari debebat amicitiâ, ac ei proximus erat conſanguinitate? *Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum* i. Quænam traditio manifeſtior traditione Dalilæ adversùs Samſonem, quem ipſa diligere debebat

i Gen. 4. 8.

bebat æquè ac honorare;& quem tamen ipſa ſuavibus verbis tradidit manibus Philiſthinorum crudeliſſimorum illius inimicorum k? Quænam proditio infamior proditione Saulis adversùs generum ſuum Davidem? cùm ex una parte blandiretur ei, ex altera verò machinaretur illi mortem inferre, *Dixit autem Saül, Sic loquimini ad David, Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis. Porrò Saül cogitabat tradere David in manus Philiſthinorum* l. Et quænam infidelitas ingentior infidelitate Achitophelis, qui abiens in partes Abſalom, inſurrexit adversùs Davidem, qui ipſum elegerat *conſiliarium* m; & poſt hæc evaſit conſiliarius ejuſdem Abſalom? *Dixit ergo Achitophel ad Abſalom, Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar David hâc nocte. Et irruens ſuper eum (quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus) percutiam eum: cùmq; fugerit omnis populus qui cum eo eſt, percutiam Regem deſolatum* n. Sed hæc omnia non ſunt niſi umbræ veritatis hodiernâ die adimpletæ; non ſunt niſi figuræ, quæ nobis repræſentant hanc crudelem & ſanguinariam proditionem Judæ adversùs Jeſum Chriſtum, hunc innocentem Abelem, hunc fidelem Davidem, illum fortem Samſonem, contra quem machinatur crudeliſſimam omnium traditionum, iens eum traditum æquè ac venditum Judæis crudelioribus adversùs eundem Salvatorem, quàm fuerint unquam Philiſtini adversùs Samſonem, qui traditus ipſis fuerat ab infideli & proditrice Dalilâ. En hic amicus qui fit inimicus illius, qui nunquam ipſum offenderat: & ecce bonum vinum quod mutatur in validum acetum; ecce diſcipulus qui tradit Dominum ſuum, à quo tantis fuerat favoribus cumulatus o; qui vendit illum qui elegerat ipſum conſiliarium ſuum p; qui manifeſtabat ipſi omnia arcana ſua, & qui ipſi æquè ac cæteris dederat *diſcipulis ſuis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem* q: & qui ipſi æquè ac reliquis iiſdem Coapoſtolis ſuis dixerat, *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël* r: id eſt, Judas perfidus, qui vadit venditum & proditum ſuum Dominum & Deum ſuum, de quo ipſemet Salvator ſic queritur per Pſalmiſtam s ſuum, *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Et per Dionyſium Carthuſianum t, *Etenim homo pacis meæ in quo ſperavi, id eſt, Iudas diſcipulus meus, cui ego pacificus fui, & cui ſigna pacis oſtendi, & ad quem tam charitativè me habui, ac ſi de ejus adjutorio multum ſperaſſem: Nam & procuratorem meum ipſum conſtitui, & loculos tulit* u. *Qui edebat panes meos quoniam ſæpè mecum comêdit, & de eleemoſynis mihi datis pariter vixit, atq; in cæna duplicem panem de manu mea ſuſcepit, videlicet, panem intinctum* x, *per quem oſtendi Ioanni, quòd ipſe proditor eſſet, & buccellam ſub qua erat corpus meum, de qua à Ioanne* y *dicitur, Et poſt buccellam introivit in eum Satanas: Magnificavit ſuper me ſupplantationem, hoc eſt, magnificè induxit ſuper me adverſarios meos, qui me ſupplantaverunt & occiderunt. Vnde & S. Iob* z *in figura Chriſti ait, Quem maximè diligebam, adverſatus eſt mihi.* Et alibi per eundem Pſalmiſtam a ſuum, *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.* Et apud eundem Carthuſianum b idem conſequenter *Chriſtus peccatum traditoris ſui exaggerat: Quoniam ſi inimicus meus, id eſt, qui nunquam antè amicus meus fuiſſet, vel cui ego aliquid mali feciſſē, vel cui tot ſigna dilectionis non oſtendiſſem, maledixiſſet mihi vendendo atque prodendo me hoſtibus meis; ſuſtinuiſſem utique, id eſt, tolerabilius reputaſſem, & minùs corde afflictus fuiſſem, neque tam durè vindicaſſem, ſicut ultus ſum peccatum Iudæ, quem juſto judicio deſperare, & ſeipſum laqueo necare permiſi* c: *quod erat vindicta graviſſima in præſenti, quam ſequitur pœna duriſſima in futuro. Tantò equidem gravius peccatum Deus ulciſcitur, quantò peccantem in graviora peccata cadere patitur. Et ſi is qui oderat me, id eſt, qui ſe inimicum meum fuiſſe palàm dixiſſet & oſtendiſſet, ſuper me magna locutus fuiſſet, id eſt, verba ſupplantationis & conculcationis contra me adverſarijs meis dixiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo, id eſt, tam familiaris vel præſens ſibi non extitiſſem, ut extiti Iudæ, à quo etiam non abſcondi me, ſicut interdum à Iudæis mihi apertè inſidiantibus me abſcondi* d. *Non tamen putandum eſt, quod Chriſtus finaliter ſe aliquo modo occultaſſet, quoniam mortem evadere noluit. Tu verò ô Iuda homo unanimis mihi, quantùm ad apparentiam & verborum profeſſionem, & etiam fortè ſecundùm veritatem quantùm ad tempus; dux meus, id eſt, quem ego cum alijs Apoſtolis conſtitui ducem populi mei, mittens te ante paſſionem cum illis prædicare Regnum Dei, & ſanare infirmos* e; *& notus meus, tanquam cohabitans familiariſq; mihi: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos eo tempore quo procurator meus fuiſti, comedens panem in menſa mecum, qui charitativè ac dulciter tecum veſcebar. Præſertim autem in cæna noviſſima accepit Iudas à Chriſto & cum Chriſto dulces cibos, id eſt, corpus ejus & ſanguinem: In domo Dei, id eſt, in Synagoga Iudæorum, & templo Ieruſalem ſeu congregatione fidelium diſcipulorum meorum, ambulavimus, id eſt, converſati ſumus cum conſenſu. Eo etenim modo ambulaverunt Chriſtus & Iudas cum conſenſu, quo unanimes erant. Patet autem ex his, illas perſecutiones atque injurias eſſe moleſtiores, quæ à propinquis & amicis ſeu familiaribus inferuntur, præcipuè quando de eorum dilectione præſumimus, & aliud nihil niſi bonum apud eos meruimus, propter quod paſſio Chriſti amarior fuit, quia à diſcipulo vendebatur, & à populo electo ac peculiari occidebatur, & ideò per Michæam* f *ait, Popule meus quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi? Et alibi* g, *Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Inter omnes autem figuras, quas ſcriptura ſacra nobis proponit ad repræſentandam nobis hanc venditioné & hanc proditionem Jeſu Chriſti, non invenio congruentiorem figurâ Joſeph, qui à fratribus ſuis venditus fuit *Iſmahelitis* h. Obſervate, ſi placet, id omne quod tranſactum eſt in venditione Joſeph, & in veditione Jeſu Chriſti, & videbitis quòd una eſt vera figura alterius. Videamus hanc veritatem in progreſſu iſtius diſcurſûs iſtius.

Patriarcha Jacob mittebat rus filium ſuum Joſeph viſum fratres ſuos, *Cùm fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſraël, Fratres tui paſcunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos* i. Sic *ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum* k viſitatum homines, quos idem Salvator vocat fratres ſuos, *Ite, nunciate fratribus meis* l. Fratres Joſeph *miſerunt eum in ciſternam veterem* m. Scimus autem fuiſſe Jeſum *poſitum in præſepio* n. Joſepho fecerat *Iſraël* tuni-

Marginal references: k Judic. 16.6. &c. — l 1. Reg. 17.25. &c. — m 2. Reg. 15.12. — n 2. Reg. 17.1. &c. — o Jo. 13. 5. & 1. Cor. 11. 24. & 25. — p Luc. 6. 13. & 16. — q Matth. 10.1. — r Matth. 19.28. — s Pſ. 40. 10. — t Dion. Carth. in Pſ. 40.10 — u ex Jo. 12.6. — x ex Jo. 13.26. — y Jo. 13. 27. — z Job. 19. 19. — a Pſ. 54. 13. &c. — b Dion. Carth. in hunc loc. — c ex Matt. 27.5. & ex Act. 1. 18. — d ex Jo. 8. 59. & ex Jo. 10.39. — e ex Matt. 10.7. & 8. — f Mich. 6.2. — g ex Iſai. 5.4. — h Gen. 37. 28. — Propoſitio. — i Gen. 37. 12. & 13. — k Gal. 4. 4. — l Matth. 28.10. — m Gen. 37. 24. — n Luc. 2. 12.

o Gen. 37.3. *tunicam polymitam* o. Id eſt, varijs coloribus intertextam. Sic Jeſus Chriſtus erat indutus veſte
p Philip. 2.7 humanitatis noſtræ, *Habitu inventus ut homo* p.
q Matth. c.8. & ſeqq. Quæ veſtis diverſicolor, innumeris micabat miraculis q, æquè ac virtutibus. *Symbolicè, Hæc tunica polymita, eſt variegatura virtutum, inquit*
r Corn. in Gen. 37.3 *Rupertus*, ut refert Cornelius r, loquens de præfata veſte Joſeph, velut in figura Jeſu Chriſti. Sicut autem hanc Joſephi *tunicam polymitam videntes*
s Gen. 37 3. & 4. *fratres ejus, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui* s: Sic Judæi viſis miraculis Jeſu Chri-
t Jo. 11. 47. ſti, invidebant ei, *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit* t? Et ſicut Judas unus è fra-
u Gen. 37 26. & 27. tribus Joſeph conſuluit fratribus ſuis, ut venderetur idem Joſeph, *Dixit ergo Iudas fratribus ſuis, Melius eſt ut venundetur Iſmaelitis* u: Sic *abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Id eſt, Jeſum Chriſtum. Et ſicut fratres Joſeph, non occiderunt eum, ſed tan-
x Gen. 37 31. tùm *tulerunt tunicam ejus, & in ſanguine hædi quem occiderant, tinxerunt* x: Sic Salvator noſter mortuus non eſt quantùm ad perſonam & naturam ſuam Divinam, ſed ſolùm in veſte humanitatis
y 1. Petr. 1.19. ſuæ, quæ purpurata fuit *pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati* y. Joſeph nunciatus eſt mortuus per fratres ſuos, *Mittentes qui ferrent ad Patrem, & di-*
z Gen. 37 32. *cerent, Hanc invenimus: vide utrùm tunica filij tui ſit,*
a Gen. 45 26. *an non* z. Et inventus eſt vivens, *Et nunciaverunt ei, dicentes, Ioſeph filius tuus vivit: & ipſe dominatur in omni terra Aegypti* a. Sic Jeſus Chriſtus tri-
b Matth. 28.6. & 19. duo poſt mortem ſuam *ſurrexit, dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra* b. Unica duntaxat res eſt, in qua hæc figura non reſpondet omnino rei figuratæ, nimirum quòd Jeſus Chriſtus venditus eſt triginta argenteis, *At illi conſtituerunt*
c Gen. 37 28. *ei triginta argenteos.* Joſeph autem ſolùm viginti, *Vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis* c. Licèt autem ſequi poſſem verſionem quorundam, qui legunt *triginta*, pro *viginti*, ut habetur in margine Bibliorum Plantinianorum, ad conformandam penitus figuram ad rem figuratam; malo tamen adhærere verſioni vulgatæ: cùm hoc non impediat quin in venditione Joſeph videamus veritatem Jeſu Chriſti: nec enim neceſſarium eſt ut figura in omnibus conveniat rei figuratæ, *Ioſeph venditus juxta Hebraicam veritatem viginti ar-*
d S. Hier. l. 4 in Matth. 26. 15. *genteis. Neque enim pretioſior poterat eſſe ſervus, quàm Dominus*, ait S. Hieronymus d. Et licèt juſtum pretium venditionis iſtius non repræſentetur nobis in venditione Joſeph, prædictum tamen
e Zach. 11 12. & 13 nobis fuit à Prophetis.

Propheta Zacharias e interfuiſſe videtur huic venditioni Filij Dei, & aſpexiſſe numerari ſingulos denarios, nedum ex illis ullum relinqueret. Auſcultate, ſi placet, quomodo introducat Dei Filium loquentem: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et nunquid non hoc eſt pre-
f Lyran. in Zach. 11. 12. tium quod Judæi obtulerunt Judæ, juxta expoſitionem Lyrani f? *Et appenderunt mercedem, id eſt, pretium pro corpore meo ſibi tradendo, ſicut merces qui dicitur pretium quo venditur & emitur: triginta argenteos ipſi Iudæ proditori, ſecundùm quod habetur Matth. 26. 15. & 27. 9. & 10. ubi Matthæus Spiritu ſancto illuminatus dicit hanc prophetiam tunc fuiſſe impletam.* Sed ibi non ſiſtit Propheta: & ita curioſus eſt, ut videre velit finem venditionis iſtius, & ad quid venditor ſit iſtos denarios inſumpturus: ſic autem proſequitur, *Et dixit Dominus ad me, Projice illud ad ſtatuarium decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & projeci illos in domum Domini, ad ſtatuarium.* Et nonne hoc eſt quod ait S. Matthæus
g? *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quòd damna-* g Matth. 27.3. &c.
tus eſſet: pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Hæc pœnitentia Judæ fuit inutilis, cùm ipſemet ſe damnaverit ad mortem, & proprius ſui carnifex effectus fuerit: turbatus horrore criminis ſui, ſtatuit de eo in ſe juſtitiam facere, ſic angebat ipſum dirè propria conſcientia ſua: ſic crudelior non eſt judex quàm ſit conſcientia nequam, quæ perſæpè peccatorem damnat ad majora tormenta, quàm ea quæ Deus decreviſſet; *Severiſſimus igitur judex ſui Iudas, vel in ulciſcendo confitetur, quem negaverat*
in tradendo, ait S. Ambroſius h. Confeſſus eſt h S. Amb Serm. 51
quòd Jeſus Chriſtus eſſet Filius Dei, morte quam ipſe ſibi cauſavit: & prava ipſius conſcientia non permiſit ipſi ut faceret veram confeſſionem, ſic hæc urgebat ipſum ad exequendum ſeverum judicium ſuum. S. Leo i ſermonem ſuum dirigens i S. Leo Serm. 3 de Paſſ. c. 3
ad hunc proditorem, qui erat jam jam ſuſpendio ſeipſum enecaturus, ait illi, *Sceleſtior omnibus Iuda, & infelicior extitiſti: quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes.* Præfatus autem
S. Ambroſius k reddit iſtius rationem: *Tantæ* k S. Amb. in Levit. c. 10.
enim pietatis eſt Dominus Ieſus, ut & ipſi donaret veniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam. Sed prava ſua conſcientia non potuit ipſum ſuſtinere: ſic erat ipſe dæmon ſine pœnitentia poſt ita tetrum facinus ac vendidiſſe Dominum ſuum, qui dixerat ei in conſortio Coapoſtolorum ſuorum, *Ex vobis*
unus diabolus eſt l. Quemnam autem non ſibi con- l Jo. 6. 70.
ciliaſſet Filius Dei? Quænam rupes effecta non fuiſſet mollis ad exhibitionem tanti amoris, quem
præ ſe tulit Salvator, dum lavit *pedes* m ejus, & m Jo. 13. 5.
vocavit illum amicum, *Amice* n? Niſi induratum n Matth. 26. 50.
fuiſſet *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* o ſtrictum, divino Amore arſiſſet. Diabolus o Job. 41 15.
erat, pœnitentia ipſius nihil valebat, *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum* p. Seu, juxta Hugonem p Matth. 27. 4.
Cardinalem q. *Peccavi in me, diabolo me tradendo; in Deum, rem ſuam, id eſt, meipſum ei auferendo; in proximum, malo exemplo corrumpendo.* q Hug. Card. in Matth. 27. 4.

Admiramini nunc veritatem præfatæ prophetiæ, quæ concluſit quòd projecit *triginta argenteos in domum Domini.* Sed tamen *ad ſtatuarium.* Seu, ut legit litera Hebraica, *ad fictorem.* Unde Lyranus prædicta verba Prophetæ ſic exponit ad propoſitum noſtrum, *Projice illud, id eſt, hoc pretium prædictum projiciendum ad ſtatuarium, id eſt, fuſorem ſtatuarum, ut dicunt Expoſitores noſtri. Decorum pretium, id eſt, vile. Et hic eſt modus loquendi ironicè, etiam ſecundùm Hebræos, quo intelligitur oppoſitum, ſicut de nano ironicè dicitur, Ecce magnus gigas. Quo appretiatus ſum ab eis, id eſt, emptus à Iudæis Iudâ venditore. Quaſi diceret, Tam parvo & vili pretio non debui appretiari. Hebræi dicunt quòd hæc eſt litera: Projice illud ad theſaurarium, vel ad figulum. Dictio enim Hebraica hic poſita, eſt æquivoca ad theſaurarium & formatorem. Et formator poteſt dici figulus, qui format vaſa de terra, & ſtatuarius qui format ſtatuas de alia materia. Et illorum acceptio magis conſonat Evangelio* r, r ex Matt. 27. 5. &c.
ubi

Digitized by Google

ubi dicitur, quòd Iudas retulit triginta argenteos Sacerdotibus, qui cuſtodiebant theſauros templi, & qui ex illa pecunia emerunt agrum figuli. Sic igitur poteſt hæc litera exponi, Projice illud ad theſaurarium, id eſt, prædic pretium Chriſti coram Sacerdotibus, qui erant theſaurarij, projiciendum, ſicut dicitur, quòd Iudas projectis argenteis coram Sacerdotibus, receſſit. Vel, Projice illud ad figulum, id eſt, prædic projiciendum ad emendum inde figuli agrum. Decôrum pretium. Quod erat pretium ordinarium, quod Judæi dabant pro ſervis & ancillis, cùm ex iſtis aliquis ipſis mortuus erat r. Unde S. Hieronymus s loquens de venditione, quam Judas fecit Domini ſui, dicit, *Quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit, quantum vellent dare.* Et S. Leo u, *Sed tu impiiſſime homo, ſemen Chanaan, & non Iuda* x, *nec jam vas electionis* y, *ſed filius perditionis & mortis: facinus commercij tui non ideò deteſtandum eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti: ſed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidiſti.* Videte quàm immodica fuerit illius avaritia, ex eo quod præfatus S. Hieronymus paulò antè de hoc infami proditore ſic ediſſerit, *Infelix Iudas, damnũ quod ex effuſione unguenti* z *ſe feciſſe credebat, vult magiſtri pretio compenſare. Nec certam tamen poſtulat ſummam, ut ſaltem lucroſa videretur proditio.* Et idem S. Leo cogitans, loco ubi ſuprà, de execrabili hac illius avaritia, ſic eum alloquitur, *Viliora tibi diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardeſceres, & quid divitiarum amitteres, non videres. Nam etſi putabas credendum eſſe promiſſu, quæ fuit ratio, ut tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptu? Imperabas dæmonibus, & medebaris infirmis* a, *honorabaris cum Apoſtolis, & ut finem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis* b. Et Poëta,

r Exod. 21. 32.
s S. Hier. l. 4. in Matth. 26. 14.
u S. Leo Serm. 16. de Paſſ. c. 14.
x ex Dan. 13. 56.
y ex Luc. 6. 13. & 16.
z ex Jo. 12. 3.
a ex Matthæ. 10. 1.
b ex Jo. 12. 6.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Nomen proditoris iſtius, Iſcariotes, idem eſt ac vir occiſionis, conformiter ad proditionẽ ſuam, cùm occidendum tradiderit Dei Filium venditione ſuâ triginta argenteorum, quaſi fuiſſet ſervus. In lege c antiqua Deus decreverat, ut, ſi alicujus bos occidiſſet ſervum, dominus bovis teneretur ſolvere domino ſervi mortui triginta denarios pro jactura quam incurrerat ſervi ſui, *Quòd ſi bos cornupeta ſervum ancillamque invaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit.* Id eſt, dominus bovis. Quod nobis oſtendit quàm pauci duceret proditor Judas Jeſum Chriſtum, cùm illum traderet pro triginta argenteis; & quàm vilis æſtimaſent illum Judæi, ementes illum pretio ſic demiſſo & tali quale dabatur pro ſervis; non æſtimantes majoris Salvatorem, quàm ſervum. Appoſitè igitur loquebatur ſupra Dei Filius per Zachariam, *Decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Quaſi diceret, Cùm adæquaverint me ſervis. Sed quid mirum ſi Salvator adæquatur ſervis, cùm dicat de eo Apoſtolus d, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens?* Non eſt ergo mirandum ſi vendatur pretio communi ſervorum, id eſt, triginta argenteis. Videris autem, Domine, jure merito non poſſe queri, parce mihi, ſi placet, cùm Judæi cuſtodiverint legem, quam ipſis inſtituiſti, ſcilicet, ut ſolverent triginta ſiclos, vel triginta argenteos pro ſervo, quem bos occidiſſet: ecce ipſi aggrediuntur te, & te obſident veluti tot boves, & tauri ſanguinarij, ut tibi mortem inferant, quippe qui formam ſervi accepiſti, ſicut ipſemet ais per Pſalmiſtam e tuum, *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens.* Et per Dionyſium Carthuſianum f, *Circumdederunt me vituli multi, id eſt, perſecutores Iudæi, homines inſtar vitulorum indomiti & laſcivi: tauri pingues, id eſt Magiſtratus & Principes eorum, & etiam Gentiles ac ſervi Pilati, homines inſtar taurorum ſuperbi & duri. Unde in Eccleſiaſtico dicitur* g, *Non te extollas in cogitatione tua velut taurus. Hi ergo obſederunt me. Nam Evangeliſtâ teſtante, cùm Chriſtus dixiſſet Iudæis, Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me* h: *tunc cohors & tribunus ac miniſtri Iudæorum acceſſerunt, & injecerunt manus in Ieſum, & ligaverunt eum* i. *Manè quoque facto, in die Paraſceves, duxerunt eum in concilium ſuum, dicentes, Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm* k. *Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens, quando, niſi dum ante Pilatum clamabant, Crucifige eum? Et quantò ille magis laborabat eum eripere, tantò ampliùs illi clamabant, Tolle, tolle. Et, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris* l. *Et invaleſcebant voces eorum* m. *Cùm verò miſiſſet ad Herodem Pilatus Ieſum, ſtabant, ut Lucas* n *teſtatur, Principes Sacerdotum conſtanter accuſantes eum: ipſe verò non reſpondit ullum verbum, quatenus impleretur quod dictum eſt per Prophetam* o, *Tanquam ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Et alibi* p, *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.* Videntur Judæi ſatisfeciſſe conſcientiæ ſuæ, ſi adimpleant hanc legem, Domine, quam ipſis inſtituiſti, ſi ſolvant triginta argenteos pro emptione tua. Sed legant paulò altiùs in eadem lege q tua, & ibi reperient hoc decretum aliud, *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, morte moriatur.* Infelices Judæi, tauri rabidi, nonne videtis quòd ille qui vobis vendit iſtum virum, eſt fur & proditor, & conſequenter morte dignus? Nunquid non advertitis quòd tradit vobis pro ſervo illum, qui liber eſt, & qui *libertate* † donat omnes ſervos: poſtquàm rupit eorum *vincula* * & catenas, quæ illos ſervituti ſubjiciebant? *Morte moriatur.* Suſpendio perimatur iſte latro. Quis autem neſciat, quòd proditor iſte *Iudas fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat?* ſicut ait S. Joannes r. Et Dionyſius Carthuſianus s, *Fur erat, & loculos, id eſt, repoſitoria, habens, ea quæ mittebantur, hoc eſt, eleemoſynas, quæ Chriſto dabantur ad ſuſtentationem ſui, & diſcipulorum ſuorum, velut ipſe illas ulteriùs diſtribueret in pauperum uſus: Multa quippe dabantur Chriſto ab Auditoribus ſuis & fœminis religioſis: & quod Chriſto ejuſq; diſcipulis ſuperfluxit, fecit Chriſtus dari egenis: propter quod & inopes multi eum comitabantur: Chriſtus quoq; officiũ procuratoris & diſpenſatoris commiſit Iudæ, tanquam minùs ſpirituali & inferiori: nam & inter Apoſtolos ultimus computatur* t: *Talia ergo quæ ſic mittebantur in ſacculos, quos Iudas portavit, ipſe portabat, hoc eſt, in alios uſus convertit, & occultavit, decimum, ut dicitur, nummum furando.* Sed modus, quo uſus eſt ad vendendum Dominum ſuum, manifeſtè oſtendit, eùm fuiſſe latronem, cùm abiens *ad Principes Sacerdotum, ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eũ tradam?* Quis unquam vidit mercatorem repoſuiſſe mercem ſuam voluntati illius, qui voluerit eam emere? Nunquid non diceretur hic eſſe ſtultus, aut latro,

c Exod. 21. 29. &c.
d Philip. 2. 7
e Pſ. 21. 13 & 14.
f Dion. Carth. in hunc loc.
g ex Eccli. 6. 2.
h Matth. 26. 55.
i ex Marc. 14. 46.
k ex Luc. 22. 66.
l ex Jo. 19. 6. &c
m Luc. 23. 23.
n ex Luc. 23. 7. &c
o ex Iſai. 53. 7.
p Jer. 11. 19.
q Exod. 21. 17.
† Gal. 4. 31.
* Pſ. 115. 8.
r Jo. 12. 4. & 6.
s Dion. Carth. a. 30. in Jo. 12. 6
t ex Luc. 6. 16.

latro, qui non cognoſcens valorem mercis, quam ſuffuratus eſt, contentus eſſet pretio quod ſibi pro ea daretur? Proprium eſt enim latronibus dicere, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam* mercem meam? Ipſi cupiunt quàmcitò vel vili pretio illam tradere, veriti ne cum ſuo latrocinio apprehendantur. In hoc ergo Judas oſtendit ſe eſſe latronem, cùm Judæis ait, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Quaſi diceret eis, Non poteſtis mihi dare ſic exiguum pro eo, ut illum non vobis tradam ad hoc ut de illo diſponatis ſecundùm beneplacitum veſtrum. *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Judæi obtulerunt igitur ei triginta denarios, ut oſtenderent quam pauci æſtimarent Dominum noſtrum: quod vehementer augebat injuriam quæ irrogabatur ei. In quo mihi videntur Judæi ſe geſſiſſe erga Judam non ſecus ac ſe gerunt domini erga ſervos ſuos, cùm afferunt ipſis aliquod bonum nuntium: ajunt enim illis, Ecce pecunia ad emẽnda tibi calceamenta. Dicere autem quòd Judæi ſe geſſerint hoc modo erga Judam, propter bonum nuntium, quod ipſis afferebat ſe voluiſſe ipſis tradere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, hoc ego non adinvêni, ſed iſtud me edocuit Amos Propheta u, qui prædicens venditionem Salvatoris peragendam a Juda, & pretium pro illo dandũ, dicit, *quòd vendiderit Iuſtum pro argento, & pauperem pro calceamentis.* Unde Lyranus exponens verba ejuſdem Prophetæ immediatè præcedentia, *Hæc dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non convertam eum*, explicatis tribus primis quæ non faciunt ad rem noſtram, dicens poſt aliquos Expoſitores, *quòd primum ſcelus fuit venditio Ioſeph* x, *ſecundum in adoratione vituli* y, *tertium in negatione David, Quæ nobis pars in David* z, &c. Subdit, *Quartum autem in venditione ipſius Chriſti. Pro eo quòd vendiderit Iuſtum, id eſt, Chriſtum, antonomaſticè Iuſtum. Et pauperem pro calceamentis, id eſt, pro re parvi valoris.* Qualis injuria ei qui eſt *Dominus omnium* a, vendi pretio ſic vili. *Sicut Abſalom vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico* b. Jeſus autem, qui eſt *ſpecioſus formâ præ filiys hominum*, ſicut ait Pſalmiſta c, ſic deprimitur, ut non æſtimetur totus niſi triginta argenteis: *Quod enim idipſum ad literam de Chriſto dicatur, patet ex tranſlatione Chaldaica apud Hebræos authentica, quæ ſic habet, Pulchritudo tua, Rex Meſſia, major quàm filiorum hominum. Porrò, In libris Annalibus Romanorum legitur, quòd Chriſtus fuit ſtatura procera, mediocris, & ſpectabilis, vultum habens venerabilem, quem poſſent intuentes diligere & formidare, capillos habens coloris nucis avellanæ præmaturæ, planos ferè uſque ad aures, ab auribus cincinnos criſpos aliquantulùm cæruliores & fulgentiores ab humeris ventilantes, diſcrimen habens in medio capitis, juxta morem Nazaræorum, frontem planam ac sereniſſimam ſine macula ac ruga, quam rubor moderatus venuſtavit, naſi & oris nulla prorſus reprehenſio, barbam habens copioſam capillis concolorem, non longam, ſed in mento parùm bifurcatam, aſpectum ſimplicem & maturum, oculis glaucis, varys & claris exiſtentibus. In increpatione terribilis, in admonitione blandus & amabilis, hilaris ſervatâ gravitate: aliquando flevit* d, *ſed nunquam riſit ſtaturâ corporis propagatus & rectus, brachia verò & manus viſui delectabiles, alloquio gravis, rarus & modeſtus, talis utique per*

u Amos 2.6
x ex Gen. 37.28.
y ex Exo. 32.8.
z ex 2. Reg. 20.1
a Eſth. 13 11.
b 2. Reg. 14.25.& 26.
c Pſ. 44.3
d ex Luc. 19.41.& ex Jo. 11 35.& ex Hebr. 5. 7.

operis ut meritò diceretur ſpecioſus formâ præ filiys hominum, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e, qui hæc deſumpſit partim ex epiſtola, quam Publius Lentulus temporibus Octaviani Cæſaris Senatui Romano ſcribebat, & quam ipſemet refert conſequenter. Factum eſt aliàs ut *in Samaria venundaretur caput aſini octoginta argenteis* f. Quòd autem *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* g, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* h, minori pretio vendatur quàm caput aſini, res eſt ita indigna, ut mihi verba deſint ad illam exprimendam, & cogitationes ad illam concipiendam.

Ha maledicte negotiator! Ha infortunate mercator! Ha infelix Juda! cùm ita vili pretio vendas Salvatorem, cujus valor eſt inæſtimabilis. Nonne vides quòd unica gutta ſanguinis ejus innumeros poſſet mundos redimere? Et ipſe totum vendis triginta argenteis. Jeſus Chriſtus non ita parvi æſtimat animam tuam, ſicut tu ducis animã ipſius, cùm exiverit *à Patre, & in mundũ* i venerit ad emendam eam *pretio magno* k, id eſt, eodem toto *ſanguine ſuo* l. Et tamen illum vendis triginta argenteis. Quòd ſi cupiditas habendæ pecuniæ te vincit, noli vendere eum inimicis ſuis, ſed potiùs eum vende amicis ſuis, qui pro eo tibi dabunt pluſquàm triginta argenteos, qui tibi pro illo offeruntur à Principibus Sacerdotum. Intuere quantam pro eo tibi pecuniam daret *Lazarus amicus* m ſuus: quantam *Maria* Magdalena, ſoror ejuſdem Lazari, quæ *accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Ieſu*, quod unguentum poterat venire *trecentis denariys* n, ſicut ipſemet dixiſti, tanti ipſa illum æſtimabat: & quæ ideò totum bonum ſuum tibi daret ad habendum eum totum. Cur ergo ais Judæis, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

Sed relinquamus hunc traditorem Judam, qui ita malè novit negotiari: ſatis locuti ſumus de hoc pravo mercatore. Vos autem, Auditores, *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Antequam finiam diſcurſum iſtum, oportet ut faciam vobis formam venditionis & emptionis boni Jeſu devotam & ſpiritualem. Quid autem dicetis, ſi vertam in bonum verbum iſtud infelicis Judæ, & dicam vobis, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Quis ex vobis emere vult amicitiam Jeſu? Ego autem vendam & tradam eam ipſi, ſed vili pretio. Joſeph fuit quidem venditus à fratribus ſuis: & ipſius venditio verſa eſt illis ad magnum bonum, ſicut ipſemet illis ait *Vendidiſtis me* o. *Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me. Nolite timere: ego paſcam vos, & parvulos veſtros* p. Quis autem neſcit ad quantum bonum converſa eſt venditio Jeſu Chriſti peracta à Juda? Sed declaro vobis quòd Dominus noſter ſe ſinit vendendum & emendum propter bonum noſtrum, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Non efflagito à vobis, ut percutiatis Goliath, nec à vobis requiro *centũ præputia Philiſthinorum* q, quæ Saul exigebat à David antequàm daret Michol *filiam ſuam ei* r in ſponſam. Gratia Dei viliori pretio acquiritur. Vultiſne illam? Dare mihi pro illa triginta argenteos. Vultiſne autẽ ſcire quinam ſint iſti triginta argentei? Ecce: decem præcepta Dei s, quinque mandata Eccleſiæ, cuſtodia quinque ſenſuum naturalium, ſeptem virtutes contrariæ ſeptem peccatis mortalibus, & tres virtutes Theologicæ, *Fides, Spes, Charitas* t. Numerate benè, & invenietis ibi triginta argenteos. Iſtud non eſt ſatis, ego volo meliùs negotia-

e Dion. Carth. in Pſ. 44. 3.
f 4. Reg. 6.25.
g Jo. 1. 18
h Coloſſ. 2.3
i Jo. 16. 28.
k 1. Cor. 6.20.
l Apoc. 1.5
m Jo. 11. 15.
n Joan. 12. 3. &c.
o Gen. 45 4. & 5.
p Gen. 50 20. & 21
q 1. Reg. 18.25.
r 1. Reg. 17.25.
s Exod. 20. 3. &c.
t 1. Cor. 13 13.

gotiari quàm Judas: ideòque peto à vobis triginta tres argenteos, & ut ſic prædictis addite tria vota Religionis *n*, & numerus erit perfectus, pro quo promitto vobis me daturum vobis infallibiliter gratiam Jeſu. Sed, dicetis mihi, hoc eſt nimis exaltare pretium, hoc eſt aſcendere uſque ad apicem perfectionis: unuſquiſque non habet tot divitias ſpirituales. Ut accommodem me ad captum penuriæ veſtræ, pretium deprimo ſemel & unà, remitto vobis triginta & unum argenteos, & duos à vobis duntaxat efflagito, ſcilicet, amorem Dei, & amorem proximi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum* x. Non poteſt viliori pretio relinqui, cùm amor Dei, & amor proximi faciant totam eſſentiam legis Chriſtianæ, quam profitemur; nec eſſemus Chriſtiani, ſi hunc duplicem amorem non conaremur exercere, *In his duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ* y. Eja ergo conventionem faciamus *ex denario diurno* z. Unicum duntaxat à vobis requiro denarium, ſolus iſte denarius poterit mihi ſatisfacere; ſed oportet ut ſit acceptabilis: intelligitis jam conceptum meum, & quid intendam: auſcultate Dei Filium dicentem vobis ſingulis, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* a. Præbete illi penitus & abſque ullâ reſervatione cor veſtrum. Sed videamus, *Oſtendite mihi numiſma cenſus. Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio* b? Confeſſarii, remitto vobis hanc imaginem, ut videatis num pertineat ad Deum, vel ad diabolum: examinate eam benè: perpendite hunc denarium, intuemini ſuperſcriptionem iſtam, videte imaginem huic denario impreſſam: ſi ipſa eſt mundi, vel carnis, aut diaboli, iſte denarius utique non eſt acceptabilis. Tandem, Quid faciemus, ſi non habeatis hunc denarium? Quid? revertarne nedum aliquid vendam? Jeſus Chriſtus ſic concupiſcit emi à vobis, ut ſe transformet in omnem figuram, more Prothei, ut ſe vendat vobis. Vultiſne triticum? en ipſe *Frumentum Electorum* c. *Et adipe frumenti* d ipſo ſatiabimini. Vultiſne vinum? Ipſe vocatur *Vinum germinans Virgines* e. Et ipſemet *dixit*, *Sanguis meus, verè eſt potus* f. Vultiſne veſtimenta? Contemplamini illum, ſicut eum vidit S. *Ioannes in inſulâ, quæ appellatur Patmos, in ſpiritu in Dominicâ die, veſtitum podêre* g. Vultiſne flores? Ipſe dicit de ſe, *Ego flos campi, & lilium convallium* h. Vultiſne fructus? Ipſe eſt *benedictus fructus ventris* i Mariæ. Vultiſne comedere? *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* k. Vultiſne oleum? *Oleum effuſum nomen tuum* l, ait ei Sponſa. Vultiſne omne bonum; *Ego oſtendam omne bonum tibi* m, ajebat ipſemet alias Moyſi. Vultiſne honores & divitias? *Gloria & divitiæ in domo ejus* n. Vultiſne abundantiam deliciarum? *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos* o. Tandem, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* p. Quid vultis, quid deſideratis? Ipſe eſt omnia. Si ſititis, ipſe eſt *fons vitæ* q. Si ægrotatis, ipſe eſt medicina: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* r. Si pauperes eſtis, ipſe habet omnes divitias cœli, quippe *quem conſtituit hæredem univerſorum* ſ Pater æternus. Si eſtis infirmi ipſe eſt *brachium Domini* t. Et ipſe Protector veſter erit in omnibus occurſibus. Sed video quòd velitis illum habere pro nihilo. Veſtris annuo votis, ideòque volo vobis illum dare pro nihilo: non quidem pro illo nihilo abominabili peccati: *Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus *u*. Sed pro hoc eximio & præclaro nihilo humilitatis: & promitto vobis me daturum vobis eum pro iſto nihilo, *Super quem (inquit) requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem?* teſtante S. Bernardo x. *Quia reſpexit humilitatem* y. Seu, *nihilitatem*, ut fert verſio. *Deus humilibus dat gratiam* z. O felix nihilum, quod nobis conciliat poſſeſſionem tantùs! Sed heu! Salvator adorande, oportetne ut tradam te minori pretio quam ſit nihilum, quaſi verò ipſe non eſſes merx penitus inæſtimabilis? Deſiderium, Auditores, nihil eſt, & hoc deſiderio habendi illius, ego vobis eum dabo: ipſe duntaxat iſtud efflagitat deſiderium, *dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat* a. Eja ergo, *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ullâ commutatione vinum & lac* b. *Dicens autem ut aquam comedamus, vult oſtendere, non de terrenis aquis loqui, ſed cœleſtibus. Nihil autem aliud eſt has aquas comedere & bibere, quàm Spiritum Dei ejuſque gratiam accipere, & donis ejus gaudere, ad quas aquas vocat Deus omnes qui ſitiunt, & cœleſtis beatitudinis deſiderio tenentur. Vinum & lac. Gratia Chriſti non ſolùm comparatur hoc in loco aquæ abluenti, ſitim extinguenti, & refrigeranti, ſed etiam vino ob nutritionem, & fortitudinem; & lacti ob ſuavitatem & candorem,* ſubdit Pintus c. Præbete igitur illi cor veſtrum, qualecumque ſit, & pro nihilo gratia ejus vobis dabitur: ſi cor iſtud eſt impurum, ipſe mundabit illud; ſi deforme, ipſe decorabit illud. In ſacrâ Communione tradere volo vobis Jeſum Chriſtum, non ut inferatis ei mortem, ſed ut eum diligatis: *Tenete eum cautè* d Cavete ne recedat à vobis ob aliquod peccatum. Dicite audacter cum Sponsâ, *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam* e. Vel cum Patriarchâ Jacob, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi* f. Hæc eſt benedictio, quam deſidero vobis, Auditores, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

n Pſ. 115.6 & Matth. 19.27. &c.
x Matth. 22.37. &c. ex Deut. 6.5. & ex Levit. 19. 18
y Matth. 22.40
z Matth. 20.2
a Prov. 23. 26
b Matth. 22.19. & 20
c Zach. 9. 17
d Pſ. 147.3
e Zach. 9. 17
f Joan. 6. 53. & 55
g Apoc. 1. 9. &c.
h Cant. 2.1
i Luc. 1.42
k Joan. 6. 57
l Cant. 1.2
m Exod. 33. 19
n Pſ. 111.3
o Pſ. 35.9
p Pſ. 72.26
q Pſ. 35.10
r Luc. 19. 10
ſ Hebr. 1.2
t Iſa. 53.1
u S. Aug. tract. 1. in Joan. 1.3
x S. Bern. ſerm. 1. ſuper Miſſus eſt ex Iſai. 66.2
y Luc. 1. 48
z Jacob. 4. 6. & 1. Petr. 5.5
a Joan. 7. 37.
b Iſai. 55. 1
c Pintus in Iſai. 55.1
d Marc. 14.44
e Cant. 3.4
f Gen. 32. 26

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus; & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. 1. &c.

UNicum, cui ſedulò deberemus incumbere, exercitium, eſt praxis transfigurationis peragendæ. Sed ut hoc ritè perfungamur officiu, addiſcenda ſunt à Jeſu exercitii iſtius obeundi media; audienda eſt doctrina Salvatoris noſtri, cùm Pater ipſius æternus *eum* nobis proponat *Præceptorem* †, nobiſque præcipiat ut eum audiamus, *dicent, Ipſum audite.* [† Iſai. 55. 4] Imitanda nobis ſunt ipſius exempla, quæ ſunt omnium virtutum vera originalia. Oportet ut laureâ donemur doctorali in hoc Divino exercitio, conformando formam noſtram ad formam Jeſu; incedendo in terris, ſicut incederent perſonæ cœleſtes; converſando in mundo, ſicut converſarentur homines qui eſſent veluti ex altero mundo; & vitam peragendo in hoc ſeculo nequam planè cœleſtem. Expedit ut ſpleudidam nobis *Sol* faciem componat; quod eveniet, cùm abjectis omnibus operibus *tenebrarum*, *lucis* a opera effectæ fuerint omnes actiones noſtræ. [a Rom. 13. 12] Neceſſarium eſt ut puriſſimus nivium candor nobis veſtem texat, quod accidet, cùm nos *expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis*, *novum* b induemus, putà Jeſum, miſſo foràs Adamo; [b Coloſſ. 3. 9] cùm purgatis omnibus iniquitatum noſtrarum ſordibus, & deletâ veræ pœnitentiæ *lacrymis* c criminum noſtrorum nigredine, [c Luc. 7. 38] converſatione potiemur omnino purâ & innotuâ. Admiratione perfundemur cum Apoſtolis, cùm clauſis oculis præ deſpectu omnium objectorum ſecularium, eos aperiemus duntaxat ut videamus *neminem, niſi ſolum Ieſum.* & eum unicum adoremus. Transfigurabimur tandem cum Jeſu, cùm figuram hominis deleverimus; & vivemus vitâ Jeſu, quandiu divortium æternum cum peccato pepigerimus. Sed hoc non poteſt fieri ſine auxilio gratiæ. Ut eam impetremus, adeamus Mariam, quæ totam continebat in ſe gratiæ plenitudinem, priuſquàm diceret ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Univerſarum, quas in mundo exercuit unquam homo, artium prima fuit ars transfigurationis; non ut illius ſedulo vacans exercitio lucraretur quid, unde vitæ ſuæ ſuſtentandæ, aut filiorum ſuorum fovendæ provideret ac ſubminiſtraret neceſſaria: ſed è contrà ut ſibi infauſtam procuraret mortem, & toti ſuæ per conſequens exitium & ruinam moliretur poſteritati. Protoplaſtus autem noſter non debebat, nec poterat aliud expectare ex praxi artis, quam edoctus fuerat à
[d Gen. 3. 5. &c.] dæmone d, qui *cùm loquitur mendacium, ex proprus loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* e, [e Ioan. 8. 44] quique eſt totius author mali f. [f Sap. 2. 24] Sed ut diſcamus quo pacto infelicitas Protoplaſti noſtri, ſicut & noſtra, fatali ſequelâ orta fuerit ex exercitio transfigurationis: Sciendum eſt Deum omnipotentem g, & [g Eſth. 13. 9] ſummè bonum h, [h Pſ. 118. 68] qui ab æterno in ſe producit fœcundâ Divini ſui intellectûs operatione *Verbum* i ſuum, [i Pſ. 44. 2] Filium ſuum unicum, & conſubſtantialem k. [k Ioan. 10. 30] qui eſt imago ipſius ita perfecta, ut prototypon & imago, Pater & Filius, producens & productus, loquens & Verbum ſint una & eadem res, *Cùm ſit Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* l; [l Hebr. 1. 3] ut ſic præ ſe ferens Filius iſte omnes charactêres gloriæ & potentiæ Patris Divini, *portanſque omnia Verbo virtutis ſuæ* m; [m Ibid.] ab ipſis naſcentis orbis & temporis incunabulis extra ſe duas alias formare voluiſſe imagines aut figuras faciei ſuæ Divinæ, quæ ſunt Angelus, & anima rationalis, quibus veluti duobus ſpecioſis exemplaribus digito ſuo impreſſit ſigillum, charactêrem, radios, & adumbrationes ſuæ naturæ participatæ, figuram ſuæ eſſentiæ ſpiritualis n, [n Joan. 4. 24] intelligentis, liberæ o, [o Pſ. 134. 6] & immortalis p. [p 1. Tim. 1. 17]

De Angelo Ezechiel ait, *Tu ſignaculum ſimilitudinis* q. [q Ezech. 28. 12] De homine verò dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* r. [r Gen. 1. 26] Et juxta Apoſtolum, *Vir eſt imago & gloria Dei* ſ. [ſ 1. Cor. 11. 7] Sed Angelus ſe transfigurat, ſeu potiùs ſe deformat, *Et elevatum eſt cor tuum in decôre tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo; projeci te; polluiſti ſanctificationem tuam* t. [t Ezech. 28. 17. & 18] Iſte autem qui velut exemplar imaginis Dei lucebat in cœlo, ſe deformavit, & deturpavit ſpecioſam hanc figuram, quæ ex luce ſplendenti in cœlo, verſa eſt in titionem igne & flammis ardentem: *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo, Similis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci* u. [u Iſai. 14. 12 &c.]

Similiter *homo cùm in honore eſſet* x, [x Pſ. 48. 13. & 21] elevatus ad hunc ſublimitatis & dignitatis gradum, quo ſimilis eſſet ſuo modo Deo, imaginatus, ſe potuiſſe ſibi etiam aliquem novæ pulchritudinis applicare charactêrem, poſt eum, cujus *perfecta ſunt opera* y, [y Deut. 32. 4] & omni conſummationis genere abſoluta, *non intellexit* *, [* Pſ. 48. 13. & 21] non ſibi ratus eſſe ſatis, ſi Deo foret ſuo modo ſimilis, quin imò voluit eſſe ut Deus, innixus verbo ab authore mendacii ſibi dato, *Eritis ſicut Dii* z. [z Gen. 3. 5] Sed longè remotus ab exequendis conſiliis ſuis ambitioſis, *comparatus eſt in jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* a. [a Pſ. 48. 13. & 21] Maximo quippe ſtupore correptus eſt, cùm ſe brutis ſimilem agnovit, & ita ſe deformavit, ut creaturæ univerſæ, quæ antea illi ſua deferebant obſequia b, [b Gen. 1. 28. &c.] eum non ampliùs agnoſcerent c, [c Gen. 3. 17. &c.] quia habitum mutaverat ac figuram, inſurgendo adversùs Deum. Non ſolùm autem ſemetipſum deformavit, ſed etiam totam poſteritatem ſuam d. [d Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6] Unde fit ut appoſitè vocari poſſit peccatum originale, ingenitus nobis diſſimilitudinis habitus, ſeu ſtatus. Ecce quomodo prima ars inſelix noſtri Protoplaſti fuit exercitium infauſtum lethiferæ transfigurationis, dicamus & meliùs, funeſtæ deformationis; quia cùm creatus fuiſſet *ad imaginem & ſimilitudinem* Dei, ſe deformavit, ſicut & univerſos poſteros ſuos. Sed hoc non ſufficit. Videamus in progreſſu hujus diſcurſus, quomodo ratio agendi ordinaria hominis conformantis ſe affectibus primi Parentis, ſit exercitium hujus infelicis transfigurationis, ſeu funeſtæ deformationis: nimirum, Quomodo homo ſe transfiguret, aut deformet. [Propoſitio.]

Ut concipiatur & videatur veritas hujus propoſitionis, obſervabitis mecum, ſi placet, quòd ſuper hæc verba Prophetæ e, [e Pſ. 4. 7] *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, Gloſſa ordinaria ait, *Id eſt, impreſſum tamen, quâ ei ſimiles ſumus, ut ſigillum cera.*

Digitized by Google

d Genebrard. in Pſ. 4. 7 *vera.* Et quòd Genebrardus *d* ea explicans, eos arguit impudentiæ, qui de bonitate Dei ambigunt, ea ſic vertens, *Vexillum erga nos.* Quaſi diceret Deo Propheta, Erexiſti veluti vexillum & ſignum in nobis in imagine tuâ nobis impreſſâ, id eſt, in animâ, quam dediſti nobis velut imaginem Divinitatis tuæ; *Eò quòd homo ſecundùm partem intellectivam eſt ad imaginem Dei*, ait Lyranus. Quo obſervato, ſciendum eſt tria Deum homini imprimere imaginum genera; imaginem creationis, imaginem recreationis, & imaginem ſimilitudi- †S. Thom. 1. p. q. 93. a. 4. in corp. nis juxta S. Thomam †: nimirum imaginem naturæ & gratiæ in creatione *e*, e Gen. 1. 27 imaginem gratiæ per juſtificationem *f*, & imaginem gloriæ per ſimilitudinem *g* f Tit. 3. 7 g 1. Ioan. 3. 2 perfectam, quæ eſt in beatitudine. Hæc autem imago prima, quam impreſſerat Deus, ſicut & hanc ſimilitudinem primo homini ab inſtanti ipſius formationis, deleta fuit ipſius peccato, & in poſteris ipſius omnibus peccati ori- h Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6 ginalis maculâ *h*, & ideò Deus erga hominem miſericordiam ſuam extendit, mittendo *Filium* i Rom. 8. 3 *ſuum* i, qui eſt ſigillum *k*, character, & *figura* l k Ioan. 6. 27 Patris ſui, *& imago bonitatis illius* m, ut repararet l Hebr. 1. 3 hanc imaginem, & denuò ei imprimeret chara- m Sap. 7. 26 ctêres, quos ex eâ deleveramus peccato, & mederetur malis, quæ Protoplaſtus ſibi cauſaverat, & nobis per ſuam transfigurationem, ſeu deformationem.

Semetipſum hic Dei Filius transfiguravit, &, n Philipp. 2. 6. & 7 ut ait S. Paulus n, *cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Dedecori non duxit, cùm eſſet Dei Filius naturalis, in omnibus ei ſimilis, & æqualis, & conſubſtantialis, ſe exinanire, ſumere formam ſervi, & humanam naturam induere. Se igitur mirum transfiguravit in modum, ut mederetur infelici hominum transfigurationi, ſumens figuram hominis, ut reſumeret homo figuram Dei, quam infeliciter peccato ſuo amiſerat, *Quaſi abſconditus* o Iſai. 53. 3 *vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum* o. Heu! Ita ſe transfiguravit, & deformavit, ut incognitus à ſuis ſit habitus; vel ſi agnitus fuit, talem effecerunt miſeriæ ipſius hominibus notitiam manifeſtam, quia illæ eò pervenerunt exceſſus, ut non minùs quàm Deus ipſe fuerit requiſitus, qui perferre poſſet id, quod ipſe paſſus eſt. Et quicumque inveſtigarunt in facie ejus charactêres aliquos ſimilitudinis ipſius, in eâ invenerunt veſtigia furoris hominum, & lineamenta bonitatis ipſius. Sed quare iſt omnia? obſecro, niſi ut deperditam homini priſtinam reſtitueret ſimilitudinem, & ut ab eâ maculas omnes ipſam inquinantes abſtergeret, pretioſiſſimum ſuum ad extremam uſque p Ioan. 19. 1. &c. guttam profudit Sanguinem *p*; venas ſuas omnino exhauſit, ut denuò deletæ huic imagini viva lineamenta ſuæ gratiæ, & ſuæ Divinæ ſimilitudinis charactêres imprimeret, mediante Sacramento Baptiſmatis, quod hanc expungit deformitatem & diſſimilitudinem, reſtituens nobis gratiam, juſtitiam, & ſtatum innocentiæ, qui hominem Deo ſimilem efficit, ut ait S. Paulus *q*, Gala- q Gal. 3. 27 tas alloquens, *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Baptiſmi Sacramento initiati, induiſtis Jeſum, ſimiles effecti eſtis Jeſu, transfigurati eſtis in Jeſum; potitur anima veſtra gratiâ Divinâ, defertque nomen & imaginem Jeſu, cùm glorioſo Chriſtianiſmi titulo ſit honorata, portans auguſtam inſcriptionem vulnerum illius, & crucis in charactêre Baptiſmatis, & illuſtribus illius inſignibus decorata.

Sed heu infortunium deplorandum! Pravis ſemper inhærentes infelicis Protoplaſti noſtri habitibus; non ceſſamus indeſineter nos transfigurare, aliiſque coloribus nos adumbrare, denigrare hanc imaginem, & ſpecioſa hujus ſimilitudinis expungere lineamenta. Heu! Quam meritò jure deplorare poterat hanc Propheta r infelicitatem, r Thren. 4. 7. & 8 ſed reverâ eodem cordis tactus dolore, quo deflebat ipſe alias ruinas & exitia incolarum Jeruſalem, *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Quæ conſideratio nobis exhibet intuendum amorem & videndam ſummam bonitatem Dei mei, qui *ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ſ, *in quo benè* t ipſe ſibi ſ Ioan. 3. 16 complacuit; & permiſit ut figuram aſſumpſerit hu- t Matth. 17. 5 manam, quò figuram demiraretur homo ſibi impreſſam. Et præterea præ oculis noſtræ mentis ponit intolerandam hominis malitiam, quâ intuitu nihili, ſeu peccati, quod nihilum eſt, ut fatetur David de ſe, *Ego ad nihilum redactus ſum* u, non u Pſ. 72. 22 vereatur unico deſtruere momento eximium opus, quod Deus ab æterno ſuæ felicitatis inſtanti formavit in ſuis ideis x; quod incepit *ubi venit* x Jer. 31. 3 *plenitudo temporis* y, multo adhibito labore, tri- y Gal. 4. 4. & 5 ginta tribus annis continuis; quodque non niſi morte maximè ignominioſâ conſummavit.

Refert Theodoritus z, quòd, cùm Antiochen- z Theodoret. hiſtor. Eccleſiaſtic. lib. 5 c. 19 ſes imaginem ſeu ſtatuam æneam Placillæ uxoris Theodoſii Imperatoris deſtruxiſſent ac contriviſſent, tantâ Imperator efferbuit iracundiâ præ tam enormi facinore, & ſic ingenti injuriâ ſibi irrogatâ, ut innumeros gladio perimendos præceperit Antiochiæ incolas. At ubi tanta exercebatur ſtrages & carnificina, ecce prodit è deſerto, Religioſæ ac probatæ vitæ Cultor, ſeu Monachus nomine Macedonius, qui Imperatorem per Aulicos ipſius duos ſic alloquitur: Quid agis Majeſtas ſacra? Ut vindictam referas de injuriâ ſtatuæ mulieris mortalis illatâ, non vereris deſtruere imagines Dei viventis? Intuitu imaginis metallicæ, tantam exerces crudelitatem in imagine animatas? Dirutam hanc imaginem facillimè potes denuò erigendam præcipere; ſola requiritur ob hunc effectum fuſura, aut ſolum ſcalprum. Sed quæ manus, quæ fuſura, quod ſcalprum reparare poſſint imagines Dei viventis, quas ſic crudeliter laceras? Heu! peccator, heu! Chriſtiane, quid agimus? Si Imperator iſte tantam exegit punitionem ex injuriâ ſtatuæ & imagini mortuæ Imperatricis irrogatâ; nonne potiori jure debemus metuere juſtitiam Dei viventis? Nonne majorem habemus anſam timendi ne iræ ſuæ fulmina vibret in nos, qui præ tantâ indignitate inquinamus & profanamus ſtatuas animatas, imagines vivas Divinitatis, putà animas noſtras? Injuriam ſanè nō marmori, aut metallo, aut chartæ, aut ligno à tineis corroſo irrogamus, ſed ipſi dedecus inferimus vivæ Dei ſimilitudini, in quâ Majeſtas Divina ſplendet per repræſentationem, veluti in ſuâ imagine; imò verò per præſentiam & per habitationem, ut in templo ſuo: *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus* a. a 1. Cor. 3. 16. & 17

Juxta iſtud Apoſtoli pronunciatum omnes debemus noſtras ſolicitudines & induſtrias inſumere ut *Deus gloriæ* b iſte excipiatur in hoc tem- b Act. 7. 2.

plura

plum præ maximâ reverentiâ, ibique inhabitet cum ſingulari delectatione, ſi priùs ibi veluti in proprio palatio honores, obſequia & venerationes eidem exhibuerimus. Proteſtatur autem nobis ipſemet Deus, ſi probatæ vitæ fuerimus homines, ſe habitaturum in nobis, imò verò in medio noſtri, *Inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos* c. Quàm magnificum igitur debet eſſe hoc templum, & quàm exquiſitis ornatum divitiis, ut Deo digna efficiatur habitatio, in quâ habitare ipſe poſſit præ deliciis! *Opus namque grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo* d. Scio equidem Deum habitationes varias habere, & varia templa, juxta diverſos modos, quibus alicubi invenitur; & varias, quibus in aliquo loco inhabitat, formas. In aliis, ut in reprobis, habitat Deus per juſtitiam *. In aliis, ſicut in Juſtis, habitat ipſe per gratiam, cùm illis ſit intimè præſens. In aliis habitat per gloriam, nimirum in ſolis Beatis in cœlo †. Cùm autem Apoſtolus ait, *Templum Dei eſtis*, id intelligit de Juſtis in hoc mundo per gratiam, in quibus inhabitat ipſe præ deliciis, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* e; Cùm in hoc templo exhibeantur ei obſequia cum amore, fidelitate, & omni reverentiâ poſſibili.

c 2. Cor. 6. 16
d 1. Paral. 29. 1
* Iſa. 33. 14
† Ioan. 17. 5
e Prov. 8. 31

Licèt autem præcipuus hujus ædificii Opifex ſit ipſemet Deus, ut aſſerit S. Paulus †. dicens, *Dei ædificatio eſtis*, non quidem propter ullam dignitatem noſtram, ſed ex purâ ipſius bonitate, & ineffabili Divinæ miſericordiæ exceſſu; hoc non impedit nihilominùs quin conjunctim eum Deo eodem laborare debeamus: *Dei enim ſumus adjutores*, ait ibidem idem S. Paulus; & exercitio virtutum praxique ſanctitatis ſtatui Chriſtiano conſonæ vacantes ædificare hoc templum ſacrum, & tanquam Dei cooperatores ædificium iſtud adhibito concurſu noſtro pro viribus ad ſummum debitæ perfectionis apicem ac faſtigium attollere, *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis* f. Hoc eſt, operamini, & perficite vos virtutum & bonorum operum exercitio, ut ædificetis domum ſpiritualem, quæ ſit habitatio excipiendo Deo aliquo modo digna. Ut autem ad votum ſuccedat vobis hoc conſilium, quod vobis proponere debetis, Obſervate ſi placet, quòd architecto, qui ædificare illuſtri alicui Viro domum ſuſcipit, nobilis ille vir debet ideam ſubminiſtrare totius operis faciendi, cui exactè in ſingulis & per ſingula deinde ſe conformet hic opifex, ut propoſitum ſibi è tali domo conſtruendâ feliciter ſortiatur effectum. Sicut autem tenemur in nobis Deo dignam ædificare habitationem, omneſque noſtras inſumere operas ut templum efficiamur, in quo ei honores & obſequia noſtra exhibeamus; oportet ut ipſemet nobis ideam præſcribat ac formam, cui inhærere & penitus conformare nos debeamus.

† 1. Cor. 3. 9
f 1. Petr. 2. 5

Re autem verâ id agit ipſemet Deus, cùm ideam & formam præbet oobis Pater æternus, & oculis animæ noſtræ exhibet Jeſum Chriſtum Filium ſuum unicum Dominum noſtrum, ut eum imitantes efficiamur templum Deo dignum, & habitatio in quâ permaneat ipſe in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam beatam, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Cùm decretum fuerit ab omni æternitate, conformandos nos Chriſto, qui eſt perfecta Patris ſui imago, ut in Electorum catalogo collocemur. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* g. Vocem audio Patris æterni dicentis nobis id, quod aliàs ipſe dixit Moyſi in monte Sinai cum Divinâ ipſius majeſtate colloquenti, & ubi Divinâ fuit edoctus revelatione omnia Chriſti venturi myſteria, Vitam h, Paſſionem, Mortem i, & Reſurrectionem k ipſius, & quidquid in Eccleſiâ ſuâ mirabile deinceps operatus eſt, *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* l. Inſpicite, Chriſtiani, & agite ſecundùm exemplum, quod hodiernâ die in monte Thabor vobis exhibeo, in perſonâ Filii mei dilecti, cui conformare debeatis omnia veſtra opera. Præcipiens Deus Moyſi ut omnia, quæ ſpectant Tabernaculum, agat juxta exemplum ipſi exhibitum in monte Sinai; Tabernaculum, inquam, quod debebat eſſe umbra & figura Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ ipſius: idem jubet fidelibus ut ædificent virtutibus Tabernaculum & Templum animarum ſuarum, juxta exemplum ipſis præbitum mediâ fide & revelatione in ſacro Eccleſiæ monte. Hoc exemplum non eſt aliud niſi illud, quod jam vobis allegavi, nimirum Jeſus Chriſtus Dominus noſter, de quo Pater æternus die hodiernâ ait in glorioſâ ipſius Transfiguratione in monte Thabor, ubi ſuam gloriam manifeſtat; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Ipſe eſt genitus m ab omni æternitate è propriâ ſubſtantiâ meâ; alter ego ipſe in naturâ, objectum deliciarum mearum; ille, propter quem diligo omnes eos, quos amore proſequor, & ob cujus amorem mihi placent univerſi illi, in quibus mihi benè complaceo; *ipſum audite.* Doctrinam ejus auſcultate, ipſe quippe Doctor eſt ac Magiſter, qui non ſolùm docebit vos verbo & dogmate quidnam vobis agendum ſit, ſed etiam vitâ ſuâ & exemplis ſuis oſtendet vobis cujuſnam rei exercitio ſedulò debeatis incumbere: *Ipſum audite.* Obedite voci ejus, adhærete ei, ſequimini eum in omnibus, conformate vos exemplo & formæ vitæ ipſius; nihil quippe vos ipſe docebit, quod priùs executioni ipſe non mandaverit. Eximius fuit & facundiſſimus ipſe Concionator, teſtimonium perhibentibus vel ipſis adverſariis ipſius de ipſo quòd *nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo* n. Nemo de hoc ambigit. Sed priùs fecit, quàm dixerit, *Cœpit Ieſus facere, & docere* o. Cùm nihil verbo dixerit, quod priùs opere non compleverit; ut diſceremus facere, ſicut ipſe fecit, & perficere non ſolùm id, quod ipſe dixit verbo, imò verò id quod peregit opere, & efficeremur templum tale, quale ipſe a nobis exigit, in quo habitare poſſit ipſe per gratiam ſuam, ſi transfiguremus nos per exercitium bonorum operum, ſicut ipſe ſe transfiguravit in monte Thabor, ubi conſtitutus eſt Magiſter noſter, quem imitari debeamus.

g Rom. 8. 29
h Luc. c. 1. & ſeqq.
i Joan. c. 18. & 19.
k Ioan. 20. 1. &c.
l Exod. 25. 40
m Pſ. 2. 7
n Joan. 7. 46
o Act. 1. 1

Nihilominùs quid aliud videmus in mundo niſi deformationes horrendas ſpecioſæ iſtius imaginis? Hæ omnes transfigurationes intolerabiles exercentur, cùm capillos veſtros denuò nigros efficere conamini, cùm jam præ ætate provectâ, aut ſenectute canuerunt. Numquid non planè hoc eſt velle vos transfigurare, cùm prævalere vultis adversùs opera naturæ & gratiæ, præ temeritate atque impudentiâ inauditâ? Nonne profectò id eſt velle figuram mutare, & eniti inſimulare mendacii eum qui eſt *Veritas* p eſſentialis, dicens, *Quis autem veſtrûm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum* q? Cùm calceos veſtros elevantes, apparere vultis plus quàm ſitis re verâ, & figuram mutare?

p Joan. 14. 6
q Math. 6. 27

Annon

Annon verè hoc eſt Evæ novercæ veſtræ modum procedendi imitari, quæ eò impudentiæ proceſſit ut perſuadere præſumeret illicita ei r, quem diabolus non eſt auſus impugnare immediatè; & cùm vellet ſe transfigurare, & apparere id quod non erat, imaginem Dei vivam deformavit, id eſt, virum, *Vir eſt imago & gloria Dei* ſ, ut obſervavit Tertullianus t, primam mulierem ſic alloquens, *Tu es, quæ eum perſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem tam facilè eliſiſti.* Nonne quæſo, eſt vos transfigurare, ac imponere faciei veſtræ exigua emplaſtra, quæ vulgus vocat muſcas, ut decorem veſtrum magis exhibeatis hâc oppoſitione, & ita deformare ſpecioſam iſtam faciem, ſuper quam Spiritus Dei inſufflavit halitum vitæ, *Dominus Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* u; & ſic obſequium exhibere adverſario vobis infenſiſſimo, veſtræ ſalutis ſempiternæ inimico, nimirùm diabolo, Beelzebub, qui ſonat, *idolum muſcæ*, ſeu, *Deum muſcarum?* Sed ſi hæc ratio agendi transfigurationis eſt ordinaria, & convenit ſpeciatim mulieribus; hoc tamen non impedit quin ipſa ſit generalior, quàm exiſtimetur; cùm unuſquiſque ſibi indulgeat in exercitio & praxi iſtius artis, & nemo apparere velit id, quod re verâ in ſeipſo eſt.

r Gen. 3, 6
ſ 1. Cor. 11. 7
t Tert. lib. de habit. Muliebr. c. 2
u Gen. 2, 7

Quidam inveniuntur divites ſimiles parietibus domorum ſuarum, qui picti ſunt exteriùs, & ornati in ſuperficie apparenti, ſed arena & calx, quibus interiùs compacti ſunt, non videntur. Admiramini ſplendorem hunc exteriorem fucatum & ementitum, qui oculis decepti vulgi illudit: Ha! transfiguratus eſt, aliter enim apparet exteriùs, quàm re verâ ſit interiùs. Vir iſte, qui videtur mitis, & ſingulari oblectamento & gaudio ad extrà perfuſus, continuis angitur intùs moleſtiis, ſuſpicionibus, & timoribus. Quod enim poſſidet ipſe, ipſum idem moleſtiâ afficit, quia veretur ne ſibi illud eripiatur; & quod ipſe expectat, ipſum idemmet efficit miſerum, quia poſſeſſione ejus privatur. Uno tandem verbo, Senſibus addicti homines, avari, diſſoluti, nequam nituntur ſeſe transfigurare, aut deformare, & operiunt peccata ſua, & gravitatem ſuorum criminum ac abominationum ſuarum tantâ induſtriâ, & ſic ingenti artificio, hanc ementitiam ita apprimè agunt perſonam, ut hominum ſibi æſtimationem vendicent, & perſæpè probatæ vitæ viri, & eximiis qualitatibus inſigniti reputentur.

Intuemini, ſi placet, maximam hominum partem. Illi profectò ſunt veluti templa Ægypti, quorum frontiſpicia exteriora ſunt aurata, interiora verò ipſorum receptacula ſerpentibus & crocodillis ſunt referta. *Similes ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & illi parent aforis quidem hominibus juſti: intùs autem pleni* ſunt *hypocriſi & iniquitate* x. Vaſa Pharmacopolarum exteriùs aurata, ſed interiùs venenum continentia. Mille animadvertetis Magdalenas pœnitentes in Templo, ſeu in Eccleſia *lacrymis rigare pedes* Domini, *& capillis capitis ſui* y tergere præ dolore, quæ domum reverſæ, peccatrices, quales erant anteà, perſeverant. Multos videbitis Petros zelo accenſos z quoad ea, quæ obſequium Chriſti ſpectant, in horto Gethſemani; qui blaſphematores efficiuntur, & ſacrum Dei nomen negant a in palatio Caiphæ. Unuſquiſque ſe transfigurat, nemo eſt qui non ſe deformet. Seculum illud eſt veluti ſcena, tragœdia, ſeu comœdia, in quâ nemo apparere vult id, quod in ſeipſo eſt. In hoc magno vitæ theatro frequentiſſima eſt transfiguratio, ſeu deformatio.

x Matth. 23. 27. & 28
y Luc. 7. 38. & 37
z Matth. 26. 15
a Matth. 26. 71. &c.

Cùm magni Moſcoviæ Duces dicendæ vel agendæ cauſæ locum & poteſtatem daturi ſunt Legatis Principum exterorum, dicuntur ipſi præcipere induendos veluti Senatores, multos ætatis provectæ viros, ſpeciem præ ſe ferentes venerabilem, ſed è fæce vulgi oriundos, ut Senatum ſuum magnificent, & perſuadeant iis, qui hanc metamorphoſim ignorant ſubitaneam, nihil inveniri in ipſorum circulo, quod non ſit venerabile. Ementita gravitas horum textorum, fabrorum cæmentariorum, lignariorum, ſutorum, aliorumque hujus farinæ artificum indutorum purpurâ, & pellibus muris pontici inſignitorum, prolixæ ipſorum barbæ, & capilli cani, ipſos veluti eximios exhibent viros, & ex ipſorum ſilentio & modeſtiâ nihil niſi magnum videtur poſſe concipi. Videtis quomodo hæc conſuetudo, quæ obſervatur ut ſpecialis huic populo, eſt univerſalis, cùm vix aliquis inveniatur, qui appareat id, quod in ſeipſo eſt. Unuſquiſque agit in hoc vitæ theatro perſonam alterius, & apparet planè alius, quàm ſit in ſe. Hoc exhibui vobis in perſonâ impiorum. Sed crederetiſne Juſtos hoc unquam in numero potuiſſe collocari? Etiamſi ſimplicitatem profiteantur, non deſinunt tamen ſe transfigurare, ſed more diverſo ab aliorum modo, & penitùs innocuo. Fatetur S. Paulus c ipſos operire ſua oblectamenta apparentiis doloris, & divitias ſuas habitu paupertatis; cùm ait illos eſſe veluti triſtes, etiamſi ipſorum gaudium non ſit interruptum; & quaſi nihil habentes in terrâ, quàmvis poſſideant omnes divitias, ſuoque ſub dominio includant verum bonum, & unicum bonum gratiæ, cùm alia bona, propriè loquendo, non ſint vera bona, ſed bona duntaxat fucata, ementita, & apparentia, quæ hominis appetitum nullo ſatiare poſſunt modo; *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

c 2. Cor. 6. 10

Inde videtis, Auditores, quonam pacto nemo ſit, qui huic non velit incumbere exercitio ordinario transfigurationis. At non ſufficit praxi alicujus artis ſe dedere, ſed ei ſe applicare ritè ut par eſt, maximè expedit. Non enim exercere artem transfigurationis ut decet, & juxta modum, quem Filius Dei Magiſter noſter propoſitus nobis à Patre æterno ut ſic à nobis audiendus, præcipit, omnino eſt ruinam lucrari ac jacturam. Sed ut poſſimus illud obire officium ut expedit, ſufficit illius praxis rationi conſona, & voluntati Divinæ cõformis, ut eâ vitam nobis promereamur ſempiternè beatã.

Amor Magdalenam, *quæ erat in civitate peccatrix* Jeroſolymitanâ, depravaverat, & eandem ſalvavit amor; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* d. S. Petrus erat piſcator piſcium, ſed factus eſt piſcator *hominum* e. Dimas erat latro, & ſemper permanſit latro, quippe qui paradiſum ſub finem vitæ ſuæ lucratus eſt, *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* f. *Zachæus princeps erat publicanorum* g. Scimus fuiſſe *hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine* h. Uſuris ambo toti erant dediti, & perditionis ſuæ telam texebant, ſed mox ut uſuras & fœnora cum Deo voluerunt peragere, ſalutem lucrati ſunt ſempiternam. Eodem enſe vitam nobis poſſumus eripere, ac eandem cuſtodire incolumem. Tota difficultatis ratio in eo ſita eſt, ut omnibus noſtris incumbamus actionibus, ut rectæ rationi congruum eſt, & Divinæ convenit voluntati.

d Luc. 7. 47. & 37
e Matth. 4. 18. & 19
f Luc. 23. 33. &c.
g Luc. 19. 2. &c.
h Matth. 9. 9

Proponitur igitur vobis modus opportunus, juxta quem exercitio & praxi artis transfigurationis vacare debeatis. Vultiſne aliquam in vos figuram aſſumere, Auditores? Agire ob amorem Jeſu id, quod peregit Jeſus propter amorem veſtri ipſorum. Aſſumpſit ille figuram veſtram; ſumite vos figuram illius. Si autem Jeſus non dedignatus eſt humanam aſſumere naturam, non tenuat homo Divinam ſuo modo induere naturam. Ecce quod nobis inſinuatur in Evangelio hodierno ambabus tabulis Legis repræſentatis per Moyſen, qui apparet in transfiguratione Salvatoris: quæ Lex nobis amoris præcipit exercitium; *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum* i. Oportet ut imago & ſigillum Jeſu intimè noſtro imprimatur cordi, veluti ceræ molli, ſed eo pacto ut nullius impoſterùm alienæ impreſſionis capax ſit futurum. Dicendum eſt igitur cum S. Agnete corde intrepido. *Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Tentationibus me aggredimini vos, proponentes mihi voluptates & delicias, honores & auras populares, divitias & bona mundi temporanea capeſſenda. Sed quàm longè hallucinamini: Jeſus Chriſtus Dominus meus, & Sponſus meus ſuo obſignavit me ſigillo, ut quemadmodum nullâ aliâ figurâ inſignita ſum, niſi charactêre ipſius, ita impoſterùm nullum alium amorem admittam, niſi amorem ipſius, cujus imaginem præ me ferre deſidero jugiter.

i Cant. 8. 6

Ubi perpendite obiter, hominem non eſſe ſimpliciter imaginem Dei, ſed factum eſſe ad ipſius imaginem, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* Ideò dicitur factus ad imaginem, ut tendat ad imaginem Dei, ut intueatur hoc Divinum Prototypon, & conetur ei in omnibus, quantùm in ipſo erit, penitus ſe conformare. Hoc autem eſt totum æternæ noſtræ prædeſtinationis opus. Pergere igitur debemus ad tertiam illam imaginem, de quâ ſuprà diſſervi vobis, quæ eſt imago cōſummaræ & omni genere abſolutæ ſimilitudinis, quæ perficitur tantùm in gloriâ cœleſti; & propter hunc effectum obſervare, ultimam perfectionis manum imponi ſtatuis, reſecando & auferendo è materiâ ligni, lapidiſve aut marmoris, vel metalli; imagines verò pictas conſummari, addendo colores coloribus, & lineamenta adjiciendo lineamentis. Reſecemus à corpore noſtro, & addamus animæ noſtræ. Agendum eſt à nobis induſtriorum more ſtatuariorum, qui ſcalprum adhibent, ut auferant à materiâ quidquid in eâ eſt ſuperflui; & adinſtar eximiorum pictorum, qui ſemper lineamenta addunt lineamentis, & novos ſemper colores adjiciunt coloribus. Reſecemus igitur & auferamus à corporibus noſtris quidquid ſuperflui invenitur in ipſorum materiâ, & addamus animabus noſtris quæcumque in ipſis deſiderantur. Reſecate, mulieres, hunc fucum, hæc pigmenta à faciebus veſtris, hæc ornamenta ſuperflua à veſtris capitibus, omnem hunc vanum mundum muliebrem, & inanem hanc veſtium pompam veſtrarum, quæ redditnum domus veſtræ captum longè ſuperant. Jejunate paululùm, & ablactamini tantiſper ab omnibus iſtis deliciis ac voluptatibus, quibus ſæpiùs & frequentiùs quàm par ſit, indulgeris. Adjicite aliunde candorem, ſed ſimplicitatis; ruborem, ſed pudoris; lenocinia in oculis, ſed modeſtiæ; decôrem & gravitatem in omnibus & ſingulis actionibus veſtris, ſed innocentiæ. Deferte, ſi velitis, inaures auribus appenſas; ſed Verbi Dei k; armillas brachia cingentes, ſed fidei l; torquem circum collum, ſed jugi Domini, quod *ſuave eſt & leve* m. Induimini, ſi vobis placet, ſerico, ſed puritatis; purpurâ, ſed caſtitatis; murice ſeu coccino, ſed ſanctitatis. Sic inſignia deferetis veſtri Jeſu, chariſſimi veſtri Sponſi, vos eritis Sponſæ ipſius, & chariſſimæ ipſius deliciæ in eo erunt ſitæ ut vobiſcum converſaturus ſit, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* n. O eximiam transfigurationem!

k Rom. 10. 17
l 1. Cor. 10. 9
m Matth. 11. 30
n Prov. 8. 31

Auferamus, auferamus à corpore noſtro, & addamus animæ noſtræ. Reſecemus ab illo voluptates & delicias, & adjiciamus iſti virtutes & gratias. Et ecce vera media, quæ à nobis ſunt inſumenda, ut perficiamus hoc opus eximium Divinæ hujus artis transfigurationis noſtræ in Jeſum. Veſtes Jeſu in monte Thabor apparent albæ non ſecus ac ipſa nix. Ha! Anima noſtra ſit ipſemet candor. Sed ſicut ipſa nix eſt ſummè frigida, ſic nunquam concupiſcentiæ ignes animam noſtram poſſint inflammare, ſed è contrà permaneat ipſa ſemper frigida ut nix. *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Splendeat facies noſtra more Solis; vita noſtra impoſterùm clara profundat lumina & radios emittat bonorum exemplorum. Oportet igitur ut transfiguremus nos, & appareamus aliter, quàm alias exhibuerimus nos; ut deferamus impreſſam intimis cordis noſtri penetralibus figuram Jeſu. Quod fiet profectò, ſi perfectè cogitemus, & perſæpè loquamur (exemplo Moyſis & Eliæ nos conformantes) de exceſſu, quem conſummaturus eſt in monte Calvariâ ob amorem noſtri ipſorum, *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem* o. Et ſi habeamus Legem in reconditis pectoris noſtri angulis obſeratam. Tunc ſimiles ei erimus: Et ſtatim audietur vox Patris æterni è cœlo deſcendens, *Et ecce vox de nube, dicens; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Id eſt, fructum haurire ex exemplis ipſius, ſicut & ex verbis illius, *quæ ſpiritus & vita ſunt* p.

o Luc. 9. 31
p Joan. 6. 63

Prophetæ & Sancti authenticum de illo perhibebunt teſtimonium, & quicumque donati fuerint oculis, quibus ſummam illius intueantur felicitatem, ſe beatos penitus exiſtimabunt, & pluſquàm ſatis ſatiatos, Divino illius potiendo conſortio; & veluti extra ſe rapti præ immenſâ Divinæ voluptatis, quâ perfundentur, dulcedine, immerſi Oceano inexhauſto deliciarum beatificarum, quo potat Deus Beatos ſuos ac Electos in Empyreo, & inebriati veluti *ab ubertate domus* q ejus, dicent cum S. Petro, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula.* Ædificemus tabernacula, in quibus permaneamus ſemper prope illum in monte excelſo & ſublimi devotionis ac virtutis, cujus acquiſitio difficilis eſt & ardua, in quo monte poſſidetur per anticipationem (ratione gratiæ, quæ eſt gloria inchoata) ipſa beatitudo, quæ eſt gratia conſummata & gloria, quam nobis comparabimus exercentes ut decet hanc artem transfigurationis.

q Pſ. 35. 9

Amen.

FERIA II. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8. 21.

NAſci in peccato, nec diem ſalutare niſi miſerandorum more reorum, eſt ſanè infortunium omnibus commune hominibus, qui in mundum non veniunt niſi veluti rei Deo exoſi, & illius inimici, filii iræ & perditionis, *Nos omnes eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri* a. Sed vivere in peccato longè majus eſt infortunium, quàm in eo naſci, cùm prima deordinatio nobis veniat ab extrà *b*, ſecunda verò procedat à nobis, & à pravâ voluntate noſtrâ. Opifices quippe ſumus nos infelicitatis noſtræ, & artifices noſtri infortunii. At maximum infortuniorum omnium eſt, poſtquàm nati fuerimus in peccato, & in eodem perſeveraverimus, in eo tandem mori, *Et in peccato veſtro moriemini.* Peccatum infelix, quod cauſa fuit deordinationis in *cœlo* c, confuſionis in terrâ *d*, & flammarum in inferno *e*. Cœlum illud expulit, *terra devoravit* f illud, & inferi illud comburunt. Peccatum quod efficit ut cõremnatur gratia, cœli filia *g*, dilecta ipſius, & totum animæ ornamentum. Perſeverans in peccato quis labitur in reprobationem. Hoc eſt ultimum omnium infortuniorum, quod peccatoribus omnibus minitatur hodie Evangelium in perſonâ Judæorum. Procedamus obvii huic infelicitati, ut funeſtos illius eludamus effectus præ verâ pœnitentiâ: & ne in peccato moriamur, conemur vivere in gratiâ. Ut autem hanc gratiam impetremus, recurrendum à nobis eſt ad Mariam, quæ ejuſdem habebat in ſe plenitudinem, priuſquàm dixiſſet ipſi Angelus, *Ave Maria.*

a Epheſ. 2. 3
b Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6
c Iſai. 14. 2. &c.
d Gen. 3. 6. &c.
e Matth. 25. 41. &c.
f Num. 26. 10
g Joan. 1. 17

Deus unicâ tantùm locutus eſt vice, & illâ vice unicâ dixit quidquid dicere poterat, cùm modo fuerit locutus infinito *h*, & protulerit hunc Sermonem, qui non eſt alius quàm Verbum ipſius, *Semel locutus eſt Deus; duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt: & tibi Domine miſericordia* i: Ipſa miſericordia & juſtitia, quæ ſunt veluti duo Dei brachia, quæ faciunt id omne quod eſt magnum in univerſo orbe, quæ totam naturam ordinant, & cuncta creata convenienter diſponunt: hæ duæ magnæ perfectiones Divinæ, hæc Dei attributa licèt in ipſo ſint æqualia, ſicut ipſius natura non eſt niſi in tribus perſonis *k*: Nihilominùs ad extrà ſuâ magis Deus exhibet miſericordiam, quàm juſtitiam: præ magno ſplendore miſericordiâ utitur Deus, qui in exercendâ lentè procedit juſtitiâ, cujus praxi non incumbit niſi velut invitus. Verùm enim verò nubes præmittere pluviæ ſolita eſt Divina Bonitas; & tenebroſam aquam medios inter aeris vapores circumfuſam oſtendere, antequàm ſinat ut erumpat è cœlo turbo, aut fulmen; *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit*, ait David *l*. Diſpoſuit Deus arcum ſuum; ſed antequàm eum vibret, oſtendit quiſnam ſit ſcopus illius, ut declinari poſſint illius jacula, cùm ſibi non propoſuerit Deus percutere, ſed tantùm timorem incutere; ſigna quippe exhibet iis qui ipſum timent, ut jacula juſtitiæ ipſius eludant, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus* m.

h Baruch 3. 25
i Pſ. 61. 12. & 13
k Matth. 28. 19. & 1. Joan. 5. 7
l Pſ. 7. 13. & 14
m Pſ. 59. 6

Sicut autem fulmen ſerpentem percutiens, vitam ei cuſtodit incolumem, dum aufert ab eo venenum: pari modo Deus peccatorem juſtitiæ ſuæ virgâ caſtigans, id efficit eo conſilio, ut eripiat è corde ipſius venenum peccati, & ejus loco ſubſtituat gratiam, in quâ ſita eſt animæ vita, & tota noſtræ beatitudinis ſpes: *Vivo ego, dicit Dominus: Nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* n. Similis eſt planè Deus pædagogo, qui à longè ſtrepitum edens, ſuos intendit diſcipulos invenire ritè modeſtos & apprimè compoſitos, ut inde capeſſat anſam laudandæ ipſorum modeſtiæ, non verò corripiendæ eorum petulantiæ. Combuſturus incendio Deus civitates infames Sodomam & Gomorrham, apparet Abrahæ, quaſi vellet, rogandus ab hoc Patriarchâ, ab incepto puniendarum civitatum illarum deſiſtere conſilio, cùm non puniat niſi quaſi invitus: *Apparuerunt ei tres viri* o. Id eſt, tres Angeli. Et, ut interpretatur S. Auguſtinus *p*, tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, dicens, *Tres vidit, & unum adoravit.*

n Ezech. 33. 11
o Gen. 18. 2. &c.
p S. Aug. contra Maximin. l. 3. c. 26

Sic caſtigaturus extraordinariè has infames civitates horrẽdis inquinatas flagitiis Deus, videtur petere ab Abrahamo iter, qua pergendum eſſet Sodomam, quaſi verò illud ignoraret; *Direxerunt oculos contra Sodomam. Et Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos.* Suumque conſilium huic Patriarchæ communicat, ut poſſit aliquam naniſci occaſionem benefaciendi illis impiis; *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Sed malitia invincibilis cordium infenſatorum ipſorum invexit ſuper ipſos iram Divinam, quæ poſt pluviam igneam & ſulphuream *de cœlo* delapſam *q*, abominandam hanc generationem vivam in inferna projecit; *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei* r. Cur autem credatis uxorem Lot à Deo *in ſtatuam ſalis* fuiſſe converſam? Ratio iſtius eſt, Quia videri Deus noluit in exercitio Divinæ juſtitiæ ſuæ: Hæc autem mulier ſpiritu ducta curioſitatis, tranſgreſſa eſt mandatum Dei, qui dixerat, *Noli reſpicere poſt tergum* †. Si autem ab ipſis mundi incunabulis, omnes illius incolas peſſimorum reos criminum ipſe immergit aquarum diluvio univerſali; has inundationes futuras prænunciat mediante Noë centum annis *ſ* circùm circà antè, cujus Noë os diluvium publicat, & manus arcam fabricant *t*, intuentibus omnibus, ut ſe ad emendatæ vitæ reciperent impii bonam frugem. Et ſi ſtatim poſt Adæ inobedientiam, ad eum ipſe accedit, crimen illius puniturus, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem* u; præmittit dulcem Zephyrum, qui ardores faciei ſuæ, & juſtæ iræ ſuæ mitiget, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* Sed cùm exercenda eſt Divina Miſericordia, eam evidenter ipſe magnificat, & ex ejus exercitio gloriam ſibi vendicat, & currit. Ideò ait S. Paulus x, *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Cùm è contrà dicat S. Joannes y, *Et phialas plenas iracundiæ Dei.* Per vaſa, quæ liquorem contentum abundè effundunt, manifeſtatur Miſeri-

q Gen. 19. 24. &c.
r Rom. 2. 5
† Gen. 19. 17. &c.
ſ Gen. 5. 31 & 6. 11. &c & 7. 6
t Gen. 6. 22
u Gen. 3. 8
x Rom. 9. 23
y Apoc. 15. 7

cordia Divina: per phialas verò, quæ unicâ dumtaxar ſtillanr guttâ poſt alteram, declaratur nobis juſtitia Dei. Unde fit ut diluvium ab unica z Gen. 7. 10 tantum guttâ inceperit z, *Non ſimul, ſed ſenſim depluit, ut interim terrerentur & pœniterent homines*, ait a Cornel. in Gen. 7. 12 Cornelius a, citans S. Chryſoſtomum; *Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, ut exponunt hæc verba David aliqui apud Lorinum b. b Lorin. in Pſ. 71. 6

c Gen. 2. 18 *Dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* c. Quare hoc? Quin è contrà hæc ſocia, quam Deus daturus eſt Adæ, futura eſt ipſi lapis offenſionis, & petra ſcandali, & ruinæ d. Ha, bonitatem Dei d Gen. 3. 6 &c. noſtri infinitam e! Mavult Deus plures habere, ſuper e Baruch 3. 25 quos ſuas effundat miſericordias, quam ſolum innocentem, qui ipſum glorificet. Currit ipſe, cùm de exercendâ agitur Divinâ miſericordiâ, *Exultavit ut gigas ad currendam viam* f. Nihil eſt quod f Pſ. 18. 6 g 1. Cor. 6. 11 ipſe non agat. Omnia ſua adhibet Sacramenta, Baptiſmate ſuo nos ſanctificat g, gratiis ſuis nos cumulat, ſi velimus eas ſuſcipere. Contemptus autem, quem facimus ipſarum, & perſeverantia in peccato, & obſtinatio in peccato, ſunt cauſa noſtræ reprobationis æternæ: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Iſte eſt procedendi modus, quem obſervat Dei Filius adversùs Judæos: *Ego vado.* Ecce eos admonet. *Et quæretis me.* Iiſdem minitatur. *Et in peccato veſtro moriemini.* Ecce quam horrendæ ſint conſequentiæ derelictionis Divinæ ab ipſorum obſtinatione cauſatæ. Contemnunt Divina Judæi monita, Dei irrident minas, & per infelicem æternitatem, & in mediis inferorum tenebris deficient præ deſiderio eorum, quæ videre noluerunt, dum viverent media inter gratiæ lumina. Idem prorſus agit erga vos hodiernâ die, Auditores, meo organo; *Ego vado.* Hoc jam audiſtis. *Et quæretis me.* Iſtud mox vobis ego annunciavi. *Et in peccato veſtro moriemini.* Prævidete hoc infortunium, fugientes, inquantùm poſſibile erit vobis, hoc abominandum peccati monſtrum, ut ab oppreſſione ejus eximatis vos tyrannicâ. Nemo eſt qui deſiderare non deberet, futuram eſſe virtutem viſibilem, ut eam omnes amore proſequi poſſent ſimul ac reverentiâ. Juxta hoc deſiderium rationi conſonum, oſtendere vobis cupio in progreſſu iſtius concionis, quantùm in me Propoſitio. erit, quantus ſit horror peccati, ut illud unuſquiſque odio proſequatur, ac deteſtetur.

Ut concipiatis, Auditores, quantus ſit horror, & quàm gravis abominatio peccati, obſervate, ſi placet, & conſiderate dæmones: perpendite, an oculi veſtri tolerare queant intuitum objecti ita horrendi; utrùm imaginatio veſtra applicari poſſit ſubjecti ſic abominandi conſiderationi. Quantùmvis horrendi & monſtroſi ſint illi, quantùmvis abominatione ſint ii deformes; nullam aliam tandem habent deformitatem, nullum alium præ ſe ferunt horrorem, & nullam aliam abominationem, niſi quia peccaverunt, & in Divinam Majeſtatem inſigni rebellione inſurrexerunt. Omnis autem differentia, quam eſt invenire inter bonos & malos Angelos, in eo ſita eſt, quòd illi obedientes Deo fuerint & fideles, iſti autem inobe h Apoc. 12. 3. &c. dientes ei fuerint & infideles h. Unde diſcere debemus horrorem omnium horrorum, & totius i Matth. 24. 15. ex Dan. 9. 27 *abominationem deſolationis* i eſſe peccatum, quod eſt averſio faciei †, & deſpectus injurioſus † Jer. 8. 5. & 6 ſupremæ & infinitæ Dei majeſtati præ inobedientiâ intolerabili exhibitus. Nihil autem aliud Angelos mutavit in dæmones, præter peccatum: Nulla alia res inferos ædificavit, præter peccatum: Inferi non habent ſupplicia æterna *, niſi * Matth. 25. 46 quibus excrucient peccatum: Nec adversùs aliud *Deus accendit omnem iram ſuam* k. Sic horrenda k Pſ. 77. 35. & 38 eſt indignitas, quâ contemnitur Deus, quâque ſubſtituitur Amori ipſius amor infamis alicujus creaturæ. Super quod duo dicenda vobis habeo verba.

Primò enim, Si poſſemus intueri, quantus ſit horror peccati, & quanta ejus deformitas, proculdubio deficeret nobis cor, & animi pateremur deliquium præ dolore & tremore. Ha! Si deprehenderemus inſignem aliquem proditorem perfidiam & infidelitatem graviſſimi momenti adversùs legitimum ſuum Principem, molientem, & totius Regni integri exitium machinantem; quæ commotiones, & quænam rabies in noſtris tunc temporis orirentur animis? Quid diceremus, ſi intueremur Pulchritudinem l, & Bonitatem m in- l Sap. 7. 26 finitam (obſervate, ſi placet, hoc nomen, infini- m Pſ. 118. 68 tam) neglectam, deſpectam, projectam ab homine quodam, qui ſe rationis ventilet compotem; & poſtpoſitam alicui objecto terreno, præ infami præpoſitione creaturæ in diſpendium Creatoris exhibitâ, non obſtantibus conſcientiæ internis clamoribus, & ſynderesis ſtimulis? Quid dixiſſetis? Sed quid non egiſſetis, ſi interfuiſſetis, cùm infames Judæi Jeſum Chriſtum Barabbæ ſeditioſo, homicidæ, & furi poſtpoſuerunt n; cùm origi- n Luc. 23. 18 & 19 ni gratiarum o, vitiorum ſoveam, & opifici vitæ o Joan. 1. 17 p, authorem mortis & omnis generis criminum prætulerunt? Judicate, ſi placet, animæ peccatri- p Pſ. 35. 10 ces, Heu! quid agatis, cùm peccatis, quoties voluptatibus illicitis indulgetis? Quid agimus, Auditores, quoties nos omni ſcelerum colluvie conſpurcamus, poſt tranſactam aliquanto tempore in Divino obſequio colendo vitam; quoties ſententiam pronunciamus mutatione hâc horrendâ, & electione iſtâ abominabili quâ Creatorem creaturæ, & Jeſum diabolo ſubjicimus? Declaramus re verâ diabolum eſſe præferendum Jeſu, cùm malimus adhærere voluntatibus diaboli, eumque agnoſcere ut ſupremum Dominum noſtrum, ejus imperio ac dominationi nos omnino ſubjicientes, eumque majori exiſtimantes vigere poteſtate, quàm polleat Deus, quâ poſſit ipſe diabolus votis omnibus noſtris ac deſideriis ſatisfacere.

Injuſtum re verâ judicium quodlibet Deo diſplicet, illud verò imprimis, quod fertur adversùs juſtitiam ipſius, & in detrimentum honoris ac gloriæ ejuſdem Dei. Quomodo enim pati poſſit Deus, ut de ſeipſo concipiatur ab aliquo hæc ſiniſtra & prava opinio, ipſum minùs ſatisfacere valere capacitati & vaſtæ extenſioni cordis humani, quam poſſit immunda aliqua delectatio, infamis quælibet voluptas; ipſum eſſe minùs gratum, quàm ſint creaturæ; minùs amabilem, quàm ſit diabolus; nec ipſum incomparabiliter, imò verò infinitè eſſe præferendum huic ſolemni apoſtatæ à juſtitia, & infami huic deſertori ſanctitatis & innocentiæ? *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer! dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* q. q Jer. 2. 12 & 13

Secundò, Si peccata noſtra propriis oculis noſtris in ſpecie ſua exhiberent intuenda, qualicumque

que nos amore proſequamur, in tantum verteretur hic amor horrorem & in tantam abominationem, ut nos ipſi efficeremur noſtri ipſorum carnifices, incitantes & inſtigantes ſupplicia ut accelerarent & promoverent vindictas & tormenta, quæ crederemus nobis ipſis debita. Montes, dicturi ſunt reprobi extremo judicij univerſalis die, præ horribili criminum ſuorum intuitu, & præ horrore diſſolutionum ſuarum, labimini ſuper capita noſtra; *Tunc incipiont dicere montibus: Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos* r. Judas *qui fuit*
r Luc. 23. 30. *dux eorum qui comprehenderunt Ieſum, & ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* s,
s Act. 1. 16. & 18. cùm præ intuitu proditionis ſuæ miſerandum in modum *laqueo ſe ſuſpendit*, poſtquàm dixiſſet, *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum* t; invênit apud ſe
t Matth. 27. 5. & 4 accuſatores, teſtes, judices, & tortores, præ horrore peccati ſui. Accuſator fuit ipſius conſcientia, teſtis fuit ejuſdem memoria, judex fuit ipſius ratio, & carnifex fuit ipſemet, ſeu propria ſyndereſis & ejuſdem ſtimulus inſimulans ipſum intolerandæ ingratitudinis, eò quòd in Dominum ſuum tam nefando ac ſacrilego inſurrexiſſet modo.

Sed ut ritè concipiatur horror & abominatio hujus monſtri, oporteret ut omnes illi, quibus peccata videntur veluti indifferentes res, & *qui* bibunt *quaſi aquam iniquitatem* u, ſeriò audirent has
u Job 15. 16. tres veritates. Prima quarum eſt, Omnes homines & univerſos ſimul Angelos non valituros in tota æternitatis extenſione, quæ eſt interminabilis, concipere quanta ſit gravitas & enormitas unius peccati lethiferi; quia cùm exceſſum horroris peccati (ſi quis peccatum vellet menſurare) metiri deberet is per quandam proportionem ad perfectiones Divinas, quibus opponitur, cùm ex-
† Baruch 3. 25 dem hæ perfectiones ſint infinitæ †, malitia, quæ eaſdem impugnat, ſumit quandam abominationis à quocumque ſpiritu creato nequaquam comprehendendæ infinitatem, ratione cujus veriſſimum eſt, & dictu mirabile, unicum eſſe duntaxat Spiritum Dei infinitum, qui perfectè poſſit cognoſcere magnitudinem aut profunditatem hujus malitiæ enormis; ſicut ipſe ſolus eſt qui ſciat quid ipſe ſit, quidnam ipſe mereatur, & quò protendantur perfectiones ſuæ infinitæ.

Secunda veritas eſt terribilis, & docet nos veluti rem omninò infallibilem, cui nemo ſanæ rationis compos valeat contradicere; Deum, ſecundùm perfectam cognitionem, quam ipſe habet gravitatis & enormitatis peccati lethiferi, & magnitudinis injuriæ ſibi irrogatæ, ſicut ipſe eſt infinitè in-
x Pſ. 8. 7. telligens x, *juſtus* y, & æqualiter honoris ſui
y Pſ. 118. 137. *æmulator* z; ſicut ipſe ardenti proſequitur amore id, quod gloriam Divinæ ſuæ majeſtatis intuetur,
z Exod. 34. 14. & dicit, *Gloriam meam alteri non dabo* a; ita ſtatim ac anima criminis alicujus conſcia effecta eſt, ado-
a Iſa. 42. 8. & 48. 11. randas ipſius tranſgreſſa voluntates; non poſſe quin concipiat adversùs illam odia immortalia, *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas ejus* b; ini-
b Sap. 14. 9. micitias horrore & execratione plenas, & contemptus omnes, quibus deſpici poteſt objectum odio dignum; qui contemptus (ſi intueretur eos hæc anima) ipſi ſubminiſtrarent anſam ſufficientem peſſumeundi. Infinitus hic intuetur Spiritus, id ſanè indignitatem ſic abominabilem eſſe, ut *bonum* c immenſum d, quale ipſe eſt, quod meretur
c Exod. 33. 19. infinitatem cordium, quæ Divini amoris ſui ardeant flammis; impetatur deſpectibus & odijs, è
d Baruch 3. 25. quo autem? A vili creatura, quæ nihil eſt, *Et ſub-*
e Pſ. 38. 6 *ſtantia mea tanquam nihilum ante te* e, quæ eſſe non haberet, niſi illud ab ipſo ſuſcepiſſet. Et quàmvis hæc infamis creatura ingratitudinis inſignis labe notata; poſt tot dona & beneficia è liberali manu ipſius ſuſcepta, pro quibus ipſi gratiarum non exhibuit actiones, antea ab ipſo ſummoperè dilecta fuiſſet; etiamſi foret ipſa veluti primus Angelus, hoc non impediet quin eandem Deus è corde ſuo evellat, longè à ſe illam projiciat, pedibus ſuis ipſam calcet ac conterat veluti vas refertum veneno, eamque ſibi proponat ut objectum ardentiſſimæ ſuæ iracundiæ æternum.

Tertia veritas terribiliſſima, docet nos; Si ex honore læſo naſcatur odium, & ex odio oriantur vindictæ tanquam neceſſariæ ſequelæ, fieri non poſſe quin Iuſtitia divina huic animæ criminoſæ ſupplicia decernat incomprehenſibilia, quæ non ſunt alia niſi ignis iracundiæ Divinæ, quæ ſic ignes inferorum accendit, ut nunquam extingui poſſint, *Ignis eorum non extinguetur* f. Imò verò
tempore præſenti ſupplicijs ſuis nos impetit at- f Iſa. 66. 24.
que flagellis. Dubium autem nullum eſſe poteſt, quòd in mundum, nullum unquam fuiſſet ingreſ-
ſum malû, niſi januam ei patefeciſſet peccatum g. g Gen. 3. 6. &c. & Rom. 5 12.
Hodiernâ verò die quidquid patimur, quidquid toleraverunt Patres noſtri ab ipſis mundi naſcentis incunabulis, quidquid perferent nepotes & poſteri noſtri ad conſummationem ſeculorum uſque, ſive in corpore, ſive in animo, ſive in bonis fortunæ, ſive in honore; hi omnes rapidi afflictionum & infortuniorum torrentes non aliunde originem ſuam deſumpſerunt, quàm è peccato, & è Juſtitia divina, quæ ea omnia mittit ut eorum interventu noſtra caſtiget crimina. O peccatum quam inſigni ſtupore me concutis! quàm profundo me ſilentio immergis! cùm deficiant mihi cogitationes, quibus intimè concipiam abominationem tuam incomprehenſibilem; cùm deſint mihi verba, quibus malitiam tuam exprimam ineffabilem, eamque fortiter imprimam omnium Auditorum meorum cordibus, ut eos inducam ad agnoſcendum infortunium, ad quod ſe intuentur redactos, ut oculos aperiant, & velum eos obducens removeant, ut videre poſſint ingentem, quâ percutiuntur, cæcitatem, quâ peccatum mortiferum præ tanta perpetrant indifferentia.

Approximemus ad Jeſum, accedamus ad hoc prefectû innocentiæ prototypon, Filium Dei, qui ſanctitatem poſſidet per eſſentiam, quippe qui ſit
Sanctus Dei h; & tam in perſona ipſius, quàm *in* h Marc. 1. 24.
laboribus †, paſſione, & morte ipſius, invenienius † Pſ. 87 16.
veritatis hujus argumentum. Cur, obſecro, vixit triginta tribus annis in ſtatu paupertatis, & miſeriæ ingentis, cùm vulpibus habentibus *foveas*, *& volucribus nidos*; *Filius hominis non* haberet *ubi*
caput i reclinaret; niſi ut exterminaret è mundo i Matth.
hanc ultimam miſeriarum omnium, quæ eſt pec- 8. 20.
catum? Quare totum ſuum pretioſum effudit San-
guinem k, niſi ut extingueret flammas & ſuffo- k Apoc. 1. 5
caret ſemina peccati? Ut quid mortuus eſt in cru- l Jo. 19. 30.
ce plantatâ in monte Calvariâ l, niſi ut deſtrue-
ret tyrannidem peccati m, & illius trophæa ever- m 1. Petr.
teret, morte ſuâ hoc monſtrum horrendum è me- 2. 24.
dio eliminans? Dicite, dicite ingenuè, Nunquid non oportet ut exterminatio peccati ſit res maximi momenti, cùm Deus ipſe eam formaverit ab
æterno n, eam ſuſceperit *ubi venit plenitudo tem-* n Pſ. 39. 8. &c.
poris o cum tanta pœna, eam fuerit proſecutus in o Gal 4
vita ſua cum tot laboribus, eamque nonniſi in 4.
morte ſua perfecerit?

Quid egis adorande Jeſu ſuper ſtercore in ſtabulo,

bulo, ſuper palea *in præſepio* p, *in medio duorum animalium* q? Quid operaris in Sanguine, in Circumciſione r? *In templo* s, in prædicatione? In aquis Jordanis, in Baptiſmo t? In fame, in deſerto u? In monte, *pernoctans in oratione Dei* x? Juxta puteum in Samaria y? In cœna, ante *pedes* z Judæ? In horto, in ſudoribus *Sanguinis decurrentis in terram* a, in triſtitia b, tædio, & pavore c, & timore? In prætorio Pilati ſub flagellis, virgis, *& ſpinis* d, calumnijs ac injurijs impetitus? In monte Calvariâ, in cruce, clavis terebratus, felle & *aceto* potus, & *lanceâ* † confoſſus? In ſepulchro in morte? In deſcenſu tuo ad inferos *? Quid facis *mitis* e Salvator in hac Hoſtia ſacroſancta f? Quid agis ſuaviſſime Jeſu *Verbum* g increatum, *& caro factum* h? Loquere huic populo organo meo. Nonne continuè conaris impedire ut noſtro *non regnet peccatum in mortali corpore, ut concupiſcentijs ejus* i obediamus, & nulla unquam imposterùm a nobis tuæ Divinæ irrogetur injuria majeſtati? Ha! Auditores, hoc negotium quod graviſſimi intuemini eſſe ponderis, nonne à vobis exigit magnam laborum veſtrorum portionem? cùm Jeſus unicus Dei Filius ad illud executioni mandandum ſe totum exhauſerit ac conſumpſerit.

p Luc. 2. 7. q Habac. 3. 2. r Luc. 2. 21. ex Lev. 12. 3. s Luc. 2. 46. t Matth. 3. 15. u Matth. 4. 2. x Luc. 6. 12. y Jo. 4. 6. z Jo. 13. 5. a Luc. 22. 44. b Matth. 26. 38. c Marc. 14. 33. d Jo. 19. 1 &c. † Jo. 19. 29 & 34. * Jo. 19. 42. e Matth. 11. 29. f Matth. 28. 20. g Pſ. 44. 2. h Jo. 1. 14. i Rom. 6. 12.

Sed poſt omnes iſtas veritates ſupereſt nobis hæc unica, unius animæ in ſtatu peccati conſtitutæ. Hic autem erumpentia jam ex intimis cordis penetralibus ſuſpiria, lacrymas ex oculis defluentes, & ſingultus ex ore prodeuntes, vix continere poterimus. Eodem quippe momento, quo ſcelus perpetratum eſt, anima criminoſa incurrit odium Dei, ſubjectum efficitur inimicitiæ ipſius, & objectum iræ Divinæ; incidit in poteſtatem ipſius, ſicut & in tyrannidem infenſiſſimorum ſibi, putà dæmonum, qui illudunt infortunium ipſius, qui derident ipſius infelicitatem, præ felici ſucceſſu ipſis orto ex ipſorum certamine, quod ipſis evênit ad deſiderium. Deus non eſt ampliùs Pater infelicis hujus animæ, nec ipſa plùs Dei filia adoptiva; & conſequenter ipſa indigna eſt ut infinitis communicet meritis Filij ipſius naturalis Jeſu Chriſti, & acquirat ejus interventu eminentem beatitudinis gradum; cùm non habeat ampliùs participationem naturæ Divinæ, quæ non eſt alia niſi gratia ipſiuſmet Dei.

Etiamſi per multorum annorum curricula ſummo cum labore excelſorum ſibi meritorum comparaſſet cumulum, omnes ipſius divitiæ unico diſſipantur inſtanti, marceſcunt ipſius coronæ, obſcuratur ipſius gloria, enervatur ipſius potentia, & ipſius infelicitas ad ultimum uſque miſeriæ redigitur limitem. Spiritus ſanctus, qui à pauco tempore ſe Sponſum illius effecerat, ab ea diſcedit, alienatione ſeu elongatione odio plenâ; evaneſcit ipſius gratia, & omnia virtutum ipſius ornamenta veluti furioſo tonitrui fragore averruncantur. Hæc anima infortunata omnibus ſpoliata, nihil ampliùs habet reſidui præter nigredines k & fœtores intolerabiles, opprobrio & deteſtationi obnoxia; arueruut ipſius gratiæ, & aquæductus ſeu canalis, per quem deducebantur, præciſus eſt, cùm ſe indignam reddiderit ut ullam unquam, per totam æternitatem, cogitationem poſſit efformare bonam, & nihil deinceps amare poſſit niſi propriam malitiam ſuam, ſi Deus erga ipſam non manifeſtet ſpecialiter & extraordinariè bonitatem & miſericordiam ſuam. Ha! quis credere poſſet, animam unico peccato lethifero ſibi mala ita prolixa & ſic funeſtæ ſequelæ machinari potuiſſe? O intolerandam maximæ partis hominum cæcitatem, & ſanguineis lacrymis deflendam!

k Thren. 4. 8.

Anima, quæ incidit in deordinationem, & in confuſionem horrendam peccati, cùm eſſet priùs Regina & Imperatrix, ferro & catenis onuſta in captivitatem miſerando ſe videt modo redactam, & ſervituti ſubjacentem, necnon & ſub implacabili tyrannide vitam languoribus plenam, trahentem: Cùm eſſet ſpecioſa, & eximio ornata decôre, deformis efficitur ac monſtroſa: Cùm priùs eſſet ſpectabilis, infamis redditur ac ignobilis: Cùm antea eſſet generoſa, perfida efficitur: Cùm eſſet Sponſa Spiritûs ſancti, fit præda inferni, & ſpolium diaboli; & ex excelſo magnitudinum omnium faſtigio præceps ruit in abyſſum univerſarum miſeriarum, quas poſſit quis unquam comminiſci. Super omnia autem hæc, quod eſt horribile auditu, ex amore Dei tranſit in odium illius †; de jure comparandi ſibi paradiſi in timorem ignium æternorum; fruitionem Dei perdit in æternum, & bono privatur infinito, cujus poſſeſſio vel unico impetrata momento, infinite acquiſitionem decem millium orbium, ſi tot invenirentur, antecellit. Quouſque, Auditores, oris noſtri voces, & vocum noſtrarum clamores diffundemus, quibus reſonent circumquaque horror & execratio peccati abominanda? Ha peccatum! Peccatum hominibus familiare ac incognitum malum! peccatum exterminator gratiæ, diſſipator virtutum, animæ implacabilis carnifex, ergaſtulum diabolicum, germen perditionis, origo inexhauſta, nec unquam haurienda omnium malorum quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ aliquando ſunt futura; obſcuritas intellectûs, depravatio voluntatis, confuſio memoriæ, horror cœli, deſolatio terræ, beſtia ipſis immundior draconibus, ipſis tigridibus crudelior, & ipſis pantheris inhumanior!

† Sap. 14. 9.

Sed hæc omnia non ſunt ſatis. Peccato perpetrato pretioſus Chriſti Sanguis quaſi peſſumit, & chariſſimus Mariæ Filius ex Agno l mitiſſimo, ex Salvatore gratiſſimo efficitur Judex ſeverus, & inimicus infenſiſſimus, ut ulciſcatur injuriam ſuo honori & proprio Sanguini irrogatam. Conſcientia criminoſa medios inter ſtimulos ſuos & proprias ſyndereſes plena eſt facibus ardentibus, vulturibus inſatiabilibus, & ſerpentibus horrendis. Anima infortunata, ſi aliquâ impetatur afflictione, ignorat ad quem poſſit recurrere; manet ipſa ſemiſuffocata inter cœlum (quod ipſi clauſum eſt, & ſi aperiatur, id non alio fine fit, niſi ut in caput ipſius criminoſum ſua vibret fulmina) & terram quæ tremit ſub greſſibus ipſius, quam perferre non valeat eadem terra; & infernum, qui *aperuit os ſuum* m ante oculos ipſius ut ipſam devoret. Cùm vult ipſa orare, & dicere, *Pater noſter* n, non audet ipſa inniti huic Nomini Patris amabili, ne videatur inſimulari mendacij, quatenus ſpoliata gratijs Dei ſui. Omnes greſſus ipſius ferè ſunt totidem caſus, omnes lapſus ipſius tot fermè plagæ ac vulnera, & omnia ipſius vulnera veluti tot mortes. Sinit ipſa ut inveterentur ſua vulnera, & efficiuntur illa inſanabilia †. Cùm intellectus ipſius ſit ipſâ nocte obſcurior, & cor ipſius marmore, imo verò adamante induratius *, ipſa ſibi eſt horrori, & veluti tremefacta manet præ ſuorum multitudine ſcelerum, & mediam inter ſuam obſtinationem & induratione videtur quaſi in deſperationem redacta, & ſe veluti morti æternæ agnoſcit addictam, & in cathegoria reproborum colloca-

l Jo. 1. 29. m Iſa. 5. 14. n Matth. 6. 9. † Jer. 30. 12. * Job 41. 15.

locatam, excluſam è *libro vitæ* o, è *libro vitæ Agni* p, qui eſt origo, prima & univerſaliſſima omnium vitarum, dum ipſa continuè hic ſuorum telam orditur malorum præ obſtinatione ſua, *Et in peccato veſtro moriemini.*

o Apoc. 20. 15.
p Apoc. 13. 8.

Heu! Quàm merito jure deberet hic *Sol* q obſcurari, Luna eclypſim pati, *terra* r moveri, & *petræ* s ſcindi deberent mediæ, quaſi præ ſtupore. Nam ad condolendum infortunio ſic ingenti, quale eſt animæ morientis obſtinatæ, oportet ut inſenſibilitas ipſa efficiatur ſenſibilis, & univerſa orbis flumina ſanguinem, imò verò lacrymas profundant ſanguineas; ut venti nihil perflent niſi ſuſpiria; & ut tota lamentetur natura id, quod non poſſit homo ſatis deflere. Nihil unquam in univerſo orbe ita horrendum viſum eſt, ac mors infamis Jeſu Chriſti Domini noſtri, nec aliquid unquam extitit uberioribus dignum lacrymis: Nihilominùs idem Dei Filius ſuam æquiparans mortem, ad quam pergebat, ut cruci ſuffigeretur medius inter latrones, infortunio damnationis æternæ unius animæ, prohibuit ne effunderentur lacrymæ intuitu ſui, & præcepit ut continerentur fletus, in quos erumpebant Jeroſolymitanæ mulieres in gratiam ipſius, *Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt* t. Sed tantùm ut profunderentur lacrymæ in gratiam peccatorum; aſſerens in mundo nihil æquè dignum lacrymis inveniri, ac ſit æterna animæ damnatio, cujus redemptio *pretioſo Sanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati* u conſtitit.

q Luc. 23. 45.
r Matth. 27. 51.
s Ibid.
t Luc. 23. 28. & 29.
u 1. Pet. 1. 18. & 19.

Univerſa rerum omnium concluſio, finis tragœdiarum omnium, quæ agi poſſint in toto orbis ambitu, ſed unde incipiatur crudeliſſima, & omnium, quæ unquam poſſint concipi, maximè ſanguinolenta, quæ nunquam finiatur per totam infelicem æternitatem, quæ nullos ſupplicijs horrendis intuebitur præſcriptos limites, in hoc conſiſtit, ut moriatur quis induratus & obſtinatus in peccato, *Et in peccato veſtro moriemini.* Ubi obſervare poteritis hic obiter, ſi placet, quatuor moriendi modos intuitu peccati; per peccatum, pro peccato, peccato, & in peccato. Per peccatum. Univerſalis cauſa mortis eſt peccatum, *Per peccatum mors* x. *Stipendia peccati mors* y. *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem* z? Pro peccato, Dei Filius mortem obivit, *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt* a. *Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel* b. Id eſt, pro peccato. Peccato; Animæ Deo charæ, Juſti, amici Dei moriuntur peccato, ut vivant gratiæ, ſicut Apoſtolus gratiæ, qui dicebat, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo* c. Qui carnem ſuam, vitia ſua, & effrænes ſuas concupiſcentias cruci ſuffixerat Electorum, *Qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs* d ſuis. Qui vivebat non vitâ propriâ, ſed vitâ Chriſti; *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus* e. In peccato reprobi tandem moriuntur, qui Divina tranſgreſſi mandata in vita ſua, è medio tolluntur in impœnitentia finali, & ſic in ſtatu damnationis æternæ, *Et in peccato veſtro moriemini.* Sic enim morientes in peccato obſtinationis, damnationem illico incurrunt æternam. De ea loquimur terminis ordinarijs veluti de re communi; communis ſanè res es, ſed, ut verum fatear, maximè eſt horribilis.

x Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6.
y Rom. 6. 23.
z Pſ. 88. 49.
a 1. Petr. 3. 18.
b Rom. 6. 10.
c Gal. 6. 14.
d Gal. 5. 24.
e Gal. 2. 20.

Heu! Auditores, ſi unica nobis nox dolore dentium, aut morbo cæliaco ſeu colico laborantibus videtur importuna, etiamſi breviſſima, quod cauſa eſt, ob quam præ ſumma adventum diei expectemus impatientia, quem cum tanto deſideramus ardore, quanto nobis hæc nox faſtidioſa tædio fuit; quid aget anima infortunata æternis involuta noctibus, miſſa *in tenebras exteriores* f, luce privata? Quomodo poterit ipſa permanere in ſtatu vitæ ſemper morientis, & mortis æternùm viventis g, ſine aliqua intermiſſione ardentibus excruciata ignibus, & in horrendas redacta deſperationes? Perpetietur ipſa infinitè plus unico vel momento, quàm omnes Rei, & omnia animalia ſimul ſumpta ab ipſis mundi naſcentis pertulerint incunabulis, & id per infinita ſeculorum ſecula. O æternitas infelix, quid dicere poſſim, cogitationem meam ad te dirigens? Niſi eum, qui addicetur doloribus, lacrymis, ſupplicijs & tormentis per totam durationem tuam interminabilem, deprehenſurum tandem medias inter ſeculorum ſeries, ſe plus effudiſſe lacrymarum, etiamſi unicam diebus fuderit ſingulis, quàm eſſent neceſſariæ ad efficienda omnia flumina, & ad componenda omnia maria quantùmvis immenſis expanſionibus extenſa: & poſtquàm hæc omnia lacrymis fuerint cumulata, ſibi incipiendum denuò centies, imò verò millies, & infinitè, majoremque profundendum lacrymarum numerum, quàm ſint arenæ grana in maris litore, folia in arboribus, atomi in aëre, ſtellæ in firmamento, & capilli in omnibus omnium hominum, qui fuerunt unquam, qui ſunt modò, & qui aliquando ſunt futuri, capitibus; & tandem hæc omnia pro nihilo reputanda: & poſt hæc univerſa ſibi iterùm incipiendum ac iterùm, & ardendum ignibus & flammis, quæ *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens* i erit; & ſic ipſe *laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem* k.

f Matth. 25. 13.
g Apoc. 9. 6.
i Iſa. 30. 33.
k Pſ. 48. 9.

Heu! peccatum lethiferum terribiles ſanè ſunt ſequelæ tuæ, & funeſtæ ac horrendæ ſunt dependentiæ tuæ. Heu! quàm longè protrahis infelices effectus tuos, & quàm inexplicabilia ſunt ſupplicia & tormenta, quæ in animas illas invehis rebelles, quæ in legitimi Domini ſui ſupremam inſurrexerunt majeſtatem, & adorandas illius impudenter tranſgreſſæ ſunt voluntates. Adorande Jeſu, tu es mitiſſimus ille *Agnus Dei, qui peccatum mundi* † tollis, fauſto ad nos veneris augurio, quia ſine tuo adventu jam deſperata erat æterna animarum noſtrarum ſalus. Hanc autem ſalutem nos impetraturos ſperamus ab infinita bonitate tua; impertire eam nobis, obſecramus, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus nos, Oriens ex alto* l, viſitaſti, largiendo nobis gratiam in hoc mundo tuam, & gloriam tuam in altero.

† Jo. 1. 29.
l Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12.

FERIA

Digitized by Google

FERIA III. POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMAE.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite. Matth. 23. 1. & 2.

ATtentione ſedulâ cogitans de conſilio, quod propoſuit alias Darius Perſarum Rex ſtabilire volens pręclarum ordinē in Regno ſuo pro moderamine politico ſtatûs ſui, cujus conſilij eventus non poteſt quin ſit Principi glorioſus, ſi in eo conſtituendo vaſſallorum ſuorum bonum inquirat ac commodum, ſicut & proprij tranquillitatem Regni: perſuaſi mihi, idem plane à Chriſto Jeſu Domino noſtro die hodiernâ in florentiſſimâ Eccleſiæ ſuæ ſanctæ peragi Monarchiâ. Perſarum ergo iſte Princeps, ut felicem conſilij ſibi propoſiti ſortiretur effectum, conſtituit centum & viginti Satrapas, qui erant veluti tot Provinciarum Moderatores, & ultra hos, tres alios elegit veluti Præpoſitos Generales, quibus illi redderent rationem, ut ſic non interturbaretur requies Regis importunâ negotiorum multitudine: *Placuit Dario, & conſtituit ſuper Regnum Satrapas centum viginti, ut eſſent in toto Regno ſuo. Et ſuper eos, Principes tres, ut Satrapæ illis redderent rationem: & Rex non ſuſtineret moleſtiam* a. Filius verò Dei magnus ille Monarcha *cæli & terræ* b, prudentior ſine ulla penitus comparatione hoc Perſarum Principe, & multò felicior in eventu conſiliorum ſuorum, quæ ſola intuentur ipſius ſubditorum commoda ac oblectamenta, quorum progreſſus ſubditorum eſt tota curarum ipſius cauſa, idem obſervat in Eccleſia ſua, multos conſtituit Gubernatores, Principes ſtabilit, Reges creat, ſed præ illis omnibus Sacerdotes elevat, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Exaltemus animos noſtros, elevemus eos ad Empyreum uſque cœlum. Ibi intuebimur Virginem Deiparam, quæ nihil unquam vilis & depreſſi præ ſe tulit, niſi ſuam humilitatem, quæ effecit ut ancillam ſe nominaverit *Domini* c, eodem momento, quo ſalutabatur ut futura mox Genitrix ipſius, ab Angelo ſic ipſam alloquente, *Ave Maria.*

a Dan. 6. 1. & 2.
b Matth. 11. 25.
c Luc. 1. 38.

Inter omnes ac eximias, quibus diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* d, *Ioannes in inſula, quæ appellatur Patmos* e, illuſtratus copioſè fuit, revelationes, ea mihi maximis videtur repleta myſterijs, atque abditiſſima complecti ſecreta, quam ipſe ſic ſcriptis exaravit: *Et vidi Angelum fortem deſcendentem de cœlo: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare: ſiniſtrum autem ſuper terram* f. In diverſas abeunt Doctores ſententias circa viſionem iſtam, & variè opinantur de hoc Angelo. Alij dicunt, hunc fuiſſe, collocatum *ante paradiſum voluptatis Cherubim, flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* g, præ manibus tenentem. Alij aſſerunt, quòd fuit ille, qui *in nocte venit, Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia* h hominum exercitûs Regis Sennacherich. Alij tandem credunt, quòd fuit ille Angelus, qui vocatus *Princeps regni Perſarum, reſtitit viginti & uno diebus* i Angelo qui populo præpoſitus erat Iſraëlitico. Ego autem aliter ſentio, & propoſito meo convenientiùs, ſalvâ Doctorum contrarium ſentientium pace. Dico igitur, hunc Angelum, quem vidit S. Joannes è cœlo deſcendentem, & collocantem pedem dextrum in mari, & lævum in terra, non eſſe alium niſi Sacerdotem. Quòd ſit Angelus, id aſſero poſt Prophetam k, *Labia Sacerdotis cuſtodiens ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Hic ipſe, eſt Angelus, qui impedit ingreſſum ad cœlum l. Hic ipſe, eſt Angelus, qui occidit non tot millia hominum, ſed tot milliones peccatorum m. Hic ipſe, eſt Angelus, qui reſiſtit huic alteri Angelo, puta diabolo, huic Angelo *tenebrarum* n, *non viginti & uno diebus*, ſed continuè, bellum illi indicens perpetuum. Hic ipſe, eſt Angelus, qui habet alterum pedem collocatum in terra, quæ nobis oſtendit ſtabilitatem, *Terra autem in æternum ſtat* o. Ut ſignificetur nobis illius Ordo p, qui eſt ſtabilis, & ſemper manet. Alterum poſitum in mari, quod eſt inconſtans q, ut oſtendatur nobis ejus juriſdictio, quæ poteſt ab eo auferri; modò quippe eâ potitur, & mox eâdem privatur. Dico igitur, Sacerdotes eſſe Angelos. Sed hoc non eſt ſatis. S. Bernardus r ulteriùs progreditur, cùm loquens de illorum dignitate, ait, illos eſſe pluſquàm Angelos; *Sicut enim non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* s *ad faciendam redemptionem: ſic non Angelis, ſed hominibus, ſoliſque Sacerdotibus Dominici Corporis & Sanguinis commiſit conſecrationem* t. Evangelium verò hodiernum oſtendit nobis per verba hæc, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, Primò illorum dignitatem: Secundò illorum poteſtatem, quas examinabimus in duplici parte hujus diſcurſûs.

d Jo. 21. 20.
e Apoc. 1. 9.
f Apoc. 10. 1. & 2.
g Gen. 3. 24.
h 4. Reg. 19. 35.
i Dan. 10. 13.
k Malach. 2. 7.
l Matth. 16. 19. & 18. 18. & Jo. 20. 23.
m Ibid.
n Epheſ. 6. 12.
o Eccl. 1. 4.
p Jo. 20. 22. & 23.
q Jon. 1. 4. &c.
r S. Bern. Serm. ad Paſtores.
s ex Hebr. 2. 16.
t 1. Cor. 11. 24. &c.
Diviſio.

I. Pars.

Non poſſum meliùs Sacerdotum dignitatem laudibus evehere, quàm oſtendendo vobis convenientias, quas habent cum eo omni, quod eſt maximum, ſublimiſſimum, & excellentiſſimum in cœlo, & in terra, & in natura, & in gratia, & in gloria. Procul autem dubio hæc notitia inducet nos ad exhibendam illis reverentiam ipſis debitam, quamque ijs renuere non poſſimus ſine labe criminis. Dico igitur ut diſcutiam id, quod mox propoſui, Sacerdotes dignitate æquiparari Angelis, cùm iiſdem fungantur exercitijs, quæ obeunt Angeli, idemque peragant officium & miniſterium, quod illi; quod probo. Nomen Angeli eſt nomen officij, *Angelus*, id eſt, *miſſus. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi* u. Sacerdotes nonne mittuntur à Deo, ut ipſius Vicarij, & Legati? *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* x. Functio Angelorum, qui ſecundùm quod docet S. Dionyſius y, dividuntur in tres Hierarchias, quarum quælibet continet tres ordines, qui componunt novem choros, eſt in eo ſita ut purgent, illuminent, & perficiant. Hæc ſunt tria Angelorum officia ipſis Sacerdotibus propria. Purgant iſti adminiſtratione Sacramentorum z, illuminant doctrinâ ſuâ, & monitis perficiunt ſalutaribus & exemplaribus. Tria habent Angeli, eſſe, poteſtatem, & operationem. Eſſe ſpirituale. Poteſtatem in intellectu, & in voluntate. Et operationem in cognoſcendo, & in amando, quæ operationes ſunt duo effectus ambarum iſtarum potentiarum. Idem planè dicendum eſt de Sacerdotibus.

u Hebr. 1. 14.
x 2. Cor. 5. 20.
y S. Dion. l. de Cœleſt. Hierarch. c. 6. & ſeqq.
z Jacob. 5. 14. &c.

Prima

Prima Hierarchia Spirituum beatorum complectitur Seraphinos, Cherubinos, & Thronos. Secunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. Tertia Principatus, Archangelos, & Angelos, quorum officium in eo ſitum eſt, ut Divinas executioni mandent voluntates, & præcepta ſupremi Domini ſui, & hoc idem plane agunt Sacerdotes. Officium Seraphinorum, qui jugiter flammis ardent divini Amoris, conſiſtit in eo, ut ſine intermiſſione hoc ſacrum concinant triſagion, *Sanctus,* [a Iſa. 6. 3] *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* a. Quid autem agunt quotidie Sacerdotes, niſi ut eodem zelo accenſi Divinas canant laudes? Officium Cherubinorum, qui ſignificant plenitudinem ſcientiæ, eſt, ut ſint Dei ſedes, in qua requieſcit [b Pſ. 98. 1] Deus, *Qui ſedet ſuper Cherubim* b. Ubi autem requieſcit meliùs Deus, quàm in pectore Sacerdotũ, qui depoſitam ſecum habent ſcientiam? *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam.* Throni ſunt etiam ſedes Dei, ſed Dei decreta pronunciantis, ſed Dei quatenus Judicis, *Sediſti ſuper Thronum, qui judicas* [c Pſ. 9. 5.] *juſtitiam* c. Nonne Sacerdotes ſunt hæ ſedes? Nunquid non ſententias Deus, eorundem pronunciat organo? Annon anathemata & excommunicationes vibrat ore Sacerdotum? Nonne eodem funguntur Sacerdotes officio intuitu mundi Ecclesiæ, qui multùm mundum materialem ac purè corporeum antecellit? Dominationes habent moderamen univerſale Eccleſiæ. Nonne Sacerdotes intuentur ſibi commiſſam generaliter totius Eccleſiæ directionem? Miniſterio virtutum operatur Deus magna & mirabilia. Quid verò non peragit Deus Sacerdotũ miniſterio? Magna profectò res, animarum moderatio, imò verò difficillima omnium, directio earundem. Utitur Deus Poteſtatibus ad refrænandam & coercendam rabiem ac malitiam dæmonum. Quis autem hoc meliùs fungitur officio, quàm fungantur Sacerdotes? Diabolos quippe miris excruciant modis, imò verò infinitis eos exagitant ſupplicijs, cùm virtute exorciſmorum & precum Eccleſię, invitos cogunt iſtos ſpiritus nequam ab obſeſſis exire hominum corporibus. Officium Principatuum eſt, ut habeãt authoritatem ſuper ordines inferiores. Nonne Sacerdotes vigent authoritate ſuper ſtatum ſecularem, videntes poteſtates ante pedes ſuos proſtratas, quarum humiliatio ſatis probat ipſorum dignitatem præ dignitate Principum ſecularium? Idcircò, Domini mei Sacerdotes, cavete vobis. Profectò quippe res monſtroſa videretur, ſi haberetis altiſſimum gradum, & animum infimum; primam cathedram, & ultimam vitam; linguam magnificam, & vitam otioſam; multum ſtrepitûs, & parum fructûs; multum dignitatis, & non plus conſtantiæ, quàm habeat pinnula, ventorum index. Deus Archangelis utitur & Angelis ut Legatis, qui bona deferant nuncia. Quàm bona nobis Sacerdotes deferunt nuncia, cùm nobis annunciant, poſt ſuſceptam ab ipſis criminum noſtrorum abſolutionem, nobis eſſe peccata noſtra dimiſſa, [d Rom. 6 16. & 17.] noſque conſequenter amicos Dei conſtitui, *quòd ſumus filij Dei. Si autem filij: & hæredes. Hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chriſti* d. Nonne ſatis dixi, cùm Sacerdotes Angelis ipſis æquiparavi? Nequaquam. Id ipſorum gloriam non ſatis magnificat. Aſcendamus altiùs, eoſque magis evebamus.

Sacerdotes ſunt aliquid magis quàm ſint Angeli, quod dico poſt S. Bernardum e; [e S. Bern. loco ubi ſupra.] *Omnes enim (ſicut ait Apoſtolus) ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Sed longè excellentius eſt officium* Sacerdotum, *quod admirabile eſt in oculis etiam Angelorum.* Si ſacra Scriptura vocat Angelos ſervos, *Adminiſtratorij ſpiritus*; Sacerdotes nominat amicos, *Vos autem dixi amicos* †. [† Jo. 15 15.] Si dicit Angelos Principes, *Michael unus de Principibus* *; [* Dan. 10. 13.] Sacerdotes appellat Reges, *Regale Sacerdotium* f. [f 1. Petr. 2. 9] Si Angelos vocat Legatos, *in miniſterium miſſi*; Eccleſia in officio Pontificum vocat Sacerdotes Pontifices, *Ecce Sacerdos magnus* g. [g ex Eccli. 44. 20.] Idcircò Seraphicus Pater S. Franciſcus dicebat, ſe, ſi ſimul obvios habuiſſet Sacerdotem & Angelum, priùs flexurum genua coram Sacerdote, & deinde reverentiam exhibiturum Angelo. Et Angelus Apocalypſis noluit adorari à S. Joanne qui erat Sacerdos, *Vide ne feceris: conſervus tuus ſum* h. [h Apoc. 19. 10.]

Sacerdotes æquiparantur Doctoribus: *In medio Eccleſiæ aperiet os ejus, & implebit eum Dominus Spiritu ſapientiæ & intellectûs* i. [i Eccli. 15. 5.] Præditi ſunt ſapientiâ, ut cognoſcant res cœleſtes; in mundo ſunt, eo fine ut prædicent populis, ut rudes catechizent, ut convertant animas, ut augeant fidem, ut Crucem erigant in nationibus exteris & infidelibus, *Chriſtum crucifixum* k [k 1. Cor. 1. 23.] prædicando, ſicut Apoſtoli, qui nihil egerunt, quod non faciant ipſi. Sacerdotes ſunt Patriarchæ ob magnum numerum filiorum ſpiritualium, quos Deo genuerunt; *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* l. [l Gal. 4. 19.] Sed iſta non ſufficiunt. Progrediamur adhuc ulteriùs. Conveniunt Sacerdotes cum Prophetis, qui nihil fecerunt, quod non faciant Sacerdotes. Deus Prophetis præcipit: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum* m. [m Iſa. 58. 1.] Id agunt Sacerdotes. Ego autem (licèt immeritus) tali perfungor munere. Nihil habent Sacerdotes inferius Moyſe, qui Prophetarum fuit omnium primus n. [n Gen. 1. 1. &c. & Deut. 34 10.] Quid egit Moyſes? *Cùm elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & jumenta* o. [o Num. 20. 11.] Poteſtate ſuâ percutiens rupem, ex eadem reſilire fecit fontem aquæ vivæ; poſtquàm eâdem potentiâ domuiſſet potentiam impij & indurati Pharaonis Monarchæ Ægyptiorum p. [p Exod. c. 7. & ſeqq.] Sacerdotes verò nunquid non perſæpè idem agunt? Nunquid non terrore percutiunt? Nonne proſternunt hos Pharaones, hos peccatores induratos, hauriendo aquam vivam contritionis è cordibus ipſorum præduris magis, quàm ſint marmor & adamas. Prophetæ futura prædixerunt: Sacerdotes autem ſunt Prophetæ, & prænunciant peccatoribus æternas infelicitates, niſi convertantur r. [r Luc. 13 3. & 5.] Hæc Sacerdotum gloriam non ſatis extollunt: Non ſiſtamus hic, ſed altiùs aſcendamus, & colores magis vivos applicemus. Sacerdotes plus ſunt, quam ſint Reges, cùm Reges poteſtatem habeant duntaxat ſuper corpora, Sacerdotes autem authoritate vigeant ſuper animas, & videant Reges coram ſe proſtratos.

Sed audebone id aſſerere? Auditores. Et quare non? Cùm veritatem ſim annunciaturus. Sacerdotes æquiparari ſacratiſſimæ Virgini in ſuis productionibus, quia ipſi non ſecus ac illa, concipiunt Verbum Divinum in altaribus noſtris ſ, [ſ 1. Cor. 11. 24. &c.] præ illa differentia, quòd Virgo Deipara concepit t [t Luc. 1. 38.] illud mortale, paſſibile, & omnibus naturæ noſtræ miſerijs obnoxium (ſi excipiamus ignorantiam u, [u Hebr. 4 15.] & peccatum x) [x Pſ. 5. 5.] Sacerdotes verò immortale y, [y 1. Tim. 1. 17.] impaſſibile z, [z Pſ. 30 10.] & glorioſum. Maria poſuit hoc ſacrum Redemptionis noſtræ pignus in

[a Luc. 2. 12.] in vilibus *pannis involutum* a; Sacerdotes verò illud in nitidiſſimis pulvinaribus, & in pretioſa pixide collocant. Virgo illud concepit & genuit [a Luc. 1. 31. ex Iſa. 7. 14.] * unicâ tantùm vice; Sacerdotes verò quotidie. Virgo illud concepit, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* †. [† Luc. 1. 38.] Sacerdotes autem hęc verba pronunciantes, *Hoc eſt corpus meum.* Quænam privilegia Sacerdotibus conceſſa! Quid majus dici poteſt? In exequendo ineffabili Incarnationis myſterio neceſſaria fuit una perſona Divina, puta Spiritus ſanctus: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te* b. [b Luc. 1. 35.] In hoc etiam adorando altaris Sacramento requiritur altera perſona Divina, nimirum Jeſus Chriſtus cùm Sacerdote. Qualem dignitatem, quam omnes honorent! Et qualem poteſtatem, quam omnes revereantur!

[II. Pars.] Statim enim ac Sacerdotes Spiritum ſanctum ſuſceperunt, Ordine presbyteratûs initiati ſunt, Epiſcopi manuum impoſitione; *Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* c; [c Jo. 20. 22. & 23.] eodem inſtanti habent poteſtatem Dei, *claves regni cœlorum* d, [d Matth. 16. 19.] *claves mortis & inferni* e. [e Apoc. 1. 18.] Sic eſt, Auditores. Sacerdotes ſunt omnipotentes, & dicere poſſunt non ſecus ac ipſe Deus, *Ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas* f. [f Iſa. 43. 25.] Eandem habent cum illo poteſtatem, prout Vicarij ipſius in terra, remittendi offenſas, parcendi peccatis, & largiendæ vitæ; habent jus vitæ & necis, cum illa ſola differentia, quòd hæc omnia agunt cum dependentia ab eo, & ex commiſſione. Ego autem tanti duco abſolutionem à Sacerdote mihi impenſam, quanti eam æſtimarem ab ipſomet Deo ex ſuppoſitione mihi indultam, dummodò in me ſint eædem diſpoſitiones, cùm planè utraque foret eadem, & pollicitus ſit ipſe Deus ſe ſoluturum quidquid Sacerdotes ſolverint. Omnia poteſt Sacerdos in cœlo, & in terra, omnipotens eſt imò & apud purgatorium. Sic eſt, Auditores, omnem habet Sacerdos poteſtatem; mediatorem agit, & orationibus ac Sacrificijs ſuis impetrat reconciliationem animarum cum Deo, & liberationem ipſarum à purgatorij pœnis g, [g 2. Mach. 12. 45. &c.] & dicere poteſt eis ſicut aliàs Moyſes Iſraelitis, *Ego Sequeſter & Medius fui inter Dominum & vos* h. [h Deut. 5. 5]

Heu! Quid ageretur de hoc mundo ſine ſalutaribus & adorandis iſtis Oblationibus Patri æterno exhibitis? Nonne reverteretur in confuſionem primi ſui nihili? Nunquid non ſterilis foret terra ſine benedictionibus illius? Poteſtatem ſuam exercet Sacerdos ſuper infernum, cùm diabolum ſuis excruciet exorciſmis, potentiam illi eripiat, & efficiat ut non ampliùs rabiem & malitiam ſuam exerceat in homines, præcipuè verò adversùs peccatores, qui ipſius ſunt captivi, & quos veluti victimas ſuas exciperet. Ad purgatrices uſque flammas Eccleſiæ patientis, de qua dicebam modò, protenditur ipſius poteſtas, Miſſis ſuis ac precibus animas in ijs detentas ſublevando, & tandem ipſas ex ijs eximendo; nec enim remedium doloribus ipſarum præſentius, nec ſuavius mitigandis, aut penitus extinguendis flammis purgatricibus afferri poteſt, quàm ſint hæc ſuffragia, quæ ipſæ petunt à nobis ſibi impendenda, dicentes, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* i. [i Job 19. 21.] Hæ ſunt querelæ, in quas erumpunt afflictæ illæ animæ, quas tangit ſevera Divinæ Juſtitiæ manus; & ſupplicationes, quas ad vos dirigunt, ut ipſarum miſereamini. Filij, parentes veſtri clamant præ dolore, quo anguntur, inexplicabili; *Miſeremini mei.* Amici, hæredes, hæ ſunt voces illorum, qui vobis divitias, quas poſſidetis, reliquerunt; *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* Ha! obſecro, ne parcatis bonis ipſorum, ut eorundem dolores, medijs ſacrificijs, alijſque ſuffragijs, ſublevandos, aut extinguendos ſatagatis.

Quis poſſet dignè loqui de poteſtate Sacerdotum, cùm illa tantùm excedat capacitatem noſtram, quantùm ipſa a noſtra diſtat notitia? Non eſt in nobis ſatis luminis, quo eam penetremus. Eos vocat Deos Moyſes. Loquens enim de ijs, qui juraturi erant, ait, *Applicabitur ad Deos.* Id eſt, *Sacerdotes*, juxta Gloſſam ordinariam. *Et jurabit.* Et aliquantò poſt, *Dijs non detrahes* k. [k Exod. 22. 8. & 28.] Id eſt, *Sacerdotibus Doctoribus, qui Eccleſiæ principantur*, ſecundùm eandem Gloſſam. S. Paulus l dicit, *Blaſphemamur.* [l 1. Cor. 4. 13.] Atqui blaſphemia dirigitur tantùm ad Deum; Sacerdos igitur eſt parvus Deus in terra, & caput fidelium non ſecus ac Chriſtus Dei Filius, quem *Pater æternus dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* m, [m Epheſ. 1. 17. &c.] juxta S. Gregorium n dicentem, *Vel certè caput fidelium non immeritò Sacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini prima ſunt.* [n S. Greg. l. 4. Mor. c. 16. ex Job 19. 9] Chriſtus eſt Puritas per eſſentiam, & *Sanctus Dei* o; [o Marc. 1. 24.] Verus Sacerdos ſeu *Rector cogitatione mundus eſt*; ait idem S. Gregorius p. [p S. Greg. l. 1. Epiſt. c. 54. Epiſt. 54.] Chriſtus dicebat, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* q; [q Jo. 5. 17] Sacerdos *operatione præcipuus.* Dei Filius nonniſi rarò, & cùm neceſſitas id exigebat, loquebatur r; [r Jo. 19. 9] Sacerdos *diſcretus in ſilentio.* Verbum Chriſti proficuum erat s, [s Matth. 8. 3. &c.] Sacerdos *utilis in verbo.* Compatiebatur Jeſus omnibus t; [t Jo. 8. 6. &c] Sacerdos *ſingulis compaſſione proximus.* Jeſus *erat pernoctans in oratione Dei* u; [u Luc. 6. 12.] Sacerdos *præ cunctis contemplatione ſuſpenſus.* Salvator, *ut aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto* x; [x Jo. 7. 10] Sacerdos *benè agentibus per humilitatem ſocius.* Redemptor, *cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo* y; [y Jo. 2. 15] Sacerdos *contra delinquentium vitia, per zelum z juſtitiæ erectus*, [z ex Pſ. 68. 10.] concludit S. Gregorius.

Cogitate, ſi poteſtis, Auditores, aliquid excelſius. Ego autem non poſſum præ infirmitate mea, quæ Sacerdotum perfectam cognitione attingere non valet excellentiam. Poteſtas Sacerdotum omnibus potitur dimenſionibus. Habet altitudinē, cùm aſcendat uſque ad cœlum, unde Deum deducit ſuper Altaria noſtra. Profunditatem præ ſe fert, cùm in infernum pergat, ut ibi dæmones ſuis excruciet exorciſmis, in purgatorium, ut ibi præbeat refrigerium aut liberationem animabus juſtis, ſuffragijs ſuis. Longitudine viget ac latitudine, cùm per totum extendatur orbem. Vivi quippe & mortui apprimè callent quanta ſit illorum poteſtas, & *quæ latitudo, & longitudo; ſublimitas & profundum* a. [a Epheſ. 3. 18.] Quid autem amplius dicere poſſim de vobis, Domini mei Sacerdotes, *Gens ſancta, regale Sacerdotium*? Niſi id, quòd dicebat aliàs Patriarcha Joſeph in domo Putipharis, *Nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi* b [b Gen. 39. 9] Putiphar, quem agnoſco ut Dominum meum. Nihil *eſt, quod non tradiderit* vobis Deus; quippe qui totam vobis ſuam commiſit poteſtatē, omnes gratias ſuas, Corpus ſuū naturale æquè ac myſticum, Sanguinem ſuum, & univerſa ſua merita.

rita. De his omnibus poteſtis ad placitum diſponere, cùm ipſe ſuos vos *exiſtimet ut miniſtros & diſpenſatores myſteriorum* c [11. Cor. 4.1] ac Sacramentorum ſuorum. Veſtræ ſe ſubjicit ipſe poteſtati, cùm veſtras faciat voluntates, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra* d [d Matth. 28.19]. Utimini hac poteſtate ad gloriam illius manifeſtandam, qui vobis eam commiſit; ad procurandam animarum ſalutem, ad invigilandum bono publico, ſicut & veſtro commodo, ut intendit à vobis, & à vobis id expectat.

Idcircò, Domini mei Sacerdotes, cùm diabolus, mundus, aut caro ſuggeſtionibus aut blandimentis ſuis vos aggredientur, ut inducant vos ad violandam fidelitatem, quam Deo veſtro voviſtis, reſpondete audacter & intrepidè id quod in ſimili occurſu reſpondit prædictus caſtiſſimus Patriarcha Joſeph impudicę uxori Domini ſui, à qua procaciter ſolicitabatur ut agere vellet contra conſcientiam ſuam, & adverſus honorem ejuſdem Domini ſui, dicendo, *Dormi mecum: Quomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum* e [e Gen. 39.7. & 10.], poſt tot ſuſcepta è liberali manu ipſius beneficia? Malo mori millies. Quâ ratione Legem Dei violabo, poſt ſuſceptam ab eo ſublimem hanc dignitatem, quæ ab ipſo ſolo pendet, ſicut & pendet hæc mea poteſtas, quā dilargitus eſt mihi?

Nonne ergo hæc excelſa Sacerdotij dignitas, Auditores, veſtras exigit reverentias? Quatuor ſunt honoranda perſonarum genera. Primò, Honorandi ſunt Superiores; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Ipſis autem reſiſtere, eſt rebellem ſe Deo exhibere, cujus ſunt Vicarij: *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit* f [f Rom. 13. 1. & 2.]. Secundò, Honorandi ſunt Medici: *Honora Medicum propter neceſſitatem* g [g Eccli. 38.1.]. Tertiò, Honorandi ſunt Parentes noſtri præ mandato Legis expreſſo, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram* h [h Exod. 20.12.]. Quartò, Exhibenda eſt reverentia ipſis Advocatis, qui cauſas noſtras tuentur in judicijs. Sacerdotes his omnibus eminent privilegijs. Authoritate potiuntur abſolutâ, ſine ulla appellatione judicant; *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* i [i Matth. 16.19.]. Sunt eximij Medici, qui tribus pilulis, contritione, confeſſione, & ſatisfactione k [k Pſ. 50. 2. &c.], impensâ pœnitenti abſolutione, eundem curant ab omni malo: *Exiſtima aſtantem coram te Sacerdotem, Angelum Dei. Ergo quæ mentem gravius exacerbant facinora, Dei Angelo manifeſta*, ait S. Auguſtinus *l* [l S. Aug. l. 2. de Viſit. Infirm. c. 5.]. Sunt Parentes noſtri, quippe qui nos regenerant, & Baptiſmo *m* [m Jo. 3.5] vitam animæ præbent nobis; vim nobis tribuunt Confirmatione *n* [n Act. 8. 17.]; alunt nos pane *Angelorum* o [o Pſ. 77. 25.] ſalubri & Euchariſtico *p* [p Jo. 6. 51.]; & nos verâ inſtituunt doctrinâ. Sunt tandem Advocati noſtri, quia ſemper orant pro nobis; *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum: ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis* r [r Hebr. 5.1]. Et tuentur cauſam filiorum Adæ ante tribunal Dei, ut illis adjudicandum ſatagant paradiſum, de quo litigant cum adverſario ſuo diabolo.

Quis igitur non reverebitur hanc dignitatem? Sed quis non timebit hanc poteſtatem? Seraphicus Pater S. Franciſcus *s* [s S. P. Franciſcus in Teſtam.] *Sacerdotes hujus ſeculi ſicut Dominos* ſuos timebat, amabat, & honorabat. *Et* nolebat *in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei in eis* diſcernebat. S. Catharina Senenſis autem terram, quam Sacerdotes ſuis ſacrificaverant greſſibus, oſculabatur. Sed heu! die hodiernâ deplorandam ſanguineis lacrymis infelicitatem! murmur de eis publicum commovetur; illis detrahit unuſquiſque: & ordinaria colloquia, defectus Sacerdotum, ſi qui ſint, habent veluti objecta, ut eorum bonam denigrent famam, aut ſaltem minuant. Sed Deus hoc peccatum non relinquet impunitum. Non punivit leprâ Deus Aaronem, ſicut lepram induxit in Mariam ſororem ipſius æquè ac Moyſis *t* [t Num. 12.10. &c.]. Quare? Quia Aaron erat ſummus Sacerdos *u* [u Exod. 28.1.]; ſi tutem populus eum fuiſſet intuitus leproſum, intuliſſet ſanè ex hoc gravi ſupplicio, illum ſcelus aliquod perpetraſſe nefandum, quod magni fuiſſet eidem populo occaſio ſcandali capeſſendi: Idcircò Deus, qui non vult ut peccata Sacerdotū revelentur, non inflixit lepram Aaroni Sacerdoti, etiamſi idem commiſiſſet crimen, quod Maria, cum uterq; murmuraſſet de communi ipſorum fratre Moyſe. Ha! Deus ipſe ſuorum peccata Sacerdotū, quantùm in ipſo eſt, obtegit; nos verò impudentes audemus illa in publicum promere ac propalare?

Ad cujus confirmationem, in judicio mulieris adulteræ, *Jeſus inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra* x [x Jo. 8.6. &c.] peccata Scribarum & Phariſæorum, nolens ea proferre, ne publicarentur, ne de ijs loqueretur populus, & ne inde ſcandalum oriretur. Noluit ſimiliter revelare peccatum Judæ, licèt de eodem interrogaretur à S. Joanne, *Domine, quis eſt* y [y Jo. 13. 21. & 25]? Cùm Sacerdotum defectus vobis fuerint noti, orate pro eis, cavete ne eos in palam adducatis: *Nolite annuntiare in Geth, neq; in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum* † [† 2. Reg. 1. 20.]. Ne inferatis ea prava nuncia in publicum, nolite de eorum imperfectionibus loqui in circulis; ne inde tripudient Hæretici in contemptum Eccleſię Catholicę. Non deceret ſanè in frequenti conſortio candelam recenter extinctam, & adhuc fumantem naribus circumſtantiū applicare: Cùm Sacerdos in aliquem labitur defectum, ipſe eſt veluti candela quæ extinguitur, *Vos eſtis lux mundi* z [z Matth. 5.14.]. Vos autem hunc fœtorem, præſentium naribus admoveatis, cùm defectum illius Sacerdotis detegitis. Sanè inurbani eſtis. *Tempus eſt ut incipiat judiciū à domo Dei* a [a 1. Petr. 4.17.]. Deus hoc peccatum non relinquet impunitum.

Imperator Theodoſius refertur noluiſſe ſedere in Eccleſia coram Sacerdotibus, præ reverentia, quâ erga eos afficiebatur: *Eccleſiaſtica quoque teſtatur hiſtoria: quia cùm piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem qui accuſati fuerant, Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij eſtis* * [* ex Pſ. 81.6. & ex Jo. 10. 34.]*, à Deo vero conſtituti: Ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt ut nos judicemus Deos*, ait S. Gregorius *b* [b S. Greg. l. 3. Epiſt. c. 75. epiſt. 31.]. Hodierna autem die unuſquiſque ijs detrahit; qui autem magis, ille magis videtur induſtrius: *Qui vos ſpernit, me ſpernit* c [c Luc. 10. 16.], ait Chriſtus Sacerdotibus. Qui Sacerdotes contemnit, ſciat ſe contemnere Deum, & ob talem contemptum ſe ab ipſomet Deo puniendum. Chriſtus in vita ſua ſemper honoravit Sacerdotes. Statimque ac natus eſt *d* [d Luc. 2. 7. &c.], agnoſci ac adorari vult à cœlo, & à terra; ab Angelis, & ab hominibus; à nobilibus ſignificatis per magos *e* [e Matth. 2. 1. &c.], & ab ignobilibus deſignatis per paſtores. Sed non dicuntur Sacerdotes adiſſe cavernam Bethleemiticam, ut viſitarent *eum in præſepio* jacentem. Sed quare hoc? Myſterium. Ratio iſtius eſt, Quia ipſe Sacerdotes honorabat, illos adire volebat, non autem ut illi ipſum adirent. Sicut re verâ quadrageſimo die à nativitate ſua ipſos adit in Templum, ubi ſummus

† Luc. 2. 22. &c. Sacerdos *Simeon* † præ manibus ſuis ipſum ſuſcipit. Quod ſecreta inſtructio ſimul eſt & correctio ijs, qui ſine cauſâ, aut ſaltem levi Sacerdotes ad ſe vocant, ut ab ijs ſuſcipiant Sacramenta, nedum ob id ipſos in Templum adeant.

Præterea, Non invenimus Chriſtum in Paſſione ſua queſtum fuiſſe, niſi in domo Pontificis, cùm ipſi *unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam, dicens, Sic reſpondes Pontifici? Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cadis* f? f Jo. 18. 22. & 23 Quaſi diceret. Abſit à me, ut Sacerdotes contemnam, nimio eos amore proſequor, & nimiam illorum perſonis & dignitati exhibeo reverentiam, nedum hujus criminis arguar. Idcircò mihi maximam Malche irrogas injuriam, cùm me inſimulas ſceleris, cujus conſcius non ſum. Judicent circumſtantes, num verba quæ protuli, non ſint rationi conſona, & ab omni irreverentiâ aliena. At obſervare, ſi placet, ſummum Sacerdotem fuiſſe impium, vitioſum hominem, & nequam. Et tamen Dei Filius eum honorat; ut doceat nos quo proſequi debeamus honore Sacerdotes, etiamſi imperfectos, & aliquorum defectuum labe inquinatos; quia ipſi ſunt Vicarij & imagines Dei in terra. Sicut autem non liceret pedibus proterere Jeſu Chriſti Domini noſtri imaginem, licèt à vermibus corroſam, quin eodem momento læſæ Majeſtatis Divinæ crimine inureremur; ſic neque fas eſt malè loqui de Sacerdotibus, ijſque detrahere, etiamſi vitæ non ſint probatæ viri, quin detractores efficiantur conſcij criminis, cùm Sacerdotes repræſentent eundem Chriſtum in authoritate ſibi ab eo præbitâ.

Sed, Reverende Pater, dicetis mihi, Sacerdotes malis exemplis ſuis nobis ſunt occaſio ruinæ & jacturæ. Ego autem reſpondeo vobis: Etiamſi illi vobis ſint lapis offenſionis, & petra ſcandali, debetiſne propterea de illis injurioſos proferre ſermones? Reſpondete mihi, quæſo: Si virum mitteret Rex vigentem poteſtate damnandi ad triremes, & ad mortem, liberandi à carcere, imo verò à furcis & a patibulo; auderetiſne de illo malè loqui. etiamſi deficeret? Certus ſum quòd non, cùm fortaſſe ſubſidium illius futurum eſſet vobis proficuum. Idem planè eſt dicendum de Sacerdotibus; g Matth. 16. 19. & Apoc. 1. 18. plenam habent poteſtatem, *claves* g tenent præ manibus, vitæ & *mortis*, paradiſi, *& inferni*; Suſcipimus Sacramenta ex illorum manibus, ipſique *miniſtrant nobis ſpiritum & vitam*, ut ait Seraphih S. P. Franciſ. in Teſtament. cus Pater S. Franciſcus *h*. Abſit ergo à vobis, Auditores, ut detrahatis gradui ſublimi, cujus interventu Chriſtianiſmi charactère illuſtri fuiſtis inſigniti. Sed nunquid non honore afficeremus eum, qui afferret nobis literas patentes miſſas à Rege, quique repræſentaret perſonam Regiam, etiamſi cocles, deformis, aut gibboſus? Sic honorare debemus Sacerdotes, etiamſi vitioſos, quia ſunt miniſtri Chriſti, ipſius poteſtate & inſignibus ſunt inſtructi. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Reveremini eorum qualitatem, quæ in ſua magnitudine Deum ſolum intuetur Superiorem: timete eorum poteſtatem, ne eam contemnentes, illius rigorem experiamini.

Quoad verò id quod vos ſpectat, Domini mei i Iſa. 52. 11. Sacerdotes, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini* i. Eſtote puri adinſtar cryſtalli; vita veſtra omnino ſit Angelica, & *converſatio* l veſtra penitus cœleſtis. l Philip. 3. 20. k. Ezech. 1. 12 Procedite ſemper more myſticorum animalium Ezechielis *k*, *Et unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat: ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur: nec revertebantur, cùm ambularent.* Id eſt, Ite *de virtute in virtutem* l. l Pſ. 83. 8 *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc* m. m Apoc. 22. 11. *Luceat lux veſtra coram hominibus* n. Efficite ut in bonam judicetur partem de actionibus veſtris, *Vos eſtis lux mundi* o. n Matt. 5. 16. Si extinguamini peccatis veſtris, o Matt. 5. 14. *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos* p; populus veluti cæcus incedet in tenebris, & in præceps ruet, & p Iſa. 24. 2. & Oſe. 4. 9 ruinæ illius rationem Deo reddetis in formidando ejuſdem Dei judicio, *Non miſereberis ejus, ſed animam pro anima exiges* q. q Deut. 19. 21. Cogitate Domini mei Sacerdotes, ſeriòque perpendite quonam pacto tenemini bonum exemplum præ vobis ferre: *Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus* r. r Matt. 5 13. Verba profectò quæ terrorem animis veſtris incutere debent non exiguum.

Dicebant alias antiqui Philoſophi univerſum mundi ordinem dependere ab intelligentijs, quæ præſident motui primi cœli. Quorum imitationi conformiter dici poteſt, omne bonum Chriſtianiſmi procedere è bono exemplo Sacerdotum, quibus Dei Filius ſuam commiſit authoritatem, fronti ipſorum impreſſam. Ecce poſuit ſua *verba in ore* s eorum, s Iſa. 51 16. Sanguinem ſuum, & Eccleſiam Sponſam ſuam præ manibus illorum præbuit. Quòd ſi apes quæ generantur è corpore tauri, deferunt in viſceribus ſuis Imaginem ejuſdem tauri, è quo prodierunt: potiori jure populus induet charactères & inſignia illius, aut illorum, quos ipſi Deus præbuit veluti Doctores & Patres, ſive præ naturæ convenientiâ, ſeu præ conſuetudine, & præ imitatione, quæ ſatis amplum poſſident dominium in animos ſuſcipiendarum ab ipſis impreſſionum capaces. Idcircò Sacerdos, aliuſve quilibet in Eccleſiaſtica conſtitutus dignitate, qui vitam ducit profeſſioni ſuæ congruentem, filij Dei ſigillum & characterem imprimit cuilibet, cujus eſt ipſi cura demandata, ſeque in tot producit objectis, quot habet homines virtutum ſuarum imitatores. Sicut è contrà ille, qui malè vivit in dignitate ita excelsâ & eminenti, eſt Seraphinus juxta apparentiam exteriorem, ſed Seraphinus orbatus oculis, qui alas habet compactas ex igne alieno t ac profano, qui poſſet t Lev. 10 1. &c. comburere Sanctuarium, ſeu Propitiatorium, niſi ei Deus ſuo ſubveniret auxilio.

Domini mei Sacerdotes, dignè ut par eſt, fungimini officio veſtro. Vos qui eſtis *docti, quaſi ſplendor firmamenti* Eccleſiæ fulgete; *& qui ad juſtitiam* eruditis *multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* u. u Dan. 12 3. Conſiderate dignitatem veſtram; nihil unquam agatis, quod detrahere valeat excellentiæ hujus eminentis qualitatis. Cogitate omnem felicitatem Chriſtianiſmi pendêre è bono veſtro exexemplo. *Vos eſtis lux mundi.* Efficite ut opera veſtra convenientia ſint magnitudini excelſi miniſterij veſtri. Ne deprimatis vos unquã ad res viles, quæ è dignitate veſtra Regia vos dejicerent, *Regale Sacerdotium.* Utimini poteſtate veſtrâ adversùs infernum, & contra inſultationes illius. Oſtendite vos eſſe omnipotentes adversùs id omne, quod acquirendo cœlo vobis eſſe poſſet obſtaculo. Poteſtate veſtrâ dæmones propulſate, triumphate de illorum rabie ac malitiâ; in ſervitutem redigite pravos affectus veſtros, præcidite capita harum hydrarum peccati, & victoriam de vitijs reportare glorioſam uni-

verſis. Si verò vita veſtra detrahit magnitudini dignitatis veſtræ, eò majoris eritis criminis conſcii, quò inſigniora fuerint, quibus fueritis cumulati, beneficia ac dona, *Potentes potenter tormenta patientur* x. Sicut è contrà majori donabimini mercede, quò conformior erit vita veſtra eminentiæ ſublimis gradus, ad quem evexit vos Deus qui poſt conceſſam vobis in hoc mundo gratiam ſuam, in altero largietur vobis ſuam gloriam.

x Sap. 6. 7

FERIA IV. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

Matth. 20. 22. &c.

NOſtrarum Salvator animarum in hunc mundum veniens ad inſtituendos & fundandos novos ſtatus in terrâ, in eâ etiam novas publicat maximas, quas mundus, cujus ſententiæ non minùs differunt a cogitationibus Dei, quàm illius praxes à modo agendi Dei diſcrepent, non vult ſuſcipere, eò quòd præ ſe non ferat ſatis animi ad eas exercendas, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* a. Mundus in errore ſuo indeſinenter obſtinatus, felicitatem conſtituit in pacificâ divitiarum fruitione, *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* b. Jeſus Chriſtus è contra per veram oppoſitionem eam in rigore collocat paupertatis, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* c. Mundus magnificat hos arrogantes, qui verbis ſuis inſolentibus cœlo videntur bellum indicere; Deus autem qui eos deridet, *Quoniam excelſus Dominus alta à longè cognoſcit* d, quique intuetur eos ut objectum contemptus ſui æquè ac iræ ſuæ aſſerit, ſolis mitibus deberi felicitatem, *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram* Mundus autumat nullam eſſe fœlicitatem niſi intuitu eorum qui rident; Jeſus autem in Regno ſuo, vera conſtituit gaudia in lacrymis, quæ illam producunt, *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Mundus rejicit ut derelictos, & damnat ut reos, famelicos & ſitientes, qui in extremâ conſtituti neceſſitate, reficiunt pane, quo famem ſuam ſublevent; & aquâ, quâ ſui refrigerent oris ſitim, & ardorem extinguant: Jeſus autem in hoc ſtatu infelicitatis apparentis, hos homines realiter beatos ventilat, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Mundus ſuâ percuſſus cæcitate non applaudit niſi his iracundis, qui altiſſimum gloriæ apicem conſtituunt in capeſſenda vindictâ, nedum veniam alicui indulgere velint: & Ieſus proteſtatur nullam futuram felicitatem niſi in gratiam illorum, qui miſericordiam aliis impenderint in terrâ, *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Mundus totam ſuorum collocat amicorum felicitatem in voluptate, quæ omnes efficit ſenſuum delicias: Jeſus autem, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* e, eam non prædicat, nec illam conſtituit niſi in puritate cordis, *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Mundus ſuis non proſequitur blanditiis niſi eos qui nunquam loquuntur niſi de gladiis, quique aluntur ſanguine, quaſi cædes & carnificina eſſet proprium & naturale ipſorum elementum: & Jeſus è contrà non conſiderat niſi pacificos ut beatos in terrâ, *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur*: Tandem, Mundus ſuis adulatur applauſibus, & felicitatem tribuit illis, quibus omnia ſuccedunt ſecundùm deſideria ipſorum, quique in iſtâ nihil habent perpetiendum vitâ; Jeſus verò, *qui factus eſt nobis Sapientiâ à Deo* f, quique nuſquam in ſuis decipi non poteſt judiciis, contentâ voce inclamat, veram felicitatem non deberi niſi iis qui ſine crimine tolerant adverſa, & quòd gloria cœleſtis reſervetur innocentibus, quos impetit perſecutio, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Propterea duobus filiis Zebedæi petentibus ab eo duas ſedes principes Regni ipſius, interventu matris ſuæ, ſic ipſum deprecantis, *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo; reſpondens Jeſus, dixit, Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo*, mediis illorum tolerantiis. Quin imò ipſemet Dei Filius, *ubi venit plenitudo temporis* g, voluit huic veritati propriâ ſuâ praxi authoritatem conciliare; quippe qui in cœlo ab æterno beatus ut *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* h, volens comparare ſibi novam felicitatem in terrâ, voluntariè ſe miſerum effecit in ſinu Matris ſuæ i, ibi carnem ſumens humanam, in quâ pati cœpit, poſtquam illam ſalutavit his verbis Archangelus, *Ave Maria.*

a Iſa. 55. 8. & 9
b Pſ. 143. 15
c Matth. 5. 3. &c.
d Pſ. 137. 6
e Sap. 7. 26
f 1. Cor. 1. 30
g Gal. 4. 4
h Joan. 1. 18
i Luc. 1. 38

Quòd ſolus probatæ vitæ homo, beatus ſit in hoc mundo, & ſolus in eo vera poſſideat ublectamenta, & ſolida gaudia, veritas eſt, cui adverſantur homines æquo liberiores, & quam renuunt impii admittere, impudenter ſibi blandientes in animalitate ſuâ, quæ totam ipſorum in hâc vitâ conſtituit felicitatem, *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur* k. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus l, *Animalis autem homo, id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, ſpiritualia bona. Sermo enim juſtitiæ, myſticus intellectus, cætera quoque Divina ei non ſapiunt, nec delectatur in iis, propter ſui interioris guſtus infectionem. Sicut febricitans non guſtat mellis dulcedinem, propter exterioris ſui guſtus corruptionem. Et non poteſt intelligere per internum ſaporem iſta Divina, quandiu permanet talis: quia ſpiritualiter examinatur, id eſt, per ſpiritualem inquiſitionem ſeu conſiderationem cognoſcitur eſſe animalis, ideò ſcitur non poſſe intelligere illa. Vel Spiritualiter examinatur, id eſt, ideò non intelligit hæc, quia ſpiritualia non niſi ſpiritualiter diſcutiuntur.* Sed hallucinor cùm aſſero, eorum animalitatem, totam ipſorum conſtituere in hâc vitâ felicitatem,

k 1. Cor. 2. 14
l Dion. Carth. art. 2. in 1. Cor. 2. 14

quia cùm ſemper ſit criminoſa, illam comitari non poſſunt niſi languores immodici, & pœnitudines innumeræ, quæ nunquam in vero reperiuntur ſtatu beatitudinis, qui ab iſtis immunis eſt incommodis. Soli illi vero gaudio potiuntur & ſolidâ fœlicitate, qui verum habent bonum: & ipſi ſoli Juſti in iſto etiam mundo poſſident in Deo *omne Bonum* m ſummum, quod complectitur omnia bona, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* n. Hæc veritas ita conſtans eſt, & ita ſtabilita in mentibus hominum ſano judicio pollentium, ut de eâ nemo ambigere debeat ſanæ mentis compos. Sed ſi contendam aſſerere, quòd verum gaudium, & tota felicitas ſita ſit in doloribus, in crucibus, & in perſecutionibus vitæ patientis, iſtud illico communi adverſabitur ſenſui, & præ aliquâ ratione apparenti videbitur paradoxum, & res penitus extraordinaria. Et tamen iſtud eſt, quod ego intendo vobis probare in ſequelâ diſcurſus iſtius, juxta intentionem Filii Dei, qui ponit felicitatem in tolerantiis, ſecundùm expoſitionem Dionyſii Carthuſiani o in verba Evangelii ſupradicta, *Poteſtis bibere calicem, id eſt, ſuſtinere cruciatum, quem ego bibiturus ſum? de quo in paſſione habetur, Si non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua* p. *Dicunt ei, Poſſumus calicem iſtum potare, hoc eſt pro fide, pro juſtitiâ. pro te mori parati ſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis, id eſt, paſſionem meæ paſſioni aliqualiter ſimilem, & propter me tuſtigendam guſtabitis. Ioannes enim affectu ſuſtinuit mortem pro Chriſto, ferventis olei dolium ingrediendo, peſſimumque venenum potando, à quorum utroque manſit illæſus, quotidianum quoque martyrium paſſus eſt, præſertim in exilio inſula Pathmos* q. *Iacobus verò ab Herode Agrippâ decollatus eſt, ut in Actibus Apoſtolorum* r *legitur. Sedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram, id eſt, mihi collateralem & proximum eſſe in cœlo, non eſt meum, Hoc eſt, non ſpectat ad me juſtum Iudicem, qui perſonam non accipio, ſed ſecundùm merita reddo, dare vobis, ſed illis quibus paratum eſt à Patre meo, & utique à Patre paratum fuit Iacobo & Ioanni præmium iſtud: præſertim cùm Regnum cœlorum ab origine mundi paratum eſt Prædeſtinatis, juxta illud, Venite benedicti Patris mei* ſ, *&c. Quomodo ergo non fuit Chriſti dare Iacobo & Ioanni ſeſſionem prædictam? Et reſpondendum, quòd non fuit Chriſti dare illis, eo modo quo ipſam petebant, videlicet ratione conſanguinitatis, & ſecundùm ſtatum, in quo tunc fuerunt, quando adhuc carnales & ambitioſi fuerunt, puto tamen quòd erant in ſtatu ſalutis, quia non quilibet motus elationis eſt peccatum mortale, ſed non erant tantæ perfectionis, ut digni eſſent ſedere tam proximè Chriſto, ideò ſubditur. Sed quibus paratum eſt à Patre meo, hoc eſt, perfectis, verè humilibus, quibus Pater decrevit gloriam eſſe præſtandam. Illis, inquam, eſt meum dare, ut ſedeant ad dexteram meam, & ſiniſtram in regno, id eſt, in circuitu meo, in præmio eſſentiali, & accidentali.* Unde infero (& hoc eſt intentum diſcurſus iſtius) quòd oporteat ut neceſſariò amplectamur cruces cum Sanctis, ut complaceamus nobis in afflictionibus, & amemus perſecutiones, ſi velimus more illorum, æternâ gloriâ frui; cùm per eas jam beati ſimus aliquo modo in hâc vitâ.

m Exod. 33.19
n Jacob. 1. 17
o Dion. Carth art. 34. in Matth. 20. 22 & 23
p Matth. 26.42
q ex Apoc. 1.9
r ex Act. 12.2
ſ Matth. 25.34.

Propoſitio.

Incipio, ſi ſupponatis mecum, ad intelligentiam propoſitionis meæ, nimirum quòd perſecutiones & cruces beatos nos reddant in iſtâ vitâ, nullam eſſe perfectam felicitatem in hoc mundo, ſed ſolùm poſſe nos eâ frui per participationem: & hoc modo perſecutio & afflictio nos beatos efficit, quantùm corpus noſtrum mortale ſuſcipiendæ capax eſt beatitudinis. Hæc eſt doctrina S. Thomæ t, *In ſtatu præſentis vitæ, perfecta beatitudo ab homine haberi non poteſt: eſt tamen aliqua participatio beatitudinis.* Hoc eſt quod inducere debet mentes noſtras ad adorandam ſapientiam u æternam x Dei, quæ ſic appoſitè tractat in ſavorem noſtrum ea, quæ ad nos ſpectant, quæ lapſus noſtros in noſtrum convertit commodum, noſtra naſci faciens gaudia ex amaritudine lacrymarum noſtrarum, & roſas noſtras è ſpinis quæ nos pungunt ſenſibiliter. Etiam, Auditores, pro comperto eſt, nos invenire noſtram beatitudinem medias inter cruces, felicitatem noſtram in perſecutionibus, & gaudia noſtra in ſubjectis, quæ videntur ea deſtruere, ſicut efficimus aquam dulcem in medio mari, ut eruitur oleum ex amaritudine olivæ, ſicut & accidit *ut ſugeret mel de petrâ* y populus Iſraël in deſerto; & manna *in ſolitudine*, ita ut colligeret *unuſquiſque ex eo quantum ad veſcendum* z ſufficeret. Hoc ſuppoſito.

t S. Thom. 1.2.q.3.a.2. ad 4
u Pſ. 103. 24
x Dan. 13. 42
y Deut. 32. 13
z Exod. 16 14. & 16

Gloria cœli in hoc eſt ſita, ut ibi Beati fruantur Deo, eum videant, & ament, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* a. Illum vident, eum amando; & eum amant, illum videndo. In eâ eſt cognitio, & dilectio, aut fruitio utramque complectens, quæ ſtatum componit felicitatis paradiſi: in crucibus & tolerantiis noſtris æquanimiter ſuſceptis hæc omnia habemus, univerſa iſta commoda in iis inveniuntur in favorem noſtrum: quare ergo non guſtaremus in illis gaudium beatorum? Tria efficiunt complementum felicitatis Beatorum in cœlo, viſio, amor, & fruitio, ſeu oblectamentum quod reſultat ex his duobus. Videre Deum, illum diligere, eoque frui, ecce tota felicitas Sanctorum in Empyreo. Viſio quæ habetur in cœlo, correſpondet fidei, quæ habita eſt in terrâ, *Contemplatio quippe merces eſt fidei*, ait S. Auguſtinus b. Perfectio amoris iſtius, qui Sanctos inflammat in cœlo, concordat cum eo quem habuerunt ipſi in corde ſuo, quandiu erant in hoc mundo. Fruitio verò convenit ſpei. Atqui omnes iſtæ prærogativæ inveniuntur in illis, qui æquo ſuſtinent animo rigores perſecutionū & afflictionum, quibus impetuntur: ergo beati ſunt in hoc mundo, fruentes in terrâ felicitate, quam Beati poſſident in cœlo. Primò enim vident Deum medias inter afflictiones ſuas. Auſcultate Job qui circumquaque miſeriis & afflictionibus impetitus, Deum alloquens in hoc ſtatu, qui efficiebat eum ſpeculum patientium æquè ac ſolatium miſerorum, ait illi, *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* c. Quaſi diceret, Domine, cùm pacificus in meipſo, nullis anxiabar perſecutionibus, non aliter te cognoſcebam niſi mediâ fide, *Auditu auris audivi te.* Modò verò cùm intueor me oppreſſum, & gementem ſub pondere tribulationum, video te realiter, *Nunc oculus meus videt te.* Et licèt S. Hieronymus d ſolùm dicat de eo, *Poſt tentationis probationem, proximior factus Divinæ cognitioni: dicit ſe jam Deum videre, quem antè dum examinaretur, audiſſe ſe dixit. Audire autem Deum, vel videre, qui eſt inviſibilis* e, *& incomprehenſibilis* f, *non iſtorum eſt oculorum, vel iſtarum aurium, ſed potiùs mentis & cordis. Propter quod beati ſunt mundo corde homines, quo Deus videtur* g. Sunt tamen aliqui qui hoc exponunt de viſione clarâ Dei per eſſentiam; niſi de eâ etiam intelligat iſta verba Job S. Hieronymus, ut videtur colligi ex expoſitione eorundem verborum ex Evangelio ab eo cita-

a Joan. 17. 3
b S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8
c Job 42. 5
d S. Hier. in Job 42. 5
e ex Coloſſ. 1.15
f ex Jer. 32.19
g ex Matth. 5.8

Digitized by Google

citatorum, factâ à Dionyſio Carthuſiano h, *Beati mundi corde: quoniam ipſi Deum videbunt facie ad faciem, id eſt, clarè per ſpeciem. qua viſio beatifica correſpondet munditia cordis.* Vel innituntur illi Authores iis quæ referuntur de S. Stephano, qui lapidibus obrutus, *ait. Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Seu meliùs illis verbis immediatè præcedentibus, *Intendens in cælum, vidit gloriam Dei* i. Super quæ Cornelius k ait, *Aliqui cenſent Stephanum vidiſſe Dei eſſentiam. Ita aliqui apud Lyranum. Favet Gregorius Nyſſenus oratione de S. Stephano, dum ait, Eum vidiſſe Lumen in lumine* l *Dei plenâ mentis comprehenſione, atque Deum & Trinitatem. Et Hilarius Arelatenſis homiliâ de S. Stephano, aſſerit eum jam tunc accepiſſe præmium, & vidiſſe Deum, & quod ſperabatur deſideriis, oculis ejus demonſtratum, & ſpem in re, ſpiritu adhuc intra carnem militante, perfectam.* Et S. Auguſtinus m, *B. Stephanus Chriſtum meruit diligere, ut meruiſſet eum de terrâ videre, ſicut dicit: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. O cor mundum, quod benè novit Deum. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Videte quid meruit beatiſſimus Stephanus poſt exitum corporalem, qui hîc adhuc corpore poſitus. Trinitatem meruit ipſam videre.* Et aliquantò pòſt n, *Ecce videt Deum, qui jam migrabat ad Deum.* Idem dicit Lorinus o, referens eoſdem Patres quos Cornelius, & Bedam dicentem, *Futura vitæ gaudia in hâc adhuc vitâ, cùm divinitùs ſublimatus eſſet, eſſe ſpeculatum eo modo, quo Paulum, cùm raptus eſt ad tertium cælum* p, *& alios nonnullos.* Secundùm Doctorum & Patrum iſtorum ſententiam, Job & S. Stephanus medias inter anguſtias fruiti ſunt præſentiâ Dei & beatitudine præ tantâ prærogativâ, quantâ poteſt poſſideri in hâc valle miſeriarum felicitas. Sic adverſitates aperiunt oculos mentis, & illius intuitû efficiunt perſpicaciorem, *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui* q. Quandiu gaudia mundi, & vitæ voluptates, illius aciem hebetant, & deſtituunt nos commodis quæ adverſitates nobis acquirunt, conciliando nobis in terrâ viſionem Dei, quæ Beatorum felicitatem conſtituit in Empyreo.

Secundum, quod concurrit ad complementum felicitatis Beatorum in cœlo, eſt ardentiſſima charitas erga Deum, quâ uniuntur eidem Deo, qui eſt ultimus *Finis* r ſuus, ut docet S. Thomas ſ, *Sic ad beatitudinem requiritur voluntatis rectitudo, ut ſine hâc nec aliquis ad eam pervenire, nec in eâ eſſe poſſit. Quia rectitudo voluntatis eſt per debitum ordinem ad finem ultimum.* Atqui facile eſt viſu, afflictos frui in tolerantiis ſuis hac prærogativâ, & poſſidere verum amorem qui nunquam perit t, quique nunquam meliùs manifeſtatur quàm in adverſitatibus: verè enim eſt amare ac diligere patiendo: neſcio autem utrum ſit generoſius, aut amare Deum in cœlo, aut diligere illum inter cruces: profectò plus eſt laboris, ſicut etiam magis meriti amare eum patiendo, & tunc dilectio noſtra eſt ſincerior, cùm in proſperitatibus magis noſmetipſos quæramus quàm Deum, ſed in tolerantiis Deum amamus propter ipſum, & ſic beati ſumus hîc, cùm fruamur Deo in paſſionibus, & verè diligamus eum, adverſa æquanimiter ſuſtinendo.

S. Paulus u hortatur Corinthios ut ſe veros exhibeant Jeſu Chriſti ſervos, generosè ſuſtinendo propter amorem ejus crudeliſſimas Tyrannorum perſecutiones, ſi earum perpetiendarum ipſis ſeſe

- h Dion. Carthuſ. in Matth. 5, 8
- i Act. 7. 56 & 55.
- k Cornel. in Act. 7. 55
- l ex Pſ. 35. 10
- m S. Aug. ſerm. 96. de diverſ.
- n Idem ſerm. 99. de Diverſ. 6, 3
- o Lorin. in Act. 7. 55. citans Bedam lib. Retract. in Act.
- p ex 2. Cor. 12, 2
- q Iſai. 28. 19
- r Apoc. 1. 8
- ſ S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 4 in corp.
- t 1. Cor. 13, 8
- u 2. Cor. 6. 4. &c.

obtulerit occaſio, cùm ut ſic præ ſe ferrent amorem perfectiſſimum erga Deum, & talem qualis eſt ille, quo Sancti ducuntur in cœlo intuitu illius, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ, in tribulationibus,* &c. Et concludit, dicens, *In charitate non fictâ.* Lectio Græca fert, *In charitate non hypocriticâ.* Charitas, quâ Deum proſequimur, in proſperitate conſtituti, ſapit hypocriſim; quin imò Satan iſtum tenet amorem ſuſpectum, & proteſtatur Deo, quòd ſi Job ſervus ipſius, cujus fidelitatem inviolatam tanti facit, ipſum amat, ideò intuitu commodorum ſuorum, & motivo ductus gratitudinis pro inſignibus beneficiis, quibus ab ipſo cumulabatur, *Numquid Job fruſtrà timet Deum? nonne tu vallaſti eum ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum: operibus manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ejus crevit in terrâ* x? Hic amor, eſt amor apparens, qui nullam habet ſoliditatem, fultus inconſtantiâ fortunæ, cujus mutatio totam illius cauſat ruinam: ſed amor, quo proſequimur Deum in rigore & in commotionibus afflictionum noſtrarum, eſt vera charitas, & talis ut nihil in eâ videatur debere cedere dilectioni Beatorum, quio imò eam videatur antecellere, cùm Juſti terræ vivant in tolerantiis, quandiu Beati cœli nihil habent perpetiendum, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* y. Quod minus eſt generoſum. Afflicti igitur, ſunt beati in hoc mundo, cùm fruantur Deo, quem amant, & eum ameot in tolerantiis, cùm amor nunquam ſit verior quàm in tribulationibus, tunc enim manifeſtatur cum toto ſuo ſplendore. Inter iſtas ergo occaſiones medias præ nobis ferre debemus amorem ſincerum, quo afficiamur erga Deum, ita ut diligamus eum *in charitate non fictâ*, ut dicebat ſuprà S. Paulus. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* z.

Tertium donum, quod adimplet felicitatem Beatorum, & quod eſt in poſſeſſione Sanctorum in cœlo, eſt fruitio, & delectatio quæ ex eâ reſultat, ut docet S. Thomas a, *Cùm delectatio cauſetur ex hoc, quòd appetitus requieſcit in fine adepto, ipſa ad beatitudinem ſicut aliquid concomitans requiritur.* Donum iſtud conſiſtit in pacificâ fruitione Dei, & in ſenſibili dulcedine, quæ ex eâ emanat; hæc autem dulcedo ſic eſt eximia, ut nulla verba poſſint illius oblectamentum exprimere: atqui illi qui rigores perſecutionum patiuntur in hâc vitâ, iſtam poſſident prærogaeivam; habent enim fruitionem Dei, qui ipſis aſſiſtit comes inſeparabilis in ipſorum anguſtiis, *Cum ipſo ſum in tribulatione* b. Etiam: beati ſunt in hoc ſtatu paſſionum ſuarum, quia ſunt cum Deo, cujus fruitio totam conſtituit Sanctorum felicitatem in cœlo.

De tribus juvenibus Hebræis in fornacem Babylonicam conjectis *Nabuchodonoſor Rex ait, Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei* c. Hos adoleſcentes comitabatur & recreabat iſte quartus, qui non erat alius niſi Verbum incarnatum in figurâ, quod deinde *Verbum, caro factum* d, & cruci ſuffixum e, nunquam ſuum deſeruit Corpus crucifixum, etiamſi Anima ipſius ab ipſo ſe ſeparaverit per mortem potiùs præ voluntate, quàm præ tolerantiis, quas voluntariè aſſumpſerat iſte Dei Filius, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* f. Ut certos nos efficeret ultimâ vitæ ſuæ periodo, ſe nunquam deſerturum homines, qui Cruci ipſius eſſent adhæſuri, & æquo perpeſ-

- x Job 1. 9. & 10
- y Pſ. 90. 10
- z 1. Joan. 4. 19
- a S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 1. in concl.
- b Pſ. 90. 15
- c Dan. 3. 91. & 92.
- d Joan. 1. 14
- e Joan. 19. 18. &c.
- f Iſai. 53. 7.

perpeſſuri tolerantias animo propter amorem ipſius. Si verò Angeli eum nominant poſt Reſurrectionem ſuam, *Ieſum crucifixum* g illum vocant. [g Marc. 16. 6] Sic eſt inſeparabiliter Cruci alligatus, ut partem illius conſtituat: & in cœlo deferet hoc nomen Crucifixi, ut certos reddat homines, ſe eſſe inſeparabilem ab afflictis propter amorem ſuum. Et Scriptura *h* ſacra aſſerit, [h 2. Reg. 7. 23] Deum liberantem populum ſuum ex ſervitute Ægyptiacâ, ſeipſum veluti redemiſſe, *Redemiſti tibi ex Ægyto gentem, & Deum ejus.* Quod oſtendit tantam unionem Dei cum afflictis, ut patiatur cum illis aliquo modo. Sic poſtquam in cœlum *Ieſus aſſumptus eſt* i, [i Act. 1. 1. & 2] licèt glorioſus, apparet Saulo, qui erat *adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos* ipſius, & ait illi, *Saule, Saule quid me perſequeris* k? [k Act. 9. 1. &c.] Quaſi verò ipſe in ſe perſecutionis ictus ſuſciperet, ut innuat, ſe eſſe inſeparabilem ab afflictis, & ab iis qui patiuntur propter amorem ipſius, *Cum ipſo ſum in tribulatione.*

[l Sap. 10. 13 ex Gen. 37 28. & ex Gen. 39. 20] Sapiens *l* loquens de Joſeph, ait, *Venditum non dereliquit, ſed deſcendit cum illo in foveam.* In quo nihil eſt, quod ſtupore debeat nos percellere, quia ſi Deus viſitat amicos ſuos in carcere detentos, ipſe ſemetipſum captivum cum illis viſitat, ita ut viſitatio, quâ ſuos honorare dignatur familiares, ſit ipſi proficua, & utilitati ipſius cedat. Nec mirari debemus ſi *præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui* m [m Gen. 40 23. &c.] ejuſdem Joſeph, cui multùm devinctus erat, eò quòd illius beneficio eductus eſſet è carcere, in quo remanſit idem Joſeph, quia non oportebat ut alius eum liberaret præter Deum, qui cum illo captivus erat in carcere, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Hinc Tertullianus *n* [n Tert. lib. de Fugâ in perſecut. c. 12] ſimoniæ damnat eos, qui incarcerati propter fidem Jeſu Chriſti, numeratâ corrumpunt carceris cuſtodes pecuniâ, ut ſibi copiam exeundi inde indulgeant, *Ut quid ergo de homine Chriſtum redimis in homine, in quo Chriſtus eſt? Non aliter & Simon facere tentavit, cùm pecuniam Apoſtolis obtulit pro Spiritu Chriſti* o. [o ex Act. 8 19. & 20] Simonia damnatur a Iure Divino: atqui committere ſimoniam, eſt vendere pro pecuniâ res ſanctas, & gratiam Spiritus ſancti. Ha! quænam major & criminoſior ſimonia inveniri poteſt, quàm vendere, aut emere Ieſum Chriſtum, aut Spiritum ſanctum numeratâ pecuniâ? Illi autem puſillanimi in hoc labuntur crimen, cùm mediâ pecuniâ è carcere egredi contendunt, *Audiet ergo & iſte qui ſe redimens, Chriſti Spiritum redémit: Pecunia tua tecum ſit in interitum: quoniam gratiam Dei pretio conſequendam putaſti.* Deus enim nunquam deſerit Iuſtos in horrore tormentorum, nec in maximis afflictionibus, ſemper cum illis eſt inter fœtores ergaſtulorum, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* In hoc igitur commercio puſillanimi iſti videntur vendere Deum, Spiritum ſanctum ejus, & dona illius: in quo efficiuntur ſimoniaci, vendentes Ieſum Chriſtum, ipſorum comitem individuum in anguſtiis.

[p S. Bern. ſerm. 16. in Pſ. Qui habitat.] S. Bernardus *p* exponens hæc verba, *Cum ipſo ſum in tribulatione:* petit, *Unde ſcimus, quòd nobiſcum ſit in tribulatione* Deus? Et ipſemet reſpondet, *Ex eo utique, quòd in ipſâ tribulatione nos ſumus.* Hinc videtis, Auditores, quòd afflicti fruentes Deo, qui cum ipſis inſeparabilem inivit ſocietatem, ſunt beati, cùm fruantur in terrâ eo, quod conſtituit Sanctorum fœlicitatem in cœlo. Si autem modò videre velitis gaudium & oblectamentum ſenſibile, quod reſultat è fruitione Dei in tribulationibus, auſcultate unum ex his afflictis, nimirum S. Paulum *q*, [q 2. Cor. 7. 4] qui contentâ voce inclamat, perfuſus oblectamento quod ipſe eruit ex anguſtiis ſuis, his verbis, quæ voluptatis illius exprimunt dulcedinem, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.* Quaſi diceret, Oblectamentum, quod è meis educo afflictionibus, ſic eſt immodicum, ut non exiſtimem, quòd gaudia, quæ expetior in terrâ, cedant voluptatibus, quibus Beati perfunduntur in cœlo, ubi Divinæ inebriantur *ab ubertate domus, & torrente voluptatis* r [r Pſ. 35. 9] ejus potantur. Sic eſt, Auditores, tantâ cumulatur S. Paulus conſolatione medios inter labores ſuos, ut credat, quòd illis oblectamentis, quæ in ipſo ſunt ſatis ſuperque, ſublevare poſſit eos, qui ſunt anguſtiis impetiti, *Benedictus Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ: ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſurâ ſunt* ſ. [ſ 2. Cor. 1. 3. & 4] Euge igitur, Animæ mundanæ, quæ totæ deliciis diffluitis, quæ natatis in voluptatibus, quid dicitis ad iſta quæ Apoſtolus hic allegat? collocatis vos infernum veſtrum in tribulationibus; ille verò in iis totam ſuam deprehendit felicitatem; acceſſus crucum vos fremitu ciet, ille verò eas conſiderabat ut vera motiva ſenſibiliſſimarum deliciarum ſuarum; vos illas fugitis, ille verò eas præ fœlicitudine quærebat. Animæ puſillanimæ, afflictio non eſt ſerpens, ut illius intuitu, tanto pavore concutiamini, ſed *virga* t [t Pſ. 22. 4] quæ vos dirigat, & faciat vos incedere in viâ virtutis, quæ terminatur ad gloriam, *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis* u. [u 2. Cor. 4. 17] Sed quomodo, dicet hic delicatus & *animalis homo*, qui *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* x, [x 1. Cor. 2. 14] quomodo invenire poterimus mel in abſinthio, dulcedinem in amaritudine, gaudia in lacrymis, & voluptates in afflictionibus, quæ illas deſtruunt? Loquere S. Paule, & ſolve iſtud ænigma hominibus, qui nullo pollent lumine niſi ut terrena intueantur, nec ullâ notitiâ niſi intuitu eorum quæ ſenſibus blandiuntur, & ipſorum ſatisfacere poſſunt voluptati, *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt* y. [y 2. Cor. 4. 17. & 18]

Animæ puſillanimæ, quas terror percellit ad occurſum cujuslibet objecti aliquid triſte præ ſe ferentis, non debetis ſiſtere in iis quæ videtis, ſed in illis quæ vobis ſunt abſcondita, & vos latent; id eſt, veſtras debetis inſumere cogitationes ad hoc ut perpendatis effectus afflictionis, & commoda & prærogativas quæ ab illâ cauſantur, non autem ut in ea ſola conſideranda immoremini: oportet ut attendatis in illis, quòd Dei Filius propter amorem noſtrum permiſit ſe patibulo crucis ſuffigendum z, [z Joan. 19. 18] etiamſi ipſe eſſet *Sanctus Dei* a, [a Marc. 1. 24] *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* b. [b 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9] Hanc in vobis peragere debetis reflexionem, quòd pro comperto eſt, Dei amicos nunquam ingreſſuros in gloriam niſi per viam afflictionum & perſecutionum; & hæc cogitatio mitigabit rigorem omnium veſtrarum pœnarum, & ex amaritudine tribulationum educetis dulcedinem gloriæ, quam ipſa vobis producit, *Æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Hoc modo illi, quos cruces impetunt in hoc mundo, fruuntur felicitate, quantùm conditio eorum mortalis poteſt permittere. Iſtud eſt etiam conſilium Dei affligentis Iuſtos, reddendi illos beatos, nec unquam ſineret ut tantis amici ſui percellerentur rigoribus, niſi ipſi mentis ſuæ oculis intuerentur *omne Bonum* c [c Exod. 33 19] ſummum quod eſt ipſemet, & incredibiles prærogativas

gativas quæ ipſis ex illis proveniunt, ita ut, ſi Tyranni deficerent, ipſe Dei Filius officium obiret perſecutoris, propter immodicam felicitatem & incomprehenſibilia commoda, quæ tormenta & adverſitates conciliant eis, quos perſecutio impetit, quandiu ipſi cauſam ejuſdem Jeſu Chriſti amplectuntur.

d Tert. in Scorpiac. c. 7. ex Prov. 9. 1. & 2

Ita ſentit Tertullianus *d*, cùm eloquentiâ ſuâ dicit ordinariâ, *Sophia jugulavit filios ſuos. Sophia Sapientia eſt. Sapienter itaque jugulavit, dum in vitam; & rationaliter, dum in gloriam. O parricidii ingenium, ô ſceleris artificium, ô argumentum crudelitatis! quæ idcircò occidit; ne moriatur quem occiderit.* Vocat Tertullianus poſt Scripturam Dei Filium Sapientiam, quippe qui Sapientia eſt Dei Patris, & in hoc ſapienter egit, dum filiis ſuis mortem intulit, quia perſecutio & afflictio dirigit ad meliorem vitam, & ad perfectam felicitatem. Sed ideò filiis ſuis vitam abſtulit, ut eis vitam largiretur æternam, ſeu felicitatem. Proptereà ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* e.

e Matth. 5. 10

Sic non vereor in gratiam adverſitatum, hanc in medium adducere propoſitionem, quæ primo intuitu videbitur vobis audax, quæ tamen præ ſe maximam non deſinit ferre veritatem, nimirum, Quòd debeamus ſuſcipere ſic devotè, & eâdem ferè reverentiâ tribulationes & miſerias vitæ, quâ recipimus ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: ſicut enim credere tenemur ut dogma fidei Catholicæ, Dei Filium in Euchariſtiâ realiter contineri, ſecundùm hæc verba, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* f. Debemus etiam credere ſub eâdem obligatione, eum nobiſcum eſſe conſtitutis in tribulationibus, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Atqui conſiderate, ſi placet, quânam proſequamini reverentiâ ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, cùm veſtras infertur domos, ut illud more Viatici ſuſcipiatis; & ſcitote quòd fermè præ eâdem diſpoſitione & æquè devotè ſuſcipere debetis tribulationes, quibus ipſe Deus vos decernit impeti. Si enim in noſtras venit animas in adorando Euchariſtiæ Sacramento, ſenſibilibus panis & vini obvolutus ſpeciebus; ad nos etiam venit abſconditus ſub accidentibus afflictionum quæ in nos inſurgunt: propter graviſſimas iſtas igitur conſiderationes amore, honore, & reverentiâ debemus affici erga cruces & tribulationes, quas Divina *Sapientia*, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* g, mittit ad nos; & eas non poſſumus recuſare abſque crimine, prodendo felicitatem noſtram, quam illæ nobis conciliant; quin imò debemus eas amare ut inſtrumenta quæ noſtram operantur ſalutem, & noſtræ ſunt cauſâ felicitatis. Interim dico præ omni doloris ſenſu poſſibili, Diſſolutus qui in vita ſua videre renuit imaginem Crucis, declinat ab afflictionibus, quæ exigua ſunt illius portio, & poſt deletas illius omnes notas, quantùm in ipſo eſt, illorum imitatur crimen ſacrilegorum, qui aliàs collocaverunt idolum in eodem loco, in quo Crux plantata fuerat, ut illius memoriam abolerent, & inquinare ſategerunt montem ſanctum, quem Ieſus Chriſtus ſui pretioſi Sanguinis conſecraverat effuſione *h*.

f Matth. 28. 20

g Sap. 7. 24 & 8. 1

h Joan. 19. 18. &c.

Huic diſcurſui impono limites, Auditores, ſuadendo vobis propter amorem Dei, & ob zelum, quo erga veſtram affici debetis ſalutem, ut amorem æquè ac honorem exhibeatis crucibus & tribulationibus, quas cœlum mittit ad vos; illæ enim ſic merentur a vobis excipi, & illis intendit vos Deus honorare: ne præſumatis autem unquam illas auferre, ut in earum locum ſubſtituatis conſolationes illicitas, & idolum profanum voluptatis, quæ ſemper eſt criminoſa. Sed obſervate id, quod vobis annunciu vice totius concluſionis, Æquum eſt ut patiamini in terra, ſi velitis eſſe glorioſi in cœlo. Verum eſt, quòd cruces, ut diximus, ſunt gloria incepta in hoc mundo, ſed eam per illas habere debemus conſummatam in cœlo, cùm ipſæ cruces perfectam illius nobis concilient poſſeſſionem, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* i. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus k, *Per multas tribulationes à mundo, à dæmonibus, à propriâ carne, & improbâ voluntate oportet nos intrare in Regnum cælorum; de exilio enim non venitur ad patriam, niſi per diverſos labores. Quotidiana quoque noſtra peccata caſtigationem Dei paternam requirunt.* Imò verò Jeſus Chriſtus Dei Filius gloriam ſibi jure nativitatis naturalis Divinæ & æternæ debitam, meliori non eſt conſecutus titulo, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* l.

i Act. 14. 21

k Dion. Carth. art. 14 in Act. 14. 21

l Luc. 24. 26

Illud eſt planè dicere omnia, nec aliquid amplius requiritur ad firmandam hanc maximi momenti veritatem. Proptereà ut illam noſtris meliùs mentibus imprimeret idem Dei Filius, pergens in cœlum totus glorioſus, *elevatus is: & nubes ferebatur in cælum* m. Ut intuenda exhiberet vulnera, quæ in illas ſuſceperat, & oſtenderet mediis tolerantiis, quas in illis pertulerat, ſe comparaſſe ſibi Regnum cœlorum, ad quod properabat poſſidendum. Si verò hodiernâ die Sancti, cœli potiuntur felicitate, eam ſuarum interventu ſunt adepti paſſionum, cùm nemo ex iis ſit qui jure non dicere debeat merito, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* n. Propter hunc etiam finem noſtrarum Salvator animarum animaturus fideles ad ſuſcipiendas paſſiones & tribulationes præ generoſâ reſignatione decretis Divinæ ipſius Providentiæ exhibendâ, felicitatem conſtituit in anguſtiis vitæ & in perſecutionibus æquanimiter tolerantis, dicens, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum* o. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus p, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, hoc eſt, propter veritatem doctrinæ, propter veritatem vitæ, vel propter veritatem juſtitiæ, ſcilicet propter fidem, bonam converſationem, vel æquitatis, & juris defenſionem, & hoc ex amore Dei, ad ejus honorem & gloriam. Veritas enim & æquitas odium pariunt. Qui igitur propter nullam adverſitatem & perſecutionem relinquit viam juſtitiæ, ille beatus eſt, dicens cum ſancto Iob* q, *Donec deficiam, non recedam ab innocentiâ meâ, & juſtificationem, quam cœpi, non deſeram. Quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum, id eſt, æternam victoriam conſequentur.* Ut innuat, nos non debere nobis polliceri felicitatem adipiſcendam in cœlo, ſi renuamus eſſe miſeri propter amorem ipſius in terrâ. Concupiſcimus omnes eſſe beati, Auditores, inclinatio iſta nobis eſt omnibus naturalis, nec ullus eſt qui felicitatem non deſideret. Amemus igitur cruces quæ nobis eam conciliant, quæque ab eâ ſunt inſeparabiles.

m Eccleſia ex Act. 1. 9

n Pſ. 65. 12

o Matth. 5. 10

p Dion. Carth. art. 9. in Matth. 5. 10

q ex Job 27. 5. & 6

Profectò eſt turpiter hallucinari ac prætendere fruitionem cœli conſequi aliis viis, quàm paſſionum; graviter eſt errare ac imaginari, poſſe in eam dari aditum per aliud iter. Errorem deponite, nunquàm habëbitur fruitio Dei, quæ gloriam efficit Beatorum, niſi interventu tolerantiarum, quæ nobis eam mereantur. Scriptura *r* ſacra loquens de ſomnio Jacob Patriarchæ, ait illum vidiſſe Deum in ſummitate ſcalæ quieſcentem, *Vidit in ſomno ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; & Dominum innixum ſcalæ.* Hâc donatus fuit Patriarcha viſione in quiete ſomni. *Cùmque evigilaſſet Iacob de ſomno, ait, Verè non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Quaſi diceret, Equidem non vidi Deum, ſed ſolam domum Dei, & portæ paradiſi meis manifeſtatæ ſunt oculis. Sic eſt verè, Jacob; non enim eſt videre perſonam Principis ac palatium ejus intueri. Sed quare Jacob expergefactus non eſt fruitus prærogativâ viſionis, quâ donatus fuerat inter dormiendum, ſomnians ſe vidiſſe Deum? Myſterium ſanè eſt iſtud, Auditores, quod ſignificat nobis, quòd dum dormiret Patriarcha, quieti indigeret: quòd autem in ſtatu quietis poſitus quis credat ſe poſſe videre Deum, ejuſque beatificâ frui præſentiâ, ſomnium eſt & imaginatio, non autem realitas, quia Deus intuendum ſe non exhibet in hac vita niſi inter rigores adverſitatum & tribulationum, non autem in dulcedine quietis. Deinceps cùm luctatus fuiſſet idem Patriarcha cum Angelo, aſſerit ſe vidiſſe Deum, *Vidi Dominum facie ad faciem* ſ. *Quaſi diceret, Vidi Deum in ſpecie corporeâ, mihi ab Angelo repræſentatum*, explicat Cornelius *t*. Quia erat in labore & in conatu luctæ patiendo: propterea deinceps vocatus fuit *Iſrael, id eſt, Vir videns Deum*, ut exponit idem Cornelius ex Hebræo poſt aliquos Patres, quia vidit illum in labore luctæ: ſed dicere, quòd dormiens, inter quieſcendum viderit Deum, ſomnium eſt, & pura imaginatio. Ita verum eſt, quòd ad conciliandam nobis felicitatem in cœlo, amplectendæ ſint nobis cruces, tribulationes, & anguſtiæ in terra. Patiamur igitur generosè, ſed præ amore Dei in hoc mundo, & ipſe erit noſtra *merces magna nimis* u in altero ſeculo.

r Gen. 28. 12. &c.
ſ Gen. 32. 30. &c.
t Cornel. in Gen. 32. 30
u Gen. 15. 1.

FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Factum eſt autem ut moreretur mendicus; & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16. 22. &c.

NIhil eſt certius nunquam debere nos felicitatem noſtram conſtituere ſuper fundamentis, quorum poteſt ruinam moliri vel minimus venti flatus; nec eam nos metiri debere juxta fortunæ blanditias. Juſtæ nobis ſemper inſunt anſæ timendi, ne his allecti lenociniis noſtram incurramus jacturam: *Latet anguis in herbâ*, agit adagium commune. Si mare eſt pertimeſcendum, audeo aſſerere, illud eſſe minùs metuendum, cùm turbinibus agitatur ac tempeſtatibus, quàm cùm eſt omnino tranquillum. Proſperitates vel maximæ ſunt vehementiſſimè ſuſpectæ. Non eſt bonum omen, quando alicui ſuccedunt omnia ad deſiderium. Si mihi non vultis credere; fidem adhibete Prophetæ *a* enuncianti, pacem oſculorum & tranquillitatem proſperitatum eſſe metuendas, *In pace amaritudo mea amariſſima.* Expectandus eſt exitus tragœdiæ, non autem ſiſtendum in principio. *Dives* Epulo toto vitæ ſuæ tempore diſſolutioni & otio indulſerat, idcircò damnatus eſt: cùm *mendicus Lazarus*, qui continuæ ſubjacebat adverſitati, *ulceribus plenus*, *portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, vitâ functus in gratia Dei, cujus habebat in ſe jam plenitudinem Maria, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Non exigua ſanè nobis eſt difficultas, ut judicium noſtrum integrè ſubmittamus ordini, quo diſponit Deus ut aliis omnia ſuccedant ad deſiderium, aliis autem omnia deficiant. Sed heu! abſit à nobis, Auditores, ut tali ducamur cogitatione, cùm ſit criminoſa; *Ne dicas coram Angelo, Non eſt providentia* b. Nolite judicare more hominum, qui id, quod eſt in rebus exterius duntaxat intuentur, & in ſola viſibili ſiſtunt apparentiâ, & quorum judicium ſemper eſt fallibile; *Mendaces filii hominum in ſtateris* c. Si videatis impium Neronem tripudiantem in regno ſuo, ſceptrum poteſtatis præ manibus, & diadema gloriâ renitens in capite geſtantem; è contra verò S. Petrum Apoſtolorum Caput *d*, & Chriſti Vicarium in terris *e*, mandato iſtius Tyranni cruci ſuffixum: Herodem *f*, qui erat peccatorum fovea, vitiorum captivus, adulter, imò verò inceſtuoſus publicus, ſacrilegus, & Tyrannus; & tamen Deum ſinere ut ſit ille Rex, prædives, & ut fortuna illi arrideat juxta votorum ipſius menſuram: aliunde verò S. Joannem Baptiſtam, ſanctitatis & virtutum omnium prototypon, cujus merita laudibus evehunt Patres univerſi, detentum in *vinculis* g, jubente ſceleſto hoc Tyranno, & alligatas catenis illius manus, quæ Dei Filium baptizaverunt in fluvio Jordane *h*; & ferro onuſtos ejus pedes, qui ſpinas calcaverunt deſerti, ita volente homine ſic animali; & tandem caput ejus præcidi infami carnificis manu, imperante tale facinus hoc impio Monarchâ; *Ne dicas coram Angelo, Non eſt providentia*; cavete ne os levetis contra cœlum, & ne querelas formetis adverſùs providentiam.

Si advertatis hodiernâ die divitem Epulonem, qui vitium fovet ac nutrit, cui arrident univerſa, qui ſemper conviviis & diſſolutioni indulget; è contra verò Lazarum mendicum pereuntem fame præ valvis domus illius; qui eſt omnium miſeriarum ſubjectum, & dolorum omnium theatrum, deſpectum, & frigore algentem, *Ne dicas coram Angelo, Non eſt providentia*: cavete, Deus ipſe eſt, qui de eo ſic diſponit ſummâ ſapientiâ ſuâ. Omnes intendit nos ſalvare, divites mediis divitiis, quibus ſuccurrant pauperibus; pauperes verò æquo patientes animo egeſtatem ſuam ob amorem ipſius. Ajunt Theologi quòd *providentia eſt ratio ordinandorum ad finem*: Providentia eſt actus voluntatis Dei, quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus, eſt ipſius *Bonitas* i: Cùm igitur providentia ſit in Deo, ipſa erit productio Divinæ Bonitatis; & quidquid nobis accidet, in

bonum

a Iſai. 38. 11
b Eccl. 5. 5
c Pſ. 61. 10
d Joan. 1. 42
e Matth. 16. 18. & 19
f Marc. 6. 17. &c.
g Matth. 11. 2
h Matth. 3. 15. &c.
i 4. Eſdr. 8. 36

bonum redundabit noſtrum. *Ne dicas coram Angelo, Non eſt providentia.*

Hujus vitæ vanitas in hoc oſtenditur, quòd in ea peragenda nobis bonum hodierna die accidit, craſtinâ verò malum nobis evenit, ita ut proſperis ſuccedant adverſa, & in illa inconſtantes ſimus, ac repleti *multis miſeriis*, *nunquam in eodem ſtatu* k permaneamus. k Job 14.1 & 2 Talis quippe eſt humanarum rerum circulus, ut revolutus eoſdem non ſemper permittat eſſe felices. Hodie elati ſumus ad apicem & faſtigium fortunæ uſque, cras verò depreſſi ad centrum humiliationis. Et hoc eſt conſilium Divinæ Providentiæ, ut unuſquiſque ſuam agat perſonam, juxta ordinem ſibi à ſumma ipſius ſapientia præſcriptum l, l Sap. 11. 21 pauper pauperis, & dives divitis. Verùm enim verò ſimilis eſt hic mundus luſoriorum foliorum ludo, in quo Reges intuemini & famulos, Dominas & ſervos: in eo ſumus veluti in ſcena; finito ludo, qui optimè omnium perſonam ſuam egerit, bravio potietur; ſi famulus meliùs quàm Rex, potiori donabitur mercede, *Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum* m. m Coloſſ. 3.25 Juſtitiæ nomen identidem cieamus, poſtulemus fieri jus, expetentes pœnas inferendas injuriæ à divite epulone Lazaro mendico illatæ, & illi decernenda ſupplicia juxta ipſius demeritum, iſti verò mercedem impendendam juxta ipſius meritum. Et ideò audiamus Primò areſtum felicitatis in gratiam Lazari pronunciandum: Deinde areſtum damnationis adversùs divitem epulonem ferendum. Diviſio.

I. Pars. Antequàm probare hanc priorem ſententiam felicitatis in gratiam mendici Lazari aggrediar, Suppono primò, non recenſeri hic parabolam, neque fabulam, ſed hiſtoriam veram; nam, ut ait S. Chryſoſtomus n, n S. Chryſoſt. hom. 1. in Luc. c.16 nominantur perſonæ, cùm in parabolis non nominentur, ſicut neque nominatur in parabolâ prodigi o. o Luc. 15. 11. &c. Sed hìc nominatur Lazarus, nominatur & Pater Abraham: *Neque enim in parabolâ dicenda nomina ſunt. Parabolæ illæ ſunt, ubi exemplum ponitur, & tacentur nomina. Ubi autem dicitur, Abraham, & Prophetæ, & Lazarus, & Moſes, hic verus Lazarus. Si verus eſt Abraham, verus eſt Lazarus.* (Præterquam quòd Chriſtianus Adrichomius in Theatro Terræ S. deſcribens urbem Jeruſalem, n 38. ponit in eâ domum hujus divitis epulonis prope viam crucis.) Si autem divitem epulonem non vocet ipſius nomine, ratio iſtius eſt, Quia ipſe illud non meretur; cùm è contrà mereatur nominari Lazarus nomine proprio: *Lazarus pauper, quoniam ſanctus erat, nominatur; iſte verò dives, & ſuperbus nec nomine quidem dignus eſt habitus.* Et David ait de omnibus impiis, *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur* p. p Pſ. 69.29 Cùm loquitur Evangeliſta de mendico, illum proprio vocat nomine, quia Juſtorum *nomina ſunt in libro vitæ* q. q Philipp. 4.3 *Paſtor oves proprias vocat nominatim* r. r Joan. 10. 2. & 3 Et Deus Moyſen alloquens, ait illi; *Novi te ex nomine.* ſ. ſ Exod. 33. 12

Sed ad majorem hujus hiſtoriæ intelligentiam ſupponendum eſt ſecundò, & ſciendum ob quam rem dixerit Chriſtus, fuiſſe quendam, *Homo quidam.* Ratio iſtius eſt, Quia Dei Filius diſſerens Jeroſolymis, ſuperbis illis divitibus Phariſæis de divitiis, de avaritiâ, & de eleëmoſynis pauperibus erogandis, ab illis irridebatur, *Et deridebant eum* t. t Luc. 16. 14. &c. Deridetis, ait Salvator illico; *Homo quidam erat dives.* Non ſecus ac Medicus viſitationi infirmorum incumbens ordinariæ, & mulierem inveniens, quæ præ nimiâ teneritudine ſinere non vult ut ſibi aperiatur vena; ait illi: Cave tibi. Non vis permittere ut tibi perforetur vena, ſolus ſcalpri chirurgici vel intuitus tibi timorem incutit; imò verò vel ipſe acceſſus & approximatio Chirurgi tibi ſunt formidini, hunc exiguum perpeti renuis dolorem; hæc, quam noveras, mortua eſt, eò quòd chirurgici operationem perferre noluerit ſcalpri, & ſibi ullo aperiri venam modo ſemper reſpuerit: Chriſtus ſapiens hic animarum Medicus, qui *venit quærere & ſalvum facere, quod perierat* u, u Luc. 19. 10 eundem obſervat procedendi modum: Divites hortatur ut eleëmoſynas erogent; ſed illi irrident verba cœleſtis illius Medici, *Et deridebant eum.* Tunc ait eis; *Homo quidam erat dives, & ſepultus eſt in inferno*, & præ deſperatione, ibique excitatus clamat, *Crucior in hâc flammâ.* Eò quòd executioni mandare non ſategerit id, quod ego vobis perſuadere contendo.

In hoc judicio particulari ſe geret igitur Deus eodem modo, quo ſe geſturus eſt in judicio univerſali. Vocabit quippe primò tunc Electos ad gloriam ſuam, Prædeſtinatos ad felicitatem ſempiternam, dicens, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi* x. x Matth. 25.34 Et id ad majorem reproborum confuſionem. Sic in hoc judicio Lazarus primus vocatur à Deo, ut potiatur gloriâ, juſtâ & legitimâ mercede ſuorum laborum, & pœnarum ſuarum: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus.* Accidit: Evangeliſta res magnas nobis his innuit verbis, *Factum eſt.* Accidit. S. Paulus loquens de adventu Chriſti in hunc mundum, ait, *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ* y. y Hebr. 1.6 S. Lucas verò, *Factum eſt.* Sed quid accidit? *Ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Non dicitur Lazarus mortuus, ſed *mendicus.* Id eſt, omnes ipſius paupertates perierunt, miſeriis & perpeſſionibus ipſius impoſiti fuerunt limites. Ha! quânam perfuſus fuit voluptate, cùm è vivis debebat excedere; nullâ afficiebatur triſtitiâ, cum ab ipſo deſerenda erat terra. Putaretiſne illum fuiſſe afflictum præ diſſolutione corporis ſui ex animâ peragendâ? Quin imò, mortuus eſt ipſe more phœnicis ſuper monte Solis, medios inter heroicarum virtutum ſuarum odores, nullum habebat ardentius *deſiderium* quam *diſſolvi, & eſſe cum* z z Philipp. 1.23 Deo, & liberari ab hoc carcere, qui tædii ipſius ſubminiſtrabat ipſi materiam, & dicebat ut dixit deinde Apoſtolus, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* a? a Rom. 7. 24 Et, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* b! b Pſ. 119.5

Crederetiſne, Auditores, animas Juſtorum ægrè ſua deſerere corpora? Quin imò, ipſorum corpora ſunt animabus eorundem id, quod eſt umbra terræ in eclypſi Lunæ. Videte, quæſo, quonam pacto hoc aſtrum ſpecioſum, quod nos illuminat medias inter noctis tenebras, videtur captivum, & ægrè inter has degere obſcuritates; & quomodo ſplendet ut ſurſum elevetur, & liberetur à terrenis impreſſionibus: Sic animæ Juſtorum libenter ſuo ſpoliantur corpore, apprimè ſcientes ſe habere alteram domum in hæreditate Dei, ab humanis nequaquam opificibus fabricatam, ſed à ſummo eoque ſolo Artifice ſibi in cœlis erectam: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis* c; c 2. Cor. 5. 1 ajunt animæ juſtæ cum S. Paulo. Ponite vobis ob oculos mentis hunc Lazarum men-

mendicum *ulceribus* & ſanie refertum; hanc magnam oſſium congeriem pelle ſanguine repletâ opertam; corpus quod in fruſta diſciſſum ruit, quod vel ſolo viſu horrorem incutit ac fremitum; & animam labiis veluti inhærentem, jam jam ex eodem exituram corpore, non ſecus ac egrederetur is qui domum quandam conduxiſſet, eâdemmet domo jam proximâ ruinæ, & in exitium vergente. Quali gaudio & quantâ perfunditur voluptate, cùm grata ipſi afferuntur hæc nuntia, ipſius animam è corpore ipſius diſſolvendam, ut æternâ potiatur Beatorum felicitate: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; In* [d Pſ.121.1] *domum Domini ibimus* d.

Quam multæ animæ juſtæ cùm jam jam è corpore ſuo eſſent diſſolvendæ, & extremum corpus ipſarum efflaturum eſſet vitæ halitum, ineffabili perfuſæ conſolatione, exclamaverunt præ gaudio, Sanctorum, quibus ipſæ fuerant devotiſſimæ, apparitionibus cumulatæ, Benè veneritis. Ha! merebamurne tantâ donari prærogativâ, ut nos veſtrâ honorare dignaremini viſitatione? Interrogatæ autem, quidnam hoc eſſet: Reſpondebant illico adventaſſe bonos Advocatos ſuos, Sanctos N. vel N. qui ſibi ſuccurſuri obvii procederent. Ut innuatur expedire ut aliquos amicos [n] Sanctos & ſingulares Patronos nobis addicamus. Deficiunt mihi verba, quibus exprimam, quânam perfunderentur illæ conſolatione, valedicentes circumſtantibus, & cum iis Sanctis, quibus erant devotæ, diſcedentes. Sed quantùm gaudent Juſti cogitantes de paradiſo, & de mercede ſibi promiſſâ: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus* [e 2.Tim.4. 7. & 8] *in illâ die, Juſtus Iudex* e.

Poſt tot certamina, poſt tot rudes tentationes, tot calumnias, tot pœnas, tot paſſiones & tolerantias, necnon & perſecutiones, quas animæ electæ paſſæ ſunt in corporum ſuorum ergaſtulo quaſi captivæ commorantes; cùm dies fauſta accidit, quâ felici diſſolutione obvias habent venas theſaurorum, qui nunquam ſunt exhauriendi, & quorum poſſeſſionem jam jam ſunt conſecuturæ, gaudiis tunc temporis perfunduntur incomprehenſibilibus, *Qui expectant mortem, quaſi effodientes theſaurum* f. Tunc quippe audiunt hæc jucunda & ſuavia verba Prophetæ g, *In lætitiâ egrediemini, & in pace deducemini, montes & colles cantabunt coram vobis laudem.* [f Iob, 3.21 g Iſa. 55. 12] Egredimini, egredimini audacter animæ fideles, exite ex iſto corpore, exite in omni alacritate, exite in omni pace; montes æterni cœli, & ſpecioſæ iſtæ Angelorum & beatorum ſpirituum ſocietates obviam vobis procedent, ut ſuſcipiant vos cum hymnis atque triumphis. Pergite audacter pauperes Lazari, pergite poſt ſuperata tot prælia, ut victoriâ potiamini, quæ labores veſtros & merita veſtra inſignia eſt coronatura: pergite poſt exhauſtas tot pœnas & difficultates, ut fruamini quiete. Ecce ſeſe diſponit Deus ut veſtras tergat lacrymas, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia* h. Nulla [h Apoc. 21.4. & 5 ex Iſa. 25. 8 & 43.19] erunt ampliùs ſuſpiria, nulla ulcera, ſed recentia univerſa; *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium* i. [i Joan. 16.20]

Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Quam eſt pretioſa *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* k. [k Pſ.115.6] Mortuus mendicus Lazarus in ſinum Abrahæ ab Angelis defertur. Non ſolùm ſtipatum illum Angelis commemorat Evangeliſta; imò verò illum delatum ab ipſis fuiſſe ſpiritibus beatis. Qualem comitatum cœleſtium ſpirituum! qualem congratulationem! S. Chryſoſtomus l ait, hoc ideò [l S. Chryſoſt. loco ubi ſuprà] factum, *ut adduceretur, ne ſaltem ambulans laboraret.* Defertur ab Angelis, unicus ſufficiebat ad portandum eum, cùm unicus Angelus plus habeat virium, quàm habeant mille homines, & tamen Angelorum conſortium ibi invenitur; *Non ſuffecerat unus Angelus ad portandum pauperem, ſed propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant.* Gaudere videtur unuſquiſque eorum beatorum ſpirituum tam pretioſum onus tangere, libentiſſimè tali ſarcinâ prægravari, hominem ad Empyrei beatiſſimas deducendo manſiones. Sed quonam modo tangere poſſunt Angeli? cùm ipſi ſint puri Spiritus, omnis corporeæ concretionis & molis expertes? Tactus fit inter duo corpora phyſica, V.g. inter manum meam & carnem, quæ tangitur ab eâdem manu. Reſpondent Theologi, illud fieri non tactu quantitativo, ſed virtuali, cùm vellent Angeli ſe unire Lazaro, ut congratularentur ei, id eſt, præ actu intellectus & voluntatis.

Quanto afficitur honore Lazarus; *Angelis ſuis mandavit de te* m. [m Pſ. 90. 11] Angelos habet qui ipſum perducant in ſempiternæ gloriæ felicitatem. Quam merito jure dicere poteſt: Actum eſt de miſeriis meis univerſis, de opprobriis, de meis paupertatibus, & de injuriis mihi à divite epulone irrogatis: omnes labores mei prætererunt, & cunctæ perpeſſiones meæ finem ſunt ſortitæ, & in æternam beatitudinem converſæ. Ecce finis Lazari, Auditores, ecce areſtum illius, ſed areſtum gratiæ, cùm inveniatur dignus, ut mercedis laborum ſuorum loco cœlum recipiat, illucque deferatur ab ipſis Angelis, *Factum eſt, ut portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Sic S. Auguſtinus n Deum [n S. Aug. lib. uno. Soliloq. c. 22] alloquens, ait: *Domine Deus, qui hic conſolantur, indigni tuâ conſolatione habentur; ſed qui hic cruciantur, à te conſolantur. Nemo poteſt in utroque ſeculo conſolari, nec poteſt quis hic & in futuro gaudere.* Afflicti, macti animo, *Si moram fecerit, expectate eum, quia veniens veniet, & non tardabit* o. [o Habac. 2.3] Liberabit vos Deus à veſtris afflictionibus, ut tandem vos gloriâ cumulet, cùm interim divitem ſeverè puniet epulonem.

[II. Pars.] Sed quid? dicetis mihi, Auditores, cauſa areſti damnationis hujus divitis, eſtne quia opulentus erat? Dives epulo damnatus eſt, neque narrat Evangelium, aliena bona ab hoc impio fuiſſe direpta; alioquin divitiæ cauſa forent ruinæ & exitii hominum, eaſque a nobis projicere deberemus. Nonne bonæ ſunt divitiæ? Sic eſt. Divitiæ licitis comparatæ modis ſunt bonæ, & benedictiones è cœlo promanantes, *Benedictio Domini divites facit* p. [p Prov. 10. 22] Græci appellaverunt *ἀδιάφορα* divitias, quaſi res indifferentes, quæ nobis inſervire poſſint ad bonum & ad malum, eæque non ſunt malæ niſi ex uſu pravo, cui applicantur ipſæ ab hominibus. Non propter divitias, quibus affluebat abundè dives, pronunciatur areſtum damnationis adversùs ipſum, non quia *bonus erat dives.* Annon quia *induebatur purpurâ & byſſo?* Nequaquam propter hoc damnatus eſt. Puellæ & mulieres, quæ pomparicè ſericis induuntur veſtibus, continuis agitarentur ſtimulis, *Filiæ eorum compoſita, circumornata ut ſimilitudo templi* q. [q Pſ. 143. 12] In Curiâ Baltaſſar, *indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo ejus* r. [r Dan. 5. 29] Joſeph Pharaonis Prorex annulo inſignitur regio, *Stolâ byſſina veſtitus,*

t Gen. 41. 42. ſtitur, *& collo torquem auream* gerit cucum potata e. Unuſquiſque juxta ſuæ conditionis potes induri captum. Indumenta ſunt velut operculа cicatricis nobis a peccato originali inflictæ. (s Rom. 5. 12.) Cum peccaſſent Protoplaſti noſtri, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* u. (u Gen. 3. 6. & 7) Scriptura autem hujus rei reddit rationem, immediatè antè dicens, *Cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos.* Ideò quò pretioſiores ſunt veſtes, eò magis conamur operire hanc cicatricem, nobis à peccato originali illatam.

Non propter id damnatus eſt, quia *induebatur purpurâ & byſſo.* Chriſtus in paſſione ſua indutus fuit *purpurâ* x, (x Marc. 15. 17) ut ſignificaret purpuram hujus divitis, pauperum ſanguine fuiſſe tinctam, & ei potuiſſe dici, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarũ pauperum & innocentium* y. (y Jer. 2. 34.) Meminit etiam Evangelium, eundem Dei Filium fuiſſe *indutum veſte albâ* z, (z Luc. 23. 11.) ex lino compactâ, ut innueret, quantos pati deberet pro iis labores, & pœnas perferre incomprehenſibiles. Sed propter hoc damnatus non eſt. Propter quid igitur? Nonne quia *epulabatur quotidiè ſplendidè?* Nequaquam, Auditores. Convivia ſunt bona, & laude digna, cùm ritè fiunt, & ad bonos diriguntur fines. Abraham parato accubuit convivio a. (a Gen. 21. 8.) Pater prodigi epulatus eſt cum filio ſuo reverſo b. (b Luc. 15. 24.) Imò verò Chriſtus cum Zachæo c, (c Luc. 19. 6.) Matthæo d, (d Matt. 9. 10.) Simone e, (e Luc. 7. 36.) Marthâ, Magdalenâ, & Lazaro f. (f Luc. 10. 38.) Quin etiam epulis interfuit nuptialibus Canæ in Galilæa g. (g Jo. 2. 2.) Quod manifeſtè oſtendit convivia non eſſe illicita, cum non ſint ex ſe mala, ſed è contra laudabilia; præſertim verò cùm eriguntur ad cuſtodiendas amicitias, & ad fovendos affectus inter propinquos & affines, nullaſque in iis eſt obſervare diſſolutiones, aut nullos exceſſus reprehenſibiles. Dives noſter epulo fortaſſis erat è numero illorum, qui in infinitas erumpunt petulantias, quæ inter Chriſtianos non debent tolerari, & de quibus ait Apoſtolus h, (h Philip. 3. 18. & 19.) *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti; quorum finis interitus; quorum Deus venter eſt.* Sed id non eſt cauſa areſti damnationis illius. Quid igitur?

Attendite mundi divites, & diſcite etiamſi alieno periculo, quonam vos gerere debeatis modo;

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Ecce motiva graviſſimi momenti, & tota cauſa areſti damnationis hujus impii: *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus; cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Quis Bartholus, aliuſve Juriſperitus unquam pronunciavit magis appoſitè, & clariùs Legem meliùs exprimentem, quam exprimant hæc verba? *Erat quidam.* Id eſt, ſolus; *nomine Lazarus*; dives eum noverat; *mendicus*, non ſe abſcondebat, ſed mendicabat; *ulceribus plenus* toto corpore lacero; *jacebat ad januam ejus*, non remotus, ſed ante valvas; *cupiens ſaturari de micis*, reliquias ſolas fragmentorum petebat, *& nemo illi dabat.* Nullam dives poterat excuſationem prætexere; & cùm Lazari miſertus non fuerit, hæc eſt cauſa areſti damnationis ipſius.

Mortuus eſt dives, non iſte *homo quidam* ſed *dives*, quia *quod temporale fuit, præteriit.* ait S. Chryſoſtomus i; (i S. Chryſoſt. loco ubi ſuprà.) voluptates illius, deliciæ, magnitudines, & oblectamenta mortua ſunt; nihil abſtulit ex iis unum unquam, quæ habebat. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo; & cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus: quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus* k, ait David. (k Pſ. 47. 18.) *Mortuus eſt dives* non ſicut Lazarus inter linguas canum, ſed in cubili ſuo, in purpura, & in lectico: ſed è cubili honoris delatus eſt à diabolis in cubile confuſionis ignium & flammarum æternarum, *& ſepultus eſt in inferno.* Quibuſnam concuſſus eſt dives tremoribus, cùm exiret ex hoc mundo? *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis* l! (l Eccli. 41. 1.) Eſt veluti lepus in cubili ſuo, nec vult inde exire. Sed quid agit venator? Ipſi viverram applicat foramini, quæ timetur, dum expectant canes venatici prædam. Eo pacto aggreditur divitem epulonem mors. Diaboli veluti canes venatici prædam expectant; nullus eſt declinandi locus; exeundum eſt. Heu! Eſtne mihi moriendum? Nunquid deſerenda ſunt palatia mea, divitiæ, voluptates, & conſortia amicorum, quibus nunquam ampliùs ſim perfruiturus. Heu qualem anguſtiam! Diſcedendum eſt, cantum eſt receptui. Heu! Egrediendum eſt igitur è terris noſtris, & ex hæreditatibus noſtris, & in eas nunquam revertendum, & ultimò valedicendum propinquis noſtris. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui* m, dixit Deus olim Abrahæ (m Gen. 12. 1.) propter aliam cauſam.

Vidiſtis modò pompam funebrem mendici Lazari, advertiſtis ibi Angelos; ſed nequaquam morti impii hujus divitis ſunt interfuturi, *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam* n. (n Jer. 51. 9.) Ibi nihil videtur, aut auditur, præter diabolos, qui veniunt ut eum è medio tollant, *dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt qui eripiat* o. (o Pſ. 70. 11.) Non loquuntur de requie, nec ullam gloriæ agunt mentionem, ſed ſolùm commemorantes pœnas & ſupplicia, quibus excruciandum ſatagant hunc impium, ei turmatim procedunt obvii; *Infernus ſubter te conturbatus eſt in occurſum adventûs tui; omnes Principes ſurrexerunt de ſoliis ſuis, univerſi reſpondebunt & dicent: Et tu vulneratus es, ſicut & nos; noſtri ſimilis effectus es; detracta eſt ad inferos ſuperbia tua; concidit cadaver tuum; ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, ait ei Propheta q. (q Iſa. 14. 9. &c.) *Factum eſt autem ut moreretur mendicus: mortuus eſt autem & dives.* Sed quamnam cataſtrophen! *Et portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Intellige de Lazaro; cùm dives epulo deliciis, voluptatibus, honore ac divitiis diffluens, *ſepultus eſt in inferno.*

Mortuus eſt dives, ſed triplici morte. Morte corporis præ diſſolutione ejuſdem corporis ab anima. Morte animæ præ amiſſione gratiæ, ratione peccati r. (r Ezech. 18. 4.) Morte tandem gehennæ, ad flammas damnatus æternas. *Mortuus eſt dives.* Non legitur de eo, quale condiderit teſtamentum, illius non meminit ullo Evangeliſta modo, neque ejus legatorum, quænam illa fuerint, nec quales fuerint illius exequiæ, nec ejus hæredes nominat; *Relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum* s. (s Pſ. 48. 12.) Dives iſte ſimilis erat illi fonti, qui per diem glacidus eſt, per noctem verò ardens. In vita dives iſte erat veluti glacies adversùs pauperes, ſed in morte eſt veluti totus ignis, *Crucior in hac flamma.* Omnia illius bona in litigium ſunt adducta, quia ma-

lè parta, malè dilabuntur, ait adagium commune. Similes fuerunt in morte æquè ac in vita, comparati dives accipitri, & mendicus gallinæ: Gallina vivens contemnitur, & projicitur ab omnibus; ſed mortua menſæ Magnatum apponitur, & unuſquiſque eam vellet habere: Accipitri è contrà, quandiu vivit, unuſquiſque blanditur, ſemper defertur ipſe inſidens pugno moderatoris, qui ipſum ritè fovet, & alit apprimè; ſed ſtatim ac mortuus eſt, in foveam projicitur. Idem planè dicendum de Lazaro, & de divite epulone: *Perijt memoria eorum cum ſonitu* t. Divites impij
t Pſ. 9. 7. tranſeunt non ſecus ac hirundines, quæ nihil relinquunt in memoriam ſuiipſarum, niſi vilem nidum è paleis & feſtucis compactum, tales ſunt quippe divitiæ temporaneæ.

Sepultus eſt in inferno. Hinc diſcere poterunt impij re verâ eſſe infernum; & Athei non ritè poſtulabunt, quonam pacto hic ignis materialis comburat animas ſpirituales, cùm hæc ſcientia ſit omnium infeliciſſima, quâ addiſcatur proprijs infernus experientijs, & quâ diſceptetur ab ipſis de actione ignis ita veri ac realis, ſicut ipſi verè & realiter ſunt nequam; & quà negent præ infidelitate in terra id, quod diſcere cogentur inviti per totam æternitatem, eamque infelicem ſub terra. Audiant vocem divitis epulonis præ rabie ac deſperatione clamantis, *Crucior in hac flamma.* Quid prodeſt nunc huic impio epuloni, voluptati & delicijs indulſiſſe? *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* inclamant contentâ voce impii: *Tranſierunt illa omnia tanquam umbra. In malignitate*
u Sap. 5. 8. &c. *autem noſtra conſumpti ſumus* u. Errorem deponite, Auditores, non eſt paradiſus in terris, haudquaquam eſt eum invenire duplicem. Juſtus eſt Deus, *Juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit; æquita-*
x Pſ. 10. 8 *tem vidit vultus ejus* x. Vos eſtis veluti parvi Dij in hac terra, *Dives, quaſi divus.* Cavete ne in altero mundo inviti teneamini mutare ſtatum ac conditionem. Videte divitem epulonem, cui omnia ſucceſſerant ad votum, qui *mortuus, ſepultus eſt in inferno.*

Sed quid agit? *Crucior in hac flamma.* Comburor his flammis, quæ tamen nunquam conſumunt, nec unquam conſumuntur: *Crucior in hac flamma.* Flammis totus circumcingor ardentibus, vivus in adipe comburor & ardeo cum maculis culparum mearum, quæ nunquam tamen expunguntur: *Crucior in hac flamma.* Deſunt mihi verba, Auditores, quibus exprimam vobis has pœnas, libentique animo infelicem hunc divitem, in locum meum vobis ſubrogarem, qui ſanè magis vobis prodeſſet, quàm proſim ego; verba quippe illius forent efficaciora: diceret ille vobis, quid ſibi profuerint honores, authoritas, divitiæ, ac deliciæ: annunciaret vobis quale monſtrum ſit peccatum, cùm ad illud puniendum ædificanda fuerint hæc horrenda infernorum ergaſtula ignea, ac ſupplicia; & hæc vobis narraret voce tonitruum imitante, & lacrymas præ ſe ferente, quæ vobis incuteret fremitum; cùm ne vel ipſi Juſti de inferno unquam cogitent, quin ſpiritu infremant.

Ingenuè ſe fatebuntur ſtultos & mente ca-
y Sap. 5. 4 ptos reprobi, *Nos inſenſati* y. Dives epulo in inſignes quinque labitur inſanias. Primò, Vocans
z Hug. Car. in Luc. 16 24. Abraham Patrem, *Pater Abraham.* Super quæ verba Hugo Cardinalis z ait, *Vocat eum Patrem, quem noluit imitari.* Citatque S. Chryſologum ſic, *Si pius, ſi hoſpitalis in pauperes fuiſſes, filius Abrahæ eſſes.* Abraham in perpetua verſabatur peregrinorum inquiſitione a, eoſque compellebat ut apud ſe requieſcerent & reficerentur: tu verò inhumane & immiſericors decidentes è menſa tua micas mendico Lazaro fame pereunti erogandas non permiſiſti. In ſecundam ruit inſaniam, cùm rogat Abraham ut miſereatur ſui; *Miſerere mei.* Quaſi verò poteſtatem haberet Abraham parcendi. Ha inſanum & mente captum hominem! Abraham eſtne Deus? Poſſet quidem Abraham Deum deprecari in gratiam iſtius impij, ſi eſſet adhuc in ſtatu viæ, ſed non parcere peccatis illius. Tertiæ inſaniæ conſcius eſt cùm ait, *Mitte Lazarum.* Inſignem ſtultum! ait S. Chryſoſtomus b. An æquitati & rationi conſonum eſt, ut Lazarus gloriam deſerat, & deſcendat in inferos, ut ſibi devinciat eum, à quo ita dirè exceptus eſt, ut vel micas panis ipſi non permiſerit erogandas, etiamſi quotidie ipſum præ foribus ſuis intueretur fame confectum? Quartam inſaniam perpetrat, cùm ait, *Ut intingat extremum digiti ſui in aquam.* Eximiam ſtultitiam! In vita ſua horrore fuiſſet concuſſus dives ſolo vel Lazari intuitu, quem procul à ſe amandandum repetitis baculorum ictibus præcepiſſet, ſi vel extremia catinis menſę ipſius appoſitis admoviſſet manum. Quintam tandem exhibet inſaniam; cùm ait, *Ut refrigeret linguam meam*, Quantam inſaniam! quaſi verò unica aquæ guttula linguæ ipſius ſuffeciſſet ardori extinguendo, Heu quantum patiuntur in inferis linguæ detractorum! Divites contemnunt Lazaros mendicos in hoc mundo. Sed hi Lazari mendici accuſabunt inhumanitatem & barbariem divitum in altero.

a Gen. 18 2. &c.

b S. Chryſoſt. loco ubi ſuprà.

Hugo Cardinalis c obſervat, inter tot Martyres, qui martyrium paſſi ſunt numero ferè infinito, nullum tamen dici vindictam expetijſſe martyrij: de impio verò Cain dici, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Cujus ratio eſt, Quia inter tot crimina, nulla egit miſericordiæ opera; ſi autem vel unico hujuſmodi incubuiſſet operi, Deus illi ſanè miſericordiam condonaſſet. *Acceſſiſtis ad Mediatorem Ieſum & Sanguinis aſperſionem meliùs clamantem quàm Abel, videte ne recuſetis loquentem* d. *Benè dicit, Meliùs clamantem quàm Abel. Sanguis Abel clamat vindictam, Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt* e. *Sed ſanguis Chriſti clamat pœnitentiam; Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur à via ſua, & vivat* f. Divites, *Vox ſanguinis fratris clamat.* Niſi miſerti fueritis illius, nec Deus veſtri miſerebitur; *Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam* †. Lazarus aquæ guttam renuit diviti, quia qui exiguũ recuſat, exiguo indiget. Sed Pater Abraham reſpondet ei: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Vocat Abraham divitem filium, ſicut dives Abraham vocaverat Patrem. Dives non fuit verus filius, quippe qui eo nomine indignus præ vitijs ſuis; ideò nec Abraham verus erit illi Pater.

c Hug. Card. in Gen. 4. 10.

d ex Heb. 12. 24.

e ex Apocal. 6. 10

f ex Ezec. 33. 11.

† Jac. 2. 13.

Dives *recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Nihil eſt perpeſſu difficilius animæ damnatæ, & quod majori ipſam afficiat dolore, quàm memoria bonorum, voluptatum, & honorum, quibus ipſa potita eſt. Ipſa hæc omnia intuetur præterita, ſeque iis privandam eſſe per totam æternitatem. Ipſe eſt interior *vermis eorum*, qui *non morietur*, ſicut exterior & *ignis eorum*, qui *non ex-*

ſtin-

g Iſa.66.24. *tinguetur* g. Rabie excruciabitur ipſa, non ſolùm eò quòd ſe videat miſeram, ſed quòd intueatur ſe potuiſſe eſſe beatam, ſeque ſolâ ſuâ culpâ nunquam felicitate perenni potituram, cùm ipſa ſalutis ſuæ media neglexerit operandæ. Videt ipſa, omnia vitæ ſuæ momenta, cunctas occaſiones benè agendi incaſsùm elapſas cogitationi ſuæ ſemper intereſſe, & ſemper auri cordis ipſius intimæ inſonabit hæc vox; *Recordare*, quæ ſanè cruciat & rodit viſcera cujuslibet divitis. *Recordare* tot Sacramentorum, tot Confeſſionum, & tot Communionum, quorum exercitio incubuiſti. *Recordare* tot beneficiorum, commodorum, & divitiarum, quæ à Deo ſuſcepiſti, *Quia recepiſti bona in vita tua; & Lazarus ſimiliter mala.* Sed ecce exitus. *Nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Niſi benè ſuas inſumpſerint divites divitias, de malo earum uſu ſe ulciſcetur Deus. *Chriſto illuſum eſt in purpura* †, *& veſte alba* *, ait Hugo Cardinalis h: *Similiter iſti & ſibi, & Chriſto illudunt in purpura & byſſo. Sed certè purpura, quæ tingitur ſanguine, convertetur in ſanguinem, quia ſanguis culpa requirit ſanguinem pœna. Sanguis ſanguinem tetigit* i.

† ex Mat 27.28. * ex Luc 23.11. h Hug. Card. in Luc. 16 19. i Oſe. 4.2

Recordare. Cùm ſceleſtus aliquis latro, aut homicida ſuſpendio perimendus eſt, aliâve morte plectendus, deducunt parentes liberos ſuos, qui funeſto huic interſint ſpectaculo. Completâ autem hâc executione, impingunt eis alapas, dicentes illis ſingulis, *Recordare* ſuppliciorum, quæ merentur latrones, & homines nequam. Hodie, Auditores, Juſtitia Divina vindictam ſumit de famoſo iſto divite, quem ſupplicijs excruciat æternis. Ego autem dico ſingulis vobis, *Recordare.* Salutem veſtram ex illius damnatione haurite. Diſcite miſereri pauperum; utimini ut par eſt divitijs, quas accepiſtis a Deo; cavete ne illæ ſint cauſæ ruinæ veſtræ, & ne damnationem incurratis propter voluptates, bona, & honores hujus mundi. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* k. *Date, & dabitur vobis* l. Deponite veſtra bona inter manus pauperum, qui tandem *centuplum* m ſunt vobis retributuri multiplicato centies fœnore: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* n. Quâ conſolatione perfundentur, qui miſerentur pauperum? quâ ſecuritate gaudebunt? cùm vel audaciſſimi tremore concutientur. Qui libenti opera pietatis exercet animo, & eleemoſynas erogat, ordinariè malâ non perit morte. Idcircò divites, *in quâ menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis* o. Vobis *ſi multum fuerit, abundanter* tribuite. Vobis *ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri* p ſtudete, & rependetur vobis plurimum. Date temporaneum, & recipietis ſempiternum: date pauperibus qui ſunt membra Chriſti; & Chriſtus, *qui eſt* eorundem *Caput* q, mercedem vobis retribuet in gloria perenniter beata.

k Luc. 16 9. l Luc. 6. 38. m Matth. 19.29. n Pſ. 40.1 o Marc. 4 24. p Tob. 4. 9. q Epheſ. 4.15 & 16.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus
Matth. 21.43. &c.

NOn ſecus ac radice arboris evulſâ, nulla ex eadem arbore colligendi fructus ſpes impoſterùm relinquitur: Sic extincto fidei Chriſtianæ, quæ eſt radix & fundamentum, cui totum innititur ædificium ſpirituale, candelabro, quidquid virtutum ædificatum fuerat, in ruinam vergit & in omnimodam deſtructionem. Filius Dei hodiernâ die in Evangelio noſtro minitatur Judæis, ſe ablaturum ab ipſis regnum ſuum ob ingrati ipſorum animi labem intolerandam, illudque ſe daturum ijs, qui ſic futuri ſunt induſtrij, ut ſibi valeant illud comparare mediâ fide formatâ, ſeu bonis operibus animatâ, & qui fruituri ſunt iiſdem privilegijs, quæ aliàs ipſis conceſſerat ipſemet in Lege antiquâ, nimirum ſolicitâ & fideli ſanctorum Angelorum tutelâ ac cuſtodiâ, quâ ſacra Eccleſiæ ſanctæ ipſius Sponſæ vinea circumdata eſt; ſicut & curâ divinæ Providentiæ, quæ eſt veluti turris fortiſſima & inexpugnabilis, in medio hujus vineæ collocata, quæ tutandæ eidem ſemper invigilat Eccleſiæ; necnon & Lege decalogi, quæ veluti *torcular* ſacrum partim promiſſis, partim verò minis, perfectam operatus in nobis expreſſionem juſtitiæ & ſanctitatis Chriſtianæ, conditioni noſtræ conſonæ. Ecce, Auditores, beneficia quæ nobis communia ſunt cum ijs, qui nos præceſſerunt in Lege veteri & Moyſis. Sed quia fides, quam habebant illi in Meſſiam a futurum, in Chriſtum b venturum, erat fides mortua; hinc occaſionem fronte arripiam capillatâ tractandi vobis de fide, quæ prima impoſuit Chriſtianis nomen, veluti prima nota animæ verè Chriſtianæ. S. Elizabeth cognatam ſuam Virginem Deiparam prædicavit beatam, ob eximiam ipſius fidem, *Beata quæ credidiſti* c; ſed fidem vivam & charitate animatam, ut proteſtatur Angelus ſalutans eam *gratiâ* plenam, *Ave Maria.*

a Gen. 49.18. b Pſ. 83 10. c Luc. 1 45. & 28.

Salomon qui præceſſit Reges *omnes Sapientiâ, qui fuerunt* d, hæc præclara profert verba, quæ maximè conveniunt ſermoni, quem vobis inſtituturus ſum, *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ* e. Appropinquate ad me vos omnes, qui eſtis ſcientiarum ignari, inquirite doctrinam meam, & certatim in hanc ſacram ſcientiarum Divinarum Academiam pergite, ut eximiam rerum ſupernaturalium vobis comparetis notitiam. Petunt Doctores, quænam ſit iſta domus, & num ſit aliquis locus ad inſtitutionem imperitorum deſtinatus. Et reſpondent quòd ſic, & quòd iſta domus ſit Eccleſia Catholica, quæ hoc illuſtri perfungitur munere, ut fideles omnes ac ſingulos doceat veritates Divinas ipſi revelatas mediâ fide, quæ ipſammet in omnibus dirigit.

d Eccl. 1 16. e Eccl. 51 31.

Verùm enim verò non eſt res ſic exiguì momenti fides, quin ipſa ſit abſolutè neceſſaria ad operandam noſtram ſalutem. Iſta quippe eſt fundamentum vitæ ſpiritualis, & ædificium, quod ad Empyreum uſque cœlum debemus erigere. Ipſi fidei eſt innitendum, & omnia planè eſt deſtruere ac ſine iſta ſupernaturali agere qualitate,

Sine

Digitized by Google

f Heb. 11. 6.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo f. Fides eſt primus calcaris ictus, quem Deus nobis imprimit, veluti primam ad operandam noſtram ſalutem inclinationem. Sine fide nulla eſt virtus, & omnis ſapientia & patientia ſunt vanæ. Ipſa eſt origo juſtitiæ, &, ut ait S. Auguſtinus g, *Hoc eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filiorum Dei numerum poteſt pertingere, vel pervenire ; ſine hac omnis hominis labor vacuus eſt.* Præcedit ipſa fides, deinde ſpes ædificat, perfectionem autem ſummam & complementum ultimum præbet ipſa charitas. Hinc inferre poteſtis, Auditores, aliquid eximiarum fidei excellentiarum, quæ magis veſtris innoteſcēt animis ex ipſius effectibus, de quibus vobis ſum locuturus in priore hujus parte diſcurſûs: Tractaturus vobis in poſteriori de conditionibus requiſitis ad eandem fidem, quibus proficua nobis eſſe poſſit ac utilis.

g S. Aug. l. de Fide ad Petr. citat. in Polyant. V. Fides

Diviſio.

I. Pars.

Prima Legum omnium, quæ noſtras Deo ſubdunt animas, ſita eſt in quodam intellectuali lumine communi nationibus univerſis, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine* h. Quod eſt aut ſpeculativum, quatenus ipſum dat primorum notitiam principiorum, ad quæ referuntur ſcientiarum demonſtrationes, ſicut v.g. cùm dicitur, Unam & eandem numero rem non poſſe eſſe, & non poſſe non eſſe eodem tempore: Totum eſſe majus ſuâ parte; & aliæ demonſtrationes hujuſmodi, quibus nemo ſanæ mentis & rectæ rationis compos contradicere queat. Aut eſt practicum, cùm inſervit ipſi morum directioni; ſicut eſt amor ille quo generaliter omnes homines erga ipſam afficiuntur virtutem; & æquitas illa quæ ipſis oſtendit, reddendum eſſe unicuique id, quod ſuum eſt. Præterea, Habemus quandam nobis ingenitam Religionis notitiam, quę nobis oſtendit, & omnes docet populos hanc graviſſimi momenti veritatem, quòd unica i eſt prima *Veritas* k, primum *Principium, & Finis* l ultimus, primus Motor immobilis m, & immutabilis, *Ego enim Dominus, & non mutor* n; Deus qui produxit o, qui conſervat p, & univerſum hunc moderatur mundum q, cui obſequia noſtra debemus exhibere, ac adorationes ſupremas, ſicut ea omnia a nobis ipſe exigit r.

h Pſ. 4. 7.

i Deut. 6. 4.
k Jo. 14. 6.
l Apoc. 1. 8.
m Sap. 7. 24.
n Malac. 3. 6.
o Gen. 1. 1. &c.
p Iſa. 40. 12.
q Sap. 8. 1.
r Exod. 20. 2. &c.

Hæ Leges naturales violatæ ſunt ab idololatria, a cultibus, falſis antiquitatis numinibus ab ipſis Paganis ſuperſtitioſè impenſis, & à deordinatione hominum impiorum. Idcircò rationi erat maximè conſonum, ut inſtitueret in mundo Deus Religionem, quę nova foret Politia ad morum reformationem, ſicut & cultûs ſupremi, quem ipſi ut ſupremo Domino noſtro, à quo abſolutè pendemus in eſſe, in conſervari, & in operari (*In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* s) exhibere tenemur. Hic autem cultus non eſt alius, niſi Religio Chriſtiana & Catholica, quam profitemur, quæ præ myſterijs, quæ nobis ipſa proponit credenda, illuminat imprimis intellectum noſtrum, deinde noſtram inflammat voluntatem. Hæc verò illuminatio intellectûs noſtri, & iſta accenſio noſtræ voluntatis, ſunt præcipui fidei effectus, è quibus omnes alij ſuam deinde deſumunt originem. Fides igitur primò lumen præbet intellectui noſtro, quo cognoſcat res Divinas noſtræ promovendæ æternæ ſaluti congruas; ideò jure merito vocare poſſumus eam lampadem, quia ſicut lampas per totam domum lucem diffundit, ita fides totam illuminat animam; vel januam vitæ, ſicut etiam & baſim totius ſalutis noſtrę.

s Act. 17. 28.

Id oſtendit S. Paulus t, cùm nominat eam ſubſtantiam, & fundamentum totius noſtrę ſpei; convictionem ſeu demonſtrationem illius quod non videtur, non ſecus ac ſi prę oculis noſtris poneretur luce clarâ; & id, quia Deus nobis hoc dicit, nobiſque Eccleſia illud proponit, quod eſt ratio pręcipua, quę nos inducit ad credendum, ſi velimus ut fides noſtra ſit meritoria: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum; argumentum non apparentium.* Ac ſi diceret Apoſtolus; Non potiuntur oculi noſtri intuitu rerum cœleſtium, quas anima noſtra ſperat; ſed fides eſt verum fundamentum, cui univerſę ſpes noſtrę innituntur: & *argumentum*, ſeu ratio maximè infallibilis Divinitùs inſpirata, quę compellit nos ut credamus & confiteamur, bona ęterna, quę nobis pollicetur Deus, eſſe re verâ, & quidquid nos docet Eccleſia, eſſe verum, etiamſi ratio humana ad illius ſeſe non poſſit evehere notitiam. Ha! Si ſperamus nos tandem, poſtquam divinę Legis mandata inviolatâ perfecerimus obſervantiâ, beatitudine glorię cœleſtis frituros ęternâ; cur non credemus hic myſteria, quę rationis noſtrę captum excedunt? cùm ipſa fides convenientiam habere debeat cum noſtra beatitudine, non ſecus ac media cum ipſo fine, & diſpoſitiones cum ipſa forma illam habere debent.

t Heb. 11. 1.

Theologi verò noſtri fidem ſic definiunt, *Fides eſt donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo, firmiter aſſentitur omnibus, quæ nobis Deus revelavit, & per Eccleſiam credenda propoſuit, ſive ſcripta illa ſint, ſive non ſint.* Fides, inquam, infuſa intellectui hominis Chriſtiani à Spiritu ſancto, qui cum magna diſponit eum efficacia ad firmiter credendū illud, quod Eccleſia ipſum docet, nedum videat, aut inquirat, quibus rationibus illud idem innitatur. Quandoquidem id, quod agere debuiſſet fides, ſi quę fuiſſet pręvia, peragitur inviſibili hoc Spiritûs ſancti lumine longè excellentiori modo; ſicut ejuſdem nobis fas eſt intueri effectus in plurimis mulieribus, & pueris, ac puellis ætatis teneræ, & conditionis infirmæ, qui martyrium ob amorem Chriſti, patientiâ & conſtantiâ ſingulari pertulerunt; & tuendæ veritatis ergo, etiamſi fidei noſtrę rationes arcanas & motiva ignorarent, ſuum generoſo profuderunt ſanguinem animo.

Ha! Auditores, ſi ab ipſis noſtris incunabulis, imò verò ſi ab ipſa nativitatis noſtræ hora, cæcitate percuſſi jacuiſſemus in tenebris; & deinde poſt aliquot & longos annos aliquis nobis aperuiſſet oculos, quibus præ ſingulari voluptate & inſolito oblectamento intueremur pratorum viridantium amœnitatem, nitidiſſimam aquarum cryſtallum, pulchritudinem Solis, claritatem Lunæ, fulgorem aſtrorum, ſplendorem foſſilium, unionum & margaritarum, & videremus tot & tam eximias creaturas per univerſum orbis ambitum diffuſas; quantùm ſibi nos ille devinxiſſet, & quibuſnam obſequijs reciprocas poſſemus illi vices rependere, poſt actiones gratiarum pro beneficio ita ſingulari nobis ex ſuppoſitione ab ipſo impenſo, ipſi exhibitas? Omnes nos cæci nati ſumus quoad ea, quæ ſalutem noſtram ſpectant æternam: Deus noſter *bonus* u, in ſacris fontibus Baptiſmatis, in quo renaſcimur *ex aqua, & Spiritu ſancto* x, communicat animabus noſtris lumen habituale fidei, quo videmus unum Deum in tribus perſonis y, Deum factum hominem z; Deum hominem pati, mori, reſurgere a, aſcendere

u Pſ. 118. 68.
x Jo. 3. 5.
y Matth. 28. 19. & 1. Jo. 5. 7.
z Jo. 1. 14.
a Jo. c. 18. & 19. & 20.

b Marc. 16.19. dere *in cœlum* b; inde deſcenſurum ut judicet vi-
c Matth. 25.31. &c vos & mortuos c, & cætera omnia myſteria, quę
nobis ſemper fuiſſent ignota ſine luminis iſtius
ſupernaturalis ſubſidio.

Quale donum eſt iſtud: Quàm ſingulares à
nobis gratiarum exigit actiones: Et quanto
cum fervore debemus nos in poſterum obſequio
incumbere exhibendo Authori doni ita eximij,
quod non ſolùm illuminat noſtrum intellectum,
d 1. Cor. 12.31. ſed inſuper noſtram inflammat voluntatem ad
æmulanda *chariſmata meliora* d; ut ritè obſerva-
e S. Amb. Serm. 2 de Grano Sinap. ex Luc. 13. 19. vit S. Ambroſius e, qui loquens de parabola gra-
ni ſinapis, ei idcircò fidem æquiparat, *Quod ſuc-
cus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur
in anima.* Quia ſicut ſinapi intima hominis cale-
facit penetralia; ita fides excitat & inflammat
humanum cor ad ſuſcipienda ardua & difficilia
propter obſequium Creatoris. Verùm enim ve-
rò quid impulit Abelem ut Deo præſentaret o-
vium ſuarum pinguiſſimas, cùm *obtulit de primo-
f Gen. 4. 4. &c. genitis gregis ſui, & de adipibus eorum* f, ſummæ
ipſius Majeſtati? Fides, quæ in eo ſic fuit exi-
mia, ut ignem è cœlo attraxerit ſuper victimam
ipſius, quod fuit nota infallibilis, ſacrificium ip-
ſius placuiſſe Deo; *Et reſpexit Dominus ad Abel, &
g Cornel. in Gen. 4 4 ad munera ejus. Ad Cain verò & ad munera illius
non reſpexit*: Ut ait Cornelius g, *Ignem hunc com-
h Theodot. citat a Cornel. ibid. buſſiſſe & conſumpſiſſe ſacrificium Abelis, Caini verò
ſacrificium intactum reliquiſſe.* Theodotion h ve-
rò vertit, *Inflammavit Dominus ſuper Abel & ſacri-
ficium ejus, ſuper Cain non.* Cui ſubjungit Corne-
lius; *Hoc enim eodem igne & conflagratione victi-
ma ſigno ſolet Deus probare & acceptare ſacrificia.*
Fides, inquam, quæ ipſum adhuc exhibet viven-
tem in memoria univerſorum hominum, &
quæ poſt mortem ipſius, vocem ſanguinis ipſius
aſcendere fecit uſque ad cœlum, ut ante tribu-
nal divinæ Juſtitiæ, nefandum accuſaret fratrici-
dij crimen a Caino germano in perſonam ipſius
innocentis, illati, & pœnas expeteret injuriæ
ita enormis contra naturæ leges ſibi irrogatæ,
ut ipſemet Deus huic infami fratricidæ expro-
brat: *Dixit ad eum Dominus; Quid feciſti? Vox ſan-
guinis fratris tui clamat ad me de terra.*

i Rom. 4. 11. Quid effecit ut Abraham magnus ille *Pater o-
mnium credentium* i propoſuerit immolare Deo
k Gen. 22 2. &c. ſuum *filium unigenitum quem* diligebat *Iſaac, at-
que eum in holocauſtum* k offerre, quem ſuſce-
l Gen. 21 2. perat ab ipſomet Deo l, præter omnem expe-
m Gen. 18 11. &c ctationem ſuam m; & per quem ſolum ſperare
poterat hanc innumeram poſteritatem promiſ-
ſam ſibi a Deo, quæ numero ſtellarum firma-
menti, & granorum arenæ maris poſſet æquipa-
rari? Cùm *extendit manum, & arripuit gla-
dium, ut immolaret filium ſuum*: Nonne fides,
quæ validior fuit in illo, quàm fortes fuerint ac
vehementes omnes naturæ affectus; ita ut man-
dato ita gravis momenti niſi virtute fidei ſibi
impreſſæ roboratus non potuiſſet morem gere-
re: Fides, inquam, quæ ipſum impulit, ut crede-
ret, natum filium ex ſe jam præ ſenecta ſemi-
mortuo, & ex uxore, cujus ætas talem ab ipſo
auferebat ſpem prolis unquam ſuſcipiendæ, ve-
rùm etiam & conſtitutio perſonæ ejuſdem, quip-
pe quæ ſterilis erat & infœcunda; potuiſſe re-
ſuſcitari à Deo eâdem facilitate, quâ ei vitam
dederat. Firmâ quippe credidit fide, æquè re-
† Hebr. 11.19. ſurrecturum eſſe filium ſuum, Deo ſic volente †;
ac ipſe natus fuerat ex viro & ex muliere (in
quibus nulla erat ſpes gignendorum liberorum)
eodem Deo ſic diſponente.

Quid amplius enarrabo vobis de mirabili-
bus fidei effectibus? Deficeret mihi tempus,
& tædio vos ipſe afficerem, ſi exemplis vete-
ris Teſtamenti exempla vellem ſubdere novi
Fœderis. Sufficiet mihi, ſi dicam vobis in ge-
nere, alios per fidem deſtruxiſſe regna idolola-
triæ, inceſſiſſe in viâ mandatorum Dei ſectandâ
præ inviolata fidelitate, & juſtitiam tribuiſſe
populis ſine ulla perſonarum acceptione. Alios
autem obtinuiſſe effectus promiſſionum ſibi fa-
ctarum, declinaſſe ab ira leonum, à furore
fornacum ſuccenſarum, & à rabie infenſiſſimo-
rum ſibi hominum, qui ipſos perſequebantur
ut ipſos internecione delerent, ut ait Apoſto-
lus *, *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me* * Hebr.
tempus enarrantem de plurimis, *qui per fidem,* 11. 32. &c
*vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, ade-
pti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum,
extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gla-
dij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti
ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. Alij verò
ludibria & verbera experti, inſuper & vincula &
carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in oc-
ciſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in
pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; quibus
dignus non erat mundus, in ſolitudinibus erran-
tes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis ter-
ræ.*

Sed effectus, quos fides in ſanctis Martyri-
bus noſtris eſt operata, his omnibus ſunt præ-
ferendi, quia ij, qui ſe flagellis exceptos,
plâgiſque ac vulneribus confoſſos intuebantur,
inveniebant in fidei ſuæ firmitate conſtantiam
invincibilem, quâ mediâ ſua deridebant ſup-
plicia, & aures obturabant ſuas promiſſis li-
berationis ſui ipſorum, quæ ipſis vitam eri-
puiſſet infinitè meliorem eâ vitâ, quæ ab
ipſis auferebatur. Quot inveniemus ſummos
Pontifices, qui propter amorem Chriſti, vi-
tam maluerunt propriam profligare, quàm fi-
dem Chriſtianam deſerere? Quotnam millia
Martyrum reperiemus, qui ut fidem Chriſtia-
nam, quam profitebantur, proprio tuta-
rentur ſanguine, illum libentiſſimo profun-
dere non dubitaverunt animo? Ubi, quæſo,
ſunt undecim millia Anglarum Virginum,
eodem die ab Hunnis ferocibus ac barbaris
populis in contemptum Religionis noſtræ
morte peremptarum? Ubi tot millia Mar-
tyrum apud Perſas mandante ſic impio Re-
ge Sapore, martyrio coronatorum? Ubi im-
menſus militum Chriſti numerus, rabie Ne-
tonis, Diocletiani, Maximiani, & aliorum
hujuſmodi inferni titionum, è medio pro tu-
tanda verâ fide ſublatorum? Ipſa re verâ eſt
fides, quę Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Vir-
gines, ac Religioſę vitę Cultores ac Cultrices ad
perperienda ea, quę ſcimus, impulit; quia ſcie-
bant ſe, ultra gloriam, quâ ſe beandos tan-
dem ſperabant, *centuplum* n eorum, quæ paſſi n Matth. 19. 29.
furi eſſent in hac pręſenti vita, recepturos
eſſe.

Sed quemnam effectum, Auditores, opera-
ta eſt in vobis hęc fides Chriſtiana; quam
profitemini? Effecitne hęc fides ut æquo ſuſcipia-
tis animo infirmitates, anguſtias, tribulationes,
amiſſiones parentum, liberorum, propinquo-

rum, familiarium, & eventus inſauſtos, qui non ſuccedunt vobis ad votum, quæ *omnia* divina Providentia *in menſura, & numero, & pondere o* diſponit & ordinat, ut experimentum & probationem veſtræ virtutis deſumat? Fides Chriſtiana, cui tanquam militiæ ſacræ nomen dediſtis, & ſub qua dimicatis, redditne vos in omnibus, & ubique divinis conſormes voluntatibus? Impellitne vos hæc fides ut corde ſincero & integro condonetis has offenſas, quibus ab hoc excepti eſtis, & ne expetatis pœnas injuriarum vobis ab iſto irrogatarum? Propoſuiſtiſne vobis virtute hujus fidei malle potiùs vitam vos perdere, quàm ullo modo Legem divinam infringere? Induxiſtiſne in animum veſtrum inviolatâ fidelitate obſervare Quadrageſimæ ſacræ reliquias, & jejunia ſub peccati noxa lethiferi ab Eccleſiâ ſanctâ præcepta ijs omnibus & ſingulis, qui nullam legitimam prætexere poſſunt excuſationem? Multone proſequimini vitium odio, ſicut & ſenſibili virtutem affectu, & quidquid eſt Deo gratum & acceptum, quæ omnia ſunt effectus veri Chriſtianæ fidei, quam profitemini?

o Sap. 11. 21.

Ha! niſi ſuſcipiatis veluti procedentes è benigna Dei manu omnes tribulationes, adverſitates, anguſtias, aliaſve res importunas, quæ utplurimùm & ordinariè vobis poſſunt evenire; niſi ſubjaceatis his omnibus eventibus infauſtis cum generoſâ reſignatione adorandis ſupremæ Dei ſapientiæ decretis in bonum veſtrum ac in utilitatem veſtram vergentibus, exhibendâ; niſi ignoſcatis ijs, à quibus fuiſtis læſi; niſi ex toto corde veſtro injurias dimittatis vobis illatas; niſi veſtros ſalutetis inimicos, imò verò niſi illis benefaciatis, vel ſaltem niſi bonum eis deſideretis, cùm vires aut facultates illis benefaciendi non ſuppetent vobis; niſi zelo ducamini eorum omnium, quæ Deus & Eccleſia ſancta vobis præcipiunt; ſcitote in vanum vos gloriari de illuſtri fidei nomine. Omnes igitur veſtros adhibete conatus, quibus ad nihilum redigatis id omne, quod fidem veſtram mendacij poſſet inſimulare. Nam, ut ait Apoſtolus *p*, *an neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*; niſi conentur in bonam ſe recipere frugem, & vitam emendare priſtinam.

p 1. Cor. 6. 9. & 10.

II. Pars.

Inter inſignia quæ operatus eſt, & operatur quotidie Deus, mirabilia, non minimum obtinet locum illud mirabile, quo univit ipſemet Deus intellectui humano cognitionem certam ac infallibilem rerum altiſſimarum, quæ in ſola ſunt ſtabilitæ fide. Ita ut intellectus ordinariæ ſenſuū directioni aſſuefactus, ſicut & diſcurſus ratiocinationis humanæ moderamini ſubjacens, horum oblitus omnium, elevetur ſupra ſeipſum ad credenda plurima, quæ longè ſenſuum & rationis captum antecellunt, eaque ſciat majori cum certitudine ac infallibilitate, quàm ſi ea lumine cognoſceret naturali, imò verò quam ſi ea videret, aut tangeret. Et hæc eſt prima conditio neceſſaria ad fidem, ut ſit meritoria. Sed obſervandum à vobis eſt, fidem duos actus præ ſe ferre; alterum è parte intellectûs, quatenus ille credit cum firmitate, etiamſi obſcurè, & ſine integra & perfecta cognitione; alterum è parte voluntatis, prout ipſa intellectum redigit ad obedientiam exhibendam fidei, quę eidem dominatur intellectui; *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti q*. Quantò magis autem intellectum ſuum Deo ſubdit homo cum minoribus credendi motivis, cum minoribus rationibus humanis, tantò majori viget fides ipſius merito.

q 2. Cor 10. 5.

In hoc Divina ſe manifeſtat erga nos magnificentia, cùm communicat nobis gratias & dona ſupernaturalia, quæ captum intellectûs noſtri longè antecellunt, ſicut in cœlo *fecit Deus duo luminaria magna r*, quorum aſpectum tolerare non poſſint oculi noſtri, quin ſtatim caligent. Accendantur quantùmcumque libeat, imò verò infinitæ, ſi fas eſt, in ſuperficie terræ lampades, denſiſſimas inter, quibus involvitur nox, tenebras, nunquam tamen cœli faciem mediantibus his omnibus lucernis dignoſcere poteritis: Sic quantùmcumque inſumantur omnes ſubtilitates intellectûs humani à nobis, nunquam tamen ſufficient illæ, ut nobis certam ac infallibilem rerum Divinarum concilient notitiam, quæ comparari non poteſt niſi adminiculante radio Divino habitûs iſtius ſupernaturalis nobis in Baptiſmi Sacramento infuſi, putà fidei, quæ totam in via noſtræ ſaciat peregrinationis felicitatem. Deus ſe nobis prębet intuendum in hoc mundo mediante hoc lumine parùm obſcuro; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate s*; ut inde anſam accipiamus præbendi, recipiendo, & ſacrificandi ipſi ſacultatum animæ noſtræ longè nobiliſſimam, cùm integrè & perfectè noſtrum intellectum ipſius ſubdimus revelationibus, ſine quibus nunquam poſſet humana ratio concipere id, quod ipſa fides nos docet, ut innuunt Septuaginta *t*, & S. Auguſtinus *u* vertentes hæc verba Iſaię, *Si non credideritis, non permanebitis*, ſic, *Niſi credideritis, non intelligetis*. Quaſi dicerent: Niſi in captivitatem redigatis intellectum veſtrum ad credenda ea, quæ revelavit Deus, nunquam eorumdem veram & perfectam vobis comparabitis cognitionem.

r Gen. 1. 16.

s 1. Cor. 13. 12.

t Iſa. 7. 10. juxta LXX.

u S. Aug. tract. 27. in Joan.

Eſt Fides earum *rerum* quæ non videntur, ait Apoſtolus, *argumentum non apparentium*. Id eſt, earum, ad quarum notitiam pervenirí non poteſt ſolâ ratione, totumque illius meritum in eo eſt ſitum, ut intellectus in eam ſe redigat captivitatem, ut fide credat id, quod ratione non poteſt concipere; fide, inquam, quæ eſt certiſſima & infallibilis in ſeipſa, quia ipſa ſtabilita eſt in prima veritate, quæ eſt Deus, qui revelavit nobis omnia myſteria noſtra, & expreſsè pręcipit ut eis fidem adhibeamus.

Dividit fidem noſtram Theologia Scholaſtica in fidem formatam, & in fidem informem. Fidem aliquando comitatur charitas, & tunc vocatur ipſa fides formata, ſeu fides viva, quia ipſa ſuſcipit vitam à charitate, quæ eſt ipſa veluti fidei anima. Alias verò fides eſt, privata charitate, & tunc vocatur fides informis ſeu fides mortua; non quòd ipſa non ſit vera fides, ſed quòd denudatâ ſit illo ſplendore, illâ vitâ, illâ perfectione, & illo decôre, quibus afficitur, cùm ipſa eſt charitati unita. Hæc autem fides, quam comitatur charitas, hæc fides viva includit in ſe Divinorum obſervantiam mandatorum, ad quam nos inducit hæc fides formata. Hæc eſt enim res illi propria,

pria, cùm ipſa eſt formata, ut inducat hominem ad vivendum juxta regulas, quas ipſa illi præſcribit; Sic, cùm fides proponit nobis hanc veritatem certam & infallibilem, quippe quæ ex ore proprio primæ Veritatis Chriſti emanavit, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis* x; ſine dubio actum eſt de veſtra ſalute, nunquam veſtrorum indulgentiam conſequemini peccatorum, nec aliquando Divinam miſericordiam invenietis vobis propitiam, niſi bonæ conſenſum præbeatis amplectendę vitę, niſi priſtinam inter diſſolutiones & crimina tranſactam vitam veſtram mutetis in reformatam, & diſponatis vos ad agendam pœnitentiam; conamur ſtatim converti ex toto corde noſtro ad Deum mediâ pœnitentiâ. Et cùm ait; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum* y; ſtatim enitimur hanc Divinam perficere voluntatem, conformem reddentes vitam noſtram iis, quę fides ipſa nos edocet.

x Luc. 13. 5.
y Matt. 7. 21.

Sed heu! Quotnam, obſecro, invenirentur Chriſtiani, ſi diligentem eorundem inquiſitionem faceremus, qui non habent veram fidem? Seu quorum, ſi omnino fide ipſi privati non ſunt, fides non eſt fides viva, ſed fides mortua; non eſt fides formata, ſed fides informis; *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi* z. Non credunt in Deum fide vivâ, cùm mandata illius minimè obſervent. Nam credere in Deum, eſt Divinam illius perficere voluntatem; & Sanctus Jacobus aſſerit ipſam fidem ſine operibus mortuam eſſe; *Fides ſine operibus mortua eſt* a. Unde ritè dixit Sanctus Gregorius b, *Ille verè credit, qui exercet operando quod credit.* Et alibi c, *Tunc veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, operibus complemus.* Quaſi diceret, Oportere ut oſtendamus noſtris operibus fidem noſtram eſſe vivam & formatam, juxta id, quod ait idem Sanctus Jacobus d, *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus; & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.*

z Tit. 1. 16.
a Jac. 2. 26.
b S. Greg. hom. 26. in Evāg.
c Hom. 29. in Evang.
d Jac. 2. 18.

Non ſufficit autem credere duntaxat, & deinde otioſè nugari brachiis in crucis modum complicatis; ſed imitandus Apoſtolus e dicens, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionũ Chriſti, in carne mea.* Id eſt, quoad efficaciam per bona opera, non autem quoad ſufficientiam; cooperandum eſt cum gratia f. Si autem ſola fides eſſet neceſſaria, quare Apoſtoli & Martyres tot perpeſſi fuiſſent tormenta atque ſupplicia? Cur Confeſſores, Virgines, & Monaſticæ vitæ Cultores Religioſi tot ſubjacuiſſent pœnitentiis & mortificationibus? Nolite errare, Auditores, intendit Deus ut operi admoveamus manum, ut bonis incumbamus operibus. Evertere vult idem Deus Jericho civitatem g illam rebellem & infamem; ſed priùs præcipit ut Joſue ſuorum Dux exercituum caſtra metetur, ut ſe ad pugnam accingat, ut clangatur tubis, & ut tranſacto ſexto die muri civitatis funditùs corruant clangore tubarum infirmati. Quare hoc? Nunquid non poterat ſolus hæc mœnia evertere? Quis de hoc ambigit? Sed vult ut laboremus. Idcirco S. Petrus h ait, *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Loquitur Apoſtolus fidelibus, qui habebant fidem, ſed inſuper exigit ab eis bona opera. Sed quam turpiter hallucinantur ii, qui auſu temerario aſſerunt Deum incarnatum ſolviſſe pro nobis, jejunaſſe i pro nobis. Quid? Paradiſus debeturne nobis potiori titulo, quam dilectis ipſius deberetur? Apoſtoli habebant fidem; & tamen oportet ut patiantur k, & bonis incumbant operibus †. Applicanda ſunt nobis merita Chriſti. Id autem agimus mediis Sacramentis. Cooperatio noſtra ad id eſt neceſſaria, & ideo facienda ſunt opera bona.

e Coloſſ. 1. 24.
f 1. Cor. 15. 10.
g Joſ. 6. 2. &c.
h 2. Petr. 1. 10.
i Matth. 4. 2.
k Act. 5. 41.
† 1. Cor. 9. 27.

Sed profectò nunquid non fides noſtra potiùs eſt infidelitas? Ha! ſi crederemus ut par eſt, ageremusne id quod facimus? Tu dicis, Hæretice, te credere omnipotentiam l Chriſti; & tamen ipſe negas eundem Chriſtum poſſe ſuum Corpus eodem tempore in diverſis locis collocare. Tu dicis, Catholice, te credere veram & realem præſentiam Salvatoris tui in ſanctiſſimo Altaris Sacramento m, teque ibi adorare Divinitatem illius una cum ejus humanitate; & tamen in Templo, & præ oculis ipſius tu jocaris & rides cum tanta impudentia ac ſi eſſes in foro, & in innumeras prorumpis irreverentias. Exhibe effectibus & operibus bonis vivam fidem & non mortuam, formatam & non informem. Tu credis ſacratiſſimam Euchariſtiam eſſe originem fortunatam, & fœcundam omnium gratiarum, quas Deus noſtris communicat animabus: Et tamen, cæcitatem ſanguineis deflendam lacrymis! ad eam non accedis niſi vice unicâ per totius anni decurſum. Sed ingredereriſne, quæſo, unicâ duntaxat vice ſingulis annis theſauros regios, ſi ad eos tibi daretur acceſſus toties quoties in eos velles intrare, & tibi ampla daretur copia inde auferendæ pecuniæ quantum velles? Credo quòd non. Oſtende ergo fidem tuam ex operibus. Tu credis, Deum miſiſſe *diluvium* n univerſale, quod totam terræ ſuperficiem interfectricibus immerſit aquis; & deinde pluiſſe *ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo; & civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia* o ſubvertiſſe, ut de reatu luxuriæ illorum condignam ſumeret vindictam; Et tamen tu eandem non vereris punitionem; iiſdem, quibus infames illi indulgebant, impuritatibus & ſordibus immergeris. Tu credis, in judicio univerſali p reddendam rationem eorum omnium, quæ geſſerint homines, ſive bona, ſive mala; diſcutienda ibi omnia verba, imò *quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* q. Et tot nihilominus diebus ſingulis verba profers mendacia, diffamantia, ſordibus & blaſphemiis referta. Tu credis æternam damnationem peccatoris obſtinati, qui nullâ peractâ pœnitentia moritur *in peccatis* r. Et tamen poſt tot patrata peccata lethifera nequaquam de pœnitentia cogitas exercenda. Tu credis, Deum peccatori promiſiſſe indulgentiam peccatorum ipſius, ſi convertatur ad ipſum ex toto corde ſuo: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor* s: ſed non pollicitum eſſe ſe daturum ei tempus, quo pœnitentiæ incumbat, ut Divinam placet ipſius iracundiam: Et tu pœnitentiam in craſtinum ſemper differs, tuam nolens emendare vitam. Tu cre-

l Eſth. 13. 9.
m Matth. 28. 20. & 1. Cor. 11. 24.
n Gen. 7. 17. &c.
o Gen. 19. 24. & 25.
p Matth. 25. 31. &c.
q Matth. 12. 36.
r Jo. 8. 21.
s Ezech. 18. 21. & 22.

credis, dixiſſe Dei Filium; *Quòd ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra* t: Et tamen nihil aliud volvis animo, niſi quo pacto nocere poſſis ei, à quo malè exceptus es, & reciprocam illi vicem rependere, injuriam pro injuria tibi irrogata ab eo exacturus, ſed tanta præ ſolicitudine, ut ſi videres eum pergentem ad furcas mox ſuſpendio periturum, maximâ perfundereris voluptate. Tu credis, nobis non ſufficere habere fidem habitualem infuſam nobis in Baptiſmate, ut ſalutem noſtram operari poſſimus æternam, ſi cùm ad ætatem rationis & diſcretionis pervenimus capacem, ejuſdem fidei non exeramus actus; non ſecus ac non ſufficeret militi accepiſſe teſſeram vigiliarum, ſi temporibus & in locis congruis rogatus non exhiberet hanc teſſeram: Et tamen hoc ipſum eſt, quod maximoperè negligis. Si comminiſcatur aliquis cantilenam aliquam novam ad riſum & ad cachinnos provocantem, illam ſummo conaris addiſcere ſtudio: Et nihilominùs nullo curas edoceri articulos fidei modo, etiamſi tenearis eos ſcire, niſi de verbo ad verbum, habitâ ratione duræ memoriæ tuæ, ſaltem quoad ſubſtantiam eorundem ſingulorum articulorum, ſub pœna peccati lethiferi, & damnationis æternæ: Quomodo enim produces actus fidei, ſi neſcias in ſpecie quid debeas credere, & ad quamnam rem determinare fidem tuam?

t Marc. 11. 26.

Agnoſce igitur Chriſtiane, deſidiam tuam, & proſtratus ante pedes adorandi Salvatoris tui, cujus uſque nunc deſpexiſti liberalitates, fatere ingenuè, ſed præ ſenſibili contritione, te non miſumpſiſſe fidem, lumen iſtud cœleſte, *talentum* u hoc ſupernaturale quod ipſe tuis commiſerat manibus, juxta finem ob quem talentum iſtud tibi dederat: confitere te nullam habere fidem, vel ſi aliquantula ſuperſit tibi, eam ſummoperè eſſe exiguam, nec eſſe formatam fidem & vivam, ſed fidem informem & mortuam. Et ſicut ille eſt *omnipotens* x qui eam efficiat vivam, obſecra eum ut tibi eam largiatur talem; adjura eum lacrymis perfuſus, & dicito ei mecum. Meâ, ingenuè fateor, culpâ, Salvator adorande, nondum negotiatus ſum fidei theſaurum, quem mihi (licèt immerito) indulſeras; nullum invenio excuſandæ deſidiæ meæ locum, ita ut dignum me exiſtimem ut pœnas luam conformes ijs, quibus puniti ſunt illi, qui cùm fidei bonam non univiſſent conſcientiam, & recta opera, eandem amiſerunt fidem; *circa fidem naufragaverunt* z. Ne intuearis, quæſo, demerita mea, illumina me fide vivâ, ut mediâ cœleſti hâc lampade invenire poſſim viam ſalutis, & mereri gratiam tuam in hac vita, & gloriam tuam in altera.

u Matth. 25. 28
x Eſth. 13. 9.
z 1. Tim. 1. 19.

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE.

Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. 1. Cor. 1. 23.

MOyſes intuens aliquando ſe intricatum quoad fabricam tabernaculi, quod ædificare volebat Deo, ecce audivit vocem de cœlo dicentem ſibi, *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* a. Quandiu ego ſolicitus eram de proſequenda materia, quam incepi à diebus quindecim, & quomodo reddere corda veſtra poſſem tabernacula Dei vivi, & templa Spiritûs ſancti, ſecreta inſpiratio videtur hanc vocem formaſſe in interiori meo, *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt*. Ut nimirum meæ mentis oculos continuarem projicere ſuper montem Calvariam, ut ibi videns Jeſum Chriſtum crucifixum, illius imaginē in cordibus veſtris denuò efformarem, repræſentando vobis iterùm paſſionem illius & crucem. *De illo enim tabernaculi veteris typo, hæc verba ad literam eſſe accipienda, docet S. Stephanus* b, *& patet ex promiſſione quam fecit hîc* c *Deus Moyſi. Secundò, Ex Apoſtolo* d *liquere videtur, hîc etiam à Deo oſtenſum fuiſſe exemplar anagogicum, res videlicet cœleſtes & tabernaculum ſpirituale, quod hoc materiali ſignificabatur; quaſi ſecundum hoc jubeatur hîc Moyſes fabricare ſuum materiale tabernaculum, videlicet ut illi ſpirituali quaſi ſuo antitypo reſpondeat, illudq; aptè ſignificet & repræſentet; quamvis Scriptura res illas cœleſtes & ſpirituales hîc non explicet. Ita ſentit Beda*, dicit Cornelius e. Nolo igitur continuare prædicare niſi Jeſum Chriſtum crucifixum, *non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ* f, ſed in ſimplicitate devotionis. Geram me inſtar apis, quæ tranſit per omnes flores, ut componat dulcediné mellis ſui ex amaritudine thymi: ſic inter omnes flores horti ſacræ Scripturæ, è terebintho crucis, *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos* g, unde pendet eximius *flos campi* h, ſcilicet Jeſus Chriſtus, ex amaritudine crucis huius, inquam, educemus ſuavem devotionem, veluti *mel de petra* i viva. *Petra autem erat Chriſtus* k. Pſalmiſta *l* dicit quòd Deus exire faciebat mel de petra ad ſaturandos Iſraëlitas, *De petra, melle ſaturavit eos*. Hęc petra eſt Salvator, ut audiſtis modò: ex iſta ergo petra faciemus exire ſcintillas dilectionis & affectionis ad inflāmandas voluntates noſtras, & ad diligendum amore reciproco eum qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m. Quòd ſi corda noſtra ferrea ſunt, *& quaſi malleatoris incus* n, ſtricta, attrahentur ab hoc magnete: & ſi in eis ſunt paleæ vanitatis, hæc petra eſt ſuccinum, quod trahit paleas: Jeſus Chriſtus cruci ſuffixus nos renunciare faciet omni generi vanitatis: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. Hanc virtutem & ſapientiā Dei ſtatui prædicare vobis his quatuor reliquis diebus Veneris quæ remanent ante majorem Hebdomadam, vobis oſtenſurus præcipua myſteria virtutis & ſapientiæ hujus. Hodiernâ verò die ibimus cum illo *in montē Olivarum* o, ubi cœpit ipſius paſſio, ibique conſiderabimus triſtitiam & agonem ipſius. Imploremus gratiam & auxilium Spiritûs ſancti, interventu Reginæ gratiæ, dicendo ei humiliter cum Angelo, *Ave Maria*.

a Exod. 25. 40.
b ex Act. 7. 44.
c ex Exo. 25. 9.
d ex Heb. 8. 5.
e Cornel. in Gen. 25. 40.
f 1. Cor. 2. 1.
g Eccli. 24. 22.
h Cant. 2. 1.
i Deut. 32. 13.
k 1. Cor. 10. 4.
l Pſ. 80. 17.
m Epheſ. 5. 2.
n Job 41. 15.
o Luc. 22. 39. &c.

Naturales tractātes de natura animalium, cùm loquuntur de natura leonis, dicunt quòd iſtud animal habet vim admirabilem à parte anteriori corporis ſui, ſcilicet à parte capitis, pectoris, & crurum anteriorum. Iſtius autem dant ipſi ratio-

tionem, dicentes, quòd hoc provenit ex eo, quòd Sol dominatur ei quantùm ad partem anteriorem, & communicat illi virtutem ſuam modo ſpeciali, & quòd propterea iſtud animal eſt ſymbolum fortitudinis & imperii: ſed quantùm ad partem poſteriorem hoc animal eſt debile, & exiguas habet vires, eò quòd, inquiunt ipſi, quantùm ad iſtam partem, elementum terræ dominetur ei, quæ terra communicat ei infirmitatem & debilitatem ſuam; unde fit ut inde quandam leo trahat formidinem, ſic ut ipſius fortitudini & generoſitati immiſceatur pavor; non ſecus ac iidem naturales obſervant, quòd idem leo tremore concutitur, ſi folia quercus moveri videat; & quòd ad galli cantum pavore percellitur æquè ac tremore: Hoc ipſum quod Naturales referunt de naturâ leonis, potiori jure dicere nos poſſumus de Jeſu Chriſto, qui eſt myſticus *Leo de tribu Iuda*, ſicut illum vocat S. Joannes p. *Qui dictus eſt Leo propter fortitudinem, Regiam dignitatem, ac imperterritum animum*, ait Dionyſius Carthuſianus q poſt hunc Apoſtolum. Vultiſne autē ſcire quomodo hoc? Obſervate, ſi placet, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus erat compoſitus è duabus naturis, è naturâ Divinâ, & è naturâ humanâ: *Verbum caro factum eſt*, ait idem S. Joannes r. Et poſt eum idem Carthuſianus ſ, *Verbum, id eſt, unigenitus Filius Dei verus Deus, in ſe aeternaliter ſubſiſtens, caro, id eſt, homo verus factum eſt, aſſumendo humanam naturam ad propriam perſonalitatem, utpote ſubſtantificando eam in ſemetipſo, conferens ei ſubſiſtere in eodem eſſe, in quo & Verbum ſubſiſtit, ita quòd Verbi atque aſſumpta humanitatis eſt una hypoſtaſis, eademque ſuppoſitalitas, ſeu ſubſiſtentia perſonalis: nam & ipſum Verbum eſt ſuppoſitum ſubſtantificans humanitatis ſibi unita. Sumitur ergo hoc loco pars pro toto, videlicet caro pro homine, quemadmodum & in Pſalmo* t, *Ad te omnis caro veniet*. Si conſideremus Naturam Divinam, reperiemus in eâ fortitudinem, generoſitatem, & imperium leonis ſuper omnia; ſi tamen intuitus noſtros projiciamus ſuper naturam humanam, inveniemus in illâ debilitatem & infirmitatem, pavorem & timorem; imò verò ſi conſideremus Dominum noſtrum, prout hominem, unitum tamen Deo unione hypoſtaticâ, reperiemus etiam in eâ proprietates leonis: nam ſecundùm partem ſuperiorem quæ eſt rationalis, per quam anima ipſius beata clarè videbat Eſſentiam Divinam, fortis erat ut leo, & ſecundùm hanc partem nullo modo timebat tormenta quæ paſſurus erat, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſquedum perficiatur* u. Secundùm hanc etiam partem ſuperiorem, ut leo generoſus, inimicis ſuis qui veniebant apprehenſum ipſum, obviàm *proceſſit* x. Sed ſecundùm partem inferiorem, ipſe timidus eſt ut leo; ecce commotio foliorum quercus percellit ipſum tremore; id eſt, conſideratio arboris crucis, flagellorum, ſpinarum, clavorum, & malleorum, quæ omnia erant veluti folia iſtius arboris crucis, incutiunt ipſi timorem: ecce myſticus iſte leo tremit ad cantum galli, præ conſideratione tormentorum quæ paſſurus erat, & præſertim repræſentando ſibi, quòd Petrus qui erat Apoſtolici Collegii ſui Caput y, erat ipſum negaturus ter in medio afflictionum ſuarum; repræſentando ſibi, inquam, galli cantum, qui erat ſignum futuræ negationis ejuſdem Petri, ſicut ipſemet *ait illi, Amen dico tibi, quia in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis* z. Præ ſuæ mentis oculis igitur ponens iſtum galli cantum, *cœpit pavere, & tædere*, ait S. Marcus a. *Id eſt, naturalem horrorem & fugam ſive faſtidium mortis habere in parte animi inferiori, non tamen inordinatè*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus b. *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe*, dicit S. Matthæus c. Et poſt eum idem Carthuſianus d, *Cœpit contriſtari in animâ quantùm ad partem ſenſitivam & naturalem affectum. Et mœſtus eſſe, quantùm ad apparatum exteriorem in verbis ac geſtibus.*

p Apoc. 5. 5
q Dion. Carth. art. 6. in Apoc. 5. 5
r Joan. 1. 14
ſ Dion. Carth. art. 5. in Joan. 1. 14
t Pſ. 64. 3
u Luc. 12. 50
x Joan. 18. 4
y Matth. 16. 18. & 19.
z Matth. 26. 34
a Marc. 14. 34
b Dion. Carth. art. 14. in Marc. 14. 33
c Matth. 26. 37
d Dion. Carth. art. 42. in Matth. 26. 37

Philoſophi dividunt regionem aëris in duas partes, in partem ſuperiorem, & in partem inferiorem. Pars ſuperior eſt ea, quæ accedit ad ſphæram ignis, & hæc perpetuâ ſerenitate gaudet, ipſa nunquam turbatur turbinibus & tempeſtatibus, ipſa non eſt obnoxia tonitruis, nec pluviis. Pars inferior eſt ea, quæ approximat ad terram, & hæc eſt obnoxia ventis, tonitruis, grandinibus, imbribus, turbinibus, & tempeſtatibus, quibus impetitur perſæpè. Similiter dico quòd anima Domini noſtri Jeſu Chriſti duas habet partes, partem ſuperiorem, & partem inferiorem. Pars ſuperior accedebat ad ignem Dei, ipſa fruebatur gaudio continuo cauſato à viſione beatificâ Divinæ Eſſentiæ: eſt enim opinio omnium Patrum & Doctorum Eccleſiæ, quòd anima Jeſu Chriſti ab inſtanti incarnationis ſemper fuit beata, fruens viſione Divinæ Eſſentiæ, & ſecundùm hanc partem ipſa ſemper fuit ſerena & quieta. Pars inferior quæ participabat terram, agitata fuit ventis afflictionum, turbata fuit nubibus denſis immodicæ triſtitiæ, & obnoxia innumeris anguſtiis, ut ipſemet diſcipulis ſuis *ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* e. Et alibi, *Nunc anima mea turbata eſt* f. *Id eſt, vehementer mota, non tamen inordinatè affecta*, ſubdit idem Carthuſianus g. Et ſtatim ait, *Turbatio iſta fuit in animâ Chriſti, quantùm ad inferiorem ejus partem, & appetitum ſenſitivum, non ex infirmitate, ſed praviâ rationis deliberatione, abſque ſuperioris partis animæ inquietudine: unde nomine perturbationis aliud nihil deſignatur, niſi ingens commotio appetitus ſenſitivi, inſtantem paſſionem naturaliter abhorrentis, ex praviâ imaginatione illius, ipſâ ratione talem paſſionem imperante, ad inſinuandum veritatem humanæ naturæ in Chriſto.* En principium paſſionis Jeſu Chriſti, qui ingreditur hortum Olivarum, ad reparandam ibi culpam quam Adam commiſerat in paradiſo terreſtri h, & ſtatim timore & triſtitiâ afficitur. Videamus illius timoris & triſtitiæ cauſas in progreſſu hujus diſcurſus.

e Matth. 26. 38
f Joan. 12. 27
g Dion. Carth. art. 31. in Joan. 12. 27
h Gen. 3. 6
Propoſitio.

Et primâ fronte poſſet aliquis à me petere, quomodo iſtud fieri poſſit, cùm Salomon dicat in Proverbiis ſuis, *Non contriſtabit Iuſtum, quidquid ei acciderit* i. Et, *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit* k. Videtur (dicetis mihi) Scriptura ſacra ſibi contradicere, cùm Sapiens dicat quòd Juſtus non poſſit corripi timore, nec triſtitiâ; Evangeliſtæ verò è contra nobis repræſentent Jeſum Chriſtum, qui ſanctitatem Juſtis omnibus impertitur, *Ego Dominus ſanctificans eos* l, triſtitiâ & pavore affectum. Prætereà, Mihi poſſetis objicere id quod canit Eccleſia de S. Andreâ, *Cùm perveniſſet beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit & dixit: O bona crux, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus qui pependit in te.* Iſte S. Apoſtolus ſalutavit crucem ut chariſſimam Sponſam ſuam, eamque amplexus eſt ut rem, quam vehementer deſiderabat, nedum il-

i Prov. 12. 21
k Prov. 28. 1
l Ezech. 20. 12

lius intuitu, pavore concuteretur. S.Ignatius *m* Martyr dicebat, *Ignes, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò ut Ieſum nanciſcar.* Et tot ſanctæ Virgines ætatis teneræ, & conſtitutionis delicatæ magnanimiter ſe Tyrannis obtulerunt ad ſuſtinenda univerſa tormentorum genera propter amorem Ieſu Chriſti, nedum fuerint ipſæ pavore & timore percuſſæ intuitu ſuppliciorum: quomodo ergo Ieſus Chriſtus qui magnanimitatem largitur aliis, & qui, prout *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* n, dicebat aliàs Ieremiæ, *Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego ſum, ut eruam te* o: videns quòd ſua mors appropinquabat, *cœpit pavere & tadere* p, *contriſtari & mœſtus eſſe*, dicendo, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* q? Ipſe, inquam, qui aliquantò antè ſic acriter corripuerat S. Petrum, qui impedimentum volebat afferre morti ipſius, vocando eum Satanam; nam cùm *cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere: & aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens, Abſit à te Domine: non erit tibi hoc: converſus, dixit Petro, Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum* r. Ipſe, qui ſemper exhibuerat ſe cupidum ſuſtinendæ mortis crucis, juxta hæc verba ipſius ſuprà relata, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſquedum perficiatur* ſ. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum t, *Baptiſmo habeo baptizari, hoc eſt, mihi incumbit & reſtat ex præordinatione Divinâ, ut baptiſmo ſanguinis, ſcilicet, proprii cruoris effuſione, inſtar aquæ, perfundar, atque intingar in cruce pro totius mundi redemptione. Et quomodo coarctor, id eſt, ſecundùm judicium rationis ad paſſionem hanc vehementer afficior, tum ex amore Divino, quo Patris honorem inſtaurari peropto, ut ejus cœleſte Regnum adimpleatur, tum ex amore hominum, quorum ſalutem exopto. Hinc Chriſtus in noviſſimâ profeſſus eſt cœnâ, Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequàm patiar* u. *Itaque coarctor uſquedum perficiatur, hoc eſt, quouſque mea paſſio conſummetur, & dicam, Conſummatum eſt* x. *Chriſtus enim inceſſabiliter fuit in actu interiori dilectionis.* Et tamen ſtatim ac iſta dies advenit, ipſe triſtitiâ afficitur, & *ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* y.

m S.Ignat. Epiſt.15. ad Rom.
n Joan.1.18
o Jer.1.8
p Marc.14.33
q Matth.26.37.& 38
r Matth.16.21.&c.
ſ Luc.12.50
t Dion. Carth.art.34 in Luc.12.50
u Luc.22.15.
x Joan.19.30
y Matth.26.38

Doctores hic obſervant multas cauſas triſtitiæ Jeſu Chriſti præcipuas. Quarum prima eſt, quòd Dominus noſter, prout Deus & homo ſimul, videbat in Divinitate ſuâ omnia tormenta, quæ humanitas ſua jam jam paſſura erat pro nobis, quaſi præſentia fuiſſent, & quaſi ipſe fuiſſet ea intuitus in ſpeculo: ipſe videbat flagella, ſpinas, clavos, ignominias, injurias, & cætera quæ paſſurus erat: & hæc repræſentatio fuit ita viva, ſic præſens, & ita urgens, ut niſi Divinitas ipſius humanitatem ſuſtinuiſſet, infallibiliter ipſius anima egreſſa fuiſſet ex ipſius corpore præ triſtitiâ & faſtidio propter tot dolores tolerandos. Nunquid enim non verum eſt quòd Medicus infirmus reddit morbum ſuum graviorem & faſtidioſiorem propter cognitionem quam illius habet? & cùm ſciat pharmaca amara, è quibus compoſita eſt medicina, quæ ab ipſo haurienda eſt, hæc eadem medicina eſt ipſi hauſtu difficilior quàm illi qui ignorat illius mixtionem, & qui neſcit quidnam ſit in potu qui ipſi porrigitur ſumendus: ſic dicimus, quòd clarus intuitus dolorum quos Dominus noſter paſſurus erat, ſeu cognitio quam ipſe habebat amaritudinis calicis ſuæ paſſionis, quam ſorbere debebat, augebat ipſi timorem & triſtitiam, *Qui addit ſcientiam, addit & laborem* z. Seu, ut alii legunt, *dolorem*. Atqui Dominus noſter habebat ſcientiam integram & cognitionem perfectam omnium tormentorum, quæ paſſurus erat: ſic iſta ſcientia reduplicabat ipſi afflictionem ſuam, & ſic augebat ipſi timorem, ut inde pavore & tremore concuteretur.

z Eccl.1.18

Quandiu ab impio & ſacrilego Rege Baltaſſar profanabantur in convivio *vaſa aurea & argentea quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo quod fuit in Ieruſalem: in eâdem horâ apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur* a. Sic Dominus noſter, qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* b, videns manum vindicem Divinæ Juſtitiæ ſcribere contra ſe decretum mortis in chartâ crucis, *cœpit pavere & tadere* c, colorem amittere, & pallere; & tremore æquè ac timore concuſſus, *ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* d.

a Dan.5.1.&c.
b Apoc.19.16
c Marc.14.33
d Matth.26.38

Secunda cauſa triſtitiæ, ſeu anguſtiæ, quam patiebatur ipſius anima, fuit conſideratio & memoria exiguæ utilitatis quam maxima pars hominum eſſet relatura è mediis ſuæ incarnationis, paſſionis, & mortis; & quòd tantus ſanguis effuſus pro ſalute hominum, contemnendus eſſet & conculcandus. Iſtud eſt de quo ipſe queritur per Pſalmiſtam e ſuum, *Sicut aqua effuſus ſum.* Sanguis meus effuſus eſt inſtar aquæ. Non latet vos, quòd cùm effunditur aqua immunda & fœtens, nemo de ejus effuſione dolet, ſicut doleret unuſquiſque de effuſo aliquo pretioſo liquore; ſed non eſt aliquis qui non deſpiciat eam, incedat ſuper illam, & ipſam conculcet: ſic idem eſt ac ſi diceret Salvator, Prævideo quòd ſanguis meus contemnetur & conculcabitur, non ſecus ac ſi eſſet aqua immunda, quæ projicitur ob impuritatem ſuam, & propter fœtorem ſuum; & hæc prævìſio talis contemptûs, & ſic ingentis ingratitudinis hominum, cauſat mihi dolores mortis: *Quæ utilitas in ſanguine meo?* ait ipſemet per eundem Pſalmiſtam f ſuum, licèt ſit ita pretioſus. Et per Dionyſium Carthuſianum g, *Hoc eſt, quis fructus incarnationis & vitæ meæ, atque effuſionis ſanguinis mei?* Et ideò, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* h. Dicebat Eccleſiaſtes i, *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub Sole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro utrùm ſapiens aut ſtultus futurus ſit.* Si Salomon deteſtabatur omnes labores ſuus, & univerſas curas ſuas quibus vacaverat ad acquirendas divitias hæredi, de quo ignorabat num ſapiens futurus eſſet, vel ſtultus; & ſi vehementer verebatur ne hæres hujuſmodi diſſiparet omnem ſubſtantiam quam ipſe illi acquiſiviſſet tot laboribus: quantò potiori ratione Jeſus Chriſtus deplorare debebat pretioſum theſaurum ſanguinis ſui, & quantò vehementius contriſtari debebat, cùm ipſe non ignoraret, ſicut ignorabat Salomon, ſed certò ſciret, quòd hæredes ſui futuri eſſent ſtulti, quantùm ad maximam ipſorum partem,

e Pſ.21.15
f Pſ.29.10
g Dion. Carth.in expoſit.literali in hunc locū,
h Matth.26.38
i Eccl.2.18

tem, videns quòd deberent diſſipare & in malos uſus convertere divitias quas ipſis acquiſiverat tot laboribus, pœnis, & ſudoribus; imò verò conculcare ipſum, *& ſanguinem teſtamenti pollutum ducere, in quo ſanctificati ſunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam* k *facere. Et ſtultorum infinitus eſt numerus* l, *Sed Deus eorum numerum novit. Stulti autem in Scripturis vocantur univerſi, qui dono ſapientiæ carent, omnes videlicet qui in mortali ſunt culpâ, quia in illis puerilitatis vitium ſeu inſipientia regnat: quoniam ſummo, infinito, & invariabili Bono præferunt vana, carnalia, & caduca, ſicut pueri poma & pira auro & gemmis præponunt, ſic ipſi ſenſibilia & terrena ſpiritualibus & Divinis*, ait Carthuſianus m. Hic autem intuitus ſic ipſum affligebat ut diceret, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* n.

k Hebr. 10 29
l Eccl. 1. 15
m Dion. Carth. art. 2. in Eccl. 1. 15
n Matth. 26. 38

Tertia cauſa triſtitiæ animæ ipſius, erat conſideratio anguſtiarum, quas ipſius beatiſſima Genitrix paſſura erat propter mortem ipſius, prævidendo eam veluti ſtantem *juxta crucem* o ſuam; & intuitus omnium tormentorum, quæ univerſi Martyres toleraturi erant propter fidem, & omnium laborum quos cuncti Electi & Juſti paſſuri erant; quæ omnia habebat ipſe ſic intimè animæ ſuæ præſentia, ac ſi ipſemet illa paſſus eſſet: hæc enim omnia habebat ipſe unita ſibi amore cordiali: & quicunque tangebat aliquem ex Electis ipſius, tangebat pupillam oculorum ipſius, ſicut ipſemet ait eis, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* p. Tandem, Ipſe paſſus eſt in animâ ſuâ omnia tormenta quæ Martyres unquam pertulerunt q, & patientur unquam in corporibus ſuis: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, ait Iſaias r. Dico aliquid amplius, quòd affectus quo ipſe diligebat nos, tantus erat, ut videns coram ſe omnes noſtras afflictiones, perſecutiones, tribulationes, tentationes, anguſtias, triſtitias, formidines, & infirmitates vel minimas quas eramus paſſuri, eis compati voluerit, illaſque omnes ſuſtinere in animâ ſuâ amore pluſquàm paterno. Et ſi Apoſtolus S. Paulus ſ tantam præ ſe charitatem & perfectionem ferebat, ut experiretur in ſeipſo per compaſſionem omnes infirmitates & dolores afflictorum, *Quis infirmatur, & ego non infirmor*? quantò potiori ratione poſſumus hoc verificare de Salvatore noſtro, à quo S. Paulus tenebat id omne quod habebat virtutis. *Quid habes quod non accepiſti* t? Quantò potiori jure dicere poterat ipſe tempore triſtitiæ ſuæ, *Quis infirmatur, & ego non infirmor*? Quis ex vobis triſtis eſt & afflictus, & ego non compatior triſtitiæ & afflictioni ejus? Cùm & idem S. Paulus ſcribens Hebræis u, volens eos exhortari & animare ad currendum ad Salvatorem noſtrum cum fiduciâ in afflictionibus & tribulationibus ſuis, dicat, loquens de eodem Domino noſtro: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* O quàm ritè ipſe oſtendit in horto Olivarum, quàm magna erat compaſſio, quâ afficiebatur ipſe erga infirmitates noſtras, cùm hæc conſideratio tantam triſtitiam cauſaverit animæ ipſius, ut parum abfuerit quin ipſe eâ mortuus fuerit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* x.

o Joan. 19. 25
p Zach. 2. 8
q Hebr. 11. 33. &c.
r Iſai. 53. 4
ſ 2. Cor. 11. 29
t 1. Cor. 4. 7
u Hebr. 4. 15
x Matth. 26. 38

Quarta cauſa ipſius triſtitiæ, eſt, quòd ipſius anima clarè videbat omnia peccata quæ unquam fuerunt commiſſa; quæ committuntur, & quæ committentur unquam uſque ad conſummationem ſeculorum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* †. Hæc ipſius anima beatæ tres conſiderabat res terribiles quæ ſunt in eis, ſcilicet illorum numerum innumerum *, enormitatem eorum infinitam propter injuriam quæ fit infinito † Deo in illis, & maximum damnum quod illa cauſant homini, projiciendo eum *in ſupplicium æternum* y. Hæc omnia afficiebant ipſum immodicâ triſtitiâ & afflictione, quandiu ipſe ſibi repræſentabat inſuper deformitatem peccati. Eſt autem pro comperto, quòd, ſi Deus homini permitteret ut videret peccata ſua, & conſideraret illorum enormitatem & deformitatem, cor iſtius hominis contereretur dolore, ſi concipere poſſet magnam injuriam quam intulit Deo omnipotenti, quam vilis æſtimaverit Creatorem & Redemptorem ſuum, & quomodo contempſerit & conculcaverit mandata illius, à quo ipſe ſuſcepit eſſe naturæ, & eſſe gratiæ, & à quo ſuſcipit omnia bona quæ ipſe poſſidet. Quòd ſi poſſet concipere deformitatem animæ ſuæ propter peccatum ſuum, quippe quæ *denigrata eſt ſuper carbones* z, & quam velut indignam idem peccatum privat pulchritudine & nobilitate, in quâ Deus ipſam creaverat, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* a: quam mutavit in imaginem, & in ſimilitudinem diaboli: ſi, inquam, homo videre poſſet imaginem animæ ſuæ ſic deformatæ, neceſſariò moreretur præ horrore quem conciperet illius: atqui cùm Dominus noſter videret omnia peccata graviſſima quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ unquam erunt, cùm ipſe maximo duceretur zelo gloriæ & honoris Patris ſui, & ſciret quòd peccatum eſſet commiſſum in dedecus & contemptum illius, *& ipſe peccata* b noſtra tuliſſet, quaſi verò ipſe ea commiſiſſet, hoc cauſabat ipſi dolorem ſic immodicum, & anguſtias ſic acres, ut, niſi ſua Divinitas roboraſſet humanitatem ſuam, & præbuiſſet ipſi vires ad languendum in hâc afflictione, proculdubiò mortuus fuiſſet ipſe triſtitiâ. Ha! numquid non hæc ſola conſideratio inducere nos deberet ad ingrediendos noſmetipſos, ad recipiendos nos in meliorem emendatioris vitæ frugem, & ad proteſtandum Deo, quòd firmiter ſtatuamus, nos electuros potiùs obire mortem, quam ipſum offendere in ullâ re peccati mortalis, imò verò quam affectu patrare peccata venialia, quæ nobis viam ſemper pandunt ad committenda peccata mortalia?

† Hebr. 4. 13
* 2. Paral. 36. in fine, in Orat. Manaſſ.
† Baruch 3. 25
y Matth. 25. 46
z Thren. 4. 8
a Gen. 9. 6
b Iſai. 53. 12

Multæ ſunt aliæ cauſæ, quas omitto ad vitandam prolixitatem: ſed iſtæ ſunt præcipuæ, quæ redegerunt ipſum ad talem triſtitiam ut coactus fuerit exclamare, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* c. Quantùm ad objectiones prædictas, & primò ad illam, ubi Salomon d ait, *Non contriſtabit Juſtum, quidquid ei acciderit*, reſpondet Lyranus, ſcribens in hunc locum, Salomonem loqui ibi de triſtitiâ quæ faciat hominem juſtum deſpondere virtutem & animum, *Triſtitiâ dejiciente à virtute, qua fortunam adverſam patienter tolerabit.* Atqui non latet nos, quòd hæc triſtitia nunquam ſic dejecit Salvatorem ut ipſe exciderit animo, & quin pars animæ ipſius ſuperior & rationalis deſideraverit ſemper pati, ſicut innuunt hæc verba ipſius, Patrem ſuum ſic deprecantis, *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me. Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat* e. Secundò quantùm ad alteram, ubi Salomon ſ dicit, *Juſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit*, reſpon-

c Matth. 26. 38
d Prov. 12. 21
e Luc. 22. 42
ſ Prov. 28. 1

reſpondet Gloſſa ordinaria, quòd Salomon in iſto loco non vult vituperare timorem rationalem, ſed vult laudare fiduciam quam Juſtus habet in Deum, *Quia ſi moriatur in perſecutione, in refrigerio erit*, agit Gloſſa ordinaria g. Sic comparat Salomon Juſtum leoni, qui, ut dicebam ſuprà, ſic fortitudini ſuæ confidit anteriori ut videatur inconcuſſus; & tamen propter infirmitatem poſteriorem tremore concutitur ad galli cantum, *Leo gallum, & maximè album veretur*, ait S. Ambroſius h. Similiter Juſti ſecundùm partem ſuperiorem & rationalem ſunt leones intrepidi; ſed ſecundùm partem inferiorem & animalem, percelluntur immodico timore: *Hilarion continentiâ & humilitate fuit incredibili. Quibus aliiſque virtutibus varias horribileſque tentationes diaboli ſuperavit, & innumerabiles dæmones in multis orbis terræ partibus ex hominum corporibus ejecit. Qui octogeſimum annum agens multis ædificatis monaſteriis, & clarus miraculis, in morbum incidit: cujus vi cùm extremo penè ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? Quibus in verbis ſpiritum exhalavit*, canit Eccleſia in ejus legendâ.

g Gloſſ. Ordin. in Prov. 28. 1. ex Sap. 4. 7

h S. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 4

Quantùm verò ad id quod diximus, quòd tot Sancti, & tot Virgines ibant cùm gaudio & cum lætitiâ ad mortem, iſtud verum eſt, ſed auſcultate quid circa hoc S. Ambroſius i dicat de Salvatore noſtro, *Suſcepit triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur*. Et S. Leo k introducit eundem Salvatorem noſtrum ſic nos ſingulos alloquentem, *Ego de tuo fui trepidus, tu de meo eſto ſecurus*. Ipſe ſumere voluit infirmitatem noſtram ſuper ſe, & hæc ipſum tremore concuſſit, & tantum pavorem ipſi cauſavit: ſed etiam fecit nos ipſe participes fortitudinis & virtutis ſuæ ut magnanimitatem nobis daret, & ſecuritatem: non eſt igitur mirum, ſi ſancti Martyres præ ſe tantum ferebant animum pergentes ad mortem, & ſi Dominus noſter *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* l, & conſequenter conſors effectus infirmitatis noſtræ, tantos exhibuit timores mortis, ut coactus fuerit dicere, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* m. Quæ triſtitia totum operuit ipſum ſudore ſanguineo, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, dicit S. Lucas n. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus o, *Sicut, hoc loco dicit veritatem, non ſimilitudinem tantùm, quia veraciter ſanguinem Chriſtus ſudavit, quod ex vehementiſſimâ anxietate, agoniâ, timoreque accidit, atque (ut aliqui probabiliter aſſerunt) de corpore Chriſti ſimul erupit ſudor & ſanguis tingens ſudorem. Inſuper (ut aliqui dicunt) hoc ſupernaturale fuit & miraculoſum, quòd de corpore Chriſti ſanguis pro ſudore effluxit, quaſi contra naturam ſit ſanguinem ſudare, ut ſcilicet Chriſtus jam ſanguinem ſuum effundere inciperet. Alii tamen dicunt, quòd ſanguinem ſudare, poſſit naturaliter eſſe, quamvis fortè fuerit miraculoſum quòd guttæ ſanguinis emanabant. Prætereà, Tam vehementem triſtitiam & timorem Chriſtus aſſumpſit, non ſolùm ex conſideratione paſſionis ſibi inſtantis, ſed etiam ex conſideratione ruinæ & gratitudinis deſtructioniſque Iudæorum, propter quorum ſalutem ſpecialiter fuerat miſſus* p, *& quia videbat paſſionem ſuam tam multis non debere prodeſſe, imò magis obeſſe, propter eorum ingratitudinem & peccata. Itemque (ut aliqui dicunt) Quia omnium Electorum ſuorum futuras tribulationes, quas pro ipſo paſſuri erant uſque in finem mundi in ſæculo iſto, prævidit, & intimè eis condoluit, inquantùm tribulationes ſunt quædam mala pœnalia.*

i S. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 22. 42

k S. Leo ſerm. 3. de Paſſ. c. 3

l Philipp. 2. 7

m Matth. 26. 38

n Luc. 22. 44

o [illegible] Luc. [illegible]

p ex Matth. 15. 24

Patriarcha Jacob ſpiritu præviderat hunc ſudorem Domini noſtri: nam capulo vicinus congregavit omnes filios ſuos, ut annuntiaret eis, quæ ipſis eſſent eventura, *Vocavit autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis*. Et alloquens Judam filium ſuum, qui erat figura Domini noſtri, qui exire debebat è tribu Juda, dixit de eo, *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum* q. Iuxta quam prophetiam Sponſa dicit in Canticis r, *Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Sponſa vocat Sponſum racemum Cypri. Per vinum & ſanguinem uvæ intelligitur ſanguis pretioſus Domini noſtri: Hoc vino & hoc ſanguine ſtolam lavit humanitatis ſuæ, hoc ſanguine corpus ipſius aſperſum eſt, hoc ſuo ſanguine pallium ſuum opertum eſt. Primus Adam in pœnam peccati inobedientiæ, quod commiſit in paradiſo terreſtri, damnatus fuit ad comedendum panem ſuum in ſudore vultus ſui, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo* ſ. Sed ſecundus Adam, qui deſcendebat è cœlo, erat totus cœleſtis, quippe *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* t. Cùm eſſet ipſa ſanctitas per eſſentiam, *Primus homo de terrâ, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis* u. Tamen ad delenda peccata noſtra, en ipſe damnatus eſt ad comedendum panem ſuum, non ſolùm in ſudore vultus ſui, ſed etiam totius ſui corporis; & non ſolùm ſudando aquam, ſed etiam ſanguinem. Sed qualis erat, ſi placet, iſte panis, quem Salvator comedebat in ſudore vultus ſui, niſi complementum voluntatis Patris ſui? *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me* x. Atqui voluntas Patris ipſius erat, ut ſuſtineret paſſionem & crucem: timor autem paſſionis & crucis iſtius induxit ipſum ad ſudandum ſanguinem, & ad edendum panem ſuum in ſudore vultus ſui.

q Gen. 49. 1. &c.

r Cant. 1. 13

ſ Gen. 3. 19

t 1 Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9

u 1. Cor. 15. 47

x Joan. 4. 34

Quadruplicem obſervavit in Chriſto, prout Deo & homine ſimul, S. Bonaventura y voluntatem, dicens, *Fuit in Chriſto tunc quadruplex voluntas. Scilicet, voluntas carnis, & hæc nullo modo volebat pati. Voluntas ſenſualitatis, & hæc remurmurabat, & timebat. Voluntas rationis, & hæc obediebat, & conſentiebat. Et fuit in eo voluntas Divinitatis, & hæc imperabat, & ſententiam ipſa dictabat*. Iſtæ quatuor voluntates in Domino noſtro pugnabant inter ſe adinvicem, caro & ſenſualitas renuebant omnino pati; ſed Divinitas videns quòd ratio quæ eſt pars ſuperior, conſentiebat, & pati volebat, & animum ſuſceperat ex viſitatione Angeli, *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum* z, imperavit abſolutè, & decretum tulit adverſùs carnem & ſenſualitatem, & damnavit eas ad ſuſtinendam crudelem mortem crucis: & per hoc imperium caro, ſeu ſenſualitas, ſive pars hæc inferior ita turbata eſt, & omnes humores corporis ita commoti ſunt timore, ut omnes pori aperti fuerint ad pandendum locum ſanguini, qui exibat foras, ſic ut totam terram aſperſerit, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* a. Tunc eximius iſte racemus collocatus eſt ſub torculari peccatorum noſtro-

y S. Bon. lib. Medit. c. 75. ex Luc. 22. 42

z Luc. 22. 43

a Luc. 22. 44

noſtrorum, quæ ipſum ſic compreſſerunt, ut ex ipſo fecerint exire ſanguinem, quo veſtimenta ipſius rubra effecta ſunt, quod admirantur [b Iſai 63. 2. & 3] Angeli, quos Iſaias b introducit ſic eum alloquentes, *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Et ipſe reſpondet, *Torcular calcavi ſolus.* Quaſi diceret, Ego calcavi botrum humanitatis meæ in torculari peccatorum hominum, ſed ita gravi ut inclinaverit faciem meam contra terram, & exire fecerit è corpore meo dimidiam ſanguinis mei partem. Sed, Salvator adorande, quodnam motivum fuit ſic efficax ut induceret te ad ferendum onus ita grave, quale eſt onus peccatorum noſtrorum, quæ, more torcularis, compreſſerunt, & fluere fecerunt hunc ſanguinem pretioſum è corpore tuo? Non aliud ſanè, niſi charitas tua, quâ nos ab æterno dilexiſti, ſicut ipſemet ais nobis, *In charitate perpetuâ dilexi* [c Jer. 31. 3] *te* c. Hæc eſt, quæ te invitavit ut Pelicanum myſticum ad educendum è pectore tuo ſanguinem ut liquorem pretioſiſſimum ad ſananda omnia vulnera, quæ venenoſus ſerpens peccati nobis inflixerat.

Referunt Naturales, quòd in Africâ reperitur quidam ſerpens, qui ſic eſt venenoſus, ut, ſi mordeat aliquem, ita commoveat & turbet ſanguinem ejus, ut corpus illius undequaque diſrumpatur cum fluxu ſanguinis. Quis neſciat quòd peccatum eſt ſerpens venenatus? juxta illud effatum Eccleſiaſtici d, [d Eccl. 21. 2] *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Atqui ſi morſus ſerpentis poteſt facere exire ſanguinem è corpore illius, qui ab ipſo percuſſus eſt, quid mirum, ſi tot morſus, quales ſunt tot peccata & tot abominationes & ſcelera quæ commiſſa ſunt à creatione mundi, quæque patrabuntur ad illius uſque conſummationem, fluere fecerint ſanguinem pretioſum è corpore Domini noſtri ſic ubertim, ut vel illam terram irrigaret, cùm morſus iſte peccati ſit eò crudelior, quò peccatum peſtilentius eſt illo ſerpente Africæ? Peccatum venenoſum, ſerpens crudeliſſimus, cùm venenum ejus ſit ita noxium, & morſus illius ſic contagioſus, ut turbaverit omnes humores corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, [e 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9] *qui peccatum non fecit* e: & exire fecerit ex eo ſic copioſum ſanguinem: ſerpens venenoſior ſerpente Africæ, & longè differens ab hoc ſerpente myſtico qui [f Joan. 12. 32] *exaltatus à terrâ* f in crucem, ſanavit vulnera cauſata ab ipſius veneno. Aliàs Iſraëliticum *miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* g. [g Num. 21. 6. &c.] *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam* h. [h Joan. 3. 14. & 15] Id eſt, ut omnes illi qui morſi ſunt à ſerpentibus peccatorum, ſanentur à vulneribus ſuis, intuendo hunc Serpentem myſticum, & contemplando paſſionem illius. S. Joannes Baptiſta vocat peccatores progeniem ſerpentium & viperarum, *Genimina viperarum* i. [i Luc. 3. 7] Nuncupat illos ſerpentes & viperas ita crudeles ut veneno peccatorum ſuorum, inſtar ſerpentis illius Africæ, ita turbaverint humores corporis Filii Dei, ut ex eo undequaque fecerint exire ſanguinem, ipſumque ſic infirmaverint, ut prociderit *in faciem ſuam* k, *factus in agoniâ* l. [k Matth. 26. 39] [l Luc. 22. 43]

Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate m. [m Cant. 3. 11.] Animæ devotæ, exite tantiſper è vobiſipſis per contemplationem, & contemplamini Regem veſtrum, & Sponſum veſtrum, & intuemini ad quas anguſtias redegerit eum timor crucis & tormentorum, quæ ipſe paſſurus erat propter amorem veſtrum: aſpicite quantâ triſtitiâ afficiat eum ingratitudo hominum, qui nedum agnoſcant tantum beneficium, obliviſcuntur illius, ipſumque deſpiciunt & contemnunt. *Egredimini & videte filiæ Sion.* Animæ devotæ, contemplamini hunc cœleſtem Sponſum, ſed Sponſum *ſanguinum* n, [n Exod. 4. 25] qui ut compateretur infirmitatibus Sponſarum ſuarum, & mitigaret amaritudinem pœnarum, afflictionum, & tribulationum illarum, voluit illas experiri in carne ſuâ, & in animâ ſuâ; voluit ſumere *fel* o [o Pſ. 68. 22] amarum ſuæ paſſionis, ut nos deguſtare faceret mel Divinarum conſolationum ſuarum, ſicut ſpiritu prophetico prædixerat David p, [p Pſ. 93. 19] *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Intuemini, ſi placet, quomodo ipſe ſit opertus ſanguine præ horrore quem ipſe concepit de peccatis noſtris: aſpicite quo pacto cœleſtis hic Pelicanus ad dandam vitam catulis ſuis, è ſuo pectore ſanguinem facit exire.

Patriarcha Jacob filii ſui Joſeph tinctam *tunicam in ſanguine hædi cùm agnoviſſet, ait, Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph. Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* q. [q Gen. 37. 31. &c.] Quem ipſe putabat mortuum, licèt adhuc viveret. Heu! Auditores, en ſpectaculum majori compaſſione dignum, ecce pretioſiſſima tunica, id eſt, ſacratiſſima humanitas veri Joſeph, id eſt, Jeſu Chriſti ſanguinolenta, noſtris oculis expoſita, ferens funeſtum nuntium mortis illius: heu! quis erit ille qui non plorabit? quiſnam non erumpet in lacrymas? quis aliquâ perfundi poterit conſolatione intuitu objecti tantis lacrymis digni? Flete igitur, Auditores, & ſatagite ut oculi veſtri lacrymis diffluant, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra* r. [r Joel. 2. 13.] Non dico ut ſcindatis veſtes veſtras, inſtar Patriarchæ Jacob intuitu tunicæ ſanguinolentæ dilecti filii ſui Joſeph, ſed ut conteratis corda veſtra dolore & compaſſione intuitu Jeſu Chriſti Sponſi veſtri, & Dei veſtri, qui compatiens vobis, contrivit cor ſuum, & corpus ſuum, ſic ut effuderit non ſolùm lacrymas, ſed etiam ſudorem ſanguineum ſic copioſum, ut eo tota terra fuerit reſperſa, ut lavaret *nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* ſ, [ſ Apoc. 1. 5] & daret nobis in iſto mundo *gratiam, & gloriam* t in altero. [t Pſ. 83. 12]

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. &c.

MAnifeſtatur eximii peritia Medici in curandis infirmitatibus deſperatis, induſtria Naucleri in domandis ſæviſſimis tempeſtatibus, generoſitas validi Ducis exercitus in periculoſis certaminibus, & Divina Ieſu potentia in deſtructione operum Satanæ, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* a. [a 1. Joan. 3.8] Oſtendit autem verè ſe eſſe Filium Patris æterni, liberans hodie hunc dæmoniacum à poteſtate diaboli, qui linguam ejus ligaverat, *Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ.* Vereor ego ne mihi ſit agendum cum majori numero dæmonium mutorum. Eorum tamen linguam ſolvere aggredior cum ſtupore plurimorum, cum profectu omnium, cum confuſione inferni, & præ exultatione paradiſi, poſtquàm ſolverimus linguam noſtram, ut poſtulemus à Spiritu ſancto gratias conſilio ſic ſublimi congruentes, ſub auſpiciis Mariæ, [b Luc. 1. 28] quæ concepit *b* Authorem gratiæ [c Joan. 1. 17] *c* eo momento quo dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Poſtquàm univerſa ab extremo tranſiiſſent ad extremum, Divinæ virtute Omnipotentiæ, putà à nihilo ad eſſe, & ſplendor ortus eſſet è ſinu tenebrarum *d*; [d Gen. 1. 2. &c.] manus Dei totius orbis opifex in terram depreſſa, inde limum deſumit, ex quo operum omnium ſuorum format nobiliſſimum, objectum ſuarum gratiarum, & terminum ſuæ potentiæ maximè glorioſum, puta hominem, [e Gen. 2. 7] *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*, limo ex terrâ & ex aquâ compacto, terrâ ſymbolo corporis, aquâ figurâ gratiæ, quâ præditus fuit homo ipſo ſuæ creationis inſtanti, cùm idem *Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* e. Cùm autem hæc aqua per peccatum effluxiſſet, homo nihil ampliùs remanſit niſi terra & pulvis, ſicut idem *Dominus Deus Adæ dixit, donec revertaris in terram de quâ ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris* f. [f Gen. 3. 14. &c.] Scimus etiam Luciferum, cùm è pulcherrimo Angelorum evaſiſſet dæmonum teterrimus *g*; [g Iſai. 14. 12. &c.] ut Protoplaſtos meliùs noſtros deciperet, indutum eſſe formâ ſerpentis; ratione cujus præcepit ei Deus ut nihil amplius in poſterum præter terram comederent, *Terram comedes* h. [h Gen. 3. 1. &c.] Horrendas concluſiones ex his duobus antecedentibus inferendas! Primò, Si homo per peccatum factus eſt terra: Secundò, Si Lucifer in obedientiâ & rebellione ſuâ dæmon effectus eſt, & ob aſſumptam ſerpentis figuram ad hanc pœnam damnatur, ut nihil amplius niſi terram edat, inferendum eſt legitimâ conſequentiâ, quòd homo per peccatum efficitur cibus & alimentum ſerpentium, & quòd dæmones eum ut *pulverem lingent, ſicut ſerpentes* i. [i Mich. 7. 17.]

Terribilem conſequentiam ex præmiſſis iſtis eruendam! Concluſionem, quam obſecro vos ut benè percipiatis, Auditores. Si enim intimè penetraretur hujus horrendæ conſecutionis maxima gravitas, laxis non ruerent homines ad perpetrandum peccatum habenis, cujus ſequelæ ſic ſunt funeſtæ. Homo præ peccato efficitur terra. Dæmon ob aſſumptam ſerpentis figuram nullo alio veſci debet alimento, niſi terrâ. Quid inde ſequitur? Si alimentum, juxta Medicos, & ſicut quotidianâ comprobamus experientiâ, mutatur in ſubſtantiam rei nutritæ, terribilem mutationem! Horrendam metamorphoſim! Concludendum eſt, hominem per peccatum amittere non ſolùm aquam gratiæ, quâ conſors erat *Divinæ Naturæ* k; [k 2. Petr. 1. 4] ſed evadere terram, & eſſe cibum dæmonis, & ſic effici dæmonem. Hæc concluſio eſt vera, ſed multo ſtupore repleta intuitu tot hominum qui peccato ſunt immerſi, & mei pariter, cùm in Evangelio noſtro unicum Dei Filius haberet dæmonem ejiciendum, mihi verò incumbant innumeri ex animabus eorum qui me audiunt, expellendi: *Erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Heu! fortaſſe plùs quam ſit par dæmonum mutorum numerus in hoc invenitur circulo. Sanè enim ſi locuti fuiſſent præ bonâ Confeſſione, non ampliùs haberent in corde dæmonum omnium maximum, *Magnus enim dæmon peccatum eſt*, ait S. Chryſoſtomus *l*. [l S. Chryſoſt hom. 31. ex Matth. 9] Hos igitur omnes dæmoniacos liberare cupio, inducturus eos ad bonam Confeſſionem *m* peragendam, [m Matth. 16 19] in progreſſu hujus diſcurſus, in quo oſtendam vobis utilitates quæ nobis bonâ è Confeſſione proveniant. [Propoſitio.]

Ingenuè fateor, Auditores, quòd hanc materiam utilitates quæ nobis provenire poſſint ex Confeſſionis bonæ praxi ſpectantem, nonnihil præ aliquâ tractare aggredi repugnantiâ, cùm nihil æquè naturæ ſit conſonum ac pudorem ſuum abſcondere, & defectus proprios celare iis, qui nobis poſſent aliquando eos exprobrare. Peccata ſunt pudendæ animarum noſtrarum infirmitates. Sicut autem nunquam magis eſt infamia metuenda, quàm tunc cùm ipſa aggreditur & corrumpit partem, cujus integritas conditionem noſtram magis exhiberet ſpectabilem, quorumnam non debemus deſpectuum eſſe conſcii, laborantes illis infirmitatibus, quæ ſanitatem animæ noſtræ nobis niſi conſentientibus non poſſunt eripere? Non habet ille profectò unde queratur de infortunio ſuo, qui ſuam machinatur infelicitatem, & infauſtum propriis manibus fabricat jacturæ ſuæ opus, & perditionis ſuæ ac ruinæ moliendæ inquirit media. Quid dicemus igitur de ſtatu ſanguineis deplorando lacrymis, ad quem nos redigit peccatum? & quâ fronte niſi pudore ſuffusâ aperiemus culpas pudendas & ſcelera voluntaria, quæ ſordibus ſuis noſtras animas inquinant, non obſtantibus tamen tot monitis & conſiliis ſalutaribus à Sapientiâ *n* incarnatâ *o* [n Sap. 7. 24] [o Joan. 1. 14] nobis præbitis *p*, [p Luc. 13. 3. &c.] ad utilitatem noſtram tendentibus?

Sed cùm ipſa non ſolùm nos admonuerit periculi, quod incurrimus; ſed præterea ipſa manibus propriis gratiam nobis præparaverit veluti medelam univerſalem omnibus malis curandis proficuam, præbendam nobis in Confeſſione, quæ eſt maxima ex eâ nobis proveniens utilitas; ne ampliùs noſtra abſcondamus peccata,

peccata, quin imò audacter pudorem illorum revelemus; & licèt illa glorientur ſe eſſe infinita intuitu objecti infiniti *q*, in quod auſu inſurrexerunt temerario; meminiſſe debemus ea à gratiâ vinci, eorumque eſſe monſtroſum ab eâ deſtrui, ſic ut ad nihilum penitus redigantur, & eorum memoria radicitùs averruncetur è recordatione hominum, putà Sacerdotum, & in perſonâ eorum, è memoriâ illius, qui ſolus de iis vindictam jure merito ſumpturus erat: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor* r.

q Baruch 3. 25

r Ezech. 18. 21. & 22

Sed quàm longè facilius eſt dictu, quàm factu, dicetis mihi. Quotieſcumque enim adeundum eſt confeſſarii tribunal, ait puſillanimus iſte, toto corpore contremiſco, ſudore perfundor ſanguineo, tantam invenio in praxi Confeſſionis difficultatem. Naturale eſt iſtud ut nemo ſemetipſum denunciet, aut contra ſe jus dicat, niſi fortè ab alio coactus; ſicut nullus famam proprio ore, vel ſuis vitam manibus ſibi eripit: quin imò unuſquiſque eo ducitur ambitu, ut appareat aliquid magis quàm ſit in ſe, & omnem ſuam adhibet induſtriam ut ſuos operiat defectus. Si autem ſint aperti, ſtatim velum ſuper faciem injicit ſanguineum, quo alteret pallorem, quo dolor ex amiſſione præſumptâ famæ erat eam ſuffuſurus. Ha! Sincerè loquamur; *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto* ſ? Nonne vides injuriam, quam tibi irrogas, cùm montes imaginaris difficultatis in exercitio actionis æquè ſuavis, ac eſt utilis? Primò enim, Si intuearis hujus inſtitutionem Sacramenti, nihil in eâ deprehendes niſi bonitatem & ſuavitatem. Perpende ceremoniam, quâ utitur Chriſtus dans Spiritum ſanctum & poteſtatem ſolvendorum peccatorum, Apoſtolis, *Inſufflavit* t. Quis autem dubitet de ſuavitate hujus flatus? *O quàm ſuavis eſt Domine, Spiritus tuus* u! *Sibilus auræ tenuis* x. Secundò, Confitens quid agis? Loqueris. Et loquelam ita utilem, facilem, ac ſuavem effecit natura, ut oppoſitum, nimirum ſilentium loco mortificationis reponatur. Quid igitur foret, ſi ad expianda peccata, ſtylis præcidenda eſſet caro, ut præcidebant eam Sacerdotes Baal ſibi *y*; & exercenda aliqua mortificatio ſummo dolore referta? Sed homo naturaliter famæ ſuæ tutamen ambit, & immoderatè veretur quidquid eidem officere poteſt. Idcircò nemini placet ut ſciatur id ab aliis, quod vellet unuſquiſque æternæ oblivionis mandare tumulo. Ha! *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania* z? Quæ vobis eſt cauſa, propter quam tantis concutiamini terroribus, Auditores! Auſcultate id, quod ait S. Auguſtinus a, *O homo, quid times confiteri? Illud quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio, quàm illud, quod neſcio. Cur confiteri erubeſcis peccata tua? Peccator ſum ſicut & tu; homo ſum, humani à me nihil alienum. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori.* Sed ultrà progreditur, & ait his omnibus & ſingulis pœnitentibus, qui formidant aperire peccata ſua Confeſſario alligato ſecreto inviolabili, *Elige quod vis, ſi non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis.* Formidabile verbum! Niſi aperias integrè conſcientiam tuam Confeſſario Lege Di-

ſ Pſ. 93. 20

t Joan. 20. 22. & 23.

u Sap. 12. 1

x 3. Reg. 19. 12

y 3. Reg. 18. 28

z Pſ. 2. 1

a S. Aug. in Pſal. citatus in Polyanth. V. Conſ.

Tomus I.

vinâ ad ſilentium incorruptibile obligato, oportet ut intolerandæ huic te exponas injuriæ, quâ palam omnibus hominibus extremo univerſalis judicii die pateant tua generatim crimina, ut ait Eccleſia *b*,

b Eccleſia ex Matth. 25. 31. &c.

Iudex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Si non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. Si animi tui nævi tegantur Confeſſario in hoc mundo, non latebunt in altero niſi mediis in tenebris, ignibus & flammis æternis; & inde eripieris re verâ oculis Dei tui beatificantis Sanctos in gloriâ, ſed non pœnis ultricibus juſtitiæ ipſius, quæ te in æternum proſequetur.

Si aliquâ laboras infirmitate, Medicum curas vocandum, qui tibi priſtinam nunquam reſtituet ſanitatem, quin priùs cauſas & occaſiones tui morbi ipſi patefeceris, ut ait Boëtius c, *Si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus tuum detegas.* Eccleſia ſancta habet quidem poteſtatem dimittendi peccata tua *d*. Sed ſicut oportet ut eadem peccata cognoſcat ipſa; ita oportet ut ei tuæ detegas conſcientiæ vulnera, ut illis congrua applicet remedia, ut æquum de iis promere valeat judicium, cùm eorum cauſam fuerit edocta, quod non valet utilius & ſuaviùs fieri, quàm ſecreto Confeſſionis beneficio, ait Pater Yvo *e*. Id confirmat S. Anſelmus *f*, dicens, *Medicus ægroto confitenti ſuam infirmitatem, medicinam negare non debet, ut perſuadeat animæ, in qua mala ſe præcipitavit.* Quod eſt maxima utilitas Confeſſionis, quâ peccata caveantur in poſterum.

c Boëtius lib. 1. de Conſol. Philoſ. citat. in Polyanth. V. Confeſſio.

d Matth. 16. 19

e P. Yvo Capuc. 2. p. Miſericord. Divinæ. de Confeſſ.

f S. Anſel. in Pſ. 6. citat. Polyanth. V. Confeſſio.

Poſſet fortaſſe quis obiter hîc inquirere; Utrùm enormia peccata tot Sanctorum, qui tantam eorundem peccatorum egerunt pœnitentiam, extremo judicii die ſint manifeſtanda. Aliqui Doctores ſentiunt quòd non, innixi iis quorum ſuprà memini, Deum nimirum eorum non ampliùs recordaturum, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et peccata dimiſſa, eſſe tecta: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* g. Si manifeſtentur, inquiunt illi qui pro affirmativâ ſtant parte, id futurum eſt cum tantâ præeminentiâ gratiæ ſuper peccatum, ut ſplendor illius ſit omnes diſſipaturus obſcuras tenebras illius, ita ut illi Sancti hauſturi ſint utilitatem ex proprio diſpendio; cùm tunc ſplendere debeat Divina Miſericordia intuitu miſeriarum ipſorum, ſicut fulgeret adamas veſti ſericæ laceratæ ſuperpoſitus. SS. Petrus *h*, Paulus *i*, Magdalena *k*, David *l*, Auguſtinus, & plures alii eximii Sancti, qui fuerunt aliàs inſignes peccatores, ibi manifeſtabuntur, ut ſummas Deo concinant laudes, & miſericordiæ ipſius referant actiones gratiarum, & oſtendant ſe in infortunatam lapſuros eſſe abyſſum, ſine ullâ unquam ſpe reſurgendi è criminibus ſuis, niſi feliciter ruiſſent in Divinæ miſericordiæ abyſſum: & quid poſſit gratia Divina, quâ cumulat Deus animam, cùm bonæ unitur pœnitentiæ: Quomodo miſericorditer bonitatis ipſius *abyſſus abyſſum invocat* m miſeriæ, & malitiæ noſtræ: Quomodo delectetur Deus collocare thronum gratiæ & glo-

g Pſ. 31. 1

h Matth. 26. 70. &c.

i Act. 9. 1. &c.

k Luc. 7. 37

l 2. Reg. 11. 2. &c.

m Pſ. 41. 8

Kk 2 riæ

tiæ ſuæ ſuper theatro infirmitatum noſtrarum. Videte quaſnam utilitates obvias habeamus in bonâ Confeſſione, quæ tanto nobis eſt horrori; & quam turpiter hallucinentur ii, qui imaginantur Confeſſionem eſſe puram confuſionem. Ipſa eſt confuſio re verâ, non diffiteor, ſed confuſio generans honorem & gloriam, & juxta ſententiam Petri Abbatis Cellenſis n, actio maximè generoſa præ illis omnibus, quas poſſit unquam exercere homo in Chriſtianiſmo, & maximè meritoria ea eſt, ut confiteamur peccata noſtra, non pudore ſuffuſi ne ea dicamus; ſed præ pudore & dolore quòd ea perpetraverimus. Attendite, ſi placet, rationes eximii hujus Abbatis. Ait igitur, nos, ne ingrati animi labe inuramur, quod eſt univerſitas omnium improperiorum, quorum inſimulari poteſt aliquis, quotquot ſumus, qui non ignoramus quid & quanta Salvator noſter pro nobis ſit perpeſſus (quibus mediantibus, *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus* o) ſua merita nobis communicans infinita; debere conari, quantùm in nobis erit, tantum amorem amore mutuo compenſare, cùm amori vices non rependantur niſi amoris exhibitione reciproci: *Carnem pro carne repone, pro ſanctâ ſanctificatam, pro caſtâ caſtigatam & caſtificatam, pro integrâ impollutam; ſanguinem quoque, pro Sanguine ſcilicet profuſo in arâ crucis, effuſum in rubore Confeſſionis, pro puro impurum, pro bono malum, pro quieto turbidum.* Oportet hoc ſingulare beneficium agnoſcere. Carnem ſuam dedit Chriſtus, oportet ut demus carnem noſtram: Caro ipſius erat ſancta, ſanctificanda eſt caro noſtra: Caro illius erat caſta, caſtiganda eſt caro noſtra & caſtificanda. Prætereà, Dandus eſt ſanguis pro Sanguine. Sanguinem ſuum dedit Chriſtus in Circumciſione p, in horto Olivarum q, ſub flagellis, ſub ſpinis, & ſuper patibulo crucis r. Non poſſumus, ut aliàs, eſſe Martyres, & teſtimonium obſequii noſtri majeſtati Dei præ effuſione noſtri ſanguinis perhibere; non verſamur ampliùs inter perſecutiones, quæ ita diu vexaverunt Eccleſiam, & quæ eam tot Martyrum coronis effecerunt prædivitem; & barbaries Tyrannorum è ſummo excidit ſævitiæ ſuæ apice. Unde dicere poſſumus, quòd, ſi pietas & affectus, quibus parentes proſequi debent eos, quibus dederunt vitam, ipſos inducerent ad cumulanda bona, & ad redigendas ſub ipſorum dominium plurimas divitias per fas perque nefas, contra juſtitiæ regulas, & ultra Legum Divinarum & Humanarum præſcripta, eliminanda eſſet à terris noſtris pietas hæc impia, quæ cupiditatem produxiſſet, & quòd filia ita perverſa, & productio ita deteſtabilis, culpæ conſciam ac criminoſam redderet eandem virtutem, quæ ipſius voluiſſet mater effici. Pari modo dicere valemus, quòd, ſi pietas Chriſtianorum Principum, qui nunc permittunt Eccleſiæ ſanctæ ut ſua prædicet myſteria, & ſacris incumbat ceremoniis; quique non efficiunt Martyres, ut faciebant ſeculis præteritis Imperatores Chriſtiano nomini infenſiſſimi; impediret omnimodè quin poſſemus teſtimonium amoris noſtri Deo perhibere, & noſtrum pro ipſius obſequio profundere ſanguinem, nobis foret injurioſa, cùm majori nobis cederet utilitati ſævitia, quàm illorum clementia. Verùm enim verò ſævientibus Diocletianorum, & aliorum hujus farinæ titionum inferni, perſecutionibus, magna ſuſcepit Eccleſia incrementa, & uberes collegit meſſes ſanguinis in perſonâ filiorum ſuorum, quos inhumanitas inimicorum ipſius crudeliter occidendos imperavit, in execrationem adorandorum myſteriorum ipſius; & tantum abeſt ut barbaries aliquem ab eâ charactêrem ſplendoris, quo ipſa decoratur, abſtulerit, quin potiùs è contrà majorem eidem addidit ſpeciem. Sed anſam non habemus excandeſcendi adversùs virtutem, quæ violentas procul amandat perſecutiones, nec tamen nobis media nec occaſiones eripit perpetiendæ mortis pro tutando honore Dei. Mori poſſumus, nec tamen ſævitiam manuum carnificis inhumani implacabilium experiemur; poteſtate vigemus revocandæ Martyrum tempeſtatis, etiamſi non ſimus renovaturi primorum tormenta ac ſupplicia ſeculorum, quæ materiam præbuerunt ipſorum triumphis, & eorundem coronas texuerunt. Non eſt nobis in anteacta revertendum tempora, quibus glorioſas de crudelitate & de tyrannide referamus victorias, cùm modò viâ ſuaviori ſublimia conſilia noſtra mandare poſſimus executioni. Et ecce præſto eſt modus: *Sanguinem pro Sanguine ſcilicet profuſo in arâ crucis, effuſum in rubore Confeſſionis.* Foret quippe indecorum, ſi, cùm Chriſtus totum Sanguinem ſuum pretioſum in patibulo crucis, ad expianda crimina noſtra ad ultimam uſque guttam profuderit, & mortem maximè infamem oppetierit, ne quidem nos contritionis lacrymas funderemus, ad delenda penitus eadem ſcelera, adimplendo *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne* ſ noſtrâ, per cooperationem, & applicationem meritorum ipſius infinitorum nobis faciendam, cùm hæc ipſius merita ſint duntaxat ex ſeipſis ſufficientia, non autem efficacia; & ſi in vitâ permaneremus. Maximo deberemus ſuffundi pudore, ſi eum infami patibulo crucis ſuper excelsâ Calvariæ fronte ſuffixum intueremur, veluti inſignem latronem, & mortuum in ſepulchro jacentem, & noſmetipſos puſillanimitatis & ingratitudinis adversùs eum non inſimularemus. Ipſe mortuus eſt non ſolùm pro nobis, ſed præ nobis etiam, ut nobis ſuiipſius imitandi occaſionem præberet exemplo ſuo, dicens, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* t. Sed quia noſtram apprimè callet puſillanimitatem, & ſpecioſas nos prætexturos excuſationes, & vix propoſituros mortem perpeti nobis inferendam alienis manibus, quæ nobis non eſſent ignoſcituræ, ſi noſtri ſupplicii ſtatuerentur executrices, mortem iſtam myſticam, quam à nobis exigit, noſtræ penitus committit voluntati, & permittit ut ad placitum noſtrum nos ipſi efficiamur noſtri ipſorum carnifices.

Hanc autem mortem oppetere poſſimus myſticam toties quoties beneficio bonæ atque integræ Confeſſionis, morte perimimus quidquid eſt hominis, ut hâc morte myſtica reviviſcat ſpiritus adversùs peccatum, quod expellimus è cordibus noſtris, ut reviviſcat gratia,

n Petr. Cellenſ. libro de Panibus c. 4

o Rom. 5. 10

p Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3

q Luc. 22. 44

r Joan. 19. 1. &c.

ſ Coloſſ. 1. 24

t Joan. 13. 15.

cui

cui eramus mortui. Noſtrum tandem effundimus ſanguinem, cùm bonæ Confeſſionis vacantes exercitio, pudore & iracundiâ quibus ducimur adverſus peccata noſtra, & contra diſſolutiones vitæ noſtræ præteritæ, ſanguis è corde noſtro erumpens, & in facie noſtra apparens, nos ſuffundit, & Divini amoris igne accenſus, è venis noſtris per canales oculorum noſtrorum, in lacrymas reſolutus diffluit. Ecce inſignes utilitates, quæ proveniunt nobis ex bona & vera Confeſſione, nimirum ut effundamus ſanguinem noſtrum, & vitam ſimul demus noſtram propter amorem Jeſu, & ſic vices ei præ amore rependamus, cùm amor nonniſi amore mutuo atque reciproco compenſetur.

u Rabb. Talm. apud Spondan. in Annal. Baron. an. Chriſti 34. n. 42.

Conſuetudo erat admiſſa apud Judæos, ut enarrat Rabbinus Talmud *u*, ſepeliendi reos, in cruce mortuos, vel alio ſupplicij genere peremptos, cum inſtrumentis ſupplicij ipſorum, nimirum cruce, funibus, enſe, ſecuri, aut cæteris, quæ ſpatij continere valebat locus. Hâc ratione ducti, oblivionis debemus tumulo mandare omnia & ſingula inſtrumenta, quibus uſi ſumus ad inferendam Jeſu Chriſto Domino noſtro necem, & eum ad ſepulchrum uſque comitari. Hoc autem miro exercetur modo in ſacro pœnitentiæ & Confeſſionis tribunali; ipſa enim Confeſſio mortem infert peccatis noſtris, quæ auſu temerario & ſacrilego in Chriſtum inſurgentia, ei vitam crudeliſſimè eripuerunt, *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris* x; per quæ iterùm eidem Chriſto mortem inferimus, *rurſum crucifigentes Filium Dei* y, ſi bonam non peragamus Confeſſionem. Unde videtis frequenti debere nos vacare Confeſſionis exercendæ praxi, ob utilitates, quæ nobis ex illa proveniunt; cùm præterea dicat S. Iſidorus z, *Confeſſio ſanat, Confeſſio juſtificat, Confeſſio peccatis veniam donat: omnis ſpes in Confeſſione conſiſtit: in Confeſſione locus miſericordiæ. Nulla tam gravis eſt culpa, quæ per Confeſſionem non habeat veniam.* Et Caſſiodorus a, *Mira compenſatio, ſtupenda viciſſitudo, Domino ſuo propria mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere.* Et, *illis non Iudex, ſed Advocatus eſt Chriſtus, qui ſe propriâ confeſſione damnaverint* b.

x 1. Cor. 15. 3.
y Hebr. 6. 6.
z S. Iſid. l. 1. c. 12. citat. in Polyant. V. Confeſſio.
a Caſſiodor. in Pſ. 118. 26. citat. ib.
b Idem in Pſ. 31. 1 citat. ib.

Inducimur ordinariè ad aliquid agendum, aliquo allecti trium horum motivorum, nimirum, vel honore, vel voluptate, vel tandem utilitate. Unicum horum trium, ſolus vel intuitus minimæ conſiderationum iſtarum, honoris, aut oblectamenti, ſeu proprij commodi infinitas nos compellit haurire difficultates. Experientiâ nobis licet comprobare quotidianâ hanc veritatem, quam aſſero. Quid igitur faciemus? Sed potiùs quid non agemus ibi, ubi conſiderationes tres iſtæ ſimul eximio reperiuntur modo? Eas mirum eſt in modum in ſacra reperire Confeſſione. Motivum honoris ſtat è parte hominis ſimul ac è parte Dei. Motivum honoris reperitur è parte hominis; quia cùm infames eſſemus, liberamur ab hac infamia peccati, quod ſub rigore ſuæ nos opprimebat tyrannidis, ſub qua gemebamus implacabiliter; cùm criminum eſſemus conſcij, efficimur innocentes, ſeu à culpa immunes. Honor etiam invenitur ex parte Dei, quia gloria, quam illi eripueramus vitiorum noſtrorum auſi temerario ac ſacrilego, eidem reparatur ac reſtituitur divini iſtius miniſterio Sacramenti.

Allegare, nos confiteri ſuavi voluptatis motivo allectos, nullus eſt ambigendi locus, cùm eo nihil ſit evidentius, dicatque Deo Pſalmographus c, *Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?* Poſſetne, quis majori conſolatione perfundi, quàm conſcientiam ſuam intolerabili peccatorum pondere prægravatam exonerando? Verum eſt, ait P. Yvo d, hominem ſine aliqua violentia proponere agere contra ſemetipſum, ſeque reddere accuſatorem propriarum culparum atque infirmitatum coram viro, cujus vellet animo libenti bonam, quam de ſeipſo habet ille, æſtimationem cuſtodire. Sed ſtatim ac Pœnitentiæ motio ſacra id in animum ipſius induxit, anima ſe ſenſibiliter intuetur prægrandi exoneratam pondere, & potiri levamine ſimili ei, quo alleviatur corpus, cujus ſuppuratum eſt apoſtema. Prætereà, Singularis provenit nobis utilitas è Confeſſione. Cùm priùs eſſemus dæmones (ut diximus in principio) efficimur *filij Dei, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* e. Participes efficimur meritorum ipſius infinitorum; & diſponimus nos ad inveniendas delicias ſuppliciorum loco, legitimè utentes auxilijs divinæ gratiæ.

c Pſ. 42. 4.
d P. Yvo Capuc. 2. p. Miſericord. Divin. c. de Confeſſ.
e Rom. 8. 16. & 17.

Invenitur in Hiſtoria profana ſcriptis exaratum, terram tremore fuiſſe concuſſam tempore magni illius conflictûs, quo fortuna Romana ferè ruinæ jam proxima, videbatur penitus deſtruenda ab Annibale Romanis infenſiſſimo Duce, qui ſolam dereliquit debellatis ſpem, & captivos, quibus poſſent è cladibus ſuis atque jacturis reſurgere. Sed re verâ eſt mirabile dictu, ac ferè incredibile, inito certamine non advertiſſe milites hunc terræ motum, ſed ita intentos fuiſſe infligẽdis ſuis hoſtibus vulneribus, & repellendis eorum armis adverſùs ſe diſtrictis aut vibratis, ut nullus ipſorum terram trementem, quam calcabat, tuendo vitam ſuam, attenderit. Mihi magnum intueri videor certamen in corde peccatoris. Pergendum eſt ad Confeſſionem, proponendum firmiter hunc habitum infringere pravum, hanc irrogatam condonare injuriam, deſerere has avaritias, has uſuras, has pauperum oppreſſiones, orphanorum, & viduarum, agere reſtitutionem boni per nefas acquiſiti, reparare hanc famam læſam, amplecti hunc inimicum, reſiduo Quadrageſimæ jejunare tempore; terra tremit, caro repugnat, ibi invenit ipſa difficultates, & opponit obſtacula; corpus recalcitrat, nihil iſtorum vult exequi. Sed agitur de ſalute tua æterna; nonne agitur de graviſſimi re momenti, cùm de vita æterna agitur comparanda, & de triumpho è Satana glorioſè referendo? Ha! obſecro, ne attendas corpus quod recalcitrat, neque carnem quæ tremit.

Ad Confeſſionem igitur properate, animæ Chriſtianæ. Ha! obſecro vos *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* f, ut ſeriâ conſideratione & maturo examine hanc graviſſimi momenti diſcutiatis veritatem, nimirum, Vos nullo peccato lethifero inquinare vos poſſe, quin omnia vobis ſint amiſſa, & actum ſit irreparabiliter de æterna veſtra ſalute, niſi pretioſus Chriſti Sanguis *g*, qui eſt meriti infiniti, applicetur vobis, ut ejuſdem peccati mortiferi labes deleatur ex anima veſtra, & illius ſordes abluantur aquis contritionis in Sacramento Pœnitentiæ. Cogitate ſedulò, antequàm peccatum perpetretis, aut pravum ei committendo præbeatis conſenſum, aut moroſâ illius de-

f Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12.
g Apoc. 1. 5.

delectemini cogitatione; ſi poſt illud operi mandatum, aut poſt conſenſum illi præbitum, vel poſt moroſam delectationem criminosè voluntariam; utrùm eò proceſſeritis audaciæ ut non vereremini apparere coram Deo, qui è mitiſſimo *b* Jeſu evaſit *Iudex* *i* ſeveriſſimus, qui de irrogata Sanguini ſuo injuria exactam referat vindictam; ut ab ipſo peteretis eundem Sanguinem adorandum, qui veſtra lavaret inquinamenta, & ut denuò ſua aperiret vulnera, quibus mortiferis veſtris mederetur plagis.

b Matth. 11. 19.
i Act. 10. 42.

Si familiarem vobis aliquem adeatis amicum, ut ab eo decem nummos poſtuletis vobis commodandos, veremini ordinariè ne vobis hujuſmodi denegetur favor prætenſus, quod ſæpè ſæpiùs accidit. Si inimicum conveniatis, ut ab illo commodandam vobis eandem pecuniæ ſummam contendatis, quis ambigit eam ab illo vobis eſſe renuendam? Sed quis, quæſo, amico ſuo ſe audeat præſentare, ut ab illo vitam propriam expoſcat ac ſanguinem ſuum, etiamſi illi intimâ & indiſſolubili conjungatur amicitiâ? Quis ita fronte effractâ impudens hæc expoſtulet ab inimico, quem odio proſequitur immortali? Cogitate igitur, peccatis & ſceleribus veſtris vos effici rebelles Deo, & conſtitui ipſius inimicos, nec unquam vos in ipſius redituros benevolentiam, niſi commodaret ipſe vobis pretioſum Sanguinem ſuum *k*, qui hujus extingueret ignem inimicitiæ, & diviſionis quam operatur peccatum inter ipſum & vos, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* *l*. Ha! obſecro, Auditores, perpendite maturè hanc veritatem, vos, inquam, quibus peccata ſunt veluti res indifferentes, quique bibitis *quaſi aquam iniquitatem* *m*, dum fervent in vobis immodici affectus veſtri. Videte funeſtas & horrendas peccati conſequentias, cùm, ubi ſemel eſt peractum, tota Oceani aqua non valeat illud extinguere aut delere, & ideò unicus requiratur Jeſu Chriſti Sanguis qui hunc mirabilem operetur effectum, *In aſperſionem Sanguinis Ieſu Chriſti* *n*. Stupendam ſanè, ſed infallibilem veritatem! Ha! Auditores, cur non impreſſa eſt hæc veritas, non veſtrarum faciei domorum, non frontibus veſtris, ſed intimis cordium veſtrorum penetralibus, characteribus indelebilibus?

k Rom. 5. 10.
l Iſa. 59. 2.
m Job 15. 16.
n 1. Petr. 1. 2

Rex Moabitarum ſe obſeſſum aliàs ab Iſraëlitis, ab iiſque ſicut & à militibus Regis Juda, & Regis Edom circumquaque ſuam vallatam civitatem, intuitus, & ad extremas ſe redactum advertens anguſtias, expoſtulatis ab hoſtibus aliquantulorum momentorum inducijs, filium ſuum unigenitum legitimum regni ſui hæredem obtulit in holocauſtum ſuper mœnibus ſuæ civitatis obſeſſæ, coram exercitu Iſraëlitarum, & cæterorum obſidentium, qui tanto horrore & tremore concuſſi ſunt, ut ſtatim fugam capeſſere præ indignatione non dubitaverint: *Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reverſi ſunt in terram ſuam* *o*. Peccator, fornicarie, adulter, iracunde, oppreſſor pauperum, orphanorum, & viduarum, deſiſteſne aliquando ab injurijs Deo irrogandis, intuitus Regem *cœli & terræ* *p*, Filium ſuum unicum morti tradere pro ſalute tua operanda? Sic eſt, peccator, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis* *r*. Sed dic, Audebiſne in poſterum omni se ſcelerum colluvie inquinare, Divina tranſgredi mandata, ſummo Dei dominio te rebellem exhibere, & Divinæ Majeſtatis læſæ te conſcium reddere? cùm ſcias certo certius, repetitis ſemel ac iterùm enormibus ſceleribus & criminibus tuis renovari denuò deplorandam Jeſu Chriſti Domini noſtri paſſionem & mortem ignominioſam æquè ac acerbam, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*, ut ſuprà dicebat Apoſtolus: Et ignorare non poſſis, ad hoc ut reſtituatur tibi gratia priſtina, è qua excideras; ut tibi reddatur reconciliationis annulus, & induaris denuò ſtolâ primâ innocentiæ & ſanctitatis, more alterius prodigi, quippe qui, non ſecus ac ille nebulo, diſſipaveris omnem *ſubſtantiam* *s* tuam tibi à Patre tuo cœleſti miſericorditer erogatam; oportere ut mitiſſimus ille Redemptor animarum noſtrarum imperio dæmonis implacabili jam ſubditarum ſuas denuò venas aperiat, ut iterùm pretioſum Sanguinem ſuum profundat, ut rurſum diriſſimus lanceæ mucro ipſi ſacrum aperiat *latus* *, & ut præduri clavi, ipſius *manus & pedes* † repetitis perforent ictibus, ex quibus præ tanta Sanguis erumpat affluentia, ut immenſus tuorum criminum numerus tam amabili immergatur diluvio; ut ſpinæ ipſius calvariam lacerent, ut flagella totum ipſius pretioſum Corpus diſcindant; & ut tandem patibulo ſuffigatur crucis, ubi brachijs extenſis, te præ infinita poſſit amplecti miſericordia ſua. Ha! Nunquid non oporteret ut hæc omnia Paſſionis Chriſti inſtrumenta, ut omnes hi mucrones tot eſſent aculei, quorum intervenientium ſtimulis, à peccatis removeremur ſectandis, & ad virtutis exercitium animaremur amplectendum?

o 4. Reg. 3. 27. &c.
p Matth. 11. 25.
r 1. Petr. 2. 24. &c. Iſa. 53. 12. & 5.
s Luc. 15. 13. &c.
* Jo. 19. 34. &c.
† Pſ. 21. 17.

Ha! quare non ſimiles efficimur S. Lutgardi Virgini? cui nocte quâdam jam jam ad horas ſurrecturæ matutinas concinendas, ſudore interim extraordinario æſtuanti, & ſic tergiverſanti & quaſi renitenti, ratæ non exiguum ſanitati ſuæ diſpendium inferendum, ſi è ſtrato ſurgeret, ut in Chorũ contenderet, apparuit Chriſtus ſudore conſperſus ſanguineo, & puſillanimitatem ipſius ipſi exprobrans, dixit ipſi, ſe etiamſi toto Corpore diffluenti Sanguine aſcendiſſe tamen in præruptum montem Calvariam. Quibus auditis Virgo hæc piiſſima, non ſecus ac ſacra Sponſa, exilijt è cubili ſuo *t* præ ſingulari celeritate, ut ſequeretur hunc Sponſum, cujus erat *Caput plenum rore, & cincinni guttis* gratiarum ſuarum; quem denuò ipſa obvium habuit præ foribus Templi, cruce ſuâ oneratum. Ha! quæſo, quoties in aliquod peccatum lapſuri ſumus, imaginari debemus, nobis eandem exhiberi viſionem, quâ aliàs ſuis honoratus S. Petrus, nimirum intueri nos Dominum noſtrum crucem ſuam bajulantem: & ſi ab eo poſtulemus, *Domine quò vadis*? Reſpondebit ille nobis, *Vado iterùm immolari*. Conſidera peccator hunc mitiſſimum Jeſum, qui ſe diſponit denuò ut iterùm cruci ſuffigatur ob amorem tuî. Intuere quòd iſte *Agnus manſuetus portatur ad victimam* *u* diſpoſitivè, & denuò *ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & non aperiet os ſuum* *x*. Paratus eſt ut iterùm immoletur pro te: & niſi applicetur tibi mors illius, de tua penitus eſt actum ſalute.

t Cant. 5. 2. &c.
u Jer. 11. 19.
x Iſa. 53. 7.

Edocta olim Amans quædam profana Amaſium ſuum ad bellum perrexiſſe, Deos enixè obſecra-

ſecravit ut charæ ſibi perſonæ ipſius parcerent, verita ne profuſo Amaſij ſui ſanguini proprius immiſcendus eſſet ſanguis,

Ignoſcite, quæſo,
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.

Si amor & pietas, quibus erga Jeſum affici debetis, non ſufficiunt ut vos a perpetrandis ſolitis deterreant criminibus; declinate ſaltem à via iniquitatis ſectanda, ratione amoris & affectûs, quo proſequi debetis Deiparam, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis y*, & miſericordiæ, quæ enixè vobis ait, y Eccli. 24.24.

Ignoſcite, quæſo,
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.

Abſtinete vos à ſceleribus perpetrandis, peccatores, ob amorem Sanguinis Jeſu Chriſti, & lactis Marię ſanctiſſimę ipſius Genitricis in Evangelio *x* noſtro commendati, quæ ſic impetrabit vobis x Luc. 11. 27.
gratiam Filij ſui in hoc mundo, & gloriam ejus in altero.

FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE.

Pater peccavi in cœlum, & coram te. Dixit autem Pater, Citò proferte ſtolam primam. Luc. 15. 22. &c.

QUàm felices ſunt illi, quorum peccatis parcit Deus, ſicut ignoſcit prodigo, cujus diſſolutiones tumulo oblivionis ſepelivit. A quo enim declinare poteſt ille, de quo vindictam peccatis ipſius debitam ſumit Deus? Innumerâ malorum catervâ circumdatur, paupertate opprimitur, infirmitate affligitur, fame perit non ſecus ac alter prodigus; imò verò ipſa mors, quam ipſe arbitratur eſſe veluti portum navigationis hujus procellis agitatæ, eſt abyſſus ipſum deductura ad ſupplicia ſempiterna. Quàm fortunati ſunt illi, qui ſe humiliant coram Deo, agnoſcentes infirmitates ſuas; quique offerentes ei ſuorum cordium profunda & abdita, ſuarum merentur abſolutionem ſuſcipere diſſolutionum, more otioſi noſtri adoleſcentis Evangelici. Sed quàm beati ſunt ij, qui ſimiles ei, qui pergens ad fontem, hydriam ſuam deprimit, ut inde hauriat aquam, deprimunt ſe ante Divinam Majeſtatem, ut guſtent aquam *a* hujus originis ſacræ, ex qua fluit
a Jo. 4 13. & 14 humor, qui ſolus poteſt dealbare & mundare conſcientias noſtras, gratiam dico, quâ repleta erat jam Maria Deipara mox futura, eodem momento, quo dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

Quotidianâ comprobamus experientiâ, bona, quæ ſuſcipimus poſt tolerata mala, majori nos afficere gaudio, quàm ſi ijſdem ſolis ſine ulla miſtione fuiſſemus potiti; & proſperitatem eſſe gratiorem eam, quę ſequitur adverſitatem, quàm ſi ſtatim eâdem fuiſſemus frui, antequàm adverſis eſſemus impetiti. Ægrotus, qui diu jacuit in cubili, cui per longum tempus febris ardor Solis aſpectum eripuit, cùm aliquantulam experitur intermiſſionem, & tantiſper diei intuetur, eundem ſpecioſiorem judicat, quàm ſi ſemper illum vidiſſet. Captivus, qui pondere & catenis duræ & prolixæ ſervitutis fuit oppreſſus, ubi vincula ſemel infregerit, ſe feliciorem exiſtimat, quàm ſi eâ ſemper fruitus eſſet libertate de novo ſibi conciliatâ. Nauclerus, qui diebus aliquot importunis ac procelloſis irati maris fuit agitatus turbinibus, ſi portum poſſit appellere, magis gaudet, quàm ſi in eo ſemper manſiſſet, & nunquam tranſacto fuiſſet expoſitus periculo. Et amplexus exhibiti amico poſt longam abſentiam
b S. Aug. reduci, ſtrictiores ſunt, quàm ſi nunquam pere-
L. 8 Cō- grè profectus fuiſſet. Hoc ait S. Auguſtinus *b*, qui
feſſ. c. 3. ſubdit ebrioſos experiri id, comedentes eâ intentione cibos ſalſos, ut jucundiùs vino delectentur; *Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio.*

Conformiter ad hanc maximam ſpecioſa proponitur quæſtio, Quare bona vitæ æternæ, quæ nullis ſunt permiſta malis, non deſinunt eſſe maximè jucunda ijs, qui eiſdem potiuntur? Et cur bona hujus vitæ non metiemur ad ulnam bonorum alterius? S. Auguſtinus *c*, qui ſibi hanc pro- c S. Aug. ibid.
ponit quæſtionem, eandem reſolvit, dicens, Bona cœleſtia ita magna eſſe ac ſolida, ut præcisè ſola, & in ſua puritate conſiderata poſſint ſufficere, ut penitus ſatisfaciant toti extenſioni deſiderij, quo affici poſſumus fruendi æternâ ac abſolutâ felicitate. Bona verò hujus vitæ ita parva eſſe ac infirma, & ſtabilitatis ſic modicæ ac exilis, ut nullus ex ipſis hauriri poſſit guſtus, niſi aliquâ miſceantur amaritudine infelicitatis aut tribulationis. Inde fit ut adverſitati oppoſitum vocetur proſperitas, non quòd re verâ talis ſit, ſi conſideretur præcisè ſola, & ſi ponderetur ad trutinam bonum, quod ipſa continet in ſe; ſed quia talis apparet in conſortio malorum, quæ quis effugit; ſicut candor nivis, qui eſt in ſummo gradu albedinis, non indiget ut conſideretur coram nigredine, ut judicetur perfectè albus; ſed aliud corpus albedinis inferioris ut exiſtimetur apprimè candidum, appropinquare debet ad nigrum, aut ad fuſcum, & hâc oppoſitione mirum in modum ipſius extollitur albedo ac ſplendor. Bona cœleſtia ita magna ſunt, ut nullâ indigeant dolorum intermiſſione, ut judicentur talia; ſed bona terrena ita ſunt vilia, ut pauci æſtimentur, niſi interdum adhibeantur contraria, quorum oppoſitione interpoſitâ pretium ipſorum & valor magis effulgeat ac magis.

Hoc ita verum eſt ac univerſale, ut bona omnia animæ, quæ conſiſtunt in gratia Dei, & in ſplendore virtutis, ſicut ipſa ſunt valdè exigua, & nunquam benè ſecura, cùm ſemper timendum nobis ſit ne ſupprimantur, & amittantur aliquo peccato mortali, multò meliùs ſuſcipiantur, & magis ſatisfaciant animæ, ſi recuperentur, ubi ſemel fuerint amiſſa, quàm ſi ſemper fuiſſent conſervata. Miſerandus peccati ſtatus, in quo ſe viderat peccator conſtitutum, multùm extollit gra-

gratiam ejuſdem Dei, & ſplendorem animæ, quæ mox juſtificata eſt, & duplicem ſibi acquirit hæc anima ſatisfactionem, propter bonum quod recuperavit, & ob malum quod effugit. Et ob id dixit Dei Filius, *Gaudium erit in cælo coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ* d.

d Luc. 15. 7.

Evangelium hodiernum repræſentat nobis prodigum noſtrum, qui magna pertulit mala ſub captivitate diaboli figurati in hoc homine, cui *adhæſit* iſte nebulo tempore infelicitatis ſuæ, locans ei operas ſuas *ut paſceret porcos* ipſius. Dico autem, Auditores, quòd ſi uſque nunc otioſus iſte paſſus eſt hanc ſervitutem, ſive prę amiſſione Dei ſui; ſive prę bellis ordinarijs trium naturæ hoſtium, mundi, diaboli, & carnis; ſive præ doloribus & nauſeis, quæ relinquunt poſt ſe voluptates & deliciæ carnis, quibus indulſerat ut ſus infamis; ſive præ anxietatibus & angoribus animi, quæ comitantur peccatores; ſive præ verme conſcientiæ, qui *non morietur* e rodendo ſine intermiſſione ulla animam eorum, qui reliquerunt *Dominum Deum* ſuum f; ſive præ infamijs & opprobijs ordinarijs hujus farinæ hominibus; ſive præ diminutione & amiſſione ſanitatis corporis quæ ſubſiſtere non poteſt ſub tantis exceſſibus & petulantijs; ſive etiam præ conflictione & agonia, in qua verſatus eſt, ſentiens interiùs dimicantes ſacras Spiritûs ſancti motiones cum lenocinijs carnis & mundi blanditijs; ſive tandem præ violentia, quâ adversùs ſeipſum uſus eſt, ut proponeret præſentare ſe Patri ſuo in hoc ſtatu ſic infortunato conſtitutum, poſt diſſipatam *ſubſtantiam* donorum & gratiarum ipſius. Si tot, inquam ſubjacuit turbinibus, non debet propter eà conditionem ſuam exiſtimare pejorem. Bonum quippe, quod mox accepturus eſt præ *miſericordia*, quâ ſuſcepturus eſt ipſum *Pater*, qui intuitus illum, *cùm adhuc longè eſſet, accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*, eumque denuò reddit conſortem omnium donorum, quę ipſe amiſerat prę exceſſibus ſuis; majoris erit valoris, & totum illud inſerviet ut hinc cor & oſſa ipſius exultent gaudio & lætitiâ, cùm audiet Patrem ſuum cœleſtem ſibi parcere, & præcipere ut ipſe innocentiæ & gratiæ amiſſæ veſte de novo induatur, & dicere poterit ei præ jubilatione, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata* g.

e Iſa. 66. 24.
f Jer. 2. 19.
g Pſ. 50. 9.

Etiam, Auditores; hâc vice bonum pronuntiatur verbum, quâ miſericors hic *Pater* reſtituit hunc infelicem priſtino juri ſuo, dicens, *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum; & date annulum in manum ejus; & calceamenta in pedes ejus.* Re enim verâ nihil minus erat ſperandum ab eo, qui viderat modum procedendi hujus nebulonis, qui aliter erui non poterat è miſeriarum ſuarum abyſſo. Sciebat quippe otioſus hic infelix, non fuiſſe præſentius remedium, quo Patri ſuo reconciliaretur, quàm ut ante pedes illius ſe proſterneret, nec futurum ut poſſet ipſe recuperare pacem animæ ſuæ ac cordis ſui, quam ita diu ſuis interturbaverat diſſolutionibus, niſi ſe humiliaret coram illo. Requiritur enim potentia Dei, quâ ab extremo infortunio tranſeat anima ad extremam felicitatem. Neceſſaria eſt ſapientia Dei, quæ componat pacem inter peccatorem & Deum ipſius, qui inter ſe dimicarunt, dum præliaretur peccator delictis ſuis, & perſequeretur Deus ipſum peccatorem flagello juſtitiæ ſuæ. Et opus eſt bonitate Dei, quæ miſericordiám largiatur ei, qui voluntate ſuâ depravatâ toto vitæ ſuæ curriculo in eundem Deum inſurrexit. Hæc potentia, hæc ſapientia, & hæc bonitas in hoc Patre cœleſti inveniuntur in gratiam hujus prodigi, ut videbimus in tribus partibus hujus diſcurſûs.

Diviſio.

Dico igitur, Deum ſolum poſſe gratiam largiri, & parcere peccatis; non enim valet dimitti debitum niſi ab illo, cui debetur; & ſi ſit offenſa, eam poteſt perſona læſa condonare, & non alia. Peccator efficitur Deo debitor, & conſcius glorię, quam fuit illi ſuffuratus, & obedientię, quam ipſi erat jure merito exhibiturus; & peccato ſe obnoxium efficit præ Divina ipſius majeſtate, eò quòd attentaverit ipſi bellum indicere, & infringere ipſius voluntates, ut adhæreret extraneo, qui eſt diabolus ipſi infenſiſſimus. Ipſe igitur ſolus eſt, qui acceptare poteſt ſatisfactionem ſibi pręſtitam exiguam, aut magnam, & obligationem dimittere. Ipſe igitur eſt ſolus, qui debitum delet, & peccato parcit, *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas* h. Verum eſt, ait David veluti reſpondens iſtis, Deum ſolum peccatis poſſe parcere; nam propriè loquendo ipſe eſt *ſolus* i qui poſſit eſſe, eò quòd cętera, id eſt, *omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputata ſunt ei* k. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci* l. Sed tantiſper expecta ſancte Propheta, & lentè procede, dimidium quippe deſeris. Tu dicis: te, ſolum offendiſſe Deum. Sed Bethſabee, quam ad peccandum induxiſti m, nonne injuriam irrogaſti? Et Urias vir ejus, cui dedecus hoc intuliſti, debetne ob talem injuriam commoveri, an non? Et famuli tui, qui te ita pręcipiente ſuſtulerunt *eam* in palatium tuum, nonne lęſi ſunt? Et omnes domeſtici tui intuiti hanc deordinationem, nonne ſcandalizati ſunt? Et Urias ultra injuriam ipſi irrogatam à te ex raptu uxoris ſuę, nonne graviter offenditur ex morte, quam ipſi procuras? Et Joab Præpoſitus Generalis exercitûs tui nonne inſigni à te afficitur injuriâ, cùm ipſi præcipis, ut Uriam conſtituat in loco periculoſiſſimo, ut primo impetu facto corruat & pereat, ut re verâ accidit? Quod autem actionem tuam majori notat infamia, eſt, quòd tu eundem Uriam conſtituas nuntium propriæ damnationis, committens illi *epiſtolam*, quã ſcribis eidem Joab, qui ipſum ſic malè excipiat. Hæc omnia nunquid non ſunt graviſſimi momenti? Hæ omnes injuriæ nunquid non ſunt ſedulò perpendendæ? Cur igitur hiſtoriæ ſic tragicæ ſeriem texturus, ais Deo? *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

I Pars.
h Iſa. 43. 25.
i Deut. 32. 39.
k Iſa. 40. 17.
l Pſ. 50. 5.
m 2. Reg. 11. 4. &c.

Fratres Patriarchæ Joſeph, experti afflictiones, quibus afficiebantur à Deo, memores cauſæ earum, dixerunt intra ſe, *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum* n. Sciebant enim, ſe vendentes eundem fratrem ſuum, poſtquàm *miſerunt eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam* o, præ invidia proſperitatis ipſius, pariter offendiſſe Deum, qui præcipit nobis ut amemus fratres noſtros, ita ut *& nos pro fratribus animas ponere* p debeamus. Sed non deſinunt hanc injuriam nomine peccati fratri ſuo irrogati vocare. Cur igitur ait David ſe ſolum Deum peccatis ſuis exacerbaſſe? Scio equidem Deum offendi peccatis, cùm prohibeat nobis expreſſè adulterium, homicidium q, & ſcan-

n Gen. 42. 21.
o Gen. 37. 25. &c.
p 1. Jo. 3. 16.
q Exod. 20. 14. 13.

r Matth. 18.7. & ſcandalum r; ſed cùm hæc omnia in proximorum ipſius redundent diſpendium, ore pleno publicare debet ſanctus Propheta peccatis ſuis offenſos fuiſſe Deum pariter & proximos ſuos, quia eſt iſtud veritati conſentaneum. At Propheta non loquitur hîc niſi ex inſpiratione Dei, qui in animum ipſius induxit ut ſua defleret peccata, idemque Spiritus, qui ipſi id ſuggeſſit, apprimè ipſi peccati commiſſi naturam aperuit. Dicit David, ſe *ſoli* Deo peccaviſſe. Duæ quippe ſunt res diverſæ, peccare alicui, & peccare contra aliquem. Peccatur contra hominem, cùm inſignis ei irrogatur injuria, aut retinetur illi bonum proprium. Peccatur homini, cùm ad illum ſpectat pœnam de culpa ſumere, aut eam condonare. Unde ſequitur aliquando ut offendens hominem privatum, dicaris peccaſſe contra hunc hominem; ſed non dicaris, propriè loquendo, peccaſſe illi, quia cùm non ſit Princeps, nec Magiſtratus, ad illum non ſpectat hoc peccatum punire, aut illud condonare. Agnoſcebat quidem Propheta, ſe ſupradictos offendiſſe, ſed quia, cùm eſſet Rex, neminem habebat in terra ſe ſuperiorem, qui poſſet illud peccatum plectere, aut illud dimittere, convertit ſe ad Deum, dicens, Domine, tibi ſoli competit ſummâ authoritate judicium ferre de peccatis ab hominibus patratis, ut eos propterea damnes, aut illos ab ijs abſolvas; tu verò ipſe es, cui *ſoli peccavi.*

Quod autem favet huic conceptioni, eſt, ipſum meminiſſe illius, quod in propria peragitur Curia. Si enim aliquis ex vaſſallis ipſius eò proceſſerit, ut homicidium perpetraverit coram Rege, nulla ferè fit mentio illius, qui confoſſus eſt, ut aggravetur ſcelus; ſed dicitur duntaxat illud coram Rege patratum. Ita ait David, Domine, commiſi adulterium, homicidium, ſcandalum, & proditionem publicam, quæ me nimiùm efficiunt criminoſum. Sed ſi ritè perpendatur totum negotium, criminis mei gravitas è nihilo ferè reſultat,
s Baruch 3.15. niſi quia perpetratum eſt coram infinita s majeſtate tua, ita ut hæc ſola circumſtantia deflenda ſit præ omnibus alijs rebus, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Sed quàm apprimè callebat iſta prodigus; quia cùm ſtatum agnoviſſet deplorandum, ad quem propria reduxerant ipſum pecaata, & volens ipſe hâc infamiæ exonerari notâ, non adivit fratrem ſuum, neque domeſticos, quos læſerat malo ſuo exemplo, ſed immediatè miſericordem patrem ſuum, qui erat præcipuus, & ferè ſolus læſus, quique ſolus integrâ remiſſione poterat condonare offenſas commiſſas adversùs cæteros, idcircò ait illi, *Pater pecaavi in cælum, & coram te.* Quis enim foret ille ex ijs omnibus, quos diximus, qui poſſet illi omnium criminum ſuorum impendere abſolutio-
t Eſth. 11. 53. nem, ſi Deus, qui eſt *omnipotens* t, repræſentatus ab hoc patre, non ſibi proponeret cedere juri (quo vigebat) puniendi ipſius; tum quia leges & voluntates Divinas ipſius tranſgreſſus eſſet quolibet peccatorum ſuorum, cùm quòd ſua perpetraſſet crimina coram ſacra ipſius majeſtate. Oportebat igitur ut ipſe primus illi ignoſceret, & diceret *ad ſervos ſuos: Citò proferte ſtolam primam*; ut illum denuò indueret veſte innocentiæ & gratiæ. Obtentâ enim miſericordiâ & impetratâ veniâ, cuilibet alii, ad quem poſſet attinere aliquid, ob injurias ipſi ab eo irrogatas, citò ſatisfactum fuerit; habebit enim ille unde ſingulis majus largiatur bonum, quàm gravius ipſis intulerit malum.

Obſervate, ſi placet, Auditores, id quod dixi, Deum & proximum potuiſſe prætendere II. Pars.
jus ſuper diſſolutiones prodigi. Jus, quod attinebat ad Deum, reparari non poterat ab hoc otioſo nebulone, & ut eum reconciliaret ſibi Deus, oportebat ut præ ſapientia u ſua huic juri cederet, & huic prodigo gratis parceret. Sed jus, quod attinebat ad creaturas, u Sap. 7. 24.
cùm frater ipſius quereretur de eo, quòd pater ipſorum communis revertentem hunc diſſolutum benignè excepiſſet, reparari poterat ad omnem æqualitatem. Hoc evidens eſt. Ut enim quis agat opus meritorium, aut ſatisfactorium erga Deum, oportet ut is ſit in ſtatu gratiæ (ut fert ſententia communis) alioqui illud opus eſt inutile, cùm non habeat proportionem cum mercede quæ ſperatur, quæ eſt ſupernaturalis. Peccator igitur, qui excidit ex hac gratia præ peccato lethifero, nihil unquam agere poterit tanti pretij, quod poſſit ſatisfacere Deo pro peccato ſuo pœnâ infinitâ puniendo, cùm fuerit commiſſum adversùs infinitam Dei magnitudinem. Non quòd velim peccati materiam eſſe infinitam; ſed ajo futurum ut nihil ille poſſit facere ita magnum, quod poſſit mereri hanc primam gratiam Dei. Nec enim perſona peccatoris æſtimatur, ſicut nec aſpiciuntur ipſius actiones, ſed nihili ducuntur, *Quia peccatores Deus non audit* x. Oportet igitur ut Deus, ſi velit illum ſibi reconciliare, x Jo. 9. 31.
ſapientiam ſuam adhibeat, & graris peccato illius parcat, eique primam gratiam largiatur ſuam, ſicut illam præbuit prodigu, dicens in gratiam ejus in perſona patris ipſius, *Citò proferte ſtolam primam.*

Sed ſi ſemel hâc gratiâ præditus fuerit prodigus, ſi agatur de reparando jure, & impendendâ ſatisfactione aliquâ ijs, quos diſſolutionibus ſuis læſerat, id illi erit facile; omnes enim ejus offenſæ, ſicut reſpiciunt proximum, ſunt finitæ; & ſic non indigent actionibus infinitè meritorijs ut reparentur; & adjutus gratiæ ſuſceptæ auxilio, tot actionibus virtutis & ſanctitatis incumbet, ut exhibiturus ſit in poſterum proximis ſuis majus bonum, quàm aliàs eiſdem gravius irrogaverit malum, & pluſquàm ad æqualitatem ſatisfaciet pro omnibus injurijs illatis à ſe proximis ſuis.

Fateor equidem, dicet mihi aliquis, futurum ut prodigus, cùm ſit in gratia Dei, ſatisfacere poſſit pro injurijs à ſe proximis ſuis, irrogatis. Sed cur non poterit reparare culpas prout adversùs Dei ſupremam majeſtatem commiſſas? cur non valebit præ firma fide, & ardenti charitate, quas exhibuit feriâ reflexione in ſe factâ, & præ humilibus proteſtationibus coram Patre ſuo actis mereri erga Deum reconciliationem? *In ſe autem reverſus dixit; Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei; Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Niſi concedere velis illum id feciſſe, aut facere potuiſſe. Statim enim ſubjungit; *Fac me ſicut unum de mercenarijs tuis.* Ac ſi diceret, Fidei ſuæ velle ſe conjungere bona ope-

opera ſua. Magnus autem Apoſtolus, qui ſcientiam ſuam hauſerat ex origine æterna, cùm *raptus eſt in paradiſum* y, clarè edocet nos, quomodo id fiat, cùm ait, *Juſtificati gratis per gratiam ipſius* z.

y 1. Cor. 12. 4.
z Rom. 3. 24.

Cùm Deus, inquit, è ſtatu peccatorum tranſire nos facit in ſtatum innocentiæ, & è malis & impijs nos efficit Bonos & Juſtos, id agit gratuitò nobis gratiam ſuam largiens; *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia* a. Dicimus aliquem eſſe in ſtatu gratiæ, quando ipſe eſt vitæ homo probatæ, & immunis à peccato. Oportet igitur ut dicamus, neminem poſſe hunc ſtatum mereri, nec Deum ex debito juſtitiæ ſuæ nos in amorem ſuum aſſumere, ſed gratis. Aliuquin enim malè eum vocaremus, dicentes eum ſtatum gratiæ: Concilium verò Tridentinum *b* ait; *Cùm Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratis* †, *ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo* c; *gratis juſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*, ad æqualitatem juſtitiæ. Et licèt Concilium Arauſicanum ſecundum *d* dicat, Deum debere mercedem operibus, cùm facta fuerint, ſtatim tamen ſubdit, Dei gratiam nobis dare unde faciamus ea, præ ſapientia ipſius; *Merces debetur bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*. Loquitur autem clariùs Concilium Tridentinum *e*, *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu* g *concipientes, liberè moventur in Deum, credentes eſſe vera, quæ Divinitùs revelata & promiſſa ſunt*. Ac ſi diceret; Verum quidem eſſe, omnem hominem, qui reverti volet in ſtatum innocentiæ priſtinum, & ſuſcipere à Deo ſuorum veniam peccatorum, debere ſe primò diſponere per actum fidei, quo credat omnia revelata & promiſſa à Deo. Sed iſte actus fidei nunquam fieri poterit, niſi idem Deus præ gratia ſpeciali, & præ ſumma ſapientia ſua excitet intellectum ipſius, & dirigat eum ad credendum illud, quod non poteſt ipſe videre, eſſe verum & revelatum ab ipſomet Deo. Quod autem de fide dicimus, enuntiamus etiam de charitate, de humilitate, & de alijs, quæ præcedere poſſunt juſtificationem.

a Rom. 11. 6.
b Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8
† ex Roman. 3. 25. & 14
c ex Heb. 11. 6.
d Conc. Arauſ. II. can. 18.
e Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6
g ex Rô. 10. 17.

Scio equidem hoc eſſe valdè utile, & alicuì prodeſſe rei, quæ noſtras diſponat animas ad ſuſcipiendam gratiam: Sed aſſero id non ſufficere ut inde teneatur Deus, aut ſapientia ipſius, eam nobis dare ex debito juſtitiæ. Et licèt ipſe pollicitus ſit, ſe ignoſciturum omni homini, quem peccati ſui pœnituerit, &, ſi doleat ſe illud perpetraſſe, promiſerit illi Deus, ſe nunquam illius ampliùs recordaturum, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor* h; nunquam tamen promiſit hanc pœnitentiam merituram eſſe juxta præſcriptas à Juſtitia & Sapientia divina leges, gratiam ipſius ac amorem; ſed ſolùm hanc pœnitentiam, quam eſſemus acturi, profuturam eſſe nobis ut diſpoſitionem, quâ veluti prævià gratiam ipſius eſſemus ſuſcepturi. Inde fit ut ſanctus Paulus totum attribuat primæ voluntati, quam habet Deus, vocandi hominis ad hanc juſtificationem per gratiam ſuam, quæ illum præveniat; *Credenti in eum qui juſtificat impium, fides reputatur ad juſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei* i. Accedenti ad Deum vivâ fide, & credenti, eum ſolum juſtificare peccatores, proderit hæc fides ut ipſe juſtificetur; ſed id fiet virtute propoſiti, quo Deus ſtatuit ipſi dare gratiam ſuam; non autem quod eam ipſe meritus ſit.

h Ezech. 18. 21. & 22.
i Rom 4. 5.

Hæc autem non dico ut ab exercenda vos deterream pœnitentia, ſed potiùs ut ad illius praxim vos magis accendam. Cùm enim videretis gratiam Dei eſſe tanti momenti, ut impoſſibile ſit homines eam mereri, ubi ſemel eâ ſpoliati fuerint, præ majori cuſtodietis eam ſolicitudine, cùm eâ habebitis in vobis, ne amittatis theſaurum, quem ſemel amiſſum nunquam recuperare poſſitis. Si autẽ fortè aliquando è manibus veſtris elapſa fuerit, major vobis ſupererit tantæ jacturæ deflendæ occaſio. Ha! anima peccatrix, quàm infelix eſt conditio tua, cùm ruina tua æterna pendeat ex amiſſione hujus Divinæ gratiæ, quam quotidie moliris ſingulis peccatis lethiferis; quæ tanti eſt ponderis, ut iſtam deinceps non poſſis recuperare gratiam, etiamſi decem millia vitarum profunderes. Oportet ergo ut abſolutè te Divinæ committas Miſericordiæ, & expectes utrùm ſuam Deus tibi ſit porrecturus manum, quâ adjuta è peccato reſurgas lethali, & ſicut ignoras an hâc donanda ſis gratiâ, ita neſcis num *in peccato* k tuo ſis moritura. Ha! quantâ deberes affici curâ, ſtatim ac gratiâ iſtâ te intueris privatam pro peccato mortali? Deus bone *l*! Quid agetur de me? Permanebone ſemper in peccato? An autem ex eo aliquando reſurgam? Suſcipiamne aliquod ſubſidium Spiritûs ſancti ſpeciale, quod mihi viam pandat ad convertendum cor meum ad Deum præ viva fide, & præ ardenti charitate? Sed, ut mihi detur, quid agere poſſum? Heu deplorandam conditionem! Heu! non poſſum niſi poſtulare gratiam ipſius, & remiſſionem peccati mei, præ violentia ſuſpiriorum meorum, præ abundantia lacrymarum mearum, præ humilitate mentis meæ, & præ contritione cordis mei.

k Jo. 8. 21
l Pſ. 118. 68.

Diço igitur, etiamſi opera bona & pœnitentia noſtra, & quidquid agere poſſumus, quandiu in mortali verſamur peccato, non poſſint Divinam mereri gratiam, quæ nos juſtificat, ita ut hæc omnia acceptentur a Deo ut ſic, *& in libro* m ipſius ſcribantur; ſtatuiſſe tamen eundem Deum præ ſapientia ſua, ſe nunquam daturum ſuam gratiam ulli peccatori, quin priùs ſe ad illam diſpoſuerit, ſi ſit adultus, faciens quod in ipſo erit, adjutus gratijs ſufficientibus (quas Deus præbet unicuique *n*) quibus exerat actus fidei, charitatis, & ſic de alijs virtutibus ſupernaturalibus, quibuſque (inquantùm nobis erit poſſibile) diſponamus nos ad ſuſcipiendam ultimam & proximam præparationem ad gratiam Divinam, ut videmus in prodigo noſtro, in gratiam cujus miſericors *pater ipſius* ait, *Citò proferte ſtolam primam*. Deus illi ſuam offert gratiã, omneſq; anteactas remittit illi diſſolutiones ſuas: non compenſantur illæ adoleſcentioris hujus otioſi amore, nec dimittuntur tantùm; nimirum, vidit Deus hunc adoleſcentem nequam, amorem ſuum avertiſſe à terrenis creaturis, & eum convertiſſe ad ipſum Deum, *Surgam, & ibo ad Patrem meum.*

m Pſ. 138 16.
n Heb. 12 15.

meum. Ha! amor iſte tantâ prædîtus fuit vi, ut, etiamſi *adoleſcentior* iſte peccatis eſſet oneratus, Deus pepercerit his peccatis illius, eique ſuam largitus fuerit gratiam. Non ſecus ac ſi debeat tibi quis centum nummos, quos tamen tibi non ſit ſolvendo, Ha! Domine, dicet tibi, miſerere mei, eò redactus ſum paupertatis, ut mihi vivere non ſuppetat, cùm exegeris à me præ rigore juſtitiæ quidquid poteris, non propterea ditior efficieris; quidquid enim ex indigentiæ meæ extuleris reliquijs, indignum erit ut tibi offeratur; tædet me malè inſumpſiſſe pecuniam à te mihi commodatam. Tu, cui tenerum erit cor, non audebis ab eo aliquid exigere præ rigore juſtitiæ; & ſi aliquâ ducaris urbanitate, dices ei è contrà, Dimitto tibi debitum, non quòd illud mihi ſolveris, ſed præ impotentia, quâ non ſis ſatisfaciendo mihi. Idem dicendum eſt de hoc prodigo, & de unoquoque noſtri. Videt nos Deus impares ut ipſi pro tot ſatisfaciamus injurijs Divinæ ipſius majeſtati à nobis irrogatis; perſequi poſſet nos ad mortem uſque præ rigore juſtitiæ ſuæ; ſed dolor quo ducimur, nos ipſum offendiſſe, firmum propoſitum quod ſtatuimus nos in peccatum nunquam relapſuros, odium quod concipimus adversùs peccatum, & contra occaſiones omnes obvias ad peccatum inducturas, non habentes unde Deo faciamus ſatis aliter; hæc omnia, ioquam, devinciunt ſibi quodammodo cor Dei, qui ex quadam condecentia, præ ſumma ſapientia ſua, quæ nos ampliùs vexare non poteſt, tenetur ſuam nobis largiri miſericordiam, ductus etiam bonitatis ſuæ motivo.

III. Pars. Quemnam amoris exceſſum obſervare poſſumus in his verbis amabilibus, quibus bonus hic pater reducem ſuum filium excipit? *Citò proferte ſtolam primam.* Quid igitur? Voluntas data nobis à Deo ad directionem omnium cogitationũ & motuum noſtrorum ſemel depravata præ malo propoſito, quod nos avertit ab ipſo, & præfert amorem creaturarum amori, quem debemus Creatori, poteſt remitti in bonum præ dimiſſione ipſi facta omnium debitorum ſuorum à Deo præ ſumma bonitate ipſius? Quid autem meriti ſunt homines præ Angelis, ut privilegijs in re tanti momenti præ iiſdem gauderent? Nonne ſcimus quòd, etiamſi iſtis *o* ac illis dederit *Deus ab initio* liberum arbitrium, *&* illos æquè ac illos reliquerit *in manu conſilij ſui*, cujus interventu illuminati ſcientiâ ſufficienti docente ipſos *bonum & malum p*, poterant ſe convertere ad utramlibet voluiſſent partem, eique fixè ſuam alligare voluntatem, ut in æternum forent beati: Id tamen fuit cum illa differentia, quòd primò inſtanti eſſent ſe determinaturi Angeli, & quòd determinatio illa, quam ſibi eſſent propoſituri ſive in bonum, ſive in malum; ita firma foret ac immutabilis, ut illam nunquam eſſent deſerturi, inflexibiles permanſuri in hac obſtinatione, nec valituri ab ea reſilire, aut ejus veniam petere, aut ſuſcipere.

o Gen. 1. 3

p Eccl. 15. 14. &c

Sed Angelis oppoſiti homines hac in re, acceperunt poteſtatem ſe retractandi, cùm malè elegiſſent, & promiſſum à Deo, ſibi ab ipſo condonandam miſericordiam (ſicut impeoſa eſt venia prodigo noſtro) toties quoties, citò aut ſerò in hac vita ad ipſum eſſent reverſuri, *Quod hominibus mors, hoc Angelis eſt lapſus. Poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus: ut neque poſt mortem hominibus*, ait ſanctus Damaſcenus *q*. Sicut homo poſt mortem non poteſt aliquid ampliùs boni agere, ita Angelus poſt caſum, nullum poteſt facere opus laude dignum aut meritorium, quod ipſum diſponat ad reſurgendum ab eo. Et tamen quòd homo poſſit ſemper recedere à peccato ſuo, mutare affectus ſuos, iterùm eligere, deſerere primam voluntatem ſuam, recuperare benevolentiam ſummæ bonitatis Dei ſic graviter læſæ, hoc eſt donum ſingulare. Quòd Angelus, qui creatus fuit ita ſubtilis, & qui poterat (ſi voluiſſet) concipere rationes, quæ ipſum inducebant ad diligendum Deum, eò quòd illum non amaverit, detractus ſit *ad infernum in profundum laci r*, hoc eſt magna juſtitia. Sed quòd homo, qui erat Rex omnium creaturarum inferiorum *s*, & qui noluit eum revereri, qui capiti ipſius coronam impoſuiſſet, poſſit adhuc in ſeipſum reverti, hoc eſt privilegium ſingulare, eòq; magis, quò ipſe eſt Deus, & idem Ieſus, qui incipit primus, & homini offert amoré ſuum, & quantùmvis exiguam præ ſe ferat homo voluntatem bonam & diſpoſitionem, Deus principale operatur, & valorem præbet huic diſpoſitioni præ ſuæ auxilio gratiæ, ut poſſit ei præbere certitudines magis expreſſas reconciliationis ipſius ſecum, ſicut eas exhibet prodigo noſtro, ſibi ſatisfieri exiſtimans ſolo dolore, quo angitur prodigus ſe offendiſſe Divinam ipſius bonitatem, & amore ardenti, quem exhibet, *in ſe reverſus*, ſicut & ad ipſum, ut Divinam ipſius imploret miſericordiam. Quòd ergo Angelus, qui ſic ſpecioſus *t* erat, eò quòd non agnoverit Deum ſuum Authorem pulchritudinis ſuæ, privatus fuerit medijs illum meliòs cognoſcendi, hoc eſt magna juſtitia. Sed quòd homo, qui ſatis habebat ſcientiæ, quâ cognoſceret ſe debuiſſe obedire Deo, nec tamen illi obediverit *u*, poſſit abſolvi ab illa culpa, & re verâ abſolvatur, hoc eſt gratia ſpecialis.

q S. Damaſc. l. 2. de fide Orthod. c. 4

r Iſ. 14. 15. &c.

s Gen. 1. 28.

t Ezech. 28. 12. &c

u Gen. 3. 6.

Sed interim ſummopetè metuendum eſt, ne peccator velit excuſationes prætexere; imponens crimen ſuum perſonis, quæ illius committendi aliquam ſubminiſtrarunt ipſi occaſionem. Ne dicat iracundos, ſe provocatum injurijs nimis acribus, nedum de ijs non ſe ulciſceretur. Ne alleget avarus, ſe ad ſœnerandum inductum ab illis, qui ab ipſo mutuam ſeu commodatam accipientes pecuniam, lucrum & uſuram ipſi æquo & libenti impendunt animo. Ne afferat impudicus, ereptum ſibi cor, ac libertatem ablatam à blanditijs & lenocinijs ſpecioſi vultûs. Ne in medium afferat proſtituta, ſe importunis amaſiorum ſolicitationibus non potuiſſe refragari. Et ne guloſus prætexat (ut prætexere ſolent latrones) ſe pravis ita addictum conſortijs, ut non ſit amplius Dominus cordis ſui, nec ſuæ moderator crumenæ. Talis eſt procedendi modus eorum, qui ſe conſcios experiuntur, qui ſuam culpam alienis ſemper imponunt humeris, ne degenerent à primis ſuis Parentibus, qui eò audaciæ proceſſerunt, ut ſe excuſaverint ante tribunal Dei *x*. Et hoc eſt quod exercetur, & quod jure merito vereor de vobis, ne peccata veſtra in innocentes projiciatis humeros.

x Gen. 3. 15 & 13.

Sed obſervâte, ſi id vobis aceidat, hominem nihil tam habere ſuum, quàm propriam voluntatem; & peccatum, ex ſententia omnium Theologorum, ita eſſe voluntarium, ut, niſi ſic vo-

voluntarium, non ſit peccatum. Verùm enim verò neque homines, neque prava conſortia, neque lenocinia, neque blanditiæ, neque perſuaſiones, nec aliud ejuſmodi ullam vim nobis afferunt, quâ Deum offendamus; hæc omnia nobis viam quidem ad peccatum pandunt perpetrandum, ſed ſemper noſtræ Domini permanemus libertatis; & niſi conſenſum præbeat voluntas noſtra, horum omnium conatus erunt inutiles, & omnes hæ occaſiones, quæ in noſtram tendebant ruinam, materiam noſtris ſubminiſtrabunt meritis, ſi de illis glorioſum referamus triumphum. Si autem præ puſillanimitate in pravam labamur actionem, quantùmvis violentæ fuerint occaſiones, quæ nos ad eam induxerint patrandam, nobis *peccatum manet* y,

y Jo. 9. 41.

& noſtrum dicitur. Non enim habet formam peccati, donèc conſenſum ſuum ei committendo præbuerit voluntas, aut in eo moroſè ſit delectata, *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem* z. Et ex tunc coram Deo mortis efficimur conſcij ſempiternæ.

z Jacob. 1. 15.

Hâc ergo ductis cogitatione nobis naſcitur anſa admirandæ divinæ Bonitatis, cujus venia ſic eſt univerſa, ut ſine ulla limitatione pateat illa omnibus peccatis noſtris, etiamſi totam vitam noſtram medias inter voluptates ac delicias tranſegerimus; ita ut hora pœnitentiæ vel unica, conſilium unicum bonum, quale eſt iſtud prodigi dicentis, *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cœlum, & coram te,* veniam harum omnium debeat impetrare diſſolutionum. Millies offendit *adoleſcentior* hic nequam, & ubi ipſum unicâ vice tædet diſſolutionis ſuæ, Deus illi ignoſcit. Non ignoro eâ vigere Deum bonitate, quâ noſtra acceptet ſuſpiria & actus humilitatis noſtræ in formam ſatisfactionis. Eſto. Sed idem Deus videtur ſaltem tot actus exigere doloris & pœnitudinis, quot commiſimus actus, quibus fuit ipſe à nobis offenſus. At nimis bonus eſt, unicam duntaxat requirit pœnitudinem aut contritionem, quæ non eſt aliud niſi amor ipſiuſmet Dei præ omnibus rebus, & odium generale conceptum adversùs univerſa, quæ divinæ ſunt oppoſita Voluntati, & viva deteſtatio peccati oppoſiti amori ipſiuſmet Dei. Atqui omne peccatum lethale eſt oppoſitum amori Dei; ſi igitur ſe retractet homo à peccato ſuo, eò quod peccatum ſit contra Deum, eodem motivo omnia ipſe deteſtatur peccata, quia contra amorem Dei ſunt univerſa. Si omnia deteſtatur ipſe peccata, omnia igitur debent ipſi condonari à Bonitate & Miſericordia divina.

Ha! Quomodo, Domine? itane promptus es ad parcendum? Præcipiti curſu ferimur ut tibi injuriam irrogemus; & tu volas ut eam nobis dimittas. Inſumimus nos, more prodigi, ſingulos vitę noſtrę dies, ut terrâ marique materiam ambitionibus, avaritijs, & voluptatibus noſtris inquiramus adimplendis; & poſtquam immodicis noſtris immerſi ſumus delicijs, tu cœlos & nubes unico penetras vel momento ut nobis ſuccurras, & nos inde eripias, ſtatim ac tuum imploramus auxilium a; ita ut prę gratia tua nos de noſtris triumphare efficias peccatis, & plenam nobis largiaris abundantis pacis fruitionem. In ęternum igitur, Domine, tantam benedicant Angeli bonitatem. Tu verò Domine, exaudi preces infelicium horum peccatorum, qui obſecrant te præ legibus ipſius ejuſdem bonitatis, ut ſibi miſericordiam digneris impertiri, ſicut eandam non renuiſti largiri prodigo. Verum eſt, Domine, nos labyrintho peccati multis pravarum viarum ambagibus inflexo intricatos eſſe, ſed cùm nulla ſuperſit nobis ſpes inde exeundi, niſi ipſe noſtris imponas manibus glomerem, quem quaſi devacuemus, ut exeamus ex hoc periculoſo carcere, ſtatim ad te confugimus veluti ad refugium noſtrum, & ad ſpei noſtræ *anchoram tutam ac firmam* b. Priſtinæ nos igitur libertati reſtitue, ut obſequium tuæ exhibeamus magnitudini, ut offeramus tibi *imaginem* c tuam puram & nitidam, & confiteamur dona ſingularia, quibus bonitas tua cumulat animas, quas ipſa educit è peccato ad gratiam. Effice ut experiamur delicias, quibus perfunditur ille, qui liberatus eſt à ſervitute, & qui fruitur *libertate* d filiorum Dei per gratiam, ut efficiatur tandem hæres gloriæ, & nos cum illo.

a Pſ. 90. 15.
b Heb. 6. 19.
c Gen. 1. 27.
d Gal. 4. 31.

FERIA III. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.
Matth. 18. 15. &c.

EXecutioni difficilè mandatur correctio fraterna, ſed difficiliùs etiam ab aliquo ſuſcipitur. Aliqui ita blandiuntur alijs, ut laudibus extollant ſummis quidquid in ipſorum oculos incidit; & cùm nihil mali in aliquo deprehendant, nemini boni & utiles eſſe poſſunt ut ſic. Aliquos eſt invenire, qui corrigunt præ ſeveritate & impetu, ſuoque infigunt cordi plagas, ut videantur aliorum mederi vulneribus; quique magis videntur prætendere affectuum ſuorum plenâ & perfectam adimpletionem, quàm emendationem illorum, quos correctione cupiunt inſtruere. Non etiam ita facile eſt fraternam æquo & libenti animo ſuſcipere correctionem, tanto æſtimationis & bonæ noſtræ famæ amore ducimur cuſtodiendæ. Poſt amiſſum quippe *lignum vitæ* a, nimirum virtutem, omnes noſtras inſumimus curas ac induſtras, ut folia illius ac corticem, utputà bonam opinionem de nobis ab alijs conceptam conſervemus. Umbra eſt productio corporis lumine circunfuſi, honor verò eſt virtutis agnitæ filius, & niſi poſſit illius haberi vera & legitima recordatio, illius ſaltem habetur ſpuria & adulterina memoria. Hinc fit ut plures inveniantur ſimiles ſerpentibus, qui venenum exhibent illis, qui ipſis cantilenas concinunt; & ſimijs, qui infringunt ſpecula, quæ ipſis propriam repræſentant deformitatem. Quidquid ipſis an-

a Gen. 2. 9.

annuntiatur ad ipſorum inſtitutionem, ipſos exacerbat, & diris proſequuntur ipſi detractionibus iſtos, qui ipſis verba ſalutis & veritatis amabilia ſincerè pronuntiant. Sed cum certum ſit, neminem verâ fore unquam præditum perfectione, qui non glorietur addiſcere imperfectiones ſuas, Spiritus ſanctus providebit nobis lumina neceſſaria directioni veræ correctionis peragendæ, ſub auſpiciis Mariæ, quæ nullâ unquam indiguit correctione, quippe quæ tota ſemper fuit
b Luc. 1. 28 perfecta, & tota *gratiâ plena* b, ut proteſtatus eſt Angelus, cum dixit ei, *Ave Maria*.

Eximia planè eſt ea cogitatio, quâ quis interdum ſeriâ conſiderat attentione quonam pacto perſeverent omnia in ſtatu priſtinæ conſtitutionis ſuæ, nec tamen ullo modo vel minimùm recedant ab ordine à Creatore orbis univerſi ipſis impoſito, ut concinit apprimè Pſalmographus, Deum alloquens, *Ordinatione tuâ perſeve-*
c Pſal. 118. 91 *rat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi* c. Elevate, ſi placet, ſurſum obtutus veſtros, & ſtatim ibi deprehendetis quomodo cœleſtia ſic ſunt felicia ut eâdem ſemper procedant menſurâ, & in tantâ multigenorum ſeculorum revolutione nunquam tamen à recto & ſolito tramite ſibi à Deo præſcripto declinent. Quàm jucundum eſt ac delectabile viſu ſingulis horis matutinis ſpecioſam & radiantem auroram medias inter obſcuræ noctis tenebras, & producentem nobis patrem ſuum, ſcilicet, Solem. Nonne mirabili perfundimur alacritate, cùm videmus ſpecioſum hoc aſtrum diei, quod eſt parens lucis oculos noſtros illuminantis, exire è viſceribus propriæ filiæ, nimirum auroræ, & diem nobis producere; deinde procedens greſſibus compoſitis in viâ ordinariâ, aſcendere ad meridiem ſuum uſque, & proſequens ſine intermiſſione curſum ſuum per totum orbem, deſcendere præ longo curſu in admirationem nos rapiente, & pergere in occaſum ſuum? Verùm enim verò nox ipſa quantùmvis atra nonne gratam ſe exhibet præ lucidis tenebris ſuis? Et re verâ nonne lunaris ille foret, qui ſic benè ordinatas non miraretur Lunæ mutationes, ſolitam illius conſtantiam inter mediam inconſtantem ipſius viciſſitudinem, ejus decrementa, incrementa, acceſſus, receſſus, cùm ipſa eſt nova & naſcens, cùm eſt in orbitâ, cùm eſt plena, cum eſt deficiens ac noviſſima, & cùm eſt in eclypſi? Deprimite oculos veſtros deorſum ſuper elementa, & ſuper omnia per orbem diſperſa, & deprehendetis propriis in locis univerſa ſe continere naturalibus. Solus homo magis deordinatus in ratione ſuâ, quàm ſint omnes creaturæ rationis expertes ac ſensûs, ſingulis declinat momentis à rectâ ſemitâ obedientiæ, quam exhibere debebat ei, qui ipſum eduxerat è nihilo, & rectum formaverat, *Solummodò hoc in-*
d Eccl. 7. 30 *veni, quòd fecerit Deus hominem rectum* d; ut ex propria ſtaturâ & ex hâc rectitudine diſceret, quâcum æquitate deberet ipſe incedere in viâ Creatoris ſui, *& ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtio-*
e Ibid. *nibus* e. Solus homo inconſtans invenitur inter tot conſtantiæ objecta. Sol ſemper radiis ſuis ſplendentibus eſt coronatus; homo verò præ virtute aut præ vitio, modò ſplendore effulget, modò autem tenebris obſcuratur; hodiernâ die circumquaque luminibus cingitur, craſtinâ autem nigris circundatur obſcuritatibus. Terra eſt
f Eccl. 1. 4 ſemper firma, *Terra in æternum ſtat* f. Innititur illa quippe fundamentis ſtabilibus & inconcuſſis; homo verò nihil habet certius ipsâ incertitudine, nihil firmius ipsâ inſtabilitate. Homo ergo inde edoceri debet quantùm indigeat in bonam partem ſumere ſalutaria monita ubi ab
g Gal. 6. 1 aliis *in ſpiritu lenitatis* g præbenda, ne unquam à rectâ virtutis ſemitâ declinet ſectandâ, & ut ad eam redeat, ſi ab eâ fortè diſceſſerit, ut procedat in ſtadio, *curſum* conſummet, & coronam *juſti-*
h 2. Tim. 4. 7. & 8 *tiæ* h accipiat, palmâ perfectionis potitus. Si autem omnis homo correctione indiget, ſi neceſſarium eſt admonere defectuum illos qui eos commiſerunt; & ſi illi debent correctionem illam amabilem & fraternam ſumere in bonam partem, & gratiam agere illis, qui ipſos ſic admonent: Dicendum eſt omnem hominem teneri, quantùm in ipſo erit, exercere correctio-
Diviſio. nem fraternam, ut videbitis in priori parte hujus diſcurſus; In poſteriori verò oſtendam vobis quonam modo ſit illa exercenda.

I. Pars. Ipſa ratio naturalis ſuadet hoc mandatum de exercendâ correctione fraternâ erga proximum. Quandam habet inter ſe membra harmoniam & convenientiam, quâ omnia alia ſuccurrant infirmo deficienti viribus, aut vulnere confoſſo. Omnes nos membra ſumus ejuſdem corporis myſtici, cujus Caput eſt Chriſtus, *Ipſum dedit Caput*
i Epheſ. 1. 22. & 23 *ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* i. *Quo-*
k Epheſ. 4. 25 *niam ſumus invicem membra* k. *Quia ſumus mem-*
l Epheſ. 5. 30 *bra corporis ejus* l. Hâc autem ducti conſideratione curam noſtrorum debemus ſuſcipere fratrum, quos peccatum vulnerat: videntes eos in periculo incurrendæ mortis æternæ conſtituros, ſtrictè tenemur eos adjuvare. Quæcumque ſunt in universâ rerum naturâ, mutuam erga ſe exercent correctionem. Ipſa elementa & aſtra inter ſe corriguntur. Saturnus ſiquidem, qui eſt aſtrum malignum, ut referunt Aſtrologi, univerſam deſolaret terram, niſi ab aliquo benigniori corrigeretur aſtro. Luna ob magnum ſuum frigus corrigitur ab igne, qui magnum temperat ipſius humorem, qui noſtros penitus devaſtaret agros. Media aëris regio, quæ eſt frigida, temperatur ab infimâ, ab eâque corrigitur. Quidquid eſt in mundo, corrigit, & præſervat à malo. Imò verò ipſa vipera, quæ mortem inferret, correcta concurrit ad vitam conſervandam; ex eâ ſiquidem conficiuntur antidota. Unico tandem verbo, Fraternam ſuadent univerſæ creaturæ correctionem exercere, eamque Deus noſter nobis præcipit. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Repræſenta ei quàm magnam Deo irrogaverit injuriam, cùm inſurrexit in eum, ut ſciat ſe peccaſſe, & ne in poſterum relabatur in peccatum. Statim ac intuiti fueritis, Auditores, peccantem fratrem veſtrum, corripite eum, ne culpæ ab illo commiſſæ efficiamini participes. Sed dicite, quæſo, Nonne ingentis inſimularetur Medicus, aut Chirurgus inhumanitatis? ſi intuitus hominem gravi laborantem infirmitate, aut lethali aliquo confoſſum vulnere, diceret, Meâ non intereſt; nec ad illum pergam. Majoris proculdubiò conſcius eſt impietatis Chriſtianus, advertens pereuntem proximi ſui animam, cui tamen præ correctione non dignatur ſuccurrere.

Conſcientia nos obligat ad exercitium hujuſmodi correctionis fratri noſtro proximo impendendæ. Ille enim qui ſuccurrere poſſet alicui, qui jam jam demergitur, eumque ex aquis educere, nec ulli tamen ipſe exponeretur pere-

undi periculo, & eum implacabiliter aquis abſumi ſineret, illum occideret, & quodam modo ei vitam eriperet; V. g. Si intueretur aliquis in naviculâ jam jam aquis immergendâ puerulorum multitudinem, & eos poſſet facillimè ſine ulla ſui jactura e periculo eximere, & tamen illos ſineret abſque ullâ perire miſericordiâ, nonne ſummæ accuſaretur crudelitatis, imò verò homicidii, ac ſi propriis manibus vitam eripuiſſet pueris iſtis infelicibus, quam potuiſſet, & tamen noluiſſet conſervare? Ille verò qui videt fratrem ſuum proximum labi in peccatum, & inde ad mortem æternam pergere, præ defectu verbi ſalutaris, moniti amabilis, & fraternæ correctionis erga eum à ſe exercendæ, nonne conſcius ruinæ illius efficitur? Si igitur tanta non vigeat in nobis charitas ut corrigamus vitium alterius propter amorem proximi, ad eam tenemur exercendam correctionem ob amorem noſtri ipſorum, ne peccatum illius nobis imputetur.

Sed ut omnis auferatur de hâc materiâ ambigendi locus, illiuſque manifeſtetur veritas, Obſervandum eſt, non videri nos teneri ſervare hoc præceptum. Primò, quia juxta S. Hieronymum m, *Maledictus, qui dicit Deum aliquid impoſſibile præcepiſſe.* Atqui impoſſibile eſt corrigere eum, quem Deus deſeruerit, ut ait Salomon n, *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Ne igitur labamur in maledictionem, quam minatur nobis S. Hieronymus, videmur nos ad exercendam non teneri correctionem. Secundò, Si quæ foret obligatio adimplendæ correctionis fraternæ, contineretur illa in mandatis Divinis: Sed ea non invenitur in illis: Eſt igitur illa potiùs conſilium, quàm mandatum. Tertiò, Si quod eſſet onus exercendæ neceſſariò correctionis erga proximum lapſum in aliquod peccatum, quamplures Sancti ab ejus exercitio non abſtinuiſſent; dicit enim S. Auguſtinus o, *Non ſolùm inferiores, verùm etiam hi qui ſuperiorem vitæ gradum tenent, ab aliorum reprehenſione ſe abſtinent, propter quandam cupiditatis maculam, non propter officia charitatis.*

m S. Hier. in expoſit. Symbol. ad Damaſ. citat. à S. Thom. loco ubi infrà.
n Eccl. 7. 14.
o S. Aug. lib. 1. de Civit. c. 9. citat. à S. Thom. loco ubi infrà.

S. Thomas p, qui ſibi proponit difficultates, eas ipſemet reſolvit, & ſuppoſitis à ſe, reſpondet, Primò, *Quòd in omnibus bonis agendis operatio hominis non eſt efficax, niſi adſit auxilium Divinum, & tamen homo debet facere quod in ſe eſt. Unde Auguſtinus* q *ait: Neſcientes quis pertineat ad Prædeſtinatorum numerum, & quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri. Et ideò omnibus debemus fraternæ correctionis officium impendere ſub ſpe Divini auxilii*, non obſtantibus ſuprà allatis à S. Hieronymo, & ab Eccleſiaſte. Correctio igitur fraterna eſt de jure naturali, Divino, & poſitivo. De jure naturali, *Quod tibi fieri vis, alteri feceris* r. Vellemus eſſe nos ſine crimine & ſine imperfectione, oportet ut idem bonum deſideremus & procuremus proximo noſtro. Secundo reſpondet S. Thomas ſuprà oppoſito, *Quòd omnia præcepta, quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo, reducuntur ad præceptum de honoratione parentum* ſ. Et hoc de jure Divino. Habemus eundem Patrem t, idem Baptiſma, eandem Fidem u, eadem Sacramenta & media, quibus ad noſtrum poſſimus finem pertingere ſupernaturalem, quem omnes prætendimus. Cùm igitur Deus hanc exercendam præcipiat charitatem, ea eſt noſtro impendenda proximo; *Cujus veſtrûm aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi* x? dicebat Chriſtus Phariſæis. Non ſuccurrentes fratri noſtro in lutum peccati delapſo, & naturâ inclamante ut ei ſubſidium demus, & è cœno ſordium, quibus eſt implicatus, eum eruamus (præterquam quòd eundem Patrem nos omnes habemus Deum) Divinum hoc mandatum prætergredimur. Tertio inter alios, quibus licitè poteſt omitti correctionis exercitium, modo reſpondet S. Thomas, *Quòd correctio fraterna meritoriè poteſt omitti, quando ex charitate aliquis correctionem omittit.* Et id de jure Poſitivo. Et citat S. Auguſtinum y dicentem, *Si proptereà quiſque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam eruditos impediant aliquos infirmos, & premant, atque avertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis.* Omnes igitur homines tenentur ad impendendam correctionem, & Parentes, & Domini, & Superiores, & Magiſtratus, aliive hujuſmodi. David z dicebat Deo, *Viam iniquitatis amove à me.* Ubi alia verſio fert, *Viam idoli amove à me.* Sic parentes amore proſequentes filium ſuum ſimili amori, quo ſimia erga ſuos catulos afficitur, quos nimiis amplexibus enecat, ne contriſtent hujuſmodi filium, qui eſt ipſorum idolum, eum interimunt. Tria ſunt actionum genera in homine. Aliæ ſunt malæ, aliæ bonæ, aliæ verò indifferentes. Tenemur autem ad correctionem impendendam quoad actiones quæ ſunt aut adversùs Deum, aut adversùm nos ipſos, aut contra proximum, quarum tamen notitiam habemus. Sed cavete vobis, & ne ſitis velut quidam, de quo narrat hiſtoria, eum, poſtquam eò redegiſſet inimicum ſuum, adversùs quem prævalebat, ut animam ſuam dæmoni & furiis infernalibus addiceret, eundem inimicum ſuum pugione confodiſſe, dicendo, Ego occido corpus, & dæmones animam auferent. Ille quippe pejor fuit Caino a, & Juda b. Ita dicit S. Auguſtinus c, ſuper verba Textus noſtri: *Si neglexeris, pejor es. Tu cum vides perire, vel periſſe, & negligis? pejor es tacendo, quàm ille conviciando.*

p S. Thom. 2-2. q. 33. a. 2. ad 1. 2. & 3
q S. Aug. libro de Correct. & Grat. c. 15. citat. Ibid.
r ex Tob. 4. 16
ſ ex Exod. 20. 12
t Matth. 6. 9
u Ephel. 4. 5. & 6.
x Luc. 15
y S. Aug. lib. 1. de Civit. c. 9. citatâ S. Thom. loco ubi ſuprà.
z Pſ. 118. 29
a Gen. 4. 8
b Matth. 26 14. &c.
c S. Aug. ſerm. 16. de Verb. Dom. c. 4 II. Pars.

Ecce neceſſitas, quâ tenemur impendere correctionem fraternam proximo noſtro. Sed ecce procedendi modus in ea exercendâ obſervandus, *Quando oporteat demonſtrationem & commendationem alicujus rei adortos, ipſos priùs in adminiſtratione ejus rei deprehendi, & conſtantiam commonendi propriæ converſationis authoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant*, ait Tertullianus d. Id accidit omnibus illis qui habent cor & cor; ſpecioſa verba præ labiis, & pravos affectus in ſinu; qui verba promunt aurea, & facta producunt plumbea; qui ſuaviter reſonant ut citharæ, & ſurdi fiunt ut illarùm dulces audiant ſonos; qui ſunt veluti cymbala quæ tinniunt e, & unumquemque ad Templum, & ad ſacras ceremonias vocant, quò tamen ipſa non pergunt. Quicumque igitur huic charitatis officio incumbere deſiderat exercendo, Primò, incipere debet à ſeipſo, ſi velit iſtud officium obire præ virtute, & præ charitate ritè ordinatâ. Omne ſpeculum ut benè repræſentet, debet habere vitrum integrum, clarum, & non inquinatum; alioquin ſordes & maculæ illius, imprimentur objecto ipſi oppoſito.

d Tert. lib. de Patient. c. 1
e 1. Cor. 13. 1

Qui

Qui corrigere vult, exponit ſe inqoiſitioni & examini, & vereri debet ne ſibi meritò exprobretur, *Medice cura teipſum* f. Aut illud: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui* g. Non enim debemus eſſe lynces intuitu defectuum alienorum, & talpæ reſpectu noſtrorum. Cùm igitur corrigere voluerimus, oportet ut immunes ſimus à defectu, quem corripere intendimus in proximo, ut ait S. Auguſtinus h: *Accuſare vitia officium eſt bonorum virorum & benevolorum. Quòd cùm mali faciunt, alienas partes agunt. Cùm aliquem reprehendere nos neceſſitas coegerit, cogitemus utrùm tale ſit vitium, quod nunquam habuimus. Si nosmetipſos invenerimus in eo eſſe vitio, non objurgemus, ſed congemiſcamus, & ad pariter cavendum invitemus.*

f Luc. 4. 23

g Luc. 6. 41. & 42

h S. Aug. de ſerm. 2. Dom. in monte c. 19

Secundò, Hæc correctio procedere debet è motivo charitatis. Non ſuffundendus ideò eſt frater noſter pudore, ſed ut talis, putà, frater noſter corrigendus, *Qui enim delinquentem ſuperbo, vel odioſo animo corrigit, non emendat, ſed percutit. Quidquid enim protervus, vel indignans animus protulerit, objurgantis furor eſt, non dilectio corrigentis*, ait S. Iſidorus i. Quis enim zelus noſter eſſe poteſt, qui furori potiùs miniſtrat quàm charitati, quam exercere debemus erga fratrem noſtrum? Nam, ut ait S. Thomas k; *Correptio fraterna eſt admonitio fratris, de emendatione delictorum fraternâ charitate.* Nunquam ergo aggredienda eſt fratris noſtri correctio, niſi certò nobis conſtet è noſtræ dictamine conſcientiæ, nos ex purâ charitate agere, quia quidquid lacerato dicitur animo, cæcus ſævientis eſt impetus, non autem amantis dilectio. Si diligit quis, dicat tunc temporis quidquid voluerit.

i S. Iſid. lib. 3. de Sum. Bon. c. 92 citat. à P. Zach. Cap. Directo. For. Judic. 1. p. c. 2

k S. Thom. in 4. Sent. diſt. 19. q. 2. a. 1

Tertiò, Secretò eſt exercenda correctio, ut quod ſecretum eſt, non manifeſtetur palàm, *Corripe eum inter te & ipſum ſolùm.* Non enim intendit Deus, ut ſtatim ac crimen fratris noſtri nobis notum fuerit, illud circúmquaque promulgemus, non enim eſſet hoc eum corripere, ſed penitus diffamare. Oportet igitur ut correctio ſit ſecreta, ut ille qui peccavit, videns crimen ſuum non eſſe effectum publicum, conetur, declinando à viâ ſuâ pravâ ſectandâ, æſtimationem quam de ipſo conceperant homines bonam, conſervare. Alioquin enim ſi ſuum videret propalatum crimen, eò redigeretur deſperationis, ut illud eſſet præ impudentiâ negaturus, aut, quod pejus eſt, ſine ullo pudore tutaturus; & ſic in majus laberetur ſcelus, nedum à jam patrato reſiliret. Corrigendus eſt igitur privatim, ne ſi ſemel frontem induraverit, perſeveret in peccato, & denuò ac rurſum peccatis incumbat, nec ullo pudore ſuffundatur. Magna ſiquidem timendi ſubminiſtraretur occaſio, ſi omnem penitus pudorem amitteret, ne ipſi in poſterum forent omnia indifferentia; & cùm ipſi nihil ampliùs amittendum eſſet, nullo ampliùs perire vereretur modo; cùm nihil ſit periculoſius homine, qui ſuorum omnium integram paſſus eſt jacturam, cujus honor ſeu bona fama corruit præ hominibus, & conſcientia bona profligata eſt coram Deo.

Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium, ait Proverbium l. Statim ac otioſus aliquis ac nequam homo deprehendit profundum honoris ſui, deſpicit; imò verò gloriam trahit ex infamiâ ſuâ m, & vanitatem e confuſione, quâ frontem ignominioſè præ ſe fert opertam; quin etiam præ efficaciâ erroris & cæcitatis, videns bonam famam, quâ vigebat apud homines, penitus eſſe collapſam, veluti deſperans eam unquam ſibi eſſe reſtituendam, in pravos habitus ſuos prorumpit laxis habenis, non ſecus ac equus indomitus; id quod propriis ipſius ſatisfacit ac blanditur affectibus, ab ipſo uſurpatur ut neceſſitas quæ nullam habeat legem; potiùs adhæret commodis apparentibus quæ ipſi proveniunt ex hac indifferentia, in qua verſatur, animali, quàm deterreatur inde timore mali & dedecoris, quod exigui ipſe æſtimat, & parvipendit. Tandem in criminibus ſtabilem ſe reddit perpetrandis ac induratum, præ utilitatibus, quas ſibi pollicetur ex animali hâc indifferentiâ honoris, aut dedecoris, & præ concurſu ferè infinito eorum, qui idem ſentientes ac ipſe, crimen propalant quaſi jus naturale; & ſic ipſum non pudet eſſe impudentem, & gloriatur ſe eſſe nequam, & præ exceſſu criminum ſuorum conatur ſe infelicitet ſpectabilem reddere, & exigui curat, utrùm de ipſo loquantur in bonam homines partem, ſeu in malam, dummodò de ipſo loquantur, eòque procedit impudentiæ ut alterutrâ glorietur famâ. Idcircò oportet ut correctio ſit ſecreta, exdit ut impendatur *inter te & ipſum ſolum.*

l Prov. 18. 3

m Prov. 2. 14

Sed Quartò ſuavitas ab eâ debet eſſe inſeparabilis, *Corripe, id eſt, cor rape.* Eripiendum eſt cor fratri noſtro, & ideò auſpicandum eſt à ſuavitate correctionis exercitium. Querebatur de amicis ſuis Job n, *Vſquequò affligitis animam meam?* Idem poteſt dici de frequentibus occurſibus obviis. Venerit maritus è ludo exercendo, ubi jacturam pecuniæ paſſus fuerit non exiguam, vel reverſus fuerit è tabernâ, ubi nimiæ diſſolutioni indulſerit; in ipſum ſtatim excandeſcet uxor, & durioribus ipſum quàm par ſit verbis excipiet, *Vſquequò affligitis animam meam?* Adhibenda eſt tunc temporis ſuavitas; nam, ut ait S. Hieronymus o, *quid neceſſe eſt pungere non recalcitrantem, per ſe ſatis erubeſcentem confundere ampliùs, cui ſua ratio magiſter eſt: cui propria conſcientia virga, & ingeminata verecundia lex diſciplina eſt?* Unica vel mellis uncia plus muſcarum intercipit, quàm interciperet phiala aceto plena. Capienda eſt hæc avis vaga & ferox ſuavitate,

n Job. 19. 2

o S. Hier. Epiſt. ad Ocean.

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps,

Si velimus ut fructum capeſſat è correctione noſtrâ; alioquin enim hoc eſſet proximum noſtrum exacerbare, cum plùs proſit correctio amabilis, quàm furor turbulentus; illa quippe pudore ſuffundit, cùm iſte iracundiam provocet.

Apoſtema curabat, Auguſti Chirurgus, quo hujus Imperatoris filia laborabat ſub ubere; ſed ſicut huic ſexui infirmo timor eſt ordinarius, metuebat illa ferri ſeu ſcalpri chirurgici inciſionem: at induſtrius ille Chirurgus mirâ peritia ſtylum ſcalpri ſui chirurgici abſcondit in goſſipio oleo perfuſo, quo inungens apoſtema, ſtatim ſimul æquè ſtylum ipſe premit, & idem perforat apoſtema. Inſumenda eſt hæc induſtria, quotieſcumque ad impendendam proximo noſtro correctionem

nem fraternam nos impulerit neceſſitas. Sic Pharmacopola pilulas ſuas inaurat & pharmaca ſua, ut faciliùs degluriantur. Nihil eſt quod non poſſit ſupplex admonitio; fel averruncat è corde, lacrymas ex oculis, & peccatum ex animâ ; & aquæ gutta, quantùmvis mollis, duriſſimam tandem cavat rupem,

Quid magu eſt durum ſaxo? Quid mollius undâ?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.

Si verò ſuavitas, quâ quis proceſſit in impendendâ proximo correctione, nihil profecerit, & remedia dulcia ex occaſione malum augeant & pejus efficiant, nedum illud ſanent, & exitium immineat infirmo, tunc oportet ut novacula alicujus linguæ charitativæ aperiat hoc apoſtema, ut ſuppuretur ejus virus, publicando crimen illius ; adhibenda ſunt ignis & ferrum, fulmina, anathemata, & excommunicationes Eccleſiæ, ut ille qui amori & ſuavitati aurem præbere noluit; auferatur præ violentiâ, & compellatur præ felici neceſſitate ad agendum bonum, ne invitus experiatur quàm amarum ſit exercitio mali vacare, *Quòd ſi non audierit eos; dic Eccleſiæ.* Confirmatur ab Origene *p* ſuper hæc verba Iſaiæ q, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet*, dicente: *Qui ſegnior eſt & negligentior, pro diſciplinâ fit ei Chriſtus virga; & in virgâ non aſcendere dicitur, ſed exire. Qui verò juſtus eſt, quia juſtus ſicut palma florebit r, in hoc aſcendere dicitur Chriſtus. Exeundum namque eſt ei, qui iners & ſegnis eſt, de eo ſtatu, in quo non rectè conſiſtit, tanquam virgâ compulſo, id eſt, ſeveritate doctrinæ rigidioris admonito. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga: qui autem proficit ad juſtitiam, aſcendit in florem.* Excipiendi ſunt homines nequam ac regendi *in virgâ ferreâ ſ*, juxta ipſorum ſcelera, ut experiantur vim & gravitatem brachii Dei; ſed animabus juſtis impendenda eſt ſuavitas ; quâ trahantur, & *poſt* Deum currant *in odorem unguentorum* t Divinorum. Oportet ut præcedat ſuavitas, cujus veritatis hiſtorias authenticas plures ſubminiſtrant nobis ſacræ Paginæ.

p Orig. homil. 9. in c. 17. Num.
q Iſa. 11. 1.
r ex Pſ. 91. 13
ſ Pſ. 2. 9
t Cant. 1. 3

Aliquem corrigere idem re verâ planè eſt, ac eum eruere è morte peccati ad vitam gratiæ, ac eum reſuſcitare. Ut autem edoceamur procedendi modum in ejuſmodi correctione impendendâ obſervandum, Advertenda ſunt exempla Scripturæ, quæ nobis eum innuunt. Illa quippe plures præ noſtris oculis ponit reſurrectiones, puta, reſurrectionem pueri viduæ Sarephtanæ, aliam filii Sunamitidie, aliam filiæ Jairi Principis Synagogæ Judæorum, aliam filii viduæ Naim, ultimam tandem Lazari ; & in omnibus iſtis reſurrectionibus, quæ repræſentant nobis reſurrectionem peccatoris à morte criminis ad vitam gratiæ, nihil erit deprehendere, quod ſingularem non prædicet ſuavitatem, amorem eximium, & ardentem charitatem. Præſentatur Eliæ filius viduæ Sarephtanæ. Hunc Propheta ponit in cubili non quaſi mortuum, ſed veluti dormientem, *Poſuit eum ſuper lectulum ſuum: & expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit* u. Menſus eſt ſe Propheta ſuper puerum præ magno affectu, ut eum reſuſcitaret, præ ſe ardens ferens deſiderium communicandæ illi partis vitæ ſuæ. Pari affectu procedere debet quicumque fraternam eſt proximo impenſu*rus* correctionem.

u 3. Reg. 17. 19. &c.

Quod ſpectat ad filium Sunamitidis, adit hæc deſolata parens Eliſeum Prophetam *x*, qui dixit famulo ſuo Giezi, qui veluti ſervus ipſius deſcendebat ad officinas, excipiebat ſermones, ſimul & neceſſitates propoſitas, quique *acceſſit ut amoveret eam: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.* Proſtrata ergo miſeranda hæc genitrix coram Prophetâ, dicit ei, Mortuus eſt filius meus, Vir Dei, & vita mea cum illo moritur, ita ut non poſſim ampliùs abſque illo vivere. *Et ille ait ad Giezi, Tolle baculum meum in manu tuâ, & vade.* Mittit Propheta diſcipulum ſuum cum baculo ſuo. Sed non eſt cur miremur ſi Giezi reſuſcitare non potuit puerum iſtum, munitus baculo, *Et poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus*, cùm non requireretur baculus ſeu virga rigoris, ſed adhibenda potiùs eſſet ſuavitas & dulcedo. Quibus peractis *Eliſeus aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuos ſuper manus ejus: & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri: & oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos.* Surrexit puer ſolo vel Prophetæ tactu.

x 4. Reg. 4. 27. &c.

Quid dulcius tactu Prophetæ? Quid ſuavius, quid amabilius unico vel Medici intuitu? Dei Filius qui *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* y; & de cœlo in terram deſcendit ut univerſis noſtris mederetur infirmitatibus, & nos curaret manibus ſuis Divinis, præ apparatu ſingulari exquiſitiſſimorum quorumcumque remediorum, quæ in arte ipſius, quæ erat a noſtris artibus humanis prorſus aliena, & planè Divina, deſiderari potuiſſent, tangit puellam, Jairi Principis Synagogæ Judæorum filiam, *Ipſe verò ingreditur ubi puella erat jacens, & tenens manum puellæ, ait illi: Taliththacumi, quod eſt interpretatum, puella, tibi dico, Surge. & confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat* z, reſtitutâ fruens vitâ. *Loculum* a duntaxat tangit Chriſtus, in quo *efferebatur filius unicus* viduæ Naim ut terræ mandaretur, & ſtatim reſurgit ille adoleſcens: *Et acceſſit, & tetigit loculum (hi autem qui portabant, ſteterunt) & ait, Adoleſcens, tibi dico, Surge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Pergit ad Lazarum *Ieſus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem*, jam fœtentem; Solas adhibet lacrymas, quibus ei vitam reſtituat priſtinam, aut novam, *Ieſus infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt; Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* b. In omnibus his occurſibus nihil eſt præter ſuavitatem invenire ac dulcedinem in Chriſto, & in Prophetis ipſius.

y Luc. 19. 10
z Marc. 5. 40 & 41
a Luc. 7. 14. &c.
b Joan. 11. 17. &c.

Prætereà, Obſervate, ſi placet, modum procedendi Nathan Prophetæ *c* monitum præbentis ſalutare Regi Davidi, poſt adulterium cum Bethſabee ab ipſo patratum *d*, & homicidium in perſonâ Uriæ viri illius commiſſum, ultra ſcandalum toti regno ſubminiſtratum: *Duo viri erant in civitate unâ, unus dives, & alter pauper; pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam. Cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem, parcens ille ſumere de ovibus & de bobus ſuis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini, qui venerat ad ſe. Iratus autem indignatione David adversùs hominem illum nimis,*

c 2. Reg. 12. 1. &c.
d 2. Reg. 11. 4. &c.

dixit

Digitized by Google

dixit ad Nathan, Vivit Dominus, quoniam filius eſt mortis vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum. Dixit autem Nathan ad David, Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ego unxi te in Regem ſuper Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſraël & Iuda: & ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini ut faceres malum in conſpectu meo? Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Sic Nathan ſuaviter proceſſit, ita modeſtè correxit Davidem, ut ſe reus proprio ipſe damnaverit judicio; *Et dixit ad Nathan David, Peccavi Domino.* Septem
e Pſ. 6. & 31. & 39 & 50. & 101. & 129 & 142 Pſalmos ſcribit pœnitentiales e, & pœnitentiæ
f Pſ. 6. 7 vacat exercitio f. Adhibere ſuavem aliquam induſtriam ad exercendam correctionem, qualem adhibuit Nathan. Sed difficile eſt aditu thronum, & correctu Magnates. Inſumenda eſt ſola induſtria, & ſuavitas, quâ corda etiamſi ferrea ac ærea, imò vero infernalia abripietis, & devincietis vobis, *Quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut*
g Cant. 8. 6 *infernus æmulatio* g.

Ecce autem jam nunc concluſio correctionis charitativæ fratri noſtro proximo, ex motivo amoris impenſæ, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Propheta Nathan Regi Davidi, quem ſuaviter criminum ipſius admonuerat, non inſultavit confitenti; ſed veluti Medicus induſtrius ulcus, quod ne cogitanti quidem aperuit Principi, ſentienti circunligat, & fomentis curat appoſitis: *Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.* Sic lucratus eſt Principem Propheta. Quantam utilitatem provenientem ex impenſâ illâ correctione! Qualem gloriam ſibi comparat, qui animam lucratur, quæ pretiu excedit id omne quod in univerſo eſt orbe reperire!

Id confirmatur à S. Gregorio in verba miſſionis Apoſtolorum enunciata ab Evangeliſtâ b, b Marc. 16. 15
Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Ait ergo S. Gregorius i: i S. Greg. hom. 29. in Evang.
Omni creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur; quia ille docetur, propter quem omnis creatura viſibilis facta eſt k. Et Evangeliſta k ex Gen. 1. 1. &c.
l alius ait conformiter ad hoc, *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ?* Poteſt homo orbem ſibi comparare univerſum, ſed ſi poſt hanc acquiſitionem, quæ non eſt impoſſibilis, animæ ſuæ perpetiatur jacturam, in egeſtatem redigitur deplorandam, quia totus mundus eſt purum nihil, comparatus animæ illius. Verâ autem acquiſitio eſt ea, quâ quis fideli mandatorum Divinorum obſervantiæ inhæret, & meritorum erga Deum augendum ſatagit cumulum; circa quod proximo noſtro prodeſſe poſſumus præ charitativâ correctione; hoc planè eſt vacare exercitio Chriſti, qui venit è cœlo in terram ut ſalvaret homines; ſic efficimur cooperatores inſpirationum Divinarum, & fratres Angelorum, concurrentes ad illorum *miniſterium* in dirigendis animabus in viam *ſalutis* m: m Hebr. 1. 14
ita ut ſimus veluti *Dei adjutores* n in exercitio n 1. Cor. 3. 9
operum miſericordiæ ejuſdem Dei, erga eundem Deum, & in gratiam peccatoris, quem eduxerimus peccati *de tenebris in admirabile lumen* o gratiæ, ut pertingere tandem poſſit ad o 1. Petr. 2. 9
lumen p gloriæ ſempiternum. p Pſ. 35. 10

l Matth. 16. 26

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE.

Acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? Matth. 15. 1. &c.

QUàm falſa ſunt hominum judicia; *Mendaces*
a Pſ. 61. 10 *filii hominum in ſtateris*, ait David a. Quàm doloſi ſunt filii Adæ in trutinis ſuis; cùm damnent criminis alios in eo ipſo, quod ipſi perpetrant & exercent, ac ſi virtutum actibus incumberent. David ſententiam capitis tulit adversùs hominem, qui unicam fuerat proximo ſuo ſuffuratus *ovem* b; Sed non ſe accuſavit atrocioris
b 2. Reg. 12. 5. &c. criminis, quod cùm minus haberet ignorantiæ, majori ſcatebat malitiâ, nimirum ſe adulterium commiſiſſe cum Bethſabee, & infelicem Uriæ viro illius fuiſſe machinatum inferendam mortem. Homines ſe juſtificant, atque abſolvuntur ab eodem ipſo, de quo alii judicantur & damnantur ut Rei. Eamdem deprehendo injuſtitiam in ratione judicii, in Evangelio hodierno. *Scribæ & Phariſæi*, ſuperbi illi, ſi qui unquam tales fuerint, alloquentes Dei Filium, exprobrant illi, diſcipulos ipſius nullo zelo ductos obſervaſſe nequaquam traditiones veterum, quippe qui non lotis manibus veluti inurbani, menſæ non dubitarent accumbere: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant.* Dei Filius qui eſt *Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui unicuique juxta viam ſuam, & juxta*
c Jer. 17. 10 *fructum adinventionum ſuarum* c dat, eos pudore ſuffundens, impudentiam ipſorum ſic arguit; *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem* d. Quàm infelices ſunt illi, quip- d Exod. 20. 12
pe qui redarguunt acceſſorium, & tacent principale, cujus ipſi ſunt Rei. Semetipſos non damnant criminis, ex eo quòd ipſi tranſgrediantur Divina mandata, honorem ſuis non exhibentes debitum parentibus. Maria ſubdita ſemper fuit parentibus ſuis, & præ tantâ reverentiâ cœleſtia ſuſcepit decreta, ut reſponderit Angelo, *Ecce ancilla Domini* e, cùm dixit ipſi, *Ave Maria.* e Luc. 1. 38

Quatuor ſibi reſervavit Deus clavium genera. Quarum prima eſt clavis pluviæ, ſecunda clavis abundantiæ, tertia clavis ſepulchrorum, quarta tandem clavis conjugatorum. Reſervavit primò ſibi clavem pluviæ, *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ* f. *Et pluit ſuper juſtos & injuſtos* g. Secundò f Pſ. 147. 18
clavem abundantiæ, niſi enim Deus terris noſtris g Matth. 5. 45
& agris fœcunditatem præberet, invanum eſſet labor noſter, licèt poſſeſſiones noſtras ſudoribus noſtris, imò verò oculorum noſtrorum lacrymis irrigaremus. Verum quidem eſt ad hunc finem requiri laborem noſtrum, ſed eum non ſufficere, & ideò oportere ut ſuam Deus illi impertiatur

benedictionem, *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum* h. [h Pſ.146.8] *Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus* i. [i 1.Cor.3.7] Ipſe ſiquidem efficit ut ſemina germinent, creſcant, & ad maturitatem perveniant. Tertiò clavem ſepulchrorum, quia ipſe eſt Dominus vitæ & mortis, *Deus noſter, Deus ſalvos faciendi; & Domini Domini exitus noſtri* k. [k Pſ.67.21] Ipſe eſt qui nos reſuſcitabit, vocando nos è ſepulchro, *Educam vos de ſepulchris veſtris* l. [l Ezech. 37.12] Quartò tandem reſervavit ſibi Deus clavem conjugatorum, quippe quæ eſt donum Dei, *Poſſedi hominem per Deum* m, [m Gen.4.1] dicebat prima mulier. Proprium eſt Deo dare liberos: & Racheli petenti a viro ſuo, *Da mihi liberos, alioquin moriar; iratus reſpondit Iacob: Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui* n? [n Gen. 30. 1.& 2] Idcircò fœcunditas fuit aliàs conceſſa Judæis in mercedem fidelitatis ipſorum o. [o 1.Reg.1. 20 &c.] Si autem hoc donum non largitur Deus omnibus, committendum eſt id Divinæ Providentiæ p, [p Sap.8.1] cujus adoranda ſunt ſine intermiſſione decreta, ut juſta, licèt ignota. Illi verò, quibus præbet Deus liberos, inſtituere debent eos ut creaturas à Deo in mundo poſitas, ut reparent aliquando Angelorum apoſtatarum ruinas q. [q Iſai.14. 12.&c.] Sed ne æquo longiùs diſcurſum hunc protraham, vobis hodiernâ die monſtrare intendo debitum parentum triplex erga liberos ſuos, in tribus partibus ejuſdem diſcurſus. [Diviſio.] Craſtinâ autem die, Deo dante, oſtendam vobis triplex debitum liberorum erga parentes ſuos.

[I. Pars.] Tria debent parentes liberis ſuis ex juſtitiâ, nimirum amorem, inſtitutionem, & exemplum, quæ tria totum componunt hunc diſcurſum. Amor eſt fortis affectus, quo perſonam proſequimur amatam, quique efficit ut procuremus aut faciamus ei bonum, aut ſaltem deſideremus, cùm hujus impendendi facultas non ſuppetit; *Amare eſt velle, aut facere bonum.* Quòd amor iſte inveniatur in parentibus in gratiam liberorum, veritas evidens eſt, quæ probatione non indiget. Sufficit ut quis ſit Pater, ut ſciat quam fortis ſit affectus, quo ſuos cauſæ proſequuntur effectus. Amor igitur eſt in illis, nec multam adhibebo operam ut eundem ſuadeam parentibus, cùm amor naſcatur ex ſimilitudine, nihilque magis ſimile ſit parentibus quàm ſint ipſi liberi, *Omne animal diligit ſimile ſibi* r. [r Eccli.13. 19] Atqui pater & filius ſunt ſimiles, juxta axioma Philoſophicum, *Omne generans generat ſibi ſimile.* Quis ergo dubitabit de amore parentum erga liberos? Sic Deus qui ſpeciale facit mandatum de honorandis & amandis parentibus, & ut eos huic meliùs alliget penſo, vitam longævam ut mercedem liberis proponit, nullum inſtituit parentibus præceptum de diligendis liberis, cùm è contrà perſæpè nimio eos parentes proſequantur amore, qui amor eſt ipſis naturalis, ſicut ipſis eſt naturalis amor ſui ipſorum.

Sed quid immoror in viâ itâ planâ, ut probem propoſitionem ita certam & infallibilem ac verum eſt ipſum ignem calefacere? Probationes hujus veritatis habemus expreſſas in perſonâ Rebeccæ ſ erga filium ſuum Jacob; [ſ Gen.27. 5.&c.] & in perſonâ matris *filiorum Zebedæi* t. [t Matth. 20.20.& 21.] Non relinquitur nobis ambigendi locus de re, quam quotidianâ licet nobis comprobare experientiâ. Imò verò verendū eſt ne amor iſte peccet in exceſſu; unde fit ut dixerit S. Chryſoſtomus u, [u S. Chryſoſt. hom. 17. in Matth.] *Amor in filios quadam tyrannis.* Et alibi x [x S. Chryſoſt. hom. 4 de Verb. Iſai. ex 2. Mich. 7. 41.&c.] conformiter ad ea quæ dicimus, obſervat, matrem ſeptem Machabæorum ultimam fuiſſe cruciatam, ut gravius foret ipſius martyrium, utpote multiplicatum, patiendo in perſonâ ſingulorum filiorum ſuorum. Requiritur amor diſcretus & prudēs, qui nullam æmulationem cauſet, qualis non erat amor Jacob, qui *diligebat Ioſeph ſuper omnes filios* y; [y Gen 37. 3.&c.] quem fratres ipſius præ æmulatione non ſufferentes, *miſerunt eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam; & vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis;* & tandem illum occidiſſent, *Ecce ſomniator venit: venite, occidamus eum;* niſi Ruben pro eo intercedens, illis reſpondiſſet, *Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem: Frater enim, & caro noſtra eſt,* ſubjunxit Judas. Parentes, ſit prudens & diſcretus amor veſter erga liberos veſtros, ne ex indiſcreto oriantur rixæ & diſſenſiones in domibus veſtris. Inde enim maxima perſæpè naſcuntur infortunia, & aliquando cædes inter fratres. Parvus ignis ingentia cauſare poteſt incēdia.

Præterea, Amor veſter debet eſſe rite ordinatus. Amare enim liberos pluſquàm Deum, terram magis quàm cœlum, & creaturam præferre Creatori, res eſt prorſus damnabilis, quæ nihil valet, indigna ut præ ſe nomen amoris ferat; *Ordinavit in me charitatem* z. [z Cant.1. 4] *Qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus* a. [a Matth. 10.37] Deum offendere intuitu liberorum, ne contriſtentur, ut præſtetur eis id quod ambiunt, ut ad officia & ad dignitates promoveantur, eſt amare eos amore ſimiæ, quæ nimio amplexu ſuos enecat catulos. Tranſgredi Divina mandata, infringere leges Dei, & ejus indignationem incurrere in gratiam liberorum, eſtne id ſanè amare eos in Deo? Heu! quot hodiernâ die ſimiles inveniuntur parentes, qui dummodò ſuos promoveant liberos, de nullâ aliâ ſunt re ſolliciti? Omnis ipſorum cogitatio eò tendit, nullum aliud ipſi ſtatuerunt conſilium, nec alium ſibi proponunt finem, niſi ut proprii magnificentur liberi; ille eſt ſcopus, ad quem omnes illorum diriguntur induſtriæ & animi anxietates; totas inſumunt ipſi vires ſuas ut per fas, aut per nefas, ſuffurando, bona aliena abripiendo, viduas & orphanos injuſtis vexando exactionibus, crumenam augeant, ut inde promovendis illis ad dignitates, ſive Eccleſiaſticas, ſive ſeculares, ſubminiſtrent neceſſaria. Sed Deus offenditur, & periculo naufragii exponuntur æterni incurrendi animæ parentum & liberorum. Exigua res eſt; *Occidat, modò imperet,* ajebat Agrippina in gratiam Neronis filii ſui. Quid dicitis? Eſtne id rabies, an phreneſis? Hoc veſtro committo judicio.

Mementote illius, ſi placet, quod egit aliàs Rebecca. Vicinus capulò *Iſaac vocavit Eſau filium ſuum majorem, & dixit ei: Fili mi ſume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras; cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentū, ſicut velle me noſti, & affer ut comedam: Et benedicat tibi anima mea, antequam moriar* b; [b Gen.27. 1.&c.] & hâc ultimâ meâ benedictione conſtituam te hæredem meū. Rebecca mater Jacob (Ha! quantâ viget ſexus hic induſtriâ, cùm mulier ad exitum intendit aliquid deducere; natura, quæ eam viribus deſtituit corporeis, eam adinventionibus effecit prædivitem, quibus conſiliorum ſibi propoſitorum ſortiatur ipſa effectum) hæc mater audito ſermone Iſaac, vocavit filium ſuum natu minorem Jacob, quem chariſſimo proſequebatur affectu, & ait illi; *Fili mi acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex*

eis

vis eſt ei patri tuo, quibus libenter veſcitur; quas cùm intulerit, & comederit, benedicat tibi, priuſquàm moriatur. Jacob veritus jure meritò ne patris incurreret maledictionem, nedum illius benedictionem ſibi conciliaret, ſi agnoſceretur ab illo, juſtas prætexit excuſationes, & reſiſtit; inſtat mater & impellit ut ſibi moré gerat, nedum aliquid vereatur; & ut omnem eripiat ei metus ſuſpicionem, ait illi, *In me ſit iſta maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam.* Ecce quæ ſit hodie parentum loquela; Incurram in indignationem Dei, in ejus inimicitiam, imò verò in ipſam damnationem æternam, & in privationem Divinæ viſionis, quid meâ & liberorum meorum intereſt? Dummodò liberi mei magnificentur, & ſuper aliena extollantur capita, omneſque homines ſibi intueantur inferiores, & veluti aſtra in mundo effulgeant, nullius aliûs curam gero; *In me ſit iſta maledictio.* Ha! quàm inſanus eſt amor iſte.

Cavete vobis, quæſo, parentes ab hoc amore inordinato, ut ametis amore virtutis, præ cœlo, præ paradiſo, præ unicâ Dei gloriâ; & ut more alterius virtute non vulgari præditæ Reginæ Blanchæ genitricis S. Ludovici Francorum Regis, liliorum noſtrorum decoris, dicatis liberis veſtris, ſed ex toto corde dicatis & ex affectu ſincero, ut dicebat illa; Fili mi chariſſime, intueor te legitimum ſucceſſorem futurum illius regni omnium quæ ſunt in Europâ longè florentiſſimi; video manus tuas ſtabilituras hoc ſceptrum regium, quod inter infirmas alterius nutaret manus, diligo te re verâ ex intimis cordis mei viſceribus; & nimiis ſanè lenociniis & virtutibus præditus es, ut hunc à me maternum non exigas amorem: Sed ſcito etiam quòd mallem te centies reſpicere mortuum, quam ſemel peccati lethiferi labe inquinatum. Eximiam Reginam! Incomparabilem genitricem, ſed matrem etiam Sancti, & Regis ſancti, exemplum omnium matrum, matrem quæ amabat amore ſancto, & ritè ordinato, quali vos liberos amare debetis!

II. Pars. Præter amorem, Debetis liberis veſtris inſtitutionem, docere eos illa quæ ſunt virtutis capeſſendæ, illiſque providere neceſſaria, quibus mediis perficiantur in viâ Dei & Chriſtianiſmi; *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritiâ illorum* c. [c Eccli. 7. 25] Nihil planè eſt, vos dediſſe illis eſſe, niſi ſatagatis eis præbere prætereà bonum eſſe, eſſe virtutis præ bonâ inſtitutione. Præbentes illis hoc ſimplex eſſe, nihil aliud egiſtis erga eos magis, quàm agant bruta erga ſuos catulos. Effectus plerùmque id eſt affectus animalis, & immodicæ concupiſcentiæ. Sed præbentes eis bonam inſtitutionem, datis eis bonum eſſe. Tunc enim proceditis ut homines, & ut Chriſtiani. Et hæc ſanè eſt cura quæ juſtiùs illuſtrem vobis attribuit parentum qualitatem, quàm eſſe naturale quod illis tribuiſtis. Obſervate erga eos procedendi modum, quo uſus eſt Dei Filius in hunc veniens mundum, in gratiam hominum; *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo* d. [d Tit. 2. 11. & 12] Quibus verbis tria nobis præbet Apoſtolus monita ſalutaria, unum reſpectu Dei, aliud intuitu proximi noſtri, aliud tandem reſpectu noſtri ipſorum. Piè, reſpectu Dei; docete, parentes, liberos veſtros timorem Dei, deducentes eos ad Templum, ut ibi orent more Virginis Deiparæ & Sponſi ipſius ſanctiſſimi Joſeph, qui dilectiſſimum Filium ſuum Jeſum Salvatorem noſtrum adhuc puerulum in Templum ducunt Jeroſolymitanum, *Cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, in templo* e. [e Luc. 2. 42. &c.] Edocete eos doctrinam Chriſtianam, cùm ſunt juniores. Magnus quippe eſt pudor videre homines ætatis provectæ, imò verò ſenectâ confectos, qui vix recitare valent Orationem Dominicam f, [f Math. 6. 9. &c.] quos ferè in brutorum g cathegoriâ collocaretis, [g Pſ. 48. 13. & 21.] niſi apparentiam præ ſe ferrent humanam; aut ſaltem pro infidelibus, qui noſtram ignorant Religionem, haberetis, niſi inter Chriſtianos converſarentur. Unde autem ſi placet, oritur hic abuſus, & hæc ignorantia, niſi ex vobis, parentes? Etiam, ex vobis, qui viam virtutis ſectandæ liberis veſtris adhuc teneris non aperitis? Iſtius negligentiæ *rationem* h proculdubiò Deo reddetis. [h Luc. 16. 2] Tenemini inſtituere, aut inſtituendos curare liberos veſtros; alioquin graviſſimas hujus omiſſionis luetis pœnas. Quis pudor, videre Chriſtianos, qui ignorant in quo ſita ſit ipſorum *fides* i; [i Epheſ. 4. 4] & quod pejus eſt, qui nullam adhibent curam, quâ eam addiſcant, qui catechiſmis & concionibus non interſunt; & quibus ſatis eſt ingenii ut tenaci mandent memoriæ cantilenas turpes & inhoneſtas? Quænam confuſio, quam intoleranda deſidia eſt illa!

Parentes, conſcii criminis planè vos eſtis ante Deum. Quales vos ipſi illos inſtituiſtis, tales ſunt illi futuri; tales erunt ſanè confecti ſenio, quales fuerint adoleſcentes, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ* k. [k Prov. 22. 6] Ex iis facere poteratis Angelos, & ex iis conſtituiſtis dæmones l. [l Thren. 4. 6.] Pueri & puellæ ſunt adinſtar ceræ mollis, quibus quælibet figura veluti ceræ molli poteſt imprimi, prout cuilibet placuerit, aut Chriſti, aut dæmonis; aut Angeli, aut diaboli; ſed ubi ſemel indurata eſt cera, in eo ſtatu remanet, primam figuram ſibi impreſſam retinens. Idem planè peragitur de liberis, quales ſunt adoleſcentes, tales ſunt futuri, cùm fuerint ætatis provectæ & ſenio confectæ,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Primæ impreſſiones non poſſunt deleri, & conſuetudines in naturam mutantur m: [m Joan. 12. 4. &c.] Idcircò blaſphemantes adoleſcentes, blaſphemabunt & cùm ad ætatem virilem pervenerint, imò & cùm ad ſenilem. Similes ſunt lanæ albæ, cujuſlibet coloris ſuſcipiendi capaci; ſed ubi aliquem ſuſceperit, eum ſemper conſervat, nec unquam amittit. Si liberi educentur & inſtituantur in pagis, aut ruri, ſemper agreſtes erunt & ruſtici; ſi autem in civitate, proculdubio ſe urbanos exhibebunt. Sed nemo credat illos impudentes, aut bonis ornatos moribus effici ex influentiâ aſtrorum. Id planè foret error perabſurdus: Nullus alius quippe fortunatus, aut malignus eſt planeta, præter parentes. Liberi ſunt veluti tabula raſa, quibus applicari poteſt quidquid libuerit.

Piè, Docete eos intereſſe ſacrificio Miſſæ n [n 1. Cor. 11. 24. &c.] præ devotione, confiteri o perſæpè, [o Math. 16. 19. & 18. 18 & Joan. 20. 23] frequenter Sacramenta ſuſcipere p, [p Joan. 6. 51 &c.] operum virtutis exercitio incumbere q. [q Pſ. 83. 8] Ecce ea, quæ Deum ſpectant r. [r Rom. 12. 11. &c.] *Iuſtè*, Quæ proximum concernunt: Incedentes præ juſtitiâ, reddentes unicuique quod ſuum eſt; Superioribus ſeu Eccleſiaſticis, ſeu ſecularibus reverentiam ſ, [ſ Rom. 13. 7. &c.] ſicut & parentibus, ſuperaddentes ſubſidium & auxilium, cùm neceſſitas id exege-

exegerit; nihil alicui eripientes, nemini detrahentes, injurias ſibi irrogatas condonantes, [s Tob. 12. 8. & 9. & 4. 7. &c.] eleëmoſynas largientes s, aliis id tandem facientes quod ſibi vellent fieri u; [u Tob. 4. 16] docere eos debetis ut ſint tales. *Sobriè*, Reſpectu noſtri ipſorum: Prohibete eis acceſſum ad diverſoria publica, ad ſolia luſoria, interdicite eis pravorum frequentationem circulorum, in quibus offenditur Deus, & conſcientia læditur. Parentes corripite liberos veſtros, cùm eos auditis in horribiles erumpentes blaſphemias; caſtigate eos, cùm ſanctiſſimum *nomen Dei* x jurant, [x Exod. 20. 7] niſi velitis ut Deus ſe de vobis ulciſcatur, ſicut & de illis, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis* y. [y Hebr. 10. 31] Si tacetis, conſcii proculdubiò eritis criminum illorum, imò verò magis conſcii præ ſilentio veſtro, quàm illi ſint conſcii ſuorum criminum. Abſtulit aliàs diabolus è brachiis paternis infantem vix loqui valentem, & tamen os jam ad blaſphemias vomendas aperientem; quod permiſit Deus juſto judicio, quo de patre, qui filium ſic blaſphemantem, aut jurantem non corripiebat, debitas exigeret pœnas.

Vultiſne ut exhibeam vobis ſymbolum parentum liberos malè educantiũ? Conſiderate, ſi placet, viperam morientem pariendo catulos ſuos, præ hâc inſcriptione, *Hac eſt gratia partus*. Parentes cur miramini, videntes filios veſtros malè educatos, ſacrum Dei nomen negantes, rixas & diſſenſiones moventes & foventes, vobis reverentiam non exhibentes, nec vos honorantes? Idem prorſus agunt ac vos, *Hac eſt gratia partus*. Sed ecce conſilium ſalutare, quod vobis ſubminiſtrat Apoſtolus z, [z Epheſ. 6. 4] *Et vos Patres educate filios veſtros in diſciplinâ & correptione Domini.* Caſtigate eos ſecundùm Deum, cùm delinquunt. Duo filii Heli ſummi Sacerdotis, Ophni & Phinees, eò quòd nõ fuiſſent correpti à Patre ut par erat, quia crimen aliquod perpetraſſent a, [a 1. Reg. 2. 22. &c.] miſerandum in modum perempti in certamine fuerunt, & ipſorum Pater *cecidit de ſellâ retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt* b. [b 1. Reg. 4. 18] Quia oſtium nimis reliquerat apertum filiis ſuis à recto juſtitiæ tramite aberrantibus, quos delinquentes non corripuerat. Occurrite parentes infauſtis his eventibus; januam citò claudite his omnibus impudentiis & diſſolutionibus adoleſcentiæ; effrænes hos reprimite impetus, niſi velitis ut aliquod infortunium veſtrâ incuriâ, vobis conſciis, liberis veſtris accedat, *De patre impio querantur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrio* c. [c Eccli. 41. 10]

Filius quidam propter ſua crimina ad mortem damnatus, cùm ad locum deſtinatum ad ſupplicium perveniſſet, poſtulat præ ſpeciali prærogativa à juſtitiæ Præfectis ut liceret ſibi matrem ſuam alloqui, eique ultimùm valedicere, antequam mortem oppeteret. Non denegatur ipſi talis favor. Accedit deſolata mater, rata ſe jucundum aliquod vale à filio ſuo jam jam è medio tollendo eſſe ſuſcepturam. Sed ille ſimulans ſe voluiſſe eam deoſculari, præ deſperata rabie, & furore inaudito, æquo tamen & juſtè permiſſo à Deo, mordicùs illi naſum evulſit, altâ voce inclamans, *Hoc fit, ô cives, materna educationis præmium: Non Prætor, ſed mater mea me ducit ad ſuſpendium.* eò quòd non me corripuerit, prout ipſa debebat, cùm omni me flagitiorum genere inquinabam. Et S. Auguſtinus † [† S. Aug. ſerm. 33. ad Fratres in Eremo.] narrat de quodam Cyrillo cive Hipponienſi, quòd fuerit occiſus à proprio filio, quem ipſe non corripuerat, qui filius multa alia perpetravit inſignia crimina: *Ecce Cyrillus veſter filium habebat, ut ſcitis, quem corrigere negligebat, & luxurioſè vivendo conſumpſit partem bonorum ſuorum: Sed ecce hodie ebrietatem perpeſſus, matrem prægnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulneravit ad mortem.* Hæc omnia infortunia evenerunt huic filio corrupto præ defectu correctionis & punitionis. Si pater eum, ut debebat, acriter corripuiſſet, eò infelicitatis non fuiſſet redactus. Fallacem libertatem, quæ eſt ruina liberorum! Amores peſtiferos parentum, qui præ nimia indulgentia liberos ad furcas & ad ſuſpendium ducunt, & perſæpè eis ad inferos viam pandunt!

Sic eſt. Nimia indulgentia, quam parentes liberis ſuis exhibent, tota ruinæ atque excidij illorum eſt cauſa. Eſt ſiquidem ſpecies quædam crudelitatis & inhumanitatis, quâ utuntur parentes, cùm filijs ſuis & filiabus præ nimio blandiuntur exceſſu, *Ego quos amo, arguo & caſtigo* d, [d Apoc. 3. 19] ait Deus. *Quis enim filius, quem non corripit pater* e? [e Hebr. 12. 17] Tres bonæ ſunt matres, quarum liberi nihil valent. Prima, eſt veritas, quæ filium enititur nequam, nimirum odium, ut dicitur, *Veritas odium parit.* Secunda mater, eſt familiaritas, quæ deſpectum producit communi adagio, *Familiaritas contemptum parit.* Tertia tandem & ultima mater, eſt ſupradicta nimia indulgentia parentum, quæ eſt omnimoda exitij liberorum cauſa, juxta carmen illud vulgare:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Ecce quæ ſpectant inſtitutionem, quam debetis præbere, aut ſaltem procurare liberis veſtris. Nihil amplius ſupereſt niſi exemplum, quod tertiò debetis eis exhibere.

Etiam, Parentes, vos eſtis veluti Sol. Si ſiſtat [III. Pars.] Sol, ſiſtunt pariter curſus & productio rerum omnium ſublunarium & inferiorum, ſicut accidit tempore Joſue f: [f Joſue 10. 13] Ita ſi vos ſiſtitis in viâ virtutis, ſiſtent pariter liberi veſtri; tota illorum influentia & totum incrementum eorum a vobis pendent. Vos eſtis veluti primum mobile, veſtrûm eſt illis motum & exemplum imprimere. Quòcumque pergatis, illò vos ſequentur illi, ſive in vitium, ſive in virtutem. Si Sacramenta frequentetis, ſi vitæ ſitis probatæ, ſi charitate præditi, ſi nemini detrahatis, imitabuntur vos illi. Talis quippe eſt effectus, qualis eſt cauſa. Quomodo autem eſſent caſti liberi veſtri, ſi vos eſtis impudici? Quomodo non vanitatibus & ineptiis mundanis delectarentur, ſi vos ſimilibus quotidie intueantur deditos exercitiis? Quale exemplum præbetis eis, cùm illis maledicitis, cùm eos dæmoni & furiis infernalibus addicitis, & alias promitis execrationes? Idem prorſus agent, cùm grandiores evaſerint. Vos eſtis exemplum, quod ſibi proponunt illi, & re verâ foret veluti miraculum, ſi parentibus nihil valentibus, liberi aliquid operarentur boni: *Factum eſt grande miraculum, ut pereunte Core, filii ejus non perirent* g. [g Num. 26. 11] Qualis eſt pater, talis ordinariè ſunt filii. Filii veſtri ſunt veluti mare, & vos eſtis quaſi venti, qui iſtud mare attollitis & deprimitis, cùm vobis placet. Similes ſunt liberi veſtri piſci Polypo, qui colorem immutat juxta diverſitatem ſubjectorum, quibus adhæret; vos autem eſtis rupes, quibus illi ſunt alligati. Liberi

ſunt

ſunt veluti Hedera, quæ repit, & ſequitur fulcrum ſuum; vos eſtis coloſſus & murus, quibus illi innituntur. Quale tandem exemplum illis præbetis, tale ſequentur illi. Felicitas illorum à vobis planè pendet, qui eſtis opifices bonæ fortunæ illorum, quippe qui debetis illorum commodis & utilitatibus invigilare.

Præcipit Deus Moyſi ut mortuo fratre ſuo Aarone, veſte illius indueret Eleazarum filium ipſius, qua uſurus eſſet in obeundo Sacerdotio; *Cùmque nudaveris patrem veſte ſuâ, indues eâ Eleazarum filiū ejus* h. Non loquebatur Deus de veſtibus corporeis, cùm id præcepit Moyſi, quia fortè nec Eleazarus, nec fratres ejus erant ejuſdem habitûs, corporaturæ, aut quadraturæ, cujus erat pater; ſed de veſtimentis animæ, quæ non ſunt alia niſi virtutes, juxta Philoſophos Morales. Æquè igitur intereſt ut liberi veſtimentis utantur paternis, ac virtutū hæredes efficiantur paternarum, non minùs quam diviriarum. Quis autem neſciat imaginem aliquam eò futuram ſpecioſiorem, quò majori pulchritudine præditum fuerit exemplum, quod ſibi pictor propoſuerit imitandum? Sic liberi ſpecioſas in animabus ſuis formabunt imagines, ſi eas exemplo parentum ſuorum conforment virtute præditorum. Pater, qui non eſt virtute ornatus, liberos non producet, ordinariè loquendo, virtute inſignitos, nam, ut ait, Eccleſiaſticus i. *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus eris?* Et de his parentibus queritur Deus, cùm ait per Prophetam k, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto.* Cùm ſuos ſic parùm curent liberos, ac ſi ad ipſos non ſpectarent.

h Num. 20. 26.
i Eccli. 14. 5.
k Thren. 4. 3

Hallucinamini parentes, hallucinamini turpiter. Nolite errare, obſecro, hæc eſt obligatio veſtra. Deus autem, qui vobis liberos dederat ut illorum curam ageretis, hujus deſidiæ rationem à vobis exiget. Cavete ne nimium veſtris indulgeatis liberis, ne colatis eos velut idola veſtra & falſa numina, ita ut ne eis diſpliceatis, aut eos contriſtetis, illos corripere non audeatis. Hoc enim planè foret illos vitio exponere, antequàm apertos haberent oculos, quibus illud poſſent agnoſcere. Scitote quòd, juxta Clementem Alexandrinum l, *Matrimonij flores liberi* ſunt. Nihil ſic facilè marceſcit & corrumpitur ac marcent flores; unicus vel halitus pravus totam eorum exiccat pulchritudinem. Pro certu tenete, filios veſtros eſſe poſſeſſiones veſtras, *Poſſedi hominem per Deum* m, ajebat prima mortalium mater, & prima hominum interemptrix n. Si eos à ſpinis & à ſentibus ſinatis abſùm, Rei efficiemini jacturæ illorum præ tribunali divinæ Juſtitiæ e. Cavete, ait S. Hieronymus g, ſi ſoliciti providetis, ne liberi veſtri percutiantur *à vipera*, ut provideatis *eâdem curâ, ne* feriantur *à malleo univerſa terra* h; *ne de aureo calice Babylonis* i bibant. Alioquin ſunt illi futuri aliquando veluti clavi & lanceæ in lateribus veſtris, ut loquitur Scriptura ſacra k, *Erunt vobis quaſi clavi in oculis, & lancea in lateribus.* Quæ alibi l refert quadraginta duos pueros ab urſis fuiſſe devoratos, *Egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Ut diſcant parentes ſeipſos eſſe dignos ut puniantur talibus liberis interventu urſorum, quippe qui minus fecerint erga tales liberos, quam faciant urſæ erga ſuos catulos, quos lambendo & poliendo formant. Tales autem liberi querentur de parentibus extremi judicij die m, & dicent, ut ait S. Cyprianus n, *Perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas.* Parentes crudeles & inhumani, qui præ affectu ementito occiditis liberos veſtros, & veluti ſimiæ nimio eos amplexu conſtringentes, illos enecatis, quidnam reſpondebitis, cùm vobis exprobrabitur? *Perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas.* Sed quia loquor de exemplo, quod veſtris exhibere debetis liberis, propono vobis unicum, quod erit vobis veluti ſpeculum, & regula, cui vos conformetis, ne in veſtro deficiatis procedendi modo.

l Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 8
m Gen. 4. 1.
n Gen. 3. 6. & Rō. 5. 12.
e Eccli. 33. 8
g S. Hier. Epiſt. ad Lætam. n. 21.
h ex Jer. 50. 23.
i ex Apoc. 17. 4. & 5.
k Num. 33. 45.
l 4. Reg. 2. 24.
m Matt. 25. 31. &c
n S. Cypr. Serm. de Lapſis.

Sublime hoc exemplum ſubminiſtrat mihi ſanctus Tobias o, qui vocans filium ſuum, ait illi: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Audite, parentes, hæc verba, & ea intimis cordium veſtrorum imprimite penetralibus, & illis erga veſtros utimini liberos. Dicite eis ergo perſæpè; Mementote ſemper Dei noſtri, & cavete ne ullâ unquam mortiferi labe peccati veſtras inquinetis animas; fideliter Divina illius ſervate mandata, nec illa unquam infringite, qualiacumque proponantur vobis, imò verò etiamſi vobis totus foret profundendus ſanguis, & mors oppetenda. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Quàm eximia ſunt hæc præcepta! Utinam ea parentes animis ſuis, & liberi ſuis mentibus intimè impreſſa retinerent. Proſequitur Tobias ut filio ſuo omnium commendet virtutum praxim, & fugam ac odium omnium vitiorum, & concludit his verbis: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.*

o Tob. 4. 6. &c.

Hæc ait Tobias filio ſuo, quæ iterùm repetit capulo vicinus, completis centum & duobus annis, eundem ſuum filium & nepotes ſuos ad pietatem hortans: *In hora autem mortis ſuæ vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem juvenes filios ejus, dixitque eis: Audite ergo filij mei patrem veſtrum. Servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ placita ſunt illi. Et filijs veſtris mandate, ut faciant juſtitias & eleemoſynas, ut ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua* p. Inter omnia ſalutaria hæc conſilia meminit præſertim eleemoſynæ, quam filio ſuo jam ſupra ſuaſerat. Et alibi q, *Quoniam eleemoſyna liberat à morte, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Et jure merito, quia elemoſyna fiduciā præbet & acceſſum ad Deum, quippe quæ ipſa ſit via, per quam eum adeamus. Eximium patrem, ſanè digniſſimum ut liberos & nepotes haberet, cùm eos ſic rectè edoceret timorem & obſervantiam mandatorum Dei! Omnia poterat ille à Deo impetrare.

p Tob. 14. 5. &c.
q Tob. 12. 9.

Ait Deus r ſe veluti compelli manifeſtare ſecreta ſua Abrahæ, *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* Sed quare hoc? *Cùm futurus ſit in gentem magnam, & benedicenda ſint in illo omnes nationes terræ.* Sed unde fit ut Deus hoc ſingulare huic Patriarchæ concedat privilegium? quodnam eſt hujus prærogativæ motivum? Ecce præ-

r Gen. 18. 17. &c.

ſto eſt. *Scio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, faciant judicium & juſtitiam.* Meritum patris viam Dei ſuos liberos edocentis tantum eſt, ut paratus ſit Deus has illi impertiri prærogativas, imò verò multò majores. Etiam, parentes, ſic eſt re verâ, Deus quodammodo cogitur vobis bona largiri, nec aliquid vobis poteſt renuere, quandiu liberorum veſtrorum curam ſuſceperitis, quandiu ſacrum illius amorem, & ſanctum timorem illos edocueritis, quandiu bonum exemplum illis ſubminiſtraveritis. Sed contrarium accidit parentibus illis, ne dicam parricidis, qui nullam liberorum ſuorum agunt ſolicitudinem, qui munijs ſuis erga eos fungi negligunt, qui eos non edocent neceſſaria ad bonos mores & ad ſalutem æternam. Referunt hiſtoriæ profanæ æquè ac ſacræ infelices eventus ex talibus ortos incurijs.

Imitamini igitur parentes illuſtre hoc exemplum, quod propoſui vobis; facite ſicut egit Tobias, ſequimini eum, & eadem liberis veſtris monita præbete ſalutaria, quæ ſuo tribuit ille filio, ac nepotibus ſuis. Sed cur recedo ab exemplo
s Iſa. 9.6. meo? Ecce iſte *Pater futuri ſæculi* s; *Pater miſe-*
t 2. Cor. 1. 3. *ricordiarum* t. Habet iſte amorem, inſtitutionem, & exemplum. Amor eum cruci ſuffixit iſti. Nolite accuſare malitiam carnificum, ſævitiam Judæorum, rabiemve dæmonum, hujus criminis
u Jo. 19. 18. &c. u. Amor divinus ipſi ictum inflixit, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* x; amor, quo proſecutus eſt nos,
x Iſa. 53. 7. *Amare eſt velle, aut facere bonum.* Quod autem majus bonum? Pro nobis ſolvit ſanguinē ſuum, vitamque ſuam profundit, quibus nobis paradiſum aperiat. Habet inſtructionem, quia licèt *Le-*
y Pſ. 83. 8. *giſlator* y, efficitur tamen ipſe Lex ſuâ propriâ, praxi; virtutes docet, eas primus exercet; præci-
z Matt. 5. 44. pit veniam, *Diligite inimicos veſtros* z. Ipſe parcit.
a Rom. 5. 10. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo* a. *Benefacite his, qui oderunt vos* b. Quale majus bo- b Matt. 5. 44.
num, quàm ut ipſe ſe Mediatorem exhibeat ad impetrandam veniam ijs, qui ipſum malè excipiunt? *Et orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Ipſe vero orat pro ijs, qui ipſi vitam ſimul & honorem eripiunt, *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt* c. Habet exemplum: c Luc. 23. 34.
Primum in unoquoque genere eſt regula & menſura cæterorum. Paupertatem; *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* d. Patientiam; *Cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur* e. Parentes, ecce exemplum veſtrum, ſe- d Matt. 8. 20. e 1 Pet. 2. 23.
quimini illud, ut Deo dicatis de liberis veſtris id, quod dicebat idem Chriſtus Patri ſuo de Apoſtolis ſuis.

Pater, quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis perijt f. Deus magne, liberos mihi præbueras, f Jo. 17. 12. &c.
pro ijs infinitas tibi rependo gratiarum actiones: quantùm in me fuit, illos curavi, nihil omiſi quominùs eos rectum virtutis capeſſendæ ac ſectandæ edocerem tramitem; *cuſtodivi*, cavi ne voluptatibus carnis ac delicijs, ſenſuum lenocinijs ac blanditijs, vitiorumve laſcivijs ac petulantiæ habenas diſſolutè laxarent. *Pro his rogo, quos dediſti mihi, ut ſerves eos à malo.* Præſerva eos, obſecro, ab omni malo, & peccato, quod puritati animarum illorum obeſſe poſſet; avelle eos ab omnibus occaſionibus pravis, quæ poſſent ipſis eſſe funeſtæ; conſerva eos in ſancto obſequio tuo; fove bonos eorum affectus, quibus virtutem proſequuntur; amove ab illis quidquid ipſis eſt noxium, & tibi injucundum; effice ut nunquam conſentiant peccato, *ut ſerves eos à malo*; ſerva eos veluti rem tuam, *tui ſunt*; præbe illis media & gratias, quibus ita ritè tibi famulentur in hoc mundo, ut te poſſidere poſſint in altero, in gloria ſempiterna.

FERIA V. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit; Honora patrem & matrem. Matth. 15. 3. ex Exod. 20. 12.

CONſilium aggredior, quod multum mihi non afferet laborem, etiamſi ſit illud maximi momenti: tractare ſuſcipio hodiernâ die debitum liberorum erga proprios parentes, cujus afferre rationes & allegare probationes, ferè eſt injuriam irrogare veritati ita evidenti, ut nullam ſit unquam apud homines ſanæ mentis compotes paſſura contradictionem. Natura, ſeu potiùs ipſe Author naturæ, nobis præbens eſſe, cordi noſtro eodem tempore intimè imprimit affectum iſtum, quo ducimur erga parentes noſtros. Dei Filius, cujus actiones ſemper fuerunt omni-
a Deut. 32. 4. no conſummatæ ac perfectæ a in cœlo, & in terra, in hac admirabili excelluit praxi modo penitus infinito: & cùm deberet habere, *ubi venit*
b Gal. 4. 4. *plenitudo temporis* b, ſanctiſſimam Genitricem, quam ipſi præbere non poterat æternitas, eam omni gloria poſſibili præ omnibus creaturis cœli & terræ decoravit; & ut exigeret ab ea ſuum conſenſum ad ineffabile myſterium Incarnationis peragendum, abſolutè requiſitum, mittit ad
c Luc. 1. 26. &c. illam Angelum c, qui negotietur iſtud ſalutis noſtræ opus, quod annuntians illi, dixit ei, *Ave Maria.*

Non eſt diffitendum, gratitudinem eſſe rem planè ſingularem & obſervatione dignam, cùm ipſa dignos nos efficiat ut nova ſemper ſuſcipiamus beneficia; & tranſacta recognoſcere beneficia, futurorum conſtituat ſpem recipiendorum. Eccleſia ſancta Divini Spiritûs illuminata ſplen-
doribus d, hanc confirmans veritatem, de gratitudine his loquitur terminis, *Vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora ſumamus.* Ajunt Philoſophi, & convenienter quidem ad meum propoſitum, nullam motûs ſpeciem eſſe poſſe perpetuam (ſi excipias motum circularem, quippe qui ſit omnium motuum perfectiſſimus.) Motus beneficiorum Dei & parentum ſemper eſt duraturus, nec ullo eſt unquam fine concludendus, quandiu fuerit circularis, nimirum, ſi, adinſtar circuli, terminetur eò beneficium, unde ſuum deſumpſit initium; & ſi, quemadmodum ſuum trahit à Deo principium præ gratia, & à parentibus, putà, patre & matre, præ natura; ſic ad Deum, qui eſt *Principium & Fi-* d 2. Pet. 1. 21.
nis e, revertatur præ gratiarum actione, & ad e Apoc. 1. 8.
parentes præ affectu reciproco, & præ mutua beneficiorum compenſatione redeat; tunc evaſurus
eſt

eſt perpetuus, quia Deus iſtâ invitatus gratitudine, nova indeſinenter impertietur ac diſtribuet beneficia.

f Cant. 2. 16.

Dilectus meus mihi, & ego illi f ajebat Sponſa de Sponſo ſuo. *Dilectus meus mihi*, ecce beneficia. *Et ego illi*, en gratitudo, quæ Deo retribuitur præ gratiarum actione, quia idem Deus noſtris non indiget bonis, ut concinit Pſalmographus g, Deum eundem alloquens, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipſe eſt ſupremum Bonum, Bonum per per eſſentiam, omnium aliorum origo bonorum, uno verbo *omne Bonum* h. Quoad verò id, quod ſpectat parentes noſtros, ſita eſt gratitudo hæc in ſubſidio ſeu in auxilio, quod debemus illis impendere toties, quoties eorum neceſſitas id a nobis exegerit. Si verò ingrati efficiamur, nec ſuſcepta agnoſcamus beneficia, interrumpetur ſtatim intuitu noſtri Divinæ motus gratiæ, cùm nihil æquè diſpliceat Deo & hominibus ac ipſa ingratitudo, cùm ipſis apertè & manifeſtè bellum indicat. Punitio debita homini ingrato, in futurorum conſiſtit privatione bonorum: & cùm proprium ſit Deo, ſe communicare, cùm ſit ſummum Bonum, è quo veluti à prima origine omne aliud deſcendit bonum creatum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* i, & ſit *Bonum diffuſivum ſui* k, ait S. Dionyſius; ingratus, qui præ ingratitudine ſua dignus eſt ut privetur omni bono, hanc, quantùm in ipſo eſt, eripit Deo perfectionem, quâ ſuiipſius, prout eſt ſummum Bonum, Deus eſt diffuſivus; eumque privat, quantùm poteſt, adorando hoc attributo.

g Pſ. 15. 1
h Exo. 33. 19.
i Jac. 1. 17
k S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4

De hac ingratitudine queritur Propheta, dicens, *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ* l. Quia Divinâ communicatione indigni efficiebantur ingratitudine laborantes; Deũque, quantùm in ipſis erat, efficiebant ſterilem, Deum, qui eſt Bonum eſſentiale, cui proprium eſt ſe diffundere. Deus eſt veluti nutrix amabilis, *Ego quaſi nutritius Ephraim* m. Cujus abundantia lactis invitat alumnum ſuum ad ſugenda ubera ſua; ſi verò renuat alumnus os ſuum uberibus Dei applicare ſugendis, inde Deus dolore afficitur (ſi dolor in Deo ſit admittendus, loquor ego noſtro concipiendi modo) *Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat* n. Deus vult dare, & ipſum tædet videre quòd non ſit qui ſua ſuſcipere velit beneficia; vel ſi ſuſcepta fuerint, quod ea deſpiciantur & non agnoſcantur, quod incidit originem beneficiorum ipſius, ipſumque efficit ſterilem, *ſterilitatem animæ meæ.* Quòd ingratitudo ſit homini infenſiſſima, facile viſu eſt, cùm ea privet illum omnibus gratijs tam gratis datis ſeu gratuitis, quàm gratum facientibus ſeu juſtificantibus. Ut declinemus igitur ab hoc vitio tam injucundo Deo, quam hominibus noxio, agnoſcenda ſunt ea tum quæ à Deo ſuſcepimus, tum illa quæ a parentibus noſtris hauſimus, & videndum eſt quantùm nos illi ſibi devinxerint. Tria ſuſcipiunt à parentibus liberi, nativitatem, educationem ſeu ſuſtentationem, & inſtitutionem. Ut hæc tria compenſent reciprocè beneficia, parentibus alia tria rependere tenentur debita illis tribus mutuò reſpondentia, puta honorem, amorem, & obedientiam; tria munia tres partes hujus diſcurſûs.

l Pſ. 34. 18.
m Oſe. 11. 3.
n Iſa. 59. 16.
Diviſio.
I. Pars.

Eximiam tradiderunt nobis Ethnici † doctrinam, juxta honorem, quem liberi tenentur ſuis impendere parentibus; ſed cùm fuerint Ethnici, ut tales locuti ſunt, admittentes nimirum Deorum pluralitatem, dicendo, neminem integri judicij & ſanæ mentis compotem unquam conſultutum liberis ut negligant parentes ſuus; eoſque eſſe veluti theſaurum in domo liberorum, & velluti vivas Deorum imagines, ſi honorentur ut par eſt, & rependatur eis honor quem meretur; nec poſſe liberos habere magis vivas & magis ſpecioſas imagines Deorum, quàm parentes ſuos iam decrepitos, imò verò imagines illas meliores eſſe imaginibus Deorum (coram quibus proſternebant ſe Ethnici) iſtæ enim, puta inanium horum Deorum, erant inanimatæ, illæ verò, nimirum parentum, ſunt animatæ: Ideòque eos, qui præ reverentia eſſent ſe geſturi erga illos, valida habituros eſſe motiva, quibus Deorum ſibi conciliaturi eſſent benevolentiam; eò quòd oratio parentum in gratiam liberorum ſemper acceſſum eſſet habitura ad thronum eorum, & velut omnipotens impetratura ab illis quidquid pro ijſdem liberis ſuis ab ijs eſſet poſtulatura. Quid utilius honori, quem liberi parentibus ſuis debent impendere? Poſſibileue eſt ut Chriſtiani de tali honere exhibendo meliùs unquam loquantur?

† Plato l. 2. Legum citat. ab Alciat. Emblem. 194.

Alij aliquid magis dixerunt, aſſerentes parentes eſſe Deos viſibiles in terris, quos præ noſtris videmus oculis; & alloquentes liberos, ajebant, ipſos debuiſſe contemplari parentes ſuos ut parva numina, & eos honorare non ſecus ac intelligentias. Alij tandem ſenſerunt, eſſe veluti ſpeciem ſtultitię, dubitare de honore parentibus debito, eandem ac de candore ipſius nivis ambigere. Deus autem poſt mandatum de diligendo ſeipſo factum, *Diliges Dominum Deum tuum* o; ſubdit præceptum de honorandis parentibus, quod eſt primum ſecundæ tabulæ, & primum quod intuetur proximum, *Honora patrem tuum, & matrem tuam; ut ſis longævus ſuper terram* p. Non invenimus Deum alia mandata obſervantibus mercedem polliceri, ſicut eam promittit adimplentibus præceptum de honorandis parentibus, *Qui honorat patrem ſuum, jucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur* q. Quicumque reverentiam ſuis exhibet parentibus, conſolatione & oblectamento perfundetur, ſuorum intuitu liberorum, in quibus benedicetur; & cùm preces Deo obtulerit, eæ exaudientur.

o Deut. 6. 5
p Exo. 20. 12.
q Eccli. 3. 6.

Patriarcha Joſeph, eò quòd honoraſſet patrem ſuum Jacob r, quem vocaverat in Ægyptum s, ubi Pharaonis erat ipſe Prorex, nullo ſuffuſus pudore ob egeſtatem ejuſdem patris ſui, quem ut talem agnoſcere non eſt dedignatus coram Pharaone, & omnibus Aulicis illius, etiamſi pauper eſſet, & paſtor ovium (Heu! quàm longè diſtant ab hoc procedendi modo filij hujus ſeculi, intuitu parentum ſuorum) copioſâ mercede donatus eſt; ſiquidem propter honorem illum, quem exhibuit patri ſuo Jacob, vixit adhuc, Deo ſic diſponente, feliciter multos annos poſteà Prorex magni illius regni Ægyptiorum t. Sem & Japhet, quia patris ſui Noë operuerant nuditatem, fuerunt a Deo benedicti u, & diuturnam duxerunt vitam x. Ita promiſſum Dei verum eſt, quo vitam longam & felicem parentes honorantibus pollicetur, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.*

r Gen. 47. 1. &c.
s Gen. 45. 13.
t Gen. 48. & ſeqq.
u Gen. 9. 23. &c.
x Gen. 10. 1.

Sed ſicut benedictiones & mercedes impenduntur bonis liberis, qui parentibus ſuis honorem & reverentiam, ut par eſt, exhibent; ſic, ratione con-

contrariorum, infortunia & infelicitates proculdubio illis evenient, qui parentes deſpiciunt, &, quod pejus eſt, eos affligunt, *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos* y. Hujus veritatis infallibilis teſtes ſunt Cham & Abſalom, quorum prior, eò quòd patrem ſuum Noë irriſiſſet, nudatum eum intuitus, fuit ab ipſometipatre *maledictus*, & *ſervus ſervorum fratribus ſuis* z effectus. Poſterior verò, dum patrem ſuum David regno ſuo ſpoliare quærebat, *quercui* a capillis adhærens, lanceis confoſſus eſt. Momentote, ſi placet, horrendi illius eventûs, qui accidit Barcinone in Catalonia, quem refert S. Bernardinus *b*. Adoleſcenti cuidam annos ſeptendecim nato circùm circa, à Juſtitiæ miniſtris apprehenſo, & ad furcas damnato, appenſo in patibulo propter ſcelera ſua, orta eſt barba ita prolixa, & ſic alba, atque facies in eo ita apparuit rugata, ac ſi fuiſſet ille nonaginta ſenex annorum; quod Deus præexpreſſo permiſit miraculo (ſicut ipſe revelavit) ut ſignificaret illum adoleſcentem fuiſſe victurum ad annum uſque nonageſimum; ſed quia parentibus ſuis honorem non exhibuiſſet debitum, abbreviatos fuiſſe vitæ illius dies; *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Cavete vobis liberi, ne unquam veſtros æquo duriùs excipiatis parentes, ne maledicatis eis, ne eos rigore intolerabili affligatis, *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodient eum corvi de torrentibus, & comedent eum filij aquilæ* c. Et, *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur* d.

y Pſ. 54. 24.
z Gen. 9. 22. & 25.
a 2. Reg. 18. 9. & 14.
b S. Bernardin. Serm. 17. Quadr. citat. à Calamat. Fer. 2. Dom. 2. Quadr. punct. 1.
c Prov. 30. 17.
d Exod. 21. 17.

Sanctus Tobias *e*, de quo loquebar vobis heſternâ die, nihil æquè commendavit filio ſuo ac honorem & reverentiam fideliter exhibenda ab ipſo matri ſuæ, ***Cùm acceperit Deus animam meam, honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim eſſe debes, quæ & quanta paſſa ſit propter te in utero ſuo.*** Audite liberi hæc monita ſalutaria, ſeriòque perpendite quid debeatis parentibus veſtris, & quonam pacto eorum beneficia in vos collata teneamini agnoſcere, honorem & reverentiam eis debita exhibendo. Idcirco dicebat Ariſtoteles *f*, ***Ut Diis, ſic parentibus honos tribuendus: nec rurſus qui ſapienti debetur honos, is eſt patri tribuendus; ſed patri is qui patrem deceat.*** Quomodo enim poterimus agnoſcere beneficia, quæ ſuſcepimus à Deo, à quo habemus id omne, quod in nobis eſt? Ab illo quippe hauſimus eſſe, vitam, & motum, ***In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*** g. Quonam pacto compenſare poterimus ea, quæ contulerunt nobis parentes noſtri, præbentes nobis nativitatem & vitam, quam propriis curis nobis conſervant, quæ *conſervatio eſt continuata productio*? Quas gratiarum actiones poſſumus noſtris rependere progenitoribus? Hæc debita ſic ſunt excelſa, ut noſtras longè excedant vires, & animi noſtri gratitudines. Sed progrediamur ad altiora.

e Tob. 4. 3.
f Ariſt. l. 9. Ethic. c. 2.
g Act. 17. 28.

II. Pars. Dico, Auditores, liberos magis debere amare parentes ſuos, quam proprias uxores, & filios ſuos. Rem ſic propono. Habet aliquis patrem ſuum, matrem ſuam, uxorem ſuam, & filios ſuos ad æqualem neceſſitatem redactos, & cùm non poſſit omnibus neceſſaria ad vitę ſuſtentationem erogare ſufficienter, ſed uni eorum ſoli, ut eum è mortis eripiat faucibus; peto, cui illorum teneatur magis ſuccurrere, vel patri & matri, aut uxori, ſeu filiis. Reſpondeo, illum teneri ſuccurrere patri ſuo, & matri ſuæ, & potiùs deſerere propriam uxorem, ac ſuos liberos. Quod hac ratione probo: Tria ſunt principia, & tres origines amoris, ſimilitudo, familiaritas, & beneficia. Iſte, de quo loquimur, magis eſt ſimilis patri ſuo, quam ſimilis eſt uxori ſuæ; cùm ſimilis ſit patri ſuo numericè, quippe qui ſit illius pars; & uxori ſuæ ſpecificè tantùm. Prætereà, Majorem habet familiaritatem cum patre ſuo, quia natus eſt ex illo, & inter illius brachia educatus fuit, ſemperque ipſi blanditus fuit pater ſuus. Inſuper, Suſcepit majus à patre ſuo beneficium, quàm ſuſceperit ab uxore ſua, quia ab illo accepit eſſe, quod eſt fundamentum & baſis omnium bonorum, antequàm ad uxorem ſuam aliquo attineret modo. Sic, Auditores, in bona conſequentia filius magis tenetur amare & adjuvare parentes ſuo, Patrem, & matrem, quàm propriam uxorem, & filios ſuos.

Major intercedit unio & obligatio filii erga patrem ſuum, cùm liceat filio obſequio Divino mancipato Deum deſerere, Religionemque aliquam à Sede ſancta Apoſtolica approbatam profeſſo, ab ea exire, ut parentibus ſuis, patri ſuo, & matri ſuæ ſuccurrat, cùm priùs ſit filius, quàm vitæ cultor Religioſæ. Dicitur etiam mater doloribus partûs cruciata, ſtatim ac enixa eſt, gaudio perfundi ſingulari, *Mulier cùm parit, triſtitiam habet; quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum* h; cùm natus ſit ad ipſi ſuccurrendum. Jure autem Civili *i*, juxta Imperatorum decreta, licet patri vendere filium ſuum, ut neceſſitati ſuæ ſuccurrat. Si autem id aliquam præ ſe ferat rigoris ſpeciem, ecce textus expreſſus; ***Si quis propter nimiam paupertatem, egeſtatemque, victûs causâ, filium filiamve ſanguinolentos vendiderit (venditione in hoc tantummodò caſu valente) emptor obtinendi ejus ſervitii habeat facultatem.*** Ratio iſtius eſt, Quia liberi pati debent ſe vendi à parentibus ſuis, cùm neceſſitas ipſorum eos ad id compulerit, eò quòd ab illis acceperunt eſſe, quod habent, & in eo mediâ actione ab illis conſervati ſunt; & ſic tenentur amorem illum amore compenſare mutuo; & cùm non poſſint aliter, nec illis reſtituere eſſe, quod ab illis acceperunt, debent ſinere ſe vendi ab illis, niſi fortè labore proprio illis victum ſubminiſtrare queant & neceſſaria quælibet, cùm teneantur illos amare magis, quàm proprias uxores, ut jam dixi vobis.

h Jo. 16. 21.
i Leg. 2. Si quis. Cod. de Patribus, lib. 4. tit. 43.

Ne quis autem alleget rationes in contrarium, deſumptas ex Scriptura ſacra *k*, ***Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.*** Dico hæc verba eſſe intelligenda de mutua conjugatorum cohabitatione quoad thorum duntaxat; non autem quoad amorem & ſubſidium, quę filius exhibere tenetur parentibus ſuis in neceſſitate conſtitutis; & hoc ſenſu poſteriori relinquenda eſt uxor, ut ſuccurratur parentibus. Præterquàm quòd filius magis eſt obſtrictus patri ſuo, quàm proprio filio ſit obligatus, cùm primò creditori priùs ſit ſolvendum, & citiùs is mercede ſit donandus, quàm ultimus. Cùm igitur filius magis ſit obſtrictus patri ſuo, quàm filio ſuo, cùm priùs ſit filius quàm pater; cùm eſſe traxerit à patre ſuo, ſequitur illum eſſe magis obſtrictum patri ſuo, & magis teneri illi reddere, quàm filio ſuo. Tum etiam, quia potiùs agnoſcendus eſt benefactor, quàm ille, cui beneficium impenditur; pater eſt ille, qui confert

k Gen. 2. 24.

ſert beneficium; filius verò ille, cui tale præbetur beneficium. Inferte hinc igitur liberi, quonam veſtros proſequi parentes amore debeatis.

Non ſufficit igitur honorem exteriorem parentibus veſtris exhibere, eos ſalutare, coram illis aperto capite aſſurgere, eos revereri, fauſtamve illis deprecari diem: iſtud non eſt ſatis; verba nihil ſunt niſi ventus, ore tenus perſæpè duntaxat proferuntur, & aliquando ſunt emenrita & doloſa; exhibendæ ſunt hujus probationes amoris, illa non ſufficiunt, ſed præter ea requiruntur
l S.Greg. hom. 30. in Evang. opera, quia ut ait S.Gregorius *l*, *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*. Ubi dicitur in Scriptura ſacra, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, quædam verſio fert, *Opera*. Parentes ſenio jam confecti, ad neceſſitatem redacti, annis & miſerijs prægravati, adjuvandi ſunt, & quaſi beneficijs, gratitudine, auxilio, & utilibus obſequijs ad ipſorum neceſſitatem ſublevandam onerandi. Si verò magiſtrum deſideretis, qui doceat vos quid in hoc occurſu agere debeatis, *Interroga volatilia*
m Job 12. 7. *cæli, & indicabunt tibi* m. Ciconiæ docebunt vos. Hæ quippe aves intuitæ ſuos parentes ſenectâ confectos, & pennis deſtitutos, non poſſe ampliùs volare præ ætate provectâ & deficiente, eos proprijs alunt impenſis, & regionem mutantes proprijs ſublatos alis eos ſubvehunt. Ha! quonam pudore ſuffundendi ſunt ij, qui parentes ſuos in paupertate conſtitutos egere patiuntur, necdum illis ſuccurrant? re verâ crudeliores, & magis
n Ibid. inhumani, quam ipſa bruta ſint ferocia. *Interroga jumenta, & docebunt te* n. Ha! pudeat nos hoc in occurſu inferiores eſſe, imò verò deteriores ipſis volatilibus rationis expertibus.

Æquum eſt ut lubentiùs & alacriùs liberi naturæ reddant id, quod ab ea acceperunt, putà ut vitam eorum ſatagant ſervare ac tueri, qui ipſi authores fuerunt vitæ; & quò nobilior eſt ipſorum conditio, eò affectus ipſorum pararior eſſe debet ad humanæ vitæ officia exercenda, & ad pietatem omnimodam adhibendam; cùm ipſis jam ætate provectâ confectis, & debilioribus effectis, itidem proprij ſint facturi ſatis liberi, eamque vicem repenſuri, quam primùm ipſi parentibus ſuis exhibuerint. Non enim ignorare poſſunt, quòd, ſi velint illis ſuccurrere, præſertim verò matri ſuæ, non poſſunt illi reddere dolores, quos illa pro illis paſſa eſt, quippe quæ pro ipſis plures noctes traduxit inſomnes, & lacrymas fudit; quæ omnia gratiarum actionem exigunt planè talem, qualem exhibuit pia quædam filia erga matrem ſuam damnatam ad mortem, fame in carcere oppetendam, ad quem nulli dabatur acceſſus, ne fortè ei præberetur auxilium, aut darentur alimenta, quibus medijs languentem in miſerijs protraheret vitam. Hæc ergo filia ad matrem quotidie ventitans (ut excutiebatur, ne executioni areſti adverſùs ipſam lati poneretur obſtaculum, & ut periret mater ipſius fame, defectu cibi) eam proprio nutriebat lacte, & cùm non poſſet aliud illi ſubminiſtrare alimentum, reddidit illi id, quod ab ea ſuſceperat. Quod audientes Judices, qui matrem damnarant ad mortem, ſtupore attoniti præ exceſſu amoris iſtius filiæ, cùm hanc meliùs non valerent agnoſcere virtutem, laro decreto carcerem in Eccleſiam erigendum ſategerunt. Mater liberata fuit, & filia annua congiaria à rationario publico habuit.

Aliàs proprios parentes ſenectâ confectos liberi ſuis ſublatos tranſvexerunt humeris medios inter ignes, quorum tamen violentiam & ardorem, Deo ſpecialiter ſic diſponente, nullo ſunt experti modo: iſtudque fit ſymbolum in gratiam Æneæ patrem ſuum Anchiſen proprijs impoſitum humeris deferentis, ut eum ex incendio Troianæ combuſtionis eriperet, præ hac inſcriptione, *Pietati cedit flamma*. Ita ergo liberi, ſi parentes veſtros amore proſequamini debito, nunquam tangent vos ignes inferni, nec unquam permittet Deus ut ad vos uſque perveniant. Sed heu infelicitatem ſanguineis lacrymis deplorandam! Nemo hodiernâ die hæc ſeriò recogitat. Non vivunt liberi, niſi ut parentes dolore & triſtitiâ affligant, ut illis mortem accelerandam concupiſcant, nihil magis deſiderant liberi, quàm proprios parentes reſpicere è medio ſublatos, illorum vita nimis eſt longa, ut videtur liberis his impijs, qui nihil ardentiùs ambiunt, quam eorum bona hæreditariâ ſucceſſione poſſidere.

Alias ſeditioſus & nequam homo, Achitophel nomine, dixit Abſaloni, *Percutiam Regem deſolatum*? loquens de patre Principis hujus Davide. Et ſacra Scriptura ſubdit, *Placuit ſermo ejus Abſalom* o. Hamuerum & parricidam, qui *o* 2.Reg. 17.2.& 4
voluiſſet è medio tollendum patrem ſuum, cui ſic obſtrictus erat! Obſervat Gloſſa ordinaria ſuper hæc verba Prophetæ *p*, *Tu autem projectus* *p* Iſa.14 19.
es de ſepulchro tuo, quòd Judæi commenti ſunt ac imaginati, Evilmerodach filium Nabuchodonoſor Regis, ſuſceptis regni habenis (quod jam fuerat ſeptem moderatus annis pater ipſius idem Nabuchodonoſor, regreſſus in priorem ſuum ſtatum, poſtquam ſeptem annis continuis more belluæ, peragratis nemoribus, ſylvis, & *q* Dan.4. 22.&c.
terris *q*, iterùm mentis ſanæ compos effectus fuiſſet) aut ſaltem declaratum Regem, veritum ne denuò pater ſuus, jam mortuus, in vitam reverſus regni habenas ſuſcepturus eſſet moderari, effodiendum juſſiſſe corpus illius è terra, & in fruſta concidendum, & exquiſitis trecentis avibus è varijs orbis regionibus, ſingulis illarum alligandam præcepiſſe ejus partem, ſic ut vix aut nunquam reverſurum eſſe patrem ſuum ſibi ipſe perſuaderet, niſi fortè cùm aves illæ ſimul omnes conveniſſent, quod erat impoſſibile. Dicunt alij, illum præcepiſſe ut combureretur ejus corpus, cujus cineres in ſacculis juſſit includendos, & unguibus alligandos quatuor aquilarum, quas avolare fecit in Meridiem, in Septentrionem, in Orientem, & in Occidentem, ratus ſic patrem ſuum nunquam ampliùs in vitam redituum eſſe capeſſendam, ut ſibi ſceptrum & coronam eriperet. Poſt hæc, parentes fidite filijs veſtris, exponite vos periculis, incurrite in mortem, imò verò in damnationem æternam, ut eorum fortunam augeatis.

Multos invenio in Scriptura ſacra parentes orantes pro liberis ſuis Salvatorem mundi. Regulus accedens *r* ad eundem Filium De, ait illi, *r* Jo.4.47. & 49.
Domine deſcende priùs quàm moriatur filius meus. Centurio eundem Chriſtum orat ut unicum duntaxat proferat verbum, quo ſanitatem reſtituat priſtinam famulo ſuo, quem ipſe tanto proſequebatur amore, ut eum filium ſuum vocare non dedignaretur, *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur; ſed tantùm dic Verbo, & ſanabitur puer meus* s. Chananæa eundem Re- *s* Matt.8. 6.& 8.
demptorem rogat, ut ſui dignetur miſereri, & libera-

berare filiam ſuam modo implacabili à dæmone cruciatam, *Miſerere mei Domine Fili David; filia*
t Matt. 15. 22. *mea malè à dæmonio vexatur* t. *Mater filiorum Ze-*
u Matt. 20. 20. & 21. *bedæi* u, duas principes poſtulat ſeſſiones in regno ejuſdem Chriſti, quod imaginabatur ipſa futurum eſſe temporale, in gratiam duorum filiorum ſuorum: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Sed unicus duntaxat invenitur filius in tota Scriptura, qui eundem Chriſtum oret pro patre ſuo. Sed ob quem finem? ut pro eo poſtulet ſanitatem? aut felicem ſenectutem? Nequaquam, quin imò ut ſibi ſepelire eum liceat; *Domine permitte me ire*
x Matt. 8. 21. *ſepelire patrem meum* x. Ecce, parentes, id quod veſtri maximè deſiderant liberi; & tamen in damnationem & in ruinam animæ veſtræ incurretis æternam, ut eos magnificetis, dum vos in tumulo reconditos vellent intueri. Ha! liberi, Deus id vobis non præcipit. Onerate eos beneficijs & blanditijs. Sed nihil minùs hodiernâ die à liberis exercetur erga parentes ſuos.

Hunc nunquam lego ſine admiratione Pſal-
y Pſ. 127. 4. mi y verſiculum, *Filij tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* Advertiſtis aliquando in paradiſis veſtris, quonam pacto cùm olivæ à vermibus ſint corroſæ, araneis & bruchis circundatæ, palmites emiſſarij ſeu frutices ſunt virides & præcincti? Idem dicendum eſt de filijs hujus ſæculi. Quandiu parentes ipſorum languent in angulo domûs, conſumpti curis promovendæ curæ ipſorum, nihil amplius ipſi agunt niſi ut voluptati ac delicijs indulgeant, primam ſeſſionem in menſâ & optimos exquirunt cibos; uno tandem verbo, ſuorum ruinam machinantur parentum, dum illorum mortem ſatagunt accelerandam. Ha! miſeri, eſtne hoc ſanè gratiarum actio, quam pro beneficijs è parentibus veſtris ſuſceptis, ipſis rependitis?

III. Pars.

Tertium, quod debent liberi parentibus ſuis exhibere, eſt obedientia: *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ,*
z Prov. 1. 8. *ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo* z. Omnis felicitas, & omnis utilitas evenient liberis quibuſcumque, qui æquo ac libenti animo ſuis morem geſſerint parentibus, cumulabit eos ſuis Deus abundè benedictionibus, fortunatumque illi in omnibus, quas ſuſceperint, negotiationibus proculdubiò ſortientur effectum. Ratio, quæ inducit liberos ad obediendum ſuis parentibus, eſt praxis ſenſibilis & ordinaria, quam habemus in omnibus rebus, in natura, in artibus, & in politia, ubi obſervamus, proprium Superioribus eſſe præcipere, ſicut proprium eſt inferioribus obedire. In natura, anima rationalis prout Superior præcipit appetitui ſenſitivo; appetitus autem debet illi ſuas exhibere obedientias, quas illa omnimodâ exigit ratione, prout ſuprema ipſius Domina. In arte, Magiſter imperat famulo ſuo, & famulus morem gerit imperanti. In bello, Dux exercitûs ordinem præſcribit militibus quatenus Superior, milites verò quatenus inferiores ſatagere debent ut illum ordinem executioni mandent. In politia, Princeps veluti ſupremus imperat, & vaſſalli ut ſubditi obediunt. Cùm igitur pater per relationem, quam habet ad ſuos liberos, ſit eorum Superior, ſicut Rex per reſpectum ad ſuos vaſſallos, & ut paſtor ad oves ſuas, ſequitur ipſos liberos teneri parentibus ſuis obedire.

Præceptum hoc Deus illis præſcribit, cùm ait, *Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim e-*
nim placitum eſt in Domino a. Liberi adimplete a Coloſſ. inviolatâ fidelitate quæcumq; parentes veſtri à veſtris exegerint obedientijs, dummodò ea, quæ ab illis fuerint vobis imperata, Divinis non ſint oppoſita mandatis, & innocentiæ aut conſcientiæ ſanæ non infringant leges: Deus quippe eſt, qui vobis id præcipit. Contrarium autem operari, & voluntati parentum vobis notæ penitus refragari, eſt iram Dei accendere, & in illius indignationem incurrere. Inter plurima, quæ S. Paulus enumerat inſignia crimina, quæ Deum induxerunt ut ſe de ipſis ulciſceretur; illud quo honor parentibus denegatur, nequaquam ipſe prætermittit, ſed illius ſpecialem peragit mentionem, cùm ait, *Parentibus non obe-*
dientes b. Quod concludit his verbis, *Quoniam* b Rom. 1. 30. & 32.
qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Conſentire enim male agentibus, majus eſt malum, imò verò pejus quam malè agere; illud enim fit præ malitia, cum è contra feratur quis ad pravam aliquam actionem præ infirmitate, quæ ut plurimùm & ordinariè ad eam patrandam nobis aperit viam, quod efficit ut tanti non ſimus conſcij criminis.

Ad vos, liberi, dirigitur hæc punitio; niſi intra terminos honoris, reverentiæ, & obedientiæ, quæ veſtris debetis exhibere parentibus, contineatis vos, triplici morte moriemini, morte temporaneâ, morte ſpirituali, & morte ſempiternâ. Id quod maximi eſt momenti in aliquo ſtatu, in eo ſitum eſt, ut parentes in proprijs familijs honorentur, amentur, & ipſis obtemperetur; ut exhibeatur reverentia Magiſtratibus in civitatibus, Superioribus in communitatibus Regularibus, Prælatis in Eccleſia, Ducibus in exercitibus, Regibus in regnis, qui idcircò appellantur omnes nomine Patris. Si autem in navi Nauclero navigationi præpoſito morem non gerant inferiores nautæ, omnia peſſumeunt; & jam jam naufragium imminet perpetiendum: ita ſi in domo aliqua parentibus ut ſapientibus Naucleris morem non gerant liberi, tota corruet domûs ejuſdem œconomia, nec ab ea ullus eſt unquam felix expectandus eventus, imò verò accidere poterit illi aliquid ſimile ei quod refertur hiſtoriæ; nimirum, Patrem quendam inſurrexiſſe in proprium filium in articulo mortis conſtitutum, qui miſerandum in modum mortuus eſt, exclamans, Percuſſit me pater meus, etiamſi nihil videretur, ſed ſolus duntaxat ſtrepitus audiretur, quia filius ille patrê ſuum non honoraverat, nec illi obedierat.

Imitatores eſtote, liberi, propoſiti vobis exempli, ſequimini Magiſtrum veſtrum ſupremum & Salvatorem Dominum noſtrũ Jeſum Chriſtum, qui in omnibus obediebat parentibus ſuis, *Et erat*
ſubditus illis c. Chriſtus Dominus crucis patibulo c Luc. 2. 51.
ſuffixus in monte Calvariâ, coram omni populo expoſitus, nihil dixit alijs mulieribus mortem ipſius lugentibus, ſed matrem ſuam duntaxat eſt allocutus, *Erudiens nos Crucifixus uſque ad ulti-* d S. Chryſoſt. hom.
mum ſpiritum, parentum curam habendam, ait S. 84. in Jo. 19. 26.
Chryſoſtomus d. Eam non vocat Jeſus Matrem, ſed mulierem, *Mulier, ecce filius tuus* e. Quia ſi eam e Jo. 19. 26. &c.
vocaſſet hoc amabile nomine Matris, eam re verâ ingenti ſuffudiſſet pudore, præ innume- f Marc. 15. 28.
ra illa multitudine hominum illam exhibens ex Iſa. 53. 12.
Matrem ſuiipſius, quem illi *cum iniquis* f

repu-

reputabant, & quem quaſi eorum omnium ſceleratiſſimum maximo omnium ſuppliciorum, & maximè infami ac ignominioſâ morte plectebant. Imitamini Chriſtum eximium hunc Filium, qui nullâ ſuos unquam parentes affecit triſtitiâ, cùm illis perpetuam exhibuerit reverentiam; & qui Matrem ſuam diſcipulo, *quem diligebat* g ipſe, antequàm Patri ſuo *Spiritum* † ſuum commendaret, egregio commendavit modo, *Deinde dicit diſcipulo: Ecce Mater tua* h.

[g Jo. 21. 20. † Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6. h Jo. 19. 27. i Jo. 1. 14.]

Verbum caro factum eſt i, ut honorem Patri ſuo æterno debitum exhiberet, anteà enim non honorabatur Pater ipſius ut merebatur, præ defectu cognitionis, *Pater juſte, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi* k. Humiliat ſe Chriſtus, ut Patrem ſuum exaltet. Cùm autem Judæi adversùs eum iniqua ferebant judicia l, rati illum ſua non operatum eſſe mirabilia, niſi ut proprijs incumberet commodis, auras captaret populares, & propriam aucuparetur gloriam, ait illis ipſe, *Ego non quæro gloriam meam* m. Amorem præ ſe fert Dei Filius; præ amore enim venit in terram n: Patrem ſuum amat neceſſariò: ſicut Pater & Filius ſpirant *Spiritum* o ſanctum, qui eſt terminus amoris ipſorum, quia *amare eſt velle, vel facere bonum* (ut vulgò dicitur) quidquid ipſe agit, eò tendit, ut animas ſuo Patri lucretur, ejuſque gloriam manifeſtet. Non deeſt Filio Dei obedientia, cùm præ obedientia deſcenderit è cœlo; *Tunc dixi; Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam* p. Obediens fuit in æternitate (ſi dici fas eſt.) Volente quippe Deo humanam naturam reparare adorando Incarnationis myſterio, ſtatim ſeſe obtulit Filius ipſius ad operandam redemptionem noſtram, *Ecce ego, mitte me* q. *Et ubi venit plenitudo temporis* r, *fit factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* s.

[k Jo. 17. 25. l Jo. 7. 24. &c. m Jo. 8. 50. &c. n Jo. 3. 16. o Jo. 15. 26. p Pſ. 39. 8. & 9. q Iſa. 6. 8. r Gal. 4. 4. s Philip. 2. 8.]

Exemplo igitur illius allecti, liberi, *obedite parentibus veſtris per omnia*, quæ futura non ſunt Deo contraria, animæve veſtræ noxia; in reliquis omnibus obtemperate illis, *Hoc enim placitum eſt in Domino.* Talis quippe eſt Dei voluntas, ut eos agnoſcatis veluti Vicarios ipſius in terris. Auſcultate ſalutaria, quæ præbituri ſunt vobis illi monita, quibus ſuadeant vobis ut Sacramenta frequentetis, ut Miſſam præ devotione audiatis, ut charitatis praxi vacetis, & ut nemini injuriam irrogetis & detrimentum. Quæ vobis eveniet felicitas, ſi iſtud agatis! quânam perfundemini conſolatione ipſo extremo veſtræ mortis articulo! quâ beabimini gloriâ in altera vita, in qua coronaturus eſt vos Deus! Imitamini ſaltem exemplum fratris natu majoris prodigi, ut reverà poſſitis dicere non ſecus ac ille, *Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi* t. Pater, à tempore quo lucis fruor beneficio, tibi fideliter obedivi, nec unquam me mandatis tuis voluntariâ prævaricatione refragatum eſſe exiſtimo. Quam felix es futurus, fili obediens, ſi poſſis iſtud dicere! Pater enim ille communis totius orbis, hic *Pater futuri ſeculi* u, reſpondebit tibi his verbis conſolatorijs, dicens, *Fili, omnia mea, tua ſunt* x. Quidquid habeo, ad te attinet, gratiæ meæ tuæ ſunt, benedictiones meæ tibi ſunt acquiſitæ, theſauri mei ad te ſpectant, debita tibi eſt gloria mea, & in hoc ipſo mundo gloriæ ejuſdem tibi dabo pignora præ gratijs meis, donec eandem gloriam tibi plenè & integrè impertiar in altero ſempiternam.

[t Luc. 15. 29. u Iſa. 9. 6. x Luc. 15. 31.]

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere. Joan. 4. 6. &c.

SI aliquid eſt in mundo, quod debeat animos noſtros admiratione percellere, & cordibus noſtris verum amoris affectum inſpirare, eſt, ſi conſideremus in œconomia prædeſtinationis noſtræ a Deum, cujus inæſtimabilis eſt *bonitas* b, & *ſapientia* c infinita d, ut nos lucraretur, priùs ſe dediſſe nobis, alligaſſe ſe conditioni noſtræ, ut ſuo nos manciparet obſequio; & volentem nos evehere ad fruitionem ſuæ gloriæ, dignatum eſſe ſe deprimere ad miſerias noſtras ſumendas; cùm unicus ipſius Filius, qui in Divinitate delicijs fruebatur ineffabilibus æquè ac æternis, ectaſi ductus amoris, magnum hoc confecit iter à cœlo in terram, ab infinito ad finitum, à Deo ad hominem e; cùm ſe veluti avulſiſſet e ſinu Patris ſui, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* f, *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* g, foris ſibi effectus, ut nobis foret intus: ipſum video hodiernâ die currentē, alis amoris ſui ſublatum, poſt ovem errantem tantâ celeritate ut totus fatigetur.

[a Rom. 8. 29. & 30. b 4. l. Idi. 8. 5, 6. c Sap. 7. 24. d Baruch 3. 25. e Jo. 1. 14. f Jo. 1. 18. g Luc. 19. 10.]

Id ſanè agit ut nobis innuat, quam laborioſa ſit venatio animarum, & quòd ipſe, licèt ſit Deus, & *Deus fortis ſuper omnes* h, in hac tamen ove fatigetur inquirenda. Ha! nunquid non ille ipſe eſt, qui apparuit in monte Sinai i? Qui rupes mutavit in rivos aquarum k? Qui tot operatus eſt *mirabilia* †? *Ieſus ergo fatigatus* Angeli beati quid cogitatis? Video vos ſuccurrere ijs, quorum vobis eſt cura commiſſa l. Intueor Angelum eripientem tres pueros Hebræos ex incendio fornacis Babylonicæ m. *Ieſus ergo fatigatus.* Virgo ſacratiſſima ubi eras tunc temporis? Ubi erat illa cura, quam alias huic Filio tuo exhibueras †? *Ieſus ergo fatigatus.* Videte, Auditores, in hoc occurſu quàm ardens ſit amor illius, ſicut & zelus ipſius erga ſalutem animarum. Labore confectus itineris pauliſper juxta fontem, aut puteum requieſcit, *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Quieſcamus nos etiam tantiſper juxta fontem ſignatum n, & puteum *aquarum viventium* o, incomparabilem Mariam Deiparam; & ſi æſtuemus ſiti, impetrabit nobis illa aquā gratiæ, quâ ipſa erat jam repleta, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.*

[h Eſth. 14. 19. i Exo. 19. 18. k Num. 20. 11. &c. † ex Pſ. 113. 8. † Pſ. 105. 22. l Heb. 1. 14. m Dan. 3. 49. &c. † Luc. 2. 7. &c. n Cant. 4. 12. o Cant. 4. 15.]

Voluptas & oblectamentum præcipua ſunt motiva, quę nos inducunt ad actionem, & ad aliquid proſequendum, juxta ſaniorem Philoſophorum ſententiam: & in rebus naturę jucundiſſimis ſi voluptas & oblectamentum non invenirentur, ab earū deſiſterent homines proſecutione. Cùm comeſtio ſerviat individui cōſervationi, ad illius ex-

exercitium inducunt voluptas & oblectamentū. Sed Salvator animarum noſtrarum ut diſſimilis hominibus, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus* p, [p Iſai. 55. 8.] modum obſervat procedendi differentem, & ubi perfunduntur homines voluptate & oblectamento, ipſe pœnis ibi ac laboribus afficitur, *Ieſus ergo fatigatus* hodiernâ die, quia hora prandij advenerat capeſſendi, & oportebat ut ipſe conſuetæ incumberet refectioni ſumendæ, quod ipſi pœnam ſubminiſtrabat; laborabat ibi, ubi alij plenam inveniunt ſatisfactionem; inde ſiquidem oriebatur ipſius fatigatio. Omnes reſpuit voluptates, nec ijs utitur niſi ægro ac invito animo. Ecce igitur ille, qui motum cœlis imprimit q, [q Sap. 7. 24.] hodie *fatigatus*. Ecce ille, qui eſt principium motûs, qui nunquam alteratur, quippe qui immobilis ſemper permanet r, [r Heb. 1. 10. &c.] fatigatus, ac requieſcens, *Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Sed re verâ non eſt fatigatus Jeſus languore corporis, aut ratione itinerationis ab ipſo confectæ juxta puteum. *Fatigatus* eſt languore animi interno, languet ob noſtra crimina adversùs ipſum perpetrata; hunc languorem mentis & hanc fatigationem cauſant voluptates noſtræ & oblectamenta noſtra illicita. Hoc inducit me ut [Diviſio.] oſtendam vobis Primò, Eum ſolis delectari pœnis, & ſemper abhorruiſſe à delicijs. Secundò, Crimina noſtra cauſare ipſius fatigationem, & efficere ut ipſe pro nobis quaſi agat plus, quàm poſſit agere. Tertiò, Illum tandem à nobis exigere aliquod levamen à pœnis ſuis.

[I. Pars.] Salvator toto tempore vitæ ſuæ pœnas quæſivit, & à voluptatibus declinavit. Incipiamus à Conceptione. Ajunt Philoſophi nos primo inſtanti noſtri eſſe non ſentire, eò quòd non habeamus potentias noſtras; vel potiùs, ſi eas habeamus, earum nobis non datur uſus; idcircò pati tunc non poſſumus: Jeſus autem amator pœnarum, primo hoc inſtanti voluit habere uſum rationis, ut pati poſſet in hoc ſtatu; &, ut dicunt [s Luc. 1. 26. &c.] aliqui Doctores, cum *Angelus* s nunciavit Mariæ Verbi Divini Conceptionem in ſinu ipſius mox faciendam, *turbata eſt*, ſanguis in faciem illius aſcendit, ſacro erubuit ipſa pudore, præ ſermone paſtus coram ſe habito, quippe quæ voviſſet virginitatem, quam Deus acceptaverat: *turbata eſt*; ecce Maria in ſanguine turbato qui ebullivit. Aſſerunt igitur Doctores Chriſtum conceptum eſſe non è puriſſimis ſanguinis ejus guttis (quidquid enim erat in Virgine Deiparâ, erat purum, ſanctum, & caſtum) ſed Spiritum ſanctum elegiſſe ex iis quaſdam particulas, non ex puriſſimis quidem, ſed ex illo ſanguine per accidens turbato, ut oſtenderetur ex tunc Chriſtus jam incepiſſe turbari, & ex ipſo inſtanti Conceptionis ſuæ pœnas paſſus; & tem- [t Luc. 2. 7. &c] peſtatibus agitatus. Poſtea, Naſci noluit t frigidiſſimâ hyemis tempeſtate, mediâ nocte u, [u Sap. 18. 14.] derelictus ab omnibus, ſine ullo levamine; horâ, quâ univerſæ requieſcebant creaturæ, ipſe erat pœnis expoſitus perpetiendis. Circuncidi- [† Luc. 2. 21.] tur octavâ die † à Nativitate ſuâ, volens jam ſuum profundere Sanguinem; hancque elegit Judæorum nationem, cùm potuiſſet eligere aliam: Sed quia hæc unica alligabatur legi [x Lev. 12. 3.] Circuncifionis x, pati voluit circuncidendus. Pœnas quærebat & tolerantias, idcircò hanc aliis prætulit nationem; cùmque *Magi ab Oriente* y [y Matt. 2. 1. &c.] venturi eſſent adoratum ipſum, habere volebat illuſtres paſſionum ſuarum characteres, & inſignia Redemptoris, cum jam Sanguinem ſuum pretioſum cœpiſſet effundere, nolens apparere abſque corpore vulnerato.

Inde Herodes adversùs eum perſecutionem excitavit, ſicque *in Aegyptum* * fugere compul- [* Matt. 2. 14. &c.] ſus eſt; ſed quare? Quia pati volebat. Imò verò ipſe veluti provocavit hanc perſecutionem, ut turbata & fatigata ex itinere Mater ſua, commoveretur; & ſanguis illius turbaretur, & ejus lac per conſequens alteraretur, & ut ſic aleretur ipſe hoc ſanguine turbato, ſeu hoc lacte alterato, ut oſtenderet ſe ſolis delectatum eſſe pœnis, & delicias ſibi fuiſſe cruces. Judæi, milites *miſerunt ac miniſtros ut apprehenderent eum* z. Sed *reſponderunt miniſtri, Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* [z Jo. 7. 32. & 46] Voluerunt aliàs viſis ejus miraculis, *Eum Regem* a conſtituere, ſed Regiam renuit [a Jo. 6. 15] ipſe dignitatem. Cùm ageretur de eo capiendo in horto, obviam *proceſſit* b miniſtris: fugere [b Jo. 18. 4. &c] poterat medijs tenebris; ad probationem illius, quod aſſero, eum loco ſupplicij habere ea, quæ alij ut delicias proſequuntur, *dixit eis, Ego ſum.* In cruce conſtitutus, caput deprimit, *inclinato capite*, ut recuſet hunc titulum Regium, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* c. Honores fugiebat, qui [c Jo. 19. 30. & 19] erant ipſi ſupplicij loco. S. Joannes Baptiſta eum prædicans, vocat eum Agnum, *Ecce Agnus Dei* d. [d Jo. 1. 29] Quia omni tempore agni inſervierunt ſacrificijs. In Lege naturæ, *Abel* e agnos immolavit; & ex [e Gen. 4. 4.] tunc agni ſemper ſacrificati ſunt in Lege ſcripta f; & in Lege gratiæ, ratione *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi* g. [f Lev. 1. 10.] [g Apoc. 13. 8.]

Obſervate autem, ſi placet, neminem ex ijs omnibus, qui eum tormentis affecerant, & illum cruci ſuffixerant, pœnituiſſe, præter Judam. Scribæ & Phariſæi accuſaverunt eum ut ſeductorem h, quietis publicæ interturbatorem i, Sa- [h Jo. 7. 12.] maritanum, *& dæmonium* habentem k: illa om- [i Luc. 23. 5.] nia non curat, illa æquo ac libenti patitur ani- [k Jo. 8. 48] mo. Sed Judas ipſum accuſaverat, quòd voluptati induliſſet, quòd ſecum cœnam comediſſet, quòd manducaſſet & bibiſſet illo veſpere, & quòd guloſus eſſet, quæ pati non poteſt Chriſtus. Oportet igitur ut ſe retractet *Iudas*, & injuriam hanc reparet *pœnitentiâ ductus, dicens, Peccavi, tradens Sanguinem juſtum* l. Quare? Eò [l Matt. 27. 3. &c.] quòd eundem Chriſtum tanquam virum deliciarum accuſaſſet. In monte Calvariâ clamat idem Chriſtus ſe ſitire, *Sitio* m. Quia ſolum ſu- [m Jo. 19. 28.] pererat os ſine aliquo tormento, non vult iſte Dei Filius ut os ſuum immune ſit à ſupplicio, ſed è contrà ut illi fel & acetum propinentur, *Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potaverunt me aceto* n. Quia ſemper pœnas quæſivit, & [n Pſ. 68. 22.] abhorruit à delicijs.

Filius Dei Matrem ſuam non duxit ad cœnaculum, & ideò non communicavit illa, cùm inſtituit ipſe ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, qui de ea abſentia ita diſpoſuit, ne Mater communicans mitigaret paſſionem ipſius ac dolores: tanto enim perfuſus fuiſſet oblectamento, videre animam ita puram ac ſpecioſam, qualis erat anima ſanctæ Matris ipſius o, Corpori ſuo commu- [o Cant. 4. 7.] nicantem, ut illud gaudium diminuiſſet tormen- [p Jo. 13. 2. &c.] ta paſſionis ipſius & rigores mortis. Sed voluit ut Judas, qui erat *eum* p traditurus, & Petrus qui [q Matth. 26. 34. &c.] erat eum *ter* negaturus q, ſuſciperent hoc Sacramentum, ut pœnas ipſius augerent ac dolores. S. Epiphanius r vocat ſanctiſſimam Deiparam [r S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.] myrrham maris paſſionis Chriſti, ob amarum do-

dolorem, quo afficiebatur ipſa videns appropinquare tempus paſſionum filii ſui, *Myrrha maru*. Quia verò ille qui communicat, mutatur in
f Joan. 6. 56 Chriſtum *f*; ſi communicaſſet Maria, potuiſſet ſe Chriſtus in vaſe myrrhæ amaræ, quæ bibenda offerebatur reis, antequam mortem oppeterent, ne graves dolorum & ſuppliciorum aculeos ſic acriter experirentur. Ob eandem rationem noluit Chriſtus ut communicaverit Deipara, ne dolores ipſius paſſuri ſentiret.

Vocat Chriſtus horam mortis ſuæ, ſcientiam,
t Joan. 13. 1 *Sciens Ieſus, quia venit hora ejus* t. Quia deſiderabat eam ex toto corde ſuo, eamque expectabat ab omni æternitate. Cùm nobilis aliquis Vir quædam habet negotia graviſſimi momenti Regi communicanda, aſſignatur ei hora, quâ commodè Regem poſſit alloqui, & ab eo audiri: illuſtris tamen iſte Vir horam deſignatam anticipans, ad palatium pervenit Regium duabus aut tribus horis ante præfixum ſibi tempus. Si tunc peteretur ab illo; Domine quid agis hîc? Reſponderet ſanè, Expecto donec elapſa ſit hora, quâ Regem alloquar. Sic Verbum ab omni æternitate notavit & aſſignavit horam mortis ſuæ, pro redimendis hominibus, & expectabat ſine intermiſſione hanc horam beatam, ut ait Iſaias
u Iſa. 30. 18 u, *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri*. Juſtitia Patris æterni ab inſtanti Conceptionis ipſius pronunciavit ipſi areſtum mortis ipſius, ipſique certam aſſignavit horam. Ego autem cùm conſidero ordinem hujus juſtitiæ, in lacrymas ac ſuſpiria erumpo præ miſeratione; nunquam enim legitur reo areſtum mortis ab ipſo oppetendæ, niſi aliquantulo ante executionem illius peragendam tempore, ne deſperatione pereat, ſolo mortis horrore concepto: ſed juſtitia Divina ab inſtanti Conceptionis Filio Dei areſtum mortis ſignificat: *In capite libri ſcriptum eſt de*
x Pſ. 39. 9 *me, ut facerem voluntatem tuam* x. Chriſtus ho-
y Lorin. in Pſ. 39. 9 mo factus, eſt hic liber juxta Lorinum *y* citantem Agathonem z. Atqui primum inſtans
z Agath. Pap. Epiſt. 1 Conceptionis ipſius fuit titulus hujus libri, quaſi diceret, *In capite* meæ Conceptionis *ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* Voluntas Patris erat ut ab inſtanti Conceptionis Filius conſentiret areſto mortis ſuæ: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Id eſt, ſententiam tuam, vel crucem meam Ab inſtanti Conceptionis meæ anima mea conſenſit decreto funerum meorum, & intimè impreſſi cordi meo charactêrem ſanguinolentum crucis, in ſignum gloriæ & oblectamenti, quæ trahebam è morte, quam pati debebam. *Voluntas autem Dei fuit Filii ſui mori ſecundùm carnem, ad humana natura peccata expianda, de quâ Filius ipſe; Deſcendi, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me,*
a Joan. 6. 38. & 39 *Patris* a, ait Euthymius apud Genebrandum *b*.
b Genebr. in Pſ. 39. 9 Qui dicit, quòd *Voluntas etiam in genere intelligi poſſit univerſum myſterium adventus Domini, &*
c ex Philipp. 2. 8 *univerſa ejus obedientia, uſque ad mortem crucis* c, & Tertullianus d, *Agnovit adaperta vulva nu-*
d Tert. lib. de carne Chriſti c. 23 *ptialem paſſionem*, à primo inſtanti nativitatis ſuæ reſignans ſe ad moriendum, nedum expectaret ut ſe præberet in monte Calvariâ Sponſum Eccleſiæ, quod fecit libenter. Ideò prohibuit
e Luc. 23. 28 mulieribus ne flerent *e*, quia amor ipſius lædebatur; permiſit autem ut Magdalena ſuos *lacry-*
f Luc. 7. 38 *mis* ungeret & unguentis *pedes* f, ut hâc unctione poris apertis, caro delicatior evaderet, & acriùs dolores paſſionis ſentiret.

Cùm Chriſtus in cruce clamat, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me* g? non exauditur, ut g Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2
ipſius gloria pugnaret cum pœnâ. Non enim ſatis viſum fuit Patri æterno, ut Filius ſuus tormenta paſſionis perferret in carne, ſed voluit ut conſideratio gloriæ, majeſtatis, & beatitudinis ipſius quatenus Filii Dei, cùm eum ipſe derelinqueret, augendis ipſius inſerviret pœnis; ac ſi diceremus, Infinitam ipſius potentiam *h* præ h Pſ. 64. 7
paupertate ipſius, beatitudinem i ipſius præ do- i Pſ. 90. 10
loribus ipſius, reddidiſſe Chriſti tormenta & graviora, & atrociora.

Idem eſt hôc in occurſu ac ſi Rex, qui prælium fecit adverſum, ultra jacturam ſuam patibulo ſuffigeretur, ut mortem pateretur infamem; talis quippe mors ſic obeunda illum majori afficeret triſtitiâ, quam ſi ab alio inferioris conditionis homine eſſet oppetenda, quia authoritas ipſius Regia, quâ in hoc eventu infauſto non poſſet uti, acres doloris cordi ipſius infigeret aculeos. S. Ambroſius *k* loquens de triſti- k S. Ambr. lib. 10. in Luc. 22. 43
tiâ Chriſti in horto, ait, *Et ſequeſtratâ delectatione Divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Verbum hoc, ſequeſtro, ſignificat rem controverſam deponere apud aliquem, donec finita ſit lis; ita ut idem ſit ac ſi dixiſſet, Separatam fuiſſe à Corpore Filii Dei totam gloriam ipſi debitam ut ſic, cujus Humanitas erat unita Verbo, cujus Anima beata ſemper erat in præſentiâ Dei, & cujus Spiritus merebatur perpetuam requiem, & ut ſequeſtraretur & conſignaretur in partem animæ ſuperiorem, donec finita fuiſſet lis, quam ſuſceperat pro hominibus adversùs diabolum, peccatum, & mortem. Cui concordat id, quod ait Evangeliſta l, *Nunc judicium eſt mundi; nunc* l Joan. 12. 31
princeps hujus mundi ejicietur foras. Ob hanc etiam rationem cum inſtituiſſet Chriſtus ſanctiſſimum Altaris Sacramentum ante mortem ſuam, nullam reſervavit hoſtiam conſecratam, quam relinqueret ſuorum poteſtati diſcipulorum, aut in aliquo ſancto loco, in quo adoraretur tempore paſſionis ipſius. Quod egit primò, ut clauderet ora aliquorum, qui dicere potuiſſent, ipſum, dum mortem crucis ignominioſam pateretur, aliunde fuiſſe fruitum dulci requie in Euchariſtiâ, ſic, ut puris pateretur dolores, nullum voluit levamen ſuſcipere, nec offerri permiſit ſanctiſſimi myſterium Sacramenti niſi poſt Reſurrectionem ſuam. Secundò, ut ſequeſtraretur ipſius gloria, & ſepararetur in rigore juſtitiæ, quia lis maximi erat momenti.

Inſtituit Chriſtus ſanctiſſimum Sacramentum ante mortem ſuam, etiamſi potuiſſet illud inſtituere poſt paſſionem ſuam, ſicut tunc alia inſti-
tuit *m*. Ratio iſtius eſt, Quia amor ipſius effecit, m Joan. 20. 22. & 23
ut nobis daret pignora promiſſi, quo ſe obſtrinxerat ſe moriturum eſſe interventu inſtitutionis ſanctiſſimi Sacramenti; ne fortè exaudiret Pater preces Filii ſui, cùm in horto mortem veritus, petiturus eſſet ab ipſo ceſſationem decreti mortis adversùm ſe lati, & ſic retractaret Verbum ſuum Regium. Et hoc eſt, quod innuunt hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*
n. Quibus verbis addicit ſe ad mortem; Sed quia n 1. Cor. 11. 24
amor diffidebat, ne captus *o*, à Judicibus libera- o Matth. 26. 50. &c.
retur, majores habere voluit mortis ipſius probationes, idcircò fecit ut adderet Chriſtus, *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorũ* p. Ita ut hæc omnia verba p Matth. 26. 28.
ſint promiſſiones & certitudines mortis ipſius.

Ardenti ferebatur deſiderio moriendi pro hominibus, ideò præ affectu exivit è die Jovis ſancto ut in diem Veneris ingrederetur ſubſequentem, ſic vehementer pro eis mori cupiebat; & quia impoſſibile judicabat diem Veneris in diem Jovis eſſe anticipandum, & ambos hos dies in unum eſſe coadunandos, ardens ipſius affectus moriendi, ad ſe attraxit effectus diei Veneris, cum mortuus fuerit Chriſtus in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti, antequàm cruci ſuffigeretur. Violentum amorem Dei mei, qui non expectans diem Veneris, ad ſe attraxit effectus illius in diem Jovis! Amor ipſius ad ſe attraxit effectus diei craſtinæ, ut æquè magnus altero appareret die, ac altero. Idcircò Algerus *q* vocat hoc Sacramentum, Sacrificium noſtræ redemptionis, *Licèt ejus oblatio in cruce ſemel ſuffecerit ad omnium ſalutem & redemptionem: tamen quotidie eſt etiam neceſſaria ad muniendam & mundandam humanam fragilitatem, quæ quotidie tentatur & labitur, vel criminalibus, vel ſaltem venialibus, ſine quibus hæc vita duci non poteſt* r. Cùm ſit Sacramentum pro vivis, quomodo illud ad redemptionem noſtram ſumimus? Hoc eſt, quia nos redimit, ſicut redemit Virginem Deiparam in Sanguine paſſionis ſuæ Chriſtus à peccatis, in quæ potuiſſet illa incurrere; liberans nos ex occaſionibus, in quibus poteramus deprehendi, & præſervans nos & muniens adverſus impetus tentationum. Sic cùm nocte illâ dedit Carnem ſuam & Sanguinem ſuum in Sacramentum Apoſtolis ſuis, potiùs effudit Sanguinem ſuum è venis ſuis, quàm in cruce. Et licèt actiones Redemptionis & effuſionis Sanguinis propriè ſpectarent ad diem Veneris, amor ejus anticipavit illas in diem Jovis, quia cùm non poſſent dies illi duo in unum convenire, hic amor ad ſe traxit effectus diei Veneris in diem Jovis. Unde videtis quomodo ſolis Chriſtus delectetur pœnis, & abhorreat à deliciis. Si autem fatigetur hodie, hoc eſt, quia comeſtionem ſolitam ſumere cogitur.

q Algerus lib. 1. de Sacramento c. 16

r ex Prov. 24. 16

Prætereà, Fatigatus eſt ob peccata noſtra, languet propter delicta noſtra, *Jeſus ergo fatigatus* laborat videns ſe ita paratum ad faciendum nobis bonum, quod tamen reſpuimus; fatigatur intuitus nos eſſe merè ingratos. Videns poſt exhauſtos à ſe multos labores in Judæâ, patrata multa miracula, ſanatos leproſos, ſuſcitatos mortuos, erectos claudos, illuminatos cæcos *ſ*, Judæos illa non agnoſcere tanta beneficia, illos penitus deſerit *u*. Nolite autem credere ſitim ejus eſſe corporalem, ſicut & ejus famem; Hora prandii conſueta jam prætererat, & tunc ut plurimùm nemo ardet ſiti, & puteus iſte non multùm diſtabat à civitate, cùm ad eum hæc mulier Samaritana ita facilè veniret; ſitis hæc, ſicut & fames iſta eſt purè ſpiritualis, *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.* Maledictum peccatum, quod laborare & ſudare facit Filium Dei! Fatigat eum deſiderium boni noſtri, converſionis noſtræ, obſtinatio noſtra in malo, ratione quorum tantam haurit pœnam.

II. Para.

ſ Matth. c. 8. & ſeqq.

u Matth. 21. 43

Tertullianus *x* ſuper hæc verba Iſaiæ y, *Factum eſt Principatus ſuper humerum ejus*, ait, non eſſe ſolitos Reges in humeris ſuis efferre authentica ſupremi ſui dominii inſignia; ſed ob hunc effectum habere diadema in capite, & ſceptrum præ manibus veluti ſymbola poteſtatis ſuæ; *Quis omnino Regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus novus Rex ſeculorum z Chriſtus Jeſus novæ gloriæ & poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, ſcilicet crucem, ut, ſecundùm Prophetiam a Dominus regnaret à ligno.* Cum poſſit Deus ſolus convertere Samaritanam, cujus crimina ipſum fatigabant, vult etiam ipſe ſolus per ſeipſum illam convertere, nedum curam convertendæ illius aliis committat, neque vult obſervare modum procedendi Regum terrenorum, qui agunt in negotiis ſuis viâ informationis. Univerſi Reges terræ Regnum ſuum habent conſtitutum non in viribus propriis, ſed in alienâ fortitudine, numerum miniſtrorum, Ducum, & militum ſuorum, Jeſus Chriſtus autem totum ſuum Principatum in humeris ſuis habet conſtitutum, idcircò dici non poteſt de Regibus terræ, ſicut de ipſo, *Factum eſt Principatum ſuper humerum ejus.*

x Tert. l. advers. Judæos. c. 10

y Iſa. 9. 6

z ex 1. Tim. 1. 17.

a ex Pſ. 95 10

Et S. Bernardus *b* ſuper hæc verba ejuſdem Iſaiæ, *Seraphim ſtabant*, petit quomodonam id poſſibile ſit, habitâ ratione majeſtatis *c* & omnipotentiæ *d* Dei; & ait, *Vide flammam quaſi volantem, & ſtantem ſimul; nec miraberis jam Seraphim ſtantes volare, ſtare volantes*; Stare, ut obſequio incumbant Divino; volare autem, ut hominum ſuccurrant neceſſitatibus. Ita poteſt dici de amore & de gratiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Vide flammam volantem, & ſtantem ſimul*, quærentem extrahere Samaritanam è civitate Sichar, cujus crimina ipſum laborare faciebant, & fatigabant. In cujus veritatis confirmationem dixerat longo tempore antè idem Iſaias e, *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ poſt cogitationes ſuas.* Sed obſervandæ ſunt hìc loci circumſtantiæ myſterio plenæ. Non invenit Dei Filius in hâc muliere Samaritanâ, cujus crimina & diſſolutiones cauſant languores ipſius & fatigationes, aliquid quod Divinis ipſius donis & gratiis ſit dignum, & aliquam exquirit occaſionem, quâ illi bonum largiatur in gratiam alterius, cum illa non ſit digna, quam Chriſtus devinciat ſibi. Ideò Rupertus *f* obſervat hunc modum, quo Deus ſibi obſtringit homines, qui moriturus pro iiſdem hominibus, prius præcepit Abrahæ ut ſacrificaret ſibi filium ſuum, ut hoc non ex gratiâ, ſed ex debito compenſaret; *Quæſivit miſericors Deus capitulum in homine, per quod poſſet juſtè debitor ipſe teneri: quæſivit ab homine unigenitum ſibi filium immolari, ut ſuum ipſe Filium juſtâ viciſſitudine deberet homini.* Si Filius Dei Samaritanam ſibi devincit, ſi fatigetur ob ipſius peccata, id agit in memoriam Sanctorum Patriarcharum, qui greges ſuos paverant juxta puteum, prope quem hanc Samaritanam dignatur ipſe alloqui.

b S. Bern. ſerm. 4. ſuper Iſa. 6. 2

c Pſ. 47. 2

d Eſth. 13. 9

e Iſa. 65. 2

f Rupert. in Gen. 22. 2. &c.

S. Bernardus *g* hanc Divinam admiratus bonitatem, ait, *Meum proinde meritum miſeratio Domini.* Cum me Deus invenit meritis deſtitutum, aliena mihi merita aſciſcit, quibus me devinciat ſibi; *Non ſum planè meriti inops, quandiu ille miſerationum non fuerit.* Cùm minatur Deus ſe erepturum Regnum Salomoni, ſtatim ſubdit, *Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum* h. Mortuus ſuos tutabatur David liberos. Moyſes orabat Deum, ut recordaretur meritorum *Abraham, Iſaac, & Jacob ſervorum* i ſuorum, ne deſereret populum ſuum, qui vitulum adoraverat aureum. David ungi præcepit Deus in Hebron *k*, ubi Abraham *l*, Iſaac &

g S. Bern. ſerm. 61. in Cant.

h 3. Reg. 11. 11. & 12

i Exod. 32. 13. &c.

k 2. Reg. 2. 4

l Gen. 23. 9

Jacob

[m Gen. 50,13] Jacob *m* ſepulti erant, ut ſuppleret meritis mortuorum, indignitatem viventium, qui ſupplicia potiùs, quam dona merebantur. Annunciant [n Luc. 2. 10] Angeli primò Paſtoribus nativitatem Chriſti *n*; ſed quare? Ratio ipſius eſt, Quia in eoſdem agros ſancti Patriarchæ duxerant greges ſuos. Convenientia hæc inter Paſtores & Patriarchas, hoc eis conciliavit donum. Sic ſanctus Patriarcha Jacob magnus Dei amicus, cùm bibiſſet ex aquâ hujus putei, ex quâ bibebat quotidie Samaritana, ibi reliquit virturem ſecretam & abſconditam, de quâ ipſa non ambigebat, & quæ ipſam illuc deducens, obvium ipſi præbuit forte Authorem gratiæ, ſed non ſine myſterio; & ſicut Patriarchæ ſancti ibi refrigerati ſunt, ſic ipſa ibi amiſit concupiſcentiæ ardorem, qui ipſam conſumebat, & qui efficiebat ut fatigaretur Jeſus.

Fatigationes Jeſu, quæ ipſum inducunt ut pro nobis veluti agat plus quàm re verâ poſſit agere! [o S. Aug. tract. 15. in Joan. 4.6] Ita ut dicere poſſim cum S. Auguſtino *o*, *Iam incipiunt myſteria*. Ha! diceris vos, tot miracula, quæ ipſe fecit, cæcos illuminando, auditum ſurdis præbendo, rectum claudis greſſum, & infirmis omnibus ſanitatem, nonne tot inſignia ſunt myſteria? Incarnatio ipſius nunquid non eſt myſterium omnium myſteriorum? Obedientia, quam ipſe exhibuit Patri ſuo ad extremum uſ- [p Philipp. 2.8] que vitæ ſuæ halitum in cruce *p*, amittetne nomen myſterii? Sed quid? Nonne Deus eduxit omnia è nihilo, & lumen exire præcepit è den- [q Gen. 1. 1. &c. & 2. Cor. 4.6] ſiſſimarum ſinu tenebrarum *q*? Nunquid non ſuperborum retudit præſumptionem gigantum, [r Gen. 11. 7. & 8.] confuſis ipſorum linguis *r*? Annon natavit univerſus orbis ſub generali aquarum diluvio *ſ*? [ſ Gen. 7. 17. &c.] Civitates æquè immobiles ac ipſarum incolæ erant abominabiles, nunquid non ſulphure & [t Gen. 19. 24. & 25.] igne *de cœlo* promanantibus combuſtæ ſunt *t*? Nonne Deus domuit Pharaonis potentiam ſolis [u Exod. 8. 6. &c.] vel ranis, & culicibus *u*, locuſtis, ac tenebris *x*? [x Exod. 10. 13. &c.] Nunquid non ſtetit *Sol y* in medio ſuo curſu, ipſo [y Joſue 10. 13] præcipiente? Nonne eodem jubente *Iordanis converſus retrorſum z* eſt? Nonne hæc omnia miranda ſunt myſteria? Nequaquam: hæc, ſunt [z Pſ. 113. 5 ex Joſue 3. 13. &c.] effectus ordinarii, quos operatur Deus, qui *omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terrâ, in mare, & in omnibus abyſſis a*. Sed hic quaſi plus agit [a Pſ. 134. 6] quàm poſſit agere. Deus poteſtne pati *b*? Virtus [b Pſ. 30. 10] Divina poteſtne fatigari? Et tamen videmus eam hic fatigatam, *Ieſus ergo fatigatus*. Ille qui eſt fons vivus *c*, poteſtne ſitire? poteſtne egere [c Pſ. 41. 3] unicâ vel aquæ guttulâ? Oportet ut quaſi agat plus quam agere poſſit.

Tres intueor congreſſus, vitæ cum morte, gaudii beatifici cum triſtitiâ, fortitudinis Divinitatis cum infirmitate humanitatis. Deus & mors erant duæ res, quæ ſociari non poterant, cùm [d Joan. 14. 6] Deus ſit prima *Vita d*, & univerſaliſſima omnium vitarum, quæ excludit omnes operationes mortis: Eas tamen iniit Amor ob amorem noſtri. Gaudium Divinitatis erat cumulus exultationum planè cœleſtium, ad quas triſtitiæ non [* Pſ. 30. 10] dabatur acceſſus *: Nihilominùs jaculo Amoris triſtitia lethaliter impetit ſanctuarium Divinitatis, è qua lacrymas educit & ſanguinem †, [† Hebr. 5. 17] quibus noſtra pariat gaudia. Virtus Divina non poteſt fatigari, cùm ipſa ſit principium omnium agitationum *e*, & quies univerſorum motuum: [e Sap. 7. 24] Amor tamen ipſam aggreditur, & vires ipſius exhauriens, noſtras roborat infirmitates. Fatigatur ipſa, ut nos quæſitum veniat, quia neſciebamus quomodo ad ipſam noſtros dirigeremus greſſus; affligitur ut veniat ad nos, quoniam latebat nos quonam pacto affligi deberemus intuitu ipſius; *Veſtigiis noſtris deſcendit uſque ad mortis ærumnas, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam*, ait S. Ambroſius *f*. Unde videris, quomodo [f S. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 22] pro nobis quaſi agat plus quàm poſſit agere, etiamſi noſtris fatigetur criminibus.

Fatigatus ſic Jeſus aliquod auxilium petit, [III. Pars.] *Mulier da mihi bibere*. Totus eſt *fatigatus*. Nunquid non miſerebimini neceſſitatis ipſius? Petit ut ſibi præbeatur potus, ſed non ex hâc aquâ materiali; benè quidem ex aquâ pœnitentiæ, ex aquâ lacrymarum, *Da mihi bibere*. Hæc eſt potio omnium maximè delicata, *Da mihi bibere*. Sanguinem poſtulat pro Sanguine; cum lacrymæ ſint ſanguis cordis, hanc ipſam aquam petit & deſiderat. Sed non eſt diffitendum, eſſe occaſionem mirandi cur hæc mulier Samaritana ſtupore ſit attonita, eò quod Jeſus, qui eſt è natione Judæorum, petat potum ab ipſâ, quippe quæ ſit *mulier Samaritana*. Non miror, Salvator adorande, te unico duntaxat Verbo omnia è nihilo eduxiſſe, tot ſpecioſos oculos & tot præclara lumina magno huic orbis univerſi corpori præbuiſſe, non me lateat, omnipotentiam *g*, & *lumen h* cùm [g Eſth. 13. 9] [h Pſ. 35. 10] eſſe ipſam eſſentiam tuam; ſed miror, te, cum ſis *fons vitæ* †, ſeu aquæ vivæ, petere unicam aquæ [† Ibid.] guttam; te, cùm ſis *Creator omnium* *, inquirere [* Eccli. 24. 12] creaturam; ſed te, cùm ſis Deus *Adonai i*, & ſic [i Exod. 6. 3] tibi ipſi ſis infinitè ſufficiens, nec ullâ indigeas creaturâ, tamen ad mulierem recurrere, *Mulier da mihi bibere*.

Poſt infinita beneficia, quibus Ægyptios cumulaverat Patriarcha Joſeph Pharaonis Prorex [k Gen. c. 40. & ſeqq] *k*, cui reciprocas pro ſuſceptis illis ab eo beneficiis rependere tenebantur gratiarum actiones, dicitur tamen quòd *ſurrexit intereà Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph* l. Et S. Am- [l Exod. 1. 8] broſius *m*, ait, pœnas, quas patitur Salvator, qui [m S. Ambr. l. 2. in Luc. 2. 6. & 7.] à nobis aliquod levamen poſtulat, conſiderandas eſſe à nobis ut paſſiones, & ut pretium redemptionis noſtræ, ut maximi à nobis æſtimentur, *Noli hoc æſtimare quod ceruis, ſed quid redimeris, agnoſce*. S. Leo *n* verò ſuper hæc verba, *Deus* [n S. Leo ſerm. 17. de Paſſ. Dom. c. 2. ex Pſ. 21. 2] *Deus meus, quare me dereliquiſti?* ait, *Ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non eripi, non defendi; ſed manibus ſævientium derelinqui, hoc eſt, Salvatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem, non per miſeriam, ſed per miſericordiam, nec amiſſione auxilii. ſed definitione moriendi*. Ac ſi diceret Dei Filius Patri ſuo, Doce homines, Pater æterne, quot modis permiſiſti me pati pro ipſis, purâ præ amore, non præ neceſſitate, aliove aliquo infortunio, ut agnoſcantur ab ipſis paſſiones meæ, eaſque aliquo ſublevent modo.

Hæc omnia nobis innuunt eum à nobis aliquod exigere levamen à pœnis ſuis, cum nulla ſit actio, cui ſic incumbat, ac juſtificationi noſtræ, habitâ ratione obſtaculorum oppoſitorum. Et licèt ipſe abſolutâ poſſit uti potentiâ ſuâ, quâ noſtram penitus confringat indurationem, rebelliones domando noſtras, nunquam tamen noſtræ infert violentiam voluntati: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum o*. Expectat conſenſum no- [o Apoc. 3. 20] ſtrum, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem*, ait S. [p S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11] Auguſtinus *p*. Nunquam nos extrahet Deus ex

abyſſis

abyſſo peccati, quin cooperemur gratiis Divinis *q*. Fatigatur Ieſus currens poſt peccatorem, qui currit ad exitium ſuum. Prophetæ, quos ipſe miſit, hoc in occurſu ruinam invenerunt; Daniel miſſus eſt *in lacum leonum* r. Alii alia ſunt perpeſſi *ſ*. Ipſe tandem in propriâ perſonâ venit, ſed ita fatigatur ut videatur poſſe ipſi dici ac Eliæ, *Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via* t ab horto *ad Annam*, *Caipham*, Pilatum *u*, & *Herodem*, & ab Herode *ad Pilatum*, & à Pilato ad Calvariam montem, & in monte Calvariâ debes aſcendere ſuper crucem, eique ſuffigi inter duos latrones *x*, & clamare, *Sitio* *y*. Quanta patitur Chriſtus ut ſuæ nos conſortes efficiat gloriæ *z*, communicans nobis ſua merita infinita *a*. Nos verò miſeri, quandiu Ieſus pœnis afficitur, ac fatigatur, non obſtantibus criminibus noſtris, benedictionibus illius ac donis cumulati, fatigamur captando vanitates hujus ſeculi, aucupando rumores & auras populares, honores, voluptates, atque delicias, *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus* b.

q 1.Cor. 15.10
r Dan.14. 30
ſ Hebr.11. 33.&c.
t 3.Reg. 19.7
u Joan.18. 3.&c.
x Luc.23. 7.&c.
y Joan.19. 28
z Rom.3. 23.&c.
a Baruch 3.25
b Sap.5.7

Sed reſiſtentiæ non minùs ſunt magnæ, *Sedebat ſic ſupra fontem.* Oportet ut ſedeat Ieſus juxta fontem, ut conſenſum noſtrum lucretur, & operetur ſalutem noſtram mediâ gratiâ unitâ noſtro libero arbitrio, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*. Adhibenda eſt ad ipſo patientia ſimul & vox, quâ poſſit audiri ab interiori aure noſtrâ, *Aperi mihi Soror mea, quia caput meum plenum eſt rore* c, ait ſummus Amator iſte animarum noſtrarum, qui non irritatur, etiamſi æquo diutiùs ipſum pulſare ſinamus oſtium cordis noſtri, & voces ipſius videamur deſpicere; nec pulſare & clamare deſiſtit, cùm ipſi ſatis videatur præ ſe ferre infinitas amoris ſui Divini erga nos extenſiones. Sed nos ſimiles huic ſumus Samaritanæ, *Mulier da mihi bibere.* A nobis Chriſtus unicam duntaxat exigit contritionis lacrymam, nos autem illi reſpondemus, *Non coutuntur Iudai Samaritanis*, Iudæos nullum commercii genus cum Samaritanis habere. *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial* d? Quam proportionem & convenientiam tecum habere poſſumus? Conſiliis noſtris contrariæ ſunt maximæ tuæ. Omnes ſtudent vanitati. Clamet quantùmcumque voluerit Chriſtus, *Mulier da mihi bibere. Sitio*. Tanto convertendorum veſtri ipſorum feror deſiderio, ut penè extremum vitæ agam halitum: tamen ſurdi permanemus, & amabilem ejus non audimus vocem. Non priùs David aliàs hoc præ ſe exhibuit deſiderium, *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſternâ quæ eſt in Bethleem* e! cùm ſtatim allata fuit ipſi aqua ex eâdem ciſternâ. *Puteus altus eſt, neque in quo hauriat habes.* Difficile eſt, ne dicam impoſſibile, hauſtu aquam ex hoc puteo voluptatis.

c Cant.5.2
d 2.Cor.6. 15
e 2.Reg. 23.15.&c.

Sed quid? Reſiſtetne ſemper hæc mulier? Nequaquam. Triumphabit Ieſus de ejus reſiſtentiâ, ſtatim ac ei duo vel tria verba dixerit, *Si ſcires donum Dei*; quàm utile ſit datu aliquid Deo; quanta nobis proveniat utilitas, cùm Deus à nobis aliquid exigit, quia unicum duntaxat petit, ut centum *f* nobis largiatur. *Si ſciret* quale bonum ſit bibere ex hac aquâ vivâ, quam pollicetur nobis, incredibili nos perfunderet hæc liberalitas gaudio. Ipſa eſt Spiritus ſancti gratia, quæ noſtras vivificat animas. *Si ſcires* quale ſit deſiderium cordis mei; proculdubio relinqueretis ſitulam veſtam ac hydriam veſtram: *Effundam ſuper vos aquam mundanam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris* g. *Qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

f Matth. 19.29.&c.
g Ezech. 36.25

Sed nunquid non, Auditores, juſtæ huic annuemus ſupplicationi? *Da mihi bibere.* Præterea, Petit ſe ſublevari aquâ, vino, & pane in perſonâ pauperum ſuorum, *Da mihi bibere*, ut tibi dicat, juxta S. Auguſtinum h, *Habuiſti me largitorem, facito debitorem. Parum eſt quod dixi, Habuiſti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cæleſtia reddam. Temporalia mihi das, æterna reſtituam. Temetipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.* Duæ ſunt januæ cœli. *Arcta via eſt quæ ducit ad vitam* i. Altera eſt via pœnarum. Et altera eleemoſynarum. Niſi pœnitentiam agatis, divites, eleemoſynas ſaltem erogate, juxta conſilium Danielis *k*, *Peccata tua eleemoſynis redime.* Et Tobiæ l, *Si multum fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum, exiguum.* Intuetur Deus intentionem hujus viduæ pauperis, quæ *miſit duo minuta in gazophylacium* m; & non ampla divitum munera. Sic non tam noſtra reſpicit ipſe dona, quam noſtras intentiones. Si eſſent ambæ domui veſtræ januæ, & erogatâ à vobis, in utrâque, duobus mendicis eleemoſynâ, ſi ſtatim ab aliquo iſtorum partem peteret eleemoſynæ ſuſceptæ aliquis eo magis indigens, malletque ille panem ſibi à vobis porrectum, canibus dare, quàm eo illi tertio indigenti ſuccurrere, nonne revertenti illi primo denuò petitum eleemoſynam, eam denegaretis? Prima janua eſt hæc vita, omnes mendici ſumus: *Quantumvis habeas quicumque dives es, Dei mendicus es* n. Si illud renuamus aliis magis indigentibus, iraſcetur Deus, & in ſecundâ portâ mortis id nobis recuſabit, eò quòd canibus id dederimus, quod erogaturi eramus in pauperes. *Date, & dabitur vobis* o gratia, & tandem gloria.

h S.Aug. ſerm.41. de Verb. Dom.c.5
i Matth. 7. 14
k Dan.4. 24
l Tob.4. 9
m Marc. 12.42.&c.
n S.Aug. loco ubi ſuprà.
o Luc.6. 38

DE

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Joan.19.1.

NAturales referunt, quòd myrrha, quæ eſt liquor pretioſiſſimus, & unguentum maximi valoris, exit ex arbore ſua diverſis vicibus, & variis modis. Prima myrrha, exit ſeipsâ ex arbore ſuâ ſine ullâ inciſione, & abſque ullâ apertutâ. Secunda, eſt ea quæ fluit per inciſionem & aperturam quæ fit arbori. Et utraque eſt unguentum pretioſiſſimum; &, ut ait Calipinus a, *Ejus præcipua virtus eſt, ut mortuorum cadavera incorrupta conſervet.* Sed quare non dicemus, quòd pretioſiſſimus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt myrrha excellentiſſima, & valoris inæſtimabilis? *Quaſi myrrha electa* b. Eſt myrrha diſtillans ex ipſius corpore variis vicibus, & diverſis modis. Die Veneris præcedenti oſtendi vobis eum in horto Olivarum, ubi diſtillabat hâc myrrhâ pretioſâ ſanguinis ſui, nedum tamen inciſum vel apertum fuiſſet hoc *lignum vitæ* c, corpus iſtud delicatum, quod diſtillabat ſudore ſanguineo, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* d. Hodiernâ verò die ſtatui monſtrare vobis hanc myrrham inæſtimabilem pretioſi ſanguinis Domini noſtri fluentem magnis rivulis è corpore ipſius, mediis inciſionibus & aperturis, quas carnifices crudelès faciunt huic arbori vitæ, *Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit eum, id eſt, per ſuos ſervos fecit expoliari veſtibus, alligari columnæ, flagellis crudeliter percuti, quod erat tenerrimo, naturaliſſimo, ac nobiliſſimo corpori Chriſti inæſtimabiliter pœnale*, dicit Dionyſius Carthuſianus e. Dicebam vobis pariter eâdem die Veneris præcedenti, quòd Jacob Patriarcha filii ſui Joſeph tinctam *tunicam in ſanguine hædi cùm agnoviſſet, ait, Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph. Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* f. Hodiernâ vero die, Auditores, *ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra* g. Id eſt, compaſſione, & dolore: nam intuendam vobis exhibere volo tunicam humanitatis Joſeph noſtri myſtici, id eſt, Jeſu Chriſti tinctam non ſanguine hædi, ſed proprio ſanguine ſuo, quem feræ, id eſt, crudeles carnifices devoraverunt. Diſponite oculos veſtros ad effundendas lacrymas cum Patriarchâ Jacob, intuitu talis ſpectaculi, videndo Deum alligatum columnæ, ut ibi crudeliter flagelletur. Flete igitur, & ſocios adhibete vos Matri ejuſdem Salvatoris noſtri, quæ cùm adſit huic funeſtæ tragœdiæ, afficitur triſtitiâ & dolore. Oremus illam omnes ut nobis faveat lacrymis ſuis, ut cum ipsâ compatiamur doloribus dilecti ſui Ioſeph myſtici, ſeu Ieſu Chriſti: ideòque offeramus ei Salutationem Angelicam, verbis iſtis, *Ave Maria.*

a Calep. in Diction. V. Myrrha
b Eccli. 24. 20
c Apoc. 22. 2
d Luc. 22. 44
e Dion. Carth. art. 45. in Joā. 19. 1
f Gen. 37. 31. &c.
g Joel. 2. 13

Cùm conſidero, Auditores, hunc apparatum, qui factus eſt in prætorio Pilati, cùm carnifices ſe diſponebant ad exequendum decretum Præſidis iſtius iniqui, quo condemnabat innocentem Ieſum ad flagellationem, & virtute cujus *Dominus virtutum* h, alligabatur columnæ, manibus ſervorum peccati, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* i: *Servus namque peccati, ſervus eſt tot dominorum, quot vitiorum* k: ubi *Sanctus ſanctorum* l, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* m, caſtigabatur ab impiis; ubi Deus flagellabatur ab hominibus, & ubi creaturæ truculentas injiciebant manus ſuas ſuper Creatorem ſuum; confiteor quòd mihi congruentius eſſet ut flerem, quàm ut loquerer; & quòd deberem potiùs vos excitare & movere ad compaſſionem ſic crudelis ſpectaculi, lacrymis meis, quàm verbis meis. Quis autem eſt inter homines, quantùmvis magnus ſit Orator, qui poſſit eloquentiâ ſuâ ſatis exaggerare ignominiam & dolores Ieſu Chriſti, & repræſentare crudelitatem Iudæorum, cùm vel ipſi Evangeliſtæ brevitate quâ utuntur tractando hoc myſterium doloroſum, clarè confiteantur ſe non eſſe ſatis diſertos, licèt diſcipulos iſtius magni Magiſtri, ad repræſentandam nobis iſtorum tormentorum magnitudinem? S. Lucas n non utitur alio diſcurſu, niſi iſto, quo introducit Pilatum ſic de Domino noſtro loquentem, *Corripiam illum, & dimittam.* S. Matthæus o dicit, *Ieſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* S. Marcus p eoſdem ferè inſumit terminos, inquiens, *Pilatus tradidit Ieſum flagellis caſum, ut crucifigeretur.* Et S. Ioannes, qui debebat, ut videtur, iſtud myſterium plùs exaggerare quam alii, cùm hauſiſſet eloquentiam ſuam totam è fonte, quippe *qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit* q, ſicut canit Eccleſia, & qui ut ſic *fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit*; tamen hoc ſilentio præterit, æquè ac alii, de ipſo ſobriè & paucis verbis iſtis loquens, *Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.* Iſtud ſilentium Evangeliſtarum, in meam memoriam revocat id quod egit aliàs Timanthes. *Nomen pictoris celeberrimi. Inter ejus verò ingenii monumenta, Iphigenia oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mæſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit*, ait Calepinus r poſt Poëtas. Ut oſtenderet, quòd ars ſibi deficeret ad repræſentandam rem ita triſtem & ſic doloroſam, relinquens ſpectatoribus conſiderandam magnitudinem luctus illius: hoc modo procedunt Evangeliſtæ in iſto myſterio doloroſo, confitentes ſilentio ſuo, quòd ars ſibi deficit, & quòd non habent ipſi ſatis eloquentiæ ad exprimendam magnitudinem dolorum, quos expertus eſt Salvator in iſto myſterio. Quomodo igitur potero vobis eos declarare? Solus Ieſus Chriſtus, qui eos paſſus eſt, dignè poteſt de illis loqui, & narrare tormenta immodica quæ ipſe pertulit in hâc flagellatione. Hi ſunt exceſſus iſtius crudelis flagellationis, quos videtur ipſe ſic vehementer formidaſſe vel ante paſſionem ſuam, qui ipſum tanto dolore afficiebant, & de quibus ſic ipſe loquebatur diſcipulis ſuis, ut dicebam vobis primâ die Veneris iſtius Quadrageſimæ, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſumma-*

h Pſ. 23. 10
i Joan. 8. 34
k Petr. Cellenſ. lib. de Panib. c. 15
l Dan. 9. 24
m 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9
n Luc. 23. 22
o Matth. 27. 26
p Marc. 15. 15
q ex Joan. 13. 25. & 21. 20
r Calep. in Diction. V. Timanthes

buntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur f. [f Luc. 18. 31. & 32] Lacrymis ergo potiùs quam verbis eſſet repræſentandum hoc myſterium ſanguinolentum flagellationis Domini noſtri Jeſu Chriſti: tamen lacrymæ deficiunt oculis meis: tentabo ipſum deſcribere verbis, ſed verbis quæ erunt ſine ordine: & ſanè quemnam ordinem, vel qualem eloquentiam cuſtodire poſſem in hoc myſterio, & in iſtis doloribus, in quibus nullus eſt ordo? Hoc eſt myſterium ſine ordine, ſive conſideremus cauſam, propter quam Pilatus fecit Filium Dei flagellari; ſive modum, quo Salvator iſte flagellatus eſt; ſive tormenta, quæ hic innocens paſſus eſt. Myſterium ſine ordine quantùm ad cauſam, quam S. Marcus t [t Marc. 15. 15] ſic nobis deſcribit, *Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.* Ecce cauſa propter quam ille Præſes iniquus flagellari fecit Salvatorem, nimirum, ut plebi ſatisfaceret. Videturne ibi ordo, offendere innocentem, qualem Præſes iſte confitebatur Jeſum Chriſtum, *Pilatus verò dicebat illis, Quid enim mali fecit* u? [u Marc. 15. 14] ad mitigandam rabiem iſtorum hominum crudelium volentium ſatiari carne & ſanguine illius? Videtur quidem aliquando, illos qui volunt cicurare leones, & eos reddere manſuetos & tractabiles, ſumere canes, & hos percutere coram illis; & ſic leones è ferocibus, quales erant, miteſcunt, & furorem ſuum comprimunt: ſed nunquam viſum eſt, nec auditum, quòd ad mitigandum canem, percuſſus fuerit leo: & tamen deordinatione inauditâ id quòd nunquam conſuetum erat, exercetur in prætorio Pilati, ubi Præſes hic iniquus præcipit ut percutiatur generoſus iſte *Leo de tribu Iuda* x, [x Apoc. 5. 5] ad mitigandum furorem rabidum canum, id eſt, Iudæorum, de quibus ipſemet Salvator ſic queritur per Pſalmiſtam y [y Pſ. 21. 17] ſuum, *Circumdederunt me canes multi.* Et per Dionyſium Carthuſianum z, [z Dion. Carth. in Pſ. 21. 17] *Id eſt, homines inſanientes & furentes adverſùm me, & ſanguinem meum ſitientes, ac undique me mordentes verbis blaſphemis, irriſionibus invidioſis, & ictibus doloroſis.* Quàm ingens inordinatio! *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic ſimile* a? [a Iſai. 66. 8] Communi proverbio ventilatur, quòd percutiendus eſt canis coram leone: ſed ecce hic ordo evertitur, & leo percutitur coram canibus, duntaxat ut plebi fiat ſatis. Nullus eſt hîc ergo ordo quantum ad cauſam, propter quam Pilatus flagellari facit Ieſum Chriſtum. Secundò, Nullus eſt hic ordo quantùm ad modum procedendi, & quoad verba, quibus Pilatus Dei Filium damnat ad hanc flagellationem. Perpendite, ſi placet, quem procedendi modum obſervet Præſes hic iniquus ad damnandum Salvatorem mundi ad flagella. Dixerat Iudæis *Pilatus, Ego nullam invenio in eo cauſam* b. [b Joan. 18. 38] *At illi iterùm clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis, Quid enim mali facit* c? [c Marc. 15. 13. & 14] Ecce teſtimonium quod Pilatus præbet innocentiæ Ieſu Chriſti: *Corripiam ergo illum, & dimittam* d. [d Luc. 23. 22] Quis modus procedendi? *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.* Quàm monſtroſa conſequentia! Innocens eſt: ergo eſt caſtigandus. Iuſtus eſt: ergo eſt perſecutionibus impetendus. Devotus eſt: ergo eſt deridendus. Simplex eſt: ergo eſt ſeducendus. Hæc eſt Philoſophia deteſtabilis mundi; ſic argumentantur mundani diſcipuli Pilati, qui nullam habent formam vel figuram argumentorum, ſic inordinatè ratiocinantes. Tandem, Nullum eſt hîc ordinem reperire inter tormenta, ſicut videbimus in progreſſu diſcurſus iſtius. Ut autem aliquem ordinem cuſtodiam inter iſtas inordinationes, oſtendam vobis in primâ parte diſcurſus hujus, quam ignominioſa Domino noſtro fuerit hæc flagellatio: in ſecundâ verò quam doloroſa fuerit illi. [Diviſio.]

[I Pars.] Quantùm ad ignominiam, quam Dominus noſter pertulit in iſtâ flagellatione, Textus ſacer ait, quod *apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.* Dico quod magna fuit ignominia Salvatori noſtro flagellari. Sic cives Romani nunquam puniebantur hoc genere ſupplicii, quia genus iſtud ſupplicii reputabatur infame, & ſolùm pertinebat ad latrones, & ad ſervos. Sic quidam S. Paulum *cùm aſtrinxiſſent loris, dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, Centurio acceſſit ad Tribunum, & nuntiavit, dicens, Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus eſt. Accedens autem Tribunus dixit illi, Dic mihi ſi tu Romanus es? At ille dixit, Etiam. Et reſpondit Tribunus, Ego multâ ſummâ civilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait, Ego autem & natus ſum. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo qui eum torturi erant,* ait S. Lucas e. [e Act. 22. 25. &c.] Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus f, [f Dion. Carth. art. 22. in Act. 22. 25. &c] *Et cùm aſtrinxiſſent eum loris, ſeu funibus vel catenis, dixit aſtanti ſibi Centurioni Paulus, Si hominem Romanum, utpote civem urbis illius indemnatum, id eſt, de nullo exceſſu ſecundùm proceſſum & ordinem Iuris convictum licet vobis flagellare? Quaſi dicat, Nequaquam. Magnis enim privilegiis gaudebant utique cives Romani: inter quæ unum fuit, ne ante judiciariam culpæ oſtenſionem aliquâ pœnâ afficerentur. Quo audito, Centurio acceſſit ad Tribunum, dicens, Quid acturus es? Quaſi dicat, Magno te expoſuiſti periculo, quoniam Romani Imperatoris incides iram, ſi quæ egiſti, perceperit. Hic enim homo civis Romanus eſt. Accedens autem Tribunus dixit, Dic mihi ſi civis Romanus es? At ille dixit, Etiam. Reſpondit Tribunus, Ego multâ ſummâ pecuniæ civilitatem hanc aſſecutus ſum, id eſt, cum magnâ emi eam pecuniâ. Et ait Paulus, Ego autem natus ſum. Non quòd Paulus natus ſit Romæ, ſed quia Pater ejus Legatis Romanorum honorificè obviavit, tam reverenter ſe & ſua eis exhibuit, quòd civilitatem hanc ſibi largiti ſunt, pro ipſo, & pro filiis ſuis, antequam Paulus eſſet natus. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo, qui erant eum torturi.* Hoc autem genus ſupplicii, ſeu flagellationis erat præcipue infame, ſi ictus flagellorum perveniebant ad quadraginta. Hinc S. Paulus flagellatus, prout Iudæus, à Iudæis, ait quòd ictus flagellorum non pervenerunt ad quadraginta, ſed tantùm ad triginta novem, *A Iudæis quinquies, quadragenas unâ minus accepi* g. [g 2. Cor. 11. 24] Seu, ut exponit idem Carthuſianus h, [h Dion. Carth. art. 11. in 2. Cor. 11. 24] *A Iudæis obſtinatis ac perfidis, quinquies, id eſt, quinque vicibus, quadragenas plagas, ſeu percuſſiones, unâ minus, unâ percuſſione ſubtractâ, accepi, id eſt, triginta novem. Erat nempe, Deo jubente, præceptum per Moſen, ut ſi quis aliquid dignum plagis committeret, proſterneretur, & coram aſtantibus flagellaretur, ita ut pro menſurâ peccati eſſet & modus plagarum: ſic tamen ut quadragenarium numerum non excederet, ne fœdè laceratus frater, ante aliorum conſpectum jaceret* i. [i ex Deut. 25. 2. & 3.] *Ne ergo Iudæi viderentur crudeles, dederunt Apoſtolo, non quadraginta, ſed triginta novem plagas.* Iſtius præcepti rationem dat Theodoretus k, [k Theodoret. quæſt 30. in Deut. 25. 3] cùm quærit, *Quare cùm Deus præceperit delinquentem vapulare quadraginta plagis,*

plagu, Iudæi unâ minus inferunt ? Et ipſe reſpondet, *Quia major numerus vapulantem infamat. Si eum ceciderint cum pluribus, deformis abibit frater tuus in conſpectu tuo. In eo tranſgredi legem permittunt, ne exactum obſervantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament pluribus plagis illatis.* Et Procopius *l* eandem ferè tribuit illius mandati Divini rationem, cùm ait, *Quoniam numerus quadragenarius pœna Ægyptiorum eſt, propterea arbitror, Iſraëlitam aut quemlibet alium peccatorem, quadragenas præter unam plagas accipere. Infert porrò Lex, Nec addas ictus plurimos, ne frater tuus dedecore contabeſcat. Dedecus enim erat Iſraëlita ſancta terra cive numero Ægyptiorum puniri. Erravit verò etiam quadraginta annis in deſerto populus m.* Hic numerus quadraginta ictuum erat ſupplicium quod Ægyptii ſoliti erant infligere reis ſuis: unde fit ut Deus punire volens Iſraëlitas propter peccata quæ didicerant ab Ægyptiis, nimirum propter idololatriam vituli aurei *n*, quem adoraverant, puniverit eos hoc numero quadragenario, infligens eis pœnitentiam agendam in deſerto per ſpatium quadraginta annorũ; ita ut, ſi hi qui flagellabãtur, recipiebant quadraginta ictus, æſtimarentur ut idololatræ, quaſi adoraſſent vitulum aureum, & ſic haberentur ut infames. Si ergo erat nota infamiæ ſuſcepiſſe quadraginta ictus flagellorum, qualis infamia erat Filio Dei ſuſcepiſſe non quadraginta percuſſiones, non quadringentos ictus, ſed pluſquam quatuor millia ictuum flagellorum?

l Procop. citat. in Gloſſ. ord. in Deut. 25.3
m ex Num. 32.13
n Exod. 32.6

Sed id quod plùs auget hanc infamiam, eſt genus inſtrumentorum, quibus flagellatus eſt: *Quale flagellum fuerit, minimè conſtare poteſt, & inanis curioſitatis eſt quærere; vulgò ex ſpinis fuiſſe creditur. Euthymius ex funiculis, aut loris fuiſſe conjicit. Probabilius eſt, fuiſſe virgas, quibus Romani utebantur, propterea enim lictores ante Conſules virgas ferebant*, ait Maldonatus *o*. Sed obſervare debetis, quòd præterquam quòd flagellatio non exercebatur niſi ſuper perſonas viles & abjectas, fiebat etiam differentia hominis liberi ab eo qui erat conditionis ſervilis, ut dicunt aliqui, aſſerentes quòd liber flagellabatur virgis, ſervus verò funiculis, aut loris, ideòque quòd, cùm Dominus noſter apparuerit in formâ ſervi, *Formam ſervi accipiens*, ait Apoſtolus *p*, & poſt eum Dionyſius Carthuſianus *q*, *Id eſt, naturam humanam atque ſervilem in unitate perſonali aſſumens, ita quòd natura aſſumpta, unita eſt Verbo immediatè atque in ipſo ſuppoſita, ſeu eſſe perſonali Verbo immediatè conjuncta, ſicut carni conjungitur anima*; voluit excipi hoc ultimo & inhumano modo.

o Maldon. in Matth. 27.26
p Philipp. 2.7
q Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2.7

Nondum hîc eſt cumulus ignominiæ ejus: hæc ulteriùs etiam progreditur: conſideranda quippe eſt in nuditate, in quâ ipſe proſtitutus eſt in iſtâ flagellatione: ille enim qui condemnabatur ad flagellationem, ſpoliabatur omnibus veſtimentis ſuis, in probationem quòd ſic convictus eſſet ſceleris, ut non haberet unde operiret peccatum ſuum. Sancti contemplativi deſcribunt nobis hanc nuditatem, dicentes quòd tunc Dei Filius non habebat aliquid ſuper ſe, quo ſe tegeret, ſed quòd erat æquè nudus ac cùm exivit ex utero Matris ſuæ, patiens hanc nuditatem cum immodico pudore. Exprimi non poteſt quantùm hæc ignominia, quâ Salvator affectus eſt, cùm nudus ſpoliatus eſt coram tot impudicis, offendebat animam ipſius virgineam, videndo ſe ſubjacêre irriſioni militum, & aliorum ipſi illudentium. Heu! quali horrore concutiebatur Dei Filius, qui eſt *flos campi, & lilium convallium* r, quando videbat ſe nudum coram tot hominibus infamibus! Poſtquàm peccavit Protoplaſtes noſter Adam, & advertit ſe eſſe nudum, tantâ verecundiâ ſuffuſus eſt dum vidit ſe nudum; & ſic vehementer timuit obviam habere uxorem ſuam in tali ſtatu, ut latebras quæreret, ſicut & folia, quibus operiret ſe, *Cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* ſ. *Id eſt, cingula ad ventrem, puta lumbaria, ſeu ventralia ſubligacula, ut ſcilicet tegerent partes inhoneſtas: cætero enim corpore manſerunt nudi, ſicut ipſe Adam ait Dei V. ſ o. uti faciunt jam Braſilii, Caſres, aliique Indi*, ſubdit Cornelius *t*. Sed quantâ verecundiâ opertus eſt Dominus noſter, caſtior ipsâ caſtitate, plùs Virgo quàm ſit ipſamet virginitas, cùm vidit ſe nudum, & expoſitum aſpectibus tot hominum impudicorum, qui deridebant ipſum. Tunc adimpleta eſt prophetia, quâ ipſe dixit per Pſalmiſtam *u* ſuum, *Totâ die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Dominus in aſſumptâ loquitur carne, qui pro nobis verecundiam patitur, maledicitur atque confunditur*, ſubdit S. Hieronymus *x*. Nam ſpoliatus veſte ſuâ, quânam re ſe poterat operire *Rex gloriæ* y, niſi verecundiâ?

r Cant. 2.1
ſ Gen. 3.7
t Cornel. in Gen. 3.7
u Pſ. 43.16
x S. Hieron. in Pſ. 43.16
y Pſ. 23.7. &c.

II. Pars.

Hæc flagellatio non ſolùm fuit ignominioſa, & ſtipata pudore & verecundiâ, ſed etiam fuit doloroſa. Ut autem concipiamus aliquam partem magnitudinis tormentorum quæ Dei Filius pertulit alligatus columnæ, conſiderandæ ſunt nobis circunſtantiæ flagellationis iſtius, & videndum eſt quomodo iſti canes rabidi, id eſt, Iudæi, ad exonerandam ſævitiam ſuam ſuper Salvatorem mundi, uſi ſunt flagellis, funiculis, & catenis Paganorum; deſeruerunt leges ſuas, decreta ſua, & conſuetudines ſuas, & adhibuerunt conſuetudines extraneas Romanorum, ut meliùs exercerent crudelitatem ſuam ſuper Ieſum Chriſtum. Quia lex Romanorum circa flagellationem malefactorum erat crudelior lege Iudæorum: volentes igitur Iudæi uti crudelitate adversùs Ieſum Chriſtum, inſumpſerunt leges alienas, putà Romanorum. Quòd autem ita ſe res habeat, videamus ſi placet, leges illorum, æquè ac iſtorum. Legimus in Deuteronomio *z* legem, quam Deus dat Iudæis quantùm ad flagellationem, in quâ decernit ut numerus ictuum flagellorum non excedat quadragenarium, *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos, abeat frater tuus.* Ecce lex quam Deus facit, ſed nulla lex obſervatur quantùm ad Ieſum Chriſtum, & adversùs illum quæruntur leges Romanorum: atqui Romani nullum habebant numerum determinatum in flagellationibus reorum, ſed ictus eis infligendos relinquebant nutui carnificum: Iudæi ergo utuntur iſtis legibus; nullum volunt numerum determinatum, nec quadragenarium intuitu Ieſu Chriſti, ſed ut numerus remittatur non ad diſcretionem, ſed ad rabiem carnificum. Hi ergo cùm ſpoliaſſent Salvatorem veſtibus ſuis, alligaverunt eum columnæ, & cœperunt eum flagellare tantâ violentiâ ut ſanguis undequaque è corpore ejus flueret, quod commovere potuiſſet ad commiſerationem vel tigrides; & tamen hi carnifices nullâ commiſeratione ciebantur erga eum, nec

z Deut. 25.2. & 3

ipſis ſatisfecit numerus quadragenarius ſecundùm Legem, ſed tranſierunt uſque ad numerum, cujus ſciri non poteſt numerus. Et ſi verum eſt id, quod referunt aliqui, quòd omnes milites turmæ, quam Evangeliſtæ *a* vocant *cohortem*, manus ſuas injecerunt in Jeſum ad flagellandum eum, ad quantum numerum ictuum flagellorum non pervenerint, cùm hæc turma, ſeu cohors eſſet compoſita è tot militibus? Atqui ſi ſinguli milites manum ſuam injecerunt in Jeſum, cogitate, quot ictus flagellorum Jeſus Chriſtus ab eis ſuſceperit. *Congregaverunt ad eum univerſam cohortem, id eſt, multitudinem Gentilium intrantium prætorium. Iudæi enim non intrabant, ne maculerentur* b. *Cohors verò fuit multitudo ſubjecta Tribuno. Hanc congregaverunt, ut pœna & illuſio Chriſti coram tantâ multitudine, & in loco patenti eſſent majores & erubeſcibiliores*, ait Dionyſius Carthuſianus *c* poſt S. Matthæum.

a Math. 27. 27. & Joan. 18. 3

b ex Joan. 18. 28

c Dion. Carth. art. 43. in Math. 27. 27

Secundò, Juxta leges & conſuetudines Romanorum, cùm flagellabatur aliquis malefactor, Judex recenſetur primus percuſſiſſe eum. Hæc conſuetudo non obſervabatur inter Judæos adversùs ullum malefactorem quantùmlibet inſignem: ſed introducitur contra Jeſum, & Pilatus primus incipit eum percutere, ſaltem ſecundùm opinionem aliquorum, inter quos eſt Beda *d*, qui ſuper hæc verba S. Marci, *Pilatus tradidit Ieſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur*, ait, *Cæſus eſt ab ipſo Pilato. Vnde Ioannes, Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et poſt ſubjunxit: (Et milites plectentes coronam de ſpinis, &c.) Et militibus illudendum præbuit. Quod ideò fecit, ut ejus pœnis & opprobriis ſaturati, ultrà mortem non ſitirent.* Id eſt, Judæi necem Jeſu Chriſti. Præſes ſe geſſit, inquiunt Authores opinionis illius, non ſecus ac faber ferrarius, qui accipit forcipes, & trahit ferrũ candens è fornace, & cùm illud incudi ſuperpoſuerit, ſumit malleum, primus percutit ſuper illud, & deinde videtis quòd omnes alii miniſtri percutiunt plures ictus malleorum ſuper locum quem Magiſter notavit: idem accidit Salvatori noſtro, qui, quaſi corpus ipſius fuiſſet igneum, ſuſcepit infinitatem ictuum flagellorum, primùm a Pilato, & poſteà à cæteris carnificibus, qui percutiebant ſuper ipſum velut ſuper incudem, & ſuper ferrum ignitum: & quemadmodum cùm malleo percutitur ferrum candens, è fornace eductum, videntur undequaque ſalire ſcintillæ, quæ per totam diffunduntur officinam: ſic è corpore Filii Dei percuſſo ictibus flagellorum videbantur exire fruſtula carnis, quæ reſpergebantur cum ſanguine qui inde exibat, per prætorium Pilati. Et tunc adimpleta fuit prophetia Davidis *e* ſic Chriſtum loquentem introducentis, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Quam ſic exponit Dionyſius Carthuſianus *f* ad propoſitum noſtrum, *Hoc planè fecerunt ſacrilegi, impiiſſimique Iudæi & ſervi Pilati, dum Chriſtum flagellis laceraverunt.*

d Beda citat. à Gloſſ. Ordin. in Marc. 15. 15

e Pſ. 128. 3

f Dion. Carthuſ. Expoſit. Alleg. & Liter. Pſ. 128. 3

Tertiò, Non erat inter Romanos conſuetudo, ut Judex adeſſet cùm flagellabatur malefactor, quod occaſionem præbebat carnificibus inſumendæ crudelitatis adversùs eum, præſertim verò cùm pecuniâ corrupti erant à Parte adverſariâ: ſed Iudæorum flagellationi Iudex aderat, ut modum imponeret rigori ſupplicii, & mitigaret crudelitatem carnificum, *Coram ſe facient verberari* g. Sed heu nulla dulcedo adhibetur ergà Ieſum Chriſtum! Iudex adeſſe vult, & adeſt reverâ ejus flagellationi, non ad mitigandum rigorem ſuppliciorum, ſed ad illum augendum; non ad compeſcendum furorem carnificum, ſed ad illos excitandos & animandos ad percutiendum eum ſine commiſeratione: ſic ut præſentia Iudicis quæ latronibus & malefactoribus erat favorabilis, inſerviret Domino noſtro ad augen[d]a ipſi tormenta ſua, & dolores ſuos.

g Deut. 25. 2

Quartò, Secundùm leges & conſuetudines Romanorum, ſæpè ſæpius malefactor flagellandus alligabatur columnæ: è contrà juxta leges Iudæorum non adhibebatur columna, juxta mãdatum quod Deus fecerat illorum Iudicibus, *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari* h. Lex igitur Deuteronomii non loquitur de columnâ, ſed ſolùm decernit ut reus in terram proſternatur, & ibi flagelletur: ſed ad flagellandum crudeliùs Ieſum Chriſtum, & ad infligendos ei dolores acriores, adhibendæ ſunt leges Paganorum, & inſumendæ columnæ Romanorum. Admiramini, ſi placet, quomodo rabies eorum augeatur ſemper, ad augendum ſemper magis ac magis dolorem Salvatoris.

h Ibid.

Quintò, In flagellatione Romanorum, crudelitas carnificum ſic ingens erat, ut perſæpè malefactor ſub ictibus flagellorum expiraret: ſed Iudæi non permittebant tantam ſævitiam adverſùs reos ſuos, cùm eorum carnifices præterire non poſſent quadraginta ictus flagellorum, *ita ut quadragenarium numerum non excedant* i. Tamen ad vehementer cruciandum Dei Filium inſumitur crudelitas carnificum Romanorum, qui ita dirè & ſic diu eum percutiunt, ut ipſe ſub flagellorum millies & millies repetitis ictibus infallibiliter emiſiſſet ſpiritum, niſi Divina charitas ipſius reſervaſſet ipſum ad ſubeundum crucis ſupplicium.

i Deut. 25. 3

Tandem, In flagellatione Romanorum multi erant carnifices; in flagellatione verò Iudæorum unicus duntaxat inveniebatur tortor propter paucos ictus flagellorum, quos debebat infligere: ſed hodiernâ die turba multa carnificum inſumitur ad flagellandum Salvatorem. Nullus ergo cuſtoditur ordo, nec ulla ratio intuitu Ieſu Chriſti flagellandi. Recenſentur Romani uſi fuiſſe triplici genere flagellorum, nimirum, loris ſeu funiculis, baculis, & ſarmentis vitis. Ha! carnifices iſti non ſunt contenti funiculis, & virgis, ſed quærunt catenas, & nervos bubuleos, & ſi ſumunt flagella è funiculis compacta, his addunt mucrones ferreos acutos, ſeu ſcuticas quæ pendent in extremis eorum; & ſic ipſi nullum flagelli ictum infligunt corpori Salvatoris, quin carnis abripiant fruſtula, & ſanguinem undequaque diſſilire faciant. Et S. Birgitta *k* aſſerit ſibi fuiſſe revelatum, quòd carnificina quæ peracta eſt in iſtâ ſanguinolentâ flagellatione corporis adorabilis Ieſu Chriſti Domini noſtri, ſic ingens fuit & immodica, ut coſtæ illius apparerent: ſic enim ipſa introducit B. Virginem Matrem ejus, quæ huic aderat ſpectaculo truculento, loquentem: *Ego quæ aſtabam propinquiùs, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum uſque ad coſtas, ita ut coſtæ ejus viderentur.*

k S. Birgit. lib. 1. Revel. c. 10. not. 8.

Quali dolore aſficiebatur hæc afflicta Mater, cùm videret Filium ſuum chariſſimum in ſtatu ſic deplorando: qualibus anguſtiis cruciabatur

ipſa,

ipſa cùm intueretur talem carnificinam illius, de quo ipſa ſciebat quòd eſſet *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* l, æquè ac Filius ſuus. Nullus infligebatur ictus Filio, quin idem ictus cordi Matris infligeretur ſtatim: flagellabatur corpus Filij, & cor Genitricis eodem tempore cruciabatur; & hoc martyrium Matris magis ac magis augebat dolores Filij, qui in anima ſua dolores Genitricis experiebatur: *Cogitare nunc libet quantus dolor tunc inſuit Matri. Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvis virgo cum uſura, quod in partu non habuiſti à natura*, dicit S. Bernardus m. O munde, vidiſtine unquam ſimile ſpectaculum? viſane ſunt unquam hiſtoria ſic ſanguinolenta & ita tragica? *Quis credidit auditui noſtro* n? Ha! fierine poterit ut in poſterum credatur, quòd *Creator omnium* o, *Dominus omnium* p, fuerit alligatus columnæ, ſpoliatus ut infamis, & expoſitus crudelitati militum, qui ipſum diriſſimè flagellaverunt? O ſævitia ſanguinolenta canum iſtorum rabidorum adverſus Jeſum Chriſtum! Erumpamus, Auditores, in lacrymas: nec enim habere debemus cor ita durum ut non compatiamur doloribus illius. Peccata noſtra invexerunt in eum hæc flagella: Jeſus Chriſtus, qui eſt *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus*, ut ait Apoſtolus q, & Dionyſius Carthuſianus r, *Sanctus in anima per omnis culpæ carentiam; innocens quantùm ad alios, quia non eſt inventus dolus in ore ejus; impollutus corpore; ſegregatus à peccatoribus, id eſt, à grege iniquorum remotus*; tradit humeros ſuos flagellandos pro nobis, qui ſumus conſcij criminum; ipſe patitur pro nobis, & morietur pro nobis, juxta prædictionem Iſaiæ ſ, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Poſt quem Pintus u ait, *Senſus eſt, Nullam culpam admiſerat Chriſtus Deus noſter, ob quam ſupplicium mereretur. At voluit pro nobis pati, ut à nobis debitam peſtem arceret. Languores noſtros, non ſuos, hoc eſt, peccata noſtra ipſe tulit, & dolores noſtros, id eſt, ſupplicia, quæ pro ſceleribus noſtris merebamur, ipſe portavit. Et hoc non ficte, non imaginariè, ſed verè. Pro eo quod hic ait Iſaias; Languores noſtros ipſe tulit, ait S. Petrus* x, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Vbi vides peccata eſſe animi languores & infirmitates, quas Chriſtus pro nobis tulit.* En, Auditores, numerus ferè infinitus ictuum, ecce mare ſanguinis; faciamus, quantùm in nobis erit, exire mare lacrymarum ex oculis noſtris: contemplemur cum lacrymis Salvatorem noſtrum, Sponſum noſtrum, ſed Sponſum *ſanguinum* y. Et ideò cum Cornelio z, *Allegoricè, hoc dicat Chriſto verus Chriſtianus, præſertim Religioſus: Sponſus ſanguinum tu mihi es, ô Chriſte; tum quia tuo ſanguine animam meam tibi coemiſti & deſponſaſti. Vnde S. Agnes dicebat Tyranno, Sanguis Chriſti Sponſi mei tinxit genas meas: tum quia à me viciſſim, ut ſim Sponſa te digna, exigis ſanguinem meum, imò carnem & vitam meam, dum doces, ijs qui te ſequi, tibique placere volunt, circumcidendas & mortificandas eſſe concupiſcentias carnis & ſanguinis, dum ais: Nemo poteſt meus eſſe diſcipulus, niſi qui abnegat ſemetipſum, & tollit crucem ſuam* a; *niſi qui odit & perdit animam ſuam in hoc mundo* b; *niſi qui carnem ſuam crucifigit cum vitijs & concupiſcentijs* c; *niſi qui diabolo, carni, & mundo reſiſtit uſque ad ſanguinem* d, *uſque ad mortem & martyrium.* Ecce tunica innocentis Joſeph myſtici ſanguinolenta, quem feræ de-

l Jo. 1. 18.
m S. Bern. ſerm. de Lament. B. Mariæ
n Iſa. 53. 1.
o Eccli. 24. 12.
p Eſth. 13. 11.
q Heb. 7. 26.
r Dion. Carth. a. 7. in Heb. 7. 26.
s ex Iſa. 53. 9. & ex 1. Pet. 2. 22.
t Iſa. 53. 4.
u Pint. in Iſa. 53. 4.
x 1. Petr. 2. 24.
y Exod. 4. 26.
z Cornel. in Exo. 4. 26.
a ex Luc. 14. 27.
b ex Jo. 12. 25.
c ex Gal. 5. 24.
d ex Heb. 12. 4.

voraverunt, nunquid non adhibebimus nos ſocios Jacob? qui filij ſui Joſeph tunicam intinctam in *ſanguine hœdi cum agnoviſſet, ait, Tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph: ſciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* e. Nonne lacrymis diffluemus præ compaſſione? Cùm flagellatur aliquis homo nequam propter crimina ſua, nemo eſt qui non compatiatur ei, cùm carnifex illum durius excipit quam ſit par: quomodo autem non compatiemur ei, qui pro nobis patitur redimendis? Angeli veluti ſtupore percelluntur intuitu iſtius ſpectaculi truculenti, & ipſi Cherubini illud intuentur præ admiratione quæ ipſos rapit. Nonne ſcitis quòd alias *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens? Duos Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca* f. Ecce arca ſacra, en propitiatorium quod Cherubini gloriæ admirantur in profundo ſilentio, videntes Creatorem ſuum columnæ alligatum velut infamem latronem, & ſanguine ſuo perfuſum propter amorem noſtrum.

Hic amor Domini noſtri Jeſu Chriſti, non poteſt niſi dilectione reciprocâ compenſari, cùm hæc Divina charitas amantiſſimi Salvatoris ampliores ſuſcipere non poſſit extenſiones. Hercules, invincibilis hic & inexpugnabilis mundi triumphator, cùm perveniſſet uſque ad fines terræ, plantavit ibi columnam præ hac inſcriptione, *Non plus ultrà.* Sic Jeſus Chriſtus, quem Pater æternus dedit *Ducem Gentibus* g, iſte triumphator mundi †, diaboli, æquè ac mortis *, cùm, non dico attigiſſet, ſed prætergreſſus eſſet limites amoris ſui, pro trophæo hujus amoris ineffabilis, erigere voluit hanc ſacram columnam præ hac inſcriptione, *Non plus ultrà* Hic enim divinus Amor non poterat inferiùs deprimere majeſtatem Dei omnipotentis, quam illam ſubjicere flagellationi, quæ erat ſpecies ſupplicij ignominioſiſſimi & doloroſiſſimi, convenientis ſolis perſonis infamibus. Agnoſcamus igitur hunc amorem amore reciproco, conantes nos conformare Domino noſtro, pati aliquid, & flagellare corpus noſtrum propter amorem ejus. S. Paulus h nihil æquè commendat nobis ac patientiam in afflictionibus, quas Deus permittit nobis evenire, *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate.* Hoc eſt enim ſolum ſignum, quod reddit nos conformes Jeſu Chriſto flagellato: *Nam quos præſcivit*, id eſt, Pater æternus: *& prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* i. Ut fiat ſpecioſum & excellens ædificium, ſcalpro æquè ac malleo præcidendi & percutiendi ſunt lapides, & lignum eſt ad normam exigendum, alioquin non æſtimabitur: primus lapis ædificij Eccleſiæ ſanctæ eſt Jeſus Chriſtus; *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus* k. Sed quomodo percuſſus eſt iſte lapis, ſectus, & ad normam exactus? Diverſis inſtrumentis: ſic ut oporteat ut illi qui volunt eſſe in eodem ædificio ſuper ipſum, conforment ſe ad ipſum; percutiantur malleo afflictionum, veluti ſcalpro præcidantur, flagellando, & caſtigando corpus ſuum, *ſemper mortificationē*

e Gen. 37. 31. &c.
f Exod. 25. 2. &c.
g Iſa. 55. 4.
† Jo. 16. 33.
* Oſee 13. 14. & 1. Cor. 15. 55.
h Epheſ. 4. 1. & 2.
i Rom. 8. 29.
k 1. Cor. 3. 11.

h,Cor. 4.10. *Ieſu in corpore circumferentes* l ſuo; & omnes paſſiones ſuas exigant ad normam rationis. Hoc eſt m 1. Pet. 2.4.& 5. conſilium, quod tribuit nobis S.Petrus m, *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum: & ipſi quidem tanquam lapides vivi ſuperædificabimini, domus ſpiritualis.* Super hunc ergo Lapidem vivum conſtruere debemus ædificium ſpirituale noſtræ ſalutis, & dicere ſinguli cum Apoſtolo n, n 1.Cor. 9.27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

Retinete, ſi placet, è toto hoc diſcurſu, quàm ignominioſa & doloroſa fuit flagellatio Domini noſtri: quia flagellatio erat ſupplicium infame, conveniens perſonis vilibus & abjectis, latronibus, & ſervis. Ignominioſa, quoniam ille, qui ſuſcipiebat pluſquam quadraginta ictus flagellorum, habebatur ut infamis: ignominioſa propter inſtrumenta ſupplicij inuſitata: ignominioſa per nuditatem ſuam. Doloroſa, propter magnum numerum ictuum flagellorum, quos ipſe ſuſcepit: ob ingentem numerum carnificum, id eſt, omnium militum cohortis: doloroſa propter præſentiam Judicis, qui, ſecundùm aliquos, ut audiviſtis ſuprà, primus cœpit Salvatorem flagellare: doloroſa, cùm ad augendos illius dolores aſſumptæ ſint leges & conſuetudines Romanorum, & adhibita eorum flagella: doloroſa propter dolores ſanctæ Matris ipſius afflictæ. Memenrote quòd hęc ignominia, & iſti dolores, ſunt effectus amoris Jeſu Chriſti erga nos, qui *non plus ultrà* poteſt progredi, quique requirit a nobis amorem reciprocum, ſi velimus ut ipſe nobis det *gratiam, & gloriam* o. o Pſ.83. 12.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMAE.

Abijt Ieſus trans mare Galilaæ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna.
Joan. 6. 1. &c.

a Rom. 11.34. &c. ex Iſa.40. 13. S. Paulus a Romanis ſcribens, petit, *Quis cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Projiciens oculos ſuper miraculum, quod fit hodiernâ die, & memor trium harum petitionum, mihi videor illis quodam poſſe ſatisfacere modo. Deus enim iſte incarnatus, qui eſt noſtrarum Salvator animarum, cùm abijſſet *trans mare Tyberiadis*, ſtipatus quinque hominum millibus, b Matth. 14.21. *exceptis mulieribus & parvulis* b, eos ducit ſuper montem, illorum curam ſuſcipit reficiendorum (fame enim premebantur omnes) nihilque aperiens eorum quæ intendebat, neque manifeſtans vias quibus eſſet uſurus in eorum ſublevandis neceſſitatibus, S.Philippum alloquitur, & petit ab eo, *Vnde ememus panes, ut manducent hi? Reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri; Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos?* Non deſinit propterea puer ille libenti animo exhibere Chriſto id, quod ipſe habebat, quod cùm benedixiſſet Dei Filius, ita multiplicatum eſt, ut huic ſuffecerit hominum innumeræ multitudini reficiendæ, imò verò ſuperfuerint ex eo duodecim cophini fragmentis repleti, ejuſdem pueri emolumento inſervituris.

Reſpondeo igitur S.Paulo, & ſi quis petat? *Quis cognovit ſenſum Domini?* Dico S. Philippum voluiſſe videri induſtrium, ſed re verâ talem non fuiſſe; *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Id eſt, Chriſtus. Si idem petat Apoſtolus, *Quis conſiliarius ejus fuit?* Aſſero S.Andream talem voluiſſe ſe exhibere, ſed eum non fuiſſe ſatis peritum, quippe qui non conſideraſſet, duos panes præ manibus Dei facilè convertendos in quinque millia panum. Sed ſi tandem interroget, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Reſpondeo hunc puerum dignum eſſe hoc honore, ac iſtâ mercede, cùm æquo dederit animo id, quod habebat ipſe, in gratiam hujus populi; & ſic accepit c Matth. 14.21. *duodecim cophinos fragmentorum plenos* c, ultra partem ſuſceptam in convivio, cui interfuit, cum tanta populi multitudine. Et ſicut non ignoro hos quinque panes, & ex ijs factam multiplicationem à Deo proceſſiſſe, concludo cum eodem S.Paulo, eidem Deo totam inde provenientem gloriam attribuens, *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula.* Mirabile quidem eſt ita exiguam panis quantitatem ſic fuiſſe multiplicatam præ manibus Filij Dei: ſed longè mirabilius eſt eundem Dei Filium, qui *eſt immenſus* d, *breviatum* e fuiſſe in ſinu Virginis Deiparæ eodem momento, quo dixit ei Angelus, *Ave Maria*. d Baruch 3.15. e Rom.9. 28.

Quicunque neſciret Ariſtotelem f, cujus ingenium tot præclaris erat inſignitum luminibus, nihil leve allegare voluiſſe in operibus ſuis, vix f Ariſt.l. 2. Metaphyſ.c.1. text.1. credere poſſet comparationem, quam facit ille intellectûs noſtri, qui nobis videtur eſſe ſic perſpicax, cum nycticorace non valente Solis radios pati, quin ſtatim oculi ipſius ſuffundantur caligine, *Quemadmodum veſpertilionum oculi ſe habent ad lumen diurnum, ita & anima noſtra mens ad ea, quæ naturâ ſunt omnium manifeſtiſſima.* Ha! cæci nos ſumus, & non exiguâ offunduntur oculi noſtri caligine intuitu rerum maximè evidentium & manifeſtatum naturæ; nihil ferè earundem videmus, illæ quippe ſunt veluti theſaurus abſconditus, velis & tenebris naturæ opertus. Quis enim, quæſo, cognoſcit ex nobis effectus rerum? Quis eſt qui non ignoret intimas entium proprietates? Non loquor de rebus altiſſimis, puta de Euripo, de fluxu maris ac ejuſdem refluxu; nec de ſecreta & admirabili virtute, qua viget magnes attrahendi ad ſe ferri; & de illa vi inſita, quâ pollet ſoccinum ſeu electrum ut feſtucas & paleas ad ſe trahat, quomodo hæc fiant; loquor de rebus communiſſimis, quas diebus ſingulis præ manibus habemus. Quis enim cognoſcit harum virtutes ac proprietates notitijs noſtris abſconditas?

Non intendo loqui de rebus, quæ cùm ſint ordinis ſuperioris, intellectuum noſtrorum captum ſuperant, nimius quidem ipſarum fulgor oculos mentis perſtringit noſtræ, & tenebras habemus obvias ipſo ſplendente die, *In Sole poſuit tabernacu-*

[g Pſ.18,5] *naculum ſuum* g. Caligabunt proculdubio oculi noſtri, ſi ad eas propius quàm par ſit, accedimus, *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria* q. [q Prov. 25.27.] Non eſt igitur hyperbole comparatio, quam facit Philoſophus, ſed potiùs veritas, quæ impugnari non poteſt niſi præ pertinacia ac injuria. Quid in natura clarius Divinâ Providentiâ? Nonne videmus eam ſenſibiliter, cùm nihil ſit in mundo, in cœlo, aut in terra, aut in abyſſis, quod authenticum illius non perhibeat teſtimonium? & tamen ita cæcus eſt intellectus humanus, ut circa ejus fidem titubaverit, *Nec noſtra conſiderat,* [r Job 22. 14.] *& circa cardines cœli perambulat* r. Hæc eſt loquela impiorum, & linguarum ſacrilegarum illorum, [s Gen.11. 4. & 9.] qui more ſuperborum gigantum illorum turris *Babel* s opificum, conjuraverunt ut Deum traherent deorſùm, & adversùs Divinam ipſius blaſphemaverunt providentiam, ut perſuadere conarentur nihil eſſe in mundo niſi fortuitum, & omnia caſui ſubjacêre ac fato.

Verùm enim verò pudor eſt maximus, quo ſuffundi debent Chriſtiani corruptorum ſeculorum illorum, quibus vivimus, videntes Ethnicos ſolo lumine naturali rationis irradiatos, majorem Dijs ſuis honorem rependere, quàm nos Deo noſtro reverentiam exhibeamus, nos, inquam, qui perſpicatiores ſumus intuitu magnitudinis myſteriorum noſtrorum, & ſanctitatis Religionis noſtræ; qui Deus non habet ſolum nomen, ſolamque apparentiam (ſicut ſolum habebant nomen, & ſolam apparentiam falſa Ethnicorum veterum numina) ſed inſuper realitatem, devinciens nos ſibi ſine intermiſſione beneficijs ſuis, quibus meliùs vincat magnitudinem & exceſſum ingratitudinis noſtræ, & ora claudat ſacrilega impiorum eorum, qui eò temeritatis procedunt ac impudentiæ, ut audacter (licèt immeritò) de Divina querantur Providentia. Videte, ſi placet, quomodo revereantur Deam ſuam, quæ [t S.Aug. l.6. de Civ.c.10] vocatur à S. Auguſtino t *Diva Rumina*, & quam credunt & adorant ut Deam totius naturæ, ſic dictam a rumis, ſeu mammis, quia tota operta erat illa Dea uberibus à capite uſque ad pedes, & per totum corpus, cui adhærebat omne genus animalium, ut inde paſcerentur; innuere volentes illinc, hanc Deam fuiſſe matrem communem & altricem omnium creaturarum, cùm earum neceſſitatibus præ tanta abundantia provideret requiſita.

Fabula eſt, ac commentum, Auditores, quod magis habet zeli & reverentiæ, quàm realitatis & veritatis. Hoc ſiquidem propriè competit [u Pſ.135 25.] Deo ſoli, *qui dat eſcam omni carni* u, qui magnus eſt totius orbis Proviſor, à quo expectant omnes creaturæ illud, quo ipſæ indigent ad ſui conſervationem, *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in* [x Pſ.103 27.] *tempore* x. Re autem verâ non decidunt illæ è ſpe ſua, *Aperis tu manum tuam, & imples omne a-* [y Pſ.144. 16.] *nimal benedictione* y. Quippe quæ plenam & integram ſortiuntur ſatisfactionem. Nihil eſt igitur evidentius in mundo, & in ordine naturæ, Divinâ Providentiâ, nihil quod ſe magis noſtris oculis ac quotidianis comprobandum æquè ac intuendum exhibeat experientijs, nihil frequentius, nihil magis ordinarium. Hujus autem veritatis Sole ipſo clarioris probationes habemus expreſſas in Evangelio hodierno, ubi Dei Filius ſatiat in deſerto quinque millia hominum, *exceptis mulieribus & parvulis*, quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus. Ut autem totum Solem (ut dicitur) veſtris opponam oculis, probare vobis volo hanc veritatem, quæ eſt re verâ mare immenſum abſque ullo litore, non diffiteor; ſed favente eâdem Divinâ Providentiâ, huic ipſi veritati lucem quandam afferre intendo, & monſtrare vobis eodem tempore in priori parte [Diviſio.] hujus diſcurſus exiſtentiam hujus ſummæ Dei providentiæ; in poſteriori verò fiduciam, quâ ad ipſam accedere debeamus.

[I.Pars.] Nullus unquam inventus eſt homo ita rudis intellectu, ita barbarus moribus, & ſic ſtupidus ingenio ullo unquam tempore, aut aliqua in regione, qui de divinæ Providentiæ ambigeret exiſtentia. Non eſt hoc paradoxum Philoſophicum, quin imò hoc eſt articulus fidei ipſâ luce clarior, nihil eſt hoc noſtris evidentius cognitionibus; tangitur hæc veritas digito, & tamen non advertitur. Et ſicut nullus unquam fuit ſanæ mentis compos, qui non crederet unum Deum [z Deut. 6.4] z, ſic nullus unquam fuit, qui non fateretur, hunc Deum debuiſſe neceſſariò in ſe habere omnes perfectiones a, ut primum *Principium* b omnium [a Matt. 5 48.] rerum, non ut materiam ſemper in potentia ad [b Apoc.1 8.] recipiendum, ſed Principium ſemper in actu ad dandum, & quod continet in ſe actu omnes perfectiones unitas, quæ ſunt diſperſæ in reliquis creaturis, modo eminentiori quàm illæ ſint in ſeipſis, ſicut Regnum eſt in Rege, in cujus diademate eſt nobilitas, potentia, & authoritas Principis, Ducis, & Judicis ſupremi. Sed ſicut inter omnes perfectiones creaturarum altiſſima eſt cognitio & intelligentia, quæ convenit Angelis & hominibus, non debet illa deeſſe Deo. Magnum quippe ſcelus perpetraret quicunque de ea ambigeret, illumque privaret hoc attributo & iſtâ ſummâ perfectione. Cognoſcit & intelligit Deus omnia, quidquid dixerint aliqui impij, rati hanc cognitionem Divinæ Majeſtati eſſe diſſentaneam, hancque deprimendam eſſe Majeſtatem, ſi ipſius cognitio rebus ſic exiguis incumberet curandis. Illas cognoſcit & intelligit omnes in ſeipſo, & illius potentia extenditur ad omnes, *A primo enim Eſſe omnibus communicatum eſt eſſe*, ait axioma Philoſophicum. Hæc ſcientia Dei dedit eſſe omni quod eſt; ad illum ergo ſpectat idem & conſervare, *Ejuſdem enim eſt conſervare, cujus eſt & producere*. Quod nõ eſt aliud quàm illud curare, eique providere: Deus dedit eſſe omnibus rebus [c Gen.1 1.&c.] c, debet ijs illud eſſe conſervare, & occurrere ijs quæ poſſent eiſdem officere.

Perfectio ſanè Regia eſt, ſi curam agat Rex vaſſallorum ſuorum. Perfectio re verâ eſt, ſi quis omnia ſciat. Ideò Reges habent Præfectos & Gubernatores, cùm non poſſint ubique eſſe præſentes, nec omnia ſcire niſi hoc modo. Omnis perfectio debet eſſe in Deo, curâ debet Deus agere creaturarum ſuarum, & nihil tam dignum, nec tam proprium Deo cogitare poſſumus, quàm ipſius providentiam, nec enim poſſumus eum Creatorem concipere, quin adoremus illum Gubernatorem, nec illum fateri Authorem omnium, quin aſſeramus eum eorundem curam ſuſcipere. Ubi obſervandum eſt vobis, ſi placet, in Divina Providentia, quæ juxta Theologos *eſt ratio ordinandorum ad finem*, cognitio mediorum neceſſariorum ad attingendum finem, conſideranda eſſe tria, nimirum cognitionem, diſpoſitionem, & directionem. Cognitio videt & conſiderat omnia. Diſpoſitio ordinat unionem partium. Directio intuetur res quæ ſunt, & ſpectant finem, tam ut

ab

ab eo avertat obſtacula, quàm ut ipſius progreſſum promoveat. Deus perfectiſſimam rerum omnium habet cognitionem, ſicut & diſpoſitionem totius orbis, qui benè ordinatus eſt in omnibus ſuis partibus, in ipſo eſt continua directio, & ſine hac directione magnum illud totum reverteretur in nihilum, & ad primum ſuum non eſſe. Quis igitur hanc negabit veritatem, dicens, providentiam non eſſe in Deo? Ut autem meliùs ſtabiliatur,

d Heb. 4. 13.
e Baruch 3. 25.
f Pſ. 118. 68.
g Sap. 11. 25.

Prætereo ſcientiam Dei *d*, quæ eſt infinita *e*, quâ videt in ſe omnia diſtinctiſſimè. Venio ad bonitatem *f* ipſius, quæ efficit ut diligat ipſe *omnia quæ ſunt* g; ut amet omnes creaturas, quas tamen nullâ illatâ vi affectibus aut propenſionibus ipſarum, gubernat & dirigit ad finem, quem ſibi ipſe propoſuit; illuminat cum Sole, influit cum aſtris, comburit cum igne, pluvias facit cum nivibus, uniones cum conchis & rore cœli; nec agit ſicut faciunt ſtruthiocameli deſerentes ova ſua præ negligentia, nec ullam eorum curam ſuſcipientes; neque metuit ut ſibi fiant opprobria, quibus invehitur ipſemet in populum ſuum, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto* h. Magnam præ ſe fert creaturarum ſuarum ſolicitudinem, illarum nunquam obliviſcitur *i*, illas diligit ac cuſtodit *quaſi pupillam oculi ſui* k. Et alit ac defert eas ut altor amabilis, *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis* l.

h Thren. 4. 3
i Iſa. 49 15.
k Deut. 32. 10.
l Oſee 11 3.

Rebus omnibus univerſim providet, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* m. Et perſeverabit uſque ad finem, ſicut incepit ab ipſis mundi naſcentis incunabulis, ab Oriente uſque ad Occidentem, & a Septentrione uſque ad Meridiem, *à fine uſque uſque ad finem*, à creatura nobiliſſima uſque ad viliſſimam & maximè deſpectam quæ ſit in terra, huic curæ ſic adhærens, ac ſi ipſi nihil aliud eſſet agendum, ut exclamat, talem admiratus curam S. Auguſtinus n, *O tu Domine omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, ſic omnes tanquam ſingulos.* Si autem excluderetur aliquid è curâ providentiæ ipſius, id ſanè foret quod eſt in mundo viliſſimum & maximè deſpectum, ut paſſeres, qui viliſſimi venduntur, *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt; & unus ex illis non cadet in terram ſine Patre veſtro* o? Quid igitur dicendum de creaturis nobilioribus & perfectioribus? Argumentamini, ſi placet, à minori ad majus, & ex his antecedentibus neceſſarias eruite conſequentias, & propoſito noſtro maximè accommodas.

m Sap. 8. 1.
n S. Aug. l. 3. Confeſſ. c. 11.
o Matth. 10. 26.

Intuemini Moyſen puerulum vimineis junceiſque cunabulis incluſum, ac Nili undis expoſitum ut victimam innocuam traditam inclementiæ elementi hujus implacabilis *p*; inde illum eripit divina Providentia, ut eum conſtituat *Deum Pharaonis* q, & miraculorum ac prodigiorum opificem. Tantam miratur Daniel Providentiam, quæ ipſi neceſſaria providit in tanta conſtituto neceſſitate, ſine ulla futuri auxilij apparentia, concluſo in lacu *leonum* r, quorum dentibus videbatur conterendus, miniſterio Prophetæ Habacuc, & veluti extra ſe raptus cœpit exclamare, *Recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te.* Ob hanc etiam rationem præcepit Deus ut portaret ſummus Sacerdos *nomina filiorum Iſrael in rationali judicij ſuper pectus ſuum* s. Quare hoc? Niſi ut pro certo haberemus, Deum, cujus locum tenet Sacerdos in terra, ita meminiſſe uniuſcujuſque noſtri, ut nunquam obliviſcatur noſtrûm, cùm nomina noſtra ſcripta deferat præ ſuo pectore. Sic tener eſt amor, quo proſequitur ipſe nos, ut ſe gerat ipſe non ſecus ac bona mater, quæ filium ſuum in utero ſuo geſtat concluſum, ita ut dicat, *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te* t.

p Exo. 2. 3.
q Exo. 7. 1. &c.
r Dan. 14 30. &c.
s Exo. 28 29.
t Iſa. 49 15. & 16

Corvos habet Elias proviſores, cùm declinat ab ira impiæ Reginæ Jezabelis, & Deus providet illi aquam calidiſſimâ & ſicciſſimâ tempeſtate *u*. Premente neceſſitate rupes inſenſibiles obediunt voci Moyſis Dei vices agentis, & aquam è viſceribus ſuis fundunt *x*. Pluit Deus populo ſuo manna in deſerto præ illa prohibitione, ne quis plus ex illo colligeret, quàm poſſet diebus ſingulis comedere *y*. Sed cur Deus has vetabat proviſiones in futurum? Ut inde ſuæ notas exhiberet providentiæ, ſeque illis proviſurum eſſe quæcumque illis futura eſſent neceſſaria monſtraret: quod Pſalmographus *z* ſatis manifeſtè aperit, cùm ait, *Domine ante te omne deſiderium meum.* Nihil deficiet unquam, nec unquam falletur Deus in ijs, de quibus diſponit providentiâ ſuâ, ut concinit Eccleſia, *Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur.* Mementote multiplicationis olei factæ ab Eliſeo *a*, quæ nihil eſt aliud, quam effectus hujus divinæ Providentiæ. Tandem examinate omnia ſecula, revocate præterita, conſiderate præſentia, omnes ſtatus & conditiones, & videbitis eam lucere ut Solem in cœlo; *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno* b. Addite huic immenſæ bonitati juſtitiam *c* inſeparabilem a Deo, quæ ipſum inducit ut conſervet id, quod ipſe creavit. Omnis quippe cauſa ſuum naturaliter amat effectum. Falsò etiam aſſumeret Deus nomen matris *d*, & gallinæ ſolicitæ de pullis ſuis *e*, niſi tantam creaturarum ſuarum curam ſuſciperet. Denique, Potentia *f* ſigillum debet imponere huic operi. Conſideremus eum ut Regem in exercitu, ut Patremfamilias in domo, qui potentiâ ſuâ gubernat id omne, quod creavit. Videte eum in orbe ut Prælatum vigilem in ſua Diœceſi, & veluti induſtrium Naucleum in navi, cujus gubernaculum moderatur.

u 3 Reg. 17. 6.
x Num. 20. 11. & Pſ. 113. 8.
y Exo. 16 13. &c.
z Pſ. 37 10.
a 4. Reg. 4. 6
b Pſ. 144 15.
c Pſ. 118 V. 7.
d Iſa. 49. 15.
e Matth. 23. 37. ex 4. Eſdr. 1 30.
f Pſ. 64. 7

Hujus rei exemplum habemus in Evangelio noſtro, in quo ſuam Deus incarnatus exhibet bonitatem ac providentiam. Videns enim pietatem, quam præ ſe ferebant *viri, numero quaſi quinque millia (excluſis mulieribus & parvulis)* ipſum ſequendo, obſtrictum ſe agnovit ipſis urbanitatis legibus, ut illis pararet convivium; & ſicut Divinæ ſuæ omnipotentiæ certò innixus, nullos afferendos præceperat cibos, quibus alerentur illi; ſatis ipſi fuerunt quinque panes hordeacei, & duo piſciculi à puero quodam ipſi oblati, qui ab ipſo benedicti, ſic fuerunt multiplicati copioſè, ut ijs reficiendis ſatis ſuperque fuerint. Ha! Auditores, quàm bonus eſt Dominus, & gratus. Populus ille ipſum duntaxat ſequitur aſcendentem in montem, allectus ſuavitate & lenocinio ſermonum & colloquiorum ipſius Divinorum; & licèt ſuavitates ipſius hunc populum ſibi nimis & magis quam par eſſet, devinxiſſent, nimiàq; mercede labores illius donaſſent; videndo eum nihilominùs majori ductum affectu & amore erga ſe, quàm duceretur anteà, cùm omnes curas ſuas, & perſonarum ſolicitudines ſuarum, Divinæ ipſius commiſiſſet providentiæ, cumulaturus eum Dei

Filius

Filius oblectamento perfecto, voluit illi exhibere ſimul potentiam ſuam, ſapientiam ſuam, ac bonitatem ſuam actione unicâ. Potentiam, quinque panes multiplicans ad reficienda hominum quinque millia. Sapientiam, ordinans ſingulos juxta ipſorum qualitatem, & adhibens ſuos Apoſtolos ut diſtributores hujus panis miraculoſi. Et Bonitatem, cùm expectaſſet donec omnes & ſinguli poſt ipſum aſcendiſſent in montem, præbens illis non ſolum cibum neceſſarium, ſed præterea providens illis modum, quo eum pœnis ac laboribus ſuis mererentur, ac deſiderio, quo ferebantur, ſumendi ejuſdem è Divinis ipſius manibus, *O quam ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito, eſurientes reples bonis* g!

g Eccleſia ex Sap. 12. 1. & ex 16. 20. & ex Luc. 1. 53.

Sed quàm foret res exigua, Auditores, hæc refectio corporalis, niſi nobis magnum aliquod ſignificaret myſterium. Illa ſiquidem tandem nihil erat præter panem, & alimentum hujus panis ſoli corpori reficiendo inſerviebat. Sed quod majori dignum eſt conſideratione, eſt, quòd Deus iſte maximus *h*, qui eſt Pater & Altor animarum noſtrarum, habens rationem perſeverantiæ noſtræ in exercitio bonorum operum & laboris, quem haurimus in aſcendendo hoc arduo virtutis monte, proponit ſibi oppiparè cibare nos ſuper ſpecioſa planitie, quæ eſt in vertice montis, putà in cœlo Empyreo, ubi jam illi, qui illuc pervenerunt, menſæ ipſius aſſident, & reficiuntur abundantiſſimè cibis infinitè ſuavibus & miraculosè ſolidis, & æternùm nutrientibus, cibis verò continentibus quinque panes, & duos piſciculos à puero ſubminiſtratos, & ipsâ Dei manu benedictos.

h Pſ. 47. 2.

Hi quinque panes nihil aliud ſunt præter quinque vulnera Chriſti *i*, quibus prædeſtinati reficiuntur & ſatiantur in cœlo ſurſum, præ communicatione meritorum ex ijs procedentium, quæ ita multiplicata ſunt, ut ipſa abundè imò verò ſuperfluè omnibus ſuffecerint, ſicut è quinque panibus ſuperfuerunt duodecim cophini fragmentis pleni. Hæc enim merita cùm ſint infinita, non poſſunt exhauriri à Beatis & Sanctis, qui numero ſunt finiti & limitati, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio* k. Hi duo piſces repræſentant mihi duplicem beatitudiné, quâ fruentur Beati in cœlo, beatitudinem animæ, & felicitatem corporis. Prima fundatur in viſione Divinitatis Salvatoris mei. Secunda verò in viſione Humanitatis ipſius *l*. Has duas beatitudines comparo piſcibus: ſicut enim piſces aluntur in abyſſis maris, ſic Humanitas & Divinitas Chriſti ita profundis immerguntur abyſſis infinitæ perfectionis, ut ad acquirendam earum fruitionem debeant illi piſces ſubminiſtrari à puerulo, qui non eſt alius niſi Deus incarnatus, *Parvulus natus eſt nobis* m. Qui tenet præ manibus ſuis hos duos piſces (ſeu hæc duo objecta beatitudinis noſtræ) ita conditos, ut congrui ſint ut nutriant æternùm Beatos; & ſuſceptâ benedictione à Patre æterno, qui eos ſumit è manu hujus parvuli, illos acceptat idem Pater æternus, & vult ut communicentur omnibus, & abundè ſufficiant univerſis. Quinque verò hi panes & hi duo piſces diſtributi fuerunt populo manibus Apoſtolorum; ſic videmus Filium Dei illis pollicitum eſſe ſeipſis commiſſurum poteſtatem diſtribuendorum omnium meritorum ſuorum omnibus Beatis, cùm propoſuerit ſibi ipſos aſſumere ſocios ac aſſeſſores extremo judicij die, & in diſtributione generali, quæ deliciarum fiet æternarum, *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël* n. Ha! quis intereſſe poterit huic convivio ita ſplendido & magnifico? Quis dignus erit ut annumeretur cum his Beatis aſſidentibus menſæ Dei? Quis ita potens, ut emere poſſit fragmentum hujus panis ſuaviſſimi à Divina Providentia præſtiti, qui vitam præbet ſempiternam?

i Jo. 6. 18. & 34.

k Pſ. 126. 7.

l Jo. 17. 3.

m Iſa. 9. 6

n Matth. 19. 28.

II. Pars.

Vultiſne ſcire, Auditores, quiſnam poſſit fragmentum illius ſibi cōparare? Ha! nihil aliud requiritur niſi ut quis eſuriat, & præ ſe ferat deſiderium comedendi, integrè confidens Divinam hanc Providentiam ſibi futuram propitiam. Populus iſte nec ullum quidem verbum promit, multò minùs crumenam evacuat, & nullo modo de prandio ſolicitus eſt, ſed duntaxat, poſtquàm animosè in verticem montis, licèt non ſine multo labore & ſudore aſcendit, os ſuum aperit præ magna fiducia (ſicut aperiunt pulli corvorum, ut oſtendant Patri ſuo ac Altori ſe eſurire) pro certo habens, eum, *qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum* o, curam ſui ipſius alendi eſſe ſuſcepturum, juxta promiſſum datum ijs, qui Divinæ ipſius eſſent innixuri Providentiæ, *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet* p. Aperuerunt duntaxat os ſuum multi illi homines, & ſtatim habuerunt illud plenum cibo miraculoſo, *Dilata os tuum, & implebo illud* q. Magnus enim ille Altor, qui ipſos per vias pravas ac aſperas duxerat, non ignorabat ipſos poſt itinerationem ita moleſtam ac importunam cibis æquè ac quiete eſſe reficiendos. Idem dicere poſſumus de animabus beatis, quæ cùm pervenerint ad cœlum, nullo alio indigent proviſore aut obſonatore, niſi illo, qui ipſas deduxerat in viam arduam & difficilem virtutis, ſtatim enim ac illuc pervenerunt, etiamſi nihil aliud agant, niſi tantùm ut os ſuum aperiant, & declarent ſe eſurire, & præ ſe ferant deſiderium oris ſui applicandi uberibus ambobus Divinitatis & Humanitatis Salvatoris ſui, præ clara viſione, cui videbatur Salomon alludere, cùm dicebat, *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua vino: fragrantia unguentis optimis* r, ſtatim reficiuntur ipſæ cœleſti iſto liquore, & feliciſſimè confortantur hoc pane miraculoſo & cœleſti. Sanctus Philippus non debet igitur ampliùs dicere, ut dicebat aliàs, *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat*. Non enim argento aut auro corruptibilibus emitur iſte panis; ſufficit autem eum eſurire, illumque petere præ fiducia. Neque ſanctus Andreas allegare, eſſe *quinque panes hordeaceos, & duos piſces*, & ſubjungere, *Sed hæc quid ſunt inter tantos?* Nam hi quinque panes, & iſti duo piſces, qui ſunt quinque vulnera, & duæ naturæ Chriſti, cùm Patri æterno offerantur à Salvatore, qui eſt puerulus iſte, & acceptentur & benedicantur ab ipſo, communicari poſſunt infinitis Sanctorum millibus, & etiam ex eis ſuperfutura ſunt fragmenta.

o Pſ. 146. 9.

p Pſ. 54. 23.

q Pſ. 80. 11.

r Cant. 1. 1. & 2.

Hæc providentia totius eſt orbis gubernaculum; pharus mille inſignita lampadibus, quæ largiſſimè hoc mare, quod enavigamus, illuminat. Hanc intueri debemus ut columnam *s* ardentem in deſerto hujus vitæ; aut veluti noſtram

s Exo. 13. 21. & 22

Tomus I.

t Num. 24.17. ſtram ſtellam polarem, ſeu Stellam *ex Iacob* t, nec ab ea oculos noſtros ullatenus amovere. Ipſa eſt fiducia noſtra, fulcrum noſtrum, con-
u Pſ. 93 19. ſolatio u noſtra. Ipſa noſtros refrigerat ardo-
x Eccli. 35.18. & 19. res, noſtras abſtergit lacrymas x, noſtra in-
fringit *vincula* †, & tædia noſtra diſſipat. Si ja-
† Pſ. 115 8. cemus in tenebris, ipſa, eſt lux, *Et lux in tenebris lucet* y. Si inquieti ſumus, ipſa erit conſilium z
y Jo. 1.5. noſtrum. Si naufragamur, ipſa erit portus *. Si
z Prov. 8 10. morti vicini ſumus, ipſa erit *vita* a. Ipſius eſt no-
* Pſ. 45.2 ſtri curam agere, & ſi ipſi confidamus, jactu-
a Jo. 14.6 ras noſtras ipſa reparabit; ipſa eſt omnipotens ut id agat; & bonitate plena, nedum nobis tale deneget auxilium.

Fiducia, quâ Divinæ innitimur Providentiæ, extollit magnitudinem Dei, & quò major ipſa eſt, eò majorem Deo honorem ac gloriam conciliamus; illum enim obſtringimus ad ſuccurrendum nobis, & nobis ille ſuum pollicetur auxilium, cùm ipſius gloriam manifeſtare contendimus, *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clama-*
b Iſa. 58 9. *bis, & dicet: Ecce adſum* b. Ipſum ſanè eſt offendere ac aliter agere, ac non confidere ipſius Divinæ bonitati. Si verò differt ipſe aliquando, nec ſtatim nos exaudit, id agit ut meliùs probet nos. Idcircò ait hodiemâ die S. Philippo, *Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans*, id eſt, probans *eum; ipſe enim ſciebat quid eſſet fa-*
c Rom. 4. 11. *cturus*: ut dicitur de magno *credentium* c patre,
d Gen. 22 1. *Tentavit Deus Abraham* d. Sic eſt, Auditores, Chriſtus ita alloquens S. *Philippum*, *hoc dicebat tentans eum.* Omnia ſciebat, nihil ignorabat, & videbat quidquid erat eventurum, & quidquid eſſet agendum, quo populo huic ſuccurrendum eſſet indigenti ac eſurienti.

Sed Deus nos tentat, cùm permittit nos aliquâ percelli tentatione, nonnullâ concuti adverſitate. Tentat Deus hunc mendicum ante fores divitis petentem panem, quo extremæ ſuæ neceſſitati faciat ſatis, ne fame pereat. Tentat Deus ſuperbum hunc adoleſcentem, cùm permittit ipſum aliquo verbo ſeveriori & acriori excipi, in illum invehi, eique ſalutationem urbanam denegari. Tentat Deus hanc mulierem, cùm adhibitis omnibus curis ac induſtrijs ſuis, vir ipſius tamen diſſolutioni indulget, & in egeſtatem redigitur, ac domum rediens, omnia replet clamoribus, ipſi minatur, & perſæpè ipſam percutit. Tentat ipſam Deus, cùm ſolicitatur ipſa ad malum, exhibitis ipſi promiſſis innumeris, totidemque muneribus (ſicut ſolicitata fuit alias Su-
e Dan. 13 20. ſanna e) ſed ipſa non debet animum deſpondere, nec deſiſtere confidere Domino, *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Debet ipſa recurrere ad eum, qui ipſam tentat, ut recurrit S. Philippus; non autem ſe gerere more impiorum, qui ſtatim in deſperationem incidunt, & ipſi cedunt tentationi. Puella iſta ad malum incitata, pudorem ſuum proſtituet, ut vanitati inſerviat, ac luxui ſatisfaciat. Hic adoleſcens indigebit pecuniâ, quam voluptati & diſſolutioni ſectandis impendat, & ſtatim furabitur, ut pecuniam ſibi comparet aut per fas, aut per nefas; ſicut & iſte arti-
f Exod. 20.10. fex, qui vel ipſis diebus feſtis illicitis f laborare non verebitur. Ha! ne miremini, Auditores, ſi deſerat vos Deus, non eſt id remedium malo veſtro ſanando proficuum; ſed potiùs eſt fiducia in
g Pſ. 2.11 Deo collocanda. Nec accuſetis infortunium ve-
h Jo. 16 33. ſtrum, allegantes vigilias veſtras, ac veſtros labores: *Servite* g Deo, *confidite* h illi, ſequimini eum more iſtius multitudinis in via obſervantiæ Divinorum ipſius mandatorum, & ſperate illum multiplicaturum eſſe panem veſtrum, & neceſſitatibus veſtris eſſe proviſurum requiſita. Agite quod erit in vobis, & Deus veſtri non obliviſcetur, multiplicabit exiguum, & priùs miracula acturus eſt, quam vos egere patiatur.

Non minùs potens eſt Deus, quàm fuerit Elias i & Eliſeus k multiplicantes oleum, ope- i 3. Reg. 17.14.
rantes ſolâ Virtute Divinâ. Quot mirabilia hu- k 4. Reg. 4.6
jus Divinæ Providentiæ! *Non vidi Juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*, ait David l. l Pſ. 36. 25.
Nunquid patietur Deus vos egere occaſione iſtius? Nequaquam. *Dimitte turbas* m, ajunt m Matt. 14.15.
Chriſto Apoſtoli, cùm non viderentur ipſis poſſe tot homines ſatiari, *Sed quid hæc ſunt inter tantos?* At Salvator eis reſpondet, *Facite homines diſcumbere.* Manifeſtetur Providentia mea, radiiſque ipſius caliginem offundant oculis eorum, qui ipſi diffidunt, & pudore operiant animas impiorum illorum, qui veritatem negant ab omnibus agnitam. Deus benedicit hoc exiguum, quod præ miraculo multiplicatur, ita ut ſatis ſit omnibus, imò verò ex eo ſuperſunt duodecim cophini, *Collegite quæ ſuperaverunt fragmenta.* Puer iſte eſt qui habet hos panes, & iſtos piſces, non autem aliquis ex Apoſtolis, ut diſcamus, quàm parvi Deus æſtimet temporalia, cùm ea pueris deſerat. Sed cùm de ſpiritualibus agitur, requiruntur homines ætatis perfectæ, inter alios verò S. Petrus n. Unuſ- n Matth. 16.18. & 19.
quiſque idoneus eſt ut bona adminiſtret temporalia, ſed ſi de ſpiritualibus eſt ſermo, eligit Deus viros, eoſque exigit virtute præditos ac ſapientiâ.

Nonne igitur magna inſania eſt ea, quâ quis Divinam negat Providentiam? *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* o. Soli inſenſati eam negant. o Pſ. 13.1
Infelix quid ages, niſi recurras ad hanc Providentiam? Nonne vides quomodo natura te ad illam credendam inducat, cùm in inopinatis vitæ eventibus auxilium à Deo ſibi poſtulet impendendum, eumque ut aſylum intueatur? *Colligite fragmenta ne pereant.* Diſcite ad illum ſolum debere vos recurrere, non verò ad homines, nec ijs confidere. Unicus eſt Deus fidelis vobis proviſor, mundus irridebit vos in neceſſitate conſtitutos; homines veſtri obliviſcentur; omnes terga vertent vobis adverſam fortunam experientibus; & veluti Scribæ & Phariſæi, ut vos in deſperationem adducant, dicent vobis, ut dicebant illi
Judæi, *Quid ad nos? tu videris* p. Tunc deprehen- p Matth. 27.4.
detis vos deceptos, & tunc experiemini verum q Jer. 17. 5.
eſſe verbum Prophetæ q, *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Ha! Auditores, mundus ſeductor eſt, mundus nullam rem præbere nobis poteſt, & tamen mundum *fugientem ſequimur, labenti inhæ-* r S. Greg. hom. 28 in Evāg.
remus, ait S. Gregorius r. Mundus nos oſculatur, ut nos prodat; & nobis blanditur, ut ruinam noſtram machinetur, *Quemcumque oſculatus fuero;* s Matth. 26.48.
ipſe eſt, tenete eum s.

Mundus eſt veluti alter Laban, qui decipit homines ut Jacobos t innocuos. In hoc autem ma- t Gen. 29 23.
nifeſta eſt Divina Providentia; illo quippe modo vult Deus nos ab ejus affectu diſtrahere. *Ecce amarus eſt mundus, & ſic amatur. Quid faceremus ſi*
dulcis eſſet, exclamat S. Auguſtinus u. Mortales, u S. Aug. l. 4. de Symbol. ad Catechum. c. 2
infelices Jacobi, deſerite hunc perfidum & proditorem Laban, qui ruinam & jacturam veſtram moliſtur omnimodam: Mundus pauper eſt, nul-

lam

lam rem habet quam largiatur, omnes divitiæ attinent ad Deum, illarum eſt ipſe Dominus ac poſſeſſor, illas diſtribuit cui vult: Chriſtus homines ſatiat, ſuarum curam ſuſcipit ipſe creaturarum, nec ſinit ut quiſquam patiatur occaſione ſui. Evangelium hodiernum huic veritati lucem affert: Deus nemini unquam defuit. Veſtrorum ætates legite patrum, avorum, & proavorum, percurrite omnia ſecula, examinate omnes conditiones, *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi* x; referent vobis, ſe nunquam deceptos fuiſſe in ſpe ſua; *In te ſperaverunt patres noſtri: ſperaverunt, & non ſunt confuſi* y. Idem agere debemus tempore futuro, *In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum* z.

x Deut. 32.9. y Pſ. 21.5 & 6. z Pſ. 30.2

Heu! quis foret infidelis poſt teſtimonia tot ſic infallibilia? quis ignarus poſt tot probationes? quis cæcus poſt tot lumina? quis dubitaret ampliùs poſt tot certitudines nobis exhibitas hujus amoris paterni erga nos? Ipſe quidem nihili eſt oblitus eorum, quæ nobis erant neceſſaria tam quoad vitam animæ, quàm quoad vitam corporis. Præbuit nobis tot Sacramenta, & primum omnium, nimirum Euchariſtiam, in qua nos propriâ ſatiat carne ſuâ, quam nobis tribuit in cibum a. Heu! quis futurus eſt in poſterum ſic temerarius ut dubitet de ejus affectu, curâ, & providentia? Poſt ſuſcepta ea omnia, Sanguis Filij ipſius nobis erat neceſſarius ad dealbandas b animas noſtras, illum nobis tribuit, illum ſacrificavit pro nobis, & ex eo lavacrum nobis fecit. Salvator eſt Medicus & medicina animabus noſtris ægris, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* c. Quis in poſterum dubitabit, ne nobis minora non provideat, quæ ipſi minori conſtant pretio? *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit* d? Quonam pacto poſt hæc poſſet nobis aliquid recuſare Deus, exhibito nobis tam ſingulari munere, & tantis affectus ſui pignoribus nobis datis? Spes veſtras in Deo collocate totas, Auditores, innitimini Divinæ ipſius providentiæ, confidite paternæ ipſius bonitati, & verbum meum ego vobis aſtringo, nunquam illum vobis eſſe defuturum, ſed è contrà proviſurum eſſe vobis omnia media neceſſaria & conſentanea, quibus feliciter hanc caducam tranſigatis vitam, & quorum interventu ad vitam æternam à paſſionibus omnibus atque tolerantijs immunem e perveniatis.

a Jo. 6.51 b Apoc. 7 14. c Rom. 8 31. & 32 d Ibid. e Pſ. 90 10.

FERIA II. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan. 2.15. &c.

SI mirabamur heſternâ die, videntes Filium Dei tantâ ſuavitate & lenocinijs tantis ornatum, ut quinque hominum millia ſequerentur a ipſum per deſerta & loca ſolitaria, nullos ſecum cibos, quibus alerentur in via, deferentes; majorem nanciſcimur hodiernâ die anſam mirandi, intuentes eundem Dei Filium ita amaro animo (ſicut videtur exteriùs) ut magnus hominum numerus ipſius fugiat præſentiam, ut multi mercatores ſuas deferant merces, ut à præſentia ipſius irati declinent. Et ſi heri admirabamur fidem illorum, qui crediderunt ſibi nihil defuturum eſſe in conſortio Filij Dei; magis admirari debemus hodie imaginationem iſtorum, qui ſibi perſuadent, ſeu potiùs imaginantur ſe ditiores futuros eſſe ſine pecunia, diſcedentes à Chriſto, & à templo, quàm ſi permanerent in ipſius conſortio, denarios telonij ſui poſſidentes. Et ſi heri admiratione percellebamur præ affectu ita inſigni Bonitatis & Miſericordiæ Divinæ multiplicantis & diſtribuentis quinque *panes* quinque millibus hominum; majori debemus ſtupore concuti hodie præ tanto prodigio ſeveritatis & juſtitiæ ejuſdem Dei Filij punientis aliquot mercatores, quos habet obvios in templo, qui aliquam ibi exercentes negotiationem, pecuniam ad fœnus tradentes, *vendentes boves, & oves, & columbas*, & alia hujuſmodi ſacrificijs accommoda peragendis, ignominioſè vapulaverunt, & exulaverunt ab ipſo ex eodem templo, ſubverſis pariter ipſorum menſis ac mercibus. Sed ſi Propheta b dixit, *Vniverſa via Domini miſericordia & veritas*; congruum eſt ut utraque ſuo fungatur officio tempeſtate conſonâ; & cùm laudibus extulerimus heſternâ die priorem, approbemus pariter hodiernâ die poſteriorem, dummodò Spiritus ſanctus, qui præſidet huic templo, nobis propitium ſuum provideat auxilium, interventu Sponſæ ſuæ ſanctiſſimæ, cùm dixerimus ei, *Ave Maria*.

a Jo. 6. 1 &c. b Pſ. 24 10.

Iniquo ferens Deus animo illorum cæcitatem impiorum, qui non probè de ipſius ſentiunt operibus, ait eis per Prophetam c ſuum, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quæ maledictio jure merito vibrata eſt in omnes illos, qui non benè intelligunt, nec agnoſcere volunt benedictiones Dei, nec obligationes ſuas ad exercenda opera bona, quæ à nobis ipſe exigit. Quinam poſſunt eſſe ij, Auditores? & quomodo ſic turpiter hallucinati ſunt, ut in hoc indignationis verbum incurrerint? Verùm enim verò ſi præcipuæ duæ potentiæ, quæ inveniuntur in homine, ſunt intellectus & voluntas, propriæque ambarum functiones ſunt cognitio & amor, objectum verò cognitionis eſt veritas, & objectum amoris eſt bonitas, inferre poſſumus legitimâ conſequentiâ, bonum illius hominis in eo ſitum eſſe ut cognoſcat veritatem, & amet bonitatem; & è contra infortunium iſtius hominis in eo conſiſtere, ut intellectum habeat obſcuratum, & voluntatem depravatam. Illi igitur, qui ſumunt verum pro falſo, & lucem pro tenebris, ſe reputare debent in numero infelicium prioris capitis, illi verò, qui uſurpant dulce pro amaro, & amarum pro dulci, ſe debent etiam collocare in cathegoria, & in ordine infortunatorum poſterioris conditionis, eò quòd corruptum habeat appetitum, & depravatam voluntatem.

c Iſa. 5. 20.

Diverſæ ſunt veritates æquè ac bonitates, quibus applicare poſſem hæc verba. Sed ſufficiet mihi modò, ut oſtendam vobis in priori parte hujus diſcurſûs, infelices eſſe illos, qui imaginantur, Deo potiùs ſatisfieri ſacrificijs animalium, quam oblationibus cordium noſtrorum, & libentiùs illum ſuſcipere oblata provenientia ex negotiatione mercatorum, quàm orationes procedentes ex anima pœnitentis humiliter contriti, occaſio-

Diviſio.

ne illorum, qui in templo ipſius vendebant, & emebant animalia, & ſacrificaturis pecuniam ad uſuram tradebant. In poſteriori verò repræſentabo vobis, quomodo iidem homines inſolitam inveniant punitionem, quià ab eo excipiuntur; ſeque injuriâ affectos exiſtimantes, dum flagello *de funiculis* compacto vapulant ab illo, & ignominioſè exulant à templo, ſunt tamen feliciſſimi, ſicut & omnes illi, qui puniuntur in hoc mundo ob peccata ſua, malèque judicent, vocantes tolerantiam Dei dulcem, & punitionem ejus amaram.

I. Pars. Scio Deum voluiſſe omni tempore ut ſibi præſentarentur ſacrificia & oblationes, cùm omni tempeſtate habuerit eundem ordinem, & eandem authoritatem in homines, quam hodie poſſidet, & quæ reſpicit ſpiritualia æquè ac temporalia, quæque agnoſcitur ab hominibus omnibus ſolâ ratione naturali *d*, quæ nobis clarè oſtendit, quòd ſicut ipſe eſt, è quo dependent omnes creaturæ in productione *e* & nativitate ſua, homo, propter quem illæ factæ ſunt, earundem obſequium ſupremo huic architecto debet impendere, eumque ſe agnoſcere talem, qualis ipſe eſt, non ſolùm præ devotione interiori, ſed etiam probationibus ſenſibilibus ſupremo ipſius dominio exhibere. Non poteſt autem meliùs ei perhibere hæc teſtimonia, quàm offerens ei res præcipuas, quæ primò ſunt deſtinatæ ad conſervationem hominis, quales ſunt fructus, animalia, imò verò ipſa pecunia, quæ eſt ſemen omnium fructuum; quin etiam obſtrictus videtur ut vitam ſuam det, niſi Deus mandato ſpeciali ipſi præcepiſſet eam conſervare *f*, quantùm in ipſo erit, ut eam honori & obſequio ipſius mancipet; oportet ſaltem ut ad gratiarum actionem ei impendendam, ſacrificet illi vitam animalium loco vitæ propriæ, & ſic authoramentum ineat lege clientelarum tanquam vaſſallus dependens à Deo, cui debet ipſe vitam ac ſanguinem.

d Pſ. 4. 7

e Gen. 1. 1. &c.

f Exo. 10 13.

Talis fuit uſus in Lege naturæ ab Abel *g*, qui primus ſacrificavit, uſque ad Aaron *h*, qui incepit Legem ſcriptam. Imò verò inter Gentes videtur Paganiſmus præcipuè fundatus in obſequijs, quæ Ethnici exhibebant Dijs ſuis (quos imaginabantur eſſe authores bonorum, quibus homines fruebantur) oblationibus & ſacrificijs, quæ præſentabat eis unuſquiſque ad placitum. Ita eſt naturalis hæc inclinatio, quâ quis obſequium exhibet ei, quem ut ſuum Dominum ſupremum agnoſcit. His ſacrificijs tota erat repleta Lex *i* Moyſis. Non eſt igitur novum, nec indecens, nec inutile hominibus obſequium, quo offerant Deo ſacrificia, & oblationes ei præſentent. Sed dico, quòd licèt ea Deus inſtituiſſet, tamen finis ipſius præcipuus ſemper fuit is, ut agnoſceretur ipſe ſupremus Dominus interiùs potiùs, quàm rebus illis externis, & ut potiùs ipſi offerretur cor & affectus, quàm ut exhiberetur ſibi talis affectus occiſione animalium, ita ut prius multum valeat ſine poſteriori, ſed poſterius nihili ducatur ſine priori, ut teſtatur Salvator flagello ejiciens *de templo* hos mercatores, dicens eis, domum ſuam eſſe domum *orationis* †, & non commercij, *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

g Gen. 4 4.

h Exo. 28 1. &c.

i Lev. c. 1. & ſeqq.

† Matth. 21. 13. ex Deut. 14 25.

Scio equidem Noë ædificaſſe altare Deo, *Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis* k. Deumque gratum habuiſſe hoc ſacrificium Noë, veloti odorem jucundum; quod ferè idem eſt ac illud, quod dicitur, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* l. Sed hoc non concludit ſacrificia animalium ſuper altaribus combuſtorum ſenſibili poſſe voluptate Deum afficere, ideòque præferendas eſſe oblationes corporeas ſpiritualibus; nam in Hebræo, loco, *odorem ſuavitatis*, dicitur, *odorem quietis*, ut ſignificetur nobis, quòd oblationes, quæ ipſi præſentabantur, mitigaverunt indignationem ipſius quæ commota fuerat peccatis hominum perpetratis *m* ante diluvium generale, ut ait Cornelius *n*, *Hoc ſacrificium Deum generi humano iratum placavit & tranquillavit.* Ad differentiam autem odorum ſenſibilium vocatur hic odor quietis, omnes enim odores quantùmvis ſuaves, diuturnitate temporis faſtidium & inquietudinem afferunt; Sed ſacrificia, quæ Deo offeruntur præ ſacro & ferventi affectu, ſive ad agnoſcendam magnitudinem ipſius, ſive ad expianda peccata illorum, qui ea præſentant, perpetuam ipſi afferunt jucunditatem ab omni faſtidio immunem, potiùs ob voluntatem offerentis, quàm propter qualitatem oblationis, quæ cùm ſit corporea, non poteſt agere erga Deum, qui eſt purus Spiritus, *Spiritus eſt Deus* o. Et licèt poſſet illa hoc agere, odor tamen ollarum & cacaborum non eſt ita gratus, ut vocare debeamus eum, *odorem ſuavitatis.* Ecce quæ ait Tertullianus *p*, *Si Deus ad Abel advertit, & holocauſta Noë odoratus eſt libenter: qua jucunditas ſive viſcerum vervecinorum, ſive nidoris ardentium victimarum? Sed animus ſimplex, & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & ſuaveolentia gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, ſed illud propter quod fiebant, ob honorem Dei.*

k Gen. 8 20.

l Gen. 4 4.

m Gen. 6 3.

n Cornel. in Gen. 8 20.

o Jo. 4. 24

p Tert. l. 2. adverſ. Marcion. c. 22.

Quis verò nunquam vidit ſupremum Principem delectari muneribus exquiſitis à vaſſallis ſuis ſibi exhibitis, ac ſi vellet augere fortunam ſuam donis ſibi oblatis ab ijs, qui ab ipſo pendent? Nequaquam id attendit Princeps, ſed potiùs bonam voluntatem, quæ eſt origo totius meriti, quæque meliùs poteſt devincire ſibi cor Principis, quàm magnus obſtringeret theſaurus, ſi præ intentione minùs purâ ipſi offerretur. Unde fit ut referatur Artaxerxes Perſarum Rex oculo ſemper grato ac propitio ſuſcepiſſe leviuſcula munera quælibet ſibi oblata. *Huic cùm pauper quidam malum ingentis magnitudinis obtuliſſet, jucundè ſuſcepit. Per Solem (inquiens) hic is mihi videtur, quem urbem quoque ex parva magnam reddere poſſe exiſtimem*, ut ait Calepinus *q*. Non eſt talis Natura Divina ut oblatis ducatur muneribus, quaſi verò foret ipſe Deus importunus fœnerator, graviſſimum quippe eſſet ſi idem Deus potiùs ſuos injiceret oculos ſuper hominum ſacrificia, quàm ad ipſorum animam: Sed cùm ad munera non attendat, ideò & ſacrificia exteriora duntaxat exigui exiſtimat.

q Calep. in Dictio. V. Artaxerx.

Quod eſt velut idem, quod ajebat David *r*, dans Deo electionem eorum, quæ ipſi futura eſſent gratiſſima, aut ſacrificiorum & holocauſtorum animalium, aut contritionis & humilitatis cordis ſui, *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Meum non eſt, Domine, determinare, quid offerre tibi debeam, cùm omne, quod habeo, acceperim à bonitate tua, tenearque te agnoſcere ut authorem omnium bonorum *s* meorum: agitur modò ut

r Pſ. 50 17. & 18.

s Jacob. 1 17.

ut ſciam, utrum majori tibi futurum ſit oblectamento; ſi enim victimis & holocauſtis delecteris, tot tibi offeram, quot tibi placuerit: ſi verò agatur de meipſo offerendo ſuper altari, ibique conſumendo, me ita libenter huc modo offeram ac animalia ipſa præſentarem; ſed novi, te libenter non ſuſcipere ſanguinem taurorum; aliudve quodlibet, niſi ea ex interiori procedant cordis devotione. Melius igitur & congruentiùs agam, ſi ſacrificem tibi cor meum, & tibi offeram omnes affectus animæ meæ contritæ & humiliatæ. Ha! Auditores, apprimè locutus eſt Propheta, cùm hodiernâ die Dei Filius ejiciat *de templo* ea, quæ parata erant ad oblationes & ſacrificia peragenda, tam ob rationes à David allegatas, quàm ut oſtendatur advenisse tempus, quo ampliùs vigere non deberent ſimilia ſacrificia inſtituta in Lege Moyſis, & oblata etiam in Lege naturæ; quia illa omnia nihil erant niſi umbræ & figuræ hujus auguſti ſacrificii offerendi ſuper

r Joan. 19. 18
altari Crucis r, præ effuſione adorandi Sanguinis Jeſu Chriſti: *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis* *.

* 1. Cor. 10. 11

Re enim verâ ſacrificia Legis veteris inſignes duos habebant defectus. Priorem, quia incapacia erant ut juſtificarent propriâ virtute, ſed duntaxat præ devotione illius, qui ea offerebat, & præ fide, quam habebat in Meſſiam venturum u. Poſteriorem verò, quia cum omni hâc

u Pſ. 83. 10

devotione & fide illa ſacrificia tantam non habebant vim, quantam habent ſacrificia Legis gratiæ. Et ſic ritè ait Propheta, Deum iis non delectandum. Afferet tibi tabellarius literas Pariſiis miſſas; Præbe mihi has literas, dicturus es ſtatim nuntio: Sed tu Domine, reſpondebit ille, ſolve mihi quæ juſta ſunt pro earum vecturâ, & eas illico tibi conſignabo. Præbe eas mihi, obſecro te, dicet tibi ille, & ſi quid verearis, ſtatim ac illas legero, eas tibi reſtituam. Nequaquam id agam, ait tabellarius, nihil enim ex iis mihi cederet emolumenti; ſciu equidem, te nolle literas niſi ut eas legas, ibique addiſcas quæ geſtantur nova in Curiâ Regiâ, poſt quæ ſtatim literas laceratas in ventum projicias, aut igne comburas. Tu qui vis nova diſcere, eas literas educes è manu tabellarii quocumque pretio pro vecturâ ſolvendo; & ſic dici potes velle has literas, & non velle eas. Eas vis quoad ea, quæ in iis ſcripta ſunt; eas non vis quoad ſuperficiem, aut papyrum, in quâ nova exarata ſunt. Sic ſacrificia Legis veteris nihil habebant boni niſi id, quod ab ipſis repræſentabatur, & fidem quæ in iis exercebatur, quibus excluſis ſanguis taurorum, & quæcumque ad ſacrificia offerenda adhibebantur ceremoniæ, ad nihilum poterant proficere. Ait igitur Deo Propheta, *Holocauſtis non delectaberis*. Domine exigis ab hominibus ſacrificia & holocauſta; ſed iis non delectaris; ea exigis propter ea, quæ figurantur & repræſentantur ab illis; ſed in iis tibi non complaces, quia ſcis hunc ſanguinem non eſſe mitigaturum iram tuam,

x Pſ. 50. 8
quin potiùs *aſperges me hyſſopo* x intinctâ Sanguine Filii tui, *& mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Mihi videor jam ſpiritu Prophetico tempeſtatem videre hanc felicem, ideòque exiſtimo omne aliud ſacrificium eſſe ſuperfluum, teque non ampliùs ſacrificiis & holocauſtis eſſe delectandum. Si verò meliùs perſcrutari velimus hoc faſtidium, quo afficitur Deus intuitu ſimilium ſacrificiorum, dicere poſſumus, id evenire habitâ comparatione cum ſacrificiis Legis gratiæ. Licèt enim adorandus Chriſti Crucifixi Sanguis ſuum communicaverit valorem iis, qui fideliter obſervabant omnia præcepta & ceremonias Legis veteris, præ fide & ſpe, quam habebant in ipſum venturum, tamen poſt ipſius adventum multò copioſior fuit hæc communicatio.

Hanc veritatem omni luce ſuâ ornatam intueri poſſumus præ exemplo familiari. Ajunt Philoſophi inter axiomata ſua, quòd *ignis agit in omnem loci poſitionem; plùs tamen juvat directio, quàm approximatio.* Dicunt illi, ignem hoc habere proprium præ cæteris elementis, quòd agat & calefaciat omnia corpora poſita intra ſphæram activitatis ſuæ, nec tamen ea tangat, ſed præ hâc differentiâ, quòd illa, quæ ignis poteſt attingere directione flammarum ſuarum, meliùs & citiùs calefiant, quàm illa quæ ſunt à latere ipſius. Experimini illud, ſi placet, & deprehendetis, vos, ſi applicetis directè candelæ ardenti manum veſtram quatuor digitis ab ejus flammâ diſtantem, eam diu non perlaturos eſſe quin comburamini; ſi verò eandem manum diſtantem duobus tantùm digitis à flammâ, candelæ à latere admoveatis, eam ut ſic tenebitis per horam integram, nec tamen multùm calefietis; ſcopus & centrum ignis eſt ſurſum, & ideò ſurſum tendens, majorem habet vim, quam habeat à lateribus. Sic dicere poſſumus Sanguinem Chriſti operatum fuiſſe *in omnem loci poſitionem*, & temporis differentiam, nō ſolùm in omnia loca, ſed etiam in omnia tempora. In omnia loca, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* y. In omnia tempora y Coloſſ. 1. 20
meminit S. Joannes *Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi* z. Ita ut omnes, qui fuerunt ab origine z Apoc. 13. 8
mundi uſque nunc, participes fuerint, & adhuc ſint efficaciæ Sanguinis Chriſti per bona opera ſua. Sacramenta autem & ſacrificia Legis utriuſque hauſerunt & hauriunt adhuc ex hâc origine fœcundâ omnem ſuum valorem, ſed præ hâc differentiâ, quòd ſicut ſcopus noſtræ redemptionis ſemper fuit gratia, quam poſſidemus nunc, per quam efficimur *filii* a, & amici b familiares a Rom. 8. 16
Dei noſtri, ignis hic ardens amoris & charitatis b Joan. 15. 15
ipſius meliùs communicat virtutem ſuam Sacramentis novæ Legis, quàm communicaret eam Sacramentis Legis præcedentis: & licèt tunc gratia daretur per fidem, quæ habebatur in illum ignem amoris noſtri Redemptoris venturi, tamen propriè dicimus hanc eſſe Legem gratiæ, quia in hâc novâ Lege Sacramenta ſuſcepta, ut decet, ita calefiunt hâc gratiâ Filii Dei, ut ipſam infallibiliter & abundè conferant, quia cùm ſint ſcopus totius ipſius activitatis, *plùs juvat directio, quàm approximatio.*

Et quia idem Filius Dei jam inveniebatur in hâc ultimâ tempeſtate, quâ appropinquabat ad ſuum centrum, initium ipſe dare volebat huic Legi gratiæ; idcircò evertens *menſas* & abacos, ſuper quibus erant columbæ & cætera animalia ſacrificiis & oblationibus Legis peragendis accommoda, altâ ac clarâ voce dixit, nihil ampliùs ſe velle ſibi offerri ex iis omnibus, ideòque excogitandum eſſe alterum melius & gratius ſacrificium, quod meliùs conciliaturum eſſet pacem inter Deum & nos, quàm forent eam conciliaturæ columbæ, aliæve ſimiles merces, quæ impoſterum in uſu non ampliùs eſſe debebant in tem-

plo

plo ad hunc effectum, *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Illis enim non ampliùs delector; imò verò hæc omnia, quæ mihi aliàs ſic erant grata, ita me nunc afficiunt faſtidio, ut in iis complacere mihi non poſſim, ut verificetur Prophetæ effatum, *Holocauſtis non delectaberis.*

Quid igitur, Auditores, placere poterit Deo noſtro? *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Cui conformiter Lycurgus inter Leges ſuas ſtatuerat, offerenda diis parva & exigua munera. Idemque docebat Socrates diſcipulos ſuos c. Ille ita decreverat, ut haberent homines unde ſemper offerent, ſi exigua duntaxat præſentarent. Iſte verò ſic edocebat, quia Deus ſacrificiis, boniſque noſtris non indiget d, nec multi ducit oblata ſibi, ſed bonam voluntatem ſolam eorum qui ipſi offerunt, & paucis ſatisfit ipſi. Huic legi ſubjacêre non vult Propheta noſter, neque huic doctrinæ; dicit enim Deo, quòd ſi agatur de ſacrificio ipſi offerendo, ipſi ſanè id præſentaturus ſit, *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique.* Et ſicut in textu Hebræo, pro, *Sacrificium*, ponitur *Zevach*, ob *Zain*, quæ eſt prima ejus litera, *denotans ſeptenarium, qui eſt numerus univerſitatis*, ait Lorinus, videtur ipſi velle David offerre mille ac mille ſacrificia; ac ſi diceret; Æquum exiſtimo, Domine, ut tibi offeratur quodcumque offerri tibi poterit, & toties quoties tibi præſentari valebit. Sic enim ego aliis perſuadere conatus ſum, dicens eis, *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera* e. Neminem unquam deſiſtere debere ab offerendo tibi ſacrificio, cùm tu benefacere nobis nunquam deſinas. Sed propterea non debent homines parva tibi offerre munera, veriti ne inde pauperiores evadant, & ne non habeant quod denuò tibi offerant; ſi enim aliquis primâ vice offerat tibi quidquid habet, diebuſque ſingulis idem donum præ bonâ voluntate renovet, ſanè merebitur ille tantùm, imò verò magis quàm qui parva duntaxat tibi obtulerit munera; ſicut hortulanus magis ſibi devincit aliquem, ſi primâ vice illi integrum ſuum hortum offert, & quidquid ab ipſo pendet, quam ſi ſingulis horis matutinis deferret illi cophinum fructibus ex eodem horto provenientibus repletum. Et licèt ego ita tibi ſim aſtrictus, ut, ſi a me mille exegiſſes ſacrificia, ea tibi obtuliſſem utique; attamen ſciens, te multitudine non delectari ſacrificiorum, ſed ſolâ voluntate, quâ tibi offeruntur, malui tibi offerre unicum ac ſolum ſacrificium, quod majori valebit pretio, quàm valeant omnia, dummodò illud renovem ſingulis diebus vitæ meæ, hoc autem non eſt aliud niſi meum *cor contritum & humiliatum.* Et quàmvis non me lateat, te nullâ re indigere, tibique ſatisfieri perſæpè leviuſculis donis & munuſculis; in cujus rei probationem præcipis offerendos tibi vel ipſos *pilos caprarum*, & cum illis *aurum, & argentum, & lapides onychinos, & gemmas* f; ut innuas, te, cùm tibi parva offerimus munera, libēter ea acceptare, dummodò procedant ea ex affectu & amore ſincero, qui adæquare poſſit pretium & valorem auri. Præcipuum tandem, ad quod tendis Domine, eſt devotio cordis, humilitas interior, attentio mentis, & oblatio quam tibi exhibet homo omnium affectuum ſuorum; nedum tendas ad occiſionem ovium, taurorum, volatilium, & columbarum: & cùm hodiernâ die hæc omnia reſpuas, nihilique ea ducas, ſignum evidens eſt omnes hos mercatores & telonearios deliquiſſe circa principale, quod eſt devotio cordis, ſeque dignos effeciſſe ut audirent hoc rude mandatum, quo ipſis præcipis, *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.*

c Apud Lorin. in hunc locū, ex Plutarc. apophe. Regum ac Imper. & in Lacon.
d Pſ. 15. 2
e Pſ. 75. 12
f Exod. 25 4. &c.

II. Pars.

Sed Salvator ita mitis g eſt, ut eos culpæ ipſorum arguens, ſtatim ob eandem ipſos puniat, ipſos excipiens flagello *de funiculis* mercium ipſorum compacto, nedum aliam expectaret tempeſtatem, quâ punitio ipſorum fuiſſet ſeverior, & multò diuturnior. Sic eſt, Auditores, fauſtum fuit illis mercatoribus & telonearis omen, ut Dei Filius ipſos in flagranti delicto deprehenderet, & nullâ interpoſitâ morâ zelo *domus* h Patris ſui accenſus ipſos caſtigaret: & licèt eventus hic non prævius, videretur ipſis amarior, intuentibus ſe ab homine ſimplici ac vulgari ſic acriter exceptos; attamen & ipſi, & illi omnes, qui hoc excipiuntur modo, hanc correptionem valdè ſuavem ac ſibi proficuam reputare debent, ne incidant in maledictionem à Propheta vibratam, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

g Matth. 11. 29
h Pſ. 68. 10

Vultiſne autem id videre? Auſcultate Deum per Pſalmgraphum i dicentem, *Viſitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* In quo autem ſita eſt hæc miſericordia? In hoc quòd correptio per virgam ſignificata, aperit oculos peccatori, & efficit ut ipſe culpam ſuam agnoſcat; ſicut fratres Joſeph benè intùm pſerunt tempus, cùm traditi *cuſtodiæ tribus diebus, die autem tertio de carcere* educti, confeſſi ſunt ſe jure ſic fuiſſe punitos, eò quòd tradidiſſent & vendidiſſent fratrem ſuum, *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio* k. In cujus veritatis probationem dicitur, *Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui* l. Et, *Caſtigaſt me, & eruditus ſum* m. Ha! quàm multi ſunt, qui doctiores evaſerunt afflicti, quàm proſperâ utentes fortunâ. Ha! quam benè ſuis incubuiſſet negotiis *dives* Epulo, ſi citius aperuiſſet *oculos*, quibus vidiſſet anguſtias Lazari mendici, quam cùm expectavit, ut è flammis inferni eundem intueretur *in ſinu* n Abrahæ quieſcentem. Eos ſanè aperuiſſet, ſi particeps fuiſſet effectus dolorum ipſius; ſed cùm illos non eſſet expertus, eorumdem ignarus fuit. Proſpera ergo fortuna ipſius hanc in ipſo producebat inſcitiam.

i Pſ. 88. 33 & 34
k Gen. 42. 17. &c.
l Deut. 32. 10
m Jer. 31. 18
n Luc. 16. 19. &c.

Sed quid? dicet mihi quis, ſi aperiamus oculos, & videamus id evenire nobis ob peccata noſtra, quid nobis proderit? Ha! quid prodeſt tibi habere oculos præ capite, niſi ne cervices gradiens tibi infringas? Et ſi aliquando in lapidem offendiſti, eò quòd pravos ritè non adverteris greſſus, nonne congruum erit ut alias oculos aperias, ne in graviorem lapſum ruas? In viâ mandatorum Dei perſæpè labimur in gravia peccata, quæ animam noſtram necant o, quod evenit, cùm quis non advertit, quodnam ſit iter rectum aut pravum. Nonne igitur expediet ut Deus aure nos apprehendat, vu gáve nos percutiat, ut caveamus nobis, & diſcamus, afflictiones nobis viam ad cœlum pandere? Præterquam

o Ezech. 18. 4

quòd

quòd illi qui hoc prætendunt, meliùs probantur hoc modo, quam alio, aurumque nunquam magis ſplendet, nec ita purum agnoſcitur, quàm cum igne probatum fuit. Nunquam vitæ probatæ vir talis ab hominibus habetur, quàm poſtquam probatus fuit igne afflictionis, *Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit*, ait Job *p*. Si autem velitis ſcire bonum, quod inde reſultavit ei, audite eum denuò, *Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me*. Cor habebam induratum, quod erat incapax motionis alicujus ſuſcipiendæ a Deo, quod ut emolliret Deus, meque capacem virtutis efficeret capeſſendæ, decuit ut idem meum conturbaret Deus cor, quo conturbato, perfectâ & integrâ quiete potitus ſum.

p Job 23. 10. & 16

Dicito mihi, ſi atteni natandi non rite callens, aquis maris aut fluvii alicujus expoſitus, jam eſſes demergendus, & in profundum abiturus, & tunc amicus aliquis familiaris videns te ſic periculo expoſitum, in aquam ſe projiceret, ut te è periculo eximeret, ſed, ut id citiùs & ſecuriùs ageret, te capillis, aut aure, aliâve corporis apprehenderet parte, unde dolore aliquantulo afficereris, & ita periculo immunem te in continentem traheret, diceresne illum non fuiſſe vere amicum, eò quod aliquantulo te affeciſſet dolore? velleſne queri de dolore, quem experireris in capillis, aut in aure? nedum potiùs illi gratiarum actiones rependeres, eò quod congruentius & ſecurius medium elegiſſet; quo te citò è naufragio evidenti eriperet, vitamque tibi præſtiterit ſalvam, etiamſi præ exiguo aliquo dolore. Scitote autem Auditores, vos magis eſſe obſtrictos Deo, cùm videns ipſemet Deus vos jam jam paſſuros naufragium veſtræ ſalutis æternæ præ diſſolutione vitæ veſtræ, aliquo vos afficit dolore, ut ex illo celerrimè vos eripiat naufragio, & ideò *reſpondens Dominus Iob de turbine, dixit q*, eum, qui cum ipſo vult familiariter converſari & colloqui, & ab ipſo exaudiri, debere ipſum inquirere non in deliciis, ſed in anguſtiis, *Exaudivi te in abſcondito tempeſtatis r*, ut dicebat ipſe Deus per David. *Exaudivi te*, ſed abſconditus in tempeſtate, quod verè agnovit Tobias *ſ*, cum dixit eidem Deo, *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.*

q Job 38. 1

r Pſ. 80. 8

ſ Tob. 3. 13

Ut autem redeamus ad vos mercatores & tranſgreſſores Legis Dei, qui utimini templo Dei & loco deſtinato ad orationem, ut domo *negotiationis*; ſcitote, id veſtro ceſſiſſe emolumento, cùm intravit Dei Filius in hoc idem templum, ut vos corriperet eo modo, quo proceſſit; quandiu enim vos in fugam convertit, & videtur vos ejicere è conſortio ſuo, ad ſe tunc vos ipſe trahit, vobiſque oſtendit ſe non quærere ruinam veſtram, nec vos in deſperationem adducere. Si verò hoc meliùs videre velitis, mementote Auditores, quomodo Deus occurrit alias Jacob, & diſceptaturus cum illo de controverſia inter ipſos ortâ, non aliis eam armis terminavit aut definivit niſi propriis utriuſque brachiis, luctando cum eodem Jacob *t*. Sed quid agis Deus maximè *u*? Quiſnam honor proveniet tibi luctanti cum homine vulgari, ac ſi tibi eſſet æqualis, aut dimicares cum gigante, vel cum alio Deo inires certamen ſingulare? Sufficit ut haſtâ percutias eum, ut Aſaelem *percuſſit Abner averſâ haſtâ in inguine, & transfodit x*. Vel lapide in terram dejicias eum, ut proſtravit David Goliath gigantem lapide impetitum *y*, nedum luctando cum Jacob, fatigetis. Ha! Auditores, non benè intelligitis quinam ſit modus procedendi Dei.

t Gen. 32. 24

u Pſ. 47. 2

x 2. Reg. 2. 23

y 1. Reg. 17. 49

Verum quidem eſt illum nos corripere aliquando in hoc mundo, ſed quia caſtigat nos, non ut ruinam noſtram machinetur, correptio ipſa, quâ excipit nos, nobis pandit viam, per quam citò ad ipſum redeamus. Si Deus Jacob lapide impetiiſſet, aut eum baculo percuſſiſſet, nemo ambigit quin facile eum interemiſſet; ſed luctans cum eo, voluit illi oſtendere, ſe noluiſſe ipſum è conſortio ſuo projicere, ſed potiùs ipſum amplecti, magiſque conſtringere ipſum pectori ſuo applicando, hoc genere pugnæ cum ipſo dimicando. Obſervate, ſi placet, idem artificium hodiernâ die à Filio Dei inſumptum. Poterat ille quidem baculum arripere, & ejicere è templo hos mercatores; ſed nimiùm eos exacerbaſſet, ſi illos baculo percutiens, *de templo* ipſos fugam capeſſere coegiſſet, eiſque anſam porrexiſſet querendi de ipſo, ipſique injuriam aliquam irrogandi. Quid autem agit Chriſtus? Funiculos ſumit, quibus ipſi faſces mercium alligabant, è quibus compacto veluti flagello, eos culpæ ipſorum arguens, ſtatim eoſdem ad ſeipſum redire compellit ſuaviter, a quo funiculos ſuos, quibus ipſi indigebant, recuperent, & ſuaviùs corripiantur. Videbatur hic procedendi modus odium quoddam præ ſe ferre, ſed re verâ amorem ſincerum interius exhibebat; Deus enim amat eos, quos in hoc mundo caſtigat, *Ego quos amo arguo, & caſtigo z*.

z Apoc. 3. 19

Nolite igitur iraſci mercatores, nec propterea fugam arripere, cùm citò ad illum reverti debeatis, ut cum eo pacem ineatis, ipſique reconciliemini. Et ſic ipſe ſe exhibuit Dominum domus ſuæ, cùm ſincre noluit ut a vobis ea ſic profanaretur, corripiendo vos; ſeſe Patrem ſtatim exhibebit, ſalvos vos recipiendo, & veniam vobis indulgendo. Ipſe eſt Judex, ſed eſt etiam Pater; vos caſtigat, ſed vobis etiam parcit; vos ejicit, ſed vos revocat; vos exacerbat, ſed veſtri vos obſequii admonet, & præ veſtris ponit oculis in quantam incurriſtis culpam, cùm ſanctam ipſius domum profanaſtis. Et poſt hæc iraſcemini? & deinde audebitis ab ipſo petere, ub quam rationem ſic proceſſerit erga vos? Voletiſne ſcire utrùm polleat authoritate id agendi, aut non? Diceretiſne ipſum vobis injuriam aliquam irrogaſſe, vos eo modo excipiendo? Nunquid non poteritis hanc ſufferre punitionem, quæ non eſt niſi ſcintilla magnæ illius indignationis, quam præ ſe feret Dei Filius extremi judicii die? *Et cùm vix parvam ſtillam Sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri a*? Ha! nulla eſt comparatio omnium tormentorum hujus vitæ cum ſuppliciis infelicis æternitatis; ſicut nulla eſt comparatio ſermonis ſummiſſi & depreſſi cum tonitruo vehementer perſtrepente. Si verò non poſſimus digerere aliquantula verba reprehenſionis, quæ ad nos dirigit, quid agetur de nobis, cùm ſufferre compellemur (licèt inviti) fragorem tonitrui totius furoris ipſius? Quod evidenter oſtendit magnam differentiam, quæ eſt inter juſtitiam ipſius, quæ exercetur in hoc mundo, & eandem juſtitiam quæ exercebitur in altero, ſeu *in conſummatione ſeculi b*.

a Job 26. 14

b Matth. 13. 49

Hanc ipſam vidit S. Joannes, & ait Judicem & miniſtrum judicia exequentem eſſe unum & eundem, cùm Filius Dei, qui ſententiam eſt pronuncia-

nunciaturus, eodem ore ferat gladium utrimque acutum, *De ore ejus exibat gladius utrâque parte acutus* c. [c Apoc. 1, 16] Ut ſignificetur ipſe habere vim exequendi quidquid decreverit. Propheta verò id expertus eſt, cùm vocat punitiones hujus mundi, virgam directionis, *Virga directionis, virga regni tui* d. [d Pſ. 44. 7] Gladius occidit, virga verò corripit; gladius omnino deſtruit, virga autem filium edocet ac arguit, ut ſapientior ac modeſtior efficiatur; *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rotâ* e. [e Pſ. 76. 19] Sagitta motum habet diſtinctum à motu rotæ; ſagitta rectà protenditur; ſed in ſcopo requieſcit; rota verò ſemper volvitur, nec ſcopum aut quietem agnoſcit. Punitiones hujus vitæ ſunt ſagittæ quæ citò tranſeunt, nec diu ſiſtunt cùm ſcopum attigerunt, putà emendationem peccatoris; ſed tonituum judicii extremi erit veluti rota, quæ volvetur, & denuò ſemper incipiet, ut ulciſcatur præ toto rigore injuriam Deo illatam, quæ eſt infinita, & ideò oportet ut vindicta ſit infinita. Audebitiſne ergo queri, ſi punitio culparum veſtrarum, quæ futura erat æterna, vertatur in temporaneam? Si illa, quæ nullum erat habitura terminum, nullamque menſuram, terminetur ad quoddam tempus, & ad quoſdam exiguos dolores? Invenictiſtie amaritudinem in artificio, quod excogitavit Deus, ut parvis mitigaret ſumptibus rigorem iræ ſuæ? & quod bonum eſt, dicetis malum? *Væ qui dicitis bonum malum.* Cùm vos ipſi ſæpè aſſignetis Deo ſpeciem pœnæ, quâ vos excipiat, ipſique funiculos & inſtrumenta ſupplicii veſtri ſubminiſtretis. Fortaſſe enim niſi mercatores illi funiculos attuliſſent, nihil idoneum reperiſſet Dei Filius, quo ipſos percuſſiſſet; & niſi vos peccatis veſtris Deo ſubminiſtraretis flagella, quibus vos exciperet, fortè de vobis non cogitaret plectendis.

Unde fit ut adverterit aliquando Deus ſe non ſatis accenſum irâ, quâ corriperet populum ſuum, & dixerit, *Indignatio non eſt mihi. Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio* f? [f Iſai. 27. 4] Quod ritè agnoſcens *Eliphas Themanites*, Job alloquens, ait illi; *Recordare, obſecro te, quis unquam innocens periit? Quin potiùs vidi eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo periiſſe, & Spiritu iræ ejus eſſe conſumptos* g. [g Job 4. 1. &c.] Super quæ S. Gregorius h [h S. Greg. lib. 5. Mor. c. 15 in Job 4. 9] ait: *Sed hoc quod flare Deus dicitur, urget ut ſubtiliùs diſcernatur. Nos quippe cùm flamus, aërem ab exterioribus introrsùs trahimus, & introrsùs tractum hunc exteriùs reddimus. Flare ergo Deus in vindictæ retributione dicitur, quia ab exterioribus cauſis introrsùs judicii conſilium concipit, & ab interno conſilio extrorsùs ſententiam emittit.* Ut oſtendatur igitur Deus nullum habere iræ motum, niſi inquantùm ſubminiſtramus ipſi iraſcendi anſam, dicitur ſolo *Spiritu* punire peccatores, ut ſignificetur peccator ipſi ſubminiſtrare aërem & materiam, unde veluti procedat hæc fortis reſpiratio Dei.

Re enim verâ unde oritur hæc ignominioſa paupertas, quâ obruimini, niſi ex inſigni avaritiâ, quâ laborabatis, quæ vos foro fecit cedere? Unde, quæſo, venit hic morbus inſanabilis, qui carnem rodit vobis & oſſa, niſi è veſtrarum exceſſu ſordium? Unde proceſſit hæc penuria domus veſtræ, niſi è nimiis impenſis, & ludis, quibus indulſiſtis veſtris annis junioribus? Omnia tandem mala, quibus impetimini, & quæ perfertis ſive in corpore, ſive in animâ, ſive in honore, ſive in ſanitate, ſive in mediis & directione negotiorum veſtrorum, nullam habent originem niſi peccata veſtra, & negotiationes veſtras illicitas, quæ ſubminiſtraverunt Deo funiculos & arma, quibus vos arguit, & obſequii veſtri monet. Salvator adorande, hoc ritè agnoſcimus, ideòque tibi meliùs famulari intendimus impoſterùm, quàm tibi fuerimus anteà famulati; & cùm tuam offenderimus majeſtatem, ſubſternimus nos flagellis, quibus volet ipſa nos excipere, *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in cōſpectu meo ſemper* i. [i Pſ. 37. 18] Certi ſumus, id, quod nobis es facturus malum, Domine, non futurum flagellum, ſed *quaſi flagellum.* Si autem illud ita ſumis, effice ut omnia ſint hujus generis, ex iis enim accipiemus quotquot volueris, *Quoniam ego in flagella paratus ſum* perpetienda, dummodò concedas quòd *dolor meus in conſpectu meo ſemper*, id eſt, quòd ſemper meminerimus, hæc omnia pati nos propter peccata noſtra, & hæc flagella noſtros ponere ob oculos dolorem, ſeu contritionem interiorem, quâ debemus compungi, ut ſperare poſſimus finalem miſericordiam interventu gratiæ tuæ in hoc mundo, & gloriæ tuæ in altero.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE.

Aſcendit Ieſus Ieroſolymam: & invenit in templo vendentes boves & oves & columbas, & numularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan. 2. 13 &c.

INgreſſus Chriſtus ſub feſtum Paſchæ, ideſt, Feria ſecunda poſt diem Palmarum, Jeroſolymas, confeſtim adit templum, ut bonus Filius domum Patris ſui cœleſtis, pergit *ad interiora velaminis ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* a. [a Hebr. 6. 19. & 20 ex Gen. 14. 18] *Et ipſe*, qui *eſt propitiatio pro peccatis noſtris* b [b 1. Joan. 2. 2], ad altare properat. Cauſam amplectitur Patris ſui, & ejicit è loco ſacro quidquid eſt profanum, ut Deo gloriam reddat, & omnibus ordinem conſtituat. Sanctificatum veniebat urbem criminoſam, & ideò incipit à templo, quod eſt origo omnium vitiorum, ſi ii qui illius ſunt directores, vitiis ſcateant; ſicut principium cunctarum virtutum, ſi illi, qui ei præſident, vitæ ſint intemeratæ, *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos* c. [c Iſai. 24. 2. & Oſee 4. 9] Vitia noluit corrigere in domo alienâ, priuſquàm ea ejeciſſet è ſuâ. Intereà conſiderate injurias quæ ipſi irrogantur in templo, cùm ille, qui *mitis* d [d Matth. 11. 29] eſt, eos ſuſtinere non valens, ſacrâ cieatur irâ; & *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* e, [e Act. 10. 42] Vindicem ſe exhibeat horum ſacrilegorum, &, ut illos juxta ipſorum mulctet demerita, flagellis armet manum, quæ ordinariè muneribus & beneficiis eſt inſtructa ad vincendas rebelliones noſtras. Tandem, Nullum aliud in domo ſuâ

vult

Digitized by Google

vult commercium, niſi negotiationem orationis quæ initur inter hominem & Deum. Ut autem adhæreamus intentioni Filii, qui vult ut vacetur orationi in templo, offeramus hanc orationem S. ejus Genitrici, *Ave Maria.*

Qui attentè conſiderat ſtructuram mundi iſtius, imaginatur ſe videre templum. Cœli ſunt veluti illius arcus, Sol eſt illius *luminare majus* f, quod lucet coram tabernaculo, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum* g. Luna eſt *luminare minus*, ſicut & ſtellæ æquè ac planetæ ſunt veluti minores lucernæ, quas *Deus poſuit ut lucerent* h ibi. Pratorum viriditas, gemmarum ſplendor, florum varietas, avium fœcunditas, harmonia exilium aëris incolarum, ſtrepitus ingentiorum habitatorum ſylvarum, hæc omnia concentum edunt muſicum gloriæ Dei, invitata etiam ad hoc à Prophetâ i, *Benedicite omnia opera Domini, Domino.* Homines ſunt Sacerdotes, qui principem tenent locum, & ſacrificia offerunt. Sed poſt conſideratum hunc mundum ſenſibilem ut templum Domini, ſi mentis noſtræ oculos ſurſum velimus evehere, inveniemus hunc mundum inferiorem convenientiam præ ſe ferre cum mundo Angelico, in quo cœleſtes hierarchiæ jugiter concinunt, *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus* k. *Et viventem in ſecula ſeculorum* l adorant. Et ſi oculis fidei ipſum uſque pervadamus Empyreum, reperiemus, quòd non ſolùm hic mundus elementaris eſt templum, quod convenit cum mundo Angelico, ſed etiam cum mundo Archetypo, in quo Deus ut in templo ſe cognoſcit *m*, ſe adorat, ſe diligit *n*, & ſibi gloriam tribuit quæ *non habet finem* o ob perfectiones ſuas. Inter iſtos autem conceptus, diſcurſum iſtum ſpiritualiter intelligentes, poſſumus etiam dicere, quod non ſolùm homo eſt parvus mundus, quia in ſummâ omnes complectitur rerum naturalium qualitates, & *omnis creatura eſt homo*, ut exponit S. Gregorius *p*. Sed poſſumus aſſerere, quòd iſte parvus imitans magnum, Angelicum, & Archetypum, eſt templum, cujus cor noſtrum debet eſſe ſanctuarium, anima noſtra altare, ſuper quo voluntas noſtra debet ſua offerre ſacrificia: templum, quod non eſt minùs gratum Divinitati, quàm templum totius mundi, ſi illud virtutibus noſtris ei conſecremus. Hæc autem conſideratio bonas animas in tantâ continet ſuiipſarum reverentiâ, ut nunquam ſuum ingrediantur interius niſi ut templum, in quo Deus eſt præſens, ubi modo Deus habitat ineffabili, & ſacro affectæ timore nihil audeant peragere quod non ſit gratum Divinæ Majeſtati, quam in eo adorant.

f Gen. 1. 16.
g Pſ. 18.6
h Gen. 1. 16. & 17
i Dan. 3. 57
k Iſai. 6. 3
l Apoc. 5. 14
m Pſ. 2. 7
n Joan. 15. 26
o Baruch 3. 25
p S. Greg. hom. 29. in Evang. ex Marc. 16. 15

Homo igitur eſt templum ſimile templo Deliaco nunquam interitu animalium inquinato, & electo à Pythagora, ut refert Clemens Alexandrinus *q*, ad offerenda ibi vota ſua in odoramentis præſentandis ſita, *Antiquiſſimam quidem aram in Delo ſanctam vulgò jactarunt. Ad hanc autem ſolam dicunt acceſſiſſe Pythagoram, corde & morte minimè inquinatam: aram autem verè ſanctam juſtam animam, & qui ab eâ emittitur ſuffitum nobis ſanctam dicentibus orationem, non credent?* Oportet ut hic homo ſit templum Domini, in quo offerat igne amoris ſui odoramenta virtutum; anima ejus ſit thronus Majeſtatis ejus, cùm verum ſit id quod ait Dei Filius, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus* r. Quàm multùm noſtris fieret ſatis oculis, ſed quàm anguſtum foret ſpectaculum, ſi videre poſſemus hanc adorandam Majeſtatem, quæ reſidet in nobis, ut in throno magnifico, & ſedentem in gloriâ præ ſplendore incomprehenſibili, *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis* ſ? Quam profundo immergeremur ſilentio præ admiratione, quàm religioſâ duceremur erga noſipſos reverentiâ: quam diſtat ab illâ veneratio quæ templis exhibetur materialibus: ſic dicitur, & hæ minæ ſuum ſortientur effectum adverſùs profanantes templum ſuum, quod eſt templum Dei, *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus* t. Cor noſtrum templum eſt, ſed ſimile templis Ægyptiis, in quibus ſerpentes, dracones, crocodili, & beſtiæ crudeliſſimæ & immundiſſimæ adorabantur. Heu quænam beſtiæ furioſiores paſſionibus quæ immorantur in corde noſtro ut in templo, in quo noſtras momentis ſingulis ſuſcipiunt adorationes? Cor noſtrum eſt templum, ſed æquiparatum Pantheo Romano, unde exulabat verus Deus, & ubi omnia falſa adorabantur numina; apud nos autem in deſpectum veræ Divinitatis plures adorantur à nobis falſæ divinitates; excluſo Jeſu, Bacchus diſſolutus, Mars iracundus, & Venus impudica, à nobis ſuſcipiunt ſacrificia. Tandem, Cor noſtrum eſt templum, ſed conveniens cum templo Jeroſolymitano, è quo Jeſus hodiernâ die ejicit ementes, & *vendentes, & nummularios ſedentes, id eſt, campſores quoſdam ſedentes in templo, qui egenis ſub cautione accommodarent pecuniam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *u*. Qui erant quædam ſpecies Latronum. Cor noſtrum igitur eſt templum, in quo infames exercentur negotiationes ab ementibus & vendentibus in eo, ut videbimus in primâ parte. In ſecundâ cernemus, quomodo campſores in eo negotiantes, qui ſunt peccata, ſuffurentur nobis theſaurum gratiæ. In tertiâ verò oſtendam vobis modum tuendi theſauri iſtius à manibus illorum.

q Clemens Alex. lib. 7 Stromat.
r Joan. 14. 23
ſ 1. Cor. 3. 16
t 1. Cor. 3. 17
u Dion. Carth. art. 7. in Joan. 2. 14
Diviſio.

I. Pars.

Vita iſta habet vicem nundinarum omnibus hominibus patentium ad negotiandum, ubi mercatores, ſi ſint induſtrii, vallem lacrymarum mutare poſſunt in paradiſum deliciarum, mare amarum anguſtiarum in Oceanum conſolationum, terram in cœlum, & tempus in æternitatem. Tota res eſt ſita in benè negotiando, & in ritè intelligendo verbo hujus divitis Mercatoris, qui venit ex altero mundo in iſtum ad negotiandum nobiſcum, quique nos invitat ad commercium ſecum jucundum, *Negotiamini, dum venio* x. *O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt, & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem* y. Sed heu, non *eſt intelligens aut requirens Deum* z! Nemo rem habere vult cum illo, licèt nihil à nobis petat niſi nos ipſos, ut nos ipſos felices in ſeipſo efficiat, *Venite, emite abſque argento, & abſque ullâ commutatione* a. Tamen multos video mercatores in mundo, ibi innumeros deprehendo venditores, & emptores, *Gratis venundati eſtis* b. *Ecce enim in iniquitatibus veſtris venditi eſtis* c. Ita ut omnis, qui recedit à viâ virtutis, ut ſequatur ſemitam vitii, ſit venditor. Sed quid vendit? Animam ſuam. Et cui? Dæmoni. *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam, hic enim animam ſuam venalem habet* d. Et Tertullianus e loquens de puellis & mulieribus illis, quæ non

x Luc. 19. 13
y Eccleſia ex Matth. 1. 25
z Pſ. 13. 2
a Iſai. 55. 1
b Iſai. 52. 3
c Iſai. 50. 1
d Eccli. 10. 10
e Tert. lib. de Veland. Virginib. c. 3

non incedunt præ modeſtiâ conditioni ſuæ conſonâ, imponit eis *impudentiam oſtentatrice virginitatis.* Et vocat illas *nundinatitia capita.* Quaſi diceret, Ecce mercatrices, quæ liberiùs æquo ſuas oſtentant merces, quas divendent, ſi inveniant emptores, quibuſcum de pretio ſibi ab eis erogando conveniant, *Omnis publicatio virginis bona, ſtupri paſſio eſt.* Omnes iſtæ diſſolutiones nundinas tenent apertas. Ita verum eſt, quòd in mundo plùs quàm ſit par infamia ineantur commercia.

Nemo eſt qui ſtupore non cieatur, cogitans de Juda, qui licèt maximè avarus, tamen exercendæ negotiationis ſic fuit imperitus ut unicâ vice prodegerit omnes theſauros cœli & terræ; qui æquè malus mercator ac pravus erat Apoſtolus, ita vili pretio Deum ſuum vendidit *f*, [f Matth. 26.15] & æquè cupidus tradendi Domini ſui ac inidoneus lucro faciendo, nihil quærebat niſi vendere: voluit enim vendere unguentum, quod Magdalena *effudit ſuper caput* Jeſu Chriſti: *Poterat unguentum iſtud venundari* g. [g Marc. 14. 3. & 5] Poſteà voluit vendere, & reverâ vendidit Dominum ſuum: nunquam cogitavit niſi de vendendo, & nunquam de emendo: non eſt expectandum ut illi mercatores qui ſemper cogitant de vendendo, & nunquam de emendo, magnoperè rem familiarem ſuam & fortunam augeant. Infelix iſte tandem proprio didicit diſpendio, facilius fuiſſe venditu Deum, quàm emptu eum. Sed ei quid accidit ex toto illius commercio? Nihil aliud niſi ut pecuniâ ſuſceptâ è venditione Domini ſui, funem patibularem ad ſe ſuſpendendum, & *agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum* h [h Matth. 27. 5. & 7] emerit. Miror modum procedendi infamis iſtius deſertoris collegii Apoſtolici, ſed magis ſtupeo ex eo, quòd nedum nos didicerimus ex tam malo mercatore vendere & emere, æquè parùm induſtrii ſumus ac ille, & quòd, cùm illius impendiis non fuerimus ſapientes effecti, non meliùs nobis ſuccedunt negotia, quæ aggredimur. Avarum intueor, qui exceſſu avaritiæ ductus, ab exceſſu ſe ſinit abripi prodigentiæ, & animam ſuam diabolo pecuniâ tradit. Videte ſtupiditatem & cæcitatem illius, *Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt* i? [i Iſai. 42. 19] *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ* k? [k Matth. 16.26] Auſcultate quid valeat anima noſtra, juxta æſtimationem eorum, qui volunt illam emere, nimirum dæmonum, *Satan ait, Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro animâ ſuâ* l. [l Job 2. 4] Et tamen homo illam ita vili pretio tradit. Oportetne ut diabolus, qui *in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo*: & qui *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* m; [m Joan. 8. 44] exorciſmis ipſius veritatis adjuratus edoceat nos, quid valeant animæ noſtræ, & ut ita à rectâ ſimus alieni ratione, ut hunc diſcere non poſſimus valorem noſtrum niſi à dæmone?

Advertiſtiſne propoſitionem oblatam ab eo Dominicâ primâ Quadrageſimæ Filio Dei? *Diabolus oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me* n. [n Matth. 4. 8. & 9] Iſtorum regnorum abſolutus eris Dominus, univerſa hæc imperia tuæ ſubjicientur ditioni, ſi gratiam amittens, animam tuam mihi tradideris. Videte quomodo infelix iſte non ponit ex unâ parte, quàm pretioſam habere debeamus animam noſtram, cùm credat, quòd debeamus omnia amittere ad eam conſervandam, & univerſa nobis offerat, ut illam ſibi aſciſcat. Sed claudentes os mendacio, diſcamus ex ore illius qui eſt ipſa *Veritas* o, [o Joan. 14. 6] quid valeat anima noſtra; edoceamur ab hoc ſapiente Mercatore, qui *viſitavit nos, Oriens ex alto* p, [p Luc. 1. 78 ex Zach. 3. 8. & 6. 12] veniens è cœlo in mare hujus mundi, quæſitum & emptum hanc ſpecioſam margaritam, quâ *inventâ pretioſâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam* q. [q Matth. 13. 45. & 46] Videte quanti noſtram æſtimaverit animam, cum ad eam recuperandam, ſemetipſum perdiderit, *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat* r. [r Luc. 19. 10] *Et tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* ſ. [ſ Epheſ. 5. 2]

Ha! ſi morti Chriſti interfuiſſemus, ſicut ſtabat *juxta crucem Jeſu, Maria Magdalena* t, [t Joan. 19. 25] &, more iſtius, in aliquod vas pretioſum illius Sanguinem collegiſſemus, & eum apud nos haberemus, quânam curâ illum non conſervaremus? Intereà nunquid non ſuſcepimus animam, pro quâ redimendâ adorandus hic Mercator cœli fuſis in Cruce *lacrymis* u [u Hebr. 5. 7] totum ſuum non dubitavit dare Sanguinem? *Conſciſſus eſt ſaccus* x [x ex Pſ. 29. 12] *Corporis Domini Jeſu, ceciderunt grana ſanguinearum guttarum, quæ adhuc à fidelibus mente colligi poſſunt, & ab accedentibus ad crucem fideliter ac devotè colliguntur. Pretioſiſſimus verò theſaurus & incomparabilis, guttæ ſunt Sanguinis Jeſu Chriſti*, ait S. Bernardus y. [y S. Bern. tract. de Paſſ. Dom. c. 43] Hoc theſauro incomparabili aſſerunt Apoſtoli S. Petrus, & S. Paulus nos fuiſſe redemptos, *Empti enim eſtis pretio magno* z. [z 1. Cor. 6. 20] *Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti* a. [a 1. Petr. 1. 18. & 19] Quaſi dicerent, Scitote pretium redemptionis veſtræ, ut ſciatis illud ſalutis veſtræ; & nolite ignorare, quanti vos ipſos æſtimare debeatis. Interim quam intoleranda eſt cæcitas maximæ partis hominum, ita vili pretio vendere rem ita pretioſam! Miſeriores hoc in occurſu ſunt homines illi Judâ proditore, aut ſaltem ei ſimiles, *Abiit Judas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam* b? [b Matth. 26. 14. & 15] Quid autem poterant illi dare, cùm non haberent Deum? Debebat dicere proditor iſte illis, Quid poteſtis mihi dare? cùm illi qui non habent Deum, nihil dare poſſint, etiamſi velint. Dixi vobis jam, oportere in diſpendium iſtius infamis Apoſtatæ & miſeri mercatoris ut ſapientes efficeremur, & diſceremus ex ruina ejus vendere, non ut modum procedendi illius imitemur, ſed ut alio geramus nos modo. Idcircò, Auditores, ſi veſtram ſolicitemini animam vendere, dicite his mercatoribus, qui volunt eam emere, non more Judæ, *Quid vultis mihi dare?* Sed, Quid poteſtis mihi dare? Quid? Bona mundi? Quid? Divitias? Quid? Commoda temporalia fovendæ vitæ caducæ accommoda? Ha! Hæc omnia nihil aliud ſunt niſi terra, & vanæ apparentiæ, *Præterit enim figura hujus mundi* c. [c 1. Cor. 7. 31] Quid? Honores, dignitates, & officia? Cuncta iſta non ſunt niſi ventus. Quid? Vanitatem, ambitionem? Iſtæ nihil ſunt præter fumum. Quid? Vindictam? Et ecce ignis. Quid? Infamem aliquam voluptatem? Ecce ſomnium, en umbra, ecce pœnitudo, *Tanti pœnitere non emo*, ajebat quidam Ethnicus.

Re-

d Calepin. in dition. V. Iphigenia.

Refert Calepinus d, quòd *ita fabulantur Poëtæ, Cùm Agamemnon in Aulide cervum Dianæ ignarus occidiſſet, Dea irata ventorum flatus amovit, ut Græci navigare non poſſent. Quapropter tùm oraculum conſulerent, reſponſum eſt, Agamemnonis ſanguine Deam eſſe placandam. Iphigeniam* igitur filiam ſuam conſtituit Agamemnon ſacrificare, ut ventos navigationi ſuæ accommodos emeret. Sed ſi iſtud fabula eſt, dicere poſſumus, quod veritas eſt, ſortem noſtram eſſe magis deplorandam, quam fuerit ſors Agamemnonis, cùm eo anguſtiarum ultrò redigimur ut unicam filiam noſtram, id eſt, animam noſtram, quam Chriſtus *dilexit, & lavit à peccatu in Sanguine ſuo* e, occidamus, ut emamus ventos; ſi autem venti iſti nobis inſervirent ut perveniremus ad portum ſalutis, transeat: ſed omnes iſti venti mutantur in procellas, quæ naufragium in nos invehunt; ſeminamus ventum, ſemen creſcit, & ecce ſtatim turbines. Unde videtis, quod pretium quod nobis impendere poſſint hi mercatores, qui noſtras emere volunt animas, non eſt niſi ventus & procellæ, ecce ſolutio quam nobis offerunt, ſed hæc pecunia non eſt probata: videntur illi numerare nobis argentum, aut aurum; ſed iſtud aurum non priùs in noſtris eſt manibus, cum ſtatim mulcatà arte chymica mutatur in argentum vivum, in ferrum, in plumbum, & in lutum, inſtar ſtatuæ Nabuchodonoſor, *Hujus ſtatua caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibia autem ferrea, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis* f. Voluptas caput habet aureum, ipſa rutilat, deinde aurum illud fit argentum, poſtea æs, inde plumbum, tandem lutum, *Non ſic impii, non ſic; ſed tanquam pulvis, quam projicit ventus à facie terræ* g. Omnis peccator vereri debet infelicitatem Jonathæ, qui guſtato exiguo melle contra prohibitionem factam à Saule Patre ſuo, vix declinavit ab executione edicti mortis ab eo adversùs ſe lati, *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce morior* h. Ita verum eſt, quòd hæc monera, quam diabolus nobis offert, videtur nobis aurum, ſed invenitur falſa, imò verò breviata. Cùm ſolutionem eſtis ſuſcepturi mercis alicujus, præ veſtris habetis ſtatèram manibus, nec ullum nummum accipitis quin conſtet vobis, eum juſti eſſe ponderis: appendite in ſtaterâ monetam quæ offertur vobis in veſtrarum pretium animarum, & quotieſcumque illam accipitis, dicite, *Mendaces filii hominum in ſtateris* i. *Statéra doloſa, abominatio eſt apud Deum* k. Offertur vobis voluptas, *Extrema gaudii luctus occupat* l. Ecce falſitas; ſed ecce voluptas iſta brevis eſt, & momentanea, ut ait Poëta,

e Apoc. 1. 5
f Dan. 2. 32. & 33
g Pſ. 1. 4
h 1. Reg. 14. 43. &c.
i Pſ. 61. 10
k Prov. 11. 1
l Prov. 14. 13

Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant.

Quid? Opes, honores, dignitates, & ambitiones? *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat: & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus* m Hæc omnia tranſeunt more torrentis.

m Pſ. 36, 35. & 36

Quàm eximiè intellecta fuit hæc veritas à Thoma Moro Angliæ Cancellario: cùm enim jam præcidendum ei eſſet caput ob cauſam Dei quam amplectabatur, & *propter juſtitiam* n, quam ſummè colebat; & conſuleretur illi ab uxore ſuâ ut Regi acquieſceret in omnibus, quæ ab ipſo exegiſſet Princeps, ne amitteret tot dignitates, honores, magnitudines, divitias, imò & ipſam vitam infami æque ac truculentâ carnificis manu, interrogavit eam, *Quandiu hiſce opibus fruemur?* Cùm puella reſpondiſſet, *Viginti annis*, ipſe ſubdidit, *O ſtulta mercatrix! egone pro viginti annis modica felicitatis, vendam annos æternos cœleſtis felicitatis?*

n Matth. 5. 10

Vidiſtis hactenus quomodo cor noſtrum ſit *templum Dei*. Quàm ingentia ſint crimina quæ perpetrantur in templis Sanguine Chriſti ſanctificatis: & quòd, ſi Divinus iſte Rex eurdum ab illo ejecerat *vendentes* & ementes, præ ignominiâ, inde potiori ratione dicere debemus, quod ipſe debet ejicere proditores & latrones qui ſuffurantur theſaurum inæſtimabilem reſervatum in hoc templo, id eſt, gratiam, quæ eſt verum bonum noſtrum, quæque nobis acquiſita fuit effuſione Sanguinis Chriſti, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* o. Et quam ipſè vult ut charè cuſtodiamus, cùm ita charo pretio ipſè eam emerit. Idem Salvator ſuos edocens diſcipulos, ait illis, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam* p. Ut innuat, divitias, honores, dignitates, pulchritudinem, ſanitatem, ſcientiam, & vitam non eſſe propriè bona; ſed ſolam gratiam eſſe proprium noſtrum bonum. Peto autem a vobis, Si tantum timetis hos fures, qui eripere vobis poſſint bona, quæ vocatis animæ, corporis, & fortunæ; quanto magis vereri debetis illos, qui animæ veſtræ æternam poſſunt inferre mortem, auferendo ab eâ prædivitem gratiæ theſaurum. Et ecce fures iſti circumeunt templum cordis veſtri, ut eripientes vobis gratiam, ſuffurentur vos Deo, & tradant vos diabolo, & ecce quomodo, ſuppoſitâ priùs differentiâ magnâ quæ admittitur inter fures, qui nobis eripiunt bona, de quibus ſuprà, quæ propriè non pertinent ad nos; & eos, qui auferunt a nobis gratiam, quæ eſt verum bonum noſtrum, acquiſitum nobis à Filio Dei, *Apud quem tranſlati ſumus in partem ſortis Sanctorum* q. Et, *In manibus tuis ſortes meæ* r. Ecce igitur differentia latronum, qui ſuffurantur in viis regiis, in vicis, & in urbibus; quòd illi furantur clàm & abſconditè, ſivum noctè peragunt negotium, larvari, & alterati, & nihil æquè metuunt ac agnoſci: invitis nobis bona noſtra furantur, nedum noſtrum conſenſum efflagitent; & plerùmque aliqui inveniuntur inter homines, qui mori malunt, & ut ſibi eripiatur vita, quàm ut eruatur argentum & aurum è crumenâ ſuâ. Prætereà, Fures iſti ſtatim ac ſuum perpetrarunt latrocinium, regionem mutant, & à noſtris oris diſcedunt, proficiſcendo peregrè: ſed peccata furantur nobis alio modo; ſic enim determinata ſunt ad malefaciendum nobis, & ſic audacia ad nihil timendum, ut furentur nobis facie apertâ nec larvatâ, ſeſe intuenda & cognoſcenda exhibeant, & nomen ſuum nobis dicant & conditionem ſuam antequàm nos aggrediantur; nec illa nunquam nobis nocere poſſent, niſi priùs ſe cognoſcenda exhibuiſſent, & ſi ultrò ipſis ad ſuffurandum nobis acceſſum non præberemus, Ego ſum impuritas. Ego ſum vindicta, &c. Ecce fures noſtri, en quomodo ſe manifeſtant & declarant. Ha! illos agnoſcimus, nec ignoramus in quo ſita ſit illorum ars, & tamen ita

II. Petr.
o Joan. 1. 17
p Matth. 10. 28
q Coloſſ. 1. 12
r Pſ. 30. 16

ita hebetes ſumus & ſtupidi ut aperiamus eis ultrò januam, & ſinamus ut cor noſtrum pervadant, & in eo ſtrages edant inauditas. Furantur nobis caſtitatem, manſuetudinem, patientiam, & cæteras virtutes, nobis, inquam, volentibus; has enim non auderent peragere abſque conſenſu noſtro vaſtitates, cum ſufficiat hoc in occurſu eis reſiſtere, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis* f. Diabolus & miniſtri ejus poſſunt quidem nos aggredi, ſed vincere nos nequeunt niſi velimus, & niſi præ intolerandâ puſillanimitate arma voluntariè deponamus.

f Jacob 4. 7

Verum quidem eſt, *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* t. Habet ſe inſtar leonis adversùs formicas, id eſt, puſillanimos, qui primâ fronte deditionem ſubeunt: ſed eſt formica leonibus, id eſt, generoſis, qui inſultationibus illius & conatibus reluctantur, *Rectè autem Myrmicoleon, id eſt, leo & formica dicitur: formicis enim leo eſt, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis. Si enim ejus ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt: ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur. Aliis ergo leo eſt, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, ſpirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant,* ait S. Gregorius u. Peccatum eſt gigas, ſed eſt etiã nihilum. Gigas eſt, qui proſternit eos omnes, qui cum ipſo luctari nolunt, eoſque annihilat, *Ad nihilum redactus ſum* x. Sed quicunque reluctatur ei, deridet ipſum ut nihilum. Nunquam de noſtrorum queramur fortitudine inimicorum, ſed de noſtrâ puſillanimitate: omnes enim ſimul ne vel minimo reſiſtere poſſunt verbo noſtro, ſi generosè eis reſiſtamus. Ha! ſi tantam inſumeremus ſaltem reſiſtentiam ad impediendam jacturam noſtri proprii boni gratiæ, quantam adhibemus ne amittamus quædam bona, quæ propriè loquendo non pertinent ad nos, nunquam poſſent hanc gratiam nobis inimici noſtri eripere, *Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis* y. Videte quomodo S. Agnes, puella infirma tredecim aut quatuordecim annos nata, ita tamen inferno reſtitit, & omnibus miniſtris illius, ut nunquam iſtam eripere potuerint ipſi gratiam: & ideò conſiderate quomodo peccata alio ſe gerant modo ab eo quem obſervant alii fures; apud nos immorantur, nec per ea ſtat quin æternum in nobis peragant domicilium. In noſtri ingrediuntur templum cordis ut Principes præ gaudio, applauſu, & voluptate, & deinde in eo vivunt ut Tyranni, & in iſtud cor miſerandum, cujus ſeſe exhibuerunt uſurpatores, crudelem exercent barbariem, nec ex eo unquam exeunt quin ipſa ejiciat *Rex regum, & Dominus dominantium* z. Verum quidem eſt, quòd ſtatim non exiſtimamus, peccatum ita eſſe rude, nec regimen ejus ita ſeverum, cùm illud recipere meditamur: credimus illud eſſe Principem, cujus directio non debet nobis eſſe niſi grata, portas aperimus ei præ lætitiâ, quia ab eo nihil ſperamus niſi dulcedinem; ſed vix apud nos intravit, & in noſtrum ſe introduxit cor, cùm ſtatim furioſum agit, nihil eſt in nobis cui parcat, & forte accidet, ſi in hâc calamitate publicâ, in quâ omnes facultates noſtras ſerviliter ſuæ ſubjicit auctoritati, unica inveniatur quæ ab ipſius eximere ſe poſſit tyrannide. Sic eſt: imaginati ſumus, ipſum futurum eſſe bonum Regem, ſed effectivè & experimentaliter deprehendimus ipſum eſſe crudelem Tyrannum, qui non regnat niſi violentiâ, qui ſuſpicatur de omnibus ſubditis ſuis, quia meretur odium omnium, quique ſuis non ſubſiſtit in uſurpationibus niſi præ diffidentiis & cædibus. Re autem verâ ubi ſe peccatum introduxit in cor, circumquaque quærit, ne in eo lateant adhuc hoſtes aliqui, metuens ne ſibi inſidiis aliquibus arx eripiatur, nihil eo vigilantius, omnia cordis iſtius viſitat abdita, ubi formantur affectus, & quò ſecretiſſima ſolent ſe recipere deſideria; ſi in eo aliqua deprehendat ſibi adverſantia, ea omnia gladio perimit, ab altiſſimis incipit capitibus, id eſt, a virtutibus, quæ opponere poſſent obices & difficultates, & formare factiones in ſtatu ipſius, eas omnes interficit, nec veretur cædes edere, ut majori regnet ſecuritate, tenebris intellectum involvit, confuſione memoriam replet, frigore voluntatem afficit inaudito, omnes occludit aditus, & præcipuè conatur ne miſerum iſtud cor aliquod inire poſſit fœdus cum hoſtibus. Propterea oculos claudit & os, aures obturat, & ejuſdem cordis oſtium tenet obſeratum. Poſt hæc quomodo fieri poteſt ut inveniantur adhuc homines qui ſolicitè hunc Tyrannum immiſericordem apud ſe recipiant, qui ſolus noſtrorum eſt cauſa infortuniorum? *Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam* a. Multo ſtipatus eſt Tyrannus iſte ubique comitatu, plures quàm ſit par hoſpites invenit; & licèt non ignorentur ejus ſævitiæ, & quantumvis malitiis & tyrannidibus ſuis ſit cognitus, hoc tamen non impedit quin requiratur; nimios habet ſervos, qui ſe beatos exiſtimant collocari in numero captivorum ejus, qui ſua vincula venerantur, & ſuas catenas adorant ut idola, qui gloriæ aſcribunt perpeti manibus illius truculentis, & vivere ac mori ſub ejus ſævâ tyrannide. Bona ſervorum ſuorum immodicis conſumit profuſionibus, fortunas eorum deſtruit, curſum ſiſtit victoriarum illorum, quæ non prætendunt minus quàm paradiſum & gloriam Beatorum æternam. Omnes ſpoliat illos qui ipſi adhærent, & eos in deplorandam redigit egeſtatem & mendicitatem; & niſi Deus miſereatur infelicitatis ipſorum, & eos eruat ex ipſorum infortunio, illos adducit Tyrannus iſte in periculum incurrendæ jacturæ ſempiternæ: & tamen, ſic immodica eſt hominum cæcitas. Ferè invenit crudelis hic uſurpator tot captivos voluntarios, quique ultrò ſua adorant vincula, quot inveniuntur in toto humano genere ſuppoſita. Hinc videre potuiſtis, quinam ſint fures iſti, quos formidare debemus; quaſi digito vobis demonſtravi, quonam pacto nobis ſuffurantur, quam inuſitata ſint eorum furta, qualis ſit illorum crudelitas tyrannica. Nunc videndus eſt modus tuendis nobis ab eorum inſidiis opportunus, & accommodus collocando huic theſauro inæſtimabili, quem habemus in templo cordis noſtri, in loco ſecuro, ne fures iſti crudeliores impio & ſacrilego Heliodoro b, profanas ſuas æquè ac trices injiciant manus in illum.

t 1. Petr. 5. 8
u S. Greg. lib. 5. Mor. c. 17. in Job. 4. 11. ex verſione LXX.
x Pſ. 72. 22
y Hebr. 12. 4
z Apoc. 19. 16
a Sap. 16. 14
b 2. Mach. 3. 23

Nimiæ non poſſunt inſumi cautelæ, nec nimia quæri media ad impediendam hanc deordinationem, nec nimia remedia tanto eludendo malo accommoda: inter alia autem illud maximè proficuum exiſtimo, ut abſtineamus ab acceſſu

ceſſu ad iſtos fures, quos ſcimus voluiſſe nobis ſuffurari, & re verâ fuiſſe nobis ſuffuratos, eò quòd rem cum illis habere voluerimus. Et ſicut facilè eſt accenſu denuò lampadem, quæ mox extincta eſt, & adhuc fumat, ſupponendo eam alij, quæ accenſa eſt, eò quòd flamma facilè ſe communicet ei medio illo exiguo fumo, qui ipſam pergit inquiſitum, ipſamque revocat in ſubjectum ad ipſam recipiendam adhuc diſpoſitum: ita difficile eſt victu & converſatu cum furibus, qui nullam callent artem præter iſtam, & declinatu ab illorum inſidijs. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* c. (c Eccli. 13. 1.) Sic unus ex efficaciſſimis modis, quibus uti poſſumus ad impediendum ne fures iſti nobis furentur, eſt, ſi furibus iſtis occaſiones furandi auferamus, & magnam inter eos & nos ponamus ſeparationem. Ingens convenientia, quæ invenitur inter voluptates & naturam noſtram, quæ ultrò ſe ſinit abripi ab ijs, quæ ipſi faciunt ſatis, & ipſius ſenſibus blandiuntur delicijs ſuis, efficit ut eis adhæreamus, cùm ad illas approximamus: & ideò optimum remedium huic malo fugiendo conſonum eſt, affectare diviſionem, quæ nos ab eis ſeparet, & ſatagere ut ea omnia, quæ nobis nocere poſſunt, non approximent ad nos.

Sed ſi deſideremus adhuc magis edoceri ſuper hoc, diſcemus à Judæis id, quod agere debemus ad impediendum, ne fures iſti nobis furentur: & licèt illi ſint impij, non debet tamen nos pudere haurire *ſalutem ex inimicis noſtris* d, (d Luc. 1. 71.) quando peragendæ illius, occaſiones poſſint ij nobis ſubminiſtrare; ſed è contrà felicitatem noſtram ſuper eorum ruinas debemus ædificare, noſtram eruere elevationem ex illorum lapſu, & ex illorum agendi modo noſtrum commodum. *Poſtquam crucifixerunt eum, convenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes, Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore. Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus* e. (e Matth. 27. 35. &c.) Verum quidem eſt, quod ipſorum induſtria non ſucceſſit ipſis ad deſiderium, *Surrexit enim* f (f Matth. 28. 6.) Chriſtus glorioſus invitis ipſis & rabie percitis inſolitâ intuitu miraculi ſic eximij. Sed hæc adinventio eſt egregia quoad ea, quæ nos intuentur: poſſumus enim videre, quod ſi peccatum nobis ſuffuretur, illud non contingit niſi quia oſtium cordis noſtri, in quo requieſcit Jeſus Chriſtus, ubi reſidet theſaurus gratiæ, non eſt benè ſigillo obſignatum & cuſtodia munitum: ideò commendatur in Canticis g, (g Cant. 8. 6.) *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Sic nihil aliud prædicatur ſervis Dei, niſi cuſtodia ſuîipſorum; quia, ut quotidianâ comprobare licet experientia, cùm theſaurus iſte non eſt benè cuſtoditus, fures veniunt, & illum facilè abripiunt. Diabolus, qui perfectè novit modum ſecurè conſervandi illius, quod acquiſivit, ſuos omnes inſumit conatus ad impediendum ne avarus exeat è carcere, in quem ipſe eum redegit, cuſtodes ponit præ foribus illius, & ne hujuſmodi fores aperiantur, neve anima illius infelix ſuam priſtinam reſumat libertatem, eum innumeris circundat catenis, & ſeris cingit, quas infelix hic homo non poteſt infringere, eumque ſic alligatum tenet, ut niſi Deus, qui conterit *portas æreas, & vectes ferreos* h (h Iſai. 45. 2.) confringit, miſereatur ejus, oportet ut jugiter ſit in vinculis.

Idcircò habendi ſunt cuſtodes, qui ſemper circum nos contentâ voce inclament; id eſt, egregij Directores, qui noſtrîipſorum regimen ſatagant, qui ſigillo obſignent conclave cordis noſtri, qui attendant utrum hoſtes noſtri aliquos faciant conatus, & conſilia forment ad eripiendos nobis theſauros noſtros: oportet ut eorum præſentia impediat ne inde evolvatur lapis, qui operit Jeſum in tumulo animarum noſtrarum ſepultum: præ noſtris arma ſemper geſtare debemus manibus, ne fortè intercipiamur ab hoſtibus: non enim admittetur hæc excuſatio, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* i; (i Matth. 25. 31.) ſi dicamus, quòd dormiebamus, cùm intercepti ſumus, & fuit nobis ereptus Jeſus noſter. Summus eſt crimen illis, qui tenentur invigilare ſaluti alienæ æquè ac ſuæ; & punitur æquè ſeverè in caſtris ac proditio; & juxta leges diſciplinæ militaris, cuſtos inventus dormiens, mortem meretur. Sic ſemper nobis eſt vigilandum, *Si ſciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non fineret perfodi domum ſuam* k. (k Luc. 12. 39.) Potiori ratione debemus nos vigilare. Non ſufficit autem vigilare, ſed etiam ponendæ ſunt cuſtodiæ in ædibus. Quinam ſunt aditus, per quos diabolus & miniſtri ejus apud nos introduci poſſunt? Multi profectò ſunt. Ingreditur per os, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis* l. (l Pſ. 140. 3.) Per oculos, *Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* m. (m Job 31. 1.) *Oculus meus deprædatus eſt animam meam* n. (n Thren. 3. 51.) Sed heu! dormimus, nedum vigilemus, *Dormiunt multi* o. (o 1. Cor. 11. 30.) Quamplures profundo demerſi ſunt ſomno inſtar Jonæ, qui quandiu *navis periclitabatur conteri, dormiebat ſopore gravi* p. (p Jon. 1. 4. & 5.) Attonitus fuit aliàs Cæſar, quonam pacto quidam, qui foro ceſſerat, dormire poterat: ſtupeamus nos potiori ratione quomodo fieri valeat, ut homo dormire poſſit in ſtatu peccati mortalis. Alij ſunt *dormientes & amantes ſomnia* q. (q Iſa. 56. 10.) Id eſt, qui magnâ currunt ſolicitudine poſt divitias mundi, quæ vera ſunt mendacia, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis* r. (r Pſ. 75. 6.) Sed quid accidit? *Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus.* Id eſt, diabolus. *Et ſuperſeminavit zizania in medio tritici* s. (s Matth. 13. 25.) Quandiu *Holofernes jacebat in lecto, nimiâ ebrietate ſopitus, Judith percuſſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus* t. (t Judith 13. 4. &c.) Dicamus meliùs, quòd diabolus noſtram occidit animam, quandiu nos ſumno peccati ſopiti ſumus lethargico. Quandiu Samſonem *Dalila dormire fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput; vocavit tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit* u. (u Judic. 16. 15. & 19.) Tibi verò, quandiu requieſcis *in ſinu* mollis iſtius voluptatis, raduntur crines: *ſtatim enim fortitudo* diſcedit à te. Dormiebat Siſara, dum *tulit Jahel clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ejus, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt* x. (x Judic. 4. 21.) *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël* y. (y Pſ. 120. 4.) Ha! non eſt dormiendum, *Surge qui dormis* z. (z Epheſ. 5. 14.) Res inaudita! Fures mediâ ſurgunt nocte ut tibi fauces præcidant; tu verò ad declinandum à funeſto mortis ictu non ſurgis. Mirari videtur Chriſtus, diſcipulos ſuos *non potuiſſe unâ horâ vi-*

[a Matth. 26.40.] *gilare* a ſecum ad ſe cuſtodiendum; & è contrà totas vigilaſſe Jeroſolymas ad ſe capiendum, & crucifigendum.

Præterea, Ponendi ſunt cuſtodes, qui ſatagant ſervare nobis theſaurum inappretiabilem cordis noſtri, qui eſt gratia. Sed heu! ibi collocamus proditores & perfidos, qui è noſtrorum ſtant partibus hoſtium. Oculus iſte, qui eos deberet detegere, ipſemet furatur, & noſtris tradit nos hoſtibus, quibus annuit, *Et nutibus oculorum ibant* b. [b Iſa. 3. 16.] *Oculus meus deprædatus eſt animam meam* c. [c Thren. 3.51.] Quid dico? Nedum theſaurum iſtum teneamus abſconditum, illum propalamus, & abripiendum exhibemus, *Deprædari deſiderat qui theſaurum publicè portat in via*, ait S. Gregorius d. [d S. Greg. hom. 11. in Evág.] Si Rex cuſtodiendam arcem mihi committeret, exponerem me globulis tormentorum bellicorum, & catapultarum excipiendis, & mucronibus enſium & haſtarum perforandum, ut eam defenderem ab hoſtibus, & præberem ei inviolatæ fidelitatis meæ notas. Dedit mihi *gratiam Dominus* e, [e Pſ. 83. 12.] per quam *Divinæ conſortes Naturæ* f efficimur. [f 2. Petr. 1.4] Deus conſtituit cor meum templum ſuum, thronum ſuum, *Regnum Dei intra vos eſt* g. [g Luc. 17. 21.] Nedum autem illud ei inviolatè cuſtodiam, illud prodam perfidiâ intolerabili manibus inimicorum ejus? Ubi eſt ratio? Ubi eſt honor? Ubi eſt juſtitia? *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* †! [† Jer. 2. 12.]

Cum aliquis injuriâ ſuum affecit Principem, & hoſtibus non reſtitit, unuſquiſque juſtitiam efflagitat, & pœnas expoſcit huic perfido infligendas; & ſupplicia iſti proditori ingeſta hoc in occurſu ſuave ſiunt ſpectaculum oculis intuentium: Ha! quis vindictam non expetet propter injurias Deo irrogatas? Non ſumus noſtri, *Non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno* h. [h 1. Cor. 6.19.& 20.] Titulus redemptionis nos Deo addicit eodem jure, quo res, quas emimus, ad nos pertinent; *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum* i. [i Iſa. 28. 15.] Suum impendit ipſe Sanguinem in pretium noſtræ redemptionis, *In quo & credentes ſignati Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius* k ſuimus. [k Epheſ. 1 13.& 14.] Et ſic abſolutum ipſe conciliavit ſibi dominium ſuper animas noſtras, & ſi eas ſinimus incuriâ noſtrâ auferendas, noſmetipſos eripimus è manibus Dei. Cuſtodiamus ergo ſolicitè hunc theſaurum, ſi velimus ut cor noſtrum poſſideat verum titulum ſedis, domicilij, throni, & templi Dei: collocemus circum illud cuſtodias, ut conſervantes ei illud integrum in gratia, fruamur tandé aliquando illius gloriâ.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate; & interrogaverunt eum diſcipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?
Joan. 9. 1. &c.

[a S. Chryſol. Serm. 176.] S. Chryſologus a aſſerit, Chriſtum illuminantem oculos cæcinati, irradiaſſe priùs oculos animæ ipſius, quibus perſpicaciùs intueretur ille languores ſuos & infirmitates ſuas, ac horrorem peccati, quod ea producit; re enim verâ optimus eſt ille omnium viſus, quo planè diſcernimus infortunia, ad quæ nos redegit peccatum; & clarè videmus deordinationem, quam monſtrum hoc horrendum in nobis cauſat; infelicitates, ad quas nos præcipitat; ſicut & inſidias, quas diabolus nobis infenſiſſimus felicitati noſtræ quotidie parat, quarum interventu in barathrum confuſionis & in abyſſum peccati inextricabilem nos dejiciat. Virgo ſacratiſſima, tu quæ nullius unquam fuiſti conſcia criminis, quippe quæ ab omni labe originalis peccati immunis extitiſti b ab [b Cant. 4.7] inſtanti immaculatæ Conceptionis tuæ, largire [c Luc. 1 38.] nobis, obſecramus te, ut illud cognoſcere poſſimus, & ab eo ſimul declinare valeamus. [d Jo. 1.17] In tuo complexa es ſinu c Authorem gratiæ d, ſicut proteſtatur Angelus annuncians tibi ineffabile myſterium Incarnationis his verbis, *Ave Maria.*

Æquitati & rectæ rationi foret re verâ maximè conſonum, Auditores, ut homo propriæ ſaluti æternæ invigilaret curandæ, cùm glorietur ipſe ob exquiſitas dotes intellectûs ſui, nihilque ſit in rerum natura, & extra ipſum, quod non penetret ipſe vivacitate ingenij ſui, nullique ſint effectus, quorum cauſas non conetur perſcrutari. De cœlis loquitur, de Sole, de firmamento, curſum illorũ metitur, de eorũ diſputat qualitatibus & influentijs, ſicut etiam de cæteris planetis, & de aſtris diſcurrit, & de elementis; aquarum modificatur profunditatem, terræ latitudinem, nihil tandem eſt in univerſo orbe, quod ipſe non velit ſcire. Sed infortunium! Homo, qui ritè ſic ordinat omnia extra ſeipſum, negligit ſeipſum, perſpicax eſt, & cognoſcit ea, quæ peraguntur ad extra, & quæ ad ipſum nullo attinent modo, nec oculos habet, quibus inſpiciat ea, quæ fiunt apud ipſum, & quoad propria cæcutit negotia; veluti candela accenſa, rem ſtupendam ac deplorandam! alios illuminat, & tamen manet ipſe ſine lumine, & ſuiipſius obliviſcitur, quod ſanè indignum eſt homine rationis & ſanæ mentis compote, *Si ignoras te, abi poſt veſtigia gregum* e. [e Cant. 1. 7.] Si ſe non cognoſcit homo, ſtatim in cathegoriam redigitur brutorum rationis expertium.

Nullum eſt animal quod ipſe non domet, & tamen manet ipſe effrænis. Vigilans eſt ubique, & dormitat, cùm de proprijs ipſius agitur negotijs ſolicitandis. Rerum deſiderium terrenaı ebullit in corde ipſius, & cœleſtia permanent extincta ibi. Quò propiùs ad mortem accedit, eò magis a propria ſalute diſcedit. Aſſero autem futurum eſſe ritè conſentaneum, ut homo ſciret & agnoſceret cauſam tot miſeriarum & calamitatum, quæ ipſi accidunt, utrum illæ cauſentur à Deo, an verò proveniant eæ à diabolo. Oporteret ut intellectus humanus ſtuderet cognoſcendo principio ac authori horum malorum; certo quippe certius eſt nihil æquè deſiderare diabolum ac nobis perſuadere, omnia provenire à Deo, nedum nobis unquam deſerat libertatem ac poteſtatem agnoſcendæ cauſæ eorum, quæ eſt peccatum. Verùm enim verò S. Chryſologus tractans de illo adoleſcente dæmoniaco, qui ductus eſt ad Jeſum, de quo loquitur Evangeliſta f, [f Matth. 17.14. &c.] *Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt*, inter

ex-

circumſtantias alias, quas obſervat in morbo illius, miratur dæmonem intendiſſe perſuadere, adoleſcentem illum dæmoniacum fuiſſe lunaticum, ſed re verâ erat hoc purum dæmonis commentum, *Ut eſſe Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris* g. Dæmō perſuaſerat patri hujus adoleſcentis, omnes ineptias, in quas proſiliret ille, proveniſſe ex influentijs cœli & Lunæ, non autem è malitia diaboli, quem haberet in corpore.

g S. Chryſol. Serm. 52.

Has omnes adhibet diabolus adinventiones, quibus conatur impedire ne perveniamus in cognitionem infelicitatum noſtrarum, quas nobis ipſe fuit machinatus, quia (ut vulgò dicitur) malum agnitum eſt ſemicuratum. Idcircò cùm ingreſſus fuiſſet corpus hujus adoleſcentis, adveniente quodam Lunæ tempore, ſimul ac aſpectu & conſtellatione quorundam aſtrorum, vexabat eum, & ſpumas agere illum præ rabie, & *in ignem* ſe projicere cogebat, ut parentes illius ac propinqui id videntes, crederent illum fuiſſe inſanum, propriumque fuiſſe ſtultis in hujuſmodi ineptias proſilire, ut permaneret ille ſic, cùm non ignoraret ipſe diabolus malum cognitum eſſe ſemicuratum.

h Job 2. 7. &c.

Refertur in libro Job *h*, eximium hoc patientiæ prodigium, eundem Jobum percuſſum *ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* veluti ſuper theatro omnium miſeriarum, viſitatum fuiſſe à tribus ex amicis ſuis, qui *audientes omne malum, quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur.* Petit Origenes, Quis deduxit hos Principes amicos Job, & quis eos induxerat ut venirent à regione ſic longinqua? Certum eſt eos juxta textum Scripturæ, egreſſos fuiſſe ſingulos *de loco ſuo ut eum conſolarentur* afflictum dicentem, *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me* i. Deus igitur, ait Origenes *k*, vel ſanctus Spiritus ipſius deduxit è regione ſic longinqua hos tres Principes amicos Job ut eum inviſerent. *Quomodo ſimul pariter venerunt? Dei providentiâ atque Dei operatione ita diſponente. Et verè ipſi quidem ob hoc venerunt ut conſolarentur ac viſitarent illum. Sed nequiſſimus diabolus, Bonorum ac Iuſtorum inimicus, odio habens omnia, quæ diligit Dominus, acceptâ occaſione, quâ Deum offenderent atque Dei juſtitiam, & Iob de injuſtitys & peccatis accuſarent, tantùm illos immutavit atque pervertit, ut ampliùs exulceraret cor Iob per hæc quæ locuti ſunt* l, *quàm per omnes dolores, quos pridem exercuit in eum.* Verum quidem eſt, quòd diabolus nactus opportunitatem, ſperabat ſe, favente eorum multiloquio triumphaturum eſſe de virtute Job: Sed hoc, ſed illud, ſic, nequaquam, ſed cur tanta pati mala? fieri mundi fabulam Virum illuſtrem, qualis tu es? Ubi eſt Deus tuus? Quare de te non eſt ſolicitus? Ha callidum ſerpentem *m*! Volebat diabolus Job ſic decipere, ut oblivіſceretur Dei. Videte quomodo ſe abdat diabolus; non audet ſe manifeſtare, quia ipſius præſentia foret ipſius ruina. Nos ipſos vult decipere, & nobis verba dare.

i Job 19. 21.
k Orig. l. 3. in Job 2. 11.
l ex Job c. 4. & ſeqq.
m Gen. 3. 1.

A peccato primi Parentis Adæ, ejecti ſumus *de paradiſo voluptatis* n, exulavimus ab hoc loco deliciarum, ſed ex tunc alium invenimus paradiſum; ſtatim quippe ac agnovimus culpas noſtras ac peccata noſtra, tunc illum reperimus, ſicut illum amiſeramus; cùm agnoſcentes ſcelera noſtra, habeamus unde ea ſalutaribus expiemus remedijs. Si aliquid patiamur, non ignoramus nos illud mereri, imò verò peccata noſtra digna eſſe ut majores nobis afferant anguſtias. Ha! Auditores, non ſumus nos Jobi, aut Tobiæ, non affligit nos Deus, quia juſti ſimus, *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te* o. Quin imò ſumus nos Caini *p*, Eſau *q*, Pharaones *r*, & Manaſſes r. Si Deus nos punit, id agit jure merito, nullum quippe ſpret malum, ſi nullum eſſet peccatum. Non ſumus nos S. Pauli, qui *cùm infirmamur, tunc* t potentiores ſimus. Non propter virtutem caſtigat nos Deus, ſed ob crimina. Ipſa quippe ſunt ſcelera, quæ ſubminiſtrant ei arma, quibus vindictam de noſtris ſumat rebellionibus. Hoc inducit me ut oſtendam vobis in priori parte hujus diſcursûs gravitatem peccati præſentis, ſeu peccati conſuetudinis; nihil eſſe quod magis offendat Deum, quàm hoc peccatum, quodque eum inducat ad illud ſeverè puniendum. In poſteriori verò afferam remedium huic infortunio curando accommodum.

n Gen. 3. 23. &c.
o Tob. 12. 13.
p Gen. 4. 12.
q Gen. 25. 33.
r Exod. 5. 2. &c.
s 2. Paral. 36. in Oratione.
t 2. Cor. 12. 10.
Diviſio.

I Pars.

Nihil eſt quod magis offendat Deum, quàm peccatum præſens; nunquam enim peccatum præteritum ſic ipſum exacerbat, ac peccatum præſens. Deus videt quòd tempeſtate Noe, *omnis caro corruperat viam ſuam; & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore* u. Quòd eò proceſſerat hominis malitia, ut ipſe peccaſſet, ut eſſet in peccato, & perſeveraret in peccato. *Corruperat*, ecce præteritum. *Intenta eſſet ad malum*, ecce præſens. *Omni tempore*, ſemper, ecce perſeverantia in futurum. Veniat ergo *diluvium, & cataractæ cœli* x aperiantur huic peccato præſenti, huic pravæ voluntati ad malum tendenti, *Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ; pænitet enim me feciſſe eos* y. Miſerum peccatum, quod pœnitudinem aliquo modo cauſat in Deo (ſi Deus eſt capax pœnitudinis, loquimur noſtro modo) quodque ipſum inducit ad deſtruendum opus ſuum! Sic eſt, Auditores. Peccata præterita non ita accendunt iram Dei, ac peccatum præſens. Peccatum præteritum non eſt ampliùs, ipſius actio præterijt, ipſa non eſt ampliùs; ſed ſubſtantia peccati manet, peccatum hoc conſuetudinis, quia *habitus eſt difficilè mobilis à ſubjecto*; habitus tranſit in naturam, eumque nemo niſi vix exuit, & ferè præ miraculo; *Habitus generantur ex frequentatis actibus*, ajunt Philoſophi. Contrahuntur habitus ex actibus ſæpè repetitis, hodiernâ die producitur unus actus, alius craſtinâ, & ſic diebus ſingulis. Deus videt hoc peccatum præſens, cognoſcit peccatum præteritum; videt hoc peccatum præſens Deus, & cognoſcit hoc peccatum præſens fore cauſam peccati futuri, & quòd cùm hodie facias hoc, cras ſis facturus aliud. Negatio S. Petri fuit cauſa perjurij ipſius z; &, ut ait S. Gregorius *a*, *Peccatum, quod pænitentiæ lamento non diluitur, peccatum ſimul eſt, & cauſa peccati.* Deus videns hoc peccatum præſens, illud punit, juſtitia ipſius de eo vindictam ſumit. *Habitus eſt qualitas difficilè mobilis.* Peccator, quàm difficile eſt remeatu ex hac abyſſo peccati conſuetudinis, *Abyſſus abyſſum invocat* b. Peccatum aliud peccatum trahit, & ſic invicem ſibi manum porrigunt peccata fatali conſequentiâ, ac vinculo indiſſolubili, quo uniuntur, *Maledictum, & mendacium, & furtum, & homicidium, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit* c. Deus autem ea ſuſtinere non

u Gen. 6. 12. & 5.
x Gen. 7. 17. & 11.
y Gen. 6. 7.
z Matth. 26. 70. &c.
a S. Greg. l. 1. in Ezech. hō. 11.
b Pſ. 41. 8.
c Oſe. 4. 2.

non poteſt, ſic ea ipſi diſplicent, & illa plectere cogitur.

Multiplicatis in immenſum ſceleribus incolarum infamium civitatum Sodomę & Gomorrhę, Deus exacerbatus, de illis vindictam ſumere tenebatur, & ait, *Deſcendam, & videbo utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint* †. [† Gen. 18. 21.] Videt Deus peccatum præſens incolarum duarum iſtarum civitatum, & dicit ſe eſſe venturum, ut illud videat, ac ſi illud non videret è cœlo, quaſi verò juſtitia ipſius ipſi foret ſuſpecta. Tunc malitia eſt completa, cùm peccatum eſt præſens; præteritum ibi invenitur quoad malitiam ipſius; ibi eſt præſens quoad ipſius nequitiam præſentem, ſeu actionem; ſicut & futurum, quod eam ſequitur, & ab ea pendet ut effectus à ſua cauſa. Deſcendat igitur ignis, & conſumat civitates iſtas infames, eaſque in cinerem redigat. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo; & ſubvertit civitates has* d. [d Gen. 19. 24. & 25.] *Peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem* e. [e Jac. 1. 15.]

Peccata noſtra finita ſunt, Auditores, & licèt mille perpetraremus peccata, imò verò peccatorum decem millia, hoc tamen non impediret quin ea eſſent finita; nunquam futura ſunt illa infinita quoad ſuam naturam. Sed dicuntur tunc completa, quando peccavimus, & peccamus, & tandem *in peccato* f, [f Jo. 8. 21] ſeu in ſtatu peccati morimur; tunc enim completa dicitur iniquitas. Deus autem punit hoc peccatum præſens infinitis pœnis g. [g Matth. 25. 41.] Si enim probetur ipſum malitiam habere infinitam, juſtitia exigit jure merito ut punitio ipſius ſit æterna. Æternitas ſiquidem criminum libranda eſt ad æternitatem miſeriarum, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* h. [h Sap. 11. 17.] Et, ſecundùm axioma commune, *Inter pœnam & delictum debet eſſe proportio.*

Quòd peccatum præſens ſit aliquo modo æternum, & quòd extendatur ultra vitam noſtram (loquod quoad malitiam ipſius) evidens eſt, cùm peccatores, qui tranſeunt ex hac vita ad mortem in peccato mortali, & qui deprehenduntur morientes in hoc peccato præſenti, ratione conſuetudinis, ſeu habitûs, quem repetitis iterùm atque iterùm actibus contraxerunt, ita affecti ſunt, ut ſi poſſetis intrare in ipſorum corda, ibi talia inveniretis inſtrumenta malitiæ, & tales peccatorum charactêres impreſſos veluti igneâ combuſtione, ut vivere vellent æternùm, ut poſſent æternùm peccare. Vita ipſorum eſt mortalis, ſed affectus, quos habent, & quibus hoc præſens proſequuntur peccatum, ſunt immortales; & ideò juſtitia Dei exigit, ut illi nunquam ſint ſine tormento, qui nunquam vivere voluerunt ſine peccato præſenti, ut ait S. Bernardus i, [i S. Bern. Epiſt. 253.] *Ob hoc enim proculdubio inflexibilis & obſtinata mentis punitur æternaliter malum, licèt temporaliter perpetratum, quia quod brevi fuit tempore, vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate: ita ut ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret: imò ſemper vivere vellet, ut ſemper peccare poſſet.*

Sed nolite mihi dicere, Reverende Pater, non eſt credibile miſerandum hunc peccatorem apprehenſum à juſtitia Divina in flagranti delicto, voluiſſe ſemper perſeverare in hoc enormi facinore, in hoc peccato præſenti, & tandem noluiſſe aperire oculos animæ ſuæ, ut in bonam ſe frugem reciperet. Ego autem reſpondeo vobis, Tantum abeſt: cùm peccator, qui eſt hujus maledicti peccati præſentis conſcius, radicem habeat ſeu originem omnium actionum ſuarum, quæ eſt cor, ita veneno affectam, ut omnia ipſius germina nihil ſint niſi abominationes, quas nullo Deus perferre poteſt modo; & licèt viveret ipſe mille annis, niſi timor aliquis ſervilis retineret torrentem corruptionum ipſius, vellet eos omnes inſumere ad ſectandas hujuſmodi deordinationes, *Abyſſus abyſſum invocat.* Peccatum præſens trahit ad ſe peccatum futurum, & futurum erit ſequela pręſentis, ſicut peccatum pręſens eſt effectus peccati præteriti; idcircò dicendum eſt, peccatum æternis poſſe quidem plecti ſupplicijs, nunquam tamen poſſe expiari. Verùm enim verò, Auditores, exigua ſanè foret res, ſi attenderetur duntaxat ſupplicium illius; maximum autem malum in eo ſitum eſt, ut quis ſe talibus dignum exhibeat punitionibus; *Puniri non eſt malum, ſed fieri pœnâ dignum*, ut vulgò dicitur. Peccatum hoc præſens, eſt peccatum diabolorum, qui perſiſtentes ſemper obſtinati in malitia ſua, nullam unquam invenient requiem in ſupplicijs ſuis k; [k Iſa. 14. 14. & 15.] ſemper enim punientur, cùm ſemper præſens habeant ſuarum pœnarum ſubjectum, quod eſt peccatum præſens.

Videntur peccata quædam opponi omnipotentiæ Dei, velle illi ligare manus, & ab illis avellere ſceptrum non ſecus ac authoritatem, cujus eſt illud inſigne. Sed quænam ſunt hæc peccata? Suntne gula, ira, invidia, uno verbo ſeptem peccata capitalia? tranſgreſſio Legis Divinæ? Nequaquam, Auditores. Quænam igitur ſunt illa peccata? Ha! illa video, hæc peccata non ſunt alia niſi peccatum conſuetudinis, niſi peccatum præſens, quod vellet malitiâ ſuâ, ſi ipſi foret poſſibile, Deum ipſum ad nihilum redigere. Quid igitur eſt cur miremur, ſi Deus illud tanto excipiat rigore? *Deſcendam, & videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Quomodo? peccatum habet ergo voces? Mortuum igitur non eſt, cùm clamet? quandoquidem ea, quæ mortua ſunt, non clamant. Sic eſt, Auditores, peccata habent voces, præſertim verò peccatum præſens, voces quæ penetrant uſque ad Empyreum, ut ibi Deum provocent ad ſingulare certamen. Peccata Deo veluti bellum indicunt, ipſum aggrediuntur throno ipſius aſſidentem, & omnipotentiam ipſius exinanire conantur. Quæ major malitia? Non habet ſatis ſuppliciorum infernus, quibus illa puniat.

Salomon l ait, *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* [l Eccl. 4. 13.] Triplex iſte funiculus eſt peccatum conſuetudinis, quod complectitur præſens, præteritum, & futurum; peccatum, è quo nemo niſi præ magno labore, imò verò prę miraculo, auxiliove Dei extraordinario reſurgere poteſt. Peccavit David, cùm adulterium commiſit cum Bethſabee, & virum ipſius Uriam pręcepit interimendum m; [m 2. Reg. 11. 4. &c.] ſed iſtorum peccatorum ſuorum veniam facilè impetravit, dicens, *Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris* n. [n 2. Reg. 12. 13.] Quare hoc? Ratio iſtius eſt, Auditores, Quia Rex David peccaverat prę infirmitate, *Miſerere meî Domine, quoniam infirmus ſum* o. [o Pſ. 6. 3.] Si verò peccator peccato ſuo aſſuefactus ſit, tunc vix, aut nunquam in bonam ſe poterit frugem recipere, *Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

Ubi mortuus fuit Lazarus, dixit Chriſtus diſcipulis ſuis, *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado,*

Digitized by Google

do, ut à ſomno excitem eum. Et deinde, *Dixit eis manifeſtè, Lazarus mortuus eſt. Venit itaque Ieſus: & invênit eum quatuor dies jam in monumento habentem* p.
p Jo. 11. 11. &c.
Ut oſtenderet, eum, qui ab exiguo tempore incidit in peccatum præ fragilitate, ab eodem poſſe reſurgere tantâ facilitate, quantâ homo dormiens excitari poteſt a ſomno ſuo. Sed cùm agitur de peccatore vitio ſuo aſſuefacto, qui eſt in peccato præſenti conſtitutus, neceſſariò ferè requiri miracula, qualia requiruntur ad ſuſcitandum mortuum.

q Pſ. 21. 7
David *q* loquens in perſona peccatoris, dicebat, *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Loquebatur Propheta de illis, qui torpent in peccato præſenti. Vidiſtis aliquando quò tendat labor bombycum, ſeu vermium qui faciunt ſericum: ita incumbunt nendo & texendo ſerico, ut ſeſe concludant tandem in carcere, ex quo impoſſibilis deinde eſt ipſis egreſſus. Idem planè accidit peccatoribus, qui torpent in peccato ſuo præſenti; *Prævaricantes prævaricati ſunt, & prævaricatione transgreſſorum prævaricati ſunt* r.
r Iſa. 24 16. & 17.
Sed quid inde ſequitur? *Formido, laqueus, & fovea.* Quis non miretur tantam prævaricationem quinquies repetitam, ut magis amplificetur peccatum horum impiorum? Non eſt id peccatum infirmitatis, quod ſtatim tranſit; ſed peccatum præſens, ſeu peccatum malitiæ, *Prævaricatione transgreſſorum prævaricati ſunt.* Sed quid inde accidit? *Formido*, debent illi ſibi cavere, perpetuo ſiquidem ipſi concutiuntur timore. *Laqueus*, ut oſtendatur peccatum fuiſſe transformatum in laqueum, qui ipſos ſic teneat alligatos, ut ab eo ſe vix in poſterum valeant extricare, quantùmvis ipſi velint, & recurrere ad pœnitentiam. Sed aliquid etiam pejus ſupereſt. Quid verò? *Fovea*; evidenti ſunt expoſiti periculo, è tam enormi peccato labendi ad foveam, & ad mortem ſalutis æternæ.

s Pſ. 71. 14
Comparabat David *s* hoc genus peccatorum cum contractu uſurario, quem pangit diabolus cum peccatore, dicens, *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.* Quis ex vobis neſciat, eò magis augeri uſuram, quò diutius differt creditor debitorem demittere; aliquando verò ita accreſcere, ut cùm ſolvendo non ſit debitor, neceſſariò foro cedat, aut in carcerem perpetuum detrudatur? Si autem peccator non potuit ſe diſponere ad ſolvendum, quando unici duntaxat peccati erat debitor; quonam pacto ſperare poterit ſe unquam eſſe parti læſæ ſatisfacturum, quando peccatum iſtud ad ſe multa alia traxerit? quia *Abyſſus abyſſum invocat.* Vix unquam ſuum debitum erit ſolvendo; *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

Cùm præcepiſſet Deus *Pharaoni* ſuperbo illi Ægyptiorum Monarchæ ut ſuum dimitteret *populum, ut in deſerto* ſibi ſacrificaret; videns illum Regem obſtinatum, & reſpondentem, *Iſraël non dimittam* t;
t Exo. 5. 1 & 2.
ait illi idem Deus, *Oſtendam in te fortitudinem meam.* Tu eris ſcopus iræ & indignationis meæ, exhibebo tibi ſanè poteſtatem, quâ polleam adversùs inimicos meos: *Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum* u?
u Exo. 9. 16. & 17
x Theodoret. q. 11. in Exod.
Theodoretus *x* ait, arma quæ adhibuerat Deus ad puniendum Pharaonem, infirmiora fuiſſe, & ex iis impium illum Regem deridendi Deum Iſrael anſam arripuiſſe: *Exiſtimans enim Pharao, Deum non poſſe gravioribus illum afficere ſuppliciis, mediocria flagella contempſit. Atque id ita ſe habere, docet hiſtoria.* Eximium Deum Iſraël! cavillabatur eum ſuperbus iſte Rex: validum bellatorem, qui nihil habet niſi *ſanguinem* y, *ſciniphes* z, *& locuſtas* a, quæ ſint arma armamentarii ipſius!
y Exo 7. 20.
z Exo 8. 17.
a Exo. 10 13.
Moyſes ait illi, *Novi autem quòd & tu, & ſervi tui necdum timeatis Dominum Deum.* Pharao autem reſpondet Moyſi, *Peccavi etiam nunc* b. Hoc verò *nunc* punit ipſe Deus, ſuper illud vibrat Deus ſua fulmina, ſicut ea vibravit in Pharaonem †, qui fatebatur ſe peccaſſe *nunc.*
b Exod. 9 30. & 27
† Exo. 14 27. & 28
Peccatum præteritum non erat ampliùs; nec in Scriptura ſacra legimus unquam punitum fuiſſe peccatum præteritum à Deo, quin unitum fuerit præſenti, ſicut id videmus in Pharaone, & in aliis ejuſdem farinæ hominibus *c*.
c Matth. 27. 4. & 5
Si verò Goliath, turris hæc carnea, hic incircumciſus, qui à ſic longo tempore inſurgebat in populum Iſraël, debellatur ab adoleſcente paſtore, ab ipſo David, qui ad ipſum venit baculo, quinque duntaxat lapidibus, & fundâ inſtructus, id evenit ob ſuperbiam ipſius præſentem, *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie* d; hodiernâ die, licèt jam *quadraginta* dies effluxiſſent, à quibus aliquem ex hoſtibus provocabat ad *ſingulare certamen.*
d 1 Reg. 17. 45. &c
In arenam deſcendit David: *Et dixit Philiſthæus ad David: Nunquid ego canis ſum quòd tu venis ad me cum baculo? Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & beſtiis terræ.* Sed *David* ſuperbi Goliath retundens tumorem, *interfecit eum, præciditq́ caput ejus.* Hoc infortunium accidit Goliath ob ſuperbiam ſuam præſentem, *quibus exprobraſti hodie.* Cùm mediante hoc peccato præſenti omnia alia veluti vocarentur ut caſtigarentur ſimul, eò quòd eſſent conſcia criminis ejuſdem.

Quàm magna difficultas invenîtur, Auditores, cùm exeundum eſt ex hoc peccato præſenti! quantus labor! cùm neceſſarium ſit ut cœlum totas ſuas inſumat vires, oporteatque ut Chriſtus ipſe in propria veniat perſona, qui triplicem hunc diſſolvat funiculum. Procedit igitur ipſe obviàm Saulo, qui ſibi propoſuerat exterminare omnes Chriſtianos, illi ſe manifeſtat, *Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* e?
e Act. 9 3. &c.
Non minùs requiritur quàm Deus, qui patret miracula, qui deſcendat è cœlo, qui queratur, ut convertat Saulum, qui tunc erat in peccato præſenti. Mementote, obſecro illius, quod accidit Ananiæ & Saphiræ uxori ſuæ, qui cùm vendidiſſent *agrum, & de pretio* f ipſius fraudaſſent, & interrogati a S. Petro num *tanti* vendidiſſent *agrum*, & non pluris, reſpondiſſentque ipſi, ſe vendidiſſe eum *tanti*, & non majoris, ſtatim mortui ſunt.
f Act. 5. 1. &c
At nunquid S. Petrus mortem intulit Ananiæ? Non interemit eum Petrus, ſed quia S. Petro catechizanti noluit credere, ideò è medio ſublatus eſt; ſatis autem catechizatus eſt ipſe & uxor ipſius ut cognoſcerent, quàm graviter deliquiſſent ſe fraudaſſe *de pretio agri, & Spiritui ſancto* mentitos fuiſſe, & ſtatim mortui ſunt præ dolore, corde ipſorum pœnitudine contrito.

Heu! peccator, ſi verba hominis ſufficiunt, ut illis auditis moriantur homines præ dolore, quid dices, cùm exprobrabit tibi Deus ſcelera tua? Si Ananias & Saphira mortui ſunt præ cognitione ſola culparum ſuarum, nonne majorem habes anſam timendi præ intuitu tot peccatorum, quæ commiſiſti? *Impii ſicut mare fervens, quod quieſcere non poteſt* g. Cujus undæ ſeſe ita ſequuntur invi-
g Iſa. 57. 20.

vicem, ut poſteriores ſint velut tumulus priorum, quæ ipſas præceſſerant; ſed impietas peccatoris, ad differentiam undarum maris, non moritur, ſed reperitur tota in morte, & ne vel unico greſſu à peccatore diſcedit, omnia peccata præterita eum comitantur, *Si egeris malè, ſtatim in foribus, peccatum tuum aderit* h, [h Gen. 4. 6.] ait Deus Cain. Peccatum tuum manebit foris, & more Helvetij haſtâ inſtructi clamabit, Hic hoſpitatur peccatum. Ha! quam pravum hoſpitem, cùm cœlum habeat infenſiſſimum ſibi!.

[II. Pars.] Sed quodnam remedium accommodum huic peccato præſenti, quod tanto Deus proſequitur *odio* †, [† Sap. 14. 9.] & quod tanta mala nobis infert ac incommoda? Vultiſne ſcire quale ipſum ſit? Ecce preſto eſt. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras* i. [i Agg. 1. 5. & 7.] Inſpicite quale iter uſque nunc ſecuti eſtis. Peccator, vir, ſeu fœmina, quiſque ipſe ſis, ingredere temetipſum, & dicito intra te: Quinquaginta jam anni effluxerunt à nativitate mea, & a tam longo tempore langueo in hoc vitio, nedum me ab illo ſubtraxerim; Sed quomodo? Moriame igitur in hoc peccato præſenti, in hac prava conſuetudine peccandi? inveniame talis ipsâ mortis horâ? vellemne mori tali in ſtatu, & ſubitaneâ morte è medio tolli? *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.* Impudice, uſque nunc ſecutus es viam voluptatum, laxis habenis cucurriſti poſt ſordidas tui corporis delicias; euge, ſequere alium tramitem, incede per viam ſecuriorem, per iter pœnitentiæ, quod infallibiliter ducet te in cœlum, ſicut via deliciarum tibi pandit aditum ad inferni abyſſum. Avari, fœnerarores *ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*, voluiſtis vobis divitias per fas perque nefas comparare, & ſic bona veſtris ſurripuiſtis proximis, viduas & orphanos oppreſſiſtis. Euge, ſequimini aliam viam, reſtituite, eleemoſynas erogate, ſuccurrite pauperibus, & auxiliamini ijs, qui ſunt in neceſſitate conſtituti: imitamini ſanctum Paulum, qui judicavit adoleſcentem quendam tradendum eſſe diabolo, qui eum poſſideret quoad corpus, ut ſalvaretur ipſius anima, *tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti* k. [k 1. Cor. 5. 5] Satanas nihil aliud ſonat niſi, adverſarius; ſecuti eſtis viam perditionis, tenete jam viam contrariam priori, ut ſalvare poſſitis animas veſtras, pergite per viam cœli; adhærete modo procedendi Magorum, qui redeuntes Jeroſolymis in Orientem, *per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam* l; [l Matt. 2. 12.] Secuti eſtis viam vitiorum, ſequimini modò viam virtutis, & ſanctitatis conditioni veſtræ convenientis.

Pœnitentiæ incumbentes, Auditores, hunc triplicem funiculum infringemus. Hæc autem pœnitentia ſita eſt in vera contritione, quæ procedit à Deo, quæ eſt donum Dei, & quæ intuetur Deum quatenus offenſum ut objectum ſuum, quę contritio efficit ut præteritum odio proſequamur peccatum, ut nos pœniteat præſentis, & proponamus nobis declinare à futuro, & ab occaſionibus, quæ in illud poſſent nos inducere patrandum. Sic eſt, Auditores. Deus enim non ſolùm nobis prohibet peccatum, ſed etiam occaſionem peccati. Vetat ipſe primis Parentibus uſum arboris *ſcientiæ boni & mali* m. [m Gen. 2. 17.] Sed non tantùm præcipit eis Deus ut fructus illius non comedant, imò verò ne illos tangant, *Ne comederemus* n, [n Gen. 3. 3.] ecce peccatum. *Et ne tangeremus*, ecce occaſio peccati, quam prohibet Deus, ſicut nobilis aliquis Vir, qui prohibet famulo ſuo non ſolùm ne comedat fructum, quem ipſe ſibi reſervat, ſed ne illum tangat.

Ideò dicebat Deo David, *Viam iniquitatis amove à me* o. [o Pſ. 118. 29.] Obſervat autem ſanctus Ambroſius p [p S. Amb. in Pſ. 118. 29. octo. 4.] ibi, David petere à Deo, ſe liberari ab occaſione, & à via peccati, *Non dixit, Amove me à via iniquitatis. Sed, Viam iniquitatis amove à me: quaſi in nobis ſit, & nobis ineſſe videatur.* Hoc eſt eximium donum, quo ſuos Deus afficit Electos, cùm ijs eripit occaſiones peccati. Idcircò volens liberare populum ſuum a captivitate tyrannica Pharaonis, præcipit filijs Iſraël ut omnia auferrent, & nullam rem penitus relinquerent, *Cuncti greges pergent, non remanebit ex eis ungula* q. [q Exo. 10. 26.] Non vult Deus ut aliquid relinquat anima in carcere peccati. Ideò ſic Deum deprecari poſſumus cum Propheta, *Viam iniquitatis amove à me.* Præcipit *Angelus* ſancto Petro in carcere conſtituto, *Circunda tibi veſtimentum tuum* r. [r Act. 12. 8.] Non eſt ordinarium hominibus in carcere detentis, portas carceris apertas intuentibus, ſe ita ritè veſtibus ornare; ſed id docet nos, quòd ubi Deus aperit fores carceris animæ, vult ipſe ut hæc anima nihil ibi dimittat, cujus ipſa meminiſſe poſſit, & quod ipſi poſſit eſſe denuò peccandi funeſta occaſio.

Ecce quomodo ſatisfieri poſſit Deo pro peccatis præterito, præſenti, ac futuro; & dolor poterit eſſe ſic intenſus, ut ſatisfacturi ei ſitis integrè pro omnibus peccatis veſtris & quoad culpam, & quoad pœnam. Præ confeſſione ſ [ſ Matth. 16. 19. & 18. 18. & Jo. 20. 23.] mederi poteritis peccato oris; præ contritione t [t Pſ. 50. 19.] peccato cordis, & præ ſatisfactione u [u Luc. 19. 8.] peccato operum, quæ ſunt tria quæ reſpondent huic triplici funiculo, qui ita *difficilè rumpitur.* Peccato præterito reſpondet deteſtatio, quâ adversùs illud afficimur; præſenti pœnitudo, cùm pœnitet nos illud perpetraſſe; & futuro firmum propoſitum, quod formamus nos in peccatum nunquam eſſe relapſuros. Felices igitur erimus nos, & millies felices, ſi dicere poſſimus præ vero doloris affectu, ut dicebant aliàs fratres Patriarchæ Joſeph, agnoſcentes quâ pœnâ condignè puniendæ ſint peccata noſtra ac ſcelera, *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum* x. [x Gen. 42. 21.] Ha! quanto jure de noſtris vindictam ſumit Deus ſceleribus, *Quia peccavimus in fratrem noſtrum* Jeſum Chriſtum, quem vendidimus, ut vendidit eum alias Judas y, [y Matth. 26. 14. &c] illum poſtpoſuimus Barabbæ z, [z Matth. 27. 21.] ſordidæ voluptati, proprio commodo, pravo affectui; ipſum damnavimus ad mortem maximè ignominioſam, *Attritus eſt propter ſcelera noſtra* a. [a Iſa. 53. 5.] Exceſſus noſtri illum his afficiunt pœnis, *Peccavimus in fratrem noſtrum.* Peccata noſtra ipſi mortem inferunt, hanc voluptates noſtræ ipſi propinant amaritudinem b; [b Jo. 19. 29. &c.] luxus noſter eum ſic nudum cruci ſuffixum exponit omnibus intuendum. Sed licèt enormes ſint iſtæ diſſolutiones, felices ſanè erimus, ſi dicere poſſimus more fratrum Joſeph, ſed in rei veritate, *Peccavimus*, tempore præterito offendimus; ſed tempore præſenti non ampliùs peccamus, pœnitet nos peccaſſe; proponimus nobis nos electuros eſſe in poſterum potiùs mortem, quàm peccatum. *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus?* In præterito dicitur, *peccavit*, ſed non peccat ampliùs tempore præſenti, qui aliàs peccator fuerat; totus Deo deditus eſt, eum laudat, eum benedicit, & ſanctè vi-

Digitized by Google

vivit ſacræ virtutis incumbendo exercitio.

Severam aliquam jure merito verebantur fratres Joſeph exceptionem, cùm eſſent venditionis ipſius conſcij c; ſed ipſos conſolatur Joſeph, ipſiſque animos addit, *Nolite timere, ego paſcam vos* d. Et, *Venite ad me; & ego dabo vobis omnia bona Aegypti* e. Eodem prorſus ſe gerit modo erga nos Dei Filius & frater noſter f Jeſus Chriſtus; etiamſi ipſum graviter offenderimus, obliviſcitur tamen injuriarum ſibi à nobis illatarum, ipſe, inquam, qui eſt frater noſter, quique nos majori proſequitur amore, quàm proſequeretur Joſeph fratres ſuos, quique potentior eſt ipſo Joſeph, qui nobis bona largiatur, dicens, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra* g. Adeamus igitur ipſum, & nihil vereamur, ut hortatur nos diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* h, cùm ait, *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed &, ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum* i. Qui cauſam noſtram tuetur, *Securum acceſſum jam homo habet ad Deum, ubi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera; Maria Chriſto pectus & ubera; nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia*, ait Arnoldus Carnotenſis k.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno l. Suſcipiet nos Deus ut prodigos reduces m, noſtrum *expectat* † duntaxat reditum. Si verò percuſſi fuerimus a ſerpente venenoſo peccati, intueamur hunc myſticum Serpentem, *Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet* n. Nimirum, *Chriſtum Crucifixum* o. Hunc igitur Serpentem p myſticum adire debemus fiducialiter, & accedere *ad thronum gratiæ*. Quandiu vivimus, hanc ab eo poſſumus impetrare *miſericordiam*; nos ipſos intuetur, ut noſtros ad ſe trahat oculos; manus habet extenſas, ut nobis ſuam largiatur in hoc mundo *gratiam*, & in altero gloriam ſuam ſempiternam.

c Gen. 37. 28.
d Gen. 50. 21.
e Gen. 45. 18.
f Rom. 8. 29.
g Matth. 28. 18.
h Jo. 21. 20.
i 1. Jo. 2. 1.
k Arnoldus Carnot. tractat. de laudib. Deipar.
l Heb. 4. 16.
m Luc. 15. 12 &c.
† Iſa. 30. 18.
n Num. 21. 9.
o 1. Cor. 1. 23.
p Jo. 3. 14. & 15

FERIA V. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.
Luc. 7. 12. &c.

COmmendabilis vigebat aliàs apud Antiquos hæc conſuetudo, quæ bonam conciliavit ipſis æſtimationem poſterorum, qui ex ea conſuetudine hauſerunt modos benè vivendi, & ritè procedendi in omnibus actionibus ſuis; quâ moralia præſcribebantur præcepta, & hieroglyphicis ſignificationibus exhibebantur intelligenda; veluti cùm vellent ipſi Veteres hominibus perſuadere contemptum mundi, & caducorum terræ objectorum, tunc repręſentabant eis calvariam corporis alicujus ab anima ſua ſeparati, præ hac inſcriptione, *Cogitanti vileſcunt omnia*. Verùm enim verò quidnam inveniri poteſt in terra, cui adhærere debeant fortiter affectus noſtri, cùm ſubjaceant omnia mutationibus atque viciſſitudinibus? *Cogitanti vileſcunt omnia*. Nihil eſt in hoc orbe inferiori, quod amorem noſtrum jure merito ſibi valeat vendicare, cùm in nulla re, quæ in ipſo ſit, poſſimus nobis complacere, quippe quę à nobis niſi per exiguum tempus poſſideri non poſſit. Moriendum eſt. Hæc importuna mortis infallibilis cogitatio deprimit, ac vile efficit quidquid eſt exquiſiti ac magnifici in quibuslibet objectis invenire. Virgo ſacratiſſima hanc veritatem ita apprimè intellexit, ut objectis omnibus renuntiaverit ſenſibilibus, nedum fuerit ijs alligata, ut firmiter ac intimè adhæreret Deo. Sic Archangelus proteſtatur ei Dominum eſſe cum ipſa, cùm dicit ipſi, *Ave Maria*.

Mirabile dictu, Auditores, nos educere ſanitatem è ſinu infirmitatis; maxima bona noſtra nos eruere è tribulationibus ac malis, quibus premimur, & vitam ipſam nos haurire è medijs mortis tenebris. Curationes Deus non agit ſemiplenas, nec imperfectas, *Dei perfecta ſunt opera* a. Præbens enim hodiernâ die vitam corpoream huic adoleſcenti, qui ad ſepulturam deferebatur, quodam modo vitam animæ reſtituit matri ipſius, quæ erat deſolata præ amiſſione hujus filij unicè dilecti, qui erat anima animæ ipſius, & fulcrum totius ſpei ipſius. Sed quàm adorandæ ſunt Divinæ Providentiæ diſpoſitiones b! quàm *bonus* c eſt Deus, qui affligit nos eo fine ut meliùs nos conſoletur, & qui vulneribus nos ſauciat, ut meliùs noſtris medeatur plagis. Non ignorat ipſe, qui peritiſſimus & maximè induſtrius eſt Medicus, quippe qui *venit quærere, & ſalvum facere quod perierat* d, nos eſſe debilitandos, ut inde confortemur. Sicut autem nihil magis habemus in votis, quàm ſanitatem, ſtrato nos alligat præ infirmitate, ut ad ipſum recurramus, qui medelam noſtro afferat morbo: imò verò præ infinita e miſericordia ſua neceſſitatibus noſtris opitulatur auxilio ſuo Divino, etiamſi illud inquirere nullo curemus modo.

Hujus veritatis exemplum habemus in Evangelio noſtro ſcriptis exaratum, in perſona hujus viduæ Naim, cujus lacrymas abſtergit Dei Filius. *Hæc vidua erat*. Nullum alium habebat ipſa filium, qui futurus eſſet baculus ſenectutis ipſius, quique poſſet faſtidia ipſius ſublevare, *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere*. Videte, quæſo, quonam pacto Salvator miſertus ſit hujus viduæ deſolatæ, ut oſtendat ipſe, ſe noſtris invigilare commodis, & à proprijs eximere nos miſerijs, cùm id ipſi viſum fuerit expedire, etiamſi à nobis ob hunc finem non rogetur. Lego enim in Evangelio hodierno celebrem hominum coronam, funebrem defuncti pompam cohoneſtantem, *Et turba civitatis multa cum illa*. Id eſt, matre ejus. Sed medias inter has exequias neminem lego, qui ſolicitus ſit de impetranda huic adoleſcenti defuncto vita. Illud autem quod ex his colligo exequijs, hoc eſt, eos homines, qui deducebant funus huic adoleſcenti elato, cogitaſſe

a Deut. 32. 4.
b Sap. 8. 1.
c Pſ. 118. 68.
d Luc. 19. 10.
e Baruch 3. 25.

intra ſe,ſemetipſos intra exiguum tempus futuros eſſe ſolicitos de curandis exequijs ſuis, ſimul ac

Diviſio. domeſticorũ ſuorum. Quod inducit me ut oſtendam vobis in priore parte hujus diſcursûs, mortis infallibilitatem intuitu omnium hominum. In poſteriori verò, præſentiſſimum remedium, quo quis ad eam ſe diſponat, eſſe illud, quo illam ſæ-

I.Pars. pè cogitet.

Præ omnibus veritatibus, quæ in Scripturis ſacris obſervantur ſimul ac profanis, illa reputari debet inter maximè infallibiles, quæ homines pro certo tenere jubet, ipſos unicâ vice eſſe morituros, *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mor-*

f Pſ.88. 49. *tem f?* ait David. Et Seneca g ſic loquitur, *Quo-*

g Senec. Epiſt. 24 *tidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit: infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam, uſque ad heſternum quidquid tranſit temporis, perit: hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus.* Omnes nos nati ſumus eâ conditione, eoque ſtatuto Divino nobis pronunciato, ut tandem morituri ſimus. In hunc non ſumus ingreſſi mundum, ut in eo æternùm permaneremus. Ex eo igitur eſt nobis diſcedendum quando, ubi, & quomodo Creatori noſtro videbitur expedire. Univerſis malis applicari poſſunt remedia aliqua opportuna, quorum interventu quis ab eis eximatur: Sed cùm de morte agitur, ab ea nemo poteſt declinare; nec aliquid poteſt inveniri in univerſo terrarum orbe, quod ab illius falce quempiam poſſit liberare, ut communi fertur adagio.

Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.

Homines induſtriâ aliquâ ſingulari vigentes, difficillima quæque exequuntur; margaritas ac lapides pretioſos ſecant & poliunt, igne excoquunt vitia metallorum, eaque expurgant, adamantes in pulverem redigunt, argentum vivum retentant, aurũ potabile efficiunt, & ferociſſima quæque cicurant animalia. Sed nullus ex illis medium aliquod comminiſci potuit, quo à lethiferis mortis ictibus declinaret. Nobis eſt omnibus neceſſariò moriendum; oportet ut ſemel omnes implacabilem illius experiamur falcem omnes homines indiſcriminatim ac promiſcuè ſuccidentem. Quicunque autem de hac veritate vellet ambigere, eſſet ipſe ſanè ſine oculis, abſque mente, & deſtitutus viſu, cùm non intueretur id, quod experientiâ familiari & quotidianâ nobis licet comprobare.

In ſeculo plena ſunt omnia periculis valdè formidandis; ſed quantùmvis magna ſint ipſa pericula, ſemper tamen aliquam concipiunt homines ſpem ab ijs declinandi, adminiculantibus fugâ, auro, argento, authoritate, poteſtate, induſtriâ, dolo, prudentiâ, & pluribus alijs hujus generis medijs: Sed cùm de morte agitur evitanda, hæc omnia prorſus ſunt inutilia; deridet mors hæc univerſa, nec ulla eſt induſtria, aut fraus, quæ ab ipſius falce nos poſſint eximere, aut impedire quò minùs ſubjaceamus omnes illius imperio, & nos omnes ipſa in pulverem & in cinerem penitus redigat. Sanguini aſſuefacta illa eſt ac carnificinæ, ferox ipſa eſt atque crudelis, condictiones ipſius ſeu aſſignationes ſunt abſque ulla mora, executiones ipſius ſine appellatione, cædes ipſius ſine miſericordia, & ictus ipſius omnes lethiferi, ita ut nulla relinquatur ſpes ab eis reſurgendi. Juxta apparentiam exteriorem ipſa eſt planè nuda, formamque præ ſe fert cadaveris. Sed figura hæc falſa eſt atque ementita: Verùm enim verò armis eſt ipſa inſtructa idoneis ad perimendos quoſcunque ipſa voluerit. Ipſa eſt veluti Amazon generoſa armis apprimè munita fortiſſimis, nec ullus eſt clypeus ſic durus, quem ipſius jacula circumquaque non perforent; neque aliquid eſt ſub cœlo, quod falcis ipſius aciem poſſit effugere. Uno tandem verbo, Non erat alicui naſcendum, ſi à legibus mortis ſubeundis immunis eſſe voluiſſet, cùm nullus exceptus ſit à conditionibus interitus, qui non ſit exceptus à conditionibus ortus & nativitatis. Numerus annorum, qui computantur a natalitijs noſtris, & progreſſus hic ætatis noſtræ nihil aliud ſunt niſi continua & non interrupta diminutio ſpatij, quo finito ſtatim nobis diſcedendum erit. Statim quippe ac incipimus vitam ducere naſcendo, eam incipimus amittere, ad mortem properando; ſicut ſtatim ac arena fluit in clepſydris, incipit horâ terminare, quam re verâ perficit ac complet, cùm tota penitus ipſamet fluxit.

Mors alijs videtur inſtituta ſolis, non verò nobis; ſive quia anima noſtra, quæ eſt immortalis *h* h Gen. 1

non ſecus ac Angeli, judicat conditionem cor- 27 &c.&

poris ſui conditioni propriæ æqualem, ſive quo- Matt.25.

niam amor proprius ſibimetipſi blanditur; & eò 34. &c.

quòd nos ipſi, qui nimiùm amamus nos, imaginemur res eo modo, quo eas deſideramus, nec velimus credere nos obnoxios eſſe infortunio, quod nunquam experimur. Cogitur tamen ipſa ratio agnoſcere id, quod ipſi ſenſus apprehendunt externi. Si enim ſermo ſit de Majoribus noſtris, qui præceſſerunt nos; ſi legantur in Hiſtorijs ſacris æquè ac profanis inſtitutiones Monarchiarum, ſequela ſummorum Pontificum, Prælatorum, Principum, Regum, ac Imperatorum; Si demiremur reliquias venerabilis Antiquitatis, amphitheatra, ſuperba ac magnifica ædificia, ſpecioſiſſimas civitates, & alia hujuſmodi exquiſita per univerſum orbem diſperſa; hæc omnia ſignificant, univerſos homines, ex quibus iſta proceſſerunt, mortuos eſſe, noſque, cùm ſimus ejuſdem conditionis, cujus erant illi, eidem ſorti ſubjacêre; ſecula futura de nobis eſſe locutura, ſicut nos differimus de temporibus præteritis; noſque tandem aliquando reponendos eſſe in numero eorum, quæ non ſunt ampliùs.

Heu! qualibus agitationibus homines immergit hæc funeſta idea! quibus & quantis anguſtijs percellitur ipſorum anima! *O mors quàm amara eſt memoria tua i!* Heu! quàm amarum i Eccl.

nobis eſt, inquiunt illi, ſcitu nos ſpoliandos eſſe 41.1.

tandem hâc vitâ, quâ impræſentiarum fruimur! Saltem ſi mereri poſſemus exemptionem ab hoc vectigali & tributo patratis generoſis aliquibus facinoribus; ſi immortalitas pretium foret virtutis; ſi implacabilis hæc mors infirmiores duntaxat ac imbecilliores è medio tolleret homines, ſi revereretur ipſa ſceptra, diademata, & generoſos Viros, relinqueretur aliquis locus nobis eludendorum jaculorum ipſius: Sed nulla eſt poteſtas in terra, quæ poſſit ipſi reſiſtere; nullo ducitur ipſa motivo, ratione cujus alicui parcat: Ipſa dignitatibus non ignoſcit, nec ætati, nec ſexui, nec pietati, nec ſcientijs, *Moritur doctus ſimul & indo-*

ctus k. Boni & mali, Juſti & impij, ſapientes & k Eccl. 2,

ſtulti, omnes tandem homines indiſcriminatim 16.

lethiferâ mortis ſucciduntur falce. Hæ ſunt va-

na

næ querelæ illorum, qui cor ſuum terræ ſic habent alligatum, ut in eâ perpetuò immorari vellent. Heu! quàm moleſtum eſt illis, ut cogantur deſerere illa, quæ ipſi tanto proſequuntur affectu, amittere amplas poſſeſſiones ſuas, exire è magnificis domibus ſuis, evelli è ſuaviſſimis conſortiis, & ſubitò à tot ac tantis avelli voluptatibus, honoribus, ac divitiis!

Ipſis ſanè quædam eſt deſperationis ſpecies cogitantibus, eripiendam ſibi tandem aliquando eſſe vitam, quam ita diligunt; & licèt ipſi apprimè ſciant, ſe tandem eſſe morituros, ſeque non natos fuiſſe immortales, procraſtinant ipſi tamen quantùm poſſunt, &, more pravorum diribitorum, conantur, quam poſſunt tardiſſimè, illud debitum tributumve commune naturæ perſolvere. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Quantis amaritudinibus afficit vel ipſa mortis recordatio famulos mundi, eos nimirum, qui totam ſpem ſuam ac requiem ſuam conſtituunt in bonis vitæ temporaneis: Sed ſervis Dei, iis videlicet, qui ſupremum bonum ſuum non collocant in rebus caducis ac corruptibilibus hujus ſeculi; iis, qui ſolam intuentur beatam æternitatem, mortis memoria eſt ſuaviſſima, ipſorumque cordi ſimul & ori gratiſſima. Mors ipſis eſt veluti pons maximè ſecurus, per quem ſine ullâ formidine tranſeant à ſeculo ad Deum, è terrâ ad cœlum, & ex infortuniis hujus vitæ præſentis ad felicitatem ineffabilem glorioſæ æternitatis. Non ſubminiſtrat ipſis mors anſam timendi, aut tremendi, ſicut illi, cui dicitur, *Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem paraſti, cujus erunt* l?
Luc. 12. 20
Sed potiùs occaſio gaudii & lætitiæ incomparabilis ipſis eſt.

Si verò aliquando natura conſervationis ſuæ æmula, quippe cui dolores ſunt inſenſiſſimi, opponit ſe huic diſceſſui importuno; ſi verita ſui ipſius deſtructionem, totos ſuos adhibet conatus, quibus ſuæ impediat jacturam vitæ: Attamen anima & ratio repræſentantes illis locum, ad quem iſte finis ipſos dirigat, agunt ut ſummo mortem ducant honori, eam præ voluptate ſuſcipiant, & more cygnorum concinant & exultent, quando ipſos vocat mors, & ad ipſos accedit. Ipſis eſt mors non ſecus ac tabula chalybea, per quam tranſeant hoc mare procellis ac tempeſtatibus calamitatum hujus mundi agitatum, & ex hoc appellant ad Oceanum immenſum voluptatum, ad illam deliciarum ſatietatem, quæ reperitur in contemplatione faciei Divinæ, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* m.
m Pſ. 16. 15
Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen n.
n Pſ. 35. 9. & 10

Pretioſam aſſerit Propheta eſſe Juſtorum mortem, peſſimum verò impiorum interitum; *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* o.
o Pſ. 115. 5
Mors peccatorum peſſima p.
p Pſ. 33. 22
S. Bernardus q hunc
q S. Bern. Epiſt. 105
poſteriorem explicans Davidis locum, ait, mortem peccatorum eſſe malam, pejorem, & peſſimam. Mala eſt, habitâ ratione deſertionis generalis hujus mundi, & eorum omnium, quæ ipſi diligebant, quibus ultimùm valedicere tenentur, *Mors peccatorum mala in amiſſione mundi.* Pejor eſt ob ſenſibiles & acres dolores, quibus afficiuntur ipſi extremo hoc tranſitu adveniente, ultimo hoc momento, quo anima ſeparatur à corpore, cui ſic intimè erat ipſa unita. Et licèt omnes homines patiantur, cùm diſſolvuntur illæ duæ partes principes, quas Deus & natura ita ſtrictè conjunxerant, nihilominùs anguſtiæ impiorum ſunt aliquo modo atrociores, imò verò infinitè acerbiores, quàm ſint anguſtiæ Bonorum, quia diaboli illorum animas evellunt è corporibus ipſorum, quod agere illi nequeunt ſine ingenti ſævitiâ ipſis ordinariâ, *Pejor in ſeparatione carnis.* Peſſima illa tandem eſt in tormentis inferni; *Peſſima in vermis, ignisque* r *duplici contritione* ſ.
r ex Iſai. 66. 24
ſ ex Jer. 17. 18
Triplici ratione *pretioſa mors Sanctorum* eſt, ait idem S. Bernardus t,
t S. Bern. loco ubi ſuprà.
Bona proinde mors Juſti propter requiem; melior propter novitatem; optima propter ſecuritatem. Quod reddit mortem Sanctorum ita glorioſam, eſt primò conſolatio, quâ perfunduntur ipſi videntes labores, quos pertulerunt vacantes obſequio Creatoris ſui, terminum ſuum eſſe ſortitos. Secundò eſt oblectamentum, quo afficiuntur, eò quòd mutaverint vitam ſuam in meliorem, intuentes ſe poſſidere vitam novam, vitam gratiſſimam, vitam maximè deſiderandam, cùm vita, quam amiſerunt, eſſet miſerrima. Tertiò tandem eſt infallibilis ipſa ſecuritas, quâ potiuntur, perfuſi ſuavitatibus ineffabilibus, quibus per infinita fruentur ſecula.

Sublimiſſimæ conceptiones ſunt re verâ nimis depreſſæ, quæ exprimant ut par eſt quam ſit *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*; quanta ſit felicitas animæ, quæ exit ex hâc vitâ in ſtatu gratiæ, & veluti triumphans ipſum cœlum ingreditur; quàm magna ſint lumina, quæ ipſi oſtendant omnes veritates; quanta ſint gaudia, quæ repleant omnia ipſius deſideria; & quanti ſint torrentes voluptatis ſemper novæ, & ſemper æqualis, quæ ipſi ſupremi Boni u fruitionem largiatur.
u Exod. 33. 19
Mori debemus omnes, Auditores, & Boni & mali, Juſti æquè ac impii. Mors nemini parcit, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* x.
x Hebr. 9. 27
Decretum iſtud neminem excludit. Coacervate, ſi velitis, omnes theſauros, cunctos amicos, totas vires, univerſas induſtrias imaginabiles; cùm hæc omnia egeritis, moriendum tandem vobis eſt; oportet ut hoc corpus, quod ſic delicatè excipitis, uſum amittat ſenſuum, corrumpatur, putreſcat, & in vermes ac in cineres aliquando redigatur.

Cùm igitur moriendum nobis ſit neceſſariò, ne renuamus mori, moriamur æquo & libenti animo, cùm Domino videbitur expedire. Sed caveamus ne moriamur morte peccatorum, quin potiùs cum Baalam, etiamſi Pſeudoprophetâ, ardenti feramur deſiderio moriendi morte Bonorum, dicentes, *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia* y.
y Num. 23. 10
Ha! quis concedet mihi ut tollar è medio morte hominum probatæ vitæ & famulorum Dei? Vivere multum aut exiguum tempus, non eſt id maximi momenti, tota autem ſita res eſt in fine vitæ, ut eam quis laudabili morte terminet. Quonam me damno poſſunt afficere univerſæ vitæ hujus infortunatæ miſeriæ, ſi moriar in ſtatu gratiæ, præ me ferens pignus æternæ gloriæ? Et quaenam afferre mihi poſſunt utilitatem omnes voluptates, omnes proſperitates, omnes divitiæ, & omnes dignitates præſentis ſeculi, ſi tandem in profundas inferni abyſſos abiturus ſim?

Etiamſi per annos quadraginta aut quinquaginta moderati eſſetis imperii totius orbis habenas, quid vobis prodeſſet iſtud, Auditores, ſi in mortem incurreretis æternam? Quàmvis multa

eſſetis fœnerati, innumeras exercuiſſetis injuſtitias, & infinitis indulſiſſetis voluptatibus ac impudicitiis; licèt effrænibus veſtris affectibus omnino ſatisfeciſſetis, vindictas ſanguinolentas de omnibus inimicis veſtris ſumpſiſſetis; non ſecus ac alter Sardanapalus vixiſſetis, & omnium tandem ſcelerum colluvie vos conſpurcaſſetis, quid ſperatis eſſe proventurum vobis ex iis omnibus patratis exceſſibus ac facinoribus, niſi timores & tremores infinitos, imò verò ipſam deſperationem, quam ſupplicia ſequentur æterna? Perpendamus iſta omnia ſeriâ reflexione, Auditores, obſecro vos, & noſtras omnes adhibeamus curas & induſtrias ne moriamur morte peſſimâ *peccatorum*; ſed potiùs conemur mori morte *Iuſtorum* & famulorum Dei pretioſâ, dicentes, *Moriatur anima mea morte Iuſtorum; & fiant noviſſima mea horum ſimilia.* Deferamus præ virtute id, quod nobis ſemper eſſet deferendum præ neceſſitate. Eligamus virtutes ſolidiſſimas, & earum incumbamus exercitio. Agamus intuitu ſolius æternitatis, & ſic diſponamus nos, ut mors adveniens, nobis potiùs ſpem inſpiret, quàm timore nos concutiat.

II. Pars. Utiliſſima & maximè neceſſaria totius Philoſophiæ Chriſtianæ lectio, ea eſt, quæ docet nos quonam pacto nobis benè moriendum ſit; lubrica enim via ea eſt, per quam ad mortem pergitur, quæ, ſi ritè in eâ inceſſerimus, infallibiliter ad vitam nos deducit perenniter beatam; ſi verò in illâ prolabamur, ad infelicitatem nos ducit ipſa æternùm miſeram; caſus quippe, qui in ipſâ fiunt, nullo poſſunt reparari modo. Innititur hæc veritas axiomati univerſali generatim ab univerſis Philoſophis admiſſo, *A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Cùm enim mors (propriè loquendo) nihil aliud ſit niſi privatio vitæ, nullus admitti poteſt reditus ad priorem formam, quâ nos illa ſpoliaverit, quin recurratur ſtatim ad Potentiam Divinam a, & ideò cùm
a 1. Cor. 15.52.&c. percurrentes ejuſmodi viam, labimur, lapſum noſtrum penitus reparare non poſſumus. Moleſtus re verâ ac importunus eſt mortis tranſitus, ſtrictus, petriſque ac ſpinis circumdatus, præterquàm quòd in eo percurrendo, innumeræ deprehenduntur ambages, & occaſiones infinitæ aberrandi à recto tramite. Si peregrè proficiſci vellit quis in regionem longinquam, ſtatim ſatagit edoceri viam, quæ illuc rectà dirigat, prævidet pericula & infortunia quæ ſibi evenire poſſint, omnemque apparatum ad eam itinerationem ſuſcipiendam neceſſarium diſponit; & tunc lucrum, honor, oblectamentum, aliave ſimilia motiva poſſunt ipſum ad eandem itinerationem ſuſcipiendam inducere; ſed id quod ipſum ad hanc itinerationem aggrediendam magis impellit, eſt ſanè, ſi neceſſariò debeat eam aggredi, & ab hoc itinere ſuſcipiendo non poſſit ſe diſpenſare penitus. Magna nobis omnibus ac ſingulis peragenda eſt itineratio ex hoc mundo in alterum, quam ſuſcipimus eâdem horâ, quâ morimur; hæc ſanè eſt itineratio, à quâ nemo poteſt diſpenſari; moriendum eſt, hanc unuſquiſque callet veritatem infallibilem, quam vobis ego jam probavi, præterquam quòd decreta Dei, lex naturæ, ipſa ratio, & experientia quotidiana nihil nobis altiùs & clariùs annunciant quàm hanc veritatem: Neceſſarium eſt igitur ut ad eam nos ritè diſponamus. Omnia nos ad eam invitant. Utilitas quidem; agitur enim de comparando nobis cœlo, & de divitiis æternis acquirendis. Honor verò, quia proponitur nobis gloria æterna poſſidenda. Oblectamentum autem, quoniam incomprehenſibilium promittitur nobis ſatietas deliciarum. Ad eam tandem nos omnia inducunt motiva, quæ ad illam etiamſi nos non impellerent, cùm neceſſario nobis moriendum ſit, omnes noſtras curas ac induſtrias inſumere deberemus ut ritè moreremur.

Ars bene moriendi non addiſcitur niſi arti benè vivendi incumbendo. Ordinariè quippe qui malè vivit, malè moritur, niſi diſponat Deus aliter præ miraculo. Qui verò benè vivit, nunquam malè moritur, vel lateret ibi aliquod judicium impenetrabile, cujus Deus notitiam nobis non præbuiſſet. Præſentiſſimum igitur medium, quo quis uti debet ut benè moriatur, non eſt aliud niſi ut benè vivat; modus autem bene vivendi is eſt, ut quis mortem frequenter cogitet. Hunc modum edoctus ſum ab Eccleſiaſtico a, *In* a Eccli. 7.
omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in 40
æternum non peccabis. Cogita mortem quæ eſt primus & maximi momenti præ cæteris finibus tuis extremis: antequàm aliquid aggrediaris, examina ſeriò quænam ſint intentiones tuæ, *in omnibus operibus tuis*, perpende eas ſedulò, cùm alicui actioni tibi erit incumbendum; ſi verò actiones occurrant aliquæ, quas perpetrare non auderes, ſi te in flagranti delicto mors eſſet deprehenſura, cave ne eas ad exitum perducas, *& in æternum non peccabis.* Si enim benè vixeris, benè morieris; ſi autem malè vixeris, vix bene morieris. Cogita igitur frequenter mortem, quia illius memoria infallibiliter pœnitudinem, emendationem, & ſolicitudinem operatur. Cùm meminit ſeriò Chriſtianus mortis, illius memoria producit in corde ipſius contritionem, quà ipſum pœnitet offendiſſe Deum, conſiderans eum ſe inſurrexiſſe in eum, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* b, quique talis eſt futurus b Act. 10.
ipſo mortis noſtræ articulo, conatur ſtatim de- 42
vincire ſibi *miſericordiam* c ipſius, ab eo ſuorum c Pſ. 50. 2
veniam poſtulando peccatorum. Producit emendationem, quia contritio foret imperfecta, niſi ipſam ſequeretur emendatio. Solicitudinem tandem generat, quoniam cùm quis in hoc novo ſtatu incipit degustare conſolationes, quibus perfunditur vitæ probatæ homo, in eudem conatur ſe ſtatu conſervare.

Ha! quam proficua eſt animabus noſtris ſola vel mortis recordatio, cùm vel ſola illius apprehenſio & ſeria cogitatio omnes pravos habitus noſtros ad nihilum redigat, ab amore ſeculi & peccati nos eripiat, à voluptatibus carnis ſectandis nos diſtrahat, exercitium virtutum perfectè Chriſtianarum penitus nobis ſuadeat, & ad ſacrificanda bona noſtra, imo verò vitam noſtram propter gloriam Dei nos inducat! Verùm enim verò legimus de S. Joanne Eleemoſynario, quòd, cùm ſepulchrum, quod ipſe ſibi erigendum præceperat, jam jam eſſet perficiendum, juſſit ipſe architectis ne ulteriùs progrederentur, ſed illud ſic imperfectum relinquerent, imperans cuidam ex ſuis Sacerdotibus ut diebus ſingulis ſibi annunciaret, ſepulchrum eſſe imperfectum, ac ideò ut ipſe ſatageret illud perficiendum, ut repetitis iterùm atque iterùm, ſeu quotidie his monitis ſalutaribus, memoriam mortis ſemper haberet præſentem ſanctiſſimus iſte Pontifex, cùm eſſet hæc recordatio iſti Viro ſanctiſſimo

maximè

maximè proficua, nobiſque ſit maximè neceſſaria ut nobis tandem ad æternam felicitatem viam pandat.

Omnes Sancti, qui præceſſerunt nos, hanc recordationem maximi duxerunt; in academiam mortis perrexerunt, ut ibi edocerentur benè vivendi modum. Imò verò ipſi Ethnici ſupernaturali fidei lumine deſtituti, & ſolo rationis radio
d Pſ. 47 d illuſtrati, verè cognoverunt quanta foret hujus memoriæ utilitas. Primum ſiquidem ferculum, quod menſæ apponebatur alias ab Ægyptiis, in ipſorum conviviis, erat imago mortis cum effato quodam, quod pronunciabat ille, qui eam menſæ apponebat, admonens convivas ut non tam delicias ex illo convivio deſumendas, quam mortem cogitarent, cùm futuri eſſent ipſi aliquando ſimiles illi cadaveri, quod ipſis exhibebatur inſpiciendum, ac feriò perpendendum. Cæſares verò incedentes, præ ſe ferendam facem accenſam, quæ paulatim conſumebatur, præcepiſſe perhibentur, quippe qui exiſtimarent digniſſimam omnium, quas formare poſſet Monarcha, cogitationum eam eſſe, quâ conſideraret ſe citò eſſe moriturum, ut ad mortem ſicut par eſt ſe diſponat, ne ſplendor magnitudinum ipſius, oculis ipſius offundat caliginem.

Ut benè moriatur quis, diebus ſingulis unicâ ſaltem vice debet mori, ſeu potiùs deſiderare, ut quælibet hora, quam tranſigit, ultima vitæ ſuæ ſit hora, ita ut ſit hodiernâ die victurus, quaſi hodiernâ die ſit è vivis exceſſurus. Hæc ſeria cogitatio, ſeu deſiderium iſtud nos ad bonum excitaret agendum, & ad pravos mores noſtros induceret reformandos; ita ut in omnibus quæ in nobis ſunt, aut à nobis procedunt, glorificaretur Deus, nedum offenderetur, aut proximus læderetur. Huic incumbere ſeriæ debemus reflexioni, innixi incertitudini diei vel horæ mortis noſtræ, cujus nos admonet Dei Filius, *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam* e. *Et vos eſtote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet* f. Vigilare igitur debetis, & diſponere vos, quia dies &
e Matth. 25.13
f Marc. 12.40
hora obitus noſtri vos latent, & fortaſſe cùm mortem minimè cogitabitis, deſerenda à vobis erunt univerſa; ideò enim Deus extremum diem noſtrum nobis voluit eſſe abſconditum, & horam obitus noſtri incognitam, ut dum ſemper neſcitur, jugiter proximam credamus eſſe nobis hanc diem, vel horam; & tantò ferventiores efficiamur in agendo, quantò & incerti ſumus de tempore quo vocandi ſumus: ut ſic incerti de die aut horâ mortis noſtræ, jugiter ad interitum parati ſimus ſuſcipiendum. Inducamus igitur animam noſtram ut rationem reddat ſui procedendi modi; interrogemus eam perſæpè his verbis: Anima mea ſi jam jam diſceſſura eſſes ex hoc mundo, foreſne parata ut appareres ante tribunal formidandum Judicis ſupremi *vivorum & mortuorum*? agitariſne conſcientiâ alicujus peccati lethiferi, pœnitentiâ ſalutari nondum expiati? ſupereſtne aliqua facienda ſatisfactio aut reſtitutio, quæ non ſit penitus completa? torpetne in hoc corde inimicitia aliqua, deſiderium aliquod vindictæ, aliqua amoris mundani macula, pravus aliquis affectus ſecularis, quæ poſſint gloriæ beatæ poſſeſſionem differre? infringendæ ſunt hæ catenæ, rumpenda ſunt hæc vincula, propriæ invigilandum eſt ſaluti, nihili honores, divitiæ, & voluptates ducenda ſunt, ut noſtram operemur ſalutem.

Ha! quàm inſenſati & mente capti ſunt homines hujus ſeculi, quippe qui exiſtiment nihil amarius eſſe in vitâ humanâ, quam ut quis frequenter mortem cogitet oppetendam, & idem planè eſſe ac mori, & non vivere, ſi quis perpetuam mortis memoriam ſecum animo circumvolvat. Ego autem aſſeveranter dico, nullam eſſe in mundo cogitationem ſuaviorem eâ, quâ ſeriò perpenditur fortunatus ad beatam & perennem immortalitatem tranſitus. Cùm enim ſedulò recogito, me benè morientem fruiturum Deo & voluptatibus æternis gloriæ cœleſtis, meque potandum *torrente* deliciarum, quibus inebriantur Beati in Empyreo, cor meum gaudio liqueſcit, & anima mea ineffabili perfunditur ſuavitate.

Quoſnam autem putetis eſſe eos, qui poſt mortem ſuam non deſcendunt in infernum? Illi planè ſunt, qui viventes perſæpè illuc cogitatione deſcendunt, memores illius, quod concinit Pſalmographus g, *Deſcendant in infernum viventes.* Sed heu! quandiu quis vivit, non cogitat g Pſ. 54.16
mortem, quandiu verò mors imminet, nemo cogitat niſi vitam, eamque retinere, quantùm in ipſo erit. Sed poſt mortem inſigni quilibet dolore afficitur, imò verò æternâ deſperatione opprimitur, quia tunc intuetur quouſque inſaniæ proceſſerit, cùm ita pravè vixerit, & ita malè providerit rei tam maximi momenti. Mirabile dictu! Intuemur inſignes & eximios Viros, qui poſſent regnorum habenas ritè moderari, qui magno tamen ſunt ſtupore concuſſi, cùm ipſis imminet mors. Unde autem procedit iſtud? E defectu cogitationis. Quomodo autem poterit quis benè exequi rem aliquam, quam nunquam cogitaverit? Qualem infelicitatem! intueri homines ſic ſapientes ita ſtultè mori. Quid verò prodeſt nobis ſcire totam Philoſophiam, ſi quod in eâ eſt præcipuum ac maximi momenti ignoremus, quod in eo ſitum eſt, ut vitam noſtram beato coronemus fine? Verum quidem eſt, quod præciſe non eſſet neceſſarium ut mortē cogitaremus; ſed cùm fides & ratio doceant nos, animam noſtram eſſe immortalem, & poſt hanc vitam ſupereſſe alteram, in quâ omnia opera noſtra aut ſuppliciis afficientur, aut mercede donabuntur per totam æternitatem †, hæc nobis ſic eſt ne- † Matth.
ceſſaria cogitatio, ut maximè ſerias animi noſtri 25.46.
exigat attentiones. Idcircò mecum concludite, noſtrâ maximè referre ut proponamus nobis hunc tranſitum veluti objectum meditationum noſtrarum, & ut benè diſponamus nos ad ſtatum, in quo ſemper ſimus permanſuri.

Quid agitis mortales? quid quæritis? quò pergitis? poſt quamnam rem curritis? & quid cogitatis, cùm mortis non meminiſtis, & ad eam vos non præparatis, cùm hora illius ita vobis ſit incerta, ut fortaſſis finitâ hâc concione alicui veſtrûm ipſa ſit eventura, quod avertat Deus? Idcircò hâc ipſâ horâ, hoc ipſo momento, quo vobis Verbum annuntio Divinum, præparate vos ad eam per verâ converſione animæ veſtræ ad Deum; aggredietur vos illa fortaſſis, cùm ipſius adventum minimè cogitabitis, obviàm igitur ei præite, & dicite mecum Deo.

Tuâ nimis, Deus clementiſſime, abuſus ſum patientiâ, quâ *misereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* h. Nimium inſumpſi & diſſipavi tem- h Sap. 11. 24
pus

i Jer. 3. 2. pus ad proſequendas affectu pravo creaturas *i*, ad ſaginandum meum corpus, ad amandum præ exceſſu tale & tale objectum, nunc mihi propono infringere catenas & rumpere vincula, quæ me veluti captivum alligabant; nolo ampliùs differre; nimiùm quippe diſtuli, nihil volo niſi teipſum. Deteſtor omnia peccata præteritæ vitæ meæ, tales ac tales affectus inordinatos, qui dominabantur mihi; hanc inimicitiã, & hoc odium, quæ ita cordi meo adhæſerant, ut, ſi pugione confodere potuiſſem eum, quem oderam, libentiſſimè eum è medio ſuſtuliſſem. Abuminor tale conſortium contagioſum, & talem occaſionem lethiferam, quæ me ad te offendendum inducebant, quæ nullum in poſterum ad me habebunt acceſſum. Malo potiùs vitam amittere, quàm firmam voluntatem, quâ propono mihi modò incedere in viâ Divinorum mandatorum tuorum toto tempore vitæ meæ. Ignoſco ex toto corde meo omnibus mihi infenſiſſimis, dimitto omnes injurias mihi ab inimicis meis irrogatas, obliviſcor omnium contumeliarum mihi ab aliis illatarum, etiamſi obſint illæ bonæ famæ meæ, & exiſtimationi, quam de probitate vitæ meæ conceperant homines, earum ampliùs meminiſſe nolo, exemplum ſecutus tuiipſius, qui dicebas Patri tuo, *Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt* k. Parce mihi, *k Luc. 23. 34* obſecro te, & concede ut nunquam tranſgrediar mandata tua, & ut me præparem ad mortem, quæ ſit mihi veluti pons, per quem mediâ gratiâ tuâ tranſeam, & perveniam ad gloriam tuam ſempiternam.

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE.

Domine, ecce quem ames, infirmatur. Joan. 11. 3. &c.

HÆc eſt epiſtola, quam ambæ Lazari *ſorores* Martha & Magdalena ſcribunt hodiernâ die Salvatori, ipſum admonentes, fratrem ſuum Lazarum gravi infirmitate laborantem decumbere, nedum audeant ab ipſo ſanitatem, aliamve rem expoſtulare, cùm ipſæ ſint certiſſimæ, eum, cùm ſit verus & perfectus amicus, non infracturum eſſe leges amicitiæ, talique beneficio, quod ipſi videretur expedire, ab illo cumulandum eſſe fratrem ſuum, ut ei amicitiæ ſuæ erga eum teſtimonia perhiberet. Martha præ familiari conſortio Domini Salvatoris, quo aliàs ipſa uſa fuit, cùm interdum apud ſe hoſpitio eundem *excepit*
† Luc. 10. 38 † Dei Filium, teſtatur nobis ſe ritè agnoviſſe Chriſtum non eſſe immemorem beneficiorum, quibus ab ipsâ ipſe exceptus fuit, cùm ipſa eum obſecret ut ſua ipſius perſolvat obſequia in perſonâ fratris ſui decumbentis. Magdalena ſatis nobis exhibet ſe alias tramitem amoris eſſe ſecutam *a*, cùm ipſa non ambigat, Chriſtum, qui
a Luc. 7. 37 diligit fratrem ſuum, admonitum infirmitatis illius, ſtatim ſanitatem priſtinam ei eſſe redditurum. Lazarus autem qui agitatur anguſtiâ & languore morbi ſui, edocet nos quanti ipſe æſtimet poteſtatem, quâ mulieres dominantur cordibus virorum, cùm ipſe adhibeat hodiernâ die ſorores ſuas, quæ Salvatorem mundi ad ſeipſum inviſendum inducant, & ſuaviter ad hoc eum devinciant.

Apprimè procedit Martha, convivia ſiquidem, quibus excepit ipſa mundi Salvatorem ad conſervandam vitam ipſius, compenſabuntur vitâ integrâ, quam daturus eſt ipſe fratri ipſius Lazaro, poſtquàm mortuus fuerit. Magdalena id benè intellexit, ſiquidem tam bonus amicus nollet inſimulari defectûs, ſe permiſiſſe ut amicus dilectus moreretur, nullo ei præbito auxilio, etiamſi illum ſuſcitare deberet, eique vitam amiſſam reſtituere, vel illi novam dare. Lazarus autem, qui erat nobilis juvenis ritè edoctus eſt poteſtatem, quâ viguerint alias illuſtres mulieres, quando voluerunt dilectionis ipſius erga ſeipſas ab ipſo ſibi exhiberi probationes, cùm exigua & breviſſima epiſtola, quam juſſit conſcribendam à duabus ſororibus ſuis Filio Dei, qui ipſarum amore ſanctè & Divinitùs captus erat, effecerit, ut ipſe inceſſerit ipſius uſque domum, renuentibus & renitentibus Apoſtolis, & feria alia deſeruerit exercitia, ut Bethaniam veniret, ibique ſanitatem ipſi priſtinam reſtitueret (niſi jam mortuus eſſet) aut ipſi novam vitam daret (ſi ipſum in tumulo jacentem inveniret.) Salvator autem meus præ omnibus his teſtimonia de ſeipſo perhibet interventu plurimorum miraculorum, de quibus diſcurſurus ſum in hâc hiſtoriâ miraculosâ, ſi eodem mandato, quo Lazarum quatriduanum, *jam* fœtentem ſuſcitavit è tumulo, eruat ex ore meo conceptiones omnes in tumulo cordis mei reconditas; quod mihi polliceor, non adminiculantibus mihi duabus his ſororibus Marthâ & Mariâ, ſed adjuvante me alterâ Maria Matre ejuſdem Salvatoris, poſtquàm ei ſalutationem obtulero Angelicam his verbis, *Ave Maria.*

Pſalmographus *b* veluti loquens in perſonâ *b Pſ. 138. 7. &c.* Lazari, apertè propalat hodiernâ die mirabilia, quæ peraguntur circa miraculum reſurrectionis ipſius, cùm ait, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam?* Ac ſi diceret, Proprium eſt, Domine, adoleſcentibus, qui tempore adoleſcentiæ ſuæ aliquâ potiuntur libertatis ſpecie, velle declinare à præſentiâ tuâ Divinâ, ut meliùs ſint ſuiipſorum & affectuum ſuorum domini: Ego verò qui arctiori & ſtrictiori tecum familiaritate conjunctus ſum præ cæteris omnibus, leges communes non ſum ſecutus; agnovi enim impoſſibile eſſe ut quis ſubterfugiat præſentiam tuam; hanc autem edoctus ſum veritatem, cùm illius probationem deſumere volui quatuor diebus integris, quibus cùm non eſſem tecum, omne conſortium dereliqui, oculos meos claudens funeſtâ morte abreptus; ſed ſtatim ac anima mea extremis adhæſit labiis meis, jam jam exitura è corpore meo, anxia permanſit, neſciens quò tenderet, & impotentiam ſuam ingenuè confeſſa, te alloquens, dixit tibi, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam?* Heu! Domine incipio peſſumire, ſi à tuâ velim declinare præſentiâ. Sed quò pergam ut me ſubtraham Spiritui tuo? & quò me recipiam, ne videam faciem tuam, ſi oportet ut tibi rationem reddam omnium actionum mearum? Si in cœlum greſſus meos dirigam, ibi te inveniam, unde fortaſſe me excludes, *Si aſcendero in cœlum, tu illic es.* Si in infernum deſcendam, ibi eſt locus

eus juſtitiæ tuæ ; pro certò autem ego teneo, te inde non diſcedere, ibique fortaſſis me renitentem retineres, *Si deſcendero in infernum, ades.* Si excuſsâ corporis mei ſarcinâ, ut agilis inveniar, non ſecus ac avis, volatu celerrimo maria tranſgrediar remotiſſima ; Ha ! in pugno tuo omnes Oceani aquas concludis, nec me trajicientem deſeret manus tua, *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Adverti, quòd, etiamſi omnibus locis, ad quæ vergere poſſem, interſis, ibique poteſtate polleas, forſan tempeſtates non erunt omnes æquales ; & ſi inter elementa, & arcus cœli, quatenus ſunt corpora lucida, non poſſit quis latère, imò verò nec in inferno ratione ignis, qui aliquem ſemper admixtum præ ſe fert ſplendorem ; forſitan in limbo, qui eſt locus obſcurus, in quo requieſcunt animæ Patrum noſtrorum veterum, non multùm immorans ob tenebras & obſcuritatem, quæ ibi ſunt diffuſæ, *Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me ; & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Sed ſtatim ac illuc acceſſi, deprehendi inter has tenebras & hanc noctis imaginèm, Divinam ſaciem tuam, quæ nullam poteſt admittere jacturam, aut diminutionem eſſentialem ſplendoris ſui, qui ipſi omnia exhibet clara ac transſlucida, *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur ; ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Et quia tu renum meorum Dominus eras, ſimul ac poteſtatis & virium mearum, extraxiſti me liberè è ſinu matris meæ, quæ eſt caro, & amplum præbuiſti mihi campum diebus quatuor, ſciens apprimè me à te non eſſe declinaturum, *Quia tu poſſedisti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ.* Oportet ut ingenuè fatear te valdè eſſe potentem ac terribilem, teque ritè exhibere mihi efficaciam brachii tui (ait corpus Lazari in tumulo reconditum) eò quòd revoces animam meam eo fine ut denuò uniatur mihi, poſtquàm probavit ipſa te eſſe ubique præſentem, *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es ; mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.* Cùm omnia oſſa mea in ſepulchro repoſita, omnemque ſubſtantiam meam terræ viſceribus mandatam inde extraxeris, nec aliquid eorum te latuent, *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto ; & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Et licèt vermes, & putredo, aliæque imperfectiones à cadaveribus inſeparabiles jam corpus meum inciperent attingere, id ſanè ritè noviſti, ſed tamen ſcriptis exaratum me habebas in libro amicorum tuorum, ita ut, etiamſi quatuor effluxerint dies à momento mortis meæ, nullus in locum meum ſublectus ſit, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur ; dies formabuntur, & nemo in eis.*

Quis verò non credat ſibi benè ſatisfieri, intuendo ſe collocatum in numero amicorum tuorum, nedum à te aliquando declinet in morte, aut in vitâ ? cùm videam te ſic honorare eos, qui è numero ſunt amicorum tuorum, ut, ad videndos eos, quando illos viſitas, revoces animam, quæ jam è corpore ſuo diſſoluta fuerat ; & corpus reficias, quod jam vitam amiſerat ; & unico mandato ea invicem denuò unias, amboque Divinæ faciei tuæ præſentia exhibeas, *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus ; nimis confortatus eſt principatus eorum.* Sic eſt, Auditores : origo iſtorum prægrandium beneficiorum non eſt alia niſi amor, quo Dei Filius dilectum ſuum proſequebatur Lazarum. Hunc amorem ſorores illius Martha & Magdalena apprimè agnoverunt, cùm inde hauſerint ipſæ motiva ſupplicationis, quam ipſæ proponunt eidem Salvatori in epiſtolâ ſuâ ſcriptis exaratam, *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Nos verò, Auditores, inde hauriemus materiam diſcurrendi, & conſiderabimus hodie Propoſitio
diſpoſitiones, quæ præcedunt hoc miraculum, quæ totam hujus diſcurſus ſeriem texent. Die autem Lunæ ſequenti Deo dante, videbimus circumſtantias hoc idem miraculum perfecturas.

Si verum eſt, ſicut eſt proculdubio, nec diffitetur Evangeliſta, hoc unum eſſe è maximis, quæ patraverit unquam Dei Filius, miraculis, quare S. Joannes non eò reddit illud inſignius, quò illuſtrior eſt perſona, in cujus gratiam illud fit ? Mihi videtur ille debuiſſe dicere à principio, hanc perſonam fuiſſe illuſtrem juvenem, qui fruebatur omnibus voluptatibus licitis honeſtè nobilibus adoleſcentibus, & juvenibus, qui incidit in morbum in quodam è caſtris ſuis, nomine Bethaniâ, illiuſque hiſtoria inde futura eſt, juxta ſententiam meam, magis authentica, & plus habitura eſt ſplendoris, ſi eam incipiat idem met Evangeliſta ab his honoris titulis, quàm ſi dicat, ut ipſe dicit in ipſo exordio, fuiſſe quendam languentem, nomine Lazarum, ortum Bethaniâ, *Erat quidam languens Lazarus, à Bethaniâ.* Sed quare nos cenſores exhibebimus calami Spiritus ſancti, cùm verum ſit omnes magnitudinis & honoris titulos innixos eſſe depreſſionibus & miſeriis hujus mundi ?

Illuſtre habemus hujus veritatis teſtimonium in ſtatuâ Nabuchodonoſor, quæ repræſentabat in ſummâ coronas & imperia, quæ compacta
erat *ex auro optimo, de argento, ex ære* c, & è ferro, quæ metalla diverſa tot ſunt notæ ac inſignia c Dan. 2. 32. & 33
divitiarum, ſplendoris, authoritatis, & fortitudinis, quæ tamen ſtatua pedes habebat fictiles, ut ſic veram exhibens probationem infirmitatis ac miſeriæ, cui innititur ſplendor & poteſtas Regum, qui potiùs tolerant incommoda naturæ, quàm ipſis fruantur fortunæ commodis. Quare autem ea non paterentur, cùm ſuam ex eâdem hauſerint nativitatem origine, unde cæteri proceſſerunt homines ? Auſcultate, ſi placet, illud,
quod ait Salomon, qui præceſſit *ſapientiâ* d univerſos Reges, *Sum quidem & ego mortalis homo,* d Eccl. 2. 16
ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius qui primus factus eſt e. Ecce quomodo loquitur ipſe de e Sap. 7. 1. &c.
ſeipſo, & quodnam ſit principium & quænam origo omnium malorum ipſius. Deinde ut oſtendat conſequentiam, aſſerit ſe ex tunc incepiſſe flere, *Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Ac ſi inciperet queri de miſeriis hujus vitæ, quibus immergebatur, antequàm Regias guſtaſſet delicias, aliamve voluptatem quamlibet. Tandem concludit, regulam eſſe omnibus Regibus & Principibus terræ communem, quâ miſerias experiamur priùs quàm felicitatem, *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium.* Oportet autem, inquit, ut finis proportionem habeat cum principio ; *Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Quaſi verò proſperitates & bona fortuna forent quædam intercapedo ratione habitâ mortis ac nativitatis, quæ ſunt omnibus communes hominibus, quæque ſem-

S ſ

ſemper miſeriis ac paupertate circumcinguntur.

Nullam irrogat Lazaro injuriam Evangeliſta, cùm illuſtres ipſius titulos incipit à languore, quo premitur ipſe decumbens; etiamſi enim nomen illuſtre ipſius, origo, parentela, & quidquid ipſi futurum eſt honori, publicanda ſint, eorumque omnium honorabilis mentio fieri debeat, non tamen expedit ut detur ipſi hoc nomen, niſi poſtquam declaratum fuerit ipſum eſſe hominem obnoxium iiſdem languoribus iiſdemque infirmitatibus, quibus cæteri ſubjacent homines; & quoniam homines, cùm inceperint à miſeriis, ſortiri ſuum debent finem convenientem principio ipſorum, cùm vocatus eſt proprio nomine *Lazarus*, dicitur ſtatim ortus *à Bethaniâ*, quâ, in linguâ Hebraicâ ſignificatur domus afflictionis. Appoſitè igitur S. Joannes Evangeliſta narrans hiſtoriam illius, ait eum eſſe languentem, ut exprimat nativitatem ejus; deinde nomen illius pronunciat, quod includit honores ejus, & bona fortunæ, quæ ipſe ſibi comparaverat; & ait tandem illum eſſe ortum *à Bethaniâ*, quâ ſignificatur domus afflictionis, ut innuat, ſpecioſum hoc corpus ab animâ ſuâ eſſe ſeparandum, & deinde poſt mortem in tumulo eſſe recondendum, *Erat quidam languens Lazarus, à Bethaniâ.*

Quod autem effecit conditionem illius pejorem, id eſt, quia hæc mors, & hæc putredo, quâ ſcatere debet ille in tumulo, non accidunt ſubitò, ſed paulatim duntaxat mediante languore, ſeu febri lentâ, quæ vires illius ſine intermiſſione abſumit. Scio equidem generoſum animum illius electurum eſſe potiùs mortem velocem, quam languorem ſic faſtidioſum ac importunum, & memoriam voluptatum ipſius æquè excruciare animum ipſius videntis ſe iis privari, ac non ignoro febrem, aliudve malum quodlibet, corpus ipſius affligere. Vellet ipſe quidem ab utraque immunis eſſe adverſitate, & mori eodem die, quo primo febris acceſſu impetitur; ſed oportet ut ipſe langueat adhuc diebus aliquot, cùm id ſit effectus primæ originis ipſius; & in hoc experietur differentiam, quæ eſt inter brachium Dei & brachium diaboli. Brachium Dei eſt ita potens, ut unico inſtanti det eſſe, vigorem, & perfectionem animæ & corpori, & ſolo afflatu *hominem* f formet integrum: Si autem agatur de anima illius, vitam præbet illi potenter & ſubitò. Teſtis eſt *Saulus*, qui ſubito caſu ita mutatus eſt, ut è perſecutore Eccleſiæ implacabili magnus effectus fuerit Apoſtolus, & *vas electionis* g. Teſtis eſt & Magdalena, quæ exiguo illo tempore, quo proſtrata permanſæ *retro ſecus pedes* h Domini, evaſit ſanctiſſima. Ipſa eſt potentia Dei, qua ipſe tranſit ab extremo in extremum, non immorando in medio, & id præ efficacia, & ſine ulla violentia illata voluntatibus ſubjectorum, in quæ ipſe agit, cùm ipſe diſponat omnia præ ſumma ſapientia ſua, atque fortitudine ſuavitate immixta, eaque deducat præ dulcedine ad terminum, quem ipſe propoſuit ſibi, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* i.

f Gen. 2. 7.
g Act. 9. 1. &c.
h Luc. 7. 38. &c.
i Sap. 8. 1

Sed diabolus, qui non eſt ita potens ad faciendum nobis malum, ſicut Deus eſt potens ad impendendum nobis bonum, paulatim procedit, deſtruit ædificium ſpirituale, quod Deus ædificavit in anima noſtra, modò prævalens adversùs nos ratione iſtius rei, modò ratione alterius, infirmans hodie unum exercitium virtutis, & cras ſtigefaciens aliud, ut tepeſcamus & langueſcamus præ faſtidio, quo afficimur intuitu obſequii Deo exhibendi. Videte, ſi placet, id exercitum ab effectu peccati, qui apparet in corporibus noſtris, cùm hæc ſanitas, quàm Deus eis præbuerat in perſonâ primi Parentis noſtri præ perfectâ temperie omnium humorum ipſius, & recto moderamine cunctorum organorum ipſius, ſtatim ac ipſe peccavit k, inceperit perire, ſicut & hæc temperies, non eodem inſtanti, ſed paulatim ob novas ſubjectiones, quibus ipſe experiebatur ſe doloribus & miſeriis, languoribus & morbis obnoxium, quæ omnia cùm ſint diſpoſitiones proximæ ad mortem finalem, nimis veram efficiunt ſententiam comminatoriam, quam Deus ipſi pronunciaverat ſicut & uxori ipſius, ipſos nimirum eſſe morituros eâdem horâ, quâ Divina tranſgrederentur mandata l; hi quippe dolores ac languores ſunt mors continua, & Lazarus hic languens ac decumbens poteſt dicere ſe experiri effectus peccati, qui ipſum diſponunt ad mortem, *Erat quidam languens Lazarus.*

k Gen. 3. 6
l Gen. 2. 17

Ecce igitur miſerandus hic juvenis, etiamſi nobilis, dives, & generoſus, languens, qui citò eſt moriturus, niſi velox ipſi præbeatur auxilium. Divitiæ illius in vanum exhauriuntur; omnia enim remedia humana, quæ inſumpta ſunt in gratiam illius, inſervierunt crumenæ Medicorum implendæ, non autem ſanitati illi impertiendæ. Non ampliùs ſplendet illius nobilitas, nec ulli rei podeſt; conſtitutio ſiquidem, quam hæc illi præſtitit, eum tenerioris ſenſus capacem effecit, ideòque magis doloribus & morbis obnoxium, modò autem non poteſt ei vires amiſſas reſtituere. Juventus illius nihil illi prodeſt, quin imò auxilium, quod valet illi ſubminiſtrare, efficiens ut ipſe violentiæ morbi reſiſtat, eundem morbum magis prolongat, & inde dolores augentur, magiſque ſunt importuni; unde fit ut langueſcat ille inter morbum quem patitur, & ſanitatem, quam non poteſt recuperare.

Sed fortaſſe generoſus animus illius ſublevando ipſius morbo aliquo modo prodeſſe poſſit, cùm ipſe ſit juvenis, nobilis, ac magnanimus. Sed heu! non agitur hic de ſuſcipiendo ſingulari certamine, gladioque ſtringendo adversùs hoſtem, cui nollet ipſe cedere; quin imò agitur hic de confuſione generali omnium membrorum corporis ipſius, & de hoſte domeſtico, cujus non intuetur ipſe faciem, qui ruinam ipſius machinatur, qui retrorſum non convertetur, quin priùs ipſum in terram dejecerit, nedum poſſit ipſe generoſi animi ſui vires & induſtrias exerere. Debet igitur ipſe alteri inniti tabulæ, aliquod aliud medium cogitare, & renunciare cuilibet remedio à quolibet ipſi ſubminiſtrando; infirmitas quippe ipſius eſt inſanabilis, & languor ipſius eſt moriens. Hoc ſanè ipſe agit; habet enim ſorores duas ſibi opitulantes, quæ ritè agnoſcentes malignitatem morbi ipſius, qui indigebat ſubſidio manus non vulgaris, quæ ipſum curaret, conſenſum ipſius exigunt ut poſſint ipſæ mittere tabellarium ad Dei Filium illinc aliquanto diſtantem ſpatio, qui ei ſignificaturus eſſet ſtatum morbi ipſius, *Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum, dicentes; Domine, ecce quem amas infirmatur.*

Neſcio ego, Auditores, quonam pacto hæ ſanctæ mulieres id intelligant. Vel enim ipſæ eum arbitrantur ut Medicum ordinarium, voluntque ut ille applicet remedia juxta regulas

&c

& leges Medicinæ, vel ut adhibeat poteſtatem, quâ pollet quatenus Deus eſt; ipſæque ad eum confugiunt, ut unuſquiſque ad Deum recurrit in neceſſitate conſtitutus. Si prius ipſæ intelligant, non debent ergo dicere in Epiſtolâ ſua, *Ecce.* Quia Chriſtus quatenus homo ibi non adeſt, ipſæque eum debent enixè rogare ut dignetur inviſere fratrem ſuum, antequam mortem oppetat. Si poſterius intelligant, illumque [m Eſth. 13. 9] alloquantur ut Deum omnipotentem *m*, cupientes ut ſuam ille intimat omnipotentiam, quâ miraculosè medeatur fratri ipſarum, altera ex ipſis illum deberet adire, ut ab eo ſanitatem fratris ſui expoſceret: Magdalena verò præſertim deberet hanc curam ſuſcipere, quippe quæ cùm aliâ vice propriìn invigilans commodo ſanari cuperet ab innumeris peccatis, procurationem æternæ ſalutis ſuæ non commiſit ſimplici epiſtolæ, ſed ipſa in propriâ perſonâ perrexit & [n Luc. 7. 37. &c.] adiit domum *Phariſæi* n, è quâ exiit ipſa tantâ perfuſa conſolatione, & ſic perfectè ſanata, ut ſtatim reſtituta fuerit ipſi gratia, quæ erat tota ſanitas, quam potuiſſet unquam ipſa expectare ſibi impertiendam fore ab hoc ſupremo animarum Medico, qui auribus ipſius pronuntiavit hæc verba conſolatoria, *Remittuntur tibi peccata. Vade in pace.*

His auditis cœpit ipſa ex tunc profundâ potiri pace, cùm ad illud uſque tempus perpetuâ ipſa laboraſſet anguſtiâ, *Vade in pace*, ait ipſi Filius Dei. *Vade* Magdalena, nihil ampliùs deſiderare potes, quod quietum reddere poſſit animum tuum. *Vade* nunc; & ubique annuncia, te evaſiſſe è validâ tempeſtate, quæ naufragium tibi minitabatur infallibile. *Vade*, & dic nobilibus mulieribus Juſtitiam Divinam ſuper ipſas citò irruituram, niſi emendaverint ſe, teque tamen gratiam impetraſſe. *Vade*, & dic omnibus peccatoribus, ipſos nunquam futuros eſſe quietos, niſi præ pœnitentiâ ſimili tuæ ſimilem adipiſcantur pacem. *Vade*, & refer omnibus, qui amoris vacant exercitio, ipſos nihil unquam deprehenſuros eſſe ſic amabile, quod ipſis tædium ac faſtidium non afferat, niſi affectus ſuos transferant in Divinum hunc Amatorem animarum, qui perfectè tui ſedavit cordis procellas, quique tantâ te cumulavit *pace*, ut creaturæ eam non valeant interrumpere. Egredere è pedibus ſummi Pontificis, quippe quæ abſoluta es præ indulgentiâ tuorũ plenariâ peccatorum ab ipſo tibi conceſsâ. Exi è Curiâ hujus magni Regis, divina enim majeſtas ipſius tua tibi dimiſit crimina. *Vade in pace*, & iſta pax liberabit te à rebellione carnis tuæ, ſecuram te reddet adversùs inſidias diaboli, conſervbit te contra vanitates mundi; ita ut hæc abolitio generalis tuorum omnium peccatorum, quam tibi indulgeo, profundâ te ſit perfuſura pace, & perpetuâ cor tuum repletura ſerenitate & requie nunquam deſiturâ.

Sed quis poterit concipere tantam prodigentiam Salvatoris erga Magdalenam præ tali actione? Scitiſne quiſnam ſit illam ritè comprehenſurus, nec eam damnaturus? Ille profectò qui apprimè callebit naturam gratiæ Divinæ, quæ talis eſt ut ipſa ſic oppoſita ſit peccato lethifero, ut vel unicum, cujus conſcia ſit anima noſtra, ab [o Ezech. 18. 4] eadem hanc gratiam pellat anima *o*, cùm non [† 1. Cor. 6. 14] poſſit peccatum ſimul cum gratia manere †. Si autem parceret Deus uni peccato, & non aliis, oporteret ut loco iſtius peccati Deus reponeret gratiam in hâc anima, hæc autem gratia obvia habens alia peccata non dimiſſa, in eam non poſſet recipi. Si igitur hæc gratia debet in animam recipi, expedit abſolutè ut hæc anima ſit immunis ab omnibus peccatis mortalibus; *Dei perfecta ſunt opera* p, nec unquam donum largitur [p Deut. 32. 4] ipſe imperfectum. Alioquin enim concludendum eſſet, hominem futurum eſſe amicum Dei & inimicum ſimul; filium lucis ac tenebrarum eodem momento; habere jus ad gloriam cœleſtem, & pœnis æternis eſſe obnoxium & addictum. Verum eſt igitur Chriſti pronunciatum in gratiam Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata. Vade in pace.*

Si verò Magdalena labori non pepercit, cùm ageretur de re ad ipſam attinente, ſi aliì non eſt confiſa, ſed ipſa in propriâ perſonâ adiit domum *Phariſæi*, ibique ſè proſtravit ad *pedes* Salvatoris, petitura ab hoc ſupremo cordium Medico remedium, quod non poterat applicari niſi manibus ipſius illuſtribus, præ apparatu ſplendido ac magnifico eorum omnium, quæ in theſauris gratiarum ipſius erant exquiſita, ad impetrandam animæ ſuæ ſanitatem, charitativum illud debet ipſa impræſentiarùm fratri ſuo impendere obſequium, & adire Dei Filium, quem roget ipſa ut eidem fratri ſuo corpoream impertiatur ſanitatem, cùm præ dolore non liceat ei in propriâ perſonâ ad eundem Salvatorem accedere; decentius ſaltem erit ut altera è ſororibus illum adeat, quàm ſi mitteretur ad eum tantùm famulus, & ipſa majori pollebit authoritate, quæ ſuavibus ſuis perſuaſionibus & jucundis ſermonibus illum ad tale iter ſuſcipiendum, fratremque ipſarum inviſendum inducat, quàm vigeret hæc epiſtola, quæ eſt vox muta, quæque unicâ tantùm loquitur vice, quandiu Martha, quæ domui curandæ eſt magis idonea, & minùs diſerta quàm Maria, ſervitio impendendo fratri ſuo invigilabit, donec advenerit Dei Filius, quem eadem Magdalena Bethaniam pergentem comitabitur.

Ha! Auditores, ipſæ ſunt ambæ ſapientes mulieres, quæ leges urbanitatis æquè ac pietatis callent apprimè, quippe quæ devotioni ſectandæ ſunt aſſuetæ, & ſic non poſſunt quin exhibeant Filio Dei honorem ac reverentiam, quæ ipſæ tenentur ei rependere; & ſicut ipſæ ſapientiâ ſunt præditæ non vulgari, ipſis ſatius ac decentius videtur domi manere, & ſolitudinem colere, quàm vagari, nobiliſque ipſarum progenies legitimam ſatis prætexit excuſationem, ratione cujus ab hâc itineratione diſpenſentur ſuſcipiendâ; & ſicut ipſæ vitæ probatæ ſunt & ſanctæ, ita nec ignorant quænam ſint ſanctitatis regulæ, quibus fertur, ſatius eſſe incumbere operibus ac exercitiis charitatis, & miniſtrare ægrotis, eorumque neceſſitates curare, quam Templum viſitare, & peregrinationes ſuſcipere, cùm poſſent ipſæ ſupplicationes ſuas proponere Filio Dei, mediante tabellario, quandiu ipſarum præſentia infirmo maximè foret proficua. Tenor diſcurſus ipſarum exarati in epiſtolâ, quam ipſæ ſcribunt Salvatori, etiamſi in paucis concludatur terminis, oſtendit quidem ac manifeſtat, ipſas nihil oblivíſci eorum, quæ ipſæ arbitratæ fuerint requiſita ut illum ſuaviter alliciant ut citò veniat, fratremque ipſarum ſuâ honorare dignetur viſitatione, *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Hæc ſupplicatio eſt breviſſima, ſed tamen potentiſſima. Si enim orationes ſunt, ut alteri manifeſtentur conceptiones cordis noſtri,

ſtri, illæ quæ verbis paucioribus eas aperiunt, ſunt proculdubio ſemper omnium optimæ; idcirco dicebat Dei Filius, *Orantes nolite multùm loqui, ſicut Ethnici faciunt; putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur* q.

q Matth. 6,7

Vult Deus ut ſupplicationes, quas ipſi proponimus, ſint breves, quoniam ſtatim vult illas exaudire, & poſtulata nobis impendere; cùm ille præ ſe ferre videatur quandam inurbanitatis ſpeciem, & veluti mentis inſaniæ ſpecimen, cujus petitiones ſunt prolixæ, juxta reſponſum traditum à Philoſopho antiquo cuidam homini, qui egregiis extollebat encomiis Oratorem Romanum ſic facundum atque diſertum, ut ex rebus exiguis magnos diſcurſus compingeret; Ego autem, inquiebat ille Philoſophus, laudibus efferre non valeo ſutorem, qui exiguum calceaturus pedem, magnam illi conſueret caligam. Sic non vulgare ſpecimen ſapientiæ ſuæ præ ſe fert Princeps aliquis, cùm prolixam attentè audit orationem. Idcircò maximi inde fuit aliàs æſtimatus Agis Rex Lacedæmoniorum, dicens Legato Principis cujuſdam extranei, qui coram ipſo longam & prolixam pronuntiaverat orationem, quam ipſe attentè audierat, *Renuntiatus, quantum temporis tibi opus fuerit ad dicendum, tantum me ſilentem audiviſſe.* Hæ ſanctæ mulieres ritè noverunt ſubtilitatem intellectus illius, cui ipſæ ſcribunt, malentes ſubminiſtrare illi unde ipſe patefaciat vivacitatem animi ſui, concipiendo his paucis verbis id omne, quod ipſæ ſignificare intendunt, quàm patientiam ejus probare, proponentes ei legendam longam ſupplicationem, quæ nun magis contineret ſubſtantiæ, quàm contineant hæc quatuor aut quinque verba.

Verùm enim verò perpendite ea reflexione feriâ, & in eis mirabilia profectò deprehendetis non exigua, *Domine*, inquiunt illæ, tu es verè Dominus dominio omnium altiſſimo, tu es Dominus pleno ore, tu es Dominus abſque ullâ limitatione ac reſtrictione, *In ditione enim tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli*

r Eſth. 13. 9.&c.

ambitu continetur. Dominus omnium es r. Et ut unico verbo & propriis loquamur terminis, tu es ſulus & unicus Dominus, *Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Ieſu Chriſte* ſ. Si verò inveniantur alii domini in mundo, ii non ſunt niſi domini limitati, & maximè abbreviati, qui habent ſinguli (ut ita dicamus) veluti panem ſuum præciſum, & exiguum ſuum dominium ſepatatum alii ab aliis, ſicut Rex Galliæ, Rex Hiſpaniæ, Princeps talis, Dominus talis Provinciæ, &c. Sed tu es univerſalis & abſolutus Dominus ſine ullâ diſtinctione locorum, Regnorum, Provinciarum, & civitatum, gubernans omnia poteſtate ſupremâ & independenti. Nos loquimus tibi ſicut illi, cui nihil eſt impoſſibile, & præbentes tibi nomen Dei, & magni Domini totius orbis, non veremur tibi hoc verbum effari, *Domine, ecce quem amas.*

ſ Eccleſiaſtici 2.6.3. &ex Pſ.82 19

Licèt enim quoad corpus tu diſtes à nobis, attamen ipſe es Deus, qui es ubique t; nos autem non ambigimus, te videre clarè ac diſtinctè omnes lacrymas, quas profundimus; univerſa ſuſpiria, in quæ erumpit frater noſter; quonam privaturus nos ſit ipſe ſubſidio, ſi morte è medio tollatur; & tandem quid expectare debeamus nos hoc in occurſu a ſummâ *bonitate ſuâ* u. Immenſitas x quippe tua & magnitudo ſcientiæ tuæ pati non poſſunt ut aliquid tibi ſit abſconditum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis* tui, *ad quem nobis ſermo* y. Unicâ voluntate poteſt nobis ſatisfieri, hæc verò voluntas non debet nobis deeſſe in hâc magnâ neceſſitate, quam tibi proponimus, non enim tu es è numero amicorum, quos mundus magni ducit, qui ſuos diligunt amicos ſolo veræ proſperitatis. Memento Domine, obſecramus te, hunc ipſum eſſe, quem tu ita tenerè dilexiſti, inſpiciens illum veluti in quo tibi benè complacuiſti, qui modò in ſtatum ſic redactus eſt miſerandum, ut nemo, niſi tu, poſſit ei ſuccurrere; ſi verò omnis bonus amicus debet deſiderare & procurare bonum perſonæ amatæ, tu ipſe obſtrictus es hâc lege inviolabili amoris venire quamprimum, ac cito procurare bonum & ſanitatem fratri noſtri, quem charis tuis proſequeris affectibus.

t Jer. 23. 24

u Pſ. 118. 68

x Baruch 3.25

y Hebr. 4. 13

Ha! Auditores, quàm ritè hæ ſanctæ mulieres hoc intelligunt, plus dicunt ſic loquentes, quàm re verâ dicere videantur. Duobus quippe modis poteſt quis amari, vel amore benevolentiæ, vel amore concupiſcentiæ. Prior amor eſt, cùm aliquem amamus eo fine ut ei faciamus bonum. Poſterior verò eſt, cùm illum diligimus, quatenus ille nobis utilis eſt, & nobis ipſis facit bonum. Veri amici, quos magni ducere debetis, ſunt ii, qui vos amant intuitu veſtri boni, non autem boni ſui proprii. Vos verò, mulieres, hallucinamini graviter, cum mentionem agitis amoris, quo proſequuntur vos adoleſcentes amaſii, qui vobis verba dant. Neſcitis vos diſtinguere verum amorem ab illo qui falſus eſt & adulterinus. Creditis quidem amari vos ab illis, quia vident vos illi ſæpè, & veſtro delectantur conſortio. Ha! quàm turpiter eſtis vos deceptæ, quippe quæ non conſideratis illos non amare niſi ſeipſos; finis enim quem ſibi proponunt, cùm inviſunt vos, nos eſt alius niſi ut ſatisfaciant pravis ſuis deſideriis & voluptatibus ſordidis, quibus adimplendis vos utiles eſſe ac idoneas exiſtimant; & niſi ſic amici forent, ut ſunt re verâ, deliciarum ſuarum, intuerentur vos veluti perſonas indifferentes; omnia autem munera quæ ipſi vobis offerunt, omnes honores quibus vos reverentur, & omnes demiſſiones quibus vobis ſubdi videntur, quibuſque intendunt ipſi ut credatis ipſos eſſe amicos veſtos, ſunt falſæ eſcæ, & lectiones malè intellectæ, cum non ament ipſi vos, ſed tantùm ſeipſos.

Cùm dicit vobis aliquis ſe ſummo amore proſequi pecuniam, vel pretioſas veſtes; ſi pecunia, & ſpecioſa veſtimenta reſpondere poſſent, quid exiſtimaretis ea omnia illi eſſe reſponſura? Mentiris; ſi enim delectaris intueri te habere crumenam numeroſâ pecuniâ repletam, & pretioſis indutum te veſtimentis, hoc eſt, quia pecunia negotiis tuis adminiſtrandis utilis eſt ac idonea; ſpecioſa verò veſtimenta efficiunt ut præ decentiâ cum perſouis honeſtis liberè converſari poſſis; nullas tibi exhibere tenemur gratiarum actiones pro amore ementito, quo nos proſequeris, cùm tuis ſolis invigiles commodis, & tuæ ſoli ſatisfactioni ſubſervias, omniaque tibi ad tuam duntaxat utilitatem ſerviant. Non eſt hic amor benevolentiæ, ſed amor concupiſcentiæ.

Sic excipere debetis eos, qui aſſerunt ſe maxi-

mæ

Digitized by Google

mæ gloriæ ducere, ſe intueri collocatos in numero fideliſſimorum ſervorum, & intimorum amicorum veſtrorum; illos impudenter mentiri. Si enim vos amant illi, ſanè non amant vos amore benevolentiæ, qui vobis bonum procuret ac honorem; ſed amore ſolo concupiſcentiæ, qui procuret ipſis voluptatem, quam exiſtimant ipſi eſſe ſuum bonum, in quam rem poteſtis vos illis inſervire. Non ſunt igitur illi, ſervi veſtri (ſicut ipſi aſſerunt) ſed potiùs nihil magis ambiunt, quàm ut vos ancillas ſuî ipſorum efficiant. Si enim vos amarent, ut decet, non ita veſtrum ſatagerent vobis honorem eripere ac bonam famam. Non igitur ſunt ipſi amici veſtri, quantùmvis id vobis perſuadere conentur, cùm in vos invehant infortunia ac mala, nedum commoda ac bona vobis procurent. Ha! non ſic amat nos Deus noſter, cui proprium eſt ſe communicare præ effuſionibus adorandis infinitæ bonitatis ſuæ, cùm ſit *Bonum diffuſivum ſui*, ut ait S. Dionyſius z. Non enim poſſumus nos illi eſſe utiles, nec tantiſper in ſervire commodis illius, quia cùm ipſe ſit *Omnipotens* a, omnipotentia ipſius infinita noſtris non indiget obſequijs; & cùm ſit ipſe ſummum *Bonum* b, abundantia ipſius inexhauſta, noſtris non inhiat facultatibus, nec divitijs, ut concinit Pſalmographus c, *Dixi Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Ipſe eſt infinitè & eſſentialiter beatus felicitate æternâ, quâ eſt circundatus, quæ ſita eſt in cognitione d, & in dilectione ſuî e. Si autem nos diligit, non amat nos amore concupiſcentiæ, qui potiùs eſt amor proprius; ſed amat nos amore benevolentiæ, quo nobis largiatur bonum gratiæ ſuæ in hoc mundo, & bonum gloriæ ſuæ in altero.

z S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4.
a Eſth. 13. 9.
b Exo. 33. 19.
c Pſ. 15. 2.
d Pſ. 2. 7.
e Jo. 15. 20.

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

Et exeuntes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus.
Matth. 27. 28. &c.

POſtquàm *tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum, tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi: igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus; extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum: Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dixitq; ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me: Levavit Abraham oculos ſuos, viditq; poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio* a. Ecce repræſentatio myſterij, de quo volo vobis hodie diſſerere, en figura coronationis ſpineæ Domini noſtri Jeſu Chriſti: ipſe eſt hic aries innocens, qui habet caput in vepribus, & qui jam eſt immolandus Deo Patri ſuo pro criminibus noſtris. Unde dicit Cornelius b, *Allegoricè, Sicut pro Iſaac aries, ita pro nobis immolatus eſt Chriſtus, inquit S. Auguſtinus.* Dicebam vobis die Veneris præcedenti, quòd ad magis augendos dolores Domini noſtri in flagellatione ſua adhibita ſunt inſtrumenta nationum exterarum, nimirum quæ erant in uſu apud Romanos Gentiles: hodie verò videbitis, quòd ad contemnendum & torquendum eundem Filium Dei, omnia inſtrumenta populorum barbarorum non ſufficiunt, ſed quòd miniſtri veluti diaboli, inſurgunt ad comminiſcendas coronas ſpineas, quibus redimiatur caput iſtius Agni innocentis, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* c, *qui tollit peccatum mundi* d. Res inaudita ſeculis omnibus! ſævitiæ quæ nunquam fuerunt exercitæ à Tyrannis vel crudeliſſimis! Quòd ſi flagellatio commovit nos ad commiſerationem, non dubito quin, ſi ſpinæ iſtius coronæ nobis pungunt cor, lacrymas etiam ex oculis noſtris erumpere faciant. Recurramus ad B. Virginem Deiparam, cujus *animam doloris gladius pertranſivit* e, ut ipſa nobis impetret gratiam ſentiendorum cum ipſa dolorum Filij ſui, ideòque dicamus ei, *Ave Maria.*

a Gen. 22. 1, &c.
b Cornel. in Gen. 22. 13. citans S. Aug. l. 16 de Civit. c. 32.
c 1. Pet. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
d Jo. 1. 29
e Eccleſia ex Luc. 2. 35.

Scriptura ſacra f refert, quòd dum *Moyſes paſcebat oves Iethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian, cùmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb: apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur, dixit Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Interpretes Scripturæ ſacræ conſiderantes attentè & maturè viſionem iſtam, dicunt, quòd, ſecundùm ſenſum literalem, per ignem ardentem ipſa nobis repræſentabat Deum, & per rubum populum Iſraëliticum; & quòd, ſicut ignis ardens non comburebat nec conſumebat rubum; ſic ignis tribulationum & afflictionum, quas Deus permittebat ut populus ſuus pateretur ab Ægyptijs, non eſſet eoſdem Iſraëlitas conſumpturus, ſed quòd ex ipſo iidem Iſraëlitę eſſent potentiores exituri. Alij innixi huic explicationi generali, exponunt eam moraliter, & dicunt quòd ignis ardens in rubo, eſt tribulatio in homine juſto, qui incedit per viam perfectionis, quę comparatur rubo propter auſteritates ſuas: & nedum ignis tribulationis eum conſumat, è contra illum purificat, ipſumque magis inflammat amore Dei, *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis* g. Vel dicamus, quòd ignis ardens in rubo eſt ignis concupiſcentiæ in homine juſto, & quòd, licèt concupiſcentia, fomes peccati, maneat in ipſo, ſicut querebatur S. Paulus h, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*; non ideò tamen quòd in ipſo regnet peccatum. Aut, ſi velitis, aſſeramus quòd Deus volebat inde ſignificare Moyſi, qualis ipſe debebat eſſe erga populum ſuum, Dux ejus & Gubernator i; & prout talis, repræ-

f Exod. 3. 1, &c.
g Eccli. 27. 6.
h Rom. 7. 23.
i Exod. 3. 10.

repræſentabatur per ignem ardentem: quòd ipſe debeiet eſſe ignis ſapientiâ ad illum benè in-
k Exo. 19. 25. ſtruendùm *k*; ignis per charitatem & per compaſſionem ad ſuccurrendum ei in neceſſitatibus ſuis, & ad ſupportandas omnes infirmitates ip-
l Exo. 32. 31. & 32. ſius *l*. Iſte rubus repræſentabat etiam quòd Moyſes debebat eſſe rubus ſpinoſus, qui juſtitiæ & rigoris ſpinas miſcere debebat ſapientiâ & charitate, ut caſtigaret delinquentes, præſertim verò
m Exod. 32. 27. & 28. inobedientes & rebelles *m*. Multæ aliæ poſſent afferri interpretationes ſuper iſtum locum cum
n Corn. in Exo. 3. 2. Cornelio *n*, è quo præfatæ partim deſumptæ ſunt: ſed malo adhærere ſecundo illius quæſito, in quo ipſe quærit, *Quid hic rubus ardens & incombuſtus ſignificet allegoricè*. Et ipſemet reſpondet, *Ignis in*
o Jo. 1. 14. *rubo, eſt Deus in carne, ſive, Verbum caro factum o. Rubus enim ſpinoſus, aſper, humilis, & vilis ſignificat Chriſti humanitatem, quam ipſe ſponte multis ærumnis & laboribus ſubjectam, pauperem, humilem & deſpicabilem ſalutis noſtræ cauſâ ſuſcepit. Iam ſicut ignis rubum, ita Deitas humanitatem, ejuſq; mortalitatem & infirmitatem non conſumpſit.* Illud au-
p S. Greg. lib. 28. Mor. c. 2. tem Cornelius eduxit è S. Gregorio *p* qui ait, *Deus per ſuccenſum rubum Moyſen alloquens, quid aliud oſtendit, niſi quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis noſtræ dolores quaſi rubi ſpinas ſuſciperet, & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam, etiam in ipſa Divinitatis flamma ſervaret?* Et ſtatim ſubdit idem Cornelius, *Hinc & Cyrillus contra Eutychetem probat, duas naturas in Chriſto manſiſſe integras, illæſas, & inconfuſas, ſicut in rubo hoc integer manſit tam rubus, quàm ignis.*

Omnes expoſitiones iſtæ ſunt veræ, non diffiteor: ſed hodiernâ die volo ut conſideremus hunc ignem ardentem in rubo ſpinoſo, nedum tamen illum comburat; volo, inquam, ut contemplemur Dominum noſtrum coronatum ſpinis, qui eſt rubus ardens, per quem nos Deus alloquitur: ſicut enim Deus Moyſi loquebatur in rubo, diſſerens ei de liberatione populi ſui è captivitate Pharaonis; ſic Pater æternus nos alloquitur per Jeſum Chriſtum coronatum ſpinis, qui eſt iſte rubus ardens charitate, & nobis oſtendit quo modo nos liberet à captivitate veri Pharaonis, nimirum diaboli, ut nos introducat *in li-*
q Rom. 8. 21. *bertatem gloriæ filiorum Dei*, ut ait S. Paulus *q*. Et
r Dion. Carth. a. 2. in Rõ. 8. 25. ſecundùm Dionyſium Carthuſianum *r*, *Pertingendo in libertatem gloriæ, id eſt, dominium & ſecuritatem felicitatis. Vel in glorioſam libertatem filiorum Dei, id eſt, Electorum ſeu Beatorum in patria, qui Deo perfectè aſſimilantur, & plenâ dilectione inceſſabiliter conjunguntur.* Cùm Moyſi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur, dixit Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare*
s Exod. 3. 2. & 3. *non comburatur rubus s*. Geramus, Auditores, nos eodem modo: videamus Jeſum Chriſtum coronatum ſpinis, qui eſt iſte rubus ardens: ad quod invitamur verbis iſtis ſub nomine filiarum Sion, *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater ſua in die deſpon-*
t Cant. 3. 11. *ſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus t*. Super
u de Ponte l. 6. in Cant. exhort. 35. Parag. 2. citans S. Aug. in Pſ. 86. & S. Ambr. in Orat. quod ait de Ponte, *Matrem ſuam vocat Synagogam, & gentem Hebræam, ex qua natus eſt ſecundùm carnem, & eſt ipſa Sion, cujus filias alloquitur, juxta illud Pſalmi, Nunquid Sion (vel ut legunt S. Auguſtinus, S. Ambroſius, & Tertullianus) Mater Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus? Etſi ergo Spiritus Divinus dicere poſſet: Videte, ô filiæ Sion, diadema, quod mater veſtra Sion impoſuit Regi Salomoni; noluit tamen, ne eas confundere, & exprobrare videretur: ſed ait, mater ſua, ut* de Obtr.
potiùs admirationem & compaſſionem excitet, etſi ſtatim. poſt init.
tacitè ſævitiam matris, aut potiùs novercæ inſinuet: & Tert. l. advers.
Quæ expectata eſt ut faceret uvas, fecit autem labru- Prax. c.
ſcas x, & ſpinas. Et cùm teneretur Chriſtum tan- 27.
diu à ſe expectatum recipere, ut Regem venerari, & x ex Iſa. 5. 4.
ei fideliter inſervire, inſurrexit contra illum, negavit, contempſit, irriſit Regnum ejus, & ſpinis coronavit. Nam ut notat Tertullianus y, Certè præter fi- y Tert. l.
guram, contumelia in promptu eſt. & turpitudo, & de Coron. Mi-
dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini lit. c. 14.
tempora, & fœdaverunt, & lancinaverunt. Sed quomodo fieri poteſt ut Synagoga ſpinis coronaverit Salvatorem? cùm Evangeliſta noſter dicat, quòd *milites Præſidis, plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus*. Quod confirmant S. Marcus *z*, & S. Joannes *a* iiſdem ferè termi- z Marc. 15. 17.
nis. Ubi, ſi placet, obſervate, quòd milites non a Jo. 19. 2.
comprehendebantur in Synagoga, ſed erant Romani, & erant Jeroſolymis cum præſidio. Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò, qui Diviſio.
fuerint illi qui coronaverunt ſpinis Dominum noſtrum: Secundò quænam motiva eos ad hoc induxerint: Tertiò cauſas, propter quas Dominus noſter ſic coronari voluerit. Attendite, ſi placet, dum incipio.

Eſt pro comperto, quòd coronatio Salvato- I. Pars.
ris fuit facinus immediatè adinventum & executioni mandatum a militibus: quod tamen non impedit quin tota paſſio attribuatur Synagogæ: nam ſecundùm legem Juriſperitorum, *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*. Et cùm S.
Joannes *b* ait, *Apprehendit Pilatus Ieſum, & fla-* b Jo. 19. 1.
gellavit, ſignificare non vult, quòd ipſe proprijs manibus illum flagellaverit, ſaltem ſecundùm opinionem communem, è qua ſtat Dionyſius Car-
thuſianus *c*, dicens, *Apprehendit Pilatus Ieſum, &* c Dion.
flagellavit eum, id eſt, per ſuos ſervos fecit expoliari Carth. a.
veſtibus, alligari columnæ, flagellis crudeliter percuti, 45. in Jo.
quod erat tenerrimo, naturaliſſimo, ac nobiliſſimo 19. 1.
corpori Chriſti ineſtimabiliter pœnale. Licèt aliqui contrarium ſentiant, inter quos eſt Beda, aſſerendo quòd Pilatus ipſemet cœperit primus percutere Salvatorem, ſicut dicebam vobis die Veneris præcedenti. Juxta opinionem ergo communem dicitur Pilatus flagellaſſe Jeſum Chriſtum, quia tradidit illum manibus carnificum flagellandum. Sic cùm Scriptura juxta præfata verba Canticorum dicit quòd Synagoga *coronavit eum*, hoc non innuit, quòd carnifices & tortores iſtius coronationis fuerint è Synagoga immediatè, ſed quòd Synagoga tradiderit illum militibus per Pilatum, & conſenſerit ut coronaretur: ſed juxta aliam maximam Juris, *Peccantes, & conſentientes pari pœnâ puniuntur*. Non ſolùm autem Judæi conſenſerunt huic coronationi, ſed ipſimet Salvatorem perſecuti ſunt, & illum coronaverunt, quatenus pecuniâ corruperunt milites, ut omne genus crudelitatis exercerent adversùs eum. *Sed cùm diadema hoc non tam Synagoga, quàm Ethnici Pilati milites impoſuerint, cur*
matri hoc attribuit? petit præfatus de Ponte *d* d de Pon-
paulò pòſt ad propoſitum noſtrum. Et ipſemet te, loco
reſpondet, *Rectè quidem, quia niſi ipſa Chriſtum ve-* ubi ſuprà
rum Regem ſuum eſſe negaſſet, falſumq; Regem ac citans
Prophetam diceret, milites facinus illud non atten- Plin. l. 22.
taſſent: ex ſuaſu autem Iudæorum, vel ex diaboli ſug- c. 24. & Aul. Gel.
geſtione in eorum gratiam attentarunt: & quia ſcie- l. 5. & 6.
bant apud ſuos Imperatores magni haberi ſceptrum

au-

aureum, veſtem purpuream, & coronam gramineam, ut Plinius refert, ideò irridendo Chriſti Regnum, arundineum ſceptrum, purpuream veſtem, & ſpineam coronam impoſuerunt illi, fortè etiam irridentes non tantùm Regiam dignitatem, ſed Divinam, quam ſibi uſurpare putabant, tanquam Deum fictum, & idolum Gentium junco coronarunt. Quod autem iſtud ſit verum, ipſemet Pilatus teſtatur in epiſtola, quam ſcribebat Imperatori Tyberio, cujus tenor ſic refertur à Dionyſio Carthuſiano *d*,

d Dion. Carth. in Pſ. 44. 3.

Pontius Pilatus Claudio Tyberio Cæſari ſalutem.

Nuper accidit, quod & ipſe probavi, Iudæos per invidiam in ſe ſuosq; poſteros crudeli damnatione arſiſſe. Nam cùm promiſſum haberent Patres eorum, quòd Deus ipſorum illis in terras unicum ſuum per Virginem naſciturum mitteret Filium †, qui eorum Rex meritò diceretur & Meſſias: iſte me Præſide Hebræorum Deus cùm veniſſet, & vidiſſem eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, dæmones ex hominibus fugaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, ventiſq; imperaſſe, ac ſiccis pedibus ſuper undas maris ambulaſſe, multaq; alia miracula feciſſe, unde cùm omnis populus hunc Filium Dei diceret, invidiam contra eum paſſi ſunt Sacerdotes, Sacerdotumq; Principes, & mihi eum occidendum tradiderunt. Aliaq; alia mentientes, dixerunt eum Magum eſſe, & omnia contra ipſorum agere legem. Ego ita eſſe credens, eundem flagellatum & coronatum tradidi arbitrio eorum, &c.

† ex Iſa. 7. 1. &c.

Et S. Chryſoſtomus *e* id confirmat & explicat, dicens, *Non autem injunctio Principis erat quod faciebant, ſed ad gratiam Iudaicam hoc faciebant, quia neque circa initium ab illo juſſi fuerunt noctè, ſed Iudæis pecuniarum gratiâ gratificantes omnia audebant.* Quaſi diceret, quòd nullum eſt tormentum, quod ipſi non adinveniſſent ad gratificandum Judæis ob pecuniam. Scriptura ſacra ergo in Canticis jure merito dicit, quòd *coronavit eum mater ſua.* Id eſt, Synagoga. Et in hoc non diſcordat ab Evangeliſtis: quia iſti nobis ſolùm repræſentant cauſas inſtrumentales iſtius coronationis, putà milites: ſed Scriptura ſacra in Canticis loquitur de Synagoga ut cauſa efficiente: & opus non attribuitur inſtrumento, ſed agenti principali: ipſa ergo Synagoga Filium Dei ſpinis coronavit interventu militum. Propterea vehementer ipſe de illa queritur, *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto f.* Ipſe comparat appoſitè Synagogam ſtruthioni, ut nobis oſtendat, quòd licèt milites ipſum ſpinis coronaverint, tamen crudelitas iſtius coronationis attribuitur Judæis. Ubi, ſi placet, obſervate, quòd pennæ iſtius avis ſunt ſymbolum juſtitiæ, quia undequaque ſunt æquales, ut referunt Naturales. Sed cùm habeat pennas ita juſtas, cor habet ita plenum injuſtitia, ut ipſa perſequatur & derelinquat proprios fœtus ſuos, quos exponit in prædam ſerpentibus & beſtiis: *Quando derelinquit ova ſua in terra, obliviſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui g.* Struthio igitur habet juſtitiam in pennis, quæ ſunt res leves, quæ elevantur in aërem; ſed habet injuſtitiam & crudelitatem in corde. Qualis hypocriſis videri poteſt major, æquè ac crudelitas? ait Pintus *h*, *Struthiones ſunt aves miræ magnitudinis, ſed minimè volantes, quibus hæretici & nefarii homines artificio ſimulationis eruditi, ut Heſychius ait, & Eucherius, ſignificantur. Habere namque videmus ſapientiæ & contemplationis pennas, volare autem haudquaquam poſſunt. Eam ob cauſam ſunt in Lege i veteri prohibitæ. Hæ aves crudeles ſunt: quare cum illis comparat Iob k homines crudeles, cùm ait, Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Talis erat juſtitia, æquè ac ſævitia Synagogæ: ipſa erat ſtruthio ſcatens hypocriſi, habens juſtitiam duntaxat in pennis, in rebus leviſſimis, in aëre fundatis, & quæ ſolùm præ ſe ferunt exiguam apparentiam: Judæi erant ſoliciti de cuſtodiendis rebus levibus & exigui momenti, ad quas ipſos obſtringebat lex, & ipſorum traditio, ſed illas non obſervabant niſi ex pura hypocriſi: habebant enim injuſtitiam in corde, quippe qui res magni momenti, in quibus agebatur de conſcientia & de honore Dei, deſpiciebant. Propterea Salvator, qui cognoſcebat hujuſmodi hypocritas intùs & foris, ſic in illos invehebatur, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Væ Vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ: ſic & vos aforis quidem paretis hominibus juſti: intùs autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate l.* Qualis major injuſtitia & hypocriſis, quàm quòd cùm *adducunt Ieſum à Caipha in prætorium, ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur m?* Quia ibi judicabantur cauſæ criminales. Ipſi non audebant ingredi prætorium Pilati, ſed non verebantur ſatagere ut inferretur mors innocenti, & ſupplicium crucis infligeretur illi, quaſi latroni. Et ut operirent hypocriſim ſuam, utebantur pennis ſtruthionis, quæ ſunt ſymbolum juſtitiæ; id eſt, volebant fundare mortem Jeſu Chriſti ſuper leges juſtitiæ, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori n.* Sed habebant injuſtitiam in corde: invidiâ enim ducti volebant ut inferretur ei mors; *Pilatus ſciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes o.* Ha! *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio p.* Ha! Synagoga immitis, crudelis ſtruthio, quis commiſit unquam talem ſævitiam, cùm ſpinis illum coronaveris?

g Job 39. 17. &c.

h Pintus in Thrē. 4. 3

i ex Lev. 11. 16. & ex Deut. 14. 15. &

k Job 30. 29.

l Matth. 23. 23. &c

m Jo. 18. 28.

n Jo. 19. 7

o Marc. 15. 9. & 10.

p Thren. 4. 3

f Thren. 4. 3

e S. Chryſoſt. cit. à S. Thom. in Caten. aurea in Jo. 19. 2.

Sed fortè dices mihi, Ego nunquam collegi ſpinas iſtas, nec unquam texui coronam iſtam, tantum abeſt ut capiti ejus illam impoſuerim: ego non intuli ei mortem, *Nobis non licet interficere quenquam q.* Ha! Crudelis ſtruthio, nunquid non idem eſt, ſive ipſa applices ei manus tuas, ſive derelinquas eum, ſive eum tradas aliis, ut hi manus illi imponant? & ſic crudelior es vel ſtruthione. Struthio deſerit quidem fœtus ſuos; ſed tamen no tradit illos inimicis ſuis; relinquit illos, non diffiteor; ſed nihilominùs non invitat beſtias agrorum, vel homines ad nocendum eis: ſed ipſa ulteriùs progreſſa es, cùm, licèt non impoſueris ei manus, tamen illum tradideris manibus crudelium militum Ethnicorum, qui, ut tibi complacerent, & ſatisfacerent rabiei tuæ, adinventiones commenti ſunt diabolicas, excogitantes diademata ſpinea ad crudeliùs eum torquendum, *Filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio.* Ipſa es igitur immitis ſtruthio, quippe quæ ſpinis illum coronaſti interventu militum Romanorum.

q Jo. 18. 31.

II. Pars.

Sed cùm ſciamus qui & quales ſint illi, qui manus applicuerunt iſti novæ crudelitati, conſide-

deremus nunc quænam motiva eos induxerint ad coronandum ſic Filium Dei. Nam Pilatus hoc non præcepit, ut ſupra dixit Tertullianus, & S. Chryſoſtomus id confirmavit, allegans præcipuum motivum, quod illos induxerit ad peragendam hanc coronationem; & quòd iſtud, eſt deſiderium, quo milites ducebantur, complacendi Scribis & Phariſæis; & in medium promens coronationem etiam ſpinarum crudelium & ignominioſarum, ut inde ſumerent occaſionem deridendi illius, & diffamandi ipſius pluribus modis. Primò, Intentio illorum erat ſita in excipiendo illo ut ſervo, cùm Judæi emiſſent eum triginta denarijs, quippe qui Judæ *conſtituerunt*
r Matth. 26,15. *triginta argenteos* r pro illius venditione: & ideo *milites Præſidis plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus.* Quod erat ſignum ſervitutis. Nam conſuetudo Romanorum antiqua conſiſtebat in vendendis ſervis ſub corona, *Coronati venundari conſueverunt in ſignum expoſitionis ſuæ in venditionem*, ajunt Hiſtorici Romani. Hæc corona dabatur eis in ſignum, quòd erant ſervi, ideòque quòd erant vendendi. En igitur ſcopus ad quem Judæi tendebant, ſcilicet, ut manifeſtarent omnibus, quòd non deberet Salvator majoris æſtimari quàm ſervus vilis & abjectus, & quòd ut talem emerant eum triginta argenteis, quod erat pretium ſervorum, ut dicebam vobis ſecundâ die Veneris iſtius Quadrageſimæ. Et
s Philip. 2.7 hoc eſt ad quod S. Paulus s videtur intendiſſe, cùm dixit, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Quaſi diceret, Dei Filium ſic ſeipſum exinaniviſſe, ut reputari voluerit & vendi ſicut ſervus.

Secundum motivum quod illos inducebat ad coronandum ſpinis Jeſum Chriſtum, erat, ut oſtenderent populo, quòd erat magnus latro, & ſic diffamarent illum apud omnes. Crudeles iſti Judæi non ignorabant quòd procurantes ut Salvator ſpinis coronaretur, eum dirè excipiebant, & quòd ipſe magnæ injuriæ aſcribebat ſubjici iſtius infamiæ, de qua ipſe querebatur, cùm ab ipſis captus eſt, terminis iſtis, *Tanquam ad latro-*
t Matth. 26.55. *nem exiſtis* t. Ipſi ergo videntes quòd ægrè ferebat ſe notari hoc vitio pleno infamiâ, in quibuſlibet occaſionibus obvijs excipiebant eum ut latronem, ut ei majorem irrogarent injuriam, & illum plùs affligerent; illum ſic exceperunt in horto Olivarum; ſategerunt illum flagellandum
u Jo.19.1 u virgis & catenis inſtar furis; prætulerunt ei inſignem latronem, minoris æſtimantes ipſum, quam Barabbam, *Pilatus exivit ad Judæos, & dicit eis, Eſt conſuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? Clamaverunt ergo omnes, dicentes, Non hunc, ſed Ba-*
x Jo.18 38.&c. *rabbam. Erat autem Barabbas latro* x. Deinde, ipſis machinantibus, præfati *milites Præſidis crucifixerunt eum. Et tunc crucifixi ſunt cum eo duo la-*
y Matth. 27.27. &c *trones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris* y. Quaſi verò fuiſſet ipſe Dux eorum. Hodiernâ verò die ipſis inſtigantibus, ijdem *milites Præſidis, plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus.* Quaſi innuerent, quòd id quod ipſe ſuffurari volebat, non erat exigui momenti, quale eſt, Regnum integrum. Sciebant ipſi apprimè, quòd ipſe dixiſſet coram Pilato, quòd ipſe Rex eſſet: nam cùm *dixit ei Pilatus, Rex es tu? reſpondit Jeſus, Tu*
z Jo.18 37. *dicis, quia Rex ſum ego* z. Judæi ergo ſignificare volentes, quòd voluiſſet uſurpare Regnum, quod ad ipſum non pertinebat, ſategerunt eum patibulo crucis ſuffigendum inter duos latrones, & cum notâ latronis, procurantes ut corona capiti ejus imponeretur. Sicut enim aliquando imponitur collo illius, qui ducitur ad ſupplicium extremum, materia circa quam crimen ſuum patravit, ut, cùm palam ducitur per vicos conſuetos, ſciat unuſquiſque quale eſt crimen quod hujuſmodi reus commiſit, & propter quòd pœnâ extremâ plectendus eſt: ſic crudelis hæc Synagoga ſignificare volens populo, quòd ipſa ſatageret eum crucifigendum eò quòd malefeciſſet, procurat imponendam coronâ capiti ejus in notam criminis, cujus convictus videbatur, ad innuendum quòd erat inſignis latro, & quòd non exiguum furaretur, ſed regna integra. Et hæc eſt infamia, de qua loquitur idem Salvator per Prophetam a ſuum, *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* a Pſ. 68. 5.
Et per Dionyſium Carthuſianum b, *Quæ non rapui, hoc eſt, culpam quam non contraxi, malum quod non feci, tunc exolvebam, quoniam ſine culpa propria paſſus ſum pœnam. Pœna autem eſt præmium culpæ, ſicut & mors eſt pœna peccati* c. Et, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia*, canit Eccleſia. b Dion. Carth. in hunc.loc. c ex Rõ. 6.23.

Tertium motivum fuit ad deridendum eum. Cùm Romani declarare volebant aliquem Regem, aut requirebant amicitiam ejus, hanc habebant conſuetudinem, ut mitterent ad eum coronam, vel veſtem purpuream pretioſam. Iſtud eſt quod exercuit Rex Alexander erga Jonatham, ad quem miſit veſtimentum purpureum pretioſiſſimum, & aureum diadema in ſignum benevolentiæ, & in ſymbolum amicitiæ, *Alexander Rex Jonathæ ſcripſit epiſtolam, & miſit ei ſecundùm hæc verba, dicens: Rex Alexander fratri Jonathæ ſalutem. Audivimus de te, quòd vir potens ſis viribus, & aptus es ut ſis amicus noſter: & nunc conſtituimus te hodie ſummum Sacerdotem gentis tuæ, ut voceris amicus Regis (& miſit ei purpuram, & coronam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerves amicitiam ad nos* d. Judæi igitur ſatagunt dandam *chlamydem coccineam, & coro-* d 1. Machab. 10. 15. &c.
nam de ſpinis Salvatori in ſignum deriſionis, quaſi verò vellent eum honorare, & requirere benevolentiam & amicitiam illius, quippe qui dignus eſſet ut deferret coronam regiam in capite, purpuram ſuper dorſum, & ſceptrum præ manu. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Judæorum.*

Quartò, Milites ſcientes quòd Salvator *Filium Dei ſe fecit* e, voluerunt etiam deridere illum in e Jo.19 7
hoc puncto; ipſi qui erant Ethnici, & dediti idololatriæ, non ignorabant quòd flores ſpinarum erant conſecrati Dijs ſuis, & quòd hi volebant ut ſibi fierent coronæ ex illis; ideòque deridere voluerunt Dominum noſtrum, illumque repræſentare populo ut Deum irriſionis, & theatri: impoſuerunt capiti ejus coronam, non è floribus ſpinarum, ſed ſolùm è ſpinis pungentibus. Clemens Alexandrinus f ait, quòd licèt ipſi inten- f Clem. Alex.l.2. Pædag. c.8
derent infamare illum hoc artificio, tamen inviti declaraverunt eum Deum, *Quem exacerbaverunt, ut ſe Dominum oſtenderet per ſpinam ſemper florentem.* Quamvis enim moriatur ut ſervus,

hoc

g Gal. 4 31. hoc tamen non impedit quin conciliet nobis li-
bertatem : *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* g.
Si excipitur ut latro , ideò ut expoliet infernum,
& abripiat prædam tot ſanctorum Patriarcha-
rum, Prophetarum, & aliorum , quos diabolus
tenebat captivos, *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exi-*
h Iſa. 49. 9. *te : & his qui in tenebris, Revelamini*, ait illi Iſaias h.
i Coloſſ. 2. 15. *Ut expolians Principatus & Poteſtates, traduxit con-*
fidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo i. Vult
proclamari Rex irriſionis , ut oſtendat omnia
Regna mundi nihil aliud eſſe niſi irriſionem : &
ideò, velint aut nolint, ipſe, Deus eſt ; &, licèt in-
viti, ipſum confitentur , & agnoſcunt ut talem.
Sed ipſe, eſt Deus plenus ſpinis , Deus abſcondi-
k Iſa. 45 15. tus ſub illis ſpinis : *Verè tu es Deus abſconditus, Deus*
Iſraël Salvator, ait illi idem Iſaias k.
l Lorin. in Act. 14 12. citans Plin. l. 16 c. 4. & Juvenal. Satyr. 13 Quintum motivum eſt illud, quòd, ut ait Lo-
rinus l, *Gentilibus mos erat, ut probat Plinius, victi-*
mas coronare ac vittâ cohoneſtare , ſeu diademate
(quod etiam Regum fronti circumponebantur.) Unde
Iuvenalis,

Quaque coronata luſtrari debeat agna,

Ut contemnant igitur Jeſum Chriſtum, & oſten-
dant ſe non ducere majoris eum , quam animal,
imponunt ei coronam priuſquam ſacrificent eum
in cruce. Sed quantaslibet comminiſcantur ad-
inventiones ad diffamandum eum , confitentur
eum, licèt inviti, Meſſiam , & Filium Dei repræ-
ſentatum per illam , quam immolandam præce-
perat Deus *filiis Iſraël vaccam rufam ætatis integræ,*
in qua nulla eſſet macula , nec jugum portaſſet, ex-
m Num. 19. 2. & 3 *tra caſtra in conſpectu omnium* m pro peccatis po-
puli. Jeſus Chriſtus, inquam , eſt hæc vacca ſine
macula, quæ nunquam portaverat jugum pecca-
ti, *Qui peccatum non fecit , nec inventus eſt dolus in*
n 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9. *ore ejus* n. Et offerri debebat *pro peccatis noſtris* o.
Propter quod & Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum ſan-
o 1. Petr. 3. 18. *guinem populum , extra portam paſſus eſt* p. Erat
vacca rufa , ſed rubea ſanguine ſuo , rubra veſte
p Heb. 13 12. coccineâ ipſi impoſitâ à carnificibus , qui conan-
tur inde ipſi infamiam irrogare. Sed iiſdem me-
diis , quibus infamiam procurant Jeſu Chriſto,
confitentur & illum verum Meſſiam , licèt invi-
ti. Ecce motiva quæ illos inducunt ad coronan-
dum ſpinis Salvatorem, id eſt, ad eum infaman-
dum. En hominum conſilia, ſed Dei conſilia ſunt
eis penitus oppoſita.

III. Pars. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ ,*
neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut
exaltantur cæli à terra , ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à
viis veſtris , & cogitationes meæ à cogitationibus ve-
q Iſa. 55. 8. & 9. *ſtris* q. Qualia ergo erant , ſi placet , conſilia Sal-
vatoris in iſta coronatione ? Hæc nimirum, quòd
Dominus noſter videns quòd noſtra corona gra-
tiæ & gloriæ , ſcilicet noſtra juſtitia originalis,
noſtra innocentia, quam Protoplaſtus noſter per-
r Gen. 3. 6. didit per peccatum ſuum r, mutabatur in coronâ
ſpinarum in ſtatum peccatorum, quæ non ſunt
aliud niſi ſpinæ ; ſumere voluit formam peccato-
s Rom. 8. 3. ris, *In ſimilitudinem carnis peccati* s. Licèt ipſe nun-
quam peccaſſet , & ſtatim cepit coronam ſpina-
rum , quæ ad nos pertinebat in punitionem
t Gen. 3 18. peccati , *Spinas & tribulos germinabit tibi* t, di-
cebat Deus Adæ , loquens illi, de terra. Salva-
tor ergo noſter ductus amore immodico , tra-
here voluit hanc maledictionem ſuper ſe , &
ſumere hanc coronam ſpineam , & dare no-
bis coronam auream, quæ ipſi debebatur , cum

qua ſanctus Joannes u vidit illum, dicens, *Vidi ſi-* u Apoc. 14. 14.
milem Filio hominis habentem in capite ſuo coronam
auream. Vult dare nobis coronam ſuam auream,
& ſumere noſtram coronam ſpineam. Deus non
cogitat ſicut cogitant homines : homines cogi-
tant dare ei coronas ſpineas ; & ipſe cogitat dare
nobis coronas aureas & gloriæ : Deus honorat
homines, & homines ipſum contemnunt, & co-
nantur omnibus modis ipſum infamare : ipſe
procurat ignominiam & infamiam ſuam , ſed in-
famiam ſemper ſtipatam doloribus & tormen-
tis. Quænam tormenta , & quaſnam ignomi-
nias non pertulit ipſe , cùm crudeles iſti carnifi-
ces expoliaverunt ipſum , & evulſerunt è dorſo
ipſius indumenta ſua , ut induerent ipſum veſte
purpureâ, quæ comitaretur coronam ſpineam ,
& ut deriderent ipſum, tanquam Regem theatri-
cum ? Refertur, quòd ad faciendum forte cæmen-
tum miſcetur illud ſanguine : repræſentate vo-
bis igitur quomodo veſtis Domini noſtri debebat
eſſe conglutinata vinculis, ſanguini ſuo , & carni
ſuæ flagellis præciſæ & laceratæ. Quanto dolo-
re ergo Salvator afficiebatur , cùm tortores iſti
evulſerunt ab ipſo veſtem ſuam ? Heu ! virtus
carnis abiit confeſtim , relinquens oſſa aperta,
quæ flagirioſi iſti homines rurſus operuerunt ve-
ſte purpureâ lacerâ, ut ſemper dolores doloribus
adderent, ſicut ipſemet queritur , *Super dolorem*
vulnerum meorum addiderunt x. O corona ſæva ! x Pſ. 68 27.
Quis audivit unquam talem modum tormenti
ſtipati tantâ infamiâ ? Et quale cor fuit aliquan-
do ſic crudele, ut reperiret conditionem talem,
quæ ſimul inſerviret ad torquendum & inhono-
randum ſimul eum , qui *eſt Rex gloriæ* y ? Omnia y Pſ. 23 7. &c.
tormenta quorumlibet Tyrannorum non ſuffi-
ciebant, adorande Salvator ad affligendam ſan-
ctiſſimam carnem tuam , niſi carnifices etiam
commenti eſſent novos modos augendi doloris
tui & dedecoris tui ſimul. Videte, ſi placet, Au-
ditores, id, quod ait Evangeliſta noſter, *Tunc mi-*
lites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congre-
gaverunt ad eum univerſam cohortem : & exuentes
eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei , &
plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput e-
jus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante
eum, illudebant ei, dicentes , Ave Rex Iudæorum. Et
exſpuentes in eum, acceperunt arundinem , & percu-
tiebant caput ejus. Iſti flagitioſi milites ſtabant
circum eum , ſpumantes more canum rabido-
rum, & undequaque illum dilaniabant , ſicut ip-
ſemet queritur per Pſalmiſtam z ſuum de illis, z Pſ. 21. 17.
æquè ac de Judæis, dicens , *Quoniam circumdede-*
runt me canes multi , concilium malignantium ob-
ſedit me. Et per Dionyſium Carthuſianum a *Quo-* a Dion. Carth. in Pſ. 21. 17
niam circumdederunt me canes multi, id eſt, homines
inſanientes & furentes adversùm me, & ſanguinem
meum ſitientes, ac undique me mordentes verbis blaſ-
phemis, irriſionibus invidioſis, & ictibus doloroſis. Con-
ſilium malignantium obſedit me, id eſt, conſiliatores
maligni, videlicet Scribæ, Phariſæi, ac alii, cogitantes
quomodo exquiſitis tormentis ac morte turpiſſimâ b b ex Sap. 2. 20.
occiderent me, ut ſatiarentur anguſtiis meis. Hi tales
undique vallaverunt me. Illi ergo , ſicut ait idem
Dionyſius Carthuſianus c, *exſpuentes in eum, tan-* c Dion. Carth. a. 43. in Matt. 27 30.
quam in viliſſimum hominem ex vehementi contem-
ptu, acceperunt arundinem, & percuſſerunt caput e-
jus cum arundine, ut imprimerēt illas ſpinas punctivas
ſacratiſſimo capiti ejus : quo facto cœpit ſanctiſſimus
ſanguis ex diverſis Divini capitis vulneribus , quaſi ex
vivis ac puriſſimis fontibus copioſiſſimè emanare , &

per benedictum ejus vultum deſcendere , ita ut tota facies ejus gratioſiſſima ſanguine perfunderetur.

d Cant. 3. 11.
Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate , quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius , & in die lætitiæ cordis ejus d. Videte quomodo ipſe ſit indutus purpurâ, veluti veſte nuptiali ad celebrandum diem nuptiarum

e Pſ. 23. 7. &c.
ſuarum ſuper durâ cruce. O *Rex gloriæ* e, qui hominem, *gloriâ & honore coronaſti , & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum , omnia ſubjeciſti*

f Pſ. 8. 6 ex Gen. 1 28.
ſub pedibus ejus f; quomodo coronatus es manu hominum , diademate ignominiæ & tormentorum ? O ingratitudo & crudelitas hominum adversùs Deum ! O bonitas Dei ineffabilis erga homines! Ipſe coronat illos gloriâ; & hi coronant ipſum ignominiâ : ipſe tribuit eis coronam ſuam auream ; & hi præbent ipſi diadema ſuum ſpineum : ipſe magnitudine amoris ſui ; & hi duritiâ crudelitatis ſuæ. O anima mea, quomodonam ſpinæ iſtæ non perforant cor tuum? Unde procedit ut non educant lacrymas ex oculis

g Eſth. 13 11.
tuis, videndo eum qui *Dominus omnium* g eſt, ſic perforatum & percuſſum ad acquirendam tibi coronam Regni æterni? O ſpinæ ſacræ, pungite corda noſtra , quæ ſunt indurata *tanquam la-*

h Job 41 15.
pis, & quaſi malleatoris incus h, ſtricta, ſic ut exire faciatis ex oculis noſtris lacrymas compunctionis & doloris de peccatis noſtris, quæ perforaverunt acriùs cor Jeſu Chriſti , quàm vos ſacrum caput ipſius; fletus compaſſionis ad compatiendum doloribus & tormentis illius , qui tanta pro nobis patitur : *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit : & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra,* dicit Iſaias i. Poſſibi-

i Iſa. 53 4. & 5
le ne erit, Auditores, ut videntes Caput noſtrum coronatum ſpinis pro nobis ut membris ipſius ,

k Epheſ. 5. 30
l Coloſ. 1. 18.
Quia membra ſumus corporis ejus k, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* l, coronemur floribus , & quæramus delicias & voluptates mundi? *Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum,* dicit S.

m S. Ber. ſerm. 5. in Feſto Omn. SS.
Bernardus *m*. Hoc non eſt rectæ rationi conſonum : nec enim decet ut feramus coronas è floribus , quandiu Rex noſter diadema portat ſpineum. Hoc modo non ſe gerebant Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ, qui abhorrebant portare coronas è floribus, licèt eſſet illius temporis conſuetudo, propter magnam reverentiam, quâ afficiebantur erga coronam ſpineam Salvatoris. Ad quod conformiter Tertullianus *n* refert , quòd,

n Tert. l. de Corô. Milit. c. 1
cum Imperatores Lucius Septimius Severus , & Marcus Aurelius Antoninus Caracalla filius ejus (*Sub quibus Tertullianum floruiſſe, S. Hieronymus auctor eſt in illuſtribus Eccleſiæ viris* , ait Pamelius Commentator ejuſdem Tertulliani poſt Rhenanum) donum feciſſent militibus , & conſuetudo eſſet inter eos ut ferrent coronas è floribus , ad plùs honorandam magnificentiam Imperatoriam , contigit ut inter milites adeſſet unus qui erat Chriſtianus, qui nedum ſuam coronam è floribus ferret ſuper caput ſuum , more aliorum, portabat illam præ manu. Interrogatus autem a Tribuno, unde procederet hæc novitas , & quare coronam non deferret inſtar aliorum , reſpondit ſe fuiſſe Chriſtianum , & quòd , cùm Salvator ſuus fuiſſet coronatus ſpinis, non decebat ut ipſe qui erat Chriſtianus , coronaretur floribus. Ecce verba Tertulliani , *Prox me facta eſt liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum. Expungebantur in caſtris milites laureati.* (*Quam adeò rectè interpretatur Rhenanus de donativo militibus dato* , dicit Pamelius.) Tertullianus autem proſequitur : *Adhibetur quidam illic magis Dei miles , cæteris conſtantior fratribus , qui ſe duobus Dominis ſervire non poſſe* o *præſumpſerat , ſolus libero*

o ex Matthæ. 6. 24.
capite , coronamento in manu otioſo. Tribuno defertur, & perſona jam ex ordine acceſſerat. Statim Tribunus, Cur, inquit, tam diverſus habitu? Negavit ille cum cæteris ſibi licere. Cauſas expoſtulatus, Chriſtianus ſum, reſpondit. O militem in Deo glorioſum! Cum quo , æquè ac cum de Ponte *p* conclu-

p de Pôt. l. 6. in Cât. 3. 11 exhort. 35. §. 1.
damus, Auditores, *Pudeat ergo nos ſub ſpinato Chriſti capite militantes, coronas roſeas portare , delicias concupiſcere , ambire honores , & ſplendida mundi ſectari , quæ inſtar roſæ ab arbuſto præciſæ, citò areſcunt, aut ſimul cum morte nobis pereunt ; at ſpinea Chriſti corona, quæ non ſolùm capiti impoſita eſt , ſed infixa : (nam aculei ejus ſacratiſſimum cerebrum terebrarunt) Regnum ejus indicabat mutabile non eſſe, ſicut hujus mundi regna , ſed fixum & æternum, nunquam finem habiturum.* Quod non eſt aliud niſi gloria paradiſi.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. 46. &c.

Nihil invenio opportunius, quod deprimere valeat ſuperbos homines hujus ſeculi , ipſis exemplis humilitatis, quæ proponit nobis Evangelium hodiernum , dum Judæis Dei Filium iſtis contumeliis afficientibus , *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? reſpondit Ieſus, Ego dæmonium non habeo , ſed honorifico Patrem meum.* Sic etiam nihil eſt, quod me majori ſtupore concutiat , quàm cùm conſidero, eum, qui contineri non poteſt in ſpatiis

a 3. Reg. 8. 27
b Jer. 23. 24.
c Dan. 13 42.
d Gal. 4 4.
immenſis , quem *cœli cœlorum capere non poſſunt* a, qui *cœlum & terram* b implet , qui non poteſt limitari tempore *c*, aut loco, habitâ ratione naturæ ſuæ Divinæ , *ubi venit plenitudo temporis* d, deſcendiſſe è cœlo in terram , ut ſe includeret in ſinu Virginis , etiamſi omnium crea-

e Cant. 4. 7.
f Luc. 19 10.
g Pſ. 90 10.
h Luc. 2 7. &c.
i Marc. 1 24. & Luc. 4. 34.
k Coloſ. 2. 3
l Apoc. 19. 16.
turarum perfectiſſimæ *e*, & veniſſe *quærere & ſalvum facere quod perierat* f. Quòd ille , qui experiri non poterat infirmitates *g* à natura noſtra inſeparabiles , eò quòd eſſet Deus , eas omnes aſſumpſit *h*, ut nos à noſtris ſublevaret miſeriis , id majori eſt etiam dignum admiratione. Sed quòd ille , qui eſt ipſamet innocentia, & qui poſſidet ſanctitatem *i* eſſentialem, & *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* k, quique *habet in veſtimento , & in femore ſuo ſcriptum : Rex regum , & Dominus dominantium* l, patiatur opprobrium , quo impetitur ipſe hodie à Judæis ſibi infenſiſſimis , id ſanè inſolito nos percellit ſtupo-

pore ; cùm ipſe ſit origo totius ſanctitatis, & gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* m, m Jo.1.17 quâ tamen Mater ſua jam erat jam repleta, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

Etiamſi Dei Filius jure merito de noſtris queri poſſit criminibus, & peccata, in quæ diebus incurrimus ſingulis, æquâ ipſum accendant iracundiâ; debet ipſe tamen potiùs queri de amore ſuo, quàm de noſtris ſceleribus : non enim propter peccata hominum præcisè, ſed ob amorem ſuum deſcendit ipſe de cœlo in terram, ut ſacrificaret ſe Patri ſuo æterno : *Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* n. n Pſ. 39 8. & 9 Nemo ambigit primum atque antiquiſſimum, quod creatura, homo autem ſpeciatim exhibere Deo debet obſequium, eſſe ſacrificium, ita ut etiam præcedere videatur amorem, & nos priùs inducere ad adorandum Deum, quàm ad ipſum amandum, quia amor ſupponit ſocietatem & æqualitatem, ut vulgò dicitur, *Amor aut pares invenit, aut facit.* Idcircò ajebant Antiqui, nullam eſſe veram amicitiam inter ſubditos & ipſorum Dominos ſupremos,

Non benè conveniunt nec in una ſede morantur
Majeſtas & amor.

Licèt hoc obſequium foret juſtiſſimum, illudque poſſet Deus exigere duplici ratione ab hominibus, prout ſubditis, & prout peccatoribus ; non poterant tamen ipſi eo perfungi, eò quòd non haberent victimas, quarum valor æquiparari poſſet gravitati peccatorum ipſorum, & ſic permanſiſſent ſine ulla ſpe veniæ, niſi Dei Filius deſurſum videns miſerias ipſorum, deſcendiſſet ut ſe exhiberet victimam expiatricem ſcelerum ipſorum, reſtitueretque Patri ſuo morte ſuâ honorem, qui ei ereptus fuerat ab hominibus peccantibus. Et quia hæc eſt præcipua ejus inventio, aſſumit carnem paſſibilem, ut mori poſſit, & expiare peccata noſtra. Ideò in variis Scripturæ locis habetur ſermo de ipſo ut de Agno, o Iſa.16.1 *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ* o. *Quaſi Agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* p. p Iſa.53.7 *Et ego quaſi Agnus manſuetus qui portatur ad victimam* q. q Jer.11.19. Et licèt ipſe ſit ſine peccato ſicut Agnus innocens, ipſe eſt ut ſic victima expiatrix omnium peccatorum hominum, & hoc eſt quod intendo vobis exhibere, Diviſio. Primò Chriſtum fuiſſe victimam veram ; Secundò victimam perfectam. Tertiò victimam innocentem in triplici parte hujus diſcursûs.

I. Pars. Ut concipiatur clariùs hæc veritas, Sciendum eſt fuiſſe alias quatuor victimarum genera, ſeu meliùs, oblatas fuiſſe quatuor victimarum ſpecies ad fines diverſos directas. Offerebatur primò victima pacificationis r, r Exo.24 5. ad mitigandam iram Dei jure merito exacerbati. Secundò victima propitiationis s, s Exo.30 10.&c. ut efficeretur Deus propitius. Tertiò victima impetrationis t, t Num. 15.27.& 28. ut ab eo impetrarentur dona. Quartò victima holocauſti u, u Levi. 3.&c. ut honor exhiberetur ſummæ majeſtati Dei, & hæc victima erat omnium perfectiſſima; nam offerebatur ob plures fines, Primò ut inde teſtimonium perhiberent homines bonitatis & miſericordiæ Dei, in eo quòd cùm populus peccaverat, & ideò conſcius erat criminis, & pœnæ obnoxius, Deus avertebat pœnam à culpa ipſius, & ſic cùm populus debebat eſſe objectum iræ Dei, eligebantur agni, oves, aliave animalia, quæ immolabantur ad expianda populi crimina, & Deus præ infinita x *bonitate* y ſua avertebat *omnem iram* z ſuam, & indignationem ſuam vibrabat in victimam ſibi oblatam. x Baruch 3 25. y Pſ.118 68. z Pſ. 84 4. Secundò offerebantur & immolabantur Deo victimæ, ut honor exhiberetur immortalitati a Dei, a 1. Tim. 1.17 cui univerſæ mundi vitæ ſunt obſtrictæ, eumque agnoſcere debent ut primam ſuam originem : & quia omnes vitæ debebant ſacrificari & offerri primæ b b Jo.14 6. & univerſaliſſimæ omnium vitarum, homines ut ei gratias agerent pro vita, quam hauſerant c c Act. 17 28. ut purum donum ex ejus liberalitate, ei offerebant vitam animalium. Tertiò offerebantur victimæ ſummæ majeſtati Dei, ut confiterentur inde homines quòd Deus eſt *finis* d d Apoc. 1.8 omnium rerum, & ideò quòd tenentur omnia ſe conſumere propter finem, ad quem ſunt ipſa deſtinata, conformiter ad intentionem illius, qui ipſis dedit eſſe e. e Gen.2 1.&c. Homines autem ut ſatisfacerent aliquo modo huic obligationi, offerebant Deo & flammis conſumebant animalia. Quartò conſumebatur hoſtia & redigebatur illa penitùs in cineres, ut confiterentur inde homines plenitudinem Dei, magnitudinem immenſam independentiæ ipſius, & quòd, cùm ipſe Deus noſter ſit, abundantia ipſius infinita, noſtris non indiget bonis, omnipotentia ipſius, noſtra non requirit obſequia, ut præcinebat Pſalmographus f, f Pſ.15.2. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Fatemur autem hanc veritatem, quotieſcunque dicimus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto : Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Quia ſemper *idem ipſe* g g Pſ. 101 28.& Heb.1.12 permanet.

Hâc doctrinâ ſic ſuppoſitâ, videamus, ſi placet, quomodo Chriſtus fuit vera victima. Et ideò obſervandum eſt nobis, quatuor eſſe, aut fuiſſe Eccleſiarum genera ; Eccleſiam, ſeu, ut meliùs dicam, Synagogam Judæorum, quæ modò abrogata eſt h, h Heb.10 9 &c. Eccleſiam militantem i, i Matth. 18.10. Eccleſiam patientem k, k Malac. 3.3 & Eccleſiam triumphantem l. l Apoc. 21.3.&c. In prima oblatas quidem fuiſſe victimas, ſed omnes illas victimas fuiſſe tantùm figuras m m 1 Cor. 10.11. veræ victimæ, quam Filius Dei erat oblaturus Patri ſuo æterno in propria ſua perſona, ut ſatisfaceret pro peccatis noſtris juſtitiæ ipſius. Neſcio autem utrùm adverteritis aliquando id, quod peractum fuit, cùm *Abraham* egreſſus domo ſuâ, ut ſacrificaret ſuum *filium unigenitum Iſaac*, quem immolandum Deus ipſi præceperat : cùm ambo pergerent ad montem, & omnia eſſent jam parata, ipſumque lignum diſpoſitum ad ſacrificium peragendum, converſus *dixit Iſaac patri ſuo : Pater mi : Ubi eſt victima holocauſti ? Dixit autem Abraham : Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi* n. n Gen. 22.3.&c. Abraham malè loqueris, ſed tamen appoſitè dicis: intueris victimam, quam ſtatuiſti immolare ; & tamen quaſi de ea ambigeres, tu ais ; *Deus providebit ſibi victimam holocauſti.* Apprimè enuntias ſancte Patriarcha, quia filius tuus non erit niſi figura, non erit victima niſi in tua voluntate, & ſecundùm apparentiam, ſed *Deus providebit ſibi victimam* veram, quę deinceps oblata fuit in altari crucis o o Gen.19 20.&c. Patri æterno, quæque of-

offertur diebus ſingulis ſuper altaribus noſtris re verâ in Eccleſia Catholica *p*.

p 1. Cor. 11.24. &c

q Heb. 10. 5. &c ex Pſ. 39. 7. &c

Hoc eſt quod innuere volebat S. Paulus *q*, *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi; Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus, voluntatem tuam.* Venit ad nos per myſterium Incarnationis, cùm Spiritus ſanctus virtute ſuâ Divinâ formavit ipſi corpus eductum è puro Virginis ſanguine *r*, ut poſſet ſe offerre in ſacrificium Patri ſuo æterno, qui dignatus non fuerat omnia Legis antiquæ acceptare holocauſta ad expianda perfectè noſtra crimina; ideò ipſo vitæ ſuæ fine adveniente ſemetipſum obtulit in ſacrificium ſuper altari crucis, virtute ejuſdem Spiritûs ſancti, ut omnes figuras conſummaret veteres, ſemel ingrediens hoc tabernaculum paſſione ſuâ omnibus hominibus redemptionem meriturus æternam. Idcircò ſemetipſum nobis dedit in Communione, præ amore ejuſdem Spiritûs ſancti, relinquens ſuper altaribus noſtris Carnem ſuam, & Sanguinem ſuum ſub ſymbolis mortis, nobiſque præcipit ut reiteremus hoc ſacrificium incruentum, in memoriam ſacrificij cruenti mortis ſuæ. Ita ut Chriſtus fuerit victima vera figurata in hoſtijs veteris Teſtamenti, & ſacrificium præſignificatum in umbra & in figura in primo ſtatu Incarnationis ſuæ, præparatum his diſpoſitionibus, *Corpus autem aptaſti mihi.* Deinde, In ſecundo Paſſionis ſuæ, ubi fuit oblatum hoc ſacrificium cum effuſione ſanguinis. Tandem, In tertio ſanctæ Miſſæ, vel ſacræ Communionis, repræſentatum quidem ſecundùm mortem apparentem, ſine morte tamen, & ſine effuſione ſanguinis. Sic debet intelligi iſtud, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit s. Id eſt, Sacrificium pro peccato noſtro factus eſt*, ait S. Auguſtinus *t*, præſignificatum in Lege antiqua, præparatum in Incarnatione, ſuper Cruce in effuſione, in Miſſa ſine effuſione, per veram reiterationem ejuſdem rei oblatæ, *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo u*.

r Matt. 1 20.

s 2. Cor. 5.21.

t S. Aug. Serm. 48. de Verb. Dom. c. 4

u 2. Cor. 5.21

x S. Chryſoſt. Expoſit. 2. in Pſ. 39. 7.

S. Chryſoſtomus *x* ait, in Lege veteri fuiſſe magnum numerum ſacrificiorum, quæ gratiæ Status ſuperveniens omnia complectitur ſimul, inſtituens unam ſolam & veram hoſtiam: *Sacrificium & oblationem noluiſti. Quanam ſacrificia, & quaſnam oblationes noluiſti? Legales videlicet. Eas enim etſi ad tempus propter cordis Iudæorum duritiam y conſtituit, ut inutiles tamen, & quæ umbram haberent ſupervacaneam, cùm veniſſet Veritas, noluit.* Id confirmat S. Leo *z*, *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una Corporis & Sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi a, & ita in te univerſa perficis myſteria.* Et S. Auguſtinus *b* in hæc verba, *Sacrificium & oblationem noluiſti*, ait, *Quid ergo? Nos jam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. Corpus autem aptaſti mihi. Ideò illa noluiſti, ut hoc perficeres: illa voluiſti, antequàm hoc perficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia. Nam ſi adhuc ſunt promittentia, nondum eſt impletum quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis? Ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt Veritas promiſſa.*

y ex Exo. 32.9

z S. Leo Serm. 8 de Paſſ. c. 7.

a ex Jo. 1 29.

b S. Aug. in Pſ. 39. 8.

Si quis autem velit hîc admittere diſtinctionem ſacrificiorum, & loqui poſteà de Jeſu oblato ſuper altaribus noſtris, audiat eundem S. Auguſtinum *c* dicentem, *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & varijs modis, ſicut re tantâ dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Unde jam Chriſtiani, peracti ejuſdem ſacrificij memoriam celebrant ſacroſanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Chriſti.* Sed conſulendus eſt idem S. Auguſtinus *d*, cùm ait, *Unde verus ille Mediator, in quantùm formam ſervi accipiens e, Mediator Dei effectus eſt & hominum homo Chriſtus Ieſus f, cùm in forma Dei *, Sacrificium cum Patre ſumat, cum quo & unus Deus eſt †; tamen in forma ſervi Sacrificium maluit eſſe, quàm ſumere, ne vel hâc occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & Sacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium: quæ cùm ipſius Capitis corpus ſit g, ſeipſam per ſeipſum dicit offerre.*

c S. Aug. l. 20. cõtra Fauſt. c. 18.

d S. Aug. l. 10. Civ. c. 20.

e ex Philipp. 2. 7.

f ex 1. Timoth. 2 5.

* ex Philipp. 2. 6.

† ex Jo. 10. 30.

g ex Eph. 1. 23.

Id docet Concilium Tridentinum *h*, *Hæc illa oblatio eſt, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ i, & Legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ omnia bona per illa ſignificata velut omnium illorum conſummatio & perfectio complectitur*; explicans & confirmans hæc verba S. Auguſtini *k*, *Hujus veri ſacrificij multiplicia variaq; ſigna erant Sacrificia priſca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut ſine faſtidio multùm commendaretur. Huic ſummo veroque Sacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.* Non poſſum autem meliùs hanc concludere propoſitionem, eamque probare verbis efficacioribus quam ſint ea, quæ promit S. Chryſoſtomus *l*, *Quomodo unum ſacrificium? Oſtendit id fuiſſe multis antè ſeculis, ſiquidem quod erat ſanctum, erat unum & reverendum.* Eundem Chriſtum ſemper offerimus, non nunc quidem alium, ſed ſemper eundem; & propter hanc rationem eſt idem ſacrificium. Nam quia offertur in pluribus locis, ſuntne plures Chriſti? Nequaquam. Sed idem Chriſtus hîc integer, & ibi totus. Quomodo igitur idem Corpus oblatum in pluribus locis eſtne idem corpus? Idem re verâ Corpus eſt, non autem plura Corpora. Sic idem eſt Sacrificium. Ipſe eſt ſummus Sacerdos noſter, qui offert hoſtiam quæ nos pacificat, quæ nullo poteſt conſumi modo. Unde videtis Chriſtum eſſe victimam veram. Videamus quomodo ſit victima perfecta.

h Conc. Trid ſeſſ. 22. c. 1.

i ex Gen. 4. 4

k S. Aug. l. 10. Civ. c. 20.

l S. Chryſoſt. hõ. 15. in c. 9. Heb. v. 6

II. Pars.

Ut perfecta ſit victima, debet ipſa habere convenientiam cum illo, cui ipſa offertur: Atqui omnes victimæ & omnia ſacrificia ab Abel *m* uſque ad Chriſtum, nullam habebant proportionem cum Dei magnitudine; ideò dicebat Deo David, *Holocauſtis non delectaberis o. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo p?* Neceſſaria erat victima, quæ non ſolùm poſſet teſtimonium perhibere miſericordiæ Dei, ſed etiam ſatisfacere juſtitiæ ipſius. Chriſtus ei ſatisfecit, quia, quatenus homo, paſſus eſt, & dedit ſuum Sanguinem; ſed quatenus Deus, meritum dat infinitum paſſionibus ſuis, ſic ſulvens pro reo. licèt ipſe eſſet ipſa Innocentia ac Sanctitas, Caput ſuum expoſuit fulminibus juſtitiæ Patris ſui, extendens brachia ſua in cruce, ſatisfacturus huic juſtitiæ, ut nos amplecteretur infinitâ ſuâ miſericordiâ. Perfecta, Quia perfectum exhibuit honorem immortalitati viventi Dei. Et licèt omnia exhibeant reverentiam huic immortalitati, cùm ipſa vitam amittunt, non erat tamen hoc ei planè ſatisfacere. Id egit perfectè

m Gen. 4 4.

o Pſ. 50 17.

p Pſ. 49 13.

Chri-

Chriſtus, cùm illi vitam præbuit Divinam & im-
mortalem aliquo modo, & voluit oſtendere, ſe,
cùm recepiſſet vitam in humanitate, voluiſſe ipſi
eam ſacrificare penitus, *Sicut miſit me vivẽs Pater,*
q Joan. 6. 58 *& ego vivo propter Patrem* q. Deinde, ſicut om-
nia conſumuntur euntia ad Deum ut ad ſuum
finem, non ſatis ipſâ agnoſcunt magnitudinem
Dei. Sed Chriſtus dilexit nos uſque ad finem,
r Joan. 13. 1 *cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos* r. Patrem
ſuum etiam, *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Pa-*
ſ Joan. 14. 31 *trem* ſ. Seque in ſacrificium obtulit. Tandem,
Ut teſtimonium perhiberet gloriæ Dei Jeſus,
t Joan. 19. 30 ſe totum conſumpſit, *Conſummatum eſt* t. Ut
oſtenderetur Deus nullius rei indigere ſubſidio.
Perfecta, Quia victima propitiationis, *Ipſe eſt*
propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris au-
u 1. Joan. 2. 2 *tem tantùm; ſed etiam pro totius mundi* x. Id eſt,
Chriſtus ſatisfecit pro peccatis omnium ſalvan-
dorum, ſed etiam damnandorum, quia omnes
pœnæ damnatorum non poſſunt ſatisfacere ju-
ſtitiæ Patris æterni, cui ſatisfecit Chriſtus, of-
ferens ſe ei in ſacrificium. Perfecta, Quia hoſtia
pacificationis, *Pacificans per Sanguinem crucis*
y Coloſſ. 1. 20 *ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* y.
Perfecta, Quia victima impetrationis, *Unus*
enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, ho-
z 1. Tim. 2. 5 *mo Chriſtus Jeſus* z. Fuit tandem hæc victima
perfectum holocauſtum, quia ſuper ligno Cru-
cis ſe totum Chriſtus conſumpſit igne & flam-
mis Divinæ ſuæ charitatis, ubi dicere Patri ſuo
a Pſ. 68. 10 potuit, *Zelus domus tuæ comedit me* a. Ex his om-
nibus patet vobis, quomodo Chriſtus ſit victima
perfecta. Supereſt nobis examinandum, quo-
modo ipſe victima ſit innocens.

III. Pars. Ratio, propter quam non poterant homines
ſatisfacere juſtitiæ Dei, & ſolvere ei hoc tribu-
tum, eſt, Quia victima duabus debet inſigniri
qualitatibus, nimirum debet eſſe innocens, &
criminoſa. Debet eſſe innocens, quia quod eſt
impurum, non poteſt eſſe Deo gratum, *Non*
intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abomi-
b Apoc. 21. 27 *nationem faciens, & mendacium* b. Criminoſa,
quia victima offerebatur ipſi pro peccatoribus;
inquinata erat illa criminibus illorum, & eo-
rundem iniquitatibus onerata. Ipſi autem Eth-
nici, etiamſi hujus veritatis ignari, eam tamen
quodammodo agnoverunt; Ægyptii enim ho-
ſtias obſignabant ſigillo, in quo ſculpta erat ima-
go hominis pugione ſibi fauces confodientis, ut
oſtenderetur hoſtia onerata crimine, quod per-
petraſſet homo, & ipſa mortem pati pro delicto
illius. Inde fit ut hoſtia præ ſe ferens has duas dif-
ferentes qualitates, ſit objectum amoris ſicut &
odii Dei. Deus illam amat, quia exaudit preces
illius; illam odio proſequitur, quia vult Deus ut
illa occîdatur, & flammis abſumatur.

Videamus modò utrùm Chriſtus has duas
præ ſe ferat qualitates. Innocens ipſe eſt, cùm
c Matth. 26. 60 & 61. & Joã. 2. 19. &c. *teſtes* c convicti ſint falſitatis: Innocens eſt, quia
Judex, qui ipſum damnat ad mortem, talem
eum declarat, dicens, *Innocens ego ſum à ſan-*
d Matth. 27. 24. & 26 *guine Juſti hujus* d. Innocens eſt, quia Deus eſt,
Quoniam non Deus volens iniquitatem e eſt, im-
e Pſ. 5. 5 peccabilis eſt, & conſequenter non poteſt eſſe
cauſa peccati, eò quòd peccatum ſit directè op-
poſitum Deo; & quia peccatum non habet cau-
ſam efficientem, ſed deficientem. Ideò Chriſtus,
quatenus homo, non potuit peccare; quia ſi pec-
care potuiſſet, idem neceſſariò dicendum fuiſſet
de Deo, quia idem eſt Jeſus Chriſtus, qui eſt Deus
& homo ſimul, *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futuro-*
rum bonorum, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum
obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam
noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo vi-
venti f. Præterquàm quod peccatum eſt averſio, f Hebr. 9. 11. & 14
quâ avertitur creatura a Creatore †; Jeſus Chri- † Jer. 8. 5
ſtus erat Deus homo ſimul mediâ unione hypo-
ſtaticâ ac perſonali Verbi Divini cum carne ne-
ſtâ *, & ſic, quatenus Deus & homo, non po- * Joan. 1. 14
terat averti à ſeipſo, quia ipſe erat regula infal-
libilis, quæ directura erat omnia bona opera, &
per conſequens peccare non poterat. Jeſus Chri-
ſtus erat Author & plenitudo totius gratiæ, *Quia*
gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt; & de plenitu-
dine ejus nos omnes accepimus g. Quæ gratia nul- g Joan. 1. 17. & 16
lum poteſt habere commercium cum peccato:
Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut
quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conven-
tio Chriſti ad Belial h? h 2. Cor. 6 14. & 15

Ita ut Chriſtus ex ſe ſit hoſtia maximè inno-
cens, nihilominùs poſſumus etiam aſſerere hanc
victimam eſſe valde criminoſam, quia ipſa ſe
oneravit omnibus criminibus hominum, & uni-
verſas iniquitates noſtras dorſo ſuo impoſuit,
cunctoſque dolores noſtros tulit, ut ait Propheta
i, *Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros* i Iſai. 53. 4
ipſe portavit. Si autem ipſo die ſuæ Circumciſio-
nis k incepit Chriſtus ſuum fundere Sanguinem, k Luc. 2. 21. ex Lev. 12. 3
eumdem totum effuſurus ad ultimam uſque gut-
tam in monte Calvariâ l, ratio iſtius eſt, Quia l Joan. 19. 18. &c.
in hujuſmodi occurſibus exhibet ſe ipſe veluti
criminoſum & peccatorem juxta apparentiam
exteriorem, & ut ſic affligitur pro peccatori-
bus, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* m. De- m Iſai. 53. 8
flet Jeremias n peccata Jeruſalem, & cœlum n Jer. 9. 1. 25. & 26
crimina circumciſorum & incircumciſorum; Sed
Jeſus plorat iniquitates omnium hominum, *Po-*
ſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm o. o Iſai. 53. 6
Innocens eſt igitur præ naturâ & præ legibus eſ-
ſentiæ ſuæ Divinæ; & criminoſus præ regulis a-
moris ſui, & præ exceſſu charitatis ſuæ incompa-
rabilis. Hoc autem repræſentatur nobis ipſo in-
troitu ſacrificii Miſſæ, in qua contemplamur
peccatum apparens Jeſu pergentis oblatum ſa-
crificium cruentum Paſſionis ſuæ, *Judica me Deus,*
& diſcerne cauſam meam de gente non ſanctâ; ab
homine iniquo & doloſo erue me p. Et deinde con- p Pſ. 42. 1
feſſione Sacerdotis, *Quia peccavi nimis.* In ſe vult
ipſe innocens agnoſci; aliunde vult conſcius cri-
minum reputari, cùm ſe vadem conſtituerit pro
reo juſtitiæ Patris ſui.

Inde fit ut Pater ſuus eum amore ſimul ac odio
proſequatur. Illum amat, quia preces ejus exau-
dit *ſemper* q. Eum odit, quia illum damnat ad q Joan. 11. 42
mortem crucis maximè ignominioſam. Habet
igitur Chriſtus omnes qualitates, quæ in victimâ
deſiderantur. Peccatores, qui deridetis juſtitiam
Dei, intuemini hanc victimam, & diſcite vereri
judicia Dei: videte quonam pacto Filium ſuum
excipiat Pater æternus; conſiderate quanti æſti-
met Chriſtus hanc qualitatem, velitque ut vel
minimæ Legis ceremoniæ in ſeipſo obſerventur:
Iſta eſt Religio victimæ, quam conſtituit Dominum.
Præcipe filiis Iſraël, ut adducant ad te vaccam ru- r Num. 19. 2
fam ætatis integræ r. *Quia omnis operatio ejus per-* ſ Ibid. Nũ.
fecta, ait Gloſſa Ordinaria. *In quâ nulla ſit macu-* u ex Iſai.
la t. *Quia peccatum non fecit; nec inventus eſt dolus* 53. 9. & ex
in ore ejus u, ſubjungit eadem Gloſſa. *Nec porta-* 1. Petr. 2. 22
verit jugum x. *Omnis qui peccat ſervus eſt peccati* y. x Ibid. Nũ.
Quia ergo Chriſtus nunquam peccavit, jugum non y ex Joan. 8. 34

Digitized by Google

portavit, dicit eadem Gloſſa. *Tradetiſque Sacerdoti* a. Super quæ Gloſſa citat S. Auguſtinum dicentem, *Vacca ad immolandum Sacerdoti traditur: quia Dominus incarnatus pro redemptione noſtrâ ſacrificium ſemetipſum fecit, datus manibus Iudaici populi* a. *Qui eductam extra caſtra immolabit in conſpectu omnium* b. *Quia extra portam paſſus eſt Chriſtus, ut nos à converſatione præſentis vitæ, quaſi à civitate educeret*, ait S. Auguſtinus c. Hæc victima immolanda ſeparabatur ab aliis, quippe quæ deſtinata ad altare, non poterat ipſa licitè inſervire alicui uſui profano, ideò *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu* †, ut ad hoc ſacrificium poſt tres annos peragendum ſe diſponeret, ut Patri ſuo honorem exhiberet.

Sed videamus modò quem honorem impenderit Chriſtus Patri ſuo; nam quo magis ipſe humiliatur & deprimitur, eò magis exaltatur & glorificatur Pater ipſius. Quando ipſe orat d, id non agit quòd indigeat orare; ſed ut oſtendantur omnia procedere à Patre ipſius. Prima laus, quam ipſe Patri ſuo attribuit, hæc eſt, Quòd nulla ſit bonitas major, nec juſtitia ſeverior, bonitate & juſtitiâ Paternâ. Nulla eſt major bonitas, quia cùm omnes homines eſſent conſcii criminum, & ideò jure merito deberent experiri ſeveritatem juſtitiæ Dei, ipſi Deo ſatisfit morte unicæ victimæ, Nulla eſt juſtitia ſeverior, cùm videns idem *Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati* *, illi non parcat; quin imò velit ipſe ut deſtruatur ille. Secunda laus eſt, Quia Deus eſt æternus e, & nulla res eſt permanens præter ipſum in naturâ f. Æternitas eſt unum ex attributis Dei præclariſſimis: Atqui Jeſus Chriſtus ſummo affecit honore hoc divinum attributum morte ſuâ, teſtimonium perhibens, ſolum Deum eſſe æternum. Hæc autem laus eſt maxima, nam præterquàm quòd procedit illa ex ore Jeſu, cujus ſunt infallibilia oracula, cùm ipſe ſit *Veritas* g, Dei Filius fert hoc verbum in nomine unitatis, quia una res eſt cum Patre, *Ego & Pater unum ſumus* h. Tertia laus eſt, Quia Deus nullâ re penitus indiget; hoc autem ſpeciatim attributum omnipotentiæ & ſupremi dominii ipſius laudabant victimæ, quæ ipſi alias offerebantur. Inde fit ut appellaretur aliàs Deus à Judæis, Saddai i, id eſt, ſibi ſufficiens, quippe qui nullâ re indigeret. Unum ex infortuniis creaturæ maximis illud eſt, quòd ipſa ſit ad indigentiam redacta, cogaturque exire è ſeipsâ. Non autem ſic eſt in Deo, qui eſt perfectè contentus, *Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos* k. Atqui victima Deo perfectum exhibet honorem, nam deſtructa, cùm ipſa offertur Deo, oſtendit Deum ipsâ non indigere. Jeſus meliùs honorat Patrem ſuum, licet enim ſit Deus æqualis & conſubſtantialis Patri, tamen, cùm ipſe ſit victima, docet homines, Patrem æternum ipſo non indigere, vitam ſuam illi eſſe inutilem, illum eſſe contentum, ſibique ſufficientem ſeipſo.

Concludendum eſt igitur, Jeſum à ſemetipſo oblatum libentiſſimo animo in ſacrificium pro nobis ſuo Patri æterno, ad expianda perfectè noſtra crimina, fuiſſe victimam veram, victimam perfectam, & victimam innocentem; ſicut & maximè conſciam & criminoſam præ legibus Divini ſui amoris. Jeſus Chriſtus igitur, Auditores, ſe exhibuit victimam pro peccatis noſtris, ut juſtitiæ Patris ſui ſatisfaceret, & ut teſtimonium perhiberet miſericordiæ, immortalitati, immutabilitati, magnitudini ſupremi dominii ipſius, & ipſum eſſe finem ſuum; idcircò ſemetipſum obtulit in holocauſtum Deo ut victimam innocentem. Ha! obſecro, Auditores, cui ſacrificamus nos ipſos? Cujuſnam efficimur victimæ? Conſumimuſne nos ipſos, Divino obſequio nos omnino mancipantes? Ha! Deo nihil tribuimus, niſi fortè reliquias, fæces, ſordes, & ea, quæ hoſtes noſtri mundus, diabolus, & caro reſpuunt. Ingenuè fateamur nos eſſe victimas infamis voluptatis, iracundum eſſe victimam ſuæ vindictæ, avarum eſſe victimam ſuæ cupiditatis, impudicum eſſe victimam ſuarum ſpurcitiarum, & ſuperbum eſſe victimam ſuæ ambitionis.

- a Num. 19. 3
- a S. Aug. quæſt. 33. citat. apud Gloſſ. ord. in Nũ. 19. 3
- b Num. 19. 3
- c S. Aug. loco ubi ſuprà apud Gloſſ. ord. in nũ. 19. 3 ex Hebr. 13. 12
- † Matth. 4. 1
- d Luc. 6. 12
- * Rom. 8. 3
- e Dan. 13. 42
- f Pſ. 101. 27. & 28. & Hebr. 1. 11. & 12
- g Joan. 14. 6
- h Joan. 10. 30
- i Exod. 6. 3
- k Pſ. 49. 9

Ha! Debemus nos omnes eſſe victimæ, & nihil aliud agere niſi ſacrificare noſmetipſos; tota vita noſtra perpetuum deberet eſſe ſacrificium, quo conſecraremus nos Deo omni tempore, & quiquid habemus digniſſimum, adhærentes exemplo Jeſu & Mariæ, cùm Maria, juxta id quod vidimus ipſo die Circunciſionis, ſacrificaverit in Templo Filii ſui vitam, cujus vel unicum momentum infinitè plus valet, quàm valeat æternitas omnium Beatorum, imò verò Angelorum: Jeſus autem ſe ſacrificans & effundens Sanguinem ſuum, nobis meretur *vitam* †. Sic vitam debemus illi offerre integram, quia illam non poſſidemus, niſi *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit* l prius, ut nobis lucraretur animam noſtram, ſuamque conſumpſit, ut nobis noſtram repararet, cum incepiſſet effundere ſuum Sanguinem inter manus Matris ſuæ in Circunciſione, ut deinde totum eum daret in monte Calvariâ ad ultimam uſque guttam.

Quibus ſeriò perpenſis, Auditores, *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ* m ſummæ Dei majeſtati. Debemus nos totam vitam Chriſto; rectæ igitur conſonum eſt rationi ut eam illi præbeamus. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo* n; *Ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt* o. Vita noſtra addicta erat morti p æternæ, ac inferno; Jeſus Chriſtus præbet ſuum Sanguinem, & largitur vitam ſuam, ad repignerandam & liberandam vitam noſtram. Ad illum igitur pertinemus jure merito, ratione pretii, quod ipſe ſolvit noſtri ipſorum gratiâ redimendorum; ſibi ipſe jus conſtituit abſolutum & authoritatem ſupremam in omnia vitæ noſtræ momenta. Cùm ergo nullus ſit ambigendi locus de hâc veritate luce ipsâ clariori, oportet ut ſeriò inquiramus vitam noſtram, ut ſedulò examinemus omnes actiones noſtras, & ritè inſpiciamus cuinam uſque nunc illas ſacrificaverimus: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*, ait Pſalmographus q. Si eo habet ſe res modo, uſurpavimus nobis nos ipſos, bona noſtra, liberos noſtros, rem tandem quæ non erat noſtra, ſed pertinebat ad Jeſum, & ad Mariam, quæ ſacrificavit Filium ſuum ſuis internis diſpoſitionibus & reſignationibus; ad Jeſum, qui ſemetipſum dedit, ut nos reciperet, & conſervaret hæc omnia. Ha! Si Mater & Filius compenſationem poſtulent damni ipſis irrogati, quomodonam poterimus eis planè ſatisfacere, & illatum ipſis damnum reſarcire, niſi

pœnis

- † Joan. 10. 10
- l 1. Joan. 3. 16
- m Pſ. 4. 6
- n Matth. 22. 21
- o 2. Cor. 5. 15
- p Rom. 5. 12
- q Pſ. 105. 37

pœnis addicamur æternis, & privemur viſione Dei, cujus fruitio unico habita vel momento, eſt pretii infiniti? Ha! ſi ſedulò perpenderemus aliquando hæc magna & incomparabilia verba, quæ profert S. Paulus *r*, quibus concludit clarè, Auditores, quòd *non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno*: ſed pertinetis ad eum, qui dedit Sanguinem ſuum & vitam ſuam pro redimendis vobis ipſis. Voluntates igitur veſtræ moveri non debent niſi ad nutum Divinæ Voluntatis, nec illis actionibus deberetis incumbere, quæ ipſius gloriæ ac honori non eſſent conſecratæ. Heu quàm horrendum ſpectaculum! *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum ſ.* Quàm deplorandum eſt futurum coram tribunali Jeſu opprobrium illi, qui poſtquam tranſegerit quinquaginta annos vel circiter vitæ ſuæ, Divino mancipatus obſequio, vix tamen ullam tunc temporis vero ſervo Dei dignam præ ſe ferre poterit actionem. Ideò *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ*, imitantes Mariam, quæ ſatisfaciens præ juſtitiâ obſequio ſuo, obtulit Patri æterno Filium, quem ipſa ab eo ſuſceperat, cùm portabat ipſa illum in templum, ut illum Legi Circuncilionis adimplendæ ſubmitteret *t*, exemplo adhærentes Jeſu, qui ſemetipſum ſacrificat, ut noſtris commodis inſerviat ac utilitatibus.

r 1. Cor. 6. 19. & 20

ſ Pſ. 49. 22

t Luc. 2. 22. ex Levit. 12. 3

Apprimè loquitur S. Auguſtinus, cùm explicat hæc verba Pſalmiſtæ *u*, *Iraſcimini, & nolite peccare.* Ait igitur dari iram, ſeu crudelitatem licitam, quam exercere poteſt unuſquiſque adversùs ſeipſum, & cujus exercitium ac praxim nobis Deus ipſe ſuadet. In iram erumpite, modò nullam agatis rem, quæ vergat in diſpendium honoris ac reverentiæ, que ſupremæ majeſtati Dei exhibere tenemini. Hæc ira ſanè eſt vindicta, cujus exercitium nobis Deus præcipit, cujus praxim noſtræ committit diſpoſitioni ac voluntati, & cujus zelo non ducitur, ſicut zelo fertur illius, quam ipſe ſibi reſervat præ expreſsâ declaratione Divinæ ſuæ voluntatis, *Mihi vindictam x.* Nobis enim æquè licitum eſt noſtra punire corpora, & ea ſeverè & acriter excipere, cùm ipſa deliquerunt, & nos à rectâ virtutis ſemita ſectanda declinare fecerunt, ac nobis eſt illicitum vindictam ſumere de iis, à quibus læſi ſumus, & à quibus injuria nobis irrogata fuit. *Quid juſtius quàm ut ſuis peccatis unuſquiſque potiùs, quàm alienis iraſcatur, ſeque ipſum puniens mactet Deo y?* Ha! debemus exhibere noſmetipſos perpetuas juſtitiæ Dei victimas.

u Pſ. 4. 5

x Rom. 12. 19. & Heb. 10. 30. ex Deut. 32. 35

y S. Aug. in Pſ. 4. 5

Sed dicite mihi, ſi placet, Perpendiſtiſne unquam examine ſerio hanc magni momenti veritatem? Jeſus Chriſtus factus eſt victima expiatrix omnium peccatorum noſtrorum, ſemetipſum obtulit in holocauſtum ſuo Patri æterno ſuper ligno Crucis, ubi conſumptus eſt flammis ſuæ Divinæ charitatis. Si autem credimus has omnes veritates, quæ ſunt motiva fidei noſtræ, quid agimus ut has amoris exhibitiones mutuo compenſemus amore? Ha! Si Turca pro nobis tanta feciſſet, ſi dediſſet pro nobis vitam ſuam ut nos eriperet è captivitate, noſque priſtinæ reſtitueret libertati, quid non ageremus pro Turcâ, ut tantum agnoſceremus beneficium? Nos verò tamen nihil agimus pro Chriſto. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc z!* Chriſtus fuit victima innocens, ſed quia præ ſe tulit ſimilitudinem peccati, ideò exceptus eſt flagellis juſtitiæ Patris ſui; Pater autem æternus non poteſt intueri imaginem peccati in Filio ſuo, quin eam caſtiget, licèt hic Filius ſit *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius a.* Ideò *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati b*, eum ſic horrendis affecit ſuppliciis; & ſi Pater æternus non audit Filium ſuum cruci ſuffixum, ſi illum tradit crudelitati carnificum, ſi intuetur illum laceratum, ſputis, alapis, percuſſionibus, necnon & infinitis calumniis impetitum, nec tamen illius miſeretur *c*; hoc eſt, quia ille induit ſimilitudinem peccati. Nos autem qui ſumus peccatores, exhibeamus nos victimas, ut ſatisfaciamus juſtitiæ Dei, adjuti meritis Sanguinis Jeſu Chriſti, cujus adminiculo mereamur gratiam ipſius in hoc ſeculo, & gloriam ipſius in altero.

z Jer. 2. 12

a Sap. 7. 26

b Rom. 8. 3

c Matth. 27. 46 & ex Pſ. 21. 2

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. &c.

MArtha & Magdalena, quæ perfectiſſimè ſunt edoctæ hanc Theologiam, de quâ diſſerebam vobis nudius quartus, nimirum, Deum non amare nos amore concupiſcentiæ, amore proprio, qui propriis tantùm invigilat ſatisfactionibus, nec agit niſi propriorum intuitu commodorum; ſed amore benevolentiæ, qui bonum duntaxat inquirit ac commoda perſonæ, quam quis amore proſequitur; Domino ſuo allegant, amorem ipſius talis eſſe naturæ, ut non poſſit quin reſtituat ſanitatem priſtinam fratri ipſarum, quâ ille indiget, & propter quam illi impertiendam ipſum obſecrant, eò quòd illum ipſe perfecto proſequatur amore. Sed videntur ipſæ, ni fallor, Auditores, apprimè locuturæ, ſi Salvatori dicerent; Conſidera Domine, quæſumus te, Lazarum fratrem noſtrum ita ſtrictè te diligere, ut ipſe tibi ſit amicorum tuorum omnium fideliſſimus: Ipſe ſibi maximè complacuit in gratis obſequiis, quæ nos tibi exhibuimus aliàs †: De te ſemper magnificè locutus eſt: Quantùm in ipſo fuit, tibi ſemper conatus eſt amicos conciliare, propalans coram populo doctrinam tuam, ac miracula, quæ te ſpectabilem exhibent: Magnâ pollet ipſe authoritate erga populum, & in magnam incurreres jacturam, ſi moreretur ipſe: Tandem, Bona voluntas, quâ tibi alligatus eſt, & amor quo te proſequitur, inducere te debent ut ipſi priſtinam reſtituas corpoream ſanitatem eo planè modo, quo ſanitatem ſpiritualem omnium hominum animabus tribuiſti, cùm factus es ipſe homo, ob amorem illorum, in ſinu Mariæ Matris tuæ *, cùm dixit illi Angelus, *Ave Maria.* Nihil

† Luc. 10. 38. &c.

* Luc. 1. 28. &c.

Nihil habemus in nobis, aut in iis omnibus, quæ ad nos attinent, quod poſſit inducere Deum ut nobis bona largiatur. Non diſſiteor Lazarum & ſorores ipſius Martham & Magdalenam amorem amore mutuo compenſaſſe, eodemque amore, quo Dei Filium proſequebantur, allectos ipſos fuiſſe ut grata quædam eidem Chriſto exhibuerint obſequia. Sciebant tamen ipſi apprimè, opera noſtra eſſe nimis infirma *a*, & pretii nimis exigui, quæ dignè poſſent offerri Deo ita puro ac ſancto *b*; & tandem ſi alicui bono incumbamus operi, debere nos dicere, nos eſſe ipſi obſtrictos ob tale bonum, & pro eo teneri offerre nos ipſi debitas gratiarum actiones. Præterquàm quòd amicitiæ ſtrictiſſimæ amicorum, qui ſe omnium maximè intimos profitentur, admiſtas ſemper aliquas præ ſe ferunt imperfectiones, quæ ab ipſis ſunt inſeparabiles, nam ſuo unuſquiſque amat modo. Imprudens quippe amat ſine diſcretione; Qui propriis invigilat commodis, vili pretio tantùm amat; Homo inconſtans non permanet diu in amore inchoato; Doloſus autem non amat niſi diſſimulando, & ſpecioſa verba, quæ præ ſe fert, non ſunt niſi fraudes: Homines tandem non poſſunt amare ſic piè ac perfectè, ut in ipſorum amore aliqua non deprehendatur imperfectio.

a Iſa. 64.6
b Iſa. 6.3

S. Petrus amavit Dominum ſuum, ſed parùm generosè, cùm vilis vel *una ancilla* *c* ipſum induxerit ad negandum amorem ipſius. Magdalena amavit Filium Dei, ſed exiguâ fide inſtructa, quippe quæ eum reſuſcitatum voluit pretioſis ungere aromatibus *d*; non ſecus ac ſi adhuc fuiſſet mortalis. Chriſtum amaverunt Apoſtoli, ſed leviſſimè, quia cùm in extremâ conſtitutus eſſet ipſe neceſſitate, & cùm ageretur de tutandâ illius vitâ, eoque è manibus inimicorum ipſius eripiendo, *tunc omnes relicto eo fugerunt* *e*. Tandem homines ſemper amant ut homines, & dicentes homines, dicimus vanitatem *f*, inconſtantiam, mutationem, falſitatem, & diſſimulationem *g*, necnon & infinitas alias imperfectiones, quæ indignæ ſunt ut ipſas intueatur Deus. Sic retracto conſilium, quo perſuadere videbar Marthæ ac Magdalenæ, ut allegarent ipſæ Domino ſuo amorem, quo ipſæ ſunt ipſum proſecutæ, vel obſequia, quæ frater ipſarum Lazarus ipſi exhibuit. Ipſæ quippe tantâ præditæ ſunt ſapientiâ ut talia non ſint in medium adducturæ. Si autem hoc conſilium ipſis aliquo poſſet prodeſſe modo, ſatis perſpicaci pollebant ipſæ ingenio ut illud agnoſcerent, & ſufficienti induſtriâ, quâ idem operi mandandum ſatagerent.

c Matth. 26.69. &c.
d Marc. 16. 1. &c.
e Matth. 26.56
f Pſ. 143.4
g Pſ. 115.2

Inter omnes ſiquidem amores celeberrimos, qui commendantur in Scripturis ſacris, nullus eſt qui poſſit adæquare amorem, quo ſuos Deus ſervos proſequitur. Scimus re verâ liberos à matribus ſuis tenerè diligi, ſed aliquæ fuerunt alias matres ſic immanes, & naturæ inimicæ, ut filiis ſuis, deficiente amore, vitam eripuerint, & eos comederint *h*. *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui* *i*. Amor, qui invenitur inter ſponſum & ſponſam, laude dignus eſt ſingulari (re verâ autem aſſumpſit alias Deus nomen Sponſi, quo exprimeret amorem, quo ipſe proſequitur animas noſtras, quas ſibi vult deſponſare) *Et ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo* *k*: Sed magnas videmus alterationes & ingentes tepores, quæ ſequuntur hos amores. Si enim aliquando alteruter conjugum fidem invicem promiſſam, quæ debet eſſe inviolata, infringat, tunc amor mutatur in odium, & iſtud odium eſt implacabile. Deus noſter autem non ſic afficitur; licèt enim diebus ſingulis amorem ipſius infringamus, non deſinit tamen ipſe nos ad ſe revocare, dicens ſe obliviſciturum præteriti †, ſi emendationem proponamus tempore peragere futuro., *Revertere ad me, & ego ſuſcipiam te* *l*. Amor, quo caput ſua proſequitur membra, eſt univerſaliſſimus; ipſum quippe caput corpus dirigit integrum, & ſolicitum eſt de conſervatione membrorum; ſed licèt pes, aut manus, aut brachium, vel humerus ſe opponant percuſſioni ad caput directæ, ſeque priùs confodi ſinant, quàm caput vulnerari, nunquam tamen ſe opponit caput percuſſioni infligendæ brachio, aliive corporis membro. Filius Dei unicus, qui eſt Caput Eccleſiæ ſuæ, *Ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* *m*, perforatus eſt omnibus vulneribus, quæ infligenda erant membris ipſius, & exceptus eſt flagellis indignationis Patris ſui, ut ab eorundem exceptione nos omnes eximeret, *Cujus livore ſanati eſtis* *n*.

h 4. Reg. 6.29
i Iſai. 49. 15
k Pſ. 18.6
† Ezech. 18.21. & 22
l Jer. 3.1
m Epheſ. 1.22. & 23
n 1. Petr. 2.24 ex Iſa. 53.5

Alias quidem inventi ſunt amici, qui vitam ſuam prodegerunt, ut vitam tuerentur amicorum, illique (ni fallor) videntur mihi amicorum omnium veriſſimi. Et cùm reperti fuerint aliqui in corpore Eccleſiæ, qui vitam ſuam dederunt *o* ob amorem Chriſti, qui eſt Caput hujus corporis myſtici, videntur illi perveniſſe ad apicem extremum veri amoris, qui majorem ſui non poteſt exhibere probationem, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* *p*. S. Bernardus *q* autem cauſam Salvatoris tuendam ſuſcipit, & ait, *Tu majorem, Domine, habuiſti, ponens eam pro inimicis*. Amor igitur, quo Deus proſequitur nos, ita perfectus eſt, ut ipſum Dei inducat Filium ad dandam vitam ſuam non ſolùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis ſuis; quod non poteſt aſſeri de amore quolibet, qui poſſit inveniri in univerſo orbe, cùm nemo (ſi excludamus Salvatorem) tanto poſſit amore diligere.

o Act. 7.60 & 12.2
p Joan. 15. 13
q S. Bern ſer. 4. habd. Poenos. ex Rom. 5.10

Martha & Magdalena igitur apprimè loquuntur, cùm ajunt, *Domine, ecce quem amas, infirmatur*. Et non, Ecce qui amat te: Nihili ducimus amorem, quo Lazarus te proſequitur; qui ita exiguus & infimus eſt, ut propter eum ne pedem quidem movere debeas; ſed dicimus tantùm, ipſum eſſe illum, quem tu diligis, ut probationem exhibeas amoris tui, *Non enim amas, & deſeris* *r*. Non enim diligis amicos tuos, ut illos deſeras, ſed illorum ſupplicationem ſtatim exaudis. Hæ ſanctæ mulieres allegant Chriſto, ipſum poſſe, ſcire, ac velle. Confitentes ipſum Dominum omnium, *Domine*, idem eſt ac ſi dicerent, ipſum poſſe. Dicentes, ipſum, cùm ſit Deus, nihil latêre, *Ecce*, innuunt ipſum ſcire. Et memoriam agentes perfecti amoris ipſius, *Quem amas*, ſignificant, ipſum velle; & ratione horum omnium ipſum ſtatim debere venire ad impertiendam ſanitatem Lazari fratri ipſarum. Videamus igitur in hoc diſcurſu, juxta promiſſum meum, circumſtantias hoc miraculum prædictum perficientes.

r S. Aug. Tract. 49. in Joan. 11.3

Propoſitio

Ecce

Ecce igitur Salvator animarum noſtrarum exoratus brevi ſupplicatione, ſed tamen benè exaratâ, & ritè ac diſcretè propoſitâ, quonam ſe pacto in eâ geſturus eſt? Colloquiane aliqua ſeret in hoc occurſu? animumve aliquanto temporis ſpatio ad examinandam hanc ſupplicationem intendet? Quid poſſent hæ ſanctæ mulieres dicere & gravius & diſcretius, ut ipſum ad inviſendum fratrem ipſarum inducant infirmum? *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei*, ait Chriſtus, reſpondens his ſanctis mulieribus. Sed quid? Foretne Chriſtus ut Medici hujus ſeculi, qui longiorem ſemper pollicentur vitam, ut ægrotum conſolentur? Si ita ſe gerit Chriſtus, ſanè ſic non admittitur. Suppoſito enim quòd illi digni ſunt excuſatione, quia ipſis evidenti non conſtat probatione, utrùm moriturus ſit ægrotus, aut ſanandus; hanc excuſationem non poteſt Salvator prætexere; apprimè enim ſcit Lazarum brevi moriturum, quomodo igitur ait? *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Auſcultate S. Auguſtinum ſ, *Hoc eſt ergo quod ait, non eſt ad mortem, quia & ipſa mors non erat ad mortem, ſed potiùs ad miraculum; quo facto crederent homines in Chriſtum, & vitarent veram mortem.* Hoc eſt, Auditores, quia in morte duo ſunt conſideranda. Prius, animam ſeparari à corpore in morte. Poſterius verò, mortem finem imponere vitæ hominis. *Infirmitas* Lazari ipſum quidem inducebat ad ſeparationem corporis & animæ ipſius aliquanto tempore, ſed non ad finiendam omnino vitam, quia erat reſuſcitandus; *Non eſt ad mortem* ergo hoc poſteriori modo.

ſ S. Aug. Tract. 49. in Joan. 11.4

Debes alicui centum nummos; redigitur ille creditor tuus in extremam neceſſitatem, tu tradis ei hos centum nummos, & ais illi, Trado tibi hos centum nummos, non ut ſolvam debitum, quo tibi obſtrictus ſum, ſed tantùm ut tuæ ſuccurram neceſſitati. Lazarus (ſicut & cæteri homines †) obſtrictus erat morti, debitum eſt id generale, in morbum incidit, videtur ipſe moriturus; Nequaquam, ait Dei Filius, debitum ſoluturus morietur Lazarus, non enim hâc vice debitum ſuum ipſe ſolvet, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei.* Pergit Pariſios nobilis aliquis Vir, tranſire debet Lugduno, interrogatur ab aliquo, Domine vadiſne Lugdunum? Nequaquam, reſpondet ille: tranſibo quidem Lugduno, ſed ulteriùs mihi progrediendum eſt. Lazarus citò ſubminiſtrabit Dei Filio anſam augendæ gloriæ ipſius, proximâ morte ſuâ; ſi petatis, Lazarus eſtne moriturus? Nequaquam, dicetur vobis: ſed gloriam Dei manifeſtabit in reſurrectione corporis ſui; tranſibit quidem per mortem, ut perveniat eò, quò tendit, ſed hæc mors non eſt finis ſolus aut præcipuus infirmitatis ipſius; ſicut aſcenſus, quem fecit Iſaac cum Patre ſuo Abraham, qui intendebat ipſum ſacrificare t, videbatur quidem deſtinatus ad proximam ipſius mortem; ſed in intentione Dei, qui ipſum volebat ab eâ miniſterio Angeli eximere, non tendebat ad mortem, ſed ad gloriam ejuſdem Dei ſolam manifeſtandam.

† Hebr. 9. 27

t Gen. 22. 3. &c.

Quis verò indè mirandi occaſionem ſumpturus eſt? cùm plicat S. Paulus u, *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Apoſtolus dicit, *Omnia*, non ſolùm bona & proſpera, imò verò ſiniſtra & adverſa; quod cauſa eſt, ob quam magnâ Devotæ animæ perfunduntur conſolatione, Videntes omnes & ſingulas actiones ſuas ſibi cooperari *in bonum*, Deumque delectari hauriendo veluti gloriam è malis, quibus ipſas affligit; quod planè ſignum manifeſtum eſt ac evidens, hæc tandem mala non futura re verâ mala, ſed evaſura felicitatis æternæ pignora. Reſponſum hoc Filii Dei timore non perculit has ſanctas mulieres, licèt intuerentur ipſæ in fratre ſuo indicia mortis imminentis evidentia, pièque credu infirmum, antequam clauderet oculos, voluiſſe ſcire qualis eſſet tenor epiſtolæ a Chriſto ſuis ſororibus ſcriptæ, cùmque eam ſibi ſategiſſet legendam, agitatus partim prodromis mortis, putà extremis anguſtiis, quibus angebatur in agoniâ conſtitutus, partim verò reſponſu Domini ſui aſſerentis infirmitatem non fuiſſe mortalem, nihil aliud ſibi propoſuit niſi id quod placeret Deo, perfectè ſe Divinæ reſignans Voluntati, ſperans ſe infirmitate ſuâ gloriam Dei manifeſtaturum.

u Rom. 8. 28

Loquitur Lazarus, ut deinde dixit S. Paulus x, *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſive per vitam, ſive per mortem.* Nec mortem cupio, nec vitam, & nihil aliud volo niſi gloriam Dei; ut, ſi ego moriar, & libenti ac æquo animo ſuſcipiam hanc mortem, ex eâ glorificetur Deus, ſemper permanens immortalis y; ſi verò mihi ſanitatem reſtituat priſtinam, ipſi me magis obſtrictum confitear, ipſiuſque omnipotentiam z prædicem. Intereà dum iſta intra ſe recogitabat tacitus, violentia morbi ipſi vitam eripit, & ipſe extremum agit halitum, contra ſpem quam miſerandæ ſorores ipſius conceperant de reſtituendâ ipſi ſanitate priſtinâ lectis literis à Salvatore ſibi ſcriptis. Heu! miſerandæ iſtæ mulieres ſanctæ exciderunt ſpe, quam ipſæ habebant, ſe viſuras citò fratrem ſuum in pedes erectum, ac incolumem effectum. Quid igitur profuit illis diligentia, quâ ipſæ uſæ ſunt ut Medicum vocarent, ſi ante illius adventum, infirmus ipſarum curæ commiſſus animam efflavit? Sed quid profecit illis fides, quam præbuerant ipſæ verbis Filii Dei, qui polliceri videbatur ſe impertiturum infirmo ſanitatem, cùm illa nullum modò ſortita ſint effectum; quin imò debeant ipſæ nunc fratri ſuo extrema humanitatis obſequia exhibere, pompamque illius funebrem ac exequias curare. Lugeant ipſæ fratrem ſuum, præcipientes eum tradendum ſepulturæ, ex quâ non videtur exiturus, niſi extremo die generalis reſurrectionis, cùm *canet tuba, & mortui reſurgent incorrupti* a.

x Philipp. 1.20

y 1. Tim. 1.17

z Eſth. 13. 9

a 1. Cor. 15.62

Sed quandiu ſanctæ hæ ſorores fratris ſui apparatum funebrem præparant, illumque in tumulo condendum jubent, audio Dei Filium hæc omnia veluti deridentem, & dicentem Apoſtolis ſuis, Lazarum amicum ſuum dormire, ſeque velle ad illum pergere, ut eum à ſomno ſuſcitet, *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem eum.* Neſcio equidem, Auditores, quonam pacto hæc verba intelligat Chriſtus, dicens Lazarum dormire; re enim verâ mortuus eſt; niſi utatur ipſe poteſtate, quâ viget ipſe, præbendi nominis creaturis, vocans nomine ſomni id, quod alii mortem appellant. Vel potiùs vult ipſe fortè ſignificare, hanc mortem eſſe ſomnum; quia ipſa eſt mors corporis,

quæ nullam habet comparationem cum morte animæ, quæ cùm ſit privatio veriſſimæ vitæ, quæ eſt gratia Dei, debet appellari mors, qu'a *anima qua peccaverit, ipſa morietur* b; [b Ezech. 18.4. & 20] morti autem corporis, quæ miſerâ duntaxat privat vitâ, non dignatur tribuere nomen mortis. Sed forſan vult ipſe ſignificare, mortem vocans ſomnum, quòd, ſicut ille qui dormit, excitatur, poſtquàm dormivit, ita Lazarus, qui mortuus eſt, excitabitur citò ipſo præcipiente. Appoſitè igitur aſſerit, hanc mortem eſſe ſomnum; quibus non obſtantibus, aſſererem ego Lazarum derideri à Chriſto, niſi ſtatim audirem ipſum Chriſtum proponentem ſibi amicum ſuum adire, ut illum excitet.

Sic eſt, Auditores, illum adit, nedum acquieſcat monitis Apoſtolorum ſuorum ſibi dicentium, *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?* Non veretur ipſe ne malè excipiatur à Judæis, ſed è contra ait diſ[illegible]pulis ſuis, Pergamus amici mei, adeamus vi[illegible]am amicum noſtrum Lazarum, qui ultimum naturæ ſolvit modò tributum, *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ibi enim diſcetis, ipſum, etiamſi ſit è numero amicorum meorum, non debuiſſe eſſe immunem à communibus legibus interitus: Ibi videbitis quanti æſtimem orationem hominum vitæ probatæ, cùm acceptâ brevi epiſtolâ à Sororibus ejuſdem Lazari, ſtatim eum adire, eique gratum aliquod beneficium exhibere propoſuerim: Ibi deprehendetis quomodo miſerear amicorum meorum, flens & fremens inter lacrymas ſororum illius: Ibi intuebimini probationes omnipotentiæ meæ, cùm educam illum de ſepulchro, Ibi doctiores evadetis, ut meam prædicetis bonitatem, & firmitatem amicitiæ meæ, quæ perſeverat etiam poſt mortem, quandiu amici hujus mundi amicos ſuos ad tumulum uſque duntaxat honorant, *Et gaudeo propter vos.*

Hæc & alia ſimilia dicens, conſolandorum Apoſtolorum ſuorum ergo, eorumque confirmandorum in fide, pervenit ipſe tandem ac ingreditur domum Marthæ repletam Judæis, qui ſimul flebant cum eâ, quæ præ ſe ferebat dolorem, quo afficiebatur ipſa ex tantâ, quam patiebatur ex obitu fratris ſui, jacturâ, *Martha ergo ut audivit, quia venit Ieſus, occurrit illi: Dixit ergo, Martha ad Ieſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Heu! Domine, parce mihi, obſecro te, veniſti tardiùs quàm par eſſet; frater enim noſter jam ſepultus eſt, & proculdubiò ſi citiùs veniſſes, mortem ille non oppetiiſſet. Ha! Martha, Martha ubi es? Triſtitia, quâ afficeris, ſanam mentem tuam interturbat; vidèris ipſa tibi multum dicere, & omnino tuis officiis negotiis; Chriſtum urbanè vidêris excipere, eum Dominum vocans, & tamen illum offendis, dicens abſentiam ipſius fuiſſe cauſam mortis fratris tui. Quid? Æquiparaſne potentiam ipſius poteſtati aliorum dominorum, quæ infirmatur, & penitus abſumitur ac diſſipatur ipſis abſentibus? Si credis ipſum eſſe Deum; cur non fateberis ipſum potuiſſe impedire ne moreretur frater tuus, cùm ipſe eſſet abſens, ac ſi ipſe fuiſſet præſens? Fides tua effecit ut venerit ipſe Bethaniam; cave autem modò ne defectus fidei tuæ efficiat ut inde diſcedat, nedum tibi ex ipſius adventu aliqua proveniat utilitas.

Heu! Auditores, repræſento mihi miſerandam hanc ſororem afflictam, etiamſi vim lacrymarum ac ſuſpiriorum præ exceſſu effundentem, proferre velociter hæc verba, quæ ipſa ſeriò non perpenderat, ſed quæ tamen directa erat à *Spiritu ſancto* †, [† 2. Petr. 1. 21] quod efficit ut interpreter ego hæc verba ipſius per fidem, quam ipſa habebat, oculos Domini ſui ita ſuaviter fuiſſe potentes ac allicientes, ut ſi eos ſemel in hunc infirmum in extremâ morbi ſui periodo conſtitutum projeciſſet, ipſum æquè facilè fuiſſet ſanaturus, ac priſtinam ſocrui S. Petri febrienti reſtituerat ſanitatem c. [c Luc. 4. 39] Seu, ut meliùs dicamus, ſolam rationem & malorum noſtrorum, & mortis noſtræ eſſe ſeparationem & abſentiam à Deo noſtro. Scio equidem Deum eſſe ubique d [d Jer. 23. 24] per ſuam præſentiam, potentiam, & eſſentiam; ſed non ignoro illum non eſſe ubique præ communicatione gratiæ ſuæ, & præ effectibus amoris ſui; non quòd diſcedat ipſe à nobis, ſed quia nos diſcedimus ab eo peccatis noſtris e. [e Pſ. 72. 27] Sic ii qui mare prætereunt & enavigant, diſcedunt à portu; non quòd portus locum mutet, ſed quia ipſi recedunt à loco, è quo diſceſſerunt, deſeruntque ſoliditatem & firmitatem terræ, ut ſequantur inſtabilitatem maris.

Dico peccatores diſcedere à gratiâ Dei, quæ eſt ſemper firma ac præſens f [f Hebr. 12. 15] (ſi velimus eam conſervare) ut adhæreant vanitatibus & ineptiis peccatorum. Sed dico illos recedere à Deo. Impoſſibile illis eſt ut unquam à Deo recedant: ſed vellent eâ vivere vitæ licentiâ, ut ab eo penitus poſſent ſe elongare. Verùm enim verò vivunt illi non ſecus ac ſi Deus eſſet lumine orbatus, ſurdus, claudus, impotens, mortuus, imò verò ac ſi ipſe non eſſet Deus, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* g. [g Pſ. 13. 1] Non ſunt ita immanes, ac naturæ inimici, ut credant nullum eſſe Deum, qui poſſit ipſos punire. Non eſt igitur poſſibile Deum non eſſe ſemper, & præſentem ſemper non eſſe, ut nos videat, & vindictam de nobis ſumat. Sed quare effectus amoris ipſius non ſunt nobis ſemper præſentes? Ratio iſtius eſt, Quia ipſi anſam præbemus ejiciendorum noſtri ipſorum ex Divinâ ſuæ præſentiâ, & ſic provocamus adverſùm nos omnes creaturas, quas habebimus obvias. Idcireò obſervate, ſi placet, conſequentiam, quam intulit impius Cain, poſtquàm illum arguiſſet Deus enormis ſceleris, quod patraverat, innocentem fratrem ſuum Abel perimens, *Ecce ejicis me à facie tuâ. Omnis igitur qui invenerit me, occidet me* h. [h Gen. 4. 10. & 14] Domine, præſentia tua vitam tribuit; *Ejicis me à* præſentiâ tuâ: Morti igitur me tradis: Et ſicut omnes creaturæ armatæ ſunt ut tuum honorem tueantur; ſic quicumque mihi obvii procedent, ulciſcentur te de me, mihique mortem inferent.

Sic loquebatur Propheta i, [i Pſ. 70. 10. &c.] cùm repræſentaturus miſeriam, in quam redigendus eſſet ipſe, cùm deſerendus foret à Deo, dicebat, *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum; dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat: Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.* Apprimè callet hanc Martha

Theo-

Theologiam, & ſicut unus ex effectibus gratiæ Filii Dei, & una è notis amoris ipſius, cùm, cùm ipſe priſtinam reſtituit amicis ſuis infirmis ſanitatem, ipſa quæ præ ſuis habet oculis mortē fratris ſui Lazari, vereri incipit, ne, eò, quòd ipſa non ſic amaſſet Salvatorem, prout ipſa obſtricta erat, non dignatus ſit Dei Filius imperriri fratri ipſius ſanitatem, quam expoſtulabat ipſa ab ipſo. Non eras nobiſcum præ amore tuo, ajebat ipſa Dei Filio, quod cauſa eſt, ob quam, fortè cùm tibi anſam diſcedendi à nobis ſubminiſtraverimus, mortuus ſit frater noſter. Sed Martha dicebas tu modò, Lazarum ſic dilectum Filio Dei: Quomodo igitur vereris ne defectu amoris illum Chriſtus interire permiſerit? Verè diligebatur à Salvatore frater noſter. Sed forſan nos ipſæ ardentiùs quàm par eſſet vitæ ipſius conſervationem expoſtulavimus à te (ait ipſamet, eundem Salvatorem alloquens) eòdum eam Divinæ tuæ diſpoſitioni committeremus, & ſic, Salvator adorande, tibi totam, quam debebamus, non exhibuimus reverentiam, quam ſanè exhibuiſſemus tibi, ſi interfuiſſes; te enim ſolito excepiſſemus infallibiliter hoſpitio, & intuitu obſequiorum, quæ tibi præſtitiſſemus, miſertus fuiſſes fratris noſtri in agoniâ conſtituti, & impediiſſes ſanè ne mortuus eſſet, *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.*

Ha! Auditores, jure meritò queritur Martha, & rationes ipſius graviſſimi ſunt momenti, nec debet ipſa ſpe excidere. Ille ſiquidem, quem ipſa exiſtimavit futurum ſatis potentem ut ſanaturus eſſet fratrem ſuum, ſi interfuiſſet, non minùs potens eſt ut vitam amiſſam illi reſtituat, vel ei novam tribuat. Pulvis oculos illius non pervadit, putredo non afficit eum cordis deliquio, *lapis* tumulo *ſuperpoſitus* non eum fatigat, volvatur ille, cùm ipſe præceperit, &, ſi obediat lapis voci ipſius, Lazarus etiamſi mortuus, eidem voci obtemperabit, & citò reſuſcitabitur. Videte quomodo lacrymæ Marthæ abſtulerunt cor Jeſu, cùm fremat ipſe, ſeque turbet, *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.* Sed quid eſt hoc? Turbantur creaturæ, ſi Deus ab ipſis diſcedat, *avertente te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* k. Et modò ejuſdem Dei Filius dicitur turbari palam creaturis non exiguè & apparenter duntaxat, ſed *infremuit ſpiritu.* Quid dicetur de illo? Ha! Auditores, docere nos voluit Chriſtus, paſſiones ſuas in ſeipſo aliquo modo fuiſſe commotas; ſed ſicut canes latrantes, exhibito ipſis à dominis ipſorum aliquo ſigno, ſtatim conticeſcunt, ac diſcedunt; ſic paſſiones, aliive motus aliquam præ ſe ferebant in perſonâ Salvatoris mei commotionem, quaſi vellent extra terminos proſilire, ad probandam ipſius humanitatem; ſed ipſo jubente ſtatim tranquillabantur illa, exhibito ipſis aliquo ſigno Divinæ Voluntatis, ſeu Divinitùs humanæ Salvatoris, quæ ipſis perfectè dominabatur.

k Pſ. 103. 29

Verum quidem eſt; ſed, ut video, Chriſtus amplum largitur eis campum; nec enim ſolùm commovetur, ſed etiam lacrymas effundit, *Et lacrymatus eſt Jeſus.* Lacrymas? Decent illæ quidem mulieres; ſed Virum ſic eximium non videntur illæ decere. Mihi verò videtur Lycurgus appoſitè legibus ſuis caviſſe, cùm præcepit Lacedæmoniis, ne tantillas viri effunderent lacrymas, quâcumque percuſſi fuiſſent ipſi adverſitate: ſi verò aliquando à lacrymis abſtinere non poſſent fundendis, decreverat ille Legiſlator ut veſtimentis induerentur ipſi fœmineis, ut pudore ſuffuſi, ſe intuentes ſic deformatos, à lacrymoſis ſe continerent gemitibus. Sic Rex Ezechias ſummo affectus dolore intuitu mortis proximæ ſibi à Prophetâ *l* pronunciatæ, flevit re verâ: ſed cùm ipſum puderet lacrymas effundere, convertit ſe juxta parietem cubili ſuo contiguum, ne videretur plorans: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Et convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem. Et flevit Ezechias fletu magno.* Salvator verò meus, qui conſtantior eſſe debet, quàm fuerit Ezechias, lacrymas effundit coram universâ hâc Judæorum coronâ. Ha! rationem intueor ob quàm eas fundat. Amore amorem, lacrymis lacrymas, & dolore dolorem compenſat. Hæ ſanctæ mulieres lugent mortem amici Filii Dei, eò quòd amicus ille ejus ſit; Dei Filius verò concurrit cum juſto ipſarum deſiderio, cùm illius ipſe ſit amicus. Martham & Magdalenam tædet ſe fortè anſam tribuiſſe Chriſto ſic tardè veniendi, & permittendi ut mortuus fuerit ipſarum frater; Filium autem Dei tædet videre ſe obſtrictum, ut orationibus ſororum illius annuens, eum revocet in hunc mundum infortuniis repletum. Plorant hæ ſorores mortem illius, qui ipſis erat loco patris; Filius verò Dei plorat, videns *peccatum* m ſubjicere morti eos, qui ſunt amici ipſius. Ipſæ flent exiſtimantes exigui in poſterum ducendum Dei Filium, eò quòd deſeruerit amicum ſuum in neceſſitate conſtitutum, nedum ei ſuccurrerit; Filius autem Dei flet pertinaciam Judæorum, qui non meliùs credent in ipſum, cùm illum ſuſcitaverit. Plorant ipſæ tandem, quia noverunt ipſæ vix futurum ut velit Dei Filius ſuſcitare illum jam fœtentem, quatriduanum; plorat verò Dei Filius, volvens hunc *lapidem*, ut oſtendatur quàm difficilè reſurgat peccator, cùm fœtere jam cœpit ac putreſcere, *jam fœtet, quatriduanus eſt enim.*

l Iſai. 38. 1. &c. ex 4. Reg. 20. 1. &c. & ex 2. Par. 32. 24. &c.

m Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6

Ha! peccatores, hoc eſt totum hujus miraculi ſecretum. Omnes nos morti obnoxii ſumus. Verum eſt, hæc autem mors non poteſt reparari niſi manu Dei; & licèt Deo omnia ſint facilia, quia in miraculis non ducitur ipſe naturæ legibus, tamen præ ſe ferre vult difficultatem in reſuſcitando Lazaro jam fœtenti, & quatriduano, quam tamen non exhibet in reſuſcitandis filio viduæ Naim *n*, & filiâ Jairi Principis Synagogæ Capharnaum *o*; ut oſtendamur omnes nos eſſe fragiles, &, ut reſuſcitemur & reſurgamus à peccato, indigere nos auxilio manus Dei. Verum eſt. Sed quia peccator nunquam reſurgit, niſi ad ſuam reſurrectionem diſponat ſe *p*, quantùm ipſe debet ex ſe, hinc fit ut difficiliùs reſurgant alii, quàm alii. Qui autem ſunt illi? Ipſi ſanè qui inveterati ſunt in pravis conſuetudinibus ſuis, ii qui ſunt obſtinati in ſuis malis voluntatibus, illi qui fœtidi effecti ſunt coram Deo, & hominibus, hi qui ſenuerunt quatuor diebus integris, ſeu quatuor tempeſtatibus vitæ ſuæ in ſepulchro abominabili inimicitiæ Dei, in quo roduntur à mille conſcientiæ vermibus, qui ipſos pejores ſemper efficiunt, & ſpem ipſis eripiunt, & ſic ipſi deſperant ſe unquam inde eſſe reſurrecturos. Ha! illi præ cæteris Deum ad lacrymas commovent, ſi agatur de reſuſcitandis ipſis ab ipſomet Deo; &

n Luc. 7. 14

o Matth. 9. 25. & 26

p Act. 9. 6

& quod pejus eſt, aliquando eos non poteſt reſuſcitare, *Hæc dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum* q.

q Amos 1. 3

Quatuor habet peccatum facies. Tres primæ non eripiunt homini omnem veniæ impetrandæ ſpem; ſed quarta penitus eâ illum privat. Prima eſt conſenſus, ſecunda executio, tertia conſuetudo aut reiteratio, quarta verò eſt obſtinatio, cùm in ipſo nobis complacemus peccato. Quòd peccaveris, tranſeat, mortuus es, licèt ſolum præbueris conſenſum. Quòd executus fueris exteriùs malum, quod interiùs concepiſti, tranſeat, ligantur tibi pedes & manus, & cùm mortuus ſis, nihil ampliùs potes facere, quod tibi ſit profuturum; *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem* r. Quòd peccatum multoties commiſeris, tranſeat, efferris ad ſepulchrum. Se verò tandem experiaris applicatum ac ſuperpoſitum cordi tuo *lapidem* prægrandem, qui eſt induratio & obſtinatio in peccato, & exhales fœtorem pravæ famæ, quam tibi comparaveris, vitæ diſſolutæ ac effræni indulgendo; ſi dicaris ab adoleſcentia tua ſine intermiſſione volutatus in cœno ac fæcibus peccatorum tuorum, & inde alteram veluti naturam contraxiſſe, ita ut non poſſis quin ſingulis momentis in peccatum labaris; Ha! quàm merito jure vereor ne Deus, poſtquàm multas etiam effuderit lacrymas, non poſſit te reſuſcitare, niſi ſupremâ, quâ viget ipſe, authoritate præcipiat tibi ut exeas; ſicut mandato expreſſo educit hodiernâ die Lazarum è tumulo, in quo jacebat jam à diebus quatuor, *Iam fœtet, quatriduanus eſt enim*, cui ait, *Lazare veni foras.*

r Jacob. 1. 15

Euge peccator exi illinc, tibi enim vitam præbere intendo. Fortè exire volet peccator, ſed nunquam exibit ut ipſi vitam largiatur Deus, quin ipſe peccator tollat *lapidem*, ipſum concludentem in ſepulchro: Tolle *lapidem*, fœnerator, qui eſt timor ne pauper evadas: Tolle *lapidem*, mulier adultera, qui eſt metus, ne amaſium tuum tibi infenſum efficias: Tolle *lapidem*, detractor, qui eſt pudor quo ſuffunderis te retractando: Tolle *lapidem*, iracunde, qui eſt difficultas, quam imaginaris, cùm agitur de condonandâ injuriâ ab alio tibi irrogatâ, &c. Generatim autem peccatores, qui vix auditis vocem Dei, qui vult vos revocare, ne deſperetis intuitu numeri ferè infiniti peccatorum veſtrorum, aut fœtoris, quem exhalat anima veſtra; ſi concurratis cum Deo, manus ipſius ſic potens eſt, ut dicat S. Auguſtinus ſ quòd *de nullo jacente deſperatum eſt, ſub tali ſuſcitatore.* Et dicens vobis, *Lazare veni foras*, magis faciet vobis, quàm fecerit Lazaro, cui præbuit vitam corporis, vobis autem animæ vitam dabit.

ſ S. Aug. ſerm. 43. de Verb. Dom. c. 12

Sed cavete ne nolentibus vobis audire vocem ipſius improperet id, quod ipſe exprobrat peccatoribus qui ſunt obſtinati, *Vocavi, & renuiſtis* t. Vocavi vos, ſuſcitare vos volens, tùm dormiebatis, & vocem meam audire noluiſtis, malentes vobis complacere in veſtrarum ſomniis deliciarum; *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Porrexi vobis manum, quâ eriperem vos è fæcibus veſtris, & auxilium meum deſpexiſtis, ut meliùs volutaremini in cœno ac fœtore concupiſcentiarum veſtrarum. *Deſpexiſtis omne conſilium meum:* Volui vobis benè conſulere, & noluiſtis me auſcultare, ut cum majori licentiâ curreretis poſt vanitates. *Et increpationes meas neglexiſtis:* Volui vos caſtigare in hoc mundo, ut parcerem vobis in altero, & recalcitraſtis, ut meliùs eſſetis domini confuſionum veſtrarum. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit:* cùm ergo venerit dies, quo cribranda ſunt veſtra crimina, & flagello juſtitiæ meæ excipienda, ego irridebo vos, ego deſpiciam vos, ſurdus ero ſicut vos, & æquè parùm urbanus erga vos, ac urbani vos fuiſtis erga me, cùm vobis amorem meum offerebam.

t Prov. 1. 24. &c.

Ne differas igitur peccator converſionem tuam, & ne reouas audire vocem Dei, qui te vocat ad pœnitentiam. Obſervant curioſi rerum naturalium Indagatores, hericem differre, quantùm poteſt, diem partus ſui, quia veretur ne à catulis, qui jam habent aculeos in ventre ipſius, ſtimuletur, & diſcindantur viſcera ipſius, illis exituris; ſed non conſiderat quòd, quò magis catuli in ventre ipſius ſunt permanſuri, eò majores evaſuri ſunt illorum aculei, quibus magis ſtimuletur, quàm ſi ſtatim ſuos eniteretur catulos. Idem planè dicendum eſt de peccatoribus, differt peccator quantùm poteſt, nec vellet parturire hæc peccata, quæ concepit & fovit toto anno in corde ſuo; cùm accidit major hebdomada, aut Paſcha, quo tempore tali tenetur ſe exonerare pondere, & hos pravos fœtus parturire; Ha! inquit ipſe, nequaqam vellem eos modò eniti, hæc peccata ſunt aculeata, difficile eſt ea parere; ſi ea dico & promo ex ore meo, ſtimulabit me pudor, lædet me timor, punget dolor me deferentem delicias meas. Ha! hi aculei & hæ difficultates, quæ unuſquiſque experitur in pœnitentiâ, quæ eſt partus ſpiritualis, eripient mihi vitam, ſatius eſt differre hunc partum, modò enim ad talem partum non poſſum me determinare. Ha! peccator cæce, nonne vides, quòd, quò magis hi parvi hericii peccatorum permanebunt in corde tuo, eò magis augebuntur & creſcent aculei, quibus erunt ipſi circumcincti, & eò magis formidabis tu eorum ſtimulos, cùm parturiendi tibi erunt hi catuli, & vomenda erit hæc confeſſio! Si verò mox confeſſio adulterii te ſtimulat, quantò magis ſtimulabit te confeſſio inceſtus? & ſi modò non audes dicere ſimplex homicidium, quâ fronte audebis te accuſare homicidii mercenarii, vel empti? & ſi videtur tibi aculeatum confiteri juramenta, quandonam confiteberis blaſphemias? Ne differas ampliùs, exere citò hos parvos hericios, exonera eis ventrem tuum interventu bonæ Confeſſionis, in quâ ſuſceptutus es gratiam, quam gloria ſequetur tandem ſempiterna.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus eſt. Alij autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas.
Joan. 7. 12. &c.

UNiverſorum, quæ communicavit Deus homini, donorum beneficium linguæ & verbi eſt maximum, quia intuitu linguæ ac verbi fovetur commercium Dei cum homine, qui ipſis mediantibus teſtimonia præ ſe fert animi grati intuitu beneficiorum, & reciprocas continit Deo laudes in gratiarum actionem pro ſuſceptis à Divina Bonitate donis. Linguâ etiam & verbo ſubſiſtit ſocietas hominum, qui cùm non poſſint ſe cognoſcere, & penetrare originem mutuarum cordium ſuorum cogitationum, natura providit nobis linguam, & verbum quod eſt imago cordis, & expreſſio conceptuum noſtrorum, ut agnoſcamus quid ſentiamus invicem de alijs alij. Sed proh dolor! omnes ferè homines nedum agnoſcant uſum, ob quem præbita eſt ipſis lingua à natura, eam in uſus inſumunt contrarios. Ipſa infringit ſocietatem inter homines, diffundit ſuum per univerſum orbem venenum in nobiles ac ignobiles, in divites & pauperes, in Magiſtratus & Reges; imò verò hoc venenum linguæ altiùs aſcendit, & ſic eſt ſubtile ut ipſum impetat Divinitatis thorum, cùm non ſatis ipſi videatur infregiſſe commercium cum hominibus, infringit & fœdus cum Deo initum, *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra* a. Judæi verò hodie detrahunt Jeſu Christo, qui eſt ipſa Innocentia, ut ipſius calumnientur actiones. Virgo ſacratiſſima nemini unquam detraxit, quippe quæ tota repleta erat gratiâ, ut teſtatur Angelus, dicens ei, *Ave Maria.*

a Pſ. 72. 9.

Refert Cornelius b ut apologum, *Momum reprehendiſſe Vulcanum, quòd non feneſtratum pectus hominis feciſſet, quò ejus cogitatus planè viderentur,* & inſpicerentur conſilia, quæ volvuntur in corde, ut poſſet ijs remedium applicari. Sed non ritè arguebat ille Vulcanum, vel naturam, quia ſic homo eſt perfectus in eſſentia ſua, ut nullius rei oblita ſit natura requiſitæ ad ipſius perfectionem. Hinc dixerunt antiqui Medici, *Homo opus Diviniſſimum. Opus naturæ, opus intelligentiæ non errantis.* Sicut enim obſervamus, quòd, etiamſi oculi noſtri intueri non poſſint rerum ſubſtantiam, eas tamen natura operuit quibuſdam accidentibus, quæ in ipſarum nos ducunt notitiam, & in diſtinctionem eſſentiæ ipſarum ab alijs; v.g. colores & ſplendores, quos deprehendimus in adamante, oſtendunt nobis naturam hujus lapidis pretioſi non eſſe eandem ac naturam lapidum communium. Sic providit homini idioma verbi & ſermonis, veluti oculos, quibus cognoſcamus diverſitatem affectuum hominum. Re enim verâ idioma verbi eſt veluti ſpeculum, quod nobis exhibet intuendum quidquid eſt in homine; illud, eſt nota ingenij ipſius. Ideò Philoſophus quidam intuitus aliàs adoleſcentem, quem non agnoſcebat, dixit illi, *Loquere, ut cognoſcam te.* Mediante verbo cognoſcimus ſublimitatem & depreſſionem cujuslibet ingenij, *Qui de terra eſt de terra loquitur. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur* c. Et ſicut differentia fructuum manifeſtat nobis bonitatem radicis; idem dicendum de verbo intuitu hominis. Radix eſt in corde, verbum oſtendit nobis differentiam cordium. Agit quidquid poteſt S. Petrus ut lateat, & ne agnoſcatur apud Caipham, ſed dicitur ipſi, *Loquela tua manifeſtum te facit* d. Non poterat S. Petrus ante trinam negationem reputari ut nequam, cùm haberet ipſe verbum viri probatæ vitæ.

b Cornel. in Jer. 17. 9. ex Lucian. in Hermot.

c Jo. 3. 31. & 34.

d Matth. 26. 73. &c

Jacob haberi vult pro Eſau à patre ſuo Iſaac, ſed verbum prodit conſilium ipſius, & efficit ut accipiatur pro ipſo quod ipſe eſt, *Vox quidem, vox Jacob eſt* e. Ita ut homines probatæ vitæ, ſemper tales manifeſtentur verbo; improbi verò, ſemper tales oſtendantur ſermone. Hoc eſt autem quod ego volo vobis oſtendere in prima parte hujus diſcurſûs, Quòd, cùm mundus iſte bonis permiſtus ſit & malis, eſt quædam nota, quâ cognoſcantur quales ſint, quia boni loquuntur prudenter de rebus bonis, mali verò de rebus malis. In ſecunda, Quòd, licèt detractio, quæ eſt vitium loquelæ, ſit peccatum commiſſu facillimum, eſt remiſſu difficillimum: In tertia tandem, Quòd, cùm detractio ſit maximum & graviſſimum omnium criminum, meretur etiam ſuppliciorum omnium maximum & graviſſimum.

e Gen. 27. 22. &c

Diviſio.

Lingua eſt minimum corporis humani membrum, & moderatu difficillimum, *Linguam nullus hominum domare poteſt* f. Gubernaculum eſt minima omnium navis pars, & cunctarum moderatu difficillima. Ita planè peragitur in homine, qui eſt veluti parva navis pertranſiens mare hujus mundi, cujus lingua vices habet gubernaculi. Ut autem hæc exigua navis recto procedat tramite, id ab æqua pendet directione linguæ. Sancti Prophetæ hoc exiſtimabant ita neceſſarium, ut perpetuò orarent, quò huc donum impetrarent, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ* g. Magno afficitur quis dono, cùm ſuam poteſt ritè linguam moderari. Ideò exiſtimo linguam ob id à natura fuiſſe in capite poſitam, ipſamque teneri alligatam exiguis nervis, qui originem ſuam deſumunt è cerebro. Inde diſcere poſſumus magnâ aliquem pollere ſcientiâ ac prudentiâ, ſi ipſe loquatur ut expedit. Cùm autem aſſero præditum eſſe eum ſcientiâ præclarâ, qui loquitur appoſitè tempore congruo, non intelligo quòd ipſe garriat more picæ, aut pſittaci, ſed quòd loquatur ita ut ſe locutum fuiſſe non pœniteat, ita ſentit Pſalmiſta, *Diſponet ſermones ſuos in judicio* h. Hominem probatæ vitæ in ordinem redacturum verba ſua extremo judicij die. Medici verò intuentes ægrotum periculo mortis oppetendæ expoſitum, eum admonent ut ordinem imponat ijs, quæ ad ipſum ſpectant. Sic egit erga Regem Ezechiam Iſaias i. *Diſpone domui tuæ quia morieris.* Et hoc eſt quod agunt Juſti, omnia verba ſua tantâ proferunt prudentiâ, eaque ſic diſponunt ac ſi ipſorum quodli-

I. Pars.

f Jac. 3. 8 &c

g Pſ. 140. 3. & 4.

h Pſ. 111. 5.

i Iſa. 38. 1. et 4. Reg. 20. 1.

bet futurum eſſet ultimum, & ſi ſtatim apparere deberent ipſi coram Deo, eique eorundem rationem exactam reddituri eſſent.

k Matth. 27. 12. &c.

Quæritur cur Chriſtus interrogatus à Pilato *k*, *non reſpondit ei ad ullum verbum*. Dicitur ipſi, niſi ſeipſum defendat, proceſſum adversùs ipſum formandum, litem ipſi intendendam capitis, ipſumque damnandum ut mutum; compellitur ut loquatur, & quare? Quia nulla res invenitur in ipſo digna condemnatione, idcircò compellitur ut proferatur aliquod ab ipſo verbum, ut inde inimici ipſius ruinam ipſius machinentur. Si enim ipſius verbum ſit bonum, ipſique utile; ipſe præſumptionis inſimulabitur; ſi malum (quod accidere non poterat) inde arripuiſſent inimici anſam damnandi ipſius. Nihil invenitur indignum in lingua hominis non loquentis, ideò tacet Chriſtus, prudentiæ ipſius non videtur expedire loquela.

l S. Chryſoſt. hó. ad Baptizand.

Admiratione percitus eſt S. Chryſoſtomus *l*, intuitus naturam ſic ſolicitam do munienda ritè lingua ita validis carceribus, dentibus, & labijs, *Deus linguam velut muro duplici voluit circundari, nam dentium tegmine, & labiorum cuſtodiâ contineatur, ne verba improvidâ garrulitate proferantur.* Sic linguam curavit Deus, ut more virginis verecundæ, nihil indignum loqueretur. Sicut enim in aliqua familia, in qua ſunt tres aut quatuor petulantes adoleſcentes, non ita quis facilè inquirit, utrùm hi nebulones ſe diſſolutè gerant, quia (dicitur ordinariè) ita ſe gerere ſolent adoleſcentes: Sed ſi puella verbum promat aliquod procax, quod ipſam ſuſpicionis poſſit inſimulare, ſtatim tota inde ſcandalum patitur familia. Nemo quippe æquo pati poteſt animo, quòd puella, à qua modeſtia & pudor debent eſſe inſeparabiles, verba promat parùm honeſta. Ita peragitur in homine. Senſus externi ſunt veluti adoleſcentes petulantes circumquaque vagantes, in infinitos prorumpunt exceſſus, hoc tamen honorem non multùm lædit; ſed ſi lingua præſcriptos ſibi prætergrediatur limites, & in aliqua erumpat verba levia, quæ præ ſe ferant aliquid ſordidi & impudici, ſtatim actum eſt de bona fama. Homines vitæ probitæ non loquuntur niſi de rebus bonis, & ratio iſtius eſt, *Ex abundantia enim cordis os loquitur m*. Sicut ipſorum mentes concipiunt res cœleſtes, ſic ipſorum linguæ quæ proferunt id, quod conceptum eſt in corde, nihil pronunciare poſſunt niſi res cœleſtes. Inde fit ut dixerit Propheta alicui nequam, *Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos n*. Peccatores, cogitationes veſtræ tendunt ad decipiendum proximum, ad cumulandas divitias, ad ſatisfaciendum pravis deſiderijs veſtris; ideò de his loquimini, *De corde enim exeunt cogitationes malæ o*.

m Matth. 12. 34. & Luc. 6. 45.

n Pſ. 49. 19.

o Matth. 15. 19.

Homines agnoſcuntur verbo, quia verbum eſt imago cordis. Videte hominem ſecularem; ſemper loquitur ipſe de voluptatibus ſuis, quia ſingulis vitæ ſuæ diebus volutatur in cœno omnium oblectamentorum. Homo verò ſpiritualis loquitur de rebus Divinis, *Qui de terra eſt, de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt p*. Valdè delectantur artifices loqui de ſuis artibus, ſoli Chriſtiani minimè loquuntur de ſua, putà de Religione, quam profitentur; nunquam inter ſe colloquuntur de legibus ſanctis, quæ debent eſſe regulæ & ideæ vitæ ipſorum dirigendæ. Non loquebatur unquam Salvator niſi de gloria Patris ſui, aut de rebus utilibus proximo ſuo; inimici ipſius hanc coguntur fateri veritatem, *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo q. Mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius r. Loquebatur illis de regno Dei s.* Apoſtoli ſtatim ac repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, *cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis t, magnalia Dei u.* Si igitur ſimus nos boni, & habeamus nobiſcum ſanctitatem Dei, colloquia noſtra erunt de rebus ſanctis. Si autem tales ſermones proferatis, Auditores, ſcitote hæc verba eſſe notas boni cordis, & ſanæ mentis.

p Jo. 3. 31. & 32.

q Jo. 7. 46.

r Luc. 4. 22.

s Luc. 9. 11.

t Act. 2. 4.

u Eccleſia

Jure antiquo Romanorum cavebatur, ut, cùm ſupplicio exciperetur actu aliquis reus damnatus, eadem ipſi plectendo inſervirent inſtrumenta, quæ crimini patrando ſubſervierant, qualia erant enſis, catapulta, baculus, pes, manus, aliudve ſimile. Neſcio autem utrùm hæc conſuetudo obſervetur in aliquo Senatu. Quòd ſi ipſa vigeres hac in regione, ha! quot muti efficerentur? quot linguæ evellerentur? Pravæ linguæ, eò quòd malè locutæ fuerint, & detraxerint proximo, cùm hoc vitium detractionis ita regnet, ut quàm pauci ab ipſo ſint immunes, & qui præ ſe non ferant notas infames hominum depravatæ vitæ, pravis ſuis verbis. Sed non eſt diffitendum, illos excipere detractores ſuaviùs, quàm par ſit, qui dicunt, illis ſubminiſtrandum eſſe ter diebus ſingulis obſonium, quippe qui mente ſint inanes, & ut ſic excipiendos eſſe non ſecus ac ſtultos. Re enim verâ ſtultus ille eſt, qui ſic alienas obſervat actiones, & de ſua ſalute non eſt ſolicitus. Dicere autem poſſumus de detractoribus id, quod Eccleſiaſtes ait de ſtultis. *Stultorum infinitus eſt eſt numerus x.* Id eſt, eorum, qui præ ſe evidentes ferunt notas parùm ſanæ mentis ſuæ, de rebus perverſis loquentes.

x Eccl. 1. 15.

Frequentatne circulos nobilis aliquis Vir? De quo colloquitur? De venatione, de canibus, de lautis epulis. Illuſtris mulier de quanam re ſermones miſcet? De veſtibus, de folijs luſorijs, &c. *Vana unuſquiſque locuti ſunt ad proximum ſuum y.* Præterquam quòd verba ipſorum ſint vana, & perſæpè murmurationes & detractiones; iſta vel dicuntur coram perſona, de qua habetur ſermo, vel ipſâ abſente. Verba quę dicuntur coram perſona, de qua habetur diſcurſus, vocantur propriè verba contumeliæ, quæ ſunt verba quædam jocoſa, quæ dicuntur etiam de Juſtis. Ab his non eſt immunis virtus, ſicut nec immune vitium, quæ indifferenter excipiuntur ab his irriſoribus. Videte, ſi placet, Chriſtum, cujus vita erat plena innocentiâ, & tamen Judæi conſilium ineunt adversùs ipſum, *Murmur multum erat in turba de eo.* Chriſtus eis exprobrat, *Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba, & dixit, Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Videte Judæorum irriſionem, ut ait Theophylactus † ſuper hæc verba. *Illi contumelioſè & audacter dicunt, Dæmonium habes.* Cùm eſſet in cruce, hi impij dicebant ipſi, *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas! ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce z.* Non ſatis ipſis videtur intueri Chriſtum in cruce, nedum eum patibulo ſuffixum derideant. Ordinarium eſt impijs jocari de Sanctis coram ipſis. Marcus Antonius attuliſſe refertur ſubuculam Cæſaris ſanguine conſperſam ad Senatum, quam cùm vidiſſet populus, ita miſericordiâ motus fuiſſe perhibetur, ut odio proſecutus fuerit deciſores illius. Sed Judæi non fuerunt commoti præ intuitu hu-

y Pſal. 11. 3.

† Theophylact. in Jo. 7. 20.

z Matth. 27. 40. ex Jo. 2. 19.

ma-

manitatis Filij Dei ita implacabiliter exceptę, imò jocando dicebant, *Vah qui deſtruis templum Dei!* Verba, quę dicuntur in abſentia, vocantur detractio; quę licet ſit vitium commiſſu facillimum, eſt tamen dimiſſu difficillimum.

Pars. Sicut ſpecioſiſſimi flores impetuntur a fœtidis cantharidibus, a quibus inficiuntur ipſi veneno; ſicut plantę roduntur à locuſtis, à quibus ipſę depravantur; ſicut ſylvę leones alunt ferociſſimos; ut pulcherrimus mundi totius fluvius, qui eſt Nilus, producit & fovet crocodilos; veluti ſalvia, quę eſt herba cephalica, bufones attrahit; & non ſecus ac fontes perſępè veneno inficiuntur à ſerpentibus: Ita detractio ſpecioſiſſimas quaſque actiones impetit, quas conatur ipſa denigrare fœtore flatûs ſui. Ipſa qoippe eò impudentię ac temeritatis proceſſit, ut inſurrexerit in Innocentiam ipſam, & ſanctitatem eſſentialem, nimirum
a Cant. 2.1 Dei Filium, qui eſt *flos campi* a ſpecioſiſſimus,
b Eccli. 24. 18. *plantatio roſę* b odorifera, *fluvius* c abundans gra-
tijs, herba † ſalutaris, origo bonorum, & *fons* *
c Eccli. 24.42. &c benedictionum. Detractio autem hodiernâ die
corrumpere vult iſtum florem, depravare hanc
† Zach. 9 17. plantam, veneno inficere hanc originē, hunc flu-
vium, hunc torrentem, dicens, *Seducit turbas.*
* Ps. 35 10. Dominicâ verò pręcedenti nonne iidem Judęi
dicebant ipſi? *Dæmonium habes. Reſpondit Ieſus; Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem*
d Jo. 8. 48. & 49 *meum; & vos inhonoraſtis me* d detractione veſtrâ.
Salvator noſter ſeminat, nec tamen aliquid metit, contra morem ſeminatorum. Uſque nunc Dei Filius nihil meſſuit pręter ingratitudines, ac materias invidię, calumnię, & detractionis. Quam immemores ſumus nos beneficiorum ſuſceptorum, cùm detrahamus, & malum pro bono reddamus.

Sed non ſubminiſtratur mihi anſa mirandi, cùm detractio ſit peccatum commiſſu facillimū. Cujus veritatis aliquas allego rationes. Imprimis autem debetis ſcire, invidiam efficere ut iniquo intueamur animo bonū proximi noſtri, & felices illius eventus; & ſicut ea non poſſidemus, tędet nos videre illa ab eo poſſideri, & gaudemus de malo illius. Ex hoc eodem principio oritur, quòd invidia efficit ut conemur obſcurare ſermonibus noſtris nimium illius ſplendorem, quem caligine offuſi oculi noſtri pati non poſſunt: ei detrahimus, actiones illius redarguimus. Hoc autem peccatū eò enormius eſt, quò faciliùs à nobis committitur. Ipſum autem faciliùs perpetramus. Primò, ratione facilitatis, quam habemus in agendo, quę reddit hanc actionem faciliorem, & ſic hoc peccatum facilius. In alijs enim peccatis perpetrandis intercedit labor. Si intercipiendus eſt hoſtis, vigilandum eſt, captanda eſt occaſio capillatâ fronte, inſumendę ſunt obſervationes multę: Ars occidendi eſt difficillima: Furandi praxim & mœchandi exercitium non non ita quis facilè executioni mandat: Sed cùm de detractione agitur, facilitas eſt maxima. Ideò Spiritus ſanctus poſuit nobis hanc carnis particulam in ore clauſam labijs ac dentibus tanquam propugnaculis, quæ retenent fluxum ipſius ac pruritum, nihil enim facilius eſt ictu linguæ; ictus linguæ nimiùm ſuavis eſt.

Secunda ratio, quæ oſtendit facilitatem hujus vitij, eſt materia præſens. Detractor enim ſemper perſonas habet præſentes, quas laceret; omnes aggreditur, Magnos & parvos, Juſtos & impios, viros & mulieres. Nemini parcit. Æquè parùm ignoſcit ſupremis Pontificibus, Cardinalibus, & Prælatis ac Regibus, & alijs Principibus ſubalternis, & Aulicis. Omnem arripit occaſionem, omnem locum, omne tempus, præteritum, præſens, pergit ad futurum uſque: mortuos è terra effodit, vivos morti tradit, judicat de futuro, omnia redarguit, damnat univerſa. Omnia alia vitia non habent ſemper materiam præſentem: Herodes, nimirum impij, non habent ſemper Innocentes quos proſequantur, & quorum innoxium fundant ſanguinem †; Nerones, putà † Matth. 2. 16.
crudeles, non habent ſemper matres Agrippinas exenterandas, & magiſtros Senecas interimendos. Sed detractio ſemper & abſque ulla intermiſſione habet materiam præſentem; hæc autem materia præſens facit facilitatem hujus criminis, efficit ut quis ipſum facillimè perpetret.

Tertia ratio facilitatis committendi hujus vitij eſt affectus, quo quis erga hoc peccatum ducitur, propenſio ad detractionem, cùm nihil ſit volubilius linguâ, nihilque facilius quam judicium & ſententiam ferre de actibus alienis præ invidia, aut odio, aut inimicitia. Coadunate hæc omnia quę diximus, facilitatem agendi, materiam ſine intermiſſione præſentem, & propenſionem ad hoc peccatum patrandum, quæ efficiunt ipſum commiſſu facillimum, & ex hac facilitate infero ipſum eſſe dimiſſu difficillimum ratione conſuetudinis, quæ inde contrahitur. *Habitus eſt difficilè mobilis à ſubjecto, fitq; ex frequentatis actibus*, ajunt Philoſophi. E conſuetudine tranſitur ad obſtinationem, & ex obſtinatione ad damnationem. Sed dicetis, Jurare ſacrum nomen Dei, numquid non eſt prava conſuetudo? Nemo de hoc ambigit; ſed ille qui jurat, fatetur ſe perversè agere, ſed detractor non agnoſcit crimen ſuum, repetitis actibus labitur tandem in obſtinationem & indurationem; ideò hoc peccatum propter primam hanc rationem eſt dimiſſu difficillimum.

Secunda ratio, quæ oſtendit difficultatem veniæ peccato detractionis condonandæ, eſt, quia detractio ipſa eſt ſecreta, cùm ſic definiatur, *Detractio eſt alienæ famæ occulta & injuſta denigratio, ſeu violatio.* Detractio committitur clam & in abſcondito; & ſicut alia peccata præ ſe ferunt horrorem atque deformitatem, præ tali horrore avertuntur ab ipſis perpetrandis homines. Furtum, homicidium præ ſe ferunt horrorem atque deformitatem; crimen quod manifeſtatur, oderunt homines; ſed detractio, cùm ſit occulta, ſæviùs percutit. Ipſa autem profertur modò prætextu zeli, quo quis duci videtur. Ha! oporteret ut unuſquiſque ſanctâ accenderetur irâ, & ſciret tale facinus, tale commercium Domini N. & Dominæ N. Aliquando prętexitur bonum publicum; Expediret ut omnes clamarent, perpetrantur in Republica furta, inde ſcandalum patitur populus; hęc autem omnia ſunt purę detractiones, quę virtutem prętexunt. Alij magis induſtrię prętexere videntur charitatem, dicentes, Mihi quidem talem rem cogitanti lacrymas magis fundere libet, quàm aliquid enarrare; videor quippe mihi non ſanæ mentis compos, cùm ejuſmodi rem cogito. Sed quid eſt hoc? ſi placet. Ha! talis mulier fidem viro ſuo promiſſam violans, adulterium perpetravit. Sicut tonſor oleum lapidi infundit, quo meliùs novaculam ſuam acuat; & chirurgus blanditur vulneri,

quod

quod curat;ita detractor ſe abſcondit , & clàm proximi ſui famam bonam pungit, quod eſt maximè periculoſum,& dimiſſu difficillimum.

Tertia ratio, quæ innuit difficultatem indulgentiæ detractionis vitio condonandæ, eſt, quia detractor majus infert malum quam inferatur alijs peccatis ; ipſe ſiquidem tres perſonas ſimul unico linguæ vibrato jaculo confodit. Qui detrahit, occidit animam ſuam peccato detractionis, quæ in materia gravi eſt peccatum mortale,
e Ezech. 18.4.& 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* e. Interimit bonam famam illius, cui ipſe detrahit, etiamſi ille abſens ſit ; peccatum iſtud quippe remotiſſimos quoſque invadit, eoſque vitâ civili ſpoliat. Tertiò tandem, Occidit eum, qui cum delectatione audit detractionem, & in ea ſibi complacet, qui tantum ſcelus committit, quantum ille qui detrahit. Grande peccatum ob difficultatem reparationis peragendæ, eò quòd oporteat ut detractor veniam petat ab eo, cui ipſe detraxit, qui veluti dominus famæ ſuæ, injuriam ſibi ab ipſo irrogatam ipſi condonet, nedum aliquam ab ipſo exigat ſatisfactionem ; vel dicat, ſe malè audiviſſe, cùm ſermo haberetur de re, de qua quæritur. Quis autem, ſi placet, id obſervat? Si autem obſervaret quis hunc reparandæ famæ alienæ violatæ modum , nonne attribueretur pœnitentiæ hic agendi modus ? Ideò unite hæc omnia , & concludite peccatum detractionis eſſe dimiſſu difficillimum. Quod meliùs patebit quartâ ratione. Quia detractio communicatur; dicit quis peccatum alii, iſte aliis denuò , peccatum commiſſum per totam diffunditur civitatem. Quomodo autem poterit quis tantum crimen reparare ? Neſcio. Unde videtis vitium detractionis eſſe dimiſſu difficillimum.

Non deſunt qui detractorem æquiparent pavoni , qui habet caput ſerpentis, alas Angeli, pedes furis , & vocem diaboli. Caput habet ſerpentis , circumquaque ſe intromittit ; ſic detractor ſe circumquaque inſinuat, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs*
f Pſ. 139. 4. *eorum* f. Similis eſt ſerpenti veneno intumeſcenti , qui linguâ ſuâ triſulcâ ſeu tricuſpide tribus hominibus mortem infert ſimul. Habet alas Angeli , nigrum illud hilare, aurum iſtud politum aquæ in hac cauda oculis plena , ipſi loco conopæi inſerviente ; ſic detractor totus eſt plenus oculis , quibus actiones intueatur alienas; aqua apparenter omnia portat ; pavo theſaurum ſuum portat in cauda (ut vulgò dicitur.) Pedes habet latronis , detractor circumquaque pervadit, univerſis intereſt circulis , fur eſt domeſticus qui furatur , nec ſuſpectus habetur, cùm ſit famulus domûs , & ſic majora patrat latrocinia , quæ ipſe ementitâ prætexit amicitiâ, dum amplectendo ſuffocat. Vocem tandem habet diaboli ; nycticorax enim ſeu corvus nocturnus, qui ſpeciem quandam præ ſe fert diaboli, vocem habet ſeu cantum importunitatem auribus inferentem : Sic detractor vocem importunam habet diaboli , cùm ipſe tres ſimul occidat perſonas. Sed deferamus, obſecro, hunc diabolum, ut dicamus, quòd, ſi peccatum detractionis eſt omnium commiſſu facillimum , & dimiſſu difficillimum , eſt etiam omnium graviſſimum.

III. Pars. Ut autem ritè concipiatur ipſius enormitas , obſervandum eſt ipſum privare nos vitâ naturali , & vitâ civili bonæ famæ. Vivimus nos duplici vitâ, vitâ naturali quæ eſt in nobis, quæ non prætergreditur activitatis noſtræ ſphæram. Mea vox v. g. ad aures uſque veſtras pertingit , ſi autem nimis hinc diſtatis, non poteſt uſq. ad vos extendi, quia, ut ajunt Philoſophi, *inter objectum & potentiam debet eſſe proportio.* Vita eſt in nobis, eam deferimus; cùm autem interſum ego cellæ meæ, ibi eſt vita mea, non autem hic, hæc eſt vita naturalis. Sed vita civilis bonæ famæ longius protenditur , diffunditur enim ipſa per Galliam, per Hiſpaniam, per Germaniam , & per univerſas totius orbis regiones , in quibus habetur mei notitia. Magnanimus aliquis Vir grandini globulorum à catapultis exploſorum, haſtarum aculeis , enſium mucronibus , & glandibus miſſilibus ac tormentarijs expoſitus , vitam prodigit naturalem , ipſam deſpicit ut ſibi comparet aut conſervet vitam civilem bonæ famæ veluti majoris momenti ; detractor autem ipſum privat hâc vitâ , quippe qui omnia damnat. Si Judex utitur clementiâ , juſtitiam vendit , inquit detractor. Si exactè jus ſervet ac juſtitiam , tyrannus eſt. Si dives eleemoſynas eroget, illæ comparatæ mediâ fuerunt rapinâ. Si uxor domo raiò exeat , zelotypiâ vir ipſius eſt affectus. Si ad Eccleſiam aut ad Templum contendat , aſſignatus fuerat ei locus ille ſacer ad patrandum aliquod ſcelus. Si Sacerdos decentibus induatur veſtibus conformiter ad eminentiam dignitatis ſuæ , amaſius eſt. Si cultum corporis ſui deſidioſè deſpicit, ipſe eſt inurbanus aut avarus.

Secundò privat vitâ naturali. Sanctus Auguſtinus *g* conciliat S. Matthæum & S. Marcum, g S. Aug. l. 3. de Conſenſu Evangeli. c. 2.
quorum ille *h* ait , Chriſtum fuiſſe crucifixum *horâ ſextâ*. Iſte *i* verò dicit , quòd *erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Sanctus Auguſtinus aſſerit Chriſtum verè fuiſſe crucifixum horâ ſextâ, h Matth. 27. 45.
ſed incepiſſe horâ tertiâ crucifigi. Hoc autem factum eſt, cùm Judæi detrahentes ei , accuſaverunt eum coram Pilato, qui ſententiam mortis adversùs eum pronunciavit ; ex tunc enim mori reus incipit , cùm ipſi mortis oppetendæ decretum prælegitur. Idem accidit Chriſto. Si verò deicidium eſt omnium criminum maximè enorme, judicate utrùm, cùm detractio illud patraverit , ipſa non ſit crimen omnium graviſſimum. In alijs peccatis invenitur aliqua voluptas, ſed in hoc nihil. Peccatum hoc eſt peſtis; eſt ſus, quæ, ſi interſit horto, in quo ſunt varia florum genera, & fœtor aliquis, aut fovea, flores deſerit ut in fœtore aut in fovea volutetur. &c i Marc. 15. 25.
Canis eſt adversùs Lunæ ſplendorem latrans , *Detractores Deo odibiles* k. Omnes Patres ac Philoſophi invehuntur adversùs tales peccatores , k Rom. 1. 30.
qui ſunt objectum inimicitiæ Dei , quod ſanè non foret , ſi ipſi propriæ ſaluti procurandæ invigilarent , nedum proprio amore cæcutirent.

Peccatum detractionis cùm ſit maximum & maximè enorme omnium criminum , graviſſimum etiam & maximè inſigne omnium meretur ſupplicium. Sed quid? dicetis mihi, cùm detractio, ut jam oſtendiſti nobis, procedat ex invidia, ex amore noſtrî ipſorum , & è propriorum intuitu commodorum , eſtne ipſa tantum malum, quantum nobis ipſe perſuadere intendis? Bonum debet amari. Creaturæ omnes ſunt bonæ , *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* l. Omnes nos ſumus creaturæ , & ideò ex omni genere l Gen. 1. 31.
perfectæ, *Dei perfecta ſunt opera* m. Cùm omne id quod m Deut. 32. 4.

quod fecit Deus, conjunctam habeat bonitatem: Idcircò amor, quo noſmetipſos proſequimur, non eſt malus, nec illicitus. Debemus amare quidquid nobis propius eſt, nihil autem nobis propius eſt nobis ipſis, idcircò detractio non eſt peccatum ita grave. Reſpondeo, creaturas omnes eſſe bonas, & ut ſic amore legitimo poſſe diligi, cùm bonum ſit objectum voluntatis. Dico autem majus bonum debere magis diligi quàm exiguum; cœlum eſt majus bonum quàm terra, anima quàm corpus, Deus quàm creatura, ideò debet plus diligi: alioquin enim eſt pervertere ordinem in orbe à Deo ſtatutum. Qui ſemetipſum amat, ſemetipſum plus amat quàm diligat Deum, cùm Deum ſibi poſtponat, creaturam præferat Deo quem deſerit; idcircò avertit ſe à bono, peccatum committit; ſi ſe avertit à majori bono, committit majus peccatum; ſi à bono infinito,

n Baruck 3.25. immenſo n, æterno o, ſcelus perpetrat infinitum,
o Dan. 13 42. immenſum, æternum, ſummum. Qui detrahit proximo ſuo, motus invidiâ, commodis ſuis inhians, hæc omnia non agit intuitu Dei, à quo ipſe

† Jer. 8. 5 & 6. ſe avertit, ut convertatur ad ſe †: Hoc eſt ergo majus malum; & ſic majori eſt ipſe detractor dignus ſupplicio, *Pro menſura peccati erit & plagarum meam* p.

p Deut. 25. 2. Bonum particulare debet amari per relationem ad bonum commune, quod debet præferri: Qui ſemetipſum amat, ſemetipſum tantùm inquirit, omnia refert ad ſemetipſum, ad ſua commoda, ad proprias utilitates; ideò pervertit ordinem à Deo in mundo conſtitutum, & ſic magnum meretur ſupplicium. Præterea, Dicetis mihi, licitum eſſe conſervationi ſuæ invigilare. Non diffiteor, nihil æquius eſt, dummodò id non vergat in detrimentum proximo noſtro inferendum: Atqui detractor ſoli amori proprio ſtudens, & proprijs invigilans commodis, ſemetipſum duntaxat quærit; ipſe deſtruit omnia, ut ſe conſervet: Per conſequens ſicut detractio eſt maximum omnium malorum, ita ſuppliciorum omnium meretur maximum.

q Exod. 33. 19. Malum ſupponit majus malum quod eſt culpa, & ne procedamus in infinitum, ſicut eſt *Bonum* q immenſum ac infinitum, ſic & datur malum immenſum, ac infinitum, & hoc malum eſt amor proprius, qui eſt origo infelix omnium aliorum malorum, principium infauſtum ſeptem peccatorum capitalium. Dantur bona animi, bona corporis, & bona fortunæ, amor proprius verò eſt cauſa quæ influit in omne quod invenire eſt depravatum in his tribus generibus bonorum, ut docet nos diſcipulus *quem diligebat Ieſus* r, dicens, *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* s.

r Jo. 21. 20.
s 1. Jo. 2. 16.

Amor autem proprius cauſat hæc omnia mala. Sic cùm avertit ſe quis à Deo, amore proprio ductus, detrahendo proximo ſuo, bonam famam ei eripiendo, illum denigrando, proprijs commodis invigilando, omni ſe ſcelerum colluvie inquinat. E contrà verò ſi quis uniatur Deo, omnibus ipſius ſupremis perfectionibus & Divinis attributis communicat, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* t. Adhærentes Deo, idem evadimus cum ipſo; ſed avertentes nos ab eo, amore proprio ducti, ſtatim labimur in maximum omnium malorum, & conſequenter digni ſumus, ut ſupplicio puniamur omnium graviſſimo.

t 1. Cor. 6. 17.

Amor proprius eſt injurioſus Deo, cùm ei eripiat honorem ipſius, & illi furetur ea quæ ad ipſum ſpectant, quæque ab ipſo ſine maxima auferri non poſſunt injuſtitia. Tenemur amare *Deum* ſuper omnia, & *proximum* noſtrum *ſicut* u nos ipſos; Deum magis quam omnia, & priùs quam univerſa. Amor proprius contrarium omnino peragit, cùm ſe priùs amet, quàm Deum diligat; plùs ſuas voluptates ac ſua oblectamenta, quam delicias ac beneplacitum Dei, cùm ſuam præferat voluptatem Deo, ſuam voluntatem, ſuaque commoda voluntati ac gloriæ Dei, ideò injurioſus eſt Deo. Deus dixit, *Mihi vindictam, & ego retribuam* x. Amor proprius authoritate privatâ vult ſe ulciſci, & vindictam ſumere de injuria, quam imaginatur ſibi irrogatam ab inimico ſuo; gloriam & honorem eripit ipſi Deo, qui ait, *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* y. Amor autem proprius ſemetipſum quærens, Deum deſerit, & poſt ſe venire eum facit, ipſum omnibus ſuis poſtponit commodis. Injurioſus eſt proximo, cui eripit ipſe bonam ſuam famam, ipſi detrahendo, quem tamen deberet ipſe amare ſicut ſeipſum, & illius commodis invigilare eodem ardore, quo proprijs ipſe incumbit, propter amorem Dei.

u Matth. 22. 37. & 39.
x Rom. 12. 19. & Heb. 10. 30. ex Deut. 32 35.
y Iſa. 42 8.

Et ſicut non poſſunt admitti duo Dij, ſed unicus eſt adorandus z, verus, ſupremus, æternus, & immortalis a, ſequitur alterum, quem fingit amor proprius, non eſſe verum Deum, ſed falſum Numen. Omne igitur bonum pertinet ad Deum, bonum naturæ, animi, ac corporis; bonum fortunæ, divitiarum, ac commodorum temporalium; & bonum gratiæ; falſus autem Deus privari debet his omnibus. Sicut Deus eſt ſupremus, & bonum eſt poſſidere divitias, honores, commoda, amicos; falſus Deus debet eſſe deſtitutus amicis, commodis, honoribus, ac divitijs, pauper & derelictus ab omnibus. Pulchritudo corporis eſt bonum, decor eſt bonum, ſanitas eſt bonum valdè utile; falſus Deus debet eſſe privatus his omnibus. Gratia eſt bonum, ſicut etiam gloria, in qua invenitur omnium bonorum deſiderandorum cumulus, cùm ipſa ſit ſtatus perfectus, & inconcuſſus, ab omnibus inconſtantijs & mutationibus, quibus obnoxiæ ſunt res temporaneæ, immunis, ut ait Boëtius b, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum.* Falſus Deus privari debet gratiâ & gloriâ. Idcircò detractor, qui non agit niſi amore proprio, privandus eſt his omnibus.

z Deut. 6. 4. & 13
a 1. Tim. 1. 17.
b Boët. l. 3 de Conſol. Philoſ. proſ. 2.

Videte ſupplicium, quo caſtiganda ſit detractio, quæ cùm peccatum ſit graviſſimum omnium, maximo omnium plectenda eſt ſupplicio. Pœna, quam meretur detractio, non eſt alia niſi ignes & flammæ infernales, cùm pœna proportionem habere debeat cum injuria, & cum qualitate perſonæ læſæ, nimirum cum dignitate Divinæ Majeſtatis, quæ offenſa fuit. Animæ criminoſæ, quæ nimiùm vobis blandientes præ vana æſtimatione veſtri ipſarum, æmulamini admirationes populorum, & vivere ambitis omnibus ſeculis per inanem famam, cur bonam denigratis famam, quâ veſter vigebat proximus, detractionibus veſtris? Voſmetipſas nimis amantes, & Deum contemnentes, nonne jure me-

merito vereri debetis ne de ſceleribus veſtris
graviſſimis condignam ſumat idem Deus ultio-
nem? Adam cùm ſe nimis amaſſet in paradiſo
c Gen. 3. 6.&c terreſtri, *de paradiſo voluptatis* c eodem ejectus eſt
ignominiosè, & miſer factus eſt, ſicut & nos cum
d Rom. 5 12. ipſo d. Superbiæ & amoris proprij conſcius in
e Iſa. 14 12.&c. cœlo *Lucifer ad infernum in profundum laci* e de-
tractus eſt. Nos autem miſeræ ac infortunatæ
creaturæ audebimuſne, more Protoplaſti noſtri,
& inſtar primi Angeli, eripere Deo honorem ip-
ſius? Denigrabimuſne bonam famam proximi
noſtri, quem debemus amare ſicut noſmetipſos
cùm ipſe ſit membrum ejuſdem *corporis* † myſti- † Eph. 5. 30
ci, cujus *Caput* f eſt Jeſus Chriſtus, qui pollicetur f Luc. 22. (?)
nobis ſuam gloriam in hoc mundo, ſi diligamus
ipſum g, & gloriam ſuam in altero ſempiter- g Jo. 13.
nam.

FERIA · IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, Joan. 10. 27. & 28.

a Ephes 4.5 & 6 S. Paulus a ait, quòd eſt *unus Dominus, una fi-
des, unum Baptiſma: unus Deus, & Pater omnium.*
Cùm Jeſu Chriſti officium ſitum ſit in congre-
gando eo quod erat diſperſum, *Vt filios Dei qui*
b Joan. 11. 52. *erant diſperſi, congregaret in unum* b: Propterea
ait, *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: & il-*
c Jo. 10 16. *las oportet me adducere, & vocem meam audient, &*
d Dion. Carth. a. 26. in Jo. 10. 16 *fiet unum ovile & unus Paſtor* c. Quod ſic exponit
Dionyſius Carthuſianus d, *Et fiet unum ovile, id
eſt, una Eccleſia, ſeu una fidelium congregatio ex ele-
ctis Iudæis atque converſis Gentilibus conſtans, quæ di-
citur una propter fidei ſpei, charitatiſq; unitatem. Et
fiet unus Paſtor, id eſt, Chriſtus, qui fuit Paſtor Iudæo-
rum ſolùm, fiet Paſtor Iudæorum ac Gentium.* Sic
omnes unire debuit virtutes ſimul, quod egit ſub
nomine charitatis: & hoc eſt quod innuunt ver-
e Idem Ibid. in Jo. 10. 27. ba Evangelij noſtri juxta expoſitionem ejuſdem
Dionyſij e, *Oves meæ vocem meam audiunt, hoc
eſt, verba Evangelicæ Legis, vel inſpirationi internæ,
quæ verba audiunt immediatè à me, vel à Prædicato-
ribus meis, obediunt. Et ego cognoſco eas cognitione
dilectivâ & approbativâ. Et ſequuntur me, id eſt,
vias à me tritas, utpote per opera mea incedunt.
Ambulant in dilectione ad proximos ſuos, ſicut & ego
f ex Jo. 15. 9. eos dilexi* f, *implent quod dixi, Qui vult venire poſt
g ex Luc. 9. 23. me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quo-
tidie, & ſequatur me* g. Hoc idem eſt quod idem
h Idem ibid. in Jo. 10. 14 Carthuſianus h paulò antè expoſuerat, *Et cogno-
ſcunt, id eſt, cognoſcendo ſequantur me, mihiq; per
charitatem obediunt. Meæ, id eſt, oves electæ* propter
i Jo. 1. 14 eandem quâ erga me afficiuntur charitatem, quæ
non eſt alia niſi *Verbum caro factum* i, adimple-
k Luc. 11 28. tum, *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt
illud* k. Sicut ipſum adimplevit Maria, *Beata quæ
l Luc. 1. 45 & 38 credidiſti.* Dum reſpondens Angelo, *Ecce ancilla
Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum* l, idem
Verbum in ſinu ſuo concepit æquè ac in mente
m S. Aug. l. de S. Virginit. c. 3 ſuâ, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm
concipiendo Carnem Chriſti* m, poſt hæc verba,
Ave Maria.

n Exod. 21. 1. &c Tria continebat Lex vetus mandatorum ge-
nera, alia erant judicialia n, alia ceremonialia
o Ibid. 12. 3. &c. o, & alia moralia p. Judicialia erant magna,
p Ib. 20. 3. &c. quia magna continebant judicia Dei. Ceremo-
nialia erant majora, quia erant figuræ myſterio-
rum Jeſu Chriſti, quæ repræſentabant, & intue-
bantur miſericordiam quæ adversùs juſtitiam
q Jac. 2 13. prævalet, *Superexaltat autem miſericordia judi-
r Eccleſia ex Sap. 11 24. cium* q. Cùm miſericordia ſit propria Deo, *Deus,
cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere* r. Ju-
s Iſa. 28 21. ſtitia verò ſit ei veluti aliena, *Alienum opus ejus*
s. Sed maxima erant moralia, quæ perſeverant
adhuc (primis terminatis) ſine quorum obſe-
vantia homines ſuam adipiſci non poſſunt ſalu-
tem.

Præterea, Tres Deus inſtituit Leges ſecun-
dùm tria diverſa tempora, quibus homines vixe-
runt: & ſecundùm iſtos tres ſtatus tria fecit illis
mandatorum genera. In primo ſtatu peccatum
non rectè cognoſcebatur, nec tollebatur. In ſe-
cundo fuit cognitum, ſed non fuit ablatum.
Quoad illud S. Paulus t ait, *Peccatum non cognovi,* t Rō. 7.
niſi per Legem. Et quoad illud S. Auguſtinus di-
cit, *Ita Lex, Gratiâ non adjuvante, prohibens pecca-* u S. Aug l. de Contin. c. 3.
tum, virtus iſt inſuper peccati u. Et, *Minando pœ-
nam, nec adjuvando per gratiam* x. In tertio cog-
noſcitur, & deletur, *Quodcunque ſolveris ſuper ter-* x Idem in Pſ. 67. 10.
ram, erit ſolutum & in cœlis y. Et, *Quorum remiſe-
ritis peccata, remittuntur eis* z. In primo ſtatu duo
data fuerunt præcepta, *Quod tibi fieri vis, alteri fe-* y Matth. 16. 19.
ceris. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris a. In z Jo. 20. 23.
ſecundo non tantùm duo, ſed innumera fuerunt
inſtituta. In tertio verò unicum fit præceptum: a ex Tob. 4. 16.
licèt enim in eo præcipiatur dilectio Dei, & pro-
ximi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Dili-* b Matt. 22. 37. & 39
ges proximum tuum ſicut teipſum b: tamen *omnis
Lex in uno ſermone impletur, Diliges proximum* c Gal. 5 14.
tuum ſicut teipſum c. Vocatur *hoc maximum man-* d Matt. 22. 38.
datum d. Ut innuatur, debere nos omnes vires
noſtras impendere in obſervationem ejus. Se-
cundò, Quia per illud, *vitam æternam* nobis com-
paramus. Tertiò, Quia tenemur diligere Deum
ex totis nobis ipſis, cùm dicat Deo S. Auguſtinus e S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29.
e, *Minùs te amat qui tecum aliquid amat, quod non
propter te amat.* Cùm igitur ſermo, aut vox Dei,
quam illius *oves audiunt*, nihil aliud ſit niſi man- Diviſio.
datum ejus, volo vobis oſtendere Primò obliga-
tionem quâ tenemur diligere Deum ex totis no-
bis ipſis. Secundò, Quòd dilectio operatur ecta-
ſia in ſubjecto quod diligit.

Mandatum, quo præcipit nobis Deus ut ipſum I. Pars.
diligamus ex totis nobis ipſis, cùm ait, *Diliges
Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota
anima tua, & in tota mente tua*, vocatur à Filio ip-
ſius, præceptum retens, *Mandatum novum do vo-* f Jo. 13 34.
bis: Vt diligatis invicem f. Et licèt non loquatur
niſi de amore proximi, præceptum tamen iſtud
refertur ad mandatum de diligendo Deo, cùm
diligi non debeat proximus niſi propter dilectio-
nem Dei. Nihilominùs idem S. Joannes, cujus
organo loquitur Dei Filius, quique, *cùm recubuiſ-
ſet ſupra pectus Ieſu* g, ritè Divina ipſius ſecreta g Jo. 13 25.
didicerat, ſuis ita ſcribit diſcipulis, *Chariſſimi, non*

man-

mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus,
h 1. Jo. 2. 7. *quod habuiſtis ab initio* h. Dei Filius per S. Joannem vocat illud *Mandatum novum.* Et idem S. Joannes alibi nuncupat illud *Mandatum vetus.* Ut concilietur iſtud, Auditores, quod videtur contradictorium, ſciendum eſt, quòd licèt præceptum iſtud fuerit inſtitutum in Lege antiqua, vocatur tamen *novum*, eò quòd publicatum fuerit à Chriſto. Primò, Quia in Lege veteri, in qua præceptum iſtud continebatur, ſæpiùs fiebat mentio mandatorum ceremonialium, & ſacrificiorum, quàm hujus præcepti novi Teſtamenti. Secundò, Quia novo fuit inſtitutum modo: in Lege enim antiqua non audiebatur niſi raró,
i Lev. 19. 18. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum* i. Sed in Lege
k Jo. 13. 34. nova perſæpè, *Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos* k.
l Matth. 22. 39. & Rom. 13. 9. & Gal. 5. 14. & Jac. 2. 8. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum* l. In Lege antiqua ferebatur, ut deinde dixit Chriſtus in Evangelio, *Diliges proximum tuum* m. Sed in Lege nova idem Chriſtus ait, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros* n. Quaſi diceret, Si antiqui erant particulares, & ideò dicebant, *Diliges:*
m Matt. 5. 43. ex Lev. 19. 18. Ego qui ſum univerſalis, & miſſus ad operandam omnium ſalutem, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* o: præ-
n Matt. 5. 44. cipio vobis, *Ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.*
o Luc. 19. 10. Tertiò, vocatur *Mandatum novum.* Quia novis & mirabilibus confirmatum fuit exemplis. In Lege antiqua præceptum dilectionis confirmatum fuit exemplo Noë, qui Divinâ ductus charitate
p Gen. 7. 7. &c. *ingreſſus eſt in arcam propter aquas diluvij* p, cujus undis ſe commiſit, & vitam ſuam in periculum mortis adduxit. Et exemplo Abrahæ, qui notas exhibiturus dilectionis, quâ erga Deum ferebatur, diſpoſuit ſe ad ſacrificandum ei filium ſuum, ut impleret id quod ab eo ſibi fuerat impetatum, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocau-*
q Gen. 22. 2. &c. *ſtum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus* q. Sed in lege novâ approbatur hoc præceptum dilectionis in Filio Dei, quem Pater miſit in terram ad operandam ſalutem noſtram, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum*
r Jo. 3. 16. *daret: & omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* r. Filius amore nos eſt proſecutus, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis no-*
s Apoc. 1. 5. *ſtris in Sanguine ſuo* s. Et Spiritus ſanctus, qui eſt Charitas mutua Patris & Filij, de dilectione teſtimonium perhibuit, cùm deſcendit ſuper Apoſtolos, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum: & repleti*
t Act. 2. 1. &c. *ſunt omnes Spiritu ſancto* t. Vocatur *Novum.* Quia Lex antiqua ſola exigebat opera externa, idcircò vocabatur Lex operum, *Quicunque ex operibus*
u Gal. 3. 10. *Legis ſunt, ſub maledicto ſunt* u. Sed Lex Evangelica exigit opera interna, cor, animam, & mentem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*
x Matth. 22. 37. *tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* x.
y Luc. 10. 27. Imò verò externa, *Et ex omnibus viribus tuis* y. Dicitur *Novum.* Quoniam in Lege antiqua tot perhibentur fuiſſe præcepta, ſecundùm aliquos, quot ſunt dies in anno; quin etiam plura, juxta
z Jo. 14. 23. alios; quæ Lex nova ad unum, *Diliges*, redigit. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit* z. Nuncupatur *Novum.* Eò quòd in Lege veteri ſola promitterentur bona temporalia, *Dabo vobis ter-*

ram fluentem lacte & melle a. In Lege verò Evan- a Lev. 20. 24.
gelica promittitur vita æterna ijs, qui Deum ex totis ſeipſis diligunt obediendo præceptis ejus, *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego vitam æternam do eis.* Tandem, *Novum.* Quia in Lege antiqua publicatum fuerat hoc mandatum frigidè ore hominum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* b. Sed in Lege nova Jeſus Chriſtus b Deut. 6. 5.
publicavit illud non in ſpiritu timoris ut Moyſes, ſed in ſpiritu dilectionis, ut docet S. Paulus c, c Rom. 8. 15. & ex Gal. 4. 4. & 5.
Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.

Omnes creaturæ nos invitant ad amorem Dei, quem tenemur diligere, *Diliges Dominum Deum tuum.* Vocatur Dominus: & ſcitis quòd ex juſtitia & in rigore debentur tributa Dominis; & illi qui ea ipſis renuunt, repugnant Legi Dei præcipientis, *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* d. Ideò Judæi Je- d Rom. 13. 7.
ſum Chriſtum coram Pilato falsè cœperunt accuſare, *dicentes, Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæſari* e. Sed è contrà ipſe dixerat illis, *Reddite* e Luc. 23. 2.
quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo f. *Cui* f Matth. 22. 21.
timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis: niſi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, Legem implevit, ait S. Paulus
g. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus h, g Rom. 13. 7. & 8.
Cui timorem debetis, videlicet Domino terreno, ut cœ- h Dion. Carth. a. 37. in Rom. 13. 7. & 8.
leſti exhibete timorem. Cui debetis honorem interiorem, vel exteriorem, videlicet Deo, parentibus, & virtuoſis hominibus, date honorem. Ait enim Dominus per Prophetam i: *Filius honorat Patrem, & ſervus* i ex Mal. 1. 6.
timet Dominum ſuum. Si ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, quia dilectio, quotieſcumque alteri impendatur, permanet jugiter in præcepto. Per dilectionem verò intelliguntur alij actus virtuoſi, quos unus tenetur alteri. Qui enim diligit proximum, Legem implevit. Ratio quippe diligendi proximum eſt Deus. Ergo qui proximum diligit, Deum diligit. Præterea, Vocatur Deus, & in iſta qualitate tributum, quod debemus ei, eſt dilectio, cùm omnia debeantur ei ex jure: Deus enim dicitur à dando inter alias hujus nominis ethimologias, *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat* k. Idcircò poſtquam k Jac. 1. 5.
ait illis, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: confeſtim ſubdit, *Et quæ ſunt Dei, Deo.* Et hoc eſt quod explicat iſtud pronomen, *Tuum.* Si enim omnia ſint Dei, & ipſe ſe fecit noſtrum, debemus ei reddere illud omne quod habemus, per amorem procedentem è totis nobis ipſis, *Ex toto corde, totâ animâ, & totâ mente* l noſtrâ. Imò verò *Ex totis vi-* l Matth. 22. 37.
ribus m noſtris. Hæc omnia Deus à nobis exi- m Luc. 10. 27.
git, cor, animam, & affectum, id eſt, intellectum & voluntatem. Cor reſpondet huic verbo, *Dominum.* Mens iſti, *Deum.* Et voluntas huic, *Tuum.* Obſervandum eſt autem, verbum iſtud, *Dominum*, referri ad Patrem. *Deum*, ad Filium. Et, *Tuum*, ad Spiritum ſanctum, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* o. Sic fides attribuitur Patri, quia fides eſt aliarum fundamentum virtutum, *Sine* o Rom. 5. 5.
fide autem impoſſibile eſt placere Deo p. Sicut Pa- p Hebr. 11. 6.
ter eſt Fons & Origo aliarum perſonarum Divinarum q. Spes attribuitur Filio, quia ſpem ſuis q Pſ. 2. 7. & Jo. 15. 26.
ſeminavit promiſſis, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* r. Et charitas Spiritui ſancto propria r Matth. 19. 17.

eſt,

eſt, quia ipſe eſt amor Patris & Filij *s*. Atqui fides quæ attribuitur Patri, in corde concipitur, *Corde enim creditur ad juſtitiam* t. Spes formatur in mente, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus ijs qui diligunt illum* u. Et charitas creſcit in voluntate. Fides repræſentatur per cor: ſicut enim natura generat cor primum in animalibus; ſic principem obtinet locum fides in Chriſtiano, *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* x. Et ſicut non ſolùm *cor eſt primum vivens*, ſed etiam *& ultimum moriens*: ita id quod deficit ultimum in Chriſtiano, eſt fides; licèt enim ſpes & charitas pereant in homine, in eo ſemper manere poteſt fides; ſed cùm in eo non eſt ampliùs fides, ita nec ampliùs vocatur ipſe Chriſtianus. Præterea præcipiens nobis Deus ut ipſum diligamus *ex toto corde* noſtro, intendit ut cor noſtrum habeat veram fidem. Cùm jubet ut ipſum amemus *in tota mente* noſtra, vult ut vera ſpes comitetur amorem noſtrum, cùm ſpes referatur ad mentem: ſicut enim cogitationes intellectûs noſtri excitant nos ad res altas & difficiles; ita nihil eſt quod nos ad eas magis excitet, quàm ſpes. Præterea, Deus vult diligi à nobis *in tota anima* noſtra, id eſt, per charitatem: ſicut enim anima dat eſſe corpori, ita charitas eſt omnium forma virtutum. Ubi obſervandum eſt, locum iſtum diverſimodè explicari in Scriptura ſacra, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* y. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, ait S. Matthæus z. poſt verba hæc ſupradicta Deuteronomij. Et S. Lucas a dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*. Prædictis addit S. Lucas, *Ex omnibus viribus tuis*. Ut innuat, quòd ſicut diligere debemus *Deum ex toto corde* noſtro, quia ſine menſura, ut ajunt Theologi: *& ex tota anima* noſtra, quia abſque medio; *& ex omni mente* noſtra, id eſt, excluſo omni termino; ita debemus illum amare *ex omnibus viribus* noſtris; quia diligendus eſt à nobis propter ſemetipſum, nec propter aliam rationem eſt à nobis amandus. Iſtud autem verbum, *Ex omnibus viribus tuis*, refertur ad cor, ad intellectum, & ad animam, ut Deus diligatur à corde ſecundùm omnes vires ipſius, ut anima & mens impendant ad eum diligendum quidquid præ ſe ferunt vigoris.

s Jo. 15. 26.
t Rom. 10. 10.
u 1. Cor. 2. 9. ex Iſa. 64. 4
x Heb. 11. 6.
y Deut. 6. 5.
z Matth. 22. 37.
a Luc. 10. 27.

Præter hanc explicationem, Alij aſſerunt, quòd per cor in hoc ſenſu intelligendus eſt actus voluntatis: atqui duo ſunt principia quæ motum ſuſcipiunt a voluntate ſibi impreſſâ: mens, quæ hoc loco intelligitur per animam; & executio externa operis, quæ innuitur nomine virium: cùm igitur Deus nobis præcipit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; idem eſt ac ſi diceret, quòd totus conatus voluntatis noſtræ feratur in Deum, & ſatagamus ut hæc virtus voluntatis non ſolùm dirigat intellectum, ſed etiam totum opus externum ad Deum ut ad ultimum finem ſuum, quia *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* b. Alij ſupradicta verba ſic exponunt, ut diligere Deum *ex toto corde* noſtro, idem ſit ac mittere totam noſtram intentionem ad Deum. *Ex tota mente* noſtra, cùm totam mentem noſtram ſubjicimus Deo, & myſterijs fidei, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* c. *Ex tota anima* noſtra, id eſt, ut appetitus noſter inferior referatur ad Deum. *Et ex omnibus viribus* noſtris, nimirum ut manifeſtemus amorem noſtrum interiorem per omne genus actionis exterioris. Eodem ferè modo id explicat S. Chryſoſtomus d, *Quid eſt diligere Deum ex toto corde? Id eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ullius rei dilectionem ampliùs quàm ad Dei: nec delecteris in aliqua ſpecie mundi ampliùs quàm in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in poſſeſſionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipijs, non in ornamentis aut veſtibus, non in filijs aut parentibus, aut amicis, ſed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo, ut præ his omnibus Deum omes. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus jam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus eſt ad Deum. Quid eſt, in tota anima diligere Deum? Id eſt, certiſſimum animum habere in veritate, & firmum eſſe in fide. Alius eſt enim amor cordis, & alius eſt amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis eſt, ut etiam carnaliter Deum amemus: quod facere non poſſumus, niſi receſſerimus ab amore mundialium rerum: & homo ſi Deum amat, mundum non amat: ſi autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur, ſed ſentitur in corde, quia quodammodo carnalis eſt. Amor autem animæ non ſentitur in corde, ſed intelligitur, quia amor animæ judicium ejus eſt. Puta ſi didiciſti unum Deum ex quo omnia, & unum Deum per quem omnia e: ſi iterum intellectus tuus per alicujus doctrinæ ſeductionem percuſſus, cœperit dubitare de ſubſtantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Quid eſt, in tota mente diligere Deum? Id eſt, ut omnes ſenſus tui qui pertinent ad te, Deo vacent, cujus intellectus Deo miniſtrat, & cujus ſapientia circa Deum eſt, cujus cogitatio ea quæ ſunt Dei tractat, cujus memoria quæ ſunt bona recordatur: totâ mente diligit Deum: ſicut ait Apoſtolus f: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Cujus autem intellectus quæ ſunt Dei non intelligit g, aut non ſecundùm Deum ſapit, aut ſcientia illius vana eſt & ſæcularis, ſingularis autem recordatio ejus non eſt bona, aut cogitatio diſplicent Deo: ille non totâ mente diligit Deum.*

b Prov. 16. 4
c 2. Cor. 10. 5.
d S. Chryſoſt. hò 42. in c. 22. Matt. v. 37.
e ex Rom. 12. 36.
f 1 Cor. 14. 15
g ex 1. Cor. 2. 14

Alij tandem exponunt, quòd amare *Deum ex toto corde* eſt illum diligere cum gaudio. *In tota mente*, eſt illum amare cum ſapientia. *Ex tota anima, & ex omnibus viribus*, eſt eum diligere cum fortitudine. Aliqui Deum diligunt gaudioſè, ſed non ſapienter, nec fortiter. Diſcipuli euntes *in caſtellum Emmaus*, diligebant eum præ lætitia, *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Amabant eum ſapienter, quia mirabilia de illo loquebantur, *Qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo*. Sed non fortiter, quia ſpe exciderant, æquè ac fide, dicentes, *Nos autem ſperabamus* h. Mulieres, quæ ſequebantur Jeſum Chriſtum pergentem ad montem Calvariam, diligebant eum æquo animo, quippe *quæ* præ dilectionis teneritudine *plangebant & lamentabantur eum* †. Fortiter, quia intrepidè, nedum ipſæ milites formidarent, *Unâ Sabbathi valdè diluculò venerunt ad monumentum*. Sed non ſapienter, quia erant *portantes quæ paraverant aromata* i. Eò quòd quærerent ungere eum, quem *unxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus* k ipſius. Jeſus Chriſtus interrogans S. Petrum ſuper dilectionem, ait illi ter,

h Luc. 24. 13. &c.
† Luc. 23. 27.
i Luc. 24. 1.
k Pſ. 44. 8.

Simon

Simon Ioannis diligis me l? Ut oſtenderet, charitatem ſocias habere debere individuas tres iſtas qualitates, & ſe nihil efflagitare in dilectione, quod priùs ipſe non peregerit prupter amorem noſtrum. Ideò ait, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos* m. Jucundè nos amavit, quia æquo tulit animo jugum naturæ noſtræ, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* n; *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* o. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum* p. Sapienter, quia *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* q. Nedum ullum juſtitiæ ſuæ damnum intulerit. Fortiter, quia effuſo toto Sanguine ſuo ad ultimam uſque guttam r, oſtendit, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* ſ ſua. Sic *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* t.

Obſervate etiam, quòd quatuor nos inducunt ad diligendum Deum, beneficia ejus u, promiſſa x, præcepta y, & judicia z. *Deum* diligere debemus *ex toto corde* noſtro propter beneficia ejus. *Et ex totâ animâ* noſtrâ ob promiſſiones illius. *Et in totâ mente* noſtrâ intuitu præceptorum ipſius. *Et ex omnibus viribus* noſtris præ timore Divinorum judiciorum. His omnibus mediis vult Deus nos introducere in ſecluſorium in quo ſua reſervat ipſe vina, ut ibi nos liquore Divini ſui inebriet amoris, *Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem* a. Scriptura ſacta uſurpat aliquando præteritum loco futuri, ut oſtendat, quòd id, quod ipſa prænunciat, æquè ſit certum ac ſi jam adveniſſet. Sic Iſaias longo tempore ante adventum Meſſiæ dixerat, *Parvulus natus eſt nobis* b. *Introduxit*, id eſt *introducet: ordinavit*, id eſt, *ordinabit in me charitatem*. Super quæ Gloſſa Ordinaria ait, *Ordinatam me fecit habere charitatem. Oſtendit mihi qualiter Deus, & qualiter proximus eſſet diligendus.*

Non quærit Deus partem animæ, nec partem cordis, ſed totum cor, totam animam. Pro comperto eſt, cor hominis è quatuor eſſe compoſitum partibus, è gaudio, è triſtitiâ, è ſpe, & è timore. Deus iſtas quatuor exigit qualitates, ideò Iſaias c loquens de Chriſto, dicebat, *Levabit Dominus ſignum in nationes, & congregabit profugos ex Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Per *ſignum in nationes*, intelligit Crucem. Per *profugos ex Iſraël*, cogitationes cordis. *Et diſperſos Iuda*, vult eſſe ejuſdem cordis affectus. Iſtud idem ſignificat S. Marcus d, *Congregabit Electos ſuos à quatuor ventis.* Quia quatuor iſtæ paſſiones ſunt veluti venti agitantes cor noſtrum. Ita diligere debemus Deum, ut mens noſtra non cognoſcat niſi ad amandum Deum, ut anima noſtra cum omnibus paſſionibus ſuis erga nihil afficiatur niſi propter obſequium ejus, ut cor noſtrum nihil concipiat quod ad honorem illius non dirigatur, ut tota intentio noſtra tendat ad Deum qui eſt ultimus noſter *Finis* e. Et ut ſic Deus ſit in nobis, & anima noſtra in Deo. Iſtud eſt quod quærebat Sponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi* f. Quaſi diceret, Inter me & Sponſum meum nulla eſt diſcrepantia quoad voluntatem. Et explicans qualis eſſet Sponſus ſuus, ait, *Dilectus meus candidus, & rubicundus* g. Jeſus Chriſtus fuit *candidus* in introitu vitæ ſuæ h. *Et rubicundus* in exitu ſuo per effuſionem Sanguinis ſui i. Cor noſtrum debet eſſe candidum per vitæ puritatem, & rubicundum per interiorem paſſionem Jeſu Chriſti; & ſic diligemus *Deum ex toto corde* noſtro. Prætereà,

l Joan. 21. 15. &c.
m Joan. 13. 34
n Philipp. 2. 7
o Baruch 3. 38
p Prov. 8. 31
q Apoc. 1. 5
r Joan. 19. 1. &c.
ſ Cant. 8. 6
t Sap. 8. 1
u Joan. 1. 12
x Matth. 19. 17
y Matth. 22. 37
z Matth. 25. 31. &c.
a Cant. 2. 4
b Iſai. 9. 6
c Iſai. 11. 12
d Marc. 13. 27
e Apoc. 1. 8
f Cant. 2. 16
g Cant. 5. 10
h Luc. 2. 7
i Joan. 19. 1. &c.

Dilectus meus mihi. Id eſt, neceſſarius eſt & utilis mihi. *Et ego illi.* Quia meam exigit voluntatem ad operandum mecum, *Laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum* k. Cùm Deus nihil poſſit ſine nobis, nec nos abſque auxilio gratiæ ejus, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* l. Deinde, *Dilectus meus mihi.* Id eſt, voluntati meæ. *Et ego illi.* Nimirum, propter honorem ejus. *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit: & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus* m. Tandem, *Dilectus meus mihi* Quippe, *Qui replet in bonis deſiderium* n meum. *Et ego illi.* Quia illum ex totâ memetipsâ diligo.

Iſtud enim habet proprium amor ut in ecſtaſim rapiat, & faciat ut amans ſit extra ſe, ut eat ad rem amatam, ut patet è ſupradictis verbis Sponſæ, & docet S. Dionyſius o, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur.* Talis erat exceſſus S. Pauli p dicentis, *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in Chriſtus.* Et Incognitus explicans hæc verba Pſalmiſtæ q, *Et vinum lætificet cor hominis*, nomine vini intelligit charitatem, *Per vinum intellige dilectionem Dei, quâ Deus ſuos inebriat delectabiliter.* Quia ſicut vinum hominem extra ipſum ponit, ita amor eum è propriâ ſede ejicit. Jacob ſub finem vitæ ſuæ prædicens liberis ſuis bona & mala quæ debebant illis accidere, cum perveniſſet ad Judam, è cujus progenie naſciturus erat Jeſus Chriſtus, ait de illo, *Oculi ejus vino ſunt pulchriores* r. His inferre volebat è verbis quæ ad Chriſtum dirigebantur venturum, quòd, ſicut vinum humanas alienat mentes, ita ut perſæpè homines imaginentur ſe eſſe Principes & Monarchas, & aliàs miſeros & mendicos; ita amor Jeſu Chriſti figuratus vino effecturus eſſet ut aliqui ſe crederent Principes ut S. Andreas ſ, & S. Matthæus t; alii verò miſeros & redactos ad fundendas lacrymas, ut *Petrus egreſſus foras, flevit amarè* u. Idcircò ſuper hæc verba Canticorum, *Meliora ſunt ubera tua vino*, de Ponte x ait, *vera idem ſignificant quod amores.* Et Alii ea ſic vertunt, *Meliores ſunt amores tui vino.* Et alibi in iiſdem Canticis y dicitur, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ut ſignificetur, quòd ſicut ille qui dormit, ſuos omnes ſenſus habet alligatos, ita ut nihil audiat, videat, ſentiat, &c. ita Deus aliquando animam ſic extra ipſam fert ut videatur ipſa mortua quoad deſideria mundi: propterea morti comparatur amor, *Fortis eſt ut mors dilectio* z. Sicut enim mors corpus privat omni ſenſu & omni voluptate, idem agit amor; ideò Sponſa dicebat, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* †.

S. Bernardus a ſuper hæc verba Canticorum, *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloravit me Sol*, ait, Sponſam infirmatam eſſe & palluiſſe violentiâ amoris, *Sol juſtitiæ* b *decoloravit me Chriſtus, cujus amore langueo. Languor iſte coloris quædam exterminatio eſt, & defectus in deſiderio animæ.* Et aliàs Romæ lex viguiſſe dicitur, quâ ferebatur, ne amaſii damnarentur ad mortem, quia ſicut amentes non cenſentur morte digni, eò quòd à recto judicio ſint alieni; ita & amantes, quia ſunt extra ſeipſos; & amentes ac amantes ferè idem ſonant. Si verò terrenus amor iſtos operatur effectus, quid non aget amor Dei, qui tantus eſſe debet in nobis, ut modus amandi debeat eſſe ſine termino, moderatione,

k 1. Cor. 15. 10
l Joan. 15. 5
m Rom. 14. 7 & 8
n Pſ. 102. 5
II. Pars.
o S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 4
p Galat. 2. 20
q Incogn. in Pſ. 103. 15
r Gen. 49. 12
ſ Matth. 4. 20
t Matth. 9. 9
u Matth. 26. 75
x De Pôt. lib. 1. in Cant. 1. 2 exhort. 7. parag. 2
y Cant. 5. 2
z Cant. 8. 6
† Cant. 2. 5
a S. Bern. ſerm. 28. in Cant. 1. 5
b Malach. 4. 2

& menſurâ ? Sic Regina Dido ita amabat Ducem Æneam, ut nullius rei alius recordaretur. Ideò jure merito amor dicitur producere ecſtaſim, quæ ſignificat exceſſum. Hoc patet in Dei Filio, qui quandiu quærebatur ad mortem ab hominibus, iiſdem ſemetipſum præbuit in cibum

c Matth. 26, 26, & 27
& potum c. Et quis major exceſſus quàm traditorem ſuum vocare amicum ſuum, *Amice, ad quid veniſti* d? Et ſic de reliquis exceſſibus amoris in

d Matth. 26, 50
reſiduo vitæ ipſius peractis.

Sed mirum non eſt, quòd amor ecſtaſim producat in Jeſu Chriſto, cùm eundem exceſſum cauſaverit in Sanctis ejus, & in amicis illius. Legitur de S. Auguſtino, quòd, cùm ad eum acceſſiſſet vidua quædam ut auxilium ab eo capeſſeret æquè ac conſilium, eumque diu fuiſſet illa de ſuis allocuta negotiis & afflictionibus, nihil ipſe ei reſponderit, cùm eſſet extra ſe præ exceſſu amoris. Et de S. Thoma Aquinate, quòd cùm ab eo præ manu candela teneretur, eaque conſumpta manum illius combuſſiſſet, dolorem combuſtionis tamen ipſe non ſenſerit, extra ſe præ amore raptus. Sic magnus Sacerdos Heli Annam Samuelis matrem Spiritu amoris plenam, judicabat nimio vino æſtuantem, *Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimavit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei, Uſquequò ebria eris? digere pauliſper vinum, quo madee. Reſpondens Auna, Nequaquam, inquit, Domine mi: vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam*

e 1. Reg. 1. 13. &c.
meam in conſpectu Domini e. Idem faciebant judicium Judæi de Apoſtolis *cùm complerentur dies Pentecoſtes, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Alii autem irridentes dicebant, Quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus, locutus eſt eis. Non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel, Et erit, in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem car-*

f Act. 2. 1. &c. ex Joel 2. 28. & ex Iſai. 44. 3
nem f: &c.

g Ezech. 2. 1. & 2
Volens Deus alloqui ſuum Prophetam Ezechielem g, ait illi, *Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.* Si velimus audire vocem Dei, qui loquitur nobis in contemplatione, oportet ut ſtemus *ſuper pedes* noſtros. Ille ſtat *ſuper pedes* ſuos, qui terram conculcans, & faciens *omnia detrimentum, & ut ſtercora* arbitrans cum S. Paulo, cor ſuum habet elevatum in cœlum, & dicere poteſt cum eodem Apoſtolo, *Noſtra autem con-*

h Philipp. 3. 8. & 20
verſatio in cœlis eſt h. Iſtud eſt, quod peragunt Juſti, qui peregrinos ſeſe fatentes in terrâ, caduca deſpiciunt, & ad æterna ſuſpirant, dicentes cum eodem S. Paulo, *Non habemus hîc manentem*

i Hebr. 13. 13. ex Mich. 2. 10
civitatem, ſed futuram inquirimus i. Sicut enim avis in caveâ concluſa, etiamſi foret illa cavea eburnea, aut aurea, ſuum tamen foras emittit roſtrum, & ſuum meditatur egreſſum: ſic anima

k Rom. 7. 24
Juſti detenta in *corpore mortis hujus* k quaſi in carcere, qualis erat anima S. Pauli, deſiderio ducitur naturali inde exeundi ut ad ſuam patriam pergat, cum eodem Apoſtolo *deſiderium habens*

l Philipp. 1. 23
diſſolvi, & eſſe cum Chriſto l. Ille igitur qui ſuſpirat ad illam patriam ſuam, etiamſi corporaliter deorſum detineatur, verè ſtat *ſuper pedes* ſuos. Ut autem oſtendatur beneficium iſtud procedere a Deo, Ezechiel ſubdit, *Et ingreſſus eſt in me Spiritus, & ſtatuit me ſupra pedes meos.* Quaſi diceret, quòd, ut poſſimus ſtare *ſupra pedes* noſtros, oporteat ut *Spiritus* Dei, qui non eſt alius niſi Amor ejus, ingrediatur ad nos, *Stantes erant pedes noſtri*

m Pſ. 121. 2
in atriis tuis Ieruſalem m. Id eſt, ſi deſideria noſtra adhæreant cœleſti Jeruſalem, ad illam aſcendemus, & ſic collocantes pedes noſtros, id eſt, deſideria noſtra in introitu hujus cœleſtis patriæ, licèt priùs frigidi fuerimus, tamen ex approximatione ad iſtam cœleſtem patriam, ſuſcipiemus calorem amoris Dei.

Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper

n 4. Reg. 13. 21
pedes ſuos n. Totum genus humanum erat verè mortuum; quia ſicut corpus mortuum eſt, cum anima ipſius ab ipſo ſeparatur; ita anima mortua

o Joan. 14. 6
eſt, cùm Deus, qui *Vita* o illius vera eſt, ab eâ recedit, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos &*

p Iſai. 59. 2
Deum veſtrum p. *Anima quæ peccaverit, ipſa mo-*

q Ezech. 18. 4. & 20
rietur q. Illi qui ſepelierunt corpus naturæ humanæ, ſunt mala deſideria, quæ etiam ſepeliunt hominem, quem tradunt poteſtati latrunculorum, qui ſunt mundus, diabolus, & caro: atqui confeſtim ac homo mortuus per peccatum, tangit per amorem ſepulchrum veri Eliſei qui eſt

r 1. Cor. 15. 3
Jeſus *Chriſtus mortuus pro peccatis noſtris* r; reſurgit à peccato; *Deus cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto, & conreſuſcitavit, &*

ſ Epheſ. 2. 4. &c.
conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu ſ. Et ſicut ille defunctus *revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*: Ita Jeſus Chriſtus vult, ut, *cùm eſſemus mortui peccatis*, & deinde in vitam fuerimus re-

t Epheſ. 2. 5
vocati per mortem ipſius, *cujus gratiâ ſalvati* t ſumus, ſtemus *ſuper pedes* noſtros; id eſt, ut elevemus oculos mentis noſtræ ſupra deſideria noſtra, diligamuſque ipſum *in totâ mente* noſtrâ, ſed præ exceſſu charitatis.

Jeſus Chriſtus ſuis ait diſcipulis, & in eorum perſonâ omnibus fidelibus, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*

u Luc. 9. 23
quotidie, & ſequatur me u. Sed quomodo fieri poteſt ut quis abrenunciet ſibimetipſi? Sciendum

x Coloſſ. 3. 9. & 10
eſt, dari *veterem hominem, & novum* x. Debemus nos expoliare *veterem hominem cum actibus ſuis.* Id eſt, carnem iſtam denudare deſideriis ipſius & voluptatibus, ita ut dicat, *Vivo autem,*

y Galat. 2. 20
jam non ego, vivit verò in me Chriſtus y. Et induere *novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum.* Iſtud eſt, quod ſignificant hæc verba, *Et ſequatur me.* Cùm igitur Deus dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex*

z Rom. 6. 6
toto corde tuo: ſi corpus, quod eſt *vetus homo* z, terrena quærit; animus, quem ſcimus eſſe *hominem novum*, cœleſtia perſcrutetur, & dicat, *Mihi*

† Pſ. 72. 28
autem adhærere Deo, bonum eſt †. Nec ſinat ut anima ſua educatur è corpore ſuo; ſed potiùs ſatagat ut anima trahat corpus ad ſe. Hæc eſt conſequentia, quam Chriſtus ex iſtis eruere volebat verbis, *Si quis vult poſt me venire,* &c. Et ſicut tria conſtituit in præcepto amoris, nimirum ut diligatur *ex toto corde, in totâ animâ, & in totâ mente*: hæc tria in iſtis inveniuntur verbis. Diligere eum *in totâ animâ ſuâ*, eſt tollere *crucem ſuam quotidie*, mortificando partem inferiorem animæ, quæ inclinat ad voluptatem. Diligere illum *ex toto corde* ſuo, eſt abnegare *ſemetipſum.* Et diligere ipſum *in totâ mente* ſuâ, eſt per contemplationem & per ecſtaſim accendere deſideria ſua ad imitationem illius, ad ſequendum eum, *Et ſequatur me.*

Illud autem quod inducere nos debet ad obſervan-

Digitized by Google

ſervantiam hujus Divini mandati, eſt ejus facilitas, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt. Sed juxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum* a, dicebat Deus aliàs populo ſuo Iſraëlitico. Et Filius ejus, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve* b. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus c, *Iugum meum, id eſt, obſervatio præceptorum, ſuavè eſt diligenti, quoniam nulla forma delectabilius vel facilius agit quàm charitas: ideò ait Scriptura, Iudicia Domini, id eſt, præcepta, vera, juſtificata in ſemetipſa. Deſiderabilia ſuper aurum, & dulciora ſuper mel & favum. Etenim ſervus tuus cuſtodit ea* d. *Et onus meum leve eſt, ſcilicet obſervatio conſiliorum, quæ ſicut pigro & frigido extat graviſſima, ſit fervido amatori leviſſima eſt atque dulciſſima: ita ut dicat. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua* e. *Et, Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam* f. Et diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* g, ait, quòd mandatum quod facit nobis Deus ſui diligendi, non eſt executu difficile, *Et mandata ejus gravia non ſunt* h.

Aliud motivum, cujus intuitu debemus illud cuſtodire, eſt illius utilitas, *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberavit me à lege peccati, & mortis* i. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus k, *Lex Spiritus vitæ, id eſt, Lex Evangelica, quæ nominatur Lex Spiritus, quia à Spiritu ſancto eſt data, Chriſtianorum cordibus ab ipſo impreſſa. Dicitur quoque Lex vitæ, quoniam mentem vivificat per gratiam, quam Sacramenta novæ Legis diſtribuunt, in Chriſto Ieſu, id eſt, per Chriſtum liberavit me à lege peccati & mortis, id eſt, à conſenſu, conſuetudine, & actu culpæ, ac pœna pro culpâ infligenda.* Et hâc ducti conſideratione, illud perſæpè cogitare debemus obſervare, *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo, & meditaberis in eis ſedens in domo tuâ, & in itinere, dormiens, atque conſurgens* l. Non ſolùm autem illud eſt cogitandum, ſed eſt etiam de eo loquendum, cùm ſeſe illius enunciandi obtulerit occaſio, *Et erit quaſi ſignum in manu tuâ, & quaſi monimentum ante oculos tuos; & ut Lex Domini ſemper ſit in ore tuo* m. Si autem ſcire velitis quænam ſit hæc utilitas, ipſa extenditur ad res temporales, ad ſanitatem, ad longam vitam, & ad pacem. *Fili mi, ne obliviſcaris Legis meæ, & præ-*

a Deut. 30. 11. & 14
b Matth. 11. 30
c Dion. Carth. art. 22. in Matth. 11. 30
d ex Pſ. 18. 10. &c.
e Pſ. 118. 103
f Rom. 8. 18
g Joan. 13. 23. & 21. 20
h 1. Joan. 5. 3
i Rom. 8. 2
k Dion. Carth. art. 11. in Rô. 8. 2
l Deut. 6. 6. & 7
m Exod. 13. 9

cepta mea cor tuum cuſtodiat. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi n. Quod ſic exponit Salazar †, *Lyra ſic interpretatur, Fili mi, ne obliviſcaris Legis meæ, vel, Legum mearum, ut habent LXX. ſcilicet naturalis, & Divinæ. Et præcepta mea cor tuum cuſtodiat, id eſt, opere exequatur. Longitudinem enim dierum apponent tibi, id eſt, longam ætatem, & annos vitæ, id eſt, ſanitatem, & rectam valetudinem; & pacem, id eſt, lætitiam animi: hæc enim ſæpiùs nomine pacis ſignificatur in Scripturâ ſacrâ.* Prætereà, Dilatatur hæc utilitas ad fœcunditatẽ prolis, *Utinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum; & ſtirps uteri tui ut lapilli ejus* o. Æquè ac ad abundantiam divitiarum, ut exponit Cornelius p hæc verba Prophetæ, *Pax Hebraïs eſt, non tantùm quies, ſed proſperitas, rerum omnium copia & affluentia. Unde comparatur hic fluvio perenni, qui nunquam areſcit, ſed ſemper alias & alias aquas affert & affluit.* Idem dicitur in Exodo q, *Si pactum meum cuſtodieritis, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus.* Et in Levitico, *Facite præcepta mea, & judicia cuſtodite, & implete ea: ut habitare poſſitis in terrâ abſque ullo pavore, & gignat vobis humus fructus ſuos, quibus veſcamini ad ſaturitatem, nullius impetum formidantes* r. Et, *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet ſemen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate* ſ. Sed ſicut Deus multa promittit commoda obſervatoribus mandatorum ſuorum, ita multatas intentat minas tranſgreſſoribus illorũ, *Quòd ſi nõ audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis Leges meas, & judicia mea contempſeritis; viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore. Fruſtrà ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur* t. Deus vocavit dilectionem ſuam mandatum, quia ſicut illius obſervantia plurima bona invehit, ita ejus tranſgreſſio plurimorũ eſt cauſa malorum. Diligamus igitur Deum *ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente*, in hoc mundo, ut diligere poſſimus eum aliquando in altero ſeculo.

n Prov. 3. 1. & 2
† Salaz. in Pr. v. 3. 1. & 2
o Iſai. 48. 18. & 19
p Cornel. in Iſai. 48. 18
q Exod. 19. 5
r Levit. 25. 18. & 19
ſ Levit. 26. 3. &c.
t Levit. 26. 14. &c.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi. Luc. 7. 37. &c.

COmmuni fertur adagio, cognoſcendum eſſe, antequàm amandum. Ego autem vice verſâ aſſero cognoſcendum, priuſquàm odio proſequendum. Magdalena cùm nimis amaret leges mundi, Dei præcepta oderat; ſed cùm ipſum amaſſet mundum, antequàm eum cognoviſſet, deprehendit ipſa ſe turpiter fuiſſe hallucinatam; cùmque ſibi novam comparaverit notitiam vanitatis mundi & peccati, necnon & bonitatis quæ invenitur in Deo, propoſuit ipſa ſibi primum deſerere, & amplecti ſecundum, & mutare nomen, vitam, ac conditionem. Conſilium ſuum non poteſt ipſa exequi ſine auxilio Spiritus ſancti, nec ego vobis illud repræſentare ſine tali ſubſidio, quod impetrabit nobis Maria, ſi dicamus ei, *Ave Maria.*

Admittitur & approbatur univerſim ab omnibus Theologis concluſio, quâ fertur, hominem non poſſe ex ſeipſo, & ſolis naturæ viribus ſufficienter ſe diſponere ad recipiendam a Deo gratiam juſtificantem, ſed ideò oportere ut Deus auxilio ſpeciali & ſupernaturali manum ipſi porrigat, & (ſi dici fas eſt) ut ipſum educat è volutabro luti ac cœni, ut ipſum in viâ ſalutis æternæ capeſſendâ conſtituat. Huic opinioni ſic adhærent Doctores mordicùs, & Scriptura ſacra eam ſic expreſsè docet, ut illum qui ei contradicere præſumeret, non ſolùm temerarium crederem, imò verò erroris eum redarguerem. Quid enim aliud eſt ſe diſponere ad hanc gratiam ſuſcipiendam, quàm avertere ſe a malo, & procul à ſe peccatum amandare, & ſimul firmâ ac efficaci voluntate ſe penitus ad Deum convertere? Id autem omne non poteſt fieri, niſi Deus auxilio ſpeciali

tiali, voluntariè caput illius convertat, faciemque ejus (ut ita dicam) mento apprehendat, ut illum inducat ad elevandos ſurſum oculos, ut eum ad ſe convertat. Teſtis eſt Propheta *a*, qui videns ſe humi proſtratum præ peccato, clamat, Deum alloquens, *Deus converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Et alius b, *Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi juvenculus indomitus; converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus; poſtquàm enim convertiſti me, egi pœnitentiam.* Quaſi diceret, hominem, quandiu torpet in peccato, & antequàm ſe convertat ad Deum, eſſe veluti equum indomitum, aut taurum furioſum, qui non poteſt ex ſeipſo ſuiipſius gubernandi copiam facere, niſi dometur. Sic peccator, quoaduſque ipſum Deus tangat, non poteſt rectà pergere, ut par eſt; ſed ſi Deus ipſi manum porrigat, ipſumque convertat, ſtatim ſectandæ virtutis arripit tramitem.

a Pſ. 79. 4
b Jer. 31. 18

Hanc veritatem clarè oſtendit Apoſtolus *c*, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Nequidem poſſumus minimam cogitationum earum efformare, quæ neceſſariæ ſunt ad ſuſcipiendam denuò Dei gratiam jam amiſſam, tanquam procedentem à nobis, ſed tota ſufficientia, quæ ibi poteſt obſervari, & quidquid eſt boni in intellectu noſtro, oriuntur immediatè à Deo; *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis; quia ſine me nihil poteſtis facere* d. Infinita ſunt alia loca, quibus dicitur, nos ſine gratiâ Dei nihil poſſe facere meritorium, nec Deo gratos nos efficere, *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Donum enim Dei eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* e. Ubi obſervo hoc verbum, *creati*, quod inducit me ut dicam, quòd, ſicut in ipſâ creatione noſtrâ non poſſumus cum Deo operari, & cum ipſo concurrere, cùm nulla ſit in nobis diſpoſitio ante creationem noſtram (alioquin enim fuiſſemus antequàm eſſemus) pari modo licèt in noſtrâ juſtificatione inveniatur aliqua cooperatio ex nobis proveniens, nulla tamen reperitur, quæ poſſit Deum ſufficienter inducere ad impertiendum nobis hoc novum eſſe juſtitiæ, hanc novam qualitatem, quâ evadimus filii ipſius adoptivi mediante gratiâ.

c 2. Cor. 3. 5
d Joan. 15. 4. & 5
e Epheſ. 2. 8. &c.

Si verò S. Paulus juſtificationem noſtram vocat creationem, nominat eam nativitatem S. Joannes *f*, dicens, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Idem autem S. Paulus *g* ut nobis meliùs innuat nihilum noſtrum, utitur nomine tenebrarum, ac luminis, *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* Ubi Apoſtolus duo dicit; prius, ſe in tenebris peccati illuſtratum fuiſſe notitiâ ejuſdem peccati ſibi a Deo præſtitâ; poſterius, hunc theſaurum gratiæ eſſe in nobis, qui ſumus ita fragiles, ut oſtendatur ſemper meliùs Deus ejuſdem Author gratiæ, & Conſervator. Et, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei* h? Et, *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* i. Hæc doctrina ut vera ſtabilita fuit à Concilio Arauſicano Secundo *k*, ubi dicitur gratiam Dei dari ſine ullis præcedentibus meritis. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant. Sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant* l. Deinde, *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adjuvamur, ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat* m. Id tandem expreſſe manifeſtat Concilium Tridentinum n, *Declarat præterea ſancta Synodus, ipſius juſtificationis exordium in adultis, Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis exiſtentibus eorum meritis vocantur.*

f Joan. 1. 12
g 2. Cor. 4. 6. & 7
h Rom. 11. 35
i Rom. 9. 16
k Conc. Arauſic. II. cap. 3. 4 & 17
l Ibid. c. 18
m Ibid. c. 25
n Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5

Ratio autem ipſius evidens eſt: Manifeſtè ſiquidem contradiceretur nomini gratiæ, ſi daretur ipſa ob merita noſtra, foretque ipſa potiùs ſic debitum, quàm gratia, *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia* o. Præterea; Gratia eſt vita ſupernaturalis, quæ nobis pandit aditum ad gloriam cœleſtem, quam poſſident Beati videntes *Deum* p, amantes Deum, & ipſo Deo fruentes; quidquid autem facere nos poſſumus, non eſt extra limites naturæ. Inſuper, Converſio peccatoris non fit niſi præ contritione, quæ eſt amor Dei præ omnibus creatis rebus, & ut Authoris gloriæ, & remuneratoris eorum omnium, qui inquirunt, ipſum †. Amor ille non poteſt eſſe ſine aliquâ cognitione; notitia hæc non poteſt comparari viribus noſtris naturalibus; nullam quippe rem cognoſcimus niſi mediis ſenſibus, & inſtar eorum, quæ ſenſus nobis exhibent. Oportet igitur ut hic amor & hæc cognitio à Deo immediatè procedant, ſive inſpiratione ſecretâ, ſive prædicatione publicâ, ſive revelatione ordinariâ.

o Rom. 11. 6
p Joan. 17. 3
† Hebr. 11. 6

Quidquid ſit de re iſtâ; ſi videamus aliquem peccatorem, aut aliquam peccatricem mutationem aliquam agere præteritæ vitæ diſſolutæ in emendatam, poſſumus tunc dicere, *Hæc mutatio dexteræ Excelſi* q. Hanc tranſmutationem eſſe effectum attribuendum manui Dei altiſſimi, qui ipſum, vel ipſam gratiâ ſuâ tetigit; ibique infringi leges & maximas Philoſophorum, qui ut infallibilem veritatem ventilant hoc pronunciatum, quo aſſerunt quòd *non poteſt fieri tranſitus ab extremo in extremum, non pertranſito medio*; cùm ab uno extremo infinito, quod eſt odium Dei, ad aliud extremum infinitum, quod eſt ipſius gratia, fiat unico inſtanti ſubitus tranſitus, nullo pertranſito medio, id eſt, ſine ullâ diſpoſitione mediâ è parte peccatoris. Si autem hoc videtur vobis digeſtu difficile, promo vobis exemplum noſtræ peccatricis Magdalenæ ad extremum infelicitatis redactæ, quæ nihilominùs incipit cognoſcere, quaſi ignoraſſet ipſa uſque nunc id, quod ipſa agebat; illud quippe cognoſcebat ipſa, ſed non oculo, quo debebat ipſa illud intueri, cùm ad illud intuendum cognitionem inſumptura eſſet ipſa altiorem. Videamus igitur, Auditores, in progreſſu hujus diſcurſus, quænam cognitio ſit illa, quæ eſt principium pœnitentiæ & juſtificationis hujus famoſæ peccatricis.

q Pſ. 76. 11
Propoſitio

Univerſi ferè homines, qui hanc ſeriò examinant hiſtoriam, pro infallibili tenent, Magdalenam audiviſſe perſæpè Salvatorem mundi publicè concionantem, ſive ob magnum concurſum hominum, quos videbat ipſa ſequentes eundem Chriſtum; ſive ob ardens deſiderium, quo flagrabat ipſa, habendi obvios in concione aliquos ex ſuis amaſiis, & ſe extollendi ſupra cæteras mu-

heres

lieres nobiles ; ſive ob frequentes perſuaſiones
ſuæ ſororis Marthæ, quæ hujuſmodi concionibus
ſemper intererat, ipſamque in Templum trahere
conabatur, licèt ſæpè invitam. Magdalena (di-
cebat ipſi ſoror ipſius Martha) quàm induſtrius
Vir in hâc commoratur civitate, ipſe eſt re verâ
facundiſſimus omnium, quos unquam audieris;
ſermone viget ita ſuavi & efficaci, ut corda e-
molliat duriſſima, & glacida accēdat amore pe-
ctora, ſed tantis lenociniis, & modo ſic grato, ut
proculdubiò ex ſolo ipſius viſu fores ſummâ per-
fundenda voluptate, & amore pulchritudinis
ipſius incomparabilis capienda. Magdalena, quæ
citò perſuaſionibus annuebat, cùm proponeba-
tur ipſi ſermo præ ſe ferens pulchritudinem, re-
ctà pergit ad concionem unà cùm ſorore ſuâ
Marthâ. Ha! quibus oculis miſericordiâ plenis
intueri debebat ipſam Salvator animarum no-
ſtrarum, videns ipſam lapidem offenſionis, &
ſcandali petram tot animabus poſitam? Statim
ac cœleſtis iſte Concionator eam intrantem in-
tuitus eſt, & in ſede ſuâ collocatam, ad eam præ-
cipuè direxit verba ſua. Sed quam appoſitè diſ-
currebat ipſe de brevitate hujus vitæ, de inſtabi-
litate mundi, de anguſtiâ & tranſitu ſtricto mor-
tis, de amaritudinibus quæ peccatum ſequuntur,
de fraudibus inſeparabilibus à pulchritudine &
decôre hujus corporis, de rigore judicii Dei,
& de pœnis inferni quæ excepturæ ſunt ſine du-
bio omnes eos & eas, qui amore carnis & vo-
luptatis allecti deſerunt amorem Dei ſui.

Quantos aculeos, qui perforent hoc cor!
Quantas rationes, quæ convincant hunc ani-
mum! Quanta motiva, quæ hanc attrahant ani-
mam! Audiat duntaxat Magdalena, ibi enim
agitur de ſalute ipſius. Auſcultavit ipſa ſanè.
Mihi ſiquidem videor eam intueri exeuntem è
concione ſanctè turbatam, novis curis repletam,
mundum & vanitates faſtidientem, præ timore
judiciorum Dei, & ſuppliciorum quibus ipſa di-
gna erat. Revertitur ipſa domum ſuam velociſſi-
mè, ſicut & intra ſemetipſam, ibique incipit in
ſemetipſâ philoſophari, *Vt cognovit*. Incipit ipſa
cognoſcere primò miſerandum animæ ſuæ ſta-
tum, ponens ſibi ob oculos turpitudinem & de-
formitatem peccatorum ſuorum, quæ tanto
ipſam afficiunt horrore, ut commercium, quod
ipſa cum illis pepigerat, infringat, & univerſas
ſuperet difficultates ſibi a diabolo oppoſitas. Ha!
quàm occurſus peccati eſt validus ac furioſus.
Peccatum eſt baſiliſcus terrorem incutiens, imò
verò ſolo vel intuitu mortem inferens.

Sed quid? Nonne Chriſtus, qui eſt *Sanctus*
q Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34 *Dei* q, tremore fuit iſto perculſus? Scio equidem
non potuiſſe adverſus ipſum prævalere, nec illi
timorem incutere peccatum. Nihilominus ſolus
vel timor mortis, quæ eſt tantùm effectus pecca-
r Rom. 5. 12 ti, *Per peccatum mors* r, ſic invaluit in animam
ipſius, ut ſit tremore concuſſus, *& ſit factus ſudor*
ſ Luc. 22. 44 *ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* ſ. So-
la manus quæ ſcribebat in pariete *aulæ* t convi-
t Dan. 5. 5. & 6 vii peccata Baltaſſaris coronâ Aulicorum ſuo-
rum circundati, tanto hunc affecit Regem tre-
more, ut Principes omnes ac illuſtres Dominæ
menſæ aſſidentes impedire non potuerint quin
ipſe deliquium animi pateretur. Solâ nuncia,
quæ audivit Saul à Samuele prædicente ſibi
mortem imminentem, ipſum terrore ſic affece-
u 1. Reg. 28. 19. & 20 runt, ut penè ſtatim mortuus fuerit u. Si verò
mors, quæ tantùm eſt effectus peccati, ſic eſt
horribilis, quid fiet, cùm peccatum, quod eſt
cauſa illius, ſe nobis exhibebit? Non miror, cùm
dicitur *Cain* x in deſperationem lapſus, & *Iudas* x Gen. 4. 13
pariter præ deſperatione *laqueo ſe* y ſuſpendiſſe, y Matth. 27. 3. & 5
uterque ſuum conſiderando peccatum; nam ſi-
cut peccatum quandam præ ſe fert infinitatem
in ſe, videri non poteſt in hac vitâ ſine periculo
mortis. *Non videbit me homo, & vivet* z, ait z Exod. 33. 20
Deus. Ratio iſtius eſt, Quia Deus eſt infinitus a.
Sic peccatum communicans eidem infinitati, a Baruch 3. 25
debet afferre idem periculum mortis. Ego au-
tem exiſtimo quòd maxima pars Sanctorum, qui
ſunt hodie in gloriâ, in deſperationem lapſa
fuiſſet intuitu peccatorum ſuorum, niſi ipſis ſta-
tim ſuccurriſſet Deus, & miſericordiam ſuam
obtuliſſet. Peccata, quæ ipſis jam fuerant con-
donata, novis ipſos ſæpè percellebant terrori-
bus. David magnus ille pœnitens ajebat, *Fue-*
runt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte b. Job b Pſ. 41. 4
verò miraculum patientiæ c, expertus rigorem c Job 1. 21. &c.
pœnarum & laborum ſuorum, mirabatur quia
ipſum ferè ſuorum latebat numerus peccato-
rum, *Quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera*
mea & delicta oſtende mihi d. Poſſibilene eſt, d Job 13. 23
dicebat ipſe Deo, id, quod ego patior, habere
proportionem cum peccatis meis? Oportetne
ut redigar ſuper fimum quaſi hominum miſer-
rimus omnium, ut caſtigentur peccata mea?
Oſtende mihi, obſecro te, numerum ſcelerum
meorum; monſtra mihi ob quam rationem
damnaſti me ad ſupplicium ſic inauditum. Deus
autem noſter ut ſe æquum exhibeat, ſupplican-
tem peccatorem mittit ad humeros ſuos, ut ibi
intueatur ipſe totam peccatorum ſuorum fabri-
cationem, *Supra dorſum meum fabricaverunt*
peccatores e. Viſne videre omnia peccata tua in e Pſ. 128. 3
cumulum redacta? Intuere humeros meos, vi-
de quo pacto excepti fuerint illi flagellis, aſpice
ſudorem inauditum, quem gravitas peccatorum
tuorum, quæ humeris meis impoſui, prodire fa-
cit undequaque ex ipſis.

Et veluti ſi miſerandus iſte vir prævidiſſet hu-
meros Chriſti, reſpondet ei, quaſi de ipſo que-
rens, *Cur faciem tuam abſcondis* f? Sed heu! f Job 13. 24
Auditores, Audebitne Job intueri faciem Dei?
Nunquid non ipſi ſatis videri debet, ſi aſpiciat
humeros illius, cùm non poſſit videre faciem
ejus, quin exponat ſe vitæ amittendæ periculo?
Ha! reſpondet Job, non poteſt eſſe majus mi-
hi periculum intuenti faciem Dei, quam aſpi-
cienti peccata mea, quæ primo intuitu me tanto
concutiunt horrore, ut jure merito verear ne in
deſperationem & in ruinam incurram; cùmque
utrumque mihi immineat periculum, malo Dei
mei faciem videre, è quâ aliquam ſperare poſ-
ſim conſolationem, aut propitium aliquem in-
tuitum, quam aſpicere illius humeros, in qui-
bus ſunt exarata omnia peccata mea, quæ mi-
nitantur mihi infortunium & jacturam omni-
modam. Si autem peccata ita levia, qualia
erant peccata Job, tanto percellebant ipſum
timore, quantum incutere debebant metum
Magdalenæ peccata ſua multò graviora; *ut co-*
gnovit? Ha! hæc cognitio ſubita, quam habuit
ipſa peccatorum ſuorum, ipſam ſanè multò ter-
tore perculit. Deus bone g! ajebat ipſa, quid g Pſ. 118. 68
video præ oculis meis? Hanc ſuperbiam, quæ h Iſai. 14. 12. &c.
repræſentat mihi Luciferum h: Hanc libidi-
nem, quæ præ ſe fert figuram Aſmodæi i; hunc i Tob. 3. 8
amorem divitiarum & margaritarum, qui eſt

k Luc. 16. 22 imago Plutonis, & iniqui Mammonæ k; Hanc ambitionem, ſeu vanitatem, quæ mihi exhibet *Satanam* l; fucum iſtum & hæc ornamenta, quæ l Luc. 10. 18 figurant mihi *Beelzebub* m idolum muſcæ; hæc m 4. Reg. 1. 3 omnia peccata, & omnes hos amores inſanos, quæ in me deprehendo, repræſento mihi ut n Marc. 16. 9 *ſeptem dæmonia* n, ut diabolos inferni omnes (cùm ſeptenarius numerus in Scripturâ ſignificet univerſitatem.) Ha! ſuntne igitur hæc ipſa, quæ amabam ſic ardenter? Quid? Operimentum hujus corporis, voluptatum & deliciarum ipſius, tenebatne abſconditam ita turpem deformitatem? Ha! occurſus iſte mihi eſt importunus, ipſum pati non poſſum, oportet ut hinc exeam. Si enim uſque nunc ſic turpiter hallucinata ſum, id evenit, quia hoſtem meum non cognoſcebam, ſed cùm ipſum cognoſcam, & id, quod videbatur mihi pulchrum ac bonum, minitetur mihi ruinam, oportet ut illi renunciem, & ultimùm ei valedicam.

Vt cognovit. Præterea, Novit ipſa ſolum Chriſtum potuiſſe ipſam mundare à maculis ſuis abominabilibus, eripere à tanto periculo, & ſanare à dolore ita gravi; ſive quòd ipſa concepiſſet hanc fidem, intuita aliquod miraculorum ipſius, ſicut Chriſtus videtur ipſi dicere, *Fides tua te ſalvam fecit*. Sive quòd ſecretâ fuiſſet ipſa aliquâ illuſtrata revelatione. Quidquid de his ſit, fundamentum felicitatis ipſius ſitum eſt in his duobus, in notitiâ peccatorum ſuorum, & in poteſtate Chriſti eorundem penitus delendorum. Duas quippe facies habet peccatoris juſtificatio? unam, quæ peccata intuetur præterita; alteram verò, quæ Dei miſericordiam reſpicit. Oportet ut hi duo intuitus & hæ duæ conſiderationes æquali procedant greſſu. Si enim homo peccatis onuſtus, ſola intuetur peccata, præ ſolo intuitu vel minimi ſcelerum ſuorum, in deſperationem labetur. Si verò è contrà in ſolam Divinam Miſericordiam projiciat oculos, nimia præſumptio ſeu immoderata fiducia ruinam ipſius machinabitur. Primus homo, qui deſcendit in infernum, fuit Cain, eò quòd ſolam inſpexiſſet ſui peccati enormitatem, & Divinæ diffiſus eſſet Miſericordiæ. Quantum autem exiſtimatis eſſe numerum eorum, qui illum ſecuti ſunt, eò quòd nimis de Dei miſericordiâ præſumpſiſſent, nedum ſuarum conſiderarent magnitudinem culparum? *Ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorum* o Eccli. 5. 6 *meorum miſerebitur* o. Cave ne ſolam prædices miſericordiam, neve aſſeras peccata tua ſic eſſe gravia, ut nullâ ſis dignus veniâ, ut dicebat Cain, *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear* p. Sed è contrà magnifica bonitatem p Gen. 4. 13 Dei ſic infinitam, ut poſſit ipſe, ac velit ignoſcere præ gratiâ ſuâ id, quod noſtra non poſſunt obtinere merita.

Incipit igitur Magdalena ſapere, & ſicut ſapientia incipere debet à timore, *Initium ſapien-* q Ps. 110. 9 *tia timor Domini* q, præ cognitione, quam ipſa habuit peccati ſui, tantus & tam ſubitus confi- * Ps. 118. 120 xit ipſam judiciorum Dei timor *, ut, ſtatim ac ipſa novit, *ut cognovit*, ſcivitque ſe expectatam † Matth. 26. 6 à Chriſto diſcumbente *in domo Simonis Leproſi* †, hanc occaſionem fronte capillatâ apprehenderit, & inauditâ velocitate ad eundem Dei Filium cucurrerit. Non poteſt ipſius diligentia æquiparari ei, quâ recurritur ad Medicum, cùm mediâ nocte ſupervenit alicui catharrus, aliudve malum ſubitum. Non debet comparari Magdalena homini, qui curioſitatis causâ ingreſſus in cavernam aliquam obſcuram, intueretur ibi ſerpentes & dracones interventu lampadis accenſæ illuc delatæ, & auxilium imploraret alienum. Non eſt ipſius velocitati ſimilis ea, quâ David adhuc paſtor *arietem* r eripiebat ex r 1. Reg. 17. 34. & 35 ore urſi, aut leonis; nec ipſius curſui ille, quo *cervus* ſ vulnere confoſſus fontem quærit; nec ſ Ps. 41. 1 ipſius celeritati ea, quâ tigris inſequitur illum, qui ipſius catulos ipſi eripuit. Nihili tandem debet æſtimari diligentia, quâ reus aliquis in templum aliquod, eòque quaſi in aſylum ſe recipit, ut à juſtitiæ miniſtris declinet, comparata illi, quâ Magdalena videns ſe periculo æternæ mortis oppetendæ expoſitam, tot draconibus infernalibus circumdatam, animam ſuam ſentiens tot urſorum, & leonum rugientium faucibus traditam, ſeque advertens lethali vulnere ob tot peccata lethalia confoſſam, & ſuos tandem ereptos ſibi catulos, putà ablata ſibi omnia bona animæ ſuæ, ac corporis ſui, læſæ Majeſtatis Divinæ conſcia currit ad Medicum, auxilium implorat Divinum, petit ſe erui ex iſto carcere, animam ſuam eripere ſatagit è faucibus iſtorum urſorum, vel leonum, curſu veloci pergit *ad fontem vivum* t, omnes induſtrias adhibet ſuas quibus t Ps. 41. 3 ſibi ablata recuperet, & ſanctum adit templum, nimirum domum *Phariſæi*, in quâ tunc temporis erat Chriſtus, a quo ſperabat ipſa Divinis ſe cumulandam benedictionibus, & ſanitatem animæ ſuæ ab hoc cœleſti Medico ſe ſuſcepturam.

Non ſine multâ ſanè difficultate hoc opus eſt aggreſſa mirabile Magdalena. Advertiſtis forſan aliquando, quòd ubi miſerandus aliquis captivus vinculis ferreis conſtrictus, limato ac corroſo ferro, ſolutis è catenâ ſuis pedibus, è triremi aufugiens, non citiùs ſe projecit in aquam, ut natando ereptam ſibi conciliet libertatem, cùm ſtatim unuſquiſque clamat, Diſcedit ille, ecce ipſe aufugit, currite, currite; ille enim nobis perit. Magdalena erat captiva diaboli, & in hâc ipſius captivitate detinebatur infinitas dæmonum, mundus & omnes ipſius aulici, caro & omnes ipſius amaſii, hæc omnia erant captivi & miniſtri hujus triremis infernalis: Magdalenæ providit induſtriam Deus limandæ ſuorum pedum catenæ, recipiendæ libertatis priſtinæ ſuæ, ſuique projiciendæ in ſuarum aquas lacrymarum, ut ibi natando ſuæ invigilet ſaluti. Ha! ſtatim ac ipſa ſe in aquam demittit, audire mihi videor hos omnes alios captivos clamantes, Magdalena diſcedit, arripite illius brachium, tenere eam; & ſtatim conantur impedire omnes ne ipſa ſalutem ſibi conciliet. Mundus ſtatim ſe oculis ipſius exhibuit intuendum, quem ſequebatur ac comitabatur prægrande monſtrum ſeptem capitibus, centum linguis, totidemque oculis & auribus horridum, præ ſe ferens hanc inſcriptionem in fronte exaratam: *Sed quid dicetur*? Præterea, Adfuit & ſtatua Nabuchodonoſor u, an- u Dan. 3. 1. &c. te quam ſe humiliabant & proſternebant homines ad muſicorum ſonitum inſtrumentorum. Mundus cum ipſâ aliquandiu colloquitur, proponens ipſi univerſas confabulationes habendas de ipſâ in civitate, cùm ipſa eſſet omnium Dominarum nobiliſſima. Magdalena quid vis agere? Quid cogitas? Quid dicent homines de te? Dicent ipſi ſanè, quòd, ſicut te habebat mundus deſpectui, ideò ſeculo terga vertis. Dicent

alii,

alii, te profectò agnoviſſe alias Dominas ſpecioſiores te, & idcircò te non audere amplius circulis intereſſe. Aſſerent alii, te rogatam fuiſſe fortaſſis tibi aliquam injuriam ab amaſiis tuis coram frequenti concione, quod efficit ut deinceps concionibus & circulis renuas intereſſe. Alii contendent, laborare te morbo aliquo infami, ideòque prohibuiſſe tibi juſtitiæ Propoſitos ſolitarum tuarum uſum voluptatum, ne ad re accedentes inficias. De te tandem loquetur unuſquiſque ad placitum, & de te circumquaque miſcebuntur colloquia, & dicent omnes, te, cùm in Matrimonio non poſſis collocari, velum Monachale velle ſuſcipere. Illud ipſam aliquo concuſſit metu; ſed *ut cognovit* hunc metum eſſe umbram, ſic illum facilè ſuperabit.

Aliàs Bucephalus Alexandri Magni equus, quippe qui ſuſpicax ac meticuloſus, umbram ſuam verebatur, ſed ſicut in alteram partem umbræ oppoſitam converſus eſt, ſic ſtatim manſuetus evaſit. Metum incutit aliquando lingua detractorum hominibus virtutis tramitem ſectari aggredientibus; ſed quantùmvis parùm ab hâc umbrâ retrò convertantur, ſtatim metus iſte ceſſat. Tot ſunt Beati in cœlo, quibus detraxerunt homines, quot ſunt in inferno damnati, quibus iidem homines blanditi ſunt. Non debemus metuere hominum judicia, *Mihi autem pro minimo*
x 1. Cor. 4. 3. *eſt ut à vobis judicer* x. *Qui timent te, videbunt me,*
y Pſ. 118. 74. *& lætabuntur; quia in verba tua ſuperſperavi* y.
Non eſt cur vereamur opprobria hominum, ſed duntaxat opprobria & judicia Dei, & ne dicatur de nobis, *Ecce homo, qui non poſuit Deum*
z Pſ. 51. 9. *adjutorem ſuum* z. Quidquid dicant de nobis homines, cùm alicui bono incumbimus operi, & diſcedimus à peccato, nullo nocere poſſunt nobis modo, imò verò id nobis gloriæ &
a Deut. 32. 31. honori cedit, quia *inimici noſtri ſunt judices* a.
Et ii, qui noſtram machinabantur ruinam, inviti dicunt, id, quod nos agimus, hominibus diſplicere, & ideò gratum eſſe Deo; nam, ut ait
b Gal. 1. 10. Apoſtolus b, *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Id ritè agnoſcit Magdalena, & ideò nullo concutitur metu ac tremore, quidquid de ipsâ ſint dicturi, aut cogitaturi homines.

Præterea, Superba hæc Nabuchodonoſor ſtatua coram ipsâ ſtetit cum omnibus ſuis inſtrumentis muſicis ac tubis, quæ repræſentant nobis pompam, magnificentiam, faſtum, & inanem gloriam mundi, & ipſam ſic alloquitur; Magdalena quid cogitas? Puſſibilene eſt, te
c Matth. 13. 55. præferre viles *pedes* hominis vulgaris, filii *fabri* c, honori, quo afficiebaris, cùm unuſquiſque certatim ſua tibi exhibebat obſequia? Habes ipſa unde devincias tibi Principes ſupremos, & tibi Reges ſubdas ac Monarchas; & tamen te ancillam vis conſtituere viri communis ac plebeii; intuere & attentè conſidera utrùm unquam illuſtris Domina, qualis tu es, tantam famæ ſuæ inuſſerit maculam, quantam honori tuo vis tu labem inferre præ inſano hoc conſilio, quod aggrederis. Id planè erit communem ordinem in mundo inſtitutum evertere, nobilitati tuæ officere, magnitudini detrahere progeniei & nativitatis tuæ, quæ exigit à te ut primas tibi ſedes in quibuslibet vendices occurſibus, nedum te ſic viliter deprimas. Ha! obturat ſuas ipſa ſibi aures, ne abſurdas iſtas auſcultet ineptias, ſciens apprimè id omne, quod ſibi poteſt offerri ab hominibus, nihil eſſe penitus præter fumum & vanitatem; & maximum & eminentiſſimum honorem, quē poſſit ipſa prætendere, in hoc eſſe ſitum, ut ſerviat ipſa Deo, & proſternat ſe ante *pedes* ipſius, quod eſt perpetuum Seraphinorum d exercitium. d Iſa. 6. 2. & 3.

Sed ſicut perſuaſiones mundi fuerunt breves, ſuam agit caro perſonam, ut ipſam à conſilio ipſius deterreat. Mihi videor hanc intueri carnem ſeſe exhibentem Magdalenæ, ſecum duas ducentem mulieres, adoleſcentem unam, eximio decôre præditam, facie, pectore, & brachijs nudatis, calceos deferentem pretioſis ornatos lapidibus, & tandem prædivitibus indutam veſtibus, præ hac inſcriptione, Ego ſum deliciæ mundi. Altera erat ſenex, & deformis, ac ita extenuata, ut videretur imago mortis. Specioſa, quippe quæ antiqua ipſius comes, ipſam ſic alloquitur, Videturne tibi decôrū ut me in perpetuū deſeras? Generoſum cor, quale tuum eſt, potuitne formare ſic puſillanimum conſilium? Si vis tu me deſerere, ego tamen non te deſeram: Si conſortium meum tibi videtur inutile, tuum mihi valdè cenſeo proficuum: Non expedit ut præterire ſinas florentem hanc ætatem, quin voluptatibus fruaris conditioni tuæ licitis & conſonis: Ut quid enim natura tam præcellenti ornavit te decôre, niſi ut objectum eſſes quod intuerentur, & in quo complacerent ſibi omnes ii, qui tibi ſunt ætate & conditione conformes? Si autem ſolitudinem colere propoſuiſti tibi, expecta aliquandiu, nec ſpecioſum hunc ſinas marceſcere florem, priuſquàm ipſe dehiſcat, præſertim cùm non poſſis modò carnis impetus retundere. Oportet ut illa ſuum peragat curſum, perpetua indicet illa tibi bella, nec ullas tibi largietur inducias. Supplicio re verâ afficieris intolerando, ſi ſine intermiſſione dimicare cogaris cum illa, quæ eſt inſeperabilis à te. Nonne ſatius eſt ut fœdus æternum cum illa ineas?

Perfectiſſima remedia, quibus reſiſtat quis his perſuaſionibus carnis, ſunt conſiderationes mutationis atque metamorphoſis voluptatum & deliciarum ipſius, videndo quòd, licèt ipſæ primo intuitu aliquam præ ſe ferant ſuavitatem, tamen *noviſſima illius amara quaſi abſinthium* e. Quòd in e Prov. 5. 4. voluptate, ſi quis eam ritè perſcrutetur, dolores occurrant infiniti; quòd unicum momentum deliciarum in æternam præcipitet nos infelicitatem. Magdalena, quæ jam voluptatis fuerat experta fraudes, hæc omnia deſpexit. Intereà vetus illa mulier manum ipſius arripit, & ait ipſi; Magdalena quàm pravo adhæres tu conſilio, intuere faciem meam rugis ſulcatam, & ſcito, actionem quam jam aggreſſura es, effecturam te magis deformem, quam ſim ego modò; & ſervire Deo, ac propoſuiſti tibi, profligare pulcherrimam ætatem tuam, tolerare famem & ſitim, perpetuâ angi triſtitiâ, hæc omnia in unum & idem coincidere. Nonne re verâ fores cæca, ſi eligendi habens copiam, pejus aſſumeres, & ſi cùm poſſes carnem tuam vegetam conſervare, eam macerares & extenuares ad inſtar mei, quæ ab omnibus ideò deſpecta ſim? Cave ne homicida tui ipſius evadas; ipſa enim ſic fores inimica naturæ, & operum Dei. Magdalena has duas irridet mente captas mulieres, ſicut & earundem Dominam carnem, & dicens cum Salomone f, f Prov. 31. 30.
Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, utramque pedibus conculcat, ſicut & rationes, quas illæ ipſi allegant, ut prætenſum ab illis curſum ſequatur.

Videns tandem diabolus qui erat inſtigator mundi, & carnis, omnia ad nihilum redacta, proponit ſibi in propriâ venire perſonâ. Illum comitantur duæ mulieres apparenter prudentes. Harum una vocatur Perplexitas, quæ primò Magdalenæ ſic ait, Verum eſt, conſilia ardua fuiſſe ſemper notas animi generoſi, ſed è contrà non perpendere pericula in iis paſſim obvia, quis ambigat id non eſſe temeritatem? Quòd applicêris virtutis exercitio, quis id arguat? Conſiliis tuis annuo: Sed ſi credis è diſſolutâ, qualis eras, poſſe te ſtatim ſanctam evadere, id ſanè eſt præcipitatio animi. Si conſtaret tibi de perſeverantiâ, Ha! tolerandum profectò foret, ſi tramitem virtutis ſectari aggredereris; ſed hodiemâ die incipere, & craſtinâ à cœptis deſiſtere, hoc eſt deridere Deum, & homines. In rebus dubiis non eſt ſic velociter procedendum. Medicus aliquem curaturus ægrotum (ſi infirmus magnâ debilitate ſimul ac pleuritide laboret) perplexus manet, neſciens utrùm venam aperiendam ei perſcribat, aut non: Si aperiatur ei vena, peribit debilitate. Niſi mittatur ſanguis è venâ, dolore opprimetur: Conſidera utrum tibi minùs difficile ſit futurum, aut ut ſis amica mundi, aut Dei, ne, ſi interdùm ſervire velis iſti, & modò illi, ambos amittas. Ego autem tibi conſulo ut hanc rem ſeriò examines, ne parùm ſanæ mentis videaris compos.

Hæc omnia nihil profuerunt ad deterrendam Magdalenam à conſilio ſuo. Licèt enim ponderanda ſint alicujus actionis extrema duo; hoc eſt verum, quando utrimque aliqua apparet æqualitas: Sed inter corpus & animam, inter cœlum & terram, inter Deum & mundum quæ æqualitas poteſt inveniri? Sed ecce ſecunda mulier, quam mittit diabolus, ipſa eſt Hypocriſis, quæ videns non poſſe Magdalenam ab omnibus aliis deterreri, conatur eam retentare, prætexens reverentiam, quam debeat ipſa exhibere Chriſto: Audereſne Magdalena accedere ad Virum ita ſanctum eo apparatu, quem præ te fers, inſtructa? Ha! modeſtiùs induta illum debes adire; expecta donec hæc pretioſa depoſueris indumenta, donec è tuis ceciderit fucus genis, ut ſimpliciùs & humiliùs illi præſenteris. Aures obturat Magdalena his ſibilis ab antiquo ſerpente *g* inſpiratis; *ut cognovit*, accedit audacter ad Chriſtum. Obſervat S. Chryſologus *h* ob duas rationes Magdalenam fiducialiter acceſſiſſe ad Chriſtum. Primò non eſt auſa venire quandiu Chriſtus ſtabat. Secundò nec quandiu ſedebat; quia ſtans corripit, ſedens judicat; ſed venit quando diſcumbebat more Antiquorum, qui prandebant decumbentes, *Non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix: Deus cùm ſtat, corripit; cùm ſedet, judicat: proſtratis conjacet, cùm decumbit.* Non audebat illuc pergere ut corriperetur, aut judicaretur à Chriſto, ſed ut illum commoveret ad impertiendam animæ ſuæ peccatis laboranti ac decumbenti miſericordiam.

g Apoc. 12. 9
h S. Chryſol. ſerm. 93

Deinde, Acceſſit ipſa ad Chriſtum, *ut cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi.* Judicavit ipſa hoſpitem Chriſti fuiſſe leproſum *i*, Phariſæum, detractorem, invidum, & infenſum Chriſto, & hanc ex his eruit concluſionem; Ille qui non horret leproſum, non horrebit vulnera animæ meæ: Ille qui ſinit ſe invitari ab inimico ſuo, non dedignabitur invitari ab aliâ perſonâ, a quâ amatur ipſe magis, quàm ipſa ametur à ſeipsâ: Ille qui tolerat proditiones, faciliùs patietur infirmitates: Ille qui diſſimulat malitias, poterit quidem parcere ignorantiis: Et ille qui comedit cum peccatoribus & Phariſæis, non repellet eos, quos ſuorum pœnitebit peccatorum: Oportet igitur illum adire. Renunciatum eſt mihi, illum eſſe ſic mitem *k*, ſuavem, ac benignum; mihi verò ſufficit ſcire illum eſſe Deum, ut fatear inde illum eſſe ipſammet Bonitatem. Hæc intra me recogito: Aut ignoſcet mihi, aut vindictam de me ſumet; nihil enim agit quin ſit illud actus juſtitiæ, vel actus miſericordiæ †. Si corripiat me, ratio iſtius erit, quia me pœnâ dignam invenerit, & ſic queri non potero. Si verò mihi parcat, inde occaſionem fronte capillatâ arripiam miniſtrandi illi toto vitæ meæ tempore. Non ignoro Deum eſſe juſtum *l*, & peccatorem aut peccatricem tremore debere concuti coram ipſo: Sed aliunde æquum eſt ad illum recurrere, cùm peccatis offenſus eſt, & ab ipſo eorundem veniam ac indulgentiam expoſcere. Illum ideò adire intendo, & ingredi iſtam domum *Phariſæi*, quidquid dici debet de me, ſciens illum ibi me expectare.

i Matth. 26, 6
k Matth. 11. 29
† Pſal. 24. 11
l Pſal. 118. 137

Quàm ſapiens eſt Deus in conſiliis ſuis! Auditores. Id erat unicum medium, quo traheretur hæc peccatrix, ac illam expectare *in domo leproſi m*, & peccatoris. Si enim Chriſtus expectaſſet eam in domo Matris ſuæ; credidiſſet Magdalena illuc fuiſſe præbitum duntaxat acceſſum Virginibis. Si Dei Filius perrexiſſet in palatium ſuum cœleſte, ut ibi eam audiiſſet, intuita ipſa Angelos prope Dominum ſuum, exiſtimaſſet ipſa oportuiſſe eſſe Angelum, ut quis accederet ad Chriſtum. Sed *ut cognovit* illum peccatorum conſortio interfuiſſe, ſtatim ipſa intulit, quòd *venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat n.* Et ſtatim propoſuit ſibi illum adire. Audacter igitur hanc ipſa ingreditur domum, in quâ ſuam mutare debet vitam, & in bonam ſe recipere frugem; in illâ debet ipſa peccata ſua deflere, & eorundem veniam à Chriſto impetrare. Magdalena, quæ reſtitit omnibus inſultationibus inferni, mundi, & carnis, Auditores, docet nos modum procedendi in hujuſmodi eventibus, in quibus, veſtigiis ipſius inhærere debemus: & ſi debet amplecti ipſa *pedes* Domini, quos ſoli amplectuntur Angeli *o*, illos amplectens debet ipſa recipere magnam Filii Dei benedictionem cum gratiâ ipſius, ac gloriâ, quam vobis largiatur ſempiternam.

m Matth. 26. 6
n Luc. 19. 10
o Iſai. 6. 2

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo. Joan. 11. 50. &c.
Vel,
Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori. Joan. 19. 7. &c.

FIlius Dei triumphans excipi voluit die Palmarum ſacro *a* [a Matth. 21. 1. & 9], quem honorem tamen toto vitæ ſuæ renuerat tempore *b* [b Jo. 6. 15.]. Si verò vult ipſe mori tempeſtate ætatis ſuæ florentiſſimâ, extremum etiam vitæ ſuæ efflare vult halitum gloriâ circundatus ac honore. Cùm homo moritur ſenectute, infirmitate, & paupertate oppreſſus, infamiæ & dedecoris notâ inuſtus, vulgò dicitur ipſe ſpeciali Dei bonitate è miſerijs, quibus angebatur, eripi: Sed cùm prædives aliquis, & honore affluens ac gloriâ, intempeſtivâ morte abripitur, & deprehenditur ab ea inter *conſilia*, quæ ipſe cogitaverat, & *quæ non ſtabilire c* [c Pſ. 20. 12.] potuit, miſeretur unuſquiſque infortunij ipſius; imò verò ipſemet mortis anguſtias graviores experitur & acriores. Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus ut acriores & acerbiores experiretur ſuę mortis injurias, voluit triumphans ingredi Jeroſolymam, ut tranſiret ab extremo ad extremum, & deſcenderet ab altiſſimo honoris apice ad ultimum infamiæ gradum, ut teſtimonium nobis exhiberet, ſe allectum amore, quo nos proſequitur, libenti voluiſſe pati animo quidquid poterat tolerari. Ob eandem rationem voluit ipſe ut ſibi *pedes* ungeret Magdalena, ut *unguento d* [d Luc. 7. 38.] apertis poris, & emollito corio, acrius ſentiret caro dolorem infligendum a Judæis *pedes* † [† Pſ. 21. 17.] ipſius ſacros clavis terebrantibus. Propter eandemmet cauſam lethalibus mortis impetitus anguſtijs in horto Gethſemani, ejecit foras ſanguinem *e* [e Luc. 22. 44.], quem natura mittebat in ſubſidium cordis, ut pati poſſet quidquid poterat ſuſtineri.

Salvator noſter duo habuit Corpora, unum naturale, quod deſumpſit ipſe in viſceribus ſacratiſſimæ Virginis *f* [f Matth. 1. 20.]; alterum verò myſticum, quod eſt Eccleſia ipſius *g* [g Eph. 5. 22. & 23], quod majori proſecutus eſt amore, quam amaverit prius. Corpus naturale deſtinatum fuit ad pœnas & ad dolores; myſticum verò ad quietem & ad oblectamentum. Hoc eſt autem quod innuunt hæc verba, *Corpus autem aptaſti mihi* b [h Heb. 10. 5. &c. ex Pſ. 39. 7. &c]. Pater æterne; gratias tibi ago pro Corpore, quo me induiſti, eò quòd illud ſic aptaveris, ut tormentis ſit idoneum ſuſcipiendis, in quo eſt collum, cui infamia alligentur vincula *i* [i Matth. 26. 50.]; humeri, qui repetitis flagellorum diſcindantur ictibus *k* [k Jo. 19. 1. &c.]; brachia & pedes, quæ in cruce extendantur, & clavis perforentur. Nullas illi gratias agit, quòd dediſſet ipſe ſibi Animam beatam unitam Verbo in hoc Corpore, ſed tantùm quòd iſtud effeciſſet paſſibile, & ſupplicijs aptum excipiendis, quaſi verò dolores ac tormenta ipſi proficua futura eſſent Corpori naturali, ſicut utiles fuerunt fructus Paſſionis ſuę Corpori ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia. Ideò triumphans ingreſſurus Jeroſolymam, non ſumit ipſe *ramos*, ſed illi duntaxat qui ipſum *ſequebantur* * [* Matth. 21. 8. & 9], oſtendens hoc myſterio, tormenta & dolores reſervari ſibi ſoli, fructus verò Paſſionis ſuæ ac palmas hominibus aſſignanda. Virgo ſacratiſſima debet ſtare *juxta crucem Ieſu* l [l Jo. 19. 25.], ibique debemus ei dicere, *Eja Mater fons amoris*,

Obſervare licet in qualibet Republica benè morata & ritè conſtituta nullum unquam ad mortem damnari reum, etiamſi crimen ipſius ſit notorium, & teſtes qui teſtimonium adversùs ipſum perhibent, ſint fide digni, quin priùs juridicè procedatur in cauſa ipſius, in qua obſerventur omnes conſuetæ legum formulæ. Cauſa copiosè & prudenter inſtruitur; conſideratur qualitas criminis; perpenduntur pœnæ, quibus ſit illud plectendum; in re tanti momenti maturè proceditur, cùm in ea agatur de capite; pronuntiatur tandem ſententia à Judice; intereſt Advocatus, qui cum denunciatore reum accuſet; adeſt & alter Cauſidicus qui reo favet, quod illi non denegatur in extrema conſtituto neceſſitate; propinqui, affines, & amici illius cauſam ipſius curare poſſunt licitè, dummodò inde juſtitiæ juriſve integritati non officiatur; licet etiam Reo jam convicto, à Judice ſubalterno ac inferiori ad ſuperiorem Judicem appellare, donec ipſe perveniat ad Curiam ſupremam, & ad Judices ultimùm judicantes.

Cùm igitur locuturus ſim vobis de injuſta condemnatione Jeſu Chriſti, de ipſius captura, tormentis, & morte ignominioſa, priùs quàm de ſententia mortis ipſius decretum ferente, obſervemus omnes formulas veri & legitimi judicij; examinemus diligenter hanc legem, quæ ſic inſtanter mortem ipſius expoſtulat, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.* Etiamſi *Pilatus* † [† Jo. 19. 6. &c.], qui ipſius Judex eſt, ritè agnoſcat ipſius innocentiam, & omnia inquirat media, quibus hanc prædam è faucibus Judæorum quaſi luporum rabidorum eripiat, acceptis ſuorum ſuffragijs Aſſeſſorum, qui huic judicio interſunt, videns maximam illorum partem Chriſtum damnare, adversùs illum decretum mortis pronunciat. Sed ſicut accuſator habet Advocatum, æquum eſt ut reus habeat Cauſidicum, qui jus ipſius tueatur, liceatque propinquis, affinibus, & amicis ipſius cauſam ipſius curare, & ipſius innocentium exhibere. Si verò nihil proficiant, & damnetur ipſe primo judicio, liceat Reo Dei & Mariæ Filio appellare uſque ter, ut vitam ſuam faciat ſalvam, & ne moriatur.

Judæi veluti mente capti contentâ voce inclamant, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*. Scitis, Auditores, mundum hunc inferiorem à creatione mundi ipſius uſque nunc tribus varijs Legibus directum fuiſſe; Lege naturæ quæ duravit ab Adam *m* [m Gen. c. 4. & ſeqq.] uſque ad Noë, & à Noë uſque ad Moyſen; Lege ſcriptâ à Moyſe *n* [n Exo. c. 15. & ſeqq.], quæ incipit ex tunc quo filij Iſraël educti fuerunt ex captivitate Ægyptiaca, & ex tempore quo idem Moyſes in monte Sinai accepit decalogum, uſque ad Meſſiæ ſeu Verbi incarnati adventum *o* [o Gal. 4. 4.]; Lege tandem gratiæ fundatâ à Chriſto Domino *p* [p Jo. 1. 17], quæ duratura eſt *uſque ad conſummationem ſeculi* q [q Matth. 28. 20.]. In Lege naturæ mors Domini noſtri Jeſu Chriſti præſignata fuit, & varijs umbris *r* [r Gen. 4. 8.] præfigurata. In Lege ſcripta perſæpè fuit

ſExo.12. 5. illa prædicta s. In Lege tandem gratiæ fuit illa
executioni mandata. Oportebat igitur ut juxta
tres iſtas Leges moreretur , quia ſe Dei Filium
fecerat. Quidquid ſit, etiamſi Judæi Legem ha-
beant naturæ, Legem ſcriptam ſeu Legem Moy-
ſis, juxta quam Dei Filius morti tradendus eſt ;
& Lex gratiæ ſeu Lex Evangelica illius mortis
agat mentionem, illamque contineat , magnam
tamen Chriſto irrogant injoriam, illique præ a-
troci malitia ac pura calumnia nefandum attri-
buunt crimen, cujus ipſe non eſt conſcius , *Quia*
t Jo.19.7 *Filium Dei ſe fecit* t. Ipſe Dei Filium ſe minimè
u Pſ. 2. 7 effecit, ſed talis eſt ab æternitate u, & permanet
† Philip. 2.7 ipſe id quod erat, etiamſi aſſumpſerit id quod non
erat, *homo* † factus, Vadem ſe conſtituens in gra-
tiam noſtri, noſtra ſolvere ſuſcepit debita , dum
noſtra *peccata tulit* x; aggreſſus eſt opus redem-
x ex Iſai. 53.12. ptionis noſtræ, quod glorioſè non poteſt ipſe per-
ficere, ut in rigore juſtitiæ plenè ſatisfaciat Patri
ſuo æterno offenſo, niſi effundat ipſe Sanguinem
ſuum, & moriatur innoxius pro expianda reorum
culpa; amor ipſius, & miſericordia, quibus mo-
vetur erga infelicitates noſtras, ipſum efficiunt
apparenter conſcium criminum & Reum; ideò
Nos legem habemus , & ſecundùm legem debet mori.
Diviſio. Quod inducit me ut oſtendam vobis Primò Le-
gem naturæ, Deinde Legem ſcriptam, Denique
Legem gratiæ damnare Dominum noſtrum Je-
ſum Chriſtum ad mortem.

I. Pars. Ut obſerventur formulæ legitimi judicij, an-
tequàm quis damnetur ad mortem, petitur ordi-
nariè quid ſentiant Aſſeſſores qui illi interſunt,
ut nihil agatur quod adverſetur juri & æquitati
legum. Ideò in hoc judicio Legis naturæ idem
exercemus ; conſulimus omnes qui ei interſunt,
Judicem, Aſſeſſores, Accuſatorem, Reum, & Ad-
vocatos. In hoc judicio Judex eſt Juſtitia Divi-
na; Aſſeſſores ſunt Adam, Noë, Abraham, Iſaac,
Jacob, & Joſeph; Accuſator eſt Majeſtas Divi-
na graviter læſa ab homine; Inſtigator cauſæ eſt
ingens Charitas erga genus humanum; Accuſa-
y Matth 27.14 tus & Reus eſt Jeſus Chriſtus : Advocatus ipſius
eſt propria ipſius innocentia y. Concione iſtâ
igitur ſic congregatâ, ſedentibuſque in tribuna-
libus ſuis Conſiliarijs, Majeſtas Divina ſuas pro-
z Gē.3.6 mit accuſationes : Judex æquiſſime, non ignoras
injuriam mihi à natura humana irrogatam z,
quàm validè adverſetur illa honori meo , quem
voluit illa deſtruere gravitate criminum ſuorum;
a Eſth.13 9. non igitur ſine cauſa omnipotentia mea, cui ne-
mo *poſſit reſiſtere* a, inimicos meos morti b æter-
b Rom.5 12. næ tradidit , ut ſatisfacerent illi mihi modo ali-
quo , qui aliquam haberet cum gravitate culpæ
convenientiam. Non te latet Jeſum Chriſtum
Filium Dei Patris, & Virginis Mariæ ſe Vadem
conſtituiſſe in gratiam hominum, ſeque mihi ſa-
tisfacturum loco illorum proprij ſui Sanguinis ef-
fuſione pollicitum. Cùm igitur fidem ſuam in-
terpoſuerit in gratiam reorum, æquum eſt ut lo-
co illorum ſolvat, & patiatur quidquid alij in ſe
experiri tenebantur. Sic ſentit natura , & Lex
naturæ, & iſtud dictat ratio. Judica igitur num
æquum non ſit ut ille moriatur hâc eâdem mor-
te, quam ipſe eligere voluit, cùm ipſe cauſam &
rem hominum, qui erant Rei, cautam præſtiterit.
Advocatus Juſtitiæ Divinæ idem ſentiens , ad-
versùs Jeſum Chriſtum mira operabatur in gra-
tiam hominum. Inſtigator cauſæ eſt Charitas er-
ga homines, quæ allegabat, quòd, ſi *ſic Deus dile-*
c Jo.3.16 *xit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret* c
ob amorem ipſorum hominum, imò verò nec illi
ignovit, ut hominibus iiſdem faveret , & contra
illum omnia iracundiæ ſuæ vibravit tela, ne ullas
in poſterum in homines ſagittas haberet proji-
ciendas, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit , ſed pro*
nobis omnibus tradidit illum d, decreta Dei non de- d Rom. 8 31. & 32
bent mutari , ſed effectus ſuos ſortiri. Oportet
igitur, ajebat Charitas, ut Jeſus Chriſtus, qui eſt
Reus, moriatur , & vitam amittat in cruce me-
dius inter duos latrones : Alioquin enim amor
Dei Patris erga genus humanum , ſuum non ſor-
tiretur effectum , & promiſſis ſuis fideliter non
ſtaret; quod cogitari non poteſt ſine crimine, nec
ſine blaſphemia pronunciari.

Judex Juſtitia Divina præcipit Reo , ut ſuam
ipſe cauſam tueatur , ſuamque manifeſtet inno-
centiam, quò vitam ſuam faciat ſalvam. Sed heu!
ipſe tacet, *& non aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occi-*
ſionem e ductus; ipſe ſe nec accuſat, nec defendit. e Iſa. 53. 7.
Advocatus ipſius qui eſt propria ipſius Innocen-
tia, rogatur à Matre, & ab amicis ipſius, ut loqua-
tur in gratiam ejus, & illius tueatur jus. Non eſt
æquum, nec rationi conforme, ait ipſe, ut moria-
tur ille, qui nullius unquam fuit conſcius crimi-
nis, & qui neminem unquam offendit verbo, ſeu
operibus , *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt*
dolus in ore ejus f. Ideò Iudices cavete vobis; *Ma-* f 1.Pet.2 22. ex Iſa.53.9
nus veſtras ſervate innoxias g. Cavete ne ſanguis
innoxius adversùs vos ipſos clamet; *Alienus eris ab* g Gen.37 22.
innocentis cruore i. Ita Lex præcipit. Reus iſte
vobis præſentatus, qui eſt Filius Dei, & Mariæ, i Deut. 22.9
nullam rem unquam commiſit Legi naturæ ad-
verſantem, nec ideò morte dignam : Cur igitur
ad mortem damnabitur? Judex æquiſſime , &
vos Domini mei Conſiliarij, qui eſtis juris amici,
diſcedite ab hoc judicio mortis pronunciando ,
vel ſaltem innocentem declarate eum, qui vobis
quaſi Reus oblatus eſt. Advocatus partis adver-
ſæ loquens in gratiam hominum, quorum defen-
dit cauſam , Verum eſt, inquit , nec eo inficias,
Chriſtum innocentem eſſe, nec mori debere pro-
pter peccata ſua , cùm nulla unquam commiſe-
rit, ſed propter peccata hominum , quorum cau-
ſam præſtitit cautam, ſe Vadem pro illis conſti-
tuendo animo libenti : Moriatur igitur, non le-
ge Juſtitiæ, ſed lege charitatis; moriatur in cruce,
cùm eam elegerit , ſeque ſic moriturum Patri
ſuo pollicitus fuerit. Poſtulamus igitur omni in-
ſtantiâ poſſibili interpoſitâ ut areſtum mortis
pronuncietur adversùs Jeſum Chriſtum Filium
Patris æterni, & Mariæ Virginis.

Judex Juſtitia Divina auditis utrimque ratio-
nibus in medium allatis tam à Reo, quàm ab Ac-
cuſatore; ſeu potiùs tam ab Innocentia Rei, ipſius
Rei Advocato allegatis , quam ab Accuſatore
ſeu Majeſtate divina graviter ab hominibus læ-
ſa, inquirit ab Aſſeſſoribus ſuis, quid ipſi ſentiant
de re propoſita. Quid ais de iſta re Adam? Quid
tibi videtur de Jeſu? Debetne mori ſecundùm
Legem naturæ pro genere humano? Reſpondet
Adam, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet*
mori. Ego enim peccavi k, & peccando totum k Gen. 3. 6.
genus humanum diſſipavi, illud corrupi & vitiavi l Rom. 5. 12.
in radice l, comedendo fructum mihi prohibi-
tum ſub pœna mortis m. Ut repararetur igitur hic m Gen. 2 17.
defectus, & ut reſurgam ego una cum tota poſte-
ritate mea ab ejuſmodi lapſu, moriatur Chriſtus
ſuper infami crucis ligno. Ita ſentio, ait Adam,
ſententia autem mea Juſtitiæ Legi non adverſa-
tur.

Tibi

Tibi verò, Noë, quid videtur de hoc negotio? Opinariſne hunc innocentem dilectum Matris ſuæ damnandum ad mortem propter genus humanum? Mori debet omninò nudus, & veſtimentis ſuis ſpoliatus, ait Noë: Ego enim qui illius ſum figura, cùm plantaſſem *vineam; bibenſq; vinum, inebriatus, & nudatus in tabernaculo* o *meo jacuiſſem*, ideò illuſus fui à filio meo natu minimo: Cùm igitur hic verus Noë fuerit inebriatus vino amoris ſuæ electæ vineæ o, quam ipſe *plantavit* p, quæ eſt Eccleſia ipſius, *quam acquiſivit Sanguine ſuo* q; oportet ut ignominioſè moriatur in cruce, quò veritas conveniat cum figurâ, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*. Judici nondum ſatisfactum eſt, ipſe petit ab Abraham, utrùm hoc judicium quod damnabat ad mortem Mariæ Filium, ſit æquum. Abraham confirmat id quod ab alijs pronuntiatum fuit, unuſquiſque inſurgit in Innocentem, nemo ſtat è partibus illius. Mori debet, ait Abraham: Ego enim audivi vocem Dei præcipientem mihi r, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum, ſuper unum montium, quem monſtravero tibi*. Sic Pater æternus illi non parcet, prægrandi ductus amore, quo homines proſequitur, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* s. Tradatur igitur morti Dei Filius; hæc eſt opinio mea legi conformis, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*. Iſaac idem ſentit ac pater ſuus, & Dei Filium damnat *ad mortem, mortem autem crucis* †. Sicut enim ego, ait ille, morem gerens mandato Dei, jam jam immolandus, proprijs impoſitum humeris deferebam lignum, quo veluti holocauſtum eram comburendus; ſic debet ille crucis ſuæ lignum humeris impoſitum portare, in quo ipſe conſumendus eſt igne amoris ſui in monte Calvaria, in eodem loco (ut docet S. Auguſtinus, & S. Hieronymus t) in quo immolandus eram ut victima, niſi propitius mihi *Angelus manum* patris mei retinuiſſet.

n Gen. 9. 20. &c. o Jer. 2. 21. p Matth. 21. 33. q Act. 20. 28. r Gē. 22. 2. &c. s Rom. 8. 31. & 32. † Philp. 2. 8. t S. Hier. & S. Aug. l. 12. Civ. c. 32. citati à Cornel. in Gen. loco ubi ſuprà.

Jacob etiam eum damnat ad mortem, nedum à morte ſubeunda poſſit ille declinare: Nam ſicut ego à facie fratris mei Eſau fugiebam, inquit ipſe, *cùm veniſſem ad quendam locum, & vellem in eo requieſcere, &* lapidem ſuppoſuiſſem *capiti* meo, vidi *in ſomnis ſcalam, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam* u: Sic oportet ut Chriſtus erigat ſuper montem Calvariam ſcalam crucis, per quam aſcendentes peccatores attingere poſſint cœlum. Ut igitur tota huic myſterio lux afferatur, oportet ut Jeſus Mariæ Filius, etiamſi innocens, in patibulo crucis moriatur. Joſeph ultimus eſt Aſſeſſor, qui reſpondet Judici à ſe inquirenti quid hac de re ipſe ſentiat, ſe non poſſe diſcedere à ſententia Majorum ſuorum, avorum, & proavorum, quam ipſe confirmat, altâ voce pronuncians, Dei Filium & Mariæ debere mori. Sicut enim ipſe captus fuit, *& in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam*, miſſus à fratribus ſuis, ibique (ut ajunt aliqui) permanſit tribus diebus, & tribus noctibus; deinde venditus fuit *Iſmaelitis* x à fratre ſuo Juda (licèt bono fine, ne ſcilicet ipſe occideretur à fratribus, ut obſervat Severianus y) Ita Jeſus tradetur malo fine à Juda proditore z, capietur, ligabitur, in carcerem mittetur; & *tribus diebus & tribus noctibus* a jacebit in tumulo; *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*. Judex audita Aſſeſſorum ſuffragia approbavit, nulloque modo miſertus ſanctiſſimæ Matris ipſius uberrimis perfuſæ lacrymis, & immodico dolore affectæ, ſententiam mortis adversùs eum ſic tulit, *Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum, Deus homo factus pro ſalvandis hominibus, flagellatus, ſpinis coronatus, & nefandiſſime illuſus, peſſiméq; tractatus, in cruce, quam ſuiſmet humeris ad ſupplicij locum portabit, moriatur, pendens inter duos latrones.*

u Gen. 28. 11. & 12. x Gen. 37. 23. &c. y Severian. citat. à Cornel. in Gen. 37. 28. z Matth. 26. 47. &c a Matth. 12. 40.

Judex, qui præſidet huic judicio Legis ſcriptę, eſt Veritas divina; Conſiliarij ipſius qui huic ſanguinario interſunt judicio, ſunt Moyſes, David, Salomon, Iſaias, Jeremias, Daniel & Zacharias: Accuſator eſt Majeſtas Divina offenſa peccatis & ſceleribus hominum innumeris: Advocati utriuſque partis mirabilia operantur, Charitas in gratiam univerſorum hominum, & Innocentia Jeſu, erga eundem Jeſum Chriſtum ſic Patrem ſuum exorantem, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* b.

II. Pars. b Matth. 26. 39

Majeſtas Divina ſuas ſic incipit producere accuſationes; Juſte *Iudex* c & *verax* d, qui nunquam fallere potes, aut falli, judica, ſi placet, inter me & Jeſum Chriſtum Dei & Mariæ Filium, qui voluntariè pollicitus eſt ſe ſatisfacturum pro peccatoribus, & reſtituturum mihi gloriá meam ſui Sanguinis effuſione, moriendo in cruce: Teneatur igitur ipſe fideli mádare executioni quod ipſe promiſit. Charitas erga homines, quæ illorum cauſæ erat loco advocati pro ipſis interpellaotis, favebat Majeſtati Divinæ, dicens Judici, æquum eſſe ac rationi conſonum, juxta legem, ut id executioni mandaretur; *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Moriatur igitur Jeſus Chriſtus in patibulo, languentem vitam ſuam abſolvat in cruce: Amor Divinus hanc exigit mortem, hanc vult, hanc præcipit, nec ipſi ſatisfiet donec damnatus fuerit ille ad mortem, ac areſtum ejuſdem mortis fuerit executioni mandatum. Advocatus Jeſu Chriſti, propria ipſius Innocentia interceſſionis cauſas edit. Heu! Quomodo? inquit: Oportebitne ut ille qui fecit *cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur, Dominus omnium* e, immunis ab omni labe, nullius unquam peccari aut criminis conſcius, ipſa Sanctitâs moriatur, Innocens pro reis, perpetiatur mortem ignominiâ & dedecore æquè ac immodicis doloribus redundantem? Ut Dominus infami ſuffigatur patibulo pro famulis ingratis? Ut Creator interitum oppetat pro creatura? Nequaquam id æquum videtur: Judex ſupreme appello ad zelum tuum f, oimiâ viges ipſe æquitate, ut Innocenti jus non tribuas. Examina maturè copias ſacculares ac inſtrumentarias, & Rei liberationem ſtatim mihi polliceor. Lex Moyſis g vult & præcipit ut nemo damnetur, quin manifeſtâ ſit obrutus probatione: Jeſus eſt innocens: Pronuncia igitur ſententiam in gratiam illius, & tibi devincies Matrem ejus, & omnes Angelos famulos illius h.

c 2. Tim. 4. 8 d Matth. 22. 16. e Eſth. 13 10. & 11. f Joël 2 18. g Lev. 19 15. h Matth. 4. 11.

Auditâ cauſâ appellationis Jeſu Filij Dei & Mariæ à tribunali Legis naturæ ad veſtrum Legis ſcriptæ, peto à vobis Domini mei Aſſeſſores, Quid vobis de ea videtur? Quid ſentitis de hac appellatione? Tu verò Moyſes, qui dediſti hanc Legem i, quænam eſt ſententia tua? ait Iudex: Ieſus ſecundùm Legem tuam debetne mori? Ita

i Jo. 1. 17

ex-

expedit, Reſpondet Moyſes, *Noi legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.* Sicut enim ego ele-
k Num. 21.9 vavi ſerpentem in deſerto *k*, oportet etiam ut Filius Virginis elevetur in monte Calvaria: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari*
l Jo. 3. 14 *oportet Filium hominis* l. Tu verò David quid ais de hac re? Jeſus debetne mori in cruce? Reſpondet David quòd ſic, quòd oporteat illum in ea extendi, manus ejus ac pedes in illa clavis terebrari, & latus ejus lanceâ aperiri: Ego enim dixi in perſona illius, ait ipſe, Spiritu ſancto af-
m Pſ. 21. 17. & 18 flante, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea* m. Tu autem Salomon quid dicis de Filio Virginis? In patris mei ſententiam pedibus eo; prædixi enim pravum ac impium conſilium Judæorum adversùs illum, cùm omnes eſſent in unum congregati Pontifices, Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, ut mortem illius machinarētur, *Circumveniamus Iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, promittit ſe ſcien-*
n Sap. 2. 12, &c. *tiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat* n. Quid ampliùs? *Morte turpiſſimâ condemnemus eum.* Debet igitur mori juxta Legem noſtram: *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.*

Iſaia quid ſentis de Filio Dei ac Virginis? Suffragium ſuum exhibet, ſed Chriſto injurioſum: Ego dixi de illo, inquit: *Tradidit in mortem ani-*
o Iſa. 53 12. *mam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt* o. Debet igitur ille mori inter duos latrones, quippe qui apparenter videtur illorum maximè infamis. In eandem concurrit Jeremias ſententiam, cùm dixerit de illo, *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*
p Thren. 4. 20. *in peccatis noſtris captus eſt* p. Vita noſtra, quæ eſt Jeſus Chriſtus, capta eſt in criminibus noſtris, pro illis flagellata, & morti tradita. Sententię Collegarum ſuorum ſubſcribit Daniel, Quod enim, ait ipſe, prædixit Archangelus Gabriel de morte Meſſiæ, neceſſariò eſt eventurum; *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit*
q Dan. 9. 26. &c. *ejus populus qui eum negaturus eſt* q. Atqui tempus ab Angelo prædictum, elapſum eſt. Ut igitur compleatur Prophetia, oportet ut Meſſias morti tradatur à populo ſuo.

Rogatus tandem Zacharias ut dicat quid ipſe ſentiat; non ſecus ac alij ad mortē eum damnat: Cùm enim illum, ait ipſe, à longo tempore Spiritu Prophetico prævidiſſem, admiratione percitus petivi, *Nunquid non iſte eſt torris erutus de igne?*
r Zach. 3 2. & 3 *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis* r. Et de illo prophetavi, *Tu quoque in Sanguine Teſtamenti tui*
s Zach. 9. 11. *emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua* s. Ille erit veluti titio ex igne extractus; nam ſuorum comburetur igne tormentorum; ſordidis induetur veſtimentis, humanitas enim illius ita dirè excipietur, ut vix in poſterum agnoſcenda ſit, ullamque ampliùs præ ſe laturus ſit ille Dei Filius, hominis ſpeciem. Ut autem agnoſcatur, neceſſarium erit ut Pilatus contentâ voce inclamet, hunc eſſe hominem, cui vitam volunt Judæi
t Jo. 19. 5 eripere, *Ecce homo* t. Oportet ut ſuum fundat Sanguinem, cujus pretio redimat Patres in limbo detentos. Debet igitur ille mori, ut noſtrarum manifeſtetur veritas Prophetiarum, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.* Judex igitur, qui eſt Veritas divina, favens ſententiæ Aſſeſſorum ſuorum, ſententiam adversùs Ieſum ſic profert: *In cauſa appellationis à ſententia mortis in cruce Ieſu Dei & Mariæ Filio appetenda, decernimus & pronunciamus à priori Iudice benè judicatum, & à Reo invalidè appellatum, proinde æterno Divinæ Veritatis decreto idem Dei & Mariæ Filius Ieſus Chriſtus cruci morti deſtinatus eſt quo pronunciatum modo in cruce moriatur.* Quo pronunciato ſtatim miniſtri ſententiam mortis executioni mandare ſatagunt.

III. Pars. Sed Angeli, qui ſunt *miniſtri ejus* u ſacri, eâ-
u Pſ. 102 21. dem non ducuntur voluntate, vitam Domini ſui exquirunt, inſtanter operantur ut impediant ne Deus ſuus, & Rex ſuus moriatur. Sedente adhuc Iudice in tribunali ſuo, ipſi in nomine Regis ſui appellant ad Iudicem ultimùm judicantem, & ad tribunal ſupremum, quale eſt tribunal Legis gratiæ. Permittit Iudex ut ſuum juſtitia curſum peragat, & nihil fiat contra jus in re tanti momenti, in qua agitur de capite Viri, cujus magnificatur & ore pleno publicatur innocentia. Pergamus igitur, Auditores, cum Ieſu & cum Angelis, & attentè conſideremus formulas judicij, ut videamus qualem ſit exitum ſortiturum, & ad quid terminandum ſit areſtum. Iudex, qui præſidet huic judicio, eſt Divina Sapientia; Aſſeſſores ſunt S. Ioannes Baptiſta, S. Petrus, S. Paulus, & quatuor Evangeliſtæ S. Ioannes, S. Matthæus, S. Lucas, & S. Marcus. Articuli aggravantes in medium adducuntur a Parte appellante; quibus ut reſpondeatur, Divina Majeſtas repetit omnes accuſationes jam allegatas adversùs Ieſum Dei & Mariæ Filium, eas magis auget & inſtanter poſtulat à Iudice, ut proferat ſententiam æquitatis: Ipſa enim ait, *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: Gloriam meam alteri non dabo* x. Homo eripuit x Iſai. 42. 8.
mihi injuſtè gloriam meam; oportet ut neceſſariò ſatisfaciat mihi; ſatisfacere non poteſt quatenus purus homo; Ieſus homo Deus ſe Vadem conſtituit in gratiam illius, & cautam ejus præſtitit cauſam: Moriatur igitur, flagellis excipiatur, ſpinis coronetur, & cruci ſuffigatur veluti infamis, ut debitis ſuis ac obligationibus ſuis perfungatur.

Advocatus Partis adverſariæ Charitas loquens in gratiam hominum reſpondet, Cui bono tot verba? *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente; ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Oportet igitur ut in cruce moriatur, quò redimat genus humanum, & colligat & deducat *oves* ſuas errantes in *ovile* y Eccleſiæ ſuæ. Advocatus Ieſu è y Jo. 10
contrà inſtat ut ipſius manifeſtet Innocentiam. 16.
Perpendite, inquit, illius dignitatem, præeminentiam ejus qui adeſt, *Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio* z. *Quia* z Jo. 5. 22.
ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum a. Præſertim ipſe eſt innocens, & im- a Act. 10 42.
munis à crimine. Seriò igitur conſiderate quæ agere debeatis, & examinate maturè leges veſtras antequàm damnetis eum ad mortem ſic ignominioſam, & tantâ confuſione plenam, qualis eſt mors crucis, quæ vobis videtur ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, *Chriſtum crucifixum Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* b. b 1. Cor. 1. 23.

Judex ergo, ne aliquid munijs ſuis indignum, & contra Legem Dei moliatur, ut maturè procedat in re tanti momenti, petit à Conſiliarijs & Aſſeſſoribus ſuis quid ſentiant de re propoſita. Illos obſecro ut quid ipſis de hoc videatur negotio, ſincerè promant, quò judicium hoc à juſtitia & æquitate nullo ſit alienum modo. Quid igitur

hac

hac de re ſentis S. Joannes Baptiſta, qui es præcurſor Jeſu, quem digito demonſtras, dicens de illo, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* c? Quale eſt ſuffragium tuum? Debetne mori ille, qui nobis præſentatus eſt ut Reus? Reſpondet ipſe quòd ſic, cùm oracula, quæ illum præceſſerunt, mortem prænunciaverint illius, *Illum oportet creſcere, me autem minui* d. Creſcet ille, cùm elevabitur in crucem; diminuar autem ego, cùm præcidetur mihi caput. Tua autem S. Petre quænam eſt ſententia? Debetne Jeſus immunis ab omni pœna dimitti? Reſpondet ipſe audacter, Chriſtum, cùm ſit Agnus immaculatus, qui delet peccata mundi, pro ſalute hominum immolandum, *Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati* e. Jeſus igitur debet mori juxta decretum æternum Dei Patris. Tu verò S. Paule quid dicis? Reſpondet ipſe, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* f. Mori vult ipſe in cruce: Amor ipſius ipſi talem mortem oppetere ſuadet.

S. Joannes Evangeliſta ait, illum altâ voce proteſtatum ſe eſſe bonum Paſtorem, qui vitam ſuam prodigit in gratiam ovium ſuarum, *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* g. Verax eſt ille, cùm ſit ipſamet Veritas, ſicut ipſe aſſerit de ſeipſo, *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita* h. Debet ergo implere id quod ipſe promiſit. S. Matthæus ait abſolutè, illum debere mori, aſſerit enim quòd *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis* i. Ne igitur redemptio hominum impediatur, aliquodve obſtaculum promovendæ eorundem ſaluti opponatur, oportet ut Dei Filius, qui debet eſſe illorum *redemptio* k, ignominioſam æquè ac doloroſam perpetiatur mortem. S. Lucas dicit oportuiſſe ut Filius hominis traderetur in manus hominum, & cruci ſuffigeretur, & die tertiâ à mortuis ſuſcitaretur; ut pateretur, quò ſuam ingrederetur gloriam, illucque viam panderet Electis ſuis, ac animabus prædeſtinatis, *Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertiâ reſurgere, Oportuit Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriã ſuam* l. S. Marcus prædicit paſſionem Salvatoris, & mortem illius infamem iiſdem ferè terminis, quibus eam S. Lucas prænunciat: *Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertiâ die reſurget* m. Oportet igitur ut omnia compleantur oracula. Omnes tandem illum ad mortem damnant; nec ullus eſt ex Aſſeſſoribus Legis gratię, qui non dicat adversùs Ieſum, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.*

Iudex ergo auditis ſuffragijs ac ſententijs horum omnium Conſiliariorum & Aſſeſſorum Legis gratiæ, qui judicio capitali Ieſu Chriſti interfuit, viſis debitè ac maturè perpenſis omnibus atque ſingulis copijs ſaccularibus & inſtrumentarijs, hanc cauſam capitalem ultimùm judicaturus, ita ut nullus in poſterum relinquatur Reo appellandi locus ad aliud tribunal, areſtum pronunciat contra Ieſum Chriſtum Salvatorem mundi, tenoris ſubſequẽtis. *In cauſa mortis unigeniti Dei & Mariæ Filij Ieſu Chriſti per viam appellationis ad noſtrum tribunal devoluta, judicamus, & pronunciamus in priori inſtantia benè judicatũ, & non rectè appellatũ extitiſſe: Latam igitur in eum crucis ſententiam*

c Jo. 1. 29.
d Jo. 3. 30
e 1. Petr. 1. 18. & 19.
f Eph. 5. 2.
g Jo. 10. 11
h Jo. 14. 6
i Matth. 20. 28.
k 1. Cor. 1. 30.
l Luc. 24. 7. & 26
m Marc. 9. 30.

authoritate noſtrâ roboramus, approbamus, & confirmamus, ſeriò præcipientes, ut per conſtitutos Divinæ Iuſtitiæ miniſtros executioni quantocyus mandetur; ut omnis Lex, & Prophetia impleantur.

Heu! Auditores, miſereamur tædiorum, paſſionum, necnon & confuſionum Amatoris noſtri Ieſu; conatus omnes adhibeamus noſtros cum Angelis *pacis amarè* n flentibus, nitentes Deum noſtrum ac Regem è faucibus mortis eripere; devinciamus nobis, ſi poſſumus, ſacratiſſimam Virginem Matrem illius, reddentes illi dilectum Filium ſuum, vitam unicam animæ ſuæ, quam rabies Iudæorum ipſi eripuit, ut morte crucis ignominioſâ illum perimant. Auxiliemur Angelis ſalutaria ſibi proponentibus conſilia in gratiam Regis ſui ipſorum, ut manifeſtent illius innocentiam tam in judicio Legis naturæ, ac Legis ſcriptæ & Moyſis, quàm Legis gratiæ & Evangelij, etiamſi omnes ipſorum conatus ſint irriti, & ad nullam rem omnino proſint ei. Conſideremus Dei Filium voluntariè, & præ amore ſe Reum efficere, & mortem crucis pro nobis pati velle, & nihil aliud intendere triplici hâc ad mortem damnatione, niſi ut liberemur à morte æterna, quam repetitis iterùm atque iterùm ſceleribus meriti ſumus, reos ſupplicij nos conſtituentes ſempiterni.

Ha! quam alacriter pati debemus propter amorem Ieſu Chriſti, qui intra dies paucos cruci ſuffixus, queſturus eſt de ſuo Patre æterno, eò quòd ſibi ſatis non largiatur virium unde patiatur, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* o? Tunc dicet, *Sitio* p, ut oſtendat ſe ſuis inhiare paſſionibus. Poſt mortem verò ſuam ſtatuet ut aperiatur ſibi *lanceâ latus* q ſuum, ut inde pateat cor ſuum amore accenſum, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* r. Æquo igitur pati debemus animo id omne quod nobis ſeſe offert, ob amorem Chriſti. Cruces atem debemus accipere ac ſi ipſæ eſſent reliquiæ & particulæ veræ Crucis Ieſu Chriſti. Eas ſic vocare videtur S. Chryſoſtomus s explicans hæc verba Apoſtoli, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*, & dicens, *Non enim Paulus vult eſſe ſuas, ſed illius paſſiones, eos ipſi volens conciliare.* Id eſt, fideles, quaſi diceret, Adimpleo reliquias paſſionis Chriſti. Conſideremus quòd ſicut obviam procedimus alicui Principi, ut illum majori excipiamus honore, & teſtemur ei quanto viſitationem ipſius ducamus honori; ita cùm Deus ad nos mittit cruces, oportet ut eas æquo & alacri ſuſcipiamus animo, ſicut eas excipiebat Iob t, dicens, *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus*? Vel, *ſuſcipiamus*, ut fert verſio vetus; & libentiſſimo animo ea amplectamur?

Sed Salvator adorande quid dicam de te? Sed quid dicere potero de ardenti charitate tua, de hoc exceſſu amoris, qui te ſic ingenuè & amanter exponit infami & ignominioſæ morti crucis oppetendæ pro ſalute hominum procuranda? Potuiſſetne quidem Lex naturæ te ad mortem damnare, niſi ipſe mori voluiſſes? Nequaquam contra te poterat illa areſtum mortis pronunciare. Nullâ adversùs te vigebat Lex Moyſis ſeu ſcripta poteſtate, niſi tu temetipſum obtuliſſes ad mortem ſuſtinendam. Lex gratiæ capitalem ſententiam contra te ferre non poterat, ſi mortem oppetere noluiſſes. Nihil tibi erat formidandum dulciſſime Ieſu. Tu terribilis eras ille *Leo de tribu Iuda* u. Ideòque omnia infenſiſſimorum tibi hominum irrita facere poteras conſilia.

n Iſa. 33. 7.
o Matt. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
p Jo. 19 28.
q Jo. 19 34.
r Cant. 8. 6.
s S. Chryſoſt. hô 4 in Epiſt. ad Coloſſ. 1. 24.
t Job 2. 10.
u Apoc. 5. 5

Tu temetipſum morti tradidiſti; Amor ipſe tuus adverſùm te ſententiam tulit capitis, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* x. Ha! Auditores, quo amore hunc Amorem compenſabimus? Ipſe exceſſu diffluit, pervênit ipſe ad ſuum maximum quod ſit, eòque evectus eſt ſublimitatis ut non detur ipſi plùs ultrà progredi. Ingrati ſemper animi labe notabimur, nedum illi debitas gratiarum rependamus actiones, cùm omnes vires noſtras ac conatus noſtros longè excedat. Agamus, agamus, Auditores, id, quod in nobis erit, & ei ſic ſatisfiet. Cùm igitur Redemptor mitiſſime te libenter morti pro nobis oppetendæ obtuleris, largire nobis, obſecramus te, ut digni efficiamur ſalutaribus Paſſionis tuæ fructibus, & amanter patiamur ob Amorem tuum omnia hujus vitæ incommoda, adhærentes in omnibus & ubique veſtigijs tuis, quæ viam nobis pandent ad regnum, quod acquiſiviſti nobis pretioſo Sanguine tuo, quod non eſt aliud niſi gloria Beatorum ſempiterna.

x Iſa. 53. 7.

DE PASSIONE DOMINI PRO DIE VENERIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.
1. Cor. 1. 23.

CUm propter peccatum hominis Iuſtitia Divina non velit ſatisfactionem minorem ſatisfactione mortis Dei, vel omnium hominum ſimul, oportet ad ſalvandos homines ut idem Dei Filius moriatur. O dies ſanguinolenta! ô dies terribilis! ô dies formidabilis! ô dies triſtiſſima omnium dierum! ô dies mortis Filij Dei! ô dies quâ Dei Filius eſt in cruce! ô dies quâ anima ſua benedicta egreditur è corpore ſuo! Sicut enim columba exivit ex arca Noë a poſt aquas diluvij univerſalis; ſic anima Salvatoris innumeris anguſtijs & doloribus impetita, poſt diluvium ſanguinis effuſi, & infinitatem tormentorum, egreditur amorosè è corpore ſuo. O dies doloroſa! ô dies plena felle & amaritudine, quàm contraria es illi diei, de qua dicitur, quod poſtquam *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ & factus eſt homo in animam viventem, poſuit eum in paradiſum voluptatis* b. Ut frueretur ibi omni genere deliciarum: hodiernâ verò die homo trahit Filium Dei ex horto olivarum, ut ducat illum *in eum, qui dicitur Calvariæ locum* c, crucifigendum. Hæc eſt dies, quâ iſte *Deus dilectionis* d, inſtituit hominem Principem totius orbis, dans ei dominium omnium creaturarum, ſicut ait ipſi Pſalmiſta e, *Domine Dominus noſter, quid eſt homo quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominùs ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas: inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* Et Dionyſius Carthuſianus f, *Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aſſumendo naturam humanam pro eo? aut filius hominis, id eſt, quilibet de genere Adæ: quoniam viſitas eum, non ſolùm ſpiritualiter per gratiæ infuſionem, ſed etiam corporaliter poſt incarnationem inter homines converſando, quemadmodum Baruch* g *dicit, Qui ſecit ſtellas, hic eſt Deus noſter, & poſt hæc in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt? Minuiſti eum paulominùs ab Angelis, id eſt, tam vehementer hominem ſublimaſti per beneficia iſta prædicta, ut videatur quaſi Angelis parificatus, & parùm diſtans à dignitate ipſorum: & hoc clariùs probat, Gloriâ, inquiens, & honore coronaſti eum, id eſt, feciſti eum ſpectabilem, & honorabilem in mentibus Angelorum: ex hoc enim quòd Deus ita viſitavit, & benefecit hominibus, Angeli ſancti reputant eos dignos gloriâ & honore, & diligentiùs eos cuſtodiunt, reverentialiſq; ipſis miniſtrant. Et conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum. Omnia enim elementa & mixta condidit Deus propter nos, ordinavitq; ea ad noſtram utilitatem, neceſſitatem, & uſum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: non ſimpliciter omnia, ſed omnia, de quibus ſubjungitur, Oves & boves univerſas, & cætera: non quòd omnia iſta cunctis hominibus ad nutum obediant, nullaq; noceant: ſed quoniam homo naturaliter dignior eis eſt, quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus eſt* h. Homo verò in actionem gratiarum pro hujuſmodi beneficijs, Deum ſuum cruci ſatagit ſuffigendum, *& cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à ſiniſtris ejus* i. Quaſi verò ipſe eſſet eorum Dux.

a Gen. 8. 11.
b Gen. 2. 7. & 15
c Jo. 19 17. &c.
d 2. Cor. 13. 11.
e Pſ. 8. 2. &c
f Dion. Carth. in Exp. lit. Tropol. Pſ. 8. 5. &c
g ex Baruch 3. 35. &c.
h ex Gen. 1. 27. & 9. 6
i Marc. 15. 27.

Vidiſtis nuper verum *Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater ſua* k, & indutum *purpura* l veluti veſte nuptiali. Videbitis eum hodie celebrare diem nuptiarum ſuarum cum Eccleſia Sponſa ſua ſuper cubili crucis: aſpicietis eum agere nuptias ſuas, ſed nuptias ſanguinolentas, in quibus non audiuntur, niſi ſuſpiria, & lacrymæ. *Mos increvit in Iſraël, & conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor* m. Quæ innocens ſacrificata fuerat. Animæ Chriſtianæ, vos eſtis iſtæ piæ filiæ Iſraël, quæ huc conveniſtis hodie ad flendam mortem famoſæ iſtius filiæ Jephte, id eſt, humanitatis ſacræ Jeſu Chriſti, quæ *peccatum non fecit* n, & quæ innocens immolata eſt ſuper monte Calvariæ: plorate ergo filiæ Iſraël hâc die dignâ lacrymis, quâ vobis *prædicamus Chriſtum crucifixum*. Flete die iſtâ, quâ pro materia totius iſtius diſcurſûs nihil annunciabo vobis, niſi crucem, clavos, & tormenta, ſi Spiritus ſanctus mihi vires provideat ad hæc vobis exponenda, interventu B. Virginis afflictæ, & ſtantis *juxta crucem Ieſu* o, quam ſalutabimus ibi cum Eccleſia, *Eja Mater fons amoris.*

k Cant. 3 11.
l Marc. 15. 17.
m Judic. 11. 39. & 40.
n 1. Petr. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
Propoſitio.
o Jo. 19 25.

S. Gregorius p tractaturus de lacrymis Mariæ Magdalenæ, ſermonem ſuum à terminis iſtis exorditur, *Cogitanti mihi de Magdalena pœnitente, flere magis lubet, quàm aliquid dicere.* Ego verò locuturus de paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, potiori jure mihi videor dicere poſſe, *Cogitanti*

mihi

p S Greg. hom. 33. in Evang. Luc. 7. 37.

mihi de Christi paſſione flere magis lubet, quàm ali-
q Job. 2. 7. &c. *quid dicere.* Scriptura ſacra refert, quod, cum *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio: audientes tres amici Iob omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo, Eliphaz Themanites, & Baldat Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur. Cùmque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Quis autem erit ille, qui profitens amare Filium Dei, videns eum extenſum in medio crucis, coronatum *ſpinis*, æquè ac flagellis diſciſſum, manus habentem clavis perforatas, &
r Jo. 19. 1. &c. pedes terebratos, *lanceâ latus r* apertum, vultum ſputis fœdatum, & totũ corpus ſanguine cruentatum, mori ignominioſè ſuper patibulo *pro*
s 1. Pet. 3. 18. *peccatis noſtris*, non ſtupebit, non tremet, & non permanebit mutus, nedum poſſit ullum verbum proferre?

t Iſa. 53. 1. &c. Iſta perpendens Iſaias *t*, veluti extra ſe rapitur, & præ ſtupore contentâ voce inclamat, *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus,* &c. Et Pintus
u Pintus in Iſa. 53. 1. & 2. *u* poſt eum, *Quis credidit auditui noſtro? & brachiũ Domini cui revelatum eſt? Quaſi dicat: Nos Domine, annunciabimus Evangelium omnibus hominibus: at quis credet verbis noſtris? Pauci erunt qui nobis fidem adhibeant. Et brachium Domini, hoc eſt, Chriſtus, cui revelabitur? Quàm pauci intelligent Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem, ſummum generis humani Conditorem, & Salvatorem, qui ut nos ex inextricabilibus erroribus, cæciſq; tenebris in veritatem ac lucem vendicaret, & ad beatitudinem ſempiternam tãdem adduceret, mortuus eſt in cruce, indigniſſimis contumeliis affectus, & inhumaniſſimè vulneratus. Quomodo igitur illi, qui ſolùm judicio humano nituntur, credent eum eſſe Deum, qui fuit inter homines deſpectus, caſus, flagellatus, & in cruce tandem occiſus, niſi illis fuerit per Spiritum ſanctum fides infuſa? Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus. Ille omnium pulcherrimus, de quo di-*
x Pſ. 44. 3. *citur in Pſalmo x, Speciosus formâ præ filiis hominum: Diffuſa eſt gratia in labiis tuis: de quo in Can-*
y Cant. 5. 10. *ticis y Sponſa, Dilectus (inquit) meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: fuit pro nobis percuſſus, flagellatus, vulneratus, & conſputus, & uſque adeò deformatus, ut non haberet ſpeciem neque decorem. Voluit ſummus ille Deus, qui naturam univerſam immensâ virtute ſuâ coërcet & continet, ut à nobis perniciem averteret, indigniſſimas contumelias pati, inauditas contumelias accipere, crudeliſſimis flagellis percuti, duriſſimis clavis cruci affigi, ſpineâ coronâ coronari, & in ligno tandem ſuſpendi & mori, quod mortis genus erat tunc infame & ignominioſum. Et cùm ſpinea corona totum ejus caput undique transfigeret, currebat ſanguis per ejus faciem, quæ cùm eſſet alapis cæſa, & ſputis coinquinata, & tota cruentata & percuſſa, nullum habebat penitùs decorem. Quod intuens animi oculis Propheta, in hæc triſtia ac flebilia verba prorupit: Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus. Ac ſi diceret: Ego mentis oculis vidi Chriſtum in cruce pendentem adeò deformatum, ut non videretur homo. Hoc intuens*
z Pſ. 21. 7. *David z, faciebat ipſum Chriſtum ita loquentem: Sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.*

Jeremias *a* non minori ſtupore percellitur, a Jer. 30. 6.
cùm admirans quòd Deus moriatur in cruce, ſic loquitur; *Interrogate & videte ſi generat maſculus. Quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum quaſi parturientis, & converſæ ſunt univerſæ facies in auruginem?* Super quod ait Lyra- b Lyran. in Jer. 30. 6.
nus *b*, *Connumerat ſe Dominus Chriſtus fidelibus ſuis paſſuris, eo modo quo dixit, Saule, Saule quid* c Act. 9. 5.
me perſequeris c? Interrogate & videte ſi generat maſculus. Hìc accipitur generare pro parere. Unde in Hebræo habetur, Si parit maſculus. Et per hoc annuitur anxietas & anguſtia futura Chriſti fidelibus. Ideò ſubditur, Quare ergo vidi omnis viri, id eſt, cujuſlibet Chriſtiani quantùmcumque fortis & firmi manum ſuper lumbum, &c. modus enim mulieris parturientis eſt ponere manus ſuas ad lumbos ſuos. Et converſæ ſunt univerſæ facies in auruginem, id eſt, in colorem deformem præ anguſtia & timore. Id ergo quod Lyranus exponit de membris, nos potiori jure poſſumus applicare Capiti, quod Doctor iſte membris connumerat cum Propheta, *Quia membra ſumus corporis ejus d, & ipſe eſt Caput corporis Ec-* d Ephes. 5. 30.
cleſiæ e. Secundùm hoc Jeremias videtur in ſpiri- e Coloſſ. 1. 18.
tu prævidiſſe dolores, quos Meſſias ſignificatus per iſtud verbum, *omnis viri*, tolerare debebat die ſuæ paſſionis in cruce, ut nos parturiret, & nos redderet filios ſui Patris æterni. *Cùm parturiret Rachel, egrediente animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei. Mortua eſt ergo Rachel f.* Quàm potiori f Gen. 35. 17. &c.
jure vocari poſſumus nos Benoni, id eſt, filii dolorum, cùm Rachel, id eſt, ſacra humanitas Domini noſtri Ieſu Chriſti mortua ſit partu, parturiendo nos Patri ſuo, & reddendo nos filios Dei, cum doloribus ſic immodicis ut reliquerit ibi vitam. Iſte eſt partus, qui mutavit etiam faciem ejus, & flaveſcere fecit illam, ſicut dicere poſſimus, pauliſper immutando verba Ieremiæ, *Converſa eſt facies ejus in auruginem.*

Si petatis à Sponſa, *Qualis eſt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* Ipſa reſpondebit vobis, ſicut jam ſuprà dixit, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus ſicut elatæ palmarum. Oculi ejus ſicut columbæ. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia illius lilia diſtillantia myrrhã primam g.* &c. Sic Amans ſacra laudat pulchritudi- g Cant. 5. 9. &c.
nem Sponſi ſui, percurrens omnes partes corporis illius. Sed ceſſa laudare eũ, Sponſa ſacra: Sponſus tuus nõ eſt ampliùs ſic pulcher ut illum nobis repræſentas. Tu vero Pſalmiſta *h* noli ampliùs h Pſ. 44. 3.
dicere, ſicut dicebas ſuprà de eo, *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Re autem verâ ampliùs *non eſt ſpecies ei, neq; decor. Et vidimus eum virum dolorum,* ait Iſaias *i*. Et poſt eum Pintus *k*, *Oſtendunt hæc* i Iſa. 53. 2. & 3.
Chriſtum eſſe verum hominem, & multis ac acerbis k Pint. in Iſa. 53. 3.
doloribus cruciatum. Ipſe enim de ſeipſo ait: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem l. Non enim in corpore ſo- l Matth. 26. 38.
lùm, ſed in anima etiam dolores ferebat, & non ſolùm ſuos, ſed Matris ejus. Erat triſtis mater juxta crucẽ in m ex Jo. 19. 25.
doloribus transfixa, & quot vulnera erant in corpore Filii diſperſa, tot erant in anima Matris conjuncta, ita ut doloris gladius ejus animã pertranſiret n, quem- n ex Luc. 2. 35.
admodum illi fuerat à Simeone prædictum. Gladius qui carnes occideret viſus eſt ſæpè, ſed qui animam cruentaret & transfigeret, ſolus hic viſus eſt. Lancea, quæ latus Filii aperuit o, animam Matris o ex Jo. 19. 34.
percuſſit, & omnes ſanguinis flurii, qui ex venis Filii exibant, viſcera Matris penetrabant. Et

Digitized by Google

quoniam Chriſtus utramque anguſtiam, & ſuam, &
Matris ſentiebat, vir dolorum meritò appellatur. Sed
illud eſt intelligendum, Chriſtum Deum noſtrum non
ſolùm dolere vulnera, quibus erat ſuum corpus con-
foſſum, ſed etiam ulcera, quibus erat ſaucia anima
peccatorum: non eorum tantùm ſuos dolores, ſed etiam
p ex Iſa. 53.4. *noſtros portabat* p. *Et peccando ſcelerati homines il-*
li dolores augebant: quemadmodum ipſe dicit in Pſal-
q Pſ. 68. 27. *mo* q. *Et ſuper dolorem vulnerum meorum addide-*
runt. Lege totam Scripturam, neminem invenies,
quantùm memini, qui præter Chriſtum vir dolorum
appelletur. Solus Chriſtus vir dolorum appellatur.
r ex Gen. 4.8 *Fuit Abel afflictus à Caino* r, *Iſaac ab Iſmahele* s, *Ia-*
s ex Gen. 21.9. *cob ab Eſau* t. *Ioſeph à propriis fratribus* u, *David à*
t ex Gen. 27.41. *Saule* x, *Elias à Iezabele* y, *& fuerunt multi alij*
u ex Gen. 37.11. *magnis doloribus preſſi, & in acerbiſſimis calamitati-*
x ex 1. Reg. 18 25 *bus verſati* z. *Sed inter omnes ſolus Chriſtus vir dolo-*
y ex 3. 19. 2. *rum appellatur, quoniam illi ſuos dolores ferebant,*
z ex He. 11.33. &c. *Chriſtus verò ſuos, & omnium.* Iſte partus igitur ſic
eum deformavit; iſti dolores immodici, quos
pertulit ſuper cubili crucis ad nos parturiendos
æterno Patri ſuo, eripuerunt ei omnem pulchri-
tudinem ſuam. Propterea ſtupore percitus Jere-
mias dixit ſupra, *Interrogate & videte ſi generat*
maſculus.

Sed quid mirum ſi Prophetæ & homines ſtu-
pore percellantur, cùm vel ipſi Angeli & Cheru-
bini ſeipſos intueantur adinvicem præ admira-
tione, videntes Dei Filium extenſum ſuper infa-
me patibulum crucis? Non ſine myſterio *locutus*
eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Arcam de lignis ſetim
compingito. Facies & propitiatorium de auro mun-
diſſimo. Duos quoque Cherubim aureos, & productì-
les facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit
in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus pro-
pitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes
oraculum, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in pro-
a Exod. 25.1. &c *pitiatorium, quo operienda eſt arca* a. En una è fi-
guris, quas ſacra Scriptura nobis præbet ad re-
præſentandum myſterium crucis: ubi per li-
gnum arcæ fœderis figuratur nobis ſignum cru-
cis: & per propitiatorium compactum ex auro
puriſſimo ſignificatur nobis Jeſus Chriſtus, *quem*
propoſuit Deus propitiationem in ſanguine ipſius, ait
b Rom. 3 25. S. Paulus *b*. Ubi, ſi placet, eſt obſervandum, quòd
in Textu Græco legitur *ἱλαστήριον*, id eſt, *propitia-*
torium, ad ſignificandum, quòd Dominus noſter
erat hoc verum propitiatorium extenſum ſuper
lignum crucis, ſicut propitiatorium erat expan-
ſum ſuper arcam; & quod ille *qui ſedebat in throno*
c Apoc. 21.5. *c* Dei inter Cherubinos, futurus eſſet admirabili
modo *propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris*
d 1. Jo. 2. 2. *autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* d. Et quòd
crudeliter extenſus ſuper infame patibulum cru-
cis in monte Calvariâ, ſicut propitiatorium erat
elevatum ſuper lignum arcæ fœderis; tenturus
eſſet non ſolùm Cherubinos in admiratione, ſed
etiam omnes hierarchias ſpirituum beatorum
ſtupore perculſurus eſſet intuitu ſpectaculi ſic in-
uſitati. Et hoc eſt quod nobis innuunt iſti duo
Cherubini ex utroque propitiatorij latere ſic
poſiti, *ut reſpiciant ſe mutuo verſis vultibus in*
propitiatorium. Id eſt, in ſilentio, veluti præ ſtu-
pore.

Prophetæ prævidentes duntaxat ſpiritu hanc
doloroſam paſſionem, hanc crucem ignomi-
nioſam, ſuper quam Dominus noſter extenden-
dus erat die funeſtâ mortis ſuæ, velut extra ſe ra-
pti fuerunt præ ſtupore & tremore: Angeli &
Cherubini non poſſunt ferè ſe ipſos invicem in-
tueri, veluti admiratione ſtupentes: ſed quid? an
noſtrum *cor indurabitur tanquam lapis, & ſtringe-*
tur quaſi malleatoris incus e? Eritne poſſibile ut e Job 41. 15.
videntes hodiernâ die Dominum noſtrum Jeſum
Chriſtum extenſum probroſè ſuper infame pati-
bulum crucis in fronte montis Calvariæ, ut e-
mittat ibi *ſpiritum* f, moriaturque ad dandam f Jo. 19. 30.
nobis vitam *pretio magno* g totius ſanguinis ſui,
quem effundit ibidem ad ultimam uſque gut- g 1. Cor. 6. 20.
tam; & ad nos eruendos interventu redem-
ptionis iſtius à ſervitute diaboli, *quâ liberta-*
te Chriſtus nos liberavit h; non exeamus è no- h Gal. 4. 31.
bis ipſis præ admiratione & ſtupore? Et
id, quod plùs augere debet admirationem
noſtram, & ſtuporem noſtrum, eſt videre
illum pati tot dolores & tot tormenta pro ſcele-
ſtis, ingratis, peccatoribus, viperis & ſerpentibus:
Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros
ipſe portavit, ait Iſaias *i*. Et poſt eum Pintus *k*. i Iſa. 53.4
Senſus eſt: Nullam culpam admiſerat Chriſtus Deus k Pint. in Iſa. 53.4.
noſter, ob quam ſupplicium mereretur. At voluit pro
nobis pati, ut à nobis debitam peſtem arceret. Languo-
res noſtros, non ſuos, hoc eſt, peccata noſtra ipſe tulit,
& dolores noſtros, id eſt, ſupplicia, quæ pro ſceleribus
noſtris merebamur, ipſe portavit. Et hoc non ficte, non
imaginariè, ſed verè. Pro eo quod hic ait Iſaias, Lan-
guores noſtros ipſe tulit, ait S. Petrus l, *Peccata* l 1. Pet. 2 24.
noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Ubi
vides peccata eſſe animi languores, & infirmitates,
quas Chriſtus pro nobis tulit. Sub hac autem figura
ſerpentium & beſtiarum immundarum, Deus
nos repræſentavit S. Petro, cum *cecidit ſuper eum*
mentis exceſſus: & vidit cœlum apertum, & deſcen-
dens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor
initijs ſubmitti de cœlo in terram: in quo erant om-
nia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœ-
li. Et facta eſt vox ad eum, Surge Petre: occide, &
manduca. Ait autem Petrus, Abſit Domine, quia
nunquam manducavi omne commune & immundum.
Et vox iterùm ſecundò ad eum, Quod Deus purifica-
vit, tu commune ne dixeris m. Et hoc eſt etiam m Act. 10 11. &c.
quod Judaicas S. Joannes Baptiſta *dicebat ad tur-*
bas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo, Genimina
viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et Hiſtorici n Luc. 3. 7. & 8
referunt quòd Perſæ celebrabant aliàs feſtum
quoddam, quod ipſi vocabant mortem vitij, in
quo pro ſolemnitate ſua cuſtodiebatur hæc ce-
remonia, ut occiderentur multæ viperæ, & ſer-
pentes. Hodie eſt feſtum mortis vitij & pecca-
ti, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat*
peccatum, & deleatur iniquitas, occidetur Chriſtus
o. Sed illi populi occidebant ſerpentes, qui re- o Dan. 9. 24. & 26.
præſentabant homines vitioſos, & vitam ſalvam
faciebant hominibus: ſed hic è contra ad cuſto-
diendam vitam ſerpentibus & viperis, traditur
in mortem, & cum ſceleratis p *reputatur* Deus & p Iſa. 53 12.
homo ſimul, non ſecus ac ſi ipſe eſſet ſerpens. Re
autem verâ ſi perſcrutari velimus attentiùs Scri-
pturam ſacram, reperiemus quòd Dominus no-
ſter eſt ſerpens, & quòd hodiernâ die eſt feſtum
mortis vitij, ſeu hominum vitioſorum. Ipſemet
hoc confitetur, cùm ait, *Sicut Moyſes exaltavit*
ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium
hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat,
ſed habeat vitam æternam q. Ut iſtud intelliga- q Jo. 3. 14 15.
tur, eſt obſervandum, quòd aliàs in deſerto Iſraë-
liticum *tædere cœpit populum itineris ac laboris: lo-*
cutuſque contra Dominum & Moyſen, ait, Cur edu-
xiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine?

da-

deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur x. En figura, quam nobis Deus dare voluit ad repræſentandum nobis myſterium ſanguinolentum crucis, in quam fuit elevatus in monte Calvariâ ſerpens myſticus Filius Dei, qui jacturâ vitæ ſuæ, & effuſione ſanguinis ſui liberat à morte æternâ omnes illos, qui percuſſi à ſerpentibus ignitis peccati, intuentur ipſum in cruce corde contrito & affecto compaſſione. Hoc eſt ergo quod Dominus noſter ſignificare volebat, cùm dicebat, *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Id eſt, in crucem, veluti ſerpentem myſticum. Sed pro quibus? Pro viperis, pro ſerpentibus, & pro impiis.

x Num. 21. 4. &c.

Illud eſt quod ſtupore ciet homines, & admiratione percellit Angelos & Cherubinos ſic ingenti ut ſeipſos mutuò reſpiciant admirantes. Hoc ipſum eſt, quod inducit Iſaiam ſ ad exclamandum, *Ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo. Appellat hoc in loco Iſaias opus Dei miſereri, opus autem alienum ab eo iraſci & punire*, ſubdit Pintus t. Opus ſanè inuſitatum, cùm is, de quo ait Job u, *Ecce cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus*, & alibi x, *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem*, nunc fiat ut immundum ſterquilinium, ſuper quod projicitur omnis abominatio mundi. Non eſt in mundo quidquam abominabilius peccato, & illud eſt quod Pater æternus punit in perſonâ Filii ſui, dicens, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* y. Cùm projecta fuerint omnia peccata hominum ſuper humeros illius, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* z. Sed id quod intellectus humanus, imò verò Angelicus concipere non poteſt, eſt videre, quòd ille qui benedicit *terram ſuam, id eſt, omnium Electorum Eccleſiam, dando ei ſalutem & gratiam*, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus a poſt Pſalmiſtam, *cum ſceleratis reputatus eſt*, ait Iſaias b. Et S. Paulus c, *Factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quòd ſi ſcriptura ſacra non uteretur terminis iſtis, hoc eſſet impoſſibile creditu: nec ulla lingua valeret iſtud exprimere. Ideòque jure merito dicebat præfatus Iſaias d, *Quis credidit auditui noſtro?* Et hoc eſt etiam quod inducit Angelos ad ſe mutuò reſpiciendos veluti præ admiratione & ſtupore.

ſ Iſai. 28. 21
t Pint. in Iſai. 28. 21
u Job 15. 11
x Job 4. 18
y Iſai. 53. 8
z 1. Petr. 2. 24. ex Iſai. 53. 4
a Dion. Carth. in Pſ. 84. 2
b Iſai. 53. 12
c Gal. 3. 13 ex Deut. 21. 23
d Iſai. 53. 1

Sed dico quid amplius, hunc, quem S. Joannes e vidit *in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum*, hodiernâ die excipi infamiis, quàm exciperetur aliàs hircus fœtens & immundus. Vultiſne ut vobis oſtendam veritatem iſtius effati? Auſcultate quid dicat lex Levitici f, *Pontifex offerat hircum viventem: & poſitâ utrâque manu ſuper caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in deſertum.* Ecce figura iſtius Agni, *qui tollit peccatum mundi* g, qui ut liberaret nos à peccatis noſtris, voluit eſſe ſicut hircus fœtens & infectus, oneratus iniquitatibus noſtris; & en hodiernâ die egreditur Jeroſolymis, ejicitur è civitate velut hircus fœtens, & velut indignus qui maneat inter populum: en procul amandatur in deſertum montis Calvariæ, *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum* h. Oneratus cruce, ſed plùs gravatus peccatis noſtris, *Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt* i. Ecce *ligna holocauſti, ſuper Iſaac* k impoſita, ut ſuper illis ſacrificetur. Siſtamus hic tantiſper, Auditores, intueamur tranſire Filium Dei, qui vadit oppetitum mortem crucis propter amorem noſtrum: videte crucem humeris ejus impoſitam, coronam ſpineam capiti ipſius infixam, funem collo illius alligatum, & carnifices qui tenentes eum vinctum, cogunt illum repetitis baculorum ictibus incedere feſtinanter ad locum patibularem, quàmvis ipſe ſtare non poſſit in pedes ob effuſum ſic copioſum ſanguinem, & propter exhauſtas vires ſuas, ſic ut perſæpè cadat in terram, ſuccumbens huic oneri gravi crucis. Videamus quomodo crudeles iſti tortores ad ſurgendum compellant eum baculorum & calceorum ictibus, innumeris afficientes illum injuriis & contumeliis.

e Apoc. 5. 6
f Levit. 16. 17. &c.
g Joan. 1. 29
h Joan. 19. 17
i Hebr. 13. 12
k Gen. 22. 6. &c.

Angeli beati, qui videtis hunc egreſſum Creatoris veſtri ſic ignominioſum, utquid non deſeritis cœlum, ut verè dicere poſſitis illius veram cauſam, & tueri famam ejus? Pater æterne, quid agis videns incedere chariſſimum Filium tuum, *in quo benè* l tibi complaces, oneratum ligno crucis, cui debet ſuffigi? Ipſe forſan abis, portans ſicut alter ille *Abraham, in manibus ignem, & gladium* m, qui ſervire debent ad faciendum ſacrificium? Sed Deus mi, cur non exis nocte, ſicut idem *Abraham de nocte conſurgens, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum quem ei præceperas* n? Propter quid expectas donec *horâ ſextâ* o tota plebs congregata fuerit ad videndum hoc ſpectaculum ſanguinolentum? O Salvator adorande, quotnam pœnas ipſe pateris ſub onere ſic gravi? Peccata mea incurvant humeros tuos, & inclinant eos uſque ad terram. Virgo ſacratiſſima quis *tuam ipſius animam doloris gladius pertranſivit* p acutus amoroſum, cùm vidiſti Filium tuum, myſticum *Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater ſua* q Synagoga? cùm aſpexiſti faciem ejus deformatam, corpus illius aggravatum ligno crucis inter duos *latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris* r, cinctum militibus & tortoribus, qui ipſum undequaque cruciabant? Quòd ſi filiæ Jeruſalem compatiebantur doloribus ejus, ſicut ipſe *converſus ad illas Jeſus, dixit, Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me* ſ: quomodo Virgo ſanctiſſima non experieris injurias, contumelias, & dolores, quibus chariſſimus iſte Filius tuus afficitur? Animæ Chriſtianæ, ſequamur veſtigia Salvatoris iſtius, qui eſt *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam* t. Lacrymis noſtris comitemur ejus Matrem afflictam, & filias Jeruſalem lamentantes: aſcendamus in montem Calvariam, ut videamus finem hujus ſpectaculi.

l Matth. 17. 5
m Gen. 22. 6
n Gen. 22. 3
o Matth. 27. 45
p Eccleſia ex Luc. 2. 35
q Cant. 3. 11
r Luc. 23. 33
ſ Luc. 23. 28
t Jer. 11. 9

Et perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatum Calvariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum. Et non accepit, ait S. Marcus u. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x, *Dabant ei bibere*

u Marc. 15. 22. & 23
x Dion. Carth. art. 1. in Marc. 15. 23

bibere vinum myrrhatum s *id eſt myrrham, quæ amariſſima eſt, mixtam vino & felle. Et non accepit multum de potu hujuſmodi, parum tamen accepit de eo, dicente Ioanne* y, *Cùm accepiſſet acetum, dixit, Conſummatum eſt. Unde in Matthæo* z *legitur, Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Mos erat dandi vini optimi reis extremo ſupplicio perimendis, ut roborarentur in tormentis ſuis: Domino autem noſtro vehementer afflicto & ſitienti, eò quòd copioſum ſanguinem effudiſſet, & multùm inceſſiſſet, porrigitur potus compoſitus ex aceto, felle, & myrrhâ, ut affligeretur lingua ipſius, & ſtomachus ipſius, quò flagella & ſpinæ non potuerant pervenire. Dominus noſter libenter guſtavit hanc amaritudinem, ad ſolvendas ſenſualitates noſtras, ad ſatisfaciendum murmurationibus noſtris, cùm cibi non ſunt conditi ſecundùm guſtum noſtrum. Magna fuit hæc ſævitia tortorum; ſed major eſt crudelitas hominum, qui propinant Jeſu Chriſto vinum, ſed felle mixtum; offerentes ei opera ex ſe bona, ſed cum malâ intentione, & præ pravis circunſtantiis. Vinum cum felle eſt doctrina ſuperſeminata erroribus, fides cum actionibus perverſis, eleemoſyna facta propter vanam gloriam, oratio cum diſtractionibus voluntariis, votum paupertatis, nedum tamen perſona Religioſa velit ut aliquid ſibi deſit, caſtitas cum corde applicito cogitationibus impuris, obedientia mandata executioni quoad ea quæ placent & arrident, profiteri ſervire Deo & velle placere mundo ſimul, tandem ſunt omnia opera hypocriſis. En uva quam Moyſes vocat uvam fellis, & vinum quod appellat fel draconum, *Uva eorum uva fellis, fel draconum vinum eorum* a. Et hoc vino felle miſto potamus Dominum noſtrum: ſicut autem potum illum amarum ſibi porrectum a carnificibus *cùm guſtaſſet, noluit bibere* b: ſic ipſe guſtat tantùm vinum noſtrum felle miſtum, id eſt, hypocriſes noſtras, nec tamen bibit illud, vel has, quia talis potus ipſum vehementer offendit.

y Joan. 19. 30. ex Pſ. 68. 22
z Matth. 27. 34
a Deut. 32. 33
b Matth. 27. 34

Poſthæc carnifices expoliaverunt Salvatorem. Hic renovata ſunt omnia vulnera ipſius. Evellunt ei tortores violenter tunicam ſuam carni ſuæ dilaniatæ conglutinatam: ſed hunc extremum dolorem comitatur ingens ignominia, cùm ipſe ſe videat ibi nudum in medio plebis, coram ipsâ turbâ militum impudicorum ipſum deridentium. Et id quod auget dolores ejus, eſt, quòd (ut dicunt aliqui) tortores eripiunt ei coronam ſpineam è capite, ut meliùs eum exuant, quam deinde eidem capiti imponunt eâdem crudelitate, quâ anteà. Coronâ ſic capiti ejus denuò impoſitâ, projiciunt ipſum ſuper lignum crucis, ſuper quod ipſe incipit extendere brachia ſua, & pedes ſuos, tradens *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* c. Hic propitiatorium extenditur ſuper arcam d: Hic immolatur aries loco Iſaac e: Hic *Iob* ulceribus plenus collocatur ſuper *ſterquilinio* f. Ecce cubile ſuper quo Filius Virginis nos peperit, quod Jeremias g ſic eſt admiratus ut præ ſtupore petierit, *Interrogate & videte ſi generat maſculus.* Et thalamus durus crucis, ubi Sponſus ſacer Matrimonium conſummaturus eſt cùm Eccleſiâ Sponſâ ſuâ. Tandem, Ecce propitiatorium, circum quod Cherubini ſic ſunt attoniti, ut præ ſtupore *reſpiciant ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium* h idem, nedum quidquam de illo edifſerere velint. Heu! quomodo poterimus loqui de eo quod Cherubini admirantur in ſilentio? Oportet tamen ut de illo vobis loquar, & præ veſtræ mentis oculis ponam hoc ſpectaculum cruentum, quod repræſentare vobis deberem potiùs lacrymis quàm verbis. En igitur Dei Filius extenſus ſuper crucem: ecce tortores poſtquàm extenderunt corpus ejus vi funium, luxant omnia oſſa illius, ſumentes magnos clavos ferreos, quibus perforant manus & pedes ejus, ſicut ipſemet ait, *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea* i. Et, *Crucifixerunt eum* k.

c Epheſ. 5. 2
d Exod. 25. 17
e Gen. 22. 13
f Job 2. 7. & 8
g Jer. 30. 6
h Exod. 25. 20
i Pſ. 21. 17. & 18
k Matth. 27. 35. & Joan. 19. 18

Conſideremus igitur nunc, Auditores, hunc ſerpentem myſticum elevatum in crucem, ad ſanandos omnes eos, qui ipſum intuentur, cùm priùs percuſſi fuerint à ſerpentibus ignitis peccatorum l. Non ſunt hic filii Reſphæ concubinæ Saulis, crucifixi à Gabaonitis *in monte coram Domino* m. Sed eſt Jeſus Chriſtus Filius Mariæ Virginis crucifixus à militibus Pilati, ex machinatione Judæorum, poſtquàm duxerunt illum *in eum qui dicitur Calvariæ locum* †. Virgo Mater deſolata, quis explicare poterit dolores tuos? Quis pictor, quantùmvis eximius, repræſentare valeret in tabella anguſtias tui cordis afflicti & crucifixi cum Filio tuo chariſſimo? Nec ipſe Timanthes. *Nomen pictoris celeberrimi. Inter ejus verò ingenii monumenta, Iphigenia Oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mæſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit* n. Nullus eſt penicillus ſic tenuis, ut repræſentare nobis poſſit dolores tuos: nec ulla lingua, quantùmlibet diſerta, quæ poſſit illos nobis exprimere. Hic tacere debemus cum Cherubinis præfatis ad admirandas tot amaritudines animæ tuæ. Heu! quàm potiori jure quàm Noëmi dicere potes, *Ne vocetis me Noemi (id eſt, pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt, amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens* o.

l Joan. 3. 14. & 15. ex Num. 21. 9
m 2. Reg. 21. 8. & 9
† Joan. 19. 17. & 18
n Calepin. in Diction. V. Timanthes.
o Ruth 1. 20

Ecce nunc, Auditores, Deus noſter, qui ſedet in cœlo inter perſonas Divinas, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* p, cruci ſuffixus, & *crucifixi cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris* q. Ecce *Dominus virtutum, ipſe Rex gloriæ* r, qui adoratur ab Angelis ſ, *cum ſceleratis reputatus* t. Ecce hic qui aliàs *transfiguratus eſt; & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* u, inter Apoſtolos, & Prophetas, in monte Thabor; nunc deformatus, &, ſi dici licet, defiguratus in monte Calvariâ in medio latronum crucifixorum in ipſius ſocietate.

p Pſ. 10. 5
q Matth. 27. 38
r Pſ. 23. 10
ſ Hebr. 1. 6 ex Pſ. 96. 8
t Iſai. 53. 12
u Matth. 17. 1. &c.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus x. Animæ devotæ, contemplamini nunc veſtrum Salomonem tenentem pro throno maledictam crucem, pro diademate coronam ſpineam, & pro ſceptro clavos ſanguinolentos, quæ omnia tribuit ipſi noverca ſua Synagoga. Videte Deum veſtrum y, Creatorem veſtrum z, & Patrem veſtrum a, qui vos peperit Deo Patri ſuo ſuper duro cubili crucis. Intuemini Fratrem veſtrum b, & Sponſum veſtrum, ſed Sponſum *ſanguinum* c, qui moritur ad dandam vobis vitam. Tigranes Rex Majoris Armeniæ, victus à Cyro, & ductus captivus cum uxore ſuâ; interrogatus ab eodem Cyro, quidnam favoris expectaret & deſideraret

x Cant. 3. 11
y Deut. 6. 4
z Gen. 2. 7
a Matth. 6. 9
b Rom. 8. 29
c Exod. 4. 25

ab

ab ipſo, reſpondit ei, quòd maximo favori aſcri-
beret, ſi ipſe dignaretur uxorem ſuam in liberta-
tem reſtituere; quamdiu ipſe ſe offerebat ad ſuſti-
nenda quælibet, imò verò ad ſubeundam mor-
tem, dummodò ſalva remaneret uxor ſua. Hoc
autem reſponſo ſic commotus eſt Cyrus, ut am-
bos liberaverit, eiſque reſtituerit Regnum ſuum.
Illuc autem cùm eſſent reſtituri, Tigranes peti-
vit à conjuge ſuâ, num ipſa non ſuiſſet intuita
vultum Principis illius ita clementis? At hæc
Regina reſpondit ei appoſitè, quòd ipſa nun-
quam projeciſſet viſum ſuum niſi ſuper ipſum,
qui offerebat vitam ſuam ad ſalvandam vitam
ipſius. Animæ Chriſtianæ, ecce ſponſus qui ho-
norat vos affectibus ſuis, effundens ſanguinem
ſuum, & dans vitam ſuam ad ſalvandam vitam
veſtram: fierine poterit ut veſtros projiciatis
oculos ſuper alium ſponſum ab iſto? Crucifixum
contemplari, & diligere, & amplecti brachiis
veſtræ mentis & voluntatis debetis, adhærendo
d Gal. 2.19 ei in cruce, more S. Pauli *d* dicentis, *Chriſto
confixus ſum cruci.* Vultiſne autem ſcire quando
concrucifixæ eritis illi? Sanè, cùm ſæpè medita-
bimini paſſionem & mortem ejus, cùm mente
revolvetis dolores quos ipſe pertulit ad ſalvan-
das vos, cùm amplectemini crucem pœnitentiæ.

Sapientes mundi condemnant crucem pœni-
tentiæ, eamque ſtultitiæ inſimulant: ſed animæ,
quas Deus vocavit ad obſequium ſuum, quibus
aperuit oculos mentis, illuſtrando eas lumine
ſupernaturali, de eâ aliter judicant: *Nos autem
prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem
ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem
vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Hoc ob-
e S. Aug. ſerm. 86. de Temp. ſervavit S. Auguſtinus *e*, loquens de virgâ Moy-
ſis conversâ in ſerpentem *f*, dicens, *Virga illa,
f* ex Exod. 4.3 *Fratres chariſſimi, crucis myſterium præferebat.
Quòd autem virga projecta in terram, verſa eſt in
ſerpentem, quid ſignificet videamus. Serpens pro ſa-*
g Matth. 10.16 *pientiâ reputatur, ſicut Dominus in Evangelio* g,
*Eſtote (inquit) prudentes ſicut ſerpentes. Virgam
crucem diximus figuraſſe. Crux ergo quæ infidelibus
ſtultitia eſſe creditur, ſicut dicit Apoſtolus, Gentibus
ſtultitiam, poſteaquàm in terram miſſa eſt, id eſt, ad
paſſionem Domini præparata, verſa eſt in ſerpentem,
hoc eſt in ſapientiam, & in tantam ſapientiam, quæ
omnem mundi iſtius ſapientiam devoraret: denique
omnes ſerpentes, quos Magi incantationibus ſuis fece-
rant, deglutiviſſe* h. Atqui Deus voluit, ut virga *h* ex Exod. 7.12
Moyſis projecta in terram, fieret ſerpens, non
autem leo, vel urſus, aut tigris, vel quodlibet
aliud animal: ideò ut ſignificaret nobis, quòd
id, quod iſte mundus rejecerat & oderat, nempe
crux, eſſet res maximæ ſapientiæ & ſcientiæ. Sed
hæc non eſt agnita ab hominibus mundanis vi-
ventibus ſecundùm maximas mundi in volu-
ptatibus & deliciis ſenſuum, qui deſpiciunt &
contemnunt ipſam: *Animalis autem homo non
percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt
illi, & non poteſt intelligere* i. Ipſa eſt nota dunta- *i* 1. Cor. 2. 14
xat iis, qui vocati ſunt à Deo, qui ſunt amici ejus,
qui prædeſtinati ſunt ad gloriam, quippe quibus
ipſemet Deus aperuit oculos mentis ad intelli-
genda profunda ſecreta virtutis & ſapientiæ,
quæ ipſa continet, *Ipſis autem vocatis, Dei virtu-
tem, & Dei ſapientiam.*

Animæ Chriſtianæ, nos ſumus è numero eo-
rum, quos Deus vocavit ad obſequium ſuum *k*: *k* Oſee 2. 14. &c.
debemus igitur conari conciliare nobis illius no-
titiam, vacando jugi meditationi illius, crucifi-
gendo carnem noſtram cum univerſis vitiis &
pravis affectibus noſtris, mortificatione conti-
nuâ; in quo duntaxat ſervi ejus agnoſcemur, ut
ait Apoſtolus l, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem* *l* Gal. 5.24
ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Et
in quo modum reperiemus adhærendi cruci cum
Jeſu Chriſto crucifixo, & participandæ paſſio-
nis ejus in terrâ, ut communicare poſſimus glo-
riæ illius in cœlo: *Si autem compatimur, ut & con-*
glorificemur m. *m* Rom. 8. 17

DOMINICA PALMARVM.

***Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi.* Matth. 21.5. ex Iſai. 62. 11. & Zach. 9. 9.**

ABſurda æquè ac impia fuit illa ſupplicatio,
quâ populus Iſraëlicicus alias Aaronem ex-
a Exod. 32.1 oravit, *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant* a.
Quaſi verò vigerent homines poteſtate conſti-
tuendi ſibi Deos; homines, inquam, Qui ſine au-
xilio Divino incapaces ſunt non ſolùm qui ali-
b Joan. 15. 5 quid agant *b*, imò verò qui *cogitare aliquid* c, aut
deſiderare utile valeant. Sed id, quod abſurdè
c 2. Cor. 3. 5 ac importunè petitum fuit ab Iſraëlitis, puſillani-
miter ſed inutiliter conceſſum & executioni
d Exod. 32.4 mandatum ab Aarone *d*, poſt inſtantes preces
Prophetarum *e*, & Juſtorum, miſericorditer
e Iſai. 16. 1 nobis fuit præbitum, & feliciter adimpletum eſt
præ myſterio Incarnationis in perſonâ Jeſu. In il-
lo enim Pater æternus dedit nobis Deum, ope-
f Matth. 1.20 tante Spiritu ſancto in Mariâ *f*: Deus iſte Dux
noſter effectus eſt, *Ecce dedi eum Ducem ac Præce-*
g Iſai. 55. 4 *ptorem Gentibus* g, *Ipſum audite* h, quando *Ver-*
h Matth. 17.5 *bum caro factum eſt* i, ad cujus formſtiouem con-
i Joä. 1.14 currit humanitas, à nobis ſubminiſtrata. Hunc
autem non auderem ego comparare cum vitulo
aureo ab Aarone conflato; ſed ipſe eſt *Agnus Dei*
k, quem Pater æternus miſit ad dirigendos nos *k* Joan. 1. 29
feliciùs, quàm deduxerit unquam *columna ignis*
l populum Iſraëliticum in terram promiſſam. *l* Exod. 13 22
Nobis enim licet propitiâ illius uti directione, &
veſtigiis *ejus* m adhærere, pergendo ad terram *m* 1. Petr. 2.21
viventium n, ad *regnum* o gloriæ, ut regnare poſ-
ſimus cum illo, ſi comparaturi nobis regnum *n* Pſ. 141.6
apud illum, imitemur greſſus, quos ipſe notavit *o* Matth. 25.34
Sanguine ſuo p, & quos priùs ipſe peregit *q*, ut *p* Act. 20. 28
regnum apud nos ſibi conciliaret, cùm incepiſſet
vel eodem momento, quo dixit Angelus Matri *q* 1. Petr. 2. 21
ipſius, *Ave Maria.*

Incredibili quondam fuit affectus Dei Filius
dolore, poſtquàm obſecraſſet duos ex diſcipulis
ſuis, qui duas ſedes principes in regno ipſius
prætendebant *r*, ne forent immemores mortis, *r* Matth. 20.21. &c.
quam pro ipſis paſſurus erat, videns quàm exigui
æſtimarent charitatem incomparabilem ipſius,
credentes ipſum moriturum, ut compararet ſibi
regnum terrenum Sanguinis ſui pretio, poſt-
quàm deſeruiſſet regnum cœlorum, cui regna
terræ tributa dare tenentur, & à quo ipſa abſo-
lutè

lutè peodent, cùm ipſe Principibus diademata diſtribuat, dicens, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant* f. Fatendum eſt ingenuè, hos Apoſtolos imprudenter proceſſiſſe. Videbantur ipſi quippe injuriam Chriſto irrogantes, Sanguinem ipſius pretioſum vanitatum noſtrarum pignus conſtituere. Sed quantam cæcitatem! Ægrè tulit Salvator quòd electus fuiſſet ipſe Rex eo die, quo duobus piſcibus, & quinque panibus miraculosè ſatiavit *quaſi quinque millia* t virorum in deſerto, idcircò ab honore hoc declinavit præ fugâ, cùm vellet ipſe regnare ſpiritualiter, & ſalvare animas noſtras u. Ideò *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem* x. S. Anſelmus y ait, *Propoſito ſibi à turbis gaudio, dum vellent eum facere Regem, noluit ille gaudium hujuſmodi ſuſcipere.* Quaſi diceret, Maluit Chriſtus cruci ſuffigi, quàm vel minimam ſuſpicionem relinquere, ſe voluiſſe unquam ſuſcipere honorem temporalem, oſtendens majorem ſibi irrogatam injuriam à populo illo ſibi regnum offerenti, quàm à crucifigente ſe; & ſic ne majori ſuffunderetur dedecore (Regnum enim temporale, quod eſt maxima gloriarum, quas comparare ſibi valeant homines, non poterat quin infamiam Divinæ inferret Majeſtati) pati voluit confuſionem crucis, quam minorem exiſtimabat injuriâ ſibi irrogatâ à populo Judaico ipſum Regem conſtituere volente, cum non terrenum regnum, ſed regnum cordium noſtrorum ſibi quæreret comparare z.

f Prov. 8. 15. & 16.
t Joan. 6. 10. &c.
u Luc. 19. 10
x Hebr. 12. 2
y S. Anſel. in hunc locum.
z Prov. 23. 26

Ajebat inſignis quidam Politicus, quòd ad regnandum feliciter tria requirerentur in Principe, potentia, juſtitia, & amor. Potentia, quâ exteris timorem incuteret, & vicinorum ſibi reverentiam acquireret. Juſtitia, quâ virtuti præmia tribueret, & vitio ſupplicia decerneret; Bonos conſervaret, & malos deſtrueret. Amor tandem, quo ſuorum ſibi corda conciliaret vaſſallorum. Deus autem qui ait, *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ* a; è contrà infirmitatem induit Primò, & exuit potentiam. Secundò utitur injuſtitiâ, & juſtitiam excludit. Tertiò eligit rigorem, & renunciat amori, ut thronum ſuum in regno cordium noſtrorum collocet ac ſtabiliat.

a Iſai. 55. 8
Diviſio

I. Pars.

S. Paulus duobus verbis totam ferè promit Theologiam, cùm ait, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus* b. Deum elegiſſe infirmitatem, quâ de hominum fortitudine triumpharet; declarans nobis ſub his verbis myſterioſis, in Chriſto duplicem eſſe naturam, Divinam naturam, & humanam naturam, & utramque ſuas habere qualitates ſeu perfectiones ſpeciales. Divina natura eas habet Divinas; & humana natura eas habet penitus humanas. Cùm autem de ſtabiliendo Chriſti ageretur imperio ac de poteſtate ejus ſuper homines inſtituendâ, infirmitates hujus adorandæ perſonæ ſuſceptæ ab eodem Chriſto, ad exitum glorioſè perduxerunt ipſius conſilia, cùm è contrà ipſius magnitudines nihil ferè iis profuerint promovendis. Potuit quidem virtute Divinitatis ſuæ patrare miracula, ordinem naturæ antecellere mirabilibus inſolitis, quippe qui ipſius Author erat. Quandiu ipſe dormit, tempeſtas oritur, intumeſcit mare; excitatur ipſe, & videt mare ſedatum: loquitur ipſe, & ipſo loquente procellæ ſilent: Sed tamen in ipſum non creditur ut par eſt, *Quid timidi eſtis modicæ fidei* c?

b 1. Cor. 1. 25
c Matth. 8. 26. &c.

Ut oſtendat ſe eſſe Dei Filium, opera Satanæ deſtruit, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* d. Illa diſſipat, & ſtatim arguitur, quaſi foret conſcius Beelzebub, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia* e. Eâdem potentiâ, quâ omnia è nihilo f, & lucem è tenebris eduxit, quâ mundo dedit oculos, domicilium aquæ, fundamentum terræ, vitam plantis, & hominem in eſſe conſtituit, miracula operatur g, motum præbet paralyticis, ſenſum ſenſu deſtitutis, viſum cæcis, fluxus ſanguinis retentat, mortuos ſuſcitat h; & Lazarum quatriduanum jam fœtentem è tumulo extrahit i. Nedum autem hi omnes effectus adorandi virtutis ipſius Divinæ ſtabiliant imperium ipſius in homines, inde è contrà arripiunt homines anſam moliendæ ruinæ ipſius, ac mortis ipſius machinandæ k. Ita verum eſt potentiam ipſius æquè parùm ac ferè nihil ipſi prodeſſe. Sed in infirmitatibus injurias patitur, & tacet l. Si autem loquatur, os aperit duntaxat ut veniam poſtulet pro inimicis ſuis, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt* m. Dimas patibulo ſuffixus, ſicut ipſe Chriſtus in cruce ſuſpenſus erat, ipſum Regem fatetur, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum* n. Regnum Chriſti didicit ex infirmitate crucis. Centurio videns illum in morte verba vitæ promentem, ait, *Verè Filius Dei erat iſte* o. Obſervate, ſi placet, quo pacto verba infirmitatis ipſius magis promoverint regnum ipſius, quàm ipſum promoverint verba oris ipſius, & miracula manus ipſius.

d 1. Joan. 3. 8
e Luc. 11. 15
f Gen. 1. 2. &c.
g Matth. 8. 3. &c.
h Matth. 9. 6. &c.
i Joan. 11. 43 &c.
k Joan. 11. 47. &c.
l Iſai. 53. 7. & Matth 26. 63. & 27. 14. & Act. 8. 32
m Luc. 23. 34
n Luc. 23. 42
o Matth. 27. 54

Si virtute Divinitatis miſerandos eripit captivos è tyrannide diabolicâ; ſi libertatem reſtituit priſtinam ac ſanitatem iis, qui ſuis erant alligati cubilibus, diuturnâ laborantes infirmitate, & mortuos educit è tumulo, ſeductor reputatur, *Seducit turbas* p; vocatur *Seductor ille* q. Negatur eſſe Deus ac Propheta, cùm authoritate Divinâ ſolvit vincula peccatricis, *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt* r. Intereà cùm præ infirmitate ferè deficit, clavis patibulo crucis ſuffixus, & ſpinis coronatus, magnificatur altâ voce palàm, authoritate Magiſtratus, & fide Scripturæ, Judaici Monarcha populi, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* ſ. Nec ſine myſterio coronatus fuit ſpinis, ut inde oſtenderetur imperium & regia ipſius poteſtas, nam, ut refertur in parabolâ Joathan t, *ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe regem; dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera ſuper nos.* Et apud Paganos erat *Deus Spinienſis*, ait S. Auguſtinus u. Non ergo ſine myſterio electa fuerat ſpina Regina, cum deberet hoc honore inſigniri, quæ collocaretur ſuper capite illius, qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* x. Sic autem fuit Rex declaratus iſtâ coronâ, ut Rex æternus fuerit publicatus. Hæc autem corona nunquam labetur, cùm impoſita fuerit capiti Jeſu, qui eſt Rex *ſæculorum* y immortalis, & inviſibilis quoad ſuam Divinitatem; non marceſcet, cùm pretioſo ipſius fuerit Sanguine irrigata.

p Joan. 7. 12
q Matth. 27. 63
r Luc. 7. 39. &c.
ſ Joan. 19. 2. &c.
t Judic. 9. 8. &c.
u S. Aug. lib. 4. Civit. c. 21.
x Apoc. 19. 16
y 1. Tim. 1. 17

Quòd ſi Judæi diſceptaverunt de hoc titulo, quoad ea quæ ipſos ſpectabant, dicentes Pilato, *Noli ſcribere, Rex Judæorum*; hoc fuit, quia Chriſtum Regem habere non poterant, quin ſtatim

ſuam

ſuam faterentur ſervitiam. Sed propterea ſuum Pilatus non revocavit decretum, dicens, *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Unde videtis quonam pacto infirmitatibus ſuis regnum ſuum ſtabilit. Quod confirmat Apoſtolus, cùm ait: *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur* z. Tumulus autem ipſius fuit origo vitæ, & ſic non potentiâ, ſed infirmitate devicit fortitudinem, & imperium ſuum conſtituit, ac roboravit. Videte, ſi placet, quibus ipſe uſus ſit hominibus ad dilatandos regni ſui limites; *Quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret; ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus* a.

z Rom. 14.9
a 1.Cor.1. 26.&c.

Chriſtianiſmus ſuam deſumit originem è ſanguine Martyrum; & thronus regni Jeſu Chriſti ſtabilitur morte famulorum ipſius. De ſuis triumphat Chriſtus hoſtibus, internecione deletis ipſius militibus, Ideò S. Chryſoſtomus b ait, *Piſcator Petrus civitatem maximè regiam occupavit.* S. Petrus etiamſi in carcere incluſus totius orbis Dominam civitatem ſibi ſubjicit. Quare regnum ſuum hic Apoſtolus conſtituit in urbe Româ patibulo affixus? Ha! ratio iſtius eſt, Quia Chriſti infirmitates regnum ipſius ſtabiliunt in nobis, ut nos utamur infirmitatibus noſtris ad ſtabiliendum regnum noſtrum in eo. Abſcondit Deus *immortalitatem* c ſuam in morte d, immenſitatem e ſuam in ſtabulo f, magnitudinem ſuam g ſub parvitate Infantis & dierum h, potentiam i ſuam in infirmitatibus, impaſſibilitatem k ſuam in paſſionibus, *Verbum* l ſuum ſub ſilentio Parvuli, ſapientiam m ſuam ſub ſtultitiâ n, ut ſtabiliat ſe in regno cordis noſtri: & inde oſtendit nobis viam mediorum, quibus inhærere debeamus, ipſum ſequentes.

b S.Chryſoſt. in Pſ. 48
c 1.Tim. 6.16
d Joan. 19. 30
e Baruch 3.25
f Luc. 2.7
g Pſ.47.2
h Gal.4.4
i Pſ.64.7
k Pſ.90.10
l Pſ.44.2
m Sap.7. 24
n 1.Cor.1. 23

Viſne Chriſtiane ſtabilire firmiter regnum tuum apud Illum? ne ita, quæſo, ſedulò cogites ipſam immortalitatem animæ tuæ, ut obliviſcaris mortalitatis corporis tui: & proculdubio ſi ſeriò tantiſper examines mortalitatem iſtius, immortalitatem vitæ æternæ mortalitati corporis tui præferes o. Tu vis agere perſonam Dei, cùm velis eſſe ubique, ſicut Deus *immenſus* p. *cælum & terram* q implet; ſeu ob immodicum deſiderium dilatandorum circumquaque limitum poſſeſſionum tuarum, ſive propter immoderatam ambitionem, quâ duceris. Ha! Deus immenſæ majeſtatis in angulo ſtabuli fuit reconditus, *Reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio* r. Ingredere temetipſum, cogitato, ſi lubet, eos, quibus terra nimis videbatur exigua, ut propriæ ambitionis contineret extenſiones, vix aliquid obtinuiſſe terræ, ubi requieſcerent ipſorum cineres. Deprime hanc magnitudinem, quam præ te fers: Pone tibi ob oculos originem tuam, conſidera te extractum *de limo terræ* ſ. Perpende veritatem Scripturæ, *Qui ſe humiliaverit* coram hominibus, *exaltabitur* t, palam Deo, qui libenter res humiles intuetur, & excelſas à longè deſpicit, *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit: & alta à longè cognoſcit* u. Tu potens vis cognoſci, vanitate elatus; fatere infirmitatem tuam: Tu potens vis videri, cùm abutens libertate tuâ reſiſtis voluntati & potentiæ Dei: Humilia te, ut inde exalteris; *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis* x. Tu es aliquo modo velut impaſſibilis; jejunio non vales aſſueſieri, æquo non potes injuriam tibi irrogatam tolerare animo; deſere hanc impaſſibilitatem, & imitare paſſiones Filii Dei, qui ſtabiliturus regnum ſuum apud te, *quaſi Agnus coram tondente ſe* y, obmuteſcebat. Hilariter ſuſtine hanc injuriam, & ecce legitimus fies ſtatim filius tui *Patris, qui in cælis eſt* z, adoptivus, & regno ipſius potieris ſempiterno.

o 1.Cor. 15.53.& 54
p Baruch 3.25
q Jer.23. 24
r Luc.2.7
ſ Gen.2.7
t Matth. 23.12
u Pſ.137.6
x 1.Petr.5. 6
y Iſai.53.7
z Matth.5. 44.&45.

II. Pars.

Secundò, Salvator animarum noſtrarum reputatus eſt injuſtitia, ut ſtabiliret imperium juſtitiæ ſuæ in cordibus noſtris. S. Paulus ſcribens Corinthiis, ait, quòd nos quot ſumus Apoſtoli, tot ſumus Legati, quorum ore Chriſtus hortatur vos ut mores veſtros mutetis, vitam veſtram emendetis, modum procedendi veſtrum reformetis, peccata veſtra defleatis, lacrymas effundatis veſtrorum intuitu criminum, ut Deo Patri reconciliemini, *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* †. Pater ipſius permiſit ut hic Jeſus, qui erat Innocentia ipſa, & ſanctitas eſſentialis, ad mortem damnaretur veluti Reus & ſceleſtus: & licèt nullum unquam peccatum perpetraſſet, cùm eſſet ipſe naturâ ſuâ impeccabilis, moreretur tamen ut peccator apparens, cùm induiſſet *ſimilitudinem* a peccatoris, & foret victima expiatrix omnium peccatorum, ac rigori juſtitiæ hominum ſubjiceretur, ut eoſdem homines, veluti ſua *membra* b, juſtitiæ & ſanctitatis ſuæ efficeret participes, lavans illorum maculas in balneo ſui pretioſi Sanguinis, præ infinitâ c miſericordiâ: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* d. *Id eſt, Sacrificium pro peccato factus eſt,* ait S. Auguſtinus e. *Ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

† 2.Cor. 5.20
a Rom.8.3
b Ephes.5. 30
c Baruch 3.25
d 2.Cor. 5.21
e S.Aug. ſerm.48. de Verb. Dom.c.4

S. Gregorius f petit cur Deus permiſerit ut S. Joannes Baptiſta, quo *non ſurrexit inter natos mulierum major* g, qui erat ipſa innocentia, & ipſa virtutis imago, mortuus tamen fuerit ſic ignominioſè & ſic crudeliter, ut fuerit ipſi præciſum caput *in carcere* h ſanguinariâ carnificis manu. Et ipſe reſpondet: *Hinc ergo unuſquiſque colligat, quid illi paſſuri ſint, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat quos amat.* Ezechias unus ex optimis & probatæ vitæ Regibus, quos in veteri Fœdere licet invenire, & qui capulo vicinus Deum ſic fiducialiter alloquebatur, *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim* i; Domine obſecro te ut memineris me rectam ſecutum ſine intermiſſione ullâ ſemitam, & fideliter inceſſiſſe in tuorum via Divinorum mandatorum, corque meum fuiſſe tibi ſemper addictum, & me indeſinenter bonis operibus incubuiſſe coram te: Attamen *Domine, ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me;* his omnibus non obſtantibus, afflictione impetis me, & vita mea eſt paſſionibus & tolerantiis obnoxia. In Hebræo ponitur apud Cornelium * pro, *corripies me,*

f S.Greg. lib.3.Mor. c.5
g Matth. 11.11
h Matt.6. 28.
i Iſai.38. 3.& 16. ex 4.Reg. 20.3
* Cornel. in Iſai.38. 16

Somniare me facies. Quod eſt eximia metaphora, quâ explicatur cogitatio noſtra, cùm minitamur alicui: Dicimus enim ei, Ita te excipiam ut ſomniaturus ſeu cogitaturus ſis me, ſicut etiam teipſum. Obſervate autem, ſi placet, conceptionem: Si Rex ita bonus ac juſtus ita tribulationibus exercetur, ut ſomniare ſeu cogitare cogatur juſtitiam Divinam; nonne vigilabunt illi, quorum vita eſt repleta criminibus & abominationibus, ut eam jugiter cogitent?

Licèt ſit *Iob vir ſimplex & rectus, ac timens* k Job 1. 1. &c. *Deum, & recedens à malo* k, miſeriis tamen afficitur inſolitis & inauditis, quaſi verò foret ipſe ſceleratorum quorumlibet hominum peſſimus: *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens* l Job. 2. 7. & 8 *in ſterquilinio* l. Et tamen ipſe ſuæ teſtimonium perhibet innocentiæ, *Nonne diſſimulavi? nonne ſilui? nonne quievi? & venit ſuper me indi-* m Job 3. 26 *gnatio* m. Refert hiſtoria ipſius, quòd *audientes tres amici Iob omne malum, quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo, ut viſitarent eum, & conſolarentur.* Et tamen videntes eum in ſtatum ſic miſerandum redactum, *ſederunt cum eo in* n Job 2. 11. &c. *terrâ, & nemo loquebatur ei verbum* n. Origenes o ait, iſtos ſic fuiſſe intentos cogitationi o Orig. lib. 3. in Job. 2. 13 eorum, quæ ſibi poſſent evenire, ut ipſis minimè ſuppetierit otium conſolandi afflicti amici ſui: *Pro ſe unuſquiſque eorum ſolicitus erat, metuens quid etiam de ſe gereretur, vel quid expectaretur: Nam ſi Iuſtum talia invenerunt mala; nos, inquiunt, qui longè ſumus ad hujus juſtificationibus, quid expectabimus, vel quid ſuſtinebimus? Stupor atque pavor occupaverat illos, videntes talia pati Virum ſanctum ac juſtum, à Deo teſtimonium conſecutum.*

Dei Filius ait, *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in* p Luc. 23. 28. & 31 *arido quid fiet* p? Ecce quomodo viâ injuſtitiæ juſtitiam ſuam ſtabilit Chriſtus, ut ipſum vereantur omnes homines; iſtius autem juſtitiæ fundamenta jacit in theatro montis Calvariæ. *Protector noſter aſpice Deus; & reſpice in faciem* q Pſ. 83. 10 *Chriſti tui* q. Caput iſtud, quod deferabat in ſe diadema gloriæ, omnemque decôrem Em- r Pſ. 44. 3. &c. pyrei r, quid egerat propter quod ſpineâ circuncingeretur coronâ †? Nunquid non inno- † Joan. 19. 2 xium erat, & ut ſic omnibus benedictionibus cumulandum cœleſtibus? Quare igitur ipſum, eſt ſcopus, ad quem diriguntur & vibrantur omnia Divinæ Iracundiæ fulmina? Quòd ſi huic ſ Rom 8. 31. & 32. Capiti *Deus non pepercit* ſ, quid agetur de tuo peccator infamis, qui capite nutas ordinariè, nedum commoveas cor tuum, cùm ſermo habetur de Divinâ Juſtitiâ? Nonne magnam habes anſam illius formidandæ? cùm Pater æternus non pepercerit ei, *in quo bene* t ipſe ſibi com- t Matth. 17. 5 placuit. Iſti oculi, è quibus omnia ſua Sol deſumit lumina, & cujus ſplendores caliginem of- u 1. Petr. 1. 12. fundunt oculis Cherubinorum u, & omnium efficiunt Beatorum gaudia x, quid egerant ut x Joan. 17. 3 *lacrymis* y aperirentur, & diluvio Sanguinis im- y Hebr. 5. 7 mergerentur?

Obſervaturne ibi aliqua juſtitia? Si tamen ſic dire exceptus eſt Dei Filius, quia ipſe injuſtus erat juxta apparentiam exteriorem; impudice infelix, mulier adultera, puella proſtituta quo pacto excipiendi ſunt oculi veſtri, ſine intermiſſione ignes ac flammas amoris impuri ejaculantes, quibus caſtiſſima quæque corda in cineres redigant? Nunquid non veremini juſtitiam Dei? Specioſæ hæ genæ Salvatoris, quarum decor omnium Seraphinorum ſibi conciliat amores, quid fecerant, propter quod acerbis cæderentur alapis z, & ab implacabili z Luc. 22. 64 miniſtro colaphis vellerentur *, ac horridis * Joan. 18. 22 operirentur ſputis a? Mulier mundana quomo- a Matth. 27. 30 do excipientur genæ tuæ, quas perſæpè fuco illiviſti, in magnum deſpectum ſupremi Artificis, qui eas tibi præbuerat, imò verò ad prægrande infortunium hominum, accendens in corde illorum ignem concupiſcentiæ & amoris profani, fuco per eaſdem genas diffuſo? Si hæc brachia, quæ ſemper bona omnibus præſtiterunt hominibus, ſunt tamen ita crudeliter extenſa, & clavis terebrata ferreis in cruce †; la- † Joan. 19. 18 tro, fœnerator, quomodo excipientur manus tuæ, quæ circumquaque ſurripiunt & furantur, ac viduam & orphanum opprimunt? Si iſtud cor ſedes amorum Dei perforatum fuit *mucrone diro lanceæ*, ut concinit Eccleſia *, invenie- * Eccleſia ex Joan. 19. 34 tur ne ſatis tormentorum, pœnarum, atque ſuppliciorum, quibus excrucietur cor tuum, quod eſt ſedes odiorum, adulteriorum, proditionum, impuritatum, & abominationum? Si iſti *pedes* b, qui ſunt thronus miſericordiæ, b Pſ. 21. 17 fundamenta cœli & terræ, & qui ita ſæpè fuerunt fatigati * ad promovendam hominum * Joan. 4. 6 & Luc. 8. 1 ſalutem, implacabiliter clavis fuerunt terebrati; quid agetur de te, cujus pedes indeſinenter currunt ad ruinam proximo tuo inferendam? *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem* †. † Pſ. 13. 3 Quid eveniet tibi, cui non ſunt greſſus niſi ut declinent à Deo, qui te ſuæ greſſibus ſequitur miſericordiæ? *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Ecce quonam pacto injuſtitia non inſumitur, niſi ut ſtabiliat thronum juſtitiæ Dei. Non intendo tamen perſuadere, in diſtributione muniorum publicorum, ſive ſeculariorum, quæ politiam temporalem, aut jus unicuique reddendum ſpectant; aut Eccleſiaſticorum, quæ ad obſequium Deo exhibendum pertinent, impendenda eſſe officia perſonis indignis, ſed obſervanda merita illorum, quibus illa ſint conferenda: alioquin enim conferentes ea, præſumunt majori ſe vigere authoritate in causâ ſuâ, quam Salvator viguerit in ſuâ, cùm erat in mundo c, cùm ipſi nolint intueri merita; quod c Matth. 20. 23 obſervatur hodie in ſeculo. Ideò S. Bernardus * * S. Bern. Epiſt. 42 ait; *Scholares pueri & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferulâ transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quòd virgas evaſerint, quàm quòd meruerint principatum.*

Oportet ut hâc de re ſic loquar, & ingenuè proponam quid de tali abuſu ſentiam, ait ſanctus iſte Abbas, cùm unuſquiſque eum digito demonſtret; *Nunc cernente orbe mundi fabulam, ſoli tacebimus?* Sic non eſt rationi conſonum ut ſilentio obtegamus ſcandalum ita publicum. Quali pudore ſuffunderer ego, ſi accuſarer ut conſcius & affinis tanti mali, quia cùm tenerer hunc magnum arguere abuſum, diſſimulaſſem me illum neſciiſſe, ne illum corriperem. Maximum omnium malorum illud eſt, cùm manifeſta tacent Concionatores crimina, nedum

in

in ea invehantur. Jeſus Chriſtus publicè redarguit Phariſæos *d*: S. Joannes Baptiſta audacter corripuit Herodem *e*, ut diſcant Concionatores quonam pacto perfungi ſuo debeant ſacro munere. S. Ambroſius *f* obſervans circunſtantias allatas à S. Matthæo, *Ite in civitatem adquendam* g, quem non nominat, cùm ille homo eſſet ſic vilis ac deſpectus, ut nominis illius non haberetur ratio, ait, *Dignationem ejus intuere, quia non perſona divitis, aut potentis eligitur; ſed pauper ambitur, & anguſtum hoſpitium pauperis amplis nobilium aulis antefertur.* Ita pauper erat ut defectu famuli ipſe ad hauriendam aquam miniſterio domus inſerviturum pergeret. *Sciebas Domine nomen ejus, cujus ſciebas miniſterium, cujus ſciebas occurſum. Sed ideò ſine nomine deſignatur, ut ignobilis æſtimetur.* Volebas ut myſticum tibi aliquod exhiberet ille obſequium; non ignorabas illum poſtulanda conceſſurum. Tacens illius nomen, magnam illius paupertatem volebas publicare, ut diſceremus conſilia tua à conſiliis hominum eſſe aliena †. In illis ſiquidem virtutem intueris ac merita. Non utebaris divitiis, quas non habebat ille; ſed amabas theſauros cœleſtes, quibus ditare volebas animam illius. Neminem enim viſitare ſoles, niſi ut illum bonis cumules abundè; virtutem autem imprimis obſervas ac merita, nedum aliud intuearis.

d Matth. 23.13. &c.
e Marc. 6. 18
f S. Ambr. lib. 10. in Luc. 22. 10
g Matth. 26. 18
† Iſai. 55. 8. & 9

S. Bernardus *h* ſcribens Papæ Eugenio, queritur hoc venenum irrepſiſſe in Eccleſiæ miniſtros, *O miſerandam Sponſam talibus creditam paranymphis, qui adſignata cultui ejus, proprio retinere quæſtui non verentur!* Quantâ affecta eſt infelicitate Eccleſia, quæ incidit in manus profanas, quæ decôrem ipſius ac candorem inquinant. Deus hos elegerat miniſtros ad hoc ut benè diſpenſarent bona ſuæ Sponſæ, & tamen in rem familiarem ac in ſumptus ſuperfluos convertunt redditus, qui Dei obſequio deberent inſervire; & avaritiæ mancipant id, quod ad decorandam & fovendam Eccleſiam erat deſtinatum. Ipſa quippe eſt avaritia, quæ hodiernâ die homines utplurimùm ad ſtatum promovet Eccleſiaſticum: *Totum honori datur, ſanctitati nihil, aut parum*, ait S. Bernardus idem *i*. Qui eidem Papæ Eugenio conſulit ne conſecret Epiſcopos, aut diſpenſatores theſaurorum Eccleſiæ, niſi eos, *qui non de dote viduæ, & Chriſti crucifixi patrimonio ſe vel ſuos ditare feſtinent* k. Nullum quippe aliud motivum debet habere locum apud tribunal Jeſu Chriſti, qui *non eſt acceptor perſonarum* l. S. Leo Papa verò poſt electionem ſuam diu oraſſe refertur, ut ſciret utrùm peccata ſua ſibi fuiſſent dimiſſa, eique oranti apparuiſſe dicitur S. Petrus, & aſſeruiſſe illi quòd ſic, dummodò alicui manus temerè non imponeret, & neminem unquam conſecraret indignum Sacerdotio, injuſtitiæ conſcium ſe præbendo.

h S. Bern. lib. 4. de Conſid. c. 5
i S. Bern. l. 5. de Conſid. c. 2.
k S. Bern. l. 5. de Conſid. c. 4.
l Act. 8. 34

Intereà tamen injuſtitia, quâ Deus utitur, ſoli inſervit ſtabiliendo throno Juſtitiæ Divinæ; & inde facilem nobis parare poſſumus viam, per quam ad regnum pergamus paradiſi. Videte, quæſo, quonam modo Dimas bonus ille latro clarè noverit hanc veritatem, *Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.* Et ecce ſtatim audit, *Hodie mecum eris in paradiſo* m. Unde videtis eundem locum, & idem lignum, quæ fuerunt theatri loco injuſtitiæ hominum, fuiſſe etiam throni loco ad ſtabilendam Juſtitiam Divinam.

m Luc. 23. 42 & 43.

III. Pars.

Tandem, Dei Filius imperium amoris ſui, rigore ſtabilivit. Jeſus Chriſtus vivit in homine variis modis, quatenus *Pater* n, *Sponſus* o, *Caput* p, & *Rex*; & ut ſic cùm peccat homo, mors quam in eo patitur Chriſtus, crudelior eſt ipſâ morte ignominioſâ, quam pertulit in monte Calvariâ inter duos latrones. Primò, Quia mors Chriſti fuit voluntaria; purâ & liberâ ſuâ voluntate ſe morti conſecravit, ad illam oppetendam nemo ipſum compellebat; Sanguinem ſuum ac vitam ſuam prodegit præ infinito amore ac miſericordiâ illimitatâ, ut nos eriperet è miſeriâ, ad quam eramus redacti, & nos liberaret à captivitate diabolicâ, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* q. Cùm mors, quæ infertur ipſi à peccatore, ſit oppoſita voluntati ipſius, & directè adverſetur ipſius affectibus. Secundò, Quia pœnæ, quas in ſuæ decurſu vitæ paſſus eſt a momento Conceptionis ſuæ uſque ad Paſſionem & Mortem ſuam, limitatæ fuerunt; quidquid pertulit, erat finitum: Sed pœnæ, quibus afficitur ab hominibus, ſunt infinitæ & illimitatæ, cùm peccata illorum, quæ auſu temerario ac ſacrilego in perſonam inſurgunt infinitam †, non poſſint eſſe niſi infinita.

n Matth. 6. 9
o Pſ. 18. 6
p Ephes. 1. 22
q Iſai. 53. 7
† Baruch 3. 25

Prætereà, Judæi, Scribæ & Phariſæi, Sacerdotes & Pontifices erant Dei Filio infenſiſſimi, invidi erant, & inaudito eundem Jeſum Chriſtum proſequebantur odio: Ipſe autem Chriſtus illos quodammodo induxerat ut ſe ita exciperent (ſi ita mihi loqui fas eſt) Dei Filius Judæos aliquo pacto invitaverat ut ſe perimerent, ipſum infami crucis ignominioſæ patibulo per tortores Gentiles ſuffigendo in monte Calvariâ, quia ipſe illos corripuerat pluribus & variis in occurſibus acerrimè, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: Sic & vos aforis quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate* r. Correctio autem ſecum trahit inimicitiam: Sed mors, quam peccatum ipſi infert, cauſatur ab amicis ipſius. Tandem, Judæi ſolam ipſius occiderunt humanitatem, ſolum Chriſti Corpus per miniſtros Pilati ſuffixerunt cruci *: Sed peccator ipſam ejuſdem Chriſti quodammodo perimit Divinitatem; id eſt, gratia, quæ erat in homine, adveniente peccato moritur *ſ*: Hoc autem rigore Dei Filius ſui amoris imperium ſtabilit.

r Matth. 23. 27 & 28.
* Joan. 19. 18
ſ Sap. 16. 14 & Ezech. 18. 4. & 20

Quamnam ſæviorem crudelitatem! Ille, *qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum* t, quibus terram irriget; ligatur †, & trahitur quaſi Reus nefandiſſimorum quorumlibet hominum ſceleſtiſſimus. Ille, qui immenſas maris extenſiones in manu ſuâ continet, quique cœlum digitis ſuis ponderat *u*, manibus percutitur mercenarius *. Ille, qui ſuperficiem terræ variegatâ decorat diverſitate florum, ignominioſè diademate *de ſpinis* † compacto caput habet redimitum. O prodigia horrenda! O ſævitiæ

t Job 26. 8
† Joan. 18. 12.
u Iſai. 40. 12.
* Matth. 27. 30. & Marc. 15. 19. & Luc. 23. 64 & Joan. 18. 22. & 19. 3
† Joan. 19. 2

vitiæ inauditæ, quæ horrorem Soli incuſſerunt, & effecerunt ut mediâ luce ſit ipſe penitus *obſcuratus* x [x Luc. 23. 45], & funeſtâ circunvelatus eclypſi! Ecce crudelitas, quæ exercetur adversùs Dei Filium propter peccata noſtra, ut vulneret ipſe Chriſtus corda noſtra jaculis amoris ſui, quandiu nos delicias præ nobis ferimus, & voluptati indulgemus; quandiu nos verbum aliquod leve adversùm nos abſque tamen pravâ aliquâ intentione prolatum ulciſci meditamur: & licèt ille, qui hujuſmodi verbum pronunciavit, illi alas præbuerit; deprehendimus tamen illum in corde noſtro incluſum, pedes habere plumbeos, cùm ibi ſic diu immoretur, nec inde exire velle videatur. Sed inſpiciamus, obſecro, hunc mitiſſimum Jeſum crucis patibulo ſuffixum; quot enim vulnera, quæ intuemur in Corpore ipſius, tot ſunt ora, quæ ex unâ parte nobis annunciant crudelitatem, ex alterâ verò amorem; crudelitatem hominum, qui ea inflixerunt; amorem autem Filii Dei, qui ea pertulit propter amorem hominum.

Ha! peccator, obſecro, deſineſne aliquando à pravâ infringendæ Divininæ Legis conſuetudine? Si ab inceptâ ſectandi peccati viâ declines, vitam emendes priſtinam medias inter voluptates atque diſſolutiones tranſactam, & in bonam te recipias frugem, inſpirationibus Divinis & ſacris gratiæ motibus annuendo, deſtrues proculdubio imperium Satanæ, & ſtabilies regnum Domini Dei tui in intimis cordis tui penetralibus: Rex cœlorum *& terræ* † [† Matth. 11. 25], proprio non ignoſcit Unigenito, ſed illum exponit abſque ullâ miſericordiâ inauditæ ſævitiæ tormentorum horribilium, quæ terrorem carnificibus incuſſerunt, imò verò quæ totam perculêre naturam motibus *y* [y Matth. 27. 51. &c.] inſolitis, illum morti tradens ob amorem æternæ ſalutis tuæ promovendæ, *Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* z [z Rom. 8. 31. & 32.]. Sic eſt, peccator. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* a [a Iſai. 53. 4. & 5]. Peccata crudelia, ſed crudeliores homines, qui ea perpetrarunt; peccata, quæ fuerunt cauſa hujus funeſti effectus, cujus Judæi, aut milites fuerunt miniſtri, clavi autem ac mallei dira fuerunt inſtrumenta.

Venite apes myſticæ, venite, *& videte filiæ Sion* b [b Cant. 3. 11], venite animæ devotæ, venite allectæ charitate, quæ Angelos in admirationem rapiat, extractum amorem ſacrum è medio ſævæ crudelitatis: venite compactum favum *mellis* c [c Judic. 14. 8] veſtræ pietatis in viſceribus hujus Leonis *de tribu Iudâ* d [d Apoc. 5. 5] in monte Calvariâ internecione deleti ac perempti; imprimis verò agnoſcite quòd è morte, quæ ita fortis eſt ut omnia ferè ad nihilum redigat, *exivit cibus*, qui vitam vobis largitur, *& de forti egreſſa eſt dulcedo* ‡ [‡ Judic. 14. 14]. Nulla quippe eſt fortitudo, ſive violentia ſimilis violentiæ ſeu fortitudini dulcedinis ipſius. Contemplare peccator hos oculos morientes Creatoris tui in patibulo crucis; hos oculos Sanguine ipſius perfuſos; & has lacrymas, quæ mediis ex his humoribus ignes tamen vibrant, qui totum accendere poſſint orbem, & ſagittas ejaculantur, quæ infenſiſſimorum corda hominum ſuis perforent radiis, quibus tanquam lenociniis trahat ad ſe Dei Filius remotiſſimas quaſque animas, ut erigere poſſit thronum amoris ſui, juſtitiæ ſuæ, & potentiæ ſuæ in cordibus noſtris; nos verò ſtabilire poſſimus thronum felicitatis noſtræ in corde ipſius; adorantes hoc ſacrum Caput, etiamſi diademate ſpinoſo redimitum, reverentes rigidam juſtitiam ipſius, utamur his ſpinis aculeatis Caput hoc adorandum pungentibus; mucrone horum clavorum ſpecioſas has manus terebrantium, ſimul ac pedes hos ſacros perforantium; aculeo crudelis hujus lanceæ latus hoc aperientis; & ex his omnibus compingamus totidem ſtimulos validæ & veræ contritionis, quam ſequatur gratia, quæ veniat in cor noſtrum, ut ibi ſtabiliat imperium Jeſu Chriſti.

Idcircò oportet ut crudelitates, quibus implacabiliter affecta fuit ſacra Chriſti humanitas, & ſupplicia paſſionis, ac amaritudines calicis ipſius ab ipſo ad nos uſque tranſeant *e* [e Matth. 26. 39]. Expedit ut omnes has amaritudines hauriamus ac bibamus ad majorem Dei gloriam, & ad ſanitatem, ſeu (ut meliùs dicam) ad ſalutem & ſanctitatem animarum noſtrarum, cùm *regnum* f [f Act. 14. 21] Jeſu Chriſti, ſolis acquiratur infirmitatibus. Non alios inquirit Dimas bonus latro titulos imperii Jeſu Chriſti præter Corpus ipſius ſacrum Sanguine opertum, & doloribus oneratum *g* [g Luc. 23. 40. &c.]: didicit in libro Crucis totam gloriam paradiſi, ratus neminem niſi Deum ſolum ſic acerba tormenta tantâ potuiſſe perferre patientiâ. *Si filii Dei h* [h Rom. 8. 16] eſtis, hanc præ vobis eminentem feretis dignitatem, communicantes Cruci Filii ipſius, *Cùm exaltaveritis Filium hominis*, id eſt, in Crucem, *tunc cognoſcetis, quia ego ſum* * [* Ioan. 8. 28]; id eſt, Dei Filius, qui ita de ſe loquitur. Mirabile autem eſt potentiam Divinitatis voluiſſe ſe Crucis infirmitate manifeſtare. Proprium Deo eſt talia agere, & ex extremo mundi totius opprobrio ad thronum ſublimitatis aſcendere. Si imitemur eum in opprobriis & in infirmitatibus ipſius, ſuam nobis largietur ipſe gratiam, & gloriam tandem ſempiternam.

IN FESTO S. IOSEPH CONFESSORIS.

Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph. Matth. 1. 18. &c.

ANtiquus Paganiſmus magni æſtimabat quendam Magum, qui ſculpſerat in annulo Solem & Lunam induſtriâ ſuæ artis magicæ. Iſte ſic ritè repræſentaverat hæc, quæ *fecit Deus, duo luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti* a; ut totum firmamentum cum ſuis ſtellis in hoc annulo videretur incluſum. Illud erat commentum, & vanitas, Auditores, ſed ecce illius veritas. S. Joſeph & B. Virgo ut duo planetæ ſplendentes, ſic apprimè collocati ſunt in Eccleſia Matrimonio ſacro & nuptijs ſanctis, ut cœlum Empyreum cum omni illo quod eſt in eo exquiſitum & luminoſum, videatur in terram deſcendiſſe. Sed quid dicemus de hoc glorioſo Sancto? Meus *oculus non vidit, nec auris audivit* mea, meum *nec in cor aſcendit* b id quod ſublimes illius meruerunt virtutes, tantum abeſt ut lingua mea illas poſſit exprimere. Omnes imagines ſunt imperfectæ ad ſincerè repræſentandum hoc perfectum prototypon; & quò plus multiplicantur tranſumpta, eò magis receditur a perfectione originalis ipſorum: omne quod de illo poteſt dici, inferius eſt eo quod verè in eo eſt. Nolo illum laudare propter ſceptrum, quod illi debebatur prout orto è tribu Juda, quæ erat domus Regia, ſed tantùm ob ſanctitatem ipſius. B. Virgo ſuum hoc in occurſu mihi præbebit auxilium, cùm hic agatur de extollendis laudibus Sponſi ſui, dicamus igitur ei reverenter, *Ave Maria.*

a Gen. 1. 16.

b 1. Cor. 2. 9 ex Iſ. 64. 4

Illi à recta non deviant ratione, qui aſſerunt quòd S. Joſeph in nulla re cedat ſpiritibus Angelicis, cum ſit Angelus integritate, Archangelus officio, Principatus potentiâ, Poteſtas commiſſione, Virtus actione, Dominatio munijs, Thronus obſequio, Cherubinus cognitione, & Serapuinus dilectione. Deſideratiſne ſcire quis ſit glorioſus Patriarcha S. Joſeph? eximias illius excellentias cognoſcetis ex uno verbo, quod S. Matthæus protulit quaſi obiter & per tranſennam in Evangelio hodierno, vocans eum *Virum Mariæ.* Quòd nimirum eſſet Sponſus B. Virginis: cùm enim dixerit quòd eſſet Sponſus, Caput, & Superior Genitricis Dei, & conſequenter Pater putativus Salvatoris, habetis unde ſublimiſſimam excellentiarum ejus formetis ideam.

Univerſus orbis eſt repræſentativus. In cœlo & in æternitate Pater æternus ſemetipſum repræſentat perfectè in productione verbi ſui, quod eſt vivus character omnium perfectionum ipſius: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius* c. Omne id, quod Pater æternus eſt, convenit huic Filio, quem producit, dicens ei, *Filius meus es tu: ego hodie genui te* d. Niſi fortè excludas aliquas relationes, quæ illi non congruunt. Eandem cum illo naturam habet & eſſentiam, *Ego & Pater unum ſumus* e. Id eſt, *Ego ſecundum naturam Verbi, & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, notatur eſſentiæ unitas individualis, non generica, ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas: per quod confunditur hæreſis Arianorum dicentium, Filium Dei eſſe puram creaturam, & ſubſtantialiter à Patre diſtinctum. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ: per quod reprobatur Sabelliana loquacitas, dicens, eandem eſſe perſonam Patris ac Filij, ut Deus dicatur Pater ratione creationis, Filius ratione incarnationis, Spiritus ſanctus ratione ſanctificationis, quia per gratiam ſanctificat rationalem creaturam*, ait Carthuſianus f. Tres iſtæ perſonæ Trinitatis ſe repræſentant in tribus hierarchijs Angelorum, quæ ſingulæ conſtant tribus ordinibus, & hæ ſe repræſentant, ſuperiores cum inferioribus per purgationem, illuminationem, & perfectionem, ut docet S. Dionyſius g, *Quoniam ordo Hierarchiæ poſtulat, ut alij purgentur, alij purgent; quidam luce doctrinæ illuſtrentur nonnulli illuſtrent; & aliqui perficiantur, alij perficiant.* Elementa ſe repræſentant motu violentu. Ignis ſe repræſentat comburendo lignum, ut illud in ſe convertat. Homines ſe repræſentant generatione liberorum ſuorum, qui ſunt ipſorum imagines. Sed hæc repræſentatio perfectius apparet in myſterio incarnationis, in quo Pater æternus fit Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & tota Trinitas vult ſe repræſentare, communicando ſe S. Joſeph, Primò, Pater, dando illi qualitatem patris. Secundò, Filius præbendo ei prærogativas ſanctarum benedictionum ſuarum. Tertiò, Spiritus ſanctus faciendo eum coadjutorem ejuſdem myſterij incarnationis.

c Sap. 7. 26.

d Pſ. 2. 7.

e Jo. 10. 30.

f Dion. Carth. a. 27 in Jo. 10. 30.

g S. Dion. l. de Cœl. Hier. c. 2.

Diviſio.

Cùm Deus ab æterno decreviſſet, ut Verbum ſuum in utero B. Virginis foret incarnandum, ſecundùm hanc *vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me: Et dixit, Vade*: voluit ut hæc B. Virgo haberet Sponſum, & ob hunc eminentem effectum elegit S. Joſeph è progenie & familia David, *Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph.* Nolite autem exiſtimare, Auditores, quòd hoc Matrimonium fuerit fortuitum, aut per accidens, qualia videntur alia terræ Matrimonia: Deus ab æterno præviderat & elegerat hunc hominem juſtum in *virum Mariæ*, quæ hoc illuſtri eſſet donãda privilegio producendi *ubi* veniret *plenitudo temporis Filium* i eundem, quem ipſemet Pater æternus generat in æternitate. Sicut enim poſtquàm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem: dixit quoque, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* k: voluit ut haberet ſociam, ut cum illâ non eſſent ambo niſi unum cor in duobus corporibus; & licèt duas haberent animas, unicum tamen haberent duntaxat ſpiritum, & eandem voluntatem. Tale præbuit illi Deus auxilium, eandem cum illo habens ſimilitudinem in eadem ætate perfecta, in eodem temperamento, & in eadem ſubſtantia: ſic maximum & ſenſibilem impertitus eſt eis affectum reciprocum, ut innuunt verba ſequentia Adæ dicentis, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Quaſi ei dixiſſet, ipſa deinceps eris uxor mea, & ego maritus tuus ero. Eaſdem habebant ambo qualitates, & ijſdem fruebantur prærogativis in ſtatu innocentiæ ſuæ originalis. Supremi erant Domini omnis illius

I. Pars.

h Iſa. 6. 8 & 9.

i Gal. 4. 4

k Gen. 2. 7. &c.

quod volabat in aëre, omnis illius quod natabat in aquis, & omnis illius quod repebat, aut incedebat ſuper terram, *Benedixitq; illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram* l. Quin imò data fuerat eis electio omnium fructuum paradiſi terreſtris, ut illis uterentur juxta beneplacitum ſuum, excluſo tamen fructu arboris ſcientiæ boni & mali, quem Deus reſervavit ſibi expreſſâ declaratione voluntatis ſuæ, ut oſtenderet illis, quòd eſſet Dominus ipſorum, & quòd dependerent à dominio ſuo, *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Præcepitq; ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* m. Habebant ipſi id omne, quod poterat deſiderari, in hoc ſtatu fortunato juſtitiæ ſuæ originalis, Domini erant orbis univerſi, illorum authoritas circumquaque extendebatur, nedum illorum poteſtas eſſet limitata: corpus ipſorum non erat obnoxium fatigationibus, & infirmitatibus, quæ perſæpè noſtras examinant patientias: ipſi tandem erant quaſi Dii paradiſi terreſtris, cùm ibi omnibus imaginabilibus fruerentur deliciis.

l Gen. 1. 28.
m Gen. 2. 15. &c.

Poſtquàm S. Paulus n dixit, *Viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua*: quod eſt inter alias, ut ait Cornelius o, *ratio, quâ maritos excitat ad dilectionem uxorum. Quiſque, inquit, non odit, ſed diligit, nutrit & fovet corpus & carnem ſuam, adeòque ſeipſum: atqui uxor eſt quaſi caro & corpus viri: Scriptum eſt enim, Erunt duo in carne una* p, *id eſt, duo, ſcilicet maritus & uxor, erunt una caro, id eſt, unus homo, & una perſona civilis: ergo vir diligere, nutrire & fovere debet uxorem ſuam, ſicut Chriſtus diligit, nutrit & fovet ſuâ gratiâ & Sacramentis, præſertim Euchariſtia, Eccleſiam ſuam, quaſi carnem & corpus ſuum*: concludit idem S. Paulus, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Quaſi diceret*, ſubdit Cornelius, *Hoc quòd vir adhæreat uxori ſuæ, ſintq; vir & uxor duo in carne una, hoc, inquam, Sacramentum magnum eſt. Ita Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Oecumenius, & paſſim Patres, qui Sacramentum hic accipiunt, non pro ipſa re ſacra ſignificata, ſed pro ſigno rei ſacræ, quod ſcilicet ſignificat conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Hoc enim eſt quod addit Apoſtolus, Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Quaſi diceret, Hoc Sacramentum magnum eſt, non in ſe, uti Sacramentum eſt & ſignum; ſed in ſuo ſignato, ſcilicet Chriſto & Eccleſia: quatenus enim ſignificat unionem illam magnam & admirabilem Chriſti & Eccleſiæ, eatenus magnum eſt Sacramentum, magnum, inquam, ſuâ ſignificatione, & repræſentatione rei magnæ.* Sed cùm Apoſtolus loquitur de unione Jeſu Chriſti cum Eccleſia ſua, intelligit primò loqui de unione propria & reali Jeſu Chriſti, quam fecit prout Verbum incarnatum cum natura noſtra per adorandum myſterium incarnationis, quâ univit ſibi ac deſponſavit naturam humanam vinculo ſic indiſſolubili, ut ab ipſo nunquam deſerenda ſit hæc natura noſtra, quam ſemel induit, ut docet Theologia, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Et per hanc unionem, quâ *Verbum caro caro factum eſt* q, deſponſavit ſibi omnes homines, & Eccleſiam, quæ eſt congregatio omnium fidelium ſub ipſo tanquam Capite, quia *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſu-*

n Eph. 5. 28 &c.
o Cornel. in Eph. 5. 28. &c.
p Gen. 2. 24.
q Jo. 1. 14

pra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius r. Hæc autem unio ſacra, quæ eſt origo omnium aliarum, ſignificatur nobis per Matrimonium Protoplaſtorum noſtrorum. Unde S. Hieronymus ait, Adamum fuiſſe primum Prophetam qui prædixit incarnationem Filii Dei, & mortem, ut recenſet Cornelius s ſuper hæc verba ejuſdem Apoſtoli, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: dicens: *Allegoricè. Primus Vates Adam*, inquit Hieronymus, *de Chriſto hoc prophetavit, quod ſcilicet Chriſtus reliquerit Patrem ſuum Deum, & matrem ſuam cæleſtem Jeruſalem, & venerit ad terras propter ſuum corpus (Eccleſiam) & de ſuo eam latere fabricatus ſit, & propter illam Verbum caro factum ſit.* Quod idem eſt quod ait S. Auguſtinus t, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ſecundùm id quod ſcriptum eſt in figura, *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cùmq; obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea: & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* u. Facta eſt transformatio amoris inter S. Joſeph & B. Virginem. B. Virgo ſummo proſequebatur affectu, & immodicâ reverentiâ Sponſum ſuum S. Joſeph, qui erat prototypon perfectionis omni parte abſolutum, ſicut ipſa erat perfectiſſima omnium creaturarum, cùm Divina Maternitas, ad quam ipſa erat deſtinata, ſit unum ex operibus eximiis manuum Dei ad extrà, quod nimirum limites imponit Omnipotentiæ Divinæ, ut ipſa B. Virgo ait in ſuo Cantico, *Fecit potentiam in brachio ſuo* x. *Hoc eſt præclariſſima mihi beneficia eſt largitus, in ſanctificatione, in gratiarum augmentatione, in totius perfectionis collatione, & nunc potiſſimùm in incarnatione, in qua veri Dei vera Mater effecta, quodammodo infinita dignitatis prærogativam ſum conſecuta, ab eo qui potens eſt, imò omnipotens eſt* y. Hæc enim qualitas auguſta Matris Dei ſic eſt eminens, ut poſſimus aſſerere, nedum tamen ullam omnipotentiæ Divinæ inferamus injuriam, quòd Deus non poſſit producere opus eâ perfectius in ſuo genere perfectionis, ſicut eſt etiam incarnatio Verbi, & felicitas Sanctorum z, ratione objecti infiniti, ad quod terminantur hæc tria opera, quod eſt Deus, qui *non habet finem* †, ut docet S. Thomas a, dicens, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo; & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei; & beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Cùm igitur non poſſet Deus facere opus perfectius Matre Dei; etiamſi potentia ejus ſit infinita, Maria debebat habere Sponſum perfectiſſimum omnium ſponſorum, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi* b. Sponſum ſcilicet ortum ex eadem tribu Juda, ita ut ambo eſſent è progenie Regia, ſecundùm quòd hæc lex ſuper filiabus à Domino promulgata eſt: *Nubant quibus volunt, tantùm ut ſuæ tribûs hominibus. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient* c. Et oportebat ut iſte Sponſus haberet eaſdem qualitates, quas habebat Maria, aut ſaltem quæ aliquam cum ejus qualitatibus haberent convenientiam, juxta hoc commune proloquium, *Si vis nubere, nube pari.* Et ſi S. Paulus d loquens de ſe, & de cæteris Miniſtris deſtinatis ad prædicandum Evangelium Jeſu Chriſti, dicit, *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*: S. Joſeph

r Eph. 1. 17. &c.
s Cornel. in Eph. 5. 31. ex Gen. 2. 24.
t S. Aug. Conc. 4 in Pſ. 103 ex Jo. 19 34.
u Gen. 2. 21. & 22.
x Luc. 1. 51.
y Dion. Carth. a. 4. in Luc. 1. 51
z Jo. 17. 3
† Baruch 3. 25.
a S. Tho. p. q. 25. a. 6. ad 4.
b Gen. 2. 18.
c Num. 36. 6. & 7.
d 2. Cor. 3. 6

ſeph debebat habere omnes qualitates neceſſarias ad hoc ut eſſet dignus Sponſus B. Virginis Deiparæ, & pater putativus Jeſu Chriſti Filij ſui; & ſic qualitates ejus aliquo modo convenire debebant cum qualitatibus B.Virginis: & cùm leges Matrimonij ferant ut omnia ſint communia inter ſpõſum & ſponſam, ita ut ſi fœmina ignobilis ducatur in uxorem à Rege, ſtatim ipſa efficiatur Regina; ſic B.Virgo aliquo modo non fuiſſet nobilis, etiamſi è progenie Regia orta, niſi S.Joſeph ortus ex eadem proſapia, eandem nobilitaſſet, evadens ſponſus ejus: virtus igitur S.Joſeph ſic erat eximia, ut ipſe vocetur ab Evangeliſta *Vir juſtus*, cùm juſtitia ſit virtutum omnium congregatio. Re autem verà virtus illius ſicerat immo... a, ut Pater æternus illam voluerit remunerari titulo Sponſi Mariæ, & Patris Jeſu in tempore, ſicut ipſe Pater illius eſt in æternitate, quæ duæ qualitates incomparabilem præ ſe ferunt excellentiam.

Judicatis quidem, Auditores, quòd iſtud Matrimonium non fuerit ſicut veſtrum, in quo invenitur concupiſcentia, & in quo à vobis liberi producuntur *in utero damnati, antequàm nati: quia de peccato, & in peccato concepti*, ait S.Bernardus e. Sed *cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Ioſeph, antequàm convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*. Et ex hoc Matrimonio ſacro oritur Puritas per eſſentiam: Maria enim *peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum*, ait Evangeliſta noſter. Id eſt, eum, qui eſt *Deſideratus cunctis Gentibus* f, *Sanctus Sanctorum* g, & *Sanctus Dei* h. Et licèt B.Virgo ſit Filia Patris æterni, ut ait Cornelius, *Cùm ſit Dei Patris Filia* i, tamen ipſa Sponſa ejus etiam eſt, ut ait S.Epiphanius k, *Sancta enim puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*. Cùm in tempore ipſa Mater fiat illius, quem ipſe *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum* l gignit. Et ipſe cedit hanc glorioſam qualitatem Patris S. Joſepho. Sic *dixit Maria ad Angelum, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* m? Non ambigebat ipſa de veritate myſterij, nec denuncij legatione cœleſtis, ſed ſolum volebat ipſa ſcire circumſtantias illius, quà ratione id foret peragendum, ut ait Dionyſius Carthuſianus n, *Quærit autem de modo, non de facto ſecundùm ſe, quia non dubitavit, ſed virginitatis obſervatione ſolicita ſciſcitata eſt operis modum*. Hęc enim Divina Maternitas non obfuit puritati ejus virginali, ut canit Eccleſia, *Et virginitatis gloriâ permanente lumen o æternum mundo effudit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Quin imò illam auxit, & novos illi tribuit ſplendores, & ampliores extenſiones, ut eadem concinit Eccleſia, *Virginitatem non minuit, ſed ſacravit*. Non ſicut in Matrimonijs ordinarijs, in quibus fœmina ceſſat eſſe virgo confeſtim ac incipit eſſe mater. *Et reſpondens Angelus dixit ei, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* p. *Hoc eſt, omnipotens Deus Pater ſuam poteſtatem immenſam tuæ capacitati contemperabit, ut ejus influentiam ferre queas. Itaque non ſecundùm plenitudinem ſuæ claritatis immenſam tibi irradiabit, ſed velut umbram ſuæ reſplendentiæ cauſans in te, effectum ſuæ poteſtatis exercebit in te proportionabiliter ad tuam declivitatem, faciendo in te immediatè per ſe, quod in alijs efficit per viri cauſalitatem, ſeu formativam virtutem* q. Obſervate, ſi placet, quòd *Angelus dixit ei, Obumbrabit tibi*. Quaſi diceret, Velabit te; ſolitæ enim erant velari virgines quæ nubebant. *Obumbrabit tibi*. Id

e S.Bern. Serm. 2. de Pent. ex Job 14. 4. & ex Pſ. 50. 7.
f Agg. 2. 8.
g Dan. 9. 24.
h Marc. 1. 24.
i Cornel. in Act. 1. 14.
k S. Epiph. ſermon de Laudib. Deip.
l Pſ. 109. 3.
m Luc. 1. 34.
n Dion. Carth. a. 3. in Luc. 1. 34.
o ex Pſ. 35. 10.
p Luc. 1. 35.
q Dion. Cart. a. 3. in Luc. 1. 35.

eſt, faciet te umbram, ſeu imaginem magnitudinum ſuarum. *Obumbrabit tibi*. Cùm in hoc myſterio futuræ ſint umbræ, & obſcuritates, in quo nimirum ratio humana nihil videre poterit. *Obumbrabit tibi*. Ut ſuſtinere poſſis Divinos ardores ipſius, & activitatem Spiritûs ſancti in operatione ſua ſecreta & interiori in ſinu tuo, ubi *concipies Filium* † Dei. *Obumbrabit tibi*. Deus quaſi applicabit tibi ultima lineamenta, ut perficiat corpus ſacrum Filij tui in caſto ſinu tuo, ſicut pictores ultima lineamenta applicant alicui tabellæ, ut illam omni parte abſolutam reddant: pictores enim ex umbra, quæ eſt velut hominis imago naturalis, didicerunt eum pingere: atqui ſicut ex umbra ut ex pictura cognoſcitur corpus; ſic ex humanitate Jeſu Chriſti, cognoſcimus Divinitatem ejus. *Obumbrabit tibi*. Id eſt, velo obducet te, operando in te tantum ſecretum, ut nulla mens humana, aut Angelica poſſit illud concipere, cùm Deus antiquitùs umbris operiri ſoleret, *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* r. Pater æternus ergo erit Sponſus tuus. Et tamen hanc qualitatem communicat S.Joſepho. Quænam gloria igitur provenit S.Joſeph ex eo quòd habeat pro Filio eundem Filium, quem habet Pater æternus? *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?* ait S.Paulus s, loquens de Patre æterno. Et tamen S. Joſeph alloquens Jeſum Chriſtum, poteſt ei dicere, quòd Filius ſuus ſit, ſicut *dixit Mater ejus ad illum, Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te* t.

Maxima gloria Dei Patris in hoc eſt ſita, ut habeat Filium Deum, Deum & hominem; S.autem Joſeph hanc eandem habet prærogativam: immodica gloria Deo Patri provenit ex eo, quòd Deus obediat illi in tempore, *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*, ait ipſe Filius incarnatus u. Et ſtatim illius reddit rationem, dicens, *Quia Pater major me eſt* x. Id eſt, *Secundùm naturam aſſumptam* y. Licèt ſim illi coæqualis, *Ego & Pater unum ſumus* z. Id eſt, Secundùm naturam Divinam. Hanc autem coæqualitatem & conſubſtantialitatem confirmat S. Paulus a, æquè ac hanc obedientiam, cùm ait, *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Et iſte idem Filius obediebat S.Joſepho: ſic S.Joſeph habebat authoritatem ſuper hunc Filium Dei prout natum è Maria, quæ erat veluti pars ipſius S.Joſeph ratione unionis ſacrati Matrimonij virginalis, *Et erat ſubditus illis* b. Sed obſervate, ſi placet, quòd licèt natura humana Jeſu conſiderata præcisè in ſemetipſa in hac qualitate ſubdita eſſet Mariæ Matri ipſius, & conſequenter S.Joſeph Sponſo ejus, qui erat pater ipſius, & cui Pater æternus hanc illuſtrem communicaverat prærogativam: tamen, quia hæc humanitas ſacta elevata erat uſque ad hypoſtaſim Verbi Divini, & erat idem cum Deo, id eſt, perſona Divina, inde oritur ut ipſa eſſet immunis ab exhibenda obedientia Matri ſuę, & patri ſuo S.Joſeph; ſicut ipſa non tenebatur obedire Auguſto c, Herodi, Pontificibus d, & alijs Principibus Eccleſiaſticis & Politicis, quibus obedivit voluntariè, cùm ipſe Jeſus eſſet *Dominus omnium* e, & conſequenter Parentum ſuorum, & omnium iſtorum Principum, ſed voluntariè & æquanimi-

† Luc. 1. 31. ex Iſa. 7. 14.
r 1. Cor. 10. 11.
s Heb. 1. 5.
t Luc. 2. 48.
u Jo. 5. 30.
x Jo. 14. 28.
y Dion. Carth. a. 36. in Jo. 14. 28.
z Jo. 10. 30.
a Philip. 2. 6. &c.
b Luc. 2. 51.
c Luc. 2. 1. &c.
d Luc. 23. 1. &c.
e Eſth. 13. 11.

nimiter voluit illis obedire, ut nobis præberet exemplum humilitatis, & obedientiæ. Hinc S. Bernardus f exclamat præ admiratione ſuper hæc verba prædicta Evangeliſtæ, *Et erat ſubditus illis. Quis quibus? Deus hominibus, nec tantùm Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Vtrimque ſtupor, utrimque miraculum; & quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo, & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

f S. Bern. ſerm. 1. ſup. Miſſus eſt.

Dei Filius igitur obediebat Mariæ Matri ſuæ, & S. Joſeph Patri ſuo putativo: ſic Joſeph habebat omnes affectus patris, non ſolùm patris nutritij & putativi ſecundùm æſtimationem hominum, *Nonne hic eſt fabri Filius* g? ſed habebat omnes conditiones boni patris. Nomen iſtud, Pater, ſecundùm Ethimologiſtas, eruitur à verbo, patrare; quod ſignificat facere. Quidnam eſt autem, quod S. Joſeph non fecerit in favorem Jeſu? quaſnam non adhibuit curas & ſolicitudines ad primum ejus adventum in mundum, ad auxiliandum ſuaviſſimæ Matri ipſius, & ad ipſum gratioſè excipiendum? Aut ſi vultis educere hoc nomen a verbo, paſcere, quod ſignat nutrire, nonne ipſum aluit per multos annos ſubſtantiâ ſuâ, id eſt, laboribus ſuis in officina ſua? nonne providit ipſi veſtimenta, & quæcumque ipſi erant neceſſaria? Vel ſi velitis etiam deſumere hoc nomen à verbo pati, quænam paſſiones ſimiles fuerunt paſſionibus & anxietatibus S. Joſeph, quando Sponſâ ipſius *Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*, cujus myſterij ipſe neſciebat arcanum? Quibuſnam non diſcerpebatur cogitationibus illius clàm deſerendæ? *Ioſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Prætereà, *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum: Qui conſurgens accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceßit in Aegyptum: & erat ibi uſque ad obitum Herodis:* Ibidem manſit ſeptem annis, multos perpetiens labores, & innumeras penurias inter idololatras in regione incognita. Deinde revertitur in patriam ſuam, *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens, Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim qui quærebant animam Pueri: Qui conſurgens, accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Iſraël* h. Quantus amor iſtius boni Patris erga Jeſum? Non poſſum illum verbis exprimere: habebat S. Joſeph omnes affectus boni Patris erga talem Filium.

g Matth. 13.55

h Matth. 2. 1. &c.

Nero à primis annis Imperij ſui, ante crudelitatem ſuam barbaram, & depravatam morũ ſuorum inordinationem, ſcribens Magiſtro ſuo Senecæ, querebatur ei pro eo, quòd Gubernatores Provinciarum ſuarum uterentur violentiâ adversò ſubditos ſuos, & quòd non haberent erga eos patrum teneros affectus, ſicut ipſe patris affectum in gratiam illorum præ ſe ferebat. Reſpondebat autem ei Seneca, quòd ipſe non mirari deberet de hoc regimine, quod ipſi videbatur diſſonum rationi rectæ; cùm ipſe poſſet mittere Gubernatores, qui ipſius vices agerent, ſed qui non haberent erga populum amorem, quem ipſe habebat; eò quòd Deus dans ipſi ſceptrum, ipſi dediſſet hanc inclinationem prout Patri populi, quæ non eſſet illis Gubernatoribus propria. Vos autem, Parentes, poteſtis quidem dare liberis veſtris Magiſtros & Præceptores, ſed nunquam dabitis illis viſcera Patrum & Matrum, quæ habetis, & teneritudines amoris erga illos, præſertim ad ſalvandas illorum animas, ita ut dicere ſinguli poſſitis illis etiam cum S. Paulo, poſtquàm illos in lucem edidiſtis, *Vt filios meos chariſſimos moneo: nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui* i. S. Joſeph igitur habebat omnes affectus, & exercebat omnes effectus amantiſſimi Patris erga Jeſum: ſic Pater æternus ceſſit ei auguſtam qualitatem Patris, cùm S. Joſeph ſit Pater Jeſu Chriſti in tempore, ſicut Pater æternus eſt Pater Verbi in æternitate.

i 1 Cor. 4. 14. & 15.

II. Part.

Filius communicavit ei prærogativas ſanctarum benedictionum ſuarum. Cùm *vocavit Iacob filios ſuos* Patriarchas, ſicut ipſe erat Patriarcha, & pervênit ad filium ſuum Joſeph, ait illi, *Deus Patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyßi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ* k. Quæ omnia ſic exponit Cornelius l, *Deus Patris tui. Deus qui per omnia direxit Patrem tuum Iacobum, hic & ob Iacobi merita ac ſanctimoniam, quam tu imitaris, juvabit quoque, diriget te, utpote Iacobi filium, ejuſq; fidei, & pietatis hæredem: Benedicat tibi benedictionibus cæli, dando tibi e cælo opportunam tum pluviam, tum rorem, tum nivem, tum aëris ſerenitatem, benignumq; Solis cæliq; influxum, quibus terra tua fœcundetur, ut optimas & copioſas tibi, putà tuis poſteris, in Chanaan proferat fruges & fructus. Benedictionibus abyßi jacentis deorſum: Abyſſus propriè eſt illa vorago aquarum, quæ ſub terra latet, quæq; cum mari conjungitur, atq; per ſuas venas & rivos terram irrigat. Optat ergo hic Iacob Ioſepho terram irriguam & fertilem, ex aquis infernè ex abyſſo prodeuntibus. Benedictionibus uberum & vulvæ. Vt ſcilicet habeat copioſum lac, fœturam, ac proles tum animalium, tum hominum. Allegoricè: Ioſeph eſt Chriſtus, quem omnia ſuperna & inferna, omnes Angeli & Sancti in cælo, ac Patres in limbo benedicunt, & adorant, quemq; in terris laudant omnes fideles dicentes cum Elizabeth: Benedictus fructus ventris tui* m; *& cum altera, quæ in turba exclamavit; Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti* n. *Rurſum in cælo, id eſt, in anima & mente benedictus fuit Chriſtus: quia à primo inſtanti conceptionis ſuæ plenus fuit gratiâ* o *& gloriâ, fruens Deo, ipsâque viſione Dei beatus. Benedictus quoque fuit in abyßo deorſum, id eſt, in carne mortali, quam aßumpſit, quâ ſe profundiſſime humiliavit & exinanivit* p: *quia carnem habuit peccato concupiſcentiâq; liberam* q, *& poſt reſurrectionem glorioſam* r, *viviſicam, & dantem immortalitatem in Eucharistia* s. *Secundò, Habuit Chriſtus benedictionem vulvæ, id eſt, Eccleſiæ parientis: hæc enim Chriſto pulcherrimos & plurimos generat filios* t: *atque uberum, quia verbo Dei, & Sacramentis, quaſi duplici ubere ſuos fideles & filios nutrit. Ita Rupertus, & ex eo Pererius.* Ratio eſt, quia Eccleſia eſt corpus myſticum, cujus ipſe eſt Caput, ut ait Apoſtolus S. Paulus u, *Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Jeſus Chriſtus communicat S. Joſepho prærogativas excellentiſſimarum benedictionum ſuarum, quia S. Joſeph futurus erat pater ipſius, & utſic debebat infundere ſuper terram animæ ejus abun-

k Gen. 49. 1. & 25.

l Cornel. in Gen. 49. 25.

m Luc. 1 42.

n Luc. 11 27.

o ex Jo. 1 14.

p ex Philip. 2. 8. & 7.

q ex 1. Pet. 2. 22.

r ex Marc. 16. 6.

s ex Jo. 6 51. & 52.

t ex Iſa. 49. 10. & ex 60. 16.

u Eph. 1. 17. &c.

dantiſſimas benedictiones *cæli deſuper*, gratiarum ſuarum tanquam bonus Filius, ut illum dignum redderet hac eximiâ dignitate.

Jeſus Chriſtus ſeſe exhibet Directorem vitæ
x Sap.10 9.& 10 S. Joſeph, *Sapientia Juſtũ deduxit per vias rectas* x. Ubique viæ per quas Deus nos dirigit, ſunt rectæ; ſicut viæ impiorum ſunt obliquæ,
y Pſ.11.9 *In circuitu impij ambulant* y. Duæ ſunt viæ, per quas rectà pergimus ad Deum, innocentia, & pœnitentia. Prior eſt perfectior, & ea, quam ſecutus eſt S. Joſeph toto tempore vitæ ſuæ, *Et oſtendit illi regnum*
z Sap.10 10. *Dei* z. Quale eſt Regnum Dei? Fruitio Dei per cognitionem & dilectionem, *Hac eſt autem vita*
a Jo.17.3 *æterna, Ut cognoſcãt te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtũ* a. *Id eſt, in clara & fruitiva aſpectu Patris, & Filij, ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritûs ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt. Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatem, beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat quòd Beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac prima Veritatis clara, & immediata eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa felicitas; tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non*
b Dion. Carth. a. 41. in Jo. 17.3. *enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt*, ait Carthuſianus b. S. Joſeph cognoſcit Deum, cognoſcendo Jeſum Chriſtum, ſicut idem Dei Filius dicebat S. Philippo petenti, *Domine, oſtende*
c Jo.14.8 &c *nobis Patrem, & ſufficit nobis. Philippe, qui videt me, videt & Patrem* c. Nimirum, ut ait idem Carthu-
d Dion. Carth. a. 35 in Jo. 14.9.& 10. ſianus d, *Qui videt me, id eſt, verè cognoſcit me ſecundùm Divinitatem, videt & Patrem oculo mentis, eo modo quo conſpicit me: qui enim videt me per fidẽ, videt & Patrem per fidem. Quia ego ſecundùm Divinitatem ſum in Patre, & Pater in me eſt per identitatem ſubſtantiæ.* Sic S. Joſeph videns humanitatem Filij Dei eodem modo quo videbat Jeſum Chriſtum, videbat etiam Patrem ejus, quia Pater & Filius idem ſunt, quod eſt abyſſus penetrare: &
e Sap.10. 10. hæc eſt benedictio *abyſſi jacentis deorſum.* Tandem, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum* e. Id eſt, eminentiſſimarum virtutum praxim, per quas influebat in intellectum ejus Divinis inſtructionibus ſuis, quandiu erat in domo ejus Nazarenâ, effundens ſuper eum abundè ubera & lac verbĩ ſui vivifici, benedicens ei *benedictionibus uberum & vulvæ.* Sed eſt & aliquid amplius, *Honeſtavit*
f Ibid. *illum in laboribus* f. Labores illius reddidit celebres, ut labores Magdalenæ, unctionem ejus applicatam ſacræ humanitati ipſius, ordinando ut omnes Concionatores in poſterum prædicarent id quod actum eſt ab hac Amante ſacra, *Quod habuit hæc, fecit: prævênit ungere corpus meum in ſepulturam. Amen dico vobis, Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, &*
g Marc. 14.8.& 9 *quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus* g. Uno
h Sap.10. 10. verbo, *Et complevit labores illius* h. Id eſt, ſpecioſâ & præclarâ morte. Quàm bona fuit S. Joſephi mors, ſed quàm pulchra! Mors Dimæ, ſeu boni
i Luc.23. 42. Latronis fuit felix: mortuus eſt enim in cruce i prope Jeſum Chriſtum, & coram ejus Matre B.
k Jo.19 25. Virgine, B. Mariâ Magdalenâ, & S. Joanne k: Sed mors S. Joſeph eſt felicior: mortuus eſt enim in-
l Jo.14.6 ter brachia Jeſu qui eſt *Vita* l, & Mariæ, quæ eſt Mater Vitæ: ſuam reddidit animã inter manus illius, qui eam ipſi tradiderat, qui tandem duxit illum in æternitatem gloriæ ſuæ. Admirabilis Director! Communicavit ei prærogativas benedictionum ſuarum.

Audire mihi videor Dei Filium alloquentem Patrem ſuum circa S. Joſephum eo modo quo de Archangelo Raphaële. *Tobias dixit patri ſuo, Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs ejus? Me duxit & reduxit ſanum, & à devoratione piſcis eripuit* m. Nam cùm natus in m Tob. 12.2.& 3 *Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis* eſſem, & *ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum: conſurgens accepit* me, *& Matrem* meam *nocte; & ſeceſſit in Aegyptum: & erat ibi uſque ad obitũ Herodis*, & eriperet me a ſævitia hujus monſtri marini, quod ruinam meam meditabatur. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens, Surge & accipe Puerum, & Matrem ejus. & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam Pueri. Qui conſurgens accepit* me, *& Matrem* meam, *& venit in terram Iſraël. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth n.* Ubi me aluit per maximam vitæ meæ par- n Matt. 2 1.&c. tem, domi ſuæ, ſudoribus & laboribus ſuis. *Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs ejus?* Si verò, Auditores, Jeſus Chriſtus dicit Patri ſuo æterno, *Volo Pater ut ubi ego ſum, illic ſit & miniſter meus* o: potiori ratione o Eccleſia ex Jo. 12 26. id dicet de S. Joſepho, qui eſt pater ſuus putativus. Quàm potens eſt igitur erga Deum, & Mariam: omnia poteſt, & nihil poteſt ipſi recuſari ab his in gratiam illorum, qui ſunt ei devoti, quique ſe precibus & interceſſionibus illius commendant.

Spiritus ſanctus reddidit illum coadjutorem III. Pars myſterij Incarnationis. Obſervate enim, quòd cùm aliquis Venetijs vult domum aliquam ædificare, Reſpublica ſubminiſtrat ipſi fundum; tunc conſtruitur ædificium ſuper paxillos ad ſuperficiẽ maris uſque defixos, Reſpublica reſervat ſibi dominium fundi, & inde ad tectum uſque pertinet ædificium ad illos, qui ipſum conſtruendum ſategerunt ac perficiendum: eo modo ſe res habet in myſterio incarnationis Verbi Divini: omne quod eſt abſconditum, & agitur interiùs in ſinu B. Virginis, pertinet ad Spiritum ſanctum: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Ipſe elaboravit fundum, id omne, quod eſt interius; formavit enim humanitatem ſacram Jeſu in utero Mariæ: ſed illud omne, quod eſt à nativitate, curæ, educatio, &c. hæc omnia pertinent ad S. Joſeph, hæc univerſa attribuuntur S. Joſeph, & ſic Spiritus ſanctus facit illum coadjutorem hujus ineffabilis myſterij Incarnationis.

Humanitas Jeſu Chriſti multùm fuit exaltata per Incarnationem: ſed hæc felicitas contigit ei per peccatum hominum p: & ſicut infelicitas p Gen. 3. 6. & Rõ. 5.12. fratrum Joſeph Patriarchæ, perfectam naſci felicitatem fecit eidem Joſeph †: ſic infortunium o- † Gen. 50. 20. mnium hominum hanc procuravit fortunam S. Joſepho, ut fieret coadjutor Spiritus ſancti in hoc myſterio incarnationis, ubi redemptio eorundẽ cunctorum hominum peracta eſt. Multæ ſunt opiniones circa hoc myſterium. Aliqui dicunt, quòd cùm Deus decreviſſet ab æterno hominibus ſe communicare, ſtatuit unire ſe hypoſtaticè

naturæ noſtræ, & ſic, dato quòd Adam non peccaſſet, non deſtitiſſet tamen Deus homo fieri, non ut paſſus eſſet in natura noſtra: manſiſſet enim impaſſibilis, ſicut eſt in natura ſua Divina q.
q Pſ. 90. 10.
Alij volunt, quòd Deus nullâ habitâ ratione peccati, ſtatuerat ſe incarnare quoad ſubſtantiam, ſed quòd peccato adveniente ſtatuit humanam carnem ſumere, quoad modum, id eſt, in carne paſſibili venire. Sed communiſſima ſententia eſt, quòd Deus prævidit peccatum Adæ, & quòd volens pro eo ſatisfacere in rigore, juſtitiæ ſuæ, miſit Filium ſuum, qui uniens ſe naturæ noſtræ, talem perageret ſatisfactionem. Huic conformis eſt Scriptura, *Miſit Deus Filium ſuum in mundum,*
r Jo. 3. 17
ut ſalvetur mundus per ipſum r. Concordat Eccleſia
s Eccleſia in Symb. Nyc.
s; *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Docet S. Auguſtinus t, *Ve-*
t S. Aug. ſerm. 6. de Verb. Apoſt. c. 10.
nit Salvator ad genus humanum, nullum ſanum invenit, ideò magnus Medicus venit. Suadet & ratio, Quia Deus communicare nobis nobis debebat Verbum ſuum, ut maximam ſuam nobis manifeſtaret charitatem: *Sic enim Deus dilexit mundum,*
u Jo. 3. 16
ut Filium ſuum unigenitum daret u. Atqui veniens in mundum ad illum redimendum, majorem oſtendit dilectionem, quàm ſi in hunc veniſſet ſimpliciter ad uniendum ſe naturę noſtrę; ſicut Princeps qui veniret in aliquam civitatem ad redimendos captivos, multò commendabiliorem ſe redderet, quam ſi ad eandem civitatem videndam duntaxat veniret. Et hoc eſt quod peregit Dei Filius per myſterium Incarnationis, quod operatus eſt Spiritus ſanctus, & cui cooperatus eſt S. Joſeph ut coadjutor Spiritûs ſancti ob rationes præfatas: ita ut dicere poſſimus cum Eccleſia, *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Quæque procuravit S. Joſepho, ut eſſet Coadjutor Spiritûs ſancti in myſterio Incarnationis! Cùm perſequeretur Eſau Jacob
x fratrem ſuum, ex eadem perſecutione conci- x Gen. 27. 41.
liata eſt gloria & favor Dei ipſi Iacob, ſecundùm quod ſcriptum erat de eo, *Major ſerviet minori* y. y Gen. 25. 23.
Sic S. Ioſeph ſuſtinens perſecutionem Herodis in perſona Ieſu Chriſti, ut audiſtis ſuprà, meritus eſt ut eſſet coadjutor Spiritûs ſancti in myſterio Incarnationis, *Mali ſerviant bonis, quia ſuâ perſecutione parant & fabricant eis coronas æternas*, ait Cornelius z. Sic animæ prædeſtinatæ peccatum z Cornel. in Gen. 25. 23.
ſuum gloriam cauſat; ſæpè enim ſinit Deus nos labi in peccatum, ut agnoſcamus ſuperbiam noſtram, & ut agnoſcentes miſeriam noſtram, adeamus ſummum noſtrum Medicum, per interceſſionem S. Ioſeph, qui cùm ſit Pater Ieſu, cumulatus fuerit benedictionibus ejus, & ſit coadjutor Spiritûs S. impetrabit nobis gratiam & gloriam.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. V. MARIAE.

Ecce ancilla Domini, Luc. 1. 38. &c.

LOcuturus de magnitudinibus B. Virginis, æquè ac de humilitate ejus inter maxima exaltationis ipſius motiva, indignus mihi videor ut dicere poſſim aliquid quod accedere poſſit tantiſper ad eminentes illius excellentias, ita ipſa eſt elevata ſupra cogitationes hominum & Angelorum, ſic ut exordiri compellar ſermonē meum iiſdem verbis, quibus S. Epiphanius ſuam incepit Homiliam de Laudibus ſanctæ Mariæ Deiparæ iſtius, *Miſer ego ſum, qui effulgentes ſplendores Deiparæ, radios terribiles, & incomprehenſas facultates cœli, & terræ inhabitatæ myſterium, admirandumque*
† ex Exo. 25. 17.
propitiatorium † *verbis conſequi tentavi. Quis enim hujuſmodi myſterio exprimendo queat ſufficere? Quale vero os pronunciare, quæve lingua proferet? Nequaquam poteſt dicere quod latet. Iam verò audebo, dicam de ſola Deipara, quatenus aſſequor, denuò tamen vereor, utpote qui linguâ non ſim præditus idoneâ ad ea dicenda quæ ſunt valde magna: ſum enim exilis voce, tardâq; linguâ, & minimè diſertus, ut ſic verba facere poſſim de percelebri, ſancta, innupta, & Deipara Maria Matre Domini, de qua leviter loqui non debet humana lingua, pertenuem enim habet vocem illius habitâ ratione, & imminuta eſt lingua, quæ pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Ita ſiquidem vel cœlorum Virtutes in ſtuporem convertit. Obſtupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Throni, Dominationes, Cherubim, ac Seraphim, & Angelorum univerſus exercitus, timore, tremoreq; gravi detenti: quia terrebant illum, qui habitat in*
a Pſ. 2. 4.
cœlis a, *per eam verſari in terra, & exhorreſcebant. Spectabant Virginem, cœlum, & Thronum, & formi-*
b ex Dan. 13. 42.
dabant dum conſpicerent eum, qui principio caret b,
c ex Pſ. 98. 1.
deſcendentem à Throno Cherubico c, *in utero Virgineo ſedere.* Quod cùm ita ſit, Auditores, magna mihi præberi videtur occaſio recedendi à vobis præ ſilentio, nedum aggrediar opus quod meas excedit vires, & captum meum ſupergreditur. Sed licèt Deus prohibeat nobis ne exponamus nos periculo errandi, *Qui amat periculum, in illo*
peribit d, malo tamē confiſus auxilio iſtius B. Vir- d Eccli. 3. 27.
ginis, expoere me periculo, quam tacere laudes Dominæ meæ, & Matris communis generis humani, cùm iſtam à me exigat devotio veſtra temeritatem. Ad hoc officium ſuſcipiendum invitat me illius humilitas, quâ ſe ancillam Dei vocat, quam demirabimur in priore parte diſcurſûs
iſtius. Inducunt me & ejus magnitudines, quas Diviſio.
extollemus in poſteriori parte. Sed antequam opus aggrediamur ſic arduum, imploremus ejus auxilium, & ſalutemus illam cum Angelo, qui dicit ei hodie, *Ave Maria.*

Hunc aggredior repentè diſcurſum ex conce- I. Pars.
ptu S. Ambroſij e, qui conſiderans hunc actum e S. Amb. l. 2. in Luc. 1. 38
heroicum profundæ humilitatis Mariæ, tempore ipſo quo conceptura erat Verbum Divinum in viſceribus ſuis, præ admiratione exclamat, *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemq;* f *paritura, humilitatē* f ex Matt. 11. 29.
debuit etiam ipſa præferre. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officij eſt. Comparatio deſumitur ex ingreſſu Regum, cùm in aliquā intrant civitatem: ſic apparatus B. Virginis ad ſuſcipiendum intra ſinum ſuum Dei Filium, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* g; *per* quem *reges regnant, per* g 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
quem *principes imperant* h, eſt ipſius humilitas, *Ecce ancilla Domini, apparatus officij eſt.* Sed cur B.
Virgo *ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur?* h Prov. 8. 15. & 16.
Sunt aliqui, qui humilitatem iſtiſ definiunt terminis, *Humilitas eſt ſpeculum peracutum.* Philoſophia, imò verò quotidiana vos docet experien-

rieptia, quòd ſpeculum repræſentet nobis omnia oblique, ita ut auris dextera videatur aut appareat ſiniſtra: ſicut autem B. Virgo ſe intuebatur in hoc ſpeculo electa jam Mater Dei, & Regina *i Pſ. 44. 2* ſuprema totius orbis, ordine inverſo ancillam *k Iſa. 53. 2. & 3.* ſe judicat. Jeſus Chriſtus eſt *ſpecioſus formâ præ filiis hominum i*, Nihilominus Iſaias *k* ait de illo, *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus unde nec reputavimus eum.* Ratio illius eſt, *l Matt. 11. 29.* Quia Jeſus ſe intuebatur in hoc ſpeculo humilitatis, quòd omnia obliquè repræſentat, *Mitis ſum, & humilis corde l.*

Nihil eſt glorioſius in mundo, quàm eſſe ſervum Dei, propterea B. Virgo de hoc auguſto gloriatur titulo, *Ecce ancilla Domini.* Mementote, ſi placet, Auditores, quòd *cum deſcenderet Moyſes de* *m Exod. 34. 29.* *monte Sinai, ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini m.* Ita tamen ut claritas ejus in ſola facie illius intuenda exhiberetur: at ſuper monte Thabor ubi apparuit in transfiguratione Salvatoris, viſus eſt totus claritate circundatus à capite uſque ad pedes, *n Luc. 9. 30. & 31* *Et ecce duo Viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias viſi in majeſtate n. Hoc eſt, in magna claritate, dignitate, ſeu reverentia apparentes. Nam* *o Dion. Carth. a. 24. in Luc 9. 31.* *Moyſes tanti ſplendoris in hac transfiguratione habuit faciem, quòd Apoſtolorum reverberavit intuitum*, ait Dionyſius Carthuſianus *o*. Quare hoc? Quia in veteri Teſtamento Moyſes erat Dux, ſuper monte Thabor autem apparuit ut ſervus Dei, quod oſtendit nobis, quod gloria ſervi major eſt quàm ſit gloria Domini & Ducis: propter hanc eandem rationem B. Virgo, ut ait S. Ambroſius, *An-* *p Exod. 21. 2. & 3* *cillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur.*

Præcipiebat Deus in Lege *p* veteri, ut ſervi temporales manerent in ſervitute ſpatio ſex annorum, & anno ſeptimo in priſtinam reſtituerentur libertatem, *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.* Sed in hoc erat myſterium particulare, nimirum, quòd Deus volebat, ut primâ die ſervituris ejus auferretur ei veſtimentum, quocum ſervire incipiebat, illudque cuſtodiretur uſque ad annum ſeptimum, quo reſtitueretur ei idem veſtimentum ſimul cum libertate, *Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat.* Miſſam facio expoſitionem aliquorum ſuper hunc locum, qui eum exponunt de peccato, quòd ſcilicet cùm peccator eſt ſervus diaboli, ſpoliatur veſtimento gratiæ, quæ manet in acceptatione Divina, ajunt Theologi, quoad- *q Luc. 15. 17. &c.* uſque rediens in conditionem libertatis, induitur denuò hâc eâdem gratiâ, ſicut accidit filio prodigo, de quo ait ſacer Textus *q*, quòd, ubi eſt *in ſe reverſus, & ſurgens venit ad patrem ſuum, dixit pater ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Ego autem dico, quòd Deus in hoc loco vult nobis ſignificare, quòd inter maximam libertatem, interque feliciſſimam proſperitatem, ſi noſtram ſalotem reddere volumus ſecuram in medio tot tempeſtatum, quas experimur in mari proceloſo hujus mundi, memorari debemus, quòd ſumus ſervi Dei.

r Iſa. 49. 6. Felicitatem, quæ invenitur in hac ſervitute, colligo ex Iſaia *r*, ubi Pater æternus alloquens Filium ſuum eodem inſtanti quo propter amorem noſtrum idem Filius noſtram volebat induere naturam, ut ſe redderet ſervum, ſic illi *dixit, Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & fæces Iſraël convertendas?* Quaſi ei diceret, Fili mi, videturne tibi res exigua, futurum te ſervum meum, cùm naturam humanam indueris? Scito quòd hæc qualitas ita ſublimis eſt, ut æquiparetur maximo honorum, ad quos poſſis unquam exaltari. Sic videmus quòd ubi lectio vulgata dicit, *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi s*: alij legunt apud Lorinum *ſ Pſ. 39. 7* *t Lorin. in Pſ. 39. 7.* *t*, *Aures autem perforaſti mihi.* LXX. verò vertunt, *Corpus autem perfeciſti mihi.* Quibus conſortmans ſe S. Paulus *u*, ait pariter, *Corpus autem aptaſti mihi.* *u Heb. 10. 5.* Ita ut eodem inſtanti quo Pater æternus, Verbum Divinum, & Spiritus ſanctus formaverunt hanc humanitatem ſacram, & compoſuerunt corpus Chriſti in utero B. Virginis, perforaverint ei aures, quod erat nota perpetuæ ſervitutis, ut patet ex ſequela ſupradicti Textûs Legis *x* lati, *Perforabitque aurem ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſæculum.* *x Exod. 21. 6.* Unde docemur non minorem quaſi eſſe honorem, ſervum Dei eſſe, quàm eſſe Filium ejus naturalem. Sic obſervamus, quòd Jeſus Chriſtus tanti duxit iſtam felicitatem, ut voluerit ut illa primum locum obtinuerit inter titulos ſuos: quia Jus *y* docet nos, *Partus ſequitur ventrem. Id eſt, liberi quoad ſtatum matris conditionem ſequuntur.* *y L. Partum. c. De Rei vind.* Propterea, cùm ipſe eſſet Filius ancillæ, ut propria ipſius Mater ſe talem confitetur, *Ecce ancilla Domini*, jure ipſi convenit inter ſpecioſiſſima nomina ſua gloriari de titulo ſervi Dei. Sic iſtam tanti æſtimavit ſervitutem, ut cruci ſuffixus, cùm poſſet allegare Patri ſuo æterno multa ſpecioſa nomina ad hoc ut illum invitaret, ut ſui miſereretur, propoſuerit illi ſolum titulum ſervi, *Domine Deus reſpice in me, & miſerere mei. Da imperium tuum Puero tuo; & ſalvum fac Filium ancillæ tuæ z.* *z Pſ. 85. 11. & 16* Nullum habet validius motivum, quam ut dicat illi, quòd ſit ſervus ipſius, *a S. Aug. in Pſ. 85. 16.* ait S. Auguſtinus *a*, *Da poteſtatem Puero tuo; & ſalvum fac Filium ancillæ tuæ. Dominus, Filius ancillæ tuæ. Dominus Filius ancillæ. Cujus ancillæ? Cui naſciturus quando nunciatus eſt reſpondit, & ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuum. Salvum fecit Filium ancillæ ſuæ, & Filium ſuum. Filium ſuum, in forma Dei. Filium ancillæ ſuæ, in forma ſervi b. De ancilla Dei natus eſt: ergo Dominus in forma ſervi, & dixit: Salvum fac Filium ancillæ tuæ. Et ſalvatus eſt à morte, ſicut noſtis, reſuſcitatâ carne ſuâ, quæ mortua erat. Salvus ergo factus eſt Filius ancillæ.* *b ex Philipp. 2. 6.* Videtis excellentiam quæ invenitur in ſervitute Dei: ſicut enim ſub illis verbis, *Ecce ancilla Domini*, dignitas Matris Dei, Reginæ hominum & Angelorum, omnes gratiæ, & univerſa dona Spiritûs ſancti continentur; ita ſub titulo ſervi Dei, aut Mariæ Matris ejus, tota felicitas, quam poteſt aliquis deſiderare in hoc mundo, continetur eximio modo.

Si autem ſit abſolutè loquendum, nemo eſt qui non ſit ſervus Filij Dei, quippe qui nos omnes redemerit effuſione pretioſi Sanguinis ſui, ut ait nobis Apoſtolus *c*, *Non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* *c 1. Cor. 6. 15. & 20* Super quod S. Ambroſius *d* ait, *Manifeſtum eſt quia qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrij, ſed ejus à quo emptus eſt, ut non ſuam ſed illius faciat voluntatem.* *d S. Amb. in 1 Cor. 6. 20.* Si Dei Filius redemit nos, ſane nos ſumus ſervi ejus, & conſequenter aliam non debemus habere voluntatem à voluntate illius: ſi enim homo continuum exigit ſervitium à ſervo, quem exiguâ ſibi pecuniâ comparavit; quantò potiori ratione noſtrum requirere debet obſequium,

quium, qui ſeipſum pro nobis præbuit in pretium, ut ait idem Apoſtolus *e*, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Propterea Cornelius *f* ſupradicta verba S. Pauli ſic explicans, *Glorificate Deum in corpore veſtro, caſtum illud ſervando in obſequium ſpiritûs, & Dei*, ſubdit, *Notu, portate, non eſt in Græco: Vt equus, ait S. Thomas, portat Dominum & ſeſſorem, & ad ejus voluntatem movetur: ita corpus, Dei voluntati & obſequio mancipetur. Græca addunt, Et in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. q. d. Glorificate & portate Deum, & in corpore, & in mente, quia utraque ſunt Dei.* Dominus qui emit ſervum, poteſt imprimere notam vultui ejus, non autem animę illius, quia ſolùm emit corpus ipſius, ut dixit quidam Ethnicus appoſitè, *Si quis exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere, pars ejus melior excepta eſt.* Sed non ita res ſe habet de ſervis Jeſu Chriſti: ſicut enim illos emit ſecundum animam, & ſecundum corpus, ſic & vult ut in illâ, æquè ac in iſto ſua ferant inſignia.

e Ephe. 5. 2.
f Cornel. in 1. Cor. 6. 20.

Sed obſervandum eſt, quòd in hac ſervitute invenimus libertatem. Eccleſiaſticus *g* iſtud nobis ſalutare tribuit conſilium, *Fili audi, & accipe conſilium intellectûs, & ne abjicias conſilium meum: injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Videte quomodo loquatur de torque, quo Reges honorare ſolent equites Curię ſuę, qui propterea vocantur Equites Torquati. Sed ſi Salomon hortatur fideles ut ſe conjiciant in vincula, quomodo invitat illos ut ſpecioſum torquem aureum collo ſuo imponant, qui torques eſt ſpecioſiſſimum monilium, quæ ſponſus ſuæ præbere poſſit ſponſæ; & nota, quâ ſupremi Principes elevant viros nobiles ad altiſſimas dignitates? Hoc nobis oſtendit, quòd in domo Dei ſtatim ac quis ſervus eſt, evadit magnus Dominus Curiæ ejus; quòd confeſtim ac anima conjicit ſe in vincula, & ſuam videtur amittere libertatem propter amorem Dei ſui, efficitur Sponſa ejus, & ſuſcipit ab eo ſpecioſos torques, & catenas aureas prædivitibus adamantibus ornatas. Hinc intelligi poteſt, quare B. Virgo mox conceptura Verbum Divinum in viſceribus ſuis, pronunciavit hæc verba humilitate plena, *Ecce ancilla Domini.* S. Ephiphanius *h*, ait, quòd tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis eodem inſtanti deſponſaverunt ſibi B. Virginem, quia ipſæ tres ſimul concucurrerunt ad formandam in ſinu ejus humanitatem ſanctam Jeſu Chriſti, *Sancta puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis. Et Pater miſit arrhabonem de cælo Spiritum ſanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cæleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit Chriſtus. Virgineum indumentum, juxta ſuavem Davidis* i *Prophetæ cantionem. In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo. O Sponſi deſiderium ſummæ puritatis, propriam ancillam propenſione, affectu conſtituit Sponſam, & Matrem. Quomodo Virgo invenitur eſſe cæleſtis Sponſa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratiâ, cælum unà cum paradiſo?* Quia cùm ait, *Ecce ancilla Domini*, ipſa fit verè Domina; & licet ipſa glorietur de hac qualitate ancillæ, ipſa ſcit apprimè, quòd hæc ſpecies ſervitutis eſt ſplendidior univerſis totius orbis Monarchijs.

g Eccli. 6. 26.
h S. Epiphan. ſer. de Laudib. Deipar.
i Pſ. 18. 6.

Appoſitè loquitur S. Bernardus *k*, cùm ait, *Libera eſt voluntas mala, quòd voluntas; ſed ſervilis eo ipſo quòd mala.* Quaſi diceret, Cùm voluntas vult excutere jugum Domini ſui, ut vivat libertate hujus mundi contrariâ innocentiæ, confeſtim labitur ipſa in alteram ſervitutem infeliciorem, nimirum paſſionum ſuarum, ut obediat Tyranno crudeliſſimo, ut ait Jeremias *l*, *Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.* Et poſt eum Cornelius *m*. *Princeps in provincijs, id eſt, anima ſuis potentijs & membris imperans, facta eſt mancipium dæmonis (tot ſceptris ſerviens, quot dedita eſt vitijs, inquit S. Hieronymus) quibus dat tributum, cùm ijs omnes ſuas opes & vires impendit, & exhaurit. Sceptrum ergo habet ſuperbia in anima impij: ſceptrum quoque habet avaritia, libido, cæteraq; vitia; tot tyrannis ſervit impius, quot vitijs obtemperat. Nam ſceptrum & dominium rationi eripit, illudque tradit concupiſcentiæ: perinde ac ſi quis Reginæ optimæ coronam detraheret, eamq; meretricis petulantiſſimæ capiti imponeret: regina enim eſt ratio, meretrix eſt concupiſcentia. Ita S. Chryſoſtomus* n. Quod idem eſt, quod ait Petrus Cellenſis *o*, *Servus namque peccati, ſervus eſt tot dominorum, quot vitiorum.* Sequentia autem verba Eccleſiaſtici *p* nobis è contrà oſtendunt bona, quæ inveniuntur in ſervitute Dei, *Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ, & coronam gratulationis ſuperpones tibi.*

k S. Bern. ſer. 29 in Cant.
l Thren. 1. 1
m Cornel. in Thren. 1. 1.
n ex S. Chryſoſt. hom. 11. in Rom. 6. 12.
o Celleſ. l. de Panib. c. 25
p Eccli. 6. 30. & 32.

Sed non eſt hoc totum quod provenit ex hac glorioſâ ſervitute. B. Virgo intuitu ſervitutis ſuæ facit id quod Pater æternus non poteſt facere in æternitate. Pater æternus ipſo ſuæ beatæ æternitatis momento, & in æterna generatione ſui Verbi, quod ipſe jugiter producit †, omnia Divina ſua inſumit attributa; ſed videtur univerſas iſtas perfectiones ſuas fruſtrà inſumere, cùm eas videatur adhibere abſque ulla utilitate: licèt enim adorandæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis multiplicentur *, perfectiones tamen illius ſemper manent eædem in ijſdem perſonis Divinis abſque ulla multiplicatione: ita ut id, quod Deus non poteſt agere in hac æterna productione, quod erat multiplicare ſua attributa, hoc idem adimpleverit B. Virgo, cùm ipſa multiplicaverit & quaſi reduplicaverit eadem attributa, ut ipſa ait in ſuo Cantico *q*, *Magnificat anima mea Dominum.* Ipſa aliquo modo exaltat, & magnum facit Deum ſuum. Et quomodo? Intuitu ſervitutis ſuæ, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Id eſt, *Quia reſpexit per approbationem oculo ſuæ pietatis immenſæ humilitatem ancillæ ſuæ, hoc eſt, me humilem ejus ancillam, meamq; humilitatem ac parvitatem. Et meritò ſpecialiter ſuæ meminit humilitatis, magis quàm virginitatis, charitatis, aut reliquarum virtutum, quibus præeminenter fulgebat, quia per humilitatem præcipuè meruit taliter exaltari, eratq; per eam præſertim diſpoſita ad concipiendum Vnigenitum Dei, ſecundùm quod in incarnationis myſterio conſideratur incarnati majeſtas, quæ tanta eſt ut nonniſi ab humillima, & penè incomparabiliter humili puella decuit eum incarnari & concipi. Virginitas autem fuit diſpoſitio magis remota, nec ipſa ſine humilitate Domino placuiſſet*, ait Dionyſius Carthuſianus *r*. Et hoc eſt quod jam docuerat S. Auguſtinus *s*, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.*

† Pſ. 2. 7
* 1. Jo. 5. 7.
q Luc. 1. 47. & 48
r Dion. Carth. a. 4. in Luc. 148.
s S. Aug. l. de S. Virginit. c. 3.

Sed ut meliùs declaretur hæc veritas, & appareat illuſtrata totâ luce ſuâ, ſuppono loquendo

de

de Deo, quòd ſemper *idem ipſe* t eſt, abſque ullo genere mutationis, ut ipſemet ait, *Ego enim Dominus, & non mutor* u. *Apud quem non eſt tanſmutatio*, ait S. Jacobus x. *Quia omnimoda incommutabilitas, quia eſt plena immortalitas, competit Deo: cùm ſit purus actus, in quo nec eſt potentia limitans, nec differentia contrahens, neque materia uſquam coarctans*, dicit idem Carthuſianus y. Et ſic Divina ejus attributa nullam ſuſcipere poſſunt multiplicationem, aut accretionem; tamen ſi ea conſideramus ſecundùm quod referuntur, & ſecundùm ordinem quem dicunt ad creaturas, B. Virgo videtur illa reduplicaſſe & multiplicaſſe, ea faciendo majora, *Magnificat anima mea Dominum.* Sed quid? fierine poteſt ut Deus reddatur major quam ſit in ſe? Nequaquam, abſolutè loquendo: ſed quantùm ad effectus, quos producit extra ſe. Hæc eſt doctrina S. Bernardini z dicentis, *Magnificat anima mea Dominum, ſcilicet, voce, opere, & affectu: magnificat quidem Dominum omnis creatura, ſed anima mea ſuper omnia.* Sed quomodo? *Ut viſceroſa, tenera, & materna magnificentia pietatis ex Chriſti Matre reſplendeſcat.* Iſtam confirmat S. Anſelmus a verbis iſtis veritatem, *Deus illum ſecundùm naturam humanam exaltavit, in quo Divina Natura dici poteſt exaltata ſecundùm oſtenſionem, quia cœpit ſciri quod erat.* Pater æternus magnificavit Filium ſuum interventu B. Virginis, *cùm in formâ Dei non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* b in ſinu ejuſdem B. Mariæ: ubi ipſe qui ignorabatur (*Verè Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator* c) incepit cognoſci, cùm *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* d. Tunc enim manifeſtatus eſt Deus miſericors nobis, *cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*, ait S. Paulus †, & cum eo Dionyſius Carthuſianus e, *id eſt, hoc tempore gratiæ, quando advênit temporis plenitudo* f, *in quâ ſtatuit Deus ſuccurrere mundo, ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus* g, *apparuit mundo per Chriſti viſibilem ac corporalem præſentiam. Vel poſterioribus, ſcilicet, nobis per fidem, de quibus dictum eſt, Beati qui non viderunt & crediderunt* h, *benignitas, id eſt, clementia, & humanitas à Verbo aſſumpta, Salvatoris noſtri Dei, id eſt Chriſti, qui eſt Deus & Salvator noſter. Hæc apparuerunt viſibiliter Chriſto in terris cùm hominibus converſante, quando circuivit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo* i: *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, id eſt, non propter merita noſtra, quæ nulla fuerunt, quia eramus peccatis obnoxii, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit à poteſtate diaboli, & à reatu æterni tormenti merito ſuæ converſationis & paſſionis; per lavacrum regenerationis, id eſt, per Baptiſmum, qui eſt lotio, quâ ex aquâ & Spiritu ſancto* k *renaſcimur; & renovationis Spiritus ſancti, id eſt, per interiorem lotionem, ſeu infuſionem gratiæ Spiritus ſancti, per quam anima ſpiritualiter renovatur; juxta illud, Renovamini ſpiritu mentis veſtræ* l. *Et, Renovabitur ut aquilæ juventus tua* m. *Quæ etiam lotio interior non ſolùm confertur in Baptiſmo, ſed & in Sacramento Pœnitentiæ, & cæteris Sacramentis. Quem Spiritum ſanctum, id eſt, cujus dona & gratiam effudit Deus Pater in nos abundè, id eſt, clementer & copiosè in Baptiſmo, & poſteà per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, id eſt, merito Chriſti, de cujus plenitudine accepimus omnes* n, *per quem omnia dona gratiæ derivantur ad nos, ut juſtificati, id eſt, à noſtris injuſtitiis & peccatis abluti gratiâ ipſius, id eſt, merito Chriſti, & per infuſionem gratiæ ſuæ, hæredes ſimus Dei, cohæredeſque Chriſti* o, *id eſt, filii adoptivi, ſecundùm ſpem vitæ æternæ, id eſt, vitam æternam ſperando. Vel, hæredes ſimus vitæ æternæ ſecundùm ſpem, id eſt, jam in ſpe, adepturi eam aliquando in re.* Et ſic magnificavit Deum B. Virgo ſuâ ſervitute, ideò appoſitè ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum.*

u Pſ. 101. 28 & Heb. 1. 12
u Malach. 3. 6
x Jacob. 1. 17
y Dion. Carth. art. 2. in Jacob. 1. 17
z S. Bernardin. ſer. 9. de ſept. Verb. B. M. V. 2. 2. c. 1. & ſer. 13. de exalt. B. V. in gloriâ a. 1. c. 4
a S. Anſel. in Philipp. 2. 9
b Philipp. 2. 6. & 7
c Iſai. 45. 15
d Baruch 3. 38
† Tit. 3. 4. &c.
e Dion. Carth. art. 3. in Tit. 3. 4. &c.
f ex Galat. 4. 4
g Luc. 1. 77.
h Joan. 20. 29
i ex Act. 10. 38
k ex Joan. 3. 5
l Epheſ. 4. 23
m Pſ. 102. 5.
n ex Joan. 1. 16
o ex Rom. 8. 16. & 17

Sed ſi B. Virgo magnificavit Deum, ipſa eſt II. Pars. elevata ad tantum magnitudinis gradum, ut qui illam non cognoſcit, non poſſit perfectè cognoſcere Deum: in eâ enim videri poſſunt omnes gloriæ paradiſi. *Adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens, Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum* p. Ubi S. Hieronymus q legit, *Et non exaltabo Dominum.* Super quod reſpondet Iſaias, *Propter hoc.* Quaſi diceret Regi Achaz, Quia times ne potentia Dei manifeſtetur mundo, ipſe demonſtrabit hominibus novum Divinæ potentiæ ſuæ miraculum, *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Sed quodnam erit illud ſignum ita miraculoſum? Forte Cœli cum diverſis planetis atque motibus? Nequaquam. Forſan Stellæ cum variis aſpectibus? Non. Fortaſſis Ignis armatus fulguribus & flammis? Etiam minus. Quid? Aër cum ſuis avibus ſuaviter concinentibus? Aqua cum ſuis undis & fluctibus? Terra cum varietate florum ſuorum, aut venter illius auro fœtus? Vel cubile Oceani margaritis & unionibus fœcundum? Quale igitur erit iſtud ſignum novum & portentoſum? *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* O ſignum, quod nunquam fuerat viſum! in quo nulla alia videbantur conſilia niſi Virgo Mater tenens Deum Filium ſuum in ſinu ſuo præ magnâ admiratione cœli & terræ, & in magnum & ſingulare teſtimonium manus omnipotentis Dei. Dicite mihi, ſi placet, Quidnam vidiſtis in hâc vaſtâ totius orbis extenſione, ex quo conciliare vobis poſſitis notitiam omnipotentiæ Creatoris omnium? Hoc diſcite è verbis ſequentibus Iſaiæ r. *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt.* Univerſæ nationes ſunt quaſi gutta aquæ fluens è ſitulâ extractâ è puteo, & ſicut pulvis qui adhæret ſtateræ: ſi homines ſunt menſura totius, quales erunt homines, tale erit totum: ſed quid eſt cœlum, terra, mare, aër, & ignis, & quidquid continetur in iſtis elementis? *Quaſi ſtilla ſitulæ.* Id eſt, ſicut gutta aquæ quæ fluit è magno vaſe omnipotentiæ Dei, unde oriri poſſunt mundi numero infiniti: ſed unicus eſt mundus, & iſte noſtram ſatiare non poteſt mundus voluntatem affluentiâ aquarum ſuarum. *Et quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* Litera originalis ſeu Hebraica legit, *Et ſicut pulvis tenuis bilancium reputata ſunt.* Quemadmodum levis pulvis nihil addit ponderis illi quod eſt in ſtaterâ: ſic qui voluerit ponderare omnipotentiam Dei, collocando in unâ lance ſtateræ, mundum pro momento aut libramento, videbitur nihil illi ſuperaddere niſi tenuiſſimum pulverem, qui adhærebit bilanci, qui nihil ponderat, cùm, ut ita dicam, nihil ſit, ut dicere videtur conſequenter Iſaias, *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Sicut *in principio creavit Deus cœlum & terram*, unico

p Iſai. 7. 10. &c.
q S. Hier. lib. 3. in Iſai. 7. 18
r Iſai. 40. 15 & 17.

f Gen. 1. 1. &c.

Fiat f, &c. quo, ſi voluiſſet, numero infinitos creare potuiſſet mundos: ſic creans B. Virginem ut eſſet Mater Filii ſui in plenitudine temporum, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege; ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* t: fecit illam talem, eamque tot replevit magnitudinibus, ut potentia ipſius quæ *non habet finem* u, in ſtaterâ poſſit apponi, & ponderari hoc momento ſeu libramento excellentiæ infinitæ. Sic S. Chryſologus x dicebat, *Quantus ſit Deus ſatis ignorat, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur. Pavet cælum, tremunt Angeli, creatura non ſuſtinet, natura non ſufficit, & una Puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, ut pacem terris, cælis gloriam* y, *ſalutem perditis* z, *vitam mortuis* †, *terrenis cum cæleſtibus parentelam, ipſius Dei cum carne commercium, pro ipſâ domus exigat penſione, pro ipſius uteri mercede conquirat, & impleat illud Propheta* *, *Ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.* Qui ergo non cognoſceret B. Virginem, etiamſi cognitionem haberet omnium creaturarum, non poſſet cognoſcere verè & perfectè, nec quaſi menſurare infinitam magnitudinem, potentiam, & majeſtatem Creatoris. Fortaſſis id, quod ego vobis annuncio, videbitur vobis paradoxum, aut hyperbole; ſed, ni fallor, in meam pedibus ibitis ſententiam auditis rationibus meis.

t Galat. 4. 4. & 5
u Baruch 3. 25
x S. Chryſol. ſerm. 140
y ex Luc. 2. 14
z ex Luc. 19. 10
† ex Ioan. 10. 10
* Pſal. 126. 3

Mundus, eò quòd ſit finitus, non poteſt eſſe ſacoma quod poſitum in ſtaterâ poſſit librare Omnipotentiam Divinam, *Ecce, Gentes ſicut pulvis tenuis bilancium reputata ſunt*, ajebat ſuprà Iſaias ſecundùm literam originalem. Tum quia Deus innumeros alios omnipotentiâ ſuâ creare poſſet mundos, ſemetipſos invicem pulchritudine & perfectione ſuperantes: tum quoniam meliorem facere poſſet iſtum, quem videmus, eumque etiam ornare præclaris aliis qualitatibus, quæ perfectionem poſſent illi afferre excellentiorem: ſed quantùm ad B. Virginem, dignitas ejus eſt infinita è parte Divinæ ſuæ maternitatis, quatenus omnipotentia Dei non poſſet illam creare meliorem, ita ut dici poſſit, quòd ipſa ſit ſacoma aut momentum ſufficiens ad librandam omnipotentiam Dei. Iſtud eſt quod docet S. Thomas a, dicens, quòd Deus formare poterat, ſi voluiſſet, omnes res formatas majori perfectione, ſed inter alias inveniri tres ita conſummatas in ſuo genere perfectionis, ut non poſſit illas meliores facere, & hæ ſunt, Humanitas ſancta Filii Dei unita perſonæ Verbi, Beatitudo cœleſtis †, & Divina Mariæ Maternitas, quæ tria opera ſunt dignitatis infinitæ ratione termini ſui infiniti, qui eſt Deus; qui *non habet finem* b. Sic autem loquitur, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito quod eſt Deus; & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ita ut, juxta S. Thomam, Deus potuiſſet, & poſſet adhuc, ſi voluiſſet, & modò vellet, creare terram meliorem, fertiliorem, & abundantiorem, aquam ſalubriorem, aërem puriorem, ignem ſplendidiorem, aſtra lucidiora, cœlos ſpecioſiores, homines ſanctiores, & Angelos perfectiores: ſed quantùm ad B. Virginem Matrem Dei, duæ præclaræ columnæ duntaxat fuerunt ei erectæ, nimirum Virginitas & Maternitas Divina præ illâ auguſtâ inſcriptione; *Non plus ultrà.* Quia prout Mater Dei incapax eſt majoris perfectionis ſuſcipiendæ, quandiu cæteræ creaturæ majores ſemper ſuſcipere poſſunt perfectiones à manu Dei, cujus omnipotentia non eſt limitibus conſtricta, *Ecce non eſt abbreviata manus Domini* c. Et illæ ſemper ſuſcipere poſſunt plus ultra. Si enim quis deſideraſſet eam majorem Matrem, oportuiſſet ut ipſe concepiſſet majorem Filium: ſed reperite, ſi placet, filium perfectiorem & majorem Filio Mariæ, qui non minùs quàm ſuus *Pater cæleſtis perfectus eſt* d: & eſt illi coæqualis, *Ego & Pater unum ſumus* e. Si autem iſtud eſt impoſſibile, ut dixit modò S. Thomas, concludere debetis bonâ conſequentiâ cum eo, quòd *ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius* B. Virgine Deiparâ; *ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Hinc ipſa dicebat ore Eccleſiaſtici f, *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis.* Ubi obſervandum eſt, quòd Eccleſia attribuens hæc verba B. Virgini, mutat nomen, *agnitionis*, in iſtud, *magnitudinis.* Examinemus, ſi placet, hæc verba, quæ multa magna complectuntur myſteria. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Gloſſa Ordinaria legit, *Mater veræ charitatis.* Specioſum epitheton B. Virginis, quæ cùm ſit Genitrix Dei, eſt conſequenter *Mater veræ charitatis.* Quia *Deus charitas eſt* g. Sed B. Virgo unde oritur, quòd cùm afferuntur mundo felicia nuncia Divinæ Maternitatis tuæ, additur, *timoris & agnitionis?* Tanta gloria in te nonne tibi potiùs eſſe debebat anſa capeſſendi gaudii, quàm *timoris?* Declarare volens Eccleſiaſticus magnitudinem Matris, eodem utitur artificio, quod inſumit Pſalmiſta h ad exprimendam magnitudinem Filii, *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* Sed David ad quid affers ad iſtud propoſitum hoc adverbium *terribiliter?* Liceat tibi volenti loqui de juſtitiâ ejus, dicere, *Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum* i. Sed quare hoc attributum dandum eſt Sapientiæ? Videtur Prophetæ contigiſſe idem quod accidit illis, qui ex altâ turri profundam contemplantur vallem; eam non poſſunt intueri, quin caput ipſis circumagatur & gyrare videatur: ſic Propheta conſiderans altitudinem & profunditatem operum Divinorum, vidit ſe obrutum ſacro terrore: magnitudo enim tanta eſt, ut qui illam intuetur, ſtatim ſacro timore corripiatur. Et cùm Petrus Damianus k dicat B. Virginem eſſe idem cum Deo, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis; primo modo eſſentialiter; ſecundo modo operatione; ineſt & illuminatione; quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa:* Guerricus l ait, *De agnitione timor naſcitur.* Si verò Regina Eſther dicere poterat Aſſuero, *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum* m: & ſicut gratiæ confortant ordinariè corda: ſic ego ſtupore totus ſum percitus, B. Virgo Domina mea, ob Divinam magnitudinem tuam, & oculi cordis mei caligine offunduntur intuitu gloriæ tuæ infinitæ, ita ut videar mihi poſſe dicere tibi, *Vidi te* Dominam Domini mei Matrem, *& conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es*, Domina, *& facies tua plena eſt gratiarum.* Et ſi tùm *quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur*,

a S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4
† Ioan. 17. 3
b Baruch 3. 25
c Iſai. 59. 1
d Matth. 5. 48
e Ioan. 10. 30
f Eccli. 24. 24
g 1. Joan. 4. 16
h Pſ. 138. 14
i Pſ. 65. 5
k Damian. ſerm. 1. de Nat. B. M.
l Guerric. ſerm. 2. de Nativ. B. V.
m Eſth. 15. 16

tur,

tur, Petrus autem in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, apprehenſá manu ejus dexterá, allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ; & exiliens ſtetit, & ambulabat; & intravit cum illis in templum; exiliens, & laudans Deum: & vidit omnis populus eum ambulantem; impleti ſunt ſtupore & eſtaſi in eo quod contigerat illi n: quantus ſtupor ciebit eos, qui ingredientur in hoc magnum templum Dei, B. Virginem, ſicut illam vocat S. Epiphanius o, *O beata Virgo Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis qua coruſcantem in cœlo & terrá Solem habes Chriſtum*: in quo ad oſtendendam ſuam omnipotentiam, non ſolum unum exhibuit miraculum, ſed plura, ut ait idem S. Epiphanius, *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti: Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole* p. *Stupendum miraculum in cœlis, mulier geſtans lucem in ulnis. Stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus* q. *Stupendum miraculum in cœlis, mulieris Filius, qui & ipſius, & ſeculorum eſt Pater* r. *Stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis habens Filium Dei, Deum Sponſum Chriſtum. Stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, Infans Virginis effectus eſt.* Summi Principes ſoliti ſunt diebus ſolemnibus erigenda ſatagere ſuper altiſſimis turribus ſuis ditiſſima vexilla & ſigna ſua, & inter alia ſtemmata aquilam Imperialem cum duobus capitibus, & duobus corporibus, ſignificantem unum & alterum imperium quæ debent uniri, & fauſtis præſagiis ſceptro unius ſummi Principis ſubjici: ſic *Rex regum, & Dominus dominantium* ſ, vexillum erexit in faſtigio templi gratiæ, & in altiſſimá cœli arce, collocans in eo pro inſignibus Virginem pulchritudine præditam ſingulari, & Sole amictam, præ hâc inſcriptione, *Signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole* t. *Qui fecit utraque unum* u.

n Act. 3. 2 &c.
o S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.
p Apoc. 12 1
q ex Pſ. 98 1
r ex Hebr. t. 2
ſ 1. Tim. 6. 15 & Apoc. 19. 16
t Apoc. 12. 1
u Epheſ. 2. 14

Beata Virgo, ut audiſtis in principio diſcurſus iſtius ex S. Ambroſio, *ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt.* Nos autem, Auditores, erimuſne ſic ſuperbi ut velimus nos diffiteri ſervos Dei? Virgo Deipara *ancillam ſe dicit Domini*, licèt à momento ſuæ Conceptionis ſuſceperit privilegia, quæ nemini unquam conceſſa fuerunt, niſi ipſi, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* x. Tunc enim præſervata eſt à peccato originali, quod omnes inquinat homines in Adam, *In quo omnes peccaverunt* y. In Nativitate ejus nullam videtis humiliationem: illa enim eſt puriſſima, perfectiſſimaque omnium creaturarum, proptereà vocat illam S. Bernardus z *Opus ſeculorum*. In Aſſumptione ejus non audiuntur niſi glorioſæ exaltationes, *Exaltata eſt S. Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna.* Si aliquæ fuerunt humiliationes in reſiduo vitæ ejus, illæ fuerunt aut in Præſentatione, aut in Annunciatione, aut in Viſitatione, aut in Purificatione ipſius. Humiliationes ipſius in Præſentatione a ſuâ non fuerunt ita notabiles: erat enim tunc triennis duntaxat, & actiones ætatis ſic teneræ non poſſunt æquiparari cum illis quæ fiunt ætate maturá. Hic in Annunciatione ſuá humiliat ipſa ſeſe uſque ad qualitatem ancillæ; ſed ipſius humilitas remuneratur dignitate ſupereminentiſſimá Divinæ Maternitatis, quæ conſtituit omnes ipſius magnitudines. Humilitas ipſius fuit magna, cùm *exurgens abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda, & ſalutavit Elizabeth* b cognatam ſuam: *Manſit autem cum illá quaſi menſibus tribus*, miniſtrans ei prægnanti, licèt ipſa mereretur, ut ſibi miniſtraretur, cùm eſſet Mater Dei. Humilitas ejus fuit incomprehenſibilis, *poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus* c. Ipſa enim quæ *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior, ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna, & Mater* e; voluit apparere ut corrupta, ſeu immunda, ſicut cæteræ mulieres in Purificatione ſuá; ſed in hoc occurſu apparuit ipſa Domina, offerendo Filium ſuum in templo, & faciendo tunc figuram ſacrificii, quod erat ipſa oblatura diſpoſitionibus ſuis interioribus, & conformitate voluntatis ſuæ ad voluntatem Patris æterni, ſtando *juxta crucem Ieſu* f, oſtendendo interim poteſtatem quam ipſa habebat ſuper vitam ejus. *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit*, ait S. Epiphanius loco ubi ſuprà. *Quia Mariam interpretari ſolemus Dominam.*

x Cant. 4. 7
y Rom. 5. 12
z S. Bern. ſerm. 2. de Pent.
a Pſ. 44. 15
b Luc. 1. 39. &c.
c Luc. 2. 22. &c. ex Levit. 12. 4
e S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
f Joan. 19. 25

Humilitas profundiſſima Mariæ! B. Virgo, tu voluiſti apparere ancilla, & talem te conſiteri coram Domino præ humilitate, licèt eſſes elevata ad qualitatem ſupereminentem Divinæ Maternitatis; & quàmvis eſſes Regina cœli & terræ, gloriabaris de hoc titulo auguſto ſervitutis, unde ſunt ortæ univerſæ Magnitudines tuæ: nos autem nolumus nos agnoſcere ſervos, etiamſi ſimus veri, & tot ſerviamus dominis, quot ſunt paſſiones, quæ nobis imperant. Virgo B. obſecramus te ut impetres nobis ſpiritum humilitatis conformem ſpiritui humilitatis tuæ, ut agnoſcamus nos in miſeriis noſtris, ad hoc ut infringamus catenas criminum noſtrorum, & è peccatoribus evadamus Juſti media humilitate quæ viam nobis pandat ad gratiam, & ad gloriam.

FERIA VI. PARASCEVES.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Secundùm Matth. ca. 26 & 27. Marc. 14. & 15. Luc. 22. & 23. & Joan. 18. & 19

OPortebitne ut hodiernâ die nuncium vobis afferam, maximâ vos affecturum triſtitiâ ac faſtidio? Utrum deſtinatus ad hoc ut annunciem vobis funeſtam mortem Patris veſtri, Fratris veſtri, Salvatoris veſtri, Dei veſtri & mei? Poſſibilene erit me cogi deſcribere vobis paſſionem omnium, quarum unquam & audiviſtis enarrationem, maximè ſanguinolentam ac inhumanam? Hæc cathedra tapete nigro circumvelata, hæ imagines velis lugubribus opertæ, hæc altaria ornamentis ſuis ſpoliata impellunt me ut dicam vobis id, quod fortè non potero. Eccleſia ſancta, quæ ſolis delectatur fletibus ac lacrymis, & quæ præ ſe ſatis fert ſuas triſtibus cantibus ſuis afflictiones, exigit à me loco totius conſolationis, ut pronunciem ante filios ipſius orationem funebrem

nebrem chari ſui Sponſi: Inſpirant mihi Angeli ut manifeſtem hominibus id, quod ipſorum Dominus & Magiſter paſſus eſt pro ſalute ipſorum: Pater æternus præcipit mihi ut hodiernâ die prædicem pœnas, tolerantias, & mortem ipſam, quam peccatores intulerunt Filio ſuo. Quàm importuna eſt hæc narratio, quam cogor vobis texere; quòd Deus, qui facit felicitatem & gloriam Angelorum *a*, laboribus angatur ac martyriis; & quòd ille, qui vitam dedit omni ei, quod eam poſſidet *b*, vitam amittat hodiernâ die, ut nos redimat! Spectaculum lacrymis noſtris dignum! Dei Filius moritur hodiernâ die in monte Calvariâ ſuper infami patibulo crucis.

a 1. Petr. 1. 12
b 1. Reg. 2. 6

Oculi mei qui ſpectare debetis horrores funeſtos ſpectaculi tantâ miſeratione digni, cùm illud narrabo Auditoribus meis, poteritiſne permittere linguæ meæ ut hoc importuno fungatur officio, quin veſtris interrumpatis loquelam meam fletibus? Si verum eſt (ut vulgò dicitur) parvos dolores loqui, & magnos tacere, loquelam amittens præ ſtupore, quomodo loqui potero in occurſu doloris ita vehementis, qui cor meum conſtringens, ibi vocem meam tenet interceptam? Heu! *Verbum c* Divinum, Loquela increata & incarnata *d* tacet hodiernâ die ſuper patibulo crucis ſilentio mortis. Quis ſubminiſtrabit mihi ſermones, cùm primus Sermo ſit mutus? Unde fluet ad me aqua, cùm primus Fons *e* ſit concluſus, & præciſus ipſius *aquæ ductus f*? Tace lingua mea, loquimini oculi mei. Dolor eſt dicendi materia: Lacrymæ ergo ſint verba mea. In quamcumque ſe vertant hodiernâ die compaſſione & triſtitiâ repletâ partem oculi mei, quidquid ipſi intuentur, ipſos ad lacrymas excitat, nec exercere valent uſum viſus, quin ſtatim perfungantur officio doloris, cujus imaginem in ſingulis deprehendunt objectis. Si oculos ſurſum attollo, diem video tenebris obſcuratum, Solem deficientem præ miſeratione, & totum cœlum opertum velo nigro ſuper cæruleum expanſo. Si oculos animi mei eò infertam, quò pervenire non valent oculi corporis mei, & eos elevem ad Empyrèum uſque cœlum, Angeli qui lacrymis perfunduntur quòd *Creator omnium g* morti tradatur a ſuis creaturis, quòd majeſtas Dei, hominum proteratur pedibus, ad ſuiipſorum me mducunt imitationem, *Angeli pacis amarè flebunt h*. Si enim non deſcendunt ut nos invitent ad lacrymas moriente ipſorum Domino & noſtro, ſicut deſcenderunt eo nato *i*, ut nos ad lætitiam & ad exultationem excitarent, hoc eſt, quia tunc gaudio dilatabantur corda ipſorum; nunc autem dolore & triſtitiâ conſtringuntur. Si autem deorſum oculos meos deprimam in hunc mundum inferiorem, quidquid in eo ubique deprehendo, præ ſe fert imagines triſtitiæ, quæ me ad lacrymas provocant. Si terram aſpiciam, concutitur illa præ miſeratione; ſi lapides, ſcinduntur illi: ſi ſepulchra, aperiuntur ea; ſi templum, *velum* illius ſcinditur *medium*; ſi Apoſtolos, ipſi fugiunt; ſi Virginem ſacratiſſimam, *gladius* † doloris ſanctum ipſius tranſfigit pectus; ſi Mariam Magdalenam, cor ejus liqueſcit, & ex oculis diffluit; ſi filias *Ieruſalem*, lacrymis totæ ſunt ipſæ immerſæ: Si intuitus meos ad infernum uſque protendam, id eſt, ad limbum, mortui reſurgunt, ut defleant nobiſcum.

c Pſ. 44. 2
d Ioan. 1. 14
e Pſ. 41. 3
f Eccli. 24. 41
g Eccli. 24. 12. &c.
h Iſai. 33. 7
i Luc. 2. 10. &c.
† Luc. 2. 35

Heu! ſi dolor hic generalis commovet cœlum, tangit terram, & ad inferos ipſos uſque deſcendit, nonne corda doloris ſtimulis agitabuntur? Cùm omnes univerſim creaturæ, imò verò rationis & ſenſûs expertes miſeratione afficiantur, moriente Domino ipſarum ac Creatore, erimuſne ſoli, qui ei non compatiamur? Ipſâ horâ, quâ Chriſtus extremum vitæ efflavit halitum in monte Calvariâ ſuper infami patibulo crucis, ſubito dolore correpta fuiſſe dicuntur univerſorum totius orbis hominum corda, cujus tamen doloris cauſam ipſi ignoraſſe perhibentur. Nos verò, qui ſcimus Dei Filium mori pro nobis, nunquid non ejus miſerebimur? Illi qui neſciebant mortem ejus, commoti ſunt dolore intuitu mortis ipſius; ii verò, qui eam non poſſunt ignorare, nunne commiſeratione erga eam afficientur?

Scimus Deum pati hodiernâ die pro nobis, & pro expiandis noſtris criminibus; nos autem ne unam quidem effundemus lacrymam intuitu dolorum illius, aut impietatum noſtrarum? nec in ullum erumpemus ſuſpirium contritionis ut gratiam noſtri, aut miſerationis erga illum? Heu! Auditores, ſi profectò lacrymas profunderetis intuitu mortis Regis veſtri, patris veſtri, uxoris veſtræ, ſponſi veſtri, filii veſtri, aut filiæ veſtræ, aut alicujus ex amicis veſtris prodigentium vitam ſuam ob amorem veſtrum, aut propter liberationem veſtram ac redemptionem; cur non flebitis his horis matutinis, videntes morientem Dei Filium *Salvatorem k* veſtrum, qui eſt *Rex* * veſter, *Pater l* veſter, Frater *m* veſter, *Sponſus n* veſter, & charus amicus cordis veſtri? Præparate igitur corda veſtra ad ſuſpiria, pectora veſtra ad ſingultus, & oculos veſtros ad lacrymas, ut defleatis amaram illius ac cruentam paſſionem & peccata noſtra, quæ illius ſunt cauſa. Copiam vobis facio hodiernâ die infringendi ſilentii quandiu loquar, dummodò illud infringatis ſuſpiriis; & interrumpendi ſermonis mei, dummodo verba mea lacrymis veſtris interturbetis. In materiâ enim ſic funeſtâ melius diſſerent oculi veſtri quàm lingua mea, lacrymæ veſtræ erunt magis diſertæ quàm verba mea. Si verò præ nimiis lacrymis veſtris tacere cogar, non poſſum felicius vincere, quàm lacrymis & fletibus veſtris victus.

k Philipp. 3. 20
* Pſ. 23. 7. &c.
l Matth 6. 9
m Rom. 8. 29
n Pſ. 18. 6

Sed quemnam invocabimus, qui noſtram deducat navim in tam profundo ac immenſo doloris, lacrymarum, & ſanguinis mari fluctuantem? Heu! Ecce ego deſtitutus ſpe & auxilio, quæ proveniant è cœlo, vel è terrâ, cùm omnia ſint dolore concuſſa, & Pater æternus ac Spiritus ſanctus adversùs noſtra ſint irati crimina. Heu! Virgo ſacratiſſima, innitebatur aliàs tota ſpes mea anchoræ propitiæ auxilii tui, uſque nunc impetraveras mihi & procuraveras gratias cœleſtes: Sed cùm te videam hodiernâ die eclypſim pati *juxta crucem*, ſpe omnino decido me poſſe à te audiri, & ſic Angelicam offerre tibi non audeo Salutationem, quæ te *gratiâ o* plenam ventilat ac felicitate, cùm te omnium infortuniorum ſcopū intuear ac infelicitatum. Ad te igitur accedo ſanctiſſima Crux, ſola felix mediam inter hanc infelicitatem generalem; Crux glorioſa & victrix; Crux ſplendida, atque triumphans; Crux adoranda ob aſperſionem pretioſi Sanguinis Jeſu Chriſti tibi ſuffuſi; hodiernâ die fluctuans in hoc mari agitato procellis Paſſionis Salvatoris mei, ad te recurro ut ad aſylum meum, ut ad portum meum, ut ad pharum meam, ut ad cynoſuram meam; idcircò proſterno me ante te præ omni humilitate poſſibili, quâ tibi meas exhibeam reverentias, dicens, *O Crux ave ſpes unica*.

o Luc. 1. 28

La-

Loquens S. Paulus de conſilio, quo Pater æternus propoſuit mittere Filium ſuum in mundum, ait id ita ſtatuiſſe eundem Patrem æternum, ut Filius ſuus homines ſibi reconciliaret, *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive*
p Coloſſ. 1. 20 *quæ in cælis ſunt* p. Ut autem concipiatur, ut decet, gravitas & pondus hujus pacis & reconciliationis generalis, quam Verbum Divinum humanâ carne indutum operatum eſt hominum cum Patre ſuo jure merito irato adversùs illos à peccato Protoplaſti ipſorum; Sciendum eſt naturam Dei ſic peccato eſſe diſſentaneam, ut non
q Pſ. 5. 5 ſolùm Deus illud nequeat cõmittere *q*, imò verò nec illud pati valeat, in quocumque inveniatur illud ſubjecto, quod induxit illum, qui præceſſit
r Eccl. 1. 16 *omnes ſapientiâ, qui fuerunt* r, Reges, ut diceret, *Similiter autem odio ſunt Deo impius, & impietas*
† Sap. 14. 9 *ejus* †. Sic ſtatim ac Angeli apoſtatæ, hi ſpiritus corporeæ concretionis expertes ipſum offenderunt in cœlo, nimiâ licentiâ alas intellectus ſui infelici vento ſuperbiæ ac vanitatis exponentes, illos ejecit Deus è præſentiâ ſuâ, & eos *ad infer-*
ſ Iſa. 14. 15. &c. *num in profundum laci* ſ detraxit, in quo arrogantiæ ſuæ pœnas luerent ſempiternas. Idem accidit Protoplaſto noſtro; non enim prius tranſ-
t Gen. 3. 6 greſſus eſt mandata Dei ſui, cum *comedit* t fructum ſibi ſub pœnâ mortis oppetendæ illico pro-
u Gen. 2. 17 hibitum *u*, cùm ſtatim incurrit inimicitiam Dei; & cùm factus eſſet conſcius criminis, evaſit miſer; *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo volupta-*
x Gen. 3. 23 *tis* x, poſtquam ſpoliaſſet eum gratiis & donis, quibus animum illius ditaverat. Ob hanc eandem
y Gen. 6. 5. &c. rationem, cùm non poſſet pati peccatum *y*, diluvio univerſum mundum immerſit generali
z Gen. 7. 17. &c. z. *Pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur &*
a Gen. 19. 24 & 25. *ignem à Domino de cælo, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium* a in cineres redigendo. Inſigni excepit caſtigatione Regem Da-
b 2. Reg. 24. 15. &c. videm *b*, Salomonem *c*, Jeroboam *d*, Achab *e*,
c 3. Reg. 11. 14. &c. & plures alios Reges Juda & Iſraël, qui Divinas
d 3. Reg. 13. 1. &c. leges infregerant, & mandata Dei juxta quòd ea fideliter obſervare tenebantur, non cuſtodierant.
e 3. Reg. 21. 19. &c.

Tantâ autem accenſus fuit Deus ira adversùs homines per quatuor millium annorum Legum naturæ, & ſcriptæ curricula, ut nemini unquam pepercerit niſi poſt longam, ſeveram, & publi-
f 2. Paral. 36. in oratione Manaſſ. cam pœnitentiam *f*. Et ſic Prophetis Spiritum ſuum communicat, loquuntur illi verba terribilia & iracundiâ plena, *Dominus Deus exercituum,*
g Iſai. 1. 24 *fortis Iſraël* g; *Dominus terribilis* h; *Abſque miſeri-*
h Pſ. 63. 3
i Oſee 1. 6 *cordiâ* i: *Ecce Dominus ſubvertens montes & conte-*
k 3. Reg. 19. 11 *rens petras* k. Quis igitur mitigare poterit Deum ſic validè & ita juſtè iratum? Heu! invenieturne aliquis, qui reſiſtat torrenti ita rapido juſtitiæ & iracundiæ Dei? Angeli cœli aperite, ſi placet, viſcera charitatis veſtræ, & ſuccurrite hominibus in tantas reductis anguſtias, mitigantes hunc Deum iracundum, qui tanto vos afficit honore, ut vos libenter Divinæ ſuæ ſinat intereſſe præ-
l Iſai. 6. 2 ſentiæ *l*. Sed quid ago? Auditores. Non eſt meus procedendi modus rectæ rationi conſonus, cùm ad Angelos recurro, quippe qui tremunt coram
m Job 26. 11 Deo, *& pavent ad nutum ejus* m. Illorum merita ſunt nimis exilia, ut nobis tantam gratiam impetrent. Quis igitur conciliare poterit pacem inter nos & Deum? Scitiſne aliquem, Auditores, qui valeat nos ſibi ſic devincire, ut reconciliet nos Patri æterno? Nequaquam reverâ. Nullus enim eſt, qui hanc reconciliationem poſſit ſuſcipere, ſed illa eſt reſervata Deo homini

facto, quippe qui ſolus poteſt *omnem iram* n Pa- n Pſ. 84. 4
tris æterni mitigare, & omnino Divinæ ipſius ſatisfacere juſtitiæ.

Propter hanc autem unicam rationem Dei Filius factus eſt homo, ut debetis ſcire. Atqui licèt verum ſit, Salvatorem mundi fuiſſe *in labo-*
ribus à juventute o ſuâ, ut nos reconciliaret Pa- o Pſ. 87. 16
tri ſuo, & ſatisfaceret Divinæ ipſius juſtitiæ, tamen id ſpecialiter operatus eſt Paſſione ſacrâ ſuâ, ut dixi jam vobis ex S. Paulo, *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt*. De hâc autem Paſſione intendo vobis diſcurrere his matutinis horis, & monſtrare vobis in progreſſu hujus diſcurſus quàm acerba fuerint tormenta, quæ adorandus Salvator meus paſſus eſt, ut mitigaret *omnem iram* Patris ſui æterni jure merito exacerbati adversùs crimina hominum. Sed ut aliquem ordinem obſervem inter tantam pœnarum ac paſſionum il-
lius confuſionem, dividam præſentem diſcur- Diviſio.
ſum in duas partes. In quarum priori videbitis ſupplicia, quæ Chriſtus paſſus eſt in Animâ ſuâ. In poſteriori verò enarrabo vobis tormenta, quæ ipſe pertulit in Corpore ſuo.

Non ignoratis Jeſu Chriſto Domino noſtro Prior Pars.
Jeroſolymam ingreſſo, quinto die præcedenti mortem ipſius in cruce, civitatis illius incolas ſic fuiſſe immemores beneficiorum ab eo ſuſceptorum, ut à nemine receptus hoſpitio, reverti coactus fuerit Bethaniam, quæ erat caſtrum non longè diſtans ab urbe Jeroſolymitanâ, ſitum in radice montis Olivarum, ubi ſacratiſſima Virgo, S. Martha, & S. Magdalena tunc temporis aderant. Die craſtina, quæ erat Lunæ horis matutinis illinc iterùm diſceſſit Jeroſolymam, ut doceret in templo; adveniente autem veſpere rediit adhuc Bethaniam, ut ibi reficeretur cum diſcipulis ſuis. Idem peregit die Martis, *Et intravit Jeroſolymam in templum, & circumſpectis omnibus, cùm jam veſpera eſſet hora,*
exiit in Bethaniam cum duodecim p. Die autem p Marc. 11. 11
ſequenti, quæ erat Mercurii, ſecunda antequàm ipſe mortem oppeteret, ſecretò Apoſtolos ſuos alloquens, ait illis, *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. Non eſt rectæ rationi conſonum, chariſſimi diſcipuli mei, ut celem vobis ſecreta mea.
Alias vobis locutus ſum de morte mea *q*, cujus q Matth. 20. 18. & 19
tamen non determinaveram vobis tempus, diemve, quibus eam paſſurus eſſem: Sed hodiernâ vobis annuncio infallibiter intra duos dies me morte ignominioſâ & infami æquè ac crudeli perimendum pro ſalute hominum. Nemo eſt qui ambigere debeat, Apoſtolos immodico fuiſſe ſtupore attonitos, audientes hæc funeſta nuncia, & cùm non haberent quod reſponderent in tali occurſu Salvatori ſic amara prædicenti, præ ſeſe tulerunt, ut credibile eſt, externas & manifeſtas probationes doloris & triſtitiæ, quibus afficiebantur. Hæc nuntia pariter fuerunt delata ad ſanctas mulieres Martham & Magdalenam, quæ ſtatim totam domum fletibus ac clamoribus repleverunt. Et ſicut verebantur omnes ne affligerent ipſi ſacratiſſimam Virginem, ſic ei de hujuſmodi morte imminente loqui auſus eſt nemo, donec illam die ſequenti Filius ſuus chariſſimus ei annunciavit, ultimùm ei valedicturus, & petiturus ab ipſâ benedictionem, & facultatem mortis oppetendæ in monte Calvariâ. Die tandem ſequenti, quæ

erat Jovis, Apoſtoli ipſum adierunt, *Et primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in civitatem; & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum; & quòcumque introierit, dicite Domino domus, Quia Magiſter dicit: Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe demonſtrabit vobis cœnaculum grande ſtratum; & illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt, ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha.* Salvator igitur noſter diſceſſit horis veſpertinis diei Jovis Bethaniâ cum Apoſtolis ſuis ut veniret Jeruſalem, ibique comederet agnum Paſchalem. Sed antequàm diſcederet, ultimùm valedicere voluit glorioſiſſimæ Virgini Matri ſuæ, extremam ab eâ petere benedictionem, & annunciare illi conſilium diſceſſus ſui. Quo dolore, Auditores, affecturus eſt Dei Filius & Mariæ ſacratiſſimam hanc Matrem ſuam? Jacob animi ferè paſſus eſt deliquium, audiens falſum nuncium mortis filii ſui Joſeph, *Sciſſis veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* r. Et David animam penè agebat, diſcens obitum filii ſui Abſalom, exclamans, *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* ſ? Sed quàm longè gravior futurus eſt dolor ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, cùm amor ipſius erga Jeſum ſit ſine comparatione ullâ major quam foret amor illorum erga filios ſuos.

r Gen. 37, 33. & 34

ſ 2. Reg. 18. 32. & 33

Ecce igitur Salvator mundi ingreditur cubiculum Matris ſuæ, & profundè coram illâ ſe inclinat. Specioſa hæc Stella gratiæ Virgo ſanctiſſima videns Orientem t hunc, præfulgidum Solem u iſtum felicitatis, illi aſſurgit, ut Regem ſuum eum ſuſcipit, ut ſupremum Dominum ſuum illum honorat, illum videt ut Mater, & adorat eum ut Deum ſuum, & caput ſuum inclinans ſuper brachia ſua, gratias illi agit pro viſitatione, quâ ſe dignatur honorare. Hic ſupprimam oblectamentum comis hujus exceptionis, quod tandiu duravit, quandiu ſilentium Salvatoris, ut derelinquam illius notitiam bonis matribus, quæ ſuavi ac tenero filios ſuos proſequuntur amore. Nondum Virgo ſacratiſſima ſuos extraxerat oculos è formoſâ hâc facie Filii ſui, in qua omnia recondita erant mirabilia cùm idem Filius ſuus ipſi annunciat circumſtantias imminentes ſimul ac affligentes pœnarum ſuarum, & animo conſtanti & intrepido ſic illam alloquitur. Non ignoras Mater mea honoratiſſima finem, ob quem deſcendi è cœlo in terram x, & è ſinu Patris mei æterni veni in ſinum tuum, ut naturam ſumerem humanam in caſtiſſimis tuis viſceribus y. Ratio, ob quàm hoc viſitationis erga te perfungor officio, eſt ut tibi gratias agam ex toto corde meo pro puriſſimo ſanguine, quem ſubminiſtraſti ad formandum hoc ſpecioſum Corpus, quod dediſti mihi ad hunc eminentem finem; ut me exhibeam gratum atque memorem beneficii, quo dignata me fuiſti alere tantâ teneritudine, & tam ſuavi affectu, quo me ut bona Mater ſic amanter proſecuta es. Non debes ambigere me tibi mirum in modum agnoſcere me adſtrictum. Sed non poſſum quin afferam tibi nuntium, quod maximâ affecturum eſt te triſtitiâ; obſecro autem te ut illud ſuſcipias, generosè te conformans ad decretâ Divinæ Providentiæ.

t Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12

u Malach. 4. 2.

x Luc. 19. 10

y Luc. 1. 38

Scire autem te volo, tempus, quo perfici debent in me Prophetiæ z, adveniſſe: Idcircò oportet ut à chariſſimo tuo avellar conſortio, & pergam in civitatem Jeroſolymitanam, ut ibi multa patiar tormenta, & mortem tandem acerbam ſimul ac ignominioſam oppetam pro redimendis omnibus hominibus perditis. Et, quia jacula præviſa leviùs feriunt, nec vulnera infligunt lethifera, ſine, obſecro, chariſſima Mater mea, ut annunciem tibi non ſolùm me moriturum infami morte crucis; ſed etiam me conceſſiſſe juſtitiæ Patris mei, me paſſurum in horto Gethſemani triſtitiam ſic acrem, ut illa proculdubio mihi foret mortem illatura, niſi eodem tempore providentium mihi eſſet auxilium ſpeciale, quo validè ei refragaturus eſſem. Ibi effundam etiam Sanguinem meum ex omnibus poris Corporis mei, ut irrigem & fœcundem terram maledictam a peccato hominum. Præterea, Operæpretium eſt ut non ignores (ne fortè ſubito obruaris dolore) me tradendum & vendendum Judæis ab imô ex Apoſtolis meis, derelinquendum ab aliis, ligandum atque vinciendum ut latronem infamem, alapis cædendum ut vilem & nequam hominem, flagellis acerbè excipiendum, ſpinis coronandum, illudendum, & tandem cruci ſuffigendum, mihique mortem, ut uno dicam verbo, ignominioſè inferendam inter duos infames latrones, coram omni populo.

z Dan. 9. 26

a Gen. 3. 17

Non priùs Salvator animarum noſtrarum hæc verba abſolvit, & nuntia iſta protulit, cùm ſtatim ſacratiſſima Virgo Mater ipſius vocem ſimul amiſit ac loquelam, & tanto fuit affecta dolore, ut parùm abfuerit quin anima ipſius ſeparata fuerit illico ex ipſius corpore; & filium ſuum intuens, libenter illum fuiſſet allocuta; ſed præ dolore nimio, quo cor ipſius angebatur, non poterat. Libenter ab eo petiiſſet, ut mundum foret redempturus aliâ viâ mitiori morte; ſed non ignorabat ipſa decreta Divinæ Juſtitiæ eſſe executioni mandanda. Voluiſſet ipſa ei dicere, ut eligeret mortem, quæ præ ſe tantum non ferret horrorem: Sed ipſa agnoſcebat id futurum diſſentaneum flammis ardentibus amoris ipſius infiniti b. Obſecraſſet ipſa eum ex toto corde ſuo ut permiſiſſet ut ipſa moreretur prior, ſed ſciebat ipſa apprimè non decuiſſe ut Mater Redemptoris limbum ingrederetur. Ha! ſaltem moriamur ſimul, dixiſſet ipſa, ſi loqui potuiſſet: Sine, obſecro te, Fili mi, ut Mater tua te morientem moriens comitetur: Sed callebat ipſa ritè id non futurum conſonum ſufficientiæ mortis Filii ſui, quæ innumeros poſſet mundos redimere. Salvator legens in animâ Matris ſuæ notas perfectæ conformitatis ad decreta Divinæ Voluntatis, ordinem interrumpit ſuſpiriorum illius verbis iſtis, dicens ei; Chara anima amoris mei; ſpecioſa dies, cui propria lux mea ſuas debet vices rependere, cùm voluntas Patris mei ſupplantet dolorem tuum, & hæc voluntas tibi ſit æquè chara ac præſentia mea, & æquo conſentias animo oblationi, quam jam jam facturus ſum Corporis mei in monte Calvariâ pro ſalute omnium hominum, antequàm à charâ tuâ avellar ſocietate, ſanctiſſimam tuam, quæſo, impertire mihi benedictionem.

b Baruch 3. 25

Virgo ſacratiſſima, cui dolor cor conſtrinxerat, quæque adhuc anguſtiis premebatur, reſpondet Filio ſuo voce languenti ac penè emortuâ, hoc donum alligatum eſſe Divinitati c, & ad ipſum ſpectare ut ad Deum ſuum, ſeipſam tali ac tanto cumulare beneficio. Salvator, cujus obſequium

filiale

filiale nihil detrahere debebat reverentiæ Matri debitæ, Virgini Matri primatum defert, illamque orat ut ſeipſum benedicat prior ipſa. Virgo ſacratiſſima exhibitura ſuo Filio reverentiam ſuam, illum rogat ut talem dignetur ipſe acceptare primatum, & ut ſeipſam prior ipſe benedicat. Salvator tandem annuens orationi bonæ Matris ſuæ, extendere incipit ac elevare manum ſuam omnipotentem *c* dexteram, & proferens hæc verba ore ſuo Divino, ait: Benedicta fuiſti chariſſima & ſanctiſſima Mater mea ab omni æternitate *d* à Patre meo, qui elegit te Filiam ſuam; à me, qui elegi te Matrem meam; & à Spiritu ſancto, qui te elegit Sponſam ſuam, & ſuarum diſtributricem gratiarum: *Angelus* te benedixit *e* in terra, & iterum ſanctiſſimis ego te cumulo benedictionibus. Gratias ago tibi chariſſima Mater mea pro lacte, quod ſuxi è virgineis uberibus tuis *f*, & pro laboribus, quos in gratiam mei exhauſiſti *g*. Ha! infinitis cumuletur majeſtas tua benedictionibus, chariſſime Fili mi, reſpondet hæc pia Mater. Specioſe *sol* gloriæ, qui infinitos diffudis felicitatis radios, benedictus ſit *Angelus*, qui annunciavit mihi adventum tuum. Unica lampas cœli, quæ *terram* † reples beatitudine, benedictus ſit dies tuæ Nativitatis *h*. Benedictum ſit os tuum, quod virginea ubera mea præ tactu lactaverunt oblectamento. Benedictum lumen cœli, benedicti ſint ſpecioſi oculi tui, & purpureæ genæ tuæ, quas oſculata ſum præ tanta ſuavitate & voluptate. Adorande Amice cordis mei, benedictum ſit ſacrum Corpus tuum, quod ita perſæpè amplexa ſum, cùm eſſes Infans. Cùmque mox ab iſto Corpore ſacro ſævâ ſeparatione ſim diſſolvenda, ſine, obſecro te, Fili chariſſime, ut te deoſculer & amplectar, cùm te ſequi non poſſim, & futurum ſit iſtud extremum oſculum, quo te oſculatura ſum.

c Eſth. 15. 9. *d* Prov. 8. 22. &c. *e* Luc. 1. 26. & 28. *f* Luc. 11. 27. *g* Luc. 2. 51. † Pſ. 84. 2. *h* Luc. 2. 7.

Animæ Chriſtianæ, nunquidnon videtis ſanctiſſimam Matrem Salvatoris mei triſtitiâ incomprehenſibili affectam, & quomodo Filius hic chariſſimus ſuis lacrymis irriget faciem hanc penè emortuam ſanctiſſimæ Genitricis ſuæ Mariæ? Nonne intuemini obedientem hunc Filium qui avellit ſe è brachiis ſuæ Matris amantiſſimæ, ut obediat voluntati & decretis adorandis Divinæ juſtitiæ Patris ſui, & quantocyus pergat ad perferendum ſupplicium, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis i*? Deus bone *k*, cur mihi non licet permanere cum chariſſimâ Matre tuâ, eamque conſolari præſentiâ tuâ mox orbandam? Sed oportet ut ſequar te. Pergamus igitur omnes ſimul, Auditores, ſequamur Dei Filium properantem ad montem Calvariam; non deſeramus eum; quin potius aſſiſtamus ei comites individui: afferamus ei aliquod levamen oculorum noſtrorum lacrymis, compatientes pœnis illius. Sanctiſſima ipſius Mater hoc habet gratum, & nobis illud æquiſſimo permittit animo.

i Philipp. 2. 8. *k* Pſ. 118. 68.

Ponite igitur vobis ob oculos Chriſtum, cùm benedictionem accepiſſet a Matre ſuâ, & veniſſet Jeroſolymam, ubi ſuum condidit teſtamentum, ſanctam inſtituit Euchariſtiam, & cœnam perfecit legalem, greſſus ſuos direxiſſe versùs Gethſemani exiguum pagum ſitum in radice montis Oliveti. Sed Domine quò pergis? Si ingrederis hunc hortum, vincieris, & in carcerem conjicieris. Sic volo, ait Filius Dei; amo vincula, quò liberem peccatores à carcere inferni. Domine, in faciem conſpueris, alapis cæderis, flagellis percutieris, in fruſta diſcinderis. Tantò melius. Obſtinati fortè miſerebuntur mei, ſeu mihi compatientur, & ipſos ſuorum pœnitebit peccatorum. Sed *ad occiſionem l* duceris, & manibus carnificum crudelibus in patibulo crucis ſuſpenderis. Hoc eſt quod ambio; ideo enim cœlum deſerui ut cruci ſuffigerer: Gravitas autem criminum hominum hanc gravem meretur pœnarum paſſionem. Sed *quæ utilitas m* in proventura ex jacturâ vitæ tuæ ac pretioſi Sanguinis tui, cum ita pauci applicare ſibi debeant eorum merita? Ingratum ſibi devincire, eſt illum efficere magis immemorem: & hoc viſcera mea diſcindit, & cor meum angit. Peccator obſtinate in ſceleribus, oportebitne ut hic Sanguis Domini mei tibi fruſtrà effundatur, & tibi ſit inutilis? An expediet ut ob amorem tuum Chriſtus deſerat id, quod habet in terrâ chariſſimum, putà ſanctiſſimam Matrem ſuam, qui crudele pro peccatis tuis ſubeat martyrium, & tamen diſſolutam non deſeras ipſe vitam, cui uſque nunc indulſiſti? Abrenuncia modò his vitiis omnibus, quibus ſic delectaris, & quæ tantis Dominum meum afficiunt ſuppliciis.

l Iſa. 53. 7. *m* Pſ. 29. 10.

Cum perveniſſet igitur ad hortum Gethſemani Chriſtus, incepturus ibi opus redemptionis noſtræ, non ſecus ac Adam opus cœperat ruinæ noſtræ in horto ſeu paradiſo deliciarum; ſumpſit tres ex diſcipulis ſuis Petrum, Jacobum, & Joannem, qui teſtes fuerant gloriæ Transfigurationis ipſius *n*, oſtenſurus eis a priore differentem ſignum, quâ induendus erat ob amorem hominis ipſe, qui ſemetipſum eis exhibuerat intuendum glorioſum in illa viſione; & manifeſtaturus illis, anguſtias Animæ ſuæ majores fuiſſe iis, quæ externis apparere incipiebant, *ait illis, Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem.* Heu! exclamat S. Ambroſius *o*, *Dolet Domine non tua, ſed mea vulnera: non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem* ſublimationem hujus animæ, quæ mori vult *in peccato p* ſuo, differens pœnitentiam ſuam; peccatum N. quod perpetratur in civitate N. quæ tantis Animam tuam agitant anguſtiis: *Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem. Et progreſſus puſillum ab Apoſtolis, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens; Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum? Iterum ſecundò abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Scio equidem aliquos dicere, voluntatem humanam ſic oraſſe. Sed difficultas in hoc ſita eſt, quòd eſſet dicendum in hoc caſu, voluntatem humanam non fuiſſe conformem Divinæ Voluntati, quod fieri non poterat ob unionem hypoſtaticam, quæ utramque tenebat vinculo indiſſolubili alligatam; & ideò dicendum partem inferiorem, ſeu carnem Salvatoris ſic oraſſe, *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me.* Sed Voluntas Divina, & voluntas humana, & ratio hunc motum reprimunt, & reſpondent, *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

n Matth. 17. 1. &c. *o* S. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 22. *p* Joan. 8. 21.

Videtur pars inferior dicendo, *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me*, voluiſſe dicere; Cur vis ut perforetur *ſpinis* hoc Caput innoxium, quod ſemper cogitavit *cogitationes pacis q*? Quare obſcurare vis ſpecioſos hos oculos ſine ullâ intermiſſione versùs Divinam majeſtatem tuam directos? Quomodo ſines ut alapis cædantur hæ genæ ſacro pudore purpuratæ? Ut repleatur *felle* iſtud os, quod indeſinenter emiſit *butyrum & mel r* tuarum laudum *ſ*? Ut flagris excipiantur hoc nor-

q Jer. 29. 11. *r* Iſai. 7. 15. Matth. 3. 4.

deorſum, quod nunqam tuorum excuſſit *jugum* t Matth. 11. 30 *ſuave* t mandatorum, ſed quod illorum expertum u Ibid. eſt ſic *onus leve* u? Utquid deſtinantur clavi ad terebrandas *manus* infinitis gratiis repletas, & ad † Pſ. 21. 17 perforandos *pedes* †, qui *viam mandatorum tuorum* x Pſ. 118. 32 x cucurrerunt? Quomodo permittes ut inſurgatur in vitam meam, quæ venit partum vitam æternam? *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant* y Joan. 10. 10 y. Heu! obſecro te, conſerva eam mihi. Sed ecce illico Voluntas Divina, & pars ſuperior ſeu ratio cum humanâ voluntate generoſè ſubmittunt hanc partem inferiorem, ſeu carnem, quæ ſe determinans ad mortem, ait, *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Sic factum eſt prælium prægrande inter partem ſuperiorem & portiorem inferiorem; & admiſſum ſingulare certamen inter carnem & rationem; carnem, ut à ſe tranſiret *calix* amarus paſſionis, nedum hauriretur, poſtulantem; rationem autem hanc carnem Divinæ Voluntati ſubjicientem. Ex quo conflictu violento proceſſit agonia, & erupit ſudor ſanguineus ex omnibus poris Corporis Jeſu Chriſti, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

Sed quænam eſt afflictio hæc ita magna, & huc onus ita grave, quæ guttas Sanguinis è Corpore Chriſti extrahunt? Noſtra re verâ infirmitas, Auditores, illius ſudorem in ſe ſuſcepit. Morbo laboramus nos, & ipſe nobis medicinam haurit ac potionem. Sed quamnam gratiarum actionem exhibebimus huic Domino pro hoc remedio, quod ſic caro pretio conſtitit Medico, nedum æger pro eo aliquid ſolverit? Ecce quantùm obſtricti ſumus Salvatori. Conſideremus anguſtias, ad quas eſt ille redactus. Infinitis eſt ipſe impetitus doloribus internis, præliatur præ mortis præſentiâ; vadit & redit è diſcipulis ad Patrem, & è Patre ad Apoſtolos, & undequaque januas deprehendit conſolationi obſeratas. Ne diſcedas anima mea è tuo Salvatore, ut colligere valeas hunc pretioſum Sanguinem in terram collabentem. Peccator accede ad hunc Agonizantem, unica vel guttula hujus Sanguinis emolliet duritiem cordis tui. Heu! Auditores ſaltem præ vobis ferte huc notam veſtræ pietatis, veſtræque compaſſionis erga Dei Filium ſuo Sanguine purpureum: levate illum & ſolamini eum aliquâ ex lacrymis veſtris; fricate eum ſuaviter manibus meditationis veſtræ, & abſtergite eum veſtræ linteo pœnitentiæ.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim venit. Non eſt gravior & atrocior nequitia ipsâ proditione. Perfidia intolerabilis hujus diſcipuli, qui mitem Dominum ſuum manibus inimicorum oſculo tradit hypocritico. Cùm acceſſiſſet igitur Salvator ad diſcipulos ſuos, & inveniſſet eos ſomno ſopitos, excitatis illis ait, *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.* Dormiviſtis ſatis, ecce Judas proditor accedit ad nos; appropinquate ad me Apoſtoli mei, ut amplectar vos, ut vobis valedicam, antequàm brachia habeam vinculis conſtricta. Petre, quem honore ſpeciali proſequor, commendo tibi ovile meum, committo tibi Eccleſiam meam: Joannes, quem diligo ex toto corde meo, ubi es amice chariſſime? Vale dilectiſſime Animæ meæ, commendo tibi deſolatam meam Genitricem. Valete omnes Apoſtoli mei, mementote meî, tuemini Eccleſiam meam, obedite Matri meæ, lætificate eã, levate ejus dolores, conſolamini voſmetipſos, ne me deſeratis, nec ſcandalum patiamini intuitu mei; reminiſcimini eorum, quæ multoties vobis annunciavi. *Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus, miſſi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Deducite eum ſolicitè, & id exequimini omne, quod Synagoga vobis præcepit.

Et procedens in capite legionis, & primus appropinquans accedit ad Jeſum, & impudenter eũ oſculatur, dicens, *Ave Rabbi.* Manſuetiſſimus ille Dominus ita perfido non exacerbatus oſculo, ait illi ſuaviter, *Amice, ad quid veniſti?* Quid te deduxit huc? *Iuda oſculo Filium hominis tradis.* Ac ſi dicere ei voluiſſet, Juda excipienduſne ſic eram à te? Quid petis? Quid quæris? Ob quem finem huc acceſſiſti? Quænam te huc peragenda deduxerunt negotia? Quamnam occaſionem ſubminiſtravi tibi conſpirandi in vitam meam, & moliendæ ruinæ meæ? Judanum fortaſſe te offendi, cùm ante genua tua me proſtravi, ut tibi *pedes* z z Joan. 13. 5 lavarem, eoſque præ tantâ deoſcularer humilitate? Quando *Corpus meum* ſacrum, ac pretioſum meum ſanguinem præ ſic immodicâ præbui tibi charitate? Arripuiſtine forſan inde aliquam faſtidii anſam? Heu! quomodo me tam vilis æſtimaſti, ut me triginta duntaxat divendideris denariis, tam vili pretio, præ tanto deſpectu? Quis captivus fuit unquam viliori pretio venditus? *Amice*, Juda nunquam in Animum induxiſſem, me à te ſic perfidè excipiendum, nunquam tibi diffiſus eſſem. Habebam te in conclavi diſcipulorum meorum velut unum ex iis, quos ſpeciali prærogativâ amoris & dilectionis ſingularis dignabar proſequi; & tamen ſic perfidè me tradis manibus inimicorum meorum jugulandum. Ha! obſecro te, ne te ſacrilego hoc inquines Deicidio; ſed potiùs *revertere* a, revertere in a Jer. 3. 1. &c. conſortium diſcipulorum meorum, & te in poſterum ſic charo ac tenero proſequar affectu, ac unquam te fuerim anteà proſecutus. Hæc amabilia verba mitiſſimi hujus Salvatoris dulcedine & ſuavitate omnino repleta, ſic erant valida ut rupes ipſas in fruſta diſcindere potuiſſent; & tamen cor induratum hujus proditoris nullo modo fuit ipſis emollitum: Sed è contrà traditionem ſuam ac perfidiam ſuam ad exitum deducit; Dominum ſuum tradit manibus illorum infamium miniſtrorum, qui illum quærunt ut mortem ei inferant ignominiâ æquè ac dolore redundantem.

Reflectamus autem nos ſuper noſmetipſos. Quoties cõmiſimus eadem crimina, quæ patravit perfidus hic Apoſtolus? Quoties fuimus nos alii Judæ? Ego autem infelix quot oſcula præbui Salvatori meo, non habens fortè diſpoſitiones requiſitas accedens ad Altare ſacrum? Vos autem Chriſtiani quoties ad ſacram acceſſiſtis Communionem cùm deſiderio revertendi ad peccata veſtra *b*, vel forſan celato aliquo peccato b 2. Petr. 2. 22 præ pudore in Confeſſione? Quoties vendidiſtis Salvatorẽ veſtrum propter exiguã ac momentaneam voluptatem illicitam? Cogitate, vos in omnibus & ſingulis his actionibus fuiſſe alios Judas, qui vendidiſtis vili pretio Dominum veſtrum, putà triginta denariis, & *oſculo* tradidiſtis eum. Sed ſi Judam actiones ſacrilegas patrantem imitati eſtis, nolite eum imitari obſtinatum. Sinite ut vobis tangat cor mitiſſimus ille Salvator, qui a vobis nihil aliud petit loco mercedis eorum omnium, quæ ipſe patitur pro ſalute ve-

ſtrâ;

ſtrâ, niſi unam lacrymam contritionis & pœnitudinis.

Cùm ſic ſuam perfidus iſte executioni mandaſſet proditionem; *Ieſus ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis, Quē quæritis?* Judas ſignum dederat, & tamen miniſtri non poterant accedere. Reverſus erat ad ipſos Judas, *Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis.* Ita ut Jeſus obviam procedat eis, & dicat illis, *Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Vt ergo dixit eis: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Auditâ hâc voce ſtatim omnes ij milites everſi ſunt penè ſemimortui relicti, & ſic ſtupefacti ac ſi fulmine fuiſſent perculſi. Hoc ſtupore tranſacto, & militibus ſe in pedes erigentibus, & attonitis, ac toto trementibus corpore dixit Jeſus, quò illis adderet animos, Nolite timere ne me defendam, neve vobis aliqua inferatur injuria. Nolo reſiſtere juſtitiæ, cujus eſtis miniſtri, ſed ſolùm queror de vobis, quòd *quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus.* Excipiendus equidem eram mitiori modo, ſed jacta eſt alea; cùm Vadem me conſtituerim in gratiam latronum, & cautam præſtiterim cauſam furum, æquum eſt & rectę rationi conſonum ut capiar non ſecus ac fur atque latro, tenete me, ligate me, agite tandem de me id omne quod volueritis, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Non priùs hæc dixit, cùm ſtatim *cohors, & tribuni, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligaverunt eum*, & trahere cœperunt illum violenter velut reum inſignem, verſis in tergum manibus ac vinculis conſtrictis, & collo fune circundato. Diſcipuli autem intuiti quonam pacto ſuus exciperetur Dominus à juſtitiæ miniſtris, timore ac tremore perciti, fugæ præſidium capeſſunt, eumque inimicorum furori deſerunt expoſitum, *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt.*

Hìc autem, Auditores, ſiſtere debent cogitationes noſtræ, ac piæ meditationes. Hìc incipere debemus lacrymarum copioſum imbrem effundere, & compati Salvatori noſtro ita dirè excepto. Ecce modò captus eſt, ecce funibus ligatus, & vinculis ſtrictiſſimè circumcinctus, & non ſecus ac ſceleratiſſimus exceptus. Magnus Sacerdos Heli audiens nuncium, quo ferebatur, Arcam fœderis fuiſſe captam à Philiſthæis populo Iſraëlitico infenſiſſimis, tanto dolore correptus fuit, & ad tantas redactus anguſtias, ut ſubitâ morte de medio fuerit ſublatus, *Cùm ille nominaſſet Arcam Dei; cecidit de ſella retrorſum juxta*
m 1.Reg. 4.18. *oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt* m. Quis igitur hodiernâ die erit Chriſtianus, qui deliquium non patiatur animi, imò verò qui non omnino mortem obeat, audiens captum à Judæis infenſiſſimis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cujus illa Fœderis Arca erat tantùm figura? Quis poterit deinceps ſubſiſtere, & reſiſtere morti poſt ruinam & jacturam omnimodam illius, qui
n Jo. 14. 6. eſt *Vita* n per eſſentiam? Ecce ducitur Jeroſolymam, ſed quânam exiſtimatis crudelitate? Leones hi rabidi cæco irruunt impetu in eum, qui
o Jer. 11. 19. *quaſi agnus manſuetus portatur ad victimam* o; illum in terram projiciunt, eum pedibus conculcant, illum alapis cædunt; alij ei barbam evellunt, alij capillos ei eruunt, alij illum calcaneis impetunt, alij innumeras adversùs eum vomunt blaſphemias ac maledictiones, & aërem totum horrendis replent clamoribus. Ecce quàm dirè excipi inchoet adorandum Chriſti Salvatoris mei Corpus, quandiu Jeroſolymam ducitur. Pergamus eò uſque, Auditores, eò progrediamur compaſſionibus, ſuſpirijs, fletibus, ac lacrymis noſtris intuitu tormentorum, quæ jam jam paſſurus eſt ipſe in Corpore ſuo. Perpendite ea ſeriò, ſi placet, quandiu pauliſper requieſcam.

Hìc pauſatur.

Media jam advenerat nox, cùm implacabiles Poſterior Pars.
illi miniſtri ingrediuntur Jeroſolymam præ tanto tumultu, ut ſtatim per totam rumor diffundatur civitatem, captum Jeſum Nazarenum à miniſtris juſtitiæ deduci. Quonam perfunduntur Scribæ & Phariſæi gaudio? Quânam lætitiâ exultant Principes Sacerdotum, & Doctores Legis, videntes eum, cui ipſi erant infenſiſſimi, civitatem ingreſſum? Non priùs intravit Jeroſolymam, cùm ſtatim ducitur ad palatium Annæ, *Et adduxerunt eum ad Annam primùm.* Seu quia erat ille ex inimicis Chriſti; ſive potiùs quoniam *erat ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Annas igitur *interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus*, dicens, Eſne tu ille ſeditioſus, qui interturbas jam à tempore ita longo totam noſtram Judæam? Falſus ille Propheta, qui conaris evertere Legem noſtram, & evellere fundamenta Religionis noſtræ? Hic Hæreticus, hic *Samaritanus* p, qui miracula operaris, & *in Beelzebub Principe dæmoniorum dæmonia* q ejicis? p Jo. 8. 48.
Quales habes diſcipulos? Qualem doces doctrinam? q Luc. 11. 15.
Ad priorem interrogationem nihil reſpondet Jeſus de diſcipulis ſuis, nolens manifeſtare ſe ab ijs derelictum, ut diſcamus non aperiendos eſſe defectus proximi noſtri. Sed ad poſteriorem, quoad doctrinam, reſpondet audacter ſe publicè prædicaſſe, & non abſconditè, ut Hæretici, qui clàm doctrinam ſuam pravam ſeminant, *Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Iudæi conveniunt; & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego.*

Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici? Siccine reverentiam exhibes Domino meo? ait Jeſu miniſter ille Satanæ, Salvatori meo colaphum impingens. Infelix creatura, manus ſacrilegæ, quæ Deum ſuum percutere, & Creatorem ſuum alapâ cædere auſu temerario præſumunt. *Quid impudentius? Exhorreſcat cœlum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſervorum impudentia*; exclamat S. Chryſoſtomus r. Impietas in- r S. Chryſoſt. hom. 82. in c. 18. Jo. v. 22.
audita! Sacrilegium execrabile! Creatura percutit Creatorem; Dominus cæditur à ſervo; vermis audet inſurgere in eum, qui toti mundo terrorem incutit. Manus implacabiles, quæ auſæ eſtis percutere faciem Chriſti Divinam, quę conſtituit gloriam Angelorum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* s. Spiritus beati quid agitis ſur- s 1. Pet. 1. 12.
ſum in cœlo ſuper his arcubus cæruleis? Cur non ulciſcimini hoc crimen læſę Majeſtatis Divinæ? Tu verò mitiſſime Jeſu majori præditus patientiâ, quàm viguerit Job t, cur non vibras è cœlo t Job 1. 21. &c.
fulmina, quibus impium ſacrilegi hujus caput conteras, & in cinerem redigas? ſicut aliàs è cœlo impetravit Elias ignem, qui *voravit holocauſtum* u. Quare non præcipis dehiſcere terram, u 3. Reg. 18. 37. & 38.
quæ abſorbeat hunc ſceleratum? ſicut aliàs eadem hęc *aperiens terra os ſuum, devoravit Core morientibus plurimis* x. Ha! video equidem Salva- x Num. 26. 10.

tor adorande, clementiam tuam nullam ſatisfaćtionem exigere ob hanc injuriam, nec ullam velle vindictam ſumere de hac alapa, ut diſcamus quid agere debeamus in hujuſmodi occurſibus. Diſcite hinc homines crudeles, pleni furore & iracundiâ, ſpirantes ſanguinem & cędem, qui tanti honorem mundanum ęſtimatis, diſcite hinc, inquam, modeſtiam prę vobis ferre quoad injurias vobis irrogandas; & patientiam exhibere in contumelijs, quę vobis ſunt eventurę. Conſiderate modum procedendi mitiſſimi hujus Jeſu; & ſi durum ſic vobis videtur hęc omnia paſſu & irrogatas vobis injurias condonatu, nec ullam de ijs vindictam reportatu, Reſpicite *in faciem*
† Pſ. 83. 10. *Chriſti* † veſtri, intuemini hunc adorandum vultum Redemptoris veſtri, qui percuſſus eſt propter amorem veſtrum, & qui exemplo ſuo vos invitat ad oblivionem injuriarum.

Cùm ſic malè excepiſſet *Annas* Dei Filinm domi ſuæ, ipsâ eâdem nocte *miſit eum ligatum ad Caipham Pontificem* generum ſuum, in cujus palatio multarum fuit accuſatus falſitatum, *Cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent, noviſſimè venerunt duo, & dixerunt: Hic dixit; Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Ieſus autem tacebat*, nihil reſpondens ad omnes has calumnias. *Et Princeps Sacerdotum ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Ieſus. Tu dixiſti. Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit: quid adhuc egemm teſtibus?* ita ut totâ hâc nocte ſupplicijs ac deſpectibus fuerit affectus hic *Agnus*
a Jer. 11. 19. *manſuetus ad victimam* ᵃ deſtinatus.

Manè autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & ſeniores populi adversùs Ieſum, ut eum morti traderent. Jeſus autem de novo interrogatus, utrùm ipſe eſſet Filius Dei, in eadem permanet ſententia. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi*, qui videns hanc multitudinem deducentem hunc innocentem Reum, *dixit*, *Quam accuſationem affertis adversùs hominem hunc?* Quid fecit hic homo? Oſtendite mihi cujus ſit iſte conſcius criminis. *Reſponderunt, & dixerunt ei, Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Et incipientes eum calumnijs impetere, allegaverunt, *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Nunquid non enormia ſunt hæc crimina? Nonne idcircò iſte *Reus eſt mortis?* Nefandi deceptores, quam atroces ſunt calumniæ veſtræ, cùm Dei Filius nihil unquam ęquè ſic prędica-
y Matt. 5. 16. & 44 verit ac pacem, & ita eam commendaverit ʸ. Non invenietur ille impediſſe unquam quin Cęſari tributa ſolverentur; imò verò contrarium ſuaſit, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt*
z Matth. 22. 21. *Dei, Deo* ᶻ. Regnum ipſe non ambit, quin imò citò proteſtabitur, dicens, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Pilatus parvi faciens has omnes accuſationes, inſiſtit duntaxat in ijs, quę ſpectant regnum & ſtatum Principis: interrogat ergo eum, *Tu es Rex Iudæorum?* Eſtne verum te regiam aſſumere dignitatem, & velle ſpecioſum hunc uſurpare titulum Regis populi Iudaici in diſpendium Cęſaris Domini mei? *Reſpondit Ieſus, Ego in hoc natus ſum.* Quaſi ei diceret, Felicitas nativitatis meę conſtituit me Regem Iſraël, imò verò totius orbis Monarcham. Alij Reges tales ſunt prę gratia aut privilegio, *Ego autem conſtitutus ſum*
a Pſ. 2. 6. *Rex* ᵃ prę natura. Tamen noli metuere ne aliquod inferre velim authoritati Cęſaris detrimētum, aut regnum ejus nolu aſciſcere. Regna terrena non ambio, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Regna hujus mundi caduca ſunt, & peritura, regnum autem meum eſt permanens, & *regnum omnium ſeculorum* b.
b Pſ. 144. 13.

Iudex agnoſcens ex reſponſis Ieſu, hunc Reum eſſe innocentem, tribunal ſuum deſerit, *Exivit ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam in eo invenio cauſam.* Quidquid adversùs eum profertis, non ſufficit ut in eum debeat pronunciari ſententia mortis ab ipſo oppetendę. Ego autem nunquam eum damnabo, niſi aliquid aliud in medium adducatis. Tunc populus iſte inſanus inhians ſanguini victimę hujus innocentis, contentâ voce inclamavit, *Commovet populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu, gaviſus eſt valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri*, aut illum, ſermonem aliquem ſublimem habiturum tam de ſtatu rerum hujus mundi, quam de ſtatu earum, quæ peragerentur in altero mundo. *Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat*, quippe qui agnoſcebat curioſitatem ejus. Princeps iſte Galilęus profundo exacerbatus Chriſti ſilentio, & Dei Filium mente captum ac inſanum ratus, pręcepit eum albo induendum veſtimento, & ſic ad Pilatum remittendum; *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.* Iniquum hominum judicium! Dei Filius *Sapientia* c increata, ille qui
c Sap. 7. 24.
creavit d & regit orbem univerſum, inſanus re-
d Gen. 1. 1. &c.
putatur ab Herode, & ab Aulicis ejus, & ut talis deſpicitur in compitis civitatis Jeroſolymitanę, in quibus ab omnibus exploditur & exibilatur.

Reverſo Jeſu ſic dirè excepto ab Herode & ab Aulicis ejus, & deriſo in vicis civitatis, *Pilatus convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam invenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.* Propoſitâ igitur illis innocentiâ Jeſu, alteram carpit viam, quâ poſſit eum liberare, *Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum unum.* Solebat liberari reus annis ſingulis feſto Paſchatis adveniente, proponit eis Pilatus Jeſum & *Barabbam, qui erat propter ſeditionem quandam factam in civitate, & homicidium, miſſus in carcerem*, ratus illos dimiſſuros Jeſum, & cruci ſuffixuros Barabbam. Sed re verâ magno fuit attonitus ſtupore, cum audivit illos furioſè clamantes, *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Impietas execrabilis! Majoris ęſtimare latronem, quàm Salvatorem mundi! Barabbam pręferre Ieſu, reum Innocenti, peccatorem Filio Dei, qui eſt ipſa Innnoentia! *Quis audivit unquā talia? Et quis vidit huic ſimile* e?
e Iſa. 66. 8.

Iterùm autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Ieſum, quem ſciebat innocentem, & ut talem publicabat. *At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Unuſquiſque minitatur Præſidi, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Domine Præſes quid cogitas? Sententiam citò profer adversùs hunc nebulonem ac nequam, da-

mna

mna eum ad mortem; alioquin credêris non eſſe ſervus Regi obſequens, nec affectu tuum proſequi Principem; Cæſar jure merito queretur de te, & in jacturam incurres officij tui. *Tolle, tolle, crucifige eum.* Judæi inhumani quid dicitis. Quales voces ſunt iſtæ? Quæ mutatio? Quæ inconſtantia? Quintâ ab hinc retrò die clamabitis, *Hoſanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis* f. Vivat Rex: Ecce Rex
f Matth. 21.9.
noſter. Et modò inſurgentes adversùs eum, intenta voce clamatis, Damna eum, *Crucifige eum.* Pilatus ergo non valens ampliùs reſiſtere Judæorum importunis clamoribus & invidiæ, *apprehendit Jeſum, & flagellavit*, ratus ſe ſic fortè ſatis-facturum rabiei eorum, & impediturum ne vita eriperetur huic innocenti. Ha! Pilate uſque nunc ſatis benè proceſſeras. Sed quàm monſtroſam incipis eruere conſequentiam ex hoc antecedente: *Nullam cauſam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum.* Viſumne fuit unquam ſimile ſpectaculum? Heu! Auditores, ecce Dominus cœlorum, Creator orbis univerſi, gloria Angelorum, Sapientia æterna damnatur ad flagella non ſecus ac captivus aut latro infamis. Ingrediamur modò mẽte prætorium Pilati, ut interſimus huic ſpectaculo, quod noſtra diſcindet corda, etiamſi ſint illa adamantina; & noſtros liquefaciet oculos, licèt glaciem loco pupillarum præ ſe ferant.

Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, exuentes eum. Sic Jeſus innocens, qui agros & arbores viriditate induit, veſtibus ſuis exuitur coram populo innumero. Heu! qualis pudor animæ puræ, ſpecioſo huic Corpori virgineo, quod
g Matt. 1. 20.
erat opus Spiritûs ſancti g, videre ſe nudari coram tot nebulonibus! Immanes illi miniſtri ſpoliantes Salvatorem, invenerunt illius veſtem ſudore ſanguineo in horto Gethſemani præ *agonia* effuſo purpuream, & neſcientes unde id proceſſiſſet, illius cauſam non inquiſierunt, etiamſi illud ſpectaculum nunquam fuiſſet in natura obſervatum. In illum ergo cæco teruunt impetu. Mihi videor illos præ oculis meis poſitos intueri, alium vi capillos eripientem ei, alium contumelijs illum afficientem, alium verò calcaneis ac pugnis eum impetentem. Innocens Jeſus magis purpureus in facie præ pudore, quam Sanguine in Corpore, rigido algent frigore, marmoreę implacabiliter alligatur columnæ, cui jam mille adhærebat amoris noſtri conſtrictus vinculis; torquentur illi manus & brachia, & alligantur ei pedes ab his ſatellitibus, qui verebantur ne, ſi vinculis benè non vincirentur pedes illius & manus, arte magicâ ex ipſorum manibus ipſe ſe expediret. Sed mente conſpicio crudeles hos carnifices triplici flagellorum genere armatos. Alij incipiunt eum percutere virgis ſpineis. Alij nervis bovinis, in quorum extremis partibus pendebant parvi harpagones more calcarium fabrefacti, qui fruſtula carnis auferebant. Alij catenis ferreis adinſtar flagelli, ſeu diſciplinæ compactis, quæ carnem illius conterebant, & ad oſſa uſque lacerabant.

Intereà, Illi qui funeſto huic intererant ſpectaculo, clamabant, Percutite, flagellate hunc nebulonem, & ſeductorem: Inter tantam repetitorum iterùm atque iterùm ictuum grandinem conticeſcit Jeſus, qui nullam habet ampliùs hominis ſimilitudinem, ſed tantùm molis carneæ, ſanguine opertæ. Pellem ei aperiunt, carnem lacerant, omnes venas patefaciunt, viſcera denudant, carnis fruſtula huc & illuc diſpergunt, & ſanguinem circumquaque profilire faciunt. Referunt contemplativi, quendam, qui crudeli huic aderat ſpectaculo, non valentem diutiùs intueri ita ſævam flagellationem, quâ Chriſtus excipiebatur, irâ percitum dixiſſe carnificibus; Quid? Occidetiſne eum, priuſquam damnatus fuerit ad mortem? & vincula juſſiſſe præcidenda, dicens, Miſereremini vos canis ſic excepti; ipſe autem tandem eſt homo. Ruptis vinculis, quibus retinebatur Corpus Salvatoris mei, ipſe ſtatim in terram cadit, non valens ſe ſuſtinere præ multitudine ictuum, quibus percuſſus fuerat, qui pervenerunt ad quinque aut ſex millia circum circà. Implacabiles hi carnifices videntes Salvatorem meum in hunc miſerandum ſtatum redactum, non conſiderantes magnam jacturam Sanguinis, nec exceſſum pœnarum illius, compellebant eum repetitis calcaneorum ictibus ut ſe in pedes erigeret: quòd cùm ille non poſſet, arripuerunt eum alij manibus, alij capillis, & alij barbâ, ſic eum elevantes; ille verò titubans & vacillans, pudore ſuffuſus, humiliter colligebat veſtimenta ſua huc illucque diſperſa.

Anima mea quid agis? Cor meum quid cogitas? Lingua mea evaſiſtine muta? Quodnam cor non contereretur? Quæ durities non emollietur? Quinam oculi abſtinere ſe poterunt ab effundendis lacrymis, ppoſitum ſibi habentes tale objectum? Poſſibilene eſt, Auditores, cor noſtrum dolore non diſcindi, cùm videamus erumpere ſanguinem ex omnibus partibus Corporis Salvatoris noſtri ob amorem noſtrum, & propter ſatisfactionem criminum noſtrorum? *Peccatores, quorum primus ego ſum h*, accedite, & con- h 1. Tim. 1. 15.
ſiderate hos humeros, hæc brachia, hoc pectus, & reſiduum hujus Corporis. Ipſa ſanè vulnera peccatorum veſtrorum & meorum, fœnerationes veſtræ, furta, rapinæ, adulteria, impuritates, ſuperbia, & vita tandem diſſoluta veſtra Dei Filium ad hunc ſtatum miſerandum redegerunt. Conſiderantes eum ſic acriter exceptum, nonne compaſſione erga illum commovebimini, & vos peccatorum veſtrorum pœnitebit? Erumpant oculi veſtri in lacrymas, & corda veſtra in ſuſpiria, & dicite ſuſpirando: Bone Jeſu, Amor animarum noſtrarum, quouſque pervẽnit bonitas tua, humilitas, & charitas? Nos quidem peccavimus, & tu noſtrorum pœnas luis peccatorum. Si non queraris de ſatellitibus Pilati, & de Judæis, Ha! queri potes de nobis, qui ſumus artifices malorum & ſuppliciorum tuorum. Ha! quàm inſigni pretio animas noſtras redemiſti.

Poſtquàm rabidi iſti milites, aut carnifices Chriſtum tantâ flagellaſſent crudelitate, ut verificari poſſet de illo ſicut de Job, quòd percuſſus eſ- i Job 2. 7
ſet *à planta pedis uſque ad verticem ejus* i; quandiu
hic *Agnus manſuetus* † ſuis ſe induebat veſtibus; † Jer. 11. 19.
conſilium ſecum ineunt ſimul, dicendo; Ecce ſeductor iſte vult ſe Regem conſtituere: Euge, excipiamus eum illo, quo dignus eſt, honore; præbeamus ei præclara Regis inſignia. Et ſtatim conveniunt omnes in aulam prætorij, & ſtatuentes Jeſum in medio ſuiipſorum, novâ inceperunt crudelitate evellere ab eo veſtimenta, quæ recenter induerat, quæ cùm jam carni adhęſiſſent, novo affecerunt eum dolore, dum his ſpolian-

liantes eum illi, omnia ipſius renovarunt vulnera. Poſteà *chlamydem coccineam circundederunt ei*, quâ indui ſolebant Reges. Quod fecerunt illi, non ut honore eum decorarent veluti Regem, ſed ut eum deriderent quaſi uſurpatorem regiæ dignitatis Cæſaris. Peractâ hâc ignominia immites iſti miniſtri, Dominorum ſuorum aut Judæorum deſiderijs annuentes, ſibi propoſuerunt capiti illius imponere diadema, ne ullum inſigne deeſſet ei regium. Et capientes ſpinas longas & duras, eas in formam texunt diadematis, quod imponentes capiti illius, tanto percutiebant impetu, ut ſpinarum aculei ipſam ingrederentur cerebri ſubſtantiam; aliæ verò cutiom perforantes in duabus partibus, egrederentur foras, duplex aperientes foramen; quibus peractis, poſtquam *plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus; genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave Rex Iudaeorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Ha! Milites barbari, nunquid non ſatis videri vobis debebat tot ignominijs ac ſupplicijs vos excepiſſe Filium Dei? Nonne ſufficiebat vobis, vos eum flagellis ferè ad mortem uſque cecidiſſe? Oportebatne ut inſemus coronas doloris, & ſceptra dedecoris comminiſcerentur? Heu! Auditores, quàm merito jure dicere poteſt modò Dei Filius, *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus* k.

k Thren. 1, 12

Ubi Dei Filius ſic acerbis fuiſſet exceptus flagellis, ſciens Pilatus nondum mitigatam Judæorum rabiem, nec ſedatum illorum furorem, quippe qui inſtantiſſimè peterent ut cruci ſuffigeretur ille; aliud medium excogitat, quo poſſit illum è manibus eorum ipſius ruinam machinantium omnimodam eripere; ideò Jeſum accerſit, quem arreptum deducit in locum eminentem, è quo conſpici poterat ab omnibus, brachijs funibus conſtrictis, arundine manui impoſitâ, facie alapis cæsâ & ſputis horrendiſſimis fœdatâ, oculis ſanguine perfuſis, barbâ evulsâ, capillis extractis, capite coronâ ſpineâ redimito, humeris purpurâ lacerâ opertis, & toto corpore in fruſta diſciſſo; & contentâ voce, quâ tota perſonuit platea, ſtupore attonitus præ ſpectaculo aliàs inaudito, inclamavit, dicens, *Ecce homo.* Quaſi diceret, *Ecce homo*, quem vos tanquam criminum conſcium adduxiſtis ad me, & poteſtati meæ tradidiſtis. *Ecce homo*, quem dicebatis gloriatum ſe eſſe *Filium* Dei viventis. *Ecce homo*, quem accuſabatis ambitionis, & uſurpationis regiæ dignitatis. Videte quonam ſit coronatus modo, percuſſus, flagellatus, & ligatus. Nolite metuere ne in hunc redactus ſtatum, regnum veſtrum interturbet. *Ecce homo*, Judæi, quem tanto odio, & ſic caninâ proſequimini invidiâ. Nonne tandem vobis ſatisfiet. Hæc magna ſanguinis effuſio, hoc caput *ſpinis* perforatum, iſtud corpus vulneribus penitus confoſſum, ſeu potiùs totum vulnus, quia *à planta pedis uſque ad verticem ejus* percuſſum, nunquid non aliquam excitabunt in vobis commiſerationem intuitu dolorum ejus?

Anima mea, nunquid non aliquâ commoveberis miſericordiâ, intuens hanc imaginem tantâ dignam miſeratione, oculis tuis modò exhibitâ? Nonne ſemimortua es, habens præ oculis tuis Agnum hunc innocentem tantâ exceptum crudelitate? *Ecce homo.* Anima mea intuere hanc Divinam faciem alapis & pugnis percuſſam, ac ſputis fœtidis conſpurcatam, lumen hujus frontis obſcuratum, hos oculos ſerenos pluviâ ſanguinea offuſos, & totum hoc Corpus tenerrimum infinitis confoſſum vulneribus. Heu! Anima mea, ad hunc ſtatum Dominum tuum tua redegerunt crimina. *Ecce homo*, Domini mei Clerici, in ſtatu, in quo negligentiæ noſtræ quoad ea, quę Divinum ſpectant obſequium, & deſidia, cujus conſcij ſumus, dum fideliter non perſungimur munijs, quibus nos honorat ipſe, eum collocarunt. *Ecce homo*, vos omnes, qui tanti honorem mundanum ducitis; intuemini quomodo veſtrâ excepiſtis Dei Filium ſuperbia; *Ecce* ipſe omnium eſt abjectiſſimus hominum. *Ecce homo*, popule Chriſtiane, quem ſic crudeliter laceraſti juramentis & blaſphemijs tuis; quem ſordibus & impuritatibus tuis conſpurcaſti; quem ligaſti & vinxiſti tot deſpectibus Divinorum ipſius mandatorum, & Eccleſiæ ſanctæ. *Ecce homo*, qualeſcumque ſitis vos. Eritiſne obſtinati ſicut hi Judæi? Vultiſne eum morti tradere ſicut illi? Nequaquam. Quin imò debetis ei aliquod levamen veſtrâ afferre pœnitentiâ. Pater æterne, *Ecce homo* talis, qualem eum vis, ad expianda peccata noſtra. *Ecce* Vas noſter. *Ecce* ſatisfactio noſtra. *Ecce* ille qui tibi noſtra ſolvet debita Sanguine ſuo adorando veluti pecunia pretij infiniti. Pater æterne, noſtrorum prægrande erat peccatorum debitum, ſed ſolutio, quæ pro ijs tibi impendetur ab hoc homine, longè profectò major illis erit; cum eam tibi ſolverit ac ſatisfecerit, inde ſupererit adhuc, unde tibi millies ac millies ſatisfiat. *Dimitte nobis debita noſtra* l, quæſumus, ſuſcipe hanc ſolutionem, & noſtrarum miſerere culparum.

l Matt. 6. 12.

Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Legimus Benadab Regem Syriæ devictum ab Achab Rege Iſrael, mitigaturum iram illius, & impetraturum ab eo pacem, miſiſſe ad illum omnes Principes ſuos, & univerſos ſuos Duces, & Aulicos fune collo impoſito, & ſaccis ac cilicijs opertos, ut peterent ab eo veniam, & miſericordiam illius implorarent. Refert autem Scriptura *m* facta Achab intuitum eos ad miſerandum hunc ſtatum voluntariè redactos, eorum ſic fuiſſe miſertum, ut pepercerit eis, & nullam de eis, nec de illorum Rege retulerit vindictam. Eodem ductus Pilatus conſilio credebat forſan, ſe, exhibendo Dei Filium in fruſta diſciſſum, & ſic crudeliter exceptum Judæis intuendum, mitigaturum furorem illorum, ijſque futurum ſatis intueri tormenta, quibus à militibus, & à carnificibus erat ille cruciatus. Sed è contra immites illi magis ac magis malitijs ſuis atque iniquitatibus incumbentes, confuſa voce ſimul clamant, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Oportet ut morti tradatur; hunc ſeductorem amplius videre non poſſumus; indignus eſt veniâ & miſericordiâ: *Tolle eum* è medio noſtri, cruci illum ſuffigendum decerne; & ſcito, tibi, ſi eum abſolvas, Cæſarem fore infenſiſſimum, cùm tuo ritè perfunctus non fueris officio, quippe qui vitam dederis ei, qui ipſi voluiſſet diadema regni eripere.

m 3 Reg. 20. 32.

Pilatus ergo audiens hos omnes clamores, ipſe qui uſque tunc reſtiterat, & tutatus fuerat, quantùm potuerat, innocentiam Jeſu Chriſti; & videns nullum ſupereſſe modum, quo mitigari poſſet perfidus iſte populus, verituſque ne accuſaretur ipſe apud Cæſarem, quòd non plecteret

eos,

eos, qui quietem interturbarent regni illius, & vaſſallos ejus ad ſeditiones & ad rebelliones excitarent; propoſuit ſibi tandem Dei Filium ad mortem damnare. Sedens ergo in ſuo tribunali ſententiam capitalem adverſus eum tulit. *Tunc ergo tradidit eis Ieſum, ut crucifigeretur.* Injuſta & crudelis condemnatio! Perfide & inique Præſes, tu dicebas modò in gratiam hujus Rei innocentis, *Ego nullam invenio in eo cauſam*, quæ morte digna ſit. Et tamen nunc damnas eum ad mortem infamem contra juſtitiam, æquitatem, & reclamantem conſcientiam tuam. Tu dicebas mox, illum fuiſſe innocentem & juſtum, *Quid enim mali fecit iſte?* Et nihilominus adverſùs eum ſententiam profers, quâ mortem crucis ei indicis. Decretum injuſtum! Iniquiſſima ſententia! Salvator meus nunquid non ab ea appellabis? Pater æterne nonne eam revocabis? Virgo ſacratiſſima annon ei te oppones? Vos autem Angeli Beati num illius executionem non impedieris? Heu! non audent. Sic cœlum hoc decrevit. Oportet ergo ut hoc decretum ſanguinarium executioni mandetur ſuper terra in perſona Salvatoris mei.

Heu! Sancte Propheta nunc completum eſt verbum tuum, *Captabunt in animam iuſti, & ſan-*
a Pſ. 39. 11. *guinem innocentem condemnabunt* a. Dies ſanguinolenta & lamentanda! Dies omnium dierum funeſtiſſima! Hac ipsâ horâ Divine Redemptor tibi moriendum eſt, ſed morte maximè ignominiosâ crucis oppetendâ in monte Calvariâ inter duos inſignes latrones. Illuc ſanè te adorande Salvator peccata mea atque diſſolutiones vitæ meæ deduxerunt. Vale igitur Salvator: Vale *Lux vera, qua omnem hominem venientem in hunc*
e Jo. 1. 9. *mundum* e illuminas. Heu! mitiſſime Jeſu, non eſt mihi ſatis vocis ac virium, quibus exprimam tibi dolores meos, & tibi valedicam. Heu! Au-
† Jer. 11. 19. ditores, Jeſus *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam* †, pergit ad montem Calvariam, ut ibi vitam ſuam morte terminet ignominiosâ. Ne deſeramus eum, cùm ob amorem noſtrum in mortem properet oppetendam. Circa horam ſextam aut circiter juxta computationem horologij Jeroſolymitani, & circa horam meridianam, aut circiter ſecundum noſtrum computandi modum, accedentibus ſatellitibus, & congregato populo, educitur innocens Jeſus è carcere, ut ducatur ad ſuſpendium. Ut autem meliùs agnoſcatur, aufertur ab eo hæc veſtis purpurea & proprijs induitur veſtimentis, & ſic procedit diademate ſpineo capiti impoſito, ut ab omnibus irrideatur, aut fortè quia nimis affixum capiti, inde avelli non poterat. Intereà ſatellites ac præcones clangunt buccinis, unuſquiſque turmatim accedit ad hoc funeſtum ſpectaculum: Iuſtitiæ vexillum explicatur ſed iniquæ. Præparata crux imponitur humeris Salvatoris mei vulneribus confoſſis deferenda, quam libentiſſimo acceptat animo, & ardentiſſimo bajulandam capeſſit deſiderio.

Interim crudelis hæc proceſſio rectâ iter incipit arripere montem Calvariam versùs. S. Ioannes audito injuſto judicio adverſùs Ieſum lato, & auſcultatâ immanitate, quâ excipiebatur Dei Filius, non ſecus ac cervus vulnere confoſſus velociter cucurrit ad beatiſſimam Virginem, ut eam admoneret eorum quę peragerentur; quam cùm inveniſſet, ait illi, Propera Domina mea, ſi tuum videre cupis Filium, antequàm mortem patiatur. Iudex tradidit eum manibus inimicorum ipſius, qui ducunt eum ad ſuſpendium. Furor, quo vidi eum exceptum, ſuadet mihi, nobis, ſi tantiſper differamus, annunciandam funeſtam mortem illius, quæ vitam tibi poſſet eripere. His auditis à ſacratiſſima Virgine Deipara incredibili affecta dolore vox pariter & loquela ablatæ ſunt. Sequitur illa S. Ioannem, ut ſuum poſſet Filium comprehendere. Sed heu! ad quem deplorandum ſtatum intuetur eum redactum? Videt faciem illius penitus deformatam, crucem humeris illius impoſitam, duos latrones lateribus ejus adhærentes, & pluribus circundatum carnificibus ad mortem pergentem hunc Filium ſuum dilectiſſimum. Mediam irruit ipſa inter turbam, non ſecus ac torrens qui curſu rapido in mare præceps illabitur, & invitâ ſatellitum ac miniſtrorum rabie ad pedes Filij ſui procumbit, & ait illi voce dolore ac ſuſpirijs interceptâ, Heu! Quid Fili mi chariſſime? Viſne igitur mortem crudelem oppetere, nedum velis ut finis vitæ tuæ, meorum ſit terminus dierum? Miſeratione & compaſſione digna victima pergiſne ſic ad montem Calvariam, ut ibi immoleris ſuper altari crucis, & non ſines ut ultimum dierum tuorum momentum ſit prima nox vitæ meæ? Ecce, Auditores, cumulus dolorum, & ſummus apex pœnarum Mariæ; Filius extremum vitæ mox efflaturus halitum, & Mater præ commiſeratione jam commoriens: Satis diſertus fuit Filius, qui perſuaderet ſuæ Matri, dolores, quos ipſa patiebatur, fuiſſe maximos omnium, quibus ipſe poſſet excruciari, cùm in mundum eum duntaxat ob finem veniſſet, ut ibi pateretur.

Hæc audientes immanes illi carnifices, furorem ſuum magis ac magis accendunt, & Vitam Matris è manibus ipſius eripiunt, nedum tamen illi mortem inferant; & ignominiosè Filium trahunt, ut magis ac magis dolores Matris augeant. Videt illa inſuper pretioſæ carnis Filij ſui fruſtula varijs in locis à carnificibus lacerata. Heu! Quænam ſeparatio Matris à Filio, quem non amplectetur ipſa ampliùs niſi mortuum, & è cruce ſublatum! Illum ergo ipſa ſequitur, & veſtigijs ſanguinis illius inhæret, *Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha; ubi crucifixerunt eum.* Statim ac in montem Calvariam pervenerunt, immanes hos intueor carnifices, alios præparantes malleos, & ingentes clavos; alios explicantes funes, quibus tendant & elevent crucem; alios terebrantes crucem, cujus foramina, percuſſos repetitis iterùm atque iterùm malleorum ictibus clavos excipiant, idcòque priùs metientes brachia & pedes innocentis Jeſu, ut juxta menſuram, aut circiter, crucem appoſitè ad clavos excipiendos terebrent; & alios cavantes rupem, intra quam collocanda eſt crux, & præparantes ligna & fulcra, quibus innixa crux firmiter ſtabiliatur, ne collabatur.

Intereà carnifices inhiantes Sanguini Innocentis, videntes manſuetum Jeſum præ onerosâ hac itineratione valdè fatigatum, humi proſtratum, penè exanimem præ effuſione totius ferè ſui Sanguinis, eum nihilominùs è terra ſublevant violentiâ intolerabili; alij brachia ſua brachijs illius ſupponentes, alij eum veſtibus ipſius exuentes. Heu! Deus bone! Jeſus qui cœlum ſtellis induit, & ornat, terram viriditate & floribus, & Angelos ipſos gloriâ, denuò nudus exponitur intuen-

dus ignominioſè innumeræ hominum multitudini ſuper eminenti Calvariæ theatro. Veſtis ipſius adhærebat carni repetitis flagellorum ictibus contritæ. Auferenda eſt è capite illius corona ſpinea, & ſic denuò renovanda ſunt vulnera omnia ſacri Corporis ipſius lacerati, & in fruſta crudeliter diſciſſi. Hæc ſævitia adversùs eum velociter & dirè exercetur. Alij eum capillis arripiunt; alij illum barbâ trahunt, alij brachio, alij carnem ejus apprehendunt ut canes ſeu lupi inhiantes. Hic *Agnus manſuetus* laceratus, pudore ſuffuſus, oculis in terram depreſſis, corpore vulneribus confoſſo, & ſanguine diffluente, frigore, quod tunc temporis erat prægrande (*quia frigus erat*) algens ac tremens, ſic oculis intuentium erat expoſitus; cùm ſanctiſſima ipſius Mater, juxta Contemplativos, quippe quæ Virgo honeſtiſſima, videns ſanguinolentam Filij ſui veſtem, & pudendam ejus nuditatem, quaſi extra ſe rapta (ut alias Patriarcha Jacob videns tunicâ filij ſui Joſeph, ſanguine tinctam *p*) ſumens linteum, quo ſuum operiebat caput, in medios irruit milites & equites, ut perveniret ad Filium ſuum, cujus nuditatem ſuo obtegeret velo. Heu! miſerande David nude, ſed magis quàm proavus tuus David *q*, ſpoliate juxta arcam crucis, deriſe ab impia Synagoga. Ubinam eſtis Angeli cœli? Cherubins afferte huc alas veſtras, quibus hanc ſtupendam obtegatis nuditatem. Tu autem terra ingrata num folium *ficûs r* non contines in toto circuitu tuo, quo opprobrium hujus noſtri ſecundi Adæ operias?

p Gen. 37. 33.

q 2 Reg. 6. 16.

r Gen. 3. 7.

Compellitur ut ad crucem accedat, in genua procumbit ſic dirè exceptus, & orationem ſuam dirigens ad Patrem ſuum, offert ei ſacrificium Corporis ſui ac Animæ ſuæ. Pater æterne, *incenſum Aaron s* tibi obtulit, & tuam mitigavit iracundiam. Ecce Corpus meum, quod eſt Corpus manûs tuæ, circumquaque perforatum: Pater æterne, demulcere erga miſerandum genus humanum. Satisfiat tibi videre me in hunc ſtatum miſerandum redactum, ut adorandam tuam exactè perficiam voluntatem. Pater æterne, ſuſcipe hoc holocauſtum ut acceptabile & gratum. Imprimis autem memento deſolatæ Matris meæ, miſerere illius, & effice ne nimio dolore moriatur mecum. Rogo te pro toto genere humano, parce peccatoribus, cùm pro eis patiar; ne eos extermines, cùm tanto mihi conſtent pretio: ne intuearis numerum aut gravitatem criminum illorum, cùm dolores mei ea modo antecedant infinitò.

s Num. 15. 37. &c.

Hic carnifices rabie & furore perciti eum illinc violenter attrahunt; alij eum apprehendentes, capillis illum denuò trahunt, cruci applicant, & extendunt eum ſupinum. Unus ex illis nequam accedit, magnum deferens clavum, & applicans extremam ejuſdem clavi partem mediæ manui Salvatoris mei, magnis ac repetitis iterùm & iterùm mallei ictibus clavum percutit, ut eidem paret tranſitum intra delicatam carnem manûs Jeſu Chriſti. Virgo ſacratiſſima audiens mallei ictus, ingenti afficitur dolore. Magdalena, & aliæ ſanctæ mulieres fletibus & lacrymis immerguntur totæ. Diſcipuli, & aliæ probatæ vitæ homines tantos edunt gemitus, ut totus mons Calvaria ſuſpirijs & lamentandis clamoribus perſtrepat. Intereà ſolus Jeſus *quaſi agnus manſuetus* tacet, nedum tantiſper queratur. Unâ Jeſu manu cruci clavo ſuffixâ, & præ magno dolore contractis nervis versùs hanc partem vulneratam, alteram funibus alligatam traxerunt manum, ut foramen jam paratum poſſet attingere. Eodem exceperunt modo pedes, quos cruci clavo, aut clavis (ut aliqui ſentiunt) ſuffixerunt poſt iſtam ſecundam manum, ſed tantam præ ſe ſerentes violentiam, ut eos ſic trahentibus immitibus illis carnificibus, oſſa ſacri pectoris illius luxarentur, & ita diſſolverentur, ut ſingula computari poſſent, ſicut ipſe ait per Prophetam *t*, *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Hoc diro modo ſacrum iſtud Jeſu Chriſti Salvatoris mei Corpus cruci ſuffixum permanſit. Heu! Quis referre poſſet dolorem, quo iſte *Agnus manſuetus* affectus eſt, tanto, & ſic ignominioſo excruciatus martyrio? Heu! Auditores, deficiunt mihi verba. Oportet ut prætermittam reſiduum hujus Hiſtoriæ tragicæ, elinguis ego ſum, deliquium ferè patitur animus meus, & areſcit cor meum; & ſi mihi aliquid ejus ſuperſit, ejuſdem vires colligam, ut oſtendam vobis veſtrum Jeſum crucifixum. Vultiſne ergo eum videre? Ecce pijs volo veſtris ſatisfacere deſiderijs.

t Pſ. 21. 17. & 18.

Ecce Salvator veſter, Auditores. Intuemini heu hoc horrendum ſpectaculum! Videte ad quem miſerandum ſtatum redactus eſt Deus veſter. Heu! nonne videtis hos prægrandes clavos, qui eum ſic crudeliter huic cruci ſuffigunt, quique tot ex eo faciunt proſilire fontes ſanguinis, quo irrigetur terra cordis veſtri? Sed annon aſpicitis totum corpus ipſius percuſſum *à planta pedis uſque ad verticem ejus**, nullam habens ampliùs figuram hominis, ſed leproſi? Nonne videtis eum ſtratum in hoc cubili crucis, graviſſimis cruciatum anguſtijs, quæ ei loquelam eripuerunt? Non loquitur ampliùs, animam præ labijs habet, ac moritur. Heu! mortuus eſt. Sic eſt, Auditores. Jeſus mortuus eſt, *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Heu! veſter Deus mortuus eſt. Non videbitis eum ampliùs, non plùs contemplabimini decôrem vultûs, modeſtiam oculorum, ſuavitatem verborum, & ſplendorem virtutum illius. Heu! deſolati Apoſtoli non vos ampliùs conſolabitur aut docebit *Magiſter u* veſter. Magdalena ubi es? Ecce ipſe qui tuebatur te adversùs Simonem Phariſæum *x*, mortuus eſt, quis te defendet in poſterum? Virgo ſacratiſſima quò perrexiſti? Non audio te, quandiu in lacrymas erumpit unuſquiſque, accede, intuere hunc crucifixum. Eſtne Filius tuus, quem novem menſibus in ſinu tuo concluſum portaſti? Agnoſciſne eum? Contine Sanguinem illius. Terge hanc ſpecioſam faciem, & vide utrùm ipſe ſit. Heu! deſolata Mater dolore ferè eſt exanimis, Filius mortuus eſt, & parùm abeſt quin Mater dolore pereat. Heu! Auditores, erumpamus in lacrymas ac ſingultus. Tu verò anima mea quid cogitas? Nonne morietis præ dolore, cùm *Vita* tua ſit mortua, cùm Deus tuus ſit mortuus? Tranſfigatur igitur cor tuum gladio doloris, contemplando imaginem crucifixi.

* Job 2. 7.

u Jo. 13. 13.

x Luc. 7. 40. &c.

Eja ergo adorande Salvator, in quem deplorandum ſtatum intueor te redactum? *Splendor gloria y* paternæ, quis te ſic dirè excepit? Heu! quid feciſti Fili dulciſſime, Fili benedictionis, ut ſic judicareris? Quod ſcelus commiſiſti, perfectum exemplum decôris & amoris, ut ſic exciperis? Quodnam eſt crimen tuum? Quænam eſt cauſa mortis & damnationis tuæ? Heu! Ipſe

y Heb. 1. 3.

ego ſum tuorum cauſa dolorum, & interitus tui. Ego ſcelera perpetravi, quæ Pater tuus jure merito iratus ſic acriter vleiſcitur, te plectens. Ipſa crimina mea ſunt milites, qui te comprehenderunt, qui te ligaverunt, qui te colaphis ceciderunt, qui te flagellaverunt, qui te ſpinis coronarunt, quique tandem te cruci ſuffixerunt, *Hu plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me z.* (z Zach. 13,6.) Iſ, quos amore proſequebar, & qui amorem meum mutuo tenebantur amore compenſare, ad hunc me redegerunt ſtatum. *Heu!* Domine pœnitet nos tot peccatorum, quæ perpetravimus, cùm ad hunc ſtatum ſic deplorandum redegerint te; eorum veniam profuſis lacrymis, & corde contrito à te poſtulamus, & ſic præ fiducia tuam imploramus miſericordiam. Miſericordiam igitur impertire mitiſſime Jeſu omnibus his Auditoribus, qui eam à te expoſcunt: Miſericordiam ergo omnibus, cùm hic Sanguis adorandus effuſus fuerit pro omnibus. Proteſtamur in poſterum nos te non ampliùs offenſuros, & nihil aliud amaturos, niſi te, cùm tu nos amaveris ad ignominioſam uſque mortem crucis ſubeundam.

Hanc colligere debemus, Auditores, utilitatem ex ſacra & acerba Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti; putà dolorem intuitu peccatorum noſtrorum, contritionem cordis, & emendationem vitæ noſtræ diſſolutæ; alioquin meritis ipſius non communicabimus, & ſic de nobis actum erit. Sic eſt, Auditores; iterùm hoc repeto: Si non convertatur peccator die Veneris ſancto, deſperatam ſalutem illius exiſtimo. Inſignes hodiern à die effecit Deus converſiones; ſensûs expertia præ ſe dolorem & ſenſum ſuo exhibuerunt modo, *Et obſcuratus eſt Sol. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt; & monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Et tota natura aliquo dolorem præ ſe tulit modo in morte Creatoris ſui. Tu verò peccator dolore non commoveberis? Quæ evidentior nota reprobationis tuæ illâ nota? Heu! ne ſis obſtinatus in peccato tuo, Compatere igitur, videns Dominum tuum ſic dirè exceptum pro peccatis tuis. *Ieruſalem, Ieruſalem*, exclamat Eccleſia hâc hebdomadâ Majori, id eſt, Anima Chriſtiana, *convertere ad Dominum Deum tuum.* Poſt tot vulnera, quæ ei inflixiſti, brachia nihilominùs adhuc habet aperta, quibus te ſtrictè amplectatur. Ne differas ampliùs converſionem tuam, ne fortè Deus iſte miſericors ſua claudat brachia. Poſt ſanctam converſionem accende te amore illius pro ſecundo fructu colligendo ex Paſſione, præ conſideratione illius, qoo te ipſe proſecutus eſt, & quem tibi exhibuit hodiernâ die, hoc crudeli exceptus martyrio, & ſic aliquod levamen afferes illi videnti dolores ſuos non eſſe irritos. Et ſic cùm potita fueris Paſſionis illius fructu in hoc mundo, pandetur tibi aditus in gloriam paradiſi in altero, quò te introducat Jeſus Chriſtus crucifixus. †.

IN FESTO PASCHAE.

Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum; ſurrexit, non eſt hic.
Marc. 16. 6. &c.

UBinam inveniemus eum, Auditores? Proculdubio apud ſanctiſſimâm ſuam Matrem. Veniens è cœlo in terram, exiens è ſinu Patris ſui *a* (a Jo. 16. 28.) (quem tamen nunquam deſeruit) ingreſſus eſt ſinum Genitricis ſuæ. Deſcendens è brachijs crucis *b*, (b Jo. 19. 40.) tormentis ac ſupplicijs obrutus, requievit inter brachia Deiparæ. Quare ergo reverſus glorioſus è ſepulchro, victorque redux ex inferno *c*, (c Oſe. 13. 14.) non adiſſet hanc eandem ſanctiſſimam ſuam Genitricem? Quomodo fieri poſſet ut illa, quæ eum è ſinu Patris & gloriæ veluti extraxerat, ut in ſuo illum concluderet ſinu, eundem non eduxerit è ſinu terræ ac inferni? Non eſt rectæ rationi, imò verò nec æquitati conſonum ut illa, quæ prima ſemper ipſius communicavit doloribus, cujus *animam doloris gladius pertranſivit* d, (d Eccleſia ex Luc. 2. 35.) non communicaverit prima gaudijs ejus: ut illa, quæ nunquam ſuum deſeruerat Filium, etiamſi deſertus ille fuiſſet ab omnibus *e*, (e Pſ. 141. 5.) ab Apoſtolis *f*, (f Matth. 26. 56.) imò verò à Patre æterno, ut ipſe queri videretur, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* g? (g Matth. 27. 47. ex Pſ. 21. 2.) non mereatur experiri reciprocum Filij ſui erga ſe amorem. Quonam oblectamento perfundi poſſet tam bonus Filius, quandiu Mater ſua acribus immergeretur doloribus? Poſſumuſne autem credere, eam non perrexiſſe primam ad ſepulchrum, ut ibi videret Filium ſuum; illamque non præceſſiſſe omnes alias ſanctas mulieres? ni fortè jam haberet ipſa apud ſe eum, quem aliæ properavêre inquiſitum.

Pergamus igitur ad Mariam, ut apud eam Jeſum inveniamus. Cum illa proculdubio reperiemus eum. Scriptura ſacra id quidem non refert; nec Angelus de eo loquitur; ſed de hoc nemo debet ambigere; cùm Scripturæ aut chartis mandari non deberet id, quod unuſquiſque cordi debet habere impreſſum; quæ res eſt facilior creditu, quam ſcriptu. Eam revocare in dubium, planè eſt ſe exhibere neſcium virtutis Filij, aut meritorum Matris. Quòd ſi hæc ſancta Mater de hoc non loquitur, ratio ilbus eſt, quòd cùm ipſa ſit magis quàm Mulier, novit ipſa ſilentium ſervare, tacere ſecretum, & gaudium celare. Adeamus igitur Mariam, & ſi die Veneris ſancto præcedenti illi ſummo dolore affectæ fuimus compaſſi, cùm carnifices eripuerunt è manibus illius Filium ipſius dilectiſſimum, ut eum infami patibulo crucis ſuffigerent & morti traderent; accedamus nunc ad eam, ut communicemus lætitię ipſius gaudentis ob reditum glorioſum ejuſdem Filij victoris de morte, triumphantiſque de inferno: &, ut congratulemur ei propter gloriam Filij ipſius reducis, dicamus ei certatim, gaudium præ fronte, & cor præ labijs ferentes, *Regina cœli lætare.*

Etiamſi Dei Filius infinito nos devinxerit ſibi modo, cùm ſuſcitaturus nos à morte peccati ad vitam gratiæ, effecit ſe Vitam noſtram; & educturus nos è denſiſſimis, quibus eramus involuti, ignorantiæ tenebris, ipſe ſe voluit exhibere Veri-

tatem noſtram; veniâ tamen prius ab illo petitâ dixerim, quòd ambæ eminenſes hæ qualitates fuiſſent inutiles niſi eis junxiſſet tertiam, quæ eſt Via, per quam acceſſus daretur ad duas priores perfectiones. Idcircò agnoſcentes Antiqui quantâ difficultate per vias forent ipſi deducendi ordinarias, fixos erexerant in vijs ſeu itineribus publicis Mercurios, qui manibus ſuis magna indicarent itinera, ne à recta via declinarent capeſſenda viatores, qui memores illius beneficij, lapidem projiciebant ad pedes hujus ſtatuæ. Atqui ſi deducendis hominibus neceſſarius erat falſus Deus: potiori jure neceſſarius erit verus Deus iiſdem in cœlum deducendis. Hic Deus eſt Jeſus Chriſtus, *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita* h. Ipſe eſt ſola Via, per quam poſſumus securè & facilè adire Deum. Si enim aliæ darentur, ipſæ forent vel ratio, vel creaturæ, vel Lex Moyſis, quæ viæ non ſolùm ſunt inutiles, ſed ferè omnes ſunt periculoſæ.

h Jo. 14. 6.

Id operari non poteſt ratio, licèt enim ipſa habeat boni ſemina, quæ nos ad virtutis exercitium, & ad bonorum operum praxim inducunt, pravos habet etiam ipſa affectus, qui nos ad malum patrandum, & ad laxandas ſceleribus habenas ſolicitant, *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* i. Præterea, Cùm ſpiritus, qui eſt ſedes rationis, ſit concluſus in corpore, quod eſt ipſi inſenſiſſimum, nihilque ipſe videre aut intelligere poſſit niſi beneficio ſenſuum, qui ſunt conſcij corporis; propter hanc rationem ſpiritus tanto carnem diligit affectu, ut conſentiat deſiderijs ejus, ne illam contriſtare videatur. Cùm enim ſenſus magis ſint obſtricti corpori, quàm acquiſiti ſint ſpiritui, ipſiſque voluptas blandiatur, conantur ipſi corrumpere ac pervertere rationem, nec ullam ei repræſentant unquam veritatem, quin eodem tempore oſtendant ei ac manifeſtent quò corpus ipſum tendat affectu.

i Gen. 8. 21.

Fortaſſe deficiente ratione creaturæ deducere nos poterunt ad viam, quam inquirimus, ut nobis Scriptura *k* ſacra videatur innuere, dicens, *Principium viarum Dei*. Verum eſt, quòd, ſi homo ſe conſervaſſet in ſtatu innocentiæ, creaturæ deduxiſſent ipſum ad Deum; ſed ex quo peccatum admiſſum fuit *l*, evaſerunt illæ nobis infenſiſſimæ. Verùm enim verò ſi intueamini omnes creaturas aut in ſpecie, vel in genere, videbitis eas omnes adversùs hominem inſurgentes, & ruinam ejus machinantes, quia eas inſumimus adversùs illum, qui ipſis dedit eſſe, *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens* m. Deinde, Cùm inordinati ſimus peccato, ſiſtimus nos ipſi in creaturis, nedum ex ijs veluti gradibus hauriamus cognitionem & amorem Creatoris, & per eas ad illum aſcendamus, illiſque abutimur, nedum ijs utamur. Sic excipimus creaturas ut Deum, & Deum ut creaturas. Inde orta eſt idololatria. Homines enim imaginati ſunt, alij Solem fuiſſe Deum, tam intuitu decôris, quàm ratione utilitatis ipſius. Alij exiſtimaverunt templis fuiſſe dignam terram, intuiti ſinum ejus floribus & fructibus prædivitem. Inter Chriſtianos autem nonne regnat hic abuſus? cùm alij divitias velut idola *n* colant; alij verò honoribus ſummos deferant cultus. Creaturæ igitur non poſſunt nos ad Deum infallibiliter ducere.

k Job 40. 14.
l Gen. 3. 6. &c.
m Rom 8. 20.
n Coloſſ. 3. 5

Tertia via, eſt Lex, quæ data fuit a Deo *o* ad docendos homines, & eos educendos ex ipſorum erroribus. Eſt quidem verum illam, cum venerit à Deo, non poſſe eſſe ſuſpectam. Sic Chriſtus eam non mutavit, ſed adimplevit, *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere* p. Sed duos ipſa continet in ſe defectus; Primò, enim vetabat, nec tamen vires dabat, quibus declinaretur ab eo, quod ipſa prohibebat; monſtrabat enim bonum, ſed non præbebat vires, quibus illud acquireretur, *Ita Lex, gratiâ non adjuvante, prohibens peccatum, virtus eſt inſuper peccati*, ait S. Auguſtinus *q*. Secundò oſtendebat nobis infirmitatem noſtram, & nos quaſi ad deſperationem redigebat. Licèt enim ex accidenti, & præ corruptione hominis, accendat in nobis deſiderium mali ſectandi; nobis illud prohibens, videtur in nobis augere propenſionem ad peccatum, fugam ejus nobis præcipiens,

o Exod. 32. 15.
p Matth. 5. 18.
q S. Aug. l. de Continent. 3.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.

Et S. Paulus *r* ait, *Occaſione acceptâ peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Eâdem inductus ratione Solon Legislator parricidium dicitur non prohibuiſſe, veritus ne ejus prohibitio deſiderium patrandi illius provocaret. His neceſſitatibus nobis implicatis providet Deus Jeſum reſuſcitatum, qui nos dirigat. Hæc Via non poteſt nobis eſſe ſuſpecta, nec ullum nobis afferre detrimentum, cùm ipſa ſit Deus. Quinimò vitam nobis impertietur penitus novam; *Ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* s. Sic ſuſcitari debemus à morte peccati ad vitam gratiæ, reſurrectione ſimili Chriſti reſurrectioni. Ubi triplicem reſurrectionem, ſi placet, obſervate; & ex his tribus, quæ triplicem hujus diſcurſûs partem texent, imitari debetis Jeſu Chriſti reſurrectionem.

r Rom. 7. 8.
s Rom. 6. 4.
Diviſio.

Audio Apoſtolos dicentes adinvicem, *Surrexit Dominus verè* t. Ego autem invenio adverbium magnâ dignum conſideratione apud S. Paulum *u*, *Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel*. Et S. Petrus *x* Chriſtum unicâ vice mortuum aſſerit, æquè ac S. Paulus, *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*. Sed reliqui Apoſtoli contendunt quòd *Surrexit Dominus verè*, Quod innuit nobis diſtinctionem, quæ admittitur inter reſurrectionem Jeſu Chriſti, & alias duas, quas invenimus in Scriptura ſacra reſurrectiones, quarum trium reſurrectionum prima eſt falſa, cæteræ autem duæ veræ. Prima reſurrectio, quâ ſuſcitatus fuit Samuel *y*, erat falſa, & ſecundùm apparentiam exteriorem tantùm vivebat Samuel. Secunda reſurrectio, & prima vera, eſt illa, quâ ſuſcitatus fuit infans viduæ Sarephtanæ ab Elia *z*; puer Sunamitidis ab Eliſeo *a*; Lazarus à Chriſto *b*, filius viduæ Naim ab eodem Dei Filio *c*, & filia Jairi Principis Synagogæ ab eodem etiam Salvatore ſuſcitata *d*; qui omnes ſurrexerunt quidem verè, ſed ad tempus duntaxat, & poſteà denuò mortui ſunt. Tertia reſurrectio ea eſt, quâ *verè* ſuſcitatus Jeſus propter *gloriam Patris* ſui, ampliùs *non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* e. Sic ego triplicem obſervo reſurrectionem inter Chriſtianos à morte peccati, & inter has tres ſolam imitari debemus ultimam, nimirum Chriſti reſurrectionem.

I. Pars.
t Luc. 24. 23.
u Rom. 6. 10.
x 1. Petr. 3. 18.
y 1. Reg. 28. 12.
z 3. Reg. 17. 22
a 4. Reg. 4. 35.
b Jo. 11. 43. & 44
c Luc. 7. 11.
d Matth. 9. 25.
e Rom. 6. 9.

Prima igitur reſurrectio fuit imaginaria & ſimulata. Videbatur ſuſcitatus Samuel, & tamen

erat

erat hæc ſuſcitatio purum phantaſma, vivebat apparenter, & re verâ mortuus erat, ut ſentit S. Auguſtinus f: *In hoc poteſt eſſe facilior intellectus, ut non verè ſpiritum Samuelis excitatum à requie ſuâ credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat.* Sed audebone aſſerere idem eveniſſe pluribus Chriſtianis, multoſque peccatores ſic ſuſcitatos eſſe hâc hebdomadâ Majori, vel iſto Feſto Paſchæ? Heu! abſit hoc à vobis, Auditores. Plures quippe exiſtimo ex iis, qui huic interſunt concioni, fuiſſe confeſſos, & ad ſacram Communionem acceſſiſſe, ut apparenter mandatis Eccleſiæ ſatisfacerent, iis muniis perfungentes præ puris reſpectibus humanis, ne fortè haberentur ut impii, ne reputarentur ut hæretici, neve crederentur eſſe Athei; & cùm ad hæc Sacramenta non ritè ſe diſpoſuerint ſuſcipienda, nec ſibi firmiter propoſuerint executioni mandare omnia ſalutaria Confeſſarii monita; &, quod pejus eſt, cùm aliquod grave peccatum lethiferum ſcienter non ſint confeſſi; ecce Confeſſiones ipſorum confuſiones, & ipſorum Communiones ſacrilegia evaſerunt; & nedum reſurgerent, venenum mortis in origine vitæ invenerunt. Ii ſuſcitati videntur, ſed verè mortui ſunt, & jure merito ſic reprehendi poſſent ſinguli, *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es* g. Abſit à vobis ſimilis reſurrectio, quæ eſt verè mors. Sic enim reſurgere idem planè eſt ac deſcendere in mortem, & in infernum per eandem viam, per quam pergitur ad gratiam, & per quam aſcenditur ad paradiſi gloriam.

f S. Aug. ad Simplician. l. 2. q. 3.
g Apoc. 3. 5

II. Pars.

Secunda reſurrectio eſt ſuſcitatio Lazari, filii viduæ Naim, filiæ Jairi Principis Synagogæ, & aliorum, qui verè reſurrexerunt, & reverſi ſunt à morte ad vitam, ſed per aliquantum duntaxat temporis intervallum, & poſtea iterùm mortui ſunt. Sic ego non ambigo vos, ſi non omnes, ſaltem aliquos, ſuſcitatos fuiſſe ut ſuſcitatus fuit Lazarus, & auditâ voce Filii Dei vocantis vos à morte peccati ad vitam gratiæ, *Lazare veni foras* h, & ſuſpiriis ac lacrymis illius commotos verè reſurrexiſſe, & è tumulo peccatorum exiiſſe, *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus.* Miſerandum intueor adoleſcentem, cujus vita diſſoluta erat lapis offenſionis, & petra ſcandali, & ſic omnium odia ipſi conciliaverat, quippe qui etiam peſſimè oleret apud propinquos jam à tribus aut quatuor annis, ſicut dicebatur de Lazaro fœtere incipienti jam à diebus quatuor, *Jam fætet, quatriduanus eſt enim* i; qui tandem audiens Dominum ſe vocantem, appellanti reſpondit, & exivit è tumulo impuritatis ſuæ, & è ſordibus vitæ ſuæ diſſolutæ. Scio equidem, ſed illud teneo ſcientiâ, quæ me afflictione angit immodicâ, plures eſſe adoleſcentes, qui prolapſi in barathrum peccatorum, porrectam ſibi à Domino manum arripientes, & auſcultantes vocem illius dicentis ſibi, *Adoleſcens tibi dico, Surge* k; ſurrexerunt à morte ad vitam, *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Non ignoro plurimas eſſe puellas, quæ dormiebant in peccato ſuo, & verè mortuæ erant; ſed cum peccatum illarum eſſet incognitum, videbantur ipſæ dormire; quæ vel minimam Domini audientes vocem, *Puella (tibi dico) ſurge* l, à ſomno ſuſcitatæ ſunt lethargico iniquitatis ſuæ; & tam iſtas, quàm illos velut alios Lazaros ſolutos à vinculis & funibus peccatorum, quibus ſtrictiſſimè erant alligati, Jeſu Chriſto adhæſiſſe, ad Matrem ſuam Eccleſiam reverſos fuiſſe; veluti viventes in ſacrâ Menſâ *panem Angelorum* m manducaſſe. Sed ſicut ſummo afficior gaudio ob illorum reſurrectionem, vereor etiam ne veluti alii Lazari infirmi relabantur, & ne relapſus eorum pejor ſit eo, quo priùs laborabant, malo.

h Joan. 11. 43. &c.
i Joan. 11. 39
k Luc. 7. 14. &c.
l Marc. 5. 41. & 42
m Pſ. 77. 25

Referuntur leones, cum illos inſequuntur venatores, evomere ea quæ habent in ſtomacho, ut leviùs ac velociùs poſſint currere, & ſe ex oculis inſectantium eripere; ſed tranſacto periculo ipſi eadem, quæ evomuerant, reſumere. S. Paulus aſſerit ſe certamen iniiſſe cum beſtiis quando erat Epheſi, *Ad beſtias pugnavi Epheſi* n. Nulla eſt beſtia crudelior peccatore, ipſe eſt leo præ ardore iræ ſuæ, tigris præ crudelitate ſuâ, canis præ rabie ſuâ, lupus præ avaritiâ ſuâ, qui fœneratione ſuâ ſimilem ſibi devorat, ſcorpio præ aculeo detractionis ſuæ, & ſerpens præ veneno linguæ ſuæ o: Concionatores ſunt venatores, qui peccatores inſequuntur & urgent, & conantur eos attingere jaculis acutis & ſagittis p verbi Dei ardentibus, ſeu tonitruo hujus ejuſdem verbi, percutientes eos eodem modo, quo fulmen ſerpentem percutit, relinquens illi vitam ſalvam, dum aufert ab eo venenum; percutiunt, inquam, Concionatores hos ſerpentes peccatores virgâ verbi ſancti, eâ ductâ intentione ut ab eorum corde venenum peccati auferant, & in eo collocent gratiam, in quâ tota ſita eſt vita animæ, & vera ſpes totius felicitatis: percutientes etiam eos, ut alii Moyſes q, has rupes induratæ mentis & obſtinationis, ut ex iis educant ſalutares veræ pœnitentiæ aquas. Crediderim autem ego multos eodem proceſſiſſe modo, evomuiſſe nimirum ſordes & inquinamenta conſcientiæ ſuæ ante pedes Confeſſarii, perculſos virgâ *directionis* r, profudiſſe lacrymas contritionis intuitu peccatorum ſuorum: ſed vereor jure merito ne poſtquam Concionatores diſceſſerint, revertantur in priſtinum depravatum agendi modum, & reſumant ſordes, quas evomuerant, & eveniat illis infortunium, quod minitatur eis Apoſtolus ſ, niſi reſipiſcant & in bonam emendatæ ſe recipiant vitæ frugem, *Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.*

n 1. Cor. 15. 32
o Pſ. 139. 4
p Pſ. 119. 4
q Num. 20. 11
r Pſ. 44. 7
ſ 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11

Non ſunt diſſimiles quamplures Rectoribus confraternitatum, qui adveniente earumdem die feſto, ſacella ac altaria, quorum fuit ſibi cura demandata, magnificâ induunt ſupellectile, & floribus ornant innumeris æquè ac cereis; ſed tranſacto feſto eadem ſacella ac altaria curare non ampliùs ſatagunt. Hac Hebdomadâ Majori & his diebus Paſchalibus purgata fuit anima bonâ Confeſſione, & ſpecioſis ornata virtutibus; ſed tranſactis feſtis obſervabitur modus procedendi eorum, qui gravi aliquâ onuſti ſarcinâ ſi agatur de rivo vadando, onus in alteram projiciunt rivi partem; ſed ſtatim ac vadatus fuit ab ipſis rivus, idem onus ſuis imponunt humeris. Actumne fuit de vadando torrente *Cedron* t, qui idem eſt ac denigratus, vel, triſtis, flumine *Jordane peccata ſua* u confitendo? Depoſitum fuit onus iniquitatis. Vadatuſne fuit rivus, torrens, aut fluvius? Statim reſumetur onus; & ſi his diebus elapſis non diximus, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto*; vereor ne dicendum ſit de pluribus, qui in bonam videbantur ſe recepiſſe frugem, *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum*; imò verò ne minoris ſint valoris

t Joan. 18. 1
u Matth. 3. 6

loris tranſactis feſtis, quàm valerent ipſi ante ſacram iſtam, quam celebramus, feſtivitatem.

III. Pars. Ecce tertia tandem reſurrectio, quæ eſt reſurrectio Jeſu, & ea quam debemus imitari ſedulò. Ut autem reſurgamus cum illo, ecce medium, quod ſubminiſtrat nobis S. Paulus, quod ſitum eſt in eo, ut moriamur eo planè modo, quo ipſe mortuus eſt; & proculdubio ſi moriamur ſicut ille mortuus eſt, reſurgemus pariter, ſicut & ipſe reſurrexit, *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia etiam ſimul vivemus cum Chriſto; ſcientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Si moriamur ſicut Chriſtus Dominus mortuus eſt, vivemus re verâ, ſicut ipſe vixit; ſi imitemur eum in morte ipſius, imitabimur etiam illum in vitâ ipſius.

x Joan. 18, 1. &c. Egreſſine ſumus igitur Jeroſolymis x, hoc eſt, civitate, quæ conſpirabat in caput Juſti, & mortem machinabatur Innocentis? Tranſivimuſne *torrentem Cedron*, id eſt, effudimuſne lacrymas contritionis intuitu peccatorum noſtrorum, anteactæ diſſolutæ vitæ noſtræ, tranſeundo torrentem pœnitentiæ? Ingreſſine ſumus hortum Olivatum, & pacem inituri cum Deo, & cum eo fœdus pacturi, ſuſtinuimuſne certamina? ſeu, erupitne, aut noſtri *factus eſt ſudor ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* y? cùm actum fuit
y Luc. 22. 44. &c. de bibendo hoc calice præ timore mortis, cùm proſtrati ante pedes Confeſſarii, firmiter propoſuimus nobis hanc pravam deſerere converſationem, valedicere huic conſortio contagioſo, quæ nobis ſic perſæpè fuerunt funeſta occaſio ſcandali; agere hanc reſtitutionem, reparare hanc injuram proximo noſtro irrogatam, ſatisfacere huic bonæ famæ læſæ, renunciare huic vindictæ, & tandem caput deprimentes, noſtramque diſſolventes propriam voluntatem, conformavimuſne nos planè Divinæ Voluntati? dicentes, *Fiat Voluntas tua* z. Inde exeuntes,
z Matth. 26. 42. &c. oſculatine ſumus Judam venientem ad tradendos nos? Amplexine ſumus nobis infenſiſſimos?
a Luc. 22. 51. &c. Abſciſſam reſtituimuſne aurem Malcho a? Hoc eſt, reddidimuſne bonum pro malo iis, qui noſtram meditabantur jacturam, & omnimodam ruinam? Permiſimuſne ut nobis velati fuerint
b Marc. 14. 65. &c. oculi b, ne videſemus eos, qui nobis injurias irrogaverant, & nos contumeliis affecerant? Obtulimuſne dorſum ad flagella excipienda? hoc eſt, fuimuſne parati ad ſuſcipiendam æquo animo pœnitentiam talem, qualem Confeſſario viſum fuerit nobis imponere?

Præterea, Induimuſne *purpureum veſtimentum*
c Joan. 19. 2. &c. c? id eſt, erubuimuſne ſanguine cordis noſtri in faciem noſtram aſcendente, præ pudore, quo ſuffuſi fuerimus intuitu delictorum noſtrorum; & præ irâ juſtâ ac licitâ, quam conſulit nobis Pro-
d Pſ. 4. 5 pheta d, dicens, *Iraſcimini, & nolite peccare*, & quâ accendi debuimus adverſùs noſtrorum malitiam ſcelerum? & tandem iſte ſanguis converſus in lacrymas ſalutares, lavitne conſcientiam noſtram, & abſterſitne noſtrarum ſordes iniquitatum ab animabus noſtris? Accepimuſne ve-
e Luc. 23. 11. &c. ſtem candidam e innocentiæ & ſanctitatis conditioni noſtræ conſonæ, & puritatis congruentis profeſſioni, ad quam dignatus eſt Deus vocare unumquemque noſtri? Alligati columnæ inflexibili ſanctæ Eccleſiæ, *quæ eſt* depoſitaria omnium virtutum, ſicut & *columna & firmamentum*
f 1. Tim. 3. 15 *Veritatis* f, ſtabileſne permanſimus, & inconcuſſi, vinculo indiſſolubili ſervorum Dei obſequio mancipati? An ſpineam ſuſcepimus *coronam*, acribus compuncti aculeis veræ & amaræ contritionis, quâ nos pœnituerit offendiſſe Deum; & vehementis doloris, quo fuerimus affecti, conſiderantes, nos Divinorum ſanctitatem tranſgreſſos eſſe ipſius mandatorum? Propoſuimuſne autem nobis ea in poſterum inviolabili cuſtodire fidelitate? Portavimuſne tandem æquo & libenti animo *crucem* noſtris impoſitam humeris, pœnitentiam intelligo, ad montem Calvariam uſque, & ibi ſacrificantes nos ut hoſtias, offerentes nos ut victimas Patri æterno, ſuffiximuſne nos eidem cruci tribus clavis, nimirum timoris g, ſpei, g Pſ. 118. 120
& amoris h? h Gal. 6. 14

Renuimuſne bibere ampliùs fel i, acetum, id eſt, amaritudinem afflictionum, quæ in hu- i Matth. 27. 34. &c.
jus vitæ miſerandæ decurſu paſſim obviæ ſunt ac frequentiſſimæ? Sed poſtquam amara guſtavimus, fuimuſne locuti dulcia in gratiam inimicorum noſtrorum, imitantes Dei Filium cruci ſuffixum, orantem pro ſuis carnificibus ac perſecutoribus, & dicentem, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt* k? Promiſimuſne paradiſum k Luc. 23. 34. &c.
bono latroni? Quid eſt hoc? Auditores. Bonus latro eſt noſtra caro, quæ nos rogat, quæ nos ſollicitat, quæ conatur nos ad ſui miſerationem inducere, & efficere ut ſeipſam ſuaviter excipiamus. Sed reſpondendum eſt illi, quòd, ſi ipſa intendat adire paradiſum, oportet ut ipſa bajulet *ſibi crucem* * unà cum Jeſu, *Qui autem ſunt Chri-* * Joan. 19. 17
ſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis l. Potuiſtiſne tandem dicere cum Jeſu l Galat. 5. 24
Chriſto? *Conſummatum eſt* m. Id eſt, ſatisfeciſtiſne omnibus à Confeſſario vobis impoſitis mu- m Joan. 19. 30. &c.
niis ac oneribus? Sed ſuffixis vobis æquo animo cruci acciditne ut ex eâ deſcendere nolueritis †? † Matth. 27. 42
dicentes cum Pilato, *Quod ſcripſi, ſcripſi* n. Sed n Joan. 19. 22
reſpicientes Mariam ex unâ parte, & ex alterâ commendantes animam veſtram Deo *, emiſiſtiſne *ſpiritum* †, deprimentes caput? Poſteà per- * Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6
cuſſine fuiſtis ictu lanceæ o cordi veſtro infixæ? † Joan. 19. 30
ut eidem cordi * veſtro imprimeretur cor Jeſu, quò poſſetis ei teſtimonium perhibere, vos fuiſſe o Joan. 19. 34
è numero amicorum ipſius, quippe qui poſſetis ei loqui ſermonem amoris, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* †. Obtuliſtiſne ipſi idem *cor* p ſine ullâ * Cant. 8. 6 † Cant. 8. 6 p Ibid. & Prov. 23. 26
exceptione? Aperuiſtiſne ipſi ejuſdem cordis januam, ut illud amanter ingrederetur, ibique ſummo dominio regnaret?

An *terra mota eſt* †, & tremore concuſſa? hæc † Matth. 27. 52
caro, quæ nihil eſt niſi terra q, fuitne timore perculſa? Nunquid *petræ ſciſſæ ſunt?* Id eſt, lapides q Gen. 3. 19
indurationis & obſtinationis mediine ſciſſi ſunt? *Et monumenta*, in quibus præcipuæ virtutes, puritas, humilitas, ſpes, & charitas miſerandum in modum ſepultæ jacebant, an *aperta ſunt*, & virtutes omnes iſtæ præclaræ ſuſcitatæ? Ubi autem? quæſo. An palam omnibus hominibus? Nunquid *obſcuratus eſt Sol* r, peccator ſuſcitate, ita ut am- r Luc. 23. 45
pliùs eum non videris? Paſſane fuit eclypſim Lunæ? nimirum, hæc ſpecies formoſa, quam vocas tu ſolem tuum, lunam tuam, alterum tuum, pertulitne tibi defectum luminis, ita ut ei valedixeris? Si res ita ſe habet, ſtatim dicetur de te, *Verè Filius Dei erat iſte* ſ. *Surrexit, non eſt hic.* Non eſt am- ſ Matth. 27. 54
pliùs iſte, quem credebamus nos a dæmone obſeſſum t, ſeductorem, quietis publicæ interturba- t Joan. 8. 48
torem, hominem nequam, infamem u, & blaſphemum x; *Verè Filius Dei effectus eſt*, non eſt u Joan. 7. 12
ampliùs ille, qui erat prius, *Surrexit, non eſt hic.* x Matth. 26. 65

Memini me legiſſe alias, adoleſcentem quen-

dam

dam pravè quondàm converſatum, & commercio cùm illuſtri quâdam ac nobili muliere uſum criminoſo, & deinde peregrè profectum occaſione quorundam peragendorum negotiorum, & beneficio opportuno proficuæ hujus abſentiæ in ſemetipſum reverſum intuitu depravatæ ac diſſolutæ vitæ ſuæ, deinceps emendatæ à ſe & in bonum mutatæ, redeuntem tandem poſt quoddam tempus in civitatem, in quâ illam deſeruerat mulierem, obviam habuiſſe eandem Dominam, quæ intrepidâ ac ſatis impudenti fronte dixit ipſi, Domine nonne cognoſcis me; nunquid non meminiſti me tuis alias communicaſſe affectibus, teque meum fuiſſe amaſium? Cui ille apprimè reſpondit adoleſcens, Hallucinaris proculdubio Domina mea. Novi equidem illum, de quo mihi modò loqueris, ſed aſſero tibi, & pro certo tenere te obſecro illum mortuum eſſe. Ego quippe interfui funeri & exequiis ipſius elati, meamque ipſe inſumpſi operam, quâ ipſum terræ mandarem. Reverà non vivit ipſe ampliùs. Sic ſi præ mu-
y Pſ. 76. 11 tatione *dextera Excelſi* y, moriamur ut Jeſus, profectò reſurgemus ut Jeſus, & de nobis tunc dici poterit æque ac de illo, *Surrexit, non eſt hic.*

Hoc eſt autem, Auditores, quod vobis ſuadeo. Mortui ſumus peccato, permaneamus ſtabiles in hâc felici morte: nullum ampliùs habeamus commercium cum interitu, nec ul-
z Iſa. 28. 15 lum denuò pangamus *fœdus cum morte* z. Ne auferamus tam citò oculos è cruce, quæ inſtrumentum fuit fortunatæ hujus mortis. Diſcamus duos homines eidem fuiſſe ſuffixos. Prior eſt Jeſus, Innocens pro reo; ipſe homo eſt, ſed homo Divinus, cui nimias non poſſumus exhibere reverentias, vel ſufficientes rependere gratiarum actiones. Poſterior ſeu alter homo, ille eſt, quem nimio non poſſimus odio proſequi, nimiove metuere timore: ipſe eſt vetus Adam, antiquus ille homo, hæc concupiſcentia, hæc moles pravorum affectuum, hic fomes peccati, hæ funeſtæ reliquiæ culpæ illius, *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultrà non ſerviamus*
a Rom. 6. 6 *peccato* a. Non igitur exhibeamus nos nobiſmetipſis ſic infenſos ut diſſolvamus è cruce hunc miſerum hominem, hunc veterem Adamum, ut iterùm vivat, & ut denuò obediamus illi iniquo tyranno, cujus à nobis fuit ablatum jugum. Permaneamus ſuffixi cruci Jeſu; moriamur ſicut ille, ut reſurgamus ſicut ille; imitemur eum in morte ipſius, in vitâ, & in reſurrectione; cùmque ipſe mortis non ſubjaceat ampliùs legibus, nec nos pariter, ſi velimus, iiſdem ſubjacebimus.

Nunc igitur, aut nunquam, jure merito ac apprimè locutus eſt Poëta, cùm dixit,

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Nam tunc omnis ager, tunc omnis parturit arbos.

Menſem Aprilem ſpecioſo hoc inſigniri nomine, eò quòd præclarum aperiat tempus, & quia plantæ ac arbores, quæ anteà nivibus erant opertæ, & frigoribus hybemis obrutæ, vires ſuas incipiunt explicare, tempeſtatis vernæ beneficio; quoniam Jeſus, qui vocatur *Granum frumenti* b, mortuus, & terræ mandatus, circa ini-
b Joan. 12. 24 tium Aprilis reſurgit, & exit è terrâ, tumulum ſuum in glorioſas cunas tranſmutans. Cùm Jeſus ſpecioſus ille *flos campi, & lilium convallium* c c Cant. 2. 1
hoc formoſum, ſuffocatus *ſpinis* † Paſſionis ſuæ, † Joan. 19. 2. &c.
conculcatus pedibus carnificum, immerſus diluvio Sanguinis ſui, florere incipiat, ut nunquam marceſcat; recenter naſcatur è medio mortis ſinu, ut nunquam moriatur. Dies hæc eſt prima circiter Aprilis, & ultima Martii, quâ unicus d d Joan. 1. 18
Delphinus magni Dei *exercituum* e, mille hau- e Iſa. 6. 3
ſtis ſudoribus ac laboribus, mille datis certaminibus ac præliis, fuit *pacificans per Sanguinem crucis, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*
f, id eſt, diſſidia quadraginta ſeculorum. Dies f Coloſſ. 1. 20
prima Aprilis, quâ Divinus Jeſus, cùm permiſerit ut omnes Corporis ſui venas aperuerint ſibi carnifices, quò Sanguinem ſuum noſtris animabus impenderet redimendis, infernum concluſit, erutis inde captivis g, eiſque cœlum aperuit, li- g Iſa. 49. 9 & Coloſſ. 2. 15
berum ejus in illud pandens aditum.

Hodiernâ etiam die, aut nunquam, adimpletum eſt Prophetæ h verbum, *Et nox ſicut dies il-* h Pſ. 138. 12
luminabitur. Si autem prædixerat Pſalmographus, noctem, non ſecus ac ipſam diem, illuminandam, hæc veritas ſuam modò accepit lucem, *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in primâ Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum* i. Facturus Jeſus diem i Matth. 28. 1
Sabbathi & quietis in univerſo orbe, & volens ut hæc dies æterna foret, efficit ut veſper hujus diei nos illuminet, nedum nos tenebis offundat; & ut ſtella veſperis, quæ eſt mors diei, & mater noctis, præ mutatione *dexteræ* ſuæ evadat nutrix illius, & iſtius interemptrix, & hora veſperis ſolis veluti terreni, aut materialis, efficiatur aurora Solis k cœleſtis aut ſpiritualis: & k Malach. 4. 2
ſic nox tranſacta ipſo principio ſuo, æque ac ipſo ſuo fine, illuminata fuit non ſecus ac ipſa dies, *Et nox ſicut dies illuminabitur.* Si autem jure merito dicere poſſumus de die, quâ Dei Filius, qui *erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* l, orbatus fuit luce, & l Joan. 1. 9
vitâ, & ſic diem amiſit, eam fuiſſe diem ſine die; dicere pariter poſſumus de nocte, quâ idem Dei Filius reſurrexit, ipſam eſſe noctem à nocte immunem, vel ſaltem noctium omnium longè breviſſimam. Sed quonam hoc actum modo? Id factum eſt, quia veſper illius mutatus fuit in auroram, & illius auroram præceſſit Sol. Sed dicamus hanc diem eſſe omnium dierum maximam, quâ Sol noſter exiens ex ſuo occaſu, non ſecutus eſt auroram, ſed illam ipſe præceſſit, *Et valde manè unâ Sabbathorum veniunt ad monumentum: orto jam Sole.* Cùm ille Sol ortus eſſet jam ante ſummum manè. *Hæc dies, quam fecit Dominus* m. Hæc ipſa eſt dies, Salvator ado- m Pſ. 117. 23
rande, quam feciſti nobis; dies, Divine *Sol*, quæ finem noſtris impoſitura eſt noctibus ac tenebris, tu, inquam, qui miſertus noſtri, occaſum neſcis, *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto* n. n Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12
Ipſe eſt Divinus noſter Ieſus, Auditores, qui *reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuum eſt, peccato mortuum eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo*, ſed vitâ, quæ nullis eſt circumſcripta limitibus. Ha! mortui ſumus per peccatum millies, moriamur ſemel peccato, ita tamen ut illud nunquam deinceps perpetremus. Moriamur in Deo per merita Chriſti, ſed vivamus in eo ſemper, & ne amittamus vitam ſic Divinam.

Ieſus

Jeſus Chriſtus vivit, ſed vitam ducit in Deo
o Iſai. 11. 10 ſempiternam. *Sepulchrum ejus glorioſum* o, permanet origo vitæ, quæ potentialiter defert omnes glorias cœli Empyrei; ex eo exit ipſe ſicut dies ex ſuo Oriente; & ſic triumphans apparet decôris ſui ornamentis circundatus, & æquè fulget, ac humiliatus fuerat præ exceſſu Divinæ miſericordiæ ſuæ. Judæorum rabies hîc ſuis decidit conatibus, mors ſuum perdit hîc aculeum, Satanas ſuum amittit imperium, tumulus nullam habet ampliùs corruptionem, & inferno & locis illius ſubterraneis eripitur præda; mortalitas hodie eſt deſtructa, & vita illuminata: univerſa immerguntur huic magnæ diei gloriæ, quæ exit è luminibus Divini noſtri Redemptoris. Ad hunc igitur, Auditores, glorioſum Reſurrectionis ſuſpirare ſtatum debemus, ſtatum glorioſum, qui omnes terminare debet pœnas noſtras atque labores noſtros, nec ullum unquam coronis noſtris eſt impoſiturus finem: *Ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, vacantes exercitio pietatis, & praxi bonorum operum incumbentes, ſi veſimus ut reſurrectio noſtra aliquam habeat convenientiam cum reſurrectione Chriſti.

O Salvator adorande! O Jeſu non ampliùs vulnerate, ſed reſuſcitate ac glorioſe! O cha-
p Pſ. 18. 6 riſſime Sponſe p animæ meæ, & objectum gratiſſimum ſinceriſſimorum affectuum meorum, quàm mirum in modum amabilem te mihi exhibes in hoc novo & glorioſo ſtatu, in quo te contemplor! Sacrum Caput tuum, quod aculeatâ ſpinarum coronâ erat circundatum, eſt redimitum modò diademate ſplendenti aſtris & luminibus, & tota gloria cœli Empyrei in ipſo requieſcit. Oculi tui, qui erant Sanguine operti *& lacrymis* q, ſe denuò impræſen- q Hebr. 5. 7
tiarum accendunt luminibus & claritatibus delicias præ ſe ferentibus, & cor meum gaudio & exultatione rapientibus. Pedes tui, ac manus tuæ, & latus tuum ut intueor, inſignita ſunt adhuc his carbunculis, qui fuerunt objectum crudelitatis ac barbariei hominum immitium, & qui ſunt modò notæ æternæ immenſæ r bo- r Baruch 3. 25
nitatis tuæ erga nos. Adorande Salvator obſecro te per triumphantem & ſplendidiſſimam gloriam reſurrectionis tuæ, ne permittas ut reverſi è morte peccati ad vitam gratiæ, & glorioſè tecum ſuſcitati, à te unquam ſeparemur per peccatum, cui modò abrenunciavimus, quò redeamus in tumulum, è quo exivimus beneficio gratiæ tuæ. Effice, Salvator glorioſiſſime, ut perſeveremus indeſinenter in hâc vitâ gratiæ, quam nobis comparaſti amarâ morte tuâ, & reparaſti glorioſâ reſurrectione tuâ, quam ſequatur aliquando vita gloriæ ſempiternæ.

FERIA II. POST PASCHA.

Et ecce duo ex illis ibant ipsâ die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus. Luc. 24. 13. &c.

PErgebant ex diſcipulis Jeſu duo ipsâ reſurrectionis Dominicæ luce in caſtrum quoddā itinere diei unius aut circiter diſtans à civitate Jeroſolymitanâ, ait Evangeliſta. Verùm enim verò fatendum eſt eorum conſortium debuiſſe eſſe gratiſſimum, cùm Chriſtus poſt illos cucurrerit ut eorum jucundo intereſſet comitatui. Si autem Chriſtus vult eis ſociari, quis illorum renuet ſocietate gaudere. Non ego re verâ. Quin imò tanto feror deſiderio converſandi cum illis, ut præ tali deſiderio conſequendi Filii, vix mihi otium ſuppetat & facultas ſalutandæ ſanctiſſimæ Matris ipſius, & dicendi ei, *Ave Maria.*

Commune ventilatur in ſchola proloquium
a Ariſt. lib. 1. Phyſic. c. 5. text. 42 ab Ariſtotele a traditum, *Omnes contraria principia faciunt.* Nimirum principia eſſe prima contraria. Si effatum iſtud principii naturalis traducamus ad morale, & tranſeamus à principiis communibus ad principia perfectionis, quæ nos ad gloriam promovent, & operantur præ efficaciâ actionum meritoriarum actum completum deſideriorum noſtrorum, & eſſe fortunatum beatitudinis noſtræ, tot dabuntur nobis reſponſiones, quot conſulemus Magiſtros, quorum ſententiæ non minùs ſunt variæ hoc in occurſu, quàm diverſæ fuerint Philoſophorum opiniones circa ſupradictum pronunciatum. Alii aſſerunt, humilitatem eſſe fundamentum noſtræ ſpei. Alii dicunt, charitatem, cum ſit forma virtutum, communicare ſolam coronis, meritis pretia imponendo. Alii commendant nobis orationem veluti matrem pietatis, quæ nos edocet quoad ea, quæ gloriam ſpectant. Salvator autem noſter interrogatus b b Matth. 19. 16. &c.
per quam viam adire poſſimus fruitionem felicitatis, reſpondet juxta captum auditorum, invitans alios ad ſtrictam obſervantiam mandatorum, quæ eſt via ſtadii communis; & deducens alios per ſemitam ſtrictam conſiliorum adimplendorum, quam paucæ animæ heroicæ ſunt ſecutæ. In hâc ſententiarum varietate hanc obſervo uniformitatem, quòd noſtræ principia ſalutis ſint conſtitura in contrarietate ſenſibus noſtris repugnanti & diſſentaneâ.

S. Paulus c ait, *Tribulatio patientiam ope-* c Rom. 5. 3 &c.
ratur; patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Quippe quæ præ perſeverantiâ ſuâ coronam meretur, & bravium accipit. Et S. Jacobus d, *Omne* d Jacob. 1. 2. &c.
gaudium exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis; ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Cùm in veſtrâ tribulatione conſtituerit Deus gloriam veſtram, hæc contrarietas eſt *probatio fidei veſtræ. Patientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Hæc contrarietas eſt veſtræ ſplendor patientiæ, & perfectio operum paradiſo dignorum nullum

aliud

aliud agnoſcit principum. Hæc Apoſtolorum effata conſentiunt cum pronunciato Philoſophi aſſerentis, quòd *omnes contraria principia faciunt*. Id eſt, principia eſſe prima contraria, & nobis innuunt virtutem in nullam actionem proſilire, actionem nullo inſigniri merito, & Chriſtianum nullâ beandum gloriâ ſine hâc reſiſtentiâ; ideòque neceſſariò vincendum in terrâ, ut triumphetur in cœlo. Speciosam hanc perſæpè Dei Filius propoſuit nobis lectionem addiſcendam, & hanc veritatem ſuâ luce ornatam noſtris ſubjicit imprimis intuendam oculis, *Beati, qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum* e. [e Matth. 5. 5. & 10] Quibus verbis habemus hoc principium definitum, & experientiam illud comprobantem. Quis enim ex nobis inquireret felicitatem inter tribulationes ac miſerias? niſi Salvator noſter nobis aſſereret, hanc contrarietatem eſſe verum illius principium, & niſi Sancti ex his ſpinis collegiſſent roſas ac delicias paradiſi gloriæ. Principia conſtat eſſe prima contraria, quia *omnes contraria principia faciunt*.

Hinc videtis, Auditores, quid agendum ſit nobis ut perveniamus ad gloriam paradiſi, & fruamur conſortio Jeſu, qui eſt corona Beatorum ipſo tempore, & ipsâ æternitate, in viâ æquè ac in patriâ. Oportet more peregrinorum Evangelii noſtri, peregrinos agere in hoc mundo. Tales ſumus, & id negare non poſſumus, *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus* f. [f Hebr. 13. 14. ex Mich. 2. 10] Idcircò ſi duorum iſtorum diſcipulorum Emmaus pergentium conditiones eſſent in nobis ſpiritualiter, proculdubio Chriſtum haberemus peregrinationis noſtræ comitem individuum. Ha timerene poſſumus ne à rectâ aberremus viâ, neve ſecuram non agamus peregrinationem, talis Ducis inhærentes veſtigiis? hoc innuit, illum, qui gloriam prætendit paradiſi, debere ſibi proponere imitari hos peregrinos, & ſequi ſemitam Jeſu. Qui autem aliis adhæſerit viis, ad ſuum nunquam perveniet finem. Nolite enim credere me ſtatuiſſe proponere vobis exemplum duorum iſtorum peregrinorum; ſed exiſtimate, me tantùm decreviſſe exhibere vobis ut prototypon Jeſum, qui ob amorem noſtrum effectus eſt peregrinus, *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ* g. [g Pſ. 68. 11] Hoc eſt autem quod edocere vos intendo, *Quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* h. Idcircò ut addiſcamus hanc eximiam [h 1. Petr. 2. 21] artem, cujus beneficio lucrari poſſumus vitam, benè eſſe, & beatam comparare nobis æternitatem, pergendum nobis eſt in Scholam Jeſu. Tres autem invenio lectiones in unam convenientes, quas ſummus nos edocuit *Magiſter* i iſte, [i Joan. 13. 13] Primam ipſo ingreſſus ſui in mundum initio, Secundam in medio mundo, [Diviſio.] Tertiam verò deſerens mundum. Hæ tres lectiones noſtram docebunt nos peregrinationem, & totam hujus diſcurſus ſeriem triplici parte diſpoſitam texent.

[I. Pars.] Primam igitur invenio lectionem, quam nos adocuit Chriſtus in Circumciſione ſuâ k, [k Luc. 2. 21 ex Lev. 12. 3] in quâ voce Sanguinis ſui eximiam pronunciavit nobis veritatem hominum ſaluti maximè accommodam, dulcem bonis, ſed odioſam impiis, nimirum, *regnum cælorum vim* l *pati*, [l Matth. 11. 12] & prorſus eſſe delirare cum Poëtis, ſomniare cum Paganis, & errare cum Hæreticis, ac comminiſci & imaginari quoddam ambulacrum, & viam aëream, per quam rectà pergi poſſit ad thronum Jovis, iter ad paradiſum dirigens eſſe penitus liliis conſitum, & gloriam poſſe comparari ſempiternam mediis voluptatibus ac deliciis, damnando opera bona. Jeſus Chriſtus ipſo greſſu vel primo, quo inceſſit hoc in itinere, veſtigia nobis delineavit, effundens ſuum Sanguinem: *Cùm ergo natus eſſet Jeſus* m, [m Matth. 2. 1. &c.] ſtatim patitur in Circunciſione, & in perſecutione, quam ipſi machinatur Herodes. Dicuntur infantes citò debere aſſueſieri exercitio, cui ipſi debent incumbere; ſic Chriſtus ſuis aſſuetus fuit ab incunabulis praxi, cui maximè erat vacaturus, nimirum paſſionibus & tribulationibus vitam noſtram comitantibus, ut ipſius exemplo allecti, eandem ſequeremur viam.

Idcircò nemo imaginetur dari viam lacteam deducentem ad gloriam paradiſi. Qui primus illam ingreſſus eſt, eam docet eſſe ſanguineam, & præ violentiâ nobis inferendâ aggrediendam: Nec ullus præſumat unquam itineranti Chriſto ſociari, niſi eandem ſequatur ipſe ſemitam, quam percurrit ille. Proponendum nobis eſt abſolutè per eandem tranſire viam, per quam tranſivit ipſemet Chriſtus, dicens, *Egò diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum; ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo* n. [n Luc. 22. 29] Ut cibemini eodem pane Eſſentiæ Divinæ, quo ego cibor, & inebriemini copioſè *torrente voluptatis* o [o Pſ. 35. 9] profluentis ex eâdem Naturâ Divinâ, cujus fruitionem vobis comparabitis, ſi in eodem ſtadio paſſionum, in quo ego cucurri, incedatis. Nonne ſcitis, me calcaſſe iter ſtratum ſpinis ac ſentibus? Forſan autem velletis iter peragere floribus ac deliciis opertum. Eſtne id, quæſo, rectæ rationi & æquitati conſonum? ſi majeſtas ſuprema Dei & Domini noſtri hanc nobis aperuit viam, non eſt cur rationes inquiramus, ob quas ab eâ ſectandâ declinemus. Si Chriſtus ſummus hominum ac Angelorum *Dominus* p, *virum dolorum* q [p Eſth. 13. 11] [q Iſai. 53. 3] ſe effecit, etiamſi majeſtate vigeret ac ſanctitate, quæ ipſi jus parabant ad omnem gloriam & magnitudinem, quis renuat pati cum illo? Si *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* r, [r Luc. 24. 26] ut poſſideret *hæreditatem* ſ ſibi jam natalitiorum ſuorum jure acquiſitam, [ſ Pſ. 2. 8. & 7.] quonam pacto eam prætendent extranei, niſi luant pœnas, quas Deus Pater ſuo Filio naturali præfixit hauriendas? Si autem ex hoc antecedenti Evangeliſtæ, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, hanc infert S. Paulus conſequentiam ab eodem S. Lucâ t allatam, [t Act. 4. 21] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; ſervus non debet prævalere adversùs Dominum ſuum, nec *gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti* u, [u Galat. 6. 14] cum eodem S. Paulo. Si Dominus perſecutionibus fuit impetitus, hanc famulus æquo & libenti animo acceptare debet conditionem. Si crucem ſumpſit Dominus pro ſtemmate, & miſerias pro inſignibus, unuſquiſque venerari debet optionem illius, & eligere id quod ipſe ſic amavit, & ſtabilire gradum ſervi in paſſione, quæ eſt character ſupremi dominii illius, & obſequium noſtræ ſervitutis.

Nullum habent alium partes motum niſi motum totius, ut docet Ariſtoteles x, [x Ariſt. lib. 1. de cœl. c. 3. text. 19] *Neque ſecundùm naturam, neque præter naturam alio motu moveri poteſt, aut ipſum, aut pars ulla. Eadem enim eſt ratio de toto, & de parte.* Omnes Sancti unum ſunt corpus myſticum in Chriſto, *Multi unum corpus ſumus in Chriſto* y. [y Rom. 12. 5] Corpus non movetur niſi pœnis, ut ad ſuam perveniat quietem: Si autem nos ſumus partes viventes hujus totius, debemus eodem moveri motu, & per eandem gradi viam, per quam inceſſit ille, *qui eſt Caput, Chriſtus* z; [z Epheſ. 4. 25] id eſt, pati more Chriſti, & Sanctorum. Hæc eſt unica via, per quam tenditur ad gloriam, *Recuſat eſſe in corpore, qui odium non vult ſuſtinere cum Capite*, ait appoſitè S. Auguſtinus a. [a S. Aug. ſerm. 47. de Sanct.] Hæc eſt via regia ad cœlum deducens, quam ſuis notavit nobis Jeſus Sanguinis veſtigiis, quam omnes Sancti ſunt ſecuti, vitam ſuam in periculum adducentes, & in quâ debemus nos incedere, ſi ad beatitudinem aſpiramus, *Habentes itaque Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam* b. [b Hebr. 10. 19] Si magnus iſte Dux ingreſſus eſt cœlum ſuo opertus Sanguine, & totus vulneribus confoſſus; Ha! nunquid non immodica inureretur gloriæ noſtræ ac honori noſtro infamiæ nota, ſi daretur nobis æterna felicitas, etiamſi cum Duce noſtro non ſuſtinuiſſemus prælia? vel ſi cœlum ingrederemur, niſi illius Ducis noſtri *ſtigmata* † [† Gal. 6. 17] ac inſignia in noſtris portaremus corporibus, noſtram crucifigendo *carnem cum vitiis & concupiſcentiis* c? [c Galat. 5. 24]

Generoſus Princeps diſtricto gladio exercitum ſuum præcedens, puſillanimis quibuſcumque etiam militibus animos adjicit; nec ullus eſt qui ſe non exponat periculo, intuitus Ducem ſuum ſe prælio primum committere? *Ideòque per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dexterâ ſedis Dei ſedet* d. [d Hebr. 12. 1. & 2] Videntes juxta illum triumphantem in cruce innumeros Sanctos conformantes ſe ad dolores illius tanto animo, & communicantes laboribus & paſſionibus ejus tanto oblectamento, vellemuſne intuitu eximiorum tot militum vitam ducere languentem ac otioſam? Noſtra proculdubio puſillanimitas nos pudore ſuffunderet, eſſet reprehendenda, & pœnis æternis plectenda. Quod dico ex quâdam condecentiâ, ſuppoſito quòd neceſſitas nos ad amplectendam pœnam non impelleret. Quòd ſi ſeriò perdendamus quomodo inſerere debeamus cor noſtrum cruci, experientes in nobis martyria Domini noſtri, ut colligamus fructus ex hâc arbore ſpineâ, putà delicias paradiſi; *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus* †; [† Rom. 6. 5] nec poſſe nos regno communicare, niſi anguſtias patiendo, *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Chriſto Ieſu* *; [* Apoc. 1. 9] quis non proponet ſibi ex neceſſitate virtutem eruere, & acceptare præ neceſſitate id, quod ipſe deberet agere præ electione?

Aut volumus Sanctorum annumerari conſortio, aut non. Amborum nobis datur optio. Si eorum beatæ renunciemus ſocietati, abrenunciamus paradiſo. Si autem illorum ambimus conſortium, oportet igitur ut eorum imitemur exemplum, & viam illorum ſequamur.

Nullum autem ex iis inveniemus, qui gravia non fuerit perpeſſus, & qui non ferè eodem ſit exceptus modo, quo ipſorum *Magiſter* & Dominus Chriſtus. S. Laurentius non pervênit ad gloriam niſi ex tranſverſo ignium e ac flammarum. [e Pſ. 16. 3] S. Stephanus comprehendit coronam, & replevit magnitudinem nominis ſui Stephani ſignificantis coronam; ſed iſta corona repleta fuit lapidibus f, [f Act. 7. 58. &c.] qui poſtquàm fuerint inſtrumenta ſævitiæ carnificum, ipſius capiti g [g Pſ. 20. 4] modò ſunt ornamentum in ſplendoribus gloriæ ſempiternæ. Princeps Apoſtolorum h S. Petrus [h Matth. 16. 18] ſecutus eſt ſui viam Domini, & crux † [† Joan. 21. 18 juxta Gloſſ. ord.] quæ fuit theatrum martyrii ipſius, eſt modò thronus gloriæ ipſius. Ecce primus greſſus nobis peragendus; ecce via, quam ſequi debemus; en veſtigia, quibus inhærendum eſt nobis veritis ne annumeremur iis peccatoribus, qui *alienati ſunt à vulvâ, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa* i. [i Pſ. 57. 4] Heu! miſeri homines, qui, ut viperæ crudeles, diruperunt viſcera matris ſuæ, ut illinc exirent! Illorum furor ſimilis eſt rabiei hujus ſerpentis. Similes etiam ſunt aſpidi, quæ aures ſibi obturat caudâ ſuâ, *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter* k. [k Pſ. 57. 5. & 6] Ha! Auditores, dicere nolo id, quod dicebat Deus alias Hebræis, *Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde. Et iſti non cognoverunt vias meas; ut juravi in irâ meâ, ſi introibunt in requiem meam* l. [l Pſ. 94. 10. & 11] Sed ſaltem, *Quadraginta* diebus *proximis fui* in vobis, annuncians vobis, fuiſſe quoſdam [m ecclesia] aberrantes à corde Jeſu, & qui non agnoſcebânt vias ejus. Caveant illi (ſi qui fortè ſint inter vos) ne à rectâ via declinantes, in gloriam nunquam perveniant; & ne juret Deus, quòd, cùm à ſuis in hoc mundo declinarint ipſi ſectandis viis, nunquam futuri ſint participes in altero quietis ſuæ.

Secundam lectionem docuit nos Jeſus ſuper theatro montis Calvariæ, [II. Pars.] in cathedrâ ipſi erectâ ſuper vertice hujus excelſi montis, *Tanquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, cathedra fuerit Magiſtri docentis*, ait S. Auguſtinus n. [n S. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 25. &c.] Et niſi doctrinæ illius inhæreremus, magis videremur inſenſibiles, quàm creaturæ animæ & ſenſûs expertes o, [o Luc. 23. 45] imò verò quàm & ipſæ *petræ* p, [p Matth. 27. 50. &c] quæ ſunt ipſa inſenſibilitatis imago; cùm omnes creaturæ ſuo modo præ ſe dolorem tulerint, mortuo ipſarum Opifice. Sed ut perveniamus ad montem Calvariam, & diſcamus à Jeſu quænam eſſe debeat noſtra peregrinatio, intueamur programma ſeu affixum ibi nobis expoſitum, quod non eſt aliud niſi *Verbum* q [q Pſ. 44. 2] Divinum columnæ alligatum r. [r Joan. 19. 1] Pater æternus noſtris ponit præ oculis hunc Divinum *Librum ſcriptum intus & foris* ſ, [ſ Apoc. 5. 1] ut eum legentes edoceamur quid agere debeamus, præſertim quia in Verbo cruci ſuffixo in monte Calvariâ *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* t. [t Coloſſ. 2. 3] Ex quibus theſauris doctrinam haurire poſſumus puriſſimam, nobiſque perutiliſſimam.

Indiguit alias populus Iſraeliticus columnâ u [u Exod. 13. 21. &c.] miraculoſâ, cujus beneficio ac lumine exire poſſet ipſe è captivitate tyrannicâ Pharaonis, ſub cujus jugo implacabili gemebat ipſe in Ægypto. Si liberari velimus à ſervitute mundi, ſequamur, ſi non columnam, ſaltem *veſtigia* illius,

lius, qui alligatus fuit columnæ, ut nos diſſolveret à poteſtate Satanæ. Eximius iſte *Magiſter*, cujus ſcientia erat planè Divina, propugnaturus pro tuendâ veritate theſeon, quas explicaturus erat poſtquàm eas producturus eſſet è cathedrâ ſuæ crucis, ut earum doctrinam facilè quis addiſceret, earundem epitomen ac ſummam exhibet in perſonâ ſua Divinâ, in humanitate ſanctâ ſuâ impreſſâ characteribus ſanguineis hoc *in Libro vitæ* x exaratis. Satis luminis habuerunt cæci, cujus beneficio, ex tranſverſo tenebrarum & obſcuritatum eximiam legerint veritatem ſalutis ſuæ utilitates ſpectantem; & doctrinam ſalutarem, cui adhærentes, felicitati ſuæ æternæ promovendæ incumberent.

x Apoc. 20.15

Sed quid docet nos eximius iſte Doctor? O præclara lectio! Docet nos Doctor iſte Divinus rectitudinem manuum, cordis, & pedum, ut magis ac magis ſemper progrediamur in viis Domini, & ne unquam declinemus à Jeſu, ſed ipſi è contrà jugiter adhæreamus corde puro ac affectu integro. Verùm enim verò cùm quis ingenuè procedit, præ labiis ſuis fert id, quod in intimo ſuo gerit corde. Inſignis quidam Dux exercitûs quondam interrogatus de Muſicis, reſpondit de Ducibus, quod erat nota manifeſta ac evidens, ipſum habuiſſe iſtos in corde, alios autem duntaxat præ ſolis auribus. Magnus quidam Dei famulus inquiſitus de ſpecie ac decore mulieris, reſponſum præbuit de libri bonitate atque utilitate, quod erat ſignum infallibile, ipſum habuiſſe iſtum in animo, illam autem nequidem præ oculis. Mulieri autem cuidam ambitioſè loquenti Dei Filio de honoribus & dignitatibus, *Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo, reſpondens Ieſus dixit, Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum* y? reſponſum præbens ei de paſſionibus, & de depreſſionibus, cùm ipſe oſtendiſſet Chriſtus tam exemplo quàm verbo, ſe nullâ unquam exaltatum fuiſſe magnitudine, quam priùs non fuiſſet ipſe meritus ſuiipſius depreſſione. Sic oportebat ut homo humiliaretur, & pateretur, antequàm ad gloriam aſcenderet ſempiternam.

y Matth. 20.21.& 22

z Cornel. in Gen. 37.2.&c.

Præter hanc rationem Cornelius à lapide z ait perfectiſſimam figuram Jeſu Chriſti fuiſſe Joſeph, qui ad magnitudinem duntaxat aſcendit, gradiens in viâ depreſſionis; ut diſcamus, veros & legitimos Dei filios adoptivos probari in fornace *tribulationis* a, nec ullum potiturum hæreditate regni ipſius, qui in hac non inceſſerit viâ. Sed quid? Poteſtne quis præ juſtitiâ, imò verò præ honore hanc prætendere & ſibi comparare coronam viliori pretio, quam eam acquiſierit unicus Dei Filius, qui ſuum priùs non eſt ingreſſus regnum, quàm ſe mille expoſuerit certaminibus, ſuo Sanguine opertus? Ut quis ad ſocietatem illius admittatur, & unà cum illo ingrediatur, debet ejus inſignibus decorari; ut autem digni efficiamur ut regnemus cum illo, adhibenda ſunt nobis media, quæ ille aſſumpſit. Qui autem alias ſecutus fuerit vias, ſperare non debet ſe unquam ad eundem ſcopum perventurum.

a Eccli. 27.6

Non judicamus nos de rebus niſi juxta affectus noſtros. Filii Zebedæi exiſtimabant aliàs, illud, fuiſſe regnum, quod non erat ſanè niſi crux & tribulatio. Quàm intoleranda cæcitas! Quænam convenientia inter mori & regnare? Quæ conventio inter mortem Chriſti ac regnum temporale? quaſi verò candidum ſimilitudinem haberet cum nigro, mors cum gloria, & injuria cum honore. Moyſes deſcendens è monte cum Senioribus populi inter quos erat Joſue, audiens tumultum populi & exercitus, qui adorabat vitulum aureum, mirabatur ob ſtrepitum quem audiebat, & neſciebat quid eſſet id, quod ipſe audiebat: Joſue ſuam aperiens conceptionem in hoc occurſu, ait, *Ululatus pugnæ auditur in caſtris*. Moyſes autem, cujus cogitationes erant aliæ à cogitationibus Joſue, illi *reſpondit*, *Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: ſed vocem cantantium ego audio* b. Dicitur in foſſis ac maceriis militaribus audiri duplex genus tumultus, unum timoribus, clamoribus, & occiſionibus refertum, ex parte eorum, qui victi ſunt, alterum verò fauſtis acclamationibus plenum, è parte illorum qui victoriam de hoſtibus glorioſam retulerunt. Joſue bello delectabatur, ideòque tumultum bellicum id eſſe credebat; Moyſes autem, qui *erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines* c ex natura ſua, judicium de eo debebat ferre tale, quale ipſe protulit: Sic homines viventes juxta regulas mundi ac ſenſuum vellent ut omnia ſuis inſervirent voluptatibus ac ſatisfactionibus: Sed Chriſtus eorum Dominus ac *Magiſter* docet illos principia ſua & regulas ſuas ſita eſſe in tolerantiis, & oppoſita maximis mundi, innocentiæ contrariis.

b Exod. 32. 17.& 18

c Num. 12. 3

III. Pars.

Tertiam tandem lectionem, perfecturus Dei Filius peregrinationem ſuam è terrâ in cœlum, edocuit nos in monte Olivarum d; ut diſcamus, nos, ſi intendamus pergere è terrâ in cœlum, debere nobis proponere montes excelſos ſuperare; nec illuc pervenire quemquam deſcendendo. Aſcendit igitur in cœlum Salvator noſter è monte Olivarum, ut doceat nos, quòd ad ingrediendam *arcam* Domini, oporteat adinſtar columbæ *ramum olivæ*, ſeu pacis *in ore* e ferre. Sed intueor ſuper hoc monte rupem, cui impreſſa ſunt veſtigia pedum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; & ſi inquiram rationes illuſtrium iſtarum impreſſionum in hac rupe exaratarum, videtur mihi hæc ſacra Jeſu Chriſti humanitas nunquam fuiſſe gravius terræ, niſi cùm eam onere jucundo levaret ſuo, eamque privaret pretioſo hoc pignore, quod apud ſe ipſa habebat depoſitum terra. Prætereà, Dicam voluiſſe inde Chriſtum nobis exhibere amorem, quo ipſe nos proſequebatur, cùm notas reliquerit exaratas in lapidibus, qui morienti ipſi fuerant compaſſi ſuo modo f. Inſuper, Cùm non deberet ampliùs ipſe eſſe viator, veſtigia ſua terræ reliquit impreſſa. Tandem, Sua nobis deſeruit veſtigia, ut illa forent exemplar, cui noſtram conformaremus vitam. Hanc lectionem dereliquit nobis Jeſus ſcriptam, ſi non digito, & in charta, eam ſaltem nobis exaravit pedibus, quorum adorandum eſt *ſcabellum* g, docens nos, conterendas eſſe rupes ut perveniamus in cœlum; triumphandum de omnibus; & imitandum Solem, qui curſum ſuum peragit, etiamſi per indices tranſeat horologicos; & ulteriùs ſemper nobis progrediendum.

d Act. 1.12. &c.

e Gen. 8. 9.& 11

f Matth. 27.52

g Pſ. 98.5

Nam, ut ait S. Auguſtinus Scripturæ ſacræ innixus, oportet peregrinari in hoc mundo, aut renun-

renunciare Sanguini Chriſti, qui inſumptus eſt ut emeretur illius pretio locus quietis peregrinis, *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum* h. Debemus igitur eſſe peregrini, ut docet nos ſanctus ille Doctor i: *Iuſte itaque figuli ager Chriſti Sanguine emptus eſt: peregrinis, inquam, qui erant ſine domo & patriâ, & his qui toto orbe exules jactabantur, requies Chriſti Sanguine providetur: & quibus non eſt in mundo poſſeſſio, his in Chriſto ſit ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus, niſi devotiſſimos Chriſtianos, qui renunciantes ſeculo, & nihil poſſidentes in mundo, in Chriſti Sanguine requieſcunt? Chriſtianus enim, qui mundum non poſſidet, hic totum poſſidet Salvatorem. Ideò autem peregrinis Chriſti ſepultura promittitur, ut qui ſe à carnalibus vitiis tanquam peregrinum & alienum cuſtodierit, is Chriſti requiem mereatur. Nos ergo peregrini in hoc mundo ſumus, & tanquam hoſpites in hâc luce verſamur, ſicut ait Apoſtolus* k, (*Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*) *Peregrini, inquam, ſumus, & nobis Salvatoris empta eſt ſepultura* (*Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem* l.) *Baptiſmus igitur Chriſti nobis eſt ſepultura, in quo peccatis morimur, & veteris hominis conſcientiâ reſolutâ in alteram nativitatem redivivâ infantiâ reparamur. Baptiſmus, inquam, Salvatoris nobis eſt ſepultura: quia ibi perdidimus quod ante viximus; & ibi denuò accipimus, ut vivamus.*

h Matth. 27.7
i S. Aug. Fer. 5. in Cœnâ Dñi. ſerm. 48, in Appẽd. de diverſ.
k 2. Cor. 5. 6
l Rom. 6. 4

Princeps Sacerdotum dicenti Judæ, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? conſtituerunt triginta argenteos* m, Qui triginta argentei reſpondent triginta annis, quibus peregrinatus eſt Chriſtus in hoc mundo uſque ad Baptiſmum n. Non oportet igitur ut annumeremur cum illis miſeris hominibus, de quibus loquitur Propheta o in perſona Chriſti, qui tot argenteis emptus eſt, quot annis peregrinatus eſt in hoc mundo uſque ad Baptiſmum, *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti.* Tandem, Sicut curſus, quibus Chriſtus peregrinatus eſt in hoc mundo, pretioſi valdè fuerunt, ſi curramus ſicut ille cucurrit, idem profectò præmium conſequemur; *Pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſraël: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus* p.

m Matth. 26.14. & 15
n Luc. 3. 21 & 23
o Pſ. 61. 5
p Matth. 27.9. & 10 ex Zach. 11. 12

Ha! Auditores, quandonam ſic boni erimus peregrini & imitatores Jeſu Chriſti unici peregrini in terrâ, ſicut nobilis ille peregrinus Terram ſanctam inviſens, qui viſitatis locis omnibus à Chriſto Domino noſtro conſecratis, cùm perveniſſet ad montem Olivarum, unde Chriſtus in cœlum aſcenderat, & petiiſſet ab eo ne ipſi ſuperſtes viveret, exauditus, ibi mortuus eſt, extremum vitæ ſuæ efflans halitum ſuper veſtigiis, quæ Jeſus Salvator noſter rupi impreſſa reliquerat? Finiamus hanc vitam cum Apoſtolo q; ipſa eſt ſtadium, *in* quo vos curritis, ſicut & ego; *ſed bravium* non accipietis, niſi ad ſtadii finem uſque perveneritis; idcircò *ſic currite ut comprehendatis* illud, id eſt, ſic vivite, & in tantâ Divinorum obſervantiâ mandatorum, ut propoſitum mereamini conſequi præmium. Quicumque diſputant de honore ſibi comparando, incumbentes alicui exercitio corporali, ab omnibus cavent unde poſſint ipſi infirmari, & graviores effici; & ſi ita laborant pro acquirendâ coronâ, quæ ſtatim marceſcet, quid non agere debeamus nos pro comparando nobis diademate, quod decôrem ſuum ſemper conſervabit? Si autem propter hunc finem nobis ſit tantiſper laborandum, compenſabitur ille labor mercede, quæ nobis inde eſt certè proventura. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

q 1. Cor. 9. 24. & 25

Tonet, grandinet, ningat, non ſiſtit propterea peregrinus, nec tramitem inceptum deſerit, ſed illi directo versùs cœlum inſiſtit, neque intuetur ea, quæ peraguntur in terrâ. Ipſe eſt veluti Sol, qui ſuos habet motus compoſitos, quique per medios tranſit indices horologicos, nec tamen ibi ſiſtit. Scio equidem nos inſiſtentes huic ſemitæ, habituros obvios aliquem taurum furioſum, leonem rugientem, ſagittarium jaculis inſtructum, quibus vos confodiat; cancrum, ſcorpionem venenatum, canem rabioſum, caniculam: Sed cùm pervenerimus ad ſignum Solis r, ac Virginis, quid noſtrâ intereſt quomodocumque hic ſimus, dummodò in æternum futuri ſimus cum Jeſu & Mariâ? *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem* ſ. Pergamus eò, Auditores, quò vocat nos felicitas noſtra, eo allecti motivo, quòd, ſicut teſte Ariſtotele t, *eſt equidem finis, quem propter ipſum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus*; id eſt, cognitio finis opificem operi ſuo alligat, ita ſpes præmii ac mercedis noſtros ſit mitigatura labores; quod manifeſtè evidens eſt in omnibus fatigationibus mercatorũ, ſcholaſticorum, militum, & opificũ quibuſlibet artibus mechanicis aut liberalibus incumbentium, quas hæc cogitatio jucundas efficit, & efficaciùs devincit ſibi animum peregrini Chriſtiani, qui proponit ſibi paradiſum mercedem laborum ſuorum ſempiternam; cogitatio enim gloriæ ſic ſublimis omnes ad nihilum redigit labores, & delicias præ ſe fert medias inter paſſiones.

r Malach. 4. 2
ſ Pſ. 121. 1. & 2.
t Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 2

Auſcultate S. Paulum u hanc veritatem quotidianâ experientiâ comprobatam ventilantem, *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Sed quomodo reverâ aſſerere poteſt Apoſtolus, labores noſtros unico abſumi momento, cùm ipſe à converſione ſuâ x, totam deinceps medias inter tolerantias ſuam vitam tranſegerit? Quâ ratione vocat ille levia martyria, quibus ipſe ſic frequenter exceptus fuit? cùm dicat de ſe y, *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter; à Iudæis quinquies, quadragenas, unâ minus accepi; ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui; in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, ex genere, ex Gentibus, in civitate, in ſolitudine, in mari, in falſis fratribus; in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa, quæ extrinſecùs ſunt.*

u 2. Cor. 4 17 & 18
x Act. 9. 6. &c.
y 2. Cor. 11. 23. &c.

Ocu-

Oculus carneus, qui objecta duntaxat intuetur ſenſibilia, tale profectò non feret judicium; ſed oculus fidei noſtræ, qui æternas paradiſi contemplatur voluptates, omnia nihili ducit æquiparata huic fruitioni. Secola Neſtorea ſunt velti momentanea comparata cum æternitate; & labores, quibus eam comparamus nobis, nullius ponderis ſunt, librati cum iſta gloria, *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.* [z Pſal. 118. 112.] Hanc intuitus David z mercedem, inclinavit cor ſuum ad ſerviendum Deo, & alacriter ferendum mandatorum ipſius onus, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Hâc dulci recordatione omnes Sancti ſua mitigavêre martyria. S. Eulalia aſpexerat hanc triumphantem *Ieruſalem* a, [a Apoc. 21. 10.] & prælibarat anticipatis deſiderijs ſuis delicias immortalitatis, cùm ipſa flammas hauſit, ut citiùs gloriâ potiretur. S. Ignatius [b S. Ignat. Epiſt. 15. ad Rom.] b inebriatus erat hâc dulcedine, cum omnia inferni tormenta provocat ut ſuum excrucient corpus, quò citiùs anima diſſoluta à corpore ſic dirè excepto hâc violentiâ tolleretur in cœlum; & cùm Romanis ſic loquitur, *Sinite me ferarum eſcam fiere, per quas licebit Deum adipiſci. Frumentum ſum Dei, dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. Nunc incipio diſcipulus eſſe, cùm nihil expetam aut viſibilium, aut inviſibilium, ut Ieſum Chriſtum aſſequar: Ignes, crux, ferarum concurſus, ſeditiones, lauvena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò ut Ieſum nanciſcar.* Lapides dulces ſunt S. Stephano, quia cœli [† Act. 7. 46. &c.] aperti † offerunt gloriam ei aſpiciendam; quam quicumque videt, pœnas intolerandas, delicias reputat incomparabiles.

Cùm igitur non excitamus puſillanimitatem noſtram præ cognitione finis noſtri, ad quem ut veri peregrini rectâ properare debemus? cur non ſuperamus pœnas, allecti ſpe hujus mercedis acquirendæ? Ad præmium æternum evocanda eſt mens noſtra, & terreſtria omnia reputabimus ut ſtercora; Ibi enim invenitur poſſeſſio conſummata omnium bonorum incomprehenſibilium, cùm in eo poſſideatur *omne Bonum* c. [c Exo. 33. 19.]

Patriarcha Jacob filijs ſuis benedicens, delineavit nobis imaginem veri peregrini, ſeu animæ juſtæ laboribus rectà ad cœlum properantis in perſona Iſſachar filij ſui, *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima; & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſq; eſt tributis ſerviens* d. [d Gen. 49. 14. & 15.] Iſſachar eſt imago Juſti, qui æternam contemplatus requiem, humeros ſuos laboribus ſubmittit, & tributa exhibet, cùm bonis operibus incumbit. Collocemus animum noſtrum *inter terminos* Iſſachar, comparantes præſens cum futuro, meditantes momentum & æternitatem, æquiparantes noſtros labores ipſorum mercedi, dirigentes pœnas noſtras ad beatitudinem, intueamur delicias hujus gloriæ, & nobis Dei *jugum ſuave* e erit, [e Matt. 11. 30.] *& mandata ejus gravia non* f erunt, [f 1. Jo. 5. 3.] ſed dulcia, & omnes pœnæ minores deſiderio novarum deinceps perpetiendarum. Ecce felicitas figurata in perſona Iſſachar. Jacob Pater ipſius deſtinat eum ad labores, Moyſes g autem [g Deut. 33. 19.] è contrà aſſerit eum delicijs immerſum, loquens de eo & de fratre ipſius Zabulon ſimul, *Inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Non ſiſto ego in conciliandis his duabus prædictionibus, quarum altera tot prænumerat pœnas, altera verò tot pollicetur delicias. Ex hac Hiſtoria deſumo id, quod ad meum facit propoſitum. Dei Filius, qui propter amorem noſtrum fuit *factus peregrinus*, tres nos docuit lectiones laborioſas, in Circumciſione, in monte Calvariâ, & in monte Olivarum, unde ipſe aſcendit in cœlum: Peregrini nos ſumus in hoc mundo, ut dixi vobis: Tranſeamus igitur per eandem viam, per quam tranſivit *Magiſter* noſter, nimirum per tolerantiam, ut cum illo aſcendere poſſimus in paradiſum deliciarum.

FERIA III. POST PASCHA.

Stetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis; Pax vobis.
Luc. 24. 36. &c.

COmmuni fertur adagio, *Finis coronat opus.* Ego autem exiſtimo Concionatores hoc inductos motivo peractâ Quadrageſimâ dare ſolitos flores veluti notas & inſignia coronarum, quas prætendere poſſunt ij omnes, qui certaverint *bonum certamen, curſum* conſummaverint ſibi præfixum, ut par eſt, ſuam inviolatè cuſtodierint [a 2. Tim. 4. 7. & 8.] & ſervarint *fidem* a, *uſque in finem* b perſeverantes. [b Matth. 10. 22.] Idcircò Salvator, qui debet illorum eſſe corona, vocatur à Salomone *Flos campi, & lilium convallium* c, [c Cãt. 2. 1.] & ab Eccleſia, *Corona Sanctorum omnium.* [d Tert. l. de Coro. Milit. c. 14.] Sed cùm agatur de Jeſu, de floribus, & de coronis, conſiderate, obſecro, vos omnes, ait Tertullianus d, quos flores, & quas coronas præ ſe ferat Dei Filius, *Caput Eccleſiæ Chriſtus Ieſus* e, [e ex Eph. 1. 22.] *quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubijt? Ex ſpinis* f [f ex Matthæ. 27. 29. &c.] *opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra* g *carnis: abſtulit* [g ex Gen. 3. 17. & 18.] *autem virtus crucis omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantiâ obtundens.* Ad expianda peccata noſtra, & ad reconciliandos nos Patri ſuo æterno, qui fuit *pacificans per Sanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* h, [h Coloſſ. 1. 20.] Caput ipſius coronatum eſt *ſpinis*, & hoc eſt, quod *maledicta terra* carnis noſtræ germinaverat, & quod crux à nobis amandavit procul: omnes autem necis mucrones hebetati ſunt, oppoſiti patientiæ ſic miraculoſæ, quæ thorum ſuum conſtituit ſuper capite Salvatoris vulneribus confoſſo.

Quid caput ſtrophiolo aut dracontario damnas, diademati deſtinatum? proſequitur Tertullianus [i Tert. loco ubi ſupra c. 15.] i. Pamelius Scholiaſtes Tertulliani putat *dracontarium coronam intelligi confectam aut ex dracontia herba, aut ex gemmis draconitibus.* Poſt hæc, Auditores, quænam ſerta, & quaſnam coronas poteſtis jure merito prætendere? *Nam & Reges nos Deo & Patri ſuo fecit Chriſtus Ieſus* k. [k ex Apoc. 1. 6.] *Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Ieſſe, ſu-*

l ex Iſa. 11.1 *per quem tota Divini Spiritûs gratia requievit* l, *florem incorruptum, immarceſſibilem, ſempiternum.*
Cui enim bono omnes hi flores æque citò marceſcentes, ac naſcentes, quos ſibi ventus, Sol, & pluvia ludos faciunt, & quos unica deſtruit dies?
Nonne habetis Divinum hunc florem egreſſum
m Luc. ſ. 7. de radice virgæ Jeſſe, Jeſum Chriſtum natum ex Maria m, florem ornatum omnibus gratijs, & omnibus cœli pulchritudinibus, qui nunquam
n 1. Tim. 6, 16. marceſcet, *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaceeſſibilem* n. Qui futurus eſt corona immortalis omnium Sanctorum, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis*
o Iſa. 32. 18. *fiduciæ, & in requie opulenta* o? Hunc ideò debetis ambire florem Divinum, qui veſtris pacem affert animabus, volens eas juſtificare mediâ gratiâ, quâ Mater ipſius erat jam repleta, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

Summa Dei ſapientia, quæ omnia conſilia ſua incomparabili diſponit ſuavitate, ſupremæ unita potentiæ, miro reſplendet modo in ordinanda ſalute noſtra, quam è proprijs noſtris educit ruinis; ſic dulciter & potenter indeclinabiles ordinat infelicitates, ut ex ijs noſtras eruat veras
p Sap. 7 24. felicitates, *Sapientia* p *attingit à fine uſque ad fi-*
q Sap. 8, 1 *nem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* q. Sapientia Divina menſa eſt omnia entia, præſertim verò humanum, & ordinavit pœnas, quibus obnoxij ſumus ipſâ noſtrorum natalitiorum lege, ad benè eſſe noſtri finis, puta ad ſuiipſius fruitio-
r Prov. 16. 4. nem, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* r. Spinæ autem laborum, quas peccata no-
s Ioſ. 2. 2 &c. ſtra multiplicant in valle inconſtantis *Iericho* s, fœcundatæ ab hac ſacra providentia, roſas ger-
t Apoc. 21. 10. &c. minant delicioſas, quæ nunquam marceſcent in cœleſti *Ieruſalem* t; quod eſt inſigne opus hujus Providentiæ. Quod ut admiremini, obſervate, culpam Adæ fuiſſe ſemen omnium infortunio-
u Gen. 3. 6. rum, pyxidem Pandoræ, quæ aperta aperto ſeu inciſo pomo u prohibito x, effudit calamitates,
x Gen 2 17. quæ *mundum* y replent, & omnes deſolant illius
y Rom. 5 12. incolas; nec ullius eſt *homo natus de muliere*, qui non repleatur *multis miſerijs* z, & qui non emit-
y Job 14. 2. tat *primam vocem plorans* a, ſtatim ac primum
a Sap. 7 3. vitæ ſuæ ſpirat halitum.

Sic, ut dilucidè depingatur naturalis ejus conditio, imago nobis proponitur infortunij. Experientia, quâ veritatem hanc luce clariorem comprobamus, omnem antecellit ſcientiam Sapientum, qui definierunt hominem per infortunium ipſius, quod non eſt verè ipſius natura, ſed acceſſorium ab ipſo inſeparabile, puta per mortalitatem, *Homo eſt animal rationale, mortale.* Illorum non affero diſcurſus, qui ſermonem meum protraherent. Sed in hoc occurſu deprehendo ſtatim malitiam diaboli, qui ſeduxit primos paren-
b Gen. 3. 1. &c. tes noſtros b, ut felicitatem noſtram unà cum illorum innocentia ac juſtitia originali deſtrueret,
c Pſ. 8. 6. & deprimeret humanitatem noſtram è ſtatu Angelis comparabili, aut propè ad eos accedente c; ad miſeriam approximantem ad conditionem brutorum rationis expertium, *Homo cùm in hono-*
d Pſ. 48 13, & 21 *re eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* d. Atqui Sapientia Divina videns hominem ad miſeriam peccati redactum machinante diabolo, hanc illius miſeriam vertit in felicitatem & pacem, præter ipſius ſpem; & exiſtimavit ſe non potuiſſe meliùs confundere invidiam hujus inimici communis humanæ naturæ, quam ſecundâ metamorphoſi malorum, & peccatorum, ad quæ rabies illius infernalis viam nobis aperuerat, in bona, & pacem, quæ bonitas ipſius infinita e miſerandis of- e Baruch 3. 25.
ferr ac pollicetur peccatoribus, ſi ipſi reſipiſçant, & in bonam ſe recipiant emendatę vitę frugem. Sic infortunium & peccata, quæ Satan in nos invehebat, ut nos in deſperationem induceret, Divinâ Providentiâ ſic diſponente, fulcrum ſunt noſtræ felicitatis & pacis. Nonne profectò id eſt diſponere dulciter & potenter in gratiam naturæ humanæ, ac pacificare hæc mala magis deſideranda in ipſorum exitu, quàm formidanda in ipſorummet introitu? Ita verum eſt id quod ait Sapiens, cùm ſic effatur, *Sapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Non poteſt S. Auguſtinus ſatis amplis extollere laudibus hoc opus eximium admiratione percitus, videns mala noſtra exſtillare expreſſionem boni, tranſeuntia per clibanum f ſupremi Empy- f Pſ. 16. 3
rici Dei. Poterat ſine dubio noſtros impedire dolores, & tranſportare nos, ſicut tranſtulit An- g Apoc. 12. 7
gelos g, è nativitate noſtra ad ſui fruitionẽ Deus; ſed glorioſiùs agit cùm fortunam noſtram ædificat ſupra miſeriam noſtram, & pacem ſuam nobis communicat, cùm peccatis noſtris bellum ipſi indicimus: ſic autem loquitur S. Auguſtinus h, h S. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 1 ex Iſa. 14 12. &c.
Qui cùm præſciret Angelos quoſdam per elationem, quâ ipſi ſibi ad beatam vitam ſufficere vellent, tanti boni deſertores futuros, non eis ademit hanc poteſtatem, potentius & melius eſſe judicans etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere.

Sol generat formam viventem è corruptione; apis exprimit ſuavitatem mellis ſui ex herbis amariſſimis; influentia cœli mutat fulgura, tonitrua, & fulmina in pluvias propitias ac perutiles; & cauſæ naturales virtute antiperiſtaticâ in ſe collectæ ac unitæ effectum contrarij ſibi oppoſiti ad ſe trahunt. Sic Divina Providentia majori agens ſuavitate ac potentiâ, exprimit pacem è bello, quod peccator ipſi indicit, nam, ut ait idem S. i S. Aug. Ibid.
Auguſtinus i, *Multa fiunt à nobis quidem contra voluntatem Dei. Sed tanta eſt illi ſapientia, tantaq; virtutis, ut in eos exitus ſive fines, quos bonos & juſtos ipſe præſcivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adverſa.* Et *Hæc mutatio dexteræ Excelſi* k k Pſ. 76 11.
eſt, & expreſſio amoris ipſius, qui bona de malis eruit, & pacem de bello. Hinc occaſionem arripio oſtendendi vobis Primò, Deum è bello, quod Diviſio.
ipſi nos indicimus, eruere pacem ac reconciliationem noſtram. Secundò, Peccatorem non petere pacem, ſed inducias ſolas.

Quis non admiretur hoc in occurſu immen- I. Part.
ſam l Dei bonitatem, qui procuret, imò verò no- l Baruch 3. 25.
bis offerat reconciliationem ac pacem, cùm ipſe, qui exacerbatus fuerat tot nefandis impiorum ſceleribus hominum, & ſic debebat in criminoſa illorum capita juſtitiæ ſuæ vibrare fulmina, ſuum miſerit unigenitum Filium Mediatorem pacis conciliandæ inter nos & ſeipſum, qui Filius nobis hanc pacem ſui Sanguinis pretio emerit infinito? *Stetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis*; etiamſi nos ipſius abutamur beneficijs, in fabricandis armis, quibus ipſum offendamus, in officina malitiæ noſtræ, ſuper obſtinationis noſtræ incudem. Noſtram improperat nobis ipſe Deus iniquitatem ac malitiam, *Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti. Et dixit Dominus ad me, Nunquid vidiſti quæ fecerit averſatrix Iſrael? Abijt ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni*

ligno

m Jer.3. 5. & 6. *ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi* m. … tatis exa-
cerbata fuit bonitas mea, ait Deus … concinnanda
ſunt hæc diſſidia, & viveodum d… mutuò
in bona pace, *Veruntamen ſervire me fecisti in pec-
catis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*
n Iſa. 43. 24. & 25 *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas pro-
pter me, & peccatorum tuorum non recordabor* n.
Sic bonus eſt Deus, ut ſuam nobis offerat miſeri-
cordiam & pacem, *Revertere averſatrix Iſraël, ait
Dominus, & non avertam faciem meam à vobis: quia
Sanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in per-*
o Jer. 3. 12. *petuum* o. Et tamen tanta eſt malitia noſtra, ut
vocem illius audire, & oblatam ab eo nobis pa-
cem acceptare renuamus, *Averſus eſt populus iſte
averſione contentioſâ, & noluerunt reverti.* Ita ut
p Jer. 8. 5. & 21 Deus attonitus videatur, *Stupor obtinuit me* p.

Videtur, Auditores, Sanguis Jeſu Chriſti, qui
terram cœlo reconciliat, pacificare non poſſe no-
ſtras voluntates rebelles Divinæ Voluntati. Ad
mitigandam juſtitiam Patris æterni, & ſedan-
dam illius iracundiam, ſufficit ut Filius ipſius
exhibeat ipſi ſua vulnera, & ſuorum merita offe-
rat martyriorum, *Videte manus meas, & pedes
meos; quia ego ipſe ſum.* Et tamen repræſentatio
viva earundem paſſionum nullo modo emolliet
duritiem obſtinati cordis noſtri? Perpendamus
ſeriò, Chriſtum, qui ſeſe exhibet (allectus moti-
vo immenſæ ſuæ bonitatis) Mediatorem pacis
hujus conciliandæ inter nos & Patrem ſuum,
hanc emere nobis reconciliationem ac gratiam
ſumptibus & impenſis pretioſiſſimi Sanguinis
q Rom. 4. 25. ſui, *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit
propter juſtificationem noſtram* q. Rectæ quidem
rationi ac æquitati eſt conſonum ut merita infi-
nita iſtius mortis nobis applicantes, in amici-
tiam Patris ipſius redeamus, & cum illo pacem à
Filio ipſius nobis oblatam ineamus: *Iuſtificati
ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Domi-*
r Rom. 5. 1. *num noſtrum Ieſum Chriſtum* r.

Mihi videor eum intueri præſentem huic con-
cioni (ſicut ſuorum cœnaculo intereſt Apoſtolo-
rum) repetentem hæc verba Evangelij hodierni,
Videte manus meas, & pedes meos. Cur crederetis
me conſervare has cicatrices, & hæc inſignia
mortis in hoc ſtatu gloriæ? Non aliam ſanè ob
tationem, niſi quia ipſa ſunt trophæa generoſi
animi mei, & canales, per quos meæ defluunt
gratiæ. Quis de hoc ambigit? Sed præcipua ip-
ſa ſunt pignora redemptionis veſtræ; & ſi ego
s 1. Jo. 2. 1 veſter debeo eſſe advocatus s, non alium legam
codicem in paradiſo, præter charactêres horum
vulnerum impreſſos membranæ innocenti meæ
humanitatis. Hæc ſunt ſpiramenta ardentis for-
nacis. Non poteram exhalare flammas ignitas
Divinæ meæ dilectionis, & immenſi amoris mei
erga vos, niſi ex his câminis. In hac ardenti for-
nace iofinitæ charitatis concutienda ſunt ac e-
mollienda corda quæque obſtinatorum peccato-
rum duriſſima, ut eos Patri meo adversùs illos
irato reconciliem. Ipſa etiam ſunt teſtes, qui ac-
cuſabunt vos; & judices, qui damnabunt vos, *Vi-
dete manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum.*
Peccata veſtra has perforavêre manus; & ſi vul-
t Pſ. 90. 10. nera mea ſanguinē ſtillent, cùm ego ſim impaſſi-
bilis t, injuriæ atroces, quibus me afficitis, nul-
lum tamen agnoſcunt finem; manus veſtras præ
actionibus veſtris criminoſis tinctas habetis ſan-
u Iſa. 1. 15 guine innocentiæ meæ, *Manus enim veſtræ ſangui-
ne plenæ ſunt* u. Dolores meos efficitis æternos,
renovantes tormenta mea, *Rurſum crucifigentes
ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes* x. Nun- x Heb. 6. 6.
quid igitur ſemper iraſcemini adversùs Salvato-
rem veſtrum, qui ex bello, quod vos ipſi indici-
tis, reconciliationem veſtram molitur cum Patre
ſuo? Nonne aliquando continebitis impetum
torrentis iniquitatum veſtrarum, quibus inſurgi-
tis in Dominum veſtrum, qui ex malo, quod ipſi
infertis, bonum veſtrum, ac pacem vobis conci-
liare conatur, voſque Patri ſuo (niſi per vos ſte-
terit) re verâ reconciliabit æterno? *Videte ma-
nus meas, & pedes meos; quia ego ipſe ſum.*

Cùm Chriſtus ſua inſpicienda obtulit vulne-
ra Saulo in itinere, dicens ei, *Saule, Saule quid me
perſequeris?* & interroganti ei reſpondiſſet, *Ego
ſum Ieſus quem tu perſequeris*: ſtatim ipſi Saulus
ait, *Domine quid me vis facere* y? Sicut S. Paulus y Act. 9. 4. &c.
hâc voce Chriſti vulnerati converſus eſt, ita fa-
cilè credit ipſe, eorundem conſiderationem vul-
nerum Chriſti abrepturam corda obſtinatiora,
eaque Divinæ reconciliaturam Bonitati, *Tradi-
tus eſt propter delicta noſtra; & reſurrexit propter
juſtificationem noſtram.* Ex hoc aotecedenti ne-
ceſſariò eruenda eſt hæc conſequentia: *Iuſtificati
ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Domi-
num noſtrum Ieſum Chriſtum.* Vox Chriſti, & vox
Sanguinis ipſius, auditum ſic intimè pervadunt,
ut nemo obedientiam Divinæ ipſius voluntati
præſtare renuat jure merito, *Acceſſiſtis ad Sangui-
nis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel* z. Au-
dimus hodiernâ die loquentem Sanguinem, & z Heb. 12. 22. &c
clamantia vulnera Fratris noſtri Jeſu Chriſti, ſed
fructuoſiùs quàm locutus fuerit ſanguis Abel,
qui pœnas expetebat ac vindictam adversùs
Cain fratricidam, *Vox ſanguinis fratris tui clamat
ad me de terra* †. Cùm iſte veniam petat, pacem † Gen. 4. 10.
procuret ac reconciliationem, & theſauros di-
ſtribuat miſericordiæ ipſis peremptoribus miſe-
ricordiæ. Sed *videte ne recuſetis loquentem.* Ca-
vete ne contemnatis vocem hujus Sanguinis; a-
lioquin longè diverſo locuturus eſt ſtylo, & loco
pacis, reconciliationis, aut miſericordiæ, bella
ſuper impia veſtra capita invehet, fulmina atque
vindictas, quibus vos exterminet. Idcircò *pacem
ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua
nemo videbit Deum* a. Pacificemus igitur animas a Heb. 12. 14.
noſtras cum Deo, ut hęreditate poſſideamus me-
rita infinita pretioſi hujus Sanguinis, & potia-
mur tandem viſione Divinæ Eſſentiæ in gloria
ſempiterna. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habea-
mus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum.* Super quæ verba S. Leo b ait, *Cujus ſenten-* b S. Leo ſerm. 6. de Nativit. c. 3.
*tiæ brevitate omnium ferè mandatorum continetur
effectus; quia ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi poteſt
deeſſe virtutis. Quid eſt autem, dilectiſſimi, pacem
habere ad Deum, niſi velle quod jubet, & nolle quod
prohibet?* Cùm Appſtolus *pacem* ſectandam no-
bis commendat, omnium nobis annunciat virtu-
tum exercitium; vivere enim pacificè cum Deo,
idem planè eſt ac declinare ab omni eo quod ipſe
vetat, & exequi quidquid ipſe præcipit. Pacem
agere eſt arma ſuorum deſerere peccatorum, ea-
que appendere æternùm ad raſtellum pœniten-
tiæ, firmiter proponendo velle potiùs deinceps
mori, quàm nova in poſterum Deo indicere cer-
tamina, peccata reſumendo. Ideò S. Auguſtinus
c explicans hæc verba, *Miſericordia & veritas ob-
viaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, ait, c S. Aug. in Pſ. 84. 11.
*Fac juſtitiam, & habebis pacem, ut oſculentur ſe ju-
ſtitia & pax. Si enim non amaveris juſtitiam, pa-
cem non habebis. Amant enim ſe duo iſta, juſtitia &*
pax,

Digitized by Google

pax, oſculantur ſe, ut qui fecerit juſtitiam, inveniat pacem oſculantem juſtitiam. Duæ amicæ ſunt, tu fortè unam vis, & alteram non facis; nemo enim eſt, qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari juſtitiam.

II. Pars.

Sed heu peccator non pacem, ſed ſolas petit inducias! Et in hoc agnoſcimus abuſum ordinarium hominum ſecularium ſecundùm leges & maximas mundi innocentiæ oppoſitas viventium, qui longè diſtant ab obtinenda vera pace. Licèt ipſi reconcilientur Deo, feſto Paſchatis adveniente, hæc reconciliatio eſt amicitia ſimulata, hæc pax eſt ferè non interruptum bellum, cùm non pacem ipſi quærant, ſed inducias tantùm, aut quietem trium aut quatuor dierum, quibus arma poliant, & ſe denuò ad certamen Deo indicendum accingant. Id quotidianâ comprobamus experientiâ, cùm videamus ordinariè tranſactis feſtis unumquemque priſtinis indulgere diſſolutionibus. Generoſior proculdubio erat David *d* his effœminatis ac puſillanimis, quando iniens cum Deo pacem, eique ſe reconcilians, eandem pangit æternam, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.* Æternam meditabatur iſte Propheta mercedem, quâ cumulandi erant ipſius actus meritorij per infinita ſecula, *Propter retributionem.* Inclinemus cor noſtrum ad pacem, propter mercedem, quæ non eſt alia, niſi ipſemet Deus, *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum* e. Agnoſcamus quàm ſtrictè addicti ſimus conſervare pacem promiſſam in Confeſſione, cum illo, qui ſic amanter noſtra nobis condonavit peccata, *Remittuntur tibi peccata* f. Et tamen contrarium planè agimus, & relapſibus noſtris longè pejores efficimur.

d Pſ. 118. 112.
e 2. Cor. 13. 11.
f Luc. 7. 48.

Si autem nullo pietatis moveamur affectu, nec ſuavibus amoris trahamur lenocinijs, Ha! formidemus ſaltem Divinam Vindictam in impia capita noſtra jam vibrandam, niſi reſipiſcamus, & in bonam frugem nos recipiamus. Peccator, in Deum tuum inſurgis, adverſùs eum *calcaneum* g levas, cogitaſne te ab ira illius declinaturum? *Quis Rex iturus committere bellum adverſùs alium Regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt* h. Tamen in hoc occurſu è contrà fortior pacem petit, & ecce legatus ego à Deo ad vos miſſus, qui hoc diſſidium conciliem; *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* i.

g Jo. 13. 18. ex Pſ. 40. 10.
h Luc. 14. 31. & 32.
i 2. Cor. 5. 20.

Secedens Moyſes à populo Iſraëlitico, deteſtatus Judæorum obſtinationem, pro teſtamento reliquit eis Librum Legis, qui erat eos condemnaturus, *Poſtquàm ergo ſcripſit Moyſes verba Legis hujus in volumine, atque complevit: præcepit Levitis, qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens: Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei veſtri: ut ſit ibi contra te in teſtimonium. Ego enim ſcio contentionem tuam, & cervicem tuam duriſſimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vobiſcum, ſemper contentiosè egiſtis contra Dominum: quantò magis cùm mortuus fuero* k? Salvator autem animarum noſtrarum miſertus infirmitatis noſtræ, dereliquit Eccleſiæ ſuæ non Legem Decalogi, ſed potentiam abſolvendi, ut, ſi fortè phreneſis pravorum affectuum noſtrorum pacem infringat, virtus Sacramentorum ipſius nos Deo reconciliet Divinæ gratiæ beneficio; *Inſufflavit, & dixit eis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* l. Hoc eſt verbum pacis, quod ego vobis annuncio, *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis: quoniam Deus quidem erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis* m. Si autem preces Chriſti, ſi vox ſanguinis ipſius, ſi merita martyriorum ejus, ſi exceſſus dilectionis illius, ſi ſpes Divinæ gloriæ, ſi timor tormentorum inferni aliquod exerceant in veſtras voluntates dominium; ſi tandem eſtis homines, & tot motivis rationi conſentaneis allecti, Deo *rationabile obſequium* n exhibere proponatis, *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

k Deut. 31. 14. &c.
l Jo. 20. 22. & 23. & ex Matt. 16. 19. & 18. 18.
m 2. Cor. 5. 18. & 19.
n Rom. 12. 1.

Vultiſne ergo, Auditores, veram pacem, non autem ſolas inducias cum Deo inire? declinate à malo, & facite bonum, juxta conſilium ſalutare, quod ſubminiſtrat vobis S. Auguſtinus o, *Vis ergo venire ad pacem? Fac juſtitiam. Ideò alius Pſalmus* p *dixit tibi (Declina à malo, & fac bonum) hoc eſt ama juſtitiam: & cùm jam declinaveris à malo, & feceris bonum (inquire pacem, & perſequere eam* q) *jam enim non diu illam quæres, quia & ipſa occurret tibi, ut oſculetur juſtitiam.* Et cùm hoc monito perutili totam Legis r ſummam complectente, abſolutâ Quadrageſimâ, vobis valedico, non tamen præ me ferens gratiarum actiones à Concionatoribus frequenter finitis concionibus ſuis Auditoribus exhibitas; etiamſi nemo magis unquam fuerit obſtrictus, qui vobis eas rependeret, ſi intuear id, quod ego ſum; nemo tamen unquam minus gratiarum actionum vobis referet, ſi rationem habeam illius, quod ego ago. Miniſterium meum in eo ſitum eſt, ut loquar in nomine Jeſu Chriſti, declarem vobis ejus intentiones, & verbum illius vobis annunciem. Magnam profectò Domino meo ac veſtro injuriam irrogarem, ſi illum inducerem ut vobis gratias ageret pro eo quòd officio perfuncti eſtis veſtro. Inſigni re verâ honore decorati eſtis, cùm verbum ejus audiſtis; ſicut ego gloriâ cumulatus fui ſingulari, cùm mihi licuit illud vobis annunciare. Non agit ſuis Rex gratias vaſſallis, eò quòd ſe audierint; nec illam ego Chriſto, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* s, inferam injuriam, ut gratias agam attentionibus veſtris, cùm vobis ore meo locutus eſt, *Deo exhortante per nos* t. *Qui vos audit, me audit* u.

o S. Aug. in Pſ. 84. 11.
p Pſ. 36. 27.
q Pſ. 33. 15.
r Matt. 7. 12.
s Apoc. 19. 16.
t 2. Cor. 5. 20.
u Luc. 10. 16.

Iidem exhibentur Legatis honores, ac ijs, à quibus ipſi miſſi ſunt. Concionatores ſunt legati Chriſti, *Pro Chriſto legatione fungimur.* Propter hanc rationem debuiſtis me audire præ eadem obligatione & eadem reverentia, ac ſi ipſe proprio ore vobis locutus eſſet, nec illum eò uſque deprimere debeo, ut inducam illum ad agendas vobis gratias pro eo, quòd veſtras mihi vos ſubminiſtraveritis attentiones. Rependerint vobis eas quantùmcumque voluerint Concionatores omnes, qui me præceſſerunt eodem functi ac ego perfungor miniſterio, illorum revereor procedendi modum, ſed ſinite ut ad illos me non conformem. Magiſtrum habeo magis infallibilem imitandum, qui omnes ſermones ſuos didicit in academia tertij cœli *x*, intelligo S. Paulum, qui ſcribens Philippenſibus, non agit gratias Auditoribus ſuis, ſed Chriſto, pro eo, quod illis dediſ-

x 2. Cor. 12. 2. &c.

ſet

Digitized by Google

ſet voluntatem audiendi verbi ſui; & præbet Concionatoribus prototypon illius, quod ipſi debeant exequi. Æquæ rationi conſonum eſt, Auditores, ut cùm hodiernâ die idem obeam officium, quod exercebat alias iſte magnus Apoſtolus, ad illius me conformem intentiones, & modo procedendi illius inhæream, & ut Deum ex toto corde meo alloquar, quandiu os meum annunciabit & exprimet vobis ea, quæ in ſecretiſſimis animæ meæ ſunt intimè recondita penetralibus.

Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens ſuper communicatione veſtrâ in Evangelio Chriſti, à prima die uſque nunc, confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis; eò quòd habeam vos in corde meo; teſtis enim eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti y.

y Philipp. 1. 3. &c.

Gratias tibi rependo, Deus, immortales pro bona voluntate, quam præbuiſti his Auditoribus meis audiendi verbi tui; ſed libentiùs tibi grates referrem, ſi illud verbum tuum executioni mandare ſategiſſent. Spero tamen, te, ſicut incepiſti opus converſionis ipſorum, ita illud ad exitum perducturum; cum certus ſim, quòd *neque qui plantat, eſt aliquid; neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus* z. Quod non ſit attribuendum id, quod colligitur labori illius, qui plantat, aut qui rigat; ſed potiùs Soli, qui calorem ſuum, & influentias ſuas ſubminiſtrat, quibus illud augeat, & ad debitam perfectionem deducat. Sic, Auditores, nullo mihi eſtis obſtricti modo propter dona & gratias, quibus fortè cumulavit vos Deus, ſed potiùs Soli *a* *inviſibili* b, qui non eſt alius niſi ille, *qui incrementum dat, Deus*. Ita autem affectus ego ſum erga integram veſtram converſionem, & perfectam reconciliationem cum Deo, ut illam ex toto corde meo concupiſcam, *Eò quòd habeam vos in corde meo*. Teſtes ego vos non aſſumo, qui huic veritati authoritatem veſtro concilietis teſtimonio; mea vos duntaxat auditis verba, ſolaſque meas intuemini actiones, quæ licèt aliquantulam vobis exhibeant cognitionem ſinceri affectûs, quo vos proſequor, & eorum, quæ vobis eventura concupiſco; hæc tamen longè reverà diſtant ab ijs, quæ intùs experior, & ab ardentibus deſiderijs, quibus perfectæ inhio ſanctitati à vobis acquirendæ. Non invoco teſtes Angelos, beatiſſimos illos ſpiritus, qui perpetuò contemplantur objectum infinitum ſuæ beatitudinis æternæ; intimas meas nullo pervadunt illi modo cogitationes; unicus eſt Deus, qui intuetur quouſque meum protendatur deſiderium; ſolus eſt Deus, qui eſt *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* c, & intima in ijs recondita, & ideò eum ſolum teſtem adhibeo, *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti*. Quonam pacto deſiderem vos ego regenerare in viſceribus *miſericordiæ* d Filij ipſius, ut vivatis jugiter in gloriæ ſinu ſempiternæ.

z 1. Cor. 3. 7.
a Malac. 4. 2.
b 1. Tim. 1. 17.
c Jer. 17. 10.
d Luc. 1. 77. & 78.

Et propter hunc eminentem finem mementote, non mei (ſcio equidem ſatis indignum me eſſe hoc honore, & ſic à vobis expoſcere non audeo ut mei recordemini) ſed illius, quod ego vobis uſque nunc annunciavi, *Hæc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis* e. Prædicavi vobis à principio Quadrageſimæ, *à prima die uſque nunc*, ut illorum meminerītis, cùm hora advenerit, & ſeſe obtulerit occaſio. Recordamini illorum, quæ vobis locutus ſum, & ſedulè mandare ſatagite executioni quæcunque à me didiciſtis: Omnem namque meam inſumpſi operam ad prædicandum Jeſum Chriſtum, ejuſque Evangelium. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo, aut* quilibet alius, *evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit* f. Sed excitans vos ad praxim eorum, quæ audiſtis à me, non auſim vobis dicere ut multa faciatis eorum, quæ vidiſtis in me; vereor enim & jure merito ne multùm deliquerim in meo procedendi modo, quippe qui non ſum impeccabilis. Si verò S. Paulus dicebat de ſe (licèt raptus *uſq; ad tertium cœlum* g) *Ne fortè cùm alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar* h; nonne majorem habeo anſam, quam haberet ille occaſionem, timendi ne Satanas evadam, Angelos efficere volens, & ne incedam in via diligente ad infernum, docens ſemitam, quæ ducit ad paradiſum? Si autem hoc mihi accidiſſet, ſicut poſſum illud timere, non peto à vobis illius miſericordiam, ſatis enim in vobis eſt bonitatis, quâ mihi eam non renuatis, ſed obſecro vos ut eam pro me poſtuletis à Chriſto, cujus mors omnium facit fiduciam i peccatorum.

e Jo. 16. 4.
f Gal. 1. 8.
g 2. Cor. 12. 2.
h 1. Cor. 9. 27.
i Heb. 4. 16.

Si S. Paulus, magnus ille Concionator ſe talem prædicabat, imò verò peccatorum omnium maximum, *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. quorum primus ego ſum* k: Sic ergo recurro ad miſericordiam Dei in gratiam veſtrî & meî, & dico ei illud quod dicebat ei S. Stephanus l extremo vitæ ſuæ articulo, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; ego autem ultimâ Quadrageſimæ meæ concione, *Domine ne ſtatuas* mihi *hoc peccatum*. Si fortè accidiſſet ut potiùs gloriam meam, quàm tuam gloriam inquiſiviſſem, *ne ſtatuas* mihi *hoc peccatum*. Si defectu ſtudij, zeli, ac boni exempli, verbum tuum non operatum eſt effectû quem intendebas, *ne ſtatuas* mihi *hoc peccatum*. Si tandem aliquo modo impedivi executionem operis tui, *ne ſtatuas* mihi *hoc peccatum*. Sed ſicut perfecta charitas æquè *proximum* m reſpicit ac ſeipſum, veniam peto etiam pro Auditoribus meis. Si verbum tuum, præ ipſorum defectu, illis non profuit, *ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Si bonas non ſunt executi inſpirationes, quibus eos *prævenisti* n, dum eis prædicarem, *ne ſtatuas illis hoc peccatum*.

k 1. Tim. 1. 15.
l Act. 7. 60.
m Matt. 22. 39.
n Pſ. 20. 4.

Sed ſicut ſancta diſpoſitio eſt neceſſaria ut digni efficiamur gratijs & benedictionibus, quas à Deo poſtulamus; petitâ ab eo miſericordiâ in gratiam veſtri ſimul ac mei; ab ea expoſcere volo hanc pacem, quam dereliquit ipſe Apoſtolis ſuis, & quam pretioſo ſuo nobis acquiſivit Sanguine. Sermones hujus præcedentis Quadrageſimæ terminare intendo ijs verbis, quibus omnia perficiuntur Eccleſiæ officia, adimplens conciones meas ultimâ oratione, quæ in ea dicitur horâ Completorij. *Viſita, quæſumus, Domine habitationem iſtam*. Inviſe Salvator adorande, animas noſtras. Domine, qui es *Oriens ex alto*, viſitato *per viſcera miſericordiæ* o tuæ non ſolùm hanc Civitatem, ſed totam Diœceſim, ſed totam Provinciam, ſed totum Regnum Galliæ, imò verò totam Eccleſiam ſanctam. *Viſita Domine* ſummum Pontificem Vicarium tuum in terris p, gratiâ tuâ, & zelo erga animas ipſius curæ commiſſas, & directione infallibili in modo procedendi ipſius; ut, ſicut ipſe principes ſedes obtinet in Eccle-

o Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12.
p Matth. 16. 18. & 19.

ſia præ eminentia dignitatis ſuæ, ſic & in ea principem poſſideat locum, animas ſibi commiſſas ſanctitate antecellens. *Viſita* Regem noſtrum Chriſtianiſſimum longâ ac felici vitâ, ſucceſſu proſpero quoad negotia ipſius; victoriâ adverſus hoſtes fidei, & Eccleſię tuæ; conſilio ſalutari; & miniſtris inviolabiliter fidelibus. *Viſita* Reginam adimpletione juſtorum deſideriorum ipſius. Præbe omnibus Principibus, cæteriſque Statûs ſeu Regni Gallici Aulicis inconcuſſam fidelitatem: Moderatori hujus Provinciæ zelum perfectum & conſummatum erga gloriam tuam manifeſtandam: Epiſcopo noſtro vigilantiam in gratiam gregis ipſi demandati; ſpiritum charitatis erga omnes ſuos diœceſanos; & directionis ac exempli intuitu univerſorum Sacerdotum, & Eccleſię Miniſtrorum. Sed imprimis *viſita* domum Domini hujus N. omnibus benedictionibus tuis
q Pſal.16. 8 cœleſtibus ac temporaneis; conſerva eum, *ſub umbra alarum tuarum protege* q eum ab omni infelicitate. *Viſita* civitatem illius non flagellis belli, peſtis, aut famis; non diſſidijs generalibus aut ſpecialibus inter ipſius incolas, ſed ſanitate perfectâ, ſed meſſe opulentâ, ſed vindemiâ redundanti; præſertim verò pace & concordiâ univerſali inter omnes ipſius cives, ita ut de illis dici
r Act. 4. 32. poſſit jure merito ac de primis Chriſtianis, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* r. Sicut hæc pax, quam tuo nobis comparaſti pretioſo Sanguine, continua perſeveret inter homines, & inter homines & te. *Illuminare hujus in tenebris, & in umbra mortis ſedent* s in hac civita- s Luc. 1. 79.
te; ut ſic filij tui fruantur claritate, & ut alij qui receſſerunt è gremio Eccleſiæ tuæ, culpam ſuam
cognoſcant, *& ad cognitionem veritatis* t veniant, t 1. Tim. 2. 4
ac ad unitatem u Sponſæ tuæ reducantur. *Et omnes inſidias inimici ab ea longe repelle*. Procul amanda u Cant. 6. 8.
ab hac civitate omnes dolos ac verſutias diaboli generi humano infenſiſſimi; ejice ab hac detractionem, expelle ab ea avaritiam, libidinem, vanitatem, ſuperbiam, inimicitias, & diſſidia, quæ inveniri poſſunt ſpeciatim inter familias. Ab ea tandem averrunca quidquid opponi poteſt gloriæ Divinæ majeſtatis tuæ, & ſanctitati vitæ, ad quam Chriſtiani tenentur anhelare. *Angeli tui ſancti habitent in ea qui nos in pace cuſtodiant.* Angeli ſancti tutelares ac cuſtodes non ſint in ea tantùm per tranſennam, ſed *habitent in ea*, ut illius incolas ac cives inducant ad ſectandas virtutes ipſis accommodas, & eos in illis acquiſitis conſervent. *Angeli*, inquam, præſidentes puritati, humilitati, liberalitati, ſinceritati, manſuetudini, omnibus tandem virtutibus Chriſtianis; præcipuè autem foveant pacem illorum initam cum proximo, & reconciliationem tecum pactam. *Et benedictio tua ſit ſuper nos ſemper.* Et abundantiſſima *benedictio tua ſuper* eos cadat, & hæc *benedictio* ampliſſima repleat illos gratiâ in hoc mundo, & gloriâ in altero: *Benedictio Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti. Amen.*

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAVLA CONFESSORIS.

Oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus. Eccli. 11. 13.

PRodigium gloriæ quod manifeſtatur hodie in exceſſu humilitatis, miraculum magnitudinis quod apparet in abyſſo exinanitionis, comprehendi non poteſt niſi à mente Angelica, nec explicari valet niſi à lingua cœleſti: & quò res rarior eſt & inuſitatior, eò ſublimiores & elevatiores ſermones requirit: & hoc eſt in quo, Reverendi Patres, audebo vos accuſare electionis, quam vobis facere placuit inſtrumenti ſic infirmi ad explicandas Auditoribus iſtis magnitudines & præeminentias glorioſi Patriarchæ veſtri, humillimi inter humiles terræ, & magni inter magnos cœli. Ipſe jure merito vobis improperare poſſet hanc electionem, niſi ſua virtus ipſum ſatis commendaret, cùm ipſa laudetur ab Angelis, & à Deo, & niſi participans humilitatem Domini ſui, gratum haberet etiam ut ſua gloria annunciaretur interventu inſtrumentorum infirmorū, & depreſſorum quoad Deum, ut erant Apoſtoli,
† 1. Cor. 1. 27. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* †. Quòd ſi timor ne æquo ardentiùs aggrederemini propalare laudes Patriarchæ veſtri, continuit hodie eminentiam ingeniorum veſtrorum, & facundiam linguarum veſtrarum, mihi porrigitur anſa apprehendendorum eorundem affectuum, cùm non minus afficiar erga gloriam ejus, licèt non profitear illius Inſtitutum. Cùm igitur vobis iſtud placeat, deſidero explicare magnitudines & prærogativas, quas iſte vir eximius ſuſcepit à reſpectibus Dei ſuper ipſius humilitatem: qui Deus *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* eo ipſo quo *dixit, Ecce ancilla Domini*, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave a Maria.* a Luc. 1. 48. &c.

Quàm potentes ſunt reſpectus Dei, cùm inveniunt ſubjecta capacia impreſſionum ſuarum: ibi operantur effectus mirabiles, & communicant eis magnitudines, quæ non poſſunt explicari. Felix igitur hæc anima, quæ recipit hos reſpectus cum ſancta obedientia exhibita Divinis ipſius legibus, & cum humili ſubmiſſione præſtita adorabilibus voluntatibus ejus, ei
dicens in omnibus, *Fiat voluntas tua* b. Ipſa citò b Matt. 6 10.
ſic altis erit decorata prærogativis, ut Angeli ſint ipſam admiraturi, & æmulationis occaſionem inde velut arrepturi, inde ſint homines ſtupore percellendi, & laudaturi eum, qui ipſam tot
bonis cumulaverit. Iſaias Propheta c, vel potiùs c Iſa. 52. 13.
Spiritus ſanctus loquens illius organo, nobis expreſſit illius aliquem characterem, cùm dixit, *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, elevabitur, & ſublimis erit valdè.* Phraſis Chaldaica fert conceptum, qui dignè probat magnitudinem & gloriam Patriarchæ, de quo loquimur: nam licèt hæc verba intelligantur ad literam de Meſſia; poſſunt tamen applicari Sancto noſtro per regulam generalem, per quam quæ dicuntur de
Capite, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* d, dici d Coloſſ. 1. 18.
poſſint & de membris, *Quia membra ſumus corporis ejus* e. Et ſic apud Pintum f. *Ionathan Chal-* e Epheſ. 5. 30.
daicus vertit, Exaltabitur plusquàm Abraham, elevabitur plusquàm Moyſes, & ſublimis erit valdè plus- f Pint. in Iſa. 52. 13
quàm Angeli ſuperiores. Iſte conceptus dignè probat

bat magnitudines S.Franciſci, triumphatoris de Regibus, ut Abraham *g*; dominitons elementorum, inſtar Moyſis *h*; & victoris de dæmonibus, & de peccatis, more Angelorum *i*, quia, ſicut ait S.Chryſoſtomus *k*, *Magnus dæmon peccatum eſt.* Siſto tamen in hoc ultimo puncto, quod illum magnificat pluſquàm Angelos, & quod complectitur omnes Angelos: ſicut enim gradus ſuperiores inter creaturas comprehendunt & continent inferiores; ſic omnes magnitudines Abrahę, & Moyſis, comprehenduntur in magnitudinibus Angelorum, quæ repræſentant magnitudines S.Franciſci. Tria poterant homines æmulari Angelis, quòd non habeant corpus quod prodit rationem *l*, quòd ſint confirmati in gratia *m*, & quod fruantur gloriâ *n*: & hæc ſunt quæ vidimus reparata & renovata in perſona S. Franciſci, ſicut videbitis in hoc diſcurſu, qui probabit eum multò majorem & perfectiorem Angelis in tribus iſtis punctis, quę illius ejuſdem diſcurſûs diviſionem facient, & attentiones veſtras exercebunt.

Unum è ſanctiſſimis deſiderijs, quo amici Dei ducuntur in iſto mundo, eſt *diſſolvi* o ab hoc corpore, quod ita ſæpè ſpiritum prodit & rationem, ut inducat hominem ad vertendú *ad Deum tergam, & non faciem* p, & ad inferendam ſibi mortem, per conſenſum præbitum appetitibus ſuis, qui jugiter contra partem ſuperiorem dimicant: *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur* q. *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem* r. Eſt quidem felicitas, quam æmulari debemus Angelis ac non habere hujuſmodi inimicum, interdum æquè furioſum ac domeſticum: ſed etiam quis neſcit, quòd hæc caro, quam excipere debemus ut rebellem, nobis etiam ſervit ad opera virtutis, ſicut Eva ſervire debebat Adæ †, & Eccleſia ſervit Jeſu Chriſto, cùm ad hunc effectum Apoſtolus *s* metiatur amorem, quo affici debemus erga corpus noſtrum, ad amorem, quo *Chriſtus Eccleſiam* diligit? Quòd ſi conſideremus ſervitia, quæ ab ipſo ſuſcipimus, certum eſt, quòd teſtimonia virtutum interiorum animæ, dari debent per actiones exteriores corporis, quod fuit elevatum ſupra naturam ſpiritualem Angelorum, ex quo Deus illud unire voluit Divinitati ſuæ: *Naſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* t: reddens illud templum vivum ſuæ magnitudinis, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, ait S.Joannes *u*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *x*, *Per tabernaculum Dei quidam intelligunt Chriſti humanitatem, quæ fuit Divinitatis templum.* Cùm ibi ſe includat interventu Sacramentorum *y*, & voluit ut per hoc corpus demus ipſi probationes fidei noſtræ, quam profiteri debemus ore, ſicut aure ſuſcipitur: *Fides ex auditu*, dicit S.Paulus *z*. Et paulò antè, *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Spes oſtenditur *per multas tribulationes* a, quas ſuſtinemus. Et amor manifeſtatus per opera exteriora, quæ ſunt *oratio cum jejunio, & eleemoſyna* b, & alia hujuſmodi, quæ ſunt illius ſigna infallibilia ęquè ac omnium aliarum virtutum Religionis. Quod agnoſcentes homines ſanctitate commendabiles, quærebant omnes occaſiones poſſibiles imprimendæ illi repręſentationis corporis Salvatoris, ut ajebat S.Paulus c, *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Quaſi agnoſcens, quòd iſtud corpus, quod ex una parte ſervit nobis obſtaculi loco, nobis utile eſt ex altera ad faciendas actiones pluſquam humanas. Reſpicite, ſi placet, Sanctum noſtrum, & conſiderate quotnam virtuoſas actiones ediderit examinatione corporis ſui, cujus formatio miraculoſe detecta fuit interventu luminis quod apparuit ſuper tecto domûs patris ipſius circa tempus quo ipſe conceptus fuit medijs orationibus Seraphici Patris mei ſancti Franciſci Aſſiſinatis, qui proculdubio procurare debebat Eccleſiæ glorioſum Patriarcham Minimorum ſanctum Franciſcum de Paula. Cœlum accendit ignem novum eo tempore, quo iſte novus homo apparere debebat in mundo, & teſtatur per hanc qualitatem cœleſtem, & accedentem ad ſpiritum, quòd iſtud corpus, quod erat formatum in viſceribus mulieris, æquè ſemotum foret à terra per mortificationem appetituum ſuorum, ac lux eſt nobilior omnibus alijs qualitatibus. Quòd ſi nativitas multorum aliorum Sanctorum manifeſtata fuit per ſigna terreſtria, nativitas iſtius magni viri detegitur per ſignum cœli, quod teſtatur, quòd virtutes cœli concurrebant ad ditandum corpus ipſius, æquè ac ipſius animam: quod melius videtur in progreſſu vitę ipſius. Ego verò exiſtimo, quòd votum continentię, quod ediderunt parentes ipſius poſt nativitatem ipſius in favorem corporis infirmi, & miraculosè ſanati, non fuit niſi decretum cœli, quod ipſum inſpiravit, in ſignum quòd iſtud corpus, quod debebat eſſe ita ſanctum & ſic perfectum, nullum debebat habere ſocium, & quòd viſcera, quę ipſum formaverant, non debebant concurrere ad formationem alterius, ſicut *Verbum caro factum* d, voluit exire ſolum è ſacris viſceribus beatę Virginis Matris ſuę *e*. Hęc non ſunt tamen niſi primitię & pręſagia actionum glorioſarum, quas iſte vir eximius edere debebat interventu mortificationum ſuarum corporearum; ſicut mirabilia quę contigerunt in nativitate ſancti Joannis Baptiſtę *f*, erant auguria ſanctitatis, quam ducere debebat in vita ſua g. Conſiderate, ſi placet, abſtinentias, quas ipſe exercet, ut ſubjiciat appetitum ſuum rationi jam ſubjectę Deo, ad ſubmittendam carnem ſuam obedientię pręſtandę ſpiritui prorſus obedienti Deo: reſpiciamus eum in domo patris ſui, in ſolitudine, & ubique videbimus exercitia pœnitentię ipſius, quomodo ipſe ſuum caſtiget *corpus, & in ſervitutem* redigat *h*, & tandem cernemus altiſſimum mortificationis apicem per obſervantiam inviolabilem trium votorum ſolemnium Religionis, paupertatis *i*, caſtitatis, & obedientię, communiú omnibus alijs Ordinibus, & quarti ſpecialis, quod ipſe de novo dat Eccleſię, quod eſt abſtinétia a carne, ad mortificandá carnem, & ad mortificandos etiam eodé tempore omnes ſenſus & appetitus corporis ſui. Judicate nunquid non iſtud ſit pręrogativa, quam Angeli juſte poſſunt ęmulari, cùm, ſi ipſi vivant ſine corpore, ſanctus Franciſcus triumphet in corpore, & per corpus? Ipſe ſic perſeveravit in auſteritate & rigore vitę ſuę, ab infantia ſua uſque ad ſenectutem caducam, ut ſemper obſervaverit eandem regulam vitę, in ab-

Marginal notes, left column:
- g Gen. 14. 14. & 15.
- h Exo. 14. 28. &c.
- i Tob. 8. 3.
- k S.Chryſoſt. hó. 33. ex c. 9. Matt.
- l Rom. 7. 23.
- m Apoc. 12. 7.
- n 1.Petr. 5. 12.
- Diviſio.
- I. Pars.
- o Philip. 1. 23.
- p Jer. 2. 27.
- q Gal. 5. 17.
- r Jac. 1. 14. & 15.
- † Gen. 2. 18.
- s Ephes. 5. 29.
- t Heb. 2. 16.
- u Apoc. 21. 3.
- x Dion. Carth. a. 28. in Apoc. 21. 3
- y Jo. 6. 56.
- z Rō. 10. 17. & 10.
- a Act. 14. 21.
- b Tob. 12. 8.

Marginal notes, right column:
- c Gal. 6. 17.
- d Jo. 1. 14.
- e Matt. 1. 25.
- f Luc. 1. 57.
- g Matt. 3. 1. &c.
- h 1. Cor. 9. 27.
- i Matt. 19. 27. &c.

ſtinentijs & afflictionibus corporeis. Sic Dominus noſter conformiter ad vitam ipſius auſteram & exemplarem, & ad magnas ipſius virtutes, & ingentia merita, nobilitavit & illuſtravit ipſum multis magnis miraculis, quæ ipſe agebat interventu illius, ſic ut illum feciſſe videretur Dominum omnium creaturarum, quæ obediebant illi penitus. Sic ego dicere audeo hodiernâ die, quòd obedientia, quam elementa reddebant corpori illius ſancti viri, non erat niſi merces obedientiæ, quam corpus ipſius reddebat ſpiritui ſuo: ignis, aër, mare, & terra ſubjiciebantur voluntati iſtius Sancti. Ignis amittebat omnem vim ſuam, quandiu ipſe incedebat ſuper eam illæſus, & tenebat illum præ manibus ſuis: nedum tamen combureretur eo: ipſe ingreſſus eſt fornacem ardentem, & extinxit flammas ejus, quæ non ſunt auſæ ipſum tangere, ſicut cùm Babylone *Nabuchodonoſor repletus eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdenago: & præcepit ut ſuccenderetur fornax ſeptuplùm, quàm ſuccendi conſueverat: & viris fortiſſimis de exercitu ſuo juſſit ut ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis: & confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis: viri autem hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati: ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit* k.

k Dan. 3. 19. &c.

Alij, ut canit Eccleſia in ipſius legenda, *multis miraculis ſervi ſui ſanctitatem Deus teſtari voluit, quorum illud in primis celebre, quòd à nautis rejectus, Siciliæ fretum ſtrato ſuper fluctibus pallio cum ſocio tranſmiſit.* Sic in omnibus & ubique creaturæ vel inſenſibiles obediebant corpori ejus obedienti ſpiritui, ſicut ipſe ſubjectus erat Deo. Sed quomodo ignis & aqua præ cæteris elementis non obedirent corpori ejus, cùm irrigatum eſſet aquâ cœli, & omnia membra ipſius inflammata amore Dei? Et ſi verum eſt, ſicut eſt proculdubio, & nemo poteſt iſtud negare, niſi parùm ſanæ mentis compos haberi velit, ſecundùm axioma ordinarium Philoſophicum, quòd *Primum in unoquoque genere eſt regula & menſura inferiorum*; cùm aquæ ſacræ Spiritûs ſancti abundanter irrigaverint animam & corpus ejus; aquæ terræ cedere debebant his aquis Divinis; & ignis amoris ſacri, qui eſt Princeps omnium ignium, accenſus intùs in corde & in pectore, & in omnibus poteſtatibus & facultatibus animæ & corporis ipſius, regere debebat & ſibi ſubjicere ignem exteriorem materialem & elementarem, qui non eſt niſi ipſius umbra: ſic ut, quemadmodum umbra materialis ſequitur inſeparabiliter corpus, quod eſt illuminatum; ſic ignis ardens Divinæ charitatis, ipſum inducens ad obſequium Divinum, illuc deducere deberet ipſius umbram, & eam faceret ſervire gloriæ Dei, interventu amoris iſtius magni Seraphini; ſic ut omnia miracula, quę alij patrare debuerunt mediâ fide, iſte fecerit interventu Divinę charitatis, quę projiciebat & emittebat ſcintillas & flammas ſuas intermediâ examinatione corporis ipſius percuſſi ferro pœnitentię & mortificationum.

De cętero ecce privilegium, quod cauſare poteſt ęmulationem Angelis incorruptibilibus in natura ſua ſpirituali. Corpus incapax corruptionis manet dies undecim inſepultum, ut ſatisfieret pietati populorum, qui undequaque accurrebant, & ſentiebant exire ex iſta carne Angelica odorem ita ſuavem, ut cœlum ſuper ipſam videretur effudiſſe odoramenta jucundiſſima totius paradiſi, ſicut canit Eccleſia, *Cujus corpus dies undecim inſepultum, ita incorruptum permanſit, ut ſuavem etiam odorem efflaret.* Corpus ſepultum, quod manet quinquaginta annos in terra, nedum tamen corrumpatur. Admirentur Angeli prę ſtupore, & ęmulentur hanc felicitatem, & confiteantur quòd iſtud corpus, quod reddit nos ipſis inferiores, nos elevat ſupra ipſos in quibuſdam occurſibus, & quòd ſanctitas vitę, ſeu puritas animę & corporis nunquam manet ſine mercede. Et quomodo hęc caro ſuſtinere poſſet hanc pœnam peccati vibratam adversùs primum hominem intuitu peccati ipſius, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* l, quę eſt corruptio. Ipſa quę nullam unquam perpeſſa fuerat impuritatem, nec ullâ fuerat unquam ſorde inquinata, quomodo non remanere debebat incorruptibilis, cùm eſſet mortua circa idem tempus, quo Salvator mortuus eſt, ut nos liberaret a corruptione? Nam ſicut Patrem ſuum alloquens die Paraſceves *Ieſus, dicebat* in gratiam perſecutorum & inimicorum ſuorum, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt: Et clamans voce magnâ, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* m: *& hæc dicens expiravit* †: ſic eodem die Paraſceves, quo recolebatur memoria ejuſdem Jeſu Chriſti, qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* n, ſanctus iſte vir, poſtquam amplexus eſſet omnes filios ſuos ſpirituales, qui è pluribus locis ipſum convenerant, adhortans eos ad pacem & charitatem fraternã, ad humilitatem, & ad omne genus virtutum, & dediſſet eis benedictionem ſuam, tenens *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* o inter brachia ſua, dixit, *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Et levans oculos & manus in cœlum, reddidit animam ſuam Deo eodem tempore, quo Salvator ſuam tradiderat ſuo Patri ęterno pro redemptione animarum noſtrarum.

l Gen. 3. 19. &c.
m ex Pſ. 30. 6.
† Luc. 23. 34. & 46
n Epheſ. 5. 2.
o 1. Cor. 2. 2.

Attamen huic ſancto viro martyrium deeſſe non debebat, cùm illius ſuſtinendi deſiderio ductus ipſe ſic perſępè fuiſſet. Hoc, erat ultimus character, qui tribuere debebat extremam perfectionem huic corpori, quod erutum fuit è monumento ſuo anno quinquageſimo ſecundo poſtquam fuiſſet ibi reconditum, & combuſtum fuit ab Hęreticis. Sed quonam ligno putatis? Non alio re verâ, niſi ligno imaginis crucis, & Crucifixi. Et ſic ille, qui impreſſerat animę ſuę & corpori ſuo imaginem Crucifixi, comburendus erat eâdem imagine: ille qui ſic fortiter intimèque adhæſerat cruci, dicens cum Apoſtolo p, *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo:* non debebat ab ea ſeparari, imò verò poſt mortem ſuam. Anima ipſius videbat Deum crucifixum glorioſum, quemadmodum ipſemet quandiu *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* q, *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater,*

p Gal. 6. 14.
q Baruch 3. 38.

Pater, hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum r Joan. 17. 2. &c. *Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* r. Corpus ipſius quod repræſentaverat imaginem pœnarum & laborum ejus, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concu-* ſ Galat. 5. 24 *piſcentiis* ſ: debebat unire ſe figuræ ſuppliciorum & martyriorum ſuorum: & cùm ſic ſæpè arſiſſet igne ferventi amoris Crucifixi, qui conſumpſerat omnes affectus & appetitus ipſius inordinatos hoc incendio ſacro, re verâ conſumi debebat eo, ſi non mediâ realitate, ſaltem interventu figuræ.

Admirentur igitur ipſum Angeli, & honorent iſtam carnem capacem rerum tantarum, & miraculorum ſic extraordinariorum: confiteantur quòd homines in nulla re ipſis cedunt; mundani ac peccatores, qui queruntur de corpore ſuo, quod perſæpè rationem reddit inermem, & prodit ſpiritum, nullam allegent hic excuſationem. Homo talis quales ipſi ſunt, mortificare potuit corpus ſuum, & omnes appetitus & affectus ipſius inordinatos: & quare alii homines non poterunt examinare mortificatione corpus ſuum? homo ſimilis ipſis, vixit in corpore non ſecus ac ſi non habuiſſet niſi ſpiritum: & cur alii homines non poterunt eodem modo vivere? t S. Aug. lib. 8. Conf. c. 11 Auſcultent id quod S. Auguſtinus t recenſet ſe vidiſſe in viſione circa tempus converſionis ſuæ: *Aperiebatur enim ab eâ parte, quâ intenderam faciem, & quò tranſire, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens ut venirem, neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine, & irridebant me irriſione exhortatoriâ: Tu non poteris quod & iſti & iſtæ? An verò & iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino ſuo?* Homo ejuſdem naturæ cum ipſis dedit æmulationem Angelis: & utquid homines alii non poterunt in eis admirationem cauſare? Sed nimis ſumus foris immorati; aſpiciamus intus, quod eſt pulchrius & perfectius; intueamur virtutes animæ ejus, quæ ſunt origines & principia excellentiarum corporis ipſius; videamus gratiam, quam Sanctus iſte poſſidet, & quæ ipſum elevat ſupra Angelos.

II. Part. Conceptus eſt ſatis communis inter Patres, quòd conſiderare poſſumus Angelos in ſtatu naturæ, vel in ſtatu gratiæ, & conſequenter quòd potiùs debemus deſiderare eſſe Angeli gratiâ, quam naturâ: quia natura Angeli non propterea u Apoc. 12. 7 liberavit ipſum ab inferno, ſed ſola gratia u. Dæmones conſervaverunt naturam Angelicam, & cum eâ ſunt ſemper diaboli, & erunt in æternum x Apoc. 12. 9 damnati x, & privati amicitiâ Dei, quia non cuſtodierunt gratiam & charitatem quam Deus ipſis dederat cum natura, *Eos creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, dicit S. Au- y S. Aug. lib. 12. de Civit. c. 9. guſtinus y. Unde ſancti Patres educunt aliam veritatem, quòd Dei Filius præ exceſſu miſericordiæ ſuæ exivit *à Patre, & in mundum* z *venit*, ex Gen. 1. 3 ut repararet in perſona hominum gratiam amiſz Joan. 16. 28 ſam ab Angelis: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* a. Et cùm amor a Luc. 19. 10 Seraphicus deperditus eſſet in perſona Luciferi b Iſai. 14. 12. &c. b, & ſequacium ipſius rebellium mediâ ſuperbiâ, Deus producere voluit alium non ſolùm æqualem ipſi, ſed etiam ipſo majorem & perfectiorem, quem audeo dicere me poſſe reperire in corde iſtius magni Patriarchæ, qui ſuſcepit è cœlo pro ſtemmate Charitatem, quod longè differt adhuc ipſius Ordo. Et ratio illius eſt, quia ſi hic amor Seraphicus reparandus erat in perſona hominum, ut eſſent digni gloriâ, quæ erat parata Angelis infidelibus, illud erat adimplendum in perſona eorum, qui illam mererentur humilitate ſuâ, (ſicut ſpiritus rebelles amiſerant illam ſuperbiâ ſuâ) qualis fuit iſte magnus Sanctus, de quo loquimur hodiernâ die: nec exiſtimandum eſt, quòd Spiritus ſanctus è cœlo miſiſſet ad illum inſigne, quod ipſi appropriatur, quod eſt, *Charitas*, niſi amor iſte fortiùs fuiſſet impreſſus animæ ejus, quàm erat exaratus in hoc ſtemmate, quod præ ſe ferebat amorem incomparabilem erga Deum, & proximum. Imò audeo dicere, quòd amor iſte S. Franciſci de Paulâ habuit omnem prærogativam, quam amor hominum habere poteſt in iſto mundo, & quam amor Angelorum & Beatorum habet in cœlo. Conſiderate, ſi placet, hoc, & videbitis quòd amor hominum in terra poteſt amitti per peccatum mortale c, vel diminui per peccatum veniale d, c Ezech. 18. 4. & 10 ſed etiam creſcere poteſt & augeri e, quandiu d Prov. 14. 16 amor cœli non poteſt amitti, nec minui, nec au- e Pſ. 83. 8. geri, *Charitas nunquam excidit*, ait Apoſtolus f. f 1. Cor. 13. 8 *Id eſt, nunquam finitur, aut eſſe deſinit. Quod intelligendum eſt, non quantùm ad ſubjectum charitatis, nam habens charitatem, poteſt eam amittere, juxta illud, Habeo adverſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti* g. *Et Chriſtus in Evangelio* h, *Re-* g Apoc. 2. 4 *frigeſcet (inquit) charitas multorum. Sed intelli-* h Matth. 24. 12 *gendum eſt, quantùm ad charitatis perfectionem internam, quoniam ita perfecta eſt charitas, ut nec actum nec habitum charitatis repugnet ſtatus Beatorum. Unde tum præſenti vitâ non finiuntur, ſed in futuro perficiuntur. Tunc enim charitatis præceptum perfectè implebitur. Poteſt tandem intelligi de charitate perfectorum, qui ita in dilectione & gratiâ confirmati ſunt, ut cum Apoſtolo* i *dicere queant,* i Rom. 8. 35 *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. A primo inſtanti, quo k Dion. Carth. art. 13. in 1. Cor. 13. 8. *Angeli* l confirmati fuerunt in gratia & in charitate, habuerunt tantam charitatem & gratiam l Apoc. 12. 7 quam unquam habebunt, ſed præ hàc certitudine, ſe nunquam paſſuros ullam illius jacturam, aut diminutionem, cùm nullum peccatum mortale, vel veniale ſit unquam ingreſſurum ſtatum hujuſmodi: atqui dico quòd gratia & charitas iſtius magni viri ſuper terrâ duas iſtas habuit proprietates: fuit prorſus incorruptibilis, ſicut gratia & charitas Beatorum: & præterea fecit continuos progreſſus, quemadmodum gratia & charitas viatorum euntium *de virtute in virtutem* m. Habuit igitur gratiam Angelorum confir- m Pſ. 83. 8 matorum in amore, & inſuper excellentiùs quàm illi omnes, cùm in ea potuerit agere, & verè fecerit continuos progreſſus: ipſe fuit honoratus gratiâ hominum mortalium, & gratiâ ſpirituum immortalium, & univit eodem tempore in perſona ſua gratiam Eccleſiæ triumphantis in cœlo n & gratiam Eccleſiæ militantis in terrâ o. n Apoc. 21. 1. &c. Videtur audax hæc propoſitio: & quis auderet o Job 7. 1 eam formare, niſi cœlum, & experientia illi faverent? Cœlum miſit ei confirmationem ſuam per hanc inſcriptionem, quæ requievit ſuper iſtum magnum Sanctum, *Charitas*. Quaſi diceret, quòd amor illius erat idem ac amor qui exerce-

batur in cœlo. Præterea, Continuum pietatis & devotionis ipſius exercitium teſtabatur progreſſum, quem ipſe faciebat in charitate: non enim debemus imaginari, quòd iſte Sanctus conſtitutus in terra, privatus fuerit privilegio conceſſo omnibus aliis hominibus, progrediendi in gratiam & in amorem, donec pervenerint in cœlum. Quòd ſi vultis iſtius veritatis probationes, ſufficit ut benè reſpiciatis ſanctitatem, quàcum ipſe ſe geſſit in Aula Ferdinandi VIII. Regis Neapolis, & in Curia Ludovici XI. & Caroli VIII. Regum Galliæ noſtræ: & ſcietis quòd in Italia virtus ipſius triumphavit de Ferdinando, de blanditiis, minis, promiſſis, & perſecutionibus illius: & in Galliâ ipſe deriſit invidiam Aulicorum, & contempſit munera iſtorum Principum, qui probare volebant ipſius virtutem. Gratia Dei reddidit ipſum amicum Dei & hominum, & fama ſua commendavit ipſum per orbem, ſicut dicitur de Moyſe, *Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cujus memoria in benedictione eſt. Glorificavit illum in conſpectu Regum* p. Et Eccleſia canit de ipſo, *A Ludovico XI. Francorum Rege expetitus, magnoque in honore eſt habitus.* Chriſtianiſſimus iſte Monarcha voluit illũ cumulare beneficiis ſuis, quoad perſonam ſuam, quæ ipſe recuſavit; & quoad Ordinem ſuum, quæ ipſe acceptavit ad incrementum obſequii Divini, & ad manifeſtationem gloriæ Dei: ſic ut in vita ſua ipſe viderit Inſtitutum ſuum receptum in Italia, in Gallia, in Hiſpania, & in Germania, triumphans glorioſiùs de quatuor ipſis Regnis fortitudine & virtute ſanctitatis ſuæ, quàm Cæſares unquam triumphaverint fortitudine & virtute armorum ſuorum, & multitudine militum ſuorum, & quàm Abraham de quatuor Regibus victoribus Sodomæ & Gomorrhæ q.

p Eccli. 45. 1. & 3. ex Exod. 11. 3. & 7. 8. &c.

q Gen. 14. 10. &c.

Quam ardens erat hæc Divina charitas in corde iſtius novi Seraphici incolæ terræ, & quæ erat fulcrum omnium mirabilium iſtius magni viri, qui operabatur omnia miracula quæ unquam fecit, fortitudine & virtute charitatis, quandiu alii operantur ſua virtute fidei. Hoc eſt nomen quod ipſe inſumebat in miraculis ſuis, in hoc nomine pluries coëgit dæmones ab obſeſſis exire corporibus, viſum reddidit cæcis, loqui fecit mutos, ſanavit morbos inſanabiles, & mortuos ſuſcitavit. Tandem, Charitas, quæ eſt ſigillum miraculorum, & ſine quâ nihil agi poteſt utiliter, fecit ut iſte Sanctus virtute ipſius peregerit id omne quod ipſe operatus eſt unquam magni & mirabilis, ſciens quòd ſine ipſâ *nihil prodeſt* q. Ipſa eſt, quæ è vita iſtius ſancti viri texuit miraculum continuum per exercitium perpetuum omnium virtutum, ad quas progrediebatur jugiter. Quòd ſi verum eſt, quòd amor eſt ignis qui ſe diffundit & ſe communicat, *Bonum eſt diffuſivum ſui* r, nunquid non eſt impoſſibile conſideratu ardores, quibuſcum magnus iſte vir communicat dona ſua cœleſtia aliis ſine acceptatione perſonarum? hic amor induxit illum ad plantandum Ordinem ſuum cum inſtitutionibus ſuis, cùm fundaverit eum ſuper humilitatem, & charitatem, & confirmaverit illum multis & continuis miraculis; & ad ſcribendas tres Regulas, unam pro Fratribus ſuis, aliam pro Monialibus, & aliam pro iis qui vocantur tertii Ordinis, totas tres approbatas & confirmatas à S. Sede Apoſtolicâ, quippe totas tres fundatas in charitate, quam ut alter S. Joannes, & diſcipulus *quem diligebat Ieſus* ſ, commendavit chariſſimis filiis & diſcipulis ſuis, dicens eis, ſicut dicebat hic Apoſtolus ſuis, *Filioli diligite alterutrum* t.

q 1. Cor. 13. 3. &c.

r S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4

ſ Joan. 21. 20.

t S. Hier. lib. 3. c. 6. in Epiſt. ad Gal.

Admirentur igitur eum Angeli, & confiteantur, quòd iſtud eſt plùs poſſidere ſuper terrâ amorem in apice quo S. Franciſcus eum poſſedit, quàm illum, quem ipſimet poſſident in cœlo Empyreo, quod eſt locus ſecuritatis, quandiu terra eſt locus periculorum. Minus eſt, evitare naufragium in portu, quàm in pleno mari; & reverâ plus eſt manere inconcuſſum in medio iſtius elementi immitis inter turbines, procellas, & tempeſtates, & progredi multam viam flante vento contrario, quam eſſe in quiete in portu. Fateamur, Auditores, quòd iſte Sanctus plùs cumulatus fuit hoc quàm Angeli, juxta Phraſim Chaldaicam prædictam, *Sublimis erat valdè pluſquàm Angeli ſuperiores.* Et conemur ad ejus imitationem eſſe Angeli gratiâ & charitate, ſicut eſſe poſſumus, adjuti eâdem gratiâ Dei, quæ nulli deeſt facienti per gratiam conatus ſuos ad hoc ut ipsâ ſe dignum reddat, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, ait Theologia. Et S. Paulus u, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Inſumamus omnes curas noſtras ad reddendos nos inconcuſſos in amore, ſicut egit idem S. Paulus x, qui dicebat, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* &c. Quod S. Franciſcus optimè exercuit, prærogativa donatus etiam gloriæ, quam Angeli poſſident in cœlo. Et hoc eſt, quod nobis ſupereſt examinandum.

u Philipp. 4. 13

x Rom. 8. 35. &c.

Appoſitè locutus eſt S. Thomas y, cùm dixit, *Aliqualis beatitudinis participatio in hac vitâ haberi poteſt: perfecta autem & vera beatitudo haberi non poteſt in hac vita.* Super quod aſſeram, quòd totam gloriam, quam homo poteſt habere in hoc mundo, & participationem paradiſi, ſperare ipſe debet ex unione ſui cum Deo: *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* z. Quod non poteſt meliùs fieri quàm per amorem exercitum & accenſum in oratione, juxta quod, *In meditatione meâ exardeſcet ignis*, ajebat David a. Et S. Bernardus b, *Oratio verò eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, & ſtatio illuminata mentis ad fruendum quandiu licet.* Sic dum Salvator *aſſumpſit Petrum & Iacobum & Ioannem, & aſcendit in montem ut oraret, facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera: & veſtitus ejus albus & refulgens* c. Quandiu Jeſus Chriſtus vacabat orationi, vultus ipſius transfiguratus eſt, & ipſius oratio habuit poteſtatem manifeſtandæ ſuper facie & veſtimentis ipſius, gloriæ quam tenebat abſconditam in anima ſuâ & in Divinitate ſuâ. Sed mirabimini ne quòd oratio habuerit hunc effectum in perſona Salvatoris beatâ per naturam ſuam, cùm eadem oratio videatur impreſſiſſe faciei Moyſis gloriam, quam nondum habebat? *Cùmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonii, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini* d. *Hinc qui cum Deo verſantur, & orantes cum eo ſæpè colloquuntur, inſtar Moſis, radiis Dei afflantur, fiuntque lucidi in anima, & ſubinde in facie & corpore*, ſubdit Cornelius e. Sed ecce gratia major eâ, quam ſuſcepit Moyſes in oratione ſuâ: S. Franciſcus de Paulâ in oratione ſæpè viſus eſt indutus lumine, & unâ vice inter alias deferens tres radios luminis gloriæ ſuper caput ſuum, ſeu, ut meliùs dicatur, tiaram cum tribus coronis, qualis eſt tiara Papæ. Sic ipſius virtus merebatur

y III. Part. S. Thom. 1. 2. q. 5. a. 3. in corp.

z 1. Cor. 6. 17

a Pſ. 38. 4

b S. Bern. Tract. de Vit. Solit. ad Fratr. de Mont. Dei, aliquantò poſt med.

c Luc. 9. 28. & 29

d Exod. 34. 29

e Cornel. in Exod. 34. 29

hanc

hanc dignitatem, licet non haberet illiu[s] e[ffe]ctum. Tiara cum tribus coronis clauſis denotabat quòd habebat omnes perfectiones trium hierarchiarum Angelorum, & trium ordinum cujuslibet hierarchiæ; quòd erat perfectus in fide, ſpe, & charitate; in vita purgativa, illuminativa, & unitiva; quòd habebat authoritatem ſuper appetitum ſuum iraſcibilem, concupiſcibilem, & rationalem; ſuper memoriam ſuam per continuam recordationem Dei, ſuper intellectum ſuum alligatum cœlo cogitatione, & ſuper voluntatem ſuam, quæ non diligebat niſi æternitatem; quòd conſummatus erat in vita activâ, in contemplativa, & in mixta ambabus; in amore Dei, in amore proximi, & in amore ſuiipſius benè ordinato: quòd potentiam habebat in cœlo, in terrâ, & in inferno; in cœlo, ut ſibi compararet admirationem, & remunerationem; in terra, ut ſibi conciliaret imitationem; in inferno, ut metueretur: in inferno, ubi alligabat dæmones; in terra, trahendo homines ad Deum, & eis promittendo bona multa; in cœlo, compeſcendo iram Dei, & lucrando miſericordiam ejus: quòd habebat poteſtatem in Eccleſia triumphanti *f* in cœlo, in militanti *g* in terra, & in patienti *h* in purgatorio; in triumphanti per electionem & prædeſtinationem æternam *i*; in militanti per ſanctitatem vitæ, quâ illam honorabat, & per Ordinem novum quem jam inſtituerat; & in patienti per levamen quod preces ipſius largiebantur animabus ibi detentis: quòd amicus erat & familiaris trium perſonarum SS. Trinitatis, quæ ipſi communicaverant perfectiones ſuas, Pater potentiam *k* Filius ſapientiam *l*, & Spiritus ſanctus charitatem *m*, quæ ſola nos reddit beatos in terra, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* n. Quòd habebat per anticipationem bona paradiſi; per cognitionem in diverſis revelationibus perfectis & extraordinariis; per amorem, de quo jam ſuprà diſſerui; & per poſſeſſionem & fruitionem Dei, qui cumulabat ipſum voluptatibus innumeris inter auſteras macerationes, quibus affligebat corpus ipſe ſuum, quod nobis oſtendit jam, quòd participabat dotes corporum glorificatorum *o*, modò incedens ſuper aquas, veluti deſtitutum gravitate ſuâ naturali; modò ſe reddens inviſibile iis qui ipſum quærebant ad nocendum ipſi injuſtè; poſteà ſe projiciens in flammas; deinde reddens ſe præſens multis locis eodem tempore; & tandem viſum indutum lumine. Judicate num tot privilegia conceſſa corpori ipſius, non teſtabantur quòd inde ipſius anima fuerat major; & hinc concludite nunquid non ipſius humilitas elevaverit ipſum ſupra Angelos elevatiſſimos, & qualis eſſe debeat gloria iſtius animæ in cœlo, ita glorioſæ in terra.

f Apoc. 21. 2 *g* Job 7. 1 *h* Malach. 3. 3 *i* Rom. 8. 29 *k* Pſ. 64. 7 *l* Pſ. 103. 14 *m* 1. Joan. 4. 16 *n* 1. Cor. 6. 17 *o* 1 Cor. 15. 24. &c.

Eò tendere debetis, Reverendi Patres: totam debetis educere gloriam veſtram ex imitatione Patris veſtri. Vos eſtis Minimi, id eſt, maximè parvi, & filii Patris, qui vos produxit intuitu depreſſionum & humiliationum ſuarum, quæ ipſum exaltaverunt ſupra Abraham, elevaverunt ſupra Moyſen, & magnificaverunt pluſquàm Angelos eminentiſſimarum hierarchiarum in tribus præcipuis prærogativis. Debetis eſſe minimi effectu, ſicut eſtis minimi nomine, humillimè de vobis ſentire: & ſi glorioſus Pater veſter præbuit æmulationem Angelis videntibus ipſum vivere in corpore mortali, quaſi non habuerit quid aliud niſi ſpiritum, cauſabitis in eis æmulationem, ſi veſter procedendi modus plùs teneat ſpiritus, quàm corporis; ſi admirati ſunt eum facientem progreſſus indicibiles in gratiam & in charitatem, ciebitis eos admiratione, ſi nunquam fatigemini in hâc proſecutione; & ſi beatus fuit in iſta vita per unionem continuam cum Deo interventu orationis, vos poteſtis eſſe jugiter beati per hoc felix commercium, expectantes donec uniamini ei aliquando per gloriam.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORVM.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Joan. 14. 2. &c.

SI jure merito mirantur homines, quòd, cùm *Deus qui dives eſt* a infinitè, & ſummè *bonus* b, ſua bona poſſet communicare ſine eorum diminutione, & inducere creaturas a ſe productas ad agnoſcendam magnitudinem ſuam, cujus *non eſt finis* c, ſicut ipſe *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* d: manſerit tamen per totam æternitatem ſic amans ſuiipſius, & velut zelo ductus ſuæ propriæ pulchritudinis, ut ipſius aſpectum vel fruitionem nulli creaturæ committere voluerit, quaſi veritus eſſet ne inde ſuſcepiſſet ipſe diſpendium aliquod, vel quaſi indiguiſſet conſulere per totam æternitatem quid ipſe eſſet facturus: æquè juſtè mirari poſſunt quòd, cùm per totam æternitatem non indiguerit hominum ſocietate, videatur ipſe faſtidire ſolitudinem ſuam, & ſtatuat tandem habere ſocios vel domeſticos, qui ipſi aſſiſtant, & locum capiant in ſpecioſa domo, quam ipſe ædificavit in altiſſimo loco cœli Empyrei, quaſi felicitas ipſius ſubſiſtere non poſſet abſque ſocietate hominum, & quaſi expectaret ipſe aliquam promotionem vel meliorationem ſtatus, ex fabricatione talis domus, & ex collocatione omnium illorum domeſticorum in eâ, invitans nos omnes in perſona horum duorum Apoſtolorum S. Philippi & S. Jacobi ad hoc ut in ea citò locum ſumamus, dicens nobis omnibus, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Nam ſi iſtæ manſiones erant jam ab omni æternitate paratæ, utquid ipſe citiùs non creabat homines ad eas occupandas? Et ſi non fuerunt diſpoſitæ niſi ab aliquanto tempore, quodnam potentius hoc tempore habuit ipſe motivum ædificandæ domus iſtius, & diſponendarum iſtarum manſionum, quàm habuerit ab æternitate totâ? Hæc omnia ſunt motiva quæ inducunt ad admirandam ſapientiam, æquè ac bonitatem Dei, cujus *judicia abyſſus multa* e, & ad exclamandum cum Apoſtolo f, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?*

a Epheſ. 2. 4 *b* Pſ. 118. 68 *c* Pſ. 144. 3 *d* Baruch 3. 25 *e* Pſ. 35. 7 *f* Rom. 11. 33. & 34. ex Iſai. 40. 13

g Dion. Carth. art. 1 in Rô. 11. 33. & 34

ſuit ? Et cum Dionyſio Carthuſiano g poſt il-lum, *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! Sive per judicia Dei intelligamus diſpoſitiones rerum ſeu decreta Dei de rebus, ſecundùm quod diſpoſitiones iſtæ ſunt in Mente Divinâ, ſive effectus Divinæ Juſtitiæ, quos Deus judicando efficit in rebus: certum eſt quòd judicia iſta omnem capacitatem mentis humanæ prorſus excedunt, quemadmodum ſapientia, ſcientia, & juſtitia, unde procedunt. Propter quod ſcriptum eſt* h, *Fortiſſime, magne, & potens, Deus exercituum Nomen tibi. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. Iob* i *quoque ait, Digne eum invenire non poſſumus Magnus fortitudine, & judicio, & juſtitiâ, & enarrari non poteſt. Ideò timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui ſibi videntur ſapientes. Et quàm inveſtigabiles viæ ejus! Id eſt, progreſſus ſeu executiones operum Divinorum, quia nec modum emanationis rerum à Deo, nec gubernationis, nec modum beatificationis Electorum, intelligere poſſumus. Ideò Salomon* k *dicit, Cunctæ res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Id eſt, dictamen intellectus Divini de rebus, videlicet, quid Deus de creaturis ſuis facere cogitavit, quid de ſingulis ſentiat, quid de omnibus intra ſe judicet? Neſcit quoque homo an amore dignus ſit, an odio* l. *Ideò in libro Sapientiæ* m *legitur, Senſum tuum Domine quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, miſeris Spiritum tuum de cælis? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Hoc eſt, quis dedit Deo conſilium de diſpoſitionibus & productionibus rerum? Nullus planè, quia non indiget alicujus auxilio, aut doctrinâ.* Sed id quod nobis eſt utile & proficuum in hâc admiratione, eſt ſcire quòd ipſe habet domum, in quam vult nos admittere, ut in ea nos protegat velut in aſylo adversùs invidiam & violentiam omnium inimicorum noſtrorum, & quòd ad hoc ut ad illam perducamur, æquè ac ad diſcurſum, quem de illâ concinnare ſtatuimus, ipſe nobis offert gratiam ſuam, dicens, *Sine me nihil poteſtis facere* n. Penes nos eſt ex illâ haurire utilitatem noſtram per interceſſionem B. Virginis Genitricis ipſius, quæ eâdem gratiâ tota repleta fuit, ſicut teſtantur hæc verba Angeli, *Ave Maria.*

h Jer. 32. 18. & 19
i Job 37. 23 & 24
k ex Eccl. 1. 8
l ex Eccl. 9. 1
m Sap 9. 17
n Joan. 15. 5

Referunt Hiſtorici de Germanis rem prorſus inuſitatam & inauditam, nimirum quòd aliàs per multos annos iſtam legem inviolatè cuſtodiverunt, quòd nemo auderet ædificare templa, erigere altaria, vel ſculpere figuras & imagines Deorùm. Ratio autem propter quam condiderant præfatam legem nationes iſtæ, hæc eſt, ut dicunt Authores, qui iſtam rem enarrant, *Magnam actum iri exiſtimabant Numini injuriam ab eo, qui putaret intra exiguum phani ambitum parietibus Divinitatem poſſe coercere, magnoperèque anguſtam Deorum majeſtatem evadere, ſi ad anguſtam corporis humani formam compelleretur.* Re autem verâ non malè philoſophabantur. Si ad ædificandam viro alicui nobili domum quæ poſſit illum continere cum familia ſua, oportet ut ſciatur qualitas ipſius, magnitudo comitatus ipſius, & numerus domeſticorum ipſius, ſicut & apparatus totius familiæ ſuæ: & ad texta ad veſtem ſuam præcidenda, & ad depingendam ipſius imaginem, oportet priùs cepiſſe corporeæ magnitudinis ſuæ rationes & proportiones, & præcipua lineamenta faciei ſuæ: ad conſtruendum Deo templum, vel ad ædificandum ei domicilium ipſi congruum, deſumenda eſſet menſura & proportio magnitudinis Dei: ſi autem menſura Dei eſt nullam habere menſuram, & ſi proportiones ipſius ſunt magnitudines ſine fine, ſine limitibus, & abſque proportionibus, quas Theologi vocant immenſitatem, juxta id quod ex Baruch o audiviſtis ſuprà, *Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus*: optimè ſequitur inde, quòd ſi ſumi non poteſt illius immenſitatis ſuæ menſura, nunquam poterit ipſi conveniens domus ædificari: & ſi domus undequaque tegere debet illum qui in ipſa habitat; & magnitudo quæ eſt infinita, qualis eſt magnitudo Dei, nullatenus tegi poteſt aut involvi; fruſtrà prætenderet aliquis ædificare Deo particularem domum. Scio equidem quòd dicetur mihi, quòd ex quo placuit Deo reducere hanc magnitudinem immenſam ad formam ſervi, & hominis ordinarii, ſicut ait S. Paulus p, *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: ipſe potuit includi in domibus, & in templis ordinariis; imò verò in utero Puellæ, ſicut Eccleſia canit B. Virgini, *Quia quem cæli capere non poterant* q, *tuo gremio contuliſti.* Et Poëta Chriſtianus,

o Baruch 3. 25
p Philipp. 2. 7
q ex 3. Reg. 8. 27

Quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Non ſecus ac Pavo cùm explicat alas ſuas, & caudam ſuam, & apparet vario pennarum ſuarum colore conſpicuus, ingentem requirit extenſionem; & totum ſpatium quod ipſi præbetur, videtur ipſi non debere ſufficere ad hoc ut intueatur ſe in pulchritudinibus ſuis: ſed cùm reſpicit pedes ſuos, & videt eos nudos & deformes, ita colligit pennas ſuas, & ad ſpatium ſic modicum ſe redigit, ut facilè tranſiturus ſit per exiguum foramen, & ſit ſe contenturus intra ambitum caveæ: ſic Deus noſter, *magnus & immenſus* r, intuens ſe in theſauris infinitis ſuæ pulchritudinis naturalis, & omnium perfectionum ſummarum ſuarum, indigebat ſic vaſtâ extenſione, ut comprehendi non poſſet in ambitu totius orbis: ſed ex quo projecit oculos ſuos ſuper homines, qui erant ſub ipſo ſicut pedes, & vidit eos nudos & deformes, collegit omnes pennas ſuas, eaſque redegit ad ſic exiguum ſpatium (id eſt, omnes adorabiles perfectiones ſuas) ut factus ſit homo ſicut nos, & citò comprehenſus fuerit in ſacris viſceribus Mariæ. Unde non miror quòd haberet domum: hæc enim immenſitas infinita ſe totam collegit, ſicut colligitur pannus, qui explicatus & extenſus, non poteſt collocari in arca, ſed in ea ritè & facillimè collocatur, ſi plicetur, & reduplicetur. Sed quòd Filius Dei nobis dicat ipſemet ore ſuo proprio, quòd Pater ſuus cœleſtis, qui non fuit plicatus, nec reduplicatus, nec collectus, habeat domum in qua habitet, quaſi diceret, quòd ſit aliquid majus Patre ſuo, *In domo Patris mei*, & quod in iſta domo multa ſint habitacula; *Manſiones multæ ſunt*, iſtud eſt quod me rapit in admirationem. Saltem, ſi nobis diceret, quòd in ea eſt unica navis, quæ tota repletur à perſona Patris ſui: ſed quòd non ſolum nobis dicat, quòd Pater ſuus eſt incluſus in limitibus domus, ſed etiam quòd non habeat unde occupet & repleat eam totam magnitudine ſuâ, & quòd in ea multa ſint habitacula tam pro ipſo quàm pro familiâ ipſius; hoc mihi porrigit anſam perſuadendi mihi, quòd iſta domus eſt plùs pro nobis,

r Baruch 3. 25

quam

quàm pro ipſo : propterea [illegible] fert illam Apoſtolis ſuis S.Ph[illegible] & S. Jacobo, ut eos diſtrahat ab affectibus erga objecta ſenſibilia iſtius mundi, quæ non habent niſi apparentias doloſas; & animet eos ad tolerantiam paſſionum, per ſpem quam facit ipſos concipere mercedis, quæ ipſos eſt coronatuura, ſicut intendo vobis moſtrare pro materiâ totius iſtius diſcurſus.

Propoſitio

Hoc eſt principium annunciationis diſceſſus ſui, quam Salvator facit Apoſtolis ſuis, *Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ait ipſemet eis per Evangeliſtam noſtrum. Super quod ait Dionyſius Carthuſianus ſ *Videns Chriſtus animas diſcipulorum vehementer deſolatas: Primò, quoniam ſe mox moriturum aſſeruit* t: *Secundò, quia ab uno ipſorum ſe dixit tradendum* u: *Tertiò, quia Petri negationem prædixit* x, *imò (ut alii referunt Evangeliſtæ* y*) quando Petro hoc dixit, cæteris quoque diſcipulis loquebatur, Omnes vos ſcandalum patiemini nocte iſtâ in me: Hinc igitur turbabantur vehementiſſimè, intimèque dolebant, præſertim quoniam Chriſti mox futuram receſſionem, ſuamque ab illo conſolationem non attenderunt: Mitigans ergo Chriſtus eorum mœrorem, ait diſcipulis ſuis, Non turbetur cor veſtrum. Suprà dixit Chriſtus, Nunc anima mea turbata eſt* z. *Et in cœnâ turbatus eſt Spiritu* a. *Quomodo ergo nunc ait diſcipulis. Non turbetur cor veſtrum, præſertim cùm ejus actio ſit noſtra inſtructio: & ipſe cœpit facere & docere* b? *Dicendum quòd ibi dictum eſt de turbatione inferioris partis animæ ſponte aſſumptâ, quæ ſequitur rationem, nec actum intellectivæ partis obfuſcat, nec mentis tranquillitatem diminuit, Chriſtus verò nunc admonet de turbatione inordinatâ, rationem præveniente, & impediente, quæ paci & tranquillitati opponitur: quæ turbatio conſurgit ex paſſione animi immoderatâ, putà triſtitiâ, dolore, irâ. Talis igitur eſt abjicienda in omni adverſitate, per veram ac ſtabilem patientiam, & ſtudendum eſt paci internæ. Creditis in Deum, verum & vivum, omnium Creatorem. Fortè diſcipuli nondum habuerunt explicitam reſolutamque fidem de Trinitate: ſicut nec de Divinitate Chriſti, quàmvis Chriſtus utrumque frequenter inſinuaverit eis* c: *rudes quippe fuerunt, non intelligentes quæ dicebantur. Et in me credite: Quoniam ego ſum Deus* d. *Conſequens enim eſt, ut qui credunt in Deum, credant in me. Imò qui non credunt in Chriſtum, non habent fidem formatam, nec credunt in Deum, ſed infideles cenſentur. Denique, His verbis oſtendit ſe Chriſtus ſic occidendum, ut tamen inceſſanter permaneat vivus, potens ſeipſum ſuſcitare, ſuoſque diſcipulos, quos corporaliter deſeruit, conſervare. Per quod conſolatur mœſtos diſcipulos, quos rurſus conſolatur commemoratione & pollicitatione futuræ felicitatis. In domo Patris mei, id eſt, in Eccleſia triumphante, in cœleſti beatitudine, in patriâ Beatorum, manſiones multæ ſunt, id eſt, diverſi gradus præmiorum, variæ dignitates & diſtinctiones in participando fruitionem Bonitatis Divinæ, ſecundùm quòd in præſenti vitâ fuerint gradus atque diſtinctiones meritorum, quibus præmia correſpondent. Et charitatis fervori correſpondet, ac datur præmium eſſentiale, quod eſt viſio Dei per ſpeciem: propter quod viſio Dei in mentibus comprehenſorum diſtinguitur quantùm ad gradum perfectionis, ſecundùm quòd unus in viâ ferventiùs dilexit Deum quàm alter, unus enim clariùs intuetur, ac dulciùs atque perfectiùs fruitur Deo quàm alter, quoniam charitatis affectio aperit, capacemque efficit mentem amantis amati. Unde qui ardentiùs Deum dilexit, pleniùs eum participat, poſſidet, retinet. In hac domo multæ ſunt manſiones, quoniam mentes iſtorum Deus diverſis modis inhabitat. Nihilominùs poteſt per domum Patris intelligi ipſum cœlum Empyreum, quod eſt ſummi Regis palatium, locuſque Beatorum, in quo ſunt multæ manſiones, quia in civibus hujus loci ſunt diſtinctæ præmiorum participationes*. Dicit igitur Dei Filius Apoſtolis ſuis, *Non turbetur cor veſtrum*. Deponite timores omnes quibus commovemini. Ha! putaretiſne quòd, quia primus abiturus ſum ad gloriam cœli Empyrei, occupare deberem omnia loca felicitatis æternæ? vel ita pauca in ea eſſent, ut vos, quos agnovi ut *amicos* e, excipiendi eſſetis tanto rigore & ſic ingenti ſeveritate ut nullum in illâ eſſetis habituri? aut quòd me pudeat vos ſocios habere, poſtqoàm ita diu vixi vobiſcum? vel quòd invideam forunæ veſtræ, poſtquàm fui primus illius author? aut quòd ut alter Jacob ſuffurari velim vobis, in diſpendium veſtrum, totam benedictionem f Patris mei, & privare vos legitimâ portione quàm poteſtis ad eam prætendere, prout *filii* g ipſius adoptivi, & fratres mei per gratiam, cùm ſim *ipſe Primogenitus in multis fratribus* h? vel illam potiùs efflagitare ab eo pro aliis quàm pro vobis, quos elegi ut ſitis *mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ* i? Scitote quòd domus Patris mei eſt magna & ſpatioſa, quòd ipſa vaſtas & immenſas habet extenſiones, ſicut prædixit vobis Baruch k, *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Magnus eſt & non habet finem: excelſus & immenſus*. Et quòd nemo poteſt illuc admitti, quin ipſum introducam ad hoc palatium gloriæ: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me* l. Et cùm ad me pertineat diſtriboere loca, pro certo habetote, quòd in eis primi collocabimini. Verum quidem eſt quòd pro nuoc non poteſtis illuc ire mecum: ad hoc enim reſervo vos ut reſurrectioni meæ teſtimonia perhibeatis aothentica effuſione ſanguinis veſtri, & jacturâ vitæ veſtræ, per univerſum orbem.

Sive autem Salvator intelligat per domum Patris ſui, cœlum Empyreum, quod eſt locus altiſſimus & eminentiſſimus mundi; ſive Eccleſiam triumphantem, quæ eſt congregatio omnium Beatorum, juxta ea quæ ſupra dicta ſunt: ſi intelligat cœlum Empyreum, nominalè illud nominat, vocans illud domum Patris ſui, id eſt, locum habitationis ſuæ naturalis: non quòd Deus non ſit ubique, ſicut ibi: *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* m? Sed quia cùm nullum ſit tectum ſupra illud cœlum, ipſe oſtendit unde, quòd Pater ſuus non eſt incluſus, nec limitatus, ſicut dicere videbamur ſuprà: vel etiam, quia meliùs intelligimus curam quam Deus habet noſtri; & authoritatem ſupremam quæ debet eſſe in ipſo, concipientes eum in loco eminentiſſimo, quam ſi daremus ei aliquem alium locum. Si intelligit Eccleſiam triumphantem, ipſe non loquitur male, cùm eam vocat domum ſuam: ſicut enim fideles, qui ſunt in iſto mundo, in quorum corde Deus habitat per fidem & per gratiam, vocantur nomine Eccleſiæ, vel templi, ſicut ait S.Paulus ſcribens

ſ Dion. Carth. art. 35. in Joſ. 14.1.& 2
t ex Joan. 13.36
u ex Joan. 13.21
x ex Joan. 13.38
y ex Matth. 26.31. & ex Marc. 14.27
z Joan. 12. 27
a ex Joan. 13.21
b ex Act. 1.1
c ex Joan. 6.65
d Pſ. 45.11
e Joan. 15. 15
f Gen. 27. 27. &c.
g Rom. 8. 16
h Rom. 8. 29
i Act. 1.8
k Baruch 3.24.& 25
l Joan. 14. 6
m Jer. 23. 24

n 1.Cor. 3.17
o 1.Tim. 3. 15

bens Corinthiis n, *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*: Et diſcipulo ſuo Timotheo o, *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*: ſic Beati in quibus Deus habitat per gloriam, vocantur domus, vel civitas Dei: *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te*, dicit Pſalmiſta p, Deum alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus q, *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, id eſt, in Regno cælorum, in patria Electorum, in palatio Angelorum, in Empyreo, in domo non manufactâ æternâ, in triumphanti Eccleſiâ. In ſecula ſeculorum, id eſt, ſine fine, laudabunt te, prout in Apocalypſi r habetur, Requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus omnipotens.* Et S. Joannes ſ ait, *Civitas non eget Sole, neque Lunâ, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Et poſt eum idem Carthuſianus t, *Civitas non eget Sole, & Lunâ, id eſt, illuſtratio luminarium cæli non erit neceſſaria beatificatis in patria, cùm corpora eorum clariora ſint illis futura. Ideò ſubditur: Nam claritas Dei illuminabit eam, ſcilicet increata lux Dei efficienter, & claritas ab ipſo Beatis communicanda illuminabit eam inſtrumentaliter atque formaliter. Et lucerna ejus eſt Agnus. Lucerna non eſt lumen, ſed luminis contentiva: ita & Chriſtus ut homo, non ſubſtantialiter lux eſt; ſed receptaculum ac retinaculum lucis præcipuum. In ipſo namque habitat plenitudo Divinitatis corporaliter* u. *Quoniam ergo humanitatis Chriſti claritas poſt increatum lumen omnibus Sanctis maximè refulgebit, virtute Divina immenſaque luce in ea manentis, atque per ipſam micantis, Agnus meritò lucerna cæleſtis Ieruſalem nuncupatur.* Et ſicut fideles videntur habitare in papilionibus, aut in caſulis, more peregrinorum, vel militum, qui nullam habent manſionem permanentem: ſic Sancti qui ſunt in loco manſionis æternæ, habent domos æternas: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes*, ait S. Paulus x. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus y, *Scimus per revelationem Divinam, quoniam ſi terreſtris domus noſtra, id eſt, quòd ſi caro noſtra mortalis, hujus habitationis, id eſt, præſentis manſionis, quâ anima degit, ac hoſpitatur in corpore; diſſolvatur, per mortem, vel pro Chriſto occidatur, quòd ædificationem, id eſt, habitaculum, ex Deo, id eſt, à Divinâ virtute, habemus in ſpe, & habebimus tandem in re, videlicet, domum non manufactam, id eſt, carnem impaſſibilem, glorificatam, non humanâ potentiâ, ſed Divinâ, æternam in cælis, hoc eſt, in cælo perpetuò duraturam. Vel, ab æterno prædeſtinatam. Sed quoniam hanc domum non habebimus ante diem judicii, Apoſtolus loqui videtur de eo, quod ſtatim poſt diſſolutionem corporis, animæ perfectorum conſequuntur. Ideò alii per domum iſtam non manufactam intelligunt gloriam animæ, quæ dicitur domus propter excellentiam ſuam ad animæ capacitatem. Vnde teſtatur Chriſtus: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, id eſt, diſtincti gradus præmiorum. Alii verò per domum iſtam intelligunt cælum Empyreum, quod eſt locus atque palatium Beatorum. Et dicitur non manufactum, juxta illud ad Hebræos* z, *Non in manufacta Ieſus introiit, ſed in ipſum cælum. Nam & in hoc ingemiſcimus, id eſt, deſiderio hujus domus, & gloriæ ſuſpiramus & ſtrimus præ tædio dilationis. Spes enim quæ differtur, affligit animam* a. *Habitationem noſtram quæ de cælo eſt, id eſt, hanc domum non manufactam, cæleſtem, vel cæleſti virtute formatam, ſeu gloriæ conſecutionem, ſuperindui, hoc eſt, eâ operiri, circundari, ſive ornari, cupientes, quod utique deſiderium ortum habet à fide, non à lumine naturali.* Sic lapis, qui eſt extra centrum ſuum, veluti violentiam patitur & inquietudinem, donec ad illud pervenire poſſit: & quare animæ noſtræ non erunt inquietæ, & in motu continuo, donec perveniant ad præſentiam Dei, quæ eſt centrum felicitatis ipſarum? ſicut erat David qui quamvis habitaret *in domo cedrinâ* b deliciosâ, videbatur tamen pati perſecutiones à creaturis, nullum reperiens auxilium in ſubditis, nec ullam protectionem in Magnatibus: unde recurrere cogitur ad Deum, & dicere ei ex toto corde ſuo, *Domine, eſto mihi in Deum Protectorem, & in domum refugii: ut ſalvum me facias* c. Sed Propheta magne, dictumne tibi fuit, quòd Deus eſſet domus, in qua quis habitare poſſet? Et ſi Deus eſt domus, ipſe ubique eſt: *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* d? Semper igitur cum illo ipſe es, & jugiter in domo ejus: quid autem amplius efflagitas? Ha! inquit ipſe: non ſufficit ut quis ſit in præſentia Dei, ſed oportet ut præcipuè ſit ſub illius protectione: & ſicut non me latet, quòd ille qui recurrit ad Deum in neceſſitatibus ſuis, certus eſt de defenſione & protectionis perpetuâ, non ſecus ac ſi eſſet in arce inexpugnabili, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur* e: ratus ſum quòd Deus ipſemet eſt arx, æquè ac domus, in qua deſidero habitare, & protegi adverſus id omne quod mihi nocumentum afferre poſſet.

u ex Coloſſ. 2.9
x 2.Cor. 5.1. & 2
y Dion. Carth. art. 5. in 2. Cor. 5.1. & 2
z Hebr. 9. 24
a ex Prov. 13.12.
b 2.Reg. 7. 2
c Pſ. 30. 2. & 3
d Jer. 23. 24
e Pſ. 90.1

Quòd ipſe ſit domus, & manſio Beatorum, mirum non eſt: nam ipſe eſt objectum æternæ felicitatis eorum, ſicut *Ieſus ſublevatis oculis in cælum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* f. Sed quòd ipſimet ſint domus & manſio Dei, iſtud eſt notatu dignum: nam ſi amor habet poteſtatem transferendi amantis in perſonam amatam, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius g: Et Dionyſius Carthuſianus h, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat quàm ubi animat*: Et S. Joannes i ait, *Deus Charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: oportet igitur ut Beati non ſolùm transferantur in Deum vi amoris ſui, & habitent in illo; ſed etiam ut Deus qui eſt Amor per eſſentiam, habitet in ipſis: & ſi Deus & Beati ſibi mutuum domus impendunt officium, oportet ut ſibi communicent fructus & commoda bonæ domus: & ſicut in domo Dei nullus poteſt eſſe dolor, nec ullus labor, nec aliqua fatigatio, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: Et ipſi populus ejus erunt: & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus: & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* k: ſed omne genus pacis, fiduciæ, & quietis, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* l: nolite mirari, Auditores, cùm dico quòd Deus habitat

f Joan 17. 1. &c.
g S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4
h Dion. Carth. art. 33 in Luc. 12 34
i 1. Joan. 4. 16
k Apoc. 21. 3. & 4.
ex Iſai 25. 8
l Iſai 32. 18

in

in Sanctis, & quòd Sancti etiam habitant in Deo. Nam ſi verum eſt quòd oculus qui intendit aliquam rem videre, attrahit ad ſe velut imaginem iſtius objecti; & videtur quòd columna ad hoc ut videatur oculis meis, interventu ſpeciei meæ debet includi in iiſdem oculis meis: multò meliùs intellectus ad hoc ut cognoſcat objectum, attrahit illud & includit ipſum in ſe mediis ſpeciebus & imaginibus quas de eo formavit: in gloriâ verò Beatorum, majeſtas Dei videri non poſſet, niſi ipſa ſe projiceret, ut ita dicam, in eorum intellectum præparatum ſupernaturali *lumine* m, [m Pſ.35. 10] quod ipſum capacem reddit iſtius admirabilis unionis: quod idem eſt ac ſi Deus cum totâ majeſtate ſuâ vellet habitare, ad hoc ut videretur, in mente aut in animâ Beatorum, prout objectum. Præterea, Si Deus Divinâ mente ſuâ videt omnes Beatos in ſpeculo Divinæ ſuæ eſſentiæ repræſentatos non ſolùm proot creaturas, ſed etiam quatenus Beatos: nunquid non dicere poſſumus quòd inter hos & illum ſit cohabitatio? & quòd, ſi Deus eſt domus Beatorum, Beati ſint etiam domus Dei? Hoc ego non auderem aſſerere à meipſo, niſi S. Joannes authoritate ſuâ cautam præſtaret iſtam veritatem. Hic enim diſcipulus, *quem diligebat Ieſus, qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus ejus* n; [n Joan. 21. 20.] non auderet aliquid allegare in diſpendium Domini ſui: ipſe autem aſſerit quòd *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus* o. [o 1. Joan. 3. 2] Videte quomodo fundet hanc ſimilitudinem in manifeſtatione faciei ipſius: atqui ſicut cùm trahitis velum ſpeculi, & illud detegitis, in eo confeſtim veſtram faciem videtis, & velut alios voſmetipſos, quaſi ſumpſiſſetis habitationem intra quadrum hujus ſpeculi quod intuemini: S. Joannes ait, quòd quando Deus faciem ſuam deteget Beatis, hi ſimiles efficientur ipſi: atqui Deus *eſt ſpeculum ſine maculâ* p. [p Sap. 7. 26] Ergo Sancti erunt ſpecula, & in hoc Divino & perfecto ſpeculo intuebuntur ſemetipſos: ergo Deus in Sanctis, velut in aliis ſpeculis intuebitur ſemetipſum; quaſi Deus & Beati ſumpſiſſent, iſti in eo, & ille in his novum modum eſſendi, & novam manſionem.

Comparavi eſſentiam Dei, quæ detegetur, ſpeculo, à quo amovetur velum, teſtante S. Paulo q, & dicente, quòd ipſe & ſocii ſui intuentes [q 2. Cor. 3 18] facie ad faciem gloriam majeſtatis Dei, transformabuntur in eandem imaginem, & velut induentur formâ Dei, & ita Deificabuntur, & reddentur ſimiles Deo per mutuam communicationem gloriæ & ſplendoris, ut nulla videatur admittenda diſſimilitudo inter ipſos & Deum: *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ubi, ſi placet, obſervate terminum iſtum, *ſpeculantes*, qui oſtendit quòd Deus eſt ſpeculum, in quo Beati ſe intuebuntur, ut ait David r, eundem Deum alloquens, *In lumine tuo videbimus lumen.* [r Pſ. 35. 10] Domine, interventu tui luminis ſupernaturalis gloriæ, capaces erimus aliquando videndi tui luminis increati: Quoniam omnis cognitio quam nunc habemus illius, non eſt niſi per ænigma, & velut ex tranſverſo ſpeculi, & per reflexionem vivæ fidei, quæ eſt donum luminis tui, quod illuminat animas noſtras radiis ſui ſplendoris infiniti, quod nobis aliquando manifeſtè revelabitur, ut ipſum contemplemur juxta deſiderium noſtrum. Et licèt S. Paulus ſ [ſ 1. Cor. 13. 12] diſtinxerit conditionem fidelium & viatorum à conditione Sanctorum comprehenſorum, in eo quòd illi vident eum velut ex tranſverſo ſpeculo, iſti verò intuentur illum clarè & manifeſtè, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*: non vult tamen ipſe loqui de repræſentatione ita clarâ ac eſt repræſentatio per quam Deus ſe Beatis exhibet intuendum: ſed ait, quòd in hoc mundo cognoſcitur Deus per creaturas, velut per infirmam & obſcuram repræſentationem: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* t. [t Rom. 1. 20.] Non ſolùm ſic Sancti habitant in Deo: ipſe enim tenet librum, in quo ſcripti ſunt omnes Prædeſtinati, qui communiter *Liber vitæ* u vocantur, [u Apoc. 20. 12] *In libro tuo omnes ſcribentur*, ait Pſalmiſta x, [x Pſ. 138. 16] Deum alloquens. Ipſe nos ſcripſit omnes in libro ſuæ cognitionis immutabilis, ait Dionyſius Carthuſianus y [y Dion. Carth. art. hunc locū.] poſt Pſalmiſtam, *In libro tuo omnes ſcribentur, id eſt, Boni ac mali à te cognoſcentur. Per librum namque intelligitur Dei cognitio, in qua omnes firmiter continentur, ſicut ſcriptura in libro. Quamvis autem in libro ſeu notitiâ Prædeſtinationis Divinæ ſoli Electi conſcripti ſint, tamen in libro Divinæ cognitionis univerſi ſcribuntur, imò & opera ſingulorum, ſicut à B. Iob* z [z Iob 13. 26] *dicitur, Scribis enim contra me amaritudines. Et Eccleſiaſticus* a, [a Eccli. 23 28] *Oculi, ait, Domini multò plùs lucidiores ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum.* Et ex omnibus qui naſcentur temporibus futuris, nullus immunis eſt ab iſtâ cognitione & viſione Dei: ipſe videt eos ac ſi eſſent jam nati, & nullus erit qui non ſit cognitus ab eo, & ſcriptus in iſto libro ſcientiæ æternæ, cui omnia ſunt præſentia: ſed præ omnibus & primus omnium ſcriptus reperitur in primo ejus folio Filius Dei ut Caput & Rex Prædeſtinatorum, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* b, [b Rom. 8. 29] dicens, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam* c. [c Pſ. 39. 9.] Iſte liber eſt decretum electionis Sanctorum. In cujus probationem S. Joanni ſuper exhibitum ſibi in viſione *librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem, unus de ſenioribus dixit, Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus* d. [d Apoc. 5. 1. & 9] Dici poteſt quòd poſiti ſunt in numero domeſticorum Dei, ſeu alio modo, quòd Deus habet domum, non ut in ea habitet: nam ipſe eſt in ſeipſo, & in infinitâ magnitudine ſuâ: ſed ut in ea collocet illos, quos elegit ut vivant ſecum per æternitatem, & eos ibi faciat æternâ præſentiâ ſuâ frui.

Sed timerem vehementer, Auditores, non obſtantibus verbis omnibus, quæ dixi vobis in principio diſcurſus iſtius, ne Dei Filius *Dominus Ieſus aſſumptus in cœlum* e [e Marc. 16. 19] ſic fuiſſet, ut ibi deberet eſſe ſolus, ſicut antequàm exiret *à Patre & in mundum* f [f Joan. 16. 28] veniret, ibi fuerat *in ſinu Patris* g [g Joan. 1. 18] ejuſdem per totam æternitatem ſine nobis. Nam licèt nobis dicat in Evangelio noſtro, ſicut audiviſtis ſuprà, *Vado parare vobis locum*, ſe recedere à nobis ad aliquantum tempus: ideò tamen ut vadat diſpoſitum nobis loca ſplendentia, cùm in domo Patris ſui ſint manſiones pro omnibus, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: nihilominùs res eſt creditu difficillima, non ſolùm ob conditionem naturalem corporum noſtrorum quæ gravia ſunt, & incapacia prorſus motus iſtius qui ſolis competit ſpiritibus; ſed etiam propter impedimenta quæ ad illa loca poſſiden-

da aſſerimus per diſſolutiones noſtras. Niſi fortè dicatur nobis, quòd *Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ* h: Et

h Gen. 28. 10. &c.

ſicut hæc ſcala non erat pro Filio Dei: non enim indigebat Angelis ipſe qui *aſſumptus eſt in cœlum*, ſecundùm S. Marcum i, & juxta Dionyſium Carthuſianum k, *Id eſt, propria virtute aſcendit ad cœlum Empyreum:* Nec pro Angelis: nam ipſi creati erant in cœlo, & non indigebant unde deſcendere, ut illuc aſcenderent; præterquàm quòd ſunt ſpiritus, & ferè unico inſtanti moventur è loco in locum: concludendum eſt quòd ipſa erat pro hominibus, qui aſcendere poſſunt ad cœlum, ſed per varios gradus, & per continuum virtutis exercitium, quod eſt quidem laborioſum; ſed ſaltem ſunt ibi Angeli, qui circa illud nobis impendunt auxilium ſuum: ſive realiter dicamus, quòd iſti *adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis* l, miniſteriis ſuis nos dirigunt, & nos comitantur: ſive dicere velimus, quòd diverſæ gratiæ Dei deſcendunt ad nos, & aſcendentes cum bonis operibus noſtris, nobis viam pandunt: & Deus innixus ſcalæ, nobis fortitudinem dat & animum adeundi ipſum. Sed heu! licèt Jacob videat ſcalam, non audet aggredi aſcendere, nec dignatur movere pedem, ut collocet illum ſuper ſcalam, & ſuper illius primum gradum. Ha! Jacob, ecce feliciſſima viſionum omnium, quas poſſis unquam habere: & tamen non dignaris aſcendere ſuper hanc ſcalam. Sed quid? nunquid non velles eſſe in ſummitate ejus cum Deo quem vides ibi? nonne diligeres hanc conditionem felicem & tranquillam poſt tot labores, quos ſuſcepiſti m? Etiam, reſpondet mihi Jacob, ut videtur mihi: vellem equidem ibi eſſe, ſed deſpondeo animum illuc eundi: nam aſcendendum eſſet mihi per hanc ſcalam, per quam incurrerem periculum infringendarum mihi cervicum. Sed ecce Angeli adjuvabunt te ad aſcendendum. Nihil intereſt: nam Angeli iſti, quantamlibet opem mihi præſtarent, non poſſent impedire quin unum pedem tenerem in aëre, alterum verò ſuper his gradibus, ideòque non poſſem eos ſtabilire, ſicut facio in terrâ: multus eſſet mihi labor inſumendus, nec aſcendere poſſem, quin ſtatim reciderem. Vellet aliquis ædificare magnificam domum: ſed cùm dicitur ipſi, quòd hæc conſtabit decem millibus nummorum, ipſe ſe retractat, & pavore concutitur: vellet quidem videre eam ædificari, ſed non vellet ſumptus neceſſarios ad eam conſtruendam impendere: idem eſt quod dicitis, Auditores, quotidie: Vellemus quidem eſſe in cœlo; ſed dicitur nobis quòd ad illud adeundum aſcendenda eſt ſcala, & non ſunt ampliùs habendi pedes adhærentes vel innixi terræ, ubi reperimus voluptates noſtras. Heu! non poſſumus ab his nos ablactare propter laborem quem experimur in hujuſmodi ablactatione. Ha! Auditores, ſi cùm Dei Filius diſceſſit ex hoc mundo, duntaxat iviſſet in terram & in ſepulchrum n, nobis facile fuiſſet illum ſecuti: & ſi habitaſſet in inferis cùm *deſcendit primùm in inferiores partes terræ* o, multi ſecuti fuiſſent eum: nam iter ad infernum eſt facile, unuſquiſque illud ſcit, & ad illud vadit quicumque vult ſine eo p: meliùs autem illuc iviſſent homines, ſicut *Iudas* q. Omnes avari & fœneratores illuc eunt per iter aureum avaritiæ: ſed cùm ipſe ceperit iter cœli, quò eundum eſt aſcendendo, vereor ne illuc eat ſolus: nemo vult irrogatas ſibi injurias dimittere iis à quibus eas ſuſcepit, bona injuſtè acquiſita reſtituere, renunciare pravis conſuetudinibus, & illicitis affectionibus, quæ nos deprimunt, & nos terræ alligatos tenent: non eſt aliquis qui velit aſcendere iſtam ſcalam; licèt adſint Angeli, & Deus ſit in ſummitate hujus ſcalæ cum coronis præ manu. Siccine vultis, Auditores, Salvatorem ſuis intentionibus fruſtrari? *Aſſumptus eſt in cœlum* r, ut ibi faceret magnam labefactionem, per eamque nos faceret illuc ingredi ad occupanda ibi loca, quæ nobis ibi paravit: nos autem manebimuſne in hoc exilio pleno miſeriis, quaſi hoc eſſet cœlum noſtrum? Ut quid opus erat ut faceret hanc labefactionem niſi pro nobis? Sed quid? putaretiſne quòd poſſetis illuc intrare, niſi eundo per eandem viam? Sed putatiſne quod illuc ipſemet ingreſſus eſſet, niſi ſuæ tormenta paſſionis expertus eſſet? *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* ſ? Et niſi fuiſſet juſtus & innocens? *Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam ſuam* t. Quinam autem ſunt illi qui acceperunt in vanum animas ſuas, niſi ii qui cùm acceperint animam rationalem, vivunt more brutorum u? *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* x. Deus omnia fecit propter gloriam ſuam: & ſicut tota gloria ipſius conſiſtit in operibus juſtitiæ & miſericordiæ, *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas* y: aliqui habent animam, in qua ipſe intuendos exhibebit effectus miſericordiæ ſuæ: alii verò habent animam, in qua manifeſtabit rigores ſeveræ juſtitiæ ſuæ.

i Marc. 16. 19

k Dion. Carth. art. 16. in Marc. 16. 19

l Hebr. 1. 14

m Gen. 27. 41. &c.

n Joan. 19. 42

o Epheſ. 4. 9

p Matth. 7. 13

q Matth. 27. 5

r Marc. 16. 19

ſ Luc. 24. 26.

t Pſ. 23. 3. & 4

u Pſ. 48. 13. & 21

x Prov. 16. 4

y Pſ. 24. 10

Sed heu! cùm Jeſus aſcenderit in cœlum præ hâc intentione intercedendi erga Patrem ſuum pro hominibus, & parandi eis loca, ſicut eis promiſerat in Evangelio noſtro in perſona diſcipulorum ſuorum, *Vado parare vobis locum*: hi ſe reddunt indignos ipſius interceſſione. Quid enim dicere poterit Patri ſuo in favorem eorum? Dicetne quòd eos ſibi conciliavit favoribus & beneficiis ſuis? Nequaquam: hæc enim ſunt de quibus ipſi ſunt minimè ſoliciti. Dicetne quòd eos terrefecit minis ſuis? Non: Lenocinia enim mundi & carnis faciunt eos obliviſci omnium malorum, quæ ipſis Deus minatur. Dicetne quòd eos attraxit & convertit promiſſis ſuis? Minimè: nam malunt tenere vanitates præſentes, quàm expectare felicitates futuras. Ha! Auditores, ſi Dei Filius uſque nunc non potuit aliquid boni de vobis annuntiare Patri ſuo, in poſterum praxi bonorum operum incumbite: *Quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* z. Ut per enarrationem quam eorum faciet idem Dei Filius Patri ſuo, vos introducere poſſit aliquando in hæc loca, quæ vadit ipſe vobis paratum, *Vado parare vobis locum*. Qui locus non eſt aliud niſi gloria.

z 2. Petr. 1. 10

IN

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Sub umbra illius quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2. 3.

NEſcio num Deus, cujus conſilia ſunt tota myſterioſa, velit hoc tempore, quo voluptas regnat, & quo unuſquiſque delicijs indulget, deprimere & ſepelire voluptatem mundi per manifeſtationem crucis ſuæ; ideòque induxerit magnam Reginam, id eſt, S. Helenam ad eam inquirendam, ſicut canit Eccleſia die hodiernâ, *Poſt inſignem victoriam, quam Conſtantinus Imperator, divinitùs accepto ſigno Dominicæ crucis, ex Maxentio reportavit, Helena Conſtantini Mater in ſomnis admonita, conquirendæ Crucis ſtudio Ieroſolymam venit: ubi marmoream Veneris ſtatuam in Crucis loco à Gentibus collocatam, ad tollendam Chriſti Domini paſſionis memoriam, poſt centum circiter octoginta annos evertendam curavit.* Vel num ipſe voluerit edocere eos qui iſtud neſciunt (voluptuoſos alloquor) quòd veræ voluptates in terra ſitæ ſint in crucibus, *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs, pro Chriſto*, ajebat S. Paulus *a*. Et quod prorſus eſt impoſſibile, ut quis verâ fruatur voluptate, niſi in Cruce Jeſu Chriſti. Non eſt conſilium meum auferendarum voluptatum è mundo, ſed è contrà ſtabiliendarum earum per Crucem. Sed priùs ſalutemus B. Virginem, &, nedum Crux id moleſtè ferat, dicamus ei cum Angelo, *Ave Maria*.

a 2. Cor. 12.10.

Voluptas præ ſe fert lenocinia ſic potentia, ut univerſa ad ſe trahat, ſicut appoſitè dixit Poëta,

Trahit ſua quemque voluptas.

Omnes motus quos videmus in natura, ſunt velut illius effectus, qui nonniſi ab illa ſuam ducunt originem. Hæc autem voluptas conſiſtit in tribus, in potentia, in objecto, & in unione utriuſque. Potentia debet eſſe benè diſpoſita: objectum, perfectum & conſummatum, nedum quid ipſi deſit: & unio, ſine impedimento, cùm voluptas ſita ſit in unione potentiæ cum objecto. Oculus capeſſit voluptatem ſuam & delicias ſuas, applicando ſe actualiter intuendæ pulchritudini coloris interventu luminis: Auris delectatur ſuavitate vocum: Odoratus recreatur odoribus: Guſtus ſaporibus: Tactus autem oſculis, amplexibus, & contrectationibus. Sic unuſquiſque ſenſus ſibi ſatisfacit in objecto ſuo limitato: & id quod recreat unum, non explet omnes. In Muſica v.g. ſola auris participat voluptatem: pulchritudo non placet niſi oculo: cibi non ſunt grati niſi guſtui: odores non ſatisfaciunt niſi odoratui: & corpora mollia non afferunt ſatisfactionem niſi corpori. Hæc voluptas vehementer exilis eſt, ipſa non tranſit ad ſpiritum: alioquin id quod eſt minus, eſſet plus, & nobilior pars penderet ab ignobili: *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*, ait Eccleſiaſtes *b*. *Id eſt, quantumcumque multa & magna videat oculus corporis, poteſt & appetit plura videre. Similiter eſt de ore. Imo oculus nova & curioſa videndo ſæpè plùs inflammatur ad plura hujuſmodi intuenda. Simili modo auditus. Conformiter interior oculus, ſcilicet, intellectus, cognitionibus & ſcientijs rerum creatarum non ſaturatur, nec quietatur: nec poteſt quieſcere, niſi notitiâ Creatoris. Non ergo in creatis, ſed in Creatore conſiſtit fœlicitas*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *c*. Anima ergo, quæ eſt perfectior pars, habet delicias perfectiores in iſto mundo: nam licèt in ea ſint veluti *tenebræ* d Ægypti, id eſt, quàmvis ipſa non videat niſi *per ſpeculum in ænigmate* e; etiamſi ipſa *ſuper flumina Babylonis* f ſedeat, & ſit in ſervitute corporis, in hoc ſacco, in hac terra aliena, *Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino* g: poteſt habere voluptatem, non in his omnibus rebus ſenſibilibus, ſed in cruce Jeſu Chriſti, ut in perfecto objecto potentiarum ſuarum. Quòd ſi corpus habet quinque ſenſus ſuos, quorum interventu capit voluptates ſuas; anima habet potentias ſuas ad percipiendam voluptatem ſuam, mentem, & voluntatem. Et ſicut voluptas oculi conſiſtit in applicatione & unione quam habet cum pulchritudine, vel lumine; & voluptas auris ſita eſt in matrimonio vocum cum ſono inſtrumentorum Muſicorum, unde ipſe recreatur: ſic mente applicante ſe veritati, & voluntate adhærente bonitati, voluptas illabitur animas noſtras. Per Crucem, & in ſola Cruce habemus delicias noſtras per tres ratiocinationes, quæ conſtituent triplicem diſcurſûs iſtius partem. Primò, Dico, quòd in Cruce habemus perfectam notitiam veritatis meliùs quàm in alia re. Secundò, quòd amor apparet ibi cum excellentia. Tertiò, quòd nulla poteſt haberi voluptas ſpiritualis niſi in Cruce. *Diviſio.*

b Eccl. 1. 8.
c Dio. Carth. a. 1. in Eccl. 1. 8.
d Exod. 10. 22.
e 1. Cor. 13. 12.
f Pſ. 136. 1.
g 2. Cor. 5. 6

Si perfecta veritas eſt objectum mentis noſtræ, & ſi ex unione potentiæ cum objecto ſuo derivatur voluptas, ſingularis eſt voluptas benè cognoſcere Crucem Jeſu Chriſti, cùm per eam habeamus perfectam notitiam veritatis Dei. Non habemus niſi duos modos cognoſcendi Deũ quandiu ſumus in iſta lacrymarum valle: habere poſſumus illius cognitionem interventu duorum librorum ſcriptorum præclaris characteribus. Primus liber, eſt iſte mundus, cujus omnes creaturæ ſunt literæ, ſeu ſyllabæ ſcriptæ linguâ Dei, qui formavit ipſas unico verbo, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt*, ait Pſalmiſta h. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, dicit Apoſtolus *i*. Et poſt eum Cornelius *k*, *Idem experientiâ ipsâ didicerunt, & docuerunt ipſimet Gentiles: nam Triſmegiſtus dixit, mundum eſſe librum Divinitatis, & ſpeculum Divinorum, in quo nimirum Deus ſeipſum, quaſi Apelles ſummus, clarè expreſſit & depinxit. In hoc libro non ſolus ſtuduit S. Antonius, ut de eo teſtatur S. Athanaſius, alijq́; eremi incolæ: nec ſolus S. Bernardus, Franciſcus, alijq́; Sancti, ſed etiam Plato, Socrates, Ariſtoteles, omneſq́; Philoſophi. Idem agnovit & docuit Orpheus, cum ait: Mundi machina eſt muſica & admirabilis conſonantia, prædicans & laudans Deum. Cæli enim* enar-

I Pars.

h Pſ. 148. 5.
i Rom. 1. 19 & 20.
k Cornel. in Rom. 1. 20.

[ex Pſ. 18. 2.] *enarrant gloriam Dei* l. In iſto libro hi Sancti præfati ſe perfecerunt cum alijs multis; præfati verò Philoſophi cum innumeris alijs jacturam ſuam repererunt, de quibus ait immediatè antè Apoſtolus, *Qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Et poſt eum idem Cornelius, *Nota. Non ait, Qui veritatem Dei in errore & ignorantia detinent, licèt & hoc verum fuerit; nam homines ante Chriſtum multos errores Deo affinxerunt; uti Deum eſſe corporeum, agere fato, non curare res humanas* m. [m ex Iob 22. 14.] *ſed ait Paulus, Qui veritatem Dei detinent in injuſtitia. Quia ſcilicet homines pleríque ante Chriſtum, licèt agnoſcerent veritatem Dei, ſcilicet unum eſſe Deum verum, opificem & rectorem univerſi; tamen hunc Deum non coluerunt, ſed juſtum & Deo debitum cultum* n, [n ex Exo. 20. 3.] *creaturis & idolis injuſtiſſimè dederunt. Ergo quaſi incarcerarunt veritatem, eamque detinuerunt ſeris iniquæ voluntatis, ne exiret ad effectum, & opera conformia veritati notæ; itaque vim illi intulerunt, illíq; ſummam injuriam irrogarunt. Ita S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus ſerm. 55. de Verbis Domini ſecundum Ioannem. Hi ergo quaſi in vinculis coniecerunt judicem, nec rectè dictare permiſerunt legulatorem menti ſuæ à Deo impreſſum, ſcilicet rectæ rationis & veritatis dictamen.* Eodem modo ſe res habet de iſto magno libro ac de ſacra Scriptura: hæc continet veritatem, & defert ſpiritum & vitam ſub cortice ſuo, ſicut diſcipulis ſuis *Ieſus dixit: Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt* o. [o Io. 6. 61. & 63] Sed in exteriori ſuo, & in literâ ſuâ ipſa mortem infert, *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat* p. [p 2. Cor 3. 6] Unde factum eſt ut Hæretici inde eduxerint venenum vice mellis. Sic multi in contemplatione creaturarum ſe nimis applicantes ſuperficiei & literæ, ſibi mortis ictum infixerunt: illi qui in conſideratione Solis, ſtiterunt in litera ſola, & exiſtimaverunt quòd iſte Rex Planetarũ mereretur adorari, & exhibuerunt ei ſummos cultus, qui non debebantur niſi ſupremæ majeſtati Dei, turpiter hallucinati ſunt: illi qui ex aſpectu Lunæ, Stellarum, & aliarum creaturarum, ſtiterunt ibi, nedum vellent ulteriùs progredi, non pervadentes uſque ad ſpiritum, & ad ſummas perfectiones Artificis, qui eduxerat eas è nihilo, jacturam ſuam incurrerunt, attribuentes Divinitatem operibus ipſiuſmet Divinitatis: *Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt: ſciant quantò his Dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit*, ait Sapiens q. [q Sap. 13 3.] Illi qui ſiſtunt in facie fucata, in qua reperiunt tot lenocinia, quæ ipſos inducunt ad offerendum ei vota & thus veluti Divinitati: illi qui non vivunt niſi ad acquirendum argentum & aurum, ad accumulandas divitias ſuper divitias, & ad magnificandas domos ſuas: illi, qui more chamæleontis, qui *ſolus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento*, ut ait Calepinus r, [r Calep. in Dict. V. Chamæleon.] non paſcuntur niſi vento honoris, qui requirunt admirationes populorum, & qui vivere volunt omnibus ſeculis per famam; & illi qui non intuentur niſi Solem orientem, & Lunam inconſtantiæ, ſunt ignari, & neſciunt quomodo ſe gerere debeant in lectura hujus magni libri creaturarum, cùm ſiſtentes ut ſtupidi in cortice & in ſola apparentia exteriori literæ, reperiant ibi mortem. Et ſicut Magiſter claudit librum diſcipulo qui non ſcit benè legere, vel qui eo abutitur: ſic primus iſte liber mundi clauſus fuit in paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, [s Luc. 23 45.] *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* s. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonã. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* t. [t Math. 27. 45. &c.] Et omnia confuſione operta, *Complicabuntur ſicut liber cœli*, prædixit Iſaias u, [u Iſa. 34. 4.] loquens de tempore judicij. Quod ad rem noſtram verti poteſt.

Si ergo primus iſte liber creaturarum clauſus fuit, Deus ne relinqueret hominem ſine cognitione, aperit ei ſecundum librum Crucis, librum qui non lectus fuit à doctis & peritis mundi, ſed ab ignaris; *Dabitur liber neſcienti literas. Peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur. Et audient in die illâ ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in Sancto Iſraël exultabunt*, dixit Idem Iſaias x. [x Iſa. 29. 11. &c.] Et poſt eum Pintus y, [y Pint. in Iſa. 29. 14. & 18] *Peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus. Hoc eſt, Iudæi nullam habebunt veram ſcientiam, nec verum Scripturarum intellectum. Hunc locum citat Apoſtolus* z, [z 1. Cor. 1. 19.] *dicens, Scriptum eſt, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Non dicit, Peribit ſapientia à ſapientibus, ſed à ſapientibus ejus, ut ſignificet populi Iudaici ſcientiam perdendam eſſe. Id noſtris oculis expletum videmus: omnes enim Iudæi infideles in erroribus apertiſſimis verſantur, & mala pro bonis amplectuntur. Et audient in die illa. Hoc eſt, tempore gratiæ, ſurdi, id eſt, Gentes, quæ anteà verbum Dei non audiebant, illud audient. Et qui anteà animi cæcitate laborabant, oculos aperient, & veritatem aſpicient. Tunc lætabuntur mites audientes: Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram* a. [a Math. 5. 4] *Et exultabunt pauperes audientes illud: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* b. [b Math. 5. 3] In iſto libro Crucis, intellectus inſtructus ſcientiâ prorſus Divinâ, perfectam voluptatem capit in cognitione veritatis. Quòd ſi voluptas corporis redundat ſuper corpus, dicere poſſumus quòd totus homo natat in voluptatibus & in delicijs, cùm intellectus ſumit pro objecto ſuo crucem.

Ille turpiter hallucinatur, qui perfectam voluptatem quærit inter creaturas. Verum quidem eſt quòd corpus ibi ſibi complacet, ſed ſpiritus manet immunis ab hac voluptate: non eo inficias, quòd ſpiritus dirigit corpus, quod ſemper eſt cum eo, ſed nullo modo participat illius voluptatem: oculus deducit quidem corpus domum, & in aulam, in qua fit concentus muſicus, ſed cùm ibi adeſt, nihil ibidem eſt pro ipſo, ſed totum pro auribus eſt; ſic anima deducit quidem corpus in delicias mundi, ſed ipſa nullo modo eis communicat. Hoc in occurſu nobis figuræ loco ſerviet diſſolutus ille *adoleſcentior peregrè profectus in regionem longinquam*, de qua differit Evangelica c parabola, [c Luc. 15 13. &c.] quòd *ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et poſtquàm omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Illud, eſt myſterium apertum illi, qui nunquam aperit os ſuum, niſi ut fluere faciat rivos eloquentiæ aureæ, qui que ideò vocatur Chryſologus d, [d S. Chryſol. ſer. 1.] *Quàm crudele miniſterium, quia neque convivit porcis, qui vivit porcis.* Heu! Ille qui ducit porcos, qui vivit propter porcos, non poteſt vivere cum eis, nec refici poteſt eorum cibo. Anima prodiga, ignara deliciarum perfectarum, quæ incumbis dirigendis

ſen-

ſenſibus tuis externis, veluti totidem porcis, po-
tes quidem vivere eis: id eſt, propter eos, ſed non
convivere illis: ſpiritus tuus nunquam habebit
perfectam voluptatem, niſi in cruce, in qua au-
e Iſa. 29 diunt *ſurdi, oculi cæcorum* vident: *& mites & pau-*
18. & 19 *peres homines in Sancto Iſraël* e exultant.

Sic eſt, Auditores: omnes veritates leguntur
in Cruce Jeſu Chriſti: omnes ſcientiæ Divinæ in
ea ſunt incluſæ. Ibi legimus & diſcimus verita-
tes, non per demonſtrationem, nec per ratiocina-
tionem, ſed per concluſionem, per ſolum intui-
tum, per meditationem. Ipſa nobis oſtendit o-
f Matt. mnes veritates, quæ ſunt nobis neceſſariæ: quòd
22. 37. & diligendus eſt Deus, & proximus f, cùm ipſa ſit
39. ſignum reconciliationis, *Quia in ipſo complacuit*
omnem plenitudinem inhabitare: & per eum recon-
ciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem
g Coloſſ. *Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* g.
1. 19. & Quòd pati debemus in iſto mundo, cùm ipſa ſit
20 ſola via cœli, *Quoniam per multas tribulationes*
h Act. 14 *oportet nos intrare in Regnum Dei* h. *Si tamen com-*
21. *patimur, ut & conglorificemur* i. Quòd humiliari
i Rom. 8. debemus, *Humiliamini ſub potenti manu Dei* k, qui
17. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mor-*
k 1. Petr. *tem, mortem autem crucis* l: ſi velimus exaltari à
5. 6 Deo, *Ut vos exaltet* m, ſicut *exaltavit* n Filium
l Philip. ſuum: cùm ſola Crux ſit magnus liber, in quo
2. 8 debet unuſquiſque legere ſalutem ſuam, & edo-
m 1. Per. ceri veritatem: & quicunque non videt eam in
5. 6 iſto libro, debet inſanus æſtimari, juxta modum
n Philip. quo S. Paulus ſcribens ad Galatas o, excipiebat
2. 9 illos, dicens eis, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſci-*
o Gal. 3. 1 *navit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus*
Chriſtus præſcriptus eſt in vobis crucifixus? Si veri-
tatem legere neſcitis in Cruce, infirmi eſtis men-
te; illuſio eſt ſenſuum, quæ impedit quin volu-
ptatem capiatis in iſto libro, è quo S. Bonaventu-
ra & S. Thomas hauſerunt totam ſcientiam ſuam
ſublimiſſimam.

Hàc inſaniâ laboraverunt aliàs illi, qui nunc
ſunt in inferno, qui agnoſcunt, ſed æquo tardiùs,
ſtultitiam ſuam, eò quòd non noverint ſuas utili-
tates educere è luminibus præclaris quæ ipſi ha-
bebant in Cruce: *Nos inſenſati erravimus à via ve-*
ritatis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditio-
nis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Do-
p Sap. 5 *mini ignoravimus* p. Eſtque pro compertiſſimo,
4. &c. quòd nullum eſt ſupplicium, quantùmlibet rude
& violentum, quod non videretur ipſis dulciſſi-
mum, & facillimum toleratu, & cujus longitudo
non appareret ipſis exiguæ durationis, dato vel
etiam quòd protendi deberet uſque ad diem ju-
dicij univerſalis, *cùm venerit Filius hominis in ma-*
q Matth. *jeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* q. Etiam, Au-
25. 31. ditores: certiſſimum eſt, quòd damnati libenter
paterentur, & dulciſſimum reperirent, compa-
ratione pœnarum quas ipſi tolerant, id omne
quod Martyres pertulerunt pro defenſione fidei,
tauros æneos candẽtes, craticulas ignitas, dolia
olei ferventis, forcipes, gladios, ſecures, novacu-
las acutas, ſcorpiones, pectines, ſupplicia, deni-
que illud omne quod barbaries Tyrannorum im-
maniſſimorum comminiſci potuit ad excrucian-
dos ſanctos Martyres; totum hoc damnatis ap-
pareret facillimum, ſi eſſent in ſtatu, in quo lege-
re poſſent cum utilitate in libro Crucis, ibique
diſcere Theologiam myſticam, ad agendam pœ-
nitentiam de peccatis, quæ fuerunt cauſa perdi-
tionis ipſorum: & quòd ad evitandum ne in po-
ſterum relaberentur in inimicitiam Dei, ipſi ſe
offerrent ad ſuſtinendum decies millies pluſ
quàm totum illud. Ha! mauditis incumberent
ipſi corporis auſteritatibus, ad evitandas pœnas
ſic extremas: pœnitentiæ, jejunia, vigiliæ, flagel-
lationes, nuditas, paupertas, abnegatio propriæ
voluntatis, & reliquæ mortificationes quæ exer-
centur in Religionibus reformatiſſimis, videren-
tur ipſis dulcedines. Et ſi veritatem iſtam diſcere
cupitis ex ore alicujus ex illis miſeris, auſcultate,
ſi placet, querelas, quas edit de infortunio ſuo:
audite animam Jezabelis, quæ in vita ſua *depin-*
xit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum r. Id eſt, r 4 Reg.
quę conceſſit indifferenter ſenſibus ſuis id om- 9. 30. &c
ne, quod ipſi poterant expetere. Heu! quàm
miſera ego ſum, ait hæc infortunata & impia
Regina, videns me implicatam medijs flammis
inferni; ad quid mihi nunc ſerviunt omnes vo-
luptates, quas aliàs exhibui corpori meo? Cibi
delicati quibus illud alebam, converſi ſunt *in ſer-*
pentes, & beſtias, & vermes s. Et cubilibus mol- s Eccli.
libus, ſuper quibus quieſcebam, *vermes* t ſimiliter 10. 13.
ſucceſſerunt. *Tam torta eſt ea, quæ in ſerico ac pre-* t Iſa. 14
tioſo cervicali includitur, quàm ea quæ in vili ac rudi 11.
ſacco continetur. Tam vermibus obnoxius eſt Rex,
quàm agricola, dives quàm pauper, clarus quàm obſcu-
rus genere ortus u. Et loco conſolationum quibus u Pint. in
perfundebar à perſonis quas diligebam, & à qui- Iſa. 14. 11
bus ne vel unico momento ſeparari poteram, o-
portet nunc ut jugiter converſer cum dæmoni-
bus crudeliſſimis inimicis meis. Ha! Dominæ
meæ, ſi eſſem in ſtatu, in quo me vidi aliàs, cùm
vivebam ſicut vos vivitis, ſuper terra; ſi proficere
poſſem hàc veritate Chriſtianâ, quæ vobis prædi-
catur, & quam diſcere poſſem in cruce ad ope-
randam ſalutem meam, non exciperem corpus
meum ita delicatè ſicut veſtrum vos excipitis,
nec ſolicitè currerem poſt vanitates ſeculi, cùm
ipſæ non durent niſi unico momento. *Præterit*
enim figura hujus mundi x: & cùm illas ſequatur
infortunium, quod nullum alium habet termi- x 1. Cor.
num niſi *ſupplicium æternum* y. Generoſiſſimè 7. 31 &c.
contemnerem reſpectus omnes humanos, nec y Matth.
quærerem *hominibus placere* z: deriderem male- 25. 46.
dictum illud, Quid dicetur? quod, cùm impedi- z Gal. 1
verit quin derelinquerem ludos, luxum, veſti- 10.
menta ſumptuoſa, & conſortia, in quibus ſic pra-
vè tempus miſumpſi, quod Deus mihi præbuerat
ad legendas ſpiritu veritates Chriſtianas in libro
Crucis, quæ proficuæ fuiſſent ſaluti meæ, & con-
ſtituiſſent felicem ſortem meam per totam æter-
nitatem, eſt cauſa infelicitatis & pœnarum quas
patior, nedum mihi ſuperſit aliqua ſpes unquam
perveniendi ad felicitatem æternam, ad quam
aſpiratis, & quam acquiretis, ſi ſciatis legere in
Cruce, ubi amor apparet cum excellentia.

Si beatitudo cœli conſiſtit in viſione & in a- II. Part.
more Dei, in ſatietate iſtarum duarum poten-
tiarum, intellectûs & voluntatis, ſicut *Jeſus ſub-*
levatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hæc eſt vita æter-
na, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem
miſiſti Jeſum Chriſtum a: & Dionyſius Carthuſia- a Jo. 17
nus b concludit ad propoſitum noſtrum, *Beati-* 1. &c.
tudo conſiſtit in actu intellectûs eſſentialiter ac dire- b Dion.
ctè, ita quòd contemplatio ſumma ac prima Veritatis Carth. a.
clara & immediata eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa 4 in Jo.
felicitas: tamen inquantùm contemplatio habet frui- 17. 3.
tionem adjunctam: non enim cognitio ſine dilectione c ex S.
atque fruitione perfecta eſt: Hinc dicit Auguſtinus c, Aug. l. 1.
quòd viſio eſt tota merces, in qua utique Joannes d *no-* de Trin.
ſtram deiformem, & ſummam perfectionem, & per c 8
d ex 1. Jo.
3. 2
con-

conſequentiam veram felicitatem conſtituit, *dicens*, *Chariſſimi*, *nunc filij Dei ſumus*, *& nondum apparuit quid erimus*: *Scimus cùm apparuerit*, *ſimiles ei erimus*, *quia videbimus eum ſicuti eſt*: *Præterea*, *Omnes Sancti Dei viſionem quaſi ſummum finaleq́ bonum deſideraverunt*: *Hinc Moyſes Domino loquens*, *Si inveni* (*inquit*) *gratiam in conſpectu tuo*, *oſtende mihi faciem tuam*, *ut ſciam te* e: *Et Pſalmiſta* f, *Oſtende faciem tuam*, *& ſalvi erimus*: in terra voluptas noſtra erit perfecta, ſi, poſtquàm vobis oſtendi quòd intellectus invenit perfectum objectum ſuum in Cruce, probem vobis nunc quòd voluntas non poteſt ſatiari niſi in hac eadem Cruce.

e Exo. 33. 13.
f Pſ. 79. 4. & 20

Amare eſt velle bonum alicui, dicit Philoſophia. Duplex eſt genus amoris, nimirum concupiſcentiæ, & amicitiæ. Amor amicitiæ producit duos effectus contrarios, pauperem & miſerum reddit amantem, & ditat amatum, cùm ei communicet omnia quæ habet, imò verò uſque ad animam: *Dimovet de ſtatu Divinus Amor*, *nec ſuos eſſe amantes patitur*, *ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius g. Et Dionyſius Carthuſianus h, *Secundùm Auguſtinum*, *Anima potiùs eſt ubi amat*, *quàm ubi animat*. Propter hanc fortaſſis rationem poëtæ depingunt Cupidinem nudum: quod ſi habet pharetram ſagittarum, & arcum; ſagittæ ipſius non ſunt mortales niſi ei qui amat, ipſæ ſunt ad aperiendum pectus, ut amans ingrediatur cor amati.

g S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4
h Dion. Carth. a. 33. in Luc. 12. 34.

Verum teſtimonium amoris manifeſtatur potiùs per paſſiones ſeu tolerantias, quàm per dona: ille qui dat, non teſtatur ſemper perfectum & ſincerum amorem. Aperiuntur interdum officinæ aurificum, dat aliquis perſæpè munera ad pravam intentionem, ſcilicet ad habendum, ad auferendum, ad eripiendum, more piſcatoris qui exponit crus ranæ, vel ſardam ad capiendum hamo magnum piſcem. Aliquando fingit quis ſe eſſe infirmum, vel afflictum, ut meliùs devoret, ſicut ait fabula de leone, & Scriptura i ſacra de Amnon filio Davidis, qui cùm ſuam *ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar*, *adamaret*, *& deperiret in eam valdè*, *ita ut propter amorem ejus ægrotaret*: *quia cùm eſſet virgo*, *difficile ei videbatur ut quippiam inhoneſtè ageret cum ea*: *accubuit*, *& quaſi ægrotare cœpit*. *Venitq́ Thamar in domum Amnon fratris ſui*: *ille autem jacebat*. *Dixitq́ Amnon*, *Ejicite univerſos à me*. *Cùmq́ ejeciſſent omnes*, *Amnon apprehendit eam*, *& ait*, *Veni*, *cuba mecum ſoror mea*. *Quæ reſpondit ei*, *Noli frater mi*, *noli opprimere me*. *Sed prævalens viribus oppreſſit eam*. Sed cùm videtur homo pati, cùm audiuntur ejus ſuſpiria, cùm obſervantur lacrymæ fluere ex oculis illius, tunc dici poteſt ſine periculo erroris, quòd ille verè diligat, ſicut cùm in morte Lazari amici ſui *lacrymatus eſt Ieſus*, *dixerunt Iudæi*, *Ecce quomodo amabat eum* k. Me *creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* l. Propterea cogor me credere, quòd ipſe me diligat? Nequaquam, niſi velim. *Dominus regit me* m. Vel, *Dominus paſcit me* n. Propter hoc teneor me dicere, quòd ipſe me amet? Non, niſi mihi placeat. Ipſe poteſt abſolutâ potentiâ ſuâ dare mihi paradiſum, nedum habeam in me objectum amoris ſui; ipſe poteſt adjuvare dona ſua in me, nedum meipſum diligat: ſed cùm video eum pati & mori pro me, tunc teneor credere quòd diligit me: cùm ipſe ſe deſtituit eo quòd habet ipſe chariſſimum, tunc confiteor amorem illius erga me. In Cruce ipſe pertulit mortem, ibique viſus eſt aliquo modo ſe ſpoliaſſe Divinitate, ſeu meliùs, auxilio illius cùm dixit, *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquiſti me* o? Ad quod conformiter S. Ambroſius p ait, *Et ſequeſtratâ delectatione Divinitatis æternæ*, *tædio meæ infirmitatis afficitur*. Conſideratâ teneritudine temperamenti corporis Salvatoris, ipſe naturaliter mori debebat in *agonia* horti Olivarum, cùm *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* q: cùm ipſum *apprehendit Pilatus*, *& flagellavit*: *& milites plectentes coronam de ſpinis*, *impoſuerunt capiti ejus* r. Cùm ſpinæ penetraverint uſque ad intimam cerebri ipſius ſubſtantiam, pertranſeuntes membranam, quæ dicitur pia mater, quâ læsâ, juxta peritos Anatomes, mors ſequitur naturaliter. Quid autem impedivit quin ipſe moreretur tunc? Subtilis quædam emanatio Divinitatis, voluptas quædam cœleſtis quæ ipſum roboravit, virtute cujus *& bajulans ſibi crucem*, *exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum*, *ubi crucifixerunt eum* s. Ibi autem ipſe veluti derelictus eſt à Divinitate, *Ieſus dixit*, *Conſummatum eſt*. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum* t. Quæ derelictio fuit admirabilis & myſterioſa: non enim Divinitas fuit ab ipſo ſeparata, ſed auxilium Divinum fuit ipſi ereptum. Ipſe locutus eſt non ſecus ac homo, qui habens aliquem ex amicis ſuis comitem ſuæ itinerationis, ſi à latronibus invaſus, videret hunc amicum præſentem complicatis in crucis modum brachijs non auxiliari ſibi in certamine ſuo, diceret ei jure merito, Derelinquis me in hoc occurſu? Sic Divinitas Ieſum Chriſtum dereliquit in prælio Crucis, non præſentiâ, nec unione, ſed auxilio.

i 2. Reg. 13. 1. &c.
k Jo. 11. 35. & 36
l Gen. 1. 27.
m Pſ. 22. 1.
n S. Baſil. in Pſ. 22. 1.
o Math. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
p S. Amb. l. 10. in Luc. 22
q Luc. 22. 43. & 44
r Jo. 19. 1. & 2.
s Jo. 19. 17. & 18
t Jo. 19. 30.

Proloquio fertur Philoſophico, *Si de quo magis videtur ineſſe*, *& non ineſt*: *ergo nec de quo minùs*. V. g. ſi homo qui perfectâ ſanitate valeret, & robuſtis eſſet viribus, non poſſet ex iſta civitate pedibus ire Pariſios; evidens eſt, quòd ille qui infirmâ ſemper eſſet valetudine, minùs illuc contendere valeret peditando: atqui licèt Filius Dei haberet omnem capacitatem poſſibilem, & univerſas qualitates requiſitas, & incomparabiliter plus quàm ullus è nobis habere poſſit ad eundum in cœlum, pati tamen ipſe voluit, *Oblatus eſt*, *quia ipſe voluit* u, & demonſtrare nobis amorē ſuum in Cruce, ut exigeret à nobis amorem reciprocum, & ut ipſi commendaremus noſipſos patiendo propter amorē ipſius, & ob utilitates noſtras.

u Jſa. 53. 7.

Ordo eſt inviolate inſtitutus à Deo in natura, ut neceſſariò tranſeundum ſit medium ad hoc ut procedatur ab uno extremo ad alterum extremum. V. g. ſi pergere volo ex iſta cathedra ad hanc portam hujus templi, oportet ut pertranſeam iſtud medium, quod eſt inter utramque: quin imò nec ipſi Angeli diſpenſantur ab iſta lege, cùm, licèt maximam præ ſe ferant activitatem, non poſſint tamen viribus ſuis naturalibus ferri ex uno loco in alium locum, quin tranſeant per ſpatium quod reperitur inter locum diſceſsûs ſui & locum acceſsûs ſui, *Angelus dum movetur*, *per medium moveri jure dicitur*, ait S. Bonaventura x. Quòd ſi Angeli, qui ſunt puri ſpiritus, immunes à materia, tenentur tranſire per medium, dicendum eſt, quòd homines qui non habent ipſorum levitatem, & qui compoſiti ſunt è materia gravi, non debent eſſe expertes iſtius obligationis: atqui cœlum & terra ſunt duo extrema vehementer abinvicem remota; ſumus nos omnes in uno ex his extremis, vivimus nos omnes cum faſtidio in terra; ſi velimus ire fruitum dulcedini-

x S. Bon. in 1. ſent. diſt. 37. a. 2. q. 2. in concl.

bus

bus ineffabilibus cœli, oportet neceſſariò ut tranſeamus per medium: quodnam autem eſt iſtud medium? quodnam eſt iſtud iter fortunatum, quod nobis eſt tranſeundum ut eamus ad cœlum? Sanè hoc non eſt aliud niſi medium aut iter paſſionum, vel Crucis, quam quærere debemus, ſicut illam quæſivit & invénit S. Helena Mater Conſtantini, fermè octogenaria, anno Chriſti 326. Jeroſolymas profecta, Dei monitu, cum exercitu ad eam conquirendam, alligare nos debemus Cruci cum Salvatore noſtro; ibi manifeſtare debemus amorem noſtrum, ſicut amor ipſius ibi apparet cum excellentia. Re autem verà licet Deus poſſit utens abſolutâ potentiâ ſuâ, ſicut jam ſupra dixi, nobis dare coronam gloriæ, & ferre nos in cœlum ſine ulla conſideratione meritorum noſtrorum; non vult tamen hoc facere; ſed obſtringit nos ad acquirendum paradiſum per opera noſtra bona, & per paſſiones noſtras, alligando nos Cruci, ubi meliùs manifeſtamus amorem, quo Deum diligimus: *Nam & qui certat in agone; non coronatur, niſi legitimè certaverit* y. Sic ut oporteat ut patiamur adverſitates, ut ſuffigamus nos Cruci cum Jeſu Chriſto in iſta vita, ſi velimus habere veras conſolationes, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* z. Oportet ut afflictiones nobis aperiant viam cœli, & nos introducant in hoc jucundum domicilium, cùm nulla poſſit ſpiritualis haberi voluptas niſi in Cruce. Et hoc eſt quod nobis ſupereſt videndum.

y 2. Tim. 2.5
z Act. 14 21.

III. Pars.

Cùm Jeſus Chriſtus perdiderit omnes conſolationes ſuas in Cruce, reliquerit voluptates cœleſtes & Divitias in Cruce, oportet ut quæramus eas in cruce, ſi reperire velimus eas in iſto mundo; & quærere eas alibi, hoc eſt graviter hallucinari. Datur differentia inter afflictiones Domini noſtri, & conſolationes mundanas. Conſolationes & voluptates noſtræ dant afflictionem Deo & Angelis. Afflictiones Jeſu Chriſti ſunt conſolationes noſtræ. Si ridemus, ipſe flet; ſi oblectamur, ipſe recedit à nobis; deliciæ noſtræ ipſum Cruci ſuffigunt, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* a. Si ipſe eſt in *lacrymis* b, habemus occaſionem lætandi: ipſius corona *de ſpinis* c, mutatur pro nobis in roſas: ipſius captura d eſt noſtra libertas, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* e. Mors ipſius eſt vita noſtra, *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt* f. Et paupertas ipſius eſt opulentia noſtra, *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis*, ait nobis Apoſtolus g. Vultiſne divites eſſe, Auditores? Ite ad præſepium. Vultiſne conſolationes? Ite ad Crucem: ipſe reliquit ibi voluptates & delicias ſuas: quærendæ ſunt voluptates ſpirituales ibi ubi Deus eas amiſit, non autem ibi ubi illas perdidimus. Lapis pretioſus, annulus, nummus aureus vel argenteus invenitur in eodem loco, ubi deperditus eſt; ſed bonum ſpirituale non reperitur ibi, ubi ipſum amiſimus. Ubinam infortunatus ille Propheta reperiet *ſpiritum rectum* h? Ubinam inveniet gratiam Dei? *& Spiritu principali* i confirmabitur? Nunquid in otio ſuo? in deliciis ſuis? in illo horto fatali prope lavacrum, in quo ipſe ictu oculi vulnus inflixit pudicitiæ Bethſabee, cujus honorem abſtulit k? Nequaquam. Similiter ſi gratiam perdidimus in aliquo conſortio, non debemus eam ibi requirere: non inveniemus ibi id, quod illic perdidimus. Si amiſiſtis aliquam conſolationem ſpiritualem, aliquam viſitationem Divinam per frequentationem habitam cum aliqua perſona, cavere ne requiratis eam in illa perſona, *Abyſſus abyſſum invocat* l. Quærite jacturas veſtras ſpirituales in Cruce; & invenietis eas ibi, cùm interventu Crucis ſitis vos uniturі Jeſu Chriſto.

a Heb. 6.6
b Hebr. 5.7
c Jo. 19. 2
d Jo. 18. 12.
e Gal. 4. 31.
f 2. Cor. 5 15.
g 2. Cor. 8.9
h Pſ. 50 21.
i Pſ. 50. 14.
k 2. Reg. 11.2. &c.
l Pſ. 41. 8

Si in unione conſiſtit vera voluptas, dico quòd non poſſumus habere modum opportuniorem uniendi nobis Deo in iſto mundo, quàm Deum, ſeu quam modum quem Deus ipſemet adinvênit ad uniendum ſe nobiſcum: atqui modus unicus quem Deus invênit uniendi ſe omnibus hominibus, fuit Crux. Verum quidem eſt quòd per incarnationem Deus *ubi venit plenitudo temporis* m, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* n; *in utero* o B. Virginis univit ſe homini, ſed ſolùm naturæ & individuo. Nemo dubitat quin Deus ſe uniat hominibus per Euchariſtiam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* p. Sed ſolis illis qui afferunt omnes diſpoſitiones requiſitas ad ipſum ſuſcipiendum, ſolis illis qui hoc utuntur cibo Divino ſicut decet. Sed in Cruce ipſe ſe unit cum omnibus, cum Bonis, & cum malis diſpoſitivè. Cùm murus poſitus inter duas res, quæ naturaliter inclinantur ad uniendas ſe, impedit ne ipſæ uniantur, id quod aufert murum, facit unionem duarum iſtarum rerum ſaltem diſpoſitivè. Murus denſus & fortis ſeparabat nos à Deo, & impediebat amicitiam & amplexus: iſte murus erat peccatum, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, dicebat Iſaias q peccatores alloquens. Iſte murus diſſipatus eſt & deſtructus per Crucē: *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis evacuans: ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*, dicit nobis S. Paulus r.

m Gal. 4 4.
n Philip. 2.7
o Luc. 1, 31. ex Iſa. 7. 14.
p Jo. 6. 56
q Iſa. 59. 2.
r Eph. 2 13 &c.

Naturali ducimur, Auditores, inclinatione ad uniendum nos Deo: mentes noſtræ & animæ noſtræ ſi eſſent in plena libertate, irent ad Deum, qui eſt ipſorum centrum, ſicut omnes aliæ creaturæ; ſed ipſæ impediuntur & retinentur devium, ſicut ignis qui adhæret materiæ ligni, nobis monſtrat inclinationem quam habet aſcendendi ſurſum versùs ſphæram ſuam acumine flammæ ſuæ; ſed non poteſt quandiu invenit materiam, quam conſumat; ſed cum hæc conſumpta eſt, ſi ipſe conſervare ſe poſſet ſemetipſo, unico fere inſtanti pergeret ad concavum Lunæ, quod eſt centrum ſuum: ſic animæ noſtræ ſunt unitæ corporibus noſtris; hæc caro veluti murus nos ſeparat, nos retinet in terra, non eſt alius modus deſtruendi iſtius muri, auferendi iſtius obſtaculi, quàm Crux, quæ rumpit vinculum, & conſtituit avem in libertate, *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus* s. Crux infringit hunc ſaccum, ut nos induat unione Dei, gaudio, & voluptate, *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ* t.

s Pſ. 123. 7.
t Pſ. 29. 12.

O Crux Jeſu Chriſti, quæ es verus lectus quietis pro animabus ſanctis; thalamus ubi Matrimonium ſpirituum conſummatur! ô Crux Salvatoris, quæ es origo voluptatis, favus mellis, & dulcedo pro nobis, licèt ipſa ſis inſtrumentum ſupplicii & mortis pro Jeſu Chriſto! Quid? dicetis mihi: poſſumuſne capere delicias noſtras ſuper Cruce?

ce? Ipſa eſt tota moleſtijs repleta : nunquid e- [a Jo. 19. 1, &c.] num flagella, ſpinæ, clavi, mallei, & lancea *a* non ſunc objecta doloris? Etiam: ſed pro Jeſu, non autem pro nobis, qui nunquam debemus iſtam Crucem intueri deſtitutam corpore Jeſu Chriſti, Si corpus Jeſu Chriſti eſt iſti Cruci ſuperpoſitum, ſumit aculeos, patitur puncturas, & ſi tunc nos ipſos ſu figimus Cruci, ipſa non proponitur nobis amplius ut in ipſa crucifigamur, ſed corpus Jeſu Chriſti crucifixi, ut ajebat S. Paulus [x Gal. 2. 19.] *x*, *Chriſto confixus ſum Cruci.* Quaſi diceret, Ego ſum crucifixus Jeſu Chriſto in Cruce, non autem in Cruce Jeſu Chriſto: Jeſus Chriſtus Cruci ſuffixus eſt, ego autem Jeſu Chriſto in Cruce. Dicite mihi, ſi placet, Si teneremini quietem veſtram capeſſere ſuper tabula mucronibus clavorum armata, noctes æſtatum vobis viderentur prolixæ, reputaretis iſtam quietem ſupplicium, imo verò mortem; ſed ſi huic aſſeri, iſti ligno, his aculeis ſuperponerentur laneæ culcitæ, pulvinaria plumea, munda & pretioſa linteamina, & delicata ſtragula ſeu tegumenta, quieſceretis ibi ad delicias, nedum ullum incommodum experiremini; non eſſet ampliùs malum cubitu ſuper hujuſmodi lecto, ſed maxima voluptas: ſic dico quòd eſſe in Cruce ſine Jeſu Chriſto, eſt ſupplicium; ſed eſſe cum Jeſu Chriſto in Cruce, eſt voluptas ſic immodica uc non poſſit percipi ſimilis ipſi in mundo.

Jure merito dicit igirur Sponſa, *Sub umbra illius quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Ite, voluptuoſi, quæſitum voluptates veſtras, & delicias ſenſuum veſtrorum, & tandem dicere cogemini cum Salomone *y*, *Vidi in* [y Eccl. 2. 11.] *omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum *z*, *Vidi in omnibus* [z Dion. Carth. a. 2. in Eccl. 2. 17.] *vanitatem, id eſt, deceptionem, iniquitatem, inquietudinem. Et afflictionem animi. Nam quamvis ad horam delectent, tamen delectatione expletâ ſequuntur multa & magna incommoda, pœnitudo & remorſus, damna, diffamia, hebetudo, & reatus mortis æternæ, amiſſio ſummi Boni, ſpoliatio gratiæ, dominium Principis tenebrarum, jugumq; vitiorum.* Crux erit impoſterùm centrum & quies animarum ſpiritualium, *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ* †. Ibi ſunt ſolidæ conſolationes, [† Matth. 24. 28.] voluptates perennes, & prægustus paradiſi, cùm ibi facultates animæ ſatientur, cùm mens ibi videat æternas Dei veritates, cor ſit in fornace amoris, unio ſit perfecta eo modo, quo ipſa poteſt eſſe in hoc mundo, & anima cumuletur prægustibus gloriæ.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.
Act. 1. 9.

NEſcio num congratulaturus ſim hodiernâ die Apoſtolis pro eo quòd *Dominus* ipſorum glorioſè aſcendit *in cœlum, à dextris Dei* *a* ſeſſurus; [a Marc. 16. 19.] aut num ſim compaſſurus illis pro eo quòd pergens ſuſceptum mercedem laborum ſuorum, derelinquit illos deſolatos velut orphanos. Ignoro utrùm ſim vos invitaturus ad congaudendũ cum Domino noſtro pro eo quòd ingreditur gloriam ſuam, aut ad improperandum ei quòd deſtituat nos adorandâ præſentiâ ſuâ, & prærogativis quas educebamus è luminibus iſtius Solis myſtici, qui illuminabat greſſus noſtros, *Erat lux vera quæ illu-* [b Jo. 1. 9.] *minat omnem hominem venientem in hunc mundum b.* Et erat prototypon directionis noſtræ, quippe [c Iſa. 55. 4.] quem Pater æternus dederat *Ducem ac Præceptorem Gentibus c. Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Fi-* [d Matth. 17. 5.] *lius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* d. Et quòd abſcondat ſe in nube, quæ in- [e Eccleſia ex Malach. 4. 2] ſervit ipſi loco currûs triumphalis, ut ſuum glorioſum faciat ingreſſum in cœlum Empyreum. [f Cant. 6. 9.] Sed ſi iſte myſticus *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter e* ſuos retrahit radios à nobis diſceſſu ſuo, non deſerit tamen nos penitus orphanos, ſed derelin- [g S. Aug. l. 18. de Civ. c. 32] quit nos ſub protectione ſanctæ Genitricis ſuæ ut [h S. Greg. hom. 29. in Evág.] Lunæ myſticæ quæ vices ipſius agit, cùm vocetur *Pulchra ut Luna* f. Sed cùm S. Auguſtinus *g*, & S. Gregorius *h*, & alij hæc verba Habacuc †, [† Habac. 3. 11.] *Sol & Luna ſteterant in habitaculo ſuo*, ſic vertentes, *Elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*, in- [i S. Bern. ſerm. in Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.] telligant ea de Chriſto & Eccleſia: dicam tamen, Anima Chriſtiana, cum S. Bernardo i, quòd *jam ſi Eccleſia Luna magis intelligenda videtur vocabulo, quæ videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo qui dicit,* [k Jo. 15. 5] *Sine me nihil poteſtis facere* k: *habes Mediatricem evidenter expreſſam. Mulier, inquit, amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* *Amplectamur Mariæ veſtigia, Fratres mei, & devotiſſimâ ſupplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus* l *donec benedixerit nobis* m. *Potens eſt enim, nem-* [l ex Cant. 3. 4] [m ex Gen. 32. 26.] *pe vellus eſt medium inter rorem & aream* n, *mulier* [n ex Judic. 6. 40] *inter Solem & Lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta.* Et dicamus ei cum S. Epiphanio *o*, *O Virgo ſancta, Lucis æterna Mater, lucis, in-* [o S. Epiphá ſer. de Laudib. Deipar.] *quam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum: lucis, quæ illuminat Solem ſplendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit, Ego ſum lux mundi* p: *Lucis,* [p Jo. 8. 12] *quæ dixit, Ego lux in mundum veni* q: *Lucis, quæ aſ-* [q Jo. 12. 46.] *ſumpta eſt, & illuminavit cuncta quæ ſunt in cœlis & in terra:* dignare nos illuminare ubi dixerimus tibi, *Ave Maria.*

Non ſine myſterio dixit Spiritus ſanctus per os Sapientis *r*, quòd *Sapientia*, quæ non eſt alia [r Sap. 7. 24. & 8. 1] niſi Filius Dei, *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Omiſſis enim omnibus quæ de ea dici poſſunt, ſi iſta conſideretur in regimine totius orbis, & in gubernatione rerum naturalium, veritas iſtius propoſitionis meliùs intelligetur, ſi noſtræ mentis oculos projiciamus ſuper ſolemnitatem Aſcenſionis Jeſu Chriſti, ſed forſan nõ eo modo quo velletis eam explicare: forſitan enim velletis mihi dicere, quòd ſicut cœlum & terra ſunt duo fines mundi, aut partes illius remotiſſimæ, Dei Filius aſcendens è terra in cœlum, videtur attingere *à fine uſque ad finẽ*, diſponens receſſum ſuum in ſuavi nube. Sed iſtud mihi non ſatisfacit: nã propriè loquendo mundus qui eſt totus rotundus nullum habet terminũ aut finem: ſi autem vultis quòd cœlum ſit extremum

unius

partis, terra non poteſt eſſe extremum alterius, ſed potius ipſa ſe tenet in medio; & quærendus eſſet alter terminus in altera parte cœli e diametro oppoſitâ primæ, quam eſtis imaginati: v. g. duo poli poſſent aliquo modo vocari duo termini cœli, aut mundi. Aut fortaſſis hoc explicabitis, quia Pater æternus dicitur *α & ω*, *Principium & Finis* s omnium rerum; & quòd ſicut Filius Dei proceſſerat per generationem ſuam æternam t, & per miſſionem temporalem à ſuo Patre cœleſti, ad eum revertitur, ſicut fons æquè ſublimè aſcendit, ac altus erat locus, è quo exivit, ut ipſemet ait, *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem* u. Sed ſi benè attendatis, hæc eadem verba, quæ allegatis, veſtram deſtruunt explicationem: concedo enim vobis quòd Pater æternus eſt Finis omnium rerum, & ut ſic Filius ipſius vadit ad ipſum, ſed quatenus hic Filius exiverat a Patre, iſte Pater non erat illius finis, ſed potiùs principium & origo: quomodo igitur vultis inferre inde quòd Dei Filius *attingit a fine uſque ad finem*? Oportet igitur, ad hoc ut iſtud ritè intelligatur, ut dicamus, quòd in incarnatione Filij Dei duo erant fines, propter quos ipſa facta eſt. Unus, eſt propria ipſius gloria: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* x. Alter verò, ſalus & redemptio hominum: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat* y. Iſti duo fines ita ſtrictè ſociantur ſibi, ut glora Filij Dei videatur tota deſtinata ad magnificandos homins, cùm ipſe eſſet ſatis *magnus*, quippe qui *non habet finem, excelſus & immenſus* z, *cùm in forma Dei eſſet*, nedum exinaniret *ſemetipſum, formam ſervi accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* a. Præterea, Magnificatio hominum terminanda videtur ad gloriam, & exaltationem Filij Dei, qui ſuſcipit hodie ſceptrum & diadema, & titulum æternum Regis Beatorum, *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ* b. Quantùm ad probationem prioris, Eccleſia quotidie concinit poſt Concilium Nycænum, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris* c. Et ad confirmationem alterius, S. Paulus d ait, *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Deſcendit, & aſcendit in gloriam propter ſalutem & glorificationem noſtram: deſcendit, & operatus eſt beatitudinem noſtram, ut ex ea conciliaret ipſe ſibimet gloriam, & ut exaltaretur ſuper cœlum, ſuper terram, & ſuper infernum. Huc videtur Michæas e authoritatem conciliare Theologiæ, cùm de Filio Dei loquens ait, *Aſcendet pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Sic conſequitur duos fines prætenſos, ſapienter, & efficaciter, cùm aſcendat in cœlum præ triumpho, ut illuc ducat Electos ſuos: comitatus autem Electorum ipſius conciliat ipſi gloriam, facitque ipſum coronari Regem: *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* f. Multoties enim valedixit diſcipulis ſuis, *Vado parare vobis locum* g. Et dixit Patri ſuo, quòd æquum erat ut ipſe ſuſciperet coronam gloriæ, ad quam ipſum deſtinaverat ante creationem mundi: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quàm habui priuſquàm mundus eſſet, apud te* h. Ut ſic diſceſſum ſuum diſcipulis ſuis exhiberet acceptum, allegans eis ipſorum utilitatem; & faceret ut Pater ſuus illum ratum haberet, deprecans illum ut fideliter ſtaret promiſſis ſuis: *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Et cùm ſic induſtriè & ſapienter hos duos fines attingat prætenſos: volo etiam dare duos fines huic diſcurſui, deſtinans Priorem illius partem ad oſtendendum vobis, quomodo oportebat propter gloriam Filij Dei ut ipſemet aſcenderet ad cœlum, & quòd cœlum & terra gaudia & oblectamenta ſua conferre debebant ad hanc gloriam: Poſteriorem verò ad monſtrandam vobis utilitatem, quæ nobis inde provenit, cùm ipſe capeſſens poſſeſſionem Regni ſui, doceat nos viam, per quam aſpirare debemus ad honores & ad dignitates illius Regni.

s Apoc. 1. 8. — t Pſ. 2. 7. — u Jo. 16. 28. — x Prov. 16. 4. — y Luc. 19 10. — z Baruch 3. 25. — a Philip. 2. 6. & 7. — b Pſ. 23. 10. — c ex Marci 16. 19 — d Philip. 2. 8. &c. — e Mich. 2. 13. — f Sap. 8. 1 — g Jo. 14. 2 — h Jo. 17. 5 — Diviſio.

Sanctus Thomas i petit rationem, propter quam Dei Filius aſcendit in cœlum poſt reſurrectionem ſuam. Et reſpondet, quòd ideò illuc aſcendit, ut ſe reciperet in locum conditioni ſuæ proptium. Quaſi diceret, quòd natura dedit cuilibet rei locum ſuum naturalem, extra quem ipſa non poteſt eſſe niſi præ violentia; quòd res leves debent eſſe ſurſum, & graves deorſum; & quòd ubi res aliqua conditionem mutat, mutare debet etiam manſionem: v. g. Sol habens obvia corpora humida, & repleta vaporibus, quæ collucata ſunt deorſum, elevat vapores, eoſque ſubtilizat, tribuens eis naturam aeris, & illos conſequenter obſtringit ad capeſſendum locum elevatiorem, qui propius eſt aëri, & iidem vapores ab alijs cauſis condenſati, convertuntur in aquam & in pluviam, & relabuntur deorſum, quippe qui naturam mutaverint: idem dicere debemus de omnibus alijs corporibus, quæ transformantur & mutantur alia in alia continuis alterationibus & viciſſitudinibus: quod efficit ut Eccleſiaſtes k hunc mundũ vocet theatrum, in quo videntur quotidie quaſi comœdiæ, quæ apparent & diſparent, agendo alternatim quaſi diverſos perſonatus, *Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum ſtat.* Cùm igitur Dei Filij corpus in reſurrectione, *Surrexit enim* l *propriâ poteſtate* m, mutaſſet naturam, & temperamentum, & non eſſet ampliùs grave more cæterorum, ſed eſſet leve, ſubtile, agile, & immortale, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* n, exigebat ob complementum gloriæ ſuæ, ut aſcenderet in cœlum, cùm nullus eſſet locus congruentior manſioni ipſius, & ut obtineret hanc gloriam, quam ipſemet Dei Filius ſic concupierat toto tempore vitæ ſuæ, ut ipſe teſtatur præfatis verbis iſtis, *Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquàm mundus eſſet, apud te* o.

I Pars. — i S. Th. 3. p. q. 57 a. 1. in corp. — k Eccl. 1. 4. — l Matth. 28 6. — m Dion. Carth. 2. 45. in Matt. 28. 6. — n Rom. 6. 9 — o Jo. 17. 5

Sed fortaſſis aliquis allegabit id, quod ait S. Gregorius p: *Carnis locus proprius terra eſt, quæ quaſi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem noſtrum in cœlo collocatur.* Quod videtur eſſe contrarium illi, quod diximus ex S. Thoma. Sed conciliabimus duos iſtos magnos Doctores, ſi obſervetis, quòd aliàs erat Imperator quidam Ro-

p S. Greg. hom. 9. in Evang.

Romæ, qui parùm honorabatur à ſubditis ſuis, quippe qui viderant eum oriri ex obſcuro loco, & è progenie depreſſâ: quod cùm ipſe adverteret, accepit quoddam lignum quod erat in vico conculcatum & deſpectum ab unoquoque, & ex eo ſaregit confici idolum aut ſtatuam Deo Jovi, quæ ſtatua collocata in templo traxit ad ſe reverentias & adorationes omnium Romanorum ſibi exhibendas: ad quod Imperator arguit apposité, quòd illud idolum, eſſet illud lignum expoſitum in vico, conculcatum & contemptum alias ab omnibus, quod quia formam mutaverat, honorabatur ut Deus; & quòd cùm ipſemet non haberet ampliùs hanc depreſſam conditionem nativitatis ſuæ, & primæ educationis ſuæ, cùm factus eſſet Imperator, reverendus eſſet & honorandus ut Imperator, nedum ipſi meminiſſent primæ conditionis ipſius: idem ferè eſt id quod dicit S. Gregorius, quaſi diceret: Si conſideretis primam conditionem carnis, ipſa eſt terreſtris, nec debet habere alium locum niſi locum terræ; & ſi ipſa aſcendit in cœlum, & memineritis primæ conditionis ejus, invenietis quòd ipſa peragit peregrinationem, & vadit in locum ipſi indebitum. ſed ſi conſideretis quod effecta eſt caro Dei, *Verbum caro factum eſt* q, & prætereanobilitata eſt novis qualitatibus in reſurrectione ſua, quæ magis ſapiunt ſpiritum quam carnem, invenietis quod eſt illi dandus locus Dei, & quòd non debet ampliùs deorſum reſidere, ſed potiùs ſurſum, ubi eſt locus ſpirituum, & Dei, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* r.

q Jo. 1. 14.

r Pſ. 10. 5.

Huic innitebatur S. Paulus ſ veritati, cùm dicebat, *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.* Videtur hæc conſequentia non eſſe bona: debebat enim dicere, Si ſurrexiſtis ad novam vitam, facite opera vitæ: ſed quærere res quæ ſurſum ſunt, ad quid? Vultisne ſcire effati iſtius Apoſtolici rationem? Conſiderate, ſi contingat quòd Rex committat vobis regimen alicujus caſtri, aut arcis, quid inde ſequatur. Sanè id, nimirum, quòd confeſtim ac nominati eſtis ad tale officium, carpere debetis iter ad illud caſtrum, aut ad illam arcem: ex quo enim Rex vos elegit ad tale officium, non eſt aliquid quod magis deceat vos, quam recipere vos in hujuſmodi caſtrum, aut ad hanc arcem: ſic reſurrectio animarum noſtrarum, ut innuere vult Apoſtolus, eſt jus quod Deus nobis tribuit ad gloriam paradiſi, nominans nos ad illas arces & gubernationes quæ ſunt in cœlo: oportet igitur ut confeſtim conemur aſcendere in cœlum, ſaltem deſiderio & affectu, ſicut lignum, quod priùs erat grave, & cadebat deorſum, ſtatim ac eſt accenſum, & aſſumpſit formam ignis, ſurſum aſcendit, & quærit locum naturaliorem & propiorem igni.

ſ Coloſſ. 3. 1. & 2.

Et ſicut gloria Dei in hoc aſcenſu eò major eſt, quo communes illius acclamationes ſunt celebres, credere debemus quòd in cœlo & in terra ita gaudium illius fuit immodicum ut reddiderit feſtum triumphantius & auguſtius quàm fuiſſet. Incipiamus igitur à cœlo, cujus ſplendorem deſcribere volens S. Joannes t, ait, *Lucerna ejus eſt Agnus.* Quaſi diceret, quòd ante adventum iſtius Agni, qui eſt Filius Dei, in cœlum, cives paradiſi erant veluti in tenebris: ſaltem ſcimus, quòd corpora Beatorum, cùm ſint incapacia videndæ faciei Dei, quæ eſt objectum eſſentiale beatitudinis Sanctorum, nullum aliud habent objectum felicitatis ſuæ niſi corpus glorioſum Jeſu Chriſti, quod more lucernæ luminoſiſſimæ & ſplendidiſſimæ illuminat & decorat totum hoc fortunatum Empyrei domicilium: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,* ait idem S. Joannes u. Et Dionyſius Carthuſianus x, *Hæc eſt autem vita æterna, id eſt, vera atque cœleſtis felicitas conſiſtit in hoc, Ut cognoſcant clarè per ſpeciem, quod Apoſtolus y dicit, facie ad faciem, te Patrem ſolum Deum verum, qui es verus Deus, præter quem non eſt alius Deus* †: *ita quòd dictio illa excluſiva, ſolum, determinat Deū, excludens omnem aliam Deitatem: quoniam non eſt Deitas præter eam quæ eſt in Patre, & Pater, quæ eadem numero eſt in tribus perſonis, quæ ſunt unus ſolus verus Deus: eſtque hoc modo unaquæque earum ſolus Deus verus Sic ergo cognoſcant te, & item quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, in claro & fruitivo aſpectu Patris, & Filii ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritus ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt. Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſam humanitatem, beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò.* Unde judicare poteſtis quale ſit gaudium Beatorum videntium ingredi eum, qui ipſos eſſet illuminaturus æternâ claritate. Imò verò videtur quòd quaſi veriti Beati illi ne Divina hæc lucerna extingueretur, antequàm ad cœlum perveniret, ſicut quandiu *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* z, homines conati ſunt offundere caliginem ſplendorem ejus, reluctando luci illius, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus; nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* a; cùm *in propria venit, & ſui eum non receperunt* b: ideò miſerunt ad illum omnes obviam nubem, quæ eum circumquaque obvolveret more exhalationis miraculoſæ, quæ non eſſet videnda niſi oculis Sanctorum. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Si autem horâ nativitatis ipſius, cùm veluti Dux venit in hunc mundum, ut illum ſuæ ditioni ſubjiceret: *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus exiliens de cœlo à Regalibus ſedibus, durus Debellator in mediam exterminy terram proſilivit, gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans; & ſtans replevit omnia morte, & uſq. ad cœlū attingebat ſtans in terra* c: Angeli qui erant validiſſimi & fideliſſimi ipſius milites, gaudium extraordinariū præ ſe tulerunt unanimiter: ubi enim Maria *peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentiū: Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* d: quantò magis gaudere debuerunt horâ reditûs illius, cùm iſte idem Dux oneratus trophæis aſcendit in cœlum, ut feliciter triumpharet coram Patre ſuo?

t Apoc. 21. 23.

u Jo. 17. 3

x Dion. Carth. a. 4 in Jo. 17. 3.

y 1. Cor. 13. 12.

† ex Deu. 32. 39.

z Baruch 3. 38.

a Job 24 13

b Jo. 1. 11

c Sap. 18. 14. &c.

d Luc. 2. 7. &c.

Quod parùm difficilius eſſet creditu, eſſet dicere, quòd illi qui remanebant in terra, debuiſſent gaudere de iſto diſceſſu Salvatoris ſui. Quis enim neſciat quòd cùm Levitæ *tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi; & poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum: ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur pergentes* e: vituli earum, qui remanebant quaſi orphani, non aliud agerent

e 1 Reg. 6. 10. &c.

rent quàm mugitus edere? Res naturalis eſt ac experiri ſenſibiliter abſentiam illius quod diligimus: præſumendum eſt igitur, quòd Apoſtoli, qui tenero diligebant affectu Dominum ſuum, & qui à tempore reſurrectionis ejus renovaverant æſtimationem, quam de illo conceperant, maximâ fuerunt afflictione impetiti, *cùm intue-*
f Act. 1. 10 *rentur in cœlum euntem illum* f. Et quòd, quò major erat lætitia illorum, ita ingentior eſſet iſtorum deſolatio, *Oculi dolent, dum rem pulchram vident*, ajebat Proverbium vetus Græcorum. Quò magis res ſpecioſa & amabilis placet ob pulchritudinem ſuam, eò magis affligit cor, cùm ipſa poſſideri non poteſt: ſic Alexander Magnus, cùm deviciſſet Perſas, & conſequenter offerrentur ipſi mulieres ſpecioſiſſimæ multæ regionis illius, conſiderans quòd ſibi non liceret illis uti ad deſiderium ſuum, vocabat eas *oculorum ægritudines*. Id eſt, tormenta & ſupplicia oculorum ſuorum.

Quid putatis Eccleſiam velle ſignificare nobis, cùm concinit, *Et nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorum*? Nobis ſermo fit de aſſumptione B. Virginis Deiparæ, pingitur illa, & repræſentatur nobis cum Angelis circum totum corpus ipſius glorioſum, ad brachia, ad pedes, & ad latera, quaſi ex alis Angelorum factus eſſet currus, in quo hæc glorioſiſſima Virgo veheretur in cœlum, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna*. Sed quantùm ad Filium Dei, ſi loquendum eſt de illius aſcenſione, duplex eſt genus currus illius. Primò enim dicitur, quòd delatus eſt oculis Apoſtolorum ſuorum, qui intuentes eum attentione extraordinariâ videbantur eum circumquaque cingere, & eum libenter ſtitiſſent, ut eo aliquandiu adhuc fruiti eſſent, niſi auriga qui erat Spiritus ſanctus, aſcendere feciſſet jugiter currum & Triumphatorem, donec obvium habens in via alterum currum ſtationalem, qui erat ſpecioſa nubes præparata ad hunc eminentem effectum, cœleſtis iſte Triumphator reponeretur ex uno curru in alterum, & ſubtrahens ſe ſuaviter oculis Apoſtolorum ſuorum, in monte Oliveti ſito extra Jeruſalem ad Orientem, involutus fuit iſtâ nube, ut in ea reliquum itineris perageret, *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Ita ut ibi, ubi oculi Apoſtolorum ſuas amiſerunt vires, nec ultrà protendere potuerunt viſum ſuum, nubes iſtud gratum exhibuerit ei officium. Videntur autem ipſi hoc in occurſu voluiſſe retribuere ei teſtimonium amicitiæ, quod ille demonſtraſſet ipſis die Paſſionis ſuæ:
g Luc. 23. & 41. ait enim S. Lucas g, quòd *egreſſus in montem Olivarum, & ipſe avulſus eſt ab eis*. Quod exprimit difficultatem, quam experiebatur, ſeparandi ſe ab eis: ſicut arbor quæ vi evellitur è terrâ, in qua nutrita erat, ſuo modo ſentire videtur violentiam, ſi ita loqui fas eſt, nec unquam ſic perfectè poteſt avelli quin ipſius radix aliqua ſemper in terra remaneat: ita Jeſus Chriſtus, qui eſt hæc arbor vitæ, cujus fructus & folia non ſunt niſi propter bonum & ſanitatem hominum, ut dixit
h Apoc. 22. 2 S. Joannes h, *Lignum vitæ, & afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium*: Et Dionyſius
i Dion. Carth. art. 23 in Apoc. 22. 2 Carthuſianus i, *Hic per lignum vitæ intelligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris: Secundùm quod in*
k ex Prov. 3. 18 *Proverbiis* k *de Sapientiâ Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam*: nutritus aliquandiu in conſortio hominum, & in Palæſthinâ, in illa terra fœcunda, ab ea non potuit avelli niſi brachio Omnipotentis; in quo tantam paſſus eſt ipſe violentiam, ut ibi reliquerit magnum numerum radicum, nimirum, amorem perpetuum, & curam ſalutis illorum, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſum-*
mationem ſeculi l. Et quaſi dolorem de peccatis l Math. 28. 20
illorum (ſi ita loqui fas eſt de illo in hoc ſtatu glorioſo) potiùs quàm de paſſione & morte ſuâ
m. Quæ omnia figurativè exprimebant illæ ſupracitatæ, quæ deferentes *Arcam Dei, ibant in di-* m Joan. c. 18. & 19.
rectum vaccæ per viam quæ ducit Bethſames, & itinere uno gradiebantur, pergentes, & mugientes. Hodiernâ verò die Apoſtoli, ut ſe gratos exhibeant pro beneficiis ejus, videntes ſe avelli à ſocietate tam boni Domini, ſaltem relinquere volunt oculos cum eo, ut illos ita ſurſum abripiat ac poſſibile erit, donec nubes eum totaliter eripiat ab ipſorum oculis. Tandem, Dolor qui ſuſcipitur ex jactura boni, menſuratur ad intenſionem amoris quo diligebatur illud bonum: ſi autem præſentia Filii Dei, erat maximum omnium bonorum, quæ unquam Apoſtolis ipſius contingere poterant, & communitati viventium: quomodo credere poterimus quod in privatione hujus beatæ præſentiæ, experiri poſſent aliquod genus gaudii, ſicut nec corpus afficitur gaudio in ſeparatione animæ? ut Rex Amalec *dixit Agag, Siccine ſeparat amara mors* n? n 1. Reg. 15. 32

Apoſtolus o hæc omnia dubia reſolvit, cùm ait, *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper om-* o Ephes. 4. 10
nes cœlos. Quaſi diceret, quòd operatur eaſdem res aſcendendo, quas deſcendendo, & experiri nos facit eoſdem effectus ſuæ dilectionis, utrumque agendo propter amorem & bonum noſtrum. Ubi mementote, ſi placet, illius quod ait Pſalmiſta p, *Synagoga populorum circumdabit* p Pſ. 7. 8
te: & propter hanc in altum regredere. Ubi obſervate, quæſo, hæc duo verba, *propter hanc*. Et S. Auguſtinus q dicit ſuper hæc verba S. Joannis q S. Aug. tract. 34. in Joan 8. 12
Ego ſum lux mundi. Quod ait Dominus, Ego ſum lux mundi: clarum puto eſſe eis qui habent oculos, unde hujus lucis participes fiant. Qui autem non habent oculos niſi in ſola carne, mirantur quod dictum à Domino Jeſu Chriſto, Ego ſum lux mundi. Et fortè non deſit qui dicat apud ſemet ipſum: Numquid fortè Dominus Chriſtus eſt Sol iſte qui ortu & occaſu peragit diem? Non enim defuerunt Hæretici qui iſta ſenſerunt. Inepta opinio, ac credere quòd Jeſus Chriſtus eſſet iſte Sol materialis, cujus quotidie videmus ortum & occaſum: ſed non ita inepta fuiſſet hujuſmodi opinio, ſi authores illius tribuiſſent tantùm Jeſu Chriſto hanc proprietatem Solis, quæ in hoc eſt ſita, ut quò magis elevatur ſupra caput noſtrum, eò magis nos illuminet, & fortiùs nos calefaciat. Cùm oritur manè Sol, videtur vicinus terræ, vix effectus radiorum illius experimur, vix liquefacit ipſe nivem quæ eſt in agris; ſed cùm eſt multùm elevatus, profundiſſimas quaſque valles illuminat, & calefacit & fœcundat id omne quod ipſe intuetur: *Sol juſtitiæ*
Chriſtus Deus noſter r eodem ſe gerit modo: *Cùm* r Eccleſia ex Malach. 4. 2
ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Juda, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam: & ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà ubi erat Puer. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus,
& procidentes adoraverunt eum ſ, æquè ac *paſto-* ſ Matth. 2. 1. &c.
res venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam &
Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio t. Ita ut à t Luc. 2. 15. & 16.

 pau-

paucis tunc fuerit cognitus, *Notus in Iudaâ Deus* [w Pſ.75.2] *u.* Sed cùm elevatus eſt in cœlum, tunc cogni- [x Pſ.56.6] tus eſt ab omnibus, unde ait Pſalmiſta x, *Exaltare ſuper cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.*

[II. Pars.] Sed parum eſſet hominibus, ſi nullum aliud ſuſcepiſſent beneficium ex aſcenſione Salvatoris ſui, quam ut eum meliùs cognoviſſent, quàm cognoſcerent anteà: quod multi eſt æſtimandum, eſt, quòd aſcendens pandit nobis viam cœ- [y Marc.16. 19] li, & ſedens *à dexteris Dei* y, ſatagit vadens *parare locum* z nobis, quem prætendere debemus [z Joan.14. 4] poſſidere in hac gloria. Duo magni Prophetæ cautam præſtant iſtam veritatem. Moyſes a [a Deut. 32.11] comparavit eum aquilæ, *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos.* [b Mich. 2. 13] Et Michæas b dixit clariùs, ut audiviſtis ſuprà, *Aſcendet pandens iter ante eos,* &c. Quaſi diceret, quòd cùm actum fuit de aggrediendâ arce inexpugnabili cœli, Dominus noſter ut Dux magnanimus eam primus eſt aggreſſus, & tantam fecit ibi labefactionem, ut omnes homines qui ſunt milites ipſius, illuc ſint ingreſſuri, ſi velint. Sed forſan vult inde nobis innuere Propheta, quòd ſicut eſt gaudium extraordinarium alicui familiæ, quæ inhonorata fuerat, & cui fuerat inuſta aliqua labes infamiæ, ſive aliquo defectu natalium, ſive aliquo crimine læſæ majeſtatis, cùm aliquis ex ipſa eadem progenie ita fortunam ſuam feliciter promovet ut obtineat à ſuo Principe integram abolitionem iſtius criminis, & nobilitet totam proſapiam ſuam, liberans eam ab infamia, & ab opprobrio: ſic omnibus hominibus eſt oblectamentum ſingulare, cùm, poſtquàm viderunt ſe noratos infamiâ generali quam incucurrerant pro eo quòd orti eſſent è parentibus ignobilibus, & convictis criminis læſæ majeſtatis, eò [c Gen 3. 6, &c.] quòd uterque vetito *de fructu comêdit* c; vident quòd unus è progenie ſuâ, nempe, Jeſus Chriſtus, gratis obſequiis ſuis non ſolùm nobilitat & qualificat ſeipſum, ſed ipſos omnes liberat à dedecore æterno, cui erant immerſi, communicans ipſis fortunam & gloriam ſuam, *Aſcendet pandens iter ante eos: dividens, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Vel, ſignificare nobis vult, quòd ſicut hæc eſt maxima ſtatuariorum, quòd ad obſervandas proportiones congruas in compoſitione corporis, in eo non debet eſſe pars major capite, & quòd per illum locum, per quem tranſit caput, tranſire debent cæteræ partes corporis, alioquin illud corpus eſt monſtrum, aut corpus ſuas non habens proportiones: ſic quia [d Coloſſ. 1.18] Jeſus Chriſtus *ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* d, [e Rom. 8. 29] *Primogenitus in multis fratribus* e, & tranſit per januam paradiſi, oportet ut omnes fideles, *Quia* [f Epheſ. 5. 30] *membra ſumus corporis ejus* f, per eam tranſeant, niſi ſint monſtroſi, & nimis materiales, *Tranſibunt portam, & Dominus in capite eorum.* Saltem [g Hebr. 4. 14] S. Paulus g hanc eruit conſequentiam: *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cælos, Ieſum Filium Dei.* Quaſi diceret, quòd inde ſequitur quòd cæteri illac tranſire poſſint. Et ſcribens Epheſiis h, ait, [h Epheſ. 2. 4, &c.] *Deus autem (qui dives eſt in miſericordiâ) propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto (cujus gratiâ eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.* Quaſi diceret, quòd iſtud Caput amantiſſimum non ſolùm vult ut tranſeamus per eandem portam, per quam ipſum tranſivit, ſed etiam ut communicemus gloriæ ipſius, & ſedeamus ſicut ipſum in eadem gloria. S. Paulus nondum mortuus erat cùm hæc ſcribebat; & tamen dicebat ſe jam ſediſſe cum Filio Dei in cœlo: hæc ergo verba ipſius ſic intelligenda ſunt, quòd ſtatim ac Dominus noſter ſedit, ſumpſit poſſeſſionem ſedis ſuæ, & ſedium noſtrarum; vel quòd per illum quaſi per Procuratorem Prædeſtinati ceperunt poſſeſſionem Regni cœleſtis, antequam ad illud perſonaliter accederent. Non latet vos, quòd cùm coronatur Rex, non imponitur corona niſi ſoli capiti ejus, non autem dorſo, aut brachio; & tamen non dicitur caput Regis coronatum, ſed Rex dicitur coronatur; quia corôna ſoli capiti impoſita, honorat Regiâ qualitate totam perſonam Regis: Jeſus Chriſtus eſt Caput noſtrum; Caput iſtud eſt hodie gloriâ coronatum, *Poſuiſti in Capite ejus coronam de lapide pretioſo* i. [i Pſ.20.4] Sed totum corpus Eccleſiæ communicat huic gloriæ, & omnes Electi dicere poſſunt ſe jam ſedere in gloriâ, ad regnandum in æternum cum ſuo Capite, *Deus nos conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.* Et quare? *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus,* ut audiviſtis modò.

Nolite autem putare, Auditores, quòd Jeſus Chriſtus habuerit jus & vim aſcendendi ad cœlum, eò quòd eſſet ex eadem carne, & ex eadem naturâ, quâ conſtamus nos: quin potiùs ejus caro habet iſtam vim, eò quòd hypoſtaticè ſit unita Divinitati, ſicut anima illius eſt conjuncta perſonæ Divinæ: & ſic caro & natura noſtra, quia ſimilis eſt carni & naturæ illius humanæ, communicat bonæ fortunæ illius, & acquirit jus aſcendendi in cœlum poſt illum. Nunquid non obſervaſtis hanc lucernam, quæ appeoſa eſt in hoc templo? Videtis quòd ſit accenſa, & quòd miniſtri Eccleſiæ faciant eam deorſum deſcendere, ut igne ejus accendantur cerei, qui ardere debent ſuper altari; cùm autem cerei illi ſunt accenſi, lucerna ſurſum reaſcendit, & ex tunc iſti cerei interventu iſtius flammæ jus habent tendendi ſurſum: hæc lucerna mihi ſignificat Filium Dei *plenum gratia & veritatis* k, qui poſſi- [k Joan. 1. 14] det jure naturæ ignem gloriæ l, & immortali- [l Pſ.111.5] tatis m, & eodem jure ſurſum *ſedet à dextris Dei* [m 1. Tim. 6.16] n. Hæc lucerna cœleſtis deſcendit, & ignem [n Marc.16. 19] ſuum miſit ad nos, hæc Divinitas venit ſe unitum cereo candido humanitatis noſtræ, & ei ſic alligavit ignem ſuum, & gloriam ſuam, ut ex tunc omnes homines acquiſiverint idem jus ad hanc gloriam, & ad hanc immortalitatem. Iſtud eſt quod ipſemet dixit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* o? Et licèt [o Luc. 12. 49] poſt hæc ipſe aſcenderit in cœlum, tamen præbuit nobis ſpem, nos illuc aliquando perventuros.

Infortunium ſanè foret incomparabile, ſi Salvator noſter aſcendens in cœlum, nos omnino deſereret, nedum noſtri recordaretur: haberent unde turbarentur omnes homines, præſertim verò peccatores, ſi hæc ſeparatio Filii Dei fieret in æternum, ſicut *egreſſus Cain à facie Domini* p, [p Gen. 3. 16, &c.] jure merito formidabat omnes creaturas. Et [q Pſ.70.11] Pſalmiſta q dicit, quòd dæmones ſemetipſos ſimul excitant ad perſequendum peccatorem [r S. Aug. ſerm. 2. de Aſcenſ. qui eſt 175 de Temp.] ſtatim ac obſervant eum à Deo derelictum, *Dicentes, Deus dereliquit eum: perſequimini & comprehendite eum.* Sed S. Auguſtinus r occurrit huic formu-

formidini, *Salvator noſter, dilectiſſimi Fratres,*
aſcendit in cœlum: non ergo turbemur in terrâ. Ibi
ſit mens, & hic erit requies. Videtur iſte S. Doctor
vidiſſe id quod peragitur ſuper mari, quod in hoc
eſt ſitum, quòd ſi mari vos commiſiſtis in aliquâ
navi, & quòd ventus exurgat, & mare intu-
meſcat, tunc experimini inquietudinem, diſſo-
lutionem ſtomachi, turbationem capitis, & de-
ordinationem totius corporis, tandem deli-
quium animi patientes, quaſi moriminì mo-
mentis ſingulis præ languore intolerabili: ſi au-
tem aliquam capeſſere velitis quietem, oportet
ut eatis in continentem, & extra tempeſtatem,
aut ſaltem, ſi non poſſitis ita citò terram appel-
lere, ſatagere debetis ut projiciatur anchora, ita
ut harpagones illius adhæreant alicui loco firmo
& ſecuro: licèt enim tunc ventus perflet, navis
tamen non commovebitur, ſicut anteà, nec ul-
lam incurretis jacturam: mundus, iſtud eſt ma-
re, & corpus noſtrum eſt navis expoſita flucti-
bus ejus; motus ſunt ingentes, tempeſtas eſt
procelloſa & injurioſa, expediret nobis ad hoc
ut ab illis eſſemus immunes, ut eſſemus in con-
tinente vivorum, quæ eſt paradiſus, ſicut deſide-
Pſ.141 6 rabat David ſ, *Domine, tu es ſpes mea, portio mea*
t Philipp. 1.23 *in terra viventium.* Et S. Paulus t, *Deſiderium*
habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Sed ſi non-
dum poſſumus illuc pervenire, ſaltem illuc pro-
jicere conemur anchoram navis, quæ non eſt alia
niſi mens noſtra, vel cor noſtrum; *Fortiſſimum*
ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam pro-
poſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ
u Hebr. 6. 18. & 19. *tutam ac firmam* u. Iſte eſt portus ſalutis nobis
apertus à Jeſu Chriſto: propter quod dicit S.
Auguſtinus, *Salvator noſter, dilectiſſimi Fratres,*
aſcendit in cœlum: non ergo turbemur in terrâ.
Ne maneamus ampliùs in his turbationibus, &
adeamus ad ipſum: ſi autem non poſſumus, *Ibi*
ſit mens, & hic erit requies. Adhæreamus ei deſi-
derio & affectu, & quiete potiemur in hac vita.
Ad quod conformiter Eccleſia concinit, *Ut in-*
ter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda,
ubi vera ſunt gaudia. Et hoc eſt quod Jeſus Chri-
ſtus dicebat Apoſtolis ſuis, *Non turbetur cor ve-*
x Joan. 14. 27 *ſtrum, neque formidet* x. Non quòd velit ut nul-
lam experiamur tempeſtatem, & inſultatio-
nem maris hujus mundi: hoc enim eſt impoſſi-
y Job 7. 1 bile, quia, ut ait Job y, *Militia eſt vita hominis*
ſuper terram. Sed vult ut non turbetur cor no-
ſtrum, ſed firmiter adhæreat cœlo quod eſt lo-
cus quietis æternæ. Non quòd Apoſtoli non de-
berent vehementer affligi ob diſceſſum Domini
z Joan. 16. 6 ſui z: ſed ſicut in hoc diſceſſu videbant ſtabi-
liendam fortunam ſuam, in eadem triſtitia inve-
niebant lætitiam & felicitatē ſuam; non ſecus ac
navis fluctibus agitatur, ſed ſicut in hac agita-
tione, aliquo modo ſuam agnoſcit firmitatem
propter anchoram portui adhærentem, ſuam
fortunam invenit in infortunio ſuo: mater quæ
amiſit filium ſuum, jugiter plorat: ſalvus re-
ducitur ipſi filius ſuus, deſinitne propterea ipſa
flere? Nequaquam: ſed eædem lacrymæ, quæ
erant lacrymæ triſtitiæ, vertuntur in lacrymas
gaudii & conſolationis. Mementote quòd quia
filios Iſrael Ægyptii affligebant, atque ad amaritudi-
nem perducebant vitam eorum operibus duris luti &
lateris a: poſt aliquantum tempus iidem Iſraë- a Exod. 1. 13. & 14.
litæ *viderunt Deum Iſraël. & ſub pedibus ejus quaſi* b Exod. 24. 10
opus lapidis ſapphirini b. Ex hac viſione videba-
tur eis imminere idem ſupplicium quod pertu-
lerunt in Ægypto, ſed contrarium viderunt:
inde enim agnoverunt, quòd obedientia quam
præſtiterant Ægyptiis, ſubjicientes ſe pedibus
eorum, opera latericia componentes, effecerat
ut collocarentur ad pedes Dei, ubi invenirent
lapides pretioſos. Apoſtoli amiſerunt Domi-
num ſuum, planctum fecerunt, & amaritudinem
præ ſe tulerunt in morte ejus c, agnoſcentes ja- c Joan. 16. 20
cturam quam incurrerant: amittunt eum adhuc
hodie, in iiſdem perſeverant luctibus, & æquo ſu-
ſtinere non poſſunt animo diſceſſum iſtum? Sed
diſcendo quod iſte diſceſſus eſt ipſis utilis, &
quòd Dominus ſuus vadit ipſis *parare locum* d; d Joan. 14. 2
eædem lacrymæ quas effundunt ob jacturam
ejus quam incurrunt, quæ ſunt lacrymæ doloris
& afflictionis, ſunt etiam lacrymæ gaudii &
conſolationis, conſiderando quòd vadit ad re-
cipiendam juſtam mercedem laborum ſuorum,
Accedens per ſemetipſum ad Deum Patrem ſuum,
qui ipſum expectat in cœlis, *ad interpellandum*
pro e ipſis. e Hebr. 7. 21

Qui conſiderabit felicitatem Eliſei in ſocie-
tate Domini ipſius Eliæ, dicet quòd jure meri-
to *clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Iſraël &*
auriga ejus f. Sed qui videbit quomodo Elias f 4. Reg. 2. 12. & 14.
aſcendens in cœlum in curru igneo, miſertus di-
ſcipuli ſui, projicit ei *pallium* ſuum, ut pignus
amoris ſui, dicet quòd iſte diſcipulus manere de-
bet contentus: hoc enim erat ei dicere, quòd
protecturus eſſet ipſum contra omnia adverſa, &
additurus ipſi animum ad ſe ſequendum per
eandem viam; & quòd, ſi fortè timeret ardo-
rem hujus ignis, & non auderet aſcendere, iſtud
pallium moderari poſſet, & ſplendorem harum
flammarum, & ardorem illius ignis: David g g Pſ. 90. 4
prævidens quòd Jeſus Chriſtus aſcenſurus eſſet
cum majori ſplendore quàm Elias, & Apoſtolos
manſuros quaſi deſolatos, tam ob nimium ſplen-
dorem qui ipſis offuſurus eſſet caligine, quam
quòd non eſſent animum habituri ad eum ſe-
quendum, ſecuros illos reddit, dicens illis ſin-
gulis, *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis*
ejus ſperabis. De his pennis loquitur Malachias h. h Malach. 4. 2
Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ;
& ſanitas in pennis ejus. Et licèt Sol non habeat
pennas, pingitur tamen cum radiis, quaſi eſſent
pennæ aureæ pavonis: his igitur radiis aut pen-
nis aureis Apoſtoli & nos provocamur ad aſcen-
dendum poſt Dominum noſtrum; ſed quia illi
& nos ſuſtinere non poſſumus, vim hujus ſplen-
doris, ipſe projicit in medium, *pallium*, quod eſt
nubes, quaſi diceret, Sumere volo vos in prote-
ctionem meam, & ſi nimia eſt diſtantia inter
gloriam, ad quam vado, & vos, moderabor hunc
magnum ſplendorem, roborabo vobis viſum,
aperiam vobis feneſtram in cœlo, per quam, ſicut
Noë in arca per *feneſtram arcæ* i ejuſdem, videbat i Gen. 8. 6
claritatem ſolis poſt diluvium, videbitis verum
Solem *juſtitiæ* Jeſum Chriſtum poſt toleratum
diluvium *aquarum multarum* k martyrii & paſ- k Pſ. 31. 6
ſionum, quibus vos exponam, quæ erunt vobis
via ad conſequendam gloriam.

IN FESTO B. FELICIS A CANTALICIO CONFESSORIS.

Die 18. Maii.

Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti: & non excidit à ſpe ſua. Eccli, 14. 2.

LOcuturus vobis de felicitate beati Fratris noſtri, non poſſum meliùs incipere panegyrim ejus, nec ſecuriùs fulcire gloriam elogiorum ipſius quam proprio nomine ſuo. Etiam, glorioſe Felix: hoc dico de te cum veritate, & in eodem ſenſu, quod Pſalmiſta *a* de Deo dixit, illum alloquens, *Secundùm nomen tuum, ſic & laus tua.* Laudes tuæ habent convenientiam cum tuo nomine. Si nomina non imponuntur caſu & fortuitò, ſed ſæpè & ordinariè divinitùs, ut ait S. Thomas b, *Imponuntur enim divinitùs quibuſdam nomina, ad deſignandam gratiam, quam conſequuntur, ſicut patet de Baptiſta* c. Abraham vocatus fuit hoc nomine, quod idem eſt ac pater magnæ multitudinis, *Dixit ei Deus, Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te* d. Ideò quia debebat eſſe *pater omnium credentium* e. *Et Verbum caro factum* f *ubi venit plenitudo temporis* g, vocatum eſt Jeſus, id eſt, Salvator, juxta verbum quod S. Joſepho dixit *Angelus Domini: Vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* h. Noſter glorioſus Felix deferens hoc ſpecioſum nomen, quod ipſe ſic feliciter replevit, nomen quod ipſi dictum fuit in Baptiſmate, in quo ipſe eſt *renatus ex aqua & Spiritu ſancto* i, & confirmatum in ingreſſu ſuo in Religionem, ſatis oſtendit, quòd iſtud fuit ipſi impoſitum à Divinâ Providentiâ, quæ vult edocere nos illius felicitatem in tempore, & per æternitatem. Ipſe felix eſt in tempore, cùm ibi poſſideat Deum ſuum, & fruatur eo, tenens inter brachia ſua illum ipſum quem B. Virgo concepit *in utero* k ſuo poſt hæc verba Angeli, *Ave Maria.*

a Pſ. 47. 11
b S. Thom. lect. 1. in Rom. c. 1
c ex Luc. 1. 13
d Gen. 17. 3 & 5
e Rom. 4. 11
f Joan. 1. 14
g Gal. 4. 4
h Matth. 1. 20. & 21
i Joan. 3. 5
k Luc 1. 31. &c. ex Iſai. 7. 14

Ut benè cognoſcamus felicitatem glorioſi noſtri Felicis, ſcire debemus, quid ſit felicitas, & in quo conſiſtat. Ut igitur breviter hanc enucleem veritatem, obſervate, ſi placet, quòd multi errant miſerabiliter in electione felicitatis, neſcientes in quo ſita ſit: ipſi hallucinantur in impoſitione nominum: & re verà digni miſeratione ſunt in errore ſuo, cùm vocant felicitatem voluptates, divitias, & dignitates; & cùm dant nomen infelicium illis, qui iſtarum rerum patiuntur privationem. Opinio ſic falſificat id omne quod ipſa proponit ipſorum voluntati, ipſa corrumpit & abripit ipſorum judicium tanto conatu intervenitu tumultus ſententiæ & vocis publicæ, ut omnes ſibi faciant felicitatem ſuam ex eo quod plùs arridet appetitibus ipſorum, & quod plùs blanditur ipſorum ſenſibus. Avarus habet cor ſuum in theſauris ſuis: *Ubi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor* l. Ambitioſus invenit felicitatem ſuam in magnis & ſplendentibus officiis & dignitatibus. Alii ſunt qui non figurant ſibi voluptates alias a voluptatibus ſenſuum, more brutorum. Alii verò totam felicitatem ſuam conſtituunt in quiete, quæ non obſtringit ipſos ad actionem. Error magnus, Auditores, ac credere quòd in his ſita ſit felicitas, *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*, ait Pſalmiſta m. Qui alibi n dicit ad propoſitum noſtrum, *Mendaces filij hominum in ſtateris.* Et o, *Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.* Res eſt digna conſideratione: nemo debet ſinere ſe abripi opinione: ſummum Bonum hominis, ſatisfacere debet nobiliſſimæ potentiarum ipſius, & requiri eminentiſſimâ actionum ipſius: atqui omnes divitiæ quæ monſtrantur per avaritiam, univerſæ voluptates quæ requiruntur a ſenſibus, & cunctæ dignitates & præeminentiæ quæ oſtentantur & ambiuntur a vanitate, non dant majora lumina menti, nec legitimiores affectus voluntati, nec ingentiora oblectamenta animæ: è contra res omnes iſtæ illam plùs & plùs accendunt: ambitio non eſt contenta omnibus ſceptris, & univerſis coronis: avaritia non expletur cunctis theſauris: concupiſcentia non ſatiatur omnibus voluptatibus: & hæ paſſiones inſatiabiles, ſunt velut ignis, qui auget eò plùs flammam ſuam, quò plurem reperit materiam ipſi fovendo congruam. Tandem, Si hæ objecta, in quibus error, aut opinio mundi, conſtituit felicitatem ſuam, præ ſe ferrent aliquid ſolidum, replerent denique affectus abundantiâ ſuâ: niſi eſſent umbræ & phantaſmata, non ita facilè declinarent è manibus, & ipſorum deſideria non eſſent æterna. Felicitas Juſtorum in hac vita, non eſt igitur hoc, nec conſiſtit in hoc. Scitiſne ergo in quo ſita ſit? Primò, Ipſa ſita eſt in quiete & in pace interiori conſcientiæ, quæ non patitur turbationes triſtitiæ, & commotiones cauſatas à peccato, *Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt ſtimulatus in triſtitiâ delicti.* Secundò, Ipſa conſiſtit in nunquam decidendo à felicitate ſpei ſuæ, ſed in habenda illius felici poſſeſſione, & pacificâ fruitione, *Et non excidit à ſpe ſuâ.* Ecce duæ res quæ totam componunt felicitaté glorioſi noſtri Felicis in iſta vita.

l Matth 6. 21
m Pſ. 143. 15
n Pſ. 61. 10
o Pſ. 57. 4.
Diviſio.

Incipio publicare felicitatem glorioſi Felicis, oſtendendo vobis, quòd ipſe nunquam recepit in ſe ullam funeſtam & crimino ſam triſtitiam conſcientiæ cauſatam à peccato. Ad cujus intelligentiam, obſervabitis, ſi placet, quòd triplex eſt triſtitia. Una quæ procedit è temperamento corporis, & ex humoribus ejus, & cum ſit naturalis, non officit niſi corpori, & ſanitati, cui affert alterationem, nedum ſit unquam mala animæ niſi per accidens, *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*, dicit Salomon p. *Inordinata namque & ſecularis triſtitia, quæ eſt paſſio vitioſa de damno temporali, ſeu adverſitate, eſt valde pœnalis, corroſivaque cordis, complexionem diſtemperans, & vitam abbrevians*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q. Alia eſt ſancta triſtitia, & ſecundùm Deum, cùm concurrat ad ſalutem noſtram. Hæc triſtitia procedit ex horrore peccati, & è moleſtiâ quâ quis afficitur ex eo quòd illud ipſa commiſit, ſtatuens illud *quaſi à facie colubri* r fugere. Et hæc, eſt triſtitia, de qua loquitur Apoſtolus ſ, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Tertia triſtitia, eſt vitioſa & criminoſa, & hæc eſt

I. Pars.
p Prov. 17. 22
q Dion. Carthuſ. 17 in Prov. 17. 22
r Eccli. 21. 2
ſ 2. Cor 7. 9. & 10

triſtitia

triſtitia impiorum, quæ ipſos premit, quæ facit
ipſorum infernum ex hoc mundo, & motivum
omnium pœnarum & ſuppliciorum ipſorum, *Im-*
t Iſai. 57. 20. *pyſicut mare fervens, quod quieſcere non poteſt* t. In-
terius peccatoris eſt inſtat maris ſemper agitati
tempeſtatibus, quæ ipſum jugiter inſequuntur,
ipſum urgent, ut ipſum arripiant ut reum læſæ
majeſtatis. Et hæc eſt triſtitia, de quâ loquitur
u 2. Cor. 7. 10 præfatus S. Paulus u, *Seculi autem triſtitia mortem*
x Dion. Carth. art. 7. in 2. Cor. 7. 10 *operatur*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus x,
Seculi autem triſtitia, id eſt, dolor de manifeſtatione
propria iniquitatis, mortem culpa operatur, id eſt, ad
y Cornel. in 2. Cor. 7. 10. citans Caſſian. l. 9. c. 10 *peccandum inducit*. Et Cornelius y ait, quòd a Caſ-
ſiano iſtius triſtitiæ ſeculi hæc dantur emblema-
ta: *Aſperrima eſt, impatiens, dura, plena rancore &*
mœrore infructuoſo, ac deſperatione pœnali; cùm
quem complexa fuerit, ab induſtriâ ac dolore ſaluta-
ri frangens ac revocans, utpote irrationabilis, & in-
tercipiens non ſolùm orationum efficaciam, verùm et-
z ex Gal. 5. 22 *iam univerſos fructus ſpirituales* z *evacuans*. Impii
ſeminant ventum, & non colligunt niſi turbines.
Sic Deus minitans impio ſub nomine Babylonis,
a Iſai. 14. 23 ait, quòd poſiturus ſit illum *in poteſtatem ericij* a.
Inde nos inſtruit, quòd curæ ſuperfluæ, ſolicitu-
dines lancinantes ſpiritus, anxietates, inquietu-
dines, moleſtiæ, & cruces animæ, ſunt ſemper
b S. Ambr. lib. 1. offic. c. 12 merces ordinaria impii. S. Ambroſius b idem ſen-
tit, cùm ait, *Impius ipſe ſibi pœna eſt*. Ipſe ſemper
habet timorem impreſſum cordi ſuo, æquè ac
pallorem effuſum ſuper vultum ſuum; & quò-
cumque eat, & ubicumque ſit, ipſe ſibi jugiter vi-
detur audire catervam ſatellitũ, qui ipſum quæ-
runt ad ipſum apprehendendum: pax eſt ubique,
ſed non in anima ipſius: quidquid ipſe videt, vel
imaginatur, ipſi videtur paratum ad ipſum occi-
dendum: *Iuſſiſti, Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi*
c S. Aug. lib. 1. Cõf. c. 12 *ſit omnis inordinatus animus*, dicit S. Auguſtinus c,
Deum alloquens. Conſcientia perſequitur im-
pium remorſibus ſuis, & quamlibet ipſe quærat
excuſationem in ſubtilitatibus ratiocinationis;
pudor naturalis efficit ut deliteſcat velut reus, &
ſibi ipſi procuret areſtum, quod nullam patitur
evocationem, nec ullam appellationem. Pœna
eſt ſemper merces impietatis ipſius, & finis vo-
luptatis, quam capit in faciendo malo, non eſt a-
lius niſi pœnitudo, quòd illud cogitaverit, & il-
lud patraverit. Ex quo amiſit ipſe pacem interio-
rem cum gratiâ, quæ illam cauſabat, videtur ipſi
quòd totus infernus eſt ſecum: ipſe nequit ſuſti-
nere lucem, tenebræ ipſum terrore percellunt,
ipſe moleſtus eſt aliis, & intolerabilis ſibi ipſi. Sic
eſt, Auditores: peccator ſemper in timore verſa-
tur, ubicumque deliteſcat; malum ſuum æquè pa-
rùm ipſam deſerit ac umbra ſua, & ſua conſcien-
tia tenet ipſi locum accuſatoris, teſtis, judiciis, &
tortoris. Videamus hanc veritatem in praxi in
perſona Judæ proditoris Domini ſui, *Proditor qui*
in tantum ſcelus impegerat, cùm non poſſet ferre ju-
dicij conſcientia dolorem, adaptatis ſibi laqueo vitam
d S. Chryſoſt. in Pſ. 7. ex Matth. 27. 3. &c. *finiit*, ait S. Chryſoſtomus d. Hoc improperium,
iſte remorſus, hæc triſtitia conſcientiæ, oriens è
peccato, eſt infernus iſtius mundi: nulla eſt pax,
nulla quies, nulla felicitas ibi, ubi infelix hujuſ-
modi hoſpes adeſt: cùm ergo glorioſus Felix
nullam patiaverit unquam puſillanimitatem,
quæ alterare potuerit interius ipſius, & eripere
ipſi hanc pacem, quæ eſt prægustus deliciarum
felicitatis æternæ cœli; cùm nullum commiſerit
unquam crimen, quod ipſum projecerit in has
commotiones conſcientiæ, in hos remorſus into-
lerabiles peccatoribus, in iſtas moleſtias & triſti-
tias opprimentes culparum inſeparabilium ab
impiis, quis non videt quòd beatus eſt, quantùm
mortalis ipſius conditio poteſt permittere? *Fe-*
lix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt
ſtimulatus in triſtitia delicti. Etiam, Auditores:
nam ſi hoc eſt eſt eſſe felicem in hac vita ac eſſe
unitum Deo, cujus præſentia facit paradiſum
Juſtorum in terra, *Qui adhæret Domino: unus ſpi-*
ritus eſt e: ſicut gloria eſt felicitas Sanctorum in e 1. Cor. 6. 17
cœlo: *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te,*
ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chri-
ſtum f: quis non videt quòd F. Felix eſt beatus, f Joan. 17. 3
cùm nunquam receſſerit ab eo per peccatum,
quod facit ſeparationem ab illo? *Iniquitates ve-*
ſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, ait Iſaias
g, peccatores alloquens. Si felicitas eſt, fugere
conſortia malorum, *Longè à peccatoribus ſalus* h: g Iſai. 59. 2
F. Felix non poterat illa ſuſtinere, ea erant ipſi h Pſ. 118. 155
intolerabilia; & vel ipſi impii, erant modeſti co-
ram ipſo, eò quòd pati non poſſent illius cenſu-
ram. Quòd ſi eſt etiam eſſe felicem ac ſe exhibere
favorabilem egenis: *Beatus vir qui timet Domi-*
num: diſperſit, dedit pauperibus i: qualis erat bea- i Pſ. 111. 1. & 9.
titudo F. Felicis, cùm charitas ejus non eſſet in-
cluſa in clauſtris, cùm non ſolùm adjuvaret Fra-
tres ſuos in indigentia conſtitutos, ſed etiam per-
geret in xenodochia: & dici poterat præ verita-
te, quòd nullus erat pauper Romæ, qui ſubſidium
non ſuſciperet ab hoc mendico, ſic ut dicere poſ-
ſimus de hoc membro id quod Pſalmiſta prædixit
de Jeſu Chriſto, qui *eſt Caput corporis Eccleſia* k, k Coloſſ. 1. 18
Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus l. l Pſ. 18. 7.

Forſitan dicetis, quòd ipſius pœnitentiæ non
intermiſſæ, flagellationes ipſius ad ſanguinem
uſque ſingulis noctibus exercitæ, jejunia ipſius in
pane & aquâ ter ſingulis hebdomadibus peracta,
vigiliæ ipſius ferè continuæ, mortificationes
ipſius ordinariæ, indigentia ipſius extrema, ipſius
nuditas, ipſius fames, ipſius fatigationes perpe-
tuæ, reddebant ipſum miſerum. Ha! impietas eſt
in judicio veſtro: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori:*
illi autem ſunt in pace, ait Solomon m, loquens m Sap. 3. 2. & 3
de Juſtis. Totus hic infernus pœnæ apparentis,
F. Felici fervit loco paradiſi felicitatis: nullâ tri-
ſtitiâ F. Felix afficitur, ſed è contra omni gaudio,
ſatisfactione, & pace perfunditur. Dicamus igi-
tur quòd F. Felix, fuit beatus ex hoc mundo: *Fe-*
lix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt ſti-
mulatus in triſtitia delicti. Cùm evitaverit mini-
mas vel imperfectiones, à quibus committendis
perfectiſſimi quilibet vix abſtinent. Ad cujus
probationem, Deus aliquando converſans fami-
liariter cum uno è ſervis ſuis ſpiritualiſſimo, de-
texit ei aliquos defectus, quibus erant obnoxii
vel oprimi amici ſui; quod ipſe ſuſtinere non po-
terat niſi moleſtè. Primum vitium ipſorum vel
amicorum Dei, eſt, quòd cùm non debeant quæ-
rere niſi in illo ſolo ſatisfactiones ſuas, quippe
qui ſolus poſſit illas ipſis tribuere, obliviſcantur
illius in infortunio ſuo, & quærunt eas criminosè
alibi. Secundus defectus, qui Deo diſplicet in
amicis ipſius, eſt, quòd, nedum de illo differant
in colloquiis ſuis, ad probationem amoris ſui er-
ga illum, è contra ſæpè ſæpiùs non habent ſer-
mones, niſi de rebus vanis, frivolis, & inutilibus.
Tertia imperfectio, eſt, quòd veniens Deus ad
eos, ad præveniendum cor eorum, animam illo-
rum, omnes potentias & ſenſus ipſorum *in be-*
nedictionibus dulcedinis n, & ad replendos illos ſe- n Pſ. 20. 4

metipſo,

metipſo, reperit eos ſic diſtractos, ita vehementer occupatos & intricatos ſolicitudinibus & deſideriis anxiis, ut obſtrictum ſe videat ad recedendum ab eis, & ad illos relinquendos. Quartus defectus, eſt, quod ſub habitu Religionis, ſub apparentiis mortificationis & pœnitentiæ, ſub exteriori vitæ ſanctioris & ſpiritualioris, illi quærunt tamen nimis ſua commoda, & nonniſi cum magna puſillanimitate Deo ſerviunt, cùm pauci ſint qui diligant eum verè, & abſque proprii cōmodi intuitu; ſed è contrà multi ſint, qui quærant in eo ſatisfactiones ſuas non autem ipſum, nec gloriam illius: *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt: non quæ ſunt Jeſu Chriſti* o. Quintus defectus,

o Philipp. 2. 21

eſt, quòd renuunt ſervire Deo propriis impenſis & ſumptibus; ab eo ſuſcipere volunt mercedem: ſervi mercenarii, qui expectant ab eo conſolationes, favores ſenſibiles, ſcientias, & alia beneficia temporalia, ad quæ ipſi ſuſpirant, & quæ faciunt totum motivum ardoris ipſorum: nam ſi hæc ipſis deſint, ipſi ſunt puſillanimi in obſequio ejus, & æquè frigidi ac glacies ſine actione, & ſine ullo motu. Ultimus defectus, de quo Deus queritur amicis ſuis, æquè ac de præcedentibus, eſt, quòd, cùm præſens ſit ipſe cordi eorum, & offerat ſe ipſis continuè cum omni genere bonorum, donorum, voluptatum, & ſatisfactionum, exhortando illos per ſeipſum, & per creaturas ſuas, ut ipſum recipere velint ut amicum fidelem, qui eos devinciet ſibi mediis monitis ſuis; vix inveniantur aliqui, qui iſtud faciant: ipſi quærunt & diligunt, non Deum, ſed id quod pertinet ad Deum, felicitatem & paradiſum ejus. Defectus æquè injurioſus Deo, qui habet id omne quod requiritur ad hoc ut diligi debeat immediatè per ſeipſum, ac noxius eis qui illum committunt, & qui renuunt ei dare cor ſuum, quod ipſe petit, dicens illis ſingulis, *Præbe fili mi, cor tuum mihi* p.

p Prov. 23. 26

En imperfectiones, quibus obnoxii ſunt vel ipſi amici Dei, qui profitentur vitam ſanctiorem & perfectiorem. Cùm igitur noſter glorioſus Felix non ſubjaceat vitiis iſtis, nec ſuſtineat has reprehenſiones à Deo, nec iſtos remorſus conſcientiæ; quis non aſſeret quòd ipſe eſt totus perfectus, & ſtatim beatus? *Felix qui non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti*. Quòd ipſe evitaverit hos defectus, qui loco ſcopuli ſerviunt, ad quem impingunt & naufragium patiuntur animæ vel illuminatiſſimæ in via cœli, quò labuntur amici Dei, qui non habent tantum perfectionis, quantum ipſe, quis hoc neſciat? & quis iſtud non videat? Primò, Ipſe nunquam ſatisfactionem quæſivit niſi in Deo ſolo ſuo; ipſe relinquit creaturas, & inſtar alterius Magdalenæ, convertitur *retrorſum* q, nec Angelos vult videre. Hoc nimis parum eſt: ipſe non conſiderat Matrem Dei,

q Joan. 20. 14

ſicut iſtud ſcimus per hanc miraculoſam viſionem ipſi exhibitam, ut meliùs intueatur ejus Filium, cui dedit ipſe totum cor ſuum, & conſecravit omnes affectus ſuos: ſic Jeſus ſolus poſſidet illos abſque ullâ diviſione: ſic ipſe in illo ſolo quærit & invenit gaudia ſua, dulcedines ſuas, & ſatisfactiones ſuas. Secundò; Nedum non diſſereret de Dilecto ſuo, non loqueretur de objecto amorum ſuorum, & non diſcurreret de Deo, quem jugiter habebat in ore per hæc verba, *Deo gratias*, duo verba, quibus utebatur ipſe ordinariè, & quæ invitabant omnes creaturas ad publicandam gloriam Creatoris ſui, & ad dandas ei jugiter laudes, ſed præ tanto ſucceſſu, ut prodigia & miracula fuerint illorum effectus. Tertiò, Deus veniens ad eum, inveniebat cor ejus, non intricatum ſolicitudinibus & deſideriis anxiis, diſtractum, & diviſum, ſed collectum, totum diſpoſitum ad ipſum ſuſcipiendum, vacuum omni eo quod non erat ipſe, & quod poterat ipſi diſplicere. Quàm magnos Deus iſte liberalitatis & magnificentiæ operabatur effectus in illo corde, quod ipſe veniebat repletum præſentiâ ſuâ æquè ac donis ſuis. Quartus defectus ſervorum Dei, eſt puſillanimitas, philautia, amor proprius, cujus interventu ſeipſos velut idola colunt, & jacturam ſuam incurrunt intuitu ſuæ pulchritudinis, ut alii Narciſſi: *Poëta fabulantur Narciſſum tantâ formæ præſtantiâ, ut cùm aliquando ad ſontem bibiturus acceſſiſſet, conſpectâ ſuâ imaginis amore captus, cùm nulla potiundi amoris ſpes eſſet, nimis deſiderio contabuerit*, ait Calepinus †. *Semetipſos amantes*, dicit S. Paulus r. Ducti amore proprio, qui ipſos inducit ad blandiendum ſibi nimis. Ha! F. Felix non eſt conſcius iſtius defectus, ipſe eſt totus ignis, totus flamma, totus ardor, totus pedes, totus manus propter obſequium Dei: ipſe eſt inimicus ſuiipſius, & inauditas ſuper corpus ſuum exercet crudelitates: ipſe non quærit ſeipſum, nec agit intuitu commodorum ſuorum. Nam eſtne quærere ſeipſum, & ſatisfactiones ſuas ac petere pro levamine proximi ſui, ut ipſe poſſideretur à dæmonibus, & ut hi exercerent in corpus ſuum, quò permittebat eis ut ingrederentur, id omne quod habebant ſævitiæ: ſic ut præ charitatis exceſſu vellet ipſe evadere vivens infernus omnigenarum pœnarum? Nunquid non hoc faciebat eum imitari, ne dicam ſuperare, zelum Moyſis dicentis Deo in favorem fratrum ſuorum, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti* ſ: ſicut & S. Pauli, qui optabat *ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus* t ſuis, iiſdem Iſraëlitis? Illi non petebant niſi privari ad tempus aliquo gaudio, & aliquâ conſolatione: ſed F. Felix non ſolùm petit hoc, ſed etiam vult evadere infernus vivens, cruciari à dæmonibus, & experiri eorum furorem. Ipſe non agit purè niſi propter Deum; ipſe non tendit niſi ad honorem & gloriam ejus, & ad bonum proximi. Ipſe non ſumit pro ſe niſi pœnas & confuſiones. Ipſe vult ut glorioſiſſimus titulorum ſuorum ſit iſte, nimirum aſini Capucinorum, inquiens, Ego non ſum F. Felix: ego non ſum niſi aſinus Conventus. Date locum aſino Capucinorum, ajebat ipſe per vicos Romæ. Ha! *Charitas non quærit quæ ſua ſunt* u. B. Felix non operatur propter præmium, quod eſt quintus defectus communis amicis Dei: ipſe habet cor magnanimum, & agere non poteſt intuitu mercedis: ipſe vult Deum, & totum Deum, & non id quod pertinet ad Deum, id eſt conſolationes, dulcedines, gaudia, paradiſum, & felicitatem ipſius. Ipſe ait Deo cum S. Thoma Aquinate, ſe *mercedem non aliam, niſi ipſum* velle, juxta id quod canit Eccleſia de hoc Angelico Doctore. Sic ipſe ſolus replere poteſt in *bono deſiderium* x ejus, & plenè ſatisfacere extenſioni illius. Ultimus defectus communis amicis Dei, cui B. Felix nunquam fuit obnoxius, eſt, nolle ei dare cor ſuum: B. Felix autem adhæret ei inſeparabiliter, nedum res aliqua mundi poſſit ipſum ab illo avertere: Deus ſe offert B. Felici, ut poſſideatur ab eo: B. Felix verò ipſum ſuſcipit, nedum violet ei unquam fidelitatem. Etiam: procellas, turbines, tempeſtates,

† Calep. in Diction. V Narciſſus.

r 2. Tim. 3. 2

ſ Exod. 32. 32

t Rom. 9. 3

u 1. Cor. 13. 4. & 5

x Pſ. 102. 5

perti-

perflate quantùm poteritis, infortunia, tentatio-
nes, morbi, dolores, exercete F. Felicem quan-
tum in vobis erit: ipſe ſemper erit Felix, ipſe ju-
giter erit ipſemet, & dicet præ eadem affectione
y Rom. 8. 38. & 39. & cum eadem veritate, quâ Apoſtolus y: *Certus*
ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, ne-
que Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, ne-
que futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque
profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare
à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.
Ipſe tranquillitate fruitur inter tempeſtates,
gaudio & dulcedine inter amaritudines, volu-
ptate in paſſionibus, & pace in turbationibus.
Nunquid non hoc eſt eſſe felicem, & ſecurum ab
omnibus tempeſtatibus, quæ ipſum reperiunt in-
concuſſum, more rupis expoſitæ in medio mari,
quę veluti deridet omnes procellas, quę confrin-
guntur ad ima ipſius, & non ſerviunt niſi ad ex-
hibendam ipſi veluti reverentiam, & ad lavan-
dam ipſam ſpumis ſuis? Nonne iſtud eſt eſſe bea-
tum vel ex hac vita, & frui pace & quiete con-
ſcientiæ, quam Sancti experiuntur in cœlo? F.
Felix iſtâ potitur prærogativâ; ipſe nullum ha-
bet peccatum; ipſe evitat defectus communes
vel amicis Dei; ipſe non habet remorſus, & triſti-
tias quæ ſunt effectus & dependentiæ iſtius malæ
cauſæ, nempe peccati: dicamus igitur: *Felix qui*
non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt ſtimulatus
in triſtitia delicti.

Sed, Auditores, cùm nihil opponat ſe felicita-
ti noſtræ, niſi peccatum, fugiamus hoc, ut poſſi-
deamus illam. Remorſus conſcientiæ, & turbà-
tiones interiores, ſunt ſtipendia peccati: *Vnde bel-*
la & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis
z Jacob. 4. 1 *veſtris, quæ militant in membris veſtris* z? Ha! ne
prodamus animas noſtras, ut faveamus ſenſibus
noſtris: peccatum quod cum voluptate tranſit,
manet ſemper cum pœna, & quoad tormenta,
quæ ipſum nobis cauſat. Ha! ſi diligimus nos
ipſos, diligamus noſmetipſos propter æternitatē,
odientes nos in tempore ſancto odio, quod Deus
† Luc. 14. 26 nobis præcipit †; renuentes ſumere in iſta vita
dulcedines peccati, ne in æternum patiamur il-
lius amaritudines in altera: ne ſequamur conſilia
ejus, niſi ſuſtinere velimus improperia ejus: imi-
temur glorioſum Felicem, ſi velimus eſſe felices,
ſicut ille: *Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam,*
& non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Ecce prima
probatio felicitatis ejus: ſed en ſecunda.

II. Pars. *Felix qui non excedit à ſpe ſua.* Noſter glorioſus
Felix fruitur hâc prærogativâ, quod inducit me
ad dicendum, quòd ipſe felix eſt, & perfectè re-
plet nomen ſuum vel ex iſta vita. Quòd ſi deſide-
retis ſcire, qualis erat ſpes F. Felicis, ut meliùs co-
gnoſcatis ſtatum felicitatis ejus; obſervate, ſi pla-
cet, quòd omnes ardores illius eò tendebant ut
ipſe conſequeretur ultimum finem ſuum, & ha-
beret unionem Dilecti ſui, poſſeſſionem Dei ſui,
cujus fruitio ſola poterat terminare omnes in-
quietudines ipſius, & omnino mitigare appeti-
tus ipſius, cùm in eo ſolo, ut in legitimo centro
ſuo deberet ipſe reperire veram quietē ſuam; eò
ipſe tendebat; ſic iſtud, eſt illud unum quod Sal-
vator ſic vehementer commendat, *Porrò unum eſt*
a Luc. 10. 42. *neceſſarium* a. Iſtud eſt, quod erat motivum om-
nium ardorum ipſius, *Quæſivi quem diligit anima*
b Cant. 3. 1 *mea* b. Ipſe deſiderat eum, ipſe ſuſpirat ad illum,
ipſe vult habere fruitionem illius, ipſe ardet a-
more ejus, & motus cordis ipſius non poteſt ha-
bere quietem, niſi per occurſum felicem glorioſi
iſtius termini. Quid aget Divinus hic Philantro-
pos intuitu ſuavium inquietudinem ſervi ſui? re-
linquetne illum in iſtis motibus anxietatis, qui
non poſſunt niſi eum cruciare, cùm deſiderium ſi-
ne fruitione ſit ſpecies pœnæ, quam ſuſtinet ille
qui deſiderat, niſi poſſideat objectum votorum
ſuorum? Ha! Deus eſt nimis favorabilis deſide-
riis amicorum ſuorum, ipſe ſatisfaciet omnibus
affectibus ejus, ipſe replebit vacuum cordis illius,
Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, prædixit
David c. *Vacuitatem pauperum*, vertunt alii. Ipſe c Pſ. 9. 39
ſatisfacit igitur omnino deſideriis dilecti ſui, ipſe
concedit ei felicitatem, ad quam ab ita longo
tempore ipſe ſuſpirabat, *Qui replet in bonis deſide-*
rium tuum d. Ipſe ſe ſinit ab eo poſſidendum, d Pſ. 102. 5
quantùm conditio mortalis & viatoris permit-
tere poteſt. Prodigium, Auditores; miraculum!
accurrite ad videndum Jeſum inter brachia F.
Felicis, quomodo dulciter ipſe ſtringit hunc Di-
vinum Puerum, quo pacto amplectitur hunc Del-
phinum paradiſi, quomodo oſculetur eum, quàm
amanter blandiatur huic adorabili Filio Mariæ,
& quâ ratione irriget vultum ejus lacrymis, quas
gaudium educit è corde ipſius amoroſo. Spiritus
paradiſi, Seraphini cœli, qui ardetis omnes hoc
igne Divino, nunquid non æmulari debetis feli-
citatem B. Felicis in terra, cùm fruatur felicitate,
quam vos poſſidetis in cœlo? Quòd ſi felicitas
conſiſtit in viſione Dei, *Contemplatio quippe mer-*
ces eſt fidei, dicit S. Auguſtinus e: nonne F. Felix e S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8
beatus eſt? nunquid non videt Deum ſuum, licèt
opertum velo carnis noſtræ, ut meliùs accom-
modet ſe ad captum aſpectuum noſtrorum cor-
poreorum? Quòd ſi requiritur ad felicitatem, ut
mens & voluntas, iſtæ duæ nobiles potentiæ ani-
mæ, ſint omnino contentæ, mens cognitione, *Hæc*
eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum,
& quem miſiſti Ieſum Chriſtum f, & voluntas dile- f Joan. 17. 3
ctione: *Beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſen-*
tialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac
primæ Veritatis clara & immediata, eſt eſſentia bea-
titudinis, ſeu ipſa felicitas: tamen in quantum con-
templatio habet fruitionem adjunctam: Non enim co-
gnitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt: hinc
dicit Auguſtinus, quòd viſio eſt tota merces, in qua uti-
que Ioannes g *noſtram Deiformem, & ſummam per-* g ex 1. Joā. 3. 2
fectionem, & per conſequentiam veram felicitatem
conſtituit, dicens, Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, &
nondum apparuit quid erimus: Scimus cùm apparue-
rit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt:
Præterea, Omnes Sancti, Dei viſionem quaſi ſum-
mum finaleque bonum deſideraverunt: Hinc Moyſes
Domino loquens, Si inveni (inquit) gratiam in con-
ſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te h: *Et* h Exod. 33. 13
Pſalmiſta i, *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus,* i Pſ. 79. 4 & 20
ſubdit Dionyſius Carthuſianus k: quis meliùs
Deum cognovit in ignorantia ſua, quam F. Fe- k Dion. Carth. art. 41. in Joā. 17. 3
lix? quis habuit plus luminis, quàm Cherubinus
iſte terreſtris, qui habuit Deum pro Magiſtro,
qui edocebat ipſum ſecreta ſua, & Divinas per-
fectiones ſuas, quæ ipſum inducebant ad ſe anni-
hilandum, ut meliùs manifeſtaret gloriam ejus?
Quoniam non cognovi literaturam, introibo in po-
tentias Domini l. Ipſe participat attributa Dei, ipſe l Pſ. 70. 15. & 16
patrat miracula, ſic ut dicere de illo poſſimus id,
quod Salvatori *Nicodemus dixit*, *Nemo poteſt hæc*
ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo m. m Joan. 3. 1. & 2
Ipſe habet donum Prophetiæ, & ſic eloquens eſt
in ſcientia ſua, ut cognitiones ipſius ſocios ha-
beant effectus miraculoſos. Dicamus igitur Deo:
Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege
tuâ docueris eum n. Luminibus ipſius ſociabantur n Pſ. 93. 12

Digitized by Google

ardores. Amor qui ipſum conſumit, facit ex ipſo admirabilem transformationem, Divinam metempſychoſim, ſanctam tranſmigrationem animarum: ipſe non vivit ampliùs in ſe, ſed in objecto amorum ſuorum, & dicere poteſt cum Apoſtolo *s* piæ veritate, *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* F. Felix non vivit, ſed Jeſus Chriſtus vivit in illo: hæc vita, eſt vita glorioſa, cœleſtis, & Divina. Et quomodo non eſſet ipſe beatus, cum poſſideat in terra eum, qui præſentiâ ſuâ facit beatos in cœlo? Quòd ſi gaudium eſt ſtipendium felicitatis, ſi eſt dependentia ſtatus iſtius glorioſi, quantum eſt gaudium F. Felicis tenentis Jeſum ſuum, Salvatorem ſuum inter brachia ſua. Tace, lingua mea; non poſſumus loqui de hac lætitia niſi cum indignitate; rudia verba noſtra profanarent ſanctitatem actionis, quæ non poteſt melius explicari quàm ſilentio, vel admirationibus, ecſtaſibus & raptibus. Quàm merito jure dicere poteſt noſter B. Felix, æquè ac aliàs in ſimili occurſu venerabilis ſenex *Simeon*, *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum* p. Non poſſum ampliùs vivere: oportet ut iſti oculi, qui ſunt intuiti ſalutare Dei, offundantur eclypſi: quilibet alius aſpectus minùs ſanctus & ſacer eos profanaret. Numquid non igitur F. Felix beatus eſt, cùm habeat in terra fruitionem illius, quod conſtituit beatitudinem & gloriam Sanctorum in cœlo? Omnia deſideria ipſius ſunt repleta, & ipſe eſt in ſtatu, in quo nihil habet ampliùs ſperandum, nec aliquid amplius timendum: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam* q. Ipſe eſt unitus Deo ſuo inſeparabiliter, & amor ſic vehementer ipſum transformavit in Dilectum ſuum, ut non ſit ampliùs ipſe niſi unum cum eo. Sic Eccleſiaſticus r ait, *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta.* Non erat amplius è Jeſu & è F. Felice niſi una anima. F. Felix poſſidet igitur id quod ipſe deſiderabat; ipſe fruitur objecto ſpei ſuæ. Concludamus igitur in favorem ejus, aſſerendo quòd beatus eſt ex iſta vita, quantùm conditio mortalis & viatoris poteſt permittere.

s Gal. 2. 20

p Luc. 2. 25. &c.

q Cant. 3. 4

r Eccli. 33. 31

Sed quodnam deſiderium, Auditores, formabo in favorem veſtrum, niſi ut ita ſe res habeat de vobis? *Utinam ſic.* Deſideramus omnes eſſe beati: hic appetitus nobis omnibus eſt communis, hæc inclinatio univerſis nobis eſt naturalis: conemur igitur eſſe uniti Deo, poſſidere illum in hoc mundo per gratiam, cognoſcere eum, & diligere illum; inſumamus omnia lumina mentis noſtræ, univerſas vires voluntatis noſtræ, & id omne quod anima noſtra habet facultatum, ad nos uniendos huic objecto noſtræ beatitudinis, per cognitionem & per dilectionem adhærendo ei inſeparabiliter, more B. noſtri Felicis, *Utinam ſic.* Iſtud eſt, quod vobis deſidero pro cumulo felicitatis veſtræ, & ad ſiſtendum feliciter omnes motus, & univerſas inquietudines cordis veſtri, quæ invenire non poſſunt requiem niſi in hoc unico centro, ut ajebat S. Auguſtinus *ſ*, Deum alloquens, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* Ha! *Utinam ſic.* Iſtud, fuit aliàs inſcriptio amantis ſanctæ erga chariſſimum ſponſum ſuum, ad teſtandum ei amorem ſuum, & quantùm ipſa deſideraret uniri illi affectu & corde. Ipſa fecit hoc emblema, ſcilicet hederam, quæ ſtringebat arctè fulcium ſuum, præ verbis iſtis, *Utinam ſic.* Faxit Deus ut ita ſe res habeat de te, chariſſime mi ſponſe, & ſicut non conſtituimus niſi unum corpus, ita non habeamus niſi unum cor, unum ſpiritum, & unam voluntatem. Auditores, *utinam ſic* de nobis cum adorabili Sponſo noſtro; faciamus nobis vincula ex omnibus fibris cordis noſtri; adhæreamus huic Divino fulcimento, nedum turbines, tempeſtates, tentationes quantùmlibet violentæ, nos unquam ſeparent ab eo, *Tenui eum, nec dimittam* t. Tota noſtra felicitas in iſta vita conſiſtit in hac unione; hæc, felicitas eſt incepta in terra: Nam ſine Divinis iſtis ſcalis repentes ſumus inſtar hederarum, & non poſſumus nos elevare ſurſum; omnes actiones noſtræ ſunt depreſſæ, ſed unitæ huic fulcro, ſunt totæ Divinæ, & elevant ſe uſque ad Divinitatem, quantùm ſubjectum, quod ipſas fulcit, & eſt ipſis fundamentum inconcuſſum. *Utinam ſic.* Iſtud eſt igitur, quod vobis deſidero, & quod vobis eſt utiliſſimum, cùm vel ex iſta vita frui faciat vos felicitate.

ſ S. Aug. lib. 1. Côf. c. 1

t Cant. 3. 4

Et quantùm ad nos, reverendi Patres, & chariſſimi Fratres, cùm glorioſus Felix ſit unicus beatificatus à reformatione noſtra; debemus aliquid agere ad honorandas virtutes ejus. Tanta mihi polliceor è zelo veſtro erga illum, ut libenter exercituri ſimus tantillam pœnitentiam pro B. noſtro Felice, qui ſanctitate ſuâ ſic vehementer honorat Religionem noſtram, *Solemnitates Martyrum, exhortationes ſunt martyr orum*, ait S. Auguſtinus u. Sic B. noſter Felix nos invitat ad ipſum imitandum; actiones ipſius ſunt valida exempla, quæ nos hortantur ad hoc ut agamus ſicut ipſe fecit. Duo conſideranda ſunt nobis in Sanctis, quorum feſta celebramus. Primò, Conſiderare debemus eorum gloriam, ut inde concipiamus reverentiam & honorem erga nos; id quod ipſi fecerunt ad obtinendum hanc gloriam, ardorem & zelum eorum; & hoc omne intuetur ipſos Sanctos. Secundò, Perpendere debemus imitationem noſtram, & confuſionem quâ operiri debemus ob puſillanimitatem noſtram, facientes contrarium illius, quod illi peregerunt, & hoc ſecundum reſpicit nos. Deus inducere vult populum ſuum ad virtutem exercendam, ad perfungendum officio ſuo, & ad faciendum id ad quod tenetur: *Hæc dicit Dominus, State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris* x. Iſtud, eſt reflexio, quam facère debemus ſuper nos, ſuper id ad quod tenemur, quippe quod promiſimus, ſuper viam & vitam quam elegimus: conſideremus cum quiete & cum maturitate id quod eſt profeſſio noſtra; perſcrutemur id quod fecerunt illi qui nos præceſſerunt, illud quod egit F. Felix, qui ducebat eandem vitam quam nos ducimus, & profitebatur eandem Regulam, quam nos profitemur; quomodo ipſe ſe geſſit in obſervantiâ votorum ſuorum, caſtitatis, paupertatis y, & obedientiæ; quo pacto fidelis fuit; videamus ardorem ipſius, devotionem ipſius, colloquia ipſius, mortificationes ipſius, vigilias ipſius, jejunia ipſius, flagellationes ipſius, omnia ipſius exercitia ſpiritualia: nos autem imitamurne ea? Reflectamus nos tantiſper ſuper nos ipſos, & conſideremus num fortè ſimus è numero falſorum illorum pauperum, qui indigentes eſſe volunt præ illa conditione ut nihil ſibi deſit eorum quæ neceſſaria ſunt ipſis; perpendamus attentè qualis eſt paupertas noſtra: ſed qualis eſt noſtra caſtitas, an fugiamus omnes occaſiones, licet innocentes è ſeipſis, quæ tantiſper illius ſplendorem poſſent obſcu-

u S. Aug. ſerm. 47. de Sanctis.

x Jer. 6. 16

y Matth. 19. 27. &c

obſcurare: reſpiciamus quomodo nos geramus in obedientia, num cæco impetu obſequamur Superioribus noſtris in omni eo quod non eſt contra Deum, & contra conſcientiam noſtram, *Vnde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis Miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ*, ait Seraphicus Pater noſter ad Fratres ſuos alloquens, conformiter ad monitum S. Pauli *a*, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Videamus quomodo B. noſter Felix fideliter eſt executus id omne quod deducebat ipſum ad perfectionem, & removit à ſe id omne quod ipſum ab illa elongabat, juxta contilinm Davidis *b*, *Diverte à malo, & fac bonum.* Obſervavimus quo pacto triumphavit ipſe de paſſionibus ſuis, quâ ratione proſtravit ipſe macerationibus, jejunijs, abſtinentijs, vigilijs concupiſcentiam, quomodo ipſe ſibi complacuit in ſolitudine, uniens ſe Deo per receſſum à creaturis, quæ nos ab illa ſeparant. Ha! erubeſcamus, ſatagamus ut pudor operiat faciem noſtram, cùm ſimus puſillanimi, brachia noſtra complicemus in modum crucis, & non imitemur eum, profeſſi eandem vitam, manentes in eadem Religione, & adſtricti eidem Regulæ. Quare ergo non ſumus ſancti, ſicut ille? Ideò quia ſanctitati obicem opponimus per negligentias noſtras. Concludo cum S. Auguſtino *c*, *Imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Teneamus eandem viam, ut conſequamur eundem finem.

[S.P.N. F. in Regul. ſua. c. 10.] [*a* Heb. 13. 17.] [*b* Pſ. 33. 15.] [*c* S. Aug. ſer. 47. de Sanctis.]

Glorioſe Felix, noli renuere nobis favores tuos, & gratias tuas, obſtringe nos tibi potentibus interceſſionibus tuis; inſume authoritatem tuam, & id omne quod habes poteſtatis, erga Deum, ut facias nos obtinere hanc Divinam unionem cum eo, iſtam poſſeſſionem Divinæ Majeſtatis ejus, quæ totam felicitatem facit in iſta vita, & quæ illam conſummabit & perficiet in altera; effice, ut poſſidentes eum ſemel per gratiam, nunquam amittamus illum; ut mens noſtra vacet jugiter notitiæ ejus, & voluntas noſtra dilectioni illius; ut uniamur ei in iſta vita per gratiam, ad hoc ut uniri poſſimus illi in altera per gloriam.

IN FESTO PENTECOSTES.

Dominus Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.
2. Cor. 3. 17.

CUm conſidero mirabilia, quæ complentur hodie, ſtupore totus cieor, cùm non poſſim quin admirer potentiam infinitam Dei, qui deſcendere facit ignem ſuper terram, & in corda hominum *a*. Quomodo enim credere poſſemus, quòd ignis poſſet deſcendere, quòd calefacere poſſet & inflammare quin conſumeret, quòd pervadere tecta poſſet & parietes, quin hos & illa redigeret in cineres? Ignis tamen eſt qui deſcendit attractus virtute, quam Deus collocaverat in illis, qui ipſum ſuſcipiunt hodiernâ die: ignis eſt qui quieſcit in corde Apoſtolorum, qui ſuſceperant ultimam diſpoſitionem, quæ amplius non expectabat, quàm ingreſſum & receptionem iſtius formæ Divinæ ſic ſæpè promiſſæ, & ita diu expectatæ *b*: ignis eſt qui deſcendit ad replendum vacuum quod remanſerat per receſſum Salvatoris aſſumpti *in cœlum* c. Ignis eſt qui ponit Spiritum in terra, ubi non erat niſi caro, ſicut caro priùs aſcenderat in cœlum, ubi non erat niſi Spiritus: ignis eſt qui calefacit & inflammat, & conſumit omnes impuritates mundi; *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* d. Tecta penetrat, & muros, quia eſt animatus eo, qui eſt ubique *e*. Eſt igitur Spiritus Dei, qui evertit totum ordinem naturæ, faciens ut calor non comburat, ut levitas deſcendat, & libertas ſit veluti captiva, ſed ideò ut quaſi ſpiritualem reddat carnem noſtram, ut aſcendere faciat gravitatem corporum humanorum, & reddat ſervitutem liberam, *Dominus Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* Et ut ſic reddere nos vult ſimiles ſimplicitati ſuæ. *Dominus Spiritus eſt.* Sub hac qualitate vult eſſe Dominus noſter, & hoc modo nos eruere è ſervitute, *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Hæc eſt ratio propter quam venit hodiernâ die viſibiliter ſuper Apoſtolos, & quotidie in animas noſtras inviſibiliter, ſicut Divinus Filius deſcendit in uterum Virginis cùm hæc ſe faſſa eſt ancillam *Domini* f poſt hæc verba, *Ave Maria.*

[*a* Act. 2. 3. &c.] [*b* Jo. 16. 7. & 15. 26.] [*c* Marc. 16. 19.] [*d* Heb. 12. 29. ex Deut. 4. 24.] [*e* Jer. 23. 24.] [*f* Luc. 1. 38. &c.]

Diſputare de Divinitate Spiritûs ſancti, eſt maxima impietas: negare quin ſit una è tribus perſonis SS. Trinitatis, ſacrilegium eſt quod nullam meretur veniam; ſed velle aſſerere quòd non ſit coæqualis & conſubſtantialis Patri & Filio, blaſphemia eſt, quæ *non remittetur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro* g. Cùm iſtam doceat nos Eccleſia veritatem in Symbolo Nycæno, nimirum ut credamus *in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem* h: *qui ex Patre Filioq; procedit* i: *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur.* Iſte eſt Deus, quem video hodie deſcendere in forma ignis, faciendo agere creaturas contra qualitates naturales, quas ipſemet eis tribuit, cùm Scriptura *k* doceat me quòd *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et propter ſimilem rationem id quod reparatum eſt morte Filij Dei incarnati, omninò perfectum eſt à Spiritu S. quem ipſe miſit hodiernâ die, ut reparatio ſimilis eſſet primæ productioni. Unde infero quòd Verbum æternum, quod nos redemit pretio magno *l*, & nos eduxit è peccato, ſub quo captivi eramus, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* m, nobis dat etiam hodie Spiritum ſuum, ut reddat noſtram libertatem completam, & liberet nos à maledictione vitij, reſtituendo nos è ſtatu captivorum in ſtatum verorum filiorum adoptatorum propter gloriam *n*, & electorum ad poſſidendam veram libertatem, quæ comitatur ſemper hunc Spiritum, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et ſicut duas agnoſcere debemus miſſiones: unam viſibilem, quæ eſt ea, quæ efficit hodie ut videam magnum ignem qui deſcendit, & audiam magnum ſonitum perſtrepentem in cœnaculo, & qui ignis ſiſtit in perſonis Apoſtolorum, diſcipulorum, & ſanctarum mulierum, qui ſecuti fuerant Salvatorem, qui dat ipſis hodie hunc Spiritum: & alteram inviſibilem in gratiam omnium Juſtorum, qui ſuſcipiunt inviſibiliter hunc eundem Spiritum, cùm reſtituuntur in gratiam per Sacramentum Pœniten-

[*g* Matth. 12. 32.] [*h* ex Jo. 6. 63.] [*i* ex Jo. 15. 26.] [*k* Pſ. 32. 6.] [*l* 1. Cor. 6. 20.] [*m* Jo. 8. 34.] [*n* Rom. 8. 4. &c.]

nitentiæ , *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus*
o Rom. 5. 5. *noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* o:
ſic duplex eſt libertas , quam Spiritus iſte nobis
dat ; una generalis pro tota Eccleſia in eo, quòd
p Rom. 8. 15. mutat hodie legem ſervitutis *p*, nimirum vetus
q Heb. 8. 8. &c. Teſtamentum in novum *q*: altera ſpecialis Ju-
ſtis, qui ſuſcipientes Spiritum ſanctum, accipiunt
Amorem Divinum, qui nunquam eſt ſine liberta-
Diviſio. te. Et iſtæ erunt duæ partes diſcursûs iſtius, quæ
detegent mirabilia ignis deſcendentis, & ſonitûs
I. Pars. perſtrepentis in cœnaculo.

Non deſidero hodiernâ die diſputare ratio-
nibus cum illis, qui poſtquam *fuerunt rebelles lu-*
r Job 24. 13. *mini* r, & gratiæ, & Authori illius, cùm *in pro-*
s Jo. 1. 11. *pria venit, & eum non receperunt* s ut Meſſiam
& Salvatorem mundi, audent etiam negare ho-
diernâ die veram & perſonalem deſcenſum Spi-
ritûs ſancti ſuper Apoſtolos, & , ut canit Eccle-
ſia,

Muſto madere deputant,
t ex Act. 2. 13. &c. & ex Joel 2. 28. *Quos Spiritus repleverat* t.

Homines hujus ſeculi non abeunt in ſententias
ſic damnabiles , nemo eſt in hac concione, qui
non agnoſcat & adoret hodie hoc miraculum
Dei qui deſcendit ut ſe det hominibus. Quod re
u Ezech. 10. 2. verâ Propheta Ezechiel *u* agnoverat medias in-
ter ecſtaſes ſuas, videns dictum *ad virū qui indutus*
erat lineis , Ingredere in medio rotarum , quæ ſunt
x Cornel. in Ezech. 10. 2. *ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis,*
& effunde ſuper civitatem. Cornelius *x* autem
dicit, *Eſſe hunc ignem charitatis & zeli, quem Chri-*
y ex Luc. 12. 49. *ſtus venit mittere in terram , & voluit accendi* y.
Iſte vir ergo repræſentabat Prophetæ Jeſum
Chriſtum Salvatorem mundi , virum per excel-
lentiam , cùm ab inſtanti ſuæ conceptionis talis
fuerit per naturam, & per uſum rationis, *Fœmina*
z Jer. 31. 22. *circundabit virum*, prædixit Jeremias *z*. Et Cor-
a Cornel. in Jer. 31. 55. nelius *a*, *Quia licèt Chriſtus, quà homo, conceptus &*
naſcens, ſtaturâ & ætate ſit infans : eſt tamen à pri-
mo ſuæ conceptionis inſtanti vir, ſapientiâ, gratiâ, &
gloriâ perfectus. Ipſe *indutus erat lineis*. Id eſt, cor-
pore humano, quod tranſiverat per totidem labo-
res , quot linum ſuſtinet ad hoc ut ad opus inſu-
matur , & ex ipſo tela tenuis fiat : corpus enim
Salvatoris pertulit ſupplicia, ut ipſe Chriſtus ſuſ-
ciperet gloriam, quam Pater ipſius dabat ipſi pro
mercede, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſ-*
que ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod
b Philip. 2. 8. &c. *& Deus exaltavit illum* b. Et elevando eum ſupra
globos cœleſtes, & ſupra Spiritus Angelicos, dat
ei hodie poteſtatem abſolutam replendarum
manuum ſuarum carbonibus accenſis , quos de-
fert jugiter in corde ſuo, qui non ſunt alij niſi Spi-
ritus ſanctus, & projiciendorum illorum *ſuper ci-*
vitatem mundi, id eſt, effundendorum eorum ſu-
per Apoſtolos, ut *in omnem terram, & in fines orbis*
c Pſ. 18. 5. *terræ* c. deferre poſſint hunc ignem , quem offert
ipſe terræ : ita ut applicare poſſimus eis id, quod
d Thren. 1. 13. dixit Jeremias *d*, *De excelſo miſit ignem in oſſibus*
meis , & erudivit me. Quod intelligere debemus
e Gal. 2. 9. ſenſu noſtro myſtico , nimirum , quòd hæc oſſa
ſunt Apoſtoli, *qui videbantur columnæ eſſe* e, pro-
pter firmitatem & conſtantiam ſuam ſuſtinendo
totum corpus Eccleſiæ , qui ſuſcipientes hodie
hunc ignem, inſtituunt homines cognitione Dei,
& annunciant eis legem ipſius libertatis , quæ
comitatur ſemper Spiritum Dei, *Vbi autem Spiri-*
tus Domini , ibi libertas. Licèt enim certum ſit,
quòd mandata novæ Legis , quantùm ad maxi-
mam partem ſui ipſorum , prædicata fuerint ore
Salvatoris *f*, qui inſtituit Sacramenta *g* ad nos f Matth. 22. 37. & 39.
ſanctificandos, ſicut & ſacrificium *h* quo vult à
nobis honorari, acquiſivit *laboribus i* ſuis ſanctita- g Jo. 3. 5. & 20. 22 & 23.
tem *k* interiorem, quæ nobilitat corda noſtra, &
nobis dat *poteſtatem filios Dei fieri* l: verum tamen h 1. Cor. 11. 24. &c
eſt, quòd multa ſunt iſtis addita cùm *præbuit ſeip-* i Pſ. 87. 16.
ſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumen-
tis, per dies quadraginta apparens & loquens de Re- k 1. Cor. 6. 11.
gno Dei m præfatis Apoſtolis ſuis. Præterquam l Jo. 1. 12.
quòd ſcimus , quòd cùm nova Lex fuerit utilis à m Act. 1. 3.
prima die inſtitutionis ſuæ , ſicut dicere poſſumus
in ſpecie de Baptiſmo , qui incepit prodeſſe ho-
minibus ex quo Dei Filius ipſum ſanctificavit in
perſona ſua, *Baptizatus autem Ieſus, vidit Spiritum*
Dei deſcendentem ſicut columbam , & venientem ſu-
per ſe; & ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt Filius meus
dilectus , in quo mihi complacui n: tamen totum n Matt. 3. 16. & 17.
iſtud non ſufficit ad abrogandam legem ſervitu-
tis, quia hoc teſtamentum novum Jeſu Chriſti,
qui prædictus eſt ab Iſaia *o* ut *Pater futuri ſeculi*, o Iſa. 9. 6
aperiri non poterat quin teſtator ipſe moreretur:
Vbi enim teſtamentum eſt , mors neceſſe eſt intercedat
Teſtatoris. Teſtamentum enim , in mortuis confir-
matum eſt : alioquin nondum valet, dum vivit qui te-
ſtatus eſt p. p Heb. 9. 16. & 17

Deus promiſerat ſe initurum cum populo ſuo
fœdus longè aliud, quàm alias cum Hebræis pe-
pigerat, cùm tunc illud non egiſſet niſi inter pœ-
nas & labores , eò quòd non eſſet ipſe tunc niſi
Sponſus ſanguinum q. Ipſe rata habebat omnia q Exo. 4. 25.
hujuſmodi fœdera ſanguine illorum , qui ad ip-
ſum accedebant, *Hoc eſt pactum meum, quod obſer-*
vabitis inter me & vos : Circumcidetur ex vobis omne
maſculinum in ſignum fœderis inter me & vos r. Sed r Gen. 17. 10. & 11.
Lex nova debebat eſſe fœdus amoris per com-
municationem Spiritûs amoris : & ſi adeſſe de-
bebat ſanguis , hunc ſolus effundere debebat Je-
ſus Chriſtus ad mitigandam iram Patris ſui exa-
cerbati contra crimina noſtra , *Quia in ipſo com-*
placuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum
reconciliare omnia in ipſum , pacificans per ſangui-
nem crucis ejus , ſive quæ in terris , ſive quæ in cœlis
ſunt s. Et ideò, juxta Cornelium *t*, *Allegoricè hoc* s Coloſſ. 1. 19. & 20.
dicat Chriſto verus Chriſtianus, præſertim Religioſus :
Sponſus ſanguinum tu mihi es , ô Chriſte. Tum quia t Cornel. in Exo. 4. 26.
tuo ſanguine animam meam tibi coemiſti & deſpon-
ſaſti; unde S. Agnes dicebat Tyranno : Sanguis Chriſti
Sponſi mei tinxit genas meas. Tum quia à me viciſ-
ſim, ut ſim Sponſa te digna, exigis ſanguinem meum,
imò carnem & vitam meam, dum doces , iis qui te ſe-
qui, tibiq; placere volunt , circumcidendas & mortifi-
candas eſſe concupiſcentias carnis & ſanguinis , dum
ais : Nemo poteſt eſſe meus diſcipulus , niſi qui abne-
gat ſemetipſum, & tollit crucem ſuam : niſi qui odit
& perdit animam ſuam in hoc mundo u: *niſi qui car-* u ex Luc. 14. 26. & 27.
nem ſuam crucifigit cum vitiis & concupiſcentiis x:
niſi qui diabolo , carni , & mundo reſiſtit uſque ad x ex Gal. 5. 24.
ſanguinem y, *uſque ad mortem & martyrium. At-*
que hæc eſt circumciſio cordis in ſpiritu, non literâ, non y ex Heb. 12. 4.
Iudaica ſed Chriſtiana, non exterior ſed interior, cu-
jus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt z. Et ſicut z ex Rô. 2. 29.
Lex antiqua non promittebat niſi bona tranſito-
ria obſervatoribus ſuis , *Si poſtquàm audieris hæc*
judicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus
Deus tuus pactum tibi, & miſericordiam quam jura-
vit patribus tuis: & diliget te, ac multiplicabit, bene-
dicetq; fructui ventris tui , & fructui terræ tuæ , fru-
mento tuo , atque vindemiæ , oleo , & armen-
tis , gregibus ovium tuarum ſuper terram , pro
qua

qua juravit Patribus tuis ut daret eam tibi : benedictus eris inter omnes populos a, &c. Hodie Lex nova ſingulari prærogativâ promittit bona æterna, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* b. Præterea, Sicut vetus teſtamentum datum fuerat ſuper monte Sinai quinquageſimâ die poſt Paſcha, ita novum fœdus datur hodie & incipit prædicari ſuper monte Sion quinquageſima die poſt Paſcha : *Die enim Dominicâ, quæ fuit Pentecoſte, ſive quinquageſima dies à Paſchate, deſcendit Spiritus ſanctus in Apoſtolos, & lex nova promulgata eſt in Sion* c, *uti lex vetus olim in Sina, eâdem die quinquageſimâ à Paſchate promulgata fuit*, ait Cornelius d. Præ hac tamen differentia, quòd ignis qui deſcendit ſuper montem Sinai, erat violentus, rapidus, & repletus nebulis, quod erat ſignum obſcuritatis ipſius, *Totus autem mons Sinai fumabat : eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace* e. Hodiernâ verò die video ignem lucentem, clarum, & tranquillum, quod eſt certum teſtimonium perfectionis ipſius, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum* f. Illud teſtimonium datum fuit ſculptum in tabulis lapideis, quod erat ſignum rigoris ipſius; iſtud verò exaratum eſt in tabulis cordium noſtrorum, quod eſt indicium dulcedinis : & ſicut illud ſcriptum fuit digito Dei, ita etiam iſtud inſcriptum eodem digito Dei, qui eſt Spiritus ſanctus, quem Jeſus Chriſtus mittit ad nos hodie, & cui canit Eccleſia,

a Deut. 7.12. &c
b Matth. 19. 17.
c ex Act. 2.1. &c.
d Cornel. in Levit. 23.15
e Exo. 19 18.
f Act 2. 3

Dextra Dei tu digitus.

Dedit Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei, ait Scriptura g. Et Cornelius h, *Myſticè, hæ tabulæ ſignificabant tabulas cordis* i, *in quibus ſcribenda ſunt Dei mandata.*

g Exo. 31 18.
h Cornel. in Exod. 31.18
i ex 2. Cor. 3.3.

Ut autem meliùs agnoſcatis quàm neceſſarius eſſet hic deſcenſus ad inſtituendam legem libertatis, obſervate, ſi placet, id quod accidit hodie Apoſtolis, qui licèt multoties audiviſſent ſanctas inſtructiones, & adorabiles voluntates Domini ſui, quippe *quibus præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei* k: manent tamen abſconditi in cœnaculo præ timore : ſed ex quo Spiritus ſanctus venit ſuper ipſos, *& repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* l eodem, & gratijs & donis ipſius, deſerunt hunc carcerem voluntarium, foras exeunt, & veluti reſtituti in libertatem, prædicant novam legem, annunciant Baptiſmum amoris, qui ſeveram ejicit Circumciſionem, loquuntur omni generi nationum, nedum formident ipſi rabiem & furorem populorum, aut catenæ, ergaſtula, tormenta, injuriæ, minæ, imò verò mors ſiſtere poſſunt ipſorum linguam ſolutam digito Dei, aut impedire quin ipſi dicant id, quod ſciunt, quia ſunt animati Spiritu libertatis, qui venit ut ipſos faciat annunciare legem libertatis. Petrus, qui cùm eſſet Caput Collegij Apoſtolici m, non auſus fuerat fateri ſe diſcipulum Salvatoris ſui die paſſionis ipſius n, egreditur hodie primus ad prædicandum id quod negaverat; quia lingua ipſius, quæ alligata priùs erat infirmitate & puſillanimitate, ſolvitur hodie : Apoſtoli cæteri qui *relicto* o eodem Domino ſuo circa idem tempus martyrij illius fugerant, & terga verterant ipsâ die certaminis, foras erumpunt hodie, & obviàm procedunt hoſtibus Salvatoris ſui, prædicant audacter gloriam Crucifixi, quem agnoſcere noluerant in miſerijs ipſius, quia ſunt induti *Virtute ex alto* p, contrita ſunt ipſorum vincula, & catenæ diſruptæ adventu Spiritûs libertatis : & ſpiritu illo mundano qui alias operuerat confuſione linguas omnes in perſonis eorum, qui volebant facere ſibi *civitatem & turrim, cujus culmen ad cœlum* q pertingeret, ejecto è mundo, Spiritus cœleſtis venit in locum ejus, ad ſeparandas linguas, & ad reſtituendas eas in libertatem in perſonis Apoſtolorum, qui *cœperant loqui varijs linguis*, & tamen ab omnibus nationibus intelligi : *Factâ autem hâc voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes* r. Illos igitur intueor poſſeſſos ab iſto Deo, qui meretur præ ſe ferre nomen illud, Liber, multò potiori jure quàm Deus ille profanus, quem agnoſcebant antiqui ut dominum vini. Sic inter illas nationes præfatas, *Alij irridentes dicebant, Quia muſto pleni ſunt iſti* s. Re autem verâ, viriiſti, qui erant priùs ignari, & qui modò diverſis loquuntur idiomatibus, vino madent, ſed vino cœleſti & ſupernaturali, quod egreditur è botro *Cypri in vineis Engaddi* t, calcato *in torculari* u crucis, ad quod ſacra Sponſa ſæpè ſæpiùs aſpiraverat, dicens, *Oſculetur me oſculo oris ſui* x. Si enim Filius Dei, eſt os Patris, cùm ſit Verbum ipſius, *Eructavit cor meum verbum bonum* y: Spiritus ſanctus, qui eſt amor Patris & Filij, *Quem ego mittam vobis à Patre* z, ajebat idem Filius Apoſtolis ijſdem ſuis, erit oſculum illius oris, cùm verum ſymbolum amoris ſit oſculum : præterquàm quòd Spiritus iſte debebat dari per merita Filij Dei, ſicut idem Filius dicebat ijſdem diſcipulis ſuis, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos : ſi autem abiero, mittam eum ad vos* a. Ratio autem, quam Sponſa dat hujus deſiderij ſui, eſt, quia ipſa ſpiritu agnoſcebat, quòd gratiæ quas ipſa foret inde ſuſceptura, utiliores eſſent & ſalubriores omni vino conſolationum tranſitoriarum veteris teſtamenti, *Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* b. Proptereà Salvator, qui voluntariè ſe legi ſubjecerat, ut ab ea nos liberaret, dicens, *Legem non veni ſolvere, ſed adimplere* c, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* d, ait S. Paulus : mittit hodie Spiritum ſanctum ſuum, qui facit nos filios ſuos, cùm, ſicut S. Auguſtinus e obſervavit, ex tunc non ſimus ampliùs captivi legis, quæ jubebat bonum, quod ipſa non dabat, *Segregavit itaque pluviam hanc voluntariam Deus hereditati ſuæ, quòd legem dedit, & infirmata eſt vel ipſa lex, vel ipſa hæreditas. Lex infirmata ſic accipi poteſt, eò quòd non impleretur : non quòd ipſa infirmaſſet, ſed quòd infirmos faceret minando pœnam, non adjuvando per gratiam.* Sed vivimus in iſta lege, quæ diligere facit bonum, quod ipſa præcipit, quæque poteſt etiam jubere filijs, & ijs qui liberi ſunt, nedum officiat ipſorum nobilitati & libertati. Illud autem nobis accidit per gratiam & virtutem Spiritûs ſancti, qui nos reddit veros filios Dei, eruens nos è ſtatu captivorum : quod homines non poterant agnoſcere quandiu ſuas applicabant curas elementis iſtius mundi, id eſt, veteri teſtamento, quod non erat niſi alphabetum novi fœderis, propter imperfectiones ſuas; aut quia homines, qui in illa vivebant, erant rudes & ignari, nec agnoſcere poterant myſteria abſcondita in ceremonijs elementorum hujuſmodi;

k Act. 1. 3
l Act. 2. 4 &c
m Matth. 16. 18
n Matth. 26. 70
o Matth. 26. 56.
p Luc. 24 49.
q Gen. 11 4. &c.
r Act. 2 4 &c.
s Act. 2. 13.
t Cant. 1 14
u Iſa. 63 2.
x Cant. 1 2.
y Pſ. 44 2
z Jo. 15 26.
a Jo. 16 7
b Cant. 1. 2
c Matt. 5. 17.
d Gal. 4. 31.
e S. Aug. in Pſ. 67. 10.

modi, Et *nos, cùm eſſemus parvuli, ſub elementis*
Gal.4 3 *mundi eramus ſervientes* f. Sed hodie fideliter e-
docti ſumus illa omnia, quæ antiqui ignorabant
virtute Spiritûs ſancti, quem Pater æternus mit-
tit nobis per merita Filij ſui, ut oſtendat nos eſſe
veros filios ſuos adoptivos, *Quoniam eſtis filij, miſit*
Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem,
g Gal.4 6 *Abba, Pater*, ait nobis S. Paulus g. Verum quidem
eſt quòd antiqui Patriarchæ & Prophetæ erant
h Gal.4 31. filij Dei, ſed etiam *ancillæ filij* h, & ut ſic non acce-
perant ſpiritum filialem, ſed *ſpiritum ſervitutis* i;
i Rom.8. 15. non educebant adoptionem ſuam è ſanctitate le-
gis, quæ non poterat ipſos interius ſanctificare,
k Pſ. 83 10. ſed ex fide in Meſſiam venturum k, *Iuxta fidem*
defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus,
l Heb.11. 13. *ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes* l. Quia Je-
ſus Chriſtus nondum venerat ad dandum Spiri-
tum ſuum, qui reddit nos legitimos filios ſuos,
Quoniam eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui. Id
eſt, quòd verum ſignum, quòd ſumus filij Dei, eſt,
quòd ſuſcepimus hunc Spiritum, qui jugiter diri-
git vota noſtra & preces noſtras ad Patrem æ-
ternum, & dat nobis libertatem, quam antiqui
non poſſidebant, *Spiritus adjuvat infirmitatem no-*
ſtram: nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed
ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabi-
libus. Qui autem ſcrutatur corda; ſcit quid deſide-
ret Spiritus ejus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro
m Rom.8 26. & 27 *Sanctis* m.

Huc autem referre poſſum, meâ quidem ſen-
tentiâ, id quod egit Abraham Patriarcha ejiciens
Agar ſuam *ancillam, & filium ejus. Surrexit itaq;*
Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ, im-
poſuit ſcapulæ ejus, tradiditq; puerum, & dimiſit eam.
Quæ cùm abiſſet, errabat in ſolitudine Berſabee.
Cùmq; conſumpta eſſet aqua in utre, abjecit puerum
n Gen. 21 10. &c *ſubter unam arborem quæ ibi erat* n. Sed quomo-
do? Fierine potuit ut ille vir eximius, qui im-
peravit ſuper *vernaculos ſuos trecentes decem & o-*
o Gen.14 14. & 15 *cto, percuſſitq;* o quatuor Reges, de quibus trium-
phavit, ita fuerit avarus, ut panem duntaxat &
aquam ancillæ ſuæ Agar, & filio ipſius Iſmahel
daret, & ambos domo triſtes & deſolatos ejice-
ret? Saltem debebat, ut videtur, præbere eis aſi-
num, qui tuliſſet hunc panem, & hanc aquam,
nedum obſtringeret matrem ad onerandos hu-
meros ſuos hujuſmodi pane & aquâ ferendis. Ta-
men in hoc quod videtur ridiculum, litera ſervit
ſpiritui, & ſub rudi cortice verborum continen-
tur excellentia myſteria, quæ totus orbis admi-
ratur hodie: hæc enim ancilla ejecta domo Do-
mini ſui cum pane & aqua ſcapulæ impoſitis, no-
bis genuinè repræſentat antiquam Synago-
gam, quæ defert ſenſum literalem legis, quæ erat
onus intolerabile, ſicut deinceps quibuſdam *Pe-*
trus dixit, Viri fratres, nunc quid tentatis Deum, im-
ponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod ne-
p Act.15 10. *que patres noſtri, neque nos portare potuimus* p?
Hæc ancilla deſolata Agar, ejecta domo Abrahę,
errat per ſolitudines, onerata potiùs quàm ſuble-
vata rigore veteris teſtamenti, derelinquit filios
ſuos mortuos in cæcitate ſua & in tenebris ſuis
ſub arbore crucis, ſuſtinentes adhuc deplorabi-
les effectus, & funeſtas ſequelas iſtius ſeveræ ſen-
tentiæ, quam ipſimet tulerunt adversùm ſe, cum
in perſonis patrum ſuorum contra Jeſum Chri-
ſtum Pilato *clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum.*
Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Suſce-
perunt autem Ieſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi
crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum,
ubi crucifixerunt eum q. Sicut è contrà filij legi- q Jo. 19. 15. &c.
timi, nimirum, Chriſtiani, manent in domo pa-
tris, velut orti è Sara, quæ eſt vera Eccleſia, &
Sponſa Dei, *quam acquiſivit Sanguine ſuo* r, liberi r Act. 20 28.
ab omni ſervitute, non ampliùs errantes & vagi,
ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei t, id eſt, filij s Eph.2 19.
Jeſu Chriſti, qui, ſicut alter Abraham, poſtquàm
expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confi-
denter, palàm triumphans illos in ſemetipſo u, ex- u Coloſſ. 2.15.
pellit ſervitutem, & dat hodie libertatem, mit-
tendo Spiritum ſanctum ſuum, qui mutat legem
carneam in legem ſpiritûs, legem timoris in le-
gem amoris: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis*
iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis fi-
liorum, in quo clamamus, Abba, Pater x. Et conver- x Rom. 8 15.
tit aquam ſervitutis in vinum gratum libertatis,
quod idem eſt quod Sponſa deſiderabat, dicens
Dilecto ſuo, *Veni, Dilecte mi, manè ſurgamus ad vi-*
neas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus partu-
riunt y. E quibus ipſa poſſet educere vinum con- y Cant. 7 12.
ſolationum ſuarum. *Itaque, Fratres, non ſumus*
ancillæ filij, ſed liberæ: quâ libertate Chriſtus nos libe-
ravit z. z Gal.4 31.

Iſte eſt favor, quem ſuſcipimus hodiernâ die II. Pars.
per deſcenſum viſibilem Spiritûs ſancti, qui figu-
rat nobis inviſibilem, qui quotidie fit in animas
noſtras, cùm cōvertuntur ad Deum, & ſuſcipiunt
Amorem ſacrum, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in*
cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt
nobis a. Unde Doctores inferunt quòd per juſti- a Rom.5 5.
ficationem animarum noſtrarum Spiritus ſanctus
habitat in eis perſonaliter, *Itaque Spiritus ſanctus*
datur Electis, ait Dionyſius Carthuſianus b, *non ſo-* b Dion. Carth. 2.
lùm in ſuo dono, ſed etiam in ſeipſo, quia per charita- 8. in Rō.
tem habetur, & eſt in nobis novo ſpecialiq; modo. Pro- 5.5
pter quod ait Salvator, Ego rogabo Patrem, & alium
Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æter-
num, Spiritum veritatis c. *Et in Actis Apoſtolorum* d c Jo. 14 16. & 17
legitur, quòd per impoſitionem manûs Apoſtolorum d ex Act. 8.17.
dabatur Spiritus ſanctus. Licèt enim Deus ſit ubi-
que per eſſentiam, per potentiam & per præſen-
tiam, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, di-*
cit Dominus e? tamen eſt nobiliori modo cum ho- e Jer. 23. 24.
mine, præcipuè verò cum Juſto, nimirum per
gratiam & per amorem. Quod Theologi expo-
nunt de eo, quòd dona cœli ſunt talis naturæ &
conditionis, ut requirant præſentiam realem &
perſonalem Authoris ſui; ita ut, inquiunt, ſi per
impoſſibile Deus non eſſet in animabus noſtris,
ſicut cum alijs creaturis, cùm ipſæ ſunt in gratia
ipſius, neceſſariò deberet in eas venire; ſed cùm
in illis jam ſit, in eis tamen manet novo modo, ut
Dominus qui vult abſolutè jubere, & ut ſic de-
bemus eum agnoſcere, illique ſervire, ſi deſidere-
mus poſſidere nobilitatem & libertatem, quam
vult nobis dare cum ſancto Spiritu ſuo, *ubi Spiri-*
tus Domini, ibi libertas. Certiſſimum enim eſt,
quòd amor Dei reddit omnes potentias liberas,
illuminans intellectum notitiâ myſteriorum cœ-
li, & inflammans voluntatem amore ſummi Bo-
ni: & ſic unum liberat à ſervitute ignorantiæ, al-
teram verò à ſervitute peccati. Quod nobis ritè
repræſentatur in igne, & in vento; quorum ille
illuminat, & calefacit; iſte verò mundat aërem à
nebulis, & ideò reſtituit cœlum in plenam com-
municationem luminis ſui circumquaque ſe dif-
fundentis, & influentiarum ſuarum quæ terram
fœcundant, *Libertatem dixit, habitâ ratione priſti-* f S. Chryſoſt. hom. 7
næ ſervitutis, ait S. Chryſoſtomus f ſuper præfata in 2. Cor.
verba Apoſtoli. Iſtius autem habemus exem- 3 17.
plum

plum memorabile in perſonis Apoſtolorum & diſcipulorum, qui hodie fideliter edocentur omnes veritates ſacras, ſicut promiſerat ipſis Dominus ſuus, *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* g. [g Jo. 16. 13.] Spiritus enim iſte veniens hodie repiet Apoſtolos vero & vivo lumine, ut veluti radii Solis intelligentiæ h, [h Sap. 5. 6] & lampades veritatis, illuminent totum mundum, & irrigent corda ſitientia nationum, cùm exibit *in omnem terram ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* i. [i Pſ. 18. 5.] Et ſi hinc tranſeamus ad ſecundam libertatem, quæ eſt affectionis, quæ nos eruit à vitio, quæ ſervitus eſt omnium duriſſima, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* k. [k Jo. 8. 34.] Apoſtoli ſunt etiam illius teſtes, cùm ex ipſa die hodierna toti ſint confirmati in gratia, & purgati ab omnibus imperfectionibus ſuis, diſpoſiti ad diligendum jugiter Dominum ſuum, nedum amittant unquam hunc amorem, & ampliùs offendant bonitatem ejus, in quo vera libertas conſiſtit.

Sed fortè mihi dicet aliquis, ſe non poſſe concipere quomodo Spiritus cœli dans nobis amorem ſacrum, poſſit etiam nobis dare libertatem, cùm ſciamus quòd amor eſt quædam virtus unitiva, quæ alligat amantem rei amatæ, ferens illum extra ſe, ut vivat in alio, unde dicit Dionyſius Carthuſianus l, [l Dion. Carth. 4. 33.] *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Et hoc patet ex Scriptura m [m 1. Reg. 18. 1.] dicente, *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Quod repugnare videtur libertati: ad hoc enim ut quis ſit liber, debet eſſe totus ſibi, & non alii. Præterquàm quòd ſcimus ex Theologia, quòd amor iſtius vitæ nihil minus eſt quàm initium amoris quem exercebimus in cœlo, in quo amabimus nedum poſſimus unquam interrumpere hunc amorem: & tamen ad hoc ut quis ſit verè liber, oportet ut poſſit agere & poſſit non agere: quòd ſi eò redigamur ut nihil ampliùs poſſimus, quam id quod amor nobis præcipit, amiſerimus libertatem, & conſequenter erimus ſervi amoris, & rei amatæ: & ſi amor iſte qui nobis hodierná die datur in adventu Spiritûs ſancti, nihil minus eſt quam radius amoris, quem Divinitas exercet in cœlo, & qui Deum reddit beatum in ſeipſo, non eſt dubium quin eò ſit perfectior, quò magis accedet ad eum, à quo oritur, qui exercetur ſine intermiſſione, & conſequenter eſt neceſſarius, cùm Pater & Filius ſe diligant n, [n Jo. 15. 26.] nedum poſſint unquam deſiſtere ab hoc amore, alioquin Divinitas deſtrueretur, quod eſt impoſſibile: tamen cùm conſidero differentiam, quæ admittitur inter amorem ſacrum & profanum, dico præ veritate, quòd iſte nos captivat, ille verò nos reddit liberos. Non loquor de hac libertate actionum noſtrarum, quæ pertinet ad nobiliſſimam potentiarum noſtrarum, putà ad voluntatem; ſed ſolùm de ea, quæ ſinit duntaxat ut exerceamus liberè id, quod nobis eſt magis naturale, qualis eſt amor rerum ſublimium, quem acquirimus à Spiritu ſancto, qui nos liberat ab omni eo, quod caſu nobis evênit, ſicut eſt amor creaturarum, quem nobis comparavimus à lapſu communi o, [o Gen. 3. 6.] qui cùm infirmaverit potentias noſtras, ſæpè fert eas ad id, quod ipſæ nollent p, [p Rom. 7. 15. &c.] ſine violentia tamen, cùm ſumentes clivum ad creaturas, ferimur ad eas affectibus terreſtribus & animalibus, qui dominantur ſpiritui, eumque totidem catenis alligant, quot illas deferunt ab objecta indigna hâc conditione, & in diſpendium amoris, quem debemus Creatori. Hæ ſunt catenæ duræ & intolerabiles, de quibus querebatur aliàs ſic S. Auguſtinus q [q S. Aug. l. 8. Confeſſ. c. 5] poſt converſionem ſuam, *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed ferreá meâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me.* Ita ut ad has redactus anguſtias jure merito deplorare poſſet jacturam ſuæ libertatis, non illius quæ nobis eſt naturalis, quâ poſſumus agere bonum, & illud non facere r, [r Eccli. 15. 14. &c] ſed quia captivus erat paſſionum ſuarum, & ſpiritûs mundani, qui ipſum angebat: è contrario illorum qui ſuſcipiunt Spiritum cœli, qui ipſos defert ad bonum conforme naturæ ipſorum, & ad quod jugiter ſuſpirant: & hoc eſt in quo conſiſtit vera libertas.

Ligandum ſatagant Philiſthæi Samſonem, quantùm voluerint, quandiu Spiritus Domini erit cùm eo, ipſe deridebit eorum vincula, quæ frangentur virtute Spiritûs ſancti, *Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtupa tortum ſputamine, cùm odorem ignis acceperit* s. [s Judic. 16. 8. &c.] Quòd ſi aliquando ſinat ipſe radendos capillos ſuos, qui bus eſt Deo conſecratus, quique ſunt teſtimonia libertatis ipſius, *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectioneſq; animæ*, ait Dionyſius Carthuſianus t, [t Dion. Carth. a. 44. n Luc. 21. 18.] Samſon cadet in ſervitutem, imò verò incurret jacturam vitæ ſuæ, *Dalila dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitq; tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit: dixitque, Philiſthiim ſuper te Samſon. Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt*, &c. Unde dicit Hugo Cardinalis u, [u Hug. Cardin. Judic. 16. 19. & 21.] *Samſon per Dalilam ſeptem crinibus nudatur, id eſt, Spiritus per carnem ſeptem donis Spiritûs ſancti ſpoliatur. Samſon amiſſis crinibus excæcatur, & ad molam ponitur: ſic ſpiritus amiſſá gratiâ in ſpiritualibus, & mundi curis & laboribus ſubjugatur.* Sic recedens Spiritus ſanctus à Samſone, ſecum abſtulit omnia dona, quæ illi præbuerat, quæ collocamus in numero ſeptenario x. [x Iſa. 11. 2. & 3.] Suas tamen poterit Samſon recuperare vires: ſi enim ſuos creſcere ſinat capillos inſciis inimicis ſuis, Spiritus cœli redibit ad ipſum, & ſic interventu illius referet ipſe glorioſam victoriam de illis qui ipſum vexaverant & deceperant. Morietur quidem, ſed moriendo, mortem inferet perſecutoribus ſuis, & recuperabit libertatem, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, ait Apoſtolus noſter. *At ille invocato Domino, ait, Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, Deus meus, ut ulciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram lævâ tenens, ait, Moriatur anima mea cum Philiſthiim: concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Hoc, eſt figura animæ poſſeſſæ ſancto Amore, quæ nihil aliud timet quandiu eſt animata hoc Spiritu libertatis; quòd ſi aliquando illum amittat, ſtatim fit ipſa captiva creaturarum, quæ faciunt ipſam jugiter gyrare: quòd ſi ipſa deſideret reſtitui in ſuam libertatem, oportet ut ipſa redire ſinat hunc Spiritum; ipſa morietur ſibi, & appetitibus ſuis, & triumphando de illis, ſuam perdet ſervitutem.

Amor in generali comparatur igni, qui nullam ſuſtinere poreſt coactionem extra ſphærã ſuam : dicere tamen poſſum , quòd hæc eſt differentia , quòd amor ſacer eſt ignis cœleſtis , qui fertur ſemper ſurſum , & quòd ſi deſcendit hodie, hoc agit potentiâ Dei, qui inde nos docere vult, quòd amor iſte , qui deſcendere fecit aliàs Verbum æternum , & qui deſcendit hodie cum Spiritu ſancto, non habet aliud conſilium quàm ferendi nos versùs cœlum, quod eſt domicilium fortunatum ſolius objecti amoris noſtri, à quo ſolo expectare debemus libertatem , & extra quem non poſſumus invenire niſi ſervitutem : è contrà veò amor profanus comparatur igni inferni , qui manet ſemper inclusus in viſceribus terræ, nedum poſſit unquam aſcendere & exire è carcere ſuo; & ſi inde exeat, ideò ut eos catenis alliget , quos rigoribus ſuis cruciat: *Quia fortis eſt ut mors dilectio, dura*
y Cant. 8,6 *ſicut infernus æmulatio* y. Ille fortis eſt inſtar mortis, quæ eruit animas noſtras è carcere corporum noſtrorum, eaſque liberat à violentijs partis inferioris, ut ſuſpirabant aliàs , & ſuſpirant etiam
z Rom.7 24. hodie omnes amici Dei z: ſed profanus, qui meretur potiùs nomen æmulationis , quàm amoris, durus eſt more inferni , quia proprijs innititur commodis, eſt æquè durus ac infernus, qui captivos tenet eos , quos ſemel ſuis catenis alligavit, ita ut libertas inveniatur in ſolo amore Dei, & in Spiritu qui nobis affert ipſam hodie. Certiſſimum enim eſt , quòd cùm amor ſit affectio ſpiritualis, eò erit naturalior , quo objectum ſuum erit ipſi magis adæquatum : Deus ſolus eſt objectum conforme noſtræ naturæ: *Ad imaginem quippe Dei fa-*
a Gen.9. 6. *ctus eſt homo* a. Conditi non ſumus ad imaginem mundi, aut creaturarum , aut voluptatum caducatum, ſed ad imaginem Dei , ita ut quò magis eum diligemus , eò propiores futuri ſimus noſtræ perfectioni , & conſequenter liberi in operationibus noſtris : & ſicut entia naturalia imò verò inſenſibilia non ſunt veluti in libertate, id eſt, trãquilla, quàm cùm quieſcunt in centro ſuo, extra quod patiuntur violentias intolerabiles, detenta quaſi captiva ; ſic cor noſtrum nunquam erit verè
b Apoc.1 8. liberum quam cùm erit unitum Deo, qui eſt centrum noſtrum, *& finis* b noſter ultimus.

Ecce libertas quam Deus poſſidet in exercitio amoris ſui, qui operans neceſſariò , ſuam tamen libertatem reperit in hac neceſſitate , ſine qua non eſſet Deus , cùm diligens ſeipſum c, nedum c Jo. 15 16. deſiſtere poſſit unquam ab hoc amore, inde ſuam educat beatitudinem; ſicut beati non ſolùm poſſident libertatem naturalem & communem alijs hominibus , & quæ ab animalibus ipſos diſtinguit d; ſed etiam poſt acquiſitam ſecundam liber- d Eccli. 15.14. &c tatem , quæ renovavit ipſos in Jeſu Chriſto, *Qua libertate Chriſtus nos liberavit* e: habent etiam ter- e Gal. 4 31. tiam libertatem, quæ ipſos eduxit ex iſta vita , ut ipſos collocaret ſeu reponeret in felicitate , & ipſos in æternum uniret Deo, qui eſt ſolum objectum amoris ipſorum, quem continuè exercent, neceſſitate voluntariâ, ſic jucundâ tamen , ut dato quòd poſſent, nollent nihilominùs ab ea removeri. Unde concludo quòd quò magis ad ipſum accedere conabitur homo exercitio amoris , eò plus libertatis ſit poſſeſſurus , cùm ſola ſervitus ſit captivitas paſſionum noſtrarum, quæ nos alligant creaturis ; & vera libertas ſit ea, quam Salvator ſe daturum pollicebatur in adventu ſancti Spiritûs ſui, proteſtans quòd Veritas eſſet homines liberatura, *Veritas liberavit vos* f. Quænam eſt hæc f Jo.8,32 Veritas ; niſi Spiritus iſte veritatis, qui veniens hodie corrigit mundum, & conatur eum educere è vitio , ad quod homines cæco ſe præcipitabant impetu, juxta prædictionem ejuſdem Salvatoris? *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato* g. Vi- g Jo.16.8 vamus igitur felices Auditores, inter tot conſolationes , non alligantes amplius corda noſtra creaturis , quæ nos captivos reddunt ſub tyrannide ſuâ ; recurramus ad hunc Spiritum cœli, qui reddet nobis libertatem, quæ reperitur in lege ipſius, & in amore quem ipſe hodie defert in terram , ſperantes nos fruituros verâ & æternâ libertate in cœlo , & quandiu verſamur in his deſiderijs, imploremus favores ejus hâc oratione, Veni ergo, Divine Paraclête, vivifica animas noſtras, & tribue eis libertatem , quæ eſt inſeparabilis à perſona tua ; effunde in corda noſtra exiguum radium lucis tuæ, & reple ea perfectionibus tuis; irriga illorum ſterilitatem, ut reddas ea fœcunda, ſana morbos ſenſuum noſtrorum , ſiſte violentiam paſſionum noſtrarum , & inflamma voluntates noſtras , ut dirigente manu tuâ vitam noſtram currentem ad infernum , reperire poſſimus viam cœli, & gloriæ.

FFRIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret.
Joan. 3. 16.

NUnc verè dicere poſſumus cum Sponſà de Sponſo , *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ*
a Cant. 5 14. *hyacinthis* a. Id eſt, ſunt totæ ex auro amoris & charitatis ad diſtribuendum creaturis rationalibus hyacinthos gratiarum ſuarum. Hodiernâ die jure merito edisſerere valeo cũ Propheta Danie-
b Dan.7. 9. & 10. le *b*. quòd à corde ſedentis ſuper throno æternitatis, id eſt, antiqui *dierum , fluvius igneus rapidusq;* egreditur : & quòd mihi intuendus exhibetur currus Omnipotentis ; latus , aut potiùs vectus rotis igneis, *Thronus ejus, flamma ignis : rota ejus,*
c Ibid. *ignis accenſus* c. Cùm videam ignem amoris, qui ardet ſuper capite hominum , & inducit Deum ad diſtribuendas eis miſericorditer gratias ſuas. Heſternâ die vidiſtis ignem deſcendentem de cœlo , qui ſerviebat loco currûs Divino Spiritui, qui exibat è corde Patris more fluvij impetuoſi, & educebat è manibus ſuis gratias , quas diſtribuit Apoſtolis , *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis , ſeditque ſupra ſingulos eorum :* d Actã 3. & 4 *& repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* d. Et quas jugiter præbet fidelibus, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt* e Rõ.5.5 *nobis* e. Elevate cogitationes veſtras, Auditores, ad videndum Filium Patris æterni, qui aſcendit ſuper currum amoris , qui irrigat terram hoc fluvio dilectionis , ut diſtribuat hyacinthos gratiarum ſuarum, quibus jam repleverat ipſe Matrem f Luc. 1. 28. ſuam mox futuram , cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

Circunquaque quæro per totum mundum objectum aliquod, quod ſatisfacere poſſit omnino capacitati Creatoris, & ad ſe trahat intuitus amoroſos Divinæ charitatis ipſius; nec ullum invenio inter creaturas: ipſe ſolus iſtam ſuſcipere poteſt prærogativam, quippe qui diligit ſemetipſum *g* perfectè amore infinito, æterno, & Divino, qui non eſt aliud quam ipſemet. Verum quidem eſt, quòd Deus in magnitudine ſua eſſe debet habere perfectam notitiam, non ſolùm ſui, ſed etiam omniū rerum *h*: hæc cognitio eſt ipſo digna, & per eam ipſe non trahitur extra ſe; ſed quandiu ipſe manet in ſeipſo, res cognitæ elevantur incomprehenſibili prærogativà ad thronum magnitudinis ipſius, ibique poſſident eſſe intellectuale multò excellentius eo quod ipſæ poſſident in ſeipſis, cùm dicat S. Anſelmus *i*, quòd creatura in Creatore, eſt eſſentia creatrix. Sicut enim natura intellectûs ita eſt avara ut ad ſe trahat objectum quod apprehendit, ita & dat ei eſſe novum: unde fit ut res depreſſæ & corruptibiles ſuſcipiât eſſe eminens & ſpirituale in intellectibus noſtris, & eſſe Divinum in mente Dei: ſed res altæ & excellentiores nobis, ſuſcipere videntur aliquam diminutionem perfectionis per acceſſus mentium noſtrarum, & nullo modo ſunt perfectiores aut viliores ob depreſſionem aut altitudinem objectorum quæ iidem intellectus noſtri concipiunt; è contrario voluntatum noſtrarum, quę exeuntes è ſemetipſis, induunt qualitates illius quod ipſæ amant, ita ut ſi magnum ſit, ipſæ eleventur; & ſi depreſſum eſt, & ipſæ deprimantur: & inde procedit, meâ quidem ſententiâ, ut non poſſimus cognoſcere Deum talem qualis eſt in ſe, quandiu ſumus in illo mundo: quia formare non poſſumus ideam, quæ nobis eum verè & naturaliter repræſentet: & licèt fides nobis aliquam tribuat illius imaginem, hanc tamen nobis non dat niſi *per ſpeculum in ænigmate* k, ita ut neceſſariò redigere debeamus *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* l, nedum tranſeamus ad curioſas inquiſitiones. Sicut è contrà poſſumus illum amare quantùm volumus, & magis quàm eum cognoſcamus: unde fit ut multi ignari, & quamplures indoctæ mulieres plùs eū dilexerint quàm multi periti viri. Et inde inferte, num jure merito dicere non debeam, quòd verè cognoſci poſſumus à Deo, ſed quòd diligi ab eo, hoc eſt difficillimum comprehenſu, cùm oporteret per ratioņē quam modo allegavi, ut Deus exiret à ſeipſo, cùm dicat S. Dionyſius *m*: *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur.* Et tamen certum eſt quòd Deus diligat mundum: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Super quod oſtendere volo vobis magnitudinem immenſam amoris iſtius Dei, Primò, in eo quòd dedit nobis Filium ſuum: Secundò, in modo, quo nobis illum tribuit: Tertiò, in eo quòd eum nobis gratis prębuit quandiu eramus maximi inimici ipſius.

g Joan. 5. 26. *h* Pſ. 1. 7. *i* S. Anſel. in Monolog. c. 35. *k* 1. Cor. 13. 12. *l* 2. Cor. 10. 5. *m* S. Dionyſ. l. 2. Div. Nomin. c. 4. Diviſio.

I. Part. Illud eſt pro comperto quòd ſecundùm conceptum Philoſophorum & Theologorum diſtinguere poſſumus multos mundos, non materiales, ſicut eſt iſte, quem videmus, & in quo vivimus ſenſibiliter, quem *in principio creavit Deus* n. Cùm ſit unicus mundus ſecundùm iſtud effatum, *Monas genuit Monadem* Id eſt, ille qui eſt unicus in ſe, produxit mundum, qui eſt etiam unicus ſicut principium ſuum, non obſtantibus commentis antiquorum Philoſophorum, qui loquebantur de multis mundis quaſi eos effectivè vidiſſent, & in eis deambulaſſent, & inde ſubminiſtraverunt Alexandro Magno occaſionem flendi, cùm didicit ab ipſis, quòd armis ſuis nondum potuiſſet unum vincere, cùm infiniti alij ſuperandi remanerent: non loquimur de mundis hujuſmodi qui nō ſunt niſi imaginarij & fabuloſi, ſed de alijs excellentioribus. Quorum primus eſt Archetypus aut Divinus, quem S. Auguſtinus *o* vocat Rationem ſeu Ideam æternam & immutabilem, ſecundùm quā Deus formavit id omne quod videmus inter creaturas, *Quia & ipſe Filius Ratio dicitur.* Et, *Omnia per ipſum facta ſunt* p. Sicut enim omne agens primò format ideam aut imaginē illius quod habet agendum; ita Deus habet ab æterno in mente ſua Divina veram repræſentationem illius quod ipſe creare debebat in tempore, & ſicut ipſe agit mente & voluntate ſuâ quæ non eſt aliud niſi ipſemet, ſic omnes creaturę repręſentatę fuerunt in ipſius eſſentia, poſſidendo hoc eſſe ideale; & ut ſic non ſunt in ipſo aliud niſi ipſemet, juxta id quod ſupra retuli ex S. Anſelmo. Et ecce id, quod vocamus mundum Archetypum, aut divinum, aut idealē, & repræſentatum in Deo excellentiùs, quàm creaturæ ſint in ſeipſis. Secundus mundus, eſt Angelicus aut ſpiritualis, compoſitus è tribus hierarchijs, quarum unaquæque tres ordines includit, & ex iſtis unuſquiſque multas continet legiones diſtinctas. Tertius mundus, eſt elementaris, complectens quatuor elementa, terram, aquam, aërem, & ignem. Quartus mundus, eſt univerſus orbis, id eſt, congregatio omnium creaturarum ſpiritualium & corporalium, ſimpliciū & compoſitarum, cœleſtium & terreſtrium, tandem totius illius quod pēdet ab abſoluta potētia Creatoris. Ultimus, eſt homo, vocatus jure Microcoſmus, ſeu parvus mundus, qui in ſe continet omnes perfectiones aliarum creaturarum, compoſitus in ſuo corpore è quatuor primis qualitatibus, vivens influentijs corporum cœleſtium, quibuſcum communicat etiam in eadem proportione partium ſuarum, habens eſſe cum corporibus quę non habent vitam, vitam cum plantis, ſenſum cum animalibus, intellectionem cum Angelis, & præ ſe ferens etiam imaginem ſui Creatoris: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* q. Quod confirmat S. Gregorius *r*, cùm ait, *Omnis creatura nomine ſignatur homo. Habet namq; commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* Atqui ex omnibus iſtis mundis nullum invenio qui ſit indignior ut ad ſe trahat amorem Dei ſui, quàm Microcoſmus, ſeu homo, & tamen is eſt quem Deus diligit, & de quo loquitur hodiernâ die, cùm ait, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Si enim illum dedit alijs mundis præfatis, cum tantùm illis præbuit propter hominem, id eſt, ob amorem quo diligebat hominem ſolum. Et ſanè quòd ipſe diligebat ideas ſuas æternas; non miror, quia cùm ipſæ non ſint aliud niſi ipſemet, & eſſentia ipſius infinitè amabilis, hoc objectum eſt digniſſimum amore ipſius: quòd diligat etiam Angelos, qui gloriâ ipſius fruuntur, nec in eo quid eſt mirum, cùm fidelitas quam ipſi exhibuerunt cùm *factum eſt prælium magnum in cœlo* s, inducere poſſit ipſum ad eos diligendos: quòd amet cœlos & elementa, iſtud eſt facilè creditu, cùm hæc ſint corpora ſimplicia: & ut ſic propiùs accedant ad ipſum, inter quæ unum ex ipſis ſervit ipſi loco domi-

n Gen. 1. 1. *o* S. Aug. ſer. 190. de Tēp. *p* Joan. 1. 3. *q* Gen. 9. 6. *r* S. Greg. hom 29. in Evāg. ex Marc. 16. 15. *s* Apoc. 12. 7.

domicilij in gloria, putà Empyreum, *Dominus in cælo ſedes ejus* t. Alij verò cœli non moventur niſi ad imperium ejus, & ad motum quem ipſis impreſſit u, & quem continuat eis dare per Angelos ſuos, qui non ſunt minùs beati, licet movere teneantur magnas iſtas moles ex mandato Domini ſui ſupremi: & elementa non agunt niſi per impreſſionem, quam tribuit ipſis potentia ipſius, quæ omnia agnoverunt ipſum ut Dominum ſuum, non ſolùm in veteri Teſtamento x, ſed etiam cùm *in terris viſus eſt, & cùm hominibus converſatus eſt* y in Evangelico Fœdere z. Omnes creaturæ quæ componunt & ditant hunc orbem univerſum, poſſunt quidem aliquo modo attrahere gratioſos intuitus amicitiæ ejus, cùm ipſæ nunquam violaverint obſequium, ad quod ipſarum conditio ipſas obſtringebat, *Ordinatione tuâ perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi*, dicit David a. Deum alloquens. Sed quòd diligat hominem, qui non priùs ſuſcepit eſſe naturæ, cùm ſtatim deſtitutus eſt eſſe gratiæ, & ſe morti vidit obnoxium corporeæ propter rebellionem ſuam b, qui ipſum ſic frequenter offendit, & *qui bibit quaſi aquam iniquitatem* c, hæc dilectio eſt Philoſophia ſublimis, excellens, & incognita mentibus noſtris, quippe quam non poſſumus penetrare, quàm dicendo quòd *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Præterquàm quòd ſi conſideremus hominem in ſe, ipſe nihil habet quod inducere poſſit Creatorem ad ipſum diligendum. Si eò plus aliquam rem diligimus, quò meliorem illam cognoſcimus, quænam bonitas invenitur in homine, quæ mereatur diligi, & diligi à Deo? Poſtquàm Deus è nihilo creaturas omnes eduxiſſet, approbavit eas ut bonas & perfectas, & in hac conditione potuit quidem illas diligere, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona* d. Sed quantùm ad hominem, nihil locutus eſt de eo: nam Scriptura poſt productionem cæterarum creaturarum, ſtatim ſubdit, *Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Et vidit Deus quòd eſſet bonum* e. De homine verò nihil dicit. Fortaſſe, quia approbando omnia, approbabat etiam hominem. Nequaquam. Forſan, cùm creaſſet illum *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* f, hæc ſola qualitas reddebat eum bonum in ſeipſo, nedum Deus aliter ipſum approbaret. Non. Fortè, quia poteſtas, quam tradebat ei ſuper omnes creaturas g, ſufficiebat ut ipſum perfectum intuendum exhiberet. Minimè: ſed quia, cùm juxta axioma Philoſophicum ſit *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*, Deus apprimè ſciebat, quòd præcipua perfectio hominis dependebat è prima potentiarum ipſius, quæ eſt libertas actionum ipſius; ita ut, cùm iſtæ eſſent bonæ, redderent eum etiam bonum; ſed ſi non eſſent bonæ, bonitas naturalis quam habebat communem cum reliquis creaturis, nihil ei prodeſſet niſi loco probri & confuſionis: quia cùm bonitas alicujus rei deſumatur è motu ipſius ad finem ſuum, homo debebat eſſe bonus juxta quod progreditur ad finem ſuum: ita ut creaturæ irrationales cuſtodientes ſemper ordinem inſtitutum à paterna providentia Dei, quæ dirigebat ipſas ad finem ſuum infallibiliter, eſſent bonæ hoc modo etiam, & non ſolùm in eſſe naturali quod ſuſceperant à Creatore: ſed cùm homo poſſet accedere ad ſuum finem, qui eſt Deus, aut ab illo recedere, non ſolùm in ordine naturali, valens illum conſiderare & cognoſcere ut finem ſuum naturalem, & eum diligere ut ſic; ſed etiam ut finem ſuum ſupernaturalem, quem poſſideret per totam æternitatem h, interventu actionum inſpiratarum à Divina bonitate ipſius, & productarum à cooperatione ſuæ libertatis, poterat ſe reddere bonum, aut non ſeſe talem efficere: & hæc eſt, ut opinor, ratio, propter quam Deus non approbavit hominem ut bonum, ſicut reliquas creaturas. Et tamen eum diligit, & dilexit eum ab æterno, ſicut ipſemet proteſtatur, eundem hominem alloquens, *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te, miſerans* i. Quia hæc eſt differentia inter amorem Dei, & amorem creaturarum, quòd Deus diligens nos, facit nos tales quales vult ut ſimus, ad hoc ut juſtè poſſit nos diligere; ita ut eodem momento quo nos diligit, det nobis qualitates, quæ nos reddunt amabiles, aut diligens nos ab æternitate, ſtatuerit à longo ſpatio nobis eas dare, & ponere in nobis virtutem, quæ reddere nos poſſit gratos oculis ipſius Divinis; ſed creaturæ creaturas alias diligunt propter qualitates ſuas, quas ſupponunt in iiſdem creaturis, quas amore ſuo proſequuntur, ſive bonum, quod intuentur in illis, ſit verum, aut apparens, aut ſuppoſitum, cùm nunquam diligere poſſimus malum ſub qualitate iſta mali, ſed ideò præ ſe ferre debeat aliquam bonitatem & perfectionem apparentem: ita ut nos diligat propter bonum, quod nobis vult facere; & volens nobis illud dare, nobis illud poſteà communicet effectivè, & nobis illud cuſtodiat ſine ullo merito prævio ex parte noſtra, ſecundùm iſtud quod docet nos S. Paulus k: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Verum quidem eſt, quòd poſt hæc neceſſarium eſt ut collaboremus ad cuſtodiendum hujuſmodi bonum. Deus diligit nos, ut faciat nos bonos, & nos diligit ab æternitate propter bonum, quod nobis facere vult in tempore, deſtruens id quod eſt malum, & contrarium amori ipſius, & quod impedire poſſet effectus Divinarum liberalitatum ipſius. Hoc modo diligit hominem ut *imaginem ſuam* l, ut creaturam ſuam, ut filium ſuum m in gradu excellentiori, quam reliquas creaturas corporeas: & ut benè teſtetur ei hunc amorem ſuum, dat ei ſoli proprium *Filium ſuum*. Quòd ſi illum dedit alijs mundis præfatis, cùm iſte homo Deus ſplendorem mirabilem dederit omnibus creaturis, & extulerit in ſublimem & ſummum gradum cogitationes æternas Divinitatis, eò quòd invenerit gradum creaturæ ſic excellentem, iſtud egit ipſe propter hominem: ipſemet Filius Dei ſeipſum obtulit ab æternitate ad redimendum & ſalvandum hominem, *Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* n. In primo folio libri æternitatis, cogitationum tuarum æternarum, dicit Filius, alloquens Patrē ſuum, ſit ſermo de me. Sic eſt. Auditores, primum Verbum egreſſum è mente divina Patris, decretum fuit incarnandi Filij: & eo ipſo quo Filius iſte gignitur à Patre ſuo *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum* o, deſtinatur ad iſtud officium. Jacta eſt alea: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* petit Pater æternus. *Ecce ego, mitte me* p, reſpondet iſte Filius. Sua bonitas inducit ipſum ad hominem

redi-

t Pſ. 10. 4.
u Sap. 7. 24.
x Gen. 19. 24. & 25. & Exod. 7. 20. & 10. 12. & Num. 26. 10.
y Baruch 3. 38.
z Matt. 8. 27. & Jo. 2. 9.
a Pſ. 118. 91.
b Gen. 3. 6. &c.
c Job 15. 16.
d Gen. 1. 31.
e Gen. 1. 3. &c.
f Gen. 1. 27.
g Gen. 1. 28.
h Jo. 17. 3.
i Jer. 31. 3.
k Rom. 9. 16.
l Gen. 1. 27.
m Rom. 8. 16.
n Pſ. 39. 8. & 9.
o Pſ. 109. 3.
p Iſa. 6. 8.

redimendam propter amorem quo eum diligebat, propter bonum quod non erat in eodem, ſed quod ipſe volebat in illo collocare: propterea Eccleſia *q* beatum prædicat lapſum Adæ, qui ſic eximium meritus eſt habere Liberatorem, *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Dicamus potiùs, O amor Dei immodice, qui diligis mundum, ſed mundum ſic improbum & perverſum!

Omnes creaturæ etiam ſuſceperunt eum, & omnes ſuſpirabant poſt adventum ejus, ut viderent hominem redemptum, qui participabat ipſas omnes: quia ſicut omnes expertæ fuerant diſpendium peccati, omnes etiam eodem modo ſenſerunt prærogativas reparationis; & ideò univerſæ propter id exhibent ei obſequium, & omnes agnoſcunt eum ut Dominum ſuum, & ſe flectunt ad nomen ejus, & ad gloriam quam acquiſivit redimendo hominem, ita *ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum r.* Si Angeli adoraverunt eum ab inſtanti creationis ſuæ, non ideò quòd indutus eſſet Angelicâ naturâ ipſorum, ſed quia fuit ipſis exhibitus à Patre æterno ut induendus aliquando naturâ humanâ *ſ*. & illi qui noluerunt ei obedire in hoc ſtatu, damnati ſunt *t*, cùm alii qui confeſſi ſunt illum ut Dominum ſuum, ſuſcepti ſunt in gloriam *u*. Iſti per merita ejus confirmati fuerunt in gratia, & præſervati à lapſu; & agnoverunt eum, illumque agnoſcent in æternum pro eo quòd ipſe *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* x, qui debebamus replere loca vacua ſociorum rebellium ipſorum. Et exteræ creaturæ agnoverunt etiam eum egreſſum *à Patre in mundum* y propter hominem, cùm moriatur propter eum ſolum, *Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* z. Ita ut ferè audeam dicere, quòd totus homo eſt aliquo modo obſtrictus Adæ, pro eo quòd fuerit motivum propter quod tale bonum fuerit inventum in terra, ſed bonum quod excedit omne bonum. Verum quidem eſt, quòd peccatum ex ſe non induxit Deum ad impertiendam tantam gratiam, ſed ſola natura hominis, qui defert ipſius imaginem in vaſe fragili, *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus* a. Propterea dicit Textus noſter, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et ſtatim rationem ſubdit amoris hujuſmodi, *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ipſe venit ad ſalvandos homines, ad deſtruendum peccatum, *Ut deſtruatur corpus peccati*, dicit Apoſtolus *b*. Vocat S. Paulus peccatum corpus, quia eſt verè corpus, ſed ſine animâ: non ait, ut moriatur, ſed, *ut deſtruatur*. Eſt enim corpus ſine vitâ, quod non indiget ut occidatur, ſed ut deſtruatur: ſed potiùs quod Dei Filius venit prorſus exinanitum: quia labores ipſius ſervierunt ad delendam ex univerſo orbe recordationem illius.

Eximiam video figuram iſtius in ordine quem tenuit ipſemet Deus in primâ productione mundi, in qua S. Thomas *c*, & omnes Theologi cum eo duas res obſervant, opus nimirum creationis, & opus diſtinctionis aut ſeparationis. Primum opus fuit, cùm omnes res creatæ fuerunt in illa confuſione maſſæ inordinatæ, quam antiqui Philoſophi vocaverunt chaos, id eſt, congregationem rudem ſine ordine, & ſine unione univerſarum creaturarum miſtarum adinvicem. Et hoc eſt, de quo Scriptura *d* videtur locuta, cùm dixit, *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Ecce id quod Deus creavit, propriè loquendo, educendo ipſum è nihilo: nam quantùm ad reliquum quod ſequitur, & quod exivit ex iſta magna mole indigeſta, non fuit propriè creatum, ſed eductum è materia præexiſtente; quin & ipſe homo fuit erutus è luto, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ; & factus eſt homo in animam viventem* e. Opus diſtinctionis ſeu ſeparationis, fuit cùm cuilibet creaturæ Deus aſſignavit locum ſuum, *Diviſit aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum* f. Et dedit unicuique ex illis nomen ſuum, *Et vocavit Deus aridam terram: congregationeſque aquarum appellavit maria* g. Et per has duas diverſas actiones Deus ſuſcepit diverſa nomina: nam per creationem vocatur Omnipotens: & per diſtinctionem aut ſeparationem Perfectus, quippe qui tunc perfectionem rebus tribuiſſet omnibus. Hodiernâ verò die ipſe idem peragit in reparatione ejuſdem mundi, & in deſtructione peccati quod ipſe annihilat præ affectu amoris ſui ipſe apparet omnipotens in eo quòd parcit iis qui ipſum offendunt, *Misereris omnium, quia omnia potes*, dicit illi Salomon *h*. Et Eccleſia, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Sed in opere diſtinctionis, oſtendit ſe perfectum, faciens differentiam quæ eſt neceſſaria inter hominem peccatorem & peccatum, dans unicuique ſecundùm id quod meretur: ipſe diligit naturam, quæ bona eſt, *Diligis enim omnia quæ ſunt*, ait ei idem Salomon *i*. Et odit vitium quod eſt malum: *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus. Oculos ſublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſſimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia teſtem fallacem, Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias* k. Et ad ſalvandum peccatorem ipſe ſuos omnes conatus adhibet, & brachium ſuum omnipotens, *Fecit potentiam in brachio ſuo* l. Ad hoc ut deſtruat peccatum. Et ecce quò tendit amor Dei, & ecce mundus quem Deus diligit dando Filium ſuum, qui ſe facit hominem, qui non eſt peccator, ſed *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* m, & qui nihilominùs fert *peccata multorum* n, id eſt, univerſorum hominum. Contra peccata ipſe dat tormenta & ſupplicia, quæ decrevit ipſius juſtitia, cùm Iſaias *o* nobis repræſentet *eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum.* Et tribuens hunc hominem juſtum, conſervat etiam naturam hominis En excellentia dilectionis ipſius, quæ ſic ritè peragit diſtinctionem peccati & hominis, quæ dat hominem juſtum ad ſalvandum hominem qui eſt peccator, deſtruendo in corde ejus peccatum. Ego autem neſcio quodnam teſtimonium excellentius mihi perſuadere poſſim erga mundum, id eſt, erga hominem, pro quo ſalvando Deus dat Filium ſuum: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Deus non habet niſi unicum Filium, qui eſt Deus ſibi coæqualis, ſicut ipſemet Filius ait, *Ego & Pater unum ſumus* p. Et tamen illum dat homini, & eum tradit ut moriatur pro homine, & manibus hominis. O amor immodice, quo

q Eccleſ. in Sabb. S.
r Philipp. 2. 10
ſ Hebr. 1. 6 ex Pſ. 96. 8
t Apoc. 12. 9
u Apoc. 12. 7
x Apoc. 1. 5
y Joan. 16. 28
z Epheſ. 5. 2
a 2. Cor. 4. 7
b Rom. 6. 6
c S. Thom. 1. p. q. 66. art. 1. in corp.
d Gen. 1. 1. &c.
e Gen. 2. 7
f Gen. 1. 7
g Gen. 1. 10
h Sap. 11. 24
i Sap. 11. 25
k Prov. 6. 16
l Luc. 1. 51
m Hebr. 7. 26
n Iſai. 53. 12
o Iſai. 53. 2. &c.
p Joan. 10. 30

Deus tradit Filium ſuum mundo! Amor inuſitatus, Auditores, quo Deus videtur oblivíſci magnitudinis ſuæ, & non agnoſcere depreſſionem noſtram. Amor Dei qui confundere & condemnare debet totum mundum, qui eſt ſine vigore ad agnoſcendum hunc amorem, ſemper glacidus inter ardores ejus. Sanè cogor fateri me neſcire utrum magis admirari debeam, aut amorem Dei, qui dat Filium ſuum mundo, aut ingratitudinem mundi, qui non agnoſcit nec æſtimat donum ſic excellens.

II. Pars.

Deus eſt qui dat ipſum, & Deus eſt qui datur. Quòd ſi heſternâ die vobis oſtendi donum ſublime & excelſum, quod erat Spiritus ſanctus; ſi admirati eſtis hunc ignem q deſcendentem ſuper Apoſtolos viſibiliter, & inviſibiliter ſuper animas juſtas; nolite ita ibi ſiſtere cogitationes veſtras, quin elevetis etiam eas ad conſiderationem iſtius ignis r, qui eſt Deus æquè ac ille qui deſcendit heri: quod inducit me ad tranſeundum ad ſecundam conſiderationem, quæ eſt modus, quo mittitur, qui antecedit modum quo mittitur Spiritus ſanctus. Si enim Apoſtoli ſuſceperunt eum heri viſibiliter in linguis igneis: ſi quotidie ſe nobis dat inviſibiliter per gratiam & per amorem, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* ſ, iſtud non fit niſi per unionem tranſitoriam quam poſſumus amittere, & facilè ejicere à nobis; hoc non agitur niſi per accidens ſupernaturale: ex Spiritu ſancto & ex Apoſtolis non fit eadem res, & eadem perſona, licèt ipſum ſuſceperint, & ipſum non ſint amiſſuri, juxta promiſſum quo ìiſdem ſuis ſe Chriſtus alligavit diſcipulis, *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclêtum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis* t. Non unit ſe ſubſtantialiter illis, nullum ſuſcipit detrimentum, nec ullam depreſſionem per hanc miſſionem: ſed cùm Pater æternus dedit nobis Filium ſuum, id egit ut uniret illum humanitati noſtræ unione ſubſtantiali perſonæ Verbi, quam dat naturæ noſtræ, quæ ipſam ſuſcipit; ſed unione indiſſolubili, quæ nunquam peribit, licèt omnes vires orbis & inferni inſurgant adversùs ipſam: quamvis enim omnia peccata & crimina mundi ipſam onerent, ipſa tamen ſemper manebit firma & inconcuſſa, & jugiter manebit in eodem ſtatu, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

q Act. 2, 3
r Luc. 12, 49
ſ Rom. 5. 5
t Joan. 14. 16

Totum eſt magnificentiſſimum in iſto Divino dono: licèt enim nulla ſit eſſentiæ diſtinctio inter tres perſonas Divinas, quæ non ſunt niſi res eadem in ſubſtantia & in perfectionibus, *Tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales*, ait S. Athanaſius u: id eſt, in ſubſtantia, in eſſentia, & in perfectionibus abſolutis: quia, ut idem S. Doctor ait aliquantò ante, *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus: increatus* x *Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus: immenſus* y *Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus: æternus* z *Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus: & tamen non tres æterni, ſed unus æternus; ſicut non tres increati, nec tres immenſi; ſed unus increatus & unus immenſus*: & S. Joannes a, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt*: tamen datur etiam in ea diſtinctio hæc perſonarum quantùm ad proprietates relativas, in eo quòd Pater generat b, & non generatur; & Filius gignitur, & non gignit; Pater & Filius eodem actu amoris producunt *Spiritum veritatis* c, qui producitur, nec tamen aliquid producit in Trinitate. Et hoc modo Pater eſt prior Filio ordine originis, ut dicunt Theologi; & Pater & Filius ſunt eodem ordine originis priores Spiritu ſancto, cùm ſint ambo illius idem principium indiviſibile. Et hoc eſt quod agit hæc diſtinctio perſonarum in Trinitate, per quam Pater eſt prima, Filius eſt ſecunda, & Spiritus ſanctus eſt tertia perſona: ſic ut dicere poſſim hâc ratione, quòd ſit aliquid plus in communicatione Filii, non ratione eſſentiæ, quæ eſt ſemper idem Deus, ſed ratione perſonæ, quæ eſt prior ordine originis perſonâ Spiritus ſancti.

u S. Athanaſ. in Symbol.
x ex Exod. 3. 14
y Baruch 3. 25
z ex Dan. 13. 42
a 1. Joan. 5. 7
b Pſ. 2. 7
c Joan. 15. 26

O magnitudo charitatis! ô abyſſus dilectionis quam concipere non poſſum! Quiſnam igitur non accendetur his ardoribus, cùm comprehendere nequeamus illorum perfectionem? *Non poſſum te capere, tu me capies*, ajebat alias Philoſophus quidam Ethnicus. Dicamus & nos idem, Auditores, ſed in ſubjecto ſacro, Non poſſum te meote meâ concipere, ô Amor Dei mei, ô Charitas Patris æterni, quâ dediſti Filium tuum mundo, *Non poſſum te capere, tu me capies.* Trahe me ad te, accende me hoc igne qui eſt in te; projice in cor meum hunc amorem qui me trahat ad te, & ſe mihi det. Et ecce, Auditores, quot vicibus hic idem Filius Dei ſe mundo dat inviſibiliter, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus panis & vini †: ipſe venit ad nos, id eſt, domos noſtras, cùm non poſſumus adire domum ipſius, ſcilicet, Eccleſiam; unit ſe nobis, animabus noſtris, & corporibus noſtris, ita ut Filius Dei non poſſit melius exprimere amorem ſui Patris æterni dando ipſum mundo quàm per unum ſic, *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c.

† Joan. 6. 56

III. Pars.

Tertia conſideratio quam facio ſuper amorem Dei in hoc dono, quod ipſe nobis offert, eſt, quòd iſtud donum nobis fit gratis, quando eramus maximi inimici ipſius. Nunquam mereri potuit aliquis deſcenſum Filii Dei in terram, iſtud eſt ultra poteſtatem hominum & Angelorum, quia eſt bonum infinitum, quod nullum reperire poteſt inter creaturas meritum, nec agnoſcit niſi bonitatem ſuam, & amorem ſuum æternum. Omnes Patres antiqui qui ſuſpirabant ad adventum ejus, contentâ voce clamantes, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem* d: non potuerunt illum mereri: ſicut nec illum dignè & abſolutè meruit B. Virgo Maria quæ fuit terra quæ germinavit hunc fructum noſtræ ſaluti operandæ accommodum, *Beata Virgo, columba* e *pura, & Sponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis, ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* f *ſuſcipiens etiam manipulum germinavit* g. Quin imò & ipſe Filius Dei, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* h, non meruit hanc hominibus gratiam, id eſt, nec prout Deus, nec prout homo, non obſtantibus commentis eorum qui auſi ſunt dicere, quòd humanitas Jeſu non fuerat unita perſonæ Divinæ Verbi niſi poſt mortem ſuam, dicentes, quòd meruiſſet per paſſionem ſuam hanc unionem ſic incomprehenſibilem. Deus eſt incapax meriti, cùm beatus ſit per naturam: præterquam quòd meritum ſupponit aliquem defectum perfectionis. Quoquo modo iſtud accipiamus, Dei Filius mereri non potuit hanc unio-

d Iſai. 45. 8
e ex Cant. 6. 8
f ex Joan. 12. 24
g S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
h Phil. pp. 2. 7

unionem: nam quantùm ad perſonam Divinam, quis dicere poſſet abſque blaſphemiâ, quòd Deus mereri poſſit in ſe mercedem finitam, & rem ſic vilem & ſic depreſſam? Deus habet totam beatitudinem in plenitudine ſuâ, ipſe poſſidet omnia bona quæ deſiderari poſſunt unquam in univerſo orbe, ſicut Pſalmiſta i fatetur, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipſe habet ad totum quod poteſt eſſe pulchri, excellentis, & perfecti: & ideò poſſetne quid ipſe magis ſuſcipere? ſed accepitne ipſe aliquid, dando ſe? factusne fuit inde ipſe major? Nequaquam. *Sed ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis k.* Ipſe non eſt lucratus niſi pœnas, labores, miſerias, & tormenta, ſicut ipſemet ait, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute meâ l.* Et ideò ſe faciens hominem, nullam reperire potuit mercedem, nec per conſequens habere ullum meritum. Non eſt ullum meritum niſi pro creaturis: & ſi Dei Filius meruit exaltationem nominis ſui, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris m:* iſtud non fuit niſi in ipſius humanitate, quæ elevata fuit illuc, ubi non erat, & in gradum Divinæ Filiationis per naturam & per eſſentiam. Minus etiam mereri potuit hanc unionem prout homo: ſcimus enim quòd omnis merces ſequitur meritum, meritum ſupponit operationem, & operatio libertatem in eo qui operatur: Humanitas Jeſu nunquam fuit antequam uniretur Verbo, corpus & anima ipſius producta ſunt & unita eodem tempore Divinitati ipſius; ita ut dicere poſſimus præ veritate, quòd nihil fuit in univerſo orbe, quod induxerit Deum ad mittendum Filium ſuum in mundum ſumptum carnem humanam: ſolus amor quo diligebat ipſe mundum, hanc habuit poteſtatem: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Sed adventum Spiritus ſancti meruit Filius Dei, cùm paſſus fuerit magnanimiter ad obtinendam nobis hanc gratiam à Patre ſuo: & licet cùm illum ſuſcipimus in nos ipſos, hoc ſit per puram libertatem Dei: tamen ille favor nobis fuit acquiſitus laboribus Jeſu, qui ſibi jus acquiſivit mittendi nobis illius per meritum: propterea ſuis ipſe dicebat Apoſtolis, *Paraclètus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo n.* Id eſt, per meritum meum, quia hunc favorem lucratus ego ſum laboribus meis. Solus ergo amor Dei induxit ipſum ad mittendum nobis Filium ſuum gratis, abſque ullis meritis noſtris, imò verò cùm maximi inimici ipſius eramus, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus o.*

i Pſ. 15. 2.
k Philipp. 2. 7. & 8.
l Pſ. 87. 16.
m Philipp. 2. 9. &c.
n Joan. 14. 26.
o Rom. 5. 10.

Concludamus totum hunc diſcurſum, & conſideremus attentè quam ſit ingens noſtra cæcitas, & immodica malitia noſtra, cùm ſimus ita frigidi inter carbones ardentes Divinæ charitatis: nos ſumus in igne, ſicut Salamandra, nedum ſentiamus illius ardores, imò verò nedum vel illius calorem tantiſper experiamur. Et ratio illius, ut opinor, ea eſt, quam Philoſophi afferunt, cùm dicunt, quòd magnus ignis extinguit parvum. Sed quomodo id, dicetis mihi? Non per ſeipſum: non enim hoc poteſt, ſed avellendo materiam pabuli, quod ipſum fovebat in eſſe ſuo: idem dicendum de nobis: habemus primum affectuum noſtrorum qui eſt amor, ſed vereor ne multò ſit ardentior erga terram quam erga cœlum: ſi ita ſe res habet, ſicut exiſtimo, is affectus qui fortior eſt, abripit ad omne quod eſt in mundo, quod ſervit ipſi loco pabuli, ita ut amore creaturarum imperante in nobis, amor Creatoris ſtatim extinguatur, ſicut dicit Calepinus p de Salamandrâ poſt Plinium, *Cui tantus rigor eſt, ut ignem nullâ ſui læſione tactu extinguat, non aliter quàm glacies.* Quia non referimus ad Deum ſolum beneficia ipſius: cùm conſilia noſtra nobis ſuccedunt ad deſiderium, ea adſcribimus induſtriæ noſtræ, auxilio amicorum & favori populi, & non cogitamus hoc fuiſſe decretum a cauſâ prima, quæ nobis offert media fovendo huic igni ſui amoris opportuna. Deus non dat nobis iſta bona niſi ut nos inducat ad ipſum amandum, & poſtquàm ipſe nobis tradidit ſemetipſum, nobis etiam largitur univerſa: *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit q?* Quia diligit nos, & vult ut ipſum diligamus, & agnoſcamus amorem ipſius amore reciproco, cùm dilectio nonniſi dilectione compenſetur. *Magna res amor: nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari, quippe non ad aliud amat niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amaverint,* ait S. Bernardus r. Nihil eſt naturalius homini quam ſit amor: in odio ſemper reperitur amor: nunquam enim odio proſequeremur id quod nobis eſt contrarium, niſi diligeremus id quod nobis ſatisfacit, & quod non invenitur in ſubjecto odii noſtri: diligamus ergo Deum qui ita nos dilexit, & qui nihil aliud requirit a nobis pro amore ſuo, niſi amorem, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* *. Sed heu! lego ſuper frontibus veſtris cauſam defectus amoris iſtius, quæ eſt elongatio à Deo, quæ ſit per peccata, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* ſ. Quia amor eſt iſtius naturæ, ut ardeat coram eo quod ipſe diligit, & langueat eodem abſente, ſicut dicitur, *Cùm præſto eſt quod amatur, amor viget, languet cùm abeſt.* Putaretiſne quòd defectus ſit imputandus Deo veſtro, ſi amor ipſius ita lentè procedit in cordibus & in animabus veſtris? Turpiter hallucinaremini, ſi in hanc abiretis impietatem & blaſphemiam: ipſe enim præ foribus eorumdem cordium veſtrorum ſtat, & pulſat, ſicut ipſemet ait, *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* t. Ipſe eſt prope nos, cùm dicat S. Lucas u quòd *non longè ſit ab unoquoque noſtrûm. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Sufficit ut aperiamus ei oſtium cordis noſtri, & ipſe confeſtim nobis adeſt: ſufficit tantùm ut ipſum velimus, & ſtatim habebimus ipſum: ignis iſte, de quo ipſemet dicit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* x, circumquaque diffunditur non recedit niſi ab illis qui fugiunt ipſum; ſufficit ut ad illum appropinquetis, ad hoc ut eo inflammemini: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis,* ait vobis S. Jacobus y. Currendum eſt ſimul, ſicut ille venit ad vos, ite ad illum, *Dilectus meus mihi, & ego illi* z, ajebat Sponſa ſacra. Si ipſe diligit me, ego diligo eum; ſi ipſe ſe dat mihi, ego me præbeo ei; ſi ipſe prævenit affectus meos, ego ſequor illius voluntates; ſi ipſe velit eſſe mecum, tenebo eum, *nec dimittam* a. Quærumus igitur illum

p Calepin. in Dict. [illegible] V. Salamandra. Ex Plin. lib. 10. c. 67
q Rom. 8. 31. & 32
r S. Bern. ſerm. 83. in Cant.
* Prov. 23. 26.
ſ Iſai. 59. 2
t Apoc. 3. 20
u Act. 17. 27. & 28
x Luc. 12. 49
y Jacob. 4. 8
z Cant. 2. 16
a Cant. 3. 4

b Cant. 1. 7 illum in *meridie* b amoris ſui: ibi conſumemur æquè ac inflammabimur ardoribus ejus: ibi reperiemus illum ſedentem in medus *prunu ignu* c, c Ezech. 10, 2 quos projicere vult in ſinus noſtros, ad hoc ut purget nos ab univerſis terræ ſordibus, ut dignos nos reddat gloriâ ſuâ.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cæperunt loqui. Act. 2. 4. &c.

NOn intueor in iſto circulo ullos ex illis hominibus errantibus & inſenſatis, qui, ut dicit S. Auguſtinus a, a S. Aug. ſerm. 11. de Verb. Dom. c. 3 impudenter auſi ſunt aliàs negare Divinitatem Spiritus ſancti: tota iſta concio credit hanc veritatem, & confitetur, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* b. b 1. Joan. 5. 7 Nimirum, quòd tres ſunt perſonæ Divinæ, quæ ſunt res eadem in naturâ, in eſſentiâ, & in ſubſtantiâ, & quòd Spiritus ſanctus, qui eſt una ex illis perſonis, *à Patre procedit* c c Joan. 15. 26 æqualiter & a Filio operatione voluntatis ipſorum, ſeu dilectione ipſorum reciprocâ, & debet indiviſibiliter & æqualiter cum illis adorari, ſicut canit Eccleſia poſt Concilium Nicænum, *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Nec ullam hîc audio ex illis linguis infernalibus, quæ cum aliàs blaſphemaverint contra perſonam Filii ſic, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes* d: d Joan. 8. 48 ſic inſolenter hodie negant deſcenſum Spiritus ſancti, & ebrietatis accuſant eos, quos diverſis idiomatibus audiunt loqui: *Facta autem hâc voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes. Alii autem irridentes dicebant, Quia muſto pleni ſunt iſti.* Tota iſta concio eſt Catholica, quæ honorat præ reverentiâ, & reveretur præ amore hoc beneficium, quod Eccleſia ſuſcepit in perſonis Apoſtolorum, quodque communicatur etiam fidelibus omnibus Chriſtianis, qui recipientes gratiam Dei, ſuſcipiunt etiam Spiritum ſanctum in propriâ perſonâ ipſius ut Authorem & principium gratiæ, cui ſanctificatio animarum e e 1. Cor. 6. 11 propriè attribuitur, ſicut redemptio Filio f, f 1. Cor. 6. 20 & creatio Patri g: g Gen. 1. 1. &c. *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, ait Apoſtolus h. h Rom. 5. 5 Et Cornelius i. i Cornel. in Rom. 5. 5 *Nota quod ait Paulus: Per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hinc enim patet, in juſtificatione non tantùm gratiam Spiritus ſancti, ſed & ipſum Spiritum ſanctum quaſi primum Dei donum nobis dari; non ſolùm enim Spiritus ſanctus nobis charitatem, & dona ſua communicat, ſed & per ea in nobis ipſe Spiritus ſanctus inhabitat: licèt enim anteà ipſe in animâ fuerit per eſſentiam, potentiam, præſentiam* k; k ex Jer. 23. 24 *datur tamen rurſum animæ, dum illa juſtificatur, ut ſit in eâ novo modo; ſcilicet quaſi in templo ſuo* l, l ex 1. Cor. 3. 16. & 17 *eamque per charitatem ſanctificet, ſatietque participem ſui amoris. Eſt enim ipſe primus & increatus Amor.* Veritates iſtæ Divinæ creduntur ab omnibus vobis, ſed omnes tamen nondum intelligitis rationes propter quas Dei Filius, cùm pluſquàm ſufficienter juſtitiæ Patris ſui pro nobis ſatisfecerit, *peccata multorum* m m Iſa. 53. 12 ferendo, redemptionem noſtram perfecerit, & cumulum perfectionis impoſuerit ſaluti noſtræ, Spiritum ſanctum ſuum mittere debuit in Eccleſiam, quaſi paſſio ipſius eſſet deficiens, labores ipſius eſſent infirmi, & merita ipſius inefficacia. Rationes iſtæ ſunt tres prærogativæ, quas Eccleſia, & quilibet fidelis ſuſcipit a Spiritu ſancto, qui ſua nobis cõmunicabit lumina propter hunc effectum in iſto diſcurſu, in quo Primò conſiderabimus ipſum Vivificatorem, Secundò Liberatorem, Tertiò Conſolatorem, poſtquàm dixerimus Sponſæ ipſius cumulatæ ab ipſo gratiis ſuis, *Ave Maria.* Diviſio.

I Pars. Prima ratio propter quam Spiritus ſanctus hodiernâ die mittitur ad nos, eſt, ut ſit Vivificator noſter, id eſt, ut det Eccleſiæ, & fidelibus vitam, quam Jeſus Chriſtus nobis meruerat morte ſuâ, *Spiritus eſt qui vivificat* n. n Joan. 6. 63 Antiqui Philoſophi detenti in cæcitate Gentilitatis idolorum cultricis, ſed aliunde ſtupore perciti intuitu magnæ molis orbis iſtius, imaginati ſunt animam, quæ ipſum animaret interiùs, & daret ei vitam æquè parùm cognitam imaginationi ipſorum ac veram in eſſe ſuo: videntes enim ordinem & diſpoſitionem admirabilem creaturarum, productiones nunquam interruptas inter cauſas inferiores, rati ſunt aliquâ ratione veriſimili, totum illud non potuiſſe durare diu niſi operatione animæ communis & generalis univerſo orbi, quæ accommodans ſe ad captum diſpoſitionis cujuſlibet partium ipſius, operaretur etiam conformiter ad naturam uniuſcujuſque; ſicut anima rationalis, cùm ſit eadem & unica in toto corpore, & in ſingulis ipſius membris, habet tamen operationes differentes & conformes naturæ & qualitati eorum: ego autem dico quòd melius ratiocinati eſſent, ſi dixiſſent quòd hæc anima, quam imaginabantur, non erat aliud quàm Deus, qui eſt totus in toto mundo, & totus in quâlibet partium ejus o, o Jer. 23. 24 operans cum omnibus creaturis ſuperioribus & inferioribus, cœleſtibus & terreſtribus, viſibilibus & inviſibilibus, corporalibus & ſpiritualibus, quæ omnes non poſſunt agere deſtitutæ concurſu ejus. Sic ratiocinati ſunt Platonici, dicentes, quòd Spiritus Divinus erat anima mundi univerſalis, cui dabat virtutem ſuiipſius conſervandi: & fortaſſis hoc didicerant è Geneſi p, p Gen. 1. 1. & 2 ubi dicitur quòd cùm *in principio creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ut daret eis vim producendi, & quòd virtus ipſius volebat inde facere naſci cum tempore ſucceſſionem omnium ſeculorum. Hæc eſt prima ratio propter quam mihi videtur, ſapienter loquendo, quænam ſit anima mundi materialis, puta Spiritus ſanctus, qui mundum replet, *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum* q. q Sap. 1. 7 Qui cùm dediſſet aquis vim producendi creaturas, voluit etiam ipſemet eas ſiccare, cùm *inundaverunt* r r Gen. 7. 18. &c. ſuper terram, & omnes illius incolas perdiderunt, *Adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ* ſ. ſ Gen. 8. 1 Deus retraxerat Spiritum ſuum è terrâ, irritatus malitiâ & ingratitudine hominum, *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* t. t Gen. 6. 3 Et ſtatim totus mundus deor-

deordinatus eſt, & ferè ſui omnimodam jacturam incucurrit: miſit denuò Spiritum ſuum in terram, & ſtatim diluvium ceſſavit, & mundus reparatus eſt, recuperans primam vitam ſuam. Ad quod Pſalmiſta *u* videtur alluſiſſe, dicens Deo, *Auferet Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittet Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Sed multò meliùs dicam hodiernâ die, quòd iſte Spiritus Divinus eſt anima Eccleſiæ novæ, quæ apparet ut novus mundus juxta prædictionem Iſaiæ x, *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, ſed Ieruſalem exultationem, & populum ejus gaudium.* Ubi, juxta Cornelium y, *Nota, Regnum Chriſti in Eccleſia vocari novum mundum, qui multò amplior, ornatior, auguſtior eſt iſto quem cernimus, ut patet conſideranti ejus gratias, chariſmata, Sacramenta, miracula, ſapientiam, efficaciam, ſanctitatem, ejuſque Principes Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, &c. Hoc autem Regnum hic inchoatur, ſed perficietur in reſurrectione, quando cœlum & terra verè & materialiter innovabuntur* z. *Quia ecce ego creo Ieruſalem* (*Eccleſiam*) *exultationem, & populum ejus gaudium. Exultationem, id eſt, exultantem, gaudium, id eſt, gaudentem: ponuntur enim abſtracta pro concretis: ut ſignificetur, quòd valdè exultabit & gaudebit, ita ut tota videatur converſa in exultationem & gaudium. Hæc ad genuinos Eccleſiæ filios, putà Sanctos pertinent, non ad impios & ſceleratos.* Eſt igitur Eccleſia mundus myſticus & ſpiritualis, in quo poſſet nobis Deus oſtendere id omne quod eſt ſpecioſum & dives in mundo materiali cum tantâ imò verò ampliori perfectione, quàm mundus iſte quem videmus, obnoxius eſt corruptioni, & tandem cùm *adveniet dies Domini, ut fur, igni ardore a tabeſcet* è cœlo deſcendentis; cùm Eccleſia quæ ferè nihil apparet in principio ſuo, duratura ſit uſque ad æternitatem, ſe dilatatura ſit abſque terminis, incipiens ſuper terrâ, finienda in cœlo, aut potiùs nunquam finienda: & ignis iſte qui deſcendit hodie, veniat ad dandam ei vitam, & ad reddendam eam æternam, cùm ipſe ſit æternus *b*. Si enim conſideremus hanc Eccleſiam exeuntem è latere novi hominis, ſicut exivit Eva de latere primi Adæ c, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* ait S. Auguſtinus *d*: & alibi *e*, *Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia: dormiente Adam, fit Eva de latere, mortuo Chriſto lanceâ perforatur latus* f; *ut perfluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia: Unde meritò Apoſtolus ipſum Adam dicit formam futuri* g: *Quia ſicut omnes in Adam moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* h: fateri debemus, quòd iſte qui *lanceâ exivit ſanguis* i è latere Chriſti, animatus potentiâ Divinâ, & vitâ cœleſti, quæ erat in eodem Chriſto, qui eſt *brachium Domini* k, & *via* l, erat pluſquàm ſufficiens ad formandam Sponſam viventem vitâ Sponſi ſui, & Patris ſui, qui ipſam pariebat laboribus ſuis: tamen hæc Eccleſia erat ſepulta in obſcuritatibus, & veluti mortua in infirmitate eorum, qui erant ipſius membra; mundus iſte novus erat in ſterilitate, donec Deus ad ipſam hanc Eccleſiam mitteret Spiritum ſuum vivificantem, qui ipſam animaret, & daret ipſi vitam, quam Ieſus Chriſtus acquiſivit ipſi morte ſuâ, & cum vitâ vim & potentiam extendendæ & multiplicandæ ſuiipſius: *Elevatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo* m. *Quis enim Solis nomine niſi Dominus, & qua Luna nomine niſi Eccleſia deſignatur? Quouſque enim Dominum aſcendit ad cœlos, ſancta ejus Eccleſia adverſa mundi omni modo formidavit. At poſtquàm ejus aſcenſione roborata eſt, apertè prædicavit, quod occultè credidit,* ait S.Gregorius *n*. Et ratio iſtius eſt, quòd ſicut corpus materiale & mortale Jeſu Chriſti formatum fuerat *de Spiritu ſancto* o; & ſicut idem Salvator eumdem *per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* p: ſic & idem Spiritus ſanctus, qui ſanctificaverat hanc Divinam oblationem & mortem, debebat etiam opus perficere, & fructus illius & utilitates communicare hominibus, id eſt, dare eis vitam abſconditã in Jeſu Chriſto, qui eis illam meruerat paſſione & morte ſuâ. Et hoc eſt quod antiqui Ethnici agnoverunt, incogitanter tamen, commenti quòd Prometheus perficere volens hominem, quem manibus ſuis è luto finxerat, ivit in cœlum, accendit facem ad Solem, & rediens in terram hoc igne coxit hujuſmodi lutum, & perfecit ſic opus ſuum, *Prometheus hominem ex luto dicitur formaſſe, & ex cœleſti igne animaſſe*, ait Calepinus *q*. Et ſtatim ſubdit, *Promethei fabulam ſic refert Servius, Prometheus* (*inquit*) *poſt factos à ſe homines, dicitur auxilio Minervæ in cœlum aſcendiſſe, & adhibitâ faculâ ad rotam Solis ignem furatus, quem hominibus indicavit.* Quod videmus die hodiernâ mutatum in hiſtoriam veram: nam cùm Salvator eduxiſſet Eccleſiam è corpore ſuo, & ex infirmitate mortis ſuæ, & videns aliunde quòd hæc indigeret igne ut daretur ipſi perfectio ſua, *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei* r, è cujus corde, non autem è Sole materiali & creato, ſed ex increato Sole *intelligentiæ* ſ, eduxit ignem cœleſtem, & illum projecit ſuper Apoſtolos, & diſcipulos, & ſanctas mulieres, qui componebant hoc myſticum corpus Eccleſiæ, & perfecit hoc modo id, quod ipſe videtur nonniſi incepiſſe paſſione & morte ſuâ.

Conſiderate ſtatum mundi univerſalis in principio ſuæ creationis, cùm omnes creaturæ erant adhuc confuſæ: *Terra erat inanis & vacua: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* t. Id eſt, Terra erat otioſa, quippe quæ nihil adhuc produxiſſet in mundo: & ideò Deus miſit Spiritum ſuum qui ſepararet aquas, eaſque congregaret *in locum unum*, fœcundaret terram, daret ei poteſtatem operandi, educendo eam ab otio, ponendo eam in exercitio, & eruendo poſteà ex illâ diverſitatem creaturarum, *Terra erat vacua plantis, animantibus, ſeminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, & collibus, metallis & mineralibus, ad quæ naturalem quaſi inclinationem habet*, ait Cornelius u. *Et Spiritus Domini ferebatur, Hebraicè eſt merachephet, quod teſte S. Baſilio, Diodoro, & Hieronymo in Quæſt. Hebraic. in Gen. eſt volucrum, dum ſuper ova & pullos quaſi pendula leniter agitatione alarum ſe librant, movitant, & volitant, iiſque deinde incubant, calorem aſpirant, fovent, & animant. Pari modo Spiritus ſanctus ſuperferebatur, vel, ut Tertullianus legit, ſupervectabatur aquis, non loco aut motu, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentiâ, ſicut ſuperfertur rebus fabricandis voluntas, & idæa artificis, inquit S. Auguſtinus* x. *Hâc ergo voluntate ac potentiâ ſuâ, cum aurâ calidâ quâ à ſe ſpargebat, aquis quaſi incubabat Spiritus ſanctus, eiſque vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, piſces, & germina; imò cæli omnes ex aquis producerentur.* Talis erat Eccleſia Salvatoris ab ipſius aſcenſione, quaſi vacua & otioſa, id eſt, ſine pulchritudine & abſque fructu; ipſa erat veluti mortua, incluſa intra quatuor muros cœnaculi: Deus mittit ad ipſam Spiritum ſanctum ſuum, & tunc

u Pſ. 103. 29. & 30
x Iſai. 65. 17 & 18.
y Cornel. in Iſai. 65. 17. & 18
z ex Apoc. 21. 1
a 2. Petr. 3 10. & 12
b Dan. 13. 42
c Gen. 2. 22.
d S. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103
e S. Aug. lib. Sent. S. Proſp. Sent. 329
f ex Joan. 19. 34
g ex Rom. 5. 14
h ex 1. Cor. 15. 22
i Joan. 19. 34
k Iſai. 53. 1
l Joan. 14. 6
m ex Habac. 3. 11
n S. Greg. hom. 29. in Evang.
o Matth. 1. 18
p Hebr. 9. 14
q Calepin. in Diction. V. Prometheus.
r Marc. 16. 19
ſ Sap. 5. 6
t Gen. 1. 2. &c.
u Cornel. in Gen. 1. 2
x ex S. Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 7

ipſa incipit operari; Apoſtoli foras exeunt, prædicant gloriam Domini ſui, & cùm ſuſceperint in ſemetipſos vitam, quæ prius tota videbatur eſſe *abſcondita cum Chriſto in Deo* y, eam communicant aliis, ita ut multos convertant: *Qui ergo receperunt ſermonem ejus*, id eſt S. Petri, *baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illâ animæ circiter tria millia*, dicit Scriptura z. Et S. Auguſtinus a, *Ante paſſionem Domini, ſervilis timor ejus interrogatus eſt à fœminâ ſervitutis* b: *poſt reſurrectionem verò Domini, liberalis ejus amor* † *ab ipſo Principe libertatis* c. *Et ideò ibi turbabatur, hic tranquillabatur: ibi quem dilexerat, negabat* d; *hîc quem negaverat, diligebat: ſed adhuc etiam tunc amor ipſe infirmus fuerat & anguſtus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus ſanctus*. Et quemadmodum, ſicut ſuprà dixi, cùm retraxiſſet Deus Spiritum ſuum ab homine e, totus mundus immerſus eſt diluvio f. & oportuit, ut iterùm eundem ipſemet *Deus Spiritum ſuper terram* g adduceret, ad reparandum & renovandum eundem mundum: ſit *& Dominus quidem Ieſus poſtquàm aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei* h, Eccleſia erat velut immerſa infirmitati ſuæ; & oportuit ut Spiritus ſanctus deſcenderet ad eam roborandam, & ad dandam ei vitam, quam Author ipſius videbatur ſecum abſtuliſſe in cœlum. Et hoc erat promiſſum, quo idem ſuis ſe Chriſtus alligaverat diſcipulis, *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos* i. Ut autem concludamus hanc primam rationem tum utilitate, conſiderate qualis eſt anima deſtituta Spiritu ſancto, & dicite quòd mortua eſt: *Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ Deus*, ait S. Auguſtinus k. Et ſicut Spiritus ſanctus eſt anima mundi materialis, & mundi myſtici quod eſt Eccleſia, ſic eſt anima microcoſmi, ſeu hominis, quem vivificat dando ei amorem ſuum, cùm verum ſit id quod ait S. Joannes l, *Qui non diligit, manet in morte*. Cùm ſit privatus vitâ gratiæ, quæ animare debet animas quæ ſunt in charitate, quæ eſt vita animæ, quæque non poteſt venire niſi à Spiritu ſancto, qui eſt Deus & Pater amoris, quem dat hodie Apoſtolis viſibiliter ſub formâ ignis, & quē vult inviſibiliter dare Chriſtianis omnibus, qui aperient corda ſua Divinæ receptioni ipſius.

II. Pars. Secunda ratio propter quam Spiritus ſanctus hodiernâ die mittitur ad nos, ſeu ſecunda prærogativa quæ nobis provenit ex adventu ejus, eſt, quòd perfunctum venit officio Liberatoris, id eſt, venit nobis datum libertatem, quam Salvator nobis meritus eſt vinculis ſuis m, & per *formam ſervi* n quam accepit, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* o. Titulus Liberatoris ita juſtè debetur Salvatori, ut videatur non poſſe dari alii quam ipſi ſoli, qui nos redemit *prētio magno* p, & nos *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum* q, operiens ſe veſte ſervitutis; ſeu *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno* r*) ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu: ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem*, ajebat S. Paulus ſ. Tamen certum eſt quòd Spiritus ſanctus hodie eodem fungitur officio, inquantùm nobis communicat hanc libertatem, quam Jeſus Chriſtus nobis ſervitute ſuâ meritus eſt; & docet me S. Paulus t, quòd nunquam Spiritus ſanctus eſt ſine libertate, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*. Cùm deſcendens in terram, verit mutet hodie legem ſervitutis in legem libertatis. Sed cùm iſtud ſatis ſuperque nudiuſtertius tractaverim, ideò diutiùs in eo non immoror.

y Coloſſ. 3. 3
z Act. 2. 41
a S. Aug. Tract. 92. in Joan.
b ex Matth. 26. 69
† ex Joan. 21. 15. &c.
c ex 2. Cor. 3. 17
d ex Matth. 26. 70
e Gen. 6. 3
f Gen. 7. 17. &c.
g Gen. 8. 1
h Marc. 16. 19
i Act. 1. 8
k S. Aug. Con. 2. in Pſ. 70
l 1. Joan. 3. 14
m Joan. 18. 12
n Philipp. 2. 7
o Gal. 4. 31
p 1. Cor. 6. 20
q 1. Petr. 2. 9
r ex Deut. 21. 23
ſ Gal. 3. 13 & 14
t 2. Cor. 3. 17

Quòd ſi nunc efflagitare vellem à Chriſtianis id, quòd quibuſdam diſcipulis Epheſi *Paulus dixit, Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes?* vereor ne multi mihi reſponderent idem quòd *illi dixerunt ad eum, Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus* u. Verum eſt, Auditores, multi Chriſtiani in mūdo, in iſta civitate, & in iſta concione, à quibus *Spiritus Domini receſſit* non ſecus ac à *Saul, & quos Spiritus nequam* x, ſeu mundanus, exagitat, ignorant num ſit Spiritus ſanctus, quia contemnunt gratias & favores, quibus vult ipſos cumulare, & ſequuntur vias contrarias viis Spiritus ſancti, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* y. *Bonus & ſuavis eſt Spiritus ſanctus in omnibus* z. Iracundi autem & ſeditioſi qui illum non poſſident, nec illum cognoſcunt. Spiritus ſanctus vocatur ab Eccleſiâ *Pater pauperum* a, & *Dator munerum* b. Illi verò qui pauperes devorant, & quibus ſingulis exprobrari poteſt iſtud Jeremiæ c, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium*: non habent illius notitiam. Ipſe requieſcit ſuper humiles, & in cordibus illorum qui metuunt verba ipſius, & adorant ipſius voluntates, *Dicit Dominus, Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos* d? Seu, juxta S. Bernardum e, *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum?* Et illi qui adhærent vanitati, & auras populares aucupantur, non noverunt eum. Spiritus ſanctus abhorret omne genus hypocriſis, *Abominabile Domino cor pravum* f. Quotiam ſunt hodiernâ die Chriſtiani, quibus improperari poteſt id quod Jeſus Chriſtus dicebat aliàs Scribis & Phariſæis? *Væ vobis hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ: ſic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti: intùs autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate* g. Tandem, Spiritus ſanctus non inhabitat animam inquinatam peccato, nec corpus obnoxium corruptioni: nam quia eſt Deus puritatis, ideò vult animas ſanctas; & cùm ſit Deus libertatis, propterea requirit eaſdem animas liberas ab omni peccato, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, ait S. Joannes h. *Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, dicit Salomon i. *Sciendum autem*, ſubdit Hugo Cardinalis k, *quòd non ſolùm anima dicitur habitaculum Spiritus ſancti ſive Dei, ſed etiam corpus. Vnde, An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt* l? *Primò dixit, In malevolam animam non introibit ſapientia. Poſt addidit, Nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſigillans duo genera peccatorum, ſcilicet ſpiritualia, & corporalia. Corporalia duo, ſcilicet gulam, & luxuriam. Spiritualia quinque, inanem gloriam, invidiam, iram, acediam, avaritiam.*

Impoſſibile eſt conceptu quomodo ſoli peccatores ſibi complacent in catenis ſuis, cùm nullū bonum comparabile ſit libertati, & nulla res ſit quam natura magis abhorreat quàm ſervitutem, quam entia vel inſenſibilia ſuſtinere non poſſunt: Ignis incluſus in fornacibus, eas diſrumpit, niſi veluti liber præbeatur ipſi inde exitus: Aër reconditur intra viſcera terræ, ad hoc ut exeat è captivitate, concutit fundamenta montium, quorū ruinæ conterunt civitates: Aqua ſtrepit, ruit in litora & in ripas, & ſtrictiſſimas quaslibet cataractas pervadit ac penetrat; & tum fluvii inundare poſſunt ſuper ripas ſuas, ſibi veluti complacere

u Act. 19. 1. & 2
x 1. Reg. 16. 14
y Job 24. 13
z Sap. 12. 1
a ex Iſai. 66. 2
b ex Jacob. 1. 17
c Jer. 2. 34
d Iſai 66. 2
e S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.
f Prov. 11. 20.
g Matth. 23. 27. & 28
h Joan. 8. 34
i Sap. 1. 4
k Hug. Card. in Sap. 1. 4
l 1. Cor. 6. 19

cerevidentur in ſe diffundendis ſuper extenſam agrorum planitiem: Nulla eſt avis, quæ non quærat exire è caveâ ſuâ, ibi eſt in motu perpetuo nec interrupto: Nunquam jucunda cani ſunt vincula ſua: Bovi non eſt gratum jugum ſuum: Equo ſunt importuni compedes ſui: Homines nunquam repererunt ullum carcerem ſpecioſum, aut jucundum: Nec unquam captivus ſibi complacuit in deferendâ catenâ ſuâ, quia vi coactus, eſt alligatus ſcamno triremis: Solus peccator adorat vincula ſua, ſibi complacet in carcere ſuo, & quò magis captivus eſt, eò magis ſe incarcerat, quia ſpiritus ille profanus qui poſſidet cor ipſius, ipſi blanditur in malo ſuo, & paſcit ipſum vanis complacentiis. Deſideratiſne recuperare veram libertatem? Ejicite hunc ſpiritum infernalem, & recurrite ad Spiritum cœleſtem, ſicut Saul, qui exagitatus à malo ſpiritu, qui poſſidebat corpus ipſius, ex quo peccatum inobedientiæ irrepſerat

m 1. Reg. 15.8. & 9

in animam ipſius m, recurrebat ad David animatum à Spiritu cœleſti, qui percutiendo citharam ſuam, ſublevabat labores ipſius: *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino. Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus* n.

n 1. Reg. 16.14. &c.

Recurrite ad Spiritum cœli, qui vos conſolabitur, cùm tertia ratio propter quam Spiritus ſanctus hodiernâ die mittitur in Eccleſiam ſanctam, ſit ut ſerviat ei loco Conſolatoris, id eſt, ut det illi conſolationes, quas ſuis eſt ipſi Jeſus Chriſtus meritus fletibus, *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ* o.

o Hebr. 5.7

III. Pars.

Sola recordatio diſceſſus Salvatoris, tantâ diſcipulos ipſius affecit triſtitiâ, ut ad mitigandum ipſorum dolorem, & ad ſublevandas ipſorum querelas, inductus fuerit ipſe ad promittendum ipſis novum Paraclêtum aut Conſolatorem: *Et nunc vado ad eum qui miſit me. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclêtus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos* p.

p Joan. 16. 6. & 7

Quaſi diceret eis, Vos intueor dolore perculſos, tamen certi eſtote, quòd ſicut ampliùs eſſe vobiſcum non poſſum præſentiâ ſenſibili & viſibili, ſic recedens à vobis, exorabo Patrem meum, qui mittet ad vos alium Paraclêtum, qui tenebit locum meum, & communicabit vobis omnes conſolationes, quas ego vobis merui lacrymis meis. Iſtæ conſolationes ſunt vinum merum & delicatum, quod præparavi vobis, quandiu inimici mei *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverũt me aceto* q. Et, *He, Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio* r. Seu (juxta S. Bonaventuram ſ) *He, Replevit me amaritudinibus: in viſu occurrebant inimici inſultantes: in auditu blaſphemia, & irritationes: in tactu amaritude vulnerum: in olfactu fœtor loci interfectorum. Et ne quid deeſſet, inebriavit me abſinthio, id eſt, inebriari ſeu potari permiſit abſinthio. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum* t. *Dederunt in eſcam meam fel, &c. In tribus clauſulis præponitur litera, He, quæ interpretatur, Vita, aut vivere, vel eſſe: quia iſta tria ſcilicet injuria Chriſto illata, ignominia, & anguſtia, ſunt nobis cauſa vitæ, & veri eſſe compoſitio.*

q Pſ. 68. 22

r Thren. 3.15

ſ S. Bern. in Thren. 3.15

t ex Matth. 27. 48

Verum eſt, Auditores, habebat Eccleſia unde jure merito doleret de abſentia & ſeparatione Sponſi ſui, & Patris ſui, & metueret imminentes & ſævas perſecutiones, quæ eſſent exagitaturæ membra ipſius, ſeu fideles, qui morerentur ſub violentiâ & rigore tormentorum, unde diluvium ſanguinis emergeret, quo totus irrigaretur orbis, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus* u. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium, Primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens* x. Propterea indigebat ipſa Conſolatore, qui non poterat eſſe homo, cujus poteſtas eſt nimis infirma in ſimilibus occaſionibus, ſed debebat eſſe Deus, *in manu Dei poteſtas terræ* y.

u Epheſ. 5.30

x Coloſſ. 1.18

y Eccli. 10. 4

Re autem verâ nonne videmus quòd Apoſtoli lætitiâ & oblectamento perfuſi, ex quo ſuſceperunt iſtum Divinum & æternum Conſolatorem, & adimpletum eſt in ipſis promiſſum infallibile quo ſe alligaverat ipſis Dominus ipſorum, *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium* z, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati* a? Nedum rotæ, neque patibula, nec gladii, nec ignes poſſent ipſis avellere oblectamenta, quibus cumulabantur ipſorum animæ, quia verè inebriati erant vino Spiritus ſancti, quod fluit in ſancta civitate Dei, & lætitiâ replet univerſos cœleſtis manſionis illius incolas, juxta Prophetam b, *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et ſecundùm S. Bernardum c, *Verè ebrij vino, ſed non eo quo ab incredulis ebrij credebantur. Planè ebrij, ſed vino novo, quod veteres quidem utres* d *nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa Vitis * ſuderat de excelſo, vinum lætificans cor* †, *non ſtatum mentis evertens, vinum germinans virgines* e, *non apoſtatare faciens etiam ſapientes* ‡. *Novum vinum ſed habitantibus ſuper terram. Nam in cœlis quidem olim copioſiſſimè redundabat non in utribus, nec in teſteis vaſis, ſed in cellâ vinariâ* f, *in ſpiritualibus apothecis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius civitatis vinum in quo lætitia cordis, non carnis luxuria eſt, nam terrigenæ & filij hominum* g *vinum ejuſmodi non habebant. Sic igitur cœlum quidem vino proprio fruebatur, quòd terra interim neſciebat: ſed ne ipſa quidem terra penitus inops carne Chriſti glorìabatur, cujus præſentiam nihilominùs cœlum ſitiebat. Quidni fideliſſimum fieret, gratiſſimumque commercium inter cœlum & terram, inter Angelos & Apoſtolos, ut exhiberetur illis caro Chriſti, iſtis vinum cœli, eſſetque in terra Spiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum?*

z Joan. 16. 20

a Act. 5. 41

b Pſ. 45. 5

c S. Bern. ſerm. 3. in Pent.

d ex Matth. 9.17

* ex Joan. 15.1

† ex Pſ. 103.15

e Zach. 9. 17

‡ ex Eccli. 19.2

f ex Cant. 2.4

g ex Pſ. 48. 3

Hal quis dignè poſſet hic explicare conſolationes, quas Spiritus ſanctus præbuit hodiernâ die Apoſtolis iſtis, & diſcipulis, & ſanctis mulieribus; ſicut etiam oblectamenta, quibus quotidie ſanctas perfundit animas, ſi non viſibiliter, ſaltem inviſibiliter? Sanè exprimi nequit hæc fœlicitas, quâ cumulantur illi, qui ſuſcipiunt hunc Spiritum Conſolatorem, quique replentur donis & gratiis ejus, & Inebriantur vino jucundo conſolationum illius, ſi inveniantur ab ipſo tales, quales ipſos deſiderat, & in diſpoſitionibus hoſpiti ſic excellenti ſuſcipiendo congruis, & ab ipſo cibabantur iſto manna abſcondito improbis, quod continet omnes delicias cœli & terræ, de quo dicitur, *Vincenti dabo manna abſconditum* h. *Id eſt, refectionem internam, conſolationem occultam, panem cæleſtem. De quo in Evangelio legitur, Beatus qui manducabit panem in Regno Dei* i, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. Et Cornelius l, *Optimè, Manna hoc ſunt conſolationes ſpirituales, quæ quaſi congrua merces à Deo datur vincenti, tum delicias, tentationes,*

h Apoc. 2. 17

i Luc. 14. 15

k Dion. Carth. art. 3. in Apoc. 2. 17

l Cornel. in Apoc. 2. 17

nes, & concupiſcentias carnales; tum ſuum metum & puſillanimitatem, qualis erat hæc Epiſcopi Pergameni. Hunc enim appoſitè excitat, proponendo ei in bello, quod contra Nicolaitas ex Chriſti juſſu ei ſuſcipiendum erat, non fore illum horrorem, & eas difficultates tam amaras, quas ipſe apprehendebat & reformidabat; eò quòd Deus illi non tantùm adeſſet, ſed & tantam animi ſerenitatem, tantam conſolationum & gaudiorum ſpiritualium copiam infunderet, ut in mediis etiam hoſtibus & periculis exultaret: quales jam experiuntur viri Apoſtolici, qui inter Indos, Hollandos, & Anglos verſantur, præſertim dum celebrant, & S. Eucharistiam ſumunt. Hoc enim verè & propriè eſt manna abſconditum, quod exteriùs non videtur, ſed interiùs in anima fidelis, Deoque devoti
m Coloſſ. 3.3 *ſentitur & guſtatur. Unde S. Paulus m ait, Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Porrò, Hæ conſolationes vocantur manna, quia miræ ſunt & ingentes, ut qui eas recipiunt, mirentur, & ſtupeant,*
n Exod. 16.15. *dicantque, Manhu? quid eſt hoc n? Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti*
o Pſ. 30 20 *timentibus te o! Eſt enim hæc conſolatio prægustus quidam æternæ beatitudinis, in qua perfectiſſimum erit hoc manna.* Voluptates fœtidæ & infames carnis, quæ currit poſt objecta lubrica inordinatarum inclinationum ſuarum, ad hoc manna deguſtandum pervenire non poſſunt; mortem perſæpè inferunt corpori æquè ac animæ cum tormentis innumeris, quibus afficiunt hanc & illud: prætenſa felicitas divitiarum noſtrarum attingere non poteſt has delicias cœli, præ ſe fert infirmitatem tædiorum & ſolicitudinum: & ſplendor apparens honorum & dignitatum, quibus poſſidendis inhiamus interventu tot artificiorum & induſtriarum & ſæpè ſæpiùs criminalium, replere non poteſt capacitatem animæ noſtræ, cui ſolus Deus poteſt ſatisfacere: quodcumque oblectamentum, quod exire poteſt ex ineptiis hujuſmodi, nullo modo comparari poteſt voluptati quâ perfunditur anima, quæ ſuſce-
p S. Bern. in Declamat. ante med. pit Spiritum ſanctum. Unde S. Bernardus p ait, *Neque enim ponere eſt concupiſcentiæ modum, donec videatur impleta, donec adepta ſit quibus valeat eſſe contenta. Cæterùm nec amator pecuniæ dicet aliquando, Sufficit: nec libidinoſus ſatiabitur voluptate. Sic & crudelis quiſque ſemper ſanguinem ſitit, & ambitioſus, aut cupidus laudis humanæ, adeptus dignitatum titulis ſeu favoribus, nullum exinde capit omnino remedium, ſed deſiderio æſtuat ampliori. Minus autem invenit requiem, qui ſibi placere cupit, & ſuus, id eſt, quibuſdam ſatuis de ſemetipſo teſtimoniis gloriatur, dicens, Manus mea excelſa q:*
q ex Deut. 32 27 *putans ſeſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit r. Vidi ego*
r ex Gal. 6 3 *aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus ſiquidem buccis tumentibus marinam maſticabat arenam. Secundus ſulphureo aſtans lacui, exhalantem teterrimum fœdiſſimumque geſtiebat haurire vaporem. Porrò, Tertius fornaci incubans vehementer accenſæ, micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, levioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore, & ſi quominùs influere videretur, flabello ſibi ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aerem diglutire. Quintus ſeorſum poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus, & maximè: proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio ſugere laborabat, nunc manum, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miſeratus homines, cauſamque miſeriæ ſciſcitatus, unam omnibus eſſe reperio, validiſſimam utique famem. Tum verò macilentiſſimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ f gementis miſerabiliter, & dicentis, Aruit cor meum,* f Pſ. 101.5
quia oblitus ſum comedere panem meum. Quid hæc vobis, inquio, proſunt? Non ſunt naturales cibi: magis famem hæc provocant quàm extinguunt. Panis namque animæ juſtitia eſt: & ſoli beati qui eſuriunt illam: quoniam ipſi ſaturabuntur t. Nimirum ad t ex Matth. 5.6
imaginem Dei facta anima rationalis u, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt non implebit. u ex Gen. 9.6
Inde eſt quòd naturali quidem deſiderio ſummum quivis probatur appetere Bonum, nullam niſi adepto eo requiem habiturus. Cæterùm errant miſeri non invenientes viam: &, ut ſcriptum eſt, ambulant impii in circuitu x, dum minora quæque bona quærentes, x ex Pſ. 11. 9
illud ſemper deſiderant quod ſibi vicinius necdum videntur adepti. Atque ut nam ſi fieri poſſet, cætera omnia obtinuiſſet unus, eodem procul dubio & ipſum (quod ſibi ſolum deeſſe videret) ſummum utique Bonum deſiderio quæſiturus, quo cætera quoque ſemper expetit non adepta. Sed innumera ſunt hæc, & à cæteris quoque pariter requiruntur. Quod valet quiſque trahit in partem, nec aliquando poterit hic circuitus peragrari. Vis pervenire? Incipe tranſilire. Alioquin proriperis miſer in deſideria terrenorum: & à ſummo Bono eò longiùs errueteris, quo te ampliùs dederis caducis rebus & tranſitoriis appetendis. In circuitu ſiquidem ambulas; & quod propè erat in corde, & in ore tuo, ſi corde crederes, & ore confitereris †, terga † ex Rom. 10.10
vertens declinas; & elongaris ab eo. Hinc eſt quòd vociferatur, dicens, Convertimini filii hominum y. y Pſ. 89. 3
Et item, Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te z. A fructuoſa ſiquidem z Cant. 6. 12
via eſt, & inambulabilis; faciliúſque pervenies ſpretis omnibus quàm adeptis.

Duas res habemus in Scriptura, quæ nobis iſtud evidenter oſtendunt. Prima eſt in Moyſe: *Moyſes autem venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes? Qui reſpondit: Adſum. At ille, Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt a.* Quaſi diceret ei, quòd non a Exod. 3. 1. &c.
poſſet aſcendere ſuper montem perfectionis, nec ingredi communicationem cum ipſomet Deo, quin priùs ſe diſſolviſſet ab affectibus creaturarum figuratis per calceamenta facta è pellibus beſtiarum, quæ tenebant ipſius voluntatem, non ſecus ac ipſius pedes, alligatam. Unde dixit S. Bernardus b, *Pes tuus affectio tua.* Ideoque S. Dionyſius c ait, Angelos pingi pedibus nudis, ſeu diſcalceatos, ut nobis innuat eos eſſe liberos & ſolutos ab omnibus rebus exterioribus, & ſe conformare quantùm poſſunt ſimplicitati Dei. Proptereà & idem Deus præfato Moyſi *dixit, Conſtitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cavete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur: ſive jumentum fuerit, ſive homo, non vivet d.* Quia neceſſariò mori debemus rebus creatis expreſſis nomine hominum, & jumentorum, ſi vivere velimus Creatori, & unire nos Spiritui ſancto, qui eſt Conſolator noſter, ad quem non poſſunt accedere illi qui affectu detinentur erga creaturas.

b S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. Qui habitat.
c S. Dion. l. de Cœl. Hier. c. 15
d Exod. 19. 10. &c.

Secunda res continetur in verbis iſtis, quæ Salvator noſter dixit diſcipulis ſuis, *Expedit vobis,*

ut

ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclêtus non ve-
e Jo. 16. 7 *niet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos* e. Nihil dici poteſt aut figurari potentius ad probandam hanc veritatem. Ecce quomodo. Apoſtoli erant alligati humanitati ſanctæ Jeſu Chriſti, amore ſacro & virtuoſo, qui tamen non erat in omnimoda puritate gratiæ, ſed miſtus affectibus naturæ: tantum enim decôrem videbant in facie ejus, quippe qui erat *Speciosus forma præ filiis*
f Pſ. 44. 3 *hominum* f, tantum lepôrem in verbis illius, &
g Ibid. in ſuavi ipſius converſatione, *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, dixit illi David g, mente ipſum prævidens; & tantam perfectionem in illo, ut nonniſi ægrè audirent illum de diſceſſu ſuo ipſis loquentem, ſicut innuunt hæc verba præcedentia ejuſdem Salvatoris, *Vado ad eum qui miſit me. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum*
h Jo. 16. 5. & 6. h. Et tamen hæc adhæſio ſic rationabilis objecto ita ſacro & Divino, erat obſtaculū ſufficiens ad impediendum ne Spiritus ſanctus ſuper ipſos deſcenderet, & cumularet ipſos affluentiâ gra-
i S. Bern. ſer. 3. in Aſcenſ. Dom. tiarum ſuarum, & cœleſtium conſolationum ſuarum, ſicut ait S. Bernardus i: *Si enim Apoſtoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola ſancta (quia Sancti Sanctorum* k *erat) Spiritu ſancto repleri ne-* k ex Dan. 9. 24.
quiverunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ quæ ſordidiſſima eſt, & diverſarum ſpurcitiarum phantaſijs repleta, adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renunciare tentaveris? Revera cùm inceperis, triſtitia implebit cor tuum: ſed ſi perſeveraveris, triſtitia tua convertetur in gaudium l. *Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas* l ex Luc. 16. 20.
renovabitur, vel potiùs nova creabitur: ut omnia quæ priùs difficilia, non impoſſibilia videbantur, cum multâ percurrantur dulcedine, & aviditate. Emitte, inquit, Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ m. *Quia igitur, Chariſſimi, hodierna* m ex Pſ. 103. 30.
dies eſt, in qua Sponſus aufertur à nobis, & non ſine tumultu aliquo animorum noſtrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritum veritatis n, *ploremus, &* n ex Jo. 15. 26.
oremus, ut dignos nos inveniat, vel potiùs efficiat, & repleat domum iſtam, ubi ſumus ſedentes *, *quate-* * ex Act. 2. 2.
nus non vexatio o, *ſed unctio ejus doceat nos de omnibus; ſicq; & intellectu clarificato, & affectu purifi-* o ex Iſa. 28. 19.
cato veniat ad nos, & apud nos faciat manſionem p. p ex Jo. 14. 23.
Id eſt, in iſto mundo per gratiam, & in altero ſeculo per gloriam.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5. 7.

QUomodo, Auditores? oportetne ut poſtquàm diſſerui vobis nuper de perſona Spiritûs ſancti, denuò hodiernâ die aſcendam in cathedram, ut diſcurram vobis de duabus alijs perſonis & de myſterio integro SS. Trinitatis? conſequentia videturne vobis ſic juſta, ut cum vobis aliquid dixerim de illo, qui venit nos viſitatum,
a Act. 2. 2. &c. & deſcendit plenus lumine a, poſſimus adhuc loqui de duabus hujuſmodi perſonis, quæ permanſerunt in cœlo, & apparere noluerunt cum eo? & obligatio mea videturne vobis ſic ingens, ut cùm aliquo modo videar dediſſe vobis id quod videtur minus, non poſſim evitare quin dem vobis id quod videtur majus? Si Spiritus ſanctus eſt
b Jo. 15. 26. fructus b, cognoſcere quidem poteritis ex dulcedine fructûs, qualitatem trunci qui eſt Pater, &
c Pſ. 35. 10. rami qui eſt Filius: Si *eſt fons*, per fœcunditatem aquæ poteritis quidem cognoſcere fœcunditatem originis quæ eſt Pater, & canalis ipſius qui
d 1. Jo. 1. 5 e Act. 2. 3 eſt Filius: Si *lux eſt* d, aut lingua *ignis* e, manifeſtabit vobis id omne, quod ſcire voletis circa ſocios ipſius, & de illis diſcurret vobis ſufficientiùs quam poſſim ego: Et ſi ex ſpecimine cognoſcitur ſemper totum, concludere debetis, quòd cùm Spiritus ſanctus ſit abyſſus bonitatis, & oceanus mirabilium, Pater & Filius, è quibus eduxit eſſe ſuum, & omnia mirabilia ſua, erunt uterque oceanus inexhauſtus, nedum anxiem mentem meam, ut de ijs quid magis vobis dicam?
f Pſ. 41. 8 Niſi fortè dicatis cum Pſalmiſta f, quòd ſicut *abyſſus abyſſum invocat*. & quòd ſi agatur de demergendis nobis, æquè præſtat nos immergi magno mari, ac fluvio: cùm immerſerim mentes veſtras abyſſo perſonæ & proceſſionis Spiritûs ſancti; aut oportet ut inde vos relevem; aut ad oſtendendam impotentiam meam, expedit ut poſthæc vos prorſus immergam contemplationi trium iſtarum perſonarum, & inſeparabilis & indiviſibilis communitatis ſuæ in eadem eſſentia. Sed ſicut è civitatibus, quæ ſunt regnorum margines & propugnacula, videntur exteræ regiones: ſi noſtrum projicere velimus intuitum in hanc immenſam g regionem Dei in tribus, &
g Baruch 3. 25. trium in uno Deo, conciliemus nobis auxilium altiſſimæ turrium omnium quæ ſint in mundo, & eminentiſſimæ omnium creaturarum, quæ eſt præ his omnibus vicina Imperio triſmegiſto Divinitatis. Hæc *turris* h, eſt B. Virgo, quæ, prout h Cant. 4. 4.
Mater i, manifeſtabit nobis Patrem; quatenus i Luc. 2. 48.
nutrix, oſtendet nobis Filium ſuum; & inquantùm cataracta Spiritûs ſancti, *& theſaurus diſpenſationis planè arcanus* k, effundet ſuper nos gra- k S. Epiphan. ſer. de Laud. Deip.
tias ejus, confeſtim ac ipſi reverenter dixerimus, *Ave Maria.*

Res eſt inuſitata, quòd omnes illi qui voluerunt dicere, aut ſcribere aliquid de myſterio SS. Trinitatis, illud ſemper vocaverunt ineffabile: videntur autem inde velle inſimulare mendacij & linguam ſuam & pennam ſuam, aut prætendere temerariâ præſumptione facere impoſſibilia, & verificare res non ſociabiles & contradictorias, quod vel Deus ipſe non poteſt facere: ſi enim res ineffabilis, eſt ea quæ dici non poteſt, nec explicari, quomodo prætendunt explicare & concipiendum præbere myſterium SS. Trinitatis, ſi vocant illud ineffabile? Sed quomodo poſſunt ei dare nomen, cùm nomina non debeant dari niſi juxta naturam aut proprietatem rerum poſtquàm ipſæ cognitæ ſunt? Oportet igitur ut, ſi SS. Trinitas eſt ineffabilis, nullus de ipſa habeatur

ſermo, aut ſi de ipſa diſcurſus fiat, non qualificetur ipſa titulo ineſſabilis. Hæc eſt enim differentia inter res Dei, & res quæ ſunt extra Deum, quòd res quæ ſunt extra Deum, quales ſunt creaturæ, ſicut habent eſſe limitatum, & perfectiones terminatas, ſic cognoſci poſſunt, & clarè concipi ab ingenijs ſubtilibus & à viris acutis, qui diſcurſu ſuo poſſunt ipſarum facere deſcriptionem & ſinceram repræſentationem illis qui ex ſemetipſis non haberent unde eas viderent, aut conciperent: ſed res Dei, ſicut ipſæ ſuperant exceſſu illimitato totam capacitatem mentium, quantùmlibet hæ ſint acutæ, repræſentari non poſſunt diſcurſu, nec tangi experientiâ, nec doceri demonſtratione, quin ſemper inveniatur inæqualitas & infinita diſproportio inter repræſentationem & rem repræſentatam:

l 1. Cor. 2. 11.

Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei l. Ita ut videatur, quantùm ad primas, ſermo peritorum eſſe medium edocendis ipſas ignaris opportuniſſimum: & quoad ſecundas, utilius ſilentium ſermone, ſicut ſuper hæc verba Pſalmiſtæ m, *Te decet hymnus Deus in Sion*, dicit verſio apud Lorinum n, *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion.*

m Pſ. 64. 2.
n Lorin. in Pſ. 64. 2.

Ut ſub iſto velo imaginetur quis id quod eſt abſconditum, & ſic excellens ut non poſſit de ipſo dici aliquid, quod ipſius magnitudini conveniat. Propter eandem rationem non poteſt quis meliùs agere, quàm ut dicat, quòd Deus, & omne quod ad eum ſpectat, eſt prorſus ineffabile & inexplicabile quantùm ad mentem, aut linguam hominum, aut Angelorum. Sed inſuper, ſicut Deus non ſolùm plenus eſt mirabilibus, ſed etiam vult in ſignum ſuæ magnitudinis ut ſciantur mirabilia ſua, ideò eorum notitiam tribuit, ingentem, vel exiguam, ſicut ipſi placet; & juxta cognitionem, quam illorum præbet, impertitur, & poteſtatem dandorum ſibi nominum, & loquendi de ipſo, eò quòd ſolùm ſit ineffabilis illis, qui de ipſius magnitudinibus profundè loqui vellent ſecundùm cognitionem naturalem, ſed ut habeat ipſe nomen, quod paucis exprimat ſyllabis id omne quod ipſe ſcit, & id totum quod ipſe poſſidet indiviſibiliter inter tres perſonas, & per proprietatem in ſingulis ipſarum: dico, exiguis ſyllabis: tres enim ſunt tantùm ſyllabæ in hoc verbo, Trinitas, quod ſignificat trinam unitatem, unam naturam in tribus perſonis, & tres perſonas in una & eadem natura & eſſentia, quæ non ſunt niſi unus Deus. Et quia Dei Filius dicit, quòd hæ ſunt tres teſtes è cœlo, & non ſunt niſi quid unum: &

Diviſio.

& quòd è terra triplex etiam nobis perhibetur teſtimonium interventu ſpiritûs, aquæ, & ſanguinis, utile erit viſu, quòd duę ſunt res differentes, quarum teſtimonium nobis perhibetur, & è cœlo, & è terra: ſicut enim è nobiſipſis cognoſcere non poſſumus hoc myſterium excellentiſſimum, fatendum eſt quòd hęc magna unio trium perſonarum in uno Deo, teſtimonium ſufficiens præbet inſufficientiæ noſtræ: & ſicut beneficio gratiæ poſſumus habere praxim rerum, quæ convenientiam habent cum hoc magno myſterio, quæque nobis ſpem tribuunt videndi illius aliquando *facie ad faciem* o, ſimiliter eſt fatendum, quòd hæc admirabilis convenientia ſpiritûs, aquæ, & ſanguinis in Baptiſmo, eſt veluti tranſumptum iſtius ineffabilis myſterij, & magnum teſtimonium bonitatis Dei noſtri, & juris quod ipſe nobis tribuit ſuper omnia bona domûs ſuæ p. Iſtæ ſunt duæ conſiderationes diſcurſûs iſtius.

o 1. Cor. 13. 12.
p Rom. 8. 17.

I. Part.

Dico igitur, quòd ex nobiſipſis cognoſcere non poſſumus hoc myſterium propter tres præcipuas rationes, quæ poſſunt difficilem reddere rem agnoſcendam. Prima eſt, cùm ſuperat captum mentis noſtræ. Secunda eſt, cùm ipſa eſt contra praxim & experientiam ordinariam. Tertia eſt, cùm detrahere videtur conſilijs in Scriptura revelatis. Tres iſtę res occurrunt in myſterio SS. Trinitatis. Quòd enim myſterium iſtud excedat humanam mentem, quis iſtud non videt? cùm videatur quòd omnes res quę diſtinctę ſunt abinvicem, debeant eſſe ęquè differentes in natura & eſſentia, ac Sol & Luna ſunt duo planetę differentes ab invicem: comparate ſtellas, cœlos, elementa, plantas, & animalia adinvicem, oportet ut neceſſariò differentem habeant naturam: quin imò & ipſi homines non obſtante propinquitate quam habent adinvicem, habent naturam differentem, & differentem perſonam: quomodo vultis igitur ut cogitetur quòd tres perſonę ſint diſtinctę, & ſunt idem Deus habendo eandem naturam? Pręterea, Ratio dictat, quòd numeri ſunt ita diſſimiles ut nunquam reperiri poſſint duo ęquales: duo enim nunquam ſunt tria, &c. & quomodo vultis, ut intelligatur quòd unus poſſit eſſe tres, & quòd tres non ſint niſi unum, dicendo quòd unitas & trinitas ſint eadem res? Oporteret ut in nobis eſſet mens ſubtilior, quàm eſſet in S. Auguſtino, qui cùm ſtatuiſſet componere librum de iſto myſterio, & ſibi polliceretur veluti ſatisfacturum ſe toti curioſitati ſuę; ideòque deambularet juxta litus maris, mente revolvens rationes quę aliquam poterant afferre lucem ad intelligentiam iſtius myſterij, obvium habuit puerulum, qui hauriebat aquam è mari manibus ſuis exiguis, eamque deferebat in exiguum cavum, quod ipſemet iiſdem ſuis cavaverat manibus, qui dixit ipſi, quòd totá maris aquam in hoc exiguum cavamen congregare vellet. Quòd cum S. Auguſtinus judicaret impoſſibile, concluſit quòd foret impoſſibilius exhauſtu immenſum Oceanum myſterij SS. Trinitatis, illudque incluſu medijs omnibus rationibus & demonſtrationibus naturalibus in exiguo volumine, quod de illo ſcribere volebat.

Secundò, Quòd hoc myſterium ſuperet communem praxim & experientiam ordinariam, certum eſt: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* q. Et tamen non poſſumus hic invenire exemplum inter res corporeas quod formare perfectam nos faciat ideam iſtius myſterij: illud enim quod affertur de pomo, quod habet odorem, colorem, & ſaporem, qui ſunt tres res differentes in eodem pomo, mancum eſt: nam odor non eſt pomum, color non eſt pomum, & ſapor non eſt pomum: & tamen tres perſonę Trinitatis ſunt Deus, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus. Si dicuntur Sol, ſplendor, & calor ipſius repręſentare nobis hoc myſterium, dici poteſt inde, quòd Pater generat Filium r, & Pater & Filius producunt *Spiritum* s ſanctum, ſicut Sol producit ſplendorem, & ambo ſimul calorem: ſed hoc exemplum deficit: nam ſubſtantia Solis, & duę qualitates ipſius ſunt differentis naturę.

q Rom. 1. 20.
r Pſ. 2. 7.
s Jo. 15. 26.

Pręterea, Revelationes, quas habemus in Scriptura, in dubiū videntur adducere myſterij iſtius veritatem: nam dicitur: *Audi Iſraël, Dominus Deus*

tuus,

l Deut. 6.4

tum, Deus unus eſſe. Et, Etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ſi quidem ſunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum u. In neutro ex iſtis lucis Scriptura meminit trinitatis perſonarum, nec loquitur niſi de uno Deo. Ad reſolvendam hanc difficultatem, obſervate quòd S.

u 1. Cor. 8. 5 & 6.

x Apoc. 5. 1. &c.

Joannes x vidit *in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem: & Angelum fortem, prædicantem voce magnâ, Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ecce in medio throni Agnum ſtantem tanquam occiſum: & venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum; & librum* aperuit. Dicamus quod liber iſte, eſt myſterium Trinitatis. Scriptus eſt intùs & foris. Intùs, quia continet omnes perfectiones creaturarum ſpiritualium, Angelicarum & inviſibilium. Foris, quoniam complectitur univerſas perfectiones creaturarum corporalium, elementarium & viſibilium. Septem ſigilla hujus libri, ſunt ſeptem præcipua ſecreta abſcondita in hoc myſterio, & ita difficilia apertu, ut ſolus Agnus, qui eſt *Filius Dei vivi* y, pro eo quòd occiſus fuerit, ſe dignum reddiderit ut ea aperiret & explicaret: quod innuit quòd iſtud myſterium quantùm eſt verum, tantum eſt impenetrabile intellectui naturali, ſed multum credibile menti formatæ in ſchola Agni. Primum ſigillum igitur, ſeu primum ſecretum, eſt videre quòd ſunt tres perſonaliter diſtincti, ſed ejuſdem eſſentiæ, cùm quilibet ipſorum ſit Deus, & non ſint ipſi tres niſi unus Deus, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo*, &c. Nunquid non videretur vobis inuſitatum, ſi diceretur vobis, quòd tres homines non ſunt niſi unus homo; & quòd videndo eos ſeparatos, aſſereretur vobis, quòd illi non viverent omnes niſi eâdem animâ? Verum quidem eſt quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quilibet ex ipſis eſt Deus, ſed eâdem naturâ & Divinitate. Sed expectate, & Agnus vobis dicet, quòd Pater eſt fons aquæ vivæ, Filius rivus qui inde ſalit, & Spiritus ſanctus ſtagnum ab utroque procedens, & ſe dilatans ſuper terram: & quòd ſicut aqua originis, rivi, & ſtagni, eſt eadem; ſic Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt eadem Divinitas, quæ ſe ipſis tribus communicat, & quæ diffuſa in Spiritum ſanctum, ſe dilatat ad homines, & ſuper *faciem terræ* z per diſtributionem gratiarum ſuarum. Secundum ſigillum, eſt videre quòd licèt una perſona diſtincta ſit ab alia, ipſæ ſemper tamen inveniuntur una in alia, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* a. Nõne videretur vobis res inuſitata, ſi eſſet aliquis infans qui eſſet in utero matris ſuæ, & ſimul hæc mater eſſet in ventre infantis ſui? Tamen ita ſe res habet in Deo: nam Filius Dei eſt in Patre ſuo, & Pater eſt in Filio ſuo; licèt differant unus ab alio quantum ad perſonas. Aperiendum eſt ſigillum iſtud, & dicendum vobis, quòd ſicut duo homines qui ſe diligunt, habent ſinguli cor ſuum: nam cor Joannis non eſt cor Petri, & tamen ſi Joannes diligit Petrum, cor ejus fertur in perſonam Petri, & reciprucè cor Petri fertur in perſonam Joannis: nam, *ſecundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat*, ait Carthuſianus b. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* c. *Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* d. Non eſt ergo mirandum, ſi tres perſonæ Divinæ maneant una in alia, cum non ſuum ſe diligant, ſed ſe diligant eâdem voluntate. Tertium ſigillum, eſt videre quòd è tribus iſtis perſonis, quæ habent eandem naturam, prima nullum habet principium ſui eſſe, ſecunda producitur, ſed per generationem, ſicut & tertia, ſed per ſpirationem. Quid vobis videtur de his? Nunquid non reperitis inuſitatum, quòd eadem Divinitas in perſona Patris nullum habeat principium, & in perſonis Filii & Spiritûs ſancti videatur agnoſcere principium, ſi non ſui eſſe, ſaltem ſuæ communicationis? Atqui expectate ut Agnus vobis aperiat hoc ſecretum, & conſiderate quod Adam nullum patrem habuit in hoc mundo e, quòd Eva educta eſt ab Adam f, & quòd Abel derivatus eſt ab utroque †. Caro Adæ Evæ, & Abelis, eſt eadem maſſa communicata ipſis tribus, ſed in perſona Adæ ipſa a nemine procedit, in perſona Evæ derivatur ab Adamo, & in perſona Abelis fluit ab ambobus. Sed tranſeamus ad quartum ſigillum, & videbimus quòd licèt Filius procedat à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio, Pater non eſt tamen antiquior Filio, nec Pater & Filius ſunt antiquiores Spiritu ſancto: *In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ* g *ſibi ſunt & coæquales*, ait S. Athanaſius h. Res eſſet inaudita, ſi reperiretur Pater qui non eſſet ſenior filio ſuo, aut architectus, qui non eſſet antiquior domo à ſe ædificatâ: ſed nunquid non vobis fiet ſatis, ſi Agnus immolatus vult iſtud vobis aperire ſigillum? cùm ab ipſo Pater ſuus vocetur *Sol intelligentiæ* i. Sicut enim Sol producit radium, & tamen non eſt antiquior radio, nec calore, qui procedit ab ab ambobus: ita Pater æternus non poteſt eſſe antiquior Filio ſuo qui eſt radius, nec Spiritu ſancto qui eſt calor ſeu amor amborum. Quintum ſigillum conſiſtit in hoc, quòd Pater dat Filio ſuo totas perfectiones ſuas, & tamen ipſe ſibi tutas eas reſervat. Quid diceretis de homine, qui diceret vobis, Do vobis centum nummos, ſed eos mihi reſervo, & volo eſſe eorum poſſeſſor? Diceretis quòd derideret vos. Verum tamen eſt iſtud: & ſi videre vultis illius aperturam ſigilli, mementote quòd Doctor qui docet alium ſcientiam ſuam, dat ei totum quod ſcit, ſed inde propterea non fit ignarior: ſemper enim cuſtodit ſcientiam ſuam. ſic Pater æternus dans Filio ſuo, & ambo dantes Spiritui ſancto omnes perfectiones ſuas, eas tamen ſibi ſemper reſervant. Sextum ſigillum non eſt minùs admirabile in hoc quòd Filius hæreditat totam potentiam, & totam voluntatem Patris, & Spiritus ſanctus utrique communicat à Patre & Filio: & tamen Filius producere non poteſt alium Filium, nec Spiritus ſanctus alium Spiritum ſanctum. Sed nunquid non aperire poterimus hoc ſigillum? Et quare non? Si enim habeatis annulum qui ſit veſter, eum dare poteſtis cuicumque voletis, & ſi illum detis alicui, ille cui illum dederitis, habebit eandem poteſtatem, quam vos habebatis ſuper eundem annulum, & poterit eum dare cuicumque volet; ſed eum non poteſt dare ſibi ipſi, & tamen huic ipſimet eundem annulum vos dediſtis, quia non poteſt is facere alterum ſemetipſum, nec ſe reddere poſſeſſorem rei quam jam poſſidet: ſic licèt Filius habeat eandem cum Patre potentiam, & communicare poſſit id quod hæreditavit ab eo, non poteſt tamen producere alterum Filium, nec

dare

y Matth. 16. 16.

z Pſal. 103. 30.

a Jo. 14. 10.

b Dion. Carth. a. 1. in Luc. 12. 31.

c Matt. 6. 21.

d 1. Jo. 4. 16.

e Gen. 2. 7.

f Gen. 2. 21. & 22.

† Gen. 4. 2.

g ex Dan. [illegible]

h S. Athanas. in Symb. v. 24.

i Sap. 5. 6.

dare Filio id, quod ipſe ſuſcepit à Patre ſuo: & quàmvis Spiritus ſanctus habeat eandem voluntatem cum Patre & Filio, non poteſt tamen hâc voluntate producere alterum Spiritum ſanctum, quia adeſt jam Filius, qui exhauſit totam vim mentis Patris, qui dat Filio & Spiritui ſancto potentiam intelligendi & volendi, ſicut ipſe intelligit & vult, ſed non Spiritui ſancto producendi termini, ſicut ipſe Pater producit unà cum Filio terminum, putà, eundem Spiritum ſanctum, qui eſt terminus amoris ipſorum. Ultimum ſigillum iſtum eſt in hoc, quòd cùm ſint toti tres paris authoritatis in conclavi SS. Trinitatis, ut communi conſenſu decernant æqualiter id quod eſt agendum; ſi agatur de mittendo aliquo ex ipſis in hunc mundum, non opinantur tamen omnes, & mitti non poſſunt niſi ab eis, à quibus procedunt, ſicut Pater *miſit Filium ſuum in mundum*
k Jo. 3. 17 / l Jo. 15. 26. k, & idem Filius unà cum Patre miſit *Spiritum veritatis à Patre* l eodem procedentem, æquè ac ab ipſo: & Spiritus ſanctus non miſit Filium: nec iſti duo poſſunt mittere Patrem. Aperiamus hoc ultimum ſigillum, & videbitis, quòd iſtud non eſt impoſſibile: nam ſi alicui Senatui interſunt tres Conſiliarij, filius, pater, & avus; toti tres habent parem authoritatem, & poſſunt æqualiter opinari circa omnia negotia quæ pertinent ad communitatem, & dicere in omnibus cauſis quæ diſceptantur in foro: ſed ſi agatur inter eos de aliquo negotio, quod ipſos ſpectet, aut quantùm ad perſonas ipſorum, aut quantùm ad domum ipſorum, tunc non procedunt ampliùs ut Conſiliarij Curiæ, ſed ſecundùm conditionem ſuam perſonalem filij, patris, & avi; & filius nihil poterit præcipere patri ſuo, & ambo nullam habere poterunt actionem ſuper avum, qui tamen poteſt ipſos mittere, & inſumere ad quodcumque voluerit, quia domi ſuæ non conſiderat eos ut Conſiliarios, ſed ut filios ſuos qui deſcenderunt ab ipſo: ſic Pater, Filius, & Spiritus ſanctus habent eandem potentiam & authoritatem, & opinantur æqualiter circa id omne quod fit inter creaturas: ſed ſi ſe veluti contineant domi ſuæ, & agatur de reſolvendo aliquo negotio quod ad ipſos ſpectet, & de mittendo aliquo ex ipſis tribus in terram; tunc non procedunt ampliùs ut habentes eandem poteſtatem, ſed ut procedentes perſonaliter unus ab alio, & mitti non poſſunt, nec aſſumi ad aliquod officium peragendum niſi ab ijs, à quibus procedunt, ſicut Filius a Patre, & Spiritus ſanctus ab ambobus. Quid vobis videtur de iſto libro? nonne aperuimus eum, & explicuimus ſeptem myſteria præcipua, vel ſigilla, quibus erat obſignatus, juxta intelligentiam, quam nobis illius tribuit Agnus immolatus? Sed dicamus meliùs: Eſtiſne contenti ijs quæ vobis dixi de iſto libro, & de aperturis ejus, ita ut in poſterum dicatis quòd loqui poſſitis de eo quod erat ineffabile? quòd comprehenderitis id quod erat incomprehenſibile? & quòd exhauſeritis hunc Oceanum totum mirabilibus repletum? Ha! Chriſtiani, nolite ſic veſtrî ipſorum oblivviſci, ut hujuſmodi arcanis putetis vos
m 1. Cor. 2. 11 idoneos comprehendendis: *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei* m. Et quidquid de illis
n Pſ. 103. 1. dicere præſumpſeritis, ſemper erit vobis concinenda cantilena Prophetæ n, qui cùm ſe præparaſſet ad dandas laudes Deo, excitans animam ſuam ad erogandas Deo benedictiones, *Benedic anima mea Domino*, deprimit ſtatim volatum mentis ſuæ, ſubdens, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Quaſi diceret, quòd ipſe nihil fari poſſet, quod accederet ad excellentiam majeſtatis ipſius: omnia enim quæ in Deo inveniuntur, Auditores, teſtimonium perhibent inſufficientiæ noſtræ: in eo quippe ſunt tres teſtes, qui toti tres idem teſtimonium perhibent per inexplicabilem unionem ſuam in eadem natura & Divinitate, *Tres ſunt qui teſtimonium*, &c.

Verum eſt, Auditores: id quod peragitur in cœlo, & in conclavi Dei, noſtram vehementer teſtatur impotentiam, ſed ſi liber iſte nimis eſt nobis obſcurus, id quod conſolari nos debet, eſt, quòd dedit nos ipſius tranſumptum fideliſſimum impreſſum animæ ſingulorum è nobis: & ſi iſte *Sol juſtitiæ* o propter nimium ſplendorem ſuum ſuſtineri non poteſt ab oculis noſtris, & inacceſſibilis eſt menti noſtræ, quippe qui *lucem inhabitat inacceſſibilem* p; ſaltem ſuper nos effudit de ea ſuam lucē ſic jucundam, ut in ea veluti per reflexionem videamus Solem: & ſi Deus ob majeſtatem ſuam non poteſt adiri à nobis, qui *quaſi non ſimus, coram eo ſumus, & quaſi nihilum & inane ei* q reputati ſumus; ſuam vivam reliquit nobis imaginem, in qua videre poſſumus veluti lineamenta vultûs ipſius. Non progrediamur ampliùs, Auditores, & ſiſtamus in nobiſipſis, & videbimus quòd ſumus tranſumptum iſtius libri, lumen iſtius Solis, & imago iſtius magni Dei. Quòd ſimus liber erutus ex hoc originali, id Propheta r teſtatur, dicens Deo, *Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes ſcribentur.* Cognoviſti quidem, Domine, quòd nimis lippos haberemus oculos, nedum legeremus magnitudines & perfectiones tuas in eadem eſſentia tua quæ eſt originale, & inde eduxiſti tranſumpta veluti ex libro tuo, quę ſunt omnes homines ſcripti, & religati manu tuâ: *Et in libro tuo omnes ſcribentur.* Quòd ſimus lux, aut ſoles per reflexionem iſtius Solis primi, iſtud declarat idem Pſalmiſta s, cùm ait eidem Deo, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine: dediſti lætitiam in corde meo.* Et quòd ſimus imagines Divinitatis, ipſemet Deus iſto nos inſignivit nomine, cùm condidit nos: *Et ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* t. Extendere nolo diſcurſum meum ad oſtendendum vobis in quo conſiſtat hæc imago, vel iſta repræſentatio; ſed id quod facit ad propoſitum meum, eſt, quòd ſicut tres ſunt perſonæ in eadem eſſentia, ſic in anima noſtra tres habemus potentias, intellectum, memoriam, & voluntatem. Intellectus repræſentat Patrem, qui eſt principium totius operationis, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* u, ait Filius. Memoria Filium, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* x. Et, *Intelligentia eſt expreſſa ſimilitudo memoriæ, ſicut Filius eſt expreſſa ſimilitudo Patris* y. Et voluntas Spiritum ſanctum, cùm voluntas ſit origo amoris Patris & Filij. Sed utamur verbis ſancti Joannis, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Id eſt, quòd habemus in nobis tria teſtimonia Trinitatis, nimirum, ſpiritum, aquam, & ſanguinem, quæ ſunt eadem res: & non maneamus ampliùs intra terminos naturæ, ſed tranſeamus ad conſiderationem novi ſtatûs, quem Deus fecit in nobis. Sicut enim vidiſtis quòd prima, quam nobis impreſ-

II. Pars.
o Malac. 4. 2
p 1. Tim. 6. 16.
q Iſa. 40. 17.
r Pſ. 138. 16.
s Pſ. 4. 7.
t Gen. 1. 26.
u Jo. 5. 17.
x Coloſſ. 2. 3
y S. Th. in Gen. 1. 26.

z Thren. 4.8 preſſerat, *denigrata eſt ſuper carbones facies* z peccato Protoplaſti, & poſterorum ipſius, *in quo*
a Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6 *omnes peccaverunt* a: talem ſuſtinere non potuit injuriam; & veluti pictor illius, totam delevit imaginem, & lavit telam diluvio, quod *factum eſt quadraginta diebus ſuper terram, & de-*
b Gen. 7. 17. &c. *levit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram* b. Eique applicans alias penicillum ſuum, quem imbuit aquâ & ſanguine, & directum à ſancto Spiritu ſuo in Sacramento Baptiſmi renovavit hanc imaginem, tribuens ei colores magis vivos, & perfectiora Divinitatis lineamenta: penicillum, inquam, intinctum ſanguine & aquâ: aquâ Baptiſmi, ad teſtandum quòd anima eſt tota nitida: ſanguine Jeſu Chriſti, ut innuatur, quòd per ipſius merita anima hæc renovatur: & à Spiritu ſancto directũ, quod ſignificat quòd amor induxit ipſum ad reparandam hanc imaginem deformatam: propterea Nicomedo *Ieſus dixit, Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fue-*
c Jo. 3. 3. & 5. *rit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in*
Regnum Dei c. Seu, juxta Dionyſium Carthuſia-
d Dion. Carth. a. 8. in Jo. 3. 5 num d, *Niſi quis renatus fuerit, id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aqua, quæ eſt materiale elementum corpus lavans & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu ſancto, qui eſt inviſibilis actor intùs mentem purificans, & efficienter regenerans, gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis: non poteſt introire in Regnum Dei, quod eſt triumphans Eccleſia, vita æterna, ſeu patria Electorum. Quod intelligendum eſt, dummodò adſit facultas recipiendi Sacramentum Baptiſmi: alias ſufficeret baptiſmus flaminis, id eſt, interior mundatio ſancti Spiritûs, & baptiſmus ſanguinis, putà martyrium cum voto ſeu deſiderio Baptiſmi fluminis. In Baptiſmo quippe conformamur Chriſto, & ei incorporamur, quemadmodum ad Ro-*
e ex Rom. 6. 3. & 4. *manos* e *teſtatur Apoſtolus, Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo reſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambule-*
f ex Matthæ. 28. 19. *mus. Sed cùm Baptiſmus detur in nomine* f *ſanctæ Trinitatis, à qua eſt effectus Baptiſmi, ſeu gratia Sacramentalis, cur potiùs dicit Salvator, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, quàm ex aqua & Patre, vel ex aqua & Filio? Dicendum, quòd Baptiſmus eſt effectus præcipuè liberalitatis ac pietatis Divinæ. Liberalitas verò & pietas appropriantur Spiritui ſancto quemadmodum amor & bonitas.* Ex quo primus homo depravavit hanc imaginem præfa-
g Gen. 3. 23. &c. tam, *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo* g terreſtri: ut autem ingrediatur homo paradiſum cœleſtem, reficienda eſt hæc imago ſecundâ nativitate, cujus Spiritus ſanctus Pater eſt, aqua mater, & ſanguis Filij Dei eſt germen hujus ſanctæ vitæ, quæ acquiritur in Baptiſmo: & iſtud omne teſtatur, quòd ingredi poſſumus hunc paradiſum æternum, ut novi filij domûs Dei. Ut autem inde melius noſtras deſumamus utilitates, uſurpemus hæc tria teſtimonia juxta ſenſum præfatum, ſecundùm quem triplex Baptiſmus admittitur, Baptiſmus voluntatis, Baptiſmus aquæ, & Baptiſmus ſanguinis. Primus, eſt cùm quis deſiderat admitti ad Chriſtianiſmum, & antequàm ſuum poſſit exequi deſiderium & baptizari, moritur cum hoc deſiderio. Secundus, eſt Baptiſmus ordinarius, qui fit aquâ. Tertius, eſt Baptiſmus martyrij, qui fit effuſione ſanguinis, ut Innocentes baptizati fue-
h Matt. 2. 16. runt in proprio ſanguine ſuo h. Primus vocatur Baptiſmus flaminis, qui conſiſtit in voluntate adjutâ Spiritûs ſancti gratiâ. Secundus, fluminis, qui fit aquâ. Tertius, ſanguinis, qui fit martyrio. Et quia omnes iſti Baptiſmi relinquunt charactêres in baptizatis, per quos diſtinguuntur ab illis, qui non ſunt baptizati, & qui teſtantur jus, quod Chriſtiani habent ad gloriam, ideo dicere poſſumus quod *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Id eſt, iſti tres Baptiſmi, ſpiritûs, aquæ, & ſanguinis, qui teſtantur nos eſſe Chriſtianos: & licèt ſint tres Baptiſmi, producunt tamen toti tres eundem effectum. Etiam, Chriſtiani; verum eſt teſtimonium noſtræ prædeſtinationis unus ex his Baptiſmis; & ille qui habet eos totos tres, dicere poteſt ſe habere tria valida ſuæ juſtificationis teſtimonia, ſi nulla ſit mutatio in depoſitione trium iſtorum teſtium: ſed ſicut ſcitis quòd cùm juſtificatur crimen aut accuſatio in favorem illius qui erat accuſatus, examinantur teſtes, & ſi contingat ut poſt præbitum teſtimonium ſuum primum, titubent circa illud quod dixerunt, vocantur denuò, ut ſciatur num ſemper ſint ejuſdem ſententiæ, & ſi videantur variare & mutare terminos, tunc incipitur ambigi de eorum teſtimonio, & reus incurrit periculum condemnationis ſuſtinendæ: ſed ſi illi teſtes, qui ſemel depoſuerunt in favorem ejus, & propter juſtificationem illius, auditi tertiâ vice, ſubſiſtunt in primis ſuis terminis, & ſemper idem repetunt, bona fit accuſati cauſa, & juſtificatur penitus: ſic peccator ex quo venit in hunc mundum, incipit apparere coram tribunali Dei, citatus perſonaliter virtute primæ citationis factæ primo homini, *Adam ubi es* i? Non
i Gen. 3. 9. deſunt adverſùs ipſum accuſationes: confeſtim enim adſunt diaboli, dicentes Deo, eum eſſe filium Adæ, & eſſe peccatorem inſtar illius, *In*
k Rom. 5. 12. *quo omnes peccaverunt* k. Peccator quærit teſtes ad probandam innocentiam ſuam, & in auxilium ſuum vocans Baptiſmum, tacitè allegat Deo cauſam ſuam eſſe juſtam, & ſe eſſe innocentem à crimine, cujus accuſatur, teſte Baptiſmo quem ſuſcepit, qui eſt optima copia ſæcularis & inſtrumentaria propter juſtificationem animæ ſuæ: non enim ampliùs apparet quòd commiſerit crimen aliquod; & ut, ſi aliquid habeatur adverſùs ipſum dicendum, citetur ad judicium Jeſus Chriſtus, qui cautam præſtitit ipſius cauſam, *pro eo quòd tradidit in mortem ani-*
l Iſa. 53. 12. *mam ſuam, & ipſe peccata multorum tulit* l: & manibus ipſius præbuit hæc tria teſtimonia innocentiæ ipſius, ſeu tres iſtos teſtes, qui teſtantur idem toti tres, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra*, &c.

Sed non ſufficit ad integram juſtificationem hominis, ipſum feciſſe audiri hunc teſtem, & dicere quòd ipſe ſit baptizatus, & ideò quòd non poteſt condemnari; oportet ut teſtis perſiſtat nedum titubet in depoſitione ſua: ſi enim, Chriſtiani, proteſtantes in Baptiſmo vos eſſe filios Dei, & Eccleſiæ, oſtenditis actionibus veſtris vos eſſe filios diaboli; ſi proteſtantes vos vivere in fide Catholica, & in obedientia Eccleſiæ, monſtratis in operibus veſtris fidem contrariam, & nihil minùs cuſtodiris quàm præcepta Eccleſiæ; ſi poſtquàm apparuiſtis in Baptiſmo cum veſte innocentiæ (*Quicumque enim*

[m Gal. 3. 27.] *in Chriſto baptizati eſtis : Chriſtum induiſtis* m) eam quotidie ſordibus inquinatis innumeris : quomodo veſtram cauſam juſtificare poteritis, & ſuſcipere abolitionem criminis veſtri? Teſtis titubat, & actiones veſtræ præſentes quaſi mendacij inſimulant depoſitionem ejus, & totum illud eſt colluſorium, ille teſtis eſt ſuppoſitus, actum eſt de vobis. Sed vultiſne litem veſtram ad victoriam perducere? Efficite ut teſtes qui depoſuerunt in gratiam veſtri, ſint ſemper ejuſdem ſententiæ. Spiritus ſanctus eſtne locutus pro vobis in Baptiſmo? Satagite ut jugiter loquatur in corde veſtro, & vobis cuſtodiat deſiderium eundi in cœlum, & peragendæ ſalutis veſtræ, & dirigat ſpiritum veſtrum ſecundùm legem Dei, & juxta promiſſum quo vos alligaſtis ipſi, vos nunquam receſſuros ab ipſius obedientia : *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui* [† Rom. 8 17.] *noſtro, quòd ſumus filij Dei* †. Aqua, quam ſuſcepiſtis in Baptiſmo, eſtne teſtata pro vobis? Cavete ne areſcat, ſatagite ut ipſa perſeveret in exhibendo vobis eodem bono officio, & in lavandis vobis quotidie eâdem curâ, quâ cuſtodire procuratis optimas copias ſacculares & inſtrumentarias, cùm habetis aliquam litem, non ſolùm uſque ad areſtum diffinitivum, ſed etiam poſt, ut defendere vos poſſitis, ſi quis alius vellet inquirere vos. Et cùm aqua laverit vos primâ vice, cavete ne elabatur a vobis, & dicite cum Pſalmiſta n, *Deus ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* [n Pſ. 50 2. & 4.] Dignate me lavare ſingulis momentis, ſi non Baptiſmo, ſaltem aquâ, quæ fluit ex oculis meis, ut iſtæ lacrymæ, quas effundo pro peccatis meis, tenere poſſint locum aquæ, quæ lavit caput meum in Baptiſmo, veluti quæ fluxerunt è cerebro meo uſque ad oculos meos : ipſæ enim ſunt fideles teſtes, quas producere volo ſemper ob juſtificationem animæ meæ, quæ accuſatur ab inimicis ſuis : precor autem te humillimè ut digneris audire teſtes hujuſmodi: ſemper enim loquuntur pro me, & dicunt eandē rem, [o Pſ. 38 13.] *Auribus percipe lacrymas meas* o: Sanguis eſtne locutus pro vobis in Baptiſmo? Cavete ne taceat antequàm ſitis immunes à periculo, & ne unquam ſibi contradicat circa id quod ſemel depoſuit in favorem veſtrum. Iſte eſt ſanguis Jeſu Chriſti, qui eodem tempore inclamavit miſericordiam vobis impertiendam, *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel* p. [p Heb. 12 22. & 24 ex Gen. 4. 10.] Sanguis enim Abelis vindictam clamabat adversùs fratricidam ſuum : ſed ſanguis Jeſu Chriſti non reſpirat niſi amorem, & non clamat niſi veniam: ſatagite ut ſemper appareat, & deferte illum in manibus veſtris, ut producatis eum coram Judice, & faciatis illum loqui pro vobis, inſtar S. Pauli, qui eo totus erat inſignitus, dicens, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* q. [q Gal. 6 17.] *Moraliter, Stigmata Chriſti in corpore ſuo portant, ait Hieronymus, qui corpus macerant & affligunt amore Chriſti, utq; ſe Chriſti cruci & paſſioni configurent ac conforment*, ſubdit Cornelius r. [r Cornel. in Gal. 6 17.] Et ſi vox ei deficit, & timetis, ne, quia eſt occupâtus in orando & clamando pro reliquis peccatoribus, non clamet etiam pro vobis, addite ei & veſtrum ſanguinem, & perficite ſanguine veſtro, ſeu mortificationibus veſtris id quod Dei Filius feliciter incepit effuſione ſui ſanguinis, ſicut agebat idem Apoſtolus s, dicens, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* [s Coloſſ. 1. 24.] Nunquid autem non judicatis oportere ut tranſeamus per ſpiritum, per ſanguinem, & per aquam, ſi velimus ingredi cœlum? Nonne ſcitis quomodo cùm *Dominus Deus de paradiſo voluptatis ejecit Adam, collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* t? [t Gen. 3 23. & 24] Ubi tres iſtas res obſervate poſitas ad impediendum ingreſſum in paradiſum, Angelum qui eſt ſpiritus, ignem, & gladium, ut tacitè nobis innueretur, quod ſi velimus ingredi paradiſum cœleſtem, expugnare deberemus tres iſtos cuſtodes. Nihil expugnare poteſt ſpiritum niſi alius ſpiritus; nihil poteſt meliùs ignē vincere, quàm aqua; & nihil meliùs poteſt inducere ad remittendum gladium in vaginam, quàm ſanguis effuſus: &, ut clarè loquar, nihil cuſtodit cœlum, vel hunc paradiſum cœruleum, niſi Deus, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatē, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam* u. [u Pſ. 126 1.] Sed Deus in tribus perſonis, repræſentatus per hunc Angelum cuſtodem paradiſi terreſtris. Hic erat ſpiritus, Pater etiam eſt purus ſpiritus, *Spiritus eſt Deus* x. [x Jo. 4. 24.] Ibi erat gladius; ſimiliter Dei Filius gladio comparatur: *Vivus eſt enim Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti* y. [y Heb 4. 12.] Sed gladius qui deferebat ignem; pari modo Spiritus ſanctus vocatur ignis : *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* z. [z Heb. 12 29. ex Deut 4 24.] Et Eccleſia a de illo concinit, *Ignis vibrante lumine*, &c. [a Eccleſia ex Act. 2. 3.] Toti autem tres jure merito cuſtodiebant ingreſſum paradiſi cœleſtis: toti enim tres notabiles ſuſceperunt ab hominibus injurias; Pater propter illorum ambitionem; Filius, eò quòd abuſi fuerint ipſius doctrinâ; Spiritus ſanctus autem, quia irritaverunt ipſius amorem ingratitudinibus ſuis, & converterunt ignem dilectionis ipſius in ignem indignationis & iræ. Oportet igitur ad conciliandum nobis Spiritum Patris æterni, ut deferamus ſpiritum humilitatis & profundæ obedientiæ; ad hebetandam aciem gladij vindicis Filij, & ad faciendum illum remitti in vaginam, ut oſtendamus ei ſanguinem effuſum ſeveræ pœnitentiæ, concurrendo cum paſſione ipſius; & ad extinguendum ignem iræ Spiritûs ſancti, ut habeamus lacrymas. Et per hunc ſpiritum, per hanc aquam, & per hunc ſanguinem habebimus noſtræ ſalutis æternæ teſtimonia : *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra : ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.*

Imago hæc eſt fideliſſima Trinitatis, & teſtimonium certiſſimum acceſſuum quos faciemus ad hoc prototypon ipſius, ſi cuſtodiamus hanc imaginem in prima perfectione, quam Pictor ei tribuit. Sed quia, Deus mi, *diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti* b: [b Sap. 11 25.] fundum illius ſpecioſæ imaginis, poteſt ſemper dici opus manuum tuarum; ſi non eſt ampliùs ita gratum quale illud feceras, ſatius eſt ut ipſum reficias, & incipiens à corde quod eſt principium boni & mali, illud purifices ſanguine tuo juſto c: [c Math. 27. 4.] eſt enim totum ſordidum & depravatum. Renova ergo *faciem terræ* d. [d Pſ. 103 30.] Et reforma omnes affectus noſtros per Spiritum ſanctum tuum qui eſt totus purus, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis* e. [e Pſ. 50 12. &c.] Præterea, Sicut Spiritus direxerat penicillum tuum in efformatione noſtræ imaginis, continua nobis monſtrare faciem tuam conſpectis influentijs tuis, ut nos conformemus ei, & cuſtodiamus eundem Spiritum, *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et ſi peccatum irritavit faciem tuam, oſtende nobis eam propitiam gratijs tuis, *Redde mihi lætitiam*

titiam ſalutaris tui , & ſpiritu principali confirma me. Ut veluti triplici hoc ſpiritu , ot ita dicam , ſecundum noſtrum concipiendi modum, cùm ſit unicus tantùm Spiritus,qui eſt unus Deus, reficere poſſimus hanc imaginem, & dare ei formam gloriæ.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.
Joan. 6. 52.

NEſcio num ſit deſcenſus, lapſus, captura, mors, ſepultura, receptus,vel centrum Filij Dei, id quod celebramus hodie. Videtur deſcenſus : quia a tribus hebdomadibus idem *Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cœlum , & ſedit*
a Marc. 16.19 *à dextris Dei* a. Et ſi adoramus eum hodie ſuper altari noſtro , oportet ut ſuper illud deſcenderit. Videtur caſus : Sacerdos enim quaſi tormento bellico oris ſui , quod eſt apertura ſacri Canonis, labefactionem facit in cœlo,nec priùs exploſit verbum ſuum , cùm ſtatim trahit è cœlo Filium Dei per labefactionem , qui confeſtim noſtris altaribus adeſt pronunciatis verbis
b Matth. 26.26. iſtis , *Hoc eſt corpus meum* b. Videtur captura: ille quippe , quem Propheta ſic introducit
c Jer. 23. 24. loquentem , *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* c? quem *cœlum & cœli cœlo-*
d 3. Reg. 8.27. *rum capere non poſſunt* d, venit ſe concluſum intra exiguam hoſtiam , quaſi verò captivus eſſet. Videtur mors: ille enim, qui vitam tribuit animalibus, hominibus, & Angelis , æqoè ac motum : *In ipſo enim vivimus , & movemur, &*
e Act. 17 28. *ſumus* e: eſt veluti involutus , & quaſi conſutus intra linteamen album , nedum movere poſſit ibi pedem , manum,aut caput. Videtur ſepultura : eum enim intueor quaſi in feretro , vel ſicut in ſepultura , & faces ac lucernas accenſas circum illum , quemadmodum quotidie fit circum mortuos , qui efferuntur. Videtur receptus : cùm enim apparuerit diebus iſtis præteritis in cœlo cum apparatu , in quo nondum fuerat ibi viſus , *Quis eſt iſte qui venit de Edom ,*
f Iſa 63.1 *tinctis veſtibus de Borſa* f? forſan ibi non eſt agnitus , & fortaſſis cùm illuc benè non fuerit exceptus , revertitur in patriam ſuam , in qua
g Matt. 1 20. priùs formatus erat *de Spiritu ſancto* g. Vel fortè meliùs , cùm ſit corpus , quærit centrum ſuum, & cùm ſit magnum corpus, & corpus gi-
h Pſ.18.6 gantis,ut ipſum nominat propheta *h*, magnos fecit greſſus & ſaltus immodicos ut iret ſe ſociatum ei : ivit enim ad altiſſimum cœlum ſaltu miraculoſo , ſeu aſcenſione mirabili ad peragendum curſum ſuum : *Exultavit ut gigas ad currendam viam , à ſummo cœlo egreſſio ejus , & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Et licèt cœlum eſſet locus ſuus naturalis, quatenus ipſe Deus eſt , tamen non inveniebat ibi centrum ſuum, prout ipſe corpus eſt ; ex illo exivit aliquo modo, *A ſummo cœlo egreſſio ejus , & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus* , ut veniret in cor hominum , ut in locum ſuum magis naturalem , in quo confitetur ſe inveniſſe veras delicias, & perfectum oblectamentum , *Deliciæ meæ eſſe cum fi-*
i Prov.8. 31. *lijs hominum* i, *Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.* Vocat iſtud cor hominis ipſe altiſſimum cœli,quia cœlum Empyreum , quod eſt eminentiſſimum , factum non fuit niſi ut eſſet quaſi tabulatum,ſuper quod deambularet homo in ſempiterna felicitate. Sed ſi id , quod colimus hodie, caſus eſt , porrigendæ ſunt ei manus noſtræ, ne fortè offendat ad duritiem cordis noſtri : ſi eſt deſcenſus , ſiſtere debemus ad ima ſcalæ, ut exhibeamus ei reverentiam : ſi eſt captura , aperiendum eſt illi cor noſtrum , ut ibi libertate extenſionis potentiarum ejus fruatur : ſi eſt mors , debemus adhærere pulvinari ejus, ut hæredes fiamus bonorum illius : ſi eſt ſepultura , cuſtodire debemus tumulum ejus , ut expectemus donec reſurgat in nobis : Si receptus eſt , aperire citò debemus ei corpus noſtrum , & animam noſtram , ut illum ſecurum reddamus adverſùs inimicos ipſius. Et ſi eſt optimum centrum ejus,& inquiſitio deliciarum ipſius , debemus illum introducere in profundiſſima noſtri cordis abdita , ut juxta deſiderium nobis ejus præſentiâ frui liceat.

Virgo ſanctiſſima , gaudes hâc inſigni prærogativâ , ut *in utero* k tuo ſacratiſſimo tuleris k Luc. 1.
hoc pretioſum corpus Filij Dei vivi , quandiu re- 31.&c.
ſiduum mundi non poterat ipſum continere,niſi ex Iſa. 7. 14.
modo communi , quo Deus invenitur ubique : mihi videor poſſe dicere præ omni reverentia poſſibili , quòd ipſa non debes eſſe ita ſingularis ut illum ſola teneas, nedum illum communices hominibus , qui ſunt ex eadem maſſa , ex qua tu es : & ſi permiſiſti aliàs ſancto Simeoni
ut acciperet *eum in ulnas ſuas* l ſemel, non ſumus l Luc. 2. 28.
nos pejoris conditionis , quàm ille fuerit,ut fruſtremur hoc beneficio : & ſi primâ vice illum
formaſti,tuliſti,& produxiſti in mundo *m*; gra- m Luc. 5. 7.&c.
tum habeto, ſi placet , ut domicilium capeſſat in cordibus, & in animabus noſtris , ut ibi quærat delicias ſuas, licèt ibi ſit tranſmutandus,& operiendus pallio ſpecierum ſenſibilium panis & vini: non minùs eris propterea Regina, Mater, & origo gratiæ , è qua volumus haurire meritum, ut ipſum dignè ſuſcipiamus, interim dicendo tibi reverenter, *Ave Maria.*

Non poſſum quin vituperem curioſitatem illorum antiquorum , qui volebant habere Deos, qui eſſent ipſis proximi, quia cùm illi eſſent falſa numina , ipſi non poterant ab eis ullam prærogativam , nec aliquem ſuccurſum favorabilem educere: ſed aſſerere valeo præ veritate cum Ec-
cleſia †, *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat* † Eccleſia ex Deut.
Deos appropinquantes ſibi , ſicut Deus noſter adeſt no- 4.7
bis. Id eſt , intimus eſt nobis, cùm promiſerit Apoſtolis,& in eorum perſona fidelibus omnibus ſe futurum cum ipſis ad finē mundi uſq; , *Ecce ego*
vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummatio- n Matth.
nem ſeculi n. Et lōgo tempore ante per Ezechielē, 28. 20.

Et audivi loquentem ad me de domo, & vir qui ſtabat juxta me, dixit ad me: Fili hominis, locus ſolij mei, & locus veſtigiorum meorum, ubi habito in medio filiorum Iſraël in æternum o, *eſt hic, ſupple, Nec intelligas quod velit dicere, quòd in tali templo habitaverit Dominus inter eos: quia ad literam nec fuit, nec erit tale templum ad literam, quale oſtenditur hic: ſed per iſtud ſignificatur templum Eccleſiæ, vel ſpiritualis anima, in quo Chriſtus habitat*, ſubdit Hugo Cardinalis p. Sed heu! ex eadem cauſâ oriuntur effectus diverſi, ex eadem arbore naſcuntur fructus dulces & amari, ex eadem origine derivantur rivi puriſſimi & corrupti, & præſentia ejuſdem Dei in hoc auguſtiſſimo Sacramento aliquibus eſt theſaurus inæſtimabilis, & pignus certiſſimum bonæ fortunæ, ſeu felicitatis ipſorum; *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei* q. Alijs verò eſt occaſio ſupplicij & condemnationis: *Qui enim manducat, & bibit indignè: judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*, ait S. Paulus r. Et Eccleſia poſt S. Thomam, *Sumunt boni, ſumunt mali: ſorte tamen inæquali, vitæ, vel interitûs. Mors eſt malis, vita bonis: vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus.* Et hoc eſt, quod volo vobis hodiernâ die oſtendere, omittens quæſtiones adductas in controverſiam, & diſcurſus Theologicos, eò quod non cupiam reddere vos tam peritos Theologos, quàm bonos Chriſtianos, repræſentans vobis Primò magna bona quæ adveniunt illis qui accedunt ad hoc Sacramentum cum diſpoſitionibus requiſitis: Secundò magna pericula, quibus ſe exponunt ij, qui ipſum ſuſcipiunt in malo ſtatu, & qui ad ipſum non afferunt reverentiam ipſi debitam: reſervans interim loqui vobis ſpecialius de ijſdem diſpoſitionibus neceſſarijs ad peragendam unionem cum Deo in hoc Sacramento, imò & cum proximo noſtro, ſicut & de notis ejuſdem unionis, æquè ac de reliquis effectis, quæ ſpectant ad hoc Divinum Sacramentum, in reſiduo iſtius Octavæ.

o Ezech. 43.6.&7
p Hugo Card. in Ezech. 43.7.
q Sap. 7 14.
r 1. Cor. 11.29.
Diviſio.

I. Pars.

Nemo eſt qui debeat ambigere, quin nos, qui habemus uſum corporis Filij Dei in hoc Sacramento, habeamus prærogativam ſupra omnes alios, qui cum eo ſunt converſati, quandiu ipſe *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* s, familiariter tractando cum illis. Præterquàm quòd enim realiter & de facto eſt idem ſemper corpus (quod nunc adducere nolumus in diſceptationem) forma, ſub qua tenemus ipſum, magnoperè fidei noſtræ auxiliatur, & maximam providet illi anſam meriti. Præterea, Ipſum penes nos habemus ſæpiùs & frequentiùs, quam haberent illum ij, qui ſeculo illi erant ſuppares: tunc enim non intererat eodem inſtanti pluribus locis, volens ſe accommodare in omnibus, in quibus poterat, ad captum naturalis conditionis hominum: cùm autem aderat Jeroſolymis, non intererat Samariæ, & cùm aderat Samariæ, non intererat Caphamaum: unde fit ut ita ſæpè, & ſic vehementer fatigaretur ut iret exhibitum officia charitatis omnibus ijs, qui opem ejus implorabant, aut auxilio illius indigebant, ut Centurioni in gratiam ſervi ipſius paralytici t, Lazaro u, Samaritanæ, & alijs hujuſmodi x: hodiernâ verò die ſub forma admirabilis iſtius Sacramenti, quot ſunt Eccleſiæ, quot reperiuntur altaria, quot inveniuntur manus Sacerdotum, & quot extant corpora & ora Chriſtianorum, tot ſunt loca, in quibus Jeſus Chriſtus præſens invenitur, & ubi diſtribuit gratias ſuas in commodum noſtrum. Præterquam quòd quandiu ipſe converſabatur in mundo, pauci crediderunt in eum, ut ipſemet Jeſus quibuſdam Judæis exprobrat, *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt* y. Eorumque pertinacia & induratio videbatur potiùs ligare illi manus, ne tot miracula faceret in illorum favorem, quot patrare volebat: ſed ex quo operuit ſe formâ panis in hoc adorabili Sacramento, fides ipſa ita magna fuit, ut diffuſa fuerit ſuper univerſam faciem mundi: eſt enim unus è præcipuis effectibus hujus Sacramentalis panis, ac aperire mentes, eaſque ferre ad firmam & ſolidam fidem verbi Dei, cùm ſit verbum oris Filij Dei, quòd è pane hominum facit illum evenire panem Angelorum, ut ait ſanctus Auguſtinus z, explicans hæc verba Pſalmiſtæ, *Accedite ad eum, & illuminamini*, dicens, *Accedamus ad eum, & illuminemur, non quomodo acceſſerunt Iudæi ad eum ut tenebrarentur: acceſſerunt enim ad illum ut crucifigerent* a: *nos ad eum accedamus ut corpus & ſanguinem ejus accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando Crucifixum, & bibendo illuminamur.* Effectus omninò differens ab eo, quem cauſant in nobis cibi ordinarij, quos comedimus, & bibimus, imò & quando committitur exceſſus in ipſorum quantitate: illi enim privant nos potius mente & cognitione. Huic veritati teſtimonium perhibent filij Iſraël, qui cùm epulati eſſent in deſerto, ita ſtupidi facti ſunt & cæci, ut beſtiam pro Deo ſumpſerint, & vitulo aureo ſupremas exhibuerint adorationes, *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt Dij Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti* b. Quod induxit Moyſen ad dicendum, *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent* *. Et ſi petatis ab eo rationem cæcitatis iſtius, reſpondebit vobis, *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum Factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo* c. Sed è contrà iſte panis *Angelorum* d, cibus iſte cœleſtis manu Dei formatus diſſipat tenebras, illuminat mentes noſtras, & micare facit in oculis noſtris innumeros radios fidei & ſolidæ notitiæ. Sic rectæ conſonum erat rationi, ut, cùm ipſe dixerit, *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ* e, illam manifeſtaret. Et cùm ſanctus Joannes dixerit de eo, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* f: & hæc lux includi voluerit in corporibus noſtris: vult igitur ut corpora noſtra inſerviant ipſi loco laternæ; nec poteſt quin eis intùs communicet ſplendorem omnino Divinum: unde fit ut hoc Sacramentum vocetur ſpecialiter *Myſterium fidei*. Non tam pro eo quòd ſit excellentiſſimum & ſumma omnium fidei noſtræ myſteriorum, quàm pro eo quòd habeat proprietatem præ omnibus alijs roborandæ fidei, & illuminandæ mentis.

s Baruch 3.38.
t Matt. 8. 7 &c.
u Jo. 11. 11. &c.
x Jo. 4. 5 &c.
y Jo. 6. 64.
z S. Aug. conc. 2. in Pſ. 33. 6.
a ex Jo. 18. 3. &c.
b Exod. 32. 6. &c.
* Deut. 32. 28. & 29.
c Deut. 32. 15.
d Pſ. 77. 25.
e Jo. 8. 12.
f Jo. 1. 9.

Si

Si autem videre velitis meliùs & prolixius fructus præcipuos qui deguſtari poſſunt in ſuſceptione iſtius Divini Sacramenti; auſcultate ardens deſiderium, quo ducitur Sponſa familiariùs ſolito converſandi cum dilecto ſuo, *Quis mihi det te Fratrem meum ſugentem ubera matris meæ; ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum* g. Ubi videtur hæc ſacra Sponſa conſultò inquirere formulas loquendi ſuis affectibus exprimendis accommodatiſſimas; aut, ut meliùs dicam, videtur ipſa ſic amore ducta ut ſuis rectum præſcribere non poſſit ordinem ſermonibus; ideòque oporteat ut *ex abundantiâ cordis os* h loquatur motibus inrerruptis, ut hac amantiſſimâ deordinatione cognoſcatur ecſtaſis animæ ipſius.

g Cant. 8. 1 &c.

h Matth. 12. 34. & Luc. 6. 45.

Ipſa, eſt anima devota, quæ elegit pro Sponſo ſuo Filium Dei: ipſa concupiſcit ſimul ut efficiatur frater ſuus, veluti deſiderans familiariùs cum eo converſari, *Quis mihi det te Fratrem meum ſugentem ubera matris meæ?* Licèt enim familiaritas Sponſæ polliceatur ipſi magnos favores, tamen eſt aliqua ſemper ſobjectio Sponſæ Sponſo, quæ non permittit ipſi ut tanto fruatur oblectamento, quantum poſſideret ſi inter utrumque eſſet æqualitas amplior: hæc igitur anima non contenta habere Filium Dei pro Sponſo, vult ut ſeipſam excipiat non ſolùm ut Sponſam, ſed etiam ut procul amandet omnem inæqualitatem, aut ſubjectionem, diligens & excipiens ipſam ut propriam ſororem, ut ipſi ſit Frater lactis, aut uberum, ut nutriti ambo eodem lacte, & eodem alimento, eaſdem capeſſere poſſint conſuetudines, & idem temperamentum. *Ut inveniam te foris?* Id eſt, ut non ſis ampliùs tuo *Dominus in templo ſancto, Dominus in cœlo, ſedes* i tua ubi eſt, & ubi videri non potes niſi ab Angelis, & à ſpiritibus, cùm tu ſis *Spiritus Deus* k, *id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata, honoratiſſimus intellectus* l. Extra locum illum deſidero te videre, teque propiùs alloqui, à negotiis omnibus mundanis expedita. *Et deoſculer te?* Id eſt, ut imprimam tibi pacis oſculum, ſed oſculum columbæ: ſicut enim columbus & columba ſe oſculantes ſibi tribuunt adinvicem cibum & alimentum medio roſtro: ſic ego ſuſcipere volo in hâc unione ſacra oris noſtri cibum meum, qui eſt ſacrum corpus tuum, & pretioſus ſanguis tuus. *Et jam me nemo deſpiciat?* Immunis enim ero à probro, & ab infamia, cui obnoxii dicebantur Judæi, cùm inter eos aliquis erat, qui panem non habebat domi ſuæ, *In domo meâ non eſt panis* m. *Apprehendam te.* Id eſt, manu, & ore ſimul. Ore, confitendo realitatem tuam. Manu, incumbendo bonis operibus conformibus huic confeſſioni. *Et ducam in domum matris meæ.* Nimirum collocabo te in corde meo, quod eſt locus ſecretiſſimus, ut ibi tuam capias quietem. *Ibi me docebis.* Scilicet, veritates maximi momenti. Appoſitè concupiſcit, Auditores, anima devota edoceri a ſuo Sponſo, quem vult oſculari: vocatur enim panis vitæ & intelligentiæ, *Cibabit illum pane vitæ & intellectus* n. Etiam: ibi docet humilitatem: ſi enim aliàs illam docuit in incarnatione ſuâ, concludens ſe *in utero* o B. Virginis; illam meliùs exhibet intuendam hodie in eo quòd corpus iſtud glorioſum & impaſſibile intra extenſionem exiguæ hoſtiæ, & ſingularum ejus particularum capacitatem totum redigit. Docet manſuetudinem, patiens in hac hoſtia ſacra tot genera injuriarum, quæ diebus ſingulis ipſi irrogantur, non ſolùm ab hæreticis diffitentibus veritatem præſentiæ realis ipſius in hoc Sacramento, ſed etiam à Catholicis ſuſcipientibus ipſum in animas malignas, & in conſcientias corruptas. Docet nos perfectam & promptam obedientiam, veniens infallibiliter traditum ſe manibus Sacerdotum ad ſolam pronunciationem iſtorum quinque verborum, nedum intueatur bonam aut malam intentionem Sacerdotis, rectam aut pravam diſpoſitionem ejus, æquè promptè ſtatim ac Sacerdos protulit, *Hoc eſt enim Corpus meum* p, ac deſcendit in uterum B. Virginis, confeſtim ac iſta quinque verba *dixit Maria; Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* q. Docet nos charitatem, quæ in ipſo eſt in gradu altiſſimo poſſibili, cùm uniat ſe nobis, & idem fiat cum illo qui illum ſuſcipit, ut ipſemet ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* r. Sicut & ego dicam vobis die craſtinâ. Docet nos liberalitatem, cùm ſemetipſum tribuat nobis, & ſecum omnes theſauros cœli, nedum inducatur ad iſtam communicationem peragendam alio motivo, quàm ut ſibi conciliet cor & amorem illius qui hanc ſuſcipit ingentem liberalitatem. Docet nos virtutem miſericordiæ, cùm hâc unione quam nobiſcum pangit, medeatur omnibus neceſſitatibus noſtris. Videte, ſi placet, Auditores, num jure merito non deſideret anima iſta devota edoceri ab hoc Sponſo ſacro, quem concupiſcit oſculari? Sed quid præbebo ſibi ad agnoſcendas tot gratias? proſequimitur Sponſa. *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Id eſt, compunctionem, & vivam contritionem peccatorum meorum miſtam ſanctis affectibus, & ardentibus deſideriis meiipſius nunquam ſeparandæ à te. *Et muſtum malorum granatorum meorum.* Nimirum, lacrymas oculorum meorum, expreſſas duplici amore, quem experior in corde meo erga te, & cum iſto ſimul perfectâ unione & concordiâ cum omnibus proximis meis, quos repræſentant grana mali granati. Re autem verâ, Auditores, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum uniens nos Deo, unit nos & proximo noſtro, ut oſtendam vobis die craſtinâ.

i Pſal. 10. 4

k Joan. 4. 24

l Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4. 24

m Iſai. 3. 6

n Eccli. 15. 3

o Luc. 1. 31 ex Iſai. 7. 14

p Eccleſia ex Matth. 26. 26

q Luc. 1. 38

r Joan. 6. 57.

Sed videtur Sponſa ſacra parum dicere: non enim magnum eſt id omne, quod ipſa intendit ſuſcipere à Sponſo ſuo, ut ſe faciat fratrem ſuum, ut cum ipsâ familiariter converſetur, ut ipſam deoſculetur, ut ipſam doceat in conclavi ſuo: iſtud totum nihil eſt ſi comparetur cum eo quod agendum habet Sponſus in gratiam ipſius: vult enim ut omnes qui ipſum ſuſcepturi ſunt cum requiſitis conditionibus, eundem teneant ordinem & ſtatum quem ipſe habet, & fiant filii Dei ſicut ipſe, ut ſtrictiùs ipſi uniti, non ſolùm ſpiritu, ſed etiam ſanguine, & corpore, *Verè panis filiorum, nō mittendus canibus*, ait Eccleſia ſ poſt S. Thomam. Iſte eſt panis puerorum: ſicut autem pueri credere ſolent ſimpliciter id omne quod ipſis dicitur, ſic & ſimpliciter eſt credendum id omne quod ſpectat ad hoc Divinum myſterium. Nonne autem cæcitas eſſet manifeſta velle eſſe ſic perſpicacem ac imaginari ſe poſſe concipere rem, circa quam infringi oportuit omnes naturæ leges? Sed nunquid inſania non eſt velle limitare potentiam Dei, cui ipſemet Deus omnipotens, qui

ſ Eccleſia ex S. Thō. & ex Matth. 15. 26

omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra; in
t Pſ.134.6 *mari, & in omnibus abyſſis* t, limites non poteſt
præfigere?

Omne quod invenitur in hoc myſterio, pen-
det, aut a potentiâ ejus, quæ mutat panem in
carnem, & vinum in ſanguinem: virtute enim
hujus potentiæ, Dei Filius corpus ſuum redigit
ſub figurâ rotundâ exiguæ hoſtiæ ad quantita-
tem ſine extenſione, faciens ut ſi eodem tempore
in pluribus locis: aut eſt effectus ſapientiæ ejus,
quâ ipſe nobis dandi ſuam propriam ſubſtantiam
ad alimentum noſtrum invênit modum ſic ad-
mirabilem: vel eſt productio bonitatis illius,
quâ ipſe corda noſtra ad ſe trahens, nobiſcum
init matrimonium quoddam, & ex duabus car-
nibus nonniſi unam facit. Id omne quod intuetur
potentiam ejus, exceditne terminos omnipoten-
tiæ? Si ipſe eſt qui præſcripſit leges naturæ, non-
ne & ipſe eſt qui poteſt illas infringere? Quando
univerſum deordinabit orbem temporibus ex-
tremis, cùm *poſt tribulationem dierum illorum Sol*
obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ
cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur
u Matth. 24.29. &c u: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli*
magno impetu tranſient, elementa verò calore ſol-
ventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exu-
x 2. Petr. 3.10 *rentur* x: adhærebitne ipſe Deus legibus naturæ?
Quin imò ipſa naturæ opera antequàm producta
eſſent, nonne tantum cauſare poterant admira-
tionem, ſi ipſa fuiſſent propoſita, quantam pa-
riunt omnia ea quæ concurrunt ad manifeſtan-
dam potentiam, ſapientiam, & bonitatem Dei
in hoc auguſtiſſimo Sacramento? Illa ſunt nobis
ſolita, & ideò non invenimus illa inuſitata: &
nunquid noo idem Deus eſt qui facit hæc, æquè
ac illa? Quoad id quod ſpectat verbum ejus,
quare de efficaciâ vel de veritate illius ambige-
y Pſ.32.6 tur? Si Propheta y dixit, quòd *Verbo Domini cœli*
firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum:
Nonne videtur vobis multò difficilius ædificatu
cœlos omnes iſtos ita ſpecioſos & ſic perfectos,
quales eos videtis (ſi difficultas poſſit admitti
quaotùm ad Deum, cui nihil eſt difficile, ſed lo-
quor noſtro modo concipiendi) quàm mutari
corpus in ſubſtantiam alterius? Solum tamen eſt
Verbum Dei quod illos eduxit è nihilo: & id
quod poteſt Deus facere ſeipſo, quare non faciet
verbo Sacerdotis, cùm perfectio operis attribui
non debeat inſtrumento, ſed ſolùm opifici
principali, qui eſt Sermo Dei. Quantùm ad id,
quod ſpectat liberalitatem ejus, inveniturne inu-
ſitatius, quòd ipſe reperiatur in ſpecie panis & vi-
ni, quàm cùm reclinatur ſuper paleam *in præſepio*
z Luc.2.7 z? Repeciturne decentius bonitati perſonæ
ipſius, ut aſſumat *eum diabolus in ſanctam civita-*
a Matth. 4.5 *tem, & eum ſuper pinnaculum templi* a ſtatuat,
quam ferat ipſum ſtomachus hominis, qui inde
ſuam capeſſere poreſt utilitatem? Oportetne ut
ſit liberalior ad continuandum donum quod ipſe
jam effudit, quàm ad incipiendum illud tribue-
re? *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro*
nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavita-
b Epheſ.5.2 *tis*, ait S. Paulus b. Et Dionyſius Carthuſianus c
c Dion. Carth. art. 5. in Epheſ.5.2 poſt eum, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemet-*
ipſum pro nobis oblationem pacificam, & hoſtiam pro
peccato in arâ crucis Deo Patri, vel Trinitati, id eſt,
ad gloriam ejus, & ut ei pro nobis ſatisfaceret in odo-
rem ſuavitatis, id eſt, in ſuavem odorem, videlicet in
holocauſtum acceptiſſimum atque gratiſſimum Deo.
Maximè enim placuit Deo oblatio Chriſti ex parte
patientis, non ex parte inferentis. Nam ex parte pa-
*tientis, mors illa erat py*ima, & ex ſumma charitate*
aſſumpta: ſed ex parte inferentis, crudeliſſima erat,
ſacrilega, & diſplicentiſſima Deo. Salvator igitur
commiſit ſe manibus traditorum & inimicorum
ſuorum dirè excipiendum: eſto quod traditores
ſimus, perfidi, & impii, quare non poteſt nobis
continuare idem donum? *Commendat autem cha-*
ritatem ſuam Deus in nobis: quoniam ſi cùm adhuc
peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro
nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc juſtificati
in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si
enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per
mortem Filij ejus; multò magis reconciliati, ſalvi eri-
mus in vita ipſius d. Projecit ſe ſuper præſepe: d Rom.5. 8. &c.
quare non erit ſuper altari? arreptus eſt à dæ-
mone manifeſto, & furſum viſibiliter ſublatus;
cur teneri non poterit, & deferri in corpore pec-
catoris qui ſuſpirat ad amorem ipſius, & concu-
piſcit gratiam ipſius adipiſci? Quoad verò id quod
reſpicit providentiam ejus, poteratne unquam
excogitaſſe medium ſapientius & efficacius, quo
procuraret hominibus cumulum felicitatis ipſo-
rum, quàm uniendo ſe eis corpore & animâ?
quaſi ſe vellet obſtringere, corpus pro corpore in
gratiam peccatorum; apparere pro eis coram
magno Judice, quaſi vellet in ſe ſuſcipere omnia
jacula indignationis Patris ſui, quaſi diceret,
Quoniam ego in flagella paratus ſum e. Quaſi vellet e Pſ.37.18
animare corpus quod erat mortuum per peccata.
Etiam, Auditores: ſicut enim fortius abripit in-
firmius, & aquæ gutta perit in quantitate vi-
ni, licèt duo corpora ſint corpus hominis & cor-
pus Jeſu Chriſti quæ uniuntur ſimul, corpus Jeſu
Chriſti quod eſt vivius, activius, & excellentius,
abripit alterum, & admirabili modo transfor-
mat illud in ſeipſum, & inducit ipſum ad dicen-
dum, *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me*
Chriſtus f. f Gala. 2.20

Sed verificando verbum Filii Dei, quaſi men-
dacii labe infeci ſermonem meum: proteſtatus
enim fueram me non diſputaturum die hodier-
nâ: nec intendebam niſi monſtrare vobis ma-
gnam felicitatem quæ contingit illi, qui dignè
ſuſcipit hoc Divinum Sacramentum; & e contrà
ingens infortunium quo impetuntur ii qui ad il-
lud accedunt indignè. Abbrevio igitur, dicens,
quòd debetis eſſe contenti pro tota ſumma feli-
citatis quam ex eo debetis prætendere, ut acqui-
ratis panis iſtius beneficio vitam immortalem,
incorruptibilem, Angelicam, & omnino Divi-
nam, *Cùm enim cibo & potu id appetant homines, ut*
neque eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præ-
ſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur,
immortales & incorruptibiles facit, ait S. Auguſti-
nus g. Quare autem non acquireretis eam, ſi ci- g S. Aug. tract. 26. in Joan.6.55
bus quem comeditis, eſt immortalis & Divinus?
Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.
Non dico qoòd immortales eſſe debeatis ex
nunc: cibus enim non convertitur in ſubſtan-
tiam illius, qui ipſum comedit, nec ullum pro-
ducit effectum, niſi poſtquàm digeſtus eſt: ſunt
etiam & aliqua venenâ, quæ non occidunt cor-
pus niſi longo tempore poſtquam hauſta ſunt:
tota vita præſens nobis tribuitur ad digerendum
cibum iſtum cœleſtem; & licèt experiamur ali-
quod novum robur, & aliquem calorem devo-
tionis quandiu digeſtio peragitur, tamen præci-
puus effectus iſtius cibi, qui eſt dare gloriam &
immortalitatem, præcipi non poteſt niſi poſt to-
tam

tam digeſtionem peractam, poſt vitam præſentem terminatam; & hæc digeſtio fieri non poteſt niſi medio exercitio virtutum humilitatis, fidei, & cæterarum Chriſtianarum, ita ut tandem aliquando, citò, aut tardè ſitis experturi effectum fortis illius cibi. Si autem verum eſt id, quod de quibuſdam recenſetur Indiæ incolis, quòd alãtur viperis, & aliis animalibus venenatis, quorum occaſione mederi non poſſint ita ut offendantur à ſimilibus animalibus, nec ita citò corrumpantur ac alii homines, & vivant fere omnes ad centeſimum annum uſque, & ultrà, quaſi verò non poſſet aggredi corruptio corpora quæ corruptione nutriuntur: quomodo non dicemus, quòd corpora quæ aluntur, non viperis, ſed ipsâ carne Dei, qui eſt origo immortalitatis, ſibi debeant infallibiliter illam polliceri immortalitatem? Quare putaris, quòd poſtquàm *reverſus eſt Moyſes de monte, arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël* h, qui illum adoraverant? Sanè nonniſi ut eis quaſi diceret: Volo vobis oſtendere, quòd non erat Deus: ſi enim illum ſumatis, debetis effici Dii: & cùm iſtud non ſit, concludite eum non eſſe niſi idolum, & non Deum. S. Ireneus i eandem conſequentiam ſumens à contrario, dicit contra eos qui negant hunc effectum in corpore Chriſti, *Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur?* Dicendum igitur eſt, quòd ipſamet vita tribuitur homini, *Panis vivus & vitalis, vitam præſtans homini*, ait Eccleſia ex S. Thoma.

h Exod. 32.15.&c.

i S. Iren. lib. 5. adverſ. hæreſes.

II. Pars.

Sed *vita Bonum*, Auditores, ſicut *mors eſt malum*, ut ait Eccleſia eadem per eundem S. Thomam. In hoc ſimilis cuidam lapidi, qui vocatur Dioſcorides, de quo Naturales multas eximias recenſent qualitates, & differentes proprietates, quas omnes ediſſerunt perire, ſi ſemel ſuperponatur iſte lapis alicui cadaveri, dicentes,

Sanctus enim hic lapis eſt, & quem mors ſternit, abhorret.

Idem & meliùs dicere etiam poſſumus de iſto ſancto Lapide, qui eſt corpus Jeſu Chriſti, *Ipſo ſummo angulari Lapide Ieſu Chriſto: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino* k. Cùm innumeras habeat præclaras qualitates, & proprietates penitus Divinas: ſed omnes iſtæ qualitates eximiæ ſuntne omnibus hominibus indifferenter impendendæ? Nequaquam; ſed ſolis animabus ſimplicibus, & rectas intentiones præ ſe ferentibus: quantùm verò ad animas mortuas gratiæ, & induratas in peccatis ſuis, nullum producit lapis iſte ſacer effectum, *Mors eſt malis, vita Bonis*. Id eſt, illis qui ſunt viventes, ſanctior vita; illis vero qui mortui ſunt, triſtior mors. Peccator obſtinate, quotieſcumque accedis ad hanc menſam Divinam cum peccato mortali, vel cum intentione revertendi more *canis ad vomitum* l ſordium tuarum, putas manducare panem vitæ, ſed comedis fruſtum mortis; prætendis quòd Jeſus Chriſtus ſit ingreſſus in te ſtipatus omnibus Angelis: Hallucinaris turpiter: intravit enim in te cum omnibus diabolis, qui ſunt miniſtri juſtitiæ ipſius, ut te illis traderet, teque poteſtati illorum commiſſum relinqueret. Et ſicut, Auditores, idem eſt Rex qui videtur in aulâ palatii Regii, & in ſplendore Curiæ ſuæ, & qui conſpicitur aliquando in exercitibus; diverſo tamen modo locis illis variis ſe præſentem exhibet: in Curia enim ſua apparet ut Princeps manſuetus faciem præ ſe ferens ridentem ac gratioſam; ſed in exercitu plenus eſt juſta irâ & furore adversùs eos qui ſunt ipſi rebelles: in palatio ſuo habet prope ſe Aulicos qui ſe exhibent mediatores erga majeſtatem ipſius in favorem illorum qui aliqua efflagitant beneficia vel præmia pro gratis ſuis obſequiis coronæ Regiæ impenſis, & ſic ipſe diſtribuit bona ſua & favores ſuos fidelibus ſuis vaſſallis qui ipſum agnoſcunt ut legitimum Principem ſuum; ſed in caſtris innumeros habet milites, qui non reſpirant niſi ſanguinem & ignem, quique immiſericorditer utuntur omni genere violentiæ contra flagitioſos homines qui jugum obedientiæ legitimo Monarchæ debitæ præſumebant excutere, & contentâ voce inclamant in civitate illorum, impenſis vitæ & ſanguinis eorum, Vivat Rex præ glorioſiſſimo triumpho; ſic profectò eſt idem Deus, qui ſingulis diebus ingreditur in corpora & in animas hominum probatæ vitæ, & qui intrat in corpora peccatorum, quorum eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* m ſtrictum: ſed erga primos gerit ſe ut bonus Rex, ut bonus Pater, ut bonus Deus; illuc ducit Angelos ſuos, & omnem Curiam ſuam cœleſtem, rectà pergit ad cor, quod eſt parvum palatium ipſius, ſuas incipit exercere liberalitates; iſti cordi tribuit gratias, devotionem interiorem, conſolationem ſecretam, remedium tentationibus ſuperandis opportunum, lumen dirigendis negotiis accommodum, firmum conſilium nunquam ampliùs peccandi, & tandem aliquid Divinum: neſcio autem utrùm auſurus ſim dicere, quòd in hoc exiguo conclavi ipſe tollit diadema è capite ſuo, & illud imponit capiti amici ſui, dicens ei, Si poſſem te facere Deum, & ſi poſſemus eſſe duo, tu eſſes ſecundus; omne quod poſſum tibi dare, illud tibi libenter impertior, & cùm meipſum tibi dem, potes ſaltem deferre nomen meum, & ſicut ego ſum Deus per eſſentiam, facio te Deum per communicationem & per amantiſſimam translationem totius meæ Divinitatis in te, *Quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde* n! Sed gerit ſe ut *Rex iratus* adversùs ſecundos, *& miſſis exercitibus* ambobus qui ſunt Angeli beati, qui nunquam ipſum deſerunt ad tuendum ipſius honorem & gloriam, & dæmones, quibus etiam utitur ad vexandos magis ac magis tentatationibus ſuis importunis & innumeris infortuniis miſeros illos obſtinatos, qui ſuum non reddunt juſtum obſequium vero & legitimo Principi ſuo, qui eſt ipſemet Dei Filius omnipotens, & formidabilis, perdit *homicidas illas, & civitatem illorum ſuccendit* o.

k Epheſ. 2. 20. & 21

l 2. Petr. 2. 22. ex Prov. 26. 11

m Job 41. 15

n Pſ. 72. 1

o Matth. 22. 7

Sed quid? Seraphim qui ſunt confirmati in gratiâ, & toti ardentes amore Dei, tremore concutiuntur coram eo, *Columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus* p. Nec audent illum intueri, quàmvis hoc ipſis ſit licitum, cùm ſint glorioſi, ſed alis ſuis velant vultum illius, ut proteſtatur Iſaias q ſe vidiſſe in viſione, dicens, *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Exigui autem vermes terræ, qui non ſunt digni ut intueantur

p Job 26. 11

q Iſai. 6. 1. & 2

tueantur lumen Solis, volent oculis corporis impuritate plenis intueri ipſam majeſtatem Dei, qui conſultò velavit ſe telâ candidâ panis? &, quod etiam pejus eſt, cùm ipſum cognoverint lumine fidei, ipſum vilipendent, & ad ipſum accedent cum corde fœtido, & cum animâ abominabili? Ha! Auditores, ſi Deus optimus eſt, juſtiſſimus etiam eſt: ſit bonus erga bonos quantùmvis voluerit; ſit etiam bonus, ſi velit, in favorem illorum qui volunt eſſe boni, & tales effici; ſed quòd ſit bonus erga eos, qui ipſum lacerant, qui ipſum inhonorant, qui videntur ipſum annihilare, ipſumque procul amandare falſis opinionibus ſuis ab exili Bethleem, ab iſta parva domo panis, in qua ſe collocavit, cùm ipſemet fuerit manſionarius deſignator qui notavit hoſpitium ſuum verbis iſtis, *Hoc eſt Corpus meum* r, quique vocant ipſum mendacem illuſorem, dicentes, rem ita ſe non habere; qui putant eum impotentem, quique aliud non reſpirant niſi ad eliminandum ipſum ex Eccleſia, & ad Eccleſiam è Regno in ultimas orbis regiones aſportandam; quòd ſit bonus flagitioſis illis hominibus, quòd ſinat illos ſubſiſtere, & quòd faciat illos reſpirare; Ha! debet hoc eſſe propter unum ex iſtis duobus, quòd vivere permittat hæc monſtra naturæ, & monſtra gratiæ. Monſtra naturæ, cùm rebellent contra Regem ſuum. Monſtra gratiæ, cùm non agnoſcant Deum ſuum. Aut hoc eſt propter peccata noſtra, aut propter exercendam Regis noſtri Chriſtianiſſimi pietatem, æquè ac magnanimitatem, aut forſan propter utrumque. Si propter ſecundum, unire debemus preces noſtras, & efflagitare à Deo incrementum generoſitatis & virium impendendum Chriſtianiſſimo Monarchæ noſtro, ut glorioſè triumphare poſſit de inimicis ipſius Dei, ob quietem Regni, ob tuitionem authoritatis Regiæ, & ſceptri quod ſuſcepit à Divina manu ipſius; ut illi citò redigantur ad obſequium juſtum priuſquàm ſeveræ juſtitiæ ipſius experiantur fulmina. Si propter primum, ut timendum eſt, nimirum, quòd peccata noſtra faciant ut tolerentur iſti inimici fidei noſtræ; hæc peccata proculdubio ſunt ea quæ patrantur ſingulis diebus, indignis ſuſceptionibus iſtius Sacramenti Divini: illi hoc non comedunt, nos verò illud devoramus; ii non ſuſcipiunt illud, nos verò hoc recipimus, vilipendimus, & conculcamus ſ. S. Paulus t ait, *Finis legis Chriſtus.* Lex non tendit niſi ad duos fines, ad mercedem Bonorum, & ad ſupplicium malorum: *Finis legis Chriſtus.* Ergo qui illum comedit, recipit unum ex iſtis finibus. Quatuor ſunt fines hominis u, paradiſus, mors, judicium, & infernus. Qui dignè ſuſcipit corpus Jeſu Chriſti, ſuſcipit ſimul paradiſum ſuum, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sed quicumque illud indignè recipit, recipit ſimul mortem, judicium, & infernum. Mortem, *Mors eſt malis*, ait Eccleſia poſt S. Thomam. Judicium, *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*, ait S. Paulus x. Devorat pariter infernum in eodem fruſto, ut dixit idem Filius Dei, *Morſus tuus ero, inferne* y. Tandem, Sicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* z, ſive morbus, ſive adverſitas, ſive fames, ſive ſitis, ſive bellum, ſive quid hujuſmodi: ſic è contra deridentibus eundem Deum univerſa convertuntur in malum, imò verò & ipſum corpus Filii Dei. Sed nolite cogitare, Auditores, quòd ego condemnem omnes illos qui ad hoc Sacramentum indignè accedunt: omnes enim eſſent condemnandi: quis autem ab iſta declinare poſſet condemnatione? Sub hâc condemnatione comprehendo ſolos obſtinatos: humiles autem, qui ſuam agnoſcunt indignitatem & inſufficientiam, non incurrunt hanc condemnationem, ſed ſibi conciliant omne genus benedictionis, pacis, gaudii, & augurii felicitatis & gloriæ ſempiternæ, quibus nimirum, ut concinit Eccleſia, *futuræ gloriæ pignus datur.*

r Matth. 26.26
ſ Hebr. 10. 29
t Rom. 10. 4
u Eccli. 7. 40
x 1. Cor. 11. 29
y Oſee 13. 14
z Rom. 8. 28.

FERIA VI. INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 57. &c,

NOn puto, Auditores, me vobis allaturum moleſtiam, vobis offerendo hodiernâ die carnem, aut, ſi vultis, panem, ut dicebam vobis heri, cùm SS. Sacramentum detur nobis ſub ſpeciebus panis, & panis ordinarius ſit cibus alendis corporibus ſic neceſſarius: ſi autem panis materialis hanc præ ſe fert virtutem, nec ullum faſtidium affert, quare vererer offerre vobis panem, qui eſt totus ſpiritualizatus in Euchariſtia, qui habet omne genus guſtus, qui nos unit Deo, qui parvos nos Deos efficit, panis unionis, cui ſic ſtrictè mediâ Euchariſtiâ debetis uniri, ac B. Virgo fuit unita Deo Incarnationis ipſo momento, quo *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* a *Maria*?

a Luc. 1. 28. & 38.

Eſt doctrina ſatis cognita, quòd unio facit perfectionem omnium rerum. Verum eſt. Omnes Status non inveniunt perfectiones ſuas niſi in unione, ſupernaturalis, naturalis, politicus, civilis, & Chriſtianus. Statum ſupernaturalem, qui Deum intuetur, unio cuſtodit, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* b. Si permittitur aliqua differentia dari à Theologis inter perſonas SS. Trinitatis, non licet tamen illas dividere, & ipſa ratio non poteſt Deorum ſuſtinere multiplicitatem: ſtatim enim ac ipſa ſibi Deum repræſentat, illi tenetur attribuere omnipotentiam, quæ non poteſt eſſe infinita, ſi eſt diviſa. Si per impoſſibile Pater & Filius ſepararentur, ceſſarent eſſe Deus: ideò maxima gloria quæ poteſt attribui Filio, eſt, cùm dicitur, quòd ipſe reſidet *in ſinu Patris* c. Quia ſi per impoſſibile desereret hunc beatum ſinum, in quo ab æterno ſuam ſumit nativitatem, non eſſet ampliùs Deus. En igitur quomodo in ipſo ſtatu ſupernaturali unio ſeu unitas facit totam perfectionem Dei. Statum naturalem facit etiam unio ſubſiſtere; ſi conſideretis

b 1. Joan. 5. 7
c Joan. 1. 18

retis Angelos, invenietis omnes hos ſpiritus cœleſtes innumeros redactos ad novem choros, hos novem choros concluſos in tribus hierarchiis; imò verò eoſdem Angelos non eſſe niſi unum per obedientiam quam exhibent Deo, qui eſt ſupremus ipſorum Dominus, *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis* d. Si ab Angelis inferiùs deſcendamus ad examinandas omnes creaturas ſublunares, inveniemus eas omnes ordinatas ſub ſpeciebus, aut ſub quibuſdam generibus, quæ ipſas eodem uniunt vinculo. Si e ſtatu naturali tranſeamus ad ſtatum politicum, videmus illum non ſubſiſtere niſi per unionem populorum & eorum qui regiminis ipſorum moderandas ſuſceperunt habenas, & quòd ſola diviſio poſſit illorum interturbare requiem. In ſtatu civili reperio unionem neceſſariam perfectioni ejus, civitas ſubſiſtit per unionem civium, & domus per concordiam Domeſticorum: unio facit etiam perfectionem præliorum, & victoriarum: obſervantur caſtrorum acies optimè unitæ eſſe fortiſſimæ, & cùm diviſio illabitur inter milites aut Duces, omnia deordinantur: atqui ſi unio eſt ita neceſſaria quantùm ad omnes ſtatus, non minùs ipſa conſonat ſtatui Chriſtiano: Chriſtianus enim ſubſiſtere non poteſt in ſtatu Chriſtianiſmi, niſi ſit unitus cum Deo, & cum hominibus: ideò zelo ductus perfectionis veſtræ, volo vobis ſubminiſtrare modum peragendæ iſtius perfectæ unionis, offerendo vobis carnem adorabilem Jeſu velatam accidentibus panis in Euchariſtia, quæ debet vos unire cum Deo, & cum hominibus.

d Hebr. 1. 14

Diviſio.

Videamus igitur Primò qualis ſit hæc unio quam habemus cum Jeſu Chriſto in hoc Sacramento: Secundò quænam ſint notæ iſtius unionis, inter quas videbimus an uniti ſimus etiam cum hominibus.

I. Pars.

Non poſſum meliùs hanc primam ſtabilire veritatem, quàm fulciendo eam authoritate trium ſanctorum Patrum, quos appellare poſſumus Triadem Doctorum, S. Hilarii, S. Cyrilli Jeroſolymitani, & S. Cyrilli Alexandrini. S. Hilarius e ait, *Eſt in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo dum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Quòd autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis* f. *Quod autem in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit: ejus tantùm aſſumptam in ſe habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectæ autem hujus unitatis Sacramentum ſuperius jam docuerat, dicens, Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat meam carnem, & ipſe vivet propter me. Vivit ergo per Patrem: & quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivemus.* Examinemus hæc ultima verba S. Hilarii deſumpta ex Evangelio noſtro, quæ ſunt verba unionis: *Sicut miſit me vivens Pater*, ait Jeſus Chriſtus in Evangelio hodierno, *& ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* De quibus loquitur in hoc Textu? De tribus perſonis: ſi enim obſervetis, ibi fit mentio de Patre, de Filio, & de tertia perſona. Sed quænam eſt hæc tertia perſona? Ille qui communicat. Attendite igitur ritè ad omnes terminos. *Sicut miſit me vivens Pater.* Ecce

e S. Hilar. lib. 8. de Trinit.

f ex Joan. 14. 19. & 20

Pater. *Et ego vivo propter Patrem.* Ecce Filius. *Et qui manducat me.* Ecce perſona quæ communicat. Sed poſtquàm monſtravit de quibus loquatur, oſtendit de quânam re loquatur. Si omnes benè terminos obſervetis, invenietis eum non loqui in hoc loco niſi de vita, *Sicut miſit me vivens Pater*, &c. Vivit Dei Filius propter Patrem ſuum, quia vivit vita ejus, ideò illâm ei offert: & ſicut ille qui communicat, debet vivere propter Filium Dei, ſicut idem Filius vivit propter Patrem ſuum, ſequitur quòd ille qui communicat, vivit eâdem vitâ Filii, ſicut Filius eâdem vitâ Patris. Eſt igitur pro comperto, quòd illi qui comedunt in hac menſa Divina, mutantur in cibum, quem ſumunt, & efficiuntur parvi dii, ſicut S. Auguſtinus g dicit ſe audiviſſe Dei *tanquam vocem de excelſis, Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Et S. Chryſoſtomus h ait, *Huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus & una caro.*

g S. Aug. lib. 7. Cõf. c. 10

h S. Chryſoſt. hom. 60. ad pop. Antioch.

Dixerunt aliàs Jeſu Chriſto quidam Judæi, *Quod tu facis ſignum, ut credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt, Panem de cœlo dedit eis manducare* i. *Dixit ergo eis Jeſus, Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: panis enim Dei eſt qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo* k. Hæc eſt virtus iſtius Sacramenti, dare vitam, nimirum, vitam animæ, quæ eſt vita gratiæ, quâ anima vivit ſupernaturaliter, & eſt unita Deo. Unde paulò pòſt ait, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Quid eſt, *non moriatur?* cùm dicit Pſalmiſta l, *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem?* Ratio iſtius eſt, quia panis iſte cibus eſt animæ, qui præſervat à peccato, & confert vitam gratiæ, & hæc vita incipiens ex iſta vita, perſeverat ſemper in altera, ut conſequenter ait idem Dei Filius, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et licèt alia Sacramenta nos uniant Deo, conferendo nobis gratiam m, non tamen ita nobilitet ac iſtud: in aliis invenitur virtus Jeſu Chriſti; ſed in hoc invenitur ipſe Jeſus Chriſtus realiter & perſonaliter. Id autem quod id hoc eſt mirabilius, eſt videre modum, quo Deus communicat hanc vitam, quâ ſe unit nobis, & nos unimus ei in ſuſceptione Euchariſtiæ, Jeſus Chriſtus hunc exprimit modum in verbis præallegatis, *Sicut miſit me vivens Pater*, &c. Non poterat meliùs nobis commendare gratiam iſtius Sacramenti ſecundùm ſenſum quem etiam S. Auguſtinus n interpretatur de vita humanitatis ipſius, *Vivimus nos propter ipſum, manducantes eum, id eſt, ipſum, accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis: vivit autem ipſe propter Patrem, miſſus ab eo, quia ſemetipſum exinanivit, factus obediens uſque ad mortem crucis* o. *Si enim ſecundùm id accipimus, Vivo propter Patrem, quod alibi ait, Pater major me eſt* p: *ſicut & nos vivimus propter ipſum, qui major eſt nobis: hoc ex eo quòd miſſus eſt, factum eſt. Ac ſi diceret: Ut ergo vivam propter Patrem, id eſt, ad illum tanquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Ut autem quiſquam vivat propter me, participatio facit quâ manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me.* Nimirum, Sicut ego carnem ſumens humanam (hoc eſt enim eſſe

i ex Exod. 16. 4. &c.

k Joan. 6. 30. &c.

l Pſ. 88. 49

m Joan. 3. 5. & 20. 22 & 23 & Matth. 6. 19. & 18 18. & Act. 8. 17. & Jacob. 5. 15. & Matth. 19. 6

n S. Aug. tract. 26. in Joan. 6. 57.

o ex Philipp. c. 7. & 8

p Joan. 14. 28

miſſum à Patre) vivo ſecundùm humanitatem propter Patrem meum: habeo enim à Patre meo Divinitatem, è cujus ſocietate & unione humanitas mea vitam ſuſcepit propter unionem hypoſtaticam cum perſonâ Verbi; ſic ille qui comedit me, propter unionem realem & Sacramentalem quam habet mecum, participabit vitam meam. Obſervate igitur, ſi placet, uſquequò nos Deus elevaverit per Euchariſtiam, ut, ſicut Dei Filius per unionem cum perſona Verbi communicat huic vitæ, quam habet humanitas; ita nos per hanc unionem quam habemus cum Jeſu Chriſto, cùm accedimus ad ſacram communionem, ſuſcipiamus vitam animæ noſtræ à Deo qui nos unit ſibi. Si enim velimus hunc locum ſecundùm alterem S. Hilarii interpretationem præfatam uſurpare, *Sicut miſit me vivens Pater*, &c. is non eſt intelligendus de eo ſolùm quatenus homo eſt in tempore, ſed ſicut prout etiam procedit à Patre ſuo in æternitate: nulla enim Perſona dicitur mitti ab alia perſona in Divinitate, niſi ab ea procedat: atqui miſſio Jeſu Chriſti eſt incarnatio ejus, quæ includit generationem æternam: ait igitur Jeſus Chriſtus, Sicut ego, quatenus homo, per unionem humanitatis meæ cum Deo vivo vitâ humanâ & vitâ gratiæ in anima mea; & prætereà ſicut per generationem æternam, & unionem aut unitatem cum Patre meo, habeo vitam Divinam, quæ communicatur mihi à Patre meo: ita ille qui mihi eſt unitus per ſuſceptionem hujus Divini Sacramenti, virtute talis unionis communicabit vitæ gratiæ in hoc mundo, & vitæ gloriæ in altero, & vitæ humanæ per corpus glorioſum quod ipſe reſumet in æternitatem. Quàm proficuum eſt iſtud homini, qui ſuſcipiendo corpus Jeſu Chriſt, non ſolùm communicat gratiæ, gloriæ, & vitæ æternæ, ſed etiam eodem modo quo ipſe Dei Filius habet à Deo vitam humanam & Divinam, quantùm puræ creaturæ licet communicare hujuſmodi vitæ. Sic verbum iſtud præfatum, *miſit*, includit duas generationes, ut ajunt Theologi, nimirum, æternam, & temporalem. Æternam Jeſu Chriſti, quatenus Deus eſt. Temporalem, prout homo eſt. E prima pendet quòd ſecunda vocetur miſſio Jeſu Chriſti: nulla enim perſona in Divinitate dicitur miſſa, ſicut dixi, niſi procedat ab ea a qua mittitur; unde Spiritus ſanctus dicitur mitti à *Patre* q & Filio, quia ab utroque procedit; Filius autem à ſolo Patre r, quia ab eo ſolo procedit ſ: Pater à nulla mittitur perſonâ, quia à nulla procedit: miſſio igitur Jeſu Chriſti comprehendit duas generationes, & in utraque Jeſus Chriſtus ſuſcipit vitam. In æternâ habet à Patre vitam Divinam, id eſt, eandem vitam Patris. In temporali verò, quâ Verbum eſt unitum humanitati, anima Jeſu Chriſti recipit vitam gratiæ juſtificantis, præterea gratiam unionis, in qua eſt ipſa vita increata Dei, & invenitur in eadem perſonâ Verbi quæ eſt humanitati unita. Nunc autem ad propoſitum noſtrum, in quo extollitur gloria naturæ humanæ, Jeſus Chriſtus ait, *Sicut miſit me vivens Pater*, &c. Quaſi diceret, Mortales admiramini bonitatem Dei erga vos: non ſolùm communico vobis in Euchariſtia gratiam abundantem; imò verò eodem modo ſublimi quo Pater meus communicat mihi non ſolùm vitam creatam gratiæ, prout homo ſum, ſed etiam vitam increatam, quatenus Deus ſum; ſic ego communico vobis vitam gratiæ, quantùm capaces eſtis illius ſuſcipiendæ: ſicut enim per unitatem quam habeo cum Patre meo, habeo vitam infinitam & Divinam Patris mei, & per unionem perſonæ meæ increatæ cum humanitate creatâ communico humanitati meæ vitam gratiæ creatæ, & per communicationem idiomatum, per quam ſum Deus & homo, communico ei vitam æternam increatam: ita cùm comeditis me, per unionem iſtius Euchariſticæ manducationis communico vobis vitam gratiæ, quæ facit hanc admirabilem unionem. Bonitas admirabilis Dei! & eximia hominis excellentia! Nunquid non ſub tali unione poterat nobis Deus dare gratiam, quam nobis tribuit per Euchariſtiam? Poterat ſanè nobis illam præbere mediis aliis Sacramentis, ſicut eam nobis communicat interventu Euchariſtiæ; ſed Deus non ſolùm voluit nobis communicare vitam gratiæ, ſed voluit illam nobis dare hoc modo; quo non poteſt excellentior inveniri, ut ſcilicet haberemus hoc modo vitam gratiæ, quo Jeſus Chriſtus eam habet, non ſolum creatam, ſed etiam increatam. Sit in æternum benedictus, quia hoc modo nobis exhibet intuendam dilectionem & magnificentiam ſuam, uniendo nos ſibi, non ſolùm communicando nobis vitam Divinam, ſed modo Divino, quo Pater vitam communicat Filio ſuo, & Verbum Divinum humanitati ſuæ.

q Joan. 15. 26
r Iſai. 6. 8. & 9. & Galat 4. 4
ſ Pſ. 2. 7

Non minùs aperit nobis S. Cyrillus Jeroſolymitanus t propoſitionis iſtius veritatem, cùm aſſerit quòd per ſacram Communionem acquirimus quandam conſanguinitatem cum Chriſto, *Divinis myſteriis digni redditi, concorporei, ut ita dicam, & conſanguinei Chriſti facti. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus ejus & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundùm beatum Petrum* u, *Divinæ Naturæ conſortes reddimur.* Ita ut hæc unio ſit phyſica, realis, ſubſtantialis, & corporea. Ut igitur ſenſibilem hujus intelligentiam vobis tribuam, aſſumo comparationem inſiti, & ſuppono hoc Sacramentum eſſe *lignum vitæ in medio paradiſi* x Eccleſiæ plantatum. Quærunt aliqui, quare iſtud, quod *produxit Dominus Deus lignum vitæ in medio paradiſi* terreſtris in principio ſæculorum, quod habebat virtutem vivificam, nunquam eam communicant, nunquam vitam præbuerit, nec unquam favorabiles produxerit effectus glorioſi nominis quod ferebat: & dicunt, quòd ferè videtur poſſe aſſeri, arborem illam fuiſſe inutilem, & creationem illius ſuperfluam, cùm finis propter quem hæc arbor conſtituta fuerat in paradiſo, ſuum ſortitus non fuerit effectum. Sed reſpondent alii, iſtud lignum vitæ ſignificaſſe SS. Sacramentum, & quòd in SS. Sacramento ſuos produxit effectus, qui ſunt dare vitam. Illud lignum vitæ erat figura iſtius veritatis. Unde dicitur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei* y. Super quod Dionyſius Carthuſianus † ait, *Chriſtus lignum vitæ vocatur, ſecundùm quòd de Sapientiâ Salomon* z *loquitur, Lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam. Ipſe ſiquidem eſt viride lignum, & fructuoſiſſima arbor, à quâ vita gratiæ, vitaque gloriæ emanavit, qui ſuis electis immortalitatem concedit. Qui licèt ubique ſit per Divinitatis naturam* a, *& in Eccleſia militante per Sacramentalem præſentiam* *; *in Regno tamen cæleſti propriè & apertè conſiſtere dicitur, ubi facie ad faciem* b *cernitur.* Ut igitur ſenſibiliùs vobis demonſtrem unionem quam habemus cum Jeſu

t S. Cyril. Jer. Catech. Myſtag. 4
u ex 2. Petr. 1. 4
x Gen. 2. 9
y Apoc. 2. 7
† Dion. Carth. art. 3. in Apoc. 2. 7
z ex Prov. 3. 18
a ex Jer. 23. 24
* ex Matth. 28. 20
b ex 1. Cor. 13. 12

Chriſto

Chriſto in Euchariſtia, aſſumo comparationem familiarem inſiti. Ille qui vult inſerere, accipit calamum, quem inſerit arbori, ligat calamum trunco, & ſic fit utriuſque unio: atqui talis unio vocari poteſt phyſica & naturalis, quia naturaliter arbor unitur calamo, & calamus trunco: eſt realis: non enim eſt illuſio, ſed res quæ videtur, & tangitur: eſt ſubſtantialis, quia calamus ſumit ſubſtantiam & vitam ſuam ex arbore, ut vivat ſubſtantiâ & vitâ arboris, & illius interventu producat fructus: eſt corporea, quia eſt unio duorum corporum, nimirum, calami inſiti & arboris, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Id eſt, eodem modo quo calamus in arbore, & arbor in calamo. Primò, Calamus unitur arbori, cui inſeritur, unione naturali: ita ille qui communicat, inſeritur arbori vitæ, quæ eſt Jeſus Chriſtus: atqui hæc unio vocari poteſt naturalis: ſicut enim ſi præciſa fuiſſet auris alicui, & vulnere adhuc calido reponeretur hæc auris in capite, hæc unio fieret naturaliter, quia hæc auris eſt membrum iſtius capitis, & caput iſtud eſt caput iſtius auris, & ſic unirentur auris & caput naturaliter: ita illi qui ſe volunt inſerere huic arbori vitæ, quæ eſt Jeſus Chriſtus, ſunt *membra corporis ejus* c, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* d. Atqui naturale eſt ut membra uniantur capiti, quia naturalis eſt hæc unio membrorum capiti ſuo: ergo hæc unio fidelium cum Jeſu Chriſto, qui eſt ipſorum Caput, eſt naturalis inter Salvatorem & eum qui communicat, *In me manet, & ego in illo,* ait Ieſus Chriſtus. Et S. Paulus e, *Unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Præterea, datur unio phyſica & realis inter calamum & arborem cui inſeritur: ſic præter unionem gratiæ effectivæ realem, quæ eſt inter eum qui communicat cum omnibus diſpoſitionibus requiſitis ad percipiendos fructus, propter quos inſtituta fuit à Chriſto Euchariſtia, & eundem Salvatorem, inter animam illius qui ſuſcipit hoc Sacramentum & ſpiritum Ieſu Chriſti, eſt etiam unio phyſica & realis inter duo corpora, quia corpus iſtud Domini noſtri unitur phyſicè & realiter corpori illius qui communicat, *Cùm amans & benignus Pater Verbum impluiſſet, ipſum jam ſpirituale alimentum factum eſt nobis. Hæc appoſita & convenientia alimenta nobis ſuppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit ſanguinem,* ait Clemens Alexandrinus f. Inſuper, Unio quæ eſt inter inſitum & arborem, eſt ſubſtantialis, ſic vocata, quia arbor communicat ſubſtantiam ſuam inſito, ut vivat, & fructum ferat, ita ut inſitum vivat vitâ arboris: ſic dicimus quòd ille qui communicat, unitur ſubſtantialiter Ieſu Chriſto, quia inſerens ſe illi, vivit vitâ Ieſu Chriſti qui ait, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Et ſicut arbor ſubſtantiam dat inſito, ut vivat inſitum, & ferat fructum; ita Ieſus Chriſtus communicat ei qui ipſum ſuſcipit, vitam & ſubſtantiam Divinam, ut producat opera ſimilia ipſiuſmet Ieſu Chriſti operibus, *Ve itaque non tantùm per charitatem hoc ſimus, verùm etiam ipsâ re in illam miſceamur carnem: hoc namque per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet. Proptereà ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt,* ait S. Chryſoſtomus g. Suſcipimus hoc Sacramentum ut cibum, qui unitur ſubſtantialiter ei qui ipſum ſuſcipit, & ſuſtentatur virtute ipſius, ſicut arbor ſuſtentat calamum ſibi inſitum, ut producat fructum. Tandem, Unio arboris & calami inſiti eſt unio duorum corporum viventium vitâ vegetativâ: atqui ſicut hæc arbor vivens eſt vitâ quæ eſt ſubſtantia ſua ad faciendam unionem corpoream inſiti; ſic unio Ieſu Chriſti cum eo qui communicat, eſt unio corporalis inter duo corpora viventia. Ut autem hæc unio ſit fortior, etiamſi vi verborum conſecrationis corporis non detur nobis niſi corpus Chriſti, tamen per concomitantiam ſuſcipimus etiam ſanguinem pretioſum, ut majori profuſione vivamus vitâ Ieſu Chriſti. Prohibuerat aliàs Deus filiis Iſrael, *Sanguinem univerſæ carnis non comedetis: anima enim omnis carnis in ſanguine eſt* h. Quia vita animalium ſita eſt in ſanguine, quem ſi manducaſſent, comediſſent vitam illorum, & vitam duxiſſent animalem: ne igitur fierent participes animalitatis eorum, Deus vetuit eis uſum ſanguinis illorum: *Sicut enim tu immortali anima præditus es: ſic animal irrationale ſanguinem habet loco animæ,* ait Theodoretus i. Sed Ieſus Chriſtus dat nobis corpus ſuum cum ſanguine ſuo, in quo conſiſtit vita, ut ſuſcipientes carnem ipſius & ſanguinem ipſius, communicemus vitæ ipſius: & ſicut arbor & inſitum ita uniuntur ut hâc unione ſint eadem arbor & eadem res: ita ille qui dignè communicat, ita incorporatur Ieſu Chriſto ut non ſint ambo niſi unum corpus, *Panis Dominicus facti eſtis,* ait Algerus k.

c Epheſ. 5. 30
d Coloſſ. 1. 18
e 1. Cor. 10. 17
f Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6. poſt medium.
g S. Chryſoſt. hom. 61. ad pop. Antioch.
h Levit. 17. 14
i Theodoret. quæſt. 23. in Levit. 17. 14
k Alger. de Sacrament. lib. 1. c. 19

Ad probationem veritatis iſtius, aqua quæ ponitur in calice, cùm celebratur Miſſa, ſignificat populum Chriſtianum qui communicat: intelligitur enim per aquam propter inconſtantiam ipſius, *Aqua multa populi multi,* ait Ghiſlerus l. Atqui hæc aqua quæ ponitur in calice, quæque ſigurat eos qui communicant, ſic unitur vino, ut peractâ conſecratione non poſſit ampliùs dici quòd ibi ſit aqua: mutata enim eſt in ſanguinem Jeſu Chriſti. Sed obſervate quòd ad hoc ut fiat hæc unio Ieſu Chriſti & communicantis, ſufficit ut caro Chriſti tangat carnem illius qui communicat mediantibus accidentibus ad hoc ut faciat ut producat ille mirabiles effectus, quia caro Ieſu Chriſti, quatenus unita Verbo, eſt prædita proprietatibus Verbi, ut fructificare faciat eum quem ipſa tangit. Cùm ferrum candens educitur è fornace, non eſt ignis, nec ſubſtantia ignis, ſed habet tantùm ſpiritus ignis, ideò comburit, & producit eoſdem effectus, ac ſi eſſet ignis: ſic humanitas non eſt Divinitas, ſed medio iſto Sacramento acquirit proprietates & virtutem ad benefaciendum, ſicut agit Divinitas: ideò ſufficit ut hæc unio carnis Ieſu Chriſti carni illius qui communicat, fiat mediantibus accidentibus, ut communicet ei Divinitatem, & faciat illum producere fructus ubertimos benedictionis, & vitæ.

l Ghiſler. expoſit. 2. in Cant. 7. 8. ex Apoc. 17. 15

Deus non conſummavit Matrimonium quod contraxerat cum hominibus, niſi in Euchariſtia, non quòd non *in charitate perpetuâ* m dilexerit nos: hanc enim dilectionem æternam ſuam erga nos ſatis ipſe teſtatus eſt ſumendo naturam humanam: ſed iſta dilectio ſortita ſuum non eſt effectum ultimum niſi in Euchariſtia. Quinque obſervantur effectus amoris, primus eſt languor,

m Jer. 31. 3

ſecundus liberalitas, tertius zelotypia, quartus ecſtaſis, quintus unio. Primus effectus amoris eſt reddere ſubjectum ſuum languens: videte amantem, ferè eſt exanimis, quia languet. Secundus eſt liberalitas: quantùmvis ſit avarus homo, liberalis evadit confeſtim ac amans efficitur: ſenſus communis iſtam nos edocet veritatem, quia quidquid habet divitiarum, non valet id quod jam tribuit ipſe ex quo vulneratus eſt amore: præbuit enim cor ſuum objecto amoris ſui: poſt ſemetipſum traditum, quidnam denegare poteſt? Tertius eſt zelotypia: amans non poteſt eſſe niſi zelotypus, & licèt ſit liberalis uſque ad dandum ſemetipſum, reſervat tamen ſibi perſonam amatam, & moleſtiâ afficitur, cùm ab aliis aſpicitur objectum amoris ſui, nec minimum ſuſtinere poteſt intuitum alienum ſine tormento; verum quidem eſt, quòd hæc differentia datur inter amantes ſacros & profanos, quòd illi cupiunt habere corrivales, ipſoſque tædet eſſe ſolos in poſſeſſione Divinorum objectorum ſuorum. Quartus eſt ecſtaſis: & unde veniunt raptus iſti tot Religioſæ vitæ cultorum & cultricum qui non vivunt niſi Deo in clauſtro; & tot animarum ſanctarum viventium in ſeculo, quæ tamen non reſpirant auram ejuſdem ſæculi, ſed ſolum ſpiritum Dei, niſi ex amore? Amor profanus projicit eos qui ipſo ducuntur, in exceſſus extraordinarios. Ultimus effectus unionis qui facit ipſius cumulum & perfectionem, eſt, quò tendunt perfecti amantes, id eſt, ad uniendum ſe amore aut voluntate, corpore aut ſpiritu cum objectis amoris ſui: atqui invenio omnes iſtos effectus perfectè in Euchariſtia. Ideò Concilium

n Conc. Trid. ſeſſ. 13. decre. de S. Euch. Sacram.

Tridentinum *n* vocat Euchariſtiam *Symbolum unitatis, & charitatis, quâ Chriſtianos omnes inter ſe conjunctos & copulatos Salvator noſter eſſe voluit.* Scimus amorem Dei erga homines fuiſſe ſic violentum, ut projecerit eum in languorem,

o Cant. 2. 5

Quia amore langueo o, ait humanitas ſacra, ſicut explicare poſſumus hoc in occurſu id, quod literaliter dicitur de Sponsâ. Liberalis fuit hic amor, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in*

p Ephes. 5. 2

odorem ſuavitatis p. Zelotypiâ ducitur erga animas noſtras, nec perpeti poteſt ut dæmon ſecum participet imperium cordium noſtrorum, *Et*

q Luc. 11. 14

erat ejiciens dæmonium q. Suſtinuit ecſtaſes: ſi enim ecſtaſis eſt alienatio ſuiipſius, nonne Dei Filius aliquo modo ſe alienavit à ſemetipſo, cùm

r Joan. 16. 28

exivit *à Patre, & in mundum r* venit? Nunquid non viſus eſt aliquando quaſi extra ſemetipſum? *Sui exierunt tenere eum: dicebant enim, Quoniam in furorem verſus eſt* ſ. Tandem, Matri-

ſ Marc. 3. 21

monium conſummavit in unione per Euchariſtiam, quæ eſt ultimus effectus amoris ipſius, cùm permiſit nobis ut comederemus hunc panem, per quem manemus in ipſo: *Siquidem & nos tanquam membra corporis compaginamur ipſi ſecundum idipſum ad ſecundum idem immaculata & Divina vita*, ait S. Dionyſius *t*. Et paulò pòſt,

t S. Dion. l. de Eccl. Hier. c. 3. Scot. interpret.

Siquidem unimur ipſi Diviniſſima vita ad eam noſtrâ juxta virtutem ſimilitudine. Et S. Cytillus

u S. Cyril. Alex. lib. 4. in Joan. c. 17

Alexandrinus *u* concludens triadem trium Doctorum prædictorum, hoc ſenſibili comparatione elucidat ſuper verba Textus noſtri: *Sicuti enim ſi quis liquefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum Chriſto ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* Ecce qualis ſit hæc unio: videamus notas iſtius unionis, & num uniti ſimus etiam hominibus.

Eccleſia ait poſt S. Thomam, quòd hæc unio cognoſci poteſt tribus modis, nimirum ſi poſt ſuſceptam Communionem quis experiatur ſe habere cor novum, vocem novam, & opera nova, *Nova ſint omnia, corda, voces, & opera.* Hæc ſunt ſigna, per quæ cognoſcitur num is qui communicavit, unitus ſit more inſiti, arbori vitæ, quæ eſt Jeſus Chriſtus. Primus character ſeu effectus iſtius Sacramenti & hujus unionis myſterioſæ eſt, ut renovet corda: maximam enim habet hoc Sacramentum virtutem. *Iiſdem conſtamus quibus & nutrimur*, ait proloquium Philoſophicum. Participamus qualitates ciborum, quibus alimur: cùm Euchariſtia ſit puritatis infinitæ, oportet neceſſariò ut ejiciat è corde omnes impuros affectus ſanguinis & carnis: projecti in hanc fornacem, debemus in ea relinquere rubiginem noſtram, & inde puri exire, *Proptereà ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt*, ait S. Chryſoſtomus *x*. Id eſt, conſumendo in nobis id omne quod eſt malignum & terreſtre. Quò referuntur priora verba S. Dionyſii modò allata, & quibus immediatè pòſt ſubdit ad hoc propoſitum idem Divinus Doctor: *Et non corrumpentibus paſſionibus mortificati, incompacti, & Deiformes, & non incongruentes efficimur ad Divina membra & ſanctiſſima.*

H. Par.

x S. Chryſoſt. hom. 61. ad pop. Antioch.

Secundum ſignum, quo cognoſcitur num unio ſit ficta, & num calamus adhæſerit arbori cui inſitus eſt, aut non, eſt, ſi ille qui communicavit, mutavit vocem, more alterius Iacob, ad impetrandam benedictionem ſui Patris cœleſtis, dicendo ei, *Pater mi* z? Veſtimenta

z Gen. 27. 18. &c.

Chriſti capeſſimus in Baptiſmo, *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* a. Sed

a Galat. 3. 27.

retinemus ſemper vocem veteris Adæ, mentientes *invicem*, inſtar alterius Iacob, nedum nos *expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis*

b Coloſſ. 3. 9

b. Ita ut poſt Baptiſmum habeamus adhuc juramenta, perjuria, & blaſphemias in ore, quæ ſunt vox Adæ antiqui, & ſic dici nobis poſſit jure merito, *Vox quidem, vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Hæc infirmitas in nobis remanet poſt condemnationem peccati: remedium autem huic mutationi vocis opportunum, eſt Communio frequens: hæc eſt virtus quam habet illud Sacramentum. Sic Ieſus Chriſtus ante paſſionem ſuam communicavit, non ad augendam gratiam ſuam, ſed ad mitigandam vocem ſuam, & ad mutandam amaritudinem illius in dulcedinem: propterea priuſquam communicaſſet, verbis utebatur rudibus & minacibus, *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*

c Matth. 26. 24

c. Mirum non eſt, nondum communicaverat: ſed poſteà nihil præter dulcedinem, *Amice, ad quid*

d Matth. 26. 50

veniſti d? Hoc Sacramentum mitigavit ipſi vocem: eodem modo ſe debet in nobis res habere, *Intra ipſa vulnera Redemptoris noſtri figimus lin-*

e S. Cypr. ſerm. de Cœnâ Dñi. n. 15

guam, ait S. Cyprianus *e*. Id eſt, ut purificemus ibi linguam noſtram ad producenda verba nova. Cavete ergo vobis, & attendite num habeatis iſtam notam, alioquin calamus non adhæret arbori. Si continuatis diſcurſus veſtros profanos, & blaſphemias veſtras, veſtræ Communiones ſunt inanes.

Ter-

Tertium ſignum eſt, ſi opera ſint nova: calamus enim inſitus fert fructus novos; ſic ille qui communicavit, debet producere actiones ſanctas Jeſu Chriſti, qui eſt arbor ſacra, cui inſitus eſt, *Verbum bonum, mores compoſitos, affectum pudicos, ſenſus pacificos illa interior ſinceritas ubique diffundit*, ait paulò poſt idem S. Cyprianus. Hæc ſinceritas interna, quam poſſidemus, cùm ſuſcipimus Euchariſtiam, glorioſos illos producere debet effectus in nobis, ut verba noſtra ſint ordinata, mores noſtri ad rectam regulam rationis exigantur, ut ſenſus & affectus noſtri ſint immunes à materia, & à commercio terrenorum, quorum ſocietas inquinare poſſet ipſorum puritatem, nec habeant pro termino & objecto niſi eum qui cùm actus puriſſimus ſit, *paſcitur inter lilia* f, quæ ſymbola ſunt puritatis, & innocentiæ.

f Cant. 2. 16.

Tandem, Vivere debemus ſicut alij Jeſus Chriſti. Salvator poſt reſurrectionem ſuam ornatus fuit quatuor qualitatibus glorioſis, quas communicat ijs qui Euchariſtiam ſuſcipiunt. Primò, Facit illos participes doni claritatis: ideo David g ait eis, *Guſtate & videte*. Et paulò antè, *Accedite ad eum, & illuminamini*. Sic iſtam diabolus edoctus veritatem, incitavit Judam ut citò ſacrilegum ſuum conſilium exequeretur, veritus ne ſuſceptâ Communione illuminaretur, & agnoſceret crimen ſuum h. Secundò, Communicat eis dotem agilitatis, reddendo eos promptiores ad obſequium Dei, ob delicias quas ſuſcipiunt ex hoc Sacramento. Tertium donum, eſt ſubtilitas, quam Euchariſtia communicat humanitati noſtræ, quantùm fieri poteſt. S. Thomas i ait, *Quòd nomen ſubtilitatis à virtute penetrandi eſt aſſumptum*. Quaſi dicat, quòd ſubtilitas penetret id omne quod ipſi poteſt opponi: atqui diabolus innumeras opponit difficultates ei qui conatur ſervire Deo, quæ infringuntur virtute & frequentatione Euchariſtiæ. Quarta qualitas, cujus homines fiunt conſortes, eſt dos impaſſibilitatis: virtute enim Divini hujus Sacramenti Martyres conſtantiâ incomparabili paſſi ſunt ergaſtula, ſupplicia & tormenta. Hæc omnia peragere debet is qui communicavit, ut demonſtret quòd verè calamus adhæret arbori cui inſitus eſt, quòdque non eſt unio ficta, ſed vera: *Recedant vetera, nova ſint omnia, corda, voces, & opera*, ait Eccleſia poſt S. Thomam.

g Pſ. 33. 9. & 6.

h Matth. 26. 14. &c

i S. Thô. Suppl. q 83. a. 1. in corp.

Philoſophia dicit: *In elementis ſymbolis facilis eſt tranſitus*. Nimirum, quòd elementa ſymbola facilè inter ſe tranſmutentur: ſi convenientiam habeamus cum Jeſu Chriſto, ſi imitemur enim in operibus ipſius, hæc unio facilè peragitur: ſi autem è contrà ab illo diſcrepemus, & non adhæreamus veſtigijs ejus, nunquam ſocietatem cum illo inibimus. Vivere debemus igitur vitâ Jeſu, ſicut humanitas ipſius vivebat vitâ Verbi per unionem, quæ erat inter ipſius humanitatem & Verbum, & quæ eſt inter Jeſum Chriſtum & eum qui communicat: ſicut cùm duo fluvij occurrunt ſibi, & unus ingreditur alterum, minor amittit nomen ſuum, & curſum ſuum, tractus fluxu majoris; ſic in Communione ſacra jungimus duas vitas; vitam Jeſu Chriſti, & vitam noſtram: vita Jeſu Chriſti eſt major: debemus igitur nos dirigendos committere vitæ Jeſu Chriſti, quæ rectà dirigit ad cœlum: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, ait S. Paulus k. *Vivo autem jam non ego*. Id eſt, ante Communionem. *Vivit verò in me Chriſtus*. Quia ingreditur in nos per Communionem.

k Gal. 2. 20.

Tertullianus l exponens hæc verba S. Lucæ, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, dicit, *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatem à corpore ejus*. Ita ut per hanc unionem dicere poſſimus Jeſu Chriſto, *Memorare quæ mea ſubſtantia* m. Quòd ſimus eadem ſubſtantia cum ipſo, cum vivamus vitâ ipſius, *Hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro*, ait ad propoſitum S. Chryſoſtomus n. Quòd ſi uniones non infringuntur niſi per diviſiones, quàm violentæ ſunt hæ diviſiones compoſito, & quâ moleſtiâ Dei Filius afficitur propter peccata noſtra, quæ faciunt hanc diviſionem, *Omnis qui ſolvit Chriſtum, antichriſtus eſt* o. Eſt igitur multùm offendere Jeſum Chriſtum ac peccare poſt Communionem, cùm peccata ſeparent nos à Deo, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* p. Athanaſius Nicænus q vocat hoc Sacramentum *Paſcha authenticum*. Quaſi diceret more Juriſperitorum, quòd ſit authoritatis præſtatio tacitâ fide promiſſa, in contractuque hærenti: Pater æternus irritatus erat contra peccata, quæ mortem intulerant Filio ipſius, ut ipſemet ait, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* r. Ea caſtigare volebat in nobis: Filius dat nobis corpus ſuum, ut cautam præſtare poſſit cauſam noſtram, quandiu erit in nobis, & mitigare iram Patris ſui, & ut, cùm Pater æternus vellet coronare merita ipſius, inveniret nos in ipſo, ut ſuſciperemus coronas ipſius, *In me manet, & ego in illo*. Debemus igitur ipſum in nobis ſolicitè cuſtodire humilitate profundâ, fide ſincerâ, & charitate ardente, quæ nos uniat proximo noſtro, æquè ac ipſimet Deo. Quia cibus iſte ſacer eſt panis, qui eandem rem ſecum facit eos, qui ipſum comedunt: ideò cùm ille qui communicat non intendit omnibus hominibus uniri, ſed manet in diviſione, maximum omnium criminum perpetrat: arma quidem capeſſit contra Deum, & favens conſilio diaboli, tribuit ei anſam adimplendi in terra illius, quod exequi non potuerat in cœlo: voluerat enim in cœlo ſe Deo adæquare *Lucifer, in corde* ſuo dicens, *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. Sed quid illi contigit? Audite id quod ſequitur: *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci* s. Atqui ille qui communicat ſine voluntate uniendi ſe corde & affectu inimico ſuo, vocat diabolum ex inferno, & facit illum ingredi corpus ſuum, & dat ei manum dexteram Dei: ſuſcepit enim jam corpus Jeſu Chriſti realiter, quia illud *ſumunt Boni, ſumunt mali* realiter quando communicant, ut ait Eccleſia poſt S. Thomam: impij enim non ſuſcipiunt gratiam, ſed loco gratiæ recipiunt diabolum, & æquiparant illum Jeſu Chriſto. Ha! nunquid non eſt favere conſilio diaboli ac illum velle adæquare Deo? Ha! peccator quid agis? Quid fecit tibi Dei Filius ut ei talem inferas injuriam? Quid? miraris quòd *Principes Sacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent* t, & mortem illi ſategerunt inferendam, nedum illum cognoſcerent? *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* u. Et non erubeſcis collocare Jeſum Chriſtum & diabolum in eodẽ loco, quod agis quotieſcumque communicas cum animo vindictæ? Ha! nunquid non eſt te-

l Tert. li. de Orat. c. 6. ex Luc. 11. 3

m Pſ. 88 48.

n S. Chryſoſt. hom. 60. ad pop. Antioch.

o 1. Jo. 4. 3.

p Iſa. 59 2.

q Anaſt. Nic. de SS. Sacram.

r Iſa. 53 8.

s Iſa. 14. 12. &c.

t Matth. 27. 20.

u 1. Cor. 2. 9

tetrimum omnium crimium & ſacrilegiorum non ſolùm malè excipere Jeſum Chriſtum in membris ipſius, nimirum fidelibus, *Quia membra corporis ejus* x *ſunt*, nedum ſint *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* y eundem? Siſtite, ſiſtite, iracundi, hanc rabiem, & iſtam iram, quæ dèvorat cor veſtrum, quæque vos inducit ad capeſſendam de veſtris inimicis ultionem.

x Epheſ. 5. 10.
y Heb. 6. 6.

Unde putatis, Auditores, quòd oriantur omnes iſtæ inordinationes, univerſæ diviſiones iſtæ quę ordinarię ſunt in civitatibus? Inde ſanè, quia homines non ſunt adinvicem uniti in Euchariſtia quæ eſt Jeſus Chriſtus. Faxit Deus ut dicere non poſſim de veſtra, quòd ita diviſa ſit ut vicinos inducat ad commiſerationem, & alienigenas ad deriſionem. Vultiſne diſſidia veſtra terminare, ſi quæ ſint inter vos? Cōciliate ea mediâ unione & pace, unite vos Deo in SS. Sacramento, ſed ex intimo corde veſtro præ humilitate & reverentia. Oportet ut ſubſtantia alimenti mutetur in ſubſtantiam illius qui ipſam comedit: ſed infelicitas eſt ſanguineis lacrymis deflenda, quòd, poſtquàm ſumpſimus ſubſtantiam Jeſu Chriſti, cùm deſcendit in ſtomachos noſtros, nullam ipſe invenit ibi ſubſtantiam, & queritur, *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia* z. Rationem illius reddit S. Auguſtinus †, *Quia per iniquitatem lapſus eſt homo à ſubſtantia in qua factus eſt. (iniquitas quippe ipſa non eſt ſubſtantia, non enim iniquitas eſt natura quam formavit Deus* *, *ſed iniquitas eſt perverſitas quam fecit homo) venit Filius Dei ad limum profundi, & non erat ſubſtantia in qua infixus eſt, quia in iniquitate illorum infixus eſt.* Uniamus nos igitur Deo in hoc Sacramento, ſimul & proximo noſtro, individuam cum illis pangentes amoris ſocietatem: & ſi nos uniamus illi, & proximo noſtro in hac vita, poſtquàm Deus ipſemet communicaverit nobis gratiam ſuam, tribuet nobis gloriam ſuam.

z Pſ. 68. 2.
† S. Aug. Conc. 1. in Pſ. 68.
* ex Gen. 5. 7

SABBATHO INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.
Joan. 13. 1. &c.

DEſiderio ductus immodico Moyſes videndæ faciei Dei, Dominum deprecabatur enixè, ut ſe glorioſâ iſtâ honoraret prærogativâ, *Dixit Moyſes ad Dominum, Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam. Dixitq́; Dominus, Ego oſtendam omne bonum tibi, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris* a. Sed quomodo, Auditores, quòd Deus oſtendat Moyſi omne genus boni, & non monſtret ei faciem ſuam, in cujus viſione invenitur omne bonum congregatum? cùm dicat S. Joannes b, *Hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum.* Et Boëtius c, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium cōgregatione perfectum.* Iſtud ænigma eſt, ut videtur, ac paradoxum, ſed eſt alluſio ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in quo oſtenditur omne bonum, quod Deus exhibere poteſt intuendum, quod eſt ipſemet Deus; tamen non detegit faciem ſuam velatam ſpeciebus Sacramentalibus. Iſtud eſt ſummum bonum, ſed ita ſummum ut *ſciens Ieſus quia omnia dedit ei Pater in manus*, ait Evangeliſta noſter, cùm ageretur de tribuendo hoc dono, conſuluerit potentiam ſuam, ut videret num extenſio ejuſdem potentiæ ſuæ perveniret ad tale donum largiendum. Legatus aliquis à Rege miſſus ad peragendas aliquas expeditiones ſecretas, convenientem imponet ordinem quibuslibet exiguis negotijs occurrentibus: ſed ſi negotium aliquod graviſſimum habeat tractandum, quodque non ſit ordinarium, ſtatim recurrit ad diplomata ſua, ut videat uſquequò ſe extendat authoritas ſibi data, & ſciat quidnam ſit acturus juxta potentiam ſibi commiſſam: Dei Filius exivit *à Patre, & in mundum* d venit ut Legatus cœleſtis ab eo miſſus ad peragenda negotia ſalutis noſtræ: *Miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum* e. Potentiâ ordinariâ ſuę commiſſionis Filius iſte Dei benè omnia diſponit, ſanat infirmos, illuminat cæcos, ſurdis auditum, mutis loquelam, paralyticis motum, & mortuis vitam tribuit f: ſed tractaturus de inſtitutione SS. Sacramenti, in re tanti momenti, videre vult literas patentes ſuas, & videns ſe abſolutum quoad omnia, *Ieſus ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit*, inſtituit hoc Sacramentum, in quo unit ſe nobis per gratiam, quæ erat jam in Maria, cùm ſalutata fuit ſic, *Ave Maria.*

a Exod. 33. 12. &c
b Jo. 17. 3.
c Boët. l. 3. de cōſ. Philoſ. proſ. 2.
d Jo. 16. 28.
e Jo. 3. 17.
f Matth. c. 8. & 9 & 10.

Refert Calepinus g poſt commentum Poëtarum, quòd *Paris, Priami Trojanorum Regis, & Hecubæ filius, cùm in dirimendis controverſijs eſſet æquiſſimus, maximam juſtitiæ famam ſibi comparavit, adeò ut ortâ inter Deas, Iunonem, Palladem, & Venerem diſceptatione de forma propter aureum pomum à Iove cœlitùs demiſſum, in quo ſcriptum erat, Detur pulcherrimæ: judex ſit conſtitutus. Quas cùm vidiſſet nudas, ſententiam tulit ſecundùm Venerem, quæ pulcherrimam fœminarum ſibi promiſerat, neglecto Regno, quod pollicebatur Iuno, & contemptâ, quam Pallas offerebat, ſapientiâ.* Tranſeamus, Auditores, à fabula ad veritatem, & dicamus quòd Dei Filius non contentus eo quòd *formavit hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* h; gratificari vult etiam eidem homini favoribus ſuis; præcipuè autem offert ei munus pomi aurei, cujus pretium & excellentia cauſare videtur æmulationē Authori ſuo, adducens aliquo modo in diſceptationem tria adoranda ipſius attributa, potentiam, ſapientiam, & bonitatem, cuinam ex ipſis attribuenda gloria ſit operis ſic eximij, quale eſt SS. Euchariſtiæ Sacramentū, quod eſt ſpecioſum iſtud pomum. Potentia ait totam illius gloriam ſibi eſſe aſcribendam, propter magna & diverſa miracula quæ in eo occurrunt, nimirum, accidentia ſuſpenſa, & quaſi ſemetipſis ſubſiſtentia, corpus integrum cum omnibus ſuis partibus, perfectum, & benè ordinatum in ſpatio ſic exiguo, quantitatem ſine extenſione partium, corpus in pluribus locis, & totum in toto, & totum

g Calep. in Dictiō. V. Paris.
h Gen. 2. 7.

in

in qualibet parte: & prætendit quòd ipſa fecerit ſola, & facere potuerit illud omne. Sapientia dicit, ſibi deferendum hunc honorem: Quid enim Potentiæ inſerviret poteſtas, inquit ipſa, niſi haberet a me adinventiones ad illud exequendum; Quomodo potuiſſet illa excogitare modum ſic admirabilem ad teſtandum amorem ſuum homini? Contendit amor quòd potentia, & ſapientia quaſi nihil ſunt, & quòd ipſe utramque movet ſolus, & agere facit. Quiſnam erit Paris ad ferendum judicium, & ad componendam hanc controverſiam ortam inter illas Divinas magnitudines; Ha! quis audebit aggredi compoſitionem iſtam? Si conſulamus *diſcipulum, quem diligebat*
i Jo. 13. 1. *Jeſus* i, eumque judicem conſtituamus ſuper hanc diſceptationem, primas partes illius operis tribuet amori, *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Sed quia potentiam non excludit, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, ita nec illam debemus nos excludere, ſicut nec ſapientiam, cùm iſta & illa æquè conſtituant eſſentiam Dei, ac ipſius bonitas. Videa-
Diviſio. mus igitur Primo quomodo potentia Dei ſplendeat in hoc Sacramento: Secundò ſapientia ejus: Tertiò vero & præcipuè illius bonitas.

I. Pars. Jeſus Chriſtus inſtituit in Eccleſia ſua SS. Euchariſtiæ Sacramentum propter gloriam ſuam, & ob utilitatem noſtram. Propter gloriam ſuam,
k Prov. 16. 4. *Universa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* k. Cùm ſplendere faciat in Euchariſtia potentiam ſuam, ſapientiam ſuam, & bonitatem ſuam. Tria, ſicut audiviſtis modo, ſimul requiruntur ad aggrediendum aliquid arduum & difficile, nimirum, potentia ad illud exequendum, ſapientia ad illud ordinandum, & amor ad reddendam actionem facilem, & ad laborandum præ voluptate: quid enim inſerviret Regi eſſe potentem, ſi deſtitutus eſſet ſapientiâ ad dirigenda conſilia ſua ad felicem finem? quid prodeſſet ſapientia homini ſubtili, & variis adinventionibus prædiviti, ſi deeſſet ipſi potentia earum in palàm adducendarum? & ad quid alicui potentia & ſapientia, ſi non eſſet in ipſo voluntas exequendi illius quod ipſe ſcit, æquè ac poteſt? Deus intuenda ſemper exhibuit hæc tria attributa Divina, potentiam, ſapientiam, & bonitatem in omnibus operibus ſuis, præſertim verò in inſtitutione SS. Sacramen-
l Pſ. 110. 4. & 5 ti Euchariſtiæ, quòd ideò Pſalmiſta l vocat ſummam, aut memoriale mirabilium ipſius, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* Id eſt, tribuens carnem ſuam pretioſam propter utilitatem diligentium & timentium ſe, æquè ac propter gloriam ſuam.

Potentia ipſius emicat in hoc mirabili Sacramento multis, magnis, & extraordinariis miraculis, quæ in eo operatur. Quorum primum eſt, Quòd Jeſus Chriſtus eſt verè in corpore & in anima in cœlo & in terra ſimul. In cœlo, *Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dex-*
m Marc. 16. 19. *tris Dei* m. Et in terra, *Et ecce ego vobiſcum ſum o-*
n Matth. 28. 20 *mnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* n.
o Dion. Carth. a. 45. in Matt. 28. 20. *Hoc eſt cum militanti Eccleſia per Sacramentalem præſentiam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus o. Secundum, Quòd in terra eſt non ſolùm in una hoſtia, ſed in tot hoſtiis quot ſunt conſecratæ, id eſt, in locis ferè innumeris, nedum tamen ulla mutatio interveniat in ſubſtantia ipſius. Tertium, Quòd licèt Dominus noſter ſit in ſe viſibilis, cùm habeat corpus & colores: eſt tamen in SS. Sacramento cum hoc eodem corpore, & cum iſtis iiſdem coloribus inviſibiliter: licèt ſit ſenſibilis cum qualitatibus corporalibus, quibus ſenſus noſtri poſſunt affici, in Euchariſtia nihilominùs eſt cum iſtis qualitatibus inſenſibiliter: quàmvis ſit palpabilis, cùm habeat carnem & oſſa, ſicut ipſe ſuis poſt reſurrectionem ſuam dicebat diſcipulis in tali ſtatu glorioſo, *Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*
p Luc. 24. 39. p: ſuper noſtris altaribus tamen cum eâdem carne, & iiſdem oſſibus impalpabilis eſt. Quartum, Quòd etiamſi corpus Domini noſtri ſit multò majus hoſtiâ, nihilominus totum comprehenditur in hoſtia; & quod mirabilius eſt, totum eſt in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ, more ſpirituum, nullum occupans ibi locum, eò quòd ſe deſtituerit quāritate, quæ vocatur localis, quæ efficit ut corpus ſecundùm varias ſuas partes correſpondeat exteriùs diverſis partibus ſpatii, quod eſt circum ipſum, & quod ipſum cingit: ita ut effectu prodigioſo potentiæ ſuæ redigat totū ſuum corpus in exiguum punctum, colligat & uniat omnia membra ſua ſimul, nedum tamen illorum diſtinctio, ordo, & ſitus naturalis aliquo modo interturbentur. Quintum, Eſt realitas myſterii, quod conſiſtit in mutatione ſubſtantiæ integræ, & compoſiti phyſici & naturalis in alteram ſubſtantiam, & in alterum compoſitum: ita ut tota prima ſubſtantia deſtruatur omnino, & mutetur penitus in alteram, nimirum panis in corpus, & vinum in ſanguinem Jeſu Chriſti, quæ mutatio vocatur tranſubſtantiatio propter hunc finem, id eſt, mutatio totalis unius ſubſtantiæ in alteram ſubſtantiam.

Illius miraculi dantur aliquæ rationes. Quarum prima eſt, Quòd cum Deus omnia eduxerit è theſauris omnipotentiæ ſuæ, quippe qui *in principio creavit cœlum & terram* q, proculdubio
q Gen. 1. 1. &c. potentia ipſius non fuit reſtricta ut non poſſet mutare unam ſubſtantiam in alteram, cùm utrumque ſit oppoſitum ordinibus naturæ: ſed, meâ quidem ſententiâ, major videtur repugnantia (ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi, cùm nihil reſiſtere poſſit Deo) ad faciendum aliquid è nihilo, quam ad producendam aliquam rem è ſubjecto præexiſtenti: atqui cùm Deus eduxerit mundum è nihilo contra maximas Philoſophorum, qui dicunt, *Ex nihilo nihil fit*: nemo ambiget quin iſtam potuerit operari miraculoſam tranſubſtantiationem. Secunda eſt, Quòd cùm ubi *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*, *Jeſus aquam vinum* r fecerit, mutando ſubſtan- r Jo. 2. 1. &c
tiam aquæ in ſubſtantiam vini; nec major ſit repugnantia inter utrumque ex iſtis miraculis; inferendum eſt, quòd idem Jeſus habuerit poteſtatem mutandæ ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui: quàmvis enim eſſet Filius hominis, & ut ſic videretur ipſius poteſtas finita & limitata: tamen quia ſancta ipſius humanitas erat hypoſtaticè unita Verbi perſonæ, poteſtas ipſius erat infinita, ſicut Deus *non habet finem* s. Si quis eò temeritatis procederet ut iſtud s Baruch 3. 25.
negaret, aut in dubium revocaret minus haberet fidei quam diabolus: etiam, Auditores: credidit enim dæmon quòd *lapides panes* t fieri poſſent t Matth. 4. 3
potentiâ Dei: quare autem non poſſet ipſe mutare ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, cùm mutare poſſit ſubſtantiam lapidis in ſubſtantiam panis? Tertia eſt, Quòd hæc omnipotentia ſuperat artem, natu-

turam,& gratiam. Quantùm ad artem: Videmus quòd opifices vitrorum artificio ſuo è lapidibus vitra conficiunt. Quoad naturam: Obſervamus quòd vitis convertit in vinum aquam quam ſuſcipit à pluvia; quòd lignum efficitur ignis; quòd ignis reſolvitur in alias ſubſtantias;& quòd apes convertunt flores in mel dulciſſimum. Quantùm

u Exod.3 10, &c. ad gratiam: Deus mittit fidelem ſervum ſuum Moyſen *ad Pharaonem* u Regem Ægypti, cum virga ad percutiendam petram induratam cordis ejus: præcipit illi ut projiciat virgam ſuam in terram, quæ mutatur in ſerpentem, & deinde revertitur in virgam coluber ille: *Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes. Dixitque Dominus:*

x Exod.4 2,&c. *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam* x. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Aegypti, & ſuper fluvios eorum, & rivos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in ſanguinem. Feceruntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: & elevans virgam percuſſit aquam fluminis*

z Exod.7 19,&c. *coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem. Et fuit ſanguis in tota terra Aegypti* z. Si ars, natura, & gratia operantur hæc omnia, & alia plura mirabilia, quæ longius æquò foret recenſere: potiori ratione Deus qui eſt Author ar-

a Jo.1,17 tis, naturæ & gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* a: mutare poterit ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis

b Tert. l. 4 contr. Marcion. c.40. ex Matt. 26 26. ſui. Hanc veritatem authoritate ſuâ cautam præſtant Tertullianus b: *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit.* S. Cyprianus c: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ*

c S. Cypr. ſerm. de Cœna Dom. n. 7. *Verbi factus eſt caro.* Et expreſſius S. Ambroſius d: *Panis iſte, panis eſt uſitatus ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus*

d S. Amb. l.4. de Sacram. c.4 *ſermonibus? Domini Ieſu.* Ne autem exeamus è nobiſmetipſis ad fulciendam fidem infallibilem iſtius Divini myſterij, quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd panis quem comedimus, convertitur in carnem noſtram, & vinum in ſanguinem noſtrum: & ſi natura facit iſtud, ut obſervat Medicina; quare Deus facere non poſſet id quod eſt ſecundùm vires naturæ?

Sextum miraculum quod obſervatur in SS. Sacramento, eſt, Quòd quantitates panis & vini, quæ cùm ſint accidentia, non poſſunt ſubſiſtere ſemetipſis, ſed neceſſario indigent fulcro quo ſuſtententur, nimirum, ſubſtantiâ, quę inſerviat ipſis loco baſis, permanēt tamen in ſtatu ſuo priſtino, licèt ipſorum ſubſtantia ſit penitus deſtructa, quippe mutata in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti; & ſic ſunt quaſi in aëre, nedum adhæreant rei alicui naturali. Quoad alia accidentia, qualia ſunt, color, ſapor, albedo, & rotunditas &c. innituntur ipſa quantitati ſuo modo ordinario, nedum ſuſcipiant in hoc aliquam mutationem. Septimum eſt, Quòd hæc accidentia nutriunt, ſuſtentant, roborant, & producunt ſupra ſuæ naturæ vires eoſdem effectus in ijs, qui ipſa ſumunt, quos producerent ſubſtantiæ panis & vini, ſi in ipſis adhuc eſſent, & ſi non eſſent converſæ & mutatæ in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti. Octavum eſt, Quòd cùm hæc accidentia corrumpuntur, & poſt aliquantulum tempus generantur vermes ex ipſorum corruptione, Deus ad producendos iſtos vermes creat de novo, ut putant multi Theologi, materiam primam, & probabiliter eam, quæ præexiſtebat antequàm converteretur in corpus Chriſti, & producit ex iſta nova ſubſtantia formas ſubſtantiales iſtorum vermium. Tandem, Hæc omnia miracula, quæ natura non poteſt intueri niſi præ ſtupore, fiunt virtute quatuor aut quinque verborum exeuntium ex ore viri mortalis, quod ſanè eſt admirabiliſſimum. Ecce quomodo micare facit Deus miraculis iſtis omnibus, rationibus, & authoritatibus, potentiam ſuam in hoc Sacramento, in hac exigua hoſtia conſecrata, quæ majora continet miracula, quàm Jeſus Chriſtus unquam patraverit, aut per ſe, aut per Apoſtolos, aut per Prophetas, aut per omnes Sanctos: unde fit ut S. Thomas e vocet *Hoc Sacramentum, miraculorum ab ipſo factorum maximum.* e S. Thô. opuſc. 57 II. Part.

Sed ſi potentia ejus elucet ita ſublimiter in inſtitutione hujus Divini Sacramenti, ſumma illius ſapientia non minùs in ea ſplendet. Re autem verâ productio eſt ſapientiæ incomparabilis id inveniſſe modum introducendę in nos ſubſtantialiter & corporaliter propter utilitaté & commoda noſtra, Vitæ ipſius, & uniendæ & velut incarnandæ ſacramentaliter Divinitatis in omnibus hominibus, qui incarnari non potuerant perſonaliter niſi in uno ſolo, ut omnes quodam modo deificarentur in hoc mundo, ſicut S. Cyrillus Jeroſolymitanus f loquens *de Divinis myſterijs, quibus dignos reddunt, concorporei, ut ita dicam* (inquit nobis) *& conſanguinei Chriſti facti eſtis. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus ejus & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundum S. Petrum* †. *Divinæ Naturæ conſortes reddimur.* Per hanc enim ineffabilem unionem participes efficimur Divinitatis: unde ſancti Patres vocant Euchariſtiam extenſionem Incarnationis, cùm Verbum Divinum unitum corpori ſacro quod ſumimus, ingrediens verè in nos in ſacra Communione, videatur aliquo modo denuò incarnari in nobis. Eſt igitur ſapientia incomprehenſibilis Dei, quia Deus eſt *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* g, poſt motivum gloriæ ſuæ, inſtituiſſe hoc Sacramentum propter utilitatem noſtram, ut cibus eſſet & alimentum animarum noſtrarum; ut, ſicut jactura noſtra venerat è cibo, ſic & noſtra ſalus oriretur ex altero cibo. Comeſtio *de ligno* h vetito, fuit origo omnium malorum, quæ *in hunc mundum* invexit Adam, *in quo omnes peccaverunt* i homines: Verbum Divinum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* k; quodque per conſequens continet *omne Bonum* l: ſe præbet nobis in cibum, quem præcipit nobis ut manducemus, *Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum* m, &c. Ut cibus comeſtus mandato ipſius, reparet in nobis vaſtitates cauſatas à fructu manducato contra prohibitionem ipſius. Sed quia metuiſſemus & horruiſſemus ſumere cibum iſtum, id eſt, comedere carnem crudam, & bibere ſanguinem in formis ipſorum naturalibus, intuendam nobis exhibet ſapientiam ſuam, tribuit nobis utrumque cibum ſubſtantialiter & realiter, ſed alteratum & velatum ſpeciebus panis & vini, quæ ſunt alimenta communia, quæ nunquam nobis faſtidium pariunt. Prætereà, Sicut corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti luminoſius eſt ipſo Sole, *Quoniam oculi*

f S. Cyril. Jer. Catech. Myſtagog. 4 ex 2. Pet. 1.4
† 2. Petr. 1.4
g Jer. 32. 19.
h Gen. 3. 6. &c.
i Rom. 5. 12.
k Coloſſ. 2. 3. & 9.
l Exo. 33. 19.
m 1. Cor. 11. 24. &c.

Domi-

Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem n, ſi debuiſſemus accedere ad ipſum in hoc ſtatu, non potuiſſemus ſuſtinere ſplendorem tantæ majeſtatis, nec intueri ipſum tam ingenti gloriâ circundatum, cùm iſte Dei Filius ſit *amictus lumine ſicut veſtimento* o: & dicat Incognitus p, quòd Pſalmiſta *Myſticè hic per veſtimentum intelligit Chriſti incarnationem: quia carneus Verbum aſſumpſit, quâ ut veſtimento operiretur*. Et S. Bernardus q B. Virginem alloquens de Filio ipſius, *Veſtu eum ſubſtantiâ carnis, & veſtu Solem nube*. Propterea ſapientiſſimè ſe geſſit, dum corpus ſuum velo operuit, ut ad illud facilem nobis præberet acceſſum, & abſcondens illud oculis noſtris, anſam noſtris iiſdem præberet oculis exercendæ fidei, quæ eſt tantùm rerum latentium, *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* r. Tandem, Jeſus Chriſtus ſupereminenter manifeſtat ſapientiam ſuam in inſtitutione iſtius adorabilis Sacramenti in eo quòd hic tanquam in tabula abbreviatâ videntur omnia attributa Divinitatis ipſius, & omnia myſteria humanitatis ipſius. Immenſitas s ipſius apparet in præſentia, quam habebit in omnibus locis, ad quæ eſt ipſius extenſa fides, *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum* t. Æternitas u ipſius hic obſervatur per durationem, quam hîc habebit uſque ad finem mundi, *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* x, ſicut ſuprà expoſiti poſt Dionyſium Carthuſianum. Potentia ipſius hic ſplendet in creandis verbo ſuo miraculis innumeris, ut jam audiviſtis. Sapientia ipſius, in excogitandis adinventionibus uniendi ſe hominibus, ut dixi vobis. Bonitas ipſius, hîc maximum dat beneficiorum ſuorum hominibus; & miſericordia ipſius hîc maximas facit profuſiones ſuas, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe* y. Juſtitia ipſius, hîc renovat pretium ſatisfactionum ſuarum: ideò concinit Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* Et S. Paulus z ait nobis: *Empti enim eſtis pretio magno.* Sanctitas a ipſius, ex hoc Sacramento manare facit originem gratiarum, *Mens impletur gratiâ.* Tandem Majeſtas b ipſius, Euchariſtiam reddit objectum omniũ adorationum noſtrarum c.

Humanitas ipſius ſacra facit in rotunditate iſtius hoſtię ſacroſanctę compendium illius, quod fecit *ipſe Ieſus quaſi annorum triginta* d ſpatio ſuper rotunditate terræ. Hîc renovat incarnationem ſuam, reddens carnem ſuam denuò præſentem ſacris iſtis ſignis viſibilibus. Naſcitur ſuper altari, ſicut natus eſt aliàs *in præſepio* e. Hic adoratur à populis, & à Regibus, ſicut ibi fuit adoratus à paſtoribus, *Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio* f. Et à Magis: *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum* g. Transformat panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem ſuum, ſicut aliàs multiplicaverat *panes* h, & *aquam vinum* i fecerat. Hic eſt exemplum omnium ſpecioſarum virtutum, quarum ſe ſummum Magiſtrum exhibuit intuendum in vita ſua, dicens, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* k. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* l. Præterea, Pater æternus dedit *Teſtem populis eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus* m. *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* n. Hîc renovat meritum mortis ſuæ, ſacrificio ſuo: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat* o. Reſurrectionem ſuam p, per hoc eſſe impaſſibile, quod habet in hoc Sacramento. Et aſcenſionem ſuam q, per influentias quas effundit ex Euchariſtia ſuper totum corpus Eccleſiæ ſuæ, *Quia membra ſumus corporis ejus* r, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* s. Et, ut ait S. Leo t, *Quia Chriſti aſcenſio, noſtra provectio eſt; & quò præceſſit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis*. Hic eſt in gratiam omnium fidelium, origo bonorum, & renovatio totius naturæ, *Si qua ergo in Chriſto nova creatura: vetera tranſierunt, ecce nova facta ſunt omnia* ait S. Paulus u poſt Iſaiam. Et S. Joannes x, *Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Et Eccleſia concinit, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Hic inveniunt corpora noſtra germen reſurrectionis ſuæ per unionem carni ipſius ſacræ, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* y. Hic paſſiones noſtræ ſua lenimenta reperiunt per ſympathiam quam habent cum motibus iſtius corporis ſpiritualizati, *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege* z. Hic ſpiritus noſter diſcit vivere ſupra ſenſus per commercium, quod habet cum anima ipſius: *Mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* a. Hic elevat nos Deus ad vitam gratiæ, cujus eſt ipſe principium b, & finis c; deguſtandas per anticipationem tribuit nobis delicias vitæ gloriæ, cujus eſt author & objectum: præbet nobis ſuam vitam humanam cum omnibus meritis ſuis d; & vitam ſuam Divinam, quam habet ab æterno, cum omnibus bonis ſuis.

III. Pars.

Amor igitur ipſius, ſeu bonitas ipſius in hoc Sacramento manifeſtatur: & ſi fatendum eſt quòd univerſa opera Dei magnificant bonitatem ipſius, incumbendo manifeſtationi gloriæ ipſius, & vacando utilitati noſtræ, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* e: Hæc bonitas præcipuè emicat in hoc Sacramento, quod eſt ipſius opus eximium, præ duàbus prædictis perfectionibus Divinis, potentiâ, & ſapientiâ. Propterea S. Joannes loqui volens de inſtitutione hujus Sacramenti amoris, ait, *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Id eſt, præcipuâ dilectione illos proſecutus eſt, tradens eis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ad extremitatem uſque ultimam amans eos, cùm non poſſet illos ampliùs diligere, *in finem dilexit eos*.

Amor inter alias proprietates duos habet effectus præcipuos. Quorum primus eſt, unire amantem rei amatæ. Secundus autem eſt, inducere amantem ad dandum rei amatæ id omne, quod poſſidet. Quantùm ad primum, Dei Filius non contentus propter amorem infinitum, quo nos honorat, quòd univerit ſe nobis perſonaliter in humanitate particulari (cum non eſſet neceſſarium, neq; deceret ut ſic ſe uniret omnibus) adinventione admirabili ſui amoris, ut ſatisfaceret immodico deſiderio, quo ducebatur uniendi ſe nobis,

n Eccli. 43. 18.; o Pſ. 103. 2.; p Incognit. in Pſ. 103. 2.; q S. Bern. ſerm. de Verbis Apoc. 12. 1. Signũ magnũ, &c.; r Heb. 11. 1.; s Jer. 23. 24.; t Pſ. 18. 5.; u Dan. 13. 42.; x Matth. 28. 20.; y Pſ. 110. 4. & 5.; z 1. Cor. 6. 20.; a Iſa. 6. 3.; b Sap. 7. 26.; c Exo. 20. 3.; d Luc. 3. 23.; e Luc. 2. 7.; f Luc. 2. 16.; g Matt. 2. 1. &c.; h Jo. 6. 11.; i Jo. 2. 7.

k Matt. 11. 29.; l Jo. 13. 15.; m Iſa. 55. 4.; n Matth. 17. 5.; o 1. Cor. 11. 26.; p Marc. 16. 6.; q Marc. 16. 19.; r Epheſ. 5. 30.; s Coloſſ. 1. 18.; t S. Leo ſer. 1. de Aſcenſ. Dom.; u 2. Cor. 5. 17. ex Iſa. 43. 19.; x Apoc. 21. 5.; y Jo. 6. 58.; z Gal. 5. 18.; a Coloſſ. 3. 3.; b Jo. 3. 17.; c Pſ. 83. 12.; d 1. Cor. 6. 20.; e Pſ. 18. 2.

nobis, inſtituit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in quo unit ſe nobis omnibus modo excellentiſſimo, non ſolùm per fidem, per amorem, per deſiderium, ſed realiter & effectivè per carnem ſuam, ut unum quid faciat è Capite & è membris, *Quia membra ſumus corporis ejus* f, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* g. Tale enim eſt deſiderium eorum qui multùm diligunt: fecit autem hoc opus eximium, ut oſtenderet nobis ardorem affectûs quo nos diligit. Sed id, quod eſt maximè conſiderandum in hac unione Jeſu Chriſti nobiſcum, eſt, quòd hæc unio fit cum cibo, quæ eſt ſtrictiſſima unionum omnium quæ ſunt in natura; quia in omnibus aliis unionibus res unitæ remanent ſemper idem quod ſunt, cum in iſta alimentum convertatur in ſubſtantiam nutriti: ſic Dominus noſter Jeſus Chriſtus uniens ſe nobis in forma cibi, non relinquit nos id quod ſumus, quantùm ad affectus & mores, ſed mutat nos in ſe, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* h. Et ſic nos reddit aliquo modo Deos, juxta quod S. Auguſtinus i dicit ſe Divinam audiviſſe *tanquam vocem de excelſo: Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Ideò aliqui vocant Hoſtias ſanctas typos ſacros, qui nobis imprimunt characteres Divinitatis, & ſignant nos imagine viventi Jeſu Chriſti ſuper brachium propter bona noſtra opera, ſicut ſuper cor propter fidem noſtram, aut ob noſtram dilectionem, ſecundùm quod dicitur in Canticis k, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt ut mors dilectio.* Sic ubi legimus in verſione vulgata, *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper* l, litera originalis ſeu Hebraica dicit, *panes facierum*. Quia panis ille Divinus reddit nos veluti Deus, eò uſque ut faciei Divinæ ſeu Divinitatis nobis imprimat imaginem. Sic poſtquam *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam: at illi conſtituerunt ei triginta argenteos, venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus miſſi à Principibus Sacerdotum: dedit illis ſignum, dicens, Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum* m. Sed quare hoc? eratne vir magis notus Jeroſolymis, quàm eſſet Jeſus Chriſtus? Nonne ſe commendabilem exhibuerat palam prædicando? ita ut diceretur de ipſo, *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur* n. Ratio iſtius eſt, quia ſinguli Apoſtoli habebant facies Jeſu Chriſti, & metuebat Judas ne illi miniſtri Satanæ deciperentur, & apprehenderent aliquem ex Apoſtolis pro Domino ipſorum, cui omnino ſimiles effecti ſunt ſtatim poſt ſacram Communionem: ideòque cum Judas non ſatis proceſſiſſet ad oſculandum Jeſum, neſciebant quem apprehendere deberent propter æqualem ſplendorem quem intuebantur ſuper omnibus faciebus. *Jeſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei, Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus, Ego ſum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum, cum ipſis. Ut ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterùm ergo interrogavit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jeſum Nazarenum. Reſpondit Jeſus, Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire* o. Super quod ait S. Chryſoſtomus p, *Dicit Evangeliſta, facies habuiſſe, quaſi viſi ſibi fuiſſent, ſaltem vel cognitus eſſet.* Apoſtoli omnes ſuſceptâ ſacrâ Communione omnino ſimiles erant Jeſu Chriſto, erant veluti parvi Dii; cùm proprium ſit illi cibo convertere in ſe eum, qui ipſum edit.

f Ephes. 5. 30.
g Coloſſ. 1. 18.
h Jo. 6. 56.
i S. Aug. l. 7. Conf. c. 10.
k Cant. 8. 6.
l Exod. 25. 30.
m Matt. 26. 14. &c.
n Jo. 7. 46.
o Jo. 18. 4. &c.
p S. Chryſoſt. hom. 82. in c. 18. Jo.

Secundus effectus amoris eſt, ut reddat amantem liberalem, imò verò prodigum ad dandum id omne quod habet, objecto amoris ſui. Quàm excellenter id exequitur Salvator in Euchariſtia, in qua nobis dat id omne quod eſt, & totum illud quod habet (nedum ſibi reſervet aliquid) corpus ſuum, animam ſuam, Divinitatem ſuam, gratias ſuas, merita ſua, vitam ſuam, & ſpiritum ſuum! Non ſolùm ſe reddit cibum noſtrum, ſed etiam noſtrum totum, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* q. Deus non poteſt dare quid magis, videtur ſemetipſum exhauſiſſe in hac profuſione, quàmvis divitiæ ipſius ſint infinitæ: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei* r. Nec poſſumus aliquid magis deſiderare: licèt enim virtute verborum Sacramentalium non ſit in ſpeciebus ſenſibilibus panis niſi corpus Chriſti, & in ſpeciebus vini niſi ſanguis illius, tamen quia corpus iſtud eſt vivum, non poteſt eſſe ſine ſuo ſanguine, & iſte ſanguis inveniri non poteſt niſi in corpore animato; ita ut communicantes ſub alterutra ex illis ſpeciebus, ſuſcipiamus corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, & ſicut iſtud corpus & hic ſanguis ſunt corpus & ſanguis Dei, & Divinitas eſt inſeparabilis a Patre, & à Spiritu ſancto, æquè ac à Filio, cujus ſuſcipimus corpus & ſanguinem; ſumendo carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti, ſumimus ibi etiam per concomitantiam & ſequelam neceſſariam Patrem & Spiritum ſanctum: & ſicut Pater & Spiritus ſanctus ſunt Deus, & Deus continet *omne bonum* s, omnes divitias, & univerſos theſauros imaginabiles, & *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ut ait S. Dionyſius t; ſuſcipientes corpus Jeſu Chriſti in Euchariſtia, reperimus ibi complementum omnium deſideriorum noſtrorum, juxta captum noſtri ſtatûs viatorum. Verum quidem eſt, quòd ipſum ſuſcipimus opertum velo ſpecierum ſenſibilium: ſed in hoc admirari debemus adinventiones iſtius amoris incomparabilis. *Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Et quid dico, paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partûs dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus: ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat*, ait S. Chryſoſtomus u. Atqui id quod eſt hic maximè conſiderandum, eſt tempus quo nobis omnia bona ſua tribuit, dum SS. Sacramentum inſtituit, quod Evangeliſta noſter obſervavit, dicens, *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Jeſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et ſanctus Paulus x, *In qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, &c.* Ipſo momento, quo meditabantur homines inferre vel procurare ipſi mortem, præbuit ipſe nobis corpus ſuum, & ſanguinem ſuum in cibum animarum noſtrarum.

q Jo. 6. 59.
r Sap. 7. 14.
s Exo. 33. 19.
t S. Dio. de Div. Nom. c. 4.
u S. Chryſoſt. hom. 60. ad pop. Antioch.
x 1. Cor. 11. 23. &c.

Prodigium amoris! exceſſus benevolentiæ infinitæ! admirabilis adinventio Divinæ charitatis ipſius, ſummæ ſapientiæ ipſius, ſicut effectus abſolutæ potentiæ ipſius, ſic benè univiſſe magni-

magnitudines ſuas depreſſionibus noſtris, fortitudinem ſuam infirmitatibus noſtris, ſanctitatem ſuam injuſtitijs noſtris! Neceſſitates noſtræ vacaverunt gloriæ ipſius promovendæ, aut manifeſtandę, beneficia ipſius commendaverunt amorem ipſius, & venia peccatis noſtris conceſſa extulit juſtitiam ejus. Sic ad hoc Sacramentum referuntur omnia alia Sacramenta Eccleſiæ, & ideò vocat illud ſanctus Dionyſius y, *Sacramentum Sacramentorum, Sacramentum omnium præſtantiſſimum.* Quia omnia tendunt ad illud, ut lineæ ad centrum, & fluvij ad mare, ſuamque ab ipſo ſuſcipiunt perfectionem. Deus producens duo genera operum, naturæ, & gratiæ; unum præcipuum in utrâque elaboravit, in quo tanquam in compendio univit omnes perfectiones aliorum. Homo z. eſt opus eximium inter opera naturæ, qui ideò vocatur Microcoſmus, ſeu parvus mundus. Euchariſtia eſt opus eximium inter opera gratiæ inſtitutum ab ipſo ad paſcendum hominem eundem corpore & ſanguine ſuo pretioſo, ut in hac vita homo in ipſum credat, ipſum adoret, ipſum diligat, & ipſum ſuſcipiat, donec in altera ipſum videat *facie ad faciem* a, & in æternum poſſideat gloriam, quam nobis hic velis operit, & cujus *futuræ gloriæ nobis pignus datur* ab ipſo, ut concinit Eccleſia, in hoc Sacramento, quod eſt cibus, qui convertit nos in parvos Deos.

y S. Dion. l. de Eccleſ. Hierarch. c. 3.

z Gen. 1. 27.

a 1. Cor. 13. 12.

Ut autem fiat hæc metamorphoſis, oportet ut iſte cibus ſit vivens. Re autem verâ in hac menſa nobis apponitur panis vivens, *Ego ſum panis vivus* b. In Euchariſtia comeditur vir vivens, quod nulla unquam natio barbara auſa eſt attentare: crudeliſſimi enim hominum qui ſe mutuò comedunt, priùs occidunt eos, quos comedere volunt, ut ſint capaciores digeſtionis: ſic cete quod deglutivit *Ionam, tribus diebus, & tribus noctibus* non potuit digerere hunc Prophetam, licèt ipſum eſſet prodigioſæ magnitudinis, quia Jonas erat vivens in ſtomacho ejus: *Et evomuit Ionam in aridam* c. Oportet ut alimentum ſit mortuum, & vitá privatum; & tamen iſtud quod ſumimus in Euchariſtia, eſt *panis vivus qui de cœlo* deſcendit: id quod comedimus ad alenda corpora noſtra, debet eſſe mortuum, ut mutetur in ſubſtantiam noſtram: ſed in hoc Sacramento cibus debet eſſe vivens, quia anima paſci non poteſt rebus mortuis; id quod non habet vitam, non poteſt ei dare vitam gratiæ, quâ ipſa indiget, ut uniatur Deo. Sed cùm iſte panis vivus ſit, & ille qui communicat, ſit etiam vivens, oportet neceſſariò ut uter ex ipſis moriatur, aut potiùs ut ambo moriantur unus poſt alterum, ut fideles amantes, quos aliquod infortunium inducit ad eligendam mortem. Poſtquàm Seneca ſibi propoſuit mortem libenter amplecti; uxor ipſius Paulina mavult cum illo mortem oppetere, quam ſuperſtes ei remanere. *Pyramus adoleſcens fuit Babylonius, qui Thisbes vicinæ puellæ mutuo amore captus, amicæ perſuaſit ut deceptis cuſtodibus, in ſolitudinem quandam extra urbem ad ſe conveniret: quò cùm puella prior veniſſet conſpecto leone, trepida confugit ad ſylvas, relicto præ feſtinatione amiculo, quod inventum leo dilaceravit. Veniens deinde ad locum conſtitutum Pyramus, cùm Thisbes amiculum à fera dilaceratum agnoviſſet, arbitratus ipſam à leone eſſe devoratam, doloris impatientiâ, eo quo accinctus erat gladio, ſeipſum interemit. Thisbe quoque cùm poſito timore ex ſylva rediſſet, Pyramumque ex vulnere adhuc palpitantem agnoviſſet, exempto ex vulnere gladio, ſibi etiam mortem conſcivit*, ait Calepinus d. Jeſus igitur mori vult in hoc Sacramento, quantùm ſtatus immortalitatis ipſius permittit.: ſed ſicut præ ſe majorem fert dilectionem, ſic & generoſitatem habet ingentiorem: primus incipit mori, cùm ipſum ſumimus in ora noſtra, eâ tamen interpoſitâ conditione, ut mori debeamus poſt ipſum: & ſicut amor qui facit uniones, & transformationes amantis in rem amatam, contentus eſt æqualitate; ſi mors ipſius ſuper altaribus noſtris eſt tantùm myſtica; non exigit à nobis aliam mortem, quæ ſit ſeverior iſtâ morte myſticâ. Occidamus igitur omnes affectus noſtros inordinatos, hæc eſt tota mors quam requirit à nobis, ut non inveniens in nobis aliquid vivens ſecundùm mundum, dare poſſit nobis vitam gratiæ, & mutare nos in ſeipſum, ut alimentum mortificatum, quod nullam affert reſiſtentiam ſtomacho qui ipſum digerit; *Mutet vitam qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipſa corrumpitur quàm ſanetur, magis occiditur quàm vivificetur*, ait ſanctus Auguſtinus e. *Subcinericius panis* eſſe debebat ille, quem dedit Angelus Eliæ: ſed oportebat ut Elias dormiret, ad hoc ut illo roboraretur: *Comedit ergo, & obdormivit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei Horeb* f. Somnus Eliæ eſt imago mortis myſticæ, quam debemus procurare, ut proſit nobis hic panis Angelicus: ſic ait Horatius,

b Jo. 6. 51.

c Jon. 2. 1. &c.

d Calep. Dict. V. Pyramus

e S. Aug. ſerm. 1. de Têp. in princ. ex 1. Cor. 11. 29.

f 3. Reg. 19. 6. &c

Quid eſt ſomnus, niſi mortis imago?

Et cinis qui operiebat hunc panem, docet nos quòd paſſiones noſtræ debent eſſe mortificatæ, & quòd mortificatio conſervat nobis amorem, ſicut cinis fovet ignem. Non priùs ſanctus Joannes communicavit, cùm ſtatim experitur effectus hujus panis ſacri; ſicut aliàs Elias, obdormit ipſe omnibus quæ ſunt mundi, & apparet ſicut mortuus, ut potentiùs ſinat agere eum, qui ipſi vitam tribuit. *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus* g. Iſtud eſt quod agere debet is qui communicat: moriamur igitur pravis affectibus noſtris omnibus, ut vivere poſſimus vitâ gratiæ in hoc mundo, & vitâ gloriæ in altero.

g Jo. 13. 23.

Digitized by Google

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.
Joan. 13. 1. &c.

AMor eſt pater adinventionum: quid non excogitant amantes ut teſtentur amorẽ ſuum objecto affectuum ſuorum? Modò depingent aquilam intuentem fixis oculis Solem; modò montem Veſuvium prodigioſè vomentem flammas; mox adamantem in igne prælianteṁ luce ſuâ cum ſplendore iſtius elementi luminoſi pro palma honoris, aut eundem inter incudem & malleum præ hac inſcriptione, *Semper adamas.* Sed putatiſne quòd Deus, qui ita diligit animas noſtras, minùs dives fuerit adinventionibus ad exhibendas nobis notas amoris ſui meliùs, quàm amantes iſti mundani, qui præterea modò amorem ſuum exprimunt interventu ſtyli magnete fricti, qui intuetur polum ſuum; nunc medio heliotropio, quod convertitur ad verſionem Solis; aliàs figurâ phœnicis ſacrificantis ſeipſum ſuper lignili aromatum? *Notas facito in populis adinven-*
a Iſa. 12. 4 *tiones ejus*, petit Iſaias *a*. *Memoriam fecit mirabi-*
lium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam
b Pſ. 110. 4. & 5 *dedit timentibus ſe*, ait Pſalmiſta *b*. Tribuit nobis ſigna dilectionis ſuæ, inſtituens SS. Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt centrum amoris ipſius, relinquens nobis corpus ſuum, quod formatum fuerat *in utero* B. Virginis manibus Amoris increati, qui eſt Spiritus ſanctus, cùm *ingreſſus Ange-*
c Luc. 1. 28. &c. ex Iſa. 7. 14. *lus, ad eam dixit, Ave Maria.*

Intuendas nobis exhibuit Deus iſtius SS. Sacramenti figuras ab ipſis mundi naſcentis incunabulis: quid enim nobis ſignificatum fuit per illud quod *produxit Dominus Deus de humo lignum*
d Gen. 2. 9. *vitæ in medio paradiſi* d, niſi hoc Divinum Sacramentum? *Chriſtus verò lignum vitæ vocatur, ſecun-*
e ex Prov. 3. 18. *dùm quod de Sapientia Salomon* e *loquitur, Lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam. Ipſe ſiquidem eſt vir de lignum, & fructuoſiſſima arbor, à qua vita gratiæ, vitaque gloriæ emanavit, qui ſuis electis immortalitatem concedit. Qui licèt ubique ſit per Di-*
f ex Jer. 23. 24. *vinitatis naturam* f, *& in Eccleſia militante per*
g ex Mat. 28. 20. *Sacramentalem præſentiam* g: *in Regno tamen cœ-*
leſti propriè & apertè conſiſtere dicitur, ubi facie ad
i ex 1. Cor. 13. 12. *faciem* i *cernitur*, ait Dionyſius Carthuſianus *k*
ſuper hæc Apocalypſis verba, *Vincenti dabo edere*
k Dion. Carth. a. 3. in Apoc. 2. 7. *de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Quid erat aliud, ſi placet, ille Paſchalis *agnus ſine macula* l
l Exo. 12. 5. &c. comeſtus à Judæis præ tantis çeremonijs, niſi figura iſtius Sacramenti amoris? Unde Cornelius ſuper hæc verba ſequentia Exodi *m*, *Septem die-*
m Exo. 12. 15. *bus azyma comedetis*, ait, *Hinc patet Chriſtum Legis obſervantiſſimum inſtituiſſe Euchariſtiam in pane azymo: nam inſtituit eam poſt cœnam Agni, in qua incipiebat eſus azymorum, qui durabat per ſeptem dies. Rectè ergo, & ad exemplum Chriſti, Eccleſia Latina præſcribit ſuis, ut Euchariſtiam celebrent in pane*
n Cornel. in Exod. 12. 15. *azymo* n. Conformiter ad hoc Evangeliſta noſter ait, *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Nimirum, inſtituens hoc Sacramentum amoris. Videamus igitur Primò, quomodo amor Dei requieſcat in hoc Sacramento, ut in Diviſio.
centro ſuo: Secundò, quomodo Jeſus Chriſtus in eo habeat omnes qualitates perfecti amantis: Tertiò, Conſideremus motiva quæ nos inducunt ad uniendos ei, ut meliùs honoremus eum in memoriam tanti beneficij.

S. Dionyſius o loquens de Amore Divino, dicit, *In quo & fine & principio ſe carere Divinus Amor* I. Part.
eximie declarat, quaſi circulus quidam perpetuus, qui o S. Dion.
boni causâ, ex bono in bono & in bonum converſione l. de Divin. Nô.
ab omni errore liberâ ſe volvit, atque in eodem loco, c. 4
eâdem ex parte & progreditur ſemper, & manet, & reſtituitur. Quaſi diceret, Amorem Divinum eſſe circulum perpetuum quendam gyrantem ſemper è beneficio in beneficium, & è miſericordia in miſericordiam. Hinc Ethnicus quidam dixit, *Nec paci arma, nec amori tribuas ſedem.* Vera pax non indiget armis: nec verus amor quiete: atqui cùm amor Filij Dei fuerit perfectiſſimus & excellentiſſimus omnium amorum, & vixerit ipſemet Dei Filius in curis, *& in laboribus à juventute*
p ſuâ, nedum unquam indulſerit quieti ad promovendam ſalutem noſtram, *fatigatus ex itinere* p Pſ. 87. 16.
q, voluit ut quies amoris ſui eſſet in Euchariſtia q Jo. 4. 6
ut in centro ſuo.

S. Thomas r dicens, *Deus, cùm ſit omninò ſimplex, & infinitæ perfectionis, eſt ſimpliciter unus, à* r S. Th. 1. p. q. 11. a. 3. ex Deut. 6. 6. 4
quo eſt totum univerſi ordo, videtur inducere nos ad concludendum, quòd ſi Eſſentia Divina non eſſet tota una, & ſine diſtinctione in tribus Divinis perſonis, amor iſtarum Divinarum perſonarum nunquam relinqueret ipſas in quiete, quia amor ſemper convertere conatur in ſe rem amatam: ſed quia Filius Dei diligens Patrem ſuum, invenit in eo eſſentiam ſuam, & Pater æternus invenit etiam eſſentiam ſuam in amore Filij ſui, ſuam quietem ſumunt in amore ſuo. Et hoc eſt quod ſignificant hæc verba Sapientiæ increatæ, *Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum* s. Quaſi diceret, Gau- s Prov. 8. 30. & 31.
debam cum Patre meo æterno, & amor meus requieſcebat in illo, quia in eo inveniebam eſſentiã meam, eſſe meum, & attributa mea: *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Verbum iſtud, *eſſe*, ſignificat habere eſſe, ita ut idem ſit ac ſi diceret, Pater æterne, vellem ut hæ deliciæ quibus fruor, & oblectamentum quod ſuſcipio ex eo quòd videam me Filium tuum, & ex eo quòd amor meus requieſcat in te, inveniri poſſent in eſſe hominis, & ut ille eſſet Deus, ſicut tu, & ego: ſed quia naturaliter hoc eſt impoſſibile, deſidero ut talis ſit per gratiam, ut illum poſſim ita diligere, & ille ita me poſſit amare, ut requieſcamus in amore noſtro ſacro, ita ut charitas mea requieſcat in illo, & amor illius quietem ſuam inveniat in me: & inde ſuam Euchariſtia cepit originem, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* t.

Videns t Jo. 6. 56.

Videns etiam Spiritus ſanctus quòd impoſſibile ſit ut æquiparari poſſimus Deo, communicat nobis dona ſua, ut requieſcat in nobis, & nos requieſcamus in ipſo. Hæc eſt admveutio quâ Deus noſter utitur ad communicandos nobis favores ſuos, quia, ut ait S. Dionyſius u, *Bonum eſt diffuſivum ſui*. Quòd ſi Spiritus ſanctus reddere nos poſſet æquales ſibi, & niſi reperiretur contradictio & repugnantia ex parte noſtrâ, quòd eſſemus creatores & creaturæ ſimul, ipſe non deeſſet a parte ſuâ, quia ſatis ſuperque habet amoris: & quia illud eſt impoſſibile, quantùm in ipſo eſt, perficit nos liberali & magnificâ effuſione gratiarum ſuarum ſuper animas noſtras, quærens modum opportunum attrahendis nobis ſuavitate donorum ſuorum amantiſſimorum, quibus nos honorat, tantùm ut requieſcat in nobis, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* x. Ita ut conſilium Filii Dei inſtituentis hoc S. Sacramentum fuerit in hoc ſitum, ut nos elevaret ad eſſe Dei, & requieſcere faceret amorem ſuum in nobis veluti in diis y per gratiam & per adoptionem, ad imitationem quietis quam ipſe ſumit, prout *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* z ſui æterni.

> u S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 4
> x Rom. 5. 5
> y Pſ. 81. 6
> z Joan. 1. 18

Dei Filius moritur in hoc Sacramento, quantùm ad repræſentationem, cùm in eo, prout ſacrificio, repræſentetur tanquam mortuus a: ſed ibi eſt vivens in effectu, *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi* b. Ut ſic communicat eſſentiam ſuam, quantùm poteſt, ei qui ſacram Communionem ſuſcipit, quia amor ſemper conatur reddere duas partes æquales, & quærit alterum ſeipſum ut requieſcat in illo: ideò ſe collocat in hoc Sacramento, & in eo ſe diffundit, ut ditet nos, & requieſcat in homine ut in creatura quæ multùm communicat ipſius eſſe. Sic Concilium Tridentinum c de hoc Sacramento loquens, ait, *In quo divitias Divini ſui erga homines amoris velut effudit*. Ubi obſervate, ſi placet, iſtud verbum, *effudit*. Sic Dominus noſter, ut reſtaretur ſe effudiſſe totum ſanguinem ſuum, ait, *Sicut aqua effuſus ſum* d. Dicit, *ſicut aqua*, non autem ſicut alius liquor, cujus ſemper remanet aliquid in vaſe, dum effunditur. *Effudit*, ſignificat etiam dilatare, aperire, id eſt, dilatans & aperiens nobis animas noſtras, ut eas ſuis repleret gratiis, & nos redderet ſimiles ſibi.

> a 1. Cor. 11. 24. &c.
> b Joan. 6. 51
> c Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 2
> d Pſ. 21. 15

David e dicit, *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit*. Multi ſancti Patres intelligunt hunc locum de ſecundo adventu Filii Dei ad judicium finale, & inter eos S. Auguſtinus f, & alii citati à Lorino g, qui Lorinus ait, *De priore adhuc adventu quidam iſta declarant. Cyrillus Deum veniſſe manifeſtè docet, cùm per incarnationem viſibilem ſe exhibuit: non ſiluit quando liberè peccata coarguit, Patriſque annunciavit voluntatem*. Dei Filius enim induens corpus humanum, cognoſcendum ſe exhibuit hominibus, unde notas evidentes & teſtimonia authentica dilectionis ſuæ erga nos tribuit nobis: tamen Divina ipſius charitas noluit tacere, nec quietem capeſſere in hoc occurſu, & propter hunc eminentem effectum dicit per Prophetam ſuum Sophoniam h, *Silebit in dilectione ſuâ*. Quæ verba ſic ad propoſitum noſtrum ediſſerit alia verſio, *Silebit propter dilectionem ſuam*. Sicut Doctor ſubtilis multas dat ſolutiones argumento, quas ſemper proſequitur, nedum taceat, & interrumpat diſcurſum ſuum, donec perveniat ad aliquam quæ ipſi ſatisfaciat, in qua ſiſtit & quieſcit: ſic Filius Dei ubi exivit *à Patre, & in mundum* i venit, ſuæ charitatis notas præbuit per incarnationem ſuam, quod idem fuit ac ſi ſoluiſſet difficultates quas Patriarchæ & ſancti Prophetæ ipſi proponebant ob moras adventus ipſius: tamen David ait quòd propterea Deus noluit ſilere, *Deus noſter & non ſilebit*. Amor ipſius noluit ſilere, aut ſiſtere in hac ſolutione, ſed præbuit nobis ultimam, in qua ſtitit, & requievit in inſtitutione S. Sacramenti, *Silebit in dilectione ſuâ*. *Quaſi diceret, Silebit, id eſt, ſtabilis & firmus erit in ſuâ dilectione tui, ſemper te diliget, nunquam, nulloque caſu vel eventu dilectionem ſuam revocabit, aut minuet, ſed uti lapis in centro, ita Chriſtus in dilectione tui ſilebit, & conquieſcet*, ait Cornelius k. Et paulò pòſt, Septuaginta vertunt, *Innovabit te in charitate ſuâ*. Et hoc eſt quod concinit Eccleſia poſt S. Thomam, *Nova ſint omnia*. Sic *Jeſus in finem dilexit eos*. Cùm hoc modo amor ipſius compleat omnia deſideria ſua medio illo SS. Sacramento, in quo animarum noſtrarum amore ducitur, & in quo habet omnes qualitates veri amantis.

> e Pſ. 49. 3
> f S. Aug. in Pſ. 49. 3
> g Lorin. in Pſ. 49. 3. citans S. Cyril. Jer. Catech. 15
> h Sophon. 3. 17
> i Joan. 16. 28
> k Cornel. in Sophon. 3. 17

II. Pars.

Quatuor invenio requiſita in ſponſo perfectè amante ſponſæ ſuæ, ut ritè fungatur omnibus muniis, ad quæ perfectus amor amantem poteſt obſtringere. Primum eſt, Ut multùm amet. Secundum, Ut ſit liberalis, ſicut dicebam vobis heri. Tertium, Ut ſit ſpecioſus, & eximiis qualitatibus præditus ad conciliandum ſibi amorem ſponſæ ſuæ. Quartum, Ut ſit magnanimus ad amplectendam & tuendam cauſam ejus. Jeſus Chriſtus ſe reddit Amantem, qui multùm diligit, in hoc Sacramento, animæ noſtræ, quæ eſt Sponſa ipſius, ut ſocium ſe præbeat ei, & deducat eam fideliter inter labores uſque ad finem mundi, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* l. Amans multùm debet diligere: ego verò dico, quòd Jeſus Chriſtus, extenſivè loquens, majorem teſtatus eſt amorem animæ noſtræ in hoc Sacramento, quam in quâlibet aliâ occaſione. Cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* m: magnam demonſtravit charitatem: ſed nulla eſt ferè convenientia inter illam & hanc quam nobis exhibet Jeſus Chriſtus in hoc Sacramento, quæ major eſt etiam dilectione quam teſtatus eſt nobis in incarnatione ſuâ, ſaltem extenſivè: incarnatus enim fuit generaliter pro omnibus, & univit ſe naturæ humanæ in communi: ſed in ſacra Communione unit ſe omnibus individuis naturæ humanæ: propterea Patres Eucharistiam vocant Incarnationis extenſionem. Amor iſte non poteſt ulteriùs progredi: Hercules duabus in columnis hanc poſuerat inſcriptionem, *Non plus ultrà*, in quibuſdam regionibus, ratus illas fuiſſe mundi ultimas; ſed cùm deinceps novæ detectæ fuiſſent terræ, nova iſta fuit iiſdem columnis inſcriptio impoſita, *Plus ultrà*. Videntes Angeli quòd *Verbum caro factum eſt* n, id eſt, intuentes has duas columnas plantatas *in utero* † B. Virginis, exclamare cœperunt præ admiratione, *Non plus ultrà*. Quaſi amor ipſius perveniſſet ad ultimam ſuam periodum, ubi factus eſt homo: ſed tollitur hæc prior inſcriptio, & apponitur hæc nova, *Plus ultrà*. In cruce in communi *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* o. Hic verò corpus ſuum tribuit

> l Matth. 28. 20
> m Gen. 2. 7
> n Joan. 1. 14
> † Luc. 1. 31 ex Iſai. 7. 14
> o Epheſ. 5. 2

omnibus nobis in particulari. Quam multùm diligit nos, ſed quam multùm eſt ingenioſus ad demonſtrandum nobis amorem ſuum: nihil æquè cupit ac ſociari objecto amoris ſui. Viſi ſunt aliquando amantes induiſſe veſtes ſervorum, ut familiariter converſari poſſent cum objectis amorum ſuorum: Salvator noſter ponens nos pro ſcopo deſideriorum ſuorum, & deliciarum ſuarum,

p Prov. 8. 31

Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum p; familiaris nobis efficitur, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*

q Philipp. 2. 7

q. Amantes volare faciunt aliquando ſcintillas affectuum ſuorum mediis aliquibus exiguis muneribus ſub cortice alicujus fructus, aut cujuſvis ſimilis, ut amaſiarum ſuarum ſibi corda concilient, & ſic illæ ea munera acceptent, quæ alioquin ipſæ renuerent: Jeſus amans animarum noſtrarum, volens eas donare munere Divinitatis ſuæ, velat hoc munus ſpeciebus panis, & vini, &

r Apoc. 2. 17

illud tribuit eis ut *manna abſconditum* r.

Secunda qualitas amantis eſt, Ut ſit liberalis. Jeſus Chriſtus iſtâ ritè perfungitur qualitate, quia dat animæ id omne quod ei dare poteſt, eò

ſ 1. Cor. 11. 23. &c.

uſque ut exhauriat ſemetipſum. S. Paulus ſ loquens de inſtitutione hujus Sacramenti, Jeſum vocat Dominum, *Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur*, &c. Et Tertullianus t obſervat, Deum non

t Tert. lib. cont. Hermogen. c. 3

fuiſſe vocatum Dominum niſi poſt creationem hominis, *Ubi univerſa perfecit, ipſumque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Domini nomen adjunxit. Et accepit Deus Dominus hominem, quem finxit*

u ex Gen. 2. 7

u. Quaſi diceret, quòd Deus eſſet velut ſolus ſine hominibus, quibus ſuas facere poſſet miſericordias. Et hæc eſt differentia inter Deum & Reges mundi, quòd illi vocantur Domini, quia recipiunt à vaſſallis ſuis, ſed Deus vocatur Dominus ob liberalitatem ſuam, quam cùm nunquam meliùs teſtatus fuerit quàm in inſtitutione SS. Sacramenti, ideò vocatur *Dominus Ieſus*. Non enim dat ſeipſum ſolum, ſed etiam omnes Sanctos, ut inducat eos ad auxiliandum iis qui communicant, & ad commodandam eis virtutem ſpecialem quæ ipſos extulit in cœlum, ut illos diſponant ad dignè ſuſcipiendum hoc Sacramentum. Et hoc innuunt hæc verba Salvatoris, *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo* x. Quæ Rupertus y interpretatus ad

x Luc. 22. 28 &c.
y Rupert. in Exod. 12. 4. &c.

propoſitum noſtrum, dicens quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus obſtrinxit omnes Sanctos ad adjuvandos eos qui communicant, & ad favendum eis beneficio luminum ſuorum particularium; & ſuam fundat opinionem ſuper id quod dicitur in Exodo, *Sin autem minor eſt numerus ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui conjunctus eſt domui ſuæ, juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.* Rupertus ait, hunc agnum fuiſſe figuram hujus Sacramenti, & quia non ſumus diſpoſiti ad illud ſuſcipiendum, Ieſus Chriſtus inducit omnes Sanctos ad ſuccurrendum nobis. Eccleſia triumphans & Eccleſia militans ſunt veluti duæ familiæ: & quia Eccleſia militans non eſt diſpoſita ſufficienter ad comedendum hunc Agnum Sacramentalem, vocatur Eccleſia triumphans ad veniendum illum comeſtum ſimul, & ad auxiliandum Eccleſiæ militanti, *Ut manducaturi menſam Dominicam, ſimus domus una.* Hoc auxilio fulti, & Sanctis uniti inſtar unicæ familiæ, dignè communicare poſſumus. Quod confirmatur ex iſtis verbis Canonis Miſſæ, *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum Petri & Pauli*, &c. Quaſi diceret ſacer Canon, Quotieſcumque communicabitis, invocate glorioſam Virginem, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, & omnes alios Sanctos, quia tenentur ex teſtamento Ieſu Chriſti favere vobis auxiliis ſuis in ſacra Communione. Ita ut Ieſus Chriſtus non ſit contentus dare nobis ſeipſum, humanitatem ſuam & Divinitatem ſuam, ſed etiam tribuat nobis totam Curiam cœleſtem. At è liberalitate tranſit ad magnificentiam.

Homo privatus munus tribuens mille nummorum, magnificus eſt: ſed ſi idem donum faciat Rex, non excedit terminos liberalitatis: ut enim quis ſit magnificus, oportet ut donum non ſolùm ſit magnum in ſe, ſed etiam ſecundùm magnitudinem illius qui ipſum præbet: Deus ſemper fuit liberalis erga nos, ſed nunquam fuit magnificus niſi in hoc Sacramento, quoniam donum illud eſt infinitum, ſicut ipſe *non habet finem*

z Baruch 3. 25

z. Delphinus Franciæ, Rex minor munus aliquod tribuens amico ſuo, dicet ei, Amice mi, acceptum habe hoc parvum quod tibi donum offero, poteſtas mea eſt adhuc velut in cunis: ſed ubi major effectus fuero, & moderari Regni habenas ſuſcepero, tunc tibi meliùs teſtabor affectus quibus te honoro, & magnificentias meas, cum hoc ferè nihil ſit intuitu eorum quæ tunc agam. Audire mihi videor eaſdem proteſtationes in ore

a Matth. c. 8. & ſeqq.

Delphini paradiſi, qui ſanans infirmos a Amici mei, (dicebat illis) quaſi nihil eſt iſtud quod nunc facio, ſed expectate donec venerit tempus, quo manifeſtabo me mundo ut Deum & Dominum mundi, & tunc majora vobis impertiar. Meminiſtiſne quòd cum *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ; & erat Mater Ieſu ibi: vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli ejus ad nuptias: & deficiente vino dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent? dicit ei Ieſus, Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea* b. Quaſi diceret Dei Filius Matri

b Joan. 2. 1. &c.

ſuæ, Faciam quidem id quod vis, *aquam vinum*, Sed iſtud ferè nihil eſt, ſed volo eis præbere vinum pretioſius, nimirum Sanguinem meum in potum, ſed *nondum venit hora mea.* Ideò idem *ſciens Ieſus quia venit hora ejus, & quia omnia dedit ei Pater in manus*, inſtituens hoc Sacramentum, munus nobis facit ita magnificum, ut comparari poſſit dono gloriæ beatificæ, imò vero ei præferri, cùm pignora debeant eſſe æqualia aut pretioſiora rebus, pro quibus traduntur: quia ergo hoc Sacramentum ut *futuræ gloriæ nobis pignus datur*, ut canit Eccleſia: oportet neceſſariò ut excedat, aut ſaltem adæquet magnitudines gloriæ.

Tertia qualitas amantis eſt, Ut ſit ſpecioſus, & eximiis qualitatibus præditus, ut devinciat ſibi cor amaſiæ ſuæ, & obſtringat eam ad amorem reciprocum. Pſalmiſta c dicit de Chriſto:

c Pſ. 44. 3

Specioſus formâ præ filiis hominum. Et Zacharias

d Zach. 9. 17

d: *Quid bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines?* Quod intelligitur de SS. Sacramento, cùm pulchrum ſit objectum intellectus, æquè ac bonum eſt objectum voluntatis. Sic Judithæ, quæ *omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe, etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio*

non

non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideò Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Cùmque itaque ſtetiſſet ante faciem Holofernis, *ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes* e. Sic iſta pulchritudo debet ſociari diſcretioni: & ſi Zacharias dixit, *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus* &c? cum pulchrum ſit objectum intellectus, ut jam dixi: Ieſus Amans animarum noſtrarum excellit quantùm ad diſcretionem, ideo vocatur à Clemente Alexandrino d *Pædagogus.* Quaſi inſtructio ad diſcretionem intuitu animæ. Sic vocatur hoc Sacramentum panis intellectus, *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus* e. Quia Dei Filius eſt intellectus, & ſapientia ſui Patris æterni; unde conjicere poſſumus quàm diſcretus ſit ad converſandum familiariter cum anima. Judith univit ſimul artificia naturæ & gratiæ, & omnia lenocinia innocẽtis & diſcretæ ſuavitatis, æquè ac pulchritudinis, cum imperio ſinceræ majeſtatis, ut ſibi devinciret cor Holofernis, ut converſando diſcretè cum eo, ſalvaret populum ſuum: Jeſus autem ſociat diſcretionem ſpeciei ſuæ, ut familiariter & diſcretè converſans cum animâ, ſalus illius efficiatur.

e Judith 10. 3. &c.
d Clem. Alex. l. 1. Pædagog. c. 11
e Eccli. 15. 3

Quarta qualitas amantis eſt, Ut ſit magnanimus ad amplectandam & tuendam cauſam ſponſæ ſuæ. Hâc qualitate Jeſus Chriſtus ut Sponſus amans animæ, ritè fungitur, quia tuetur illam ab omnibus periculis, quibus impeti poſſet. Ideò ubi lectio vulgata dicit, *Sapientia miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem* f. LXX. legunt, *Sapientia miſit ſervos ſuos, convocans cum excelsâ prædicatione ad craterem.* Quod intelligitur de myſterio Euchariſtiæ, ita ut, cùm anima ſuſcipit hoc Sacramentum, idem ſit ac ſi vocaretur ad arcem inexpugnabilem, quam omnes ipſius hoſtes incaſſum aggrederentur. Pſalmiſta g dicebat Deo, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Genebrardus h ait, quòd *in medio umbræ mortis*, idem eſt ac *in locis periculoſis, in quibus ante oculos eſt mortis diſcrimen.* Deus non erat in Davide niſi per unionem gratiæ, quæ eſt unio accidentalis, cùm gratia non ſit niſi accidens, & qualitas: ſic cùm Deus unit ſe animæ per amorem, per pœnitentiam illius, eſt cum eâ per gratiam, cùm gratia non ſit niſi communicatio Divinitatis: ſed cùm unit ſe ei per Euchariſtiam, in ea eſt ſubſtantialiter, quia unit ſe ei unione ſubſtantiali, eo modo quo dicebam vobis nudiuſtertius. In aliis Sacramentis non recipimus niſi dona, & gratias; ſed hic ſuſcipimus Deum ipſum: ſi ergo David, qui non receperat Deum niſi per qualitatem, auſus eſt dicere, *Si ambulavero*, &c. proculdubio illi qui ſuſcipiunt hoc Sacramentum, poſſunt meliùs hoc dicere, cùm recipiant Deum ipſum.

f Prov. 9. 1. & 3.
g Pſ. 22. 4
h Genebr. in Pſ. 22. 4

Cùm igitur, Auditores, Jeſus Chriſtus, amantis perfecti muniis omnibus perfunctus fuerit, amando animam Sponſam ſuam amore *non plus ultra*; & non contentus dediſſe ei humanitatem ſuam, & Divinitatem ſuam, obſtrinxerit etiam omnem Curiam cœleſtem ad auxiliandum ei ad dignè ſuſcipiendum hoc Sacramentum; ita ſpecioſus ac diſcretus ſit ad converſandum cum eâ; & ita generosè eam protegat: anima noſtra perfungi debet muniis perfectæ Sponſæ, ut compenſet hunc amorem mutuâ dilectione, quod aget Communione frequenti, cavendo ne comedat *ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed aſſum tantùm igni* i. Qui accedit ad illud præ conſuetudine, comedit *ſanè coctum aquâ.* Qui præ intentione minùs purâ, *crudum.* Sed qui præ amore, ut placeat Deo, *aſſum tantùm igni.* Ut ſe meliùs uniat ei in memoriam tanti beneficii eum honorando.

i Exod. 12. 9

S. Matthæus k ait: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Nimirum, quòd fideles accedant ad altaria, in quibus requieſcit corpus Filii Dei, quandiu peccatores ipſum inhonorant. Fideles conantur ipſum adorare ſuâ reverentiâ in memoriam beneficii ab ipſo ſuſcepti, eo quòd ipſos transformaverit in ſeipſum per hoc Sacramentum: impii ducunt *pollutum ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificati ſunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam* l faciunt. Corpus illud, quod eſt glorioſum in cœlo, eſt velum patiens ſuper altaribus noſtris; mali illud contemnunt, ſed veri fideles illud reverentur: *Aquilæ enim, & aliæ aves ubicunque odoratu, viſu, aut alio ſenſu perceperint eſſe cadaver, illuc mox volant & colligunt*, ait Dionyſius Carthuſianus m: *ſic ſpiritualiter, ubicumque fuerit Chriſtus, qui dicitur corpus tanquam Verbum caro factum* n, *& pro nobis occiſum* o: *illic congregantur homines virtuoſi, quorum juventus renovatur ut aquilæ* p, *juxta illud Apoſtoli* q, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Hinc enim ait Salvator, Pater quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut videant claritatem meam* r. Gratia quæ elevat veros fideles ad hanc eminentem qualitatem filiorum Dei adoptivorum, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* ſ, præbet eis oculos ut aquilis regiis ut contemplentur Solem majeſtate ſplendentem in globo ſuo, quandiu mali Chriſtiani ut nycticoraces inimici lucis, & amici tenebrarum, ſuſtinere non poſſunt ſplendorem radiorum ipſius, *Ipſi fuerunt rebelles lumini* t. Boni ut aquilæ cœleſtes altiſſimam pervolant aëris regionem, ut meliùs eſcam pretioſam eligant: mali verò more noctuarum manent ſemper in cavernis, nec aluntur niſi oleo lucernarum templorum, quibus nullam exhibent reverentiam: iſti contemnunt id omne quod eſt auguſtum in Eccleſiis noſtris; quandiu illi nutriuntur corpore Jeſu Chriſti, qui ipſos transformat in ſemetipſum, propter quod ad ipſum accedunt.

k Matth. 24. 28
l Hebr. 10. 29
m Dion. Carth. art. 18 in 24. 28
n ex Joan. 1. 14
o ex Apoc. 5. 6
p ex Pſ. 102. 5
q Ephel. 4. 23. & 24
r Joan 17. 24
ſ Joan. 1. 12.
t Job. 24. 13.

Primum motivum, propter quod homines accedunt ad hoc Sacramentum, eſt motivum quietis. Dicimus res eſſe in quiete, & frui tranquillitate, quandiu ſunt unitæ principio productionis ſuæ. Fluvius in origine ſuâ eſt abſque ſtrepitu, eſt veluti dormiens; ſed confeſtim ac fluit, & inde ſe ſeparat, quoddam murmur edit, & ſtrages agit diviſione ſuâ: Radius in globo ſuo eſt immunis ab omnibus inſultationibus; ſed ſtatim ac ab illo ſe disjungit, mare vapores ſuos mittit ad illum nubibus ſuis obvelandum, nec ipſe ſecurus eſſe poteſt niſi in principio emanationis ſuæ: Exivimus nos omnes à Deo u, & quieti non poſſumus eſſe niſi in eo, ut ait illi S. Auguſtinus x, *Domine, feciſti nos ad te: & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Atqui per Euchariſtiam transformamur in eum, unimur ei, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* y. Nos ſumus in eo, invenimus in illo quietem noſtram, nedum quidquam habeamus pertimeſcendum; paſſiones ſunt nobis ſubditæ; non eſt aliquid quod audeat nos aggredi propter reverentiam quam exhibemus huic Sacramento, eò quòd nos transformaverit in ſe, in memoriam illius beneficii: & ſicut invenimus requiem in illo, ita ipſe quietem invenit in nobis, *Et qui creavit*

u Gen. 1. 27
x S. Aug. lib. 1. Cõf. c. 1
y Joan. 6. 57.

Digitized by Google

vit me, requievit in tabernaculo meo z. Unde dicit Hugo Cardinalis a, *Beatus, in cujus domo requiem invenerit: nam ibi manebit.*

z Eccli. 24.18
a Hug. Card. in Eccli. 24. 12

Duplex datur centrum, centrum magnitudinis, & centrum profunditatis. Ceotrum magnitudinis mundi, quò tendunt omnes circunferentiæ cœli. Et centrum profunditatis terræ. Iſtorum centrorum ſeparatio totùm interturbat orbem: Jeſus Chriſtus eſt centrum *magnitudinis* b. Homo verò centrum *profundi* c. Quandiu hæc duo centra ſunt diviſa, nihil eſt in mundo præter bellum, *Sed iniquitates veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* d. Sed ſtatim ac unita ſunt per Incarnationem, pax peracta eſt, & homo invênit quietem ſuam: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum* e. Hanc invenimus requiem in Euchariſtia, quæ eſt extenſio Incarnationis, ubi transformamur in Deum, & unimur Deo. In Incarnatione factus eſt Frater noſter, *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* f. In cruce *factus eſt nobis redemptio* g. Et in cœna noſter *cibus* h. Et hoc eſt quod canit Eccleſia poſt S. Thomam, *Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium.* Et in nobis inveoire poteſt requiem, ſicut & nos in illo: venit manſum apud nos, quò ſuſcipere debemus ipſum præ reverentia, ne nobis improperet propter ingratitudinem noſtrã, ſi immemores ſimus beneficii ab ipſo ſuſcepti, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet* i.

b Pſ. 144. 3
c Pſ. 68. 6
d Iſai. 59. 2
e Epheſ. 2. 14
f Rom. 8. 29.
g 1 Cor. 1. 30
h Joan. 6. 55
i Matth. 8. 20

Conſideratio noſtræ quietis inducere nos debet ut accedamus ad eum, quò honoremus illũ in memoriam beneficiorum ipſius: ſed amor eſt aliud motivum, quod obſtringere nos debet ad iſtud officium, cùm iſtud Divinum Sacramentum ſit illius origo, unde derivatur omnis amor ſacer. Angeli ſuperiores communicant inferioribus id quod recipiunt à Deo, & è novem choris, Seraphini qui ſunt toti ardentes communicant flammas ſuas reliquis Angelis: Deus eſt ſuperior omnibus Angelis, & in hoc Sacramento flammas ſuas ubertim communicat omnibus illis qui ad ipſum accedunt. Ipſe eſt ignis: *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* k. Et intentio ipſius eſt ut hic ignis, quem tulit in mundum, ibi ardeat, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* l? Sufficeret autem ut ſemel duntaxat ad ipſum accederemus, ut flammis ejus accenderemur: in hoc enim Sacramento maximum nobis teſtatur amorem, cùm ſicut bonus amicus, ſemper velit eſſe nobiſcum, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* m. Ex hac fornace carbones injicit ardentes in pectora noſtra, ſicut aliàs ipſe præcepit Ezechieli n, ut prunas effunderet in urbem, *Imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem.* Eſt ardens *rubus, & non* combu-rens. Populus qui adorabat aliàs ignem, videns illum ardere ſuper altari, clamabat, *Ignis ſancte, combure nos.* Dicamus idem, Auditores, præ affectu gratitudinis, *Ignis ſancte, combure nos* flammis tuis hoc ſeculo depravato, quo *quoniam iniquitas* abundat, refrigeſcit *charitas multorum* p. S. Catharina Senenſis dicebat Deo: Ha! Deus mi, ſi homines te offendunt, Catharina te laudibus evehat: quòd ſi hoc tempore corrupto non diligunt te intuitu beneficiorum tuorum præ ingratitudine, Catharina totum tibi præbet *cor* q ſuum, diligat te *ex toto corde* r ſuo: quoad autem gratias quæ pereunt, quippe quibus peccatores efficiuntur indigni, anima mea ſit illarũ receptus.

k Hebr. 12. 26. ex Deut. 4. 24
l Luc. 12. 49
m Matth. 28. 10
n Ezech. 10. 8
o Exod. 3. 2
p Matth. 24. 12
q Prov. 23. 26
r Matth. 22. 37

Ibi ſuſcipimus amorẽ, & motivum quod inducit nos ut illuc accedamus, ſicut etiã juſtitia quæ eſt aliud motivum. Juſtitia requirit æqualitatem, ut quis honoretur juxta quòd confuſione opertus eſt. Mardochæus damnatus fuerat ab Aman ad ſuſtinendam palam mortem patibularem, *Juſſit excelſam præparari crucem* ſ. Id eſt, Aman Mardochæo, interim petiturus ab Aſſuero ut in illa ſuſpendendum præciperet eundem Mardochæum: juſtitia requirit ut honor retribuatur ei publicè, ſicut publicè fuerat inhonoratus: ſic præcipiente Aſſuero *tulit Aman ſtolam, & equum, indutumque Mardochæum, in platea civitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat, Hoc honore condignus eſt, quemcumque Rex voluerit honorare* t. Mardochus Dominus noſter Jeſus Chriſtus publicè fuerat inhonoratus, & inhonoratur adhuc hoc tempore corrupto, quo vivimus: juſtitia exigit æqualitatem, & ut exhibeantur ei reverentiæ & adorationes à fidelibus, qui ideò conveniant in templa noſtra, ut ibi præſtent obſequia gratitudinis ſuæ pro beneficiis ab ipſo ſuſceptis. Cùm tranſiret Carolus V. per Franciam, & eſſet Pariſiis, adverteretque quòd SS. Sacramentum quòd ad infirmos ferebatur à Sacerdote, non eſſet ſtipatum, ſicut merebatur ipſius magnitudo: converſus ad Regem Franciſcum I. ait illi, Deus noſter eſt melius ſtipatus in Hiſpania, ampliorem habet apud nos comitatum. Reſpondit ei ſubtiliter Rex Franciſcus I. Ratio iſtius eſt, quia in Gallia Deus eſt inter amicos ſuos, & tanto non indiget comitatu, quanto in Hiſpania, ubi eſt inter inimicos ſuos: cùm ibi multi ſint Judæi. Utinam, Auditores, hoc eſſet in Francia noſtra, ut hic eſſet Deus ioter amicos ſuos. Sed heu quam multi produot eum, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* u! Nunquid non igitur juſtum eſt ut fideles illum honorent, quandiu impii eum offendunt?

ſ Eſth. 5. 14
t Eſth. 6. 10. & 11
u Hebr. 6. 6

Ultimum motivum, quod nos inducit ad nos uniendos ei in memoriam præfati beneficii, eſt motivum reverentiæ, cùm eò majorem debeamus ei reverentiam exhibere, quò propiùs ad illum accedimus, & magis ei uniti ſumus. *Jeſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei, Miſerere mei Domine, Fili David: & adoravit eum, dicens, Domine adjuva me* x. Super quod S. Hieronymus y ait, *Nota, quòd iſti Chananitidis perſeveranter primùm Filium David, deinde Dominum vocet, & ad extremum adoret ut Deum.* Quò plus accedit ipſa ad Deum, ad Jeſum Chriſtum qui eſt Deus, magis eum reveretur, & ſupremas tandem exhibet ei adorationes: quod eſt contra morem majeſtatum mundi, quæ quò magis ſe communicãt, eò magis deprimunt æſtimationem ſuam; Majeſtas verò cæleſtis quò magis ſe communicat, eò majoris æſtimatur, ut id ait clarè Pſalmiſta z: *Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum; magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu ejus ſunt.* Super quod Genebrardus a ait, *Terribilis, formidabilis, verendus, admirandus apud omnes Angelos ſe circunſtantes.* Sed quomodo *terribilis* eſt & *admirandus* ſimul? Ratio hujus eſt, quia Majeſtas quam adorant, eſt Divina, & non humana: quòd ſi eſſet humana, quò magis ſe communicaret, eò minoris æſtimaretur. Petit Rupertus b rationem propter quam Reges antiqui ſe ita raro videndos finebant, ut legimus in hiſtoria Aſſueri, qui aliquando *triginta diebus* manebat priuſquam ſe præberet intuendum dilectæ ſponſæ ſuæ Eſther: *Cur erat*

x Matth. 15. 21. &c.
y S. Hier. lib. 3. in Matth. 15. 22. &c.
z Pſ. 88. 8
a Genebr. in Pſ. 88, 8
b Rupert. in Eſth. 4. 11

tanta

tanta difficultas adeundi Regem ? Et ipſemet reſpondet, *Nimirum, hoc venerat ex nimiâ nemiſitate miſera vanitatis, ut Rex nec vilior fieret ex uſu publica viſionis.* Iſtud enim habent proprium humanæ majeſtates, ut, quò magis ſe communicant, eò minoris æſtimentur, nec tantus deferatur ipſis honor, quantus cùm rarò videntur: ſed res aliter ſe habet de majeſtate Dei noſtri: quò enim major ad ipſam datur acceſſus, & ipſa familiarior redditur, eò major anſa præbetur ipſius honorandæ & adorandæ. Salomon c [c Prov. 18. 10] laudans ſublimitatem potentiæ Dei, ait, *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum curret juſtus, & exaltabitur.* Magnitudo Dei vocatur cum myſterio *Turris fortiſſima.* Quò enim magis diſtat aliquis à turri, eò minùs videt altitudinem & magnitudinem ejus; ſed quò magis accedit ad eam, eò magis cognoſcit utramque; ſic quò magis remoti ſumus à Deo per communicationem, eò minus cognoſcimus magnitudinem & celſitudinem ejus; ſed quò magis accedimus ad eũ, & communicamus cum illo, eò magis illum reveremur & admitamur: quò enim profundiùs ingredimur hunc Oceanum, qui *magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus* d [d Baruch 3.25]; eò magis deprehendimus cum admiratione quòd per contemplationem & communicationem noſtram quotidie pervenimus ad ſublimiores gradus cognitionis potentiæ illius ſupremæ; quod non ita ſe habet de majeſtatibus humanis terræ. David e [e Pſ. 75. 2] loquens de magnitudine Dei, dicit, *Notus in Iudæâ Deus, in Iſrael magnum nomen ejus.* Quaſi diceret, Quia Deus cognitus eſt, ideò magnificatur. Atqui ego peto: Quonam modo propiùs accedimus ad Deum, & magis unimur ei? Sanè beneficio Euchariſtiæ: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* f [f Ioan. 6. 56]. Jeſus Chriſtus ſe multùm univit nobis faciens ſe ſocium peregrinationis noſtræ, *Formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* g [g Philipp. 2. 7]; *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* h [h Baruch 3. 38]. Seipſum magis univit nobis, faciens ſe pretium redemptionis noſtræ, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* i [i Apoc. 1. 5]. Sed non tantùm ſe univit, quantùm per Euchariſtiam, quia cùm ſit *cibus* k [k Joan. 6. 55], ille qui eum comedit, unit ſe ei, ſicut alimentum corpori: ita ut per SS Sacramentum altaris meliùs uniamur Deo, quàm quolibet alio modo: & hinc motivum capeſſimus illius honorandi & reverendi: *Convenit itaque devotioni fidelium, ſolemniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi, tamque mirabilis Sacramenti: ut ineffabilem modum Divinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur: & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur: necnon & de tam ſalubri, tanquam ſuavi beneficio exolvantur Deo gratiarum debitæ actiones*, ait S. Thomas l [l S. Thomæ opuſc. 57]. Sic eſt, Auditores: ſicut enim hæc potentia & majeſtas eſt Divina, quò magis communicat ſe, eò majoris eſt æſtimanda, quia in ea non habet locum proverbium, *Familiaritas parit contemptum.* Sed è contra familiaritas iſta generat reverentiam & timorem, ut innuunt hæc verba Sapientiæ increatæ, *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis* m [m Eccli. 24. 24]. Sed quare uniuntur hîc ſimul agnitio & timor, admiratio & reverentia? Videtur contrarium dicendum, quòd cum cognitione Deus deberet generare familiaritatem. Reſpondet Guerricus n [n Guerric. ſerm. 2. de Nativit. B. Virg.], *De cognitione timor naſcitur.* Quod eſt contra morem aliarum rerum, quæ, quò magis cognoſcuntur, eò magis contemnuntur. Impendamus igitur omnes operas noſtras ut perveniamus ad hanc notitiam motivis quietis, amoris, juſtitiæ, & reverentiæ in memoriam hujus Divini beneficii, ut uniti ei per Euchariſtiam, uniamur illi tandem per gloriam.

FERIA II. POST DOMINICAM INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 56. &c.

Pſalmiſta a [a Pſ. 76. 13] loquens de adinventionibus Divini amoris, ait, *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor.* Intueri mihi videor inter has mirabiles adinventiones Divinæ dilectionis, de quibus hactenus vobis locutus ſum, Ducem onuſtum lauris experientiæ diuturnæ, qui poſtquàm diu obſeſſam tenuit aliquam civitatem, & poſt multas irruptiones invanùm adversùs eam factas, arma ſua ſubtili tegit artificio, clàm militem alteratis inſignibus & veſtibus indutum in aliam mittit, qui portas tempore opportuno ipſi aperiens, illam manibus ipſius tradit: iſte eſt Jeſus Chriſtus, quem Pater æternus dedit *Ducem Gentibus* b [b Iſai. 55. 4]. Qui poſtquam diu tenuit obſeſſam arcem cordium noſtrorum, & poſt moltas aggreſſiones ſuſceptas contra mœnia obſtinationis illorum, modò beneficiis, ut dicebam vobis heri, modò caſtigationibus, nunc promiſſis, deinde minis, ut audiſtis diebus iſtis præteritis, videns quòd ipſe conſilium ſuum perducere non poteſt ad exitum, poſtquàm ipſe, ut Increata *Sapientia, miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis, & locuta eſt: Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis* c [c Prov. 9. 2. &c.]: ſeu, ut vertunt LXX. *Sapientiam ſit ſervos ſuos, convocans cum excelsâ prædicatione ad craterem, dicens: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis*: ſemetipſum alterat, operit ſe vilibus indumentis, id eſt, ſpeciebus panis & vini; ſic incognitus ingreditur arcem cordium noſtrorum, deditionem illorum ſibi conciliat, vexilla ſuæ dilectionis explicat in medio noſtri, *Ordinavit in me charitatem* d [d Cant. 2. 4], ait Sponſa. Seu, juxta verſionem, *Vexillum ejus ſuper me charitas.* Et ejectis omnibus aciebus hoſtilibus, omnes affectus reddit cœleſtes, cunctas cogitationes facit Angelicas, & omnes voluntates exhibet Deificas: &, ut uno dicatur verbo, ejiciens peccatum ex animabus noſtris acceſſu ſuo, communicat eis vitam gratiæ, *In me manet, & ego in illo*: ſi ſe diſponant ad eam ſuſcipiendam; ſicut illam jam ſuſceperat B. Virgo ob diſpoſitiones ſuas, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit Ave* e [e Luc. 1. 28] *Maria.*

Tria eximia reperio teſtimonia benevolentiæ,

tiæ, quam Deus exhibuit aliàs populo ſuo Iſraëlitico, repræſentata tribus comparationibus inſignibus. Prima, eſt matris erga filiũ ſuum. Secunda, eſt agricolæ erga boves ſuos, à quibus aufert jugum. Tertia, eſt Patris qui habens filium ſuum infirmum, nec valentem comedere ob ægritudinem ſuam, & propter faſtidium ciborum ab eâ inſeparabile, miniſtrat ei propriis manibus cibum, cujus uſu debet æger ille filius priſtinam reſumere ſanitatem. Primò, Deus defert nos, inſtar bonæ matris, inter brachia ſua, & more ſapientis nutricis, protegit nos ab omnibus infortuniis, *Ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in*

f Oſee 11. 3

brachiis meis: & neſcierunt quòd curarem eos f. Secundò, *Expectatio Iſrael, Salvator ejus in tempore*

g Jer. 14. 8

tribulationis, quaſi colonus futurus in terrâ g, aufert à nobis jugum peccati tanquam à bobus, *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus*

h Pſ. 48. 13 & 21

eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis h: ſicut alias liberavit populum ſuum electum (quem

i Deut. 33. 17

inſignit Scriptura titulo bovis, *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus*) à jugo ſervitutis Ægyptiacæ, *Liberavit Dominus Iſraël de manu Ægyptiorum*

k Exod. 14. 30

k. *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit*, ait nobis

l Gal. 4. 31. & 5. 13

S. Paulus l. Qui paulò pòſt ſubdit: *Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervite invicem.* Tertiò, Faſtidium noſtrum tollit, ut *Pater futuri ſeculi* m, cùm ſatiat animas

m Iſai. 9. 6

noſtras cibo & potu corporis & ſanguinis ſui: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Sicut filiis Iſraël qui delicatiſſimum faſtidium præ ſe ferre videbantur, *Panem cæli dedit, & pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata* n. Bonæ matres & aman-

n Pſ. 77. 24 &c. ex Exod. 16. 4 & 14 & ex Num. 11. 31

tes nutrices, quantùmvis filios & alumnos ſuos diligant, non deferunt eos niſi inter brachia ſua; ſed Deus noſter in manibus ſuis nos portat exaratos: *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te* o. Et, *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt* p. Imò verò includit nos in viſceribus ſuis, & nos includimus illum in noſtris, *Qui*

o Iſai 49. 15. & 16
p Sap. 3. 1

manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Si autem filii ſic ſunt obſtricti matribus ſuis, quæ ipſis præbuerunt vitam, & nutricibus quæ eam ipſis conſervarunt, *Conſervatio eſt continuata productio*, quantò magis devincti ſumus nos Deo, qui excedit omnes iſtos amores naturæ. Secunda nota Divinæ dilectionis erga nos, eſt, quòd Dei bonitas minuit & alleviat jugum miſeriarum noſtrarum, cui collum ſubjicimus ut filii Adæ, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legem mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* q. Sed hæc Divina Bonitas unire ſe

q Rom. 7. 23

vult membris iſtius corporis, & nonniſi unum facere, non ſolùm in incarnatione in communi r,

r Joan. 1. 14

ſed cum toto corpore Eccleſiæ, & cum omnibus membris ejus in particulari, *Quia membra ſumus corporis ejus* ſ, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* t. Ita

ſ Epheſ. 5. 30
t Coloſſ. 1. 18

ut è Jeſu Chriſto & ex Eccleſia, & ex omnibus membris ejus non fiat niſi unum corpus, licèt plurima ſimus individua, *Unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus* u. Et hoc eſt quod ipſe ait S. Auguſtino x, *Nec tu*

u 1. Cor. 10. 17
x S. Aug. lib. 7. Conf. c. 10

me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Et hinc patet tertia nota amoris Dei, quæ in hoc eſt ſita, ut ſemetipſum reddat cibum noſtrum, uniendo ſe nobis, & nos ſibi. Videamus

igitur Primò quomodo maneamus in Filio Dei, & ipſe in nobis, uniendo ſe nobis, aut unum faciendo nobiſcum: Secundò diſpoſitiones aliquas ad merendam illam unionem, aut unitatem requiſitas. Diviſio.

Hæc admittitur differentia inter alimentum corporale & alimentum ſpirituale; quòd cibum corporeum convertimus in ſubſtantiam noſtram virtute caloris naturalis; ſpiritualis autem cibus mutat eum qui ipſum comedit, in ſeipſum: unde fit ut anima nutriat ſe eo quod ipſa diligit, amor ipſius eſt ipſius alimentum, amor, qui cùm ſit potens, omnia trahit ad ſe, & imprimit eis qualitates ſuas, imò verò propriam naturam ſuam: atqui cùm Dei Filius nos diligat in hoc Sacramento, cùm ſit Sacramentum amoris, dicere poſſumus quòd mutat nos in ſemetipſum, quòd ingredimur in eum, & manemus in eo, & ipſe manet in nobis. Ut autem videamus illam clariùs veritatem, ſciendum eſt, quòd id quod eſt propius Deo, perfectiùs operatur, quia Deus eſt actus puriſſimus, *Spiritus eſt Deus* y, *id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata: eſt tamen honoratiſſimus intellectus* z. Atqui non eſt aliquid ſic unitum Deo ac corpus Jeſu Chriſti: ſi autem magnes trahit ferrum tantâ potentiâ, quid non agere debet corpus Chriſti? atqui id quod eſt propius Deo, operatur perfectiùs: operatio perfectior eſt transformare in ſe, mutare in ſe, communicare ſe, unire ſibi, ponere in ſe: corpus illud factum ſic perfectè debet operari; corpus iſtud unitum Jeſu Chriſto, nos ponit in Jeſu Chriſto, facit ut ſimus in Jeſu Chriſto, & ut maneamus in Jeſu Chriſto, & ipſe in nobis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* 1. Pars.

y Joan. 4. 24
z Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4. 24

Vultiſne aliam rationem? Cùm Sacramentum iſtud ſit Sacramentum amoris, quo diligimus Dei Filium, obſervandum eſt quòd ille qui amat, ceſſat eſſe in ſe, ut ſit in re amatâ. Et ratio iſtius eſt, quia, ut ait Philoſophia, *Operari ſequitur eſſe.* Ita ut ſimus ibi, ubi ſunt operationes noſtræ: ille qui amat, operatur in re amatâ: ibi ergo eſt: ſi ibi eſt, anima ipſius ibi reperitur, *Secundum Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat*, ait Dionyſius Carthuſius a. Si anima ipſius ibi eſt, vita ipſius ibi invenitur: ſi vita ipſius ibi reperitur, ibi vivit, & ibi vivens ceſſat vivere in ſe, ut vivat in re amatâ: *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius b. Quis igitur ambigit quin ille qui amat, operetur ſemper in re amatâ? Hanc veritatem quotidianâ comprobamus experientiâ: Omnes operationes animæ ſunt loqui, velle, & meminiſſe: ille qui diligit, non habet cogitationes, affectus, & memoriam, niſi intuitu rei amatæ: anima igitur operans ibi, eſt ibi: per hoc SS. Euchariſtiæ Sacramentum diligimus Filium Dei: diligentes eum, operamur in illo, ideòque ſumus in illo, & ipſe eſt in nobis, *In me manet, & ego in illo.* Si autem velitis probationem Apoſtoli c, auſcultate eum ſic loquentem, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Sed quomodo fieri poteſt, Auditores, ut vivat Apoſtolus, & non vivat? Non vivit in ſemetipſo, ſed in Jeſu Chriſto quem diligit: ſic ille qui ſacram Communionē percipit cum dilectione, dicere poteſt ſe non ampliùs vivere in ſeipſo, ſed in Filio Dei: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

a Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34
b S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 4
c Gal. 2. 20

Sed quomodonam, Auditores, ſumus nos in

Filio

Filio Dei in hoc Sacramento? Ibi ſumus eo ſanè modo quo iſte Dei Filius eſt *in utero* d Matris ſuæ. (d Luc. 1. 31. ex Iſai. 7 14) Amores matrum ſunt ſenſibiliores amoribus patrum, quia deferunt fœtus ſuos in ventre: ſic Deus noſter qui diligit nos ut charas productiones ſuas, defert nos in viſceribus ſuis, *Qui portamini à meo utero* e. (e Iſai. 46. 3) Dei Filius defert nos in ſinu ſuo per Euchariſtiam, & nos ſumus in eo ſicut filius in matre ſuâ, *Ecce, ego lactabo eam* f. (f Oſee 2. 14) Sed præ hâc differentiâ, quòd ſinus matrum noſtrarum poſtquàm nos ſunt enixi, non recipiant nos ampliùs; ſed Filius Dei nos ſuſcipiat in ſeipſum, nos ingredi faciat in ſeipſum, quotieſcumque volumus. In quo ſimilis eſt cuidam animali invento in Indiâ, quod in hoc eſt admirabile, quòd habeat os in medio corporis ſui, quod claudit, & aperit inſtar pyxidis; & cùm catuli ipſius expoſiti ſunt perſecutioni inimicorum ſuorum, aut alicui periculo propter inclementiam tempeſtatis, illos denuò ſuſcipiat in ſe, & ſuos poſtea faciat iterùm ex ſe exire filios: Salvator mundi per ſacram Communionem facit nos ingredi in ſe, nos recipit in ſe, *in me manet.* Et poſteà nos producit; & non contentus hâc productione, nos iterùm ponere vult in viſceribus ſuis, ut ſecuri ſimus ab inimicis noſtris, à tentationibus, quæ nos impetunt, aut nobis imminent, & nos eximere à periculis, inter quæ ruinam noſtræ ſalutis poſſemus incurrere.

Dicamus quòd eſt in nobis ſicut erat in ventre B. Virginis, nutritus ſanguine illius, & involutus carne ejus: ſic ingredi facit nos in ſe, ponit nos in ſe, ut alat nos ſanguine ſuo, & involvat nos proprio corpore ſuo. Si aliàs filii Regum naſcentes ſuſcepti ſunt intra purpuram regiam, nos recipimur intra purpuram Regiam ſanguinis Jeſu Chriſti: ſi Reges illi nati ſunt è Reginis, non fuerunt nutriti lacte Reginarum: ſed nos, ô excellentia Chriſtianiſmi! habemus altorem eum, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* g, (g Apoc. 19. 16) æquè ac patrem, & matrem, ut ait Clemens Alexandrinus i, (i Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6) *Verbum eſt omnia infanti, & pater, & mater, & altor* Hoc modo nos alit lacte quod educit è ſubſtantiâ ſuâ, hoc modo manemus in Filio Dei, & manet ipſe in nobis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Jeſus Chriſtus eſt in nobis per Euchariſtiam, cùm interventu iſtius Sacramenti fiat Matrimonium ſacrum inter eundem Jeſum Chriſtum & animam fidelem, quæ ingreditur in eum, & manet in illo, ſuſcepta apud eum: atqui Matrimonium eſt traditio corporum cum indiſſolubili animarum conjunctione, ſic ut utrimque mutua ſit obligatio: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir, ſui corporis poteſtatem non habet; ſed mulier* k. (k 1. Cor. 7. 4) Sic Dei Filius nobis tradere debet corpus ſuum, ita ut in noſtra ſit poteſtate: ſic autem ipſe ponit illud in poteſtate noſtrâ per Sacramentum Euchariſtiæ poſt prolata verba, ut non ſit ampliùs in ipſius poteſtate ſe reſumendi, nec impediendi quin ipſe ſit noſter: nunquid non igitur jore merito dicit, quòd per hoc Sacramentum manemus in ipſo, & ipſe in nobis? Amor Divinus, qui ſe iſto modo ponit inter manus hominum, ibi conſtituens corpus ſuum, ſanguinem ſuum, animam ſuam, & Divinitatem ſuam! Deus diligit homines, ſed illos diligit modo ſingulari. Etiam, Auditores, quia amare in Deo eſt benefacere, faciendo illis hoc bonum ſingulare, quod eſt unire naturam illorum perſonæ ſuæ: inde concludendum eſt, quòd illos ſingulariter diligit: atqui ſi eos diligit, debet ſe unire eis, cùm primus effectus amoris ſit unio: & diligens eos ſingulariter, debet illis ſe ſingulariter unire. Non ſufficit ut ſit in homine per potentiam, per eſſentiam, & per præſentiam, ſicut in cæteris creaturis, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* l? (l Jer. 23. 24) Non eſt ſatis ut ſit in eo per gratiam, cùm eo modo ſit in Angelis, quos *creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, ait S. Auguſtinus m. (m S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei c. 9. ex Gen. 1. 3) Neque ut ſit in eo per gloriam; iſte enim modus communis eſt omnibus Beatis: *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* n. (n Joan. 17. 3) Non eſſet ſic in eo ſingulariter: in illo igitur eſt modo proprio hominibus qui ingrediuntur in ipſum, qui ſuſcipiuntur apud ipſum, & manent in ipſo, id eſt, per unionem realem Sacramentalem, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Sicut imago, ſi capax eſt amoris, diligere debet prototypon ſuum, a quo tenet id omne quod habet honoris, gloriæ, & venerationis; ſic prototypon diligere debet imaginem ſuam ut tranſumptum ſuiipſius; ſic qui *ad imaginem Dei factus eſt homo* o, (o Gen. 9. 6) diligit Verbum, quod eſt perfectum prototypon, cujus ipſe fert charactêres: ſic idem *Verbum caro factum* p, (p Joan. 1. 14) amore reciproco diligit ſenſibiliter hominem qui defert ipſius ſimilitudinem, *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* q. (q Gen. 1. 27) Licèt ſit dignus odio ipſius, cùm ſe reum reddidit læſæ Majeſtatis Divinæ, tranſgrediendo mandata ejus, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* r. (r Sap. 14. 9) Quòd ſi diligit hominem, prout defert impreſſos ſibi charactêres ſimilitudinis ipſius, unire ſe debet ei ſtrictioribus vinculis quam reliquis manuum ſuarum operibus: non ſufficit igitur ut ſit in illo per potentiam, per eſſentiam, & per præſentiam, ſicut in omnibus rebus creatis; & per gratiam, ut in Angelis ejuſdem gratiæ capacibus; ſed oportet ut ſit in illo realiter & effectivè modo ſingulari, ut dixi jam, & hoc modo in nobis eſt in iſto SS. Sacramento.

Si autem velitis adhuc clarius videre, quomodo Filius Dei eſt in nobis, & nos ſumus in illo in Euchariſtia, *In me manet, & ego in illo*: Præſupponendum eſt, ſi vobis placet id quod creditis, nimirum, quod Dei Filius aſſumpſit naturam humanam ſanctam, puram, innocentem, & impeccabilem, quatenus unita fuit hypoſtaticè perſonæ Verbi, quod poſſidet ſanctitatem per eſſentiam ſ: (ſ Iſai. 6. 3) ideò debet eſſe imago Voluntatis Divinæ, creatus amor iſte Jeſu Chriſti denotare debet amorem increatum Divinitatis: atqui Divinus amor iſte duo fecit huic humanitati: primum, univit eam inſeparabiliter perſonæ Divinæ: ſecundum, non univit eam propter ipſam ſolam, ſed ut ſe diffunderet & communicaret univerſaliter omnibus hominibus: ſic humanitas ſancta Filii Dei debet habere voluntatem uniendi ſe ſtrictiſſimè & univerſaliter omnibus illis, qui ſe diſponent ad ſuſceptionem ipſius: & cùm non poſſit unire ſe perſonaliter omnibus, communicat ſe mediâ alterâ unione maximâ omnium quas poſſibile ſit imaginatu poſt illam,

Secunda præparatio, eſt charitas, vel bona conſcientia: ſola fides non ſufficit, ut ait Concilium Tridentinum *a*, *Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit.* Hæc eſt doctrina S. Pauli *b*, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Aliter ſe res habet de aliis cibis, qui guſtantur & probantur antequàm comedantur: ſed oportet ut is qui vult comedere cibum illum, ſemetipſum examinet, num ſanus ſit aut infirmus: quia neſcimus utrùm cibi corporei ſint boni aut mali, benè parati aut malè conditi, guſtui noſtro grati vel non, ideò probamus illos: cùm igitur certi ſimus quòd iſte cibus eſt ſalutaris, & paratus manu Dei, aut Angelorum, non debemus illum probare, ſed probare noſmetipſos. Genebrardus *c* ait, quòd iſtud verbum manna Latinè, aut Græcè, Hebraicè verò *Manhu, cibus per ſe erat paratus; nec indigebat aliâ præparatione, ut qui ſic comedi poſſet abſque ullo alio apparatu.* Manna noſtrum ſacrum, S. Sacramentum paratum & conditum eſt eo modo quo expedit, non indiget apparatu, aut condimento: in cujus figuram Pſalmiſta *d* ait, *Panem Angelorum manducavit homo. Vocatur enim panis Angelorum manna, quia Angelorum miniſterio iſte cibus in cœlo aëreo formabatur*, ſubdit Incognitus *e*. *Et hunc panem, id eſt, Verbum grandis cibo, quo paſcuntur Angeli, carnem factum f edit homo.* Oportet igitur ut ille qui vult comedere iſtum cibum, ſemetipſum prius examinet, & videat utrùm ſit diſpoſitus ad illum ſuſcipiendum: *Aſcendat itaque homo adverſùm ſe tribunal mentis ſuæ, atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix conſcientia, carnifex timor. Inde ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini* g.

a Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. can. 11.
b 1. Cor. 11. 28.
c Geneb. in Pſ. 77. 25.
d Pſ. 77. 25.
e Incog. in Pſ. 77. 25.
f ex Jo. 1. 14.
g S. Aug. l. 50. hõ. hom. 50. c. 4.

Tertia diſpoſitio, eſt reconciliatio cum inimicis, *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum* h. Quod S. Gregorius *i* conſiderans exclamat, *Penſandum eſt, cum omnis culpa munere ſolvatur, quàm gravis eſt culpa diſcordiæ, pro qua nec munus accipitur.* Huic Evangelica *k* parabola conſonat, *Ideò aſſimilatum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille, invênit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè: & venerunt, & narraverunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus ſuus: & ait illi, Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

h Matt. 5. 23. & 24.
i S. Greg. l. 4. Dial. c. 60.
k Matth. 18. 23. &c.

Quarta præparatio, eſt reſtitutio boni malè acquiſiti, aut famæ violatæ, antequam accedatur ad Euchariſtiam. Hæc eſt diſpoſitio valde neceſſaria, ad quam Confeſſarii & pœnitentes ſedulò debent attendere. Deus queritur de Sacerdotibus, & ait illis, *Offertis ſuper altare meum panem pollutum* l. In Gloſſa Ordinaria, *Ajo dicunt, quòd dicitur hic panis pollutus, eò quod erat de tritico per rapinam acquiſito formatus.* Qui ut ſic, acceptus non poteſt eſſe Deo. Ideo decretum fuit in Concilio Cariſiacenſi in Gallia anno Domini 856. tempore Benedicti Papæ III. & Caroli Calvi Regis Francorum (cùm tunc ubique furta, & omnia violentiæ genera vigerent) eodem Carolo Rege ſupplicante, *Quòd in cujus domo rapina eſt, non habitat Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus: & ſi accedit ad Communionem corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, non mundatur per illam Communionem à peccato.* Cùm Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus unionis & unitatis, non habitet in domo illius, qui bonum tiratus eſt alienum.

l Malac. 1. 7.

Quinta diſpoſitio, eſt mortificatio paſſionum. Divinitùs loquitur ſanctus Gregorius *m*, cùm ait, quòd debeamus nos ipſos ſacrificare Deo, cùm iſtud offerimus ei Divinum ſacrificium: *Neceſſe eſt, ut cùm hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactamus: quia qui Paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hoſtia erit Deo, cùm nos ipſos hoſtiam fecerimus.* Ad quod appoſitè dicit ſanctus Vincentius Ferrerius *n*, *Melchiſedech non obtulit ſacrificium, quouſque Abraham victoriam habuit de quatuor Regibus, ſic & de quatuor paſſionibus, ex quibus veniunt omnia peccata quæ facimus. Primus, eſt amor inordinatus, qui bellat, & multos vincit, & captivat, ſed vincitur à nobis, quando pro nulla re mundi homo facit contra Deum. Secundus, eſt timor inordinatus de amicis. Tertius Rex, eſt placentia corporalis, ſcilicet comedendi, bibendi, & dormiendi. Quartus Rex, eſt triſtitia. Poſt victoriam de iſtis quatuor Regibus poteſtis communicare: & Melchiſedech, id eſt, Sacerdos Dei altiſſimi, offeret vobis panem & vinum, id eſt, corpus Chriſti, qui eſt panis Angelorum* o. Propterea magna datur alluſio granorum frumenti, ex quibus panis ſacer altarium noſtrorum coaleſcit, ad cor noſtrum: ſicut enim hæc grana conteruntur in molendino, & miſcentur ſimul ut ex ipſis conficiatur panis; ſic habere debemus noſtrum *cor contritum & humiliatum* p dolore, & unitum cum proximo noſtro, ut illud habeamus unitum cum Jeſu Chriſto, & ſimus unum cum illo. Et S. Thomas *q* ait, quòd ille qui vult dignè communicare, & habere unitatem cum Jeſu Chriſto in hoc Sacramento, debet habere qualitates ſacrorum pulvinarium, ſuper quibus conſecratur Euchariſtia: ſicut enim lavantur, torquentur & ſiccantur; ſic oportet ut lavemur lacrymis compunctionis, torqueamur operibus pœnitentiæ & mortificationis, quæ delent & pravos affectus, & inclinationes ad peccatum; & ſiccemur Sole amoris Dei, & caleſiamus ardoribus ſacris ſanctarum aſpirationum versùs cœlum.

m S. Gregor. l. 4. Dial. c. 59.
n S. Vinc. Fer. ſerm. 1. infra Oct. Aſc. Dom. ex Gen. 14. 18. &c.
o ex Pſ. 77. 25.
p Pſ. 50. 19.
q S. Th. opuſc. 58. c. 25.

Corde noſtro ſic diſpoſito, Deus exaudiet ſupplicationes noſtras, & uniet ſe nobis, *Præparationem cordis eorum audivit auris tua* r. Deus auditum ſic habet ſubtilem, ut æquè perfectè audiat clamorem mutum cordium noſtrorum, & ſuavem flatum verborum, quam format mens in ſilentio in interiori ſuo, ac vocem exteriorem, quæ noſtras percellit aures. Non latet vos, quòd non eſt aliquid ſecretius eo quod concipit & meditatur homo in intimis ſui cordis penetralibus, quod innumeras habet ambages, ut ſe abſcondat ijs, qui cogitationum ipſius concupiſcunt ſibi notitiam comparare: tamen nihil eſt occultum cogitationi Dei, qui perfectione ſua infinitâ illabitur animam, videt omnia diſtinctè in interiori ejus, & ſic intimè pervadit potentiam facultatum illius, ut cognoſcat & ſciat id quod acturus eſt homo, antequàm idem homo ad id ſe determinaverit, aut quid feciſſet, vel potuiſſet facere, licèt id nunquam cogitet, *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes* s. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* t. Propterea Pſalmiſta † ſpiritu prævidens diſpoſitionem, quam anima devota affert ad uniendam ſe Deo quem recipere deſiderat in SS. Sacramento, ait, *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Nolite autem exiſtimare, Auditores, quòd per hæc verba Pſalmiſta velit tribuere membra & partes corporeas Deo, ad figurandum vobis eum in apparatu exteriori hominis, *Spiritus eſt Deus* u. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata* x. Aures ſunt partes & organa corporis, quod eſt inſtrumentum quo anima ſuas externas producit operationes: auris igitur Dei quæ audit diſpoſitionem cordium noſtrorum, ſignificat aut repræſentat, vel cognitionem, vel potentiam Dei: & quia in Deo propter puriſſimam ipſius ſimplicitatem, quæ reddit ipſum indiviſibilem, & perfectionem infinitam actûs puriſſimi, quidquid eſt, eſt ipſemet Deus; & hæ Divinæ & abſolutæ perfectiones, quas Theologi vocant ſimpliciter ſimplices, quas infirmitas mentium noſtrarum diſtinguit, ſunt una & eadem res in Deo; inde oritur ut auris Dei ſignificet cognitionem, & potentiam Dei: Deus enim nihil agit niſi potentiâ ſuâ, potentia ipſius non agit abſque cognitione; Deus cognoſcendo agit & operatur; & cùm Deus intelligit, cognoſcit, & operatur. Cùm ergo Pſalmiſta ait, *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*; nimirum, quòd Deus attendit & conſideravit diſpoſitionem, quã anima, quæ ſe vult ipſi unire in SS. Sacramento, fecit in corde ſuo; idem eſt ac ſi diceret, quòd potentia ipſius divina tribuit hos effectus diſpoſitioni interiori cordis illius, *Parare facies cor eorum, intendere facies aurem tuam*, ait litera Hebraica. Et S. Hieronymus y, *Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Hoc eſt, clementia tua.* Ad Deum ſolum pertinet diſponere cor hominis, tam ad avertendum illud à malo, quàm ad excitandum illud ad bonum & ad praxim virtutum, & præſertim ad illud uniendum ſibi in SS. Sacramento: ipſius eſt tãgere cor noſtrum, quod eſſet immobile, ſi motus gratiæ ipſius non animaret ipſum, *Converte me, & convertar*, ait illi Jeremias z. Deus vult ut præparemus corda noſtra, ſed ipſemet ad ea diſponenda nobis auxiliatur, quia deſtituti auxilio ipſius Divino non eſt aliquid quod agere poſſimus, ut ipſemet nobis ait, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* a. Alia verſio fert, *Cor eorum numeraſti, ponderaſti.* Quid autem? vellemuſne dicere quòd Deus curioſitate duceretur, & vellet ſcire quantùm ponderaret cor eorum, de quibus loquitur Pſalmiſta? Quid autem prodeſſet Deo ſcire, quòd unum ponderet octo uncias aliud ſex ſolum, illud plus, illud verò minus? Et ſi verum eſt, ſicut eſt, quòd quilibet homo non habet niſi unum cor, quid intereſt Dei numerare cor hominis? velletne ſcire quot partes referuntur ad ſubſtantiam cordis, quot venæ, quot nervi, quot arteriæ, quotque ſinus? Quid igitur innuunt hæc verba? Significant, Anima Chriſtiana, quòd Deus numeravit & ponderavit diſpoſitionem cordis tui, id eſt, enumerat omnes actus, quos agis, fidei, charitatis, & cæterarum virtutum, de quibus modò locutus tibi ſum, ut te diſponas ad uniendam te Jeſu Chriſto in SS. Sacramento, *Cor meum numeraſti, ponderaſti.* Et ſecundùm literam originalem, *Parare facies cor eorum, intendere facies aurem tuam* Quaſi diceret Pſalmiſta, quòd Deus obſervat diſpoſitionem, quam homo affert accedens ad hoc Sacramentũ, & quòd divina Bonitas diſtribuit ei gratias ſuas ſecundùm diſpoſitionem, quam præ ſe fert ad illud ſuſcipiendum: *Iuſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult* b, *& ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem* c, ait Concilium Tridentinum d. Ubi ſacra Synodus clarè demonſtrat, quòd licèt Spiritus ſanctus ſecundùm beneplacitum ſuum diſtribuat gratias ſuas ijs quibus vult, tamen eas præbens, metitur illas juxta diſpoſitiones, quas unuſquiſque affert ad eas ſuſcipiendas; & quòd illi qui meliùs ad eas ſe diſponunt, abundantiùs eiſdem gratijs communicant, quàm illi, qui ad eas non ſe præparant eo modo ſuſcipiendas. *Sicut enim homo peregre proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua: & uni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuiq; ſecundùm propriam virtutem* e: ita Deus repræſentatus per hunc hominem, partitur dona gratiarum ſuarum, eaque communicat ſecundùm quòd unuſquiſque ſe diſponit ad illa ſuſcipienda. Conformiter ad hoc S. Cyprianus f ait, *Manat jugiter Divina gratia, exuberat affluenter, & quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum veræ gratiæ haurimus.* Quaſi diceret, quòd Deus eſt origo viva & fœcunda, unde fluxu ſalit non intermiſſo aqua gratiæ cœleſtis, quæ nos unit Deo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* g. Ite hauſtum, Auditores, iſtas *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* h. Sed mementote quod debetis ferre hydriam more Samaritanæ, *Venit mulier de Samaria haurire aquam* i. Ex iſtis aquis tantum haurietis, quantum continere poterit hydria veſtra: hæc hydria eſt cor veſtrum, & ſinus animarum veſtrarum: ſi *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima veſtra ad Deum*; ſi veſtra ſitit *anima ad Deum fontem vivum* k: dilatate duntaxat & magnificate capacitatem affectuum veſtrorum, fervore & zelo actuum heroicorum virtutum, quibus vacabi-

r Pſ. 9. 38. s Jer. 17. 9. & 10. t Heb. 4. 12. & 13. † Pſ. 9. 38. u Jo. 4. 24. x Dion. Carth. a. 11. in Jo. 4. 24. y S. Hier. in Pſ. 9. 38. z Jer. 31. 18. a Jo. 15. 5. b ex 1. Cor. 12. 11. & ex Eph. 4. 7. c ex Rõ. 12. 3. d Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 7. e Matth. 25. 14. & ſeqq. 15. f S. Cypr. l. 2. Epiſt. Epiſt. 2. g Jac. 1. 17. h Iſa. 12. 3. i Jo. 4. 7. k Pſ. 41. 2. & 3.

cabi-

cabitis, tantum haurietis ex aquis iſtis, quantùm ſuſcipiendis iis accommodæ erunt hydriæ veſtræ per merita Jeſu Chriſti: ſicut autem plùs aut minùs hauriuntur aquæ è mari ſecundùm capacitatem majorem aut minorem ſitularum quæ eis immerguntur: ſic *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, & ex meritis ejus juxta quòd earum ſuſcipiendarum erunt animæ veſtræ plus aut minus capaces, & ad illas plus vel minùs diſpoſitæ. Diſponamus nos ad eas, ut unus poſſimus hic Deo, & in gloria.

FERIA III. POST DOMINICAM INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Hoc facite in meam commemorationem. 1. Cor. 11. 24. & 25.

MIrari non debetis, Auditores, ſi tantas à vobis diem à die requirebam conditiones ad dignè communicandum, & ad vos uniendos Jeſu Chriſto in S. Euchariſtiæ Sacramento, cum idem Salvator uniens ſe nobis, ut ſit alimentum noſtrum, maneat in nobis, & nos conſequenter maneamus in illo, ut etiam probavi vobis heri, ſicut innuunt hæc ipſius verba: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* a. Atqui Filius Dei non manet niſi in locis benedictis. In cœlo, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* b. In corde Sanctorum, *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt* c. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* d. In ventre B. Virginis Mariæ, *Ecce concipies in utero* e. Et in ſinu ſui Patris æterni, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* f. Ita ut ad dignè ſuſcipiendum hoc Sacramentum deberemus eſſe tantùm benedicti, quantùm benedictum eſt cœlum; tot habere perfectiones, quot cœlum habet ſtellas; eſſe æquè ſancti ac Beati qui ſunt in cœlis, & perfecti homines qui incedunt ſuper terram; habere ſimilitudinem cum virtutibus beatæ Virginis Deiparæ, quæ habuit puritatem prorſus Divinam, ſanctitatem penitus Divinam, & charitatem omnino Divinam; imò verò audeo dicere, quòd deberemus aliquam habere convenientiam cum ſinu Patris æterni, in quo Dei Filius ſuam facit manſionem conformem magnitudini ſuæ, non ſolùm quantùm ad Divinitatem ſuam, ſed etiam quantùm ad humanitatem ſuam: nec ullum habet ipſius humanitas locum ſibi magis convenientem eodem ſinu Patris æterni: ideò cruci ſuffixus non commendavit ſpiritum ſuum niſi inter manus ejus, *Et clamans voce magnâ Jeſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* g. Cùm non eſſet aliquid in natura, quod poſſet ipſum ſuſcipere, præter ſinum Patris æterni, non ſolùm autem ſpiritum ipſius, ſed etiam corpus ipſius; ita ut deberemus habere diſpoſitiones omnino divinas ad ſuſcipiendum Jeſum Chriſtum in Euchariſtia propter excellentias ipſius eximias, nobiſque proficuas. B. Virgo adjuvabit nos ad illum dignè recipiendum, ſi dixerimus ipſi, *Ave Maria.*

a Jo. 6. 55. & 56
b Pſ. 10. 5
c Luc. 17 21.
d 1. Cor. 3. 17.
e Luc. 1 31. ex Iſa. 7. 14.
f Jo. 1. 18.
g Luc. 23 46. ex Pſ. 30. 6.

Tertullianus h ſuper hæc verba Jeſu Chriſti, *Deſiderio deſideravi* i, dicit quòd Dei Filius explicans magnitudinem deſiderij ſui, non potuit aliquid deſiderare quod eſſet humanum, imò quòd non eſſet Divinum, & ipſemet Deus; alioquin deſideraſſet aliquid indignum ipſo, *Indignum utquid alienum concupiſceret Deus.* Filius Dei, cùm ſit Deus, non debebat aliquid deſiderare quod non eſſet Deus; imò verò voluntate ſuâ humanâ nunquam deſideravit aliquid humanum, & quod non eſſet divinum. Non vult aliquid niſi adimpletionem voluntatis ſui Patris æterni, *Dicit Jeſus, Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus* k. In omnibus *quærit gloriam ejus qui miſit eum* l. Et ſatagit notitiam ejus ſtabilire in cordibus omnium fidelium, licet impendijs proprij ſanguinis [illegible], *Pater juſte, notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio quâ dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis* m. Si in horto Olivarum, correptus timore mortis, erumpit in hæc verba, *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte:* ſtatim retractat hoc deſiderium naturale [illegible] vitæ ſuæ, & immediatè poſt addit: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu* n. Quid autem? Nonne Dei Filius impeccabilis erat, etiam quatenus homo? *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* o. Poteratne ferri voluntas ejus ad aliquid inordinatum? Nequaquam. Sed tamen ſiſtit motum illius, quamvis juſtum, ut non inclinetur ad volendum aliquid humanum, ſed tantùm divinum: quod innuit, quòd habere deberemus diſpoſitiones omnino divinas ad dignè ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum neceſſarias, ne forte mortem & jacturam animarum noſtrarum incurramus, ſi ad illud non accedamus cum diſpoſitionibus ad illud ritè percipiendum requiſitis. Sed cùm de diſpoſitionibus iſtis præparatorijs heſternâ die, & præcedentibus diebus vobis diſſeruerim, & conſiderare poſſimus Sacramentum illud, aut ſicut ſacrificium, aut ſicut cibum animarum noſtrarum in ſacra Communione; ſufficiet nobis hodie ſi expendamus excellentias & utilitates ejus, Primò, prout eſt ſacrificium: Secundò, prout eſt alimentum animarum noſtrarum, in quo videbimus quòd nos nihil habeamus æmulandum Angelis, ſed è contrà Angeli habeant aliquid æmulandum nobis.

h Tert. l. 4. contr. Marcion. c. 40.
i Luc. 22 15.
k Jo. 4. 34.
l Jo. 7. 18
m Jo. 17. 25. & 26
n Matth. 26. 39
o 1. Pet. 2. 22. ex Iſa. 53. 9.
Diviſio.

Dei Filius obtulit ſemetipſum ut victimam Patri ſuo in tribus differentibus crucibus. Non loquor quodnam ex iſtis tribus ſacrificijs fuerit illi gratius quantùm ad ſubſtantiam: hæc enim tria fuerunt idem ſacrificium, ſed tantùm ſermonem habeo de modo & circumſtantijs eorum. Primum ſacrificium, ab ipſo fuit oblatum die Purificationis B. Virginis Matris ſuæ portantis ipſum ad Patrem ipſius æternum, clavis amoris inter brachia ſua veluti cruci confixum, ut ait S. Epiphanius p: *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas Dominum portavit.* Sicut enim Divinus hic Salvator & Mater ejus ſciebant, quòd eſſet ipſe cruci ſuffigendus, cùm venturus fuiſſet *in eum, qui dicitur Calvariæ locum ubi* q inter brachia crucis ſuſpendendus erat; ipſa voluit ut priùs ipſe tyrocinium

I. Pars.
p S. Epiphà ſer. de Laudib. Deip. ex Luc. 2 22.
q Jo. 19 17. & 18

nium ſuæ crucifixionis ageret ſuper brachijs ſuis; ideò ipſa complicabat ea in formam crucis, crucifigens ſuper brachiijs ſuis Dilectiſſimum viſcerum ſuorum, ut deinceps induſtrior efficeretur ad expugnandos hoſtes ſuos : ſic die purificationis ſuæ, cùm Filium ſuum offert in templo Patri æterno, ilium præſentat ei crucifixum ſuper brachijs ſuis in formam crucis diſpoſitis. Secundum ſacrificium obtulit ipſemet Patri ſuo, cùm *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum.* Id eſt, milites. Propterea concinit Eccleſia à Dominica Paſſionis uſque ad Paſcha, *Flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera, & rigor lenteſcat ille, quem dedit nativitas, ut superni membra Regis miti tendas ſtipite.* Quaſi diceret, Memento, crux amara, dulcedinis & charitatis illius amantiſſimæ, quâ Mater Salvatoris deferebat illum ſuper brachia ſua, è quibus veluti ſuaviſſimam formabat ipſa crucem. Tertia crux, ſuper qua Dei Filius oblatus eſt æterno Patri ſuo, ſunt brachia Sacerdotis, cùm Miſſam celebrat: ideò brachia ſua extendit Sacerdos, Miſſam celebrans, in formam crucis, ut innuatur, quòd hoc altaris ſacrificium offeratur ſuper cruce brachiorum ipſius Sacerdotis.

Sacrificium, quod B. Virgo die ſuæ purificationis obtulit Patri æterno in templo, faciendo crucem è brachijs ſuis, fuit gratiſſimum: ideò jure merito Eccleſia attribuit ei hæc verba Eccleſiaſtici r, *Sicut cynnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi.* Quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd balſamum medetur vulneribus, conjungit partes ſeparatas, & ſanitatem præſtat nedum relinquat ullam vulneris prævij notam: *Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas s.* Enſis iſte bis acutus plagam patraverat, ſeu ſeparationem inter Deum & homines, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum t.* Die Purificationis B. Virgo ſe geſſit inſtar balſami: *Extendens enim ſanctas ulnas Dominum portavit*, ait ſuprà S. Epiphanius. Et ſic offerens Filium ſuum Patri æterno in templo Jeroſolymitano, reconciliavit homines Deo, *Sicut cynnamomum & balſamum aromatizans odorē dedi.* & ſanavit plagam quam culpa fecerat, per Filium ſuum, nedum ullum remaneat inimicitię ſignum: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis evacuans : ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo u.* Quis igitur ſatis poterit exprimere quantùm ſacrificium iſtud gratum fuerit Patri æterno videnti Filium ſuum crucifixum inter brachia Matris ipſius, ut victimam quæ ſe obtulit velociter ad mitigandam *omnem iram* x ipſius, & quòd medio iſto ſacrificio B. Virgo diſſolvere cœpit & declarare ænigmata veteris Teſtamenti, ubi præcipiebatur Judæis ut offerrent agnum *unum manè, & alterum ad veſperum y.* Sic B. Virgo tunc nobis explicuit hoc ænigma, quod figuravit Jeſum Chriſtum, qui ſummo manè ſe debebat offerre in ſacrificium inter brachia Matris ſuæ, & veſpere ſuper brachijs ſuis, cùm ſit *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi z.* Unde patet quàm gratum fuerit Patri ęterno ſacrificium iſtud. Non minùs ſatisfactum fuit eidem Patri æterno, cùm intuitus eſt Filium ſuum afflictum ſuper cruce, videns impenſam plenam juſtitiæ ſuæ ſatisfactionem, *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt a.* Quantùm complacebat ſibi, videns quòd ubi carnifices Jeſum Chriſtum cruci ſuffigebant, idololatriæ in terram ruebant, ut ait S. Athanaſius b: *Qui enim haſtenus idololatræ, & Chriſtum ut hominem viliſpendebant, eundem poſteà Deum eſſe agnoſcentes, deſtituunt idola, & quos dæmones in idolis metuebant, eos ad Dei cognitionē pervenientes, derelictui habent, & ab alijs expellunt: & voluptatem, cui in idololatria ſua metuebāt, in Chriſto nunc aſpernantur.* Quàm multùm complacebat ſibi Deus, conſiderans quòd in hac occaſione multi luebant pœnam talionis, adorantes lignum crucis, cùm anteà genua flexiſſent coram idolis fabricatis è ligno, aut è lapide, ut ait Tertullianus c, *Ut quondam homo non erubuerat lapidem & lignū adorans: eâdem conſtantiâ non confuſus de Chriſto, pro impudentia idololatriæ, ſatisfieret Deo per impudentiam fidei.* Ideò pati voluit Jeſus Chriſtus in cruce, ut reparaget per fidem generoſam id, quod impudens idololatria deſtruxerat; & ut, cùm homines ſic fuiſſent impudentes, ut adoraviſſent imagines ligneas propter obſequium diaboli, modò non erubeſcerent adorare lignum crucis ob ſervitium Jeſu Chriſti. Et iſtud eſt quod nos edocet Eccleſia in Præfatione Miſſæ Crucis, *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.* Illud, inquam, ſacrificium ſecundum Patri æterno fuit gratiſſimum, cùm tunc invenerit peccatum in ſtatu in quo poſſet illud deſtruere, & de eo ſeverā ultionem ſumere. Ad quod conformiter S. Paulus d ajebat, *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.* Peccatū ſuum thronū collocavit in nobis in voluntate noſtra prava, & perſæpè Deus non inſurgit in illud, ne fortè nos deſtruat, ſicut mater quæ videt filium ſuum febre æſtuantem, libenter pugione confoderet, ut ita dicam, febrem iſtam quæ inflammat & conſumit ipſius filium, ſed hoc eſt impoſſibile: ſic enim eriperet vitam filio ſuo: ſi autem reperiret ipſa febrem ſeparatam a filio ſuo, tunc ipſa teſtaretur ei rabiem crudelis ultionis: peccata in Chriſto erant ſicut accidentia in Euchariſtia, quæ operiunt Jeſum Chriſtum, ſed illum omnino non tangunt: ſic peccata illum involvebant cùm crucifixus erat, nedum tamen illum tangerent: habebat enim ſolam peccatoris apparentiam, *In ſimilitudinem carnis peccati e.* Et ſic Pater æternus inveniens peccata omnium hominum in ſtatu, in quo ſuæ poſſet juſtitiæ ſatisfacere, integram de eis ſumpſit vindictam, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum f.* Et, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, ait S. Paulus g. Et S. Auguſtinus h, *Peccatum ergo appellata eſt caro, habens ſimilitudinem carnis peccati, ut eſſet ſacrificium pro peccato. Ergo eum qui non noverat peccatū, fecit pro nobis peccatum: id eſt, ſacrificium pro peccato factus eſt. Peccatum oblatum eſt, & deletū eſt peccatū. Fuſus eſt ſanguis Redemptoris, & deleta eſt cautio debitoris. Ipſe eſt ſanguis qui pro multis effuſus eſt in remiſſionē peccatorum i.* In cruce igitur ſe reddit ſacrificium ad expianda peccata noſtra.

Tertium ſacrificium, in quo ſe Dei Filius offert Patri æterno ſuper cruce, eſt inter brachia Sacerdotis, cùm ipſi offert ſanctum Miſſæ ſacrificium ſuper altaribus noſtris; aut inter cruces quas format ſuper hoſtiam ſanctam, vel ſuper calicem ſacrum: hoc autem ſacrificium non poteſt ei eſſe niſi gratiſſimum, quippe quod duo prędicta continet. Iſtud eſt ſacrificiū pro peccatis omni-

r Eccli. 24. 20.
s Eccli. 21. 4.
t Iſa. 59. 2.
u Epheſ. 2. 14. &c.
x Pſ. 84. 4.
y Num. 28. 4.
z Jo. 1. 29.
a Coloſſ. 1. 19. & 20.
b S. Athaſ. l. de Cruce & Paſſ. Dō.
c Tert. l. 4. contra Marcio. c. 01.
d Rom. 6. 6.
e Rom. 8. 3.
f Iſa. 53. 8.
g 2. Cor. 5. 17.
h S. Aug. ſerm. 48 de Verb. Dom. c. 5.
i ex Mat. 26. 28.

omnium bonorum, *Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* k. [k 1.Jo.2.1.&2] Et ſimul *Sacrificium laudis* l, [l Pſ.49.23] & actionis gratiarum. Unde Incognitus m [m Incognit. in Pſ. 49.23] ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Sacrificium laudis honorificabit me*, dicit, *Id eſt, Sacrificium Euchariſtiæ: quod ſacrificium laudis dicitur, ſcilicet, debitè celebratum & receptum, quia per illud ſummas gratias Deo reddimus pro omnibus bonis quæ nobis contulit. Et hoc ſacrificium dicitur via eundi ad Deum: propter quod Viaticum dicitur, unde ſubdit, Et illic iter, ſcilicet in ſacrificio illo, quia hoc ſacrificium eſt via ad Deum. Hæc eſt ſcala Iacob, quâ Angeli, id eſt, fideles aſcendunt, & deſcendunt* n: [n ex Gen. 28.12] *ad laudem aſcendunt Divinitatis, ſed deſcendunt ad laudē Humanitatis Chriſti, quia in iſto Sacramento eſt vera Divinitas & Humanitas Chriſti. Et ideò ſubdit, Et illic iter quo oſtendā ſalutare Dei. Salutare Dei dicitur Chriſtus, qui eſt Salvator noſter.* [o Luc.2.30] *Quia viderunt oculi mei, ſalutare tuū* o. *Hîc ergo oſtenditur ſalutare Dei: quia hîc Salvator noſter realiter continetur, & etiam quia per virtutem, & immolationem hujus Sacramenti ſalvamur.* In Lege antiqua cùm præſentabantur Deo ſacrificia laudum & actionis gratiarum pro beneficio aliquo ſuſcepto, ſicut cùm *ſcripſit Moyſes univerſos ſermones Domini, & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntq; victimas* p: [p Exod. 24.4.&5] *Cùmque intraſſet arca Domini in civitatem David; & obtulit David holocauſta & pacifica coram Domino* q: [q 2.Reg. 6.16.&17] *Cùmque ignis deſcendit de cœlo; & majeſtas Domini implevit domum* (id eſt, templum Salomonis) *Rex autem & omnis populus immolabant victimas coram Domino* r: [r 2 Paral. 7.1.&c] tunc non licebat ullum offerre ſacrificium pro aliqua re triſti, ſicut pro peccato, aut pro aliquo ſucceſſu infelici: ſacrificium adimpletum in monte Calvariæ fuit ſacrificium cruentum, quod pro peccatis omnibus offerebatur: ſacrificium incruentum altarium noſtrorum longiùs protenditur: offertur enim *pro peccatis*, & ſimul eſt *ſacrificium laudis*. Ita ut eodem tempore mitiget omnem iram ſ [ſ Pſ.84.4] Dei, cumque placando, exhibeat ſe illi gratum propter circunſtantias, præ quibus ipſi offertur. Si enim conſideremus ſacrificium Calvariæ è parte Judæorum qui ſategerunt mortem Chriſto à militibus inferendam, inveniemus quòd ex illa parte erat ſacrificium, quod invehebat labes multorum peccatorum, quæ erant ingrata Deo: *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm* t. [t Iſai.53.6] Sed ſacrificium Altaris non ſequuntur imperfectiones iſtæ: ſi enim milites ſuſtulerunt Jeſum Chriſtum in crucem, hîc Sacerdos cum elevat: ibi innumeræ inferebantur ei injuriæ u; [u Matth. 27.39.&c] hîc verò flexis genibus adoratur: ibi deridebatur; hîc verò reverenter colitur. Sic credendum eſt, quòd iſtud ſacrificium altarium noſtrorum ob circunſtantias ſuas, undequaque conſpiciatur à Patre æterno, ſit multò gratius ei ſacrificio Calvariæ: & ſi attendamus circunſtantias, quibuscum B. Virgo præſentat illi ſacrificium ſuum in templo die purificationis ſuæ, reperiemus quòd in hoc ſacrificio ipſa offert ei primitias Infantiæ Jeſu: ideò non eſt ambigendum quin iſtud ſacrificium multùm commoverit viſcera Patris æterni: ſacrificium Calvariæ, lapides excitavit, ita ut ad invicem colliderentur, [x Matth. 27.52] *Et petræ ſciſſæ ſunt* x. Ergo ſacrificium altarium noſtrorum eò quòd ita frequenter reiteretur modo ita ſuavi, videtur prædictis gratius ob excellentias ſuas, & propter utilitates quas ex illo capeſſimus.

Admiremur igitur, Auditores, amorem Dei noſtri qui ſeipſum offert in ſacrificium in tribus crucibus differentibus propter nos: & ob triplex iſtud ſacrificium nihil aliud requirit à nobis niſi ut non colligamus probationem tantæ dilectionis in cor ingratum & immemor, ne vobis improperet, *Et ego dixi. In vacuum laboravi, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi* y. [y Iſai.49.4] Putat enim ipſe ſe ſuſcipere veluti magnum præmium, & labores ſuos ritè agnoſci, ſi nos videat induſtrios ad hauriendas è pœnis, quas pro nobis eſt ipſe perpeſſus, utilitates: ne convertamus igitur tot favores ab eo ſuſceptos in arma quibus pugnemus adversùs amorem ipſius, & contemnamus liberalitatem ejus fruſtrando eum honore quem ſperabat ſe acquiſiturum beneficio ſui ſanguinis, ratus nos illius interventu redimendos. Amor iſte eò major eſt, quò liber eſt, cùm liberum ſit ei, qui patitur, pati, vel non pati: atqui Jeſus Chriſtus voluntariè patitur, quia ſuas eligit paſſiones, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* z. [z Iſai.53.7] Illas eligit, quoniam illas vult: eas vult, quia diligit nos, *In charitate perpetua dilexi te* a. [a Jer.31.3] Et ex tunc elegit pati cum lætitia, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ* b. [b Hebr. 12.2] Amor igitur ipſius exponit ipſum tolerantiis. Verum quidem eſt, quòd ex ipſo momento æternitatis, quo id fuit ſtatutum in conclavi SS. Trinitatis c, [c Iſai.6.8.&9] Deo permanente ſtabili in conſiliis ſuis: *Ego enim Dominus, & non mutor* d: [d Malach. 3.6] paſſiones ejus fuerunt neceſſariæ: v.g. vultis emere fundum, convenitis de pretio, pretium eſt liberum, ſed initâ conventione fit neceſſarium: idē dicendum hîc: amor igitur ipſum affligit, charitas eſt ipſius carnifex, *Tunc dixi, Ecce venio* e. [e Pſ.39.8] Cùm igitur Jeſus Chriſtus voluntariè patiatur, nunquid non paſſiones eligere debemus propter amorem ejus? Si moritur ut vitam nobis tribuat, nonne vivere debemus ad laudandum eum? *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt* f. [f 2.Cor. 5.15] Nihil agere debemus intuitu proprii commodi, ſed omnia propter Deum. Debemus ei compati, cùm patiatur pro peccatis noſtris, nedum nos immergamus voluptatibus & criminibus, bibendo *quaſi aquam iniquitatem* g. [g Job 15.16] Semper fuit conſuetudo plorandorum defunctorum: David luxit ſuper mortem Jonathæ, *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha* h. [h 2.Reg. 1.26] Imò verò poſtquàm *Lazarus mortuus eſt, lacrymatus eſt Ieſus* i. [i Joan.11. 34.&35] Ploratur in morte amici, in obitu Regis, & eò uberiores effunduntur lacrymæ, quò perſona quæ defletur, eſt inſignior: quomodo igitur non ploraremus, videntes quòd Jeſus Chriſtus qui eſt amicus noſter, [k Jo.15.15] quippe qui nos vocat *amicos* k, *& Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* l, [l Apoc.1.5] patitur, moritur, & ſepelitur m, [m Joan. 19.1.&c] licèt ſit *Deus gloriæ* n. [n Act.7.2] Si imago eſt fidelis, & ritè repræſentat prototypon ſuum, debet ei in omnibus compati: atqui vera imago Dei eſt homo: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* o. [o Gen.9.6] Ergo debet illi compati. Si pateretur pater veſter, ſi mater veſtra, ſi maritus veſter, ſi uxor veſtra, ſi liberi veſtri ægrotarent, nunquid non eis compateremini? Jeſus Chriſtus eſt *Pater* p [p Iſai. 9.6] veſter, *Sponſus* q [q Pſ 18.6] veſter, & *omne bonum* r [r Exod. 33.19] veſtrum, cur non compatiemini ei? cùm dicat S. Paulus ſ, *Si compatimur, ut & conglorificemur*. [ſ Rom. 8.17] En excellentiæ & utilitates hujus Sacramenti, quatenus eſt ſacrificium: videamus illius excellentias & emolumenta, quatenus eſt cibus & alimentum.

[II. Pars.] In ſacrificiis rerum, quas terra producit, aliàs offerebantur ſpicæ frumenti, *Factum eſt ut afferret*

t Gen. 4. 3 *Cain de fructibus terræ munera Domino* t. Aliàs Sa-
u Num. 5. 15 cerdos offerebat *oblationem farinæ* u. Aliàs, *ſacri-*
ficium coctum in clibano, *panes ſcilicet abſque fer-*
x Levit. 4. 4. &c *mento*, vel *de ſartagine*, vel *de craticula* x. His fi-
guratur Jeſus Chriſtus, qui u. *panis vivus* alit ani-
mas noſtras, ſicut panis materialis nutrit corpora
y Joan. 6. 51. & 55 noſtra, *Caro mea verè eſt cibus* y. Qui panis erat
velut in ſpica tempore legis naturæ in fide Patrum:
z Io. 1. 14 ut farina in doctrina legis & Prophetarum; & ve-
lut panis ubi *Verbum caro factum eſt* z. Coctus
in clibano. Id eſt, formatus à Spiritu ſancto in ven-
a Matth. 1. 20 tre B. Virginis: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu*
ſancto eſt a. Coctus *de ſartagine*. Id eſt, *In labori-*
b Pſ. 87. 16 *bus à juventute* b ſua. Et aſſus ſuper cruce, velut
de craticula. Hunc panem divinum nobis offert,
ut ſolum ſufficientem, prout Deus eſt, ſatiare capa-
citatem animarum noſtrarum. Panem divinum,
cibum, æquè ac potum, quem figuravit nobis *Mel-*
chiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum: e-
c Gen. 14. 18 *rat enim Sacerdos Dei altiſſimi* c. Propterea Mel-
d Pſ. 109. 4 ſitis vocatur à Pſalmiſta d *Sacerdos in æternum ſe-*
cundùm ordinem Melchiſedech. Quòd autem David
loquatur de Filio Dei, clarè demonſtrat id Apoſto-
e Hebr. 5. 5. & 6 lus e: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut*
f Pſ. 2. 7 *Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus*
es tu, ego hodie genui te f, *Quemadmodum & in alio*
loco dicit, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordi-*
nem Melchiſedech. Qui Melchiſedech fuit expreſſa
g Hebr. 7. 1. &c figura Jeſu Chriſti, ut declarat idem S. Paulus g,
Hic enim Melchiſedech, *Rex Salem*, *Sacerdos Dei*
ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum,
& benedixit ei: *cui & decimas omnium diviſit A-*
braham: primùm quidem qui interpretatur Rex ju-
ſtitiæ. *Deinde autem & Rex Salem, quod eſt, Rex pa-*
cis, ſine patre, ſine matre ſine genealogia, *neque ini-*
tium dierum, *neque finem vitæ habens*, *aſſimilatus*
autem Filio Dei. Qui in Euchariſtia alit animas
noſtras carne ſuâ, & ſanguine ſuo ſub ſpeciebus
panis, & vini: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſan-*
h Io. 6. 55 *guis meus verè eſt potus* h. Qui eſt *Rex juſtitiæ*. Quia
fecit juſtitiam cum peccatore, caſtigans in ſe pec-
catum. *Deinde, Rex pacis*. Cùm ſit author & origo
i Iſai. 9. 6 pacis, *Princeps pacis* i. Non meminit Scriptura,
quòd Melchiſedech habuerit patrem, matrem, aut
liberos: Jeſus Chriſtus non habet patrem in terra,
nec matrem in cœlo, nec ullam habet genealo-
giam, quia ex eo non procedunt filii ſecundùm
carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, nutriendo eos
carne ſuâ ſpiritualizata in S. Sacramento: ille ca-
rebat principio & fine, in quo ſimilis erat Chriſto
k Joan. 1. 1 Jeſu, qui *in principio erat Verbum* k.

Panis iſte ſacer, qui noſtras alit animas, ut ve-
rum Jeſu Chriſti corpus, figuratus fuit in omnibus
ſacrificiis legis antiquæ, ſed præcipuè per illud
quod offerabat ſummus Sacerdos unâ vice tan-
tùm ſingulis annis, ut rectè declaravit idem ſan-
l Hebr. 9. 2. &c ctus Paulus l: *Tabernaculum enim factum eſt pri-*
mum, in quo erant, candelabra, & menſa, & propo-
m ex Exodi 25. 8. & 26. 1. &c *ſitio panum, quæ dicitur Sancta* m. *Poſt velamen-*
tum autem, ſecundum tabernaculum, quod dicitur
Sancta Sanctorum: *aureum habens thuribulum, &*
arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro,
in qua urna aurea habens manna, *& virga Aaron*
quæ fronduerat, *& tabulæ teſtamenti*. *His verò ita*
compoſitis, *in priori quidem tabernaculo ſemper in-*
troibant Sacerdotes, *ſacrificiorum officia conſum-*
mantes: *in ſecundo autem, ſemel in anno ſolus Pon-*
n ex Exod. 30. 10 *tifex; non ſine ſanguine quem offerret* n, &c. Qui,
ſicut & ſacrificium quod ipſe offerebat, ſignifica-
bat Jeſum Chriſtum: ita ut res eadem eſſet Sacer-
dos & ſacrificium quod facit ipſe nobis ſui corpo-
ris, excipiens nos, ſicut *Abraham* o excepit tres o Gen. 18. 6 &c
peregrinos, tribus panibus, vitulo, butyro, & lacte.
Vitulus iſte eſt Jeſus Chriſtus aſſus igne ſuæ dile-
ctionis ardentiſſimæ medio ligno crucis: butyrum
eſt illius Divinitas: & lac eſt ejus Humanitas: & iſti
tres panes ſunt tres ſubſtantiæ, quas nobis offert in
hoc divino convivio, corpus ipſius, anima ipſius,
& Divinitas ipſius.

Cùm veniſſet Arca Domini in caſtra, *vociferatus*
eſt omnis Iſraël clamore grandi, *& perſonuit ter-*
ra p. Sed quàm potiori ratione debemus gaude- p 1. Reg. 4. 5
re nos qui ſumus Chriſtiani, cùm videamus veram
Arcam corporis Jeſu Chriſti requieſcere in tem-
plis noſtris, & in tabernaculis noſtris, ut ſit ali-
mentum animarum noſtrarum, in qua cognoſci-
mus clarè veritatem, cujus ille nonniſi figura erat?
Magna debemus perfundi conſolatione, cùm non
habeamus unde lacrymemur inſtar Davidis q, q Pſ. 41. 4
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, *dum*
dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus? Et reſpon-
dere poſſimus Prophetæ, & dicere ei præ majori
veritate, quàm diceret aliàs *Iacob*, *Verè Dominus eſt*
in loco iſto, & ego neſciebam r. Cùm Deus hic æ- r Gen. 28. 16
ternus ſ, *qui ſolus habet immortalitatem*, *& lucem* ſ Dan. 13. 42
inhabitat inacceſſibilem t, & qui aliàs non appare-
bat niſi *in flamma ignis* u, *per columnam ignis & nu-* t 1. Tim. 6. 16
bis x, ut in canna *fulgura* y, per *manna & pa-* u Exod. 3. 2
nem z, nunc ſibi complaceat eſſe nobiſcum reali- x Exod. 14. 24
ter & Sacramentaliter in Euchariſtia ut ſit alimen-
tum animarum noſtrarum.

Cùm mater invitat infantem ſuum lactentem y Exod. 19. 16
ad comedendum, videmus quòd ipſa eſt cibus, z Pſ. 77. 24. ex Exod. 16. 4. & 14.
menſa, & hoſpes: mater eſt ipſa quæ invitat filium
ſuum, offerens ei ubera ſua; ipſa eſt menſa, quippe
quæ tenet eum ſuaviter inter brachia ſua; ipſa eſt
cibus, cùm ſemetipſam tribuat filio ſuo, id eſt, pro-
prium lac: idem intuemur in menſa ſacræ Com-
munionis, cùm ille qui nos ad eam invitat, dicens:
Caro enim mea verè eſt cibus, *& ſanguis meus verè*
eſt potus a; ſit Filius Dei, menſa ſit Humanitas ſa- a Io 6. 55
cra Filii Dei, & cibus qui nobis ibi apponitur, ſit
idem Filius Dei, qui ſe tribuit animabus noſtris
ut ſit earum alimentum, ſicut panis eſt alimentum
corporis, lac ſuaviſſimum Humanitatis Chriſti,
quod nunc alens animas noſtras, nobis eſt lac
gratiæ, & aliquando futurum nobis eſt lac glo-
riæ, ut canit Eccleſia juxta totum propoſitum no-
ſtrum, *O ſacrum convivium*, *in quo Chriſtus ſu-*
mitur, recolitur memoria paſſionis ejus: *mens im-*
pletur gratiâ, *& futuræ gloriæ nobis pignus datur!*
Sicut enim *lignum vitæ in medio paradiſi* b à Deo b Gen. 2. 9
productum, vitam immortalitatis tribuiſſet Adæ,
niſi Protoplaſtus iſte tranſgreſſus eſſet mandatum
ejuſdem Dei, vetito *de fructu* c comedendo: ſic ſa- c Gen. 3. 6 &c
cer, iſte cibus quem Dei Filius nobis offert in Eu-
chariſtia ad alendas animas noſtras, præbens illis
vitam gratiæ, ſi ipſæ fideliter obſervent divina
mandata, tribuet eis vitam immortalem in gloria,
Si vis ad vitam ingredi, *ſerva mandata* d. Sed d Matth. 19. 17
poſtquàm comeſtus fuerit ab ipſis *Agnus Dei*, *qui* e Io. 1. 29
tollit peccatum mundi e, qui eſt Jeſus Chriſtus
immolatus ſuper altaribus noſtris in Miſſa, quæ
eſt repræſentatio mortis Salvatoris; figuratus per
agnum f qui ſacrificabatur in ſolemnitate Pa- f Exod. 12. 3. &c
ſchali. Debebat eſſe ille *agnus abſque macula*. Et
iſte eſt *Sanctus Dei* g. *Nec quicquam ex eo remane-* g Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34
re debebat: Hîc autem recipitur integer Jeſus
Chriſtus, id eſt, corpus ejus, anima illius, &
ipſius Divinitas. Ille comedendus erat *cum lactucis*
agre-

by Google

agreſtibus. Iſte verò ſuſcipiendus eſt cum contritione peccatorum. Cum illo comedere debebant Judæi *azymos panes*. Et ad hunc accedendum eſt cum magna puritate. Illum manducabant Hebræi, *tenentes baculos in manibus*. Et iſte manducatur ab illis qui innituntur magnæ fidei, & firmo propoſito deſerendi peccati, & imitandi Jeſu Chriſti. Illum comedere debebant Iſraelitæ *feſtinantes*. Hic autem comeditur velut Viaticum noſtrum, ut perveniamus ad vitam immortalem gloriæ, poſt comparatam vitam gratiæ: *Eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini*.

Aſcendit Elias per turbinem in cælum, Eliſeus autem videbat, & clamabat, Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus: & levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei. Prius vocaverat ſemper Eliam [b 4.Reg. 2.2 &c] *Eliſeus Dominum* h ſuum, ſed deinceps illum facientem ipſum hæredem pallii ſui, vocavit patrem ſuum: ſic antequàm Dei Filius exiret *à Patre, &* [i Jo.16 28] *in mundum* i veniret, homines alloquebantur [k Exod. 6.3] Deum ut Dominum ſuum, *Ego Dominus* k, ait ipſemet. Sed poſtquàm ipſe nos inſtructum venit [l Jo.13,14] ut *Magiſter* l, *& aſſumptus eſt in cælum* m, & [m Marc. 16.19] reliquit nobis pallium Humanitatis ſuæ in Euchariſtiâ; Ha! ex tunc agnovimus illum ut Patrem, & vult ut ipſi dicamus, *Pater noſter, panem* [n Matth. 6.9. & 12] *noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie* n. Id eſt, ut iſto cibet nos *pane vitæ & intellectus* o, [o Eccli. 15.3] qui facit nos hîc filios ipſius adoptivos per gratiam, & tales nos efficiat aliquando per gloriam, ſicut ipſemet hanc exprimit filiationem, cùm ait, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vi-* [p Jo.6.57] *vo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me* p. *Quotquot autem receperunt* [q Jo.1.12] *eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* q. In quo nihil habemus Angelis æmulandum, ſed Angeli potiùs nobis,

Angeli quatuor res habent, quæ æmulationem videntur debere cauſare in hominibus. Primò, Non habent corpus, & ſic immunes ſunt à multis miſeriis quæ affligunt homines ob infirmitatem [r Rom. 7.24] corporis: ideò ſanctus Paulus conſiderans quantam paſſiones habeant poteſtatem ſuper animam, ait, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Si ergo corpus in nobis mala cauſat, videntur homines debere æmulari Angelis, qui immunes à corpore, non ſunt obnoxii malis iſtis. Secunda res, eſt gratia abundans, quâ Deus illos re- [ſ Gen.1.3] plevit in creatione ipſorum ſ, *Probabilius eſt, Angelos in gratia fuiſſe creatos, quàm ſine gratia*, ait S. [t S Th.1. p.q.62 a 3] Thomas t. Et ante illum S. Auguſtinus u dixit, [u S. Aug. l.12. de Civit. Dei c.9] quòd Deus *eos creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Tertia eſt, quòd nunquam peccaverint, ſed ſemper adhæſerunt voluntati Dei, id eſt, bono x: [x Apoc. 12.7] *Veruntamen, Chariſsimi, inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanumque ſit intus hominis quod conſcientia vocatur: ubicunque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deũ*, [y S. Aug in Pſ.45.2] ait S. Auguſtinus y. Et alibi z, *Mors animæ fit* [z Idem l. 13. de Civit. Dei c.2] *cùm eam deſerit Deus* Ita ut homines videantur debere æmulari hanc felicitatem Angelorum, quâ ſemper perſtiterunt in ſtatu gratiæ. Quarta res, eſt gloria, quam ſunt adepti propter ſuum primum charitatis actum, quem exercuerunt, *Angelus poſt primum actum charitatis quo beatitudinem meruit,* [a S.Th. 1. p.q.62.a.5] *ſtatim beatus fuit*, ait ſanctus Thomas a. Quam [b Pſ.35.10] gloriam Pſalmiſta b comparat fonti aquæ claræ, *Apud te eſt fons vitæ*. Unde poteſt ſitis expleri: Angeli autem potiuntur hàc prærogativâ ex ipſo ſuæ creationis ſecundo inſtanti: videntur igitur homines debere æmulari hanc Angelorum felicitatem.

Sed contrarium dicendum eſt: Angeli debent hominibus æmulari primò, Quia homines habent corpus, cujus interventu ſacram ſuſcipere poſſunt Communionem, cujus corporis defectu non poſſunt ipſimet Angeli prærogativæ iſtius eſſe participes: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus ve-* [c Jo.6.55] *rè eſt potus* c. Propterea *formavit Dominus Deus* [d Gen.2.7] *hominem de limo terræ* d. Id eſt, tribuit illi corpus, ut communicare poſſet iſti cibo ſacro, quo privavit Angelum defectu corporis, *Non quòd Angeli illo cibo uterentur, quia puri ſunt ſpiritus ſine* [e Incognit. in Pſ.77. 25] *corpore*, dicit Incognitus e ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Panem Angelorum manducavit homo*. Et ſubdit: *Panis cæli non aliud eſt quàm Chriſtus, de quo cæleſtes, id eſt, Angeli reficiuntur ejus contemplatione. Et hunc panem, id eſt, Verbum grande cibo, quo paſ-* [f ex Joan. 1.14] *cuntur Angeli, carnem factum* f *edit homo*. Satius eſt igitur eſſe hominem quàm Angelum, nec aliquid ipſe Angelis æmulor, communicare valens huic menſæ ſacræ, cùm homines qui accedunt ad ſacram Communionem, tantâ gaudeant prærogativâ ſupra Angelos, quantâ fruuntur Principes ſedentes in menſa ſupra pueros ſuos honorarios, qui cibos exquiſitiſſimos menſæ duntaxat apponunt; quia Domini comedunt realiter cibos, pueri verò honorarii tantùm voluntate, & oculis ſuis, quod dicere videtur Incognitus, ſed meliùs S. Chryſoſto- [g S. Chryſoſt.hom. 60.ad popul. Antioch.] mus g, hominem alloquens, *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſâ fruaris Quòd Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus & una caro.* Videte prærogativas, quas cauſat in nobis corpus, quibusq; ſunt Angeli privati, cùm ſint corpore deſtituti. Sic Tertullianus h obſervat, quòd [h Tert.l. de Reſurr. carn.c.8] anima ſuſcipit omne bonum ſuum interventu corporis, *Caro abluitur* i, *ut anima emaculetur. Caro* [i ex Jo.3.5] *ungitur* †, *ut anima conſecretur: caro ſignatur* k, [† ex Jac. c.15] *ut & anima muniatur. Caro corpore & ſanguine* [k ex Act. 8.17] *Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Secunda res in Angelis, eſt abundantia gratiarum, in qua creati ſunt: nos autem ſuſcipiẽtes corpus Chriſti in Euchariſtia, non ſolùm ſuſcipimus augmentum gratiarum, ſed etiam ipſum Authorem gratiarum, quod majus eſt, *Quia gratia per Ieſum Chri-* [l Jo.1.17] *ſtum facta eſt* l. Qui ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego* [m Jo.6 56] *in illo* m. Hoc expreſsè dicit S. Thomas n, *Mens* [n S.Th. Opuſc.57] *omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiâ impinguatur*. Et Dionyſius Carthuſianus o: *Quemad-* [o Dion. Carth art. 18.in Jo. 6 55] *modum ergo cibus corporeus naturalem vitam ſuſtentat, confortat, ad perfectionem deducit, deperditũ reparat, delectat, impinguat: ſic iſte cibus vivificus vitam ſpiritualem ac deiformem in anima fulcit, roborat, perficit, amiſſa bona reſtaurat, exhilarat, & impinguat, divitias gratiæ accumulãdo in anima* quod dici non poteſt de Angelis, qui pervenerunt ad terminum ſuum, qui utiſic peragere non poſſunt acquiſitionem meritorum, æquè ac gratiarum; cùm nos augere poſſimus & gratias, & merita. Tertiò, Angeli nunquam peccaverunt: ego autem dico, quòd illud in nobis æmulationem cauſare non debet, cùm illi qui frequenter accedunt ad Euchariſtiam, ſuſcipiant in hoc cibo antidotum contra crimina, & methodum cuſtodiendæ gratiæ ibi ſuſceptæ, ut dicebam vobis nudiuſtertius, & fuſiùs adhuc dicam in fine iſtius Octavæ: *Nullum etiam Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata*. ait ſan- [p S.Th. Opuſc.57] ctus Thomas p. Angeli manſerunt unico ſolo in-

ſtanti ſine peccato : atqui laudabilius eſt manſu multis annis ſine peccato, ut fieri poteſt b neficio Euchariſtiæ, ſicut obſervavit S. Bernardus q: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis; & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum.* S. Paulus r ait quòd Pater æternus *eripuit nos de poteſtate tenebrarum.* Id eſt, *Per incarnationem, ac paſſionem unigeniti Filii ſui, à dominio dæmonum, à jugo peccati, & tenebris ignorantiæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus ſ. Parum eſt ſolvere redemptionem pro captivo, eumque liberare, ſi ſervus captus amore fertilitatis regionis, aut alicujus fœminæ dicit ſe velle tranſigere dies ſuas in iſta ſervitute : non ſufficit ſolviſſe pretium redemptionis illius; ſed ſatagendum eſt ut ille captivus horrorem concipiat adversùs illam regionē, aut contra talem fœminam : ſic Jeſus Chriſtus per crucem ſuam ſolvit pretium redemptionis noſtræ, ut conſequenter dicit S. Paulus, & cum eo Carthuſianus, *In quo Chriſto, id eſt per cujus ſanguinis pretium, mortiſque meritum, habemus redemptionem à jure & dominatione diaboli.* Sed quia homines alligati erant affectu terræ, nec neceſſaria erat alia adinventio: & hæc eſt Euchariſtia, quæ ſervit loco redemptionis, præſervando nos à peccato, ſicut B. Virgo & Sancti redempti ſunt, dum præſervati ſunt à peccato ſuſcipientes Euchariſtiam, quæ ſic nos præſervat ne labamur in peccatum. Quarta res Angelorum, eſt gloria, quâ ipſi fruuntur : atqui dico quòd in S. Sacramento fruimur hâc gloriâ modo noſtro viatorum, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ait Salvator t. Et S. Proſper u, *Ad altare Dei inviſibile, quò non accedit injuſtus, ille pervenit, qui ad hoc præſens juſtificatus accedit. Inveniet enim illic vitam ſuam, qui hîc diſcreverit vitam ſuā.* Habemus igitur gloriam in nobis, habentes in nobis eum, qui eſt illius objectum. Angeli vident Deum, & poſteà guſtant eum, ſed in hoc Sacramentu nos guſtamus Deum, & poſteà videmus eum, *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* x. Nihil igitur Angelis æmulandum habemus, ſed potiùs Angeli æmulandum nobis habent ob prærogativas quas habemus ſupra ipſos in Euchariſtia, ad quam invitamur.

q S. Bern. ſerm. in Cœna Dom.
r Coloſſ. 1.13 & 14
ſ Dion. Carth. art. 1. in Coloſſ. 1.13. & 14
t Jo. 6.58
u S. Proſp. l. Sent. ex S. Aug. ſent. 189
x Pſ. 33.9

Sed qui ſunt illi, quibus *Sapientia propoſuit menſam ſuam?* Ecce: *Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt : Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis* y. Sed datne ſolis parvulis & ſtultis Jeſus Chriſtus corpus ſuum? Macti animo, Auditores, datur omnibus, quomodocunque illud ſumatur: ſi enim ætas hominis diſtinguitur in pueritiam, in virilitatem, & in ſenectutem; illius habemus iam tertiam partem verorum puerorum, aliam tertiam partem ſenum, qui quò magis ſeneſcunt, eò ad pueritiam accedunt, & alia pars hominum in ætate virilitatis, haberi quidem poteſt pro ſtultis. Vel dicamus, quòd illi qui prætierierunt pueritiam, fuerunt aliàs in ſtatu, in quo poterant eſſe è numero iſtorum parvulorum; & magnum eſſe numerum eorum, qui comedere poſſunt iſtum cibum ſacrum, proùt inſipientes, *Et ſtultorum eſt infinitus numerus*, ait Eccleſiaſtes z. Sed loquitur de ſimplicitate & innocentia per pueritiam repræſentata, quæ requiritur ad hoc ut quis invitetur ad has epulas, qualis erat Saulis, propter quam electus eſt Rex Iſraël, ut illi *ait Samuel*, *Nonne cùm parvulus eſſes in oculis tuis, Caput in tribubus Iſraël factus es? unxitque te Dominus Regem in Iſraël* a? Quod non intelligendum eſt, quòd non eſſet magnus: nam *ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum* b: ſed quia ſe ſubjiciebat omnibus & ubique more parvuli: tales requirit Filius Dei: *Talium eſt enim Regnum cælorum* c. Rex autem verà in hoc ſtatu ponebatur Sponſa, ut cum ea Sponſus poſſet familiariter converſari, *Soror noſtra parva, & ubera non habet : quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt* d? Igitur, *Si quis eſt parvulus, veniat ad me.* Dicite parvulis quidquid volueritis, illud credunt ſimpliciter : vultisne accedere ad hoc Sacramentum? credite ſimpliciter id omne quod intuetur iſtud myſterium, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* e. Sed mementote, quòd fides veſtra debet eſſe viva, ſociata charitati, quæ poſtquàm vos univerit hîc Jeſu Chriſto, tandem vos uniat eidem in altero ſeculo.

y Prov. 9. 1. &c.
z Eccl. 1.15
a 1. Reg. 15.17
b 1. Reg. 9.2
c Matth. 19.14
d Cant. 8. 8
e 2. Cor. 10.5

FERIA IV. POST DOMINICAM INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Quotieſcunque manducaveritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. 1. Cor. 11.26. &c.

UNusquisque promiſcuè loquitur de Sole, & ſicut eſt objectum oculorum noſtrorum; ſic & eſt ſubjectum linguarum noſtrarum : ruſticus qui de eo non judicat niſi ſolo viſu, non exiſtimat illum eſſe ita magnum, quantum illum autumant Philoſophi; ad majus credit illum magnitudinis eſſe bipedalis, aut tripedalis in globo ſuo: Aſtrologus qui de illo judicat inſtrumentis ſuis, aſſerit illum magnitudine ſuâ univerſam terram ſuperare : ſed nulli ex iſtis omnibus loqui de illo poſſunt ſcientificè: Jeſus Chriſtus eſt Sol, ut canit Eccleſia a poſt Malachiam, *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Angeli & homines de illo loqui volunt: Angeli dicunt eum eſſe magnum, *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus* b. Unde dicit Lorinus c, *Heſychius addit civitatem Ieruſalē cæleſtem.* Homines è contrà viderunt eum parvum *in præſepio* d. Quem ut ſic prædixerat Iſaias e, *Parvulus natus eſt nobis.* Et ad propoſitum noſtrum apud eundem Lorinū *Heſychius ait tamen idē, Bethleem civitatem Dei hoc loco dici, ubi natus Chriſtus; montem ſanctum Golgotha* f, *in quo mortuus.* Sed fatendum eſt, quòd magnus eſt in Euchariſtia, quatenus Filius Dei, & prout hominis Filius, quæ eſt nova Bethleem, id eſt, vera domus panis, cùm hæc Euchariſtia ſit extenſio Incarnationis, & in illa producatur diebus ſingulis Jeſus Chriſtus, ſicut ſemel natus eſt in ſpelunca Bethleemitica; & quæ eſt novus *Calvariæ* g locus, cùm ſit repræſentatio paſſionis & mortis ipſius, ut ait Dionyſius Carthuſianus h ſuper verba textus noſtri: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, hoc eſt,*

a Eccleſia ex Malach. 4.2
b Pſ. 47.2
c Lorin. in Pſ. 47.2
d Luc. 2.7. &c.
e Iſa. 9.6.
f ex Joan. 19.17. &c.
g Jo. 19.17
h Dion. Carth. art. 11. in 1. Cor. 11. 26

hoc eſt, corpus Chriſti, quod dicitur panis per proprietatem, quoniam alit: unde ait Salvator, Ego ſum pa- i Jo.6,51. *nis vivus* i: *item, quia ſub accidentalibus formis panis continetur, & calicem, id eſt, contentum in calice ſanguinem Chriſti bibitis, mortem Domini, id eſt, Chriſti paſſionem annunciabitis prædicando, commemorando vel repræſentando.* Et in hoc ſtatu debemus eum agnóſcere ut Dominum noſtrum, ubi dixerimus Matri ejus, *Ave Maria.*

Nihil juſtius eſt, quàm ut homines ſupremas Deo exhibeant reverentias ſuas, quippe à quo pendent ſupremo modo. Re autem verâ tantam videmus in natura univerſa ſubordinationem cauſarum inferiorum ſuperioribus, ut de iſta non liceat nobis ambigere veritate. Cœli abripiuntur motu ſibi impreſſo à primo mobili: Aſtra recipiunt ſplendens lumen ſuum à Rege planetarum, quia eſt Sol: Ignis tendit ad regiam dignitatem, dum ſurſum ſe elevat: Aër non minùs ad eam aſpirat: Aqua imperium ambit cùm ſe ſupra terræ ſuperficiē effundit: Terra eſt mater Regū, *Formavit Do-* k Gen.2,7 *minus Deus hominē de limo terræ* k. Animalia habent Regem in ſpeciebus ſuis: Homines agnoſcunt Monarcham qui decernit ipſis leges: Sed creaturæ omnes non habent niſi unum, qui fecit *cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.* l Eſth.13,10, & 11. *Dominus omnium* l iſte, eſt ſubjectum omnium adorationum noſtrarum, & huic noſtras exhibemus reverentias in ſacroſancta Euchariſtia, ... ue magnitudinem ejus agnoſcimus: ſi enim magnitudo eſt qualitas propria perſonæ, cùm Jeſus Chriſtus qui eſt Deus & homo, non habeat aliam perſonam niſi perſonam Verbi, & Verbum ſit ipſamet magnitudo, Jeſus Chriſtus debet eſſe magnus. Re autem vera Pater æternus præbuit illi omnem poteſtatem in cœlis, & in terris, ut ipſemet fatetur, dicens, *Data eſt mihi omnis poteſtas* m Matt.28,18. *in cœlo, & in terra* m. Sicut autem vita æterna conſiſtit in cognoſcendo Deo, & Jeſu Chriſto Filio ejus, quatenus Deo, & prout homine, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum* n Jo.17,3. *verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* n: JESUS Chriſtus debet eſſe magnus, quatenus Filius Dei, & prout Filius hominis, cùm ſua ſit felicitas in cognoſcendo Deo, & Jeſu Chriſto. Unde dicit Incognitus appoſitè ad rem noſtram ſuper verba Pſalmiſtæ præfata, *Sciendum, quòd in Scriptura mons ſanctus maximè Dominus dicitur Ieſus Chriſtus: qui ad modum veri montis fuit altus per Verbi Divinitatem: fuit clarus per ſcientiæ claritatem: fuit firmus per patientiæ ſtabilitatem: fuit fertilis per operum ſanctitatem. Et de iſto monte dicitur: Non* o ex Matt.5,15. *poteſt abſcondi civitas ſuper montem poſita* o. *Quod exponens Chryſoſtomus ait: Hæc autem civitas Eccleſia ſancta eſt: de qua dicitur: Glorioſa dicta ſunt* p Pſ.86,3. *de te civitas Dei* p. *Cujus cives ſunt omnes fideles, de* q ex Ephe.2,19. *quibus Apoſtolus* q *ait, Vos eſtis cives Sanctorum. Hæc ergo civitas Eccleſia poſita eſt ſupra montem Chri-* r ex Dan.2,34 *ſtum, de quo Daniel* r *ait, Lapis abſciſſus eſt ſine manibus, & factus eſt mons magnus omnis virtutis & gratiæ. Unde de iſto monte Chriſto dicitur, Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, &* f Iſai.2,2. *fluent ad eum omnes Gentes* f. *Scilicet, credendo per fidem. Iſte autem mons Chriſtus dicitur magnus Dominus, quia magnus in ſanctitate. Magnificus in* t Exod.15,11. *ſanctitate, terribilis, atque laudabilis* t. *Magnus in dignitate: quia Filius Dei hic erit magnus, & Filius* u ex Luc.1,32 *Altiſſimi vocabitur* u. *Magnus in ſapientiæ claritate, Deus magnus vincens ſcientiam noſtram* x. *Ma-* x Job 36,26. *gnus in poteſtate, quia ejus voluntas eſt omnipotens, Magnus Dominus, & magna virtus ejus* y. *Magnus* y Pſ.146,5 *laude, quia ad plenum laudari non poteſt: Benedicentes Dominum exaltate illum quantùm poteſtis: major eſt enim omni laude* z. *Et, Magnus Dominus,* z ex Eccl.43,33. *& laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non eſt finis* a. a Pſ.144,3 *De iſto ergo Domino, ſcilicet Ieſu Chriſto ait Pſalmiſta, Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Id eſt, excedens noſtram facultatem ad ipſum laudandum. Sed in loco, vel à quibus ſit laudandus, ſubdit, In civitate Dei noſtri. Per civitatem enim Dei, intellige Eccleſiam Catholicam, quæ verè civitas dicitur, quia ad modum civitatis unum habet Principem, ſcilicet, Chriſtum, & per charitatem unitatem ſuorum civium continet, & ſuos ab hoſte maligno defendit.* Ut dixi vobis diebus iſtis præcedentibus. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui* Auditores. Et videamus magnitudinem Jeſu Chriſti, Propoſitio prout Filii Dei, & prout Filii hominis, in S. Euchariſtia, quæ eſt repræſentatio mortis ipſius.

Ut conſideremus, ſicut decet, hanc magnitudinem Jeſu Chriſti, quatenus Dei, & quatenus hominis in S. Sacramento, obſervandum eſt, quòd magnitudo rerum conſiſtit in ipſarum extenſione, ſicut illarum parvitas eſt probatio infirmitatis ipſarum: Terra, v.gr. eſt minus extenſa quàm aqua, aqua minùs quàm aër, & aër minùs extenſus quàm ignis, & ſic progrediendo, magnitudo rerum eſt probatio excellentiæ ipſarum: Orbis Solis major eſt ſphærâ Lunæ, & ſic de cæteris: Angeli verò cùm ſint nobiliores hominibus, ſic & illos excedunt, & ipſorum excellentia conſiſtit in ipſorum numero: plura ſunt entia ſpiritualia quàm entia corporalia, quippe quæ iſtis corporeis nobiliora: Deus igitur qui eſt ineffabiliter excellentior homine, & Angelo, ſic & illis eſt infinitè major: Deus enim eſt ubique, per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam in omnibus creaturis, *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* b Jer.23,24. b? Per gratiam in Juſtis, ſed meliùs in his quos *creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* c, c Gen.1,27. quàm in reliquis creaturis, quæ nonniſi ſunt ipſius veſtigia: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas,* ait S. Paulus d. d Rom.1,20. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* inquit S. Joannes e. Et Pſal- e Jon.1,12. miſta f Deum alloquens, dicit, *Si aſcendero in cœ-* f Pſ.138,8 &c. *lum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ubique Deus eſt, Auditores, per immenſitatem ſuam, & immenſitas eius eſt magnitudo ipſius, *Magnus eſt & non habet finē: excelſus & immenſus,* ait Baruch g. Et iſta magni- g Baruch 3,25. tudo reperitur in Euchariſtia: eſt enim Jeſus Chriſtus in omnibus Eccleſiis ſuper altaribus in omnibus hoſtiis conſecratis. Ideò non inconcinnè prædicta verba Pſalmiſtæ h, *Magnus Dominus in* h Pſ.47,2. *civitate Dei noſtri,* aliqui vertunt, *Magnus Dominus in ſpeculo:* forſan innitentes iis quæ dicit S. Auguſtinus i: *In his magnus Dominus & laudabilis* i S. Aug. in Pſ.47,2. *valdè: hoc eſt, in civitate Dei, in monte ſancto ejus, Hæc eſt civitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hæc eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur* k ex Matt.5,15. k, *omnibus nota, omnibus diffamata.* Vel fortaſſis iis quæ dicit Sapiens l: *Candor eſt enim lucis æternæ,* l Sap.7,26 *& ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Vel forte verbis iſtis Apoſtoli m, *Nos* m 2.Cor.3,18. *verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate*

tate in claritatem. Super quæ dicit Dionyſius Carthuſianus n, *Nos verò omnes, ideſt, fideles, revelatâ facie interiori, id eſt, intellectu à velamine liberato, gloriam Dei, id eſt, Majeſtatem Divinam, ſeu Dominum glorioſum, vel Filium Dei Patris, de quo Iſaias* o, *Revelabitur, inquit, gloria Domini. Siquidem filius ſapiens gloria Patris eſt* p. *Speculantes nunc per fidem, & per ſpeculum in ænigmate* q, *in eandem imaginem, id eſt, Divina Majeſtatis, ſeu Filii Dei quandam deiformem aſſimilationem transformamur, quia cognitio fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, ſecundùm Boëtium. Ideò contemplator Divinorum Divinus ſeu deiformis efficitur. Transformamur autem, id eſt, ſalubriter commutamur à claritate luminis naturalis in claritatem luminis gratiæ, & à claritate viæ ſeu gratiæ, in claritatem patriæ & gloriæ.* (Quia Euchariſtia eſt pignus gloriæ, ut canit Eccleſia, *O ſacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*) *Vel ſic, A claritate in claritatem, id eſt, de gratia minori in gratiam ampliorem, proficiendo in bonis, & proficiſcendo de virtutibus in virtutes* r. *Quantò enim Divinorum contemplationi magis inſiſtimus, tantò exuberantiori lumine cœleſtis gratiæ perfundimur atque implemur: & transformamur, id eſt à forma ſeu modo propriæ ſubſiſtentiæ transferimur ad Divinæ naturæ ſeu formæ modum ac imitationem. Imò unum cum Deo per charitatem efficimur* ſ, *Angelicam, & Divinam in hoc exilio converſationem inchoantes.* Eſt igitur, ſecundùm prædictam verſionem, *magnus Dominus in ſpeculo.* Quod eſt excellentiſſima comparatio: ſi enim collocetis decem, quindecim, aut viginti ſpecula circum vos, ſingula vos repræſentant: & ſi unum ex illis in centum fragmenta divideretis, hæc ſingula fragmenta vos etiã repræſentarent: ſic Jeſus Chriſtus eſt in omnibus hoſtiis idem, & licèt ſepararetis ſpecies in multas partes, ſemper eſſet idem, & integer Jeſus Chriſtus in qualibet parte diviſa, & in quolibet vel minimo fragmento, *A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus: integer accipitur*; canit Eccleſia poſt S. Thomam. Videte magnitudinem ejus, *Magnus Dominus in ſpeculo.* Conſiderate quomodo magnificetis eum in ſacra Communione: B. Virgo magnificat illum in Incarnatione, cujus Euchariſtia eſt extenſio, *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum* t. Sed quomodo magnificatur Deus, inquietis mihi? Deus eſt intra vos, ſicut anima noſtra eſt intra corpus noſtrum. Cùm anima noſtra ſit ſpiritualis, eſt indiviſibilis: quomodo ergo dici poteſt magna, & minor? Parva eſt in infante, & major in adoleſcente, remanens tamen ſẽper eadem: in infante erat coarctata, in adoleſcente verò reperitur in partibus magis extenſis per magnificationem corporis: eodem modo ſe res habet de Jeſu Chriſto, qui invenitur in animabus noſtris per Euchariſtiam: magnitudo ejus debet erui è magnitudine gratiæ, magnitudo gratiæ è magnitudine charitatis. Deus magnificatur in nobis cùm imus *de virtute in virtutem* u, de charitate in charitatem, & de ſanctitate in ſanctitatem: *Magnificatur enim Dominus,* ait S. Ambroſius x, *ſicut & alibi, Magnificate Dominum mecum* y. *Non quòd Domino aliquid humanâ voce poſſit adjungi ſed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Chriſtus eſt* z, *& ideò ſi quid juſtum religioſumque fecerit anima illa, imaginem Dei ad cujus eſt ſimilitudinem a creata, magnificat. Et ideò dum magnificat eam, magnitudinis ejus quâdam participatione ſublimior fit, ut illam imaginem ſplendido bonorum colore factorum, & quâdam æmulatione virtutis in ſe videatur exprimere.* Mediâ autem Euchariſtiâ, in qua ſuſcipimus abundantiam gratiarum, magnificatur Deus: oportet enim ut locus convenientiam habeat cum eo qui ipſum debet inhabitare: atqui Deus *magnus eſt & immenſus* b. Ergo anima quæ debet eſſe illius domicilium (*Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* c) cùm accedit ad eam præ conditionibus requiſitis, magna fit; ita ut ille qui communicat, dicere poſſit, ſicut B. Virgo *Maria, Magnificat anima mea Dominum.* Sacer enim cibus iſte non convertitur in ſubſtantiam illius qui ipſum recipit, ſed potiùs in ſe convertit illum qui ipſum ſumit, ſicut S. Auguſtinus d dicit ſe Divinam audiviſſe *tanquam vocem de excelſo: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis ſicut cibũ carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Sic Deus magnus fit in Euchariſtia.

Deus magnificavit nos per tres gradus, Creationis, Incarnationis, & Euchariſtiæ. Per Creationem, cùm homo in ſe habeat totum mundum, ut ait S. Gregorius e ſuper hæc verba S. Marci, *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Sed omnis creaturæ nomine ſignatur homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo: juxta aliquid omnis creatura eſt homo.* Mundos homo concipit innumeros unicâ è cogitationibus ſuis. Per Incarnationem, quia *Verbum caro factum* f. Per hoc myſterium nos univit ſibi. Et per Euchariſtiam, cùm per eam nos faciat aliquo modo Deos, transformando nos in ſe, & ſicut ipſe eſt totus cœleſtis & Divinus, efficiat nos totos cœleſtes & Divinos: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* g. Quotieſcumque enim duæ res uniuntur, minor ſumit qualitatem majoris: calamus inſitus alicui trunco, defert fructus ejuſdem ſpeciei cujus eſt arbor, cui inſitus eſt: puella plebeia ducta in uxorem à Rege, habet omnes prærogativas Reginæ: natura noſtra inſita perſonæ Verbi Divini, communicat glorioſis illius prærogativis.

Sed obſervate, quòd iſtud S. Sacramentum eſt totum integrum, ut ita dicam, ſub ſignis duarum ſpecierum panis, & vini, ut innuatur nobis, quòd Jeſus Chriſtus in Incarnatione ſua non aſſumpſit duntaxat corpus ſolum ſignificatum per panem, nec animam ſolam figuratam per ſanguinem, *Quia anima carnis in ſanguine eſt* h. Sed utrumque, & corpus, & animam: & Jeſus Chriſtus ſumitur ſub duabus ſpeciebus, ut meminerimus, quòd die paſſionis & mortis ipſius, totus ipſius ſanguis ſeparatus fuerit à corpore ipſius. Manet ſub duabus ſpeciebus ad declarandum effectum, quem producit in nobis. Homo vivit comedendo, & bibendo, nutritus cibo, & potu: Jeſus Chriſtus ſe præbet in formam cibi, & potus: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus* i. Ut oſtendat nobis, quòd alit nos ſpiritualiter, dans animæ noſtræ vitam gratiæ, ideò ut nos eſurire faciat hunc panem, & ſitire vinum iſtud ſacrum, quorum beneficio vitam nobis tribuit ſpiritualem in Euchariſtia, quæ eſt repræſentatio paſſionis & mortis ipſius.

Non manet ſub ſpeciebus carnis, ſanguinis, aut lactis, licèt hæc tria ſint ſimiliora corpori & ſanguini

n Dion. Carth. aït. 3, in 2, Cor. 3, 18.
o Iſai. 40, 5.
p ex Prov. 10. 1.
q ex 1. Cor. 13, 12.
r ex Pſ. 83, 8.
ſ ex 1. Cor. 6, 17.
t Luc. 1, 46, & 47.
u Pſ. 83, 8.
x S. Ambr. l. 2, in Luc. 1. 47.
y Pſ. 33. 4.
z ex Col. 1, 15.
a ex Gen. 1, 27.
b Baruch 3, 25.
c 1. Cor. 3, 17.
d S. Aug. l. 7, Conf. c. 10.
e S. Greg. hom. 29, in Evang. Marc. 16, 15.
f Jo. 1, 14.
g Jo. 6, 56.
h Lev. 17, 11.
i Joa. 6, 55.

guini ipſius, ut majori nitiditate tractari poſſit in altari, ubi eſt ſacrificium incruentum, cum ſit repræſentatio ſacrificii cruenti crucis, & ne Chriſtiani ipſum horreant, & ne præterea nobis improperent infideles, quòd comedamus carnem crudam: & decrevit ut illi qui ſunt *mundo corde* k, poſſint accedere ad hoc Sacramentum, quod ſub ſpeciebus ita mundis continetur. Panis eſt ſignum, quòd hoc Sacramentum nos confirmet in obſequio Dei, nos confortet in laboribus, & nos conſervet in gratia ejus, per merita paſſionis Jeſu Chriſti, cujus iſte panis, & iſtud vinum ſunt repræſentatio, *Panis cor hominis confirmet* l. Et vinum eſt ſignum, quòd iſtud Sacramentum eſt plenum dulcedine ſpirituali, quietat animam & conſcientiam, & exhilarat cor, per amaritudines paſſionis Salvatoris, cujus iſtud Sacramentum eſt memoriale, *Et vinum lætificet cor hominis* m. Omnes alii cibi faſtidium pariunt, ſi excipiantur panis & vinum: ſic ſanctus iſte panis, & iſtud vinum ſacrum nemini ſunt unquam faſtidio: ideò Jeſus Chriſtus ait per Eccleſiaſticum n, *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Nolite autem putare, quòd caſu fortuito Jeſus Chriſtus determinaverit has duas ſpecies panis & vini, quæ ſunt repræſentatio mortis ipſius: conſiderate enim ſi placet, quòd ſe comparans grano, ſuam reſtrinxit comparationem ad granum frumenti, *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert* o. Et ſe comparans arbori, meminit tantùm vineæ, *Ego ſum vitis vera* p. Eſt hîc ſanè myſterium: videte, ſi placet, num inter omnia grana, & inter cunctas arbores inveniantur, quæ tantas requirant operas & curas, quantas exigunt granum tritici, & vinea: fatendum eſt, quòd ea ſint omnium utiliſſima: quanti labores fuerunt adhibiti ad perducendum iſtud frumentum ad perfectionem ipſius, & ad conficiendum ex eo panem iſtum? quanti ſudores ſunt effuſi ad exprimendum vinum iſtud ex hujuſmodi vite? *Per granum Chriſtus ſeipſum ſignavit, qui ex cæleſti area in hunc mundum per incarnationem ſeminatus eſt: unde de ipſo habetur in Pſalmo* q, *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium. Tranſlatio Hieronymi juxta Hebræum ſic continet, Erit memoriale triticum. Et Zacharias* r *ait, Quid bonũ Domini, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum Electorum? Vult ergo Salvator aſſerere, quòd ſicut granum non corruptum nequaquam fructificat, ſic ipſe non fructificaret in Gentibus, illas per Apoſtolos convertendo ad fidem, niſi priùs à Iudæis occideretur. Quod per Iſaiam* ſ *manifeſte invenitur prædictum, quo ſcribitur, Si poſuerit animã ſuam pro peccato, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini manu ejus dirigetur. Per ſemen longævum intelligitur plebs fidelis credens in Chriſtum, quæ uſque in finem ſæculi perdurabit. Denique, Per voluntatem Domini deſignatur converſio Gentium, ſecundùm quod Theſſalonicenſibus ſcribit Apoſtolus* t, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Hæc in manu Chriſti directa eſt, id eſt, ad bonum finem, atque ſalubrem effectũ producta, eò quòd poſuit animam ſuam pro peccato generis humani delendo,* ait Dionyſius Carthuſianus u. Granum iſtud fuit ſatum, cùm cæleſtis colonus miſit ipſum in uterum B. Virginis x: natum eſt, & germinavit, cùm ſe manifeſtavit mundo, indutum carne, natum de eadem B. Virgine y: ideòque vocatur ab Iſaia z *Germen Domini, & fructus terræ.* Granum iſtud factum eſt herba, poſitum *in præſepio* a coram animalibus: Fructus, cùm

k Matt. 5, 8
l Pſ. 103, 15
m Ibid.
n Eccl. 24, 29.
o Jo. 12, 24
p Jo. 15, 1
q Pſ. 71, 16
r ex Zach. 9, 17
ſ ex Iſa. 53, 10.
t 1, Theſſ. 4, 3
u Dion. Carth. art. 31, in Ioa. 12, 34
x Luc. 1, 38.
y Luc. 2, 7
z Iſa. 4, 2
a Luc. 2, 7

docebat b. Fuit manipulum calore odii inimicorum ſuorum c: meſſum à proditore, qui ipſum ſeparavit à Matre ipſius d: ligatum à militibus e: flagellatum & molitum ab iiſdem f: cribratum cruce humeris ipſius impoſita g: redactum in maſſam *aceto* h. Coctum in clibano Divinæ dilectionis ipſius, & preſſum clavis & *lanceâ* i. Similiter, ait Dionyſius Carthuſianus k, *Chriſtus ſe dicit vitem per ſimilitudinem propter multa. Primò, Quoniam ſicut vitis habet ramos, ſeu palmites multos: ſic Chriſtus cùm ſit Caput Eccleſiæ* l, *habet membra quamplurima, putà fideles, quorum collectio eſt myſticum corpus. Secundò, Quoniam ſicut vitis eſt arbor optimos fructus producens: ſic Chriſtus merito ſuæ converſationis & paſſionis, copioſiſſimum protulit fructum, innumerabiles ſalvans & convertens ad Deum, quemadmodum ad Hebræos* m *dicit Apoſtolus, quòd multos filios adduxit in gloriam. Tertiò, Quoniã ſicut lignũ vitis eſt deſpectum, & tamen perutile: ſic Chriſtus deſpectus* n *fuit, cùm eſſet omnium ſalus* o. Tandem, Zacharias p utrumque complectitur, cùm ait; *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus: niſi frumentum Electorum & vinum germinans Virgines?* Non ſupereſt igitur filiis Eccleſiæ, niſi ut accedant ad hoc frumentum: aut ad hunc panem Divinum, & ad hoc vinum ſacrum, quibus repræſentatur mors Chriſti, ut ibi repetant vitam.

Adam tria ſuſcepit à Deo privilegia cùm erat adhuc in ſtatu innocentiæ: prærogativam gratiæ in qua *creavit Deus* q ipſum: dominium ſuper paſſiones ſuas quæ ipſi obediebant; & imperium ſuper omnes creaturas quæ ipſi erant ſubditæ: ſed heu! poſtquàm ex iſto gradu decidit ubi vetito *de fructu comêdit* r, incurrit inimicitiam Dei, paſſiones ejus inſurgunt adverſùs ipſum, & univerſæ creaturæ illi bellum indicunt; terra aperit os ſuum, ut tribuat illi ſepulturam ſ; ſi ipſa habeat fructus, hi cauſant illi mortem; & Adam incurrens infortunium, illud invexit in omnes poſteros ſuos, *In quo omnes peccaverunt* t. Eò quòd comedere præſumpſerit *de ligno ſcientiæ boni & mali*, quod cauſavit ipſi mortem, quam Deus fuerat ipſi minitatus: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* u. Sed Jeſus Chriſtus tulit manum ſuam ſuper *crucem* x, quæ eſt arbor mortis, ut daret nobis vitam per Euchariſtiam, quæ eſt *memoriale mortis Domini*, ut canit Eccleſia poſt S. Thomam.

In quo Dei Filius oſtendit ſapientiam ſuam, potentiam ſuam, & bonitatem ſuam. Sapientia manifeſtatur in benè ordinando, *Sapientis eſt ordinare*, dicit Philoſophus. Et David y ait illi, *Omnia in ſapientia feciſti.* Omnes perieramus, *Et eramus naturâ filii iræ*, inquit S. Paulus z. Et S. Bernardus a, *In utero damnati antequàm nati: quia de peccato, & in peccato concepti.* Sed ecce ſapientia adinvênit modum ordinandorum omnium, ut ait Eccleſia, *Hoc opus noſtræ ſalutis, ordo depopoſcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, & medelam ferret inde hoſtis unde læſerat.* Qualis Sapientia b! *Attingit ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* c. Quippe quæ tanta tribuit nobis privilegia per crucem. Quidam propoſuit aliàs hoc emblema: Repræſentavit aquilam cum ſagitta, ſagitta habebat pennas erutas ex eadem aquila, & vibrabatur contra eandem aquilam, per hac inſcriptione, quòd ipſamet quæ ipſi dederat vitam, mortis ipſius eſſet cauſa: ſed aliter ſe res habet de cruce Salvatoris, cujus Euchariſtia eſt repræſentatio: lignum nobis dederat mortem, & lignum tribuit nobis vitam: Adam

manum

b Jo. 7, 46
c Jo. 11, 47
d Jo. 18, 5
e Jo. 18, 12
f Ioa. 18, 1
g Jo. 19, 17
h Ioan. 19, 29.
i Jo. 19, 18 & 34.
k Dion. Carth. art. 37, in Ioa. 15, 1
l ex Coloſſ. 1, 18.
m ex Heb. 2, 10.
n ex Iſa. 53, 3.
o ex Act. 4, 11.
p Zach. 9, 17.
q Gen. 1, 27, &c.
r Gen. 3, 6 &c.
ſ Gen. 5, 5.
t Rom. 5, 12.
u Gen. 2, 17
x Ioa. 19, 17.
y Pſ. 103, 24.
z Epheſ. 2, 3.
a S. Bern. ſerm. 2, Pent. ex Pſ. 50, 7.
b Sap. 7, 24.
c Sap. 8, 1.

manum mittens ſuper lignum vetitum, jacturam noſtram molitus erat, & Jeſus Chriſtus ligno nos ſalvat, *Benedictum lignum per quod fit juſtitia* d.

d Sap. 14, 3.

Jeſus Chriſtus devincire ſibi voluit homines multis miraculis e quæ erant effectus ſummæ ſapientiæ ipſius: ſed præcipuum, eſt miraculum Euchariſtiæ, quæ eſt repræſentatio ſacrificii crucis. Aliqui dicunt, quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt in cruce, quia in ea repræſentatus fuerat per eum, quem *fecit Moyſes ſerpentem aneum* f. Hæc ratio infirma eſt, cùm ſit proprium figuræ repræſentare veritatem, non autem veritati exprimere figuram. Alii aſſerunt, eum mortuum eſſe in cruce, quam ſcimus tunc fuiſſe *Iudæis ſcandalum* g, & tormentum maximè ignominioſum, quia *poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm* h. Sed malo dicere, quòd mortuus fuit in cruce, ut contraheret fœdus hominum cum Deo; propterea erat *exaltatus à terra* i. Ut oſtenderet nobis, quod ut ſic in aëre conſtitutus ſapientiâ ſuâ, eſſet *Mediator Dei & hominum* k. Fœdus quod pangitur medio ſanguine, majus eſt quolibet alio, unde fit ut illud quod pepigit Abraham cum Deo, magnum fuerit ob circuncisionem, in qua fundebatur ſanguis, *Dixit Deus ad Abraham, Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos* l. Quod vel ipſi nec ignoraverunt Ethnici: Recenſetur enim Catilina peractis aliquibus conjurationibus obſtrinxiſſe conſcios conjurationum ſuarum ad bibendum è ſuo ſanguine, ut certior foret de illorum fidelitate in conſilio ſuo: Jeſus Chriſtus eodẽ ſe gerit modo: *Sanguinem* m ſuum nobis potandum dat in Euchariſtia, quæ repræſentat crucem, in qua illum fudit.

e Io. 2, 7, & 5. 8.
f Num. 21 9.
g 1. Cor. 1 23.
h Iſa. 53, 6
i Io. 12, 32
k 1. Tim. 2 5.
l Gen. 17, 9, & 11.
m Jo. 6, 56

Invehitur Tertullianus n contra Marcionem Hæreticum negantem quòd Jeſus Chriſtus eſſet verus Deus, eò quòd miſeriis humanis obnoxium ſe reddidiſſet, dicendo, quòd non eſſet veriſimile quòd Infans frigore algens *in præſepio* o, eſſet Deus. Impie & ſceleſte, ait illi magnus hic Africanus, id quod te reddit incredulum, & quo tuum induratur *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* p ſtringitur, ſicque quod excæcat mentem tuam, tibi ſuggerere deberet amorem erga Dominum, qui ſapientiâ ſuâ tibi facit *notas adinventiones* q amoris ſui erga ſuos; & ſic evellere blaſphemias ex anima tua, nedum inde capeſſeres occaſionem ſcandali & incredulitatis. Auſcultate, ſi placet, Auditores, hæc perſtrepentia Tertulliani verba, *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit. Salvus ſum ſi non confundor de Domino meo. Qui me, inquit, confuſus fuerit, confundar & ego eum* r. *Alias non invenio materias confuſionis, quæ me per contẽptum ruboris probent bene impudentem & feliciter ſtultum. Crucifixus eſt Dei Filius* ſ: *non pudet, quia pudendum eſt. Et mortuus eſt Dei Filius* t: *prorſus credibile eſt, quia ineptum. Et ſepultus* u, *reſurrexit* x: *certum eſt, quia impoſſibile eſt.* In hoc patet ipſius ſumma ſapientia, quòd ſe miſerum effecerit, ut nos à miſeriis noſtris eriperet, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* y. Et daret nobis vitam per mortem crucis, quæ figuratur per Euchariſtiam quæ vivificat animas noſtras, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* z.

n Tert. l. de Carne Chriſt, c. 5
o Luc. 2, 7.
p Job 41, 15.
q Iſa. 12, 4
r ex Marc. 8, 38
ſ ex Joan. 19, 18.
t ex Jo. 19 30.
u ex Jo. 19 42.
x ex Io. 20 1.
y Gal. 4, 31
z Jo. 6, 51.

Sed & in hoc Sacramento paſſionis manifeſtatur potentia ejus, cùm mutet iſtud inſtrumentum reorum in thronum gloriæ, ſicque tumulus gloriæ convertatur ab ipſo in cunas ejuſdem gloriæ. Quæ enim potentia, quæſo, quòd Deus in hoc ſigno plectat & exterminet id quod ipſi diſplicet, & conſervet id, quod ipſe diligit? Id quod ipſi diſplicet, eſt peccatum, *Similiter autem odio ſunt Deo impius & impietas ejus* a. Et ecce ipſe deſtruit illud in Filio ſuo, qui cautam præſtitit omnium hominum cauſam, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas* b. *Pater diligit Filium* c. Attamen exponit illum in fronte *Calvariæ*, manibus militum, *ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum* d. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* e. Et conſervat id, quod ipſe amat, nempe Divinitatem: non quidem more alicujus viri nobilis, qui inveniens ſponſam ſuam alicujus impuritatis conſciam, amat iſtã ſpecioſam faciem, & odit impuritatem corporis, & necans corpus, deſtruit iſtã pulchrã faciẽ: Pater æternus amat Filiũ ſuũ, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* f. In quo nimirum ipſe ſibi complacet, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* g. Nihilominùs videns illum *in ſimilitudinem carnis peccati* i, id eſt, indutum apparentiâ peccatoris, vibrat in illum jacula ſeveræ juſtitiæ ſuæ, deſerit illum abſque miſericordia ſuper patibulo infami, nedum velit illum exaudire, aut illum eximere à tanta ignominia, æquè ac à tã gravibus pœnis; deprimit illum per mortem, ut nos magnificet per eam nos vivificans.

a Sap. 14, 9
b Dan. 9, 24.
c Jo. 5, 20.
d Ioa. 19, 17, & 18.
e Iſa. 53, 8
f Heb. 1, 3
g Matth. 17, 5
i Rom. 8, 3

Prætereà, Potentia Divina manifeſtatur in cruce Jeſu Chriſti, & ibi magis quàm alibi, cùm Divinitas ipſius ab hominibus non fuerit agnita, niſi ibi, eò uſque ut illi qui ei mortem intulerant, aut morti ejus conſenſerant, aut eidem morti interfuerant, confiterentur illum Dei Filium, *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte* k. Dimas, ſeu bonus latro videns Salvatorem ſuum patibulo ſuffixum, agnoſcit inde potentiam Divinitatis ejus, *Et dicebat ad Ieſum, Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur* l. Cùm moriens pro peccatoribus in loco ſic infami, omnes homines ad ſe trahat, ſicut ipſe prædixerat, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipſũ* m. Tandem, Divina potentia manifeſta eſt in cruce, cùm Jeſus nobis in ea vitam tribuat per mortem quam in illa patitur, quæ repræſentatur nobis per Euchariſtiam, quæ vivificans animas noſtras, trahit eas ad ſe ſuavibus gratiis ſuis.

k Matt. 27, 54.
l Luc. 23, 42, & 48.
m Ioa. 12, 32.

Sed ipſius potentia non eſt ſicut poteſtas Regũ terrenorum, qui habent quidem authoritatem ſuper corpora, & bona fortunæ vaſſallorum ſuorum, ſed non ſuper mentes eorum: ideò mirum non eſt ſi omnes creaturæ ſuo modo lugent, & ſi illæ quæ ſunt ipſiuſmet inſenſibilitatis imago, ſenſum præ ſe ferre videntur præ doloribus mortis ejus. *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* n. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* o. Ideò ut oſtendatur ipſius Regia dignitas, quod nunquam accidit in morte Regis ullius. Poſtquàm *Pilatus tradidit illum, ut crucifigeretur, & crucifixerunt eum, ſcripſit & titulum; & poſuit ſuper crucem, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* p. Quænam potentia, cùm declaretur Rex in cruce, licèt appareat ibi ſicut reus? Quænam potentia, cùm ibidem det gratiam ſanctificantem bono latroni? *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* q. Non blandiantur ſibi Angeli pro eo quòd, ut ait S. Auguſtinus r, ipſos Deus *creavit ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiã*. Ex hac origine ſcaturit nobis gratia juſtificans, & omnis noſtra felicitas, *Qui mortẽ noſtram mori-*

n Luc. 23, 45.
o Matt. 27. 52.
p Io. 19, 15 &c.
q Luc. 23, 43.
r S. Aug. l. 12, de Civ. Dei c. 9, ex Gen. 1, 5.

Digitized by Google

moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit,
ut canit Eccleſia. Sicut etiam ex Euchariſtia, in qua
ſuſcipimus hanc gratiam juſtificantem, cùm ſit re-
præſentatio mortis Jeſu Chriſti, ſicut eadem con-
cinit Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus*
ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens im-
pletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!

Denique, Dei bonitatem in ſummo gradu ob-
ſervamus in cruce? *Dilexit me, & tradidit ſemeti-*
† Gal. 2, 20. *pſum pro me* ſ, ait S. Paulus. Et expreſſiùs, *Chriſtus*
dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblatio-
† Ephes. 5, 2. *nem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t. Nemo
dicat, peccatum fuiſſe cauſam mortis ejus: dilectio
induxit ipſum ad effundendum ſanguinem ſuum,
Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſan
† Apoc. 1, 5. *guine ſuo* †. Peccatum fuit occaſio mortis ejus, &
u 1. Petr. 1, 18, &c. dilectio cauſa. S. Petrus u ait, quòd ſumus *redem*
pti pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti
& incontaminati, præcogniti quidem ante mundi
conſtitutionem. Exceſſus amoris! Non ſolùm à
mundi principio, ſed ab æterno *unigenitus Filius*
x Jo. 1, 18. *qui eſt in ſinu Patris* x, videt decretum mortis ſuæ,
nedum duntaxat ab inſtanti ſuæ conceptionis *in*
y Luc. 1, 31. ex Iſai. 7, 14. *utero* y S. Genitricis ſuæ? *Holocauſtum & pro pec-*
cato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio. In capite
libri ſcriptum eſt de me, Ut facerem voluntatem tu-
am: Deus meus volui, & legem tuam in medio cor-
z Pſ. 39, 7, &c. *dis mei* z. Videns enim Deus ab æterno peccatum
Adæ, ſic providentiâ ſuâ conſtituit ei remedium,
quod non eſt aliud niſi mors Filii ipſius. Videmus
hunc amorem in Euchariſtiâ, quæ eſt repræſenta-
tio mortis crucis, *Jeſus cùm dilexiſſet ſuos qui erant*
a Jo. 13, 1, &c. *in mundo*, ait S. Joannes a loquens de inſtitutione
iſtius S. Sacramenti, *in finem dilexit eos.* Et quàm-
vis Dei Filius jure meritò queri poſſit de noſtris
criminibus, & quòd ſcelera quæ quotidie patra-
mus, exacerbent juſtitiam ipſius, tamen queri po-
tiùs debet de dilectione ſuâ quàm de peccatis no-
ſtris: & ſi iniquitates noſtræ fuerunt occaſio rati-
one cujus deſcenderit ipſe è cœlo, dilectio tamen
b Jo. 16, 18. cauſa fuit propter quam ipſemet exivit *à Patre, &*
in mundum b venit oblaturus ſe eidem Patri ſuo in
victimam ſuper cruce, & in Euchariſtiâ, quæ eſt
mortis ipſius repræſentatio; & in qua manifeſtat
nobis exceſſum dilectionis ſuæ, tribuens nobis in
ea corpus ſuum ſacrum ſub apparentiis mortis, ut
vitam nobis præbeat.

Cùm igitur Deus nos ita magnificet, nonne co-
nari debemus magnificare eum? Commoda no-
ſtra, & gloria ejus, iſtud exigunt à nobis obſequiū.
Commoda noſtræ: Si enim ſumus frigidi, ipſe *ignis*
c Deut. 4, 24, & Hebr. 12, 29. *eſt* c; ſufficit autem ut ad eum accedamus, quò ca-
leſcamus: Si infirmi ſumus, ipſe *brachium eſt* d;
d Iſa. 51, 9. quod vires nobis tribuit: ſi famelici ſumus, ipſe eſt
e Jo. 6, 51. *panis vivus qui de cœlo* e deſcendit: debemus ad il-
lum accedere, ut famem noſtram compeſcamus, *&*
f 1. Reg. 2, 5. *famelici ſaturati ſunt* f. In illo inveniemus omnia,
& ipſe nos invitat ut ipſum adeamus fiducialiter,
hâc ducti cogitatione quòd ipſe miſerias noſtras
ſublevabit, *Venite ad me omnes qui laboratis & one-*
g Matth. 11, 28. *rati eſtis, & ego reficiam vos* g. Timor nos ab illo
retrahit, amor autem non facit nos ab illo retrahe-
re, ſed ad illum accedere: quod dico contra ani-
mas illas timidas, quæ verentur & putant ſe nun-
quam benè diſpoſitas: acceſſus ad illum faciunt
nos dignos ut ipſum adeamus: Et ad hoc officium
nos obſtringunt utilitates noſtræ, æquè ac gloria e-
jus: Sic eſt, Auditores, quamdiu peccatores conan-
tur illum exinanire ſceleribus ſuis, eundem *magnifi-*
h Pſ. 33, 4. *cate Dominum mecum* h. Hoc peragetis, ſuſcipi-
endo eum in vos: in vobis enim creſcet juxta gra-
tiā & charitatem quæ erit in vobis. Venite igitur,
date *gloriam Deo* i. Et ſatagite ut magnitudo ejus i Jo. 9, 24.
appareat in hoc Sacramento, prout Deus eſt, &
prout homo eſt.

Exinanitio Filii Dei *in utero* B. Virginis, ſervivit
magnificationi ejus, *Et ait Maria: Magnificat ani-*
ma mea Dominum k. Et, *Qui cùm in forma Dei eſ-* k Luc. 1, 46, &c.
ſet, ſemetipſum exinanivit. Propter quod & Deus
exaltavit illum m. Quàmvis enim, ſi conſidere- m Phil. 2, 6, &c.
mus attributa Dei in ipſis, ea ſint infinita, quia Deus
non habet finem n: Tamen ſi illa contemplemur n Baruch 3, 25.
extra Deum, in illis invenire poſſumus plus, aut mi-
nus: & Deus in ſe, & in æternitate ſua, non habe-
bat in ſe res, quas habuit in ſinu Matris ſuæ; licèt e- o Dan. 13, 42.
nim eſſet omniſciens o, & *omnipotens* p *in ſinu Pa-*
tris q ſui æterni, tamen ipſe ſuſcepit in tempore id p Eſth. 13, 9.
quod non habebat in æternitate; nimirum, miſe-
q Jo. 1, 18.
ricordiam: habebat quidem *bonitatem* r, & libe-
r Pſ. 118, 65.
ralitatem, ſed non habebat miſericordiam. Ubi
obſervare, ſi placet, quòd miſericordia duo dicat,
affectum, & effectum. Deus in æternitate habe-
bat effectum, auxiliabatur miſeris, quos à miſeriis
ſublevabat, quod erat bonitas, & liberalitas; ſed
non propriè miſericordia, quæ conſiſtit in affectu,
ut poſſet compati, & experiri in ſeipſo afflictio-
nem: atqui iſtam non habebat ipſe in cœlo. De
hac magna miſericordia loquitur S. Petrus ſ. *Qui* ſ 1. Pet. 1, 3, & 4.
ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenera-
vit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chri-
ſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, &
incontaminatam, & immarceſcibilem conſervatam
in cœlis in vobis. Atqui eam habuit *ubi venit pleni-*
tudo temporis † in ventre B. Virginis: *Unde debuit* † Gal. 4, 4.
per omnia fratribus ſimilari: ut miſericors fieret t. t Hebr. 2, 17.
Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ
paſſus eſt u, ea quæ non noverat experimentaliter u Heb. 5, 8.
in æternitate: hæc autem tribuit ei Mater ſua: un-
de videtis quòd ipſa concucurrerit ad magnitudi-
nem ipſius per ejus exinanitionem in ſinu ipſius. E-
andem video magnitudinem in Euchariſtia. Pec-
cator cùm conculcas *Filium Dei, & ſanguinem te-*
ſtamenti pollutum ducis, *in quo ſanctificatus* x es, i- x Heb. 10, 29.
pſe offertur prout ſacrificium ſuo Patri æterno, ve-
niam pro te ab eo petens, ſicut in cruce pro ſuis ini-
micis illi *dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt*
quid faciunt y. Cùm ipſum inhonoras, ipſe quærit y Luc. 23, 34.
te reconciliare ei interventu hujus adorandi ſacri-
ficii, de quo ipſe loquitur per Malachiam z: *Ab* z Mal. 1, 11.
ortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum
in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur
nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen
meum in Gentibus. Quod ſacrificium eſt memoria-
le: ſicut enim Beati in cœlo non poſſunt ampliùs
pati *, ita Jeſus Chriſtus non eſt ampliùs obnoxius * Pſ. 90, 10.
inſultationibus peccatorum: ſed eſt memoriale,
& ſacrificium incruentum, quod offertur quotidie
pro hominibus Patri æterno! & cùm Dei Filius
non poſſit ampliùs pati, eſt in Euchariſtia quaſi in
ſtatu vel in apparentia patientis: ſic oſtendit quòd
ſemper offertur pro nobis ut ſacrificium, ita ut Eu-
chariſtia tribuat ipſi miſericordiam per affectum,
quam non habebat niſi per effectum in æternitate:
Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati
infirmitatibus noſtris †. Prætereà, Euchariſtia, ut † Hebr. 4, 15.
Sacramentum, illum magnificat; ſicut ignis ma-
gnificatur per lignum quod in ſe convertit: ſic i-
ſtud Sacramentum nos mutat in ſe, & mutando
nos in ſe, magnificatur, ſicut audiviſtis ex verbis ſu-
prædictis S. Auguſtini: Magnificemus ipſum in
hoc mundo, ut magnificet nos in altero.

IN OCTAVA CORPORIS CHRISTI.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 56, &c.

DEus ſemper eſt intuitus, homines futuros puſillanimos & tepidos quantùm ad obſequium ipſi exhibendum, & ſic amorem illorum futurum exiguum, aut omnino nullum; propterea volens aliquod augmentũ aut aliquam extenſionem afferre amori eorum, providere voluit eis alterum amorem natum è bello & è diſcordia: cùm enim homines erant ſceleſtiſſimi, & jam jam exituri ad Dei Filium *quaſi ad latronem cum gladiis & fuſtibus* † apprehendendum, & ad inferendam ei mortem conſequenter; tunc ipſemet Dei Filius majora præbuit eis amoris ſui erga ipſos teſtimonia, *Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquàm cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* ait S. Paulus *b*. Et ſanctus Joannes *c* loquens de hujus inſtitutione Sacramenti, dicit, *Ante diem feſtum Paſcha, ſciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quorum non ignorabat puſillanimitatem, cùm paulò pòſt eſſent ipſum relicturi ſolum inter manus inimicorum ipſius, *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* d. Tandem, Demonſtravit ſe amanoſſimum in occurſu, in quo ſæviſſimum præ ſe ferebant adversùs ipſum homines odium; oſtendens dilectionem ſuam erga homines, ut ſic homines magis inducerentur ad hunc amorem mutuo amore compenſandum; & tunc magis authentica amoris illius exhibuit teſtimonia, cùm majus imminebat ipſi periculum amittendæ vitæ. Iſte Divinus Amans ſumit omnes qualitates perfecti amantis (ut dicebam vobis Dominicâ præcedente, & inter eas qualitatem magnanimi & generoſi, cujus qualitatis etiam aliquid ſuprà recenſui inter cæteras, de quibus tunc) generoſus evadens in inſtitutione hujus Sacramenti, ut doceat nos quòd debemus eſſe generoſi, ſicut ipſe *fortis* e eſt, & expugnare inimicos noſtros, quod erit nobis facile, cùm ipſe ſit in nobis, & nos ſimus in illo realiter, & per gratiam, quæ jam repleverat Matrem ipſius, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

† Luc. 22, 52.
b 1. Cor. 11. 23, &c.
c Io. 13, 1.
d Matt. 26. 56.
e Iſai. 9, 6.
f Luc. 1, 28.

Quæritur: Quare *fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi*, id eſt, à ſerpentibus ignitis, *aſpicerent, ſanabantur* g? Videtur Moyſes expoſuiſſe Iſraëlitas periculo adorandi ſerpentis illius ænei loco Dei, propter ſanitatem quam ſuſcipiebat ab ejus intuitu, poſtquàm tali donati eſſent beneficio. Reſpondetur, quòd non erat pertimeſcendum, ne filii Iſraël adorarent ſerpentem, quia illi qui ſanitatem recipiebant à vulneribus ſuis ab illius aſpectu, morſi fuerant ab aliis ſerpentibus, *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen.* Qui juxta mandatum Dei providit ipſis remedium iſtius ſerpentis ænei, ut ait ſacer Textus: atqui homo ſic eſt conſtitutus, ut, ſi ſemel ſtimulatus fuerit remorſu ſynderesis, licèt mille ſuſcipiat ſolicitationes & innumeras apparentias voluptatis, omnes iſtos favores doloſos reſpuat, qui aliàs animæ ipſius mortem intulerant, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* h; nunquam ampliùs illis confiſurus: cùm enim ſerpens voluptatis infamis & vitii ipſum momorderit ſemel, licèt recipiat ſanitatem ex iſtius intuitu ſerpentis myſtici Jeſu Chriſti exaltati *à terra* i, *id eſt, in cruce* k levati, non eſt ampliùs pertimeſcendum, ne ſuas ampliùs exhibeat reverentias & adorationes illi infami ſerpenti vitii: quin econtrà odium concipit immodicum & implacabile adversùs illud monſtrum, quod eſt cauſa omnium infortuniorum: nec ſatis ipſi videtur, ſi illud vitium proſequatur odio, ſed inſuper intendit glorioſam de inimicis communibus naturæ humanæ victoriam reportare, adjutus beneficio gratiæ quæ præbetur ipſi unà cum fortitudine in hoc ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Id eſt, *In me manet per charitatem & gratiam, & mihi incorporatur. Talis utique habitat in adjutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cœli commoratur* l. *Et ego in eo permaneo, per ſalutares hujus Sacramenti effectus, per gratioſam cuſtodiam, per inhabitationem benignam* m. Videamus ergo quomodo glorioſam reportare poſſimus victoriam de communibus inimicis naturæ noſtræ per ſanctam Communionem.

g Num. 21. 9, &c.
h Ezech. 18, 4, & 20.
i Joan. 12, 32.
k Dion. Carth. art. 31, in Joan. 12, 32.
l ex Pſ. 90, 1.
m Dion. Carth. art. 18, in Jo. 6. 56.

Propoſitio

Primus inimicus, quem habemus expugnandum, eſt mundus, qui refert utplurimùm victoriam, quia voluntariè deditionem illius ſubimus præ puſillanimitate & perfidiâ intolerabili; complacemus nobis in victoria quæ ab eo de nobis reportatur, amamus vincula noſtra, evadimus idololatræ catenarum noſtrarum, & ſic infames efficimur opifices jacturæ noſtræ, *Perditio tua Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum*, ait nobis Deus per Oſee *n*. Voluptas, quæ utplurimùm eſt criminoſa, & cujus maximæ & regulæ contrariæ ſunt innocentiæ, eſt præcipua armatura, quâ mundus nos oppugnat, & quâ utitur præ cæteris armis ad moliendam ruinam noſtram; & principale inſtrumentum quod ipſe inſumit ad ſeducendam ſimplicitatem noſtram. Dummodò noverca hæc infamis, hæc Eva demulcens, hæc infortunata *mulier de fructu* o det nobis comedendum, qui præ ſe fert aliqua lenocinia, quàmvis ageretur de commodis totius mundi, imò verò de promovenda ſalute noſtra, & de conciliandâ nobis gloria, quam pollicetur nobis Deus, ſi fideliter & exactè præcepta ipſius obſervemus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* p: ſumus in hoc ſimiles Protoplaſto noſtro ad audiendam vocem ejus, potiùs quàm vocem Dei, *Deditque viro ſuo, qui comedit* q. Noſtra commoda & oblectamenta præferimus expreſſæ voluntati Dei, more primi Parentis noſtri, qui maluit diſplicere Deo quàm uxori ſuæ, veritus ne eam contriſtaret, neve illam moleſtiâ afficeret.

n Oſee 13. 9.
o Gen. 3. 6.
p Matt. 19. 17.
q Gen. 3. 6, &c.

Eva

Eva fuit educta de coſta Adæ, *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* r. Concupiſcentia eſt etiam in medio noſtrî, ut queritur Apoſtolus ſ: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Difficile igitur eſt reſiſtere ei, & generosè nos opponere violentiæ conatuum & inſultationum quibus nos exagitat, ita ut vix ſuſtinere poſſimus impetus hujuſmodi, niſi ſpeciali gratiæ ſubſidio fulti, cùm ipſa faciat partem noſtrî ipſorum, & ex quo deſervit ipſa loco organi & inſtrumenti fatalis mundo, obnoxii ſumus periculo mutandi paradiſi in infernum, & convertendæ felicitatis in infortunium. Sanctus Auguſtinus t ait, quòd omnes hoſtes animæ conſiſtunt in bonis & in malis: *Mundus iſte periculoſior eſt blandus quàm moleſtus, & magis cavendus cùm ſe illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni.* Anima bellum patitur è bonis & è malis? ſed ſtatus dulcedinum, blanditiarum, & favorum mundanorum eſt crudelior & periculoſior ſtatu perſecutionum: remedium igitur ad proſternendum hunc inimicum naturæ noſtræ communem perutiliſſimum, & ad referendam glorioſam victoriam de hac voluptate criminoſa, quam mundus nobis offert cum omnibus lenociniis ab ea inſeparabilibus, eſt acceſſus ad Euchariſtiam: Communio ſacra liberat animam ab omnibus præfatis periculis: quantùmvis enim mundus bellum nobis indicat bonis ſuis, æquè ac malis, non eſt cur formidemus conatus ejus; ingredientes enim JESUM Chriſtum per ſacram Communionem, metuere non debemus perſecutiones: & Jeſu Chriſto intrante in nos, & manente in nobis, utquid æmularemur delicias & fortunas mundi, cùm in eo poſſideamus *omne bonum* u? Ratio iſtius eſt, Quia cùm memoria mortis quam JESUS Chriſtus pro nobis pertulit, ſit inſeparabilis à ſacra Communione, & ſacrificium Miſſæ & ſacra Communio ſint repræſentatio ſacrificii crucis & Calvariæ, cùm Filius Dei immoletur ſuper altaribus noſtris ſub apparentia mortis, licèt ſacrificium non ſit cruentum ſicut prius, ut dicebam vobis heri poſt ſanctum Paulum x, *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*: & poſt Eccleſiam, æquè ac poſt ſanctum Thomam, à quibus vocatur Euchariſtia *Memoriale mortis Domini*: difficile eſt vacare voluptatibus, cùm in memoriam revocatur, quòd hoc Sacramentum fuit inſtitutum, ut præ noſtræ mentis oculis jugiter poneret mortem quam ſuſtinuit Dei Filius ad reparandum infortunium, quod immodicum deſiderium capeſſendarum voluptatum invexerat in paradiſum terreſtrem.

Perſæpè loquitur Apoſtolis ſuis de tormentis futuris ſuæ Paſſionis y, ut innueret illis quòd hæc paſſio futura, foret effectus dilectionis ſuæ quæ ipſum triumphare faceret de omnibus martyriis ſuis: non ſolùm autem ipſi ſatis viſum eſt ſi diceret illis, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* z: ſed daturus eis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ut oſtenderet illis diſpoſitiones neceſſarias ad dignè ſuſcipiendum hoc Sacramentum loquitur eis de morte ſua, ut edoceret illos quàm neceſſaria eſſet hæc memoria ad dignè communicandum, & quòd hæc Communio poſteà ſerviret ipſis ad reſiſtendum tentationibus, quæ ipſis acciderent. Propterea poſtquàm locutus eſt eis de proditione Judæ, ut illis, *Hoc facite in meam commemorationem* a. Quaſi diceret eis, Chariſſimi diſcipuli mei, oportet ut memoria veſtra purpuretur ſanguine meo, iſtud eſt quod à vobis requiro, & quod eſt vobis abſolutè neceſſarium ad dignè communicandum, ad excitandā dilectionem veſtram intuitu meæ, quæ me inducit ad dandam vitam meam, æque ac ad effundendū ſanguinem meum propter amorem veſtrum, ad gerendum vos generosè contra inſultationes adverſariorum veſtrorum, & ad reportandam glorioſam de illis victoriam. Fermentum diffundit amaritudinem ſuam, & id omne quod habet malignitatis in maſſam: ſic corpus Jeſu Chriſti ſuſceptum in Euchariſtia cum diſpoſitionibus requiſitis diſſipat omnia conſilia voluptuoſa cordium noſtrorum per memoriam paſſionum ipſius: poſſumus igitur vocare hunc *panem Angelorum* b, panem lacrymarum, ſeu quantùm ad illas quas effundere debemus, memores tormentorum ejus, ſeu ſi velimus illum intelligere de *lacrymis* c, quas effudit ipſe propter amorem noſtrum, *Cibabis nos pane lacrymarum*, aiebat ei David d. Qui conſiderabat per anticipationem hanc menſam ſacram ut aſylum ſuum, *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me* e. Hic victores efficimur de mundo, de deliciis ejus, & de voluptatibus illius criminoſis. Sed poſtquàm Pſalmiſta locutus eſt de robore panis, loquitur de virtute potûs, qui ſanctè inebriat bonas animas, eripiens illis omnem timorem, & confirmans rationem ad triumphandum de omnibus voluptatibus, *Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt* f. *Vinum ergo quoddam ſalutare martyrii eſt, quod cordi lætitiam præſtat* g, *calore fidei animæ puritatem* ait S. Amb. h.

Hoc Sacramentum eſt Divina tutio contra univerſas inſultationes dæmonis, *Omnes fidelium populi, exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam ſumentes ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoriâ teneamus, & contra venena diaboli dulcem medicinam ſempiternæ tuitionis conſequamur*, dicit S. Gaudentius i. Hic inimicus enim nihil æquè timet ac cogitationem cauſæ deſtructionis ſuæ; & ſi aliquid ipſum rabie & furore ciet, quis neſciat quòd illud ſit crux & paſſio, & memoria illius: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem* k *deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti* l. Atqui Euchariſtia eſt memoriale paſſionis & mortis Jeſu Chriſti, ut canit Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus!* Non eſt aliquid potentius, & quod magis inducat hunc ſecundum inimicum communem naturæ noſtræ ad capeſſendam fugam infamem, quam oſtenſio virgæ m, quæ ipſum percuſſit, & deſtruxit. Et licèt Judas ſit convictus avaritiæ n, proditionis o, & deicidii, tamen quia S. Communionem ſuſcepit p cum cæteris, infernus veretur effectus hujus Sacramenti, & conſulit ei mortem q, ne convertatur in bonam emendatæ vitæ frugem. Euchariſtia eſt tormentum dæmonum, quorum omnes impetus & illuſiones, quibus conabantur inducere nos ad malum, diſſipantur & evaneſcunt coram SS. Sacramento quod requieſcit in corporibus noſtris, ut in tabernaculo, ubi communicavimus, ſicut denſiſſimæ quæque tenebræ diſſipantur præ radiis Solis

r Gen. 2, 22.
ſ Rom. 7, 23.
t S. Aug. Epiſt. 144, ad Anaſt.
u Exod. 33, 19.
x 1. Cor. 11, 26.
y Luc. 18, 31.
z Matt. 20, 17, &c.
a Luc. 22, 19, &c.
b Pſ. 77, 25
c Heb. 5, 7
d Pſ. 79, 6.
e Pſ. 22, 5.
f Ibid.
g ex Pſ. 103, 15.
h S. Ambr. ſerm. 72.
i S. Gaud. ſerm. 2, de Manduca. Agni Paſ.
k ex Oſee 13, 14.
l Hebr. 2, 14, & 15
m Iſa. 9, 4
n Matt. 26, 14, & 15.
o Jo. 12, 5.
ſ Jo. 18, 5.
p Jo. 13, 26, &c.
q Matt. 27, 5.

In hoc Sacramento comedimus panem, qui confirmat cor noſtrũ, ut loquitur Propheta r, *Panis cor hominis confirmet.* Et Lorinus ſ declarans effe-ctus hujus Sacramenti ad propoſitum noſtrum dicit, *Experiuntur, qui Euchariſticam frequentant panem eâ ut par eſt comparatione animi, quantum inde virium conſequantur; primæva illa Eccleſia tam fortes talis athletas, ſive Martyres, ſive Confeſſores, quòd ſacri hujus cibi quotidianum uſum haberet in more, ſuperſubſtantialis t Divinam ſubſtantiam communicantis.* Quem cùm aliquando oblitus eſſet idem David u comedere per fidem, cùm non poſſet illum tunc realiter, eò quod tunc Filius Dei non eſſet incarnatus, dicebat, *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Non loquebatur de pane ordinario, ut dicit idem Lorinus *, recenſens Caſſiodorum, *Certè, ut ait Caſſiodorus, non poterat de amiſſione panis conqueri corporalis, qui ſe jejuniis gaudebat affligi.* Sed de pane cœleſti, quo nutriebat amorem ſuum per fidem in Meſſiam venturum. *Tamen ipſe eſt panis, qui de cœlo deſcendit* x. *Fortes ſunt Martyres firmi ſunt Martyres: ſed panis confirmat cor hominis*, ait ſanctus Auguſtinus y. Et ubi lectio vulgata dicit, *Panem Angelorum manducavit homo* z, litera Hebraica legit, *Panem fortium comêdit vir.* Unde ſanctus Chryſoſtomus a concludit, *Tanquam leones igitur ignem ſpirantes, ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente revolventes, & charitatem quam erga nos oſtendit.*

Panis iſte ſacer dat incrementa pietati, mitigat inquietudines mentis, languentes ſolatur inter anguſtias hujus vitæ, quandiu compeſcit motus inordinatos carnis, quæ eſt ſimiliter communis hoſtis naturæ noſtræ. Deo præcipiente, Eliæ, *corvi deferebant panem & carnes* b. Sed quare Deus utitur corvis ad providendã neceſſaria Prophetæ ſuo? Cur non inſumit aliquam aliam avem, quæ non ſit ita ſanguinaria, & quæ ſit minùs dedita carnificinæ, quàm ſit corvus? Vultisne ſcire rationem iſtius modi procedendi Dei? Ecce, præſto eſt: panis, quem unus è corvis deferebat ad Eliam, erat figura S. Sacramenti: permittebat igitur Deus ut alter corvus abſtinentiam cuſtodiret contra naturam ſuam propter ſocium ſuum, qui aſſumebatur ad officium ſic nobile, ideòque non comedebat carnem, licèt voraciſſimus: ſic quicumque accedit ad hoc Sacramentum, deſinit eſſe carnalis: panis iſte Euchariſticus vires nobis tribuit contra carnis inſultationes quæ nobis ſic ſunt ordinariæ.

Huic veritati Scriptura c alibi conciliat auctoritatem, *Deſcenerunt aquæ Iordanis ante Arcam fœderis Domini cùm tranſiret eum.* Quare ſtatim ac Arca Domini ingreſſa eſt fluvium Jordanem, aquæ illius fluere deſtiterunt contra morem ſuum ordinarium, unde miratur Pſalmiſta d, *Quid eſt tibi Iordanis, quia converſus es retrorſum?* Ratio iſtius eſt, quia aquæ iſtæ aliquam exhibebant reverentiam Arcæ. Sed quare? dicetis mihi. Quia Arca *habens manna* e, quod erat ſymbolum ſanctiſſimi Sacramenti, talem merebatur reverentiam! atqui è corde noſtro impetuosè fluunt noſtræ paſſiones inordinatæ, quarum unusquisque noſtrûm perſæpè patitur rigorem & violentiam, ſic ut ſanctus Paulus, licèt *raptus in paradiſum* f, de illarum ſic quereretur inſultationibus, à quibus non erat immunis, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* g. Sicut autem hæc Arca teſtamenti habuit virtutem ſiſtendarum aquarum Jordanis, quia manna quod in illa incluſum erat, figurabat Euchariſtiam: potiori ratione Euchariſtia ſiſtet fluxum inordinatum paſſionum noſtrarum, cùm ipſa ſit realitas & corpus, Arca verò ſeu manna in illa incluſum, non eſſet niſi illius umbra, æquè ac figura. Si autem capeſſebat inde David anſam admirationis; cur potiori ratione non mirabimur vidẽtes impetus concupiſcentiæ noſtræ ſiſtere in interiori noſtro, experientes illam veluti ligatam, & paſſiones illas animales ſteriſſe? Iſte eſt conatus virtutis præſentiæ ſanctiſſimi Sacramenti, *Sedat cùm in nobis manet Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, perturbationes animi extinguit*, ait ſanctus Cyrillus Alexandrinus h. Et ſanctus Bernardus i, *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & minuat ſenſum in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrûm non tam ſæpè modò, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi; gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat quòd peſſimum ulcus accedat ad ſanitatem.* Iſte eſt panis fortium, cùm tribuat vires ad exercendam virtutem & ſanctitatem, & ad proſequendum odio vitium quod eſt præcipuum præ tribus prædictis inimicis cui bellum debemus indicere, cùm ſola illius deſtructio beatos nos efficere poſſit: ſicut cùm Apoſtolis *Ieſus edentibus dixit, Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt: contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere, Nunquid ego ſum Domine* k? Seriò reflexerunt ſe Apoſtoli ſuper conſcientiam ſuam, ſic abhorrebant hoc auſum ſacrilegum: *Contriſtabantur, quia unusquisque eorum timebat ſibi ipſi, ne ex humana fragilitate tale crimen incurreret; ſcientes verba Magiſtri ſui non poſſe eſſe mendoſa: quòd inter eos ſuit aliquis tam perverſus: nam & crimen unius de congregatione in totam congregationem ſæpè redundat, & dolens de lapſu ſodalis, ſicut de proprio dolet*, ait Dionyſius Carthuſianus l.

Dei Filius igitur in hoc Sacramento comitem ſe nobis ſociat certaminis, & nobis vires providet, ut eo feliciter & glorioſè perfungamur: ideò conſulo vobis cum ſancto Paulo m, *De cætero, Fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem: ſed adversùs Principes & Poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Seu, cum Carthuſiano n, *De cætero, id eſt, inſuper & tempore adhuc reſtante, Fratres, confortamini in Domino, id eſt, ſpirituale robur à Deo adipiſci ſtudete, & contra impugnationes mundi, carnis, atque diaboli roboretur cor veſtrum in Domino, id eſt, gratiâ ejus, & in certa fiducia Divini auxilii, & in potentia virtutis ejus, id eſt, in poteſtate Dei, innitendo ſemper Divinæ Potentiæ, non propriis viribus. Vel in potentia virtutis ejus, id eſt, in efficaci fortitudine à Deo infuſa, quæ animum roborat in adverſis. Induite vos armaturam Dei, id eſt, virtutibus interiora veſtra veſtite, videlicet intellectum prudentiâ, voluntatem juſtitiâ, ſenſitivum appetitum cæteris virtutibus moralibus. Hæc enim ſunt arma ſpiritualia à Deo fabricata ac data, quibus anima contra omnia nocamenta munitur. Vt poſſitis ſtare, id eſt, fortiter dimicare ac prævalere adversùs inſidias, id eſt, occultas machinationes diaboli, qui ſe frequenter transfigurat in Angelum lucis* o, *ſub ſpecie boni multa mala proponens.*

r Pſ. 103, 15.
ſ Lorin. in Pſ. 103, 15.
t ex Matth. 6. 11.
u Pſ. 101. 5.
* Lorin. in Pſ. 101. 5.
x ex Joan. 6, 51.
y S. Aug. ſerm. 14. de Verb. Dom. c. 1.
z Pſ. 77. 25.
a S. Chryſ. hom. 61. ad p. p. Antioch.
b 3. Reg. 17, 6.
c Joſue 4, 9.
d Pſ. 113, 5.
e Heb. 9, 4.
f 2. Cor. 12. 4.
g Rom. 7.
h S. Cyril. Alex. l. 4. in Joan. 19.
i S. Bern. ſerm. 1. in Cœna Dom.
k Matt. 26. 19, &c.
l Dion. Carth. art. 41, in Matt. 26, 22.
m Ephe. 6, 10, &c.
n Dion. Carth. art. 6, in Ephe. 6, 10, &c.
o ex 2. Corint. 11, 14.

Quo-

Quoniam non eſt nobis colluctatio principalis, aut ſola adverſus carnem aut ſanguinem, id eſt, vitia carnis. Unde Dominus in Geneſi p *ait, Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Veruntamen grave bellum habemus contra carnem & ſanguinem, id eſt, mundum & concupiſcentias carnis. Bellum verò quod contra hoſtes inviſibiles habemus, perculoſiſſimum eſt, atque graviſſimum. De quibus ſubjungitur, Sed adverſus Principes, & Poteſtates, id eſt, Angelos apoſtatas ſeu dæmones, qui erant ante lapſum de ordinibus Principatuum, & Poteſtatum. Eſt enim dæmonibus prælatio quædam, eò quòd omnes concordes ſint in deſiderio nocendi hominibus. Adverſus mundi rectores, id eſt, contra prædictos inviſibiles hoſtes hominum ſæcularium directores ac Principes. Tenebrarum harum, id eſt, hominum obtenebratorum. Contra ſpiritualia nequitiæ, id eſt, agmina dæmonum nequitiæ plena, habitantia in cœleſtibus, id eſt, in aere caliginoſo, in quo dæmones complures uſque ad diem judicii volitant.* Macti igitur animo, Auditores, habetis Deum in vobis, & Deus poſſidet vos per ſacram Communionem ad quam acceſſiſtis intra hanc Octavam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Ecce Socius vobis adjungitur certaminis, *Dominus exercituum* q. Quid vobis eſt deinceps pertimeſcendum? Quid boni non debetis polliceri vobis ex tali conſortio? Terrore concutientur hoſtes veſtri, intuentes vos tali adjutorio fultos, & ſibi opponi reſiſtentiam: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis* r. *Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum, ſi exurgat adverſùm me prælium, in hoc ego ſperabo* ſ. Si autem Job t dicebat, *Domine pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me,* quid timere debemus nos, qui non ſolùm proximi ſumus Deo, ſed etiam ſumus in Deo, & in quibus eſt Deus intimè per unionem admirabilem Euchariſtiæ, quæ aliàs præbebat vires puellis ætate & ſexu infirmis ad ſubſannandos Tyrannos, ad deridenda eorum ſupplicia, & ad glorioſè triumphandum de illorum malitiâ? Quidnam operabatur hæc omnia mirabilia in ſubjectis ex natura ſua ſic infirmis, niſi manducatio panis iſtius divini, qui roborans corda eorum, ea reddebat omnibus fortunæ & malitiæ ictibus impervia? *Et panis cor hominis confirmet* u. Qui virtute ſua victores reddit in omnibus occurſibus eos qui ipſum dignè ſuſcipiunt, nedum aliquid timere debeant, ſemper certi ſe numeraturos victorias ſuas juxta numerum certaminum ſuorum. Eia ergo, Auditores, recurrite ad hoc divinum armamentarium & in omnibus neceſſitatibus veſtris educetis ex eo arma offenſiva & defenſiva, quæ tuebuntur vos ab omnibus conatibus hoſtium veſtrorum, de quibus vos victores reddent. Iſte modus, quem providet vobis divina Bonitas eſt faciliimus: ſufficit ut manducetis ad hoc ut vincatis; ſatis eſt ut communicetis huic menſæ ſacræ, in qua cum gratia præbentur vobis vires ad triumphandum de omnibus veſtris hoſtibus.

Sed allegabitis mihi pro excuſatione, quòd ſuſcipitis hoc Sacramentum ita benè ac poteſtis, & tamen quòd nullum progreſſum faciatis in gratiam Dei, & in vitam Spiritus. Ad hoc reſpondeo vobis, hallucinari vos, ſi credatis quòd non creſcatis in virtute, licèt hoc augmentum non ſit vobis ſenſibile; cùm iſtud Sacramentum præbens vobis vires contra inſultationes hoſtium veſtrorum, præſervet vos à majoribus culpis, in quas caderetis abſque iſto præſidio: & prætereà vobis dico, quòd ſi ſuſceptâ Communione, & conſequenter abundantiâ gratiarum à Deo *diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt* x tamen; ideò tantùm quia fuerunt puſillanimi: ita veſtra puſillanimitas eſt cauſa multorum defectuum, quos ſæpè patratis, quamvis per ſacram Communionem vires ſuſceperitis ad reſiſtendum inſultationibus hoſtium veſtrorum; hæc puſillanimitas eſt cauſa fructus exigui quem percipitis ex Euchariſtia.

Hoc Sacramentum eſt inter Sacramenta more Solis inter planetas: Sol vibrans & communicans ſuas influentias, effundit illas juxta qualitatem ſignorum Zodiaci, in quibus invenitur: v.g. in ſigno virginis, percutit ſuaviter gratioſis radiis ſuis: in capricorno, qui antè eſt capra, & retrò piſcis, radii influentiarum ejus non ſunt ita vivi, ſed quaſi languidi & ſine vigore, unde illi, quibus dominatur iſtud aſtrum, cor habent puſillanimum & timidum: tandem, ſi ingrediatur cancrum, ſignum malum & venenoſum, influentiæ illius ſunt periculoſæ & malignæ, nec cauſant, niſi ruinas & miſerias, peſtes & mortes: iſte Sol ſplendens Euchariſtiæ habet effectus differentes, conformes bonæ aut malæ diſpoſitioni eorum qui ipſum ſuſcipiunt. Ideò Clemens Alexandrinus y obſervat quòd in menſa ubi erant panes propoſitionis, figuræ S. Sacramenti, depicta erant duodecim ſigna Zodiaci per circuitum ad ſignificandam nobis hanc veritatem, quòd iſtud Sacramentum ſuis influit gratiis ſecundùm diſpoſitionem illorum qui ipſum ſuſcipiunt, *Menſa in templo erat ſex cubitorum, & ejus pedes quatuor erant circiter unius cubiti & dimidii. Colligunt ergo omnes cubitos duodecim, conveniebant duodecim menſium converſioni, quæ fit per circulum anni.* Ecce iſte *Sol juſtitiæ* z, percurrit duodecim ſigna duodecim Apoſtolorum. Ingreditur in S. Petrum ferventem & generoſum, ut in ſignum leonis, & influit in circumferentiam mentis ejus ac cordis, cogitationibus audacibus & firmis conſiliis volendi mori pro Domino ſuo, *Qui dixit ei, Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire* a. Indè intrat in virginem, id eſt, in S. Joannem, & radiat ſuper eum ita benignis influentiis ut dormire eum faciat quaſi liquefactum amore in ſinu ſuo, ut concinit Eccleſia poſt ipſiuſmet S. Joannis teſtimonium, *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit* b: *Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum. Quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit. In cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit* c. Illinc exit ad cæteros Apoſtolos ut in tot capricornos puſillanimos, trementes, & algentes intuitu amoris ergà ipſum, timidiores piſcibus & leporibus, & non influit in eos his ardentibus cogitationibus ſicut in alios, unde fit ut fugiant, & recedant à Domino ſuo, *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt* d. Tandem, Venit ad ſignum cancri, in Judam, ſignum infelix & peſtiferum, & ecce influentiæ Solis iſtius extraordinariè malignæ, *Et poſt buccellam, tunc introivit in eum Satanas* e. Ignis infernalis adhæſit ei, Satan dominum ſe illius reddidit, *Et ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus* f. Et anima ejus projecta eſt in inferos. Si, Auditores, ſi accedatis more leonis, ad hunc Solem Sacramentorum cum firmo conſilio moriendi potiùs quàm offendendi Dei, reddet ipſe vos inexpugnabiles virtute influentiæ gratiarum ſuarum: ſi ad ipſum accedatis, ſicut virgo, cum puritate cordis, quaſnam dulcedines non experiemini in eo? ſi è contrà ipſum adeatis ut cancer, ut infamis Judas, horribi-

p Gen. 6. 3
q Iſai. 6. 3
r Pſ. 90. 7
ſ Pſ. 26. 3
t Job. 17. 3
u Pſ. 103. 15
x Matth. 26. 56. &c.
y Clem. Alex. l. 6. Stromat. in med. ex Exod. 25. 30. vel ex 3. Reg. 7. 48
z Malach. 4. 2
a Luc. 22. 33. &c.
b ex Joan. 13. 23
c ex Joan. 19. 27
d Matth. 26. 56
e Jo. 13. 27
f Act. 1. 18 & ex Matt. 27. 5

les ſuſcipiatis ibi influentias, condemnabitis vos ad flammas æternas, trademini manibus Satanæ, haurietis judicium ignis: *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit* g. *In igne dijudicabit Dominus* h. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* i. Ha! Auditores, cavete ne ſuſcipiatis Deum veſtrum, inſtar Judæ, cum peccato mortali: ſuſcipite eum potiùs, ſicut S. Joannes, aut inſtar S. Petri: propterea diligentem peragite præparationem antequàm accedatis ad hanc ſacram menſam. Dominus noſter Jeſus Chriſtus erat *pauper* k toto tempore vitæ ſuæ, ita ut *non* haberet *ubi caput ſuum* l reclinaret: tamen cùm actum fuit de inſtitutione Euchariſtiæ, voluit hoc in occurſu apparere dives, & parandum *cœnaculū grande ſtratum* m. Unde nobis voluit oſtendere modum præparandi nos ad ſuſceptionem hujus divini Sacramenti, & ornandi animas noſtras tapetibus ſanctarum virtutum, purificandique eas ab omni genere ſordium & peccatorum: ſic ubi filius prodigus *ſurgens venit ad patrem, dixit pater ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur* n. Sed quare pater ſatagit filium ſuum induendum priùs quàm paſcendum: cùm tamen illum fames premeret, ſicut ipſe teſtatur, *Ego autem hic fame pereo.* Ha! pater vult ut induatur, & ornetur prius, ut innuat nobis, Auditores, quòd quantùmvis indigeamus hoc cibo divino, non debemus tamen illum comedere priùs quàm purificaverimus animas noſtras, & eas induerimus & ornaverimus divitibus veſtimentis & margaritis ſanctarum virtutum; purificaverimus eas, inquam, lacrymis amaræ contritionis, obſequio bonæ confeſſionis, & debito rationabilis ſatisfactionis. Iſtud nos edocet Apoſtolus o, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et ita *panem de cœlo* p comedens, efficiatur ipſe cœleſtis: *panem Angelorum* q manducans, ipſe fiat Angelicus: ſumens panem immaculatum r, ſit ipſe ſine maculâ: ſuſcipiens panem, qui eſt verus Deus, ſit ipſe Deus ſ per imitationem, juſtus, ſanctus, mitis, miſericors, & perfectus, *ſicut perfectus eſt* t, *miſericors* u, *mitis* x, *ſanctus* y, *& juſtus Deus noſter* z idem. Difficile eſt explicatu quàm magna debeat eſſe puritas, quam Deus requirit à nobis accedentibus ad hoc ſanctum Sacramentum: oportet ut aurum ſit benè purum ad hoc ut igne non examinetur: *Ignis in conſpectu* a Dei exardeſcens, id eſt, ignis judiciorum Dei adhærebit vel minimo pulveri. Non datur ingreſſus in palatia, & in conclavia regum terrenorum, niſi illis qui ſplendidè ſunt induti, & cogniti: quantò magis eſſe parati debent illi, qui volunt admitti ad aulam ſacræ menſæ illius qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus Dominantium* b? Cùm Jeſus Chriſtus communicare voluit Apoſtolis ſuis corpus ſuum, & ſanguinem ſuum, prius *cœpit lavare pedes* c illorum. Sed quare hoc? nonne mundi erant? Etiam: ipſe enim dixit eis: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes,* ſubdit paulò pòſt ipſe de Juda. Si ergo mundi erant: utquid denuò voluit illos mundare? Ratio iſtius eſt, quia non poſſumus eſſe nimis mundi ad ſuſcipiendum hunc Agnum immaculatum, & ne exponamus nos comburendos igne judiciorum ejus. Debemus igitur nos ipſos judicare in tribunali noſtræ conſcientiæ, ne teneamur aliquando ſic exactam reddere rationem eorum quæ geſſerimus, coram tribunali ſeveræ juſtitiæ ejus, *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur* d. Auſcultate S. Auguſtinum e ad propoſitum noſtrum de corpore Jeſu Chriſti loquentem: *Quando enim illud accipere debemus, anteà ad Confeſſionem & Pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus noſtros curioſiùs diſcutere: & peccata obnoxia ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per Confeſſionem & veram Pœnitentiam abluere, ne cum Iuda proditore, diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes & celantes peccatum noſtrum de die in diem.*

g 1. Cor. 11. 29
h Iſai. 66. 16
i Hebr. 12. 29 ex Deut. 4. 24
k Pſ. 87. 16
l Matth. 8. 20
m Marc. 14. 15
n Luc. 15. 20. &c
o 1. Cor. 11. 28
p Sap. 16. 20
q Pſ. 77. 25
r 1. Petr. 1. 19
ſ Pſ. 83. 6
t Matth. 5. 48
u Pſ. 105. & Luc. 6. 36
x Matth. 11. 29
y Levit. 19. 2
z Pſ. 114. 5
a Pſ. 49. 3
b Apoc. 19. 16
c Joan. 13. 5. &c

Suſcipio S. Sacramentum, dicet mihi aliquis ex vobis, ſed ſine guſtu, & abſque eo quòd experiar ullam è ſuavitatibus ejus. Credo tibi, ſed crede etiam mihi, quòd iſte defectus eſt tibi imputandus, non verò Euchariſtiæ. Quomodo accedis ad menſam ſacram? Nonne tibi *contigit illud veri Proverbii* f, *Canis reverſus ad ſuum vomitum: & Sus lota in volutabro luti* g? Nunquid non iſtum ſacrum cibum ſumis cum conſcientiâ peccati lethiferi? Nonne ore polluto innumeris abominationibus? *Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos* h. Suſcipiens autem hoc divinum Sacramentum in tali ſtatu putasne te perfundendum conſolationibus, quibus cumulat Deus eos qui ad ipſum recipiendum ſe dignè præparare ſatagunt? Hallucinaris turpiter: nonne enim ſcis, quòd vel ipſum ſaccharum, quod naturâ ſuâ eſt dulciſſimum, efficitur amarum oribus infirmis, quæ habent guſtum depravatum? & quod mel convertitur in bilem in malo temperamento? Habens palatum animæ tuæ corruptum, quomodo vis experiri inexplicabilem dulcedinem iſtius divini Sacramenti? Errorem depone, hoc fieri non poteſt, nec Deus illud vult: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum* i? Quale eſt teſtamentum Dei, niſi iſtud Sacramentum amoris, ſacrum memoriale granarum ejus? Et ſi aliàs in ſacrificiis Ethnicorum contentâ voce inclamabat præco, ad expellendos ex iis indignos, *Procul hinc, procul eſte profani*: Eccleſia concinit poſt S. Thomam, *Ecce panis Angelorum* k *factus cibus viatorum: verè panis filiorum, non mittendus canibus* l. Procul ergo animæ criminoſæ ab hoc Sacramento: ipſum eſt panis Angelorum, non dæmonum; cibus eſt Juſtorum, & non impiorum; alimentum eſt non reproborum, ſed Prædeſtinatorum, qui ad illud accedunt inflammati amore ſacro, & immunes non ſolùm à peccatis, ſed ab omni genere cujuslibet affectus. Moyſi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, ſolve calceamentum de pedibus tuis* m. Sic ſi volumus accedere ad hunc rubum amore ardentem Euchariſtiæ, Deus vult ut non ſolùm ſimus immunes à peccatis, ſed etiam ab omni affectu non rectæ rationi conſono, calceamenta à pedibus noſtris amoventes, id eſt, affectus etiam noſtros purificantes, *Pes tuus, affectio tua,* ait S. Bernardus n.

Tandem, Deus requirit à nobis ut peragamus id, quòd fiebat aliàs in conviviis, nimirum, quòd poſt epulas afferebantur inſtrumenta muſica, & unusquisque è convivis vocem ſuam ſocians ſono alicujus ex illis inſtrumentis, aliquam jucundam

con-

d 1. Cor. 11. 31
e S. Aug. l. de Salutarib. Document. c. 33 ex 1. Cor. 11. 28
f ex Prov. 26. 12
g 2. Petr. 2. 22
h Pſ. 49. 19
i Pſ. 49. 16
k ex Pſ. 77. 25
l ex Matt. 15. 26
m Exod. 3. 2. &c
n S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. Qui habitat

concinebat cantilenam. Hoc erat forſan id, quod nobis deſcribit Eccleſiaſticus o, *Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus muſicorum in jucundo & moderato vino.* Eodem debemus nos gerere modo: poſt ſuſceptum divinum iſtum cibum, jucundam canere debemus cantilenam muſicam Deo noſtro; elevando nos per tonum, qui vocatur Superius, uſque ad cœlos, in contemplationem potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ejus, quarum miracula vidimus in progreſſu iſtius Octavæ: deprimendo nos per tonum, qui dicitur Inferius, uſque ad centrum nihili noſtri, agnoſcendo iſtud nihilum noſtrum coram ipſo, & inflammando nos amore ejus: & inſiſtendo per tonum, qui nuncupatur Contra, in contemptum omnium amorum terrenorum, nedum velimus ulli ex illis locum dare apud nos, ſed ſolum amorem Dei in nos ſuſcipere.

Si autem ſic eſſetis imperiti, Auditores, ut neſciretis canere partem veſtram in hoc concentu muſico, diſcite eam à ſancto Simeone, qui ubi *venit in ſpiritu in templum, & cùm inducerent Puerum Ieſum Parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem Legis † pro eo: & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël* p. Quaſi diceret, Oculi mei qui viderunt Deum ſuum in terrâ, poteruntne ſiſtere in vanitate creaturarum contemplandâ? Æterno potiùs claudantur ſomno. Manus meæ, quæ tetigerunt puritatem hujus Pueri Divini, poteruntne profanari tactu aliarum rerum? Ha! potiùs operiat illas *umbra mortis* q. Iſtud os quod oſculatum eſt iſtum divinum vultum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* r, poteritne inquinari oſculis, id eſt, affectibus erga immunditias terræ? Ha! areat ipſum potiùs cum diebus meis, *Nunc dimittis*, &c.

Canite hoc devotum Canticum, Animæ Chriſtianæ, poſt ſacram Communionem, dicentes ſingulæ, Suſcepi Dei Filium in os meum, poteróne iſtud os inquinare murmuribus & detractionibus? Tetigi linguâ meâ carnem immaculatam Regis Angelorum: poteróne eam rebus immundis terræ immiſcere? Suſceptus eſt in cor meum *Deus pacis, & dilectionis* ſ. Sinamne ut ad illud accedant diſcordiæ, & odia? Ha! moriar potiùs quàm in exceſſus iſtos erumpam. Ideò proficuè volo intumere *lumen* gratiæ, quod ipſe paravit mihi, ut tandem illius *in lumine lumen* t videam gloriæ,

o Eccli. 32.8
† ex Levit. 12. 6. &c. & ex Exod. 13. 2
p Luc. 2. 27. &c
q Job 10. 22
r 1. Petri 1.12
ſ 2. Cor. 13. 11
t Pſ. 35. 10

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Quis putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Luc. 1. 66. &c.

HÆc verba ſunt vox admirationis, quæ exit ex ore totius populi, qui videt vel qui dicit mirabilem vel inſperatum partum ſanctæ Elizabeth uſque nunc ſterilis, & quæ habebat convenientiam cum voce antiquorum Hebræorum, qui videntes in deſerto terram opertam exiguo cibo miſſo è cœlo, & nondum viſo in terra, præ admiratione petebant quidnam illud eſſet: *Manè ros jacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filii Iſraël dixerunt ad invicem, Manhu? (quod ſignificat, Quid eſt hoc?) ignorabant enim quid eſſet* a. Et ſanè jure merito, cùm hæc parva grana compacta manibus Angelorum, & data favorabiliter è cœlo, præ ſe ferrent guſtum & dulcedinem omnium ciborum deliciosiſſimorum, quos terra poſſit producere, ſicut ait Sapiens b, Deum alloquens, *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Sed ſtupor iſte qui commovit hunc populum *in ſolitudine*, ciet eundem hodie in montibus *Iudaæ*, videndo naſci cum numero innumero prodigiorum, ſubjectum incognitum, & datum favorabiliter è cœlo contra ſpem hominum, qui confitentur quòd opus iſtud venit non ab Angelis, ſed è manu Dei, qui ipſum comitatur, & auxiliatur ipſi manu ſuâ beneficâ, qui concedit ipſi in nativitate ſua omnes prærogativas & perfectiones omnium aliorum Sanctorum è mulieribus natorum c, ſic ut exprimi non poſſit ipſius magnitudo, niſi dicendo, *Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Conemur iſtam ſcire veritatem: ideòque petamus illius notitiam à Spiritu ſancto per interceſſionem B. Virginis, quæ fuit inſtrumentum præcipuum magnitudinis illius: ipſa nobis eam impetrabit, ſi dicamus ei cum Angelo, *Ave Maria*.

Si ad ſatisfaciendum ſanctæ curioſitati eorum, qui à me petunt hodie, quis futurus ſit hic infans, qui naſcendo manum Dei ſecum defert, illius præſagia & perfectionem educere vellem ex eo quod accidit in ipſius nativitate, inde magnas haurirem excellentias & perfectiones: & ſicut Philoſophi audent eruere diverſa accidentia vitæ & mortis hominum ex inſpectione aſtrorum & planetarum præſidentium ipſorum nativitati, quod ipſi vocant Horoſcopum: ſi perſcrutari vellem novitates & miracula, quæ occurrunt hodie, non poſſem quin hinc educerem vitam miraculoſam, & actiones quæ ſuper naturæ ſunt cogitationem & cognitionem hominum. Mulier ſterilis ipſum concipit, & parit, *Elizabeth concepit filium in ſenectute ſua: quæ vocatur ſterilis, & peperit* d. Quia ipſe fœcundare debet verbo ſuo, & exemplis ſuis corda ſterilium. Nativitatis ipſius nuntium fert *Angelus, Zacharia exaudita eſt deprecatio tua; & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium* e. Quia vita ipſius debet eſſe plùs Angelica, quàm humana: *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, ait Deus apud S. Matthæum f per Malachiam. Et apud Dionyſium Carthuſianum g, *Ecce ego Deus Pater, vel Trinitas, mitto Angelum meum, id eſt, hominem converſationis Angelicæ.* Pater ipſius fit mutus ad nuntium quod ipſi datur nativitatis ipſius, *Angelus dixit ei, Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant: pro eo quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo* h. Et tandem ipſe verbum recuperat, ſeu loquelam in nativitate filii promiſſi è cœlo: *Apertum eſt autem*

a Exod. 16. 14 & 15
b Sap. 16. 20
c Matth. 11. 11
d Luc. 1. 36. & 57
e Luc. 1. 13
f Matt. 11. 10. ex Malach. 3. 1
g Dion. Carth. art. 21. in Matt. 11. 10
h Luc. 1. 19. & 20

eſt illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur, benedicens Deum i. [i Luc. 1. 64] Quia ille qui naſcebatur, erat vox cœli, *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta* k. [k Jo. 1. 23. ex Iſai. 40. 3] Pater ipſius Sacerdos, evadit Propheta, quia mundo dat illum, quem Filius Dei ipſemet vocat *Prophetam, & pluſquàm Prophetam* l: [l Matth. 11. 9] qui monſtrare debet adventum illius qui eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* m: [m Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18] & digito manifeſtare eundem Salvatorem mundi, dicens, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* n. [n Jo. 1. 29] *Sacerdos Zacharias Pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit, dicens; Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri* o. [o Luc. 1. 5 &c] Tota Judæa lætatur, ſicut ait Angelus, *Et multi in nativitate ejus gaudebunt* p. [p Luc. 1. 13. & 14] Quia reparatio ejus appropinquat, *Quia ſperabant hunc puerum magnæ fore utilitatis & gratiæ, ita quòd totus populus Iudæorum ex ipſo proficeret, atque divinitùs juvaretur per ipſum*, ait Dionyſius Carthuſianus q. [q Dion. Carth. art. 2. in Luc. c. 14] Infans ſuſcipit novum nomen, quòd ſignificat gratiam, ſicut idem patri ejus Zachariæ ait Angelus, *Vocabis nomen ejus Ioannem* r. [r Luc. 1. 13] *Ioannes namque in quo eſt gratia interpretatur*, ſubdit idem Carthuſianus ſ. [ſ Dion. Carth. art. 2. in Luc. 1. 13] Quod pollicetur hominibus nomen incognitum, & quod ipſi educent è vera gratia, quam hic infans ipſis offeret per baptiſmum, & per pœnitentiam, *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* t. [t Marc. 1. 4] Tandem, Id omne quod accidit hâc die fortunatâ, eſt augurium omnis illius, quod ſequetur vitam novi iſtius infantis. *Quis putas, puer iſte erit* poſthæc? Reſpondeo cum Eccleſia poſt Evangeliſtam noſtrum, *Iſte puer magnus coram Domino: nam & manus ejus cum ipſo eſt.* [Diviſio] Id eſt, manus Patris, qui ipſum purificavit à peccato: manus Filii qui ipſum illuminavit cognitione magnitudinis ſuæ, ut poſſet alios illuminare: & manus Spiritus ſancti, qui ipſum perfecit omnibus gratiis ſuis. Iſtud eſt quod volo vobis oſtendere in tribus partibus hujus diſcurſus, ut ſatisfaciam pietati quâ afficimini ergà hunc magnum virum.

[I. Pars] Juſtificatio animæ, ſive à peccato originali per Baptiſmum, in quo renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto* u, [u Jo. 3. 5] ſive à peccato actuali per *Pœnitentiam* x, [x Luc. 13. 3] eſt opus eximium potentiæ Dei, ſecundùm id quod docet ſanctus Thomas y, [y S. Thom. 1. 2. q. 113 a. 9 ex S. Aug. tract. 72. in Jo. 14. 12] quòd ſanctus *Auguſtinus dicit exponens illud Ioannis, Majora horum faciet quòd majus opus eſt ut ex impio juſtus fiat, quàm creare cœlum & terram.* Requiritur manus omnipotentis Dei operatio ad reddendam hanc actionem, impoſſibilem toti naturæ; moltò melius quàm in creatione mundi: ſicut re verâ bonum quod ſuſcipimus per remiſſionem peccati, eſt multò incomparabiliter majus eo, quod ſuſcipimus per creationem, in qua Deus nos educit è nihilo, & nobis dat eſſe: ſed cùm dimittit peccatum, ipſe reparat hoc eſſe, nos educit è nihilo peccati, *Manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait idem ſanctus Auguſtinus z. [z S. Aug. tract. 1. in Joan. 1. 3] Et nobis communicat ſanctitatem ſuam: *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, dicit ſanctus Paulus a ſcribens Corinthiis, [a 1. Cor. 6. 11] qui peccatis inquinati fuerant innumeris. Iſtud eſt privilegium, quòd nobis conceditur cùm interventu Pœnitentiæ, quæ *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*, ut ait ſanctus Hieronymus b: [b S. Hier. epiſt. 47. n. 6] & Tertullianus c [c Tert. l. de Pœnit. c. 4] loquens de ea, *ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem*: redimus ad illum, cùm ſumus adjuti & potenter roborati favorabili auxilio quod ipſius divina miſericordia nobis impendit: vel cùm ſine ulla actione quam producamus ex parte noſtra, quippe quam producere non poſſimus propter infirmitatem ætatis noſtræ teneriimæ, miſericorditer lavamur in aquis ſalutaribus Baptiſmi à culpa originali, per quam *omnes eramus naturâ filii iræ* d, [d Eph. 2. 3] & conſequenter inimici ipſius; & interventu gratiæ collocamur in numero filiorum ipſius adoptivorum, ut ſimus aliquando cohæredes gloriæ Filii ipſius: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chriſti* e. [e Rom. 8. 16. & 17] Quòd ſi favor hic inſignis teſtatur potentiam Patris æterni, & amorem quo ipſe nos diligit, & nos elevat ad ſupremum apicem excellentiæ & magnitudinis, ſic ut non ſit aliquid quod adæquare poſſit animam quæ eſt in gratia Dei: non eſt ambigendum quin gratia, quam Deus largitur quibuſdam animabus electis & erutis è communitate hominum, per ſanctificationem particularem, & propter bonum univerſale, ſit multò excellentior, & eas elevet ad celſiorem apicem magnitudinis & perfectionis. Talis eſt gratia, quam Deus omnipotentiâ ſua concedit ſancto Joanni, & quæ meretur ei nomen magni coram ipſo qui non intuetur aliquid magnum præter ſeipſum, *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*, ait ipſi Jeremias f. [f Jer. 32. 19] Cùm Eccleſia canat de illo, *Iſte puer magnus coram Domino.* Verùm quidem eſt, quòd omnia ſunt eminentia in nativitate, in vita, & in morte iſtius magni viri, qui eſt pluſquàm homo magnitudine & perfectione. Conceptio ipſius annunciatur ab Angelo parentibus ſterilibus, & ætate confectis: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia* g: [g ex 1. Paral. 24. 10] *& uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Et non erat illis filius: eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Apparuit autem illi Angelus Domini, & ait ad illum, Zacharia, exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium* h. [h Luc. 1. 5. &c] Nativitas ipſius eſt magna, cùm Filius Dei & Mater ipſius ibi interſint cum tantis curis; & ipſum conſequenter ac matrem ipſius cumulent tot favoribus & gratiis. *Manſit autem Maria cum illa, Elizabeth, menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam in Nazareth. Communiter dicunt Doctores, quòd non receſſerit Maria, quouſque naſceretur Ioannes, Vnde in Scholaſtica fertur Hiſtoria, quòd ipſa infantem levavit de terrâ, ut ſcribitur in libro Iuſtorum; id eſt, Nazaræorum, ut quidam explanant*, ait Dionyſius Carthuſianus i [i Dion. Carth. art. 4. in Luc. 1. 56] poſt Evangeliſtam noſtrum. Et diſertiùs ſanctus Bernardus k, [k S Bern. ſerm. de Privileg. S. Joan. Bapt.] *Tanto tempore manet cum Elizabeth Virginalis integritas, & nunc dulciori eloquio, nunc feliciori amplexu Ioannem puerum conſecrat & inſignit. Et fortaſſis uſque ad diem nativitatis ejus glorioſa Virgo cum cognata morata eſt, donec puerum natum ſinu beatiſſimo conſoveret, & uno pariter tempore propinquiorem redderet præſentia Creatoris. Facilè autem hoc ex Evangelii conjectura liquet, quia jam ſex menſes à conceptione Ioannis defluxerant* l, [l ex Luc. 1. 36. &c] *cùm ad Virginem Archangelus miſſus eſt, qui renovationem mundi, pudori Virgineo novâ ſalutatione portavit. Et hinc Virgo feſti-*

navit

navit ad Elizabeth, & tribus menſibus cognata dignatur viſitare hoſpitium, donec noni menſis fine concluſo, nativitas imminere: Patriarcha. Alii qui librum Iuſtorum diligentioribus oculis inſpexerunt, ſe vidiſſe teſtantur, quòd ipſa Dei Genitrix felicem puerum primò de terra levavit, & cognata partum omni proſecuta eſt ſervitute. Quocunque autem modo rei hujus veritas decernatur, illud pro certo certum eſt, quia non parùm contulit puero naſcituro, tam felix & moroſum intemerata Virginis conſortium. Vita ipſius eſt miraculum cootinuum, tota repleta prodigiis, *Intra teneritudinem annorum beatus iſte puer ad eremum ſpiritu ducente deductus eſt: nec obſtitit ætatis infirmitas, quam majeſtas Domini fœcundabat. Spiritus enim ſanctus non attendit ſexuum differentias, fragilitatem corporum, temporum annoſitatem: ſed quemcunque & quandocunque, & quomodo vult dignantiſſimâ replet benignitate. Reliquit Ioannes mundum, homines fugit, patriam neſcit, parentes aſpernatur, & in ſolius Dibinitatis apicem defigit obtutus. Mira rerum converſio, hominem vix mundum ingreſſum, mundi fugere gloriam, & ſeculi cupiditates non ſolùm oblivisci, ſed neſcire, perpetuumque cùm Divinitate habere conſortium. Receſſus montium, ſylvarum anfractus, & vallium ſubterjacens vaſtitas puero Patriarchæ, quando nox tegerat, domicilia prabuerunt. Non mihi opponatur Ieremias, non prædicantis pueritia virtus audeat obviare: quia ſi ille conſecratus fuiſſet in Prophetam* m,
m ex Jer. 1.5
n ex Matth. 11.9
hic in pluſquàm Prophetam n. *Et licèt ille populo futura prædicet, non tamen converſationis humanæ declinat aſpectus. Ioannes autem ætatis ſupergreſſus infantiam, & nobiliorum generis nobilitatem oblitus, ſoli vacat Divinitati, factus forma vitæ, Monachorum propoſitum, Anachoretarum principium, totius Religionis aſſertio. Ecce hæc quidem pro converſione. Porrò quanta ſublimitas in converſatione fuerit, non eſt currentis linguæ volubilitate differendum, ſed Evangelica dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre* o. *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt* p. *Rigida veſtis, & durisſimis hiſpiditatibus contexta, rigore ſqualifero corpus afficit Patriarcha, carnemque tenerrimam immatura diſtrictio diſciplinæ feritate coarctat, teneros artus, & ſacratiori Spiritu ſuperfuſos continuè quaſſat longitudo martyrii. Cibus autem ejus qualis erat? Non quæruntur perdices, faſiani, ſeu aliæ aves: non per totam curritur regionem ut Patriarchalis ſtomachus impleatur, ſed erat eſca ejus locuſta, & mel ſylveſtre. Cœli rore paſcitur, & animalis viliſſimi ſatiatur edulio, nihilque coctum accepit jejunantis auſteritas. Caſtigato ventri & diuturnâ maceratione diſtento ignota fuit varietas ferculorum, nec introivit in os ejus, quod gulam alliceret, ſuffarciret ventrem, ſtomacho blandiretur. Elias comedit carnes. & ſi quid aliud apponebatur, cum gratiarum actione percepit* q: *nec aliquem legimus ex illa veteri officina ad legis hujus aſpiraſſe faſtigium. Veſtis aſpera, cibus tenuis, mens devota, profectò perfectum conſecrant Patriarcham*, ait ſanctus Bernardus r. Et glorioſa eſt ipſius mors tolerata pro juſtitia, & pro defenſione veritatis: *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* ſ. *Et Rex miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco, & decollavit eum in carcere* t. Sed eminentiſſima omnium magnitudinum ipſius, eſt videre eum in utero matris ſuæ mundatum à culpa originali, *Cùm omnes in iniquitatibus concepti ſint* u, *neminem unquam mortalium intra maternâ viſcera ſanctificatum legimus præter Ieremiam, & Ioannem Baptiſtam. Sed longè minor Ieremiæ ſanctificatio quàm Ioannis. Ille quidem in utero matris ſanctificatus* x, *hic Spiritu ſancto repletus fuiſſe* y *cognoſcitur. Multò quippe excellentius eſt Spiritu ſancto repleri, quàm ſanctificari. Ibi enim ſanctificatio emundationem, hîc repletio inundationem ſignat. Et Ieremiæ quidem admiranda ſanctificatio: quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antè enim quàm exiret de ventre, ſanctificatus eſt. Nec poterat naſci non ſanctus, qui in utero matris erat ſanctificatus. Mira res, & à tranſactis ſeculis non audita, hominem conceptum in peccatis, naſci ſine peccato. Ioannem verò longè glorioſior virtus implevit, qui & ſanctificatus eſt à peccato, & ita dominante Spiritu ſuperfuſus, ut & purgatus exeat & repletus. Verè magnus coram Domino, quem Angelus nunciat, ſanctificat Deus, Spiritus replet, vita commendat*, ait S. Bernardus z.

q ex 3. Regum 17. 3. &c
r S. Bern. ſerm. de Privileg. S. Jo. Bapt.
ſ ex Levit. 18. 16
t Marc. 6. 18. &c
u ex Pſ. 50. 7
x ex Jer. 1. 5
y ex Luc. 1. 15
z S. Bern. ſerm de Privileg S. Jo. Bapt.

Hæc eſt gloria, quam Eccleſia tribuit ei, inſumens verba Iſaiæ a invitantis omnes nationes & populos ad admirandos favores, quos Deus conceſſit huic magno viro: *Audite inſulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei*. Licèt hæc verba dicantur ad literam de Chriſto. Quod induxit ſanctum Chryſologum b ad dicendum, *Videtis quemadmodum Ioannes antè pervenit ad cœlum, quàm tangeret terram: antè accepit divinum Spiritum, quàm haberet humanum: antè ſuſcepit divinæ muneris, quàm corporis membra: antè cœpit vivere Deo, quàm ſibi: imò antè vixit ille Deo, quàm Deus viveret illi, juxta illud Apoſtoli* c, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Quod tamen intelligere debemus quoad exercitium, cùm certum ſit quòd ipſe fuerit ſex menſibus in peccato originali, à quo purgatus eſt, cùm *exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth: & factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus* d. Unde rationabiliter inferre poſſumus, quòd cùm beata Virgo aſſerat, quòd Deus Pater *qui potens eſt fecit potentiam in brachio ſuo* e in incarnatione Filii ſui, quia dabat mundo hominem immunem à peccato per naturam, ſicut ait ipſi Pſalmiſta f, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: faciens naſci ſanctum Joannem charum amicum ejuſdem Verbi incarnati, potenter eſt operatus manu ſuâ, quæ erat cum eo: *Etenim manus Domini erat cum illo*, mundans & ſanctificans hominem, qui *in iniquitatibus conceptus* g *natura erat filius iræ, ſicut & cæteri* h filii Adæ: ſed hac potenti manu miraculosè purgatus à peccato originali, quod ſoli Jeremiæ ante ipſum conceſſum eſt, ſed ipſi glorioſius & copioſius, quàm illi Prophetæ, ſicut audiviſtis modò. Coarctor autem nunc auſurus ſim dicere, quòd Deus oſtendit ampliorem potentiam in ſanctificatione ſancti Joannis, quàm in ſanctificatione Filii ſui. Permitte mihi, Deus mi, ut hodiernâ die proferam iſtud verbum in honorem potentiæ tuæ. Et vos, Auditores, conſiderate, ſi placet, quòd Deus ſe faciens hominem, ſumens corpus mortale, quale eſt noſtrum, *in utero* i beatæ Virginis

a Iſai. 49. 1
b S. Chryſol. ſer. 91
c Gal. 2. 20
d Luc. 1. 39. &c
e Luc. 1. 49. & 51
f Pſ 5. 5
g Pſ. 50. 7
h Epheſ. 2. 3
i Luc. 1. 31 ex Iſai. 7. 14

ginis, fecit opus quod prætergreditur id omne quod ipſius potentia abſoluta poſſet unquam facere in cœlo, vel in terra, quod eſt univiſſe [k Baruch 3.25] perſonaliter Divinitatem, quæ *non habet finem* k, [l Exod 33.19] & quæ continet *omne bonum* l, humanitati quæ eſt finita, & quæ velut nihil eſt, ſicut fatetur [m Pſ.38.6] Pſalmiſta m, ipſum alloquens, *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Et poſt eum Dionyſius [n Dion. Carth. in Pſ.38.6] Carthuſianus n, *Id eſt, ego ipſe ſubſiſtens, qui aliquid eſſe videor, comparatione tua immenſa majeſtatis magis ſum nihil quàm aliquid, quoniam finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Propter quod* [o ex Iſai. 40.15.& 17] *apud Iſaiam* o *legitur, Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitula, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt ei. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Hinc quoque Nabuchodonoſor majeſtatem Dei expertus, humiliter dixit, Ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & Altiſſimo benedixi, & viventem in ſecula ſeculorum glorificavi, quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & omnes habitatores* [p ex Dan. 4.31.&32] *terræ apud ipſum in nihilum reputantur* p. Sed hâc unione adorabili, quæ ſtupore mentes Angelicas æquè ac noſtras ciet, ſuppoſitâ, abſolutè neceſſarium erat ut hæc Humanitas eſſet ſancta, cùm ſubſtantialiter eſſet unita Deo qui eſt *San-* [q Iſai. 6.3] *ctus* q, & Sanctitas eſſentialis. Quænam macula poterat accedere ad hanc animam repletam naturaliter Spiritu ſancto, unitam ſubſtantialiter & perſonaliter Deo, beatificatam hâc unione ſanctificatâ, quam innocentia ſequebatur inſeparabiliter? *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pon-* [r Hebr. 7.26] *tifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, ait ſanctus Paulus r. *Anima autem Chriſti in primo inſtante ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata*, dicit [ſ Dion. Carth art. 30. in Mat. 17.2] Dionyſius Carthuſianus ſ. Quænam impuritas tangere poterat hoc corpus ſacrum formatum virtute divinâ Spiritus ſancti in viſceribus Beatæ [t Matth. 1.20] Virginis? *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* t. Quodnam inquinamentum poterat ha- [u Apoc. 21.3] bere hoc *tabernaculum Dei cum hominibus* u? *Per tabernaculum Dei, Chriſti Humanitatem, quæ fuit* [x Dion. Carth. art. 22. in Apoc. 21.3] *Divinitatis templum*, intelligo cum Dionyſio Carthuſiano x, & aliis; ſed Divinitatis quæ ſanctificat res omnes, *Quia ego Dominus ſanctificans eos* y. Sic [y Ezech. 20.12] ut puritas naturaliter Jeſu Chriſto deberetur, & quoad animam, & quoad corpus. Sed videre hodiernâ die infantem, qui deſcendit à peccatoribus, conceptum & nutritum in peccato originali per ſex menſes, exire ſanctificatum & immunem à crimine, hoc eſt re verâ effectum omnipotentis manus Dei, quæ fuit ſemper cum eo: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Et illi qui vident eum naſci, habent magnam anſam glorificandi Dei, qui operatus eſt tantum mirabile, & congratulandi parentibus ejus, & congaudendi cum illis propter gratiam & miſericordiam, quam ſuſcipiunt à cœlo, quod ipſos liberat à ſterilitate, quæ erat aliàs velut infamia, & motivum exprobrationis perſonis conjugatis, ſicut Annam uxorem Elcanæ *affligebat æmula ejus*, id eſt, Phenenna, altera uxor ejuſdem Elcanæ, *& vehementer angebat, in tantum ut expro-* [z 1 Reg. 1.6] *braret quòd Dominus concluſiſſet vulvam ejus* z: & quod exire facit ab ipſis gratiam & ſanctitatem, id eſt, S. Joannem [illegible] ſanctificatum omnipotentiâ miſericordiæ magni Dei, quæ mirabiliter emicat in hac ſanctificatione ſingulari,

Manus omnipotentis miſericordiæ Dei operata eſt illud mirabile, & elevavit magnitudinem iſtius infantis: ad quod aliquo modo concurrerunt *Zacharias & Elizabeth* parentes ejus per bonam & ſanctam vitam quam ducebant: *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine* [a Luc.1 5.&6] *querela* a. Ut diſcamus, quòd ſi volumus ut Deus det nobis gratiam ſuam, eamque cuſtodiat in animabus noſtris, & nos fœcundet ſanctis & bonis operibus, oportet ut habeamus juſtitiam, & obedientiam voluntatibus ejus, & prætereà pacem & unionem cum proximo noſtro, quæ ſunt duo puncta legis, ſcilicet, amorem Dei, & amorem proximi: amorem Dei per obſervantiam inviolatam, quam exhibebimus legibus ejus: & amorem proximi per pacem & unionem quam habebimus cum illo, ſicut cùm Salvatorem *interrogavit unus legis Doctor, tentans eum, Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? ait illi Ieſus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor-* [b ex Deut. 6.5] *de tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* b. *Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secun-* [c ex Levit. 19.18] *dum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum* c. *In his duobus mandatis univerſa Lex* [d Matth. 22.35. &c] *pendet, & Prophetæ* d.

[II. Pars.] Unus ex amicis Job loquens de Deo, dixit, [e Job 36 32.& 33] *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei ut rurſus adveniat. Annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere* e. Loquebatur ille de luce ordinariâ, quæ illuminat mundum, & ſuper quam poteſtas Dei ſic extenditur, ut videatur ipſa eſſe in manibus ejus; & quòd, cùm ipſa non habeat ullum motum niſi eum quem ipſa ſuſcipit ab ipſius voluntate, ipſa non appareat, nec diſpareat, quàm ad exhibendam ei obedientiam; & quòd homines moneant amicos ſuos reditûs illius, & omnes eam poſſideant, nedum illam alii aliis æmulentur. Sed, ut ingrediamur ſenſum moralem, hæc lux eſt gratia, quam Deus offert amicis ſuis, & quam eis confert per virtutem Sacramentorum, præcipuè verò per primum omnium quod eſt Baptiſma, quod vocatur à Doctoribus Illuminatio, ſicut baptizati vocantur Illuminati. Manus Filii Dei defert hanc gratam & felicem lucem, & communicans eam fidelibus, hodie dat illius poſſeſſionem amico ſuo ſancto Joanni, qui eſt *amicus Spon-* [f Jo.3.29] *ſi* f, ſic vocatus, cùm veniat in mundum cum ea, prout electus in *Prophetam, & plusquàm* [g Matth. 11.9] *Prophetam* g, ad illuminandos populos, & ad annunciandas eis illius magnitudines: *Hoc ad litteram in hominibus ita eſt: ſpiritualiter quoque ſic fuit inter Chriſtum & ejus Præcurſorem. Per Sponſum ergo Ioannes intelligit Chriſtum, cujus Sponſa eſt Eccleſia, quam ſibi in Incarnatione, Baptiſmo, & Paſſione* [h ex Eph. 5.25.&c] *deſponſavit* h, *eam ſibi incorporando, per gratiam fœcundando, ſpirituales filios ex ea generando. Cum enim ſponſus ex ſponſa generet prolem, convenit Chriſto procreare in Baptiſmo filios ſpirituales per Eccleſiam quaſi per matrem fidelium, quæ virtute & gratia ſui Sponſi regenerat. Ioanni ergo non conveniebat ſpiritualiter regenerare, ſed ad regenerationem diſponere*, dicit Dionyſius Carthuſianus i. Et cùm inter a- [i Dion. Carth. art. 10. in Jo. 3.29] micos omnia ſint communia, Salvator ait Præcurſori ſuo id, quod Pater ſuus æternus dicit ipſi, & quod Eccleſia, quæ eſt Sponſa ipſius, attribuit eidem S. Joanni, *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus* [k Iſai. 49.6] *mea uſque ad extremum terræ* k.

Refertur quòd aliàs Thebis erat ſtatua quædam quæ vocabatur modò Memnon, modò Filia auroræ, facta artificio ſic induſtrio, ut ipſa eſſet nota infalli-

ſallibilis Solis orientis : perhibetur enim de ea,
quòd ſtatim ac Sol emittebat primum radium
ſuum in os ipſius, ibi formabatur vox ita grata, ut
videretur ſonus citharæ. Si iſtud verum ſit , aut
non, parùm intereſt : ſed ſcio veritatem Chriſtia-
nam, nimirum , quòd Deus olim promiſerat ad-
l Malach. 4.2 ventum Verbi ſui ſub titulo Solis juſtitiæ : *Orietur*
vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ l. Longa
nox jam tranſierat in lege naturæ, & in lege ſcrip-
m Iſai. 21. 11 ta , quandiu Sancti ſuſpirabant ad adventum diei,
Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte m? Et ec-
ce hodie S. Joannes recipit radium Solis iſtius di-
vini, quam Verbum ſecum defert, prout *Lux vera,*
n Jo. 1. 9 *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc*
mundum n: & primus illuminatus in ſe, exultat
o Luc. 1. 44. &c *in gaudio in utero* o matris ſuæ, cujus reſonare fa-
cit os & labia, ſicut & patris ſui Zachariæ, qui am-
p Jo. 1. 6. &c bo annunciant mundo adventum veri Solis.

Evangeliſta p, qui honoratur ipſius nomine,
nobis iſtud explicat, dicens, *Fuit homo miſſus à Deo,*
cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut
teſtimonium perhiberet de lumine , ut omnes crede-
rent per illum. Ecce prærogativæ, quas Aquila E-
vangelica tribuit Præcurſori, ſed quæ terminantur
per verbum, quod videtur ei parùm honorabile,
Non erat ille lux. Sed magne Apoſtole quid dicis?
Ipſe eripis ei eminentiſſimam omnium qualita-
tum quas ipſe poſſit poſſidere, & quas poſſit ha-
q Matth. 5.14 bere ſervus Dei, qui debet eſſe *lux mundi* q per
vitam ſuam, & per inſtructiones ſuas : ipſe aufers
ei titulum glorioſum , quem Salvator ipſemet illi
r Jo. 5. 35 tribuit, *Ipſe erat lucerna ardens & lucens* r. Ha!
Auditores, magnitudo ſancti Joannis Baptiſtæ ſic
eſt eminens, & ipſe tantis micat ſplendoribus lu-
cis, ut videatur ipſe eſſe Meſſias? & ſicut Sol & Lu-
na manifeſtantes pulchritudinem ſuam , porrige-
bant anſam Ethnicis agnoſcendorum ipſorum ut
numinum, ſic ut, ad hoc ut homines errorem ſuum
deponerent , oportuerit hos planetas operire ali-
quando tenebris, & dare eis defectus, ut agnoſce-
rentur prout creaturæ obnoxiæ amittendæ pul-
chritudini ſuæ : ſic Salvator ditavit S. Joannem tot
pulchritudinibus, lucibus & propheriis, ut homi-
nes præ ſe ferre viderentur aliquam rationem ag-
noſcendi illius pro Meſſia, & verâ Luce: & quandiu
quælibet alia lux diſparet coram Jeſu Chriſto, qui
eſt Lux eſſentialis, S. Joannes apparet ſic ſplendens,
ut Patre æterno faciente audire vocem ſuam in
flumine Jordane, oportuerit etiam ut Spiritus ſan-
ctus deſcenderit ſuper caput Jeſu Chriſti, ut agno-
ſcerent homines , quòd vox loquebatur de Jeſu
Chriſto, & non de S. Joanne : *Baptizatus Jeſus con-*
ſeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli: &
vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, &
s Matth. 3. 16. & 17 *venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens, Hic eſt*
Filius meus dilectus, in quo mihi complacui s. Propter
t Joan. 1. 8. & 9 eandem rationē voluit Deus ut Evangeliſta t ſuus
diceret quòd S. Joannes *non erat lux,* id eſt, eſſen-
tialis, ſed ſolum lux participata dependenter ab ip-
ſo, qui *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*
venientem in hunc mundum: ſeu radius ipſius, qui *in*
u Job 36. 32 *manibus abſcondit lucem* u, quæ manus ſunt cum
eodem S. Joanne: *Etenim manus Domini erat cum*
illo. Et ſplendor iſtius Præcurſoris, effunditur ſuper
x Joa. 20. 22. & 23 parentes ſuos, quos ipſe facit Prophetas. Epiſcopus
facit Epiſcopos per unctionē & ceremonias x quas
Eccleſia inſtituit : Rex facit Reges per nativitatem
naturalem: ſed quòd Propheta faciat Prophetas, res
eſt inaudita: tamen S. Joannes conſecratur ut Pro-
pheta in ventre matris ſuæ, & eodem inſtanti com-
municat ei ſpiritum prophetiæ; & ipſe, more ſtatuæ
illius præfatæ , recipiens in ſe radium Solis æterni,
facit exire ex ore illius quæ ipſum defert in viſcera-
bus ſuis, notitiam myſterii incarnationis unici Filii
Dei , *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad*
me y? Ipſe inducit eam ad adorandam magnitu- y Luc. 1. 43. &c
dinem illius, cujus ipſa non videbat adorabile per-
ſonā niſi mediis luminibus propheticis , quæ filius
ſuus ipſi communicat. Quoad patrē ſuum, ipſe re-
ſtituit ei loquelam , & ponit in ore ejus prius muto
Canticum benedictionum, & confeſſionem pub-
licam & ſolemnem gloriæ illius; qui *per viſcera mi-*
ſericordiæ z *ſuæ redimere vult homines.* Et non ſo- z Luc. 1. 78. &c
lùm hæc accenſa lucerna manet poſita *ſub modio*
domus parentum ſuorum; *ſed ſuper candelabrum,*
ut luceat omnibus a. Id eſt, *Ad dandam ſcientiam ſa-* a Matth. 5. 15
lutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum b: b Luc. 1. 77
& ad ſequendum Agnum, quem ipſe digito demō-
ſtrat, dum ait, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatū*
mundi c. Et hoc in fluvio Jordane, ubi *Pater audi-* c Jo. 1. 29.
tur in voce: Filius baptizatur in flumine : Spiritus
ſanctus demonſtratur in columbæ ſpecie: ad. ſt Joannes
totius medius Trinitatis, ait S. Bernardus d. *Quis pu-* d S. Bern. ſerm. de Privileg. S. Joan. Bapt. ex Matth. 3. 16. & 17
tas puer iſte erit? Magnus ſanè, cùm manus Filii, qui
in *manibus abſcondit lucem* e, ſit cum ipſo : *Etenim*
manus Domini erat cum illo. Et, *iſte puer magnus co-*
ram Domino: nam & manus ejus cum ipſo eſt.

Quòd ſi deſideramus participare lumina ejus, & e Job 36. 32
notitias quas ipſe nobis offert , & adjuvari manu
Filii, oportet ut priùs ſuſtineamur, vel potiùs ſina-
mus nos abripi manu Patris per puritatem, ſine qua
nūquam habebimus lumina cœli in animabus no- f Matt. 5. 8
ſtris: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deū videbunt* f.
Iſtud eſt, cui S. Joannes jugiter incubuit, cùm ipſe,
licèt ſanctus ante nativitatem ſuam, timeret tamen
minimos defectus ordinarios hominibus : ipſe fu-
git conſortia hominum ne inquinaret animā ſuam
minimâ vel impuritate, ſicut dixit ſapiẽ S. Bernar-
dus. Iſtud eſt, quod nos agere debemus, fugere cir-
culos hominum vitioſorum , ſi ſuſcipere velimus
amplexus manus dextræ Dei, quæ eſt tota ignis &
lux, *In dextera ejus ignea lex* g: ſuſtenti fortitudine g Deut. 33. 2
& virtute lævæ ipſius, quæ nos ſanctificabit: ita ut
verè dicere poſſimus , *Læva ejus ſub capite meo, &* h Cant. 2. 6
dextera illius amplexabitur me h.

Job i admiratus magnitudines & perfectiones III. Pars
Dei, dixit, *Spiritus ejus ornavit cælos: & obſtetrican-* i Job 26. 13
te manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus. Quaſi di-
ceret, Manus omnipotens Spiritus Domini deco-
ravit cœlos omnibus iſtis differentibus pulchritu-
dinibus, quæ reddunt ipſos ſic gratos: ipſa eſt etiam
quæ replet aërem meteoris : quæ format nubes, &
ad exonerandas eas tonitruis, imbribus, & nivi-
bus, quibus ipſæ gravatæ ſunt, & velut fœtæ, ape-
rit ipſis vultum ſinum ipſarum, & facit ipſas felici-
ter parturire fulgura, quæ, more draconum volan-
tium & tortuoſorum, replent omnia igne, & flam-
mis accenſis. Ecce pars affectuum, operum, &
productionum , quæ ab iſto magno viro dantur
Spiritui ſancto in ſtatu naturæ ; quæ ſenſu morali
debemus applicare ſtatui gratiæ, ubi Spiritus Dei
perficit animas Juſtorum, qui, ut cœli, ſunt ele-
vati per contemplationem rerum cœleſtium & di-
vinorum , per deſiderium beatæ æternitatis, per
praxim virtutum ſanctarum , & per exercitium
bonorum operum , quibus iſte Spiritus divīnus
ipſos fœcundat. Sed quinam cœli reperiri poſſent
in terra pulchriores & perfectiores Zachariā & E-
lizabeth , qui ultra ſplendorem nobilitatis ſuæ
eductæ ex origine Sacerdotali , erant etiam il-

luſtriores ſanctitate? *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de* k ex 1. Par. 24. 16 *vico Abia* k: *& uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Erant autem juſti ambo ante* l Luc. 1. 5. & 6 *Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela* l. Id eſt, facientes inſtar cœlorum, gyrare totum mundum vitæ ſuæ circa duos polos, qui ſunt amor Dei, & amor proximi, ſicut dixi ſuprà: ſic ut, cùm eſſent tales, *Spiritus Domini*, qui perfecit mundum, quandiu *ferebatur* m Gen. 1. 2 *ſuper aquas* m, voluerit etiam ipſos ditare filio perfectiſſimo omnium è mulieribus natorum: *Non* n Matth. 11. 11 *ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſtâ* n. Qui ut fulgur formatum manu Spiritus divini, toti monſtravit orbi ſplendorem omnium magnitudinum & virtutum, quarum Spiritus iſte Dei eſt Author, & Pater: *Omne datum optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à* o Jac. 1. 17 *Patre luminum* o. Vel dicam meliùs, quòd iſti cœli, de quibus hic loquimur, ſunt anima & corpus iſtius ſancti infantis, quæ purificata, ut cœli, manu omnipotenti Patris, illuminata manu Filii, tandem perficiuntur manu Spiritus ſancti, quæ eſt ipſis velut obſtetrix ad hoc ut pariant actiones virtutis & ſanctitatis, cùm Divinus iſte Spiritus ſit origo totius ſanctitatis, quam obſervamus in mundo: ſic ut Spiritus ſanctus induxerit corpus & animam ejus ad exercitium virtutis & ſanctitatis; corpus per obedientiam quam debet ſpiritui; & ſpiritum per ſubmiſſionem quam tenetur exhibere Deo ſuo. Iſtud eſt quod oraculum infallibile cœli pollicetur p Luc. 1. 15 iſto modo, *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ* p. Ille qui recipit Spiritum ſanctum, ſuſcipit cum eo plenitudinem & abundantiam omnium gratiarum & cunctarum virtutum; & eſt quid ampliùs repleri Spiritu ſancto, quàm ſimpliciter ſanctificari. Apoſtoli mundati fuerunt à peccato in prima vocatione ſua, ſicut ait ipſis Dominus ſuus, *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem,* q Jo. 15. 3 *quem locutus ſum vobis* q. Sed tamen ſolùm *cùm complerentur dies Pentecoſtes, repleti ſunt omnes* r Act. 2. 1. & 4 *Spiritu ſancto* r. Sanctus Joannes non ſolùm ſanctificatus fuit à peccato, ſed etiam repletus Spiritu ſancto, & omnibus gratiis, & univerſis virtutibus, quæ fluunt ab eo ut ab origine ſua, & quas ipſe exercuit per totum vitæ ſuæ decurſum, quantùm poteſt eas homo in terra exercere.

Et unde putatis quòd eduxerit ipſe hunc amorem ſolitudinis, niſi è plenitudine Spiritus ſancti, quocum natus eſt ipſe in mundo; & qui Spiritus divinus libenter ſe communicat animabus virtuoſis collectis in ſe, & ſeparatis corpore & corde ab omnibus frequentationibus inutilibus? *Dicit Dominus, Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus* ſ. ſ Oſee 2. 13. & 14 Quid eum commovit affectu tanto erga pœnitentias, auſteritates, nuditatem, & alias mortificationes corporeas & exteriores, niſi plenitudo Spiritus ſancti, qui perficiebat animam & corpus ipſius? Quid inſpiravit ei tantum zelum honoris & gloriæ Domini ſui, qui induxit ipſum ad recuſandos honores, qui offerebantur ipſi, quaſi Meſſiæ t, niſi abundantia ejuſ- t Joan. 1. 19. & 20 dem Spiritus, qui ipſum ſpoliabat intuitu commodorum ſuorum, & ipſi ſolum relinquebat aſpectum gloriæ Domini ſui, & Dei ſui? Tandem, Quid nobis exhibet illum intuendum velut Angelum, triumphantem in carne, niſi manus Spiritus ſancti, qui ſanctificabat omnes ipſius cogitationes, & perficiebat cunctas ipſius actiones? Manus igitur Domini, quam ipſe ſecum defert, reddit ipſum magnum & admirabilem: manus Patris qui ipſum purificavit; manus Filii qui ipſum illuminavit; & manus Spiritus ſancti qui ipſum perfecit, *Manus Domini erat cum illo.*

Et ne finiamus hunc diſcurſum ſine aliqua inſtructione, certi ſimus, quòd tales erimus, quales dignabitur manus Dei nos formare, ſi velimus cooperari cum illa, ad exeundum è minimis & leviſſimis imperfectionibus, quibus incurrendis quotidie ſunt obnoxii vel ipſi Juſti, *Septies enim cadet Juſtus* u; u Prov. 24. 16 ſi cognoſcamus magnitudines, excellentias, & perfectiones adorabiles Dei, ad hoc ut meliùs vacemus illius obſequio; ſi conſideremus pulchritudinem & decôrem virtutis, ad eam diligendam; ſi reſpiciamus deformitatem vitii, ad illud fugiendum & odiendum; ſi reflectamus nos ſuper nihilum noſtrum, ut nos humiliemus, & contineamus nos intra terminos noſtræ depreſſionis; & in omnibus incumbamus praxi cunctarum virtutum Chriſtianarum, ſinentes nos agi manu favorabili Domini, *Spiritu Dei* x, qui eſt Spiritus dulcedi- x Rom. 8. 14 nis, *O quàm ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* y! qui tribuens nobis motum ut inducat y Sap. 12. 1 nos ad opera ſanctitatis, poſtquàm ſuam nobis dederit in iſto mundo cum S. Joanne *gratiam, & gloriam dabit* z nobis cum illo in altero ſeculo. z Pſ. 83. 12

IN FESTO SS. PETRI ET PAVLI APOSTOLORVM.

Tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Matth. 16. 19. &c.

QUid eſt hoc quod hodie nobis offert ſe aſpiciendum? duos viros intueor ferro armatos, unum ferentem claves, & alterum præ manibus habentem gladium; & ambos cuſtodes portæ paradiſi: & obſervo quòd id quod fiebat aliàs per unicum collocatum *ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cu-* a Gen. 3. 24 *ſtodiendam viam ligni vitæ* a, illis qui inde ejecti fuerant ob inobedientiam ſuam jure merito, conoſcatur hodie à duobus, uno qui cuſtodit claves januæ, altero verò qui impedit illius acceſſum omnibus illis, qui vellent aliquam facere violentiam ad illum ingrediendum. Sed quid, Auditores? Sanctus Petrus putaretne clavibus ſuis nobis interdicere introitum portæ cœli, ſi vitæ probatæ ſumus homines, & ſi humili confeſſione efflagitamus à Deo veniam peccatorum noſtrorum? Nequaquã: ſtatim enim ſinguli nos unà cum Pſalmiſta b compellemus eum ad aperiendum nobis, ſi b Pſ. 117. 19. & 20 præ paradiſi cœleſtis foribus appareamus in hac qualitate: *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, Juſti intrabunt in eam.* Sed quid, ſi tantillum præ nobis feramus animum ut oppugnationis impetu capia-

piamus arcem cœli, exiſtimatne ſanctus Paulus, quòd infringere non ſimus valituri portas ejus non obſtante gladio & præſidio ipſius? Minimè: ipſe enim non eſt ſatis fortis ad impediendum iſtud, cùm dixerit nobis Dei Filius, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* c.

c Matt. 11, 12.

Neſcio igitur propter quid teneant unus claves, & alter gladium: nam habere claves alicujus portæ, & cogi aperire eam omnibus qui volent ingredi, non eſt officium quod ſit æſtimandum; & æquè valeret relinquere portam apertam: & cuſtodiam agere ſuper arcis, vel civitatis ingreſſum, & ſubire deditionem ad minimam inſultationem vel violentiam, non eſt officium, unde comparari poſſit honor, & illius reddi ratio, & conſequenter ſatisfactio Principi ejus. Derelinquat igitur ſanctus Petrus claves ſuas, & ſanctus Paulus gladium ſuũ, cum hunc & illas ambo ſine effectu deferant, niſi fortè claves illæ non fuerint illi datæ, niſi ad aperiendum Juſtis, & ad recuſandum ingreſſum iis, qui *non* habebunt *veſtem nuptialem* d.

d Matt. 22, 11.

Eſt enim aula convivii, cujus habet ipſe clavem: & gladius hic non fuerit datus iſti, niſi ad annumerandos cum Aulicis cœli eos, qui aſtabunt ante foras palatii cum thoracibus ſuis purpuratis ſanguine JESU Chriſti per applicationem meritorum ejus, & proprio ſanguine ſuo per ſuam cooperationem, adimplendo *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne* e ſua.

e Coloſſ. 1, 24.

Sed quoad alios qui veniunt è bello ſpirituali, modo eodem quo ad illud perrexerunt, nedum ſuſceperint, minùs autem inflixerint ullum ictum gladii, iſte poſterior defert iſtum gladium ad hoc ut ipſos æquè procul amandet inde, ac iſtâ manſione cœleſti ſunt indigni. Etiam, Auditores: propterea perfunguntur ambo muneris iſtis. Sed cùm ſanctus Petrus clavibus ſuis videatur Arcarius generalis theſaurorum Dei, & ſanctus Paulus gladio ſuo Dux generalis exercituum illius; videtur quòd deberem efflagitare ab illo uſum clavium ipſius ad hauriendas gratias Dei mihi neceſſarias in hoc diſcurſu, & ab iſto effectum gladii ipſius ad hunc aggrediendum: ſed malo adire B. Virginem: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis planè arcanus*, ait ſanctus Epiphanius f. Et quam ut egregiam Mediatricem æquè ac Bellatricem ſic ſalutat ſanctus Baſilius Seleucienſis g, *Ave quæ inter Deum & homines Mediatrix intercedens effecta, ut interjectus inimicitiæ paries tandem aliquando evertatur* h, *terrenaque cœleſtibus conjungantur*. Dicamus igitur ei, *Ave Maria*.

f S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
g S. Baſil. Seleuc. Conc. de Verbi Incarnat.
h ex Eph. 2, 14, &c.

S. Joannes i nobis introducit Dei Filium gloriantem de duobus eximiis titulis, quos præ ſe fert, & de duabus clavibus, quas habet præ manu: *Ego ſum primus, & noviſſimus, & habeo claves mortis, & inferni*.

i Apoc. 1, 17, & 18.

Sed quomodo? Eſtne ibi tota extenſio juriſdictionis ipſius, ac habere claves mortis, & inferni? Nunquid non habet ipſe clavem elementorum? Nonne tenet ipſe ignem in pyxide rotundâ, quæ eſt cœlum Lunæ? & nunquid non ipſe eduxit inde aliàs ſcintillas, imò verò pruinas in favorem Eliæ ad accendendum illius *holocauſtum* k, æquè ac ad puniendas civitates peccatrices l? Oportebat quidem ut elementi iſtius haberet clavem, ut illud diſtribueret juxta beneplacitum ſuum. Si grando, fulgura, tonitrua, & fulmina, & venti formantur in mediâ regione aëris, & involvuntur in nubibus ut in conclavibus mobilibus, ſicut ait Pſalmiſta m, loquens de Deo, *Qui producit ventos de theſauris ſuis*; oportet igitur ut habeat clavem theſaurorum iſtorum, & horum conclavium, ſi eorum eſt diſpenſator.

k 3. Reg. 18, 38.
l Gen. 19, 24, & 25.
m Pſ. 134, 7.

Et ſi ipſemet præfixit limites mari, quod ipſum veluti hic religiosè obſervat, ut non audeat eos prætergredi, licèt intumeſcat, & videatur intendere deglutire montes, & arces, totus hic conatus ipſius eſt pro nihilo; ipſum eſt, inſtar Monialis, in clauſura perpetua; ipſum poteſt quidem ſtrepere, more Monialium garrientium, ſed ſemper in craticula, *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia: Et dixi, Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* n. Quis autem oſtiorum iſtorum clavem habet? Nonne Deus qui ea illi poſuit? Et quoad terram, quæ ipſo jubente *aperiens os ſuum devoravit Core mortibus plurimis* o, quam ipſe intimè pervaſit & penetravit, cùm *deſcendit in inferiores partes* p ejus, ut conveniret ſanctos Patres ipſum illic expectantes ut Redemptorem ſuum, *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini*, ait ipſi Iſaias q; iſtud, æquè ac reliquum poteratne fieri, quin ipſe claves haberet omnium quatuor elementorum?

n Job 38, 10, & 11.
o Num. 26, 10.
p Epheſ. 4, 9.
q Iſa. 49, 9.

Et tamen ipſe non memorat niſi *claves mortis & inferni*. Ha! iſtæ, ſunt claves ferreæ, & injucundæ: claves iſtorum quatuor elementorum ſunt claves argenteæ, & gratæ. Sed ſunt etiam claves aureæ, quæ appoſitè ferri poſſunt appenſæ ad cingulum ipſius, ut ita dicam, vel portari præ manu; & hæ ſunt claves cœlorum. Ipſe habet clavem Lunæ: modò nobis exhibet eam decreſcentem, modò creſcentem, modò plenam; ideò quia veluti ludit clave ſuâ. Eodem modo ſe gerit ipſe, quando vult, quoad alios planetas. Re autem verâ ipſe aperuit aliquando *tertium cœlum* r ſancto Paulo, nec Apoſtolus iſte fuiſſet illuc unquam ingreſſus abſque licentia ipſius. Quoad cœlum ſtellarum, ipſe ſolus illud aperire poteſt: nam cùm venit ſumptum nativitatem *in utero* ſ Virginis, ipſe cepit unam tranſeundo, quam commodavit ad aliquantum tempus tribus Magis, qui venerunt *adorare eum* t. Hoc erat eis oſtendere, quòd ipſe habebat authoritatem in cœlo.

r 2. Cor. 12, 2.
ſ Luc. 1, 31 ex Iſai. 7, 14.
t Matt. 2, 2.

Tandem, In Empyreo nunquam fuerat porta, vel feneſtra, donec ipſe in reditu ſuo fecit ſabefactionem aculeo lanceæ ſuæ, quæ erat Crux ſua, ſic ingentem & ita amplam, ut omnes amici & prædeſtinati ipſius per eam poſt ipſum tranſire potuerint, ſicut et canit Eccleſia u, *Tu devicto mortis aculeo* x, *aperuiſti credentibus Regna cœlorum*. Erat igitur rectæ rationi conſonum, ut ipſe haberet claves iſtius portæ, ſed claves aureas, cùm muri iſtius ſanctæ civitatis ſint ædificati è lapidibus pretioſis, & portæ ſint ditatæ gemmis, prout eadem canit Eccleſia y, *Lapides pretioſi omnes muri tui*. Et, *Portæ nitent margaritis*.

u Eccleſia in Hymn. S. Ambr. & Aug.
x ex Oſee 13, 14. & ex 1. Cor. 15, 55.
y Eccleſia ex Apoc. 21, 18, & 19.

Cur igitur ipſe non apprehendit potiùs omnes iſtas claves aureas & argenteas, quàm duas iſtas alias nigras & graves mortis & inferni? Ha! video rationem iſtius: Ipſe tribuit illas ſancto Petro: nam audivi hodie cani, quòd poſtquàm JESU Chriſto *Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, reſpondens Jeſus, dixit ei, Tibi dabo claves Regni cœlorum*. Sunt igitur duæ claves in Regno cœli: Dei Filius eas ambas tribuit S. Petro, & ipſe ſibi reſervat duas alias, quæ ſunt claves mortis & inferni. Dicamus autem, ſi velitis, quòd Regnum Dei conſiſtit in univerſali mundi fabricâ: re enim verâ omnia ſunt involuta in cœlo Empyreo. Iſte mundus eſt velut arca, ubi ſunt quatuor claves, ubi Deus te-

net theſauros ſuos: & non ſecus ac, ut ſcitis, in Parochiis, vel in Communitatibus ſeu Rebuspublicis, ubi ſunt quatuor arcam, ſunt etiam quatuor claves ad aperiendam arcam, ſic ut unus aperire non poſſit arcam quin alii adſint: verum quidem eſt, quòd ſi omnes ſunt vitæ probatæ viri, redigitur aliquando numerus quatuor clavium ad duas, & duo ex ipſis tenent quatuor claves, & ſinguli ex ipſis ambobus habent duas: ſic omnes theſauri Dei conſiſtunt in miſericordia, & in juſtitia: *Univerſa via Domini miſericordia & veritas* z. In hac magna arca mundi ſunt quatuor tribunalia, duo quæ reſpiciunt Dei juſtitiam, & duo miſericordiam illius. Duo prima ſunt mors & infernus, alia verò duo ſunt vita & paradiſus. Jeſus Chriſtus & S. Petrus cuſtodiunt iſtas quatuor claves: JESUS Chriſtus conſervat duas mortis & inferni, & dat alias duas, quæ ſunt vitæ & paradiſi, S. Petro, *Et tibi dabo claves Regni cælorum.* Intelligere poſſem per mortem quatuor elementa: nam bellum continuum quod eſt inter ea, cauſat, & promovet mentem noſtram: & dicerem, quòd ſicut Jeſus Chriſtus cuſtodit clavem quatuor elementorum, ſicut diximus, cuſtodit pariter clavem mortis, ſed iſtud nimis eſt materiale: hoc eſt ſumendum ſecundum ſpiritum, & dicendum, quòd mors ſignificat peccatum, & vita gratiam. Gratia & vita ſunt in iſto mundo: paradiſus & infernus ſunt in altero. Sed quare Salvator meus cuſtodit *claves mortis & inferni a*, & non tribuit illas potiùs S. Petro, quàm *claves Regni cælorum*? Ideò quia nobis innuere vult, quòd ſummus Pontifex habet quidem poteſtatem aperiendi nobis cœli, ſed non inferni: Papa poteſt quidem nobis dare gratiam, cùm ſumus in peccato mortali, ſed non poteſt nos facere labi in peccatum: ſolus Deus id poteſt permittere per ſubtractionem gratiæ ſuæ efficacis, ſicut ait illi Pſalmiſta b, *Avertente te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* Et poſt eum dicit Dionyſius Carthuſianus c, *Spiritualiter, dum faciem ſuam avertit, id eſt, gratiam ſuam diſpenſativè ſuſpendit, vel juſtè auſert, turbamur, id eſt, interiùs deordinamur, ſeu in vitia multa illabimur, propriamque debilitatem experimur. Dum enim auſert Spiritum noſtrum, id eſt, Spiritum ſanctum nobis Divinitùs datum* d, *ſubtrahendo nobis munera ejus, deficimus, & in pulverem noſtrum revertimur, id eſt, rebus terrenis miſerabiliter inhæremus, involvimur, implicamur.* Et hoc, quandiu dat ipſe S. Petro, & ſucceſſoribus ejus, poteſtatem nobis dandi vitam & paradiſum: hanc enim his æquè ac illi *poteſtatem Dominus dedit in ædificationem, & non in deſtructionem* e. Nolo loqui ex profeſſo de duabus iſtis clavibus, ſufficit ut loquar vobis de clave vitæ, ſcilicet de poteſtate, quam S. Petrus, vel ſummus Pontifex habet dandæ nobis vitæ per Sacramenta Eccleſiæ. Videbimus igitur Primò quomodo anima quæ habet vitam gratiæ, cùm exit ex hoc mundo, non poteſt tamen intrare in gloriam, quin ſolvent aliqua debita, quæ in ipſa remanent poſt peccatum. Secundò verò, quâ ratione idem S. Petrus, vel ſummus Pontifex, aperit ei cœlum, utens clave ſuâ per jubileos, & per indulgentias.

z Pſ. 24, 10. a Apoc. 1. 18. b Pſ. 103, 29. c Dion. Carth. in hunc loc. d ex Rom. 5, 5. e 2. Cor. 13, 10.

Diviſio.

I. Pars. Omnes Theologi conſentiunt unanimiter, quòd peccatum affert homini duo inſignia infortunia. Primum eſt, quod facit illum inimicum Dei. Secundum eſt, quòd illum ſupplicio dignum reddit. Primum reddit eum criminoſum; ſecundum verò conſtituit illum debitorem: primum, quod eſt injuria irrogata Deo, reddit illum infamem coram eodem Deo; ſecundum, quod eſt debitum, *ligatis manibus & pedibus ejus, eum in tenebras exteriores* f mittendum exponit. Et ſicut, ſi cùm offenditis hominem, incurritis inimicitiam ejus, & inſuper tenemini ei ſatisfacere: ſic per peccatum caditis in inimicitiam Dei, & debetis illi ſatisfactionem impendere: qui furatur pecuniam, ſatisfacere debet pecuniâ; qui aufert honorem, ſatisfacere tenetur honore, & actibus reverentiæ, & depreſſionis; qui offendit in corpore, ſatisfacere debet proportionabiliter, & ſolvere impenſas Medicis, & Chirurgis, &c. ſic ut crimen nunquam condonetur à Judice, vel à Principe, quin Parti læſæ ſatisfactum ſit de noxa ipſi irrogata: imò verò vobis continget, ut vos, quibus ſuffuratus fuerit latro centum nummos, dicturi ſitis ſinguli eidem latroni, Amice, dimitto tibi, ſapienter tegere in poſterum; ſed interim redde mihi pecuniam meam: Quaſi diceretis ei, quòd nullum velitis ei malum, & quòd dummodò recuperetis id quod veſtrum eſt, non ſinis illum ampliùs de furto requiſitum: atqui peccatum offendit Deum, & offendit eum, non in corpore, cùm ipſe corpus non habeat, *Spiritus eſt Deus* g: & ſi ipſe habet corpus, hoc nunc eſt glorioſum, & impaſſibile h, & in hoc ipſe non poteſt offendi: non in divitiis ipſius; nam cùm theſauri ipſius ſint infiniti & inexhauſti i, ipſe penuriam pati non poteſt: non in honore ipſius; non enim, propriè loquendo, ipſe ſuſcipit honorem à creaturis: ipſe non honoratur niſi à ſeipſo, quia non ſatis cognoſcitur, nec ſatis diligitur, niſi à ſeipſo k: non in ſubſtantia vel Divinitate ſua? quis enim auderet inſurgere in perſonam Dei? Ipſe eſt inviſibilis l, impaſſibilis m, *immenſus* n, *omnipotens* o, & unico vel ictu oculi poteſt ad nihilum redigere creaturas omnes. Verum eſt, Auditores: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non eſt finis* p, nedum offendatur in aliquibus è rebus iſtis prædictis: ſed tamen hoc non impedit quin pro certo teneamus, quòd homines poſſunt offendere Deum: ſicut enim omnis offenſa non tam menſuratur ad malum, quod factum eſt, quàm ad voluntatem quam habebat quis faciendi mali, inde procedit ut voluntas pro facto reputetur: & ſic ritè dicimus, quòd homo offendit, & conſcius eſt criminis, & conſequenter eſt puniendus, cùm habetur notitia certa, quòd præ ſe ferebat intentionem malam, & quærebat media patrando crimini congruentia. Si quis vellet occidere Regem, & re verâ illum pugione impeteret; ſed illum non perfoderet, vel quia Rex induſtriè declinavit ab ipſius ictu, vel quia ipſe Regem armatum invênit, & confregit gladium ſuum contra thoracem ejus; peto à vobis, Ille eſſetne conſcius criminis? Quis de hoc ambigit? Sed non vulneravit eum. Per ipſum non ſtetit: venerat enim ad hanc intentionem occidendi Regis, ſi potuiſſet, ſed quia invênit eum armatum, ictus ipſius fruſtratus eſt; quod non impedit, quin ipſe ſit conſcius criminis Læſæ majeſtatis in primo capite; & ſic non minùs torquebitur & plectetur, quàm ſi occidiſſet Regem: voluntas enim quam habebat occidendi illius, ſeu conatus quem fecit ad interficiendum eum, ipſum condemnat, & reddit ipſum conſcium criminis in judicio omnium: Si cùm adeſtis aliquibus nundinis, accederet ad vos aliquis, ut præcideret vel auferret vobis crumenam veſtram, & poſſetis apprehendere manum ejus in pera veſtra, nonne facere-

f Matt. 22. 13. g Jo. 4. 24. h Rom. 6, 9. i Pſ. 111, 3. k Pſ. 2, 7. & Jo. 15. 26. l 1. Tim. 1. 17. m Pſ. 90, 10. n Baruch 3. 25. o Eſth. 13, 9. p Pſ. 144, 3.

tis

Google

tis illum puniri ut latronem? Sed non cepi pecuniam tuam: Amice, per te non ſtetit; nam ad eam auferendam diſpoſitus eras; & niſi fuiſſem induſtrior te, vel ſi loculi mei non fuiſſent benè alligati, hos mihi fuiſſes ſuffuratus, & ut ſic puniri debes non ſecus ac ſi pecuniam meam abſtuliſſes: ſic Deus damnum ſuſcipere non poteſt ab hominibus, qui non ſunt niſi culices intuitu magnitudinis ipſius, *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te,*

q Pſ. 38, 6.
r Eccl. 15, 14.

dicebat illi David *q*. Sed quia habent voluntatem liberam *r*, & poſſunt deſiderare, affectare, & ſe determinare ad volendum offendere Deum quovis modo, conſcios ſe reddunt criminis non ſecus ac ſi illud patraſſent. In quo autem volunt illum offendere? In corpore ipſius, ſi poſſent: & hi ſunt Hæretici, qui vellent illum exinanire, eumque ejicere è ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, in quo ipſe nobiſcum eſt *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* ſ. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per Sacramentalem præſentiam* t. In bonis ipſius: omnia enim bona mundi iſtius ad ipſum pertinent, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus* u. Ipſe commodat ea hominibus, ipſe non dat eis illa, ſed ſolum concedit illis eorum uſum quandiu ſunt in hoc mundo, nedum ea alienet, vel diſſipet incongruè; homines verò ſupra uſum volunt habere eorum dominium & proprietatem. In honore ipſius: nam perſæpè dicunt, ſicut ſuo dicebat Lucifer in corde, *In cælum conſcendam, ſimilis ero Altiſſimo* x. In authoritate ipſius: violant enim leges & præcepta ipſius, ſicut eis ſingulis *dicit Dominus Deus exercituum: A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea: & dixiſti, Non ſerviam* y. Tandem, Omni modo conantur eum offendere, & ſi poſſent deſtruere Divinitatem ejus, & ipſum deprimere ut creaturam, & effici ipſimet Dii, media comparandæ ſibi Divinitati congrua libenter quærerent, valdè differentes in hoc à S. Auguſtino, qui inter contemplationes ſuas dicebat Deo, ſicut refertur, quòd ſic admirabatur ipſius bonitatem, ut, ſi per impoſſibile Deus fuiſſet Auguſtinus, & Auguſtinus fuiſſet Deus, ipſe libenter voluiſſet mutare conditionem cum ipſo, & effici denuò Auguſtinus, ut ipſe Deus, ſemper foret Deus. Si ergo econtrà homines vellent eſſe Dii, & vellent ut Deus eſſet homo, & infirma creatura; voluntas hæc depravata, hæc affectio maligna, declarabitur conſcia læſæ Majeſtatis Divinæ: nam Angelus qui *de cælo ad infernum in profundum laci* a detractus eſt, ſolùm ſtatuerat eſſe *ſimilis Altiſſimo*, & ad ſummum publicaverat conſilium ſuum, nedum illud executioni mandaſſet: hoc enim non erat in illius poteſtate: oportet igitur ut homines, licèt non poſſint offendere Deum, incurrant tamen illius inimicitiam, & teneantur ei ſatisfacere: omnis ſatisfactio fieri debet in eadem natura cujus eſt offenſa: honor debet impendi pro honore, bonum pro bonis, corpus pro corpore, vita pro vita: oportet igitur ut peccator, ad hoc ut ſatisfaciat Deo pro offenſa ſua, puniatur in honore ſuo, in bonis ſuis, in corpore ſuo, in vita ſua: & ſicut Lege fertur, *Qui non habet in ære, ſolvat in cute*: cùm homo non habeat honorem, nec bonum, nec corpus, nec vitam comparabilem vitæ Dei, ut illam det, vel amittat titulo ſatisfactionis, oportet ut moriatur, non ſemel tantùm, ſed infinitis vicibus, nam Majeſtas Dei *non habet finem* a. Ut ſi homo non dat vitam infinitè excellentem, qualis eſt vita Dei, det eam talem qualis eſt, per totam æternitatem, quæ eſt infinita. Vel, ut

ſ Matt. 28, 20.
t Dion. Carth. art. 45, in Mat. 28. 20.
u Pſ. 23, 1.
x Iſai. 14, 13. &c.
y Jer. 2, 19. & 20.
a Iſai. 14, 12, &c.
a Baruch 3 25.

meliùs dicam, æquum eſt, ut moriatur vivendo, & vivat moriendo morte æterna, & duplici morte *b*, quæ correſpondet duplici vitæ, quâ Beati fruuntur, inebriati *ab ubertate domus* c Dei: & peccatores manent in inimicitia Dei, & ſuſtinent *ſupplicium æternum* d. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quod dixi ſuprà, quòd fieri poteſt aliquando ut offenſa dimittatur quoad culpam; ſed tamen eſt ſatisfaciendum Parti, quæ offenſa fuit: & latro, qui eſt in carcere, licèt ipſi parcat Princeps, vel Magiſtratus, nunquam exibit inde, quin priùs reſtituerit id quod legitimo Domino illius eſt ſuffuratus, vel ſaltem genus aliquod aliud ſatisfactionis ei impenderit: atqui Deus, quem offendimus, *Judex eſt* e, & Pars ſimul. Prout Judex & Princeps, poteſt quidem nobis aliquando dimittere offenſas noſtras. Sed quatenus Pars, vult ut ſibi ſatisfiat. Ad habendam remiſſionem offenſæ vel culpæ, ſufficit illius confeſſio cum contritione de illa, *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur* f. Sed ſicut ipſe nos tenet incluſos in carcere ſuo, non poſſumus inde exire, quin ipſi ſatisfecerimus: & licèt exeamus è carcere corporis, & mundi per mortem, anima noſtra ſtatim vadit ad flammas purgatorii, ut ſolvamus ibi in propria perſona id, quod crumena non potuit impendere, & ut compenſemus per paſſionem longi carceris, honorem quem eripuimus Deo noſtro, ſi non effectu, ſaltem affectu: & magnus etiam favor fuit, ut virtute abſolutionis impenſæ à Sacerdote, pœna, quæ debebat eſſe æterna, muteretur in temporalem: quia gratia quæ nobis datur per hanc abſolutionem, cùm ſit principium vitæ, & germen gloriæ, nos liberat à morte æterna inferni.

b Apoc. 21, 8.
c Pſ. 35, 9, & 10
d Matt. 25 46.
e Pſ. 74, 8.
f Ezech. 18 21.

Sed quòd non obſtante hâc gratiâ, nobis maneat ſemper aliqua pœna ſuſtinenda vel in hoc mundo, vel in altero, facile eſt viſu, ſi veſtros projiciatis oculos ſuper omnes miſerias & pœnas iſtius mundi, quæ tamen exigui momenti ſunt ad hoc ut per eas Deo ſatisfaciamus pro minima offenſarum noſtrarum: *Exiſtimo enim quòd non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ait S. Paulus *g*. Apoſtolus dicit pœnas iſtius mundi, eas quæ non tangunt alterum mundum: Martyrium enim non vocatur pœna hujus mundi, quippe quod terminatur ad alterum mundum; & omne quod non eſt martyrium, vocatur pœna iſtius mundi; & totum hoc non eſt dignum gloriâ cœli, id eſt, ut nos illuc perducat immediatè, & quin tranſeamus per pœnas purgatorii: Deus enim vult ut anima noſtra purgetur igne: id eſt, vel igne purgatorii *h*, vel altero igne, qui eſt amor ſic ardens, & tanta contritio de peccatis noſtris, ut ſit quaſi martyrium, contritio excellens, & non è communibus, quæ afferat huic animæ dolorem ſic vehementem ac ſi ipſa pateretur martyrium, qualis fuit dilectio & contritio Magdalenæ, de qua dicitur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Vade in pace* i. Quæ erat charitas & contritio æquivalens martyrio: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* k. Sed omnes alii, qui non habebunt hanc excellentem charitatem, pro certo ſciant, quòd non obſtante gratiâ, quam poſſident, & remiſſione culparum ſuarum, quam obtinuerunt, tranſibunt per flammas purgatorii: *Uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit*, ait S. Paulus *l*. Quaſi diceret, quòd omnia opera noſtra probabuntur altero ex iſtis ignibus,

g Rom. 8, 18.
h Mal. 3, 3
i Luc. 7, 47, & 50.
k Joan. 15 13.
l 1. Cor. 3, 13.

vel

vel ardentiſſimâ charitate in hoc mundo, quæ valeat Martyrium, vel illius defectu flammis purgatorii, licèt culpa ſit remiſſa, cùm omnia opera non poſſint ſatisfacere pro minimo peccatorum noſtrorum, non dico toti rigori juſtitiæ Dei; ad hoc enim requiruntur perſonæ infinitè merentes, & ſolus Dei Filius id præſtare poteſt: ſed ne vel juſtitiæ moderatæ, quæ mutavit debitum æternum in temporale, & præbuit nobis poteſtatem & jus ingrediendi paradiſi poſt impenſam ipſi à nobis pro peccatis noſtris aliquam ſatisfactionem temporaneam.

II. Pars. Sed id quod conſolari nos debet in iſto mundo, Auditores, eſt, quòd hîc habemus virum, qui habet clavem purgatorii, & quòd, ſi volumus utiliter illius authoritatem nobis conciliare, ipſe tenebit illud ita clauſum, ut nunquam ſimus in illud ingreſſuri. Sed quid agetur de nobis, cùm diſcedemus ex iſto mundo? Nam deſcendere in infernum, iſtud eſt, quod nolumus: aſcendere autem in paradiſum, iſtud eſt, quod non poſſumus, niſi pro peccatis noſtris ſatisfecerimus juſtitiæ Dei, cujus Filius ait ſingulis nobis, *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem* m. Et de cœleſti Jeruſalem, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* n. Ha! idem vir habet clavem non ſolùm purgatorii, ad impediendum ne illud ingrediamur; ſed etiam paradiſi ad dandum nobis acceſſum ad illum: ipſe, eſt S. Petrus, qui habet iſtas duas claves, quas ſuſcepit à Jeſu Chriſto, *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Imaginamini, Auditores, quòd cœlum vel paradiſus eſt velut ſpecioſa civitas, circum quam eſt magna foſſa; ſed ad perveniendum ad portam civitatis eſt pons ſuper foſſam; ad primum ingreſſum pontis eſt etiam altera magna porta: idem Gubernator, vel idem Janitor civitatis, ſi velitis, tenebit duas claves: ſi aliquis intrare vult per alium locum quàm per pontem, labetur in foſſam, in cloacam, & immergetur aquæ; & ſi intendit aſcendere per mœnia, oportet ut ſtatuat exire ex aliquâ cloaca, & ſuſtinere ictus catapultarum, quæ explodentur adversùs ipſum è civitate, quibus examinabitur antequàm poſſit in illam ingredi: ſed ſi quis quietè vult ire in civitatem, oportet ut alloquatur Janitorem, ad hoc ut aperiat januam pontis: Janitor portam pandet, & ſic ille qui volet ingredi civitatem, ſe liberabit à caſu in foveam, & intrabit in urbem: ha! foſſa civitatis cœli non eſt aliud niſi purgatorium: pons eſt crux Filii Dei, quæ eſt aſſer, vel pons ſtratus clavis vel meritis ipſius: Janitor & pontis & civitatis, eſt S. Petrus: cùm autem loquor de S. Petro, loquor etiam de omnibus ſucceſſoribus ejus, qui ſucceſſione continuâ hæreditaverunt ab illo eaſdem claves. Fieri quidem poteſt ut oppugnationis impetu cœlum capiatur, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* o. Et hi ſunt illi qui ingrediuntur foſſam, qui labuntur in purgatorium, velut in cloacam, ubi ſunt adhuc inquinati, & qui ad hoc ut inde exeant, indigent ut ſibi manus porrigantur è mœnibus, ſed poſtquàm ſuſtinuerunt grandinem ictuum catapultarum & fulminū juſtitiæ Dei, quæ exploduntur & vibrantur ſuper ipſorum capita, quandiu ipſi incumbunt huic oppugnationi. Tandem, Ingrediuntur civitatem cœleſtem, ſed ſciunt ipſi quanto pretio, & quantùm ipſi paſſi fuerint in hac foſſa purgatorii, ſic ut dicere poſſint, cùm inde exiverunt, Deum alloquentes, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* p. Sed ſi velimus ingredi cœlum viliori pretio quàm ſit iſtud, ſufficit ut dicamus Janitori, qui eſt S. Petrus, ut nobis aperiat duas iſtas portas, ut nos tranſire faciat ſuper iſtum præclarum pontem meritorum Filii Dei: ipſe enim habet illius clavem: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* q. Iſte pons, eſt theſaurus Eccleſiæ, pons ſtratus & ædificatus meritis Jeſu Chriſti, & Sanctorum; theſaurus in quo reperiuntur univerſa *opera* r meritoria Filii Dei, omnès contemplationes B. Virginis Deiparæ ſ, cunctæ pœnitentiæ S. Joannis Baptiſtæ t, omnes paſſiones & peregrinationes Apoſtolorum u, omnes perſecutiones Martyrum x, omnes vigiliæ Doctorum, omnia jejunia Anachoritarum, omnes flagellationes Eremitarum, omnes conſtantiæ Virginum, omnes obedientiæ Religioſorum, univerſæ lacrymæ Magdalenæ y, omnes eleemoſynæ Prælatorum, tandem, omnia opera bona Sanctorum, qui nunc Deum vident *facie ad faciem* z. Sicut enim plurimi ex iſtis Sanctis plus egerunt pœnitentiarum, quàm merebantur ipſorum peccata; & multi, licèt non peccaviſſent mortaliter, pœnitentiam tamen egerunt, & fecerunt cumulum bonorum operum meritoriorum & ſatisfactoriorum; & hæc bona opera non poſſunt eſſe deperdita, *Et capillus de capite veſtro non peribit* a, dixit eis aliàs Filius Dei. *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ: quaſi bona & charitativa fuerint, non carebunt beatitudinis præmio*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus b. Omnes iſti Sancti ſuſcipiunt quidem gloriam juxta æqualitatem meritorum ſuorum, ſed ſatisfactio vel pœnitentia quam fecerunt, quæ excedit gravitatem culparum ipſorum, nullo modo debet eſſe deperdita. In hac domo Dei oportet ut ſit bonus Oeconomus, vel bonus Arcarius, qui non ſinat aliquid hujuſmodi bonorum ſupererogatoriorum operum deperdi, & qui habeat eorum claves ad ea diſpenſanda juxta beneplacitum ſuum. Iſtud eſt quod vocamus theſaurū Eccleſiæ; & diſpenſator non eſt alius niſi S. Petrus: & ego dico quòd iſte theſaurus eſt pons, per quem nobis eſt tranſeundum: & ſicut *infinitus theſaurus eſt hominibus* c, ipſe poteſt facere tranſire per eum tot homines, quot volet, & communicare meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum tantum quantum voluerit, ut nos faciat ingredi cœlum: ipſe enim habet clavem pontis, qui eſt theſaurus Eccleſiæ; & interventu iſtius pontis ipſe nos facit ire rectà in paradiſum, nedum cadamus in foſſam purgatorii: nam ipſe habet omnes claves: *Et tibi dabo claves Regni cœlorum.* Iſte pons, Auditores, aperitur interdum per publicationem jubilei, & per conceſſionem indulgentiarum, quæ fit à ſanctiſſimo Domino noſtro, qui cùm ſit bonus Pontifex, & legitimus ſucceſſor S. Petri, miſeretur noſtrî; & prævidens quòd propter culpas noſtras, & tot peccata quæ commiſimus in toto vitæ noſtræ decurſu, jure merito timebamus ne longos annos traduceremus in flammis purgatorii, ad peragendam ſatisfactionem, quam ſuprà dixi vobis eſſe neceſſariam ad ſolvenda debita noſtra, compatitur infirmitatibus noſtris, & ſuavitate paternâ nobis aperit hunc magnum theſaurum, ut nos experiri faciat extraordinariam & abundantem communicationem meritorum Filii Dei, ſic ut de illo dicere poſſimus id quod ſanctus Paulus d ait de eodem JESU CHRITO, cujus eſt ipſe Vicarius: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Ipſe facit nobis pontem, & magnum jubileum. Sed tranſeundum eſt ſuper iſtum pontem: nam obſervate, ſi placet,

quòd

m Matt. 5, 26.
n Apoc. 21, 27.
o Matt. 11, 12.
p Pſ. 65, 12.
q Sap. 7, 14.
r Joan. 10, 25.
ſ Luc. 2, 19.
t Matt. 3, 4.
u Act. 5, 41.
x Hebr. 11, 33, &c.
y Luc. 7, 37.
z 1. Cor. 13, 12.
a Luc. 21, 18.
b Dion. Carth. art. 44. in Luc. 21, 18.
c Sap. 7, 14.
d Heb. 4, 15.

quòd pons ad nihil utilis eſt, ſi ſuper ipſum non tranſeatur. Papa nobis aperit quidem pontem & theſaurum, ſed dicit nobis, Amici, incedite ſuper hunc pontem, indicans nobis aliqua parva opera, quæ peragenda ſunt, aliquam exiguam eleemoſynam, devotam Confeſſionem, ferventem Communionem, jejunium triduanum, viſitationem aliquarum ſtationum: hæc omnia libenter peraguntur in ingreſſu pontis. Cùm tranſeundus eſt pons, quò tranſiens ſuper illum, levior eſt, eò ſecuriùs tranſit: nam aliquando cùm pondus eſt æquo gravius, aſſer infirmatur, ſi ſit pons ligneus: ad hunc pontem forſan oportet, ut is qui ſuper ipſum tranſit, alloquatur Janitorem, qui eſt in introitu ipſius, cui ſaltem dandus eſt denarius ad hunc effectum: pons jubilei eſt pons ligneus; nonne vobis dixi quòd ipſe, ſit crux Jeſu Chriſti, quâ rectâ pergimus in cœlum? *Aſcendet enim pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, prædixit Michæas *e* de Salvatore. Qui non pervênit illuc niſi per crucem ſuam, *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam f*? Præcipitur nobis ut jejunemus; & indè eò leviores erimus, & aſſer erit inde eò firmior. Jubetur nobis ut confiteamur; & hoc innuit quòd in ingreſſu pontis alloqui debemus Janitorem. Injungitur nobis ſacra Communio; & hæc, eſt veluti condimentum, quod imponimus ori, tranſeundo per pontem jejunij ad confortandum cor. Dicitur nobis ut erogemus aliquam eleemoſynam, per quam petitur à nobis denarius: ire in paradiſum pro denario, hoc eſt illum conſequi viliſſimo pretio: ſed divites tribuunt aſſem: illi verò qui circunquaque bonis affluunt, non debent eſſe contenti erogare pauperibus, vel templis ædificandis aut reparandis denarium rubrum ſeu æneum, ſed nummum candidum ſeu argenteum, imò verò flavum ſeu aureum. Uultiſne, Auditores, tranſire ſuper pontem Jeſu Chriſti, lucrari jubileum? Date denarium: medio autem denario iſto ingredimini audacter ſuper pontem. Imperantur uobis ſtationum viſitationes, quod innuit, quòd incedere debemus ſuper pontem: quibus omnibus adimpletis, nobis aperitur porta cœli, nedum tranſire compellamur per foſſam purgatorij.

e Mich. 2. 13.
f Luc. 24. 26.

Ha! quàm felices ſumus nos, habere pro Patre, pro Paſtore, & pro Janitore eum; qui habet claves felicitatis æternæ: & feliciores etiam, quòd illæ claves ſint ei ita datæ, ut ſit in poteſtate noſtra faciendi, ut ipſe nobis aperiat quotieſcunque voluerimus: ſicut enim elatores portæ cœli ſunt Sacramenta, & ſumere poſſumus Sacramenta quotieſcunque nobis placuerit, præſertim verò duo præcipua ex quo renati ſumus, *ex aqua & Spiritu ſancto* g in Baptiſmate, quæ ſunt Pœnitentia *h*, & Euchariſtia *i*; ſi ea ſumamus ſicut expedit, idem eſt ac ſi diceremus ei, Euge, aperi nobis primam januam cœli, quæ eſt gratia Dei: volumus enim intrare (& ipſe non poteſt hoc nobis recuſare.) Et ſanè ipſe es bonus Paſtor: & potes ritè vocari pro maximo titulo honoris, *ſervum ſervorum Dei*. Utimur enim te, non ut Patre noſtro, ſed ut ſervo noſtro, & veluti Janitore, quem facimus aperire portam paradiſi quando volumus. Sed ipſe duas claves habet, unam ad aperiendam gratiam, alteram ad aperiendam remiſſionem pœnæ. Prima, eſt in diſpoſitione noſtra. Sed ſecunda eſt effectus bonitatis ipſius: & veluti cùm clavis lavacri plùs aut minùs vertitur, ex eodem lavacro plus aut minus aquæ fluit; ſic è theſauro Eccleſiæ ipſe fluere facit ſuper nos tantum meritorum quantum vult per jubileos, & per indulgentias.

g Jo. 3. 5.
h Luc. 13. 3.
i Jo. 6. 51.

Ha! Auditores, nonne videtis ingentem bonitatem Dei noſtri, quòd dare noluerit hominibus claves mortis & inferni, ſed ſolas claves Regni cœlorum, & quòd noluerit nos ſubjicere voluntati hominum ad hoc ut incurreremus damnationem noſtram? Non enim eſt in poteſtate omnium hominum, dato quòd ipſi eſſent Papæ, faciendi me damnari, niſi velim: & tamen eſt in poteſtate Papæ aperiendi mihi portam cœli, & faciendi me illud ingredi ſtatim ac ſum in gratia, virtute jubilei, & indulgentiarum; imò verò & animas purgatorij, nedum ipſæ hoc cogitent, applicando eis preces & merita fidelium, & auxiliando eis *per modum ſuffragij*. Sed nunquid non etiam admiramini obſtinationem hominum, quorum eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus k* ſtrictum? Quia cùm Jeſus Chriſtus ſibi reſervaverit claves mortis & inferni, ſicut ipſe fatetur per hæc verba, *Et habeo claves mortis & inferni* l, cùm ipſe ſolus poſſit facere nos illuc cadere potentiâ abſolutâ (quod tamen ipſe nunquã faciet) has abſtulerimus è manibus ipſius per peccata noſtra, dicendo illi, Da nobis, Domine, claves inferni: volumus illuc ire ſine te: cuſtodi paradiſum tuum pro illis qui neſciunt quid ſit deliciarum mundi, pro Monachis, pro hominibus pauci valoris, æquè ac depreſſę conditionis: nos autem qui habemus hic voluptates noſtras, nolumus aliud Regnum. Ipſe dicis quòd habes in cœlo tuo delicias factas tuo modo, & earum aliquas deguſtare facis illos, qui prætendunt illuc ire; ſed videmus quòd hæ, ſunt pœnitentię, jejunia, & auſteritates. Ha! concediſne tantùm iſtud in Regno tuo? Ha! cuſtodi illod pro illis qui illud voluerint. Tu verò, S. Petre, cuſtodi ſolicitè claves tuas: nihil earum volumus: debet enim eſſe bonus aliquis Rex in Regno inferni, cùm nobis deotur hic primitiæ & prægustus bonorum, quę poſſidentur ibi, qualia ſunt voluptates, divitię, & magnitudines: Ha! proculdubiò bonum eſt illic eſſe: volumus illius habere clavem. Vultis illius habere clavem, infortunati homines? Et ſi illuc ingrediamini, quis vos inde retrahet? Carcer eſt, *Dixit Rex miniſtris, Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores* m. Et ſi in illum mittamini, quis inde vos educet? Cloaca eſt, *Et erit pro ſuavi odore fœtor* n. Et ſi in illam cadatis, & immergamini, quis inde vos eripiet? Abyſſus eſt, *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlis, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum*, ait S. Joannes o. *Scilicet in infernum, teterrimũ, profundiſſimum, turbulentum*, ſubdit Dionyſius Carth. p. Et ſi illuc projiciamini, quis inde vos eruet? Tandem, *Ignis* eſt, qui *non extinguitur* q. Revertimini ad vos, reflectite vos ſeriò ſuper maximum negotiorũ veſtrorum, quod eſt negotium veſtræ ſalutis, & utimini clavibus Regni Dei, quod eſt cumulus omnis felicitatis deſiderabilis: porta illius aperta eſt: ingredimini illuc, pro certo tenentes quòd in vobis eſt inde manus retrahere plenas gratijs & benedictionibus: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronũ gratiæ: ut miſericordiã conſequamur, & gratiã inveniamus in auxilio opportuno* r. Ut tandè perveniamus ad gloriam.

k Job. 41. 15.
l Apoc. 1. 18.
m Matt. 22. 13.
n Iſa. 3. 24.
o Apoc. 20. 1. &c.
p Dion. Carth. a. 2., in Apoc. 20. 3.
q Marc. 9. 48. ex Iſa. 66. 24.
r Heb. 4. 16.

Angelorum. Et aliquantò pòſt ait: *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater.* Videtiſne progreſſum, quem facit in via virtutis iſta ſancta Virgo? *Exurgens abiit in montana.* Tranſverſos aſcendit ipſa montes, ſuperans omnes difficultates quæ opponuntur ſexui ipſius, & ætati ipſius teneræ. Spiritus qui ipſam poſſidebat, efficiebat ut omnes labores iſtos inveniret ipſa dulces, juxtà tritum proverbium, *Amanti nihil difficile.*
t Pſ. 17. 34 Auſcultate quomodo iſtud aſſerit Pſalmiſta t, *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Quaſi diceret, Non priùs ſuſcepi gratiam in me, cùm pedes mei ita veloces effecti ſunt ut viderentur imitari velocitatem cervi animalis velociſſimi: & hâc adjutus velo-
u Pſ. 118. 32 citate, *viam mandatorum tuorum cucurri* u, elevans me ſuper faſtigium rerum ſublimium & arduarum. Seu, ut deinceps expoſuit S. Auguſti-
x S. Aug. in Pſ. 17. 34 nus x, *Qui perficit pedes meos tanquam cervi. Qui perficit amorem meum, ad tranſcendenda ſpinoſa & umbroſa implicamenta hujus ſeculi. Et ſuper excelſa ſtatuet me. Et ſuper cœleſtem habitationem figet intentionem meam, ut impleat in omnem plenitudi-*
y ex Epheſ. 3. 19 *nem Dei* y. Nunquid autem non eſt id, quod exercet hodie B. Virgo? *Abiit in montana.* Ipſa non vivit ampliùs niſi hoc aëre puro paradiſi, dicens,
z Philipp. 3. 20 *Noſtra converſatio in cœlis eſt* z. Ipſa non ſuſpirat ampliùs niſi ad res Divinas, tendens jugiter ad perfectionem: ibi ſua ponit ipſa fundamenta, ſuperatis omnibus difficultatibus, quas inimici virtutis ipſi poterant opponere, *Fundamenta ejus in*
a Pſ. 86. 1 *montibus ſanctis* a. Imò verò ipſa eſt *mons in vertice*
b Iſai. 2. 2 *montium* b. Id eſt, ipſa elevata eſt ſupra merita ſanctitatis & perfectionis omnium creaturarum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum ſanctorum hominum qui unquam apparuerint in mundo: *mons in vertice montium*, cùm ipſa obtinuerit altiſſimum gradum honoris & perfectionis ad quem pura creatura poteſt aſcendere, qui ſitus eſt in hoc ut ſit Mater Dei, oceanus virtutum & gratiarum, & opus eximium æternitatis,
c Eccli. 43. 8 *Vas admirabile, opus Excelſi* c. Seu, ut ait Hugo Car-
d Hug. Card. in Eccli. 43. 2 dinalis d, *Vas admirabile beata Virgo, arca Noe* e,
e ex Gen. 6. 14 *urna aurea plena manna* f, *pera David* g, *thronus*
f ex Hebr. 9. 4 *Salomonis, Fecit Rex Salomon thronum de ebore*
g ex 1. Reg. 17. 40 *grandem* h. *Opus excelſi, Et qui creavit me, requievit*
h 3. Reg. 10. 18 *in tabernaculo meo* i. Et S. Gregorius k, *Poteſt au-*
i Eccli. 24. 12 *tem hujus montis nomine, beatiſſima ſemper Virgo*
k S. Greg. lib. 1. c. 1. in 1. Reg. 1. 1 *Maria Dei Genitrix deſignari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait, Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit. Nam ſicut mons altitudinem, ita domus deſignat habitationem. Mons quippe, & domus apertè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, Dei Unigenito in quo recumberet, ſacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem, hanc Divina fœcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, ſi in ejus ventre per aſſumptam humanitatem, Verbi Divinitas non jacêret.*

Sed, Auditores, cùm B. Virgo nobis data ſit ut prototypon perfectionis imitandum, quippe quæ *abiit in montana cum feſtinatione*, nobis inde monſtratur, quòd opera pietatis fieri debent cum fervore & diligentiâ, *Maledictus qui facit opus Dei*
fraudulenter l. Seu, *negligenter*, juxta aliam ver- l Ier. 48. 10
ſionem. Quòd illorum debemus exercitio incumbere eodem affectu quo Abraham Patriarcha, qui currebat obviam peregrinis, ut illos domum ſuam ſuſciperet, *Quos cùm vidiſſet, cucurrit in*
occurſum eorum m. Illius eximii viri diligentiam m Gen. 18. 2
nobis appoſitè deſcribit Origenes n, cùm ait,
Ipſe currit, uxor feſtinat, puer accelerat. Nullus eſt n Orig. hom. 4. in Gen. &c. in princip.
piger in domo ſapientis. Sic gerere nos debemus circa opera virtutis & charitatis ad exemplum iſtius Patriarchæ, aut etiam meliùs B. Virginis, quæ *abiit cum feſtinatione* ad miniſtrandum cognatæ ſuæ Elizabeth prægnanti, & ad ſanctificandum filium ejus per Filium ſuum, *Ieſus qui in utero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris poſitum ſanctificare Ioannem*, ait idem Origenes,
o. *Diſcite virgines non circumcurſare per alienas* o Orig. hom. 7. in
domos, non demorari in plateis, non aliquos in publi- Luc. 1. 39.
co miſcere ſermones. Maria in domo ſera, feſtinat in in princip.
publico. Manſit apud cognatam ſuam tribus menſibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Manſit etiam menſibus tribus, non quòd domus eam delectaret aliena, ſed quia ſæpiùs in publico videri diſplicebat. Didiciſtis virgines pudorem Mariæ, diſcite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad ſeniorem. Nec ſolùm venit, ſed etiam prior ſalutavit. Decet enim ut quantò caſtior, tantò humilior ſit. Noverit deferre ſenioribus. Sit Magiſtra humilitatis, in quâ eſt profeſſio caſtitatis. Eſt & cauſa pietatis, eſt etiam norma doctrinæ. Contuendum eſt enim, quia Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur. Maria ad Elizabeth, Chriſtus ad Ioan-
nem, ait S. Ambroſius p. p S. Ambr. lib. 2. in

Sed cùm ab initio propoſuerim vobis hanc Luc. c. 39.
B. Virginem tanquam ſpeculum, videamus in 11. Pars.
hoc ſpeculo num *Spiritu Dei* q agamur, num ha- q Rom. 8. 14
beamus gratiam ejus: intueamur in nobiſmetipſis, num, ſicut ipſa, progrediamur in virtutem, *Exurgens abiit in montana* num aſcendamus ſuper montem perfectionis, ſuperantes omnes difficultates repugnantes naturæ noſtræ, num ſiſtamus in ſtadio virtutis, num ſemper incedamus in eo cum diligentia, *cum feſtinatione*. Certum enim eſt, quòd ſi ſequamur eandem viam, & ſemper eodem greſſu procedamus, id eſt, quantùm nobis licebit & in nobis erit, perveniemus ad gloriam, non ſecus ac illa, & habebimus probabilitatem moralem, quòd ſumus in gratiâ Dei, & poſſeſſi à Divino Spiritu ejus: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorifi-*
cemur, ait S. Paulus r. *Nullum enim omnino præſen-* r Rom. 8. 16. & 17
tiæ ejus certius teſtimonium eſt, quàm deſiderium gra-
tiæ amplioris, dicit S. Bernardus ſ. Id eſt, quam ex- ſ S. Bern. ſerm. 2. de
urgendo à vitio progredi cum zelo & cum fer- S. Andrea.
vore in via virtutis, ſicut in illa graditur *Maria, in montana abiens.* Omnis anima quæ ſemel in ſe ſuſcepit gratiam Dei, confeſtim currere debet greſſu amoris ſuper altiſſimos montes virtutis & perfectionis, & ſuperans magnanimiter omnia obſtacula obvia progreditur de die in diem ad virtutem, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens pro-*
cedit, & creſcit uſque ad perfectum diem t. Id eſt, t Prov. 4. 18
nunquam dicendo, ſatis eſt. *In quibus omnibus ſi*

Terribilis eſt locus iſte y, *& totus expers* q. *Totus inhorrui, ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me replicans cum tremore ſententiam: Quis ſcit ſi eſt dignus amore, an odio?* Heu! Auditores, *ſi columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus*, id eſt, Dei, dicit Job z: Et S. Gregorius a, *Quid aliud columnas cœli, quàm vel ſanctos Angelos, vel ſummos Eccleſiæ Prædicatores appellat?* quid agetur, ſi placet, de arundinibus quæ ſunt fragiles, & imago ipſa inſtabilitatis & inconſtantiæ? Si Sancti & amici Dei, qui ſunt velùti columnæ, ſicut S. Paulus ait, quòd *Iacobus & Cephas, & Ioannes videbantur columnæ eſſe* b *in domo Dei quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis* c & ipſamet, quid faciemus nos qui conſcij ſumus mille criminum, & innumerarum puſillanimitatum? *In nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus* d. Heu! non latet nos, quòd offendimus Deum, quòd incurrimus indignationem ejus, quòd excidimus ex illius amicitia: & neſcimus utrùm nobis ab eo condonatæ fuerint offenſæ noſtræ. Motivum pavoris & tremoris! Heu quis terrore non percelletur! *Neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit.* Scelera noſtra diviſionem patraverunt noſtri à Deo, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, ait nobis Iſaias e. Incurrimus ſententiam mortis ob peccata noſtra, *Anima quæ peccaverit ipſa morietur* f. Et neſcimus an fecerimus *fructus dignos pænitentiæ* g, qui invitent Deum ad indulgendas nobis offenſas noſtras, cùm ipſe dicat, *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua quam operatus eſt, vivet* h. Sed, Auditores, etiamſi non poſſimus in hac vita habere ullam certitudinem infallibilem quòd ſimus in gratia & in amicitia Dei ſine ſpeciali revelatione ab ipſo ſuſcepta, aliquas tamen poſſumus habere conjecturas, quæ nobis iſtius aliquam cauſabunt probabilitatem moralem, è quarum præcipuis una eſt, ſi faciamus id, quod agit hodiernâ die B. Virgo, *Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione*. Ubi obſervate quòd *exurgens abijt cum feſtinatione*, & hoc per montes, per vias difficiles, *in montana*. Et cùm B. Virgo ſit Dux certa, ſi adhæreamus fideliter veſtigijs ejus, & ſi, ſicut ipſa, eamus feſtinanter ſuper montes, jure merito poſſumus inferre quòd ſumus in gratia, & quòd habemus nobiſcum Spiritum ſanctum. Videamus Primò, ſi placet, itinerationem B. Virginis ſuper montes feſtinatò. Secundò, Per reflexionem cognoſcemus num ſequamur veſtigia illius.

y Gen. 28. 17.
z Job 26. 11.
a S. Greg. l. 17. Mor. c. 17 in Job 26. 17
b Gal. 2. 9.
c 1. Tim. 3. 15.
d 2. Cor. 1. 9
e Iſa. 59. 2.
f Ezech. 18. 4. & 20.
g Luc. 3. 8.
h Ezech. 18. 21. & 22.
Diviſio.

I. Pars.

Viſitatio eſt unum ex officijs quæ ſunt gratiſſima Deo: ut autem quis iſto ritè perfungatur officio, magnâ debet eſſe præditus ſagacitate & ſolertiâ, & ſingulari prudentiâ & vivacitate mentis ad reſpondendum. Unde patet quòd indiſcriminatim non convenit omnibus hominibus peragendis viſitationibus vacare, ſed illis duntaxat, qui eas reddere poſſunt ſibi proficuas & perutiles ijs quos viſitant. Talis erat B. Virgo Deipara: nam *gratiâ plena*, concepit apprimè id, quod ſibi dixit ſimiliter *repleta Spiritu ſancto Elizabeth*, *Beata quæ credidiſti*. Sed ipſa ſapienter reſpondit ei, tribuens honorem & gloriam Deo, nedum inde gloriaretur, *Magnificat anima mea Dominum. Tanquam dicat, Tu me (ò Elizabeth) laudas, extollis, magnificas: verùm ego ſciens quòd à me ipſâ nil habeo, univerſa bona Deo aſcribo: ipſum laudo, me deprimo: illum magnifico, id eſt, magnum, ſummum, immenſum fateor, confiteor, demonſtro, illum totis viribus magnificenter honoro, omni zelo venerari deſidero, me parvipendo*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus i.

Civitas Nazareth, unde ipſa diſceſſit, diſtabat, ut ſupputant aliqui, ſeptuaginta millibus Italicis quæ faciunt viginti leucas Gallicas, vel circiter a civitate Hebron, quæ erat è domicilio Sacerdotum & Levitarum, & locus manſionis Zachariæ patris Joannis Baptiſtæ, & anteà vocata fuit Cariatharbe: *Nomen Hebron antè vocabatur Cariatharbe* k. Quaſi qui diceret juxta originem Hebraicam, *Civitas quatuor, id eſt, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob qui ibi ſepulti ſunt.* Quia communis erat fides Hebræorum, ut dicitur apud Genebrardum, quòd in civitate Hebron illi quatuor inſignes viri jacebant, unde fit ut in officio mortuorum, ut obſervat idem Genebrardus l, viventes uterentur hàc egregiâ oratione, *Patres ſeculi, qui dormitis in Hebron, portas horti Edom aperite illi*, &c. Et in margine ejuſdem Genebrardi ſcriptum reperitur, *Adam* m, *Abraham, Iſaac, & Iacob* n, *ſepulti ſunt in Arbe, quæ & Hebron in tribu Iuda.* In civitatem igitur Hebron aſcendit B. Virgo, comitem habens Sponſum ſuum S. Joſeph: dico, aſcendit, quia civitas Hebron erat ſita in montibus Juda: quod patet ex eo quòd ubi *conſuluit David Dominum, dicens, Num aſcendam in unam de civitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum, Aſcende: Dixitque David, Quò aſcendam? reſpondit ei, In Hebron: Aſcendit ergo David* o. Propter eà dicit S. Lucas, *Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda.* Vade igitur B. Virgo, perge in urbem Hebron, facies illam ſplendidiùs civitatem quatuor perſonarum nobiliorum & illuſtriorum prædictis, cùm Filius tuus & tu, Elizabeth & filius ſuus ibi aderitis: ibi *de radice Ieſſe ortus Rex David* p, *de tribu* cujus *Regis Davidis* q *ſancta Virgo* r *nata es*, coronatus eſt, & ſceptrum Regium ſuſcepit: *Aſcendit ergo David, & duæ uxores ejus, Achinoam Ieſrahelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli: ſed & viros qui erant cum eo, duxit David ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis Hebron. Veneruntque viri Iuda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Iuda*, refert Scriptura s. *Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth.* Super quod ſanctus Ambroſius t ait, *Morale eſt omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem aſtruant. Et ideò Angelus cùm abſcondita nunciaret, ut fides aſtrueretur, exemplo ſenioris fœminæ, ſterilisque conceptum Virgini Mariæ nunciavit, ut poſſibile Deo omne quod ei placuerit aſſereret. Ubi audivit hoc Maria, non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana ſurrexit. Quò enim jam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina ſancti Spiritûs gratia. Diſcite & vos ſanctæ mulieres ſedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam quæ antè ſola in intimis penetralibus verſabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana Virgo cum feſtinatione, Virgo officij memor, injuriæ immemor,*

i Dion. Carth. a. 4. in Luc. 1. 47.
k Joſ. 14. 15.
l Geneb. in Offic. Lugentium.
m ex Joſ. 14. 15
n ex Gen. 49. 29. &c.
o 2. Reg. 2. 1. & 2.
p ex 1. Regū 6. 12. &c.
q ex Matt. 1. 6. &c.
r S. Epiphā. ſer. de Laud. Deip.
s 2. Reg. 2. 2. &c.
t S. Amb. l. 2. in Luc. 1. 39.

majoribus prærogarivis, ſuſcipiens Filium Dei eundem & Matrem ipſius? hæc eſt deprecatio, quam pro vobis offero ſingulis, Animæ Chriſtianæ, & Religioſæ, B. Virgini, ut dignetur ipſa vos honorare ſuâ viſitatione ut purgari poſſitis à criminibus veſtris: ut ſic mundatis vobis det *gratiam, & gloriam Dominus* d.

d Pſ. 83, 15

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.
Matth. 20. 21 &c.

a S. Thom. 1. p. q. 1. a. 6. in corp.

S. Thomas a loquens de verâ ſapientiâ, dicit, quòd hæc conſiſtit in cognitione primæ & ſupremæ cauſæ, *Ille qui conſiderat ſimpliciter altiſſimam cauſam totius univerſi, quæ Deus eſt, maximè ſapiens dicitur.* Sed ad hoc ut obtineatur hæc ſapientia, obſervandum eſt tempus efflagitandæ ipſi opportunum: propterea Socrates, Demoſthenes, Ariſtoteles, Plato, magni iſti Oratores & Philoſophi antiqui non habuerunt eam, cùm neſciverint quando & quomodo foret hæc expoſcenda, præ defectu induſtriæ. Illud eſt circa quod deficiunt hodiernâ die iſti duo Apoſtoli Jacobus & Joannes, non cuſtodientes ordinem nec tempus proponendis ſuis ſupplicationibus accommodum. S. Chryſoſtomus b ſuper hæc verba quæ diſcipulis iſtis ambobus hodie *reſpondens Ieſus dixit, Neſcitis quid petatis*, ait, *Æſtimo quòd fratres cùm audiſſent Dominum de paſſione & reſurrectione ſuâ prophetantem, cœperunt dicere intra ſe, cùm eſſent fideles: Ecce Rex cœleſtis deſcendit ad Regna tartarea, ut regem quidem mortis deſtruat, ipſam autem mortem Divinitatis ſua potentiâ calcet, & ſic vinculo tenebrarum ſoluto, captivas animas ad ſua Regna perducat* c. Videtur tamen ignorantia crucis fuiſſe tota cauſa excuſationis ipſorum, cùm magnitudines myſterii crucis ejuſdem nondum fuiſſent eis manifeſtatæ: *Nondum enim erat Spiritus datus* d. Spiritus ſanctus nondum deſcenderat ſuper eos ad illuſtrandos illos luminibus ſuis, & ad purgandum in illis id omne quod erat terrenum: ipſi agebant ut homines naturaliter proclives ad æmulationem, ipſi procedebant ſecundùm rationem naturalem, & juxta inclinationem, quâ unuſquiſque ducitur, promovendi ſe ad dulcedines, & ad dignitates: *Hæreditario igitur mulier delinquebat errore*, dicit S. Ambroſius e de matre eorum, cujus organo ipſi loquebantur. Ipſi procedebant ut filii Adæ, qui hæreditaverunt ambitionem à communi iſto Protoplaſto f. Sed ſanè ipſi non ſunt ſapientes, ſicut ipſis *reſpondens Ieſus dixit, Neſcitis quid petatis*. Unum ſcio, Auditores, quod erit ſapientia quoad nos: hoc eſt, implorare auxilium Spiritus ſancti, conformando nos ad agendi modum Sapientis g dicentis, *Invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* Ipſum impetrabimus interventu Matris illius; *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* h, & *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo* i, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* k *Maria.*

b S. Chryſoſt. hom. 35. in Matth. 20. 25

c ex Iſai. 49. 9. & ex Pſ. 67. 19. & ex Eph. 4. 8

d Joan. 7. 39

e S. Ambr. lib. 5. de Fide c. 3

f Gen. 3. 5. & 6

g Sap. 7. 7

h Coloſſ. 2. 3

i 1. Cor. 1. 30

k Luc. 1. 28

Mundus eſt plenus ſtudioſis honoris, totus orbis ſcatet hominibus ambientibus dignitates & magnitudines, inſtar chamæleontis, qui, ut ait Calepinus l, *ſolus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento.* Homines omnes ſunt prætendentes, ſed præ hâc differentiâ, quòd aliqui ſunt prætendentes terræ, alii verò ſunt prætendentes cœli. Reprobi prætendunt honores, & horum fruitio facit ſolidiſſima ipſorum oblectamenta, ſicut eorum proſecutio conſtituit generoſiſſima ipſorum conſilia, & maximos ipſorum conatus: ſed Electi, illi qui prædeſtinati ſunt ad gloriam, & inſigniti charactère Divinitatis, prætendunt ad *adoptionem filiorum* m recipiendam: & ſicut ipſi ſancto ducuntur affectu versùs cœlum, ſic & media quærunt illi conſequendo opportuna, ſuperantes omnes difficultates, quæ poſſent opponi acquiſitioni quam intendunt facere illius: ſed prætendentes terræ, qui aluntur aëre ſicut chamæleontes, & vento replentur non ſecus ac folles, turpiter hallucinantur, rati ſe illuc perventuros per gradus honorum pompaticos, quorum ſplendor præclariſſimum facit mundanorum Solem. Errorem deponite, Auditores: nolite blandiri vobis: illi gradus non ſunt viæ cœli, ſed potiùs ſunt anfractus, flexus, & meandri perducentes utplurimùm ad præcipitia, *Errare fecit eos in invio, & non in via* n. Ne autem vos diutiùs ſiſtere faciam in hoc ingreſſu, intendo vobis monſtrare in ſequela diſcurſus iſtius, quòd ſolùm medium conſequendo huic fini opportunum, & iter ſecuriſſimum ad attingendum cœlum, neceſſarium omni homini à lapſu Prototoplaſti noſtri Adæ o, eſt ſolùm iter crucis: illo tempore innocentiæ, ſeculo illo aureo, quo omnia quaſi ridebant in felicitate, illud non erat neceſſarium: ſed ex quo gratia deperdita eſt, nemo gloriam ingreditur niſi per hanc portam crucis & paſſionum.

l Calep. in Dictiona. V. Chamæleon.

m Gal. 4. 5

n Pſ. 106. 40

o Gen. 3. 6

Propoſitio

Omnes ambitiones noſtræ ſunt vanæ, univerſi conatus noſtri ſunt ſine affectu, niſi ſequantur hanc viam. Hæc eſt maxima cœli, ut veri honores & vera gloria non acquirantur niſi per contemptus; nec habet unquam quis fruitionem veræ quietis niſi poſt laborem, *Si compatimur, ut & conglorificemur* p. Pœnæ præcedere debent delicias. Quòd ſi quæraris rationem propter quam labores præcedere debent oblectamenta: ipſa in promptu eſt: quia donum gloriæ non datur adultis niſi titulo mercedis: atqui merces ſupponit meritum, & meritum amplectitur multas res laborioſas quæ ſunt ſuſtinendæ, multas difficultas quæ ſunt vincendæ, multa certamina quæ ſunt ineunda ad hoc ut victoria referatur. Si ergo mereri vultis gloriam, ſatagere debetis ut media ſemper præcedant finem; ſi prætenditis ad gloriam, paſſiones ſunt illius media; pati debetis ad hoc ut felices ſitis, *Quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione*, ait proloquium Philoſophicum.

p Rom. 8. 17

Salvator animarum noſtrarum, quem Pater æternus dedit nobis *Præceptorem* q eâ intentione, ut ipſe nos meliùs edoceret media operandæ noſtræ ſaluti accommoda, & viam quam ſequi deberemus, ut perveniremus ad noſtram felicitatem, quæ eſt patria noſtra: *Non enim habemus hic*

q Iſai. 55. 4

r Hebr. *hic manentem civitatem : ſed futuram inquirimus* r:
13,14. & *Et ecce vox de cœlis, dicens , Hic eſt Filius meus di-*
Mich. 2. *lectus, in quo mihi benè complacui : ipſum audite* ſ:
10 Divinus iſte Magiſter, qui ſcholam ſuam conſti-
ſ Matth. tuit in monte Calvariâ, *Tanquam lignum illud, ubi*
17,5 *erant fixa membra morientis , etiam cathedra fuerit*
t S. Aug. *Magiſtri docentis*, ait S. Auguſtinus t, ut fideliùs
tract. 119. & utiliùs in favorem noſtrum perfungeretur iſtâ
in Ioan. qualitate, voluit ipſemet effici via , quæ nos de-
19. 26 duceret infallibiliter ad illam glorioſam man-
ſionem, & ad illum beatum finem , *Ego ſum Via*
u, ſed via ſtrata ſpinis, tribulis, paſſionibus, pœ-
u Joan. 14. nis, & difficultatibus : & ſic oportet ut neceſſa-
6 riò tranſeamus per iſtam viam : *Si benefacientes,*
patienter ſuſtinetis : hæc eſt gratia apud Deum. In
hoc enim vocati eſtis : quia & Chriſtus paſſus eſt pro
nobis, vobis relinquens exemplum ; ut ſequamini ve-
x 1. Petr. 2. *ſtigia ejus* ait nobis S. Petrus x. Debemus igitur
20. & 21 tenere viam iſtam, ſequi *Ieſum Chriſtum, & hunc*
y 1. Cor. 2. *crucifixum* y, ſi velimus ire in cœlum, cùm paſ-
2 ſiones certiſſimum ſint illius iter, per quod ipſe-
met Salvator primus tranſivit, *Oportuit pati Chri-*
z Luc. 24. *ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* z. Si *Verbum*
26 *caro factum* a, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ*
a Joan. 1. *& ſcientiæ abſconditi , quia in ipſo inhabitat omnis*
14 *plenitudo Divinitatis corporaliter* b, exiens à Patre,
b Coloſſ. *& in mundum* c veniens, ut negotiaretur ibi ſalu-
2. 3. & 9 tem hominum : *Venit enim Filius hominis quærere*
c Joan. 16. *& ſalvum facere quod perierat* d: elegit cruces, &
28 totam vitam ſuam tranſegit *in laboribus* e, quos
d Luc. 19. experiri cœpit vel ab ipſo primo inſtanti ſuæ con-
10 ceptionis *in utero* f B. Virginis Matris ſuæ , &
e Pſ. 87. 16 quos perpeti continuavit, donec *bajulans ſibi cru-*
f Luc. 1. 31 *cem , exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum , ubi*
ex Iſai. 7. *crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc,*
14. *medium autem Ieſum : & inclinato capite tradidit*
g Joan. 19. *ſpiritum* g: ſi, inquam, Jeſus Chriſtus, *qui factus eſt*
17. &c. *nobis ſapientia à Deo, & juſtificatio, & ſanctificatio,*
h 1. Cor. 1. *& redemptio* h. Qui veniebat ut ſerviret loco
30 Ducis & Prototypi hominibus, elegit viam ſic
rudem & ſtratam ſpinis : nonne credere debe-
mus eam eſſe certiſſimam , & rectà dirigere in
cœlum? hoc eſſet injuriam irrogare cognitioni-
bus ejus ac ambigere de illius electione; iſtud eſ-
ſet illum defectus inſimulare , niſi præſcripſiſſet
nobis id quod eſt optimum, nobis oſtendens per
praxes ſuas id , quod ipſe requirit à debitis & o-
bedientiis noſtris : debemus igitur adhærere ei-
dem viæ crucis & paſſionum , quam ipſe nobis
formavit. Et ſi Jeſus Chriſtus mereri voluit titu-
lum Regis Judæorum, oportuit ut priùs cruci ſuf-
figeretur: *Scripſit autem & titulum Pilatus : & po-*
ſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum , Ieſus Na-
zarenus Rex Iudæorum i. Et ſi ipſe cepit poſſeſſio-
i Joan. 19. nem gloriæ ſuæ , non ingreſſus eſt eam per aliam
19 portam à porta paſſionum , ſicut audiviſtis mo-
dò , *Oportuit pati Chriſtum , & ita intrare in glo-*
riam ſuam k. Crux ſua produxit ipſi gloriam
k Luc. 24 ſuam: crux ipſius eſt ſcala per quam ad illam per-
26 venitur. Quàm cæcus eſt igitur mundus in judi-
ciis ſuis , quàm turpiter hallucinatur cùm credit
contrarium. Errorem deponite, Auditores : pre-
tium honoris eſt contemptus, & gloria cœli ſem-
per præceditur à confuſionibus terræ : debemus
eſſe miſeri in iſto mundo , ad hoc ut felices ſimus
in altero : ſpinæ quæ nos pungunt in iſta pere-
grinatione , ſerviunt nobis ad hoc ut ire nos fa-
ciant in paradiſum, qui eſt patria noſtra, *Patriam*
l S. Cypr. *noſtram paradiſum computamus* , ait S. Cyprianus
lib. de l, cujus viæ ſtratæ ſunt crucibus : hoc eſt halluci-
Mortalit.

nati ac velle ſequi alias vias , aliudque ſentire ab eo , quod Dei Filius nos edocuit propriis praxibus ſuis. Ecce hodiernâ die mulier deluſa , hæc eſt mater duorum iſtorum Apoſtolorum ambitioſorum Jacobi & Joannis, rata quòd Dei Filius habebat Regnum, ideòque accedit ad illum , ut obtineat ab eo duas primas illius ſedes in gratiam iſtorum filiorum ſuorum : *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? At illa, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo* Supplicatio ambitioſa! Fatendum eſt ſanè, quòd omnis ambitioſus eſt inurbanus : alii vero quid habebunt? Intolerabilis cæcitas ambitioſorū ! mulier prorſus indiſcreta! non habetur hîc ſermo niſi de paſſionibus, de crucibus, de tormentis, & de certaminibus : *Et aſcendens Ieſus Ieroſolymam , aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam , & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis & condemnabunt eum morte , & tradent eum Gentibus ad illudendum , & flagellandum, & crucifigendum* : & ipſa non loqueris, niſi de honoribus , de magnitudinibus , de prælaturis, & de quiete, *Neſcitis quid petatis*. Hæc ſupplicatio efflagitans Regnum , eſt temeraria : quippe quod non datur propinquis , nec habetur ulla ratio carnis & ſanguinis, cùm agitur de illo dando, ſed violentiâ eſt abripiendum, *Violenti rapiunt illud* m. Seu , juxta Dionyſium Carthuſia- m Matth. 11. 12
num n, *Reſpondens autem Ieſus, dixit, non matri, ſed* n Dion.
filiis. Per quod oſtenditur, quòd mater petivit inducta Carth. art.
à filiis. Neſcitis quid petatis, id eſt , vel quid quomodo 34. in
petere debeatis. Primò, Quoniam petierunt coronam Matth. 20,
ante victoriam. Secundò, Quia de carnali propinqui- 22
tate confidebant. Tertiò , Quia ex quâdam præſumptione & elatione petiiſſe videntur, optantes Coapoſtolis anteferri, & volentes ſummi eſſe in gloria, qui nondum prioribus Sanctis ſimiles erant in merito. Quantùm ad hoc tenebant typum eorum, qui à magnis Prælatis ad Eccleſiaſticas dignitates poſtulant propter conſanguinitatis lineam promoveri.

Quanta inurbanitas iſtorum Apoſtolorum, Auditores. Ignoſcite mihi, ſi placet, magni Apoſtoli, ſi dicam vos eſſe ignaros , & neſcire quid poſtuletis. Modò vobis *Ieſus ait* , *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, ad patiendum ibi ; vos verò aſcendere vultis ad thronū, ut ibi ſedeatis. *Et Filius hominis tradetur* opprobriis ; vos autem tradi vultis dignitatibus. *Ad illudendum*, ipſe debet illudi ; vos autem vultis honorari. *Et flagellandum*, ipſe debet flagellari ; vos autem vultis oblectari. *Et crucifigendum*; ipſe debet cruci ſuffigi ; vos autem petitis delicias. Eſtne tempus proponendæ hujuſmodi ſupplicationis, loquendi de voluptatibus inter paſſiones , de gloriâ in medio confuſionum & ignominiarum, de dignitate in humiliationibus, de throno cùm Filius Dei loquitur de morte oppetendâ in cruce, & de quiete & ſeſſione quandiu idem Salvator pergit ad tormenta & ad fati-
gationes? *Muſica in luctu, importuna narratio* o. o Eccli. 22. 6
Ha ! *Neſcitis quid petatis.*

Oratio ambitioſa ? *Dic ut ſedeant*, &c. Ambitio æqualis ambitioni Luciferi : *Cupidi quidem ſumus aſcenſionis , exaltationem concupiſcimus omnes: nobiles enim creaturæ ſumus, & magni cujuſdam animi, ideòque altitudinem naturali appetimus deſiderio Sed væ nobis ſi voluerimus eum ſequi, qui ait, Sedebo in monte teſtamenti. Heu miſer , in lateribus*
Aquilonis p. *Frigidus eſt mons ille, non te ſequimur.* p ex Iſa. 14 13. &c.

Poteſta

Poteſtatis habes concupiſcentiam, altitudinem præſumis potentia. Quanti tamen uſque hodie fœda ſequuntur infeliciaque veſtigia, imò verò quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc eſt quod *beneficis vocantur, qui poteſtatem habent* q. *Hinc quòd laudetur peccator in deſideriis animæ ſuæ* r. *Potentibus quidem omnes adulantur, invident omnes. Quem ſequimini miſeri homines, quem ſequimini? Annon vidistis Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem* ſ? *Nonne iſte eſt mons, in quem aſcendit Angelus, & diabolus factus eſt?* ait S. Bernardus t. Nullus è bonis Angelis unquam ſedit, ſed omnes ſtant: *Ego ſum unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum* u, ajebat Angelus Raphael. *Seraphim ſtabant* x. Infelix Lucifer, ſiccine temerarius es ut dicas? *Sedebo.* Socii tui ſtant, & ipſe vis ſedere. Ha! tu non ſedebis, nec ſtabis, ſed reclinaberis in flammis: *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci* y. Hæc eadem paſſio occupat mentes & corda duorum iſtorum Apoſtolorum. Ha! *Seraphim ſtabant* z. *Et cùm darent illa animalia* myſtica Apocalypſis a, *gloriam & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſecula ſeculorum: procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Vos verò qui eſtis homines viles, *Homo putredo, & filius hominis vermis* b, ſedere vultis? *Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Sed aliis qui laboraverunt, ut Petro, Andreæ, &c. quid remanebit? Mulier eſt, quæ loquitur, vel potiùs illi duo filii ejus loquuntur organo illius. Petitis ut ſedeatis in Regno meo, reſpondet eis Filius Dei: ideò fortè quia putatis quòd magnitudo mea conſiſtit in deliciis, divitiis & commodis temporalibus, & honoribus: at graviter hallucinamini: ſcitote autem, quòd dignitates, quas confero amicis meis in hoc mundo, ſunt labores, cruces, & paſſiones, *Neſcitis quid petatis.* Ille inſipiens eſt, qui conſtitutus in Curiâ Principis alicujus, non ſatagit edoceri priùs honores Monarchæ, & conſuetudines Regni ejus: ego poſſideo duo ſceptra, dicit Dei Filius, unum cœli, & alterum terræ, cùm ſim Dominus *cæli & terræ* c, æquè ac Pater meus. Decreta mea ferunt, In terra *qui ſe exaltaverit, humiliabitur* d in cœlo. Quæritis eſſe magni in hoc mundo: deſideratis ergo eſſe depreſſi & abjecti in altero: *Neſcitis quid petatis.* Heu! *Multi erunt primi noviſſimi: & noviſſimi, primi* e. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum f, *Multi erunt primi, noviſſimi, id eſt, multi eorum qui modo magna ſunt reputationis, dignitatis, & abundantia, erunt in die extremo infirmi & abjecti. Et noviſſimi, primi, id eſt, qui jam dignitate, poteſtate, vel tempore poſteriores ſunt, & opprimuntur ac tribulantur à primis, ſeu majoribus hujus ſeculi, tunc erunt primi honore & gloriâ apud Deum. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria* g. *Et abjecta ac infima mundi elegit Deus, ut alta, fortia, & pompoſa condemnet* h. Propter quod fertur in Pſalmo i, *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore elevans pauperem: ut collocet eum cum Principibus populi ſui.* Niſi vos exhibeatis dignos favore, quem poſtulatis à me, fruſtra prævobis feretis titulum propinquitatis: ſi opera veſtra non correſpondeant ſanguini veſtro, nunquam occupabitis primum locum: in domo mea propinquitas cedit locum virtuti: *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum* k. *Sed quicumque talem ſe præbuerit, ut Regno cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non perſonæ, ſed vitæ paratum eſt* l. Et ideò *neſcitis quid petatis.* Efflagitatis a me coronam: corona non datur, niſi victori: ille qui non certat, nunquam vincit: & ille qui non ſuperat, non coronatur: *Nam & qui certat in agone: non coronatur niſi legitimè certaverit* m. Ergo ſine prælio inito, & abſque victoriâ relatâ, velletiſne abripere coronam? *Neſcitis quid petatis.* Ego ſum *Filius Dei vivi* n per naturam, vos autem duntaxat eſtis *filij Dei* o per *adoptionem* p, & per gratiam: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt* r. Videtis quàm multum patior, & quanta mala ſum paſſurus, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget.* Si pati debeo mortem, & eſſe *opprobrium hominum & abjectio plebis* ſ, ut ingrediar hanc gloriam, quæ ad me pertinet titulo hæreditatis, ſic ut jure merito dicam Patri meo, *Tua, mea ſunt* t: putatiſne quòd acquirere poſſitis iſtam felicitatem, nedum aliquid patiamini, vos qui naturaliter ab eâ debetis excludi, prout *naturâ filij iræ* u, & maledictionis? *Neſcitis quid petatis.* Efflagitatis plus quàm vobis debeatur, & quam mereamini; eſtis ambitioſi, æquo altiùs aſcenditis, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* S. Chryſoſtomus x ait, quòd Dei Filius hanc fecit eis petitionem, non quòd ignoraret id quod illi facturi erant, ſed quòd ideò illos ſic interrogavit, *Ut omnes nos audiamus: quia nemo poteſt cum Chriſto regnare, niſi paſſionem Chriſti fuerit imitatus.* Jeſus Chriſtus agit ſicut facit Rex in aliquo convivio, qui ſumens calicem magnum, primus bibere incipit, & poſteà illum porrigit omnibus Aulicis Curiæ ſuæ, ut bibant ſicut ipſe: Dei Filius bibit primus calicem ſuæ paſſionis, & deinde præbuit illum aliis bibendum ad ipſius imitationem, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Ipſe non dicit hoc abſolutè, cùm dixerit alibi y, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum*: ſed addit, *dare vobis*, quia nondum ſatis laboraverant, *quia conſanguinei, ſed quia boni*, ſubdit Hugo Cardinalis z. Ipſe non dat hoc niſi poſt multum laborem, ſicut ipſe non obtinuit illud, niſi poſt multas paſſiones, *Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum.* Propterea Pſalmiſta a dixit ad hoc propoſitum, *Exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.* Et idem Hugo b, *Bene prius dicit Iacob, & pòſt addit Iſraël: quia non erit Iſrael, qui priùs non fuerit Iacob.* Jacob idem eſt ac ſupplantator, vel ſupplantatio, ſignificat etiam luctam, pœnam, & laborem, juxta illud, *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè* c. Et, *Sapientia certamen forte dedit illi ut vinceret* d. Et, *Iſraël, id eſt vir videns Deum*, dicit Cornelius e, poſt aliquos Patres quos citat ſuper hæc verba Scripturæ, quæ dixit Angelus huic Patriarchæ, quocum luctabatur, *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Ad hoc ut fruamur Deo, & videamus *eum ſicuti eſt* f, tranſire debemus per multas luctas, pœnas, afflictiones, & cruces: nam gloria non pertinet ad nos: debemus ali-

q ex Luc. 22.25 — r ex Pſ. 9.24 — ſ ex Luc. 10.18 — t S. Bern. ſerm. 4. de Aſcenſ. Dom. — u Tob. 12.15 — x Iſai. 6.2 — y Iſai. c. 4. 13. & 15 — z Iſai 6.2 — a Apoc. 4.9. & 10 — b Job 25.6 — c Matth. 11.25 — d Matth. 23.12 — e Matth. 19.30 — f Dion. Carth. art. 33. in Matth. 19. — g Job 22.29. & ex Prov. 29.23 — h ex 1. Cor. 1.27 — i ex Pſ. 112.7. & 8 — k Rô. 2.11

l S. Hieron. in Matth. 20.23 — m 2. Tim. 2.5 — n Matth. 16.16 — o Rom. 8.16 — p Gal. 4.5 — r Joan. 1.12. & 13 — ſ Pſ. 21.7 — t Joan. 17.10 — u Epheſ. 2.3 — x S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. 20.22 — y Luc. 22.29 — z Hug. Card. in Matth. 20.23 — a Pſ. 13.7 — b Hug. Card. in Pſ. 13.7 — c Gen. 32.24 — d Sap. 10.9 & 12 — e Cornel. in Gen. 32.28 — f 1. Joan. 3.2

quid agere, ut reddamus eam noſtram, Quoniam
per multas tribulationes oportet nos intrare in Re-
g Act. 14. 21 gnum Dei g. Prætereà, Non oportet ut miles præ-
tendat coronas, ſi renuat oppugnationibus inter-
eſſe; non eſt honor ſervo, nolle ſe exponere pe-
riculis, quibus eſt expoſitus Dominus ſuus: ipſe
eſt indignus mercede, quam merentur ſolæ cru-
ces & paſſiones magnanimiter & amorosè ſu-
ſtentæ, Si compatimur, ut & conglorificemur, ait
h Rom. 8. 17 S. Paulus h. Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vo-
bis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus,
i 1. Petr. 2. 21 dicit nobis & S. Petrus i. Nam quos præſcivit, id
eſt, Pater æternus: & prædeſtinavit conformes fieri
imaginis filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis
k Rom. 8. 29 fratribus, inquit idem S. Paulus k. Id eſt, inter
prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm
naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem di-
gnitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenitu-
ræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs perci-
piendo, eamque aliis diſtribuendo, ſubdit Dionyſius
l Dion. Carth. art. 12. in Rō. 8. 29 Carthuſianus l. Quicunque putabit igitur ſe ha-
biturum honores ſine labore, turpiter hallucina-
bitur, Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus
m Matth. 10. 24 ſuper Dominum ſuum m, dicit ipſemet Filius Dei.
Et idem Dionyſius Carthuſianus n ait, quòd
n Dion. Carth. art. 20. in Matth. 10. 25 quilibet Chriſtianus debet ejus ſequi veſtigia o, ju-
xta illud, Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut
ille ambulavit, & ipſe ambulare p. Et poſtea ſubdit,
Hæc Salvator ait, quatenus ſuiipſius exemplo provo-
o ex 1. Petr. 2. 21 cet diſcipulos ſuos, & omnes fideles ad patientiam in-
p ex 1. Joā. 2. 6 concuſſam. Cum dicat eis ipſemet, Nonne oportuit
pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam q? Sic
q Luc. 24. 26 Apoſtoli noſtri graviter errabant, rati quòd poſ-
ſent effici beati ſine labore: propterea reſpondens
Ieſus dixit, Neſcitis quid petatis. S. Petrus non erat
ſapientior iſtis duobus Apoſtolis, cùm dicebat,
r Luc. 9. 33 Domine, bonum eſt nos hic eſſe r. Re autem verâ
ſubdit conſequenter Evangelium ſ de eo, Neſciens
ſ Luc. 9. 34 quid diceret. Sic in eodem Evangelio t idem Dei
t Luc. 24. 13. &c. Filius duobus diſcipulis ſuis euntibus in caſtel-
lum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ie-
ruſalem, nomine Emmaus, dixit, O ſtulti, & tardi
corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Pro-
phetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita in-
trare in gloriam ſuam? Ipſi excæcati erant mente,
& non valentes comprehendere vias Dei, & iter
u Gen. 3. 6 cœli, à peccato primi hominis u, neſcientes
quòd cruces & paſſiones ſunt abbreviatiſſimæ
& rectiſſimæ viæ quæ illuc dirigunt. Ex quo
Protoplaſtos noſtros emiſit Dominus Deus de para-
x Gen. 3. 23 diſo voluptatis, ut terram, de qua x ſumpti ſunt,
operarentur, non ſuperſunt nobis ampliùs niſi
pœnæ & paſſiones, & hæ ſunt viæ per quas per-
venitur ad paradiſum cœleſtem, & porta per
y Joan. 3. 5 quam ad illum datur ingreſſus. Poſt Baptiſma y
duæ tantum viæ nos ad illum perducunt, marty-
z Joan. 15. 13 rium z, & Pœnitentia a: Cruces, & omnes aliæ
afflictiones mundi ſimul unitæ, ſunt longum
a Luc. 13. 3 martyrium, & ſic ſunt iter cœli. Ad videndum
Deum tenenda eſt via crucis: hæc eſt eadem via,
quam ſecutus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus,
& quam proponit omnibus fidelibus ſuis tenen-
dam, Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis
neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram b. Et, Illis er-
b Iſai. 30. 21 go dicit ipſe Pſalmus c, In vanum eſt vobis ante lucem
c ex Pſ. 126. 2 ſurgere. Tales erant filii Zebedæi, qui antequàm hu-
miliarentur ſecundùm paſſionem Domini, jam ſibi lo-
ca eligebant ubi ſederent. Ubi? Unus ad dexteram al-
d S. Aug. in Pſ. 126. 2 ter ad ſiniſtram. Ante lucem volebant ſurgere, ideò in
vanum ibant, ait S. Auguſtinus d. Media præce-
dunt finem, ait Philoſophia. Media autem ad
conſequendum cœlum, ſunt cruces & paſſiones,
Si compatimur, ut & conglorificemur e. Et, Sicut ſo- e Rom. 8. 17
cii paſſionum eſtis ſic eritis & conſolationis †. Curru † 2. Cor. 1. 7
vectus Rex Iſrael Iehu, invenit Ionadab filium Re-
chab in occurſum ſibi, & benedixit ei. Et ait ad eum,
Nunquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum
corde tuo? Et ait Ionadab, Eſt. Si eſt, inquit: da manum
tuam. Qui dedit ei manum ſuam. At ille levavit eum
ad ſe in currum, dixitque ad eum, Veni mecum f. f 4. Reg. 10. 15. &c.
Idem eſt Jehu ac, Ipſe, ſeu, Exiſtens, & ſic figurat
Jeſum Chriſtum, cujus nomen, prout eſt Deus,
eſt, Qui eſt g. Et Jonadab idem eſt ac, Spontaneus: g Exod. 3. 14
Dei Filius igitur dicit vobis, Auditores, ſingulis
Vultiſne ire in cœlum? Da manum tuam: veni
mecum. Eamus ſimul per eandem viam crucis &
paſſionum, ſed ſponte & libenter debetis cruces
& paſſiones amplecti ſicut eis ego voluntariè me
ſubjeci, quemadmodum Propheta h meus de me h Iſai. 53. 7
prædixit, Oblatus eſt quia ipſe voluit. Sed heu! Ex-
pandi manus meas tota die ad populum incredulum,
qui graditur in via non bonâ poſt cogitationes ſuas i. i Iſai. 65. 2
Super quæ verba Pintus k ait, Eſſe hunc populum, k Pint. in Iſai. 65. 2
populum Iudaicum indicat Apoſtolus l. Conſidera Dei l ex Rom. 10. 21
miſericordiam. Iudæi Chriſtum crucifigebant, ille au-
tem eos vocabat. In cruce manus expanſas habebat, &
brachia extenſa, quaſi peccatores vocans, eoſque am-
plecti deſiderans. Ideò apud Salomonem m has voces m Prov. 1. 24
emittit: Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam,
& non fuit qui aſpiceret. In cruce homines vocavit,
& manus extendit. Qui graditur in via non bonâ poſt
cogitationes ſuas. Hoc eſt, qui ſequens ſuas depravatas
cogitationes, viam perambulat ad æternum ſuppli-
cium ducentem. Fieri non poteſt, ut qui ſeipſum ſequi-
tur, Chriſtum ſequatur. Ipſe enim ait: Si quis vult poſt
me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem
ſuam quotidie, & ſequatur me n. Va illi, qui ducem n Luc. 9. 23
ſequitur appetitum. Eſt appetitus veluti corvus, qui
ei, à quo nutritur, oculos eruit. Sed qui appetitu duci-
tur, ſuam cæcitatem & perniciem non intuetur. Ut
enim cervus fœmina cupiditate incenſus accurrit ad
abſconditum venatorem rugitum cervæ fugientem,
ductuſque appetitu dum exiſtimat ſe ad deſideratam
cervam feſtinare, currit velociſſimè ad mortem
ipſam & ad venenatam venatoris ſagittam recipien-
dam: ſic qui indomito appetitu ducuntur, quantò ce-
leriùs ad res deſideratas contendunt, tanto pernicio-
ſiùs ad mortem ipſam amplectendam accurrunt.

Via crucis, eſt via certiſſima quæ ducit ad glo-
riam: Jeſus Chriſtus, qui eſt Caput corporis Eccle-
ſiæ o, quam acquiſivit ſanguine ſuo p, ſecutus eſt o Coloſſ. 1. 18
iſtam viam per triginta tres annos: Ha! Audi-
tores, eritiſne eo uſque criminis conſcii, ut re- p Act. 20. 28
nuamus eum ſequi? Ipſe, primus ingreſſus eſt
iſtud ſtadium, De torrente in via bibet, prædixit
Pſalmiſta q de illo. Et poſt eum Dionyſius Car- q Pſ. 109. 7
thuſianus r ait ad propoſitum noſtrum, Id eſt, r Dion. Carth art. in hunc locum.
Chriſtus in hoc mundo pœnas tribulationes, & mor-
tem acerbiſſimam patietur: ſicque de torrente tribu-
lationum bibet guſtando adverſa. De hujus torrentis
potatione dixit Ioanni & Iacobo, Poteſtis bibere cali-
cem, quem ego bibiturus ſum? Quod autem nomine
torrentis, tribulationum magnitudo deſignetur: patet
per illud Iſaiæ ſ, Spiritus ejus velut torrens inundans ſ Iſai. 30. 28
ad perdendas gentes in nihilum. Vita ejus non fuit
niſi continuum martyrium, numquam in-
terruptum aliquo oblectamento: poſthæc re-
nuemuſne illum ſequi? Interim nempe non ſicut
eſt, ſed ſicut pro nobis factum eſt Caput no-
ſtrum nobis repræſentatur, non coronatum gloriâ,
ſed

Digitized by Google

ſed peccatorum noſtrorum circundatum ſpinis, dicente
t ex Cant. 3.11 Scripturâ t, *Egredimini filia Sion, & videte Regem*
Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater
ſua. O Regem! ô diadema! Mater ſiquidem Synago-
ga, non matrem ſe, ſed novercam exhibens, Re-
gem noſtrum coronâ ſpineâ coronavit. *Pudeat ſectari*
gloriam membra, quibus Caput ſuum tam ingloriùm
u ex Iſai. 53.2 *exhibetur, non habens ſpeciem, aut decorem* u, *vel*
aliquid ejuſmodi. Nimirum Salomon eſt, quod inter-
x ex 1. Par. 22.9 pretatum eſt Pacificus x, ſanè quòd in præſenti eſt: non
utique beatificus, aut glorioſus: ut in omnibus Angeli-
cum illud elogium commendetur, quo terris pacem,
y ex Luc. 2. 14 *cœlis gloriam* y *tradiderunt. Pudeat ſub ſpinato Ca-*
pite membrum fieri delicatum, quòd omnis et interim
z ex Joan. 19.2 & 3 *purpura* z *non tam honoris ſit, quàm irriſionis*, ait S.
a S. Bern. ſerm. 5. in Feſt. omn. SS. Bernardus a. Nunquid non eſſet, ſi placet, Audi-
tores, arrogantia prorſus intolerabilis viſu, quòd
Filio Regis alicujus ingrediente aliquam civita-
tem per portam communem, vilis aliquis & ple-
beius homo nollet ingredi per eandem, & pete-
ret ut ſibi aperiretur alia particularis? Jeſus Chri-
b Eſth. 13. 9 ſtus Filius Dei, qui eſt *Rex omnipotens* b, *in ſimili-*
tudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo
c Philipp. 2.7 c, ingreſſus eſt cœlum per portam ordinariam
paſſionum, *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in*
d Luc. 24. 26 *gloriam ſuam* d. Et nonne decorum eſt viſu mun-
danos iſtos, qui volunt ut aperiatur ſibi porta vo-
luptatum & oblectamentorum? Et nunquid non
e Eccl. 10. 7 iſtud, eſt deordinatio, quam vidit Eccleſiaſtes e,
dicens? *Vidi ſervos in equis: & Principes ambulan-*
tes ſuper terram quaſi ſervos. Jeſus Chriſtus, qui eſt
f Pſ. 73.12 *Rex noſter ante ſæcula, ſalutem in medio terræ* f o-
peraturus noſtram, peditat inter medias paſſio-
nes: nos verò curru vecti volemus ingredi cœlum
præ pompâ. Sed errorem deponamus, Auditores,
Quoniam per multas tribulationes oportet nos intra-
g Act. 14. 21 *re in Regnum Dei* g. Crux eſt porta cœli, non da-
h Matth. 27.42 tur ad illud acceſſus niſi per eam: *Si Rex Iſraël eſt,*
deſcendat nunc de cruce, & credimus ei h, dicunt
cum Judæis illi Chriſtiani delicati & effœminati,
qui renuunt ſequi Jeſum Chriſtum in pœnis
ipſius. Nolumus pro Meſſia noſtro virum cruci
i Luc. 19. 14 ſuffixum, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* i. Non
agnoſcimus illum ut ſic: quòd ſi requirit à nobis
obedientias noſtras, prout Rex, deſcendat ex illa
cruce confuſionis, vivat ſicut nos, commodè, ma-
gnificè, & voluptuosè: ſic obediemus ei, morem
geremus illi, conformabimus nos ad eum: ſed
quoad paſſiones, illas omnino reſpuimus. Hæc
eſt loquela mundanorum, qui non quærunt niſi
ſatisfacere pravis appetitibus ſuis, & *qui charac-*
k Apoc. 16.2 *terem beſtiæ* k habentes prout victimæ inferni,
l Matth. 25.46 *ibunt in ſupplicium æternum* l.

Euge dicite mihi, Auditores: Putatiſne quòd
miſericordia Dei non ſit impendenda æquè ani-
mabus juſtis & pœnitentibus, ac vobis? Tot Re-
m Matth. 19.27. &c ligioſi qui relinquentes *omnia* & m ſequentes Je-
ſum Chriſtum, renuntiando mundo, ab eo ſe e-
n Pſ. 54.8 longando fugientes, manent *in ſolitudine* n, abla-
ctantes ſe ab omnibus voluptatibus, imò verò à
licitis, qui dicere poſſunt præ veritate cum S.
o Rom. 8. 36. ex Pſ. 43.22 Paulo o poſt Pſalmiſtam, *Propter te mortificamur*
totâ die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis: Religio-
ſi, qui orti è præclarâ progenie, ſunt ſcopus deri-
ſionis mundi, coacti emendicare panem ſuum o-
ſtiatim propter amorem *Domini noſtri Ieſu Chriſti,*
quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives,
p 2. Cor. 8. 9 *ut illius inopiâ vos divites eſſetis* p: vos verò qui vo-
luptatibus & delitiis diffluentes in mundo, exi-
ſtimatis, quòd Deus ſit debitor vobis, & quòd
ejus miſericordia ſit vobis addicta, quid ſentitis
de juſtitiâ illius? *Iuſtus Dominus & juſtitias dilexit*
q Pſ. 10.8 q. Quid eſt quod impendiſtis Deo? Quale gratum
obſequium Deo exhibuiſtis plùs quam illi, qui
tantos labores ſuſtinent? Nunquid tenetur ipſe
dare vobis paradiſum viliori pretio, quam illis?
Errorem deponite, nolite vobis blandiri: hoc eſt
decretum cœli: recalcitrate, quantùm volueritis,
oportet ut illud mandetis executioni, *Per multas*
tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei r. r Act. 14. 21
Omnes Sancti, qui ſunt in cœlo, illuc iverunt per
iſtam viam: auſcultate quomodo loquantur Deo,
Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in
refrigerium ſ. Sancti, in innocentia ſua t tantas pœ- ſ Pſ. 65.12
nas ſuſtinent, ſic ingeotes exercent auſteritates, t Matth. 3. 4
nos verò criminibus onerati, & innumeris ſup-
pliciis digni, agemus delicatos, & reſidebimus in
voluptatibus. Heu! Sancti ita diu jejunaverunt,
ita ſæpè ſe maceraverunt: majores noſtri aliàs
tot tranſegerunt Quadrageſimas in magna abſti-
nentia, cubantes humi, comedentes radices; nos
verò minimo vel jejunio opprimimur. De quâ-
nam requerimini? De eo quòd natatis adhuc in
deliciis, & quòd propter hoc æquo difficilius eſt
ſervitu Eccleſiæ, ideòque opus eſt innumeris di-
ſpenſationibus ſub coloribus ementitis, ut decli-
netis à jejuniis præceptis. Heu! jure meritò vo-
care poſſum vos *inimicos crucis Chriſti* u. Seraphi- u Philipp. 3.18
cus Pater meus S. Franciſcus certus effectus de
ſalute ſuâ per ſpecialem revelationem ſuſceptam
à Deo, reduplicat pœnitentias ſuas, quæ erant
continuæ: nos verò qui ſumus incerti de ſalute
noſtrâ, poſt tot peccata patrata nihil agemus,
quaſi cœlum nobis deberetur? *Neſcitis quid peta-*
tis, ait nobis Dei Filius, æquè ac Apoſtolis Evan-
gelii noſtri. S. Laurentius gratias agit Deo, di-
cens ei, *Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas*
ingredi merui. Sed quomodo illas ingreſſus eſt?
Igne x examinatus. Pſalmiſta y dicit de ſe, *Cine-* x Pſ. 16.3
rem tanquam panem manducabam, & potum meum y Pſ. 101.10
cum fletu miſcebam. Heu! qualis pœnitentia. Poſt
hæc blandieminine vobis? Quid dicitis, delicati,
qui malletis oculum amittere, ſicut dicebat qui-
dam, quàm bonum fruſtum? quid reſpondetis
vos qui putateris vos morituros, ſi mandaretis
executioni jejunia tempore Quadrageſimæ ob-
ſervanda? Numquid non pudet vos? Quid ſentitis
de miſericordia Dei? Quòd ipſa non eſſet conce-
denda Sanctis illis, æquè ac vobis? Putatis, quòd
deliciis indulgentes ibitis in cœlum? *Neſcitis quid*
petatis. Deus promiſerat magnis illis Patriarchis
veteris teſtamenti Abrahæ, Iſaac, & Jacob, ſe da-
turum ipſis felicem familiam, alloquendo ſic A-
brahamum, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli*
z. Hoc ipſi naturaliter expectare poterant, ſicut z Gen. 22. 17
eſt ordinarium perſonis conjugatis ſuſcipere li-
beros: promiſſa Dei ſemper habent effectus ſuos:
& tamen ipſi ſibi conjungunt uxores ſteriles:
Quamobrem uxores Patriarcharum erant ſteriles?
Nam Sara ſterilis erat a, *& Rebecca* b: *ſimiliter &*
Rachel c, *atque Lia. Videns enim, inquit, Dominus,* a ex Gen. 26.12
quòd deſpiceretur Lia, aperuit vulvam ejus d, quærit b ex Gen. 25.21
Theodoretus e. Et ipſemet ſatisfacit quæſtioni
ſuæ, dicens, *Volens Deus componere genus Iſraëliti-* c ex Gen. 29.31
cum, oſtendit illud non naturali ſucceſſione, ſed gratiâ d ex Gen. 29.31
& favore multiplicandum. Cùm ergo edoceamur
inde, quòd non meremur vel res ipſas, quas natu- e Theodoret. qu. 74. in Gen.
raliter & ordinariè ſperare poſſumus: quantò
potiori ratione debemus operas noſtras impen-
dere ad conſequendam gloriam, ad quam viri-

bus noſtris non poſſumus pervenire? Complicabimuſne igitur brachia, nedum velimus aliquid agere, & pati? Manebimuſne otioſi? *Neſcitis quid petatis.*

Illud eſt quod Salvator reſpondet Apoſtolis noſtris, & ſtatim ſubdit, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis. Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f, *paſſionem meæ paſſioni aliqualiter ſimilem, & propter me inſligendam guſtabitis. Ioannes enim affectu ſuſtinuit mortem pro Chriſto, ferventis olei dolium ingrediendo, peſſimumque venenum potando, à quorum utroque manſit illæſus: quotidianum quoque martyrium paſſus eſt, præſertim in exilio inſulæ Pathmos* g. *Iacobus verò ab Herode Agrippâ decollatus eſt, ut in Actibus Apoſtolorum* h *legitur*. Et confirmatur ab Euſebio Cæſarienſi i, *Iacobus frater Ioannis Apoſtoli iubente Herode Rege, capite truncatus occiditur* Jeroſolymis. Et à Chriſtiano Adrichomio in Theatro Terræ S. & Biblic. Hiſtor. dicente, *Anno Chriſti 39. Hic anno regni ſui primo, Iacobum fratrem Ioannis, iam ex Hiſpania, ubi Evangelium prædicaverat, reverſum, occidit gladio, 25. Martij.* Et deinde addit, *Corpus Iacobi tranſlatum in Hiſpaniam, ſepultum eſt Compoſtellæ, 25. Iulij.* Poſteà ſubdit Salvator, *Sedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Sed quid, Salvator mi, nonne tuum eſt, collocare nos ad dexteram tuam, dare nobis gloriam tuam? Nequaquam, inquit ipſe. Ego ſum in iſta cruce ut miſericors, *Sed quibus paratum eſt à Patre meo*, qui, ut ait Apoſtolus k meus, eſt *iuſtus Iudex.* Hæc corona, *eſt corona iuſtitiæ* l. Ideòque illam non do: ſpectat enim ad Patrem meum illam dare victoribus, qui verè dicere poſſunt, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi* m. Proptereà turpiter erratis, ſi putatis vos relaturos eam, nedum meruerities illam; ſi ſperatis vos habituros eam per favorem, per carnem, & ſanguinem, ut illi Apoſtoli. Dei Filius terminat id omne quod dictum eſt de ipſo, *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis* n. *Qui prænuntiabant de adventu Iuſti* o. Et Jeſus Chriſtus ipſemet literis ſcripta cancellat, adimplet omnia ab eis prædicta, *Conſummatum eſt* p. Faciamus idem, Auditores, ad imitationem illius, ſic ut dici poſſit, *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt de nobis.* Id eſt, adimplendo omnia quæ Deo promiſimus in Baptiſmate, cùm renati ſumus *ex aqua & Spiritu ſancto* q, ſic ut dicere poſſimus ſinguli, prout Chriſtiani, cum Domino noſtro Jeſu Chriſto, Patri æterno, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam* r. Et, Gratias Deo, *Nihil mihi conſcius ſum* ſ. Si ita ſe res habet, nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* t.

f Dion. Carth. art. 34. in Matth. 20. 23.
g ex Apoc. 1. 9
h ex Act. 12. 2
i Euſeb. Cæſar. in Chronic. Olymp. 203
k 2. Tim. 4. 8
l Ibid.
m 2. Tim. 4. 7
n Luc. 18. 31
o Act. 7. 52
p Joan. 19. 30
q Joan. 3. 5
r Joan. 17. 4
ſ 1. Cor. 4. 4
t Pſ. 83. 12

IN FESTO S. DOMINICI CONFESSORIS.

Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini. Gal. 1. 15. & 16.

ILle profectò dignus eſt laude, qui laudari poteſt ab omnibus, & habere omnes homines pro præconibus eminentium qualitatum ſuarum: & patres præſertim requirunt ex iuſtitia & ex debito laudes à liberis ſuis; & leges quæ prohibent filiis ne imponant illis crimina, permittunt eis ut ſint præcones meritorum illorum: cùm ergo S. Dominicus ſit Pater tot eximiorum filiorum, quare hi inſumunt os alienum ad illum laudandum? Ideò quia ille laude dignus eſt, qui laudari meretur ab omnibus. Animor igitur in infirmitate meâ, & ſpero me educturum felices ſucceſſus ex inſufficientiâ meâ: quod ago eò libentiùs, quò merita illius ſunt majora; & propter ſocietatem initam inter Ordinem meum & Ordinem ab ipſo inſtitutum. Non habeo, Auditores, niſi exhibere intuenda tranſumpta ad manifeſtandam excellentiam prototypi: vos eſtis, reverendi Patres, vivæ expreſſiones tanti Patriarchæ: ſed quia virtutes veſtræ non ſuſtinent audire proprias laudes veſtras, parcens diſſerere de filiis, loquar de Patre, qui præventus ſuit gratiis cœli, & ex parte ſuâ cooperatus eſt iiſdem gratiis, quæ debent eſſe motivum elogiorum ipſius, poſtquàm noſtras obtulerimus reverentias Matri gratiæ, per hæc verba, *Ave Maria.*

Duæ res faciunt gloriam Sanctorum, gratia Dei, & cooperatio Sanctorum huic gratiæ: ſi utra ex his deſit, ipſi non ſunt Sancti: ſi ſola gratia adeſt, homo non poteſt mereri: ſi ſola actio hominis adſit, ipſe nihil poteſt: ſi totum datur gratiæ, derogatur Sancto: & ſi totum attribuitur Sancto, allegatur potentia ſine effectu, *Non ego autem: ſed gratia Dei mecum*, ajebat S. Paulus a. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus b, *Non autem ego ſic laboravi propriâ poteſtate, vel tanquam principalis cauſa operum bonorum. Sed gratia Dei mecum, ſcilicet cooperata & auxiliata eſt mihi, ſuitque principalior cauſa bonorum, quàm ego ſeu mea natura. Gratia enim ſe habet ad liberum arbitrium, ut ſeſſor ad equum.* Requiritur unio utriuſque: oportet ut gratia agat in nobis: ex nobis enim nihil agere poſſumus, ſicut Dei Filius ait nobis apud S. Joannem c, *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Et apud Dionyſium Carthuſianum d, *Quia ſine me, id eſt, ſine gratiâ meâ gratum facienté, nihil meritorium poteſtis facere. Propter quod dicit Apoſtolus* e, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum. Et* f, *Omnia poſſum in eo qui me confortat. Hinc apud Ieremiam* g *legitur, Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Nemo ergo ſibiipſi blandiatur, vel in ſeipſo glorietur, cùm nil habet boni à ſe: & hoc ipſum quod habet, nec ad momentum poteſt ſervare, niſi conſervetur à Chriſto. Denique, Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt à Deo. Propter quod Ieremias* h *precatur, Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Deus vult cooperationem noſtram, in ea ipſe ſibi complacet: videte iſtud in Job: Diabolus qui non ſibi blanditur, niſi intuitu infirmitatum noſtrarum, & quem ſola merita noſtra inducunt ad rabiem, gloriabatur,

a 1. Cor. 15. 10
b Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15. 10
c Joan. 15. 5
d Dion. Carth. art. 37. in Joan. 15. 5
e 1. Cor. 15. 10
f Philipp. 4. 13
g Jer. 10. 23
h Thren. 5. 21

Circuivi terram , & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum, Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra , homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan, ait, Nunquid Iob fruſtrà timet Deum

i Job 1. 7 &c. i? Diabolus attribuit omnia Deo, & gratiæ; quaſi diceret Deo , Gratia tua Jobo ſervit loco clypei, ipſe non ſervit tibi niſi intuitu proprij commodi ſui: ipſe non eſt qui agit, ſed tu operaris in illo hæc omnia mirabilia. Deus permittit illud ad extollenda merita Sancti ſui per cooperationem. S.

k 2. Tim. 4. 7. & 8. Paulus k ſubminiſtrat hunc concurſum: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Iudex : non ſolùm autem mihi , ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Ecce cooperatio. Conſideramus Deum in Sanctis ſuis: Deus in illis agit per gratiam ſuam : ſed Sancti agunt cum Deo per cooperationem ſuam: & hoc eſt quod facit Sanctos. Et illud eſt,

Diviſio. quod videre debemus in S. Dominico , Primò gratiam, *Cùm autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam.* Secundò cooperationem gratiæ, quę ipſum ſimilem Deo reddidit in tribus è præcipuis ipſius attributis, nimirum, ſanctitate, potentiâ, & miſericordia, *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* Hæc eſt totius iſtius diſcursûs œconomia.

I. Pars. Non ſecus ac principium motûs non acquiritur motu, ſed venire ſupponitur ab aliqua alia re ut neceſſariâ ad ipſum incipiendum : ſic prima gratia, quæ eſt ea , quæ dat initium converſioni peccatoris , non acquiritur per merita operum noſtrorum, quantumlibet præ ſe ferre videantur ſanctitatis apparentiam, ſed procedit è pura liberalitate Dei, qui cùm nemini debitor ſit, eam ſine ulla obligatione diſtribuit illis , quorum corda tangere dignatur, ut trahat eos ad pœnitentiam, & inducat illos ad ſe recipiendos in bonam emendatæ vitæ frugem : *Non volentis, neque cur-*

l Rom. 9. 16. *rentis, ſed miſerentis eſt Dei,* ait S. Paulus l. *Id eſt,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, *non in poteſta-*

m Dion. Carth. a. 13. in Rom. 9. 16. *te hominis volentis eſt velle aliquid meritoriè , nec in poteſtate hominis currentis ſeu operantis , meritoriè operari , ſed utrumque dependet & oritur ex miſericordia & gratia Dei ſicut alibi n dicitur , Deus ope-*

n ex Phil. 2. 13 *ratur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

o Jer. 10. 23. *Cui conſonat illud Ieremiæ o, Scio, Domine , quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet, & di-*

p Pſ. 118. 32. *rigat greſſus ſuos. Ideò ait Pſalmiſta p, Viam mandatorum tuorum cucurri , cùm dilataſti cor meum. Cùm enim finis creationis noſtræ ſit ſupernaturalis , ſcilicet, viſio Dei per ſpeciem , non poſſumus velle, cogitare , vel facere aliquid meritorium hujus finis ex puris naturalibus , ſed inceſſabili gratiâ indigemus. Non ergo aliquid de noſtris viribus præſumamus , ſed ſemper cum profundiſſima humilitate ad divinæ Pie-*

q ex Judith 9. 15 *tatis gratiam properemus q, dicentes ſinguli Deo,*

r Cant. 1. 4. *Trahe me poſt te r. Nam & Chriſtus ait , Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum s.* Sicut

s ex Jo. 6. 44. igitur expectamus à cœlo primos radios claritatis, qui nobis intuendas exhibent pulchritudines & luces: ſic oportet ut expectemus à Deo primas ſalutis noſtræ inſpirationes , cùm non ſit in poteſtate noſtra nos agnoſcere niſi illuminemur; non ſecus ac non poſſumus intueri Solem ſine luminis auxilio. Unde procedunt iſti modi loquendi ſic frequentes inter Prophetas , *Converte nos Deus ſa-*

t Pſ. 84. 5 *lutaris noſter t.* Ex quibus verbis patet , quòd emendatio noſtra eſt opus manûs Dei, & non effectus virtutis noſtræ. Quò refertur etiam illud ,

Converte me, & convertar u. u Jer. 31. 18.

Videbatur aliàs Athenis imago Terræ in ſitu ſupplicantis, quæ tenebat manus erectas, & oculos elevatos in cœlum , reſpiciens Jovem, à quo ipſa efflagitabat pluviam , cùm non poſſet ſine auxilio illius facere germinare ſemina , eaque perducere ad perfectum terminum ſuum : hoc modo peccatores cùm non poſſint producere fructus ſanctæ converſationis abſque ſubſidio Spiritûs Dei, levare debent manus ſuas, & oculos ſuos in cœlum , ad implorandam gratiam cœleſtem , quæ non eſt ipſis minus neceſſaria propter hunc magnum effectum , quàm ſit pluvia terræ ad ipſam fœcundandam. Sed quantùmlibet inſtanter Deo proponant propter id ſupplicationem, hoc dependet ab ipſius pura bonitate, *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam* , dicit Pſal-

x Pſ. 77. 10. miſta x, Deum alloquens. Et poſt eum Diony-

y Dion. Carth. in Pſ. 77. 10. ſius Carthuſianus y, *Pluviam voluntariam , id eſt, rore gratiæ tuæ, fluenta doctrinæ, irrigationeſque varias Spiritûs ſancti gratis ac ſponte infuſas , ſegregabis, id eſt , ſeorſum ac ſpecialiter dabis hæreditati tuæ, id eſt, populo Chriſtiano electo, quem proprio ſanguine liberaſti. Hoc Chriſtus in die Pentecoſtes †, & inte-*

† ex Act. 2. 1. &c. *rim ſæpè fecit. Et infirmata eſt, id eſt, Eccleſia, quæ eſt hæreditas tua, ex ſeipſa ſibi ſufficiens non fuit, nec per naturam ſalvari , aut aliquid promereri valebat. Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt z. Id*

z ex 2. Cor. 3. 5. *eò ſubdit, Tu verò perfeciſti eam , conferendo ei per gratiam, quod non habuit per naturam. Hinc namque Chriſtus poſt reſurrectionem dixit diſcipulis , Sedete in civitate , quoadusque induamini virtute ex*

a Luc. 24. 49. *alto a.*

Philoſophi docent , quòd formæ naturales, excluſâ animâ rationali , educuntur è ſinu materiæ: ſed hæc prima gratia , quæ eſt forma cœleſtis & Divina, non naſcitur è diſpoſitionibus ſubjecti, ſed venit à foris , cum non poſſit infundi niſi à Deo , qui dat ipſam liberaliter cuicunque vult, nedum poſſit ipſe accuſari injuſtitiæ, ſed dat ipſam potiùs iſtis quàm alijs , cùm ipſe nemini debitor ſit : nam, ſicut ajunt Theologi, in rebus gratuitis quæ procedunt è pura liberalitate, non poteſt eſſe acceptio perſonarum, *Amice , non facio tibi injuriam. Aut non licet mihi quod volo , facere*

b Matth. 20. 13. & 15. *b? Quaſi dicat*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c,

c Dion. Carth. a. 34. in Matt. 20. 15. *Utique , quia voluntas Dei cùm ſit eſſentialiter idem quod ſapientia & juſtitia ejus, nec injuſta, nec irrationabilis eſſe valet, ſed eo ipſo quo Deus aliquid vult, juſtum ac licitum eſt. Unde in libro Sapientiæ d le-*

d ex Sap. 12. 16. *gitur, Virtus tua, Domine, juſtitiæ initium eſt.* Deus igitur tribuit abſque ulla injuſtitia dona gratiæ ſuæ quibuſcunque vult , communicans ea ſæpè, non illis qui videntur juſtiores præ oculis mundi, ſed illis qui apparent criminoſiores. In hoc ſitus eſt honor eximij artificis, ut micare faciat mirabilia artis ſuæ ſuper ſubjectum difficile elaboratu : & in hoc conſiſtit gloria Dei, ut homines quoslibet obſtinatiſſimos ad juſtum redigat obſequium , & emolliat corda quæ erant indurata

e Job 41. 15. *tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus e,* ſtricta, & quæ ut ſic maximam afferebant reſiſtentiam , & plurima opponebant obſtacula lenocinijs & ſuavitatibus Divinæ gratiæ ipſius. Propter quod converſio Sauli eſt illuſtrior vocatione Petri, Andreæ, Jacobi, & Joannis : *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres , Simonem qui voca-*

bus noſtris non poſſumus pervenire? Complicabimuſne igitur brachia, nedum velimus aliquid agere, & pati? Manebimuſne otioſi? *Neſcitis quid petatis.*

Iſtud eſt quod Salvator reſpondet Apoſtolis noſtris, & ſtatim ſubdit, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis.* Id eſt, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f, *paſſionem meæ paſſioni aliqualiter ſimilem, & propter me inſligendam guſtabitis. Ioannes enim affectu ſuſtinuit mortem pro Chriſto, ferventis olei dolium ingrediendo, peſſimumque venenum potando, à quorum utroque manſit illaſus: quotidianum quoque martyrium paſſus eſt, præſertim in exilio inſulæ Pathmos* g. *Iacobus verò ab Herode Agrippâ decollatus eſt, ut in Actibus Apoſtolorum* h *legitur.* Et confirmatur ab Euſebio Cæſarienſi i, *Iacobus frater Ioannis Apoſtoli iubente Herode Rege, capite truncatus occiditur* Jeroſolymis. Et à Chriſtiano Adrichomio in Theatro Terræ S. & Biblic. Hiſtor. dicente, *Anno Chriſti 39. Hic anno regni ſui primo, Iacobum fratrem Ioannis, jam ex Hiſpania, ubi Evangelium prædicaverat, reverſum, occidit gladio, 25. Martij.* Et deinde addit, *Corpus Iacobi tranſlatum in Hiſpaniam, ſepultum eſt Compoſtellæ, 25. Iulij.* Poſtea ſubdit Salvator, *Sedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Sed quid, Salvator mi, nonne tuum eſt, collocare nos ad dexteram tuam, dare nobis gloriam tuam? Nequaquam, inquit ipſe. Ego ſum in iſta cruce ut miſericors, *Sed quibus paratum eſt à Patre meo*, qui, ut ait Apoſtolus k meus, eſt *juſtus Iudex.* Hæc corona, *eſt corona juſtitiæ* l. Ideòque illam non do: ſpectat enim ad Patrem meum illam dare victoribus, qui verè dicere poſſunt, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi* m. Propterea turpiter erratis, ſi putatis vos relaturos eam, nedum meruritis illam; ſi ſperatis vos habituros eam per favorem, per carnem, & ſanguinem, ut iſti Apoſtoli. Dei Filius terminat id omne quod dictum eſt de ipſo, *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis* n. *Qui prænuntiabant de adventu Iuſti* o. Et Jeſus Chriſtus ipſemet literis ſcripta cancellat, adimplet omnia ab eis prædicta, *Conſummatum eſt* p. Faciamus idem, Auditores, ad imitationem illius, ſic ut dici poſſit, *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt de nobis.* Id eſt, adimplendo omnia quæ Deo promiſimus in Baptiſmate, cùm renati ſumus *ex aqua & Spiritu ſancto* q, ſic ut dicere poſſimus ſinguli, prout Chriſtiani, cum Domino noſtro Jeſu Chriſto, Patri æterno, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam* r. Et, Gratias Deo, *Nihil mihi conſcius ſum* ſ. Si ita ſe res habet, nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* t.

f Dion. Carth. art. 34. in Matth. 20. 23.
g ex Apoc. 1. 9
h ex Act. 12. 2
i Euſeb. Cæſar. in Chronic. Olymp. 201
k 2. Tim. 4. 8
l Ibid.
m 2. Tim. 4. 7
n Luc. 18. 31
o Act. 7. 52
p Joan. 19. 30
q Joan. 3. 5
r Joan. 17. 4
ſ 1. Cor. 4. 4
t Pſ. 83. 12

IN FESTO S. DOMINICI CONFESSORIS.

Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini. Gal. 1. 15. & 16.

ILle profectò dignus eſt laude, qui laudari poteſt ab omnibus, & habere omnes homines pro præconibus eminentium qualitatum ſuarum: & patres præſertim requirunt ex juſtitia & ex debito laudes a liberis ſuis; & leges quæ prohibent filiis ne imponant illis crimina, permittunt eis ut ſint præcones meritorum illorum: cùm ergo S. Dominicus ſit Pater tot eximiorum filiorum, quare hi inſumunt os alienum ad illum laudandandum? Ideò quia ille laude dignus eſt, qui laudari meretur ab omnibus. Animor igitur in infirmitate meâ, & ſpero me educturum felices ſucceſſus ex inſufficientiâ meâ: quod ago eò libentiùs, quò merita illius ſunt majora; & propter ſocietatem initam inter Ordinem meum & Ordinem ab ipſo inſtitutum. Non habeo, Auditores, niſi exhibere intuenda tranſumpta ad manifeſtandam excellentiam prototypi: vos eſtis, reverendi Patres, vivæ expreſſiones tanti Patriarchæ: ſed quia virtutes veſtræ non ſuſtinent audire proprias laudes veſtras, parcens differere de filiis, loquar de Patre, qui præventus fuit gratiis cœli, & ex parte ſuâ cooperatus eſt iiſdem gratiis, quæ debent eſſe motivum elogiorum ipſius, poſtquàm noſtras obtulerimus reverentias Matri gratiæ, per hæc verba, *Ave Maria.*

Duæ res faciunt gloriam Sanctorum, gratia Dei, & cooperatio Sanctorum huic gratiæ: ſi utra ex his deſit, ipſi non ſunt Sancti: ſi ſola gratia adeſt, homo non poteſt mereri: ſi ſola actio hominis adſit, ipſe nihil poteſt: ſi totum datur gratiæ, derogatur Sancto: & ſi totum attribuitur Sancto, allegatur potentia ſine effectu, *Non ego autem: ſed gratia Dei mecum*, ajebat S. Paulus a. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus b, *Non autem ego ſic laboravi propriâ poteſtate, vel tanquam principalis cauſa operum bonorum. Sed gratia Dei mecum, ſcilicet cooperata & auxiliata eſt mihi, fuitque principalior cauſa bonorum, quàm ego ſeu mea natura. Gratia enim ſe habet ad liberum arbitrium, ut ſeſſor ad equum.* Requiritur unio utriuſque: oportet ut gratia agat in nobis: ex nobis enim nihil agere poſſumus, ſicut Dei Filius ait nobis apud S. Joannem c, *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Et apud Dionyſium Carthuſianum d, *Quia ſine me, id eſt, ſine gratiâ meâ gratum facientе, nihil meritorium poteſtis facere. Propter quod dicit Apoſtolus* e, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum. Et* f, *Omnia poſſum in eo qui me confortat. Hinc apud Ieremiam* g *legitur, Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Nemo ergo ſibiipſi blandiatur, vel in ſeipſo glorietur, cùm nil habet boni à ſe: & hoc ipſum quod habet, nec ad momentum poteſt ſervare, niſi conſervetur à Chriſto. Denique, Ipſa prima mentis ad Deum converſio, Dei donum eſt à Deo. Propter quod Ieremias* h *precatur, Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Deus vult cooperationem noſtram, in ea ipſe ſibi complacet: videte iſtud in Job: Diabolus qui non ſibi blanditur, niſi intuitu infirmitatum noſtrarum, & quem ſola merita noſtra inducunt ad rabiem, gloriabatur,

a 1. Cor. 15 10
b Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15. 10
c Joan. 15. 5
d Dion. Carth. art. 37. in Joan. 15. 5
e 1. Cor. 15. 10
f Philipp. 4. 13
g Jer. 10. 23
h Thren. 5. 21

Circuivi terram, & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum, Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan, ait, Nunquid Iob fruſtrà timet Deum i? Diabolus attribuit omnia Deo, & gratiæ; quaſi diceret Deo, Gratia tua Jobo ſervit loco clypei, ipſe non ſervit tibi niſi intuitu proprij commodi ſui: ipſe non eſt qui agit, ſed tu operaris in illo hæc omnia mirabilia. Deus permittit illud ad extollenda merita Sancti ſui per cooperationem. S. Paulus k ſubminiſtrat hunc concurſum: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Ecce cooperatio. Conſideramus Deum in Sanctis ſuis: Deus in illis agit per gratiam ſuam: ſed Sancti agunt cum Deo per cooperationem ſuam: & hoc eſt quod facit Sanctos. Et illud eſt, quod videre debemus in S. Dominico, Primò gratiam, *Cùm autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam.* Secundò cooperationem gratiæ, quæ ipſum ſimilem Deo reddidit in tribus è præcipuis ipſius attributis, nimirum, ſanctitate, potentiâ, & miſericordia, *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* Hæc eſt totius iſtius diſcurſûs œconomia.

[i Iob 1. 7 &c. — k 2. Tim. 4. 7. & 8. — Diviſio.]

[I. Pars.] Non ſecus ac principium motûs non acquiritur motu, ſed venire ſupponitur ab aliqua alia re ut neceſſariâ ad ipſum incipiendum: ſic prima gratia, quæ eſt ea, quæ dat initium converſioni peccatoris, non acquiritur per merita operum noſtrorum, quantumlibet præ ſe ferre videantur ſanctitatis apparentiam, ſed procedit è pura liberalitate Dei, qui cùm nemini debitor ſit, eam ſine ulla obligatione diſtribuit illis, quorum corda tangere dignatur, ut trahat eos ad pœnitentiam, & inducat illos ad ſe recipiendos in bonam emendatæ vitæ frugem: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei,* ait S. Paulus l. *Id eſt,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, *non in poteſtate hominis volentis eſt velle aliquid meritoriè, nec in poteſtate hominis currentis ſeu operantis, meritoriè operari, ſed utrumque dependet & oritur ex miſericordia & gratia Dei ſicut alibi n dicitur, Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Cui conſonat illud Ieremiæ o, *Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Ideò ait Pſalmiſta p, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Cùm enim finis creationis noſtræ ſit ſupernaturalis, ſcilicet, viſio Dei per ſpeciem, non poſſumus velle, cogitare, vel facere aliquid meritorium hujus finis ex puris naturalibus, ſed inceſſabili gratiâ indigemus. Non ergo aliquid de noſtris viribus præſumamus, ſed ſemper cum profundiſſima humilitate ad divina Pietatis gratiam properemus* q, *dicentes ſinguli Deo, Trahe me poſt te* r. *Nam & Chriſtus ait, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum* s. Sicut igitur expectamus à cœlo primos radios claritatis, qui nobis intuendas exhibent pulchritudines & luces: ſic oportet ut expectemus à Deo primas ſalutis noſtræ inſpirationes, cùm non ſit in poteſtate noſtra nos agnoſcere niſi illuminemur; non ſecus ac non poſſumus intueri Solem ſine luminis auxilio. Unde procedunt iſti modi loquendi ſic frequentes inter Prophetas, *Converte nos Deus ſalutaris noſter* t. Ex quibus verbis patet, quòd emendatio noſtra eſt opus manûs Dei, & non effectus virtutis noſtræ. Quò refertur etiam illud, *Converte me, & convertar* u.

[l Rom. 9. 16. — m Dion. Carth. a. 13 in Rom. 9. 16. — n ex Philipp. 2. 13 — o Jer. 10. 23. — p Pſ. 118. 32. — q ex Judith 6. 15 — r Cant. 1. 4. — s ex Jo. 6. 44. — t Pſ. 84. 5 — u Jer. 31. 18.]

Videbatur alias Athenis imago Terræ in ſitu ſupplicantis, quæ tenebat manus erectas, & oculos elevatos in cœlum, reſpiciens Jovem, à quo ipſa efflagitabat pluviam, cùm non poſſet ſine auxilio illius facere germinare ſemina, eaque perducere ad perfectum terminum ſuum: hoc modo peccatores cùm non poſſint producere fructus ſanctæ converſationis abſque ſubſidio Spiritûs Dei, levare debent manus ſuas, & oculos ſuos in cœlum, ad implorandam gratiam cœleſtem, quæ non eſt ipſis minus neceſſaria propter hunc magnum effectum, quàm ſit pluvia terræ ad ipſam fœcundandam. Sed quantùmlibet inſtanter Deo proponant propter id ſupplicationem, hoc dependet ab ipſius pura bonitate, *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam,* dicit Pſalmiſta x, Deum alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus y, *Pluviam voluntariam, id eſt, rorē gratiæ tuæ, fluenta doctrinæ, irrigationeſque variæ Spiritûs ſancti gratis ac ſponte infuſas, ſegregabis, id eſt, ſeorſum ac ſpecialiter dabis hæreditati tuæ, id eſt, populo Chriſtiano electo, quem proprio ſanguine liberaſti. Hoc Chriſtus in die Pentecoſtes* †, *& interim ſæpè fecit. Et infirmata eſt, id eſt, Eccleſia, quæ eſt hæreditas tua, ex ſeipſa ſibi ſufficiens non fuit, nec per naturam ſalvari, aut aliquid promereri valebat. Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* z. *Ideò ſubdit, Tu verò perfeciſti eam, conferendo ei per gratiam, quod non habuit per naturam. Hinc namque Chriſtus poſt reſurrectionem dixit diſcipulis, Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* a.

[x Pſ. 77. 10. — y Dion. Carth. in Pſ. 77. 10 — † ex Act. 2. 1. &c. — z ex 2. Cor. 3. 5. — a Luc. 24. 49.]

Philoſophi docent, quòd formæ naturales, excluſâ animâ rationali, educuntur è ſinu materiæ: ſed hæc prima gratia, quæ eſt forma cœleſtis & Divina, non naſcitur è diſpoſitionibus ſubjecti, ſed venit à foris, cum non poſſit infundi niſi à Deo, qui dat ipſam liberaliter cuicunque vult, nedum poſſit ipſe accuſari injuſtitiæ, ſed dat ipſam potiùs iſtis quàm alijs, cùm ipſe nemini debitor ſit: nam, ſicut ajunt Theologi, in rebus gratuitis quæ procedunt è pura liberalitate, non poteſt eſſe acceptio perſonarum, *Amice, non facio tibi injuriam. Aut non licet mihi quod volo, facere b? Quaſi dicat,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus c, *Vtique, quia voluntas Dei cùm ſit eſſentialiter idem quod ſapientia & juſtitia ejus, nec injuſta, nec irrationabilis eſſe valet, ſed eo ipſo quo Deus aliquid vult, juſtum ac licitum eſt. Vnde in libro Sapientiæ d legitur, Virtus tua, Domine, juſtitiæ initium eſt.* Deus igitur tribuit abſque ulla injuſtitia dona gratiæ ſuæ quibuſcunque vult, communicans ea ſæpè, non illis qui videntur juſtiores præ oculis mundi, ſed illis qui apparent criminoſiores. In hoc ſitus eſt honor eximij artificis, ut micare faciat mirabilia artis ſuæ ſuper ſubjectum difficile elaboratu: & in hoc conſiſtit gloria Dei, ut homines quoſlibet obſtinatiſſimos ad juſtum redigat obſequium, & emolliat corda quæ erant indurata *tanquam lapis, & quaſi mallearoris incus* e, ſtricta, & quæ ut ſic maximam afferebant reſiſtentiam, & plurima opponebant obſtacula lenocinijs & ſuavitatibus Divinæ gratiæ ipſius. Propter quod converſio Sauli eſt illuſtrior vocatione Petri, Andreæ, Jacobi, & Joannis: *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur*

[b Matth. 20. 13. & 15. — c Dion. Carth. a. 34. in Matt. 20. 15. — d ex Sap. 12. 16. — e Job 41. 15.]

Digitized by Google

tur Petrum, & Andream fratrem ejus, mittentes rete
in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite
poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At
illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et proce-
dens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi,
& Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo pa-
tre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos. Illi
autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum
f Matt. 4. 18. &c. *f. Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in*
diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum,
& petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas,
ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vin-
ctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret,
contigit ut appropinquaret Damaſco. Et ſubitò cir-
cumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram, au-
divit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me per-
ſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille. Ego
ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra
ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit,
g Act. 9. 1. &c. *Domine, quid me vis facere g? Hæc mutatio dexteræ*
h Pſ. 76. 11. *excelſi*, dicit ipſemet poſt Pſalmiſtam *h*. Et, jux-
i Dion. Carth. in hunc loc. ta Dionyſium Carthuſianum *i*, *Hoc eſt, quòd à ca-*
ptivitate ſua de tenebris ignorantiæ ad ſplendorem
ſapientiæ, de vitijs in virtutes, de carnali & animali
in ſpiritualem, aſcribendum eſt pio ſubſidio ſeu miſe-
ricordi præſentiæ Dei ſublimis. Nunquam tranſi-
tus ab extremo ad extremum, quin tangatur
medium, imò verò nec aliter moventur Angeli,
Angelus dum movetur, per medium moveri jure dici-
k S. Bon. in 1. Sent. diſt. 37. a. 2. q. 2. *tur*, ait S. Bonaventura *k*. Sed hic non ita ſe res
habet, vitium ſubitò mutatur in virtutem, Deus
prævenit animam *in benedictionibus dulcedinis l*,
communicans ei gratiam ſuam, cum hæc minùs
l Pſ. 20. 4. afficiebatur erga virtutem, & ardentiùs inclina-
batur ad effrænem libertatem ſectandam.

Iſraelitæ *cùm in Perſidem ducerentur, Sacerdotes*
qui tunc cultores Dei erant, accepeum ignem de al-
tari occultè abſconderunt in valle, ubi erat puteus al-
tus & ſiccus. & in eo contutati ſunt eum, ita ut om-
nibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præteriſſent an-
ni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à
Rege Perſidis: nepotes Sacerdotum illorum qui ab-
ſconderant, miſit ad requirendum ignem: & , ſicut
narraverunt, non invenerunt ignem, ſed aquam craſ-
ſam. Et juſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrifi-
cia quæ impoſita erant, juſſit Sacerdos Nehemias a-
ſpergi ipsâ aquâ, & ligna, quæ erant ſuperpoſita. Ve-
que hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol refulſit,
qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita
m 2. Machab. 1. 19. &c. *ut omnes mirarentur m.* Sancti ſunt tales diverſis
modis. Aliqui poſtquàm fuerunt peccatores, in-
terventu gratiarum fortium & potentium, quæ
ipſos ſublevant, ut dicebamus modò de Saulo.
Alii, tales ſiunt in ſenectute ſua, poſtquam dede-
runt primos dies ſuos mundo, voluptatibus, &
delicijs ſenſuum & carnis. Alij tales efficiuntur
ex ipſo vel utero matris ſuæ, ubi ſanctificati ſunt,
ut Jeremias, cui *factum eſt verbum Domini, dicens,*
Priuſquàm te formarem in utero, novi te: & ante
n Jer. 1. 4. & 5. *quàm exires de vulva, ſanctificavi te n.* Et S. Joan-
nes Baptiſta, de quo prædixit *Angelus Domini, Spi-*
ritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. Et
factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth,
o Luc. 1. 11 &c. *exultavit infans in utero ejus o.* Et alij, ſunt ſancti
à nativitate ſua: & ex his fuit S. Dominicus. Di-
co igitur quòd S. Dominicus fuit ſanctus à nativi-
tate ſua, *Segregavit me ex utero matris meæ, & vo-*
cavit per gratiam ſuam. Anima ipſius ante Baptiſ-
ma ſimilis erat igni Sanctuarii incluſo in puteo,
convenientiam habebat cum aqua lutea per ma-

culam peccati originalis: ſed collocata ſuper fon-
tem Baptiſmalem, Sole miſericordiæ vibrante
radios ſuos ſuper ipſam, & ipſam præveniente *in*
benedictionibus dulcedinis p; renaſcendo *ex aqua* p Pſ. 20. 4.
& Spiritu ſancto q, converſa eſt in flammam cha- q Jo. 3. 5.
ritatis, quæ nunquam extincta eſt. Re autem ve-
râ quandiu mater ejus, ipſo fœta, novemdiale
penſum obiret in monaſterio S. Dominici de Si-
lo, die ſeptimâ novemdialium precationum ſua-
rum, cùm nocte decumberet, antequàm dormi-
ret, apparuit illi Religioſus in forma habitûs ip-
ſius, qui prædixit ei, quòd ipſa paritura eſſet fi-
lium præditum multis gratijs & virtutibus: pro-
pter quam revelationem, & felicem annuncia-
tionem, cùm infans venit in mundum, vocatus
eſt Dominicus nomine Patroni ſui S. Dominici
de Silo, quod erat præſagium, quòd ipſe futurus
eſſet ſanctus, ſicut iſte. Et, ut canit Eccleſia, *Hujus*
mater gravida, ſibi viſa eſt in quiete continere in alvo
catulum ore præferentem facem, quâ editus in lucem,
orbem terrarum incenderet, Quo ſomnio ſignificaba-
tur, fore ut ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ, Gentes
ad Chriſtianam pietatem inflammarentur. Verita-
tem exitus comprobavit: id enim & præſtitit per ſe,
& per ſui Ordinis ſocios deinceps eſt conſecutus. Imò
verò veritatis iſtius præſagium fuit, quòd ſtatim
ac ipſe baptizatus fuit, matrina ejus vidit in
fronte illius ſtellam ita ſplendentem, ut illumi-
naret totam terram radijs ſuis; Deo manifeſtante
per hæc ſigna boni augurij, officium quod S. Do-
minicus eſſet exerciturus, latrandi & impedien-
di, ne diabolus ingrederetur Eccleſiam, quam
ipſe illuminaturus & inflammaturus erat ſplen-
dore & ardore ſanctæ vitæ & doctrinæ ſuæ, ſicut
& filiorum ſuorum ſpiritualium.

Omnes ipſius actiones, ſanctæ fuerunt ab in-
fantia ſua, in qua inſtitutus eſt à parentibus ſuis,
& à quodam patruo ſuo Archipresbytero, & e-
doctus timorem Dei, & omne genus virtutum.
Ex natura ſua ſic ipſe docilis erat, & inclinatus
ad bonum, ut eſſet ipſi potiùs neceſſarium fræ-
num, quam calcar, quoad ea quæ pietatis erant, &
devotionis: ſicut ſeptem annos natus, ſurgeret è
cubili, & humi decumberet, quaſi ex tunc vo-
luiſſet experiri pœnitentiam & auſteritatem vi-
tæ, quam ſuo tempore profeſſurus erat. Quan-
diu creſcebat ætate, virtutum ſibi conciliabat in-
crementa proportionabiliter, valdè ſobrius in
cibo & potu, & inimicus oblectamentorum &
voluptatum, quibus libenter indulget adole-
ſcentia, & juventus. Actiones ipſius erant mo-
deſtæ & compoſitæ: ipſe ſe gerebat ut ſenex,
& habebat judicium æquè ſolidum ac vir, qui eſt
in legitimo & perfecto corporis modo & ſtatu.
Adoleſcentia, ſeu juventus vitam tranſigebat in-
ter exceſſus æquo liberiores, quandiu ipſe corpus
ſuum ſeveris caſtigabat macerationibus. Tan-
dem, Ipſe, erat Sol ſine nube, aſtrum abſque ecly-
pſi, ſemper in innocentia ſicut Angeli; ipſe nun-
quam perdidit illam, vacans jugiter orationi, &
contemplationi rerum Divinarum: ipſe cuſtodi-
vit indeſinenter puritatem animæ ſuæ, *Cùm au-*
tem placuit, ſegregavit me. Ipſe fuit immunis ab
omni impuritate, & expers commercij omnis
generis vitiorum. Ipſe perpetuâ & inviolatâ præ-
ditus fuit caſtitate, quam conſervavit toto tem-
pore vitæ ſuæ: & ut illam ſedulò cuſtodiret, ipſe
conabatur nunquam eſſe otioſus, fugiebat con-
ſortia mulierum, & declinabat ab exceſſibus
oris & gulæ, quæ tria lethaliter officiũt caſtitati.
Deni-

II. Pars, Denique, Deus illum vocavit ad obſequium ſuum, ſicut canit Eccleſia, *Dominicus, Calaroga in Hiſpania ex nobili Guſmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus diſciplinis & Theologiæ operam dedit: quo in ſtudio cùm plurimùm profeciſſet, priùs Oxomenſis Eccleſiæ Canonicus Regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum Auctor fuit.* Ecce cooperatio gratiæ, *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* Non inſtar reliquorum hominum vulgarium, qui relinquunt mundum, ubi pauca poſſident, & ducunt vitam, quæ non habet multum ſplendoris: ſed Dominicus exit è mundo, ubi fortuna ipſi ridebat, & ipſi multa pollicebatur, cùm eſſet nobilis: ſed ipſe non conſiderat nobilitatem ſuam, nec magnitudinem mundi, *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* Ipſe ingreditur Religionem, & fit illius Patriarcha, relinquens *omnia, &* r ſequens Jeſum Chriſtum, & eum liberans ab iſto probro, *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum* s? Ipſe egreditur ſeculo, non quòd ſeculum ſit malum, cùm ſit productio Dei, *Mundus per ipſum factus eſt* t. Sed quia maximæ & regulæ illius contrariæ ſunt innocentiæ & puritati vitæ: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt* u. Ipſe deſtruit omnes iſtas maximas per tria vota Religionis, quibus addicit ſe cooperando gratiæ Dei, quæ ipſum reddit ſimilem eidem Deo in ſanctitate, in potentia, & in miſericordia ipſius.

r Matth. 19. 27. &c
s Jo. 7. 48
t Jo. 1. 10.
u 1. Jo. 2. 16.

Sol qui communicat lucem ſuam ſine diminutione; Ignis calorem ſuum ſine alteratione; & Oceanus undas ſuas ſine jactura, videntur non habere alios inſtinctus & alias propenſiones in omnibus profuſionibus ſuis, niſi producere alios ſemetipſos: Si Sol emittit radios ſuos ſuper hunc orbem, ideò ut inveniat aliquod objectum dignum ut ipſum vivè repræſentet, ſicut videmus cùm objectum habet corpus aliquod diaphanum & lucidum ex ſe: tunc enim ſic ei communicat lumen ſuum, & ſic eum micare facit, ut videatur corpus iſtud luminoſum velut alter Sol in terra: Ignis ſimiliter reperiens corpus activitatis ſuæ ſuſtinendæ capax, tantum calorem communicat ei, ut illud tandem reddat velut alterum ſeipſum, ſicut videmus in ferro candente recenter educto è camino accenſo, de quo dubitatur an ſit igneũ, vel formaliter ignis: Et Oceanus inveniens modum effundendarum undarum ſuarum ſuper aliquas arenas; & fluvij reperientes occaſionem inundandi ſuper aliquas planities, ſuper eas tanto ſe projiciunt impetu, ut tandem faciant alium fluvium, qui videtur excedere, vel ſaltem adæquare originem ſuam. Iſtud, quod dico, videmus in Sole, in igne, & in Aquis: ſed cum majori excellentia in Deo, cùm ipſe ſit Prototypon, ad quod omnes creaturæ conantur ſe conformare, & conſequenter ſe perficere. Bonitas igitur ipſius non contenta productionibus ſuis interioribus, & genuiſſe *ex utero* x Filium ſuum, & ſpiraſſe una cum iſto Filio *Spiritum veritatis* y, qui Filius & Spiritus ſanctus ſunt idem cum Patre, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* z: bonitas ipſius, inquam, cui proprium eſt ſe communicare, nedum amittat aliquid perfectionum ſuarum, *Bonum eſt diffuſivum ſui* a: quærit aliquod ſubjectum, ſuper quod effundere poſſit ipſa perfectiones ſuas univerſas, & illud aſſimilare ſibi, quantùm poſſibile eſt ut creatura ſimilis fiat Deo: ſicut, cùm invenerit S. Dominicum diſpoſitum ad ſuſcipiendas influentias & gratias ipſius, ipſa tot illi communicaverit, ut Sanctus iſte per cooperationem, quam attulit hujuſmodi gratijs, ſimilis Deo factus fuerit in ipſius ſanctitate. Sanctitas, ſecundùm aliquos, conſiſtit in quadam elevatione mentis noſtræ ad Deum, & ſupra res omnes mundi. Quis autem fuit unquam elevatior S. Dominico, qui ſemper erat intentus orationi, & contemplationi Dei, & rerum cœleſtium & Divinarum? Alij dicunt, quòd ſanctitas eſt ſita in omnimoda denudatione à bonis temporalibus. Sed quis unquam magis fuit denudatus poſſeſſione & affectu bonorum terrenorum, quàm S. Dominicus, relinquens *omnia* b per vota ſua? Theologi requirunt in quonam ſita ſit beatitudo Dei noſtri, & quænam ſit ratio formalis ſanctitatis ipſius. Aliqui dicunt, quòd hæc conſiſtit in cognitione, quam ipſe habet perfectionum ſuarum: & ſic ipſi volunt ut beatitudo tot Sanctorum conſiſtat in actu intellectûs; alij in actu voluntatis; & alij tandem in derelictione totali omnium quæ ſunt in terra, ut uniant ſe principio ſuo, & ſic in memoria. Ego autem dico, quòd illorum felicitas conſiſtit in his tribus rebus ſimul, in perfectione intellectûs, voluntatis, & memoriæ, quod fit cùm mens noſtra nulli alij rei ſe applicat, niſi cognitioni Dei, niſi dilectioni Dei, & niſi recordationi Dei: quod invenio in S. Dominico: nam intellectus illius non habebat luces & illuſtrationes, niſi ut inſumeret eas ad cognoſcendum Deum in oratione & contemplatione: voluntas ejus, flammas & ardores, niſi ut adhæreret ſummo Bono: & memoria ipſius, recordationes, niſi ut recoleret beneficia ſuſcepta ab illius bonitate.

x Pſ. 109 3.
y Jo. 15 26.
z 1. Jo. 5. 7.
a S. Dió. l. de Div. Nom. c. 4
b Matth. 19. 27 &c

Potentia Dei manifeſtatur ſpecialiter in cœlo, ſuper infernum, & in terra. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra; in mari, & in omnibus abyſſis* c. In cœlo, operando potentiâ ſine contradictione, aliqualiter per ſimplex deſiderium, & per amorem: ſuper infernum, cum rigore & ſeveritate propter rebelles: & in terra, modò per rigorem, modò per dulcedinem, ſecundùm exigentias. Atqui dico quòd potentia S. Dominici extendit ſe ſuper cœlum, ſuper infernum, & ſuper terram. In cœlum, per orationem & amorem, impetrando à Deo id, quod ipſe volebat ab eo conſequi; aliquando ſic elevatus & extra ſe raptus, ut videretur amiſiſſe omnem ſenſum, ob vehementiam ſuæ orationis, in qua Deus communicabat ipſi magnos favores, & tales, ut ipſemet dixerit cuidam ex amicis ſuis, quòd ipſi nunquam Deus recuſaſſet ullam rem ex illis omnibus, quas efflagitaſſet ab eo: quod mirum non eſt, quia ipſe devotiſſimus erat B. Virgini Deiparæ, & magnam habebat fiduciam in protectione illius, nihil unquam incipiens, aut perficiens quod eſſet alicujus momenti, quin priùs ferventer oraſſet Dominam noſtram, per cujus interceſſionem ipſe obtinebat à Filio ejus quodcunque volebat. Quod confirmatur ex hac revelatione, quam exhibuit ipſi divina Miſericordia. Cùm eſſet ipſe aliquando veſpere quodam Romæ in oratione in Eccleſia S. Petri, coram SS. Sacramento, mente raptus, vidit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in aëre ſedentem in throno Regio, cum terribili repræſentatione ſuæ majeſtatis, tenentem præ manu ſua tria jacula, quæ vibraturus erat in mundum: & ſicut nemo po-

c Pſ. 134. 6.

tuit

tuit reſiſtere juſtæ iræ ejus, ipſe advertit quòd Domina Angelorum, & noſtra, procubuit ad pedes illius, petens ab eo miſericordiam pro illis, quos ipſe *dilexit, & lavit à peccatis in ſanguine ſuo d*: & obtulit ei duos viros, nimirum, S. Dominicum, & S. Franciſcum (quem Spiritus ſanctus eodem tempore Romam deduxerat, hâc intentione fundandi ſui Ordinis) dicens chariſſimo Filio ſuo, quòd per prædicationem duorum iſtorum mundus reformaretur, & peccatores agerent pœnitentiam. Dominus noſter mitigatus eſt oblationibus & precibus piiſſimæ Matris ſuæ, & acceptavit duos magnos Duces, quos hæc ipſi offerebat. Hæc viſio conſolata eſt & animavit vehementer S. Dominicum, & eò plùs quòd poſt orationem ſuam egrediens templo S. Petri, obvium habuit in vico S. Franciſcum: iſti duo Sancti mutuò ſe agnoverunt, nedum tamen unquam ſe priùs vidiſſent. S. Dominicus ivit amplexum S. Franciſcum, dicens ei: Nos ambo ſumus ſocij, ſervi ejuſdem Domini, aſſumpti ad eadem negotia, ejuſdem intentionis, uniamus nos, & nulla contradictio inferni poterit avertere nos à ſervitio magni Domini noſtri. Super infernum: Nam cùm diabolus ſumpſiſſet aliquando formam Aulici, venit petitum Confeſſarium à Sacriſta Conventûs, ubi aderat S. Dominicus. Sacriſta vocavit ad eum, Confeſſarium. Fictus iſte pœnitens cœpit diſcurrere de peccatis ſuis inhoneſtis ſic abominabili artificio, ut Confeſſarius veritus ne inquinaretur animæ ſuæ puritas, abierit, nedum expectaret donec ille confeſſionem ſuam ſimulatam perfeciſſet. Idem contigit quatuor alijs Confeſſarijs, qui non potuerunt audire hanc fictam confeſſionem, qui ſimiliter receſſerunt. Interim diabolus inſtabat ut ad ſe adduceretur aliquis qui ipſum abſolveret, quærens quòd nullam haberent charitatem. Tandem S. Dominicus venit ad audiendam illius confeſſionem, & ingrediens Eccleſiam, ſcivit ex Divina revelatione, quòd ille, diabolus erat, quem ipſe vituperavit acriter, præcipiens ei ut inde exiret, & ne ampliùs interturbaret quietem ſervorum Dei. At ille confeſtim diſparuit, relinquens in Eccleſia fœtorem intolerabilem, ad ſtuporem omnium. Ipſius potentia non minùs apparebat ſuper terram æquè ac potentia Dei, & eodem modo: nam iſte Sanctus talem ſibi conciliaverat authoritatem bono exemplo ſuo & ſanctâ vitâ ſuâ, ut unuſquiſque ipſum timeret, & revereretur: hanc autem potentiam ipſe manifeſtavit adversùs Albigenſes Hæreticos, quos ipſe excipiebat ſecundùm demerita ipſorum, utens rigore contra eos, qui nolebant cedere & obedire ſuavibus ipſius reprehenſionibus: *Hujus autem ingenium ac virtus maximè enituit in evertendis Hæreticis, qui pernicioſis erroribus Toloſates pervertere conabantur. Quo in negotio ſeptem conſumpſit annos*, canit Eccleſia. Finis autem laborum ipſius, fuit, ut ſanctiſſimâ vitâ & cœleſti doctrinâ ſuâ confirmatâ miraculis, quæ Deus per ipſum operabatur, ipſe converterit ferè centum millia animarum, quæ erant deperditæ, & reduxerit eas ad gremium Eccleſiæ Catholicæ. Ecce fructus quos obtulit ipſe Deo: & videns quòd ipſe vocatus eſſet ad iſtud officium, & electus a Deo ad offerendum remedium his animabus errantibus. *Poſteà Romam venit ad Lateranenſe Concilium cum Epiſcopo Toloſano, ut Ordo quem inſtituerat, ab Innocentio III. confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione verſatur, Dominicus hortatu Pontificis ad ſuos revertitur, ut ſibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio III. qui proximus Innocentio ſucceſſerat, confirmationem Ordinis Prædicatorum impetrat*, proſequitur eadem Eccleſia. Voluit igitur ut filij Religionis, cujus eſt ipſe Patriarcha, propter effectum prædictum vocarentur Prædicatores, adhærendo veſtigijs ipſius, cùm conſervari debeamus iiſdem rebus, quæ nobis præbuerunt eſſe. Verbum Dei nos fecit fideles: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*, dicit S. Paulus *e*. Qui paulò antè petit, *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Oportet igitur ut idem verbum nos conſervet. Ego autem dico, quòd ſine prædicatione Religio deſiſteret: ipſa non poſſet ſubſiſtere, ſecundùm iſtud axioma Philoſophicum, quòd res ſubſiſtunt iiſdem rebus, quæ tribuerunt ipſis eſſe. Et licèt hoc effatum non habeat locum in Medicina, nec in Politia: nam in Medicina habemus ſanitatem interventu alicujus remedij; non eſt utendum nihilominùs hoc remedio ad eam conſervandam: & in politia inſumuntur arma, mortes, & violentiæ tempore belli; tamen tempeſtate pacis non ſunt excipiendi ſubditi rigore: viget in facto Religionis nihilominùs hoc proloquium: Religio habetur per prædicationem verbi Dei, unde habetur fides: oportet ut eadē prædicatio, unde fides emergit, illam conſervet: & quot ſunt Religioſi S. Dominici, tot ſunt Prædicatores, tot Præcones, tot prodigia & miracula, ſicut S. Dominicus dicere poſſit, quemadmodum Dei Filius ait apud Iſaiam *f*, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum.* Quænam autem ſigna? Sanctitatis, pietatis, & directionis. Quænam miracula? Scientiæ, ut ſunt Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas. Quænam ſigna? Ardoris, ut eſt S. Vincentius Ferrerius. Quænam portenta? Oeconomiæ vitæ ſpiritualis, ut eſt devotus Pater Ludovicus Granatenſis. *In ſignum, & in portentum.* Hi ſunt filij S. Dominici: videte quomodo ſunt illius imitatores. S. Dominicus non eſt mortuus, Auditores: ipſe vivit, ſed vivit glorioſè in filijs ſuis. Qualis gloria huic Patriarchæ, habere tales filios, & ita magnos, & ſic magno numero. Refertur de Metello, quòd cùm mortuus eſſet, elatus eſt à quatuor filijs ſuis, quorum duo primi fuerant actu Conſules, tertius erat actualiter Conſul, & quartus debebat hunc Magiſtratum poſſidere. Qualis mors, quales exequiæ, videre quatuor filios illuſtres, qui portabant corpus patris ſui defuncti. Glorioſe S. Dominice, ecce portaris à tot filijs tuis, ſummis Pontificibus, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Magiſtris ſacri Palatij, Inquiſitoribus ſanctæ Fidei, Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus. Metellus habebat quatuor filios illuſtres; ſed ipſe filios habes innumeros, qui, ut fideles imagines, deferunt virtutes tuas: & ſi non habemus hîc aliquid è reliquijs tuis, quibus erigamus mauſolea & ſtatuas, tamen omnes filij tui ſunt totidem ſtatuæ viventes & animatæ, & naturales expreſſiones, quæ te ad vivum repræſentant. Continuate, reverendi Patres, conformate vos jugiter ad hoc prototypon Patriarchæ veſtri, qui reſpondit & cooperatus eſt gratiæ, quæ ipſum tandem Deo ſimilem reddidit in miſericordia ipſius.

Miſericordia Dei præſertim manifeſtatur erga peccatores, pauperes, & afflictos. Erga peccato-

d Apoc. 1. 5.

e Rom. 10. 17. & 14.

f Iſa. 8. 18.

catores, expectans eos ad pœnitentiam, ſicut ait ei Salomon *g*, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominũ propter pœnitentiam.* Et patiens donec ipſi ſe corrigant, *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, dicit illis S. Petrus *h*. Et ante illum Iſaias *i*, *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis.* Erga pauperes, providendo eis neceſſaria interventu divitum, *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor*, ait illi Pſalmiſta *. Et erga afflictos, conſolando eos in afflictionibus ipſorum, ſicut ait ei idem David *k*, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quis unquam, Auditores, plùs exercuit poſt Deum noſtrum miſericordiam ſuam erga pauperes, quàm S. Dominicus, æquè ac erga pauperes, & afflictos? Quandiu erat adhuc Scholaſticus, ſic erat miſericors, & ita affligebatur ob neceſſitates ſpirituales & temporales proximorũ ſuorum, ut ſæpè fleret cùm nequibat illis auxiliari: tantam agebat pœnitentiam pro peccatis alienis, quantam pro ſuis, & pro illis corpus ſuum ſeveris maccrabat auſteritatibus: curam habebat pauperum, & orphanorum. Tempore magnæ famis, ipſe vendidit ſupellectilem domûs ſuæ, & libros ſuos ad erogandam eleemoſynam illis, qui ſame peribant. Et quædam mulier deſolata deprecans eum ut ipſam adjuvaret ad redimendum fratrem ſuum qui captus fuerat à Mauris, tantâ commovit ipſum miſericordiâ, ut ipſemet eam oraverit, ut ipſum venderet, vel mutaret pro fratre ſuo redimendo. Sic ut dicere poſſimus, quòd S. Dominicus per cooperationem ſuam gratiæ, ſimilis Deo fuerit in tribus è præcipuis ipſius attributis, ſanctitate, potentiâ, & miſericordiâ.

g Sap. 11. 16.
h 2. Petr. 3. 9.
i Iſa. 30. 18.
* Pſ. 9. 35.
k Pſ. 43. 19.

Sed obſervabitis, ſi placet, Auditores, quòd ſicut Sol, Ignis, & Fluvij non effundunt eximias ſuas qualitates niſi ſuper ſubjecta benè diſpoſita: ſic Deus non communicavit perfectiones ſuas S. Dominico, niſi poſt magnã diſpoſitionem & cooperationem è parte ipſius. Quòd ſi ipſe fuit Deo ſimilis in ſanctitate, potentia, & miſericordia ipſius, oportet ut ipſe concurrerit ad conciliandam ſibi hanc ſimilitudinem. Ditiſſimum officiorum, quæ homo poſſidere poſſit in terra; & quod Jeſus Chriſtus venit exercitum ſuper terram *l*, & quod ipſe poſteà commiſit Apoſtolis ſuis *m*, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, eſt converſio animarum: *Uniuſcujuſque eorum, qui in hierarchia cooptati ſunt, in eo poſita perfectio eſt, ut pro ſua quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat: & id quo nihil Divinius eſt, Dei, ut ſacra Scriptura loquitur, fiat adjutor n, Divinamque in ſe actionem o, quantùm poteſt, oſtendat*, ait S. Dionyſius *p*. Derelinquamus ſanitatem, quietem & famam noſtram ad exercendum illud officium, ne Deus à nobis petat illius rationem. Imitamurne S. Dominicum? reſpondemuſne gratiæ per cooperationem ſuavitatibus illius? Deus nos vocat à peccato, à pravis conſuetudinibus: eximuſne ab illis? præbemuſne aurem voci ejus, quæ nos vocat ad converſionem, ad bonam vitam? Facimuſne ſicut egit S. Dominicus? *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* S. Dominicus, vocatus à Deo, reliquit *omnia, & q* ſecutus eſt illum: nos autem ut inſani currimus poſt ineptias, voluptates, & oblectamenta mundi; recuſamus audire vocem Dei, qui noſtri cordis ſtat *ad oſtium & r* pulſat, dicens nobis ſingulis, *Aperi mihi s.* Deus offert nobis gratiam: ſed hæc non ſufficit, huic ſuperaddere debemus cooperationem noſtram. Nemo eſt qui non deſideret ſimilis eſſe Deo per gratiam, & aliquando per gloriam, per cooperationem gratijs, quas ipſe nobis præſentat in iſta vita: propterea concurrere debemus cum illis, ad obtinendum hunc favorem, purgantes mentem, voluntatem, & memoriam noſtram: mentem noſtram, nolentes aliquid cognoſcere niſi Deum, vel ſaltem niſi id quod eſt illi gratum: voluntatem noſtram, non diligentes niſi eum: & memoriam noſtram, rejicientes hanc magnam curam bonorum temporalium. Conari debemus habere ſanctitatem: potentiam ſuper cœlum, infernum, & terram, per orationes, fidem, & bonum exemplum: & miſericordiam erga peccatores per zelum & patientiam; erga pauperes per eleemoſynas; & erga afflictos per charitatem, quæ nos inducat ad compatiendum eis, & nobis acquirat gratiam, & poſteà gloriam.

l Luc. 19. 10.
m Marc. 16. 15.
n ex 1. Cor. 3. 9.
o ex Jo. 5. 17.
p S. Dion. lib. de Cœleſt. Hier. c. 3.
q Matth. 19. 27. &c.
r Apoc. 3. 20.
s Cant. 5. 2.

IN FESTO S. CLARAE VIRGINIS

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Matth. 5. 15.

LIcèt cœlum ſit corpus maximum mundi, perfectiſſimum in forma ſua & in materia ſua, potentiſſimum in qualitatibus ſuis, minùs obnoxium alterationibus, ſuſtineat omnia entia influentijs ſuis, animet univerſas pulchritudines lumine ſuo ſplendenti, quod ubique micat interventu tot luminarium, quot ipſum habet ſtellas, & omnes ignes qui in ipſo apparent, mereantur conſiderati cum attentione, cùm ibi accendant aſtra, & flammas quæ maximam præ ſe ferunt puritatem: tamen, Auditores, ignes illi, & hæc luminaria non debent occupare viſum noſtrum, & cogitationem noſtram, comparatione lucernæ, quam Deus accendit in Eccleſia ſancta ſua, ad illuminandos in ea luce ſua ſplendenti, & ad calefaciendos exemplo ſuo & ardoribus ſuis omnes utriuſque ſexûs fideles. Ignis iſte non eſt alius, niſi glorioſa S. Clara, quæ velut ſplendens lucerna lumen ſuum communicat toti mundo, præcipuè verò toti Italiæ, ubi ipſa exercuit actus charitatis, quorum intuitu ipſa facta eſt, & fit adhuc *ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus a*, qui collocant ipſam in ſtatu perfectionis ſic ſublimi & ita elevato, ut, quemadmodum oculi noſtri non vident aliquid æquè perfectum ac eſt lumen Solis, & vitæ noſtræ non habent aliquid æquè neceſſarium, ac iſtud aſtrum, quod eſt anima pulchritudinum, cor mundi, origo voluptatum noſtrarum, gaudium & vigor naturæ; ſic non debeamus aliquid hodierna die conſiderare æquè con-

a 1. Cor. 4. 9.

tuit reſiſtere juſtæ iræ ejus, ipſe advertit quòd Domina Angelorum, & noſtra, procubuit ad pedes illius, petens ab eo miſericordiam pro illis, quos ipſe *dilexit, & lavit à peccatis in ſanguine ſuo d*: & obtulit ei duos viros, nimirum, S. Dominicum, & S. Franciſcum (quem Spiritus ſanctus eodem tempore Romam deduxerat, hâc intentione fundandi ſui Ordinis) dicens chariſſimo Filio ſuo, quòd per prædicationem duorum iſtorum mundus reformaretur, & peccatores agerent pœnitentiam. Dominus noſter mitigatus eſt oblationibus & precibus pijſſimæ Matris ſuæ, & acceptavit duos magnos Duces, quos hæc ipſi offerebat. Hæc viſio conſolata eſt & animavit vehementer S. Dominicum, & eò plus quòd poſt orationem ſuam egrediens templo S. Petri, obvium habuit in vico S. Franciſcum: iſti duo Sancti mutuò ſe agnoverunt, nedum tamen unquam ſe prius vidiſſent. S. Dominicus ivit amplexum S. Franciſcum, dicens ei: Nos ambo ſumus ſocij, ſervi ejuſdem Domini, inſumpti ad eadem negotia, ejuſdem intentionis, uniamus nos, & nulla contradictio inferni poterit avertere nos à ſervitio magni Domini noſtri. Super infernum: Nam cùm diabolus ſumpſiſſet aliquando formam Aulici, venit petitum Confeſſarium à Sacriſta Conventûs, ubi aderat S. Dominicus. Sacriſta vocavit ad eum, Confeſſarium. Fictus iſte pœnitens cœpit diſcurrere de peccatis ſuis inhoneſtis ſic abominabili artificio, ut Confeſſarius veritus ne inquinaretur animæ ſuæ puritas, abierit, nedum expectaret donec ille confeſſionem ſuam ſimulatam perfeciſſet. Idem contigit quatuor alijs Confeſſarijs, qui non potuerunt audire hanc fictam confeſſionem, qui ſimiliter receſſerunt. Interim diabolus inſtabat ut ad ſe adduceretur aliquis qui ipſum abſolveret, querens quòd nullam haberent charitatem. Tandem S. Dominicus venit ad audiendam illius confeſſionem, & ingrediens Eccleſiam, ſcivit ex Divina revelatione, quòd ille, diabolus erat, quem ipſe vituperavit acriter, præcipiens ei ut inde exiret, & ne ampliùs interturbaret quietem ſervorum Dei. At ille confeſtim diſparuit, relinquens in Eccleſia fœtorem intolerabilem, ad ſtuporem omnium. Ipſius potentia non minùs apparebat ſuper terram æquè ac potentia Dei, & eodem modo: nam iſte Sanctus talem ſibi conciliaverat authoritatem bono exemplo ſuo & ſanctâ vitâ ſuâ, ut unuſquiſque ipſum timeret, & revereretur: hanc autem potentiam ipſe manifeſtavit adversùs Albigenſes Hæreticos, quos ipſe excipiebat ſecundùm demerita ipſorum, utens rigore contra eos, qui nolebant cedere & obedire ſuavibus ipſius reprehenſionibus: *Hujus autem ingenium ac virtus maximè enituit in evertendis Hæreticis, qui pernicioſis erroribus Toloſates pervertere conabantur. Quo in negotio ſeptem conſumpſit annos*, canit Eccleſia. Finis autem laborum ipſius, fuit, ut ſanctiſſimâ vitâ & cœleſti doctrinâ ſuâ confirmatâ miraculis, quæ Deus per ipſum operabatur, ipſe converterit ferè centum millia animarum, quæ erant deperditæ, & reduxerit eas ad gremium Eccleſię Catholicę. Ecce fructus quos obtulit ipſe Deo: & videns quòd ipſe vocatus eſſet ad illud officium, & electus a Deo ad offerendum remedium his animabus errantibus. *Poſteà Romam venit ad Lateranenſe Concilium cum Epiſcopo Toloſano, ut Ordo quem inſtituerat, ab Innocentio III. confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione verſatur, Dominicus hortatu Pontificis ad ſuos revertitur, ut ſibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio III. qui proximus Innocentio ſucceſſerat, confirmationem Ordinis Prædicatorum impetrat*, proſequitur eadem Eccleſia. Voluit igitur ut filij Religionis, cujus eſt ipſe Patriarcha, propter effectum prædictum vocarentur Prædicatores, adhærendo veſtigijs ipſius, cùm conſervari debeamus ijſdem rebus, quæ nobis præbuerunt eſſe. Verbum Dei nos fecit fideles: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*, dicit S. Paulus *e*. Qui paulò antè petit, *Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Oportet igitur ut idem verbum nos conſervet. Ego autem dico, quòd ſine prædicatione Religio deſiſteret: ipſa non poſſet ſubſiſtere, ſecundùm illud axioma Philoſophicum, quòd res ſubſiſtunt ijſdem rebus, quæ tribuerunt ipſis eſſe. Et licèt hoc effatum non habeat locum in Medicina, nec in Politia: nam in Medicina habemus ſanitatem interventu alicujus remedij; non eſt utendum nihilominùs hoc remedio ad eam conſervandam: & in politia inſumuntur arma, mortes, & violentiæ tempore belli; tamen tempeſtate pacis non ſunt excipiendi ſubditi rigore: viget in facto Religionis nihilominùs hoc proloquium: Religio habetur per prædicationem verbi Dei, unde habetur fides: oportet ut eadē prædicatio, unde fides emergit, illam conſervet: & quot ſunt Religioſi S. Dominici, tot ſunt Prædicatores, tot Præcones, tot prodigia & miracula, ſic ut S. Dominicus dicere poſſit, quemadmodum Dei Filius ait apud Iſaiam *f*, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum.* Quænam autem ſigna? Sanctitatis, pietatis, & directionis. Quænam miracula? Scientiæ, ut ſunt Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas. Quænam ſigna? Ardoris, ut eſt S. Vincentius Ferrerius. Quænam portenta? Oeconomiæ vitæ ſpiritualis, ut eſt devotus Pater Ludovicus Granatenſis. *In ſignum, & in portentum.* Hi ſunt filij S. Dominici: videte quomodo ſunt illius imitatores. S. Dominicus non eſt mortuus, Auditores: ipſe vivit, ſed vivit glorioſè in filijs ſuis. Qualis gloria huic Patriarchæ, habere tales filios, & ita magnos, & ſic magno numero. Refertur de Metello, quòd cùm mortuus eſſet, elatus eſt à quatuor filijs ſuis, quorum duo primi fuerant actu Conſules, tertius erat actualiter Conſul, & quartus debebat hunc Magiſtratum poſſidere. Qualis mors, quales exequiæ, videre quatuor filios illuſtres, qui portabant corpus patris ſui defuncti. Glorioſe S. Dominice, ecce portaris à tot filijs tuis, ſummis Pontificibus, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Magiſtris ſacri Palatij, Inquiſitoribus ſanctæ Fidei, Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus. Metellus habebat quatuor filios illuſtres; ſed ipſe filios habes innumeros, qui, ut fideles imagines, deferunt virtutes tuas: & ſi non habemus hîc aliquid è reliquijs tuis, quibus erigamus mauſolea & ſtatuas, tamen omnes filij tui ſunt totidem ſtatuæ viventes & animatæ, & naturales expreſſiones, quæ te ad vivum repræſentant. Continuate, reverendi Patres, conformare vos jugiter ad hoc prototypon Patriarchæ veſtri, qui reſpondit & cooperatus eſt gratiæ, quæ ipſum tandem Deo ſimilem reddidit in miſericordia ipſius.

d Apoc 1. 5.

e Rom. 10. 17. & 14.

f Iſa. 8.

Miſericordia Dei præſertim manifeſtatur erga peccatores, pauperes, & afflictos. Erga peccato-

catores, expectans eos ad pœnitentiam, ſicut ait ei Salomon *g*, *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominũ propter pœnitentiam.* Et patiens donec ipſi ſe corrigant, *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, dicit illis S. Petrus *h*. Et ante illum Iſaias *i*, *Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis.* Erga pauperes, providendo eis neceſſaria interventu divitum, *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor*, ait illi Pſalmiſta *. Et erga afflictos, conſolando eos in afflictionibus ipſorum, ſicut ait ei idem David *k*, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quis unquam, Auditores, plùs exercuit poſt Deum noſtrum miſericordiam ſuam erga pauperes, quàm S. Dominicus, æquè ac erga pauperes, & afflictos? Quandiu erat adhuc Scholaſticus, ſic erat miſericors, & ita affligebatur ob neceſſitates ſpirituales & temporales proximorũ ſuorum, ut ſæpè fleret cùm nequibat illis auxiliari: tantam agebat pœnitentiam pro peccatis alienis, quantam pro ſuis, & pro illis corpus ſuum ſeveris macerabat auſteritatibus: curam habebat pauperum, & orphanorum. Tempore magnæ famis, ipſe vendidit ſupellectilem domûs ſuæ, & libros ſuos ad erogandam eleemoſynam illis, qui fame peribant. Et quædam mulier deſolata deprecans eum ut ipſam adjuvaret ad redimendum fratrem ſuum qui captus fuerat à Mauris, tantâ commovit ipſum miſericordiâ, ut ipſemet eam oraverit, ut ipſum venderet, vel mutaret pro fratre ſuo redimendo. Sic ut dicere poſſimus, quòd S. Dominicus per cooperationem ſuam gratiæ, ſimilis Deo fuerit in tribus è præcipuis ipſius attributis, ſanctitate, potentiâ, & miſericordiâ.

g Sap. 11. 24.
h 2. Petr. 3. 9.
i Iſa. 30. 18.
* Pſ. 9. 35.
k Pſ. 93. 19.

Sed obſervabitis, ſi placet, Auditores, quòd ſicut Sol, Ignis, & Fluvij non effundunt eximias ſuas qualitates niſi ſuper ſubjecta benè diſpoſita: ſic Deus non communicavit perfectiones ſuas S. Dominico, niſi poſt magnã diſpoſitionem & cooperationem è parte ipſius. Quòd ſi ipſe fuit Deo ſimilis in ſanctitate, potentia, & miſericordia ipſius, oportet ut ipſe concucurrerit ad conciliandam ſibi hanc ſimilitudinem. Ditiſſimum officiorum, quæ homo poſſidere poſſit in terra, & quod Jeſus Chriſtus venit exercitum ſuper terram *l*, & quod ipſe poſteà commiſit Apoſtolis ſuis *m*, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, eſt converſio animarum: *Unuſcujuſque eorum, qui in hierarchia cooptati ſunt, in ea poſita perfectio eſt, ut pro ſua quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat: & id quo nihil Divinius eſt, Dei, ut ſacra Scriptura loquitur, fiat adjutor n, Divinamque in ſe actionem o, quantùm poteſt, oſtendat*, ait S. Dionyſius *p*. Derelinquamus ſanitatem, quietem & famam noſtram ad exercendum illud officium, ne Deus a nobis petat illius rationem. Imitamurne S. Dominicum? reſpondemuſne gratiæ per cooperationem ſuavitatibus illius? Deus nos vocat à peccato, a pravis conſuetudinibus: eximuſne ab illis? præbemuſne aurem voci ejus, quæ nos vocat ad converſionem, ad bonam vitam? Facimuſne ſicut egit S. Dominicus? *Continuò non acquievi carni & ſanguini.* S. Dominicus, vocatus à Deo, reliquit *omnia, & q* ſecutus eſt illum: nos autem ut inſani currimus poſt ineptias, voluptates, & oblectamenta mundi; recuſamus audire vocem Dei, qui noſtri cordis ſtat *ad oſtium & r* pulſat, dicens nobis ſingulis, *Aperi mihi s*. Deus offert nobis gratiam: ſed hæc non ſufficit, huic ſuperaddere debemus cooperationem noſtram. Nemo eſt qui non deſideret ſimilis eſſe Deo per gratiam, & aliquando per gloriam, per cooperationem gratijs, quas ipſe nobis præſentat in iſta vita: propterea concurrere debemus cum illis, ad obtinendum hunc favorem, purgantes mentem, voluntatem, & memoriam noſtram: mentem noſtram, nolentes aliquid cognoſcere niſi Deum, vel ſaltem nihil quod eſt illi gratum: voluntatem noſtram, non diligentes niſi eum: & memoriam noſtram, rejicientes hanc magnam curam bonorum temporalium. Conari debemus habere ſanctitatem: potentiam ſuper cœlum, infernum, & terram, per orationes, fidem, & bonum exemplum: & miſericordiam erga peccatores per zelum & patientiam; erga pauperes per eleemoſynas; & erga afflictos per charitatem, quæ nos inducat ad compatiendum eis, & nobis acquirat gratiam, & poſtea gloriam.

l Luc. 19. 10.
m Marc. 16. 15.
n ex 1. Cor. 3. 9.
o ex Jo. 5. 17.
p S. Dion. lib. de Cœleſt. Hier c. 3.
q Matth. 19. 27. &c.
r Apoc. 3. 20.
s Cant. 5. 2.

IN FESTO S. CLARAE VIRGINIS

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Matth. 5. 15.

LIcèt cœlum ſit corpus maximum mundi, perfectiſſimum in forma ſua & in materia ſua, potentiſſimum in qualitatibus ſuis, minùs obnoxium alterationibus, ſuſtineat omnia entia influentijs ſuis, animet univerſas pulchritudines lumine ſuo ſplendenti, quod ubique micat interventu tot luminarium, quot ipſum habet ſtellas, & omnes ignes qui in ipſo apparent, mereantur conſiderari cum attentione, cùm ibi accendant aſtra, & flammas quæ maximam præ ſe ferunt puritatem: tamen, Auditores, ignes iſti, & hæc luminaria non debent occupare viſum noſtrum, & cogitationem noſtram, comparatione lucernæ, quam Deus accendit in Eccleſia ſancta ſua, ad illuminandos in ea luce ſua ſplendenti, & ad calefaciendos exemplo ſuo & ardoribus ſuis omnes utriuſque ſexûs fideles. Ignis iſte non eſt alius, niſi glorioſa S. Clara, quæ velut ſplendens lucerna lumen ſuum communicat toti mundo, præcipuè verò toti Italiæ, ubi ipſa exercuit actus charitatis, quorum intuitu ipſa facta eſt, & fit adhuc *ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus a*, qui collocant ipſam in ſtatu perfectionis ſic ſublimi & ita elevato, ut, quemadmodum oculi noſtri non vident aliquid æquè perfectum ac eſt lumen Solis, & vitæ noſtræ non habent aliquid æquè neceſſarium, ac iſtud aſtrum, quod eſt anima pulchritudinum, cor mundi, origo voluptatum noſtrarum, gaudium & vigor naturæ; ſic non debeamus aliquid hodiernâ die conſiderare æquè con-

a 1. Cor. 4. 9.

conſummatum ac perfecta eſt glorioſa ſancta Clara, proponentes nobis eam & contemplantes illam ornatam & ditatam ſplendore virtutis incomparabilis charitatis, quæ eſt origo omnis gaudii & universi oblectamenti, & reddit nobis acceſſus Dei faciliores & favorabiliores, ut ait nobis ſanctus Jacobus *b*, *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Sed advertendum, quòd verba hæc dupliciter poſſunt exponi*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *c*. *Primò, Quantùm ad eos qui nondum in charitate & gratia ſunt, qui à Deo averſi ſunt, & elongantur ab eo diſſimilitudine culpæ. Ideò dicitur eis, Appropinquate Deo, pœnitendo, confitendo, ſatisfaciendo, ſicque quod in vobis eſt faciendo & appropinquabit vobis, id eſt, gratiosè applicabit ſe vobis, dona gratiæ infundendo. Secundò, Poteſt exponi de exiſtentibus in gratia & charitate, qui licèt à Deo non diſtent diſſimilitudine culpæ ſaltem mortalis, diſtant tamen ab eo minoratione perfectionis, ad quam in hac vita pertingere valent. Ideò dicitur eis, ut Deo propinquent, id eſt, ſimiliores fiant, eum ardentiùs diligendo, quotidie proficiendo, & ei ſe omni horâ intimiùs ſeu devotiùs uniendo. Veruntamen propinquatio ſeu converſio utraque fit ex prævio quodam Dei inſtinctu ac munere.* Propterea ut hunc inſtinctum ac munus illud dignè mereri poſſimus, emendicemus lumina Spiritus ſancti, qui eſt Spiritus amoris, æquè ac *veritatis d*, principium veri amoris, ſicut Sol eſt origo luminis, quod ipſe nobis communicat. Sed ne decipiamur in proſecutionibus noſtris, adeamus beatam Virginem Mariam illius Sponſam: *Ipſa eſt nobilis illa Stella ex Iacob orta e, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, calefaciens magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, inquam, eſt præclara & eximia Stella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum f neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis*, ait ſanctus Bernardus *g*. Ipſa nobis manifeſtabit mirabilia ſplendentis illius lucernæ poſitæ *ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt* Eccleſiæ, & eos calefaciat: ſi dixerimus ipſi unà cum ſpiritu lucis, *Ave Maria.*

b Jac. 4.8

c Dion. Carth. a. 6. in Jac. 4.8

d Io. 15 26.

e ex Nu. 24.17

f ex Pſ. 103.25

g S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt, in fin.

Eccleſia triumphans, quæ eſt paradiſus gloriæ, æquè ac militans, in qua certaminibus ſubjacemus, nobis repræſentatur per thronum Salomonis, de quo dicitur in Canticis *h*, *Feeculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani. Colnmnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtravit propter filias Ierusalem.* Et apud Dionyſium Carthuſianum *i*, *Per ferculum quod dicitur cibus, ſeu ſolium, deſignatur tota Eccleſia, in qua moratur ac reſidet Sponſus, & eam quaſi manducando incorporat. Igne quoque charitatis conſumit in ea quod pravum eſt, ac privatum amorem, ut cum Apoſtolo k dicere queat, Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Hoc ferculum fecit Chriſtus per ſeipſum, & ſuos diſcipulos, prædicando fidem & gratiam influendo, & eos quos prædeſtinavit, piè vocando, ſicut in Actibus l legitur, Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam. Hinc in Zacharia m de Chriſto prædictum eſt, Ecce vir, Oriens nomen ejus, & ædificabit templum Domino, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo. Hoc ferculum conſtruxit Artifex ſummus de lignis Libani, id eſt, ex electis perſonis, quæ ſic per gratiarum chariſmata eminent hominibus cæteris, ſicut ligna Libani, hoc eſt, Cedrus & Cypreſſus, quæ in monte Libano oriuntur, cæteris lignis præfulgent, quia, ſecundùm Gloſſam, imputribilis ſunt naturæ, & boni odoris, fortia, candida, & formoſa: ſic Electi vitiorum abhorrent putredinem, boni ſunt nominis, charitate ac pietate dulceſcunt, virtutibus roborantur, donis ornantur, charitate & gratiâ ſunt decori. Colnmnas ejus fecit argenteas, id eſt, ſanctos Apoſtolos, & Apoſtolicos viros ac virtuoſos Præſules & Paſtores fecit cæteris clariores, & in ſcientia Scripturarum ac eloquentiâ præfulgentes, Ego (inquiens) dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri n. Itemque, Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem o. De talibus inclytiſſimis viris ſcripſit & Paulus p: Cephas, Iacobus, & Ioannes videbantur columnæ eſſe. Reclinatorium aureum. Reclinatorium appellatur pars throni ſuperior, ſuper quod caput reclinat ſe. Aureum ergo reclinatorium, eſt excellentiſſima illa perſona Eccleſiæ, auro ſapientiæ ac charitatis præcunctis ordinata, incomparabilis Viego Maria: in qua Rex omnipotens habitare, incarnari, quieſcere prælegit, altitudinem ſuæ Deitatis quaſi reclinans in ea. Aureum quoque reclinatorium ſunt perſonæ eminenter contemplativæ ac fervidæ, ut Anachoritæ, in quibus Dominus majeſtatis conquieſcere perhibetur. Apoſtolis tamen nec in hac perfectione quiſquam præfertur. Aſcenſum purpureum. Aſcenſus iſte tam pulcher, eſt ordinata virtutum connexio, in quibus ab inferioribus ad ſublimiora oportet paulatim aſcendere. Rurſus, iſte aſcenſus eſt coaptatio trium ſtatuum, utpote ſtatus incipientium, ſtatùs proficientium, & ſtatùs perfectorum: per quos oportet gradatim & ordinatè aſcendere: ſeu diſtinctio triplicis viæ, videlicet, purgativæ, & illuminativæ, & perfectivæ: vel cohabitatio virtutum moralium, intellectualium, & Theologicarum. Eſt quoque aſcenſus Eccleſiæ purpureus, quia per ſanguinis effuſionem pro fide aut æquitate ad Regnum cæleſte à præſenti exilio feliciter atque celerrimè ſcanditur. Media ferculi hujus, puta Eccleſiæ, ſunt præcepta, per quæ à via ad patriam pervenitur: & Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ad hujus itineris expeditionem valdè cooperantur: in quorum primo, id eſt, Baptiſmo omnia relaxantur peccata, quantùm ad culpam & pœnam: in Confeſſione autem, ad minus quoad culpæ remiſſionem. Quorum etiam Sacramentorum digniſſimum, quod Eucharistia nominatur, alio nomine Viaticum nuncupatur, quia de via ad cæleſtem elevat paradiſum. Media quoque ſunt Evangelica Chriſti conſilia, gratia, virtutes, ac merita: medium equidem dicitur, quod inter duo extrema locatur. Omnia media ſunt charitate conſtrata, complanata, & informata, quoniam abſque charitate nil proſunt, & ad charitatis plenitudinem omnia ordinantur, atque per eam faciliter adimpletur, quæ ſine ea eſſent utique dura ac gravia ad implendum. Ideò omnibus his Dominus & Salvator charitatem ſuperfudit, & conjungi præcepit, mandans ex charitate omnia fieri, & univerſas Eccleſiaſticas perſonas in charitate uniri, unumque effici. In hoc (inquiens) cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis adinvicem q. Et item, Pater, quos dediſti mihi, volo ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus r. Sic ergo charitate conſtrata ſunt, propter filias Ieruſalem, id eſt, ad ſalutem animarum fidelium, quæ ſunt filiæ militantis Eccleſiæ, quæ ubertim Ieruſalem nuncupatur. Et Ieruſalem idem eſt ac viſio pacis, viſio perfecta, quæ habetur in paradiſo, Et in lumina*

h Cant. 3 9. & 10.

i Dion. Carth. a. 9. in Cãt. 3.9. & 10

k Gal. 2 20.

l ex Act. 13. 48.

m Zach. 6.12. & 13.

n Luc. 21 15.

o Jo. 16 13.

p ex Gal. 2.9

q ex Jo. 13.35.

r ex Jo. 17. 22. &c

tuo

tuo videbimus Lumen, ait Pſalmiſta r, [r Pſ. 35. 10.] Deum alloquens. Unde videtis, quòd ornamentum inſcriptionum charitatis, quæ erant in throno aureo Salomonis, qui erat figura Eccleſiæ tam triumphantis quàm militantis, concludit quòd ad hoc ut attingatur cœlum, charitas nobis ad illud pandit aditum: ſeu quòd pulcherrimum ornamentum, quod Deus adinvenire poterat ad erogandam nobis domum ſpecioſiorem ſine comparatione quam fuerit magnus iſte mundus in prima ſua creatione, erat charitas, pulchrior, ditior, & neceſſarior conſtitutioni & decôri iſtius mundi novi, quàm eſſet *lux* t [t Gen. 1. 3] corporea primo illi mundo materiali. Si ergo charitas præ ſe fert qualitates lucis, non oportet ut ipſa ſit incognita, vel collocetur in aliquo loco infimo *ſub modio*, *ſed ſuper candelabrum*, *ut luceat omnibus qui in domo ſunt* Dei, quæ eſt Eccleſia. Sic iſtud eſt verum, Auditores: ſi enim unquam ſplendens hæc charitas decenter collocata eſt, hoc fuit, cùm ipſam in perſona glorioſæ S. Claræ poſuit Deus, utens corpore ipſius ut candelabro, & animâ ipſius [Propoſitio.] ut candelâ inflammatâ amore ſeu ardenti charitate, ſicut videbitis in progreſſu diſcursûs iſtius.

Mirabimini, Auditores, eò quòd vobis propoſuerim, quòd hæc charitas eſt in ſublimi collocata in perſona S. Claræ, cùm ipſa velit ut filiæ ſuæ ſpirituales vocentur pauperes Dominæ, id eſt, humillimæ. Sed hanc propoſitionem repperietis certiſſimam, ſi conſideretis quòd in domo Dei, & quoad terminos ſanctitatis & virtutis, illi qui ſunt infimi & humillimi, ſint ſupremi & elevatiſſimi coram Deo, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* u. [u Luc. 14. 11.] Quod cognoſcetis infallibiliter, cùm dixero vobis, quòd in hac depreſſione ipſa illuminavit omne genus creaturarum quæ reperiuntur in domo Dei, communicans eis radios ſuæ lucis, & ardoris ſui, juxta captum ſingularum, & prout Spiritus ſanctus accendebat hanc lucernam ſuavibus Zephyris inſpirationum & gratiarum ſuarum. Primò enim ipſa tribuit lumina Eccleſię, cùm certum ſit quòd miracula, quæ facta ſunt in confirmationem fidei, ultimis ſeculis noſtris ſtabiliverunt in cordibus obſtinatiſſimis, quæ erant indurata *tanquam lapis*, *& quaſi malleatoris incus* x, [x Job 41. 15.] ſtricta, firmam fidem veritatum quas adoramus. Et ſicut ipſius pietas erat ingens erga SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ubi Deus præ exceſſu amoris ſui ſic perſæpè ſe nobis communicat, dicens, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi* y. [y Matth. 28. 18. & 20.] *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per Sacramentalem præſentiam* z: [z Dion. Carth. a. 45. in Matt. 28. 20.] ſic & Deus ibi magna miracula fecit in favorem ipſius. Tranſibat aliàs Imperator Federicus per urbem Aſſiſium, unde orta erat S. Clara, cum exercitu compoſito è Mauris & infidelibus, ſub directione cujuſdã Ducis, magni inimici Chriſtianorum: Monaſterium S. Claræ erat extra civitatem, ſic ut inimici Dei & Religionis Chriſtianæ illud obſederint ad illud devaſtandum. Statim pavore & tremore conterritæ filiæ ſanctæ Virginis iſtius iverunt monitum bonam Matrem ſuam illius aggreſſionis: hæc decumbebat tunc in valetudinario, & præcepit ſe deferri ad fores Monaſterij, & exponi aſpectui inimicorum, habens coram ſe SS. Euchariſtiam in ſacra pyxide, ante quam ſe proſtravit, & affectu vehementi rogavit Sponſum ſuum, ne pateretur ullo modo ut filię ſuę, & Sponſę ipſius, ęquè ac humillimę famulę, educatę in ipſius amore, & quę ad exemplum ſuum reliquerant *omnia*, *&* a [a Matth. 19. 27. &c] ſecutæ fuerant ipſum, laberentur inter manus hujuſmodi barbarorum, dicens ei, *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi* b. [b Pſ. 73. 19.] *Hoc eſt, Tyrannis, crudelibuſque hominibus* c. [c Dion. Carth. in hunc loc.] Et oratione ipſius finitâ, audita eſt vox quæ dixit, *Ego vos ſemper cuſtodiam.* Et ſtatim infideles, qui jam muros aſcenderant, ceciderunt foras, & dereliquerunt prædam, quam præ manibus ſuis ſe tenere jam exiſtimabant.

Miracula ipſius, quę innumera ſunt in Chronicis noſtris, ſervierunt ad hoc ut homines multi in meliorem emendatioris vitę frugem ſe reciperent. Nam ut ſilentio prętercam, quòd faciens duntaxat ſignum Crucis, ipſa cruciabat dęmones, & ejiciebat eos è corporibus; ſanitatem reddebat infirmis, qui undequaque afferebantur ad ipſius Monaſterium, ut adjuvarentur ab ea; ipſa tribuit lumina Eccleſiaſticis, Religioſis, alienis, Monialibus ſuis, propinquis ſuis, & concivibus ſuis, quibus eſt ipſa auxiliata in extrema neceſſitate conſtitutis. Nam cùm aliàs urbs Aſſiſium obſideretur ab exercitu Imperiali ſub moderamine ejuſdem Ducis ferocis & truculenti, qui minabatur ſe nunquam deſerturum civitatem iſtam, quin priùs illam devaſtaſſet, eamque ferro & igne deleviſſet. S. Clara ducta affectu charitatis & miſericordię erga chariſſimam patriam ſuam deſolatam, vocavit filias ſuas, pręcepit ſibi afferri cineres, quos ipſa prima impoſuit capiti ſuo, & decrevit ut alię idem facerent, & ſimul omnes proſtratę in oratione, rogaverunt humiliter Dominum noſtrum, ut pręſervaret illam civitatem, è qua quotidie tanta ſuſcipiebant ipſę bona propter amorem ipſius. Orationes S. Clarę fuerunt exauditę à Deo, ille exercitus pronâ pręcipitique fugâ exceſſit nocte ſequenti, & aliquantò poſt Dux illius immanis morte violentâ ſublatus eſt. Sic ut videamur applicare poſſe S. Clarę in favorem civitatis Aſſiſij, & incolarũ ejus id quod dixit Deus aliàs intuitu Davidis in favorem Ezechiæ, & civitatis illius adversùs Sennacherich, *Civitatem hanc non ingredietur* *Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum. Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Cùmq; diluculò ſurrexiſſet, recedens abijt, & reverſus eſt Sennacherich Rex Aſſyriorum. Cùmq; adoraret in templo Neſrach Deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij ejus percuſſerunt eum gladio* d. [d 4. Reg. 19. 33. &c] Propter quod mihi videor explicare etiam poſſe in gratiam ejus hæc verba Eccleſiaſtici e, *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.* [e Eccli. 44. 25]

Primò, Ipſa ſuſcepit à Deo benedictionem Angelorum, quæ conſiſtit in cuſtodia & tutela hominum, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis* f. [f Pſ. 90. 11] Erga quos homines quatuor exercent beati ſpiritus iſti munia. Primum, Adjuvant eos, & avertunt ab ijs infortunia, quæ poſſent illis contingere. Secundum, Dant illis lumina, ut deducant eos ad cognitionem Dei, ſui ipſorum, peccatorum ſuorum, & virtutis. Tertium, Eos excitant bonis motibus contritionis, ut convertant illos ad Deum. Quartum, Offerunt Deo orationes illorum, ſicut Archangelus Raphaël dicebat Tobiæ, *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino* g. [g Tob. 12. 12.] S. Clara ſuſcepit hanc bene-

benedictionem in quatuor capitibus, & participavit gloriam quatuor illorum officiorum. Nam primò, Quotnam homines ipſa præſervavit ab infortunijs, in quæ ibant hi ſe præcipitatum? Quotnam infirmos adjuvit ipſa in deſperatione & extremitate morborum ipſorum? Atteſtor non ſolùm mortuos, ſed eos etiam qui nunc vivunt, ut teſtimonium perhibeant huic primæ benedictioni S. Claræ, publicando ſuccurſus & favores, quos ab ea ſuſcipere potuerunt, & quoad animam, & quantùm ad corpus: teſtes aſſumo multos homines iſtius civitatis, qui debent agnoſcere ſe devinctos huic glorioſæ Virgini pro innumeris infortunijs, quæ ipſi potuerunt evitare illius interventu, ſi præ ſe veram devotionem tulerunt erga eam. Non loquor de liberatione Monaſterij ſui ab inſolentia barbarorum exercitûs Imperatoris Federici, quos ejecit ipſa beneficio SS. Euchariſtiæ: nec de exemptione ſuæ civitatis à diſcrimine, ad quod redacta erat ab exercitu Imperiali, factâ orationis ipſius adminiculo, cujus utriuſque retuli vobis ſupra miracula. Præterea, Si Angeli illuminant homines, nunquid non oſtendimus, quòd S. Clara fuit lucerna accenſa, quæ polita *ſuper candelabrum* eminens Eccleſiæ, toti mundo lucem ſuam communicavit? cùm proprium ſit luci ſe diffundere. Et licèt ipſa eſſet incluſa in Monaſterio ſuo propter amorē Sponſi ſui cœleſtis, & cepiſſet Eccleſiam S. Damiani pro nido ſuo, ut caſta columba, extra civitatem, elongata à ſtrepitu ſeorſum, cùm ſumpſiſſet *pennas ſicut columba, & in ſolitudine* h requieſceret ac maneret, quò volaverat vento Spiritûs ſancti favorabiliter adjuta; hoc tamen non impedivit, quin ipſa micare faceret radios ſplendentes vitæ ſuæ & ſanctitatis ſuæ ex trāſverſis muris Clauſtri ſui. Rogavit ipſa Deum ut ſibi ſociam daret ſororem ſuam natu minorem, nomine Agnetem; & ut hęc agnoſcens vanitatem mundi, intuitu lucernæ ipſius, ſe reciperet cum ipſa in Monaſterium. Quod & Deus illi conceſſit: nam aliquantò poſt hæc ſe redegit ad eandem profeſſionem ſequendam. Splendor ſanctitatis ipſius circumquaque ſe diffundebat, ſic ut multæ puellæ, ad exemplum ipſius, vitam Religioſam ſint amplexæ. Inſuper, ſi Angeli nos excitant ad bonum, multæ perſonæ conjugatæ communi conſenſu ſe receperunt, & intraverunt ſingulæ in Monaſteria ſexûs ſui: præſertim verò mulieres civitatis Aſſiſij, ſic ferventes & ſpirituales evaſerant, ut matres invitarent filias ſuas ad amplectēdam profeſſionem Monaſticam, imò verò ad ſequendum hoc vitæ genus ipſæ filiæ ſemetipſas offerrent: & multæ certatim aſpirabant ad perfectionem. Illæ quæ habebant obſtacula, ſtudebant quantùm poterant, in domibus ſuis cuſtodire Regulam ſanctæ Claræ. Et non ſolùm in illa civitate, ſed in tota Provincia Umbriæ; & in alijs vicinis & contiguis: imò verò per totum orbem ſplendor illius lucernæ ardentis dilatatus eſt, ſic ut multæ puellæ nobiles, illuſtres Dominæ, & Principes dereliquerint delicias, divitias, & Status quibus fruebantur ad amplectendam paupertatem & humilitatem ſanctæ Claræ, de qua poterant ipſæ plùs gloriari, quàm de Statibus ſuis. Tandem, Si non ſolùm Angeli nos invitant ad bonum, ſed etiam Deo preces noſtras offerunt: quid eſt aliud iſte concurſus populi, qui replet hodiernâ die omnia templa ſanctæ Claræ, niſi effectus iſtius filiæ Angelicæ, quæ poſtquam attraxit & excitavit ad bonum, ad virtutem, & ad pœnitentiam

h Pſ. 54. 7. & 8

quoslibet obſtinatiſſimos, certos reddidit eos, quòd ipſa ſit oblatura preces ipſorū Deo, ut ab eo ipſis gratiam imperet, & illum reddat ipſis propitium: ſic ut videamur quotquot hîc adſunt, qui bonam Confeſſionem hodiernâ die peregerunt, & ſoluti ſunt à peccatis mortalibus, quę ſubjiciebant ipſos tyrannidi diaboli, dicere poſſe id, quod liberatus à carcere & poteſtate Herodis S. *Petrus*, *ad ſe reverſus, dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis* i: ſe devinctos eſſe de liberatione ſua huic Virgini Angelicę. i Act. 12.

Secundò, Deus dedit illi benedictionem Patriarcharum, inter quos inveniuntur quatuor pręcipui, quorum hęc glorioſa Sancta, eſt imitata veſtigia, & de quorum uno literaliter intelliguntur Eccleſiaſtici verba pręfata. Primus, fuit Abraham: Sicut enim Deus exire fecit hunc Patriarcham domo patris ſui, & renuntiare omnibus affectibus ſuis erga patriam ſuam, propinquos, & affines ſuos, ut deduceret illum in terram promiſſionis, *Dixit Dominus ad Abram, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi: Egreſſus eſt itaq; Abram, ſicut præceperat ei Dominus, ut in terrā Chanaan* k iret: ſic S. Clara dereliquit civitatem ſuam, parentes, propinquos, affines, & amicos ſuos, ut iret in Eccleſiam Portiunculę, ſeu Dominę noſtrę Angelorum, diſtantem Aſſiſio milliari vel circiter, quò Seraphicus Pater meus S. Franciſcus, qui ei conſuluerat ut ipſum eò conveniret, illam venturam expectabat cum Fratribus ſuis, & ubi ipſa fuit induta paupere habitu Religionis ipſius, & perpetuum divortium peregit cum voluptatibus & delitijs vitę: *Igitur paternâ domo relictâ, ad ſanctam Mariam de Angelis feſtinavit, ubi Fratres prudentem Virginem obviàm Sponſo cum lampade non vacuâ procedentem* l *exceperunt*, canit Eccleſia *m*.

k Gen. 12. 1.

Secundus Patriarcha, fuit Iſaac: Nam quemadmodum iſte Patriarcha, fuit filius miraculoſus, quippe natus è matre ſterili, *Viſitavit Dominus Saram, ſicut promiſerat; & implevit quæ locutus eſt: Concepitq; & peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus: Vocavitq; Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac, cùm centum eſſet annorum: hâc quippe ætate patris, natus eſt Iſaac* n: qui deinceps fuit perfectum ſpeculum obedientię, quippe quem non reluctantem pater ſuus idē *Abraham*, impleturus mandatum Dei de ipſo ſibi ſacrificando, *cùm alligaſſet, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum: extenditq; manum, & arripuit gladium ut immolaret* o eum: ſic S. Clara filia fuit orationis, ſicut eadem concinit Eccleſia, *Cùm mater Claræ, nomine Hortulana, nobilis fœmina civitatis Aſſiſij in Umbria, nobilem hanc plantulam uteri ſui geſtaret in hortulo, & partui jam vicina ante crucem Crucifixum oraret attentè, ut eam de partûs periculo ſalubriter expediret: audivit vocem dicentem ſibi: Ne paveas, mulier, quia quoddam lumen ſalva parturies, quod ipſum mundum clariùs illuſtrabit. Quo edocta oraculo, jam natam infantulam, & ſacri Baptiſmatis undâ renatam* † *Claram vocavit*. Quę Clara non obſtante profundâ humilitate, quę fuit firmum & ſolidum fundamentum, ſuper quod ipſa ędificavit deinceps cęteras virtutes alias, cùm tribus primis annis à converſione ſua fugiſſet nomen & officium Abbatiſſę, malens eſſe inferior, quam Superior; ſtatim ac Seraphicus Pater meus S. Franciſcus induxit ipſam ex obedientia ad illud acceptandum, vidit in ſe augeri plùs

l ex Matt. 25. 4. &c.
m Eccleſia in Offic. Minor.
n Gen. 21. 1. &c.
o Gen. 22. 3. &c.
† ex Jo. 3. 5

timo-

timorem, quàm præſumptionem: & cùm non poſſet aliter agere quàm cæco impetu obediret, ipſa ſe reputabat imperfectiſſimam omnium filiarum ſuarum.

Tertius Patriarcha, fuit Jacob, qui tres inſignes ſuſcepit in deſerto benedictiones ab Angelo qui *luctabatur cum eo* p, & cui ille Patriarcha dixit in iſta lucta, *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Prima fuit, quod nervus femoris ipſius ita aruit ut ipſe remanſerit claudus, quod innuit, concupiſcentiam ipſius infirmatam fuiſſe hàc luctâ, *Qui cum videret, quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Ipſe verò claudicabat pede.* Secunda fuit, quòd mutavit nomen, & vocatus fuit Iſrael: *At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Tertia fuit, quòd vocatus fuit & æſtimatus fortis adverſùs Deum ipſum, *Contra Deum fortis fuiſti.* S. Clara ſuſcepit hanc triplicem benedictionē in deſerto Religionis. Primò enim, Ipſa cuſtodivit puritatem virgineam, & virginitatem Angelicam. Secundò, Ipſa fuit velut Iſraël, id eſt, videns Deum, ecſtaſibus & contemplationibus continuis, quibus ipſa paſcebat jugiter animam ſuam: ipſa vivebat oratione, in qua ipſa ſic fervens erat, & aſſidua, ut videretur ipſa nihil aliud habuiſſe agendum, vel obnoxia non fuiſſe neceſſitatibus vitæ corporis ſublevandis. Tertiò, Ipſa fuit fortis & potens adverſùs Deum, cùm ipſa ſæpè eum ſuperaverit, & veluti coëgerit potenti & profundâ humilitate orationum ſuarum.

p Gen. 32. 24. &c.

Quartus Patriarcha, fuit Joſeph, de quo dicitur, *Iſraël diligebat Ioſeph, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum* q. Sic videtur Deus voluiſſe teſtari teneriorem dilectionem erga S. Claram, quam erga alios Sanctos, eò quòd genuiſſet eam mundo in ſenectute Eccleſiæ interventu Seraphici Patris mei S. Franciſci, qui deſtinatus fuit ad reparandam ipſius Eccleſiam, quæ vergebat in ruinam: *Dum enim die quâdam egreſſus ad meditandum, in agro deambularet juxta Eccleſiam S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetuſtate ruinam, & in eam inſtigante ſe Spiritu causâ orationis intraſſet, proſtratus ante imaginem Crucifixi, non modicâ fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus. Cùmque lacrymoſis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de ipſa Cruce dilapſam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota deſtruitur. Licèt principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit* r: *ſicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodùm Fratribus revelavit,* ait S. Bonaventura ſ. Deus igitur produxit S. Claram interventu S. Franciſci in ſenectute Eccleſiæ ſuæ figuratæ per Eccleſiam materialem S. Dominici, quæ fuit Monaſterium ejuſdem S. Claræ.

q Gen. 37. 3

r ex Act. 20. 28

ſ S. Bonav. Legend. S. Franciſc. c. 2

Ipſa habuit benedictionem Prophetarum, cùm hic idem Spiritus, quem Deus illis præbuerat, fuerit ipſi communicatus, & fecerit ipſam pronunciare oracula ſacra: nam cùm extremum vitæ ageret agonem, ſoror ipſius Agnes videns eam in hoc ſtatu, rogavit illam inſtanter ut ipſam non derelinqueret, ſed ipſam ſecum duceret, præ deſiderio quo ipſa flagrabat ſerviendi & complacendi Deo. S. Clara reſpondit ei, conſolando illam, quòd tunc non erat voluntas Dei, ut ipſa ſecum diſcederet, ſed quòd citò eſſet ipſa ſe ſecutura, quod & factum eſt.

Ipſa ſuſcepit benedictionem Apoſtolorum: Nam ſicut *multa prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant* t, per quæ ipſi fundaverunt Eccleſiam, æquè ac per labores ſuos, & paſſiones ſuas: *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati* u: ſic glorioſa S. Clara interventu Seraphici Patris ſui S. Franciſci fundavit Ordinem ſuum cum laboribus incredibilibus, & cum miraculis innumeris.

t Act. 2. 43

u Act. 5. 41

Ipſa habuit benedictionem Martyrum, cùm tota vita ipſius fuerit continuum martyrium. Mundus ſuſtinere non poterat lumen quod emicabat è vitâ S. Claræ, & diabolus noſter hoſtis lethalis, veritus ne exemplum ſanctæ Virginis iſtius ſibi nimis noceret, ſtatuit ei bellum indicere per propinquos illius, qui ſunt *inimici domeſtici* x perſonarum Religioſarum: venerunt enim ad Monaſterium, & inſumpſerunt omnes modos, quos vanitas inſenſata potuit comminiſci, ut eam averterent à ſancto conſilio ſuo: ſed ipſa generosè reſtitit univerſis illorum inſultationibus, & violentiis.

x Matth. 10. 36. ex Mich. 7. 6

Ipſa ſuſcepit benedictionem Confeſſorum, qui multa paſſi ſunt in progreſſu vitæ ſuæ: ipſa enim manſit quadraginta duobus annis in præfato Monaſterio S. Damiani, ubi optima probatio virtutis ipſius, fuit patientia, quam ipſa præ ſe tulit per viginti octo annos continuos, quibus afflicta fuit morbis.

Ipſa habuit benedictionem Virginum, cùm, ſicut diximus, præclarum lilium virginitatis ipſius nunquam ſorde vel minimâ aruerit: ſic ut jure merito dixerimus in favorem ejus, *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.*

Præterea, Triplex eſt genus benedictionum, ad quas referri poſſunt omnes aliæ, quæ conceſſæ ſunt S. Claræ, ſcilicet, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Prima, fuit illa, quam Deus dedit Protoplaſtis noſtris, *Benedixit illis Deus, & ait. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram* y. Virtute cujus mundum repleverunt z. S. Clara habuit hanc benedictionem, cùm intra quatuor ſecula mundus repletus fuerit filiabus ipſius ſpiritualibus, ſic ut ipſius Religio parva, more lapidis illius, de quo loquitur Daniel a, per quem Chriſtus intelligitur literaliter, creverit in montem magnum, qui replet totum mundum pauperibus Dominabus, *Lapis factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Et ſic Protoplaſti noſtri, virtute illius primæ benedictionis habebant authoritatem & poteſtatem ſuper omnes creaturas, *Terram ſubjicite, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram* b: mirum non eſt, ſi, cùm S. Clara ſuſceperit parem benedictionem, & poteſtatem ſimilem receperit: aliquando enim non eſt inventus niſi panis unicus in toto Monaſterio; ipſa dimidiam illius partem juſſit erogandam per eleemoſynam Fratribus, & defetendam alteram mediam ejus partem ſuper menſam, ut hoc panis fragmento ſuſtentarentur quinquaginta Moniales ſorores aut filiæ ipſius: Deus autem ſic ipſum multiplicavit ad orationem S. Claræ, ut omnes ex eo manducaverint, & ſaturatæ fuerint. Et alias cùm non eſſet oleum domi, hæc S. Virgo ſumpſit vas, & illud ipſamet lavit, & poſteà illud porrexit oſtiariæ ſtipis coactori, ut iret emendicatum oleum: at quæſitor ſumens illud è manibus S. Claræ, invenit illud optimo oleo repletum.

y Gen. 1. 28

z Gen. 4. 1. &c.

a Dan. 2. 35

b Gen. 1. 28.

Secunda, eſt benedictio gratiæ, de quâ locutus

c Epheſ.1. 3 eſt Apoſtolus c, *Deus benedixit nos in omni benedi-*
ctione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto. Et Pſalmi-
d Pſ. 83.8 ſta d notavit effectum benedictionis iſtius, cum
dixit, *Benedictionem dabit Legulator: ibunt de vir-*
tute in virtutem. Sed quis neſcit quòd S.Clara
fuit toto tempore vitæ ſuæ ſicut Heliotropium,
non adhærens terræ niſi per radicem ſimplicis
vitæ corporis, ſed habens cor ſuum jugiter aper-
e Malach. 4.2 tum versùs Solem *juſtitiæ* e, per aſpirationes
continuas, quarum fervor ſic ſæpè rapiebat ipſius
animam, ſicut illa ardentia ſulphurati pulveris
jacula, quæ pervadunt aërem, & in nubes ſe ele-
vant, cùm ignis eſt ipſis applicitus? Ipſa habuit
hanc ſecundam benedictionem.

Non deerat ampliùs ipſi niſi tertia benedictio
gloriæ, cùm poſt devotè ſuſcepta Eccleſiæ Sacra-
menta, ipſa meruit illam ſuſcipere. In quo Deus
videtur feciſſe idem, quod fecit aliàs Labã frater
Rebeccæ, Eliezer famulo Abrahæ: cùm enim
didiciſſet adventum ejus in patriam ſuam, *fe-*
ſtinus egreſſus eſt ad hominem, dixitque ad eum: In-
gredere, benedicte Domini: cur foris ſtas? præparavi
f Gen. 24. 29. &c. *domum, & locum camelis* f. Sic Deus videtur
invitaſſe hanc fidelem famulam, *Ingredere:* be-
nedicta *Domini: cur foris ſtas?* Ingredere præ-
clara lucerna, quæ totum mundum repleviſti
micantibus ſplendoribus tuis: utquid maneres
foris, ipſa quæ es filia dilecta domus? *Intra in*
g Matth. 25.21 *gaudium Domini tui* g. En domus cœli, quam ab
æterno paravi tibi, & Monialibus tuis, ac devo-
tis tibi, *Præparavi domum, & locum camelis.* Sed,
Deus mi, quem locum præparaſti huic benedictæ
filiæ? Nunquid in cœlo Lunæ? Nequaquam:
ipſa enim nunquam fuit obnoxia mutationi, *ſi-*
h Eccli.27 12 *cut Luna mutatur* h. An in cœlo Veneris? In lo-
co altiori, cùm ipſa nunquam amiſerit flammas
ſanctæ dilectionis, quæ potenter extinxerunt in
ipſa flammas concupiſcentiæ. Nunquid in cœlo
Mercurii? In loco excelſiori, cùm ipſa habuerit
ſcientiam ſublimiorem ſcientiâ iſtius falſi numi-
nis. An in cœlo Solis? In loco ſublimiori, cùm
ipſa ſplendidior Sol fuerit Sole materiali qui nos
illuminat. Nunquid in cœlo Martis? In loco
elatiori, cùm ipſa habuerit glorioſiora certami-
na præliis, quibus Mars præſidet. Tandem, In
quonam cœlorum? In cœlo Empyreo cum An-
gelis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyri-
bus, Confeſſoribus, & Virginibus, quorum om-
nium habuit ipſa benedictiones.

Morere igitur glorioſa Virgo, ut vivas in æ-
ternum cum chariſſimo Sponſo tuo; morere hâc
i Pſ. 115.6 morte, quæ eſt *pretioſa in conſpectu Domini* i, cùm
k Rom. 8. 29 ſit conformis *imaginis Filii ſui* k. Beata anima
tua delata ab Angelis, avolet in ſinum Sponſi ſui,
ad fruendum in cœlo gloriâ Beatorum: poſſide,
præclara anima, tibi *paratum Regnum à conſtitu-*
l Matth. 25.34.&c. *tione mundi* l. Et quod meruiſti bonis operibus
† Pſ.125.5 tuis. Quod ſeminaſti *in lacrymis, in exultatione*
† meſſum ito. Perge, dilectiſſima Sponſa, uni-
tum te indiſſolubiliter cœleſti Sponſo tuo, ſicut
es imitata glorioſè virtutes vitæ ejus, & paſſio-
nes mortis illius. Vade, chariſſima Soror mea,
& recordare in cœlo ut inſumas interceſſiones
tuas in favorem eorum qui te honorant. Sed ſicut
vita tua formata fuit ſuper vitam Sponſi tui cœ-
leſtis, intentio tua eſt, ut honorando merita tua,
reddamus gloriam Deo vivo per ſanctitatem o-
perum noſtrorum, & innocentiam vitæ puræ &
ſolutæ a ſordibus mundi, & ut feramus illum in
corpore noſtro, quod eſt ejus templum, æquè ac
ut ipſum glorificemus, juxta conſilium Apoſtoli,
Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro m. m 1. Cor. 6.20
Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos n. De- n 1. Cor. 3. 17
bemus, Animæ Chriſtianæ, & Religioſæ, in om-
nibus actionibus noſtris exterioribus repræſen-
tare imaginem ejuſdem Dei incarnati, per imi-
tationem virtutum ejus, præſertim verò ardentis
charitatis illius o, ad exemplum S.Claræ. Qua- o Epheſ.5. 2
lis gloria, deferre Deum in corporibus noſtris, &
eum glorificare per opera noſtra! Quod agemus
per ſanctam imitationem operum Filii ejus, &
actionum ſplendentium & ardentium S. Claræ.
Sed amplior etiam gloria nobis, ſi mortui in no-
bis ipſis, non vivimus ampliùs niſi in Jeſu Chri-
ſto, ſicut verè dicere poſſimus cum eodem Apo-
ſtolo p, *Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me* p Gal. 2. 20
Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide
vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum
pro me. Utiliter igitur inſumamus conſilium,
quod nobis præbet idem Apoſtolus q, *Primus* q 1.Cor.15 47. & 48
homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœ-
leſtis. Qualis terrenus; tales & terreni: & qualis
cœleſtis; tales & cœleſtes. Adam, primus homo
fuit è terra terreſtris, fuit quantùm ad corpus for-
matus *de limo terræ* r: & anima ipſius, poſtquam r Gen.2.7
gratia & juſtitia originalis ab ipſa ablatæ ſunt,
fuit per unionem cum corpore etiam terreſtris,
quia adhæſit inclinationibus ejus, & dilexit res
terræ ſicut ipſum: *Homo cùm in honore eſſet, non*
intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, &
ſimilis factus eſt illis ſ. E contrà ſecundus homo, ſ Pſ.48.13. & 21
Jeſus Chriſtus, fuit è cœlo, cœleſtis: namque quan-
tùm ad perſonam, quæ eſt Deus; quoad animam,
quæ ſemper beata fuit; quantùm ad modum,
quo corpus ipſius fuit conceptum *de Spiritu ſan-*
cto t; quoad gloriam quam habet ex quo *ſur-*
rexit u; & quantùm ad vitam, quam duxit in t Matth.1. 18. & 20
mundo ante & poſt reſurrectionem ſuam x; hæc u Marc.
omnia fuerunt è cœlo, & cœleſtia. Qualis fuit 16 6
Adam terreſtris; tales ſunt homines terreſtres, x Act.1.1. &c.
qui deſcendunt ab eo quoad id, quod ſuſcepe-
runt ab illo per generationem naturalem: &
qualis eſt Jeſus Chriſtus cœleſtis, tales ſunt, &
erunt cœleſtes, qui per fidem & imitationem vir-
tutum ejus, in vita, converſatione, & doctrinâ ac
loquelâ ſuâ erunt homines cœleſtes, & quandiu
vivent in terra, cognoſcent, diligent, guſtabunt,
& loquentur cœleſtia, & poſt hanc vitam erunt
in corpore & in anima perfectè cœleſtes, fruen-
tes bonis cœli. *Igitur ſicut portavimus imaginem*
terreni, concludit Apoſtolus y, hæreditando cul- y 1.Cor. 15.49
pam, & pravos illius affectus, imitando pecca-
tum illius: *portemus & imaginem cœleſtis*, Jeſu
Chriſti, imitando vitam & mores illius, ſicut egit
S.Clara, ad hoc ut ſimus perfectè cœleſtes; quod
fiet cùm poſtquam nobis dederit in iſto mundo
gratiam, & gloriam dabit nobis *Domi-*
nus z in altero ſeculo,
z Pſ.83.12

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. V. MARIAE.

Coarctor autem, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.
Philipp. 1.23.

LIcèt ordinariè ferant oculi judicium de pulchritudine, quippe quibus iſtud propriè competit, dico tamen quòd non eſt aliquid quod certas de illa poſſit educere regulas, niſi interventu Solis, qui veluti judicio muto, ſed ſano, & æquo primas partes tribuit rebus illis, quæ ſunt tabula raſa ſuſcipiendis coloribus & pulchritudinibus ipſius accommoda: ſic obſervamus quòd heliotropium videtur eſſe illius imago perfectiſſima, cùm habeat colores ipſius, & deferat charactêres radiorum ipſius: & ideò jure merito vocatur quaſi Sol inter planetas, ſeu inter flores reliquos, cùm Sol cœleſtis ipſum intueatur ut vivam ſuæ pulchritudinis imaginem: atqui ſi Sol materialis ſuas invenit veluti delicias in iſto flore, quia ipſi ſimilis eſt, & defert ipſius charactêres; Deus qui eſt *Sol juſtitiæ a* ſuper omnem elevationem, eodem ſe modo geret erga id quod eſt ipſius characteribus inſignitum: unde fit ut quando ipſe vult eligere aliquem Sanctum, ut in eo conſtituat delicias ſuas, velit ut ille deferat exempla vitæ ſuæ, & notas mortis ſuæ, ſicut videmus in Mariâ Deiparâ, quæ fuit imago Filii ſui in puritate ſuâ incomparabili, ſicut ipſamet fatetur, *Ego Virgo incorrupta, quæ in utero geſtavi, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. Emmanuelem geſtavi in utero incorrupto* b, *in ventre impolluto, ſimilis effecta throno Cherubico* †: *in qua caro factum eſt Verbum* c *Patris, qui Deus eſt initio carens: & licèt inviſibilis* *, *ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumptæ carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum* †, *peperi Deum, qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum. Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres: Diſſimiles enim fuerunt res mea ac illarum inter pariendum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo qui in me habitavit* d. Sed quæ præcipuè fuit expreſſio martyrii amoris ejuſdem Filii ſui, dum ſtaret *juxta crucem Ieſu*, ubi mala pœnæ Dei morientis non fuerunt ornata aliis inſignibus quàm clavis & *lanceâ* e & unde vult ipſe ut homines ipſum imitentur: *Omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum pariter offerebant Deo, hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis. Et quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea, hoc in ejus mente compaſſio naturalis & affectionis maternæ anguſtia*, ait Arnoldus Carnotenſis f. Et hæc eſt diſſolutio, quam S. Paulus cupit, & per quam Maria invénit viam cœli, & abundantiam gratiæ, cujus habebat ipſa jam plenitudinem, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria.*

a Malach. 4.2
b ex Iſai. 7 14. & ex Matth. 1. 23. &c.
† ex Pſ. 98. 1
c ex Joan. 1. 14
* ex 1. Tim. 1.17.
† ex Luc. 1.34
d S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip.
e Joan. 19. 18. &c.
f Arnold. Carnot. tract. de Laudib. Deip.
g Luc. 1. 28

Sublimia cogitavit Job h cùm ſic effatus eſt, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Quaſi videretur intueri in homine prælium duarum factionum formatarum, quæ nullas admittunt inducias: gratia enim & natura indicunt ſibi jugiter bella non intermiſſa adinvicem ad diſputandum & contendendum de imperio cordis & voluntatis; ſed fruſtrà, ſi cor intendat ambabus obedire: inſultationes enim naturæ non tendunt niſi ad jacturam, cùm aggreſſiones gratiæ è contrà nō ferantur niſi ad operandam ſalutem noſtram. Natura illud allicit proponendo ei bona caduca; gratia verò conatur illud ſibi devincire theſauris cœleſtibus & incomparabilibus: natura relinquit cor in libertate greſſuum ipſius, *Ante hominem vita & mors: bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* i. Gratia verò ipſum retinet in ſanctâ ſervitute, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit obedientia* k. Natura inclinat illud ad voluptates: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* l. Gratia verò purgat illud amaritudine crucis, ſicut *Ieſus dixit diſcipulis ſuis, Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* m. *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* n. Illa projicit ipſum ad res tranſitorias, hæc verò defert illud ad magnas inquiſitiones, & facit Sanctos qui ſtultitiâ ſapientiori ſapientiis omnibus mundi, maximâ inquirunt aviditate id quod alii fugiunt: *Nam quia in Dei ſapientiâ non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes* o. Sic honores illis ſunt importuni, divitiæ ſunt eis onus, & vita ipſis diſplicet, niſi fortè illam ſumant in lacrymis & inveniant ac arripiant anſam ponendæ illius pro Deo, ſcientes quòd *majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* p. Ita ut tota ipſorum gloria ſita ſit in hoc, ut ſequantur Jeſum Chriſtum, & poſſint mori pro eo, & dicere ſinguli, *Coarctor autem, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Quod fit duobus actibus amoris, qui reducuntur ad aliud genus mortis. Interventu primi, morimur ſenſibus noſtris, ſpiritus noſter unitur Deo, & deſerit conjunctiones corporis, nedum tamen illas relinquat, & de hac morte loquitur etiam alibi idem S. Paulus, ſic Coloſſenſes alloquens: *Mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* q. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* r. Sic Maria Deipara mortua eſt ſenſibus ſuis, & corpori ſuo, abrenuncians deliciis morte myſticâ: Sed altero genere mortis, anima illius diſſoluta eſt à corpore ipſius, ut ipſa daret Deo vitam pro vita. Sic ipſa mortua eſt Primò ſenſibus ſuis prout Virgo: Secundò, Ipſa dedit vitam ſuam, & hoc tribuit ipſi titulum Martyris amore: & hæc duplex mors communis omnibus Sanctis, & ſpecialior Mariæ, duplicem conſtituet diſcurſûs iſtius partem.

h Job 7. 1
i Eccli. 15. 18
k 2. Cor. 10. 5. & 6
l Gen. 8. 21
m Matth. 16. 24
n Joan. 1. 17
o 1. Cor. 1. 21
p Joan. 15. 13
q Coloſſ. 3. 3
r 1. Cor. 6. 20
Diviſio.

Super quarum priorem invenio apud Origenem ſ poſt S. Paulum, quòd compoſitionem hominis ingrediuntur duo homines, unus exterior, alter interior; unus apparens, alter inviſibilis; unus manifeſtus, alter abſconditus: *Deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt* t. *Audis quia novum hominem dicit ſecundùm Deum creatum. Hunc autem eundem novum hominem, alibi interiorem vocat hominem. Corruptibilem verò hunc, cujus imagi-*

I. Pars.
ſ Orig. lib. 1. in Rom. 1
t ex Coloſſ. 3. 9 & 10

imaginem reſpuit, exteriorem nominat, *cùm dixit*: *Nam etſi is qui foris eſt homo noſter corrumpatur*, *ſed is qui intùs eſt, renovatur* u. Corpus facit primum hominem, & anima ſecundum; ſed corpus facit hominem gravem, alligatum ſenſibus & terræ, quandiu anima conſtituit hominem agilem & ſubtilem, qui ſolutus à chao terræ, non reſpirat niſi cœlos. Hæc autem doctrina repræſentari poteſt ſubtiliter per ignem, qui in aliquo loco concluſus, omnia diſrumpit repagula, ut ſibi pandat aditum, & naturalem ſibi conciliet libertatem: & in hoc ſenſu cùm Apoſtolus ait, *Coarctor autem, deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*: innuit inde non deſiderium mortis naturalis, ſed, ſecundùm Tertullianum x, petit à Deo ut ipſum ſolvat à vinculis, quibus corpus ſpiritum tenet alligatum, quod eſt mors amoroſa, quæ facit ut anima ſoluta à corruptione ſenſuum, autumet ſe jam in ſinu Divinitatis conſtitutam: ut autem moriamur hoc modo, debemus ſcire amare, & facere interventu amoris in ſtatu gratiæ id, quod mors ordinaria facit in ſtatu naturæ: ſic autem loquitur Tertullianus poſt Apoſtolum: *Etenim qui ſumus in hoc tabernaculo corporis, ingemimus quòd gravemur, nolentes exui, ſed ſuperindui* y: *& ideò non temerè dixit, nolentes exui corpore, ſed ſuperindui, id eſt, nolentes mortem experiri, ſed vitâ præveniri; ut devoretur mortale hoc à vitâ, dum eripitur morti per ſuperindumentum demutationis. Ideò quia oſtendit, hoc melius eſſe* z. Sicut enim ille qui moritur, omnia deſerit, & ab univerſis ſe voluntate diſſolvit: ſed eſt etiam ibi aliquid magis: anima enim quæ deſerit corpus, non amittit tamen deſiderium, quo ipſa ducitur, aliquando reſumendi ejuſdem corporis ſui per reſurrectionem: ſed cùm anima pro Deo moritur hoc amore ſenſibus corporis ſui (quia juxta affectus charitatis, animâ ſic moriente pro Deo, ſpiritus non invenit ampliùs affectus ſuos in corpore) ipſa poteſt dicere, *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino* a: Sic talis fuit amor eſtaticus Mariæ, quæ ita novit apprimè ſe diſſolvere a terrenis vi ſanctæ charitatis unitæ virginitati ipſius, quæ reddidit ipſam filiam cœli, & ſociam Angelorum, imò verò illis perfectiorem, ut ait S. Epiphanius b, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna, & Mater* c. Quin & puritatem invenimus in illius nomine, ſicut dicit idem S. Epiphanius multò antè, *Quia Mariam interpretari ſolemus Dominam*. Verum enim eſt, quòd cùm Angeli non ſint corporei, oppugnandum non habent imperium violentiæ paſſionum quæ opprimunt corpus, ita ut, ſi virgines ſint, id tribuere debeant conditioni naturæ ſuæ, & non virtuti ſuæ: ſed B. Virgo vivens in carne ſine carne, quippe in qua extinctus erat fomes, & ut ſic Domina paſſionum ſuarum, & ſenſuum ſuorum, præcellebat & vincebat Angelos: ſic illi qui vivunt in corpore quaſi à terrenæ concretionis mole eſſent immunes, ſuperant Angelos, ſi non conditione, ſaltem meritis: & ideò Virgines vocantur Angeli terræ, quia habent puritatem, ſicut Angeli, ſed cum hoc illuſtri privilegio quòd hæc à meliori derivetur origine; ita ut Angeli ſint immunes ab omni periculo ab intrinſeco, cùm ſint expertes materiæ, deinde medio fulcro gratiæ, quippe quos Deus, ut ait S. Auguſtinus d, *creavit ſimul condens in eis naturam, & largiens gratiam*. Et hoc cùm *dixit Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux. In qua natura intelliguntur omnes Angeli ſancti, & Virtutes* inquit idem S. Doctor e. Vel dicamus cum Philoſophis, quod res aliqua corrumpitur certamine qualitatum ipſius, aut elementorum cõtrariorum, quod fit cùm ſubjectum eſt compoſitum ex materia & forma; quod non intuetur Angelos: qui non conſtant ex materia & forma, ſed ſolùm ex genere & differentia, ex ſubſtantia & accidente, ex eſſentia & exiſtentia, quod facit ut ſint penitus incorruptibiles. Præterea, Res aliqua corrumpi poteſt ſubtractione cauſæ quæ ipſam ſuſtinet, ſicut periret mundus, ſi Deus ab ipſo retraheret concurſum ſuum, *Avertente te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* f. Vel ſicut accidentia, quæ ſubſiſtere non poſſunt ſine fulcro ſubſtantiæ: vel defectu ſubjecti, cui ipſa innititur: atqui dico in hoc ſenſu, quod Angeli labi non poſſunt in peccatum, quia Deus tribuit ipſis fulcra gratiæ, quæ nunquam ipſe deſtruet, & è quibus illi nunquam excident: in quo invenio quod Angeli ſunt imago virginum, & præcipuè Mariæ, quæ ætate, quâ natura jacturam molitur aliorum guſtu voluptatum, contempſit omnia bona, quæ fortuna ipſi offerebat, cùm eſſet egreſſa è progenie Regiâ g, ut ait S. Epiphanius h poſt Iſaiam, *Exurget virga de radice Ieſſe, & flos de radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus timoris Dei. De radice Ieſſe ortus eſt Rex David, & de tribu Regis Davidis ſancta Virgo: ſancta, inquam, & ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & Matrem Dei*. Quæ Jeſu Chriſto adhæſit amore, qui fecit ipſam mori myſticè corpori ipſius; & cujus ſpiritus erat animatus eodem deſiderio, quo ducebatur S. Paulus, *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Ita ut ipſa eſſet pura ſicut Angeli, imò verò pluſquàm Angeli, quos ipſa ciet admiratione, ut ait illi idem S. Epiphanius i, *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti*. Ipſa igitur erat pura more Angelorum, in corpore mortali, quia ſeparans corpus ſuum ab anima ſua morte myſticâ amoris ſui, nullam in ſe experiebatur ipſa vim, ſicut Angeli non ſunt obnoxii corruptioni, cùm ſint immunes à contrarietate materiæ: ſed præcipuè ſuſtinebatur ipſa vinculo, quod ipſam ſtrictè uniebat Deo, qui præbebat ipſi gratiam abundantem, quæ gratia non erat ſicut lampas quæ foret obnoxia exufflationi dæmonum, nec ſicut ſpeculum quod poſſet inquinari halitu mundi, nec ſicut flos qui ſuam pulchritudinem tactibus profanis amitteret, ſed armatura conſtantiæ æqualis puritati Angelicæ, imò verò eâ excellentior. Unde cùm S. Lucas k loquitur de Juſtis, videtur loqui præcipuè de Virginibus, & præ illis omnibus de Virgine virginum, cùm ait, *Regnum Dei intra vos eſt*. Ad quod accedere videtur S. Auguſtinus l, dicens, *Regnum autem cœlorum, id eſt, Iuſtorum, non urbium mœnia, non poſſeſſionum prædia, non auri vel gemmarum copia, non ſupellex varia, ſed juſtitia, pax* m, *& omnimoda gloria in pleno gaudio creditur, quod de viſione æternæ claritatis, & de ſocietate Angelorum & Sanctorum habetur. Deus æterna lux* n *probatus eſt eſſe in mundo, & extra mundum, infra, & ſuprà, & in circuitu, undique, & ubique. Igitur ſi Regnum talium cœlorum ratione demonſtrant, nihil aliud eſt quàm viſio Dei, quæ eſt fons omnium bonorum, neceſ-*

ſariò

u ex 2. Cor. 4. 16
x Tert. l. 5. adverſ. Marcion. c. 12
y ex 2. Cor. 5. 4
z ex Philip. 1. 23
a 2. Cor. 5. 6
b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
c ex Luc. 1. 38
d S. Aug. lib. 12 de Civit. Dei c. 9
e Idem lib. 2. de Gen. ad lit. c. 8 in Gen. 1. 3
f Pſ. 103. 29
g Matth. 1. 16
h S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Iſa. 11. 1. & 3
i Idē Ibid.
k Luc. 17. 21
l S. Aug. tract. de Cognit. Veræ Vitæ c. 44
m ex Rom. 14. 17
n ex 1. Joſ. 1. 5

furiò ſequitur quòd Regnum cœlorum ſit in hoc mundo, & in omni creatura, & extra omnem creaturam: unde habetur, Regnum cœlorum intra vos eſt. Quia nimirùm in Deo conſiſtentes, etiam in nobis ipſis, & omni creatura, & extra omnem creaturam ſicut eſt terminus. Idcircò autem nunc extra Deum, vel extra Regnum cœlorum dicimur, quia hâc viſione privamur. Hoc Regnum cœlorum, vel hoc gaudium juſti intrare ſcribuntur: quia ineffabile gaudium non capientes, in eo quodammodo obvolvuntur. Ubi obſervandum eſt, quòd Rex naturaliter valdè ſolicitus eſt de cuſtodiendo Statu ſuo, & ideò quòd nulli rei parcit ad hoc ut illum tueatur: ſic animæ ſanctæ ſunt titulus Imperii, & utſic Deus illas ita cuſtodit, ut ſi diabolus illas præſumat invadere, ſtatim ipſe ejiciat hunc rivalem, & potentia ipſius non poſſit commoveri, nec ipſius Imperium everti: ſimiliter Deus regnans in Maria, poſſidebat cor ejus, protegebat illam ab inſultationibus hoſtis, & cuſtodiebat eam non ſecus ac imperium. Sed ſi hæc verba S. Lucæ demõſtrant curam quam Deus ſuſcipit animæ electæ, dico quòd cùm anima cor ſuum aperit impreſſionibus amoris Salvatoris, Deus facit thronum ſuum ex ea, ſuper quam imperat ipſe ut Rex, ita ut hæc anima non habeat vitam, affectum, nec ſenſum niſi in Deo ſolo: & hoc modo Maria deficiens in ſeipſa, & vitam amittens in ſemetipſa, quærebat novam vitam, unde dicebat S. Paulus ſcribens Coloſ-
o Col. 3, 3 ſenſibus o, *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Ita ut vivens in illo ſolo, moreretur ipſa in ſemetipſa, & reperiret mortem, quã idem S. Paulus deſiderat, effectu mirabili vitæ uni-
p Rom 5, 5 tivæ, quæ efficit ut *charitas Dei* p, ſeu gratia ſe diffundens in animam, diſſolvat illam à ſenſibus; ſed oportet ut ipſa deficiat ſibimetipſi, ut reſignet potentias ſuas, ut purificet ſpiritus ſuos, & ita ſe ſimplificet ut non concupiſcat niſi hanc diſſolutionem, de qua loquitur idem Apoſtolus, unde conſequenter dicebat, *Vivo autem jam non ego, vivit*
q Galat. 2, 20. *verò in me Chriſtus* q. Seu, *Vivo autem jam non ego, id eſt, poſtquàm Chriſto confixus ſum cruci, vivo, & non vivo. Vivo enim non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ; non vitâ humanâ, ſed Divinâ; non vitâ carnali, mundanâ & conſuetâ, ſed ſpirituali, cœliformi ac novâ. Ideò ſubditur, vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundùm meipſum vivo ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in anima mea, & poſſidet me, facitque me lu ſe vivere. Vivere autem eſt actum vitalem habere. Amor verò tranſponit & mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit, & perficitur, moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriam voluntatem, ſecundùm naturalem inclinationem, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm Divinæ charitatis inſtinctum, & Chriſti juſſionem atque conſilium,* ſubdit Dionyſius Carthuſia-
r Dion. Carth. art. 2 in Gal. 2. 20 nus r. Sed quàm apprimè repræſentantur nobis
s Pſ. 72, 20. iſtæ transformationes ſacræ à Pſalmiſta ſ, cùm Deo ait, *Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Sed quid eſt iſtud, exinanire imaginem hominum in terra? Ecce id quod ait S.
t 1. Cor. 7, 31 Paulus t, *Præterit figura hujus mundi.* Super quod
u Lorin. in Pſ. 72, 20. dicit Lorinus u, *Paulus vocat figuram mundi, & in qua imagine dictum eſt quòd pertranſit homo* x,
x ex Pſ. 38, 7. *demonſtrabit in die judicii, fuiſſe duntaxat apparentem, imaginarium, vanum. Favet Paraphraſtes: Domine, in die judicii magni, cùm fuerint ſuſcitati de ſepulchro ſuo, in furore imaginem eorum ſpernes.*
y S. Aug. in Pſ. 72, 28 Et S. Auguſtinus y, *Nonne digni ſunt hac pœna, ut Deus in civitate ſua imaginem illorum ad nihilum redigat, quia & ipſi in civitate ſua terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt?* Inde capeſſit Deus anſam faciendarum hujuſmodi privationum: ſed id quod ſervit loco ruinarum peccatoribus, eſt promiſſio quam Deus facit Prædeſtinans. Hoc autem innuit, quòd, cùm anima deſerit ſenſus ſuos, ut eat ad Deum, diſſolutionem proficuam facit ſeparans ſe ab affectibus terræ, ut ſumat formam Dei ſui; & tunc transformata in illum, dicere poteſt cum S. Paulo, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Sic ut amittens vitam ſuam, ſumat aliam vitam, quæ eſt vita Jeſu Chriſti: & talis fuit diſſolutio amoroſa Mariæ, quæ tota transformata fuit in Jeſum Chriſtum: cùm enim ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit ipſa repleta caloribus cœli mediâ ſuperabundantiâ gratiarum, ex tunc ipſa ſe diſſolvit à ſemetipſa, & univit ſe Deo ſuo, & ardores ſpiritus ipſius effecerunt ut actiones ipſius paulatim in vaporem abeuntes, apparuerint *ſicut virgula fumi* z, quæ aſcendit in cœlum, & ſpecio- z Cant. 3, 6.
ſa efficitur cùm ſe exhalat, pergens in centrum gloriæ ſuæ, ubi deficiens ſibimetipſi, gloriæ ducit perire, & non habere eſſe aut vitam, ut poſſideat ultra titulum Virginis, qualitatem Martyris amore, quæ eſt ſecunda diſſolutio.

II. Pars.

Quam detego ſub verbis iſtis, *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Quia non eſt aliquid quod ipſi æquè placeat, ac videre quòd tradimus ipſi vitam noſtram, quam ſuſcipit ipſe veluti ſub titulo beneficii. Sed ſi deſiderium iſtud eſt juſtum, executio illius non eſt minùs difficilis: ſed ſpiritus gratiæ extinguit in ea ſenſus naturæ, quod induxit Jeſum Chriſtum ad dicendum, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat* a Jo. 15, 13
quis pro amicis ſuis a. Eò uſque ut Deus ipſe noluerit nobis amorem ſuum demonſtrare alio modo, qui minori ipſi conſtitiſſet, nec minùs nobis utilis fuiſſet, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* b. Poſtquàm igitur B. Virgo b Epheſ. 5, 2.
Maria impendiſſet annos ſuos ad exercitia, quæ digna judicare poſſumus Matre Dei, cùm fides micare cœpit in mundo per ipſam, *Itaq; præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit,* c S. Epiph. ſerm de Laud. Deip.
ait S. Epiphanius c: ſe geſſit ipſa more Phœnicis, qui ubi ad extremam pervênit ſenectutem ſuam, ligna congregat aromatica, quibus concinnat lignile ſuum, cui ſe ſuperponens, ſeque cum illo radiis Solis exponens ardentis ſuper faſtigio altiſſimorum montium, excutit alas ſuas quaſi ad attrahendum ardorem ſpecioſi iſtius planetæ, ſic accendens lignile ſuum, in quo renaſcatur denuò alter ipſemet: ſic glorioſa Virgo *Mater pulchræ dilectionis* d Eccl. 24, 24.
d, Genitrix unicè dilecta, & ſummè amabilis, cùm perveniſſet ad ultimam vitæ ſuæ periodum, ſanctâ meditatione volavit ſuper altiſſimos montes vitæ Filii ſui, ibique poſita congregavit ligna aromatica myſteriorum doloroſæ paſſionis ejus, *Rurſum nomen illud, Maria, interpretatur Myrrha maris.* ait idem ſanctus Epiphanius paulò antè 1 & expoſita radiis amoris ejuſmodi Solis myſtici, de quo ſic ipſi canit Eccleſia, *Quia ex te ortus eſt Sol Juſtitiæ* e *Chriſtus Deus noſter:* concurrere faciens e ex Mal. 4, 2, & ex Luc. 1, 78.
etiam mediis ardoribus contemplationis ſuæ id omne quod erat in ipſa ad accendendas magis ac magis in corde ſuo flammas iſtius amoris Divini: conſumpſit vitam ſuam in prunis iſtis, ut renova-

tur in poſſeſſione æterna Dei ſui, quem dilexerat ſuper terra. Cui convenire videtur id quod ait S. Joannes f, *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Et illud quod poſt eum dixit S. Bernardus g, *Jure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam Divinæ ſapientiæ ultrà quàm credi valeat, penetravit abyſſum, ut quantùm ſine perſonali unione creatura conditio patitur, luci illi inacceſſibili* h *videatur immerſa. Iamſi Eccleſia Luna magis intelligenda videtur vocabulo, quæ videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo qui dicit, Sine me nihil poteſtis facere* i: *habes mediatricem evidenter expreſſam. Mulier, inquit, amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus. Intuemini ſanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate quo coronavit eam Filius ſuus. In capite, inquit, ejus corona ſtellarum duodecim. Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clariùs micans ornet potius eas, quam ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera, quam Sol veſtit? Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium* k. *Nimirum, Læva Sponſi ſub capite ejus; & jam dextera illius amplexatur eam* l. Juxta quem conceptum attribuere poſſum et hæc verba Eccleſiaſtici m, *Quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Quia roſarium primò non emittit niſi ſpinas, & flores ipſius ſunt tunc abſque aliqua pulchritudine: in quo roſa eſt imago Jeſu Chriſti, qui coronatus fuit *ſpinis* n. Sed poſteà quando hæc roſa parata fuit ad exeundum ex alabaſtro ſuo, quando Jeſus Chriſtus ingredi voluit poteſtatem demonſtrandæ nobis dilectionis ſuæ, illam non exhibuit nobis intuendam niſi media jacturâ ſanguinis ſui, & aperturâ iſtius roſæ, quæ tunc rubere cœpit, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* o. *Idest, merito paſſionis ſuæ, & pretio ſui à peccato originali & actuali nos emundavit tempore paſſionis, & hoc quantùm ad ſufficientiam. Quoniam quantùm in ſe eſt, pro nobis ſatisfecit: ſed quantùm ad efficientiam ſeu efficaciam, lavat nos à peccatis in Sacramento Baptiſmi, ac Pœnitentia, quæ à paſſione Chriſti efficaciam ſortiuntur, ſicut & cætera Sacramenta, quæ ſunt velut vaſa medicinalia, Dominicæ paſſionis virtutem & gratiam quodammodo continentia, per quæ meritum Chriſti nobis applicatur,* ſubdit Carthuſianus p.

Sed ſicut ipſe declaravit ardorem ſuæ dilectionis hominis, ita & ipſe vult ut homo teſtetur ipſi dilectionem ſuam eadem viá, & inde tradit ei modum diligendi ipſius magis quàm ipſum diligant Angeli, quia ipſum cognoſcit nedum tamen ipſum videat, & ipſum diligit nedum tamen ipſum intueatur; cùm Angeli habentes ipſum jugiter præ oculis, non poſſint quin ipſum ſemper habeant in corde: atqui affectus voluntarius major eſt amore qui eſt neceſſarius: præterquàm quòd non habet aliquid Angelus quod diſtrahere poſſit amorem ipſius, quandiu cor hominis affectu dividitur erga mundum, voluptates, divitias, & honores, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* q. Præterea, Angeli ſuſtinendarum non ſunt capaces paſſionum, cùm tamen Deus hominem in eo ſtatu poſuerit, in quo poſſit ipſi explicare cor ſuum mediâ aperturâ venarum ſuarum, & ipſi tradere vitam ſuam ſimul cum ſanguine ſuo, quod eſt altiſſimus terminus amoris, ad quem poteſt homo ſolus pervenire, & in quo ipſe beatus eſt, cùm gratia ipſum fortificavit, ut inquit Pſalmiſta r, Deum alloquens, *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Ha! quàm myſterioſum eſt iſtud, ſed quàm jucundum: homo qui privilegio ſpeciali quod naturam pertranſit, & Angelos ſupergreditur, defert gradus amoris in anima ſua, id eſt, per quoſdam gradus eundo de gratiâ in gratiam, aſcendere poteſt ad Deum uſque: ſed oportet ut primus annulus iſte ingrediatur centrum ſuum; & reuniatur ipſi, ut incipiat per amorem, & finiatur per mortem martyrii amoris, inſtar beatæ Virginis Deiparæ, quæ mortua eſt amore domi ſuæ ſitæ Jeroſolymis è parte meridiei, *Eam anno poſt Chriſti aſcenſionem decimoquarto mortis ſolviſſe debitum, atque hinc in cælum migraſſe veterum traditiones & ſcripta habent*, ait Chriſtianus Adrichomius †. Si enim hæc Virgo beata tantâ perfectione diligebat Sponſum ſuum, antequàm Mater illius actu efficeretur, *ab æterno ordinata* ſ ad hanc Divinam Maternitatem, ut diceret, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ* t: quaſi diceret, *Ille adhæret, & intendit mihi, & ego adhærebo, & intendam illi, donec gratia, charitas & amor aſpiret, & creſcat uſque ad ſummum*, ait de Ponte u: & ſtatim ſubdit, *Cupit ergo hanc unionem, & incrementi ejus curam durare donec per ſuos gradus dilectio, & virtus creſcat, & aſcendat uſque ad ſummum gradum ſibi à Deo præfixum*: quales fuerunt amores ejus & affectus ipſius ex quo Mater illius effecta eſt hæc eadem *Virgo* quæ *eſt lilium immaculatum* x, *quæ roſam immarceſſibilem genuit* y *Chriſtum*? ait ſanctus Epiphanius z. Et quomodonam amor Matris ſuperadditus titulo Sponſæ replevit cor illius *benedictionibus dulcedinis* a amoris Divini? Sic ex iſto amore proceſſit ipſius mors amoris: certum eſt autem quòd cùm amor ad mortem uſque tranſit, non poteſt ulteriùs progredi: ſic non defuerunt aliàs uxores, quæ mori voluerunt pro viris ſuis quos dilexerant: & David amittere volebat vitam ſuam pro filio ſuo Abſalom, quem diligebat, qui ſuam jam perdiderat, *Contriſtatus itaque Rex ſic loquebatur, vadens, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom* b? Quia vitam profligare propter amorem alterius, hoc eſt dicere, quòd vis amoris triumphans de voluntate, ſuffocat omnes facultates animæ, ita ut ſe dominum reddat vitæ, quod dico, quia hæc caſta Sponſa mortua eſt amore, & fuit Martyr amore: Hæc eſt ſecunda diſſolutio, quam ſanctus Paulus concupiſcit, *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Poſtquàm enim amor diſſolvit corpus à ſpiritu, & univit utrumque & velut conglutinavit Deo ſuo, debemus omnimodam peragere ſeparationem noſtrî à facultatibus naturalibus. Sed quia Deus non vult ut more roſarum noſtro purpuremur ſanguine, aut aperiamus venas noſtras ut moriamur prò gloria ipſius, ſicut noluit ut Mater ſua moreretur ſecum quandiu ſtabat *juxta crucem* c ipſius, quemadmodum ipſa mori deſiderabat, quod ipſam reddebat Martyrem voluntate & amore, ipſi ſatisfit ut moriamur in ipſo, ſeparantes nos à corpore, amittentes uſum affectuum, paſſionum, & ſanguinis; & deinde cùm ultima diſſolutio vene-

f Apoc. 12, 1.
g S. Bern. ſerm. in verba Apoc. 12, 1. Signum magnum, &c.
h ex 1. Tim. 6, 16.
i 1. Joan. 15, 5
k Eccleſia. ex Eccl. 50, 8.
l ex Cant. 2, 6
m Eccl. 24, 18.
n Jo. 19, 2, &c.
o Apoc. 1, 5.
p Dion. Carth. art. 1, in Apo. 1, 5
q 1. Joan. 2, 16.
r Pſ. 83, 6, &c.
† Chriſtia. Adrichom. in Theat. Terræ S. n. 10, deſcript. Jeruſ.
ſ Prov. 8, 23.
t Cant. 2, 16.
u De Pont. l. 5, in Cant. 2, 16 exhort. 38, §. 5
x ex Cant. 2, 1
y ex Luc. 2, 7.
z S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
a Pſ. 20, 4.
b 2. Reg. 18, 33.
c Jo. 19, 25

venerit, contantes nos unire ei mediâ charitate, &
renaſci ſpiritualiter in gloria: *Chariſſimi, nunc fi-
lii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus.
Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus:*
d 1, Jo. 2, 3 *quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, ait ſanctus Jo-
annes *d*.

Sed quàm magna eſſet noſtra felicitas, niſi ha-
buiſſemus Patrem ſic infelicem, ut, cùm noluerit
e Rom. 5, 12, ex Gen. 3, 6. eſſe felix, nos omnes effecerit miſeros, *In quo o-
mnes* e nimirum peccavimus. Sic eſt, Audito-
res, per generationem Adæ nos omnes ſumus
peccatores ſicut Protoplaſtus noſter, in mundum
f Ephes. 2, 3. venimus ut abortivi, *naturâ filii iræ* f, errantes
ab utero g, *in utero damnati antequàm nati, quia*
g Pſ. 57, 4. h ex Pſ. 50, 7. *de peccato, & in peccato concepti* h, ait ſanctus
Bernardus *i*. Et quod pejus eſt, naſcimur cum
i S. Bern. ſerm. 2, Pent. ſemine & origine omnium peccatorum, nimirum
paſſionibus, malis inclinationibus, puſillanimitate
erga bonum, & promptitudine ad malum: ha-
bemus hoc maledictum fermentum iniquitatis in
nobis, hunc fomitem peccati, iſtum ignem infa-
mem qui nos conſumit, & qui ſanctiſſimos quos-
k Rom. 7, 23. libet inducit ad querendum, more ſancti Pauli k,
*Video autem aliam legem in membris meis, repu-
gnantem legi mentis meæ, & captivantem me in
lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Et illud quod
affligit nos, eſt ſcire, quòd naſcentes non habemus
niſi peccatum originale, propter quod non ſumus
obnoxii ſuſtinendæ pœnæ ſenſus, ſed tantum pœ-
l Iſa. 49, 9. næ damni in limbò *l* patiendæ, ibique privandi
gloriâ, quæ non debetur nobis: ſed ſtatim ac ſu-
mus adulti, ratione fruentes, innumera patramus
actualia peccata, quæ non habemus per hæredi-
tatem à Protoplaſto noſtro, ſicut habemus origi-
nale peccatum; ſed quæ committimus propriâ &
liberâ voluntate, per quæ diſſimiles Deo, & valdè
contrarii bonitati ejus, damnari meremur *in ſup-
m Matt. 25, 46. plicium æternum* m. Et ideò inducimur ad of-
fenſam, non ſolùm à malis inclinationibus no-
ſtris, *Unuſquiſque verò tentatur, à concupiſcentia
n Jac. 1, 14 ſua abſtractus & illectus* n: Sed etiam à diabolo,
*Quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugi-
ens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite
o 1, Petr. 5, 8, & 9. fortes in fide*, dicit nobis S. Petrus *o*. Cui tamen
obedimus, & ſic filii ejus efficimur, cùm deſide-
riis ejus acquieſcamus exequendis, ſicut Judæis a-
liàs *dixit Ieſus, Vos ex patre diabolo eſtis: & deſi-
p Jo. 8, 44. deria patris veſtri vultis facere* p. Non ſolùm au-
tem peccando, & imitando diabolum, efficimur
filii ejus, ſed etiam ſervi & captivi, ſicut idem *re-
ſpondit eis Ieſus, Amen, amen dico vobis, quia omnis
q Jo. 8, 34. qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* q. Et, *Ma-
r S. Chryſ. hom. 33, ex c. 9, Matth. gnus dæmon peccatum eſt*. ait S. Chryſoſtomus *r*.
Quinimò, quod pejus eſt, efficimur ipſi diaboli,
ut idem ſuis diſcipulis *reſpondit Ieſus, Ex vobis unus
ſ Jo. 6, 70. diabolus eſt ſ*. Ut igitur homo peccator qui per
generationem & nativitatem naturalem ſic eſt
diſſimilis & contrarius Deo, & ita ſimilis diabolo,
& ferè idem cum illo, fiat ut verus filius ſimilis
t 2, Petr. 1, 4. Deo, & efficiatur *Divinæ Naturæ* t conſors, de-
bet denuò generari, & habere ſecundam nativi-
tatem. Hæc generatio fit in infantibus nondum
rationis uſu fruentibus, medio Baptiſmate, in quo
u Joa. 3, 5. renaſcuntur *ex aqua & Spiritu ſancto* u. Et in a-
dultis, qui ex quo rationis habuerunt uſum, pec-
x Luc. 13, 3, & 5. caverunt, fit per *Pœnitentiam* x, moriendo ſenſi-
bus, & malis conſuetudinibus ſuis, virtute verbi
Dei ſuſcepti per vivam fidem in corda ſua; & hæc
complectitur firmum conſilium ſuſcipiendi Sacra-
menta, & cuſtodiendi *mandata* contenta in E-
vangelio *y*. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus *z* y Matt. 19, 17.
quibuſdam peccatoribus, quos converterat ad fi-
dem: *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui*. z 1, Cor. 4, 15.
Et alibi alloquens alios peccatores, qui poſt ſuſce-
ptum Baptiſmum amiſerant gratiam, & *adoptio-
nem filiorum a*, dicit illis, *Filioli mei, quos iterùm* a Gal. 4, 5.
parturio donec formetur Chriſtus in vobis b. Id eſt, b Gal. 4, 19
donec ſuſcipiatis in vos perfectè formam & ſimi-
litudinem JESU Chriſti per vivam fidem, & per
imitationem perfectam vitæ ejus. Obſervare au-
tem, ſi placet, quòd in generatione alicujus rei de-
bet inveniri neceſſariò alterius corruptio, juxta
proloquium Philoſophicum, *Generatio unius eſt
corruptio alterius*. v. gr. in generatione rerum
corporearum id quod corrumpitur, eſt ſemen, ſic-
ut videmus in grano frumenti, quod corrumpi-
tur ad hoc ut fructum ferat: ſed in regeneratione
ſpirituali, quæ fit per mortem myſticam ſenſuum,
de qua loquimur, res non ſe habet eodem modo:
ſemen enim, quod eſt verbum Dei, impreſſum a-
nimæ per fidem & gratiam, non corrumpitur, ſed
permanet incorruptibile, *Invicem diligite atten-
tiùs; renati non ex ſemine corruptibili, ſed incor-
ruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æ-
ternum*, ait ſanctus Petrus *c*, fideles alloquens. c 1, Petr. 1, 22, & 23.
Cùm igitur hoc ſemen non corrumpatur, quid eſt
quod corrumpi debet in hac generatione ſpiritua-
li? cùm verum ſit axioma Philoſophicum, *Gene-
ratio unius eſt corruptio alterius*. Id quod debet
corrumpi, eſt id omne quod eſt malum & vitio-
ſum, quod hæreditavimus ab Adamo per pri-
mam generationem, & imitationem operum ejus,
quæ ſunt peccata, malæ inclinationes, paſſiones,
ignorantiæ, errores, & condemnatio ad pœnam
æternam, quæ nobis cauſatur à culpa peccati, uno
tandem verbo id omne quod venit à veteri Adam,
& quod vocatur à Scripturâ *Vetus homo*. Iſtud eſt d Rom. 6, 6.
quod debet corrumpi, deſtrui, & mori in nobis, ut
ex hac corruptione & ex iſta morte myſtica ſenſu-
um noſtrorum & affectionum noſtrarum inordi-
natarum generetur & naſcatur novus homo ſimi-
lis Domino noſtro JESU Chriſto, & particeps
virtutum & meritorum ejus, quod fit per pœniten-
tiam, per horrorem & deteſtationem peccatorum
commiſſorum, per caſtigationem corporis, per
mortificationem ſenſuum, & per exercitium virtu-
tum ad imitationem JESU Chriſti, ſicut conſulit
nobis Apoſtolus e, *Deponite & vos omnia, iram,* e Coloſſ. 3, 8, &c.
*indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſer-
monem de ore veſtro: expoliantes vos veterem homi-
nem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui
renovatur in agnitionem ſecundùm imaginem ejus
qui creavit illum*. Id eſt, ut ſicut imagines repræ-
ſentemus hoc prototypon in omnibus actionibus
noſtris, & imitemur in omnibus modum proce-
dendi illius. Et ſicut dicimus de præclarâ aliquâ
imagine, Quàm benè repræſentat prototypon ſu-
um, videte hunc oculum, iſtud os, illam manum,
& cætera,

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora gerebat:

Ita ſe res habet de perſona Chriſtiana, aut Religio-
ſa, quæ talis eſt qualis eſſe debet: ipſa videtur al-
ter Jeſus Chriſtus, altera beatiſſima Virgo MA-
RIA ſuper terra, cùm imitatio nos reddat ſimiles
eis quos imitamur: induentes JESUM Chri-
ſtum, nihil habentes ampliùs veteris hominis, ſed
tenentes omnia è novo, & veluti toti transformati
in illum, ſic perfectè repræſentamus illum, adhæ-

f Rom 13. 14.

rentes conſiliis ejuſdem Apoſtoli f, *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum* Quod idem eſt ac illum repræſentare in omni modo procedendi ipſius. Sicut enim color & forma illius qui eſt indutus, non videntur in parte quam indumentum operit; ita (quaſi dicat S. Paulus) non appareant ampliùs in vobis propria voluntas, conſuetudines vitioſæ, & pravi mores, ſed potiùs boni mores & modus procedendi JESU Chriſti, humilitas g ejus, patientia, modeſtia, charitas h, & omnes aliæ virtutes, quas nobis reliquit imitandas ad ritè inſtituendam vitam noſtram. Et ſicut indumentum abſcondit defectus, & micare facit pulchritudinem illius qui ipſum defert, reddens eum jucundiorem oculis illius qui ipſum intuetur; ita hoc Divinum veſtimentum Jeſu, quo conſulit nobis Apoſtolus ut induamus nos, abſcondit id, quod habemus deforme, oculis Dei, tribuit nobis augmentum pulchritudinis, reddit nos gratos oculis Dei, & facit ut Pater æternus ſibi complaceat in nobis intuendis propter amorem Filii ſui quo ſumus induti, & ob reſpectum B. Virginis Matris illius, mortuæ ſenſibus interventu mortis myſticæ cauſatæ ab amore, cujus actiones repræſentamus. Interim maturè diſcutiamus quàm immodicè ſimus obſtricti huic Patri *miſericordiarum* i, cùm manere volens in anima noſtra per gratiam in hoc mundo, & per gloriam in altero, dederit nobis pro exemplari vitam Filii ſui æquè ac vitam Matris ejus, ut educentes è prototypis iſtis imaginem virtutum, efficiamus ut anima noſtra moriatur ſenſibus, & renaſcatur modo ſpirituali per gratiam, & aliquando per gloriam.

g Matt. 11 29.
h Joan. 18 12, &c.
i 2. Cor. 1. 3.

Si concio habeatur coram perſonis Religioſis, addantur ea quæ ſequuntur.

Mactæ igitur animo, Animæ Religioſæ, cùm medio æquo vitæ veſtræ regimine frui debeatis hoc illuſtri privilegio: ſicut enim non poſſumus meliùs imitari Jeſum Chriſtum, quàm inviolatè obſervando Evangelium ejus, quod eſt compendium perfectum vitæ ipſius: ſic non poteſtis cuſtodire perfectiùs Evangelium illius, quàm fideliter exequendo Regulam N. quæ perfecta eſt illius expreſſio, quippe quæ continet præcipua conſilia Evangelii k, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ: & cùm generoſo conatu voluntatis veſtræ vos obſtrinxeritis ad complementum Regulæ, quam profitemini, eodem tempore vos addixiſtis imitationi Jeſu Chriſti, ut nimirum ferretis illum in vobis ipſis, ut repræſentaretis eum in omnibus actionibus veſtris, ut moreremini vobis ipſis & ſenſibus veſtris, ut viveretis gratiâ ejus in hoc mundo, & gloriâ illius in altero ſæculo in æternum.

k Matt. 19 27, &c.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS.

De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apoc. 4. 5.

LAus S. Bernardi, cujus celebramus hodiernâ die feſtivitatem, eſt negotium totius Chriſtianiſmi, cùm Reges & ſubditi, magni & parvi, divites & pauperes in ea ſuas inveniant utilitates: &, ut verum dicam, valdè deſiderabile eſt laudatu hominem, ſed vehementer eſt difficile correſponſu meritis ejus. Cùm conſidero quòd procedunt *de throno fulgura, & voces, & tonitrua*, ſeu, ut ait Dionyſius Carthuſianus a, *de throno, id eſt, de Eccleſia militante, quæ ſedes eſt Dei, fulgura, putà miracula, quæ inſtar fulguris terrent, atque illuminant, ſicut ſcriptum eſt, Timebunt qui habitant terminos terræ à ſignis tuis* b: *Et in Evangelio* c *ſæpiùs legitur: quomodo turba viſis Chriſti prodigiis timuerunt: Et voces, id eſt, prædicatio mediocris & ſimplex, ſicut de ſeipſo loquens commemorat Apoſtolus, Quaſi parvulis in Chriſto lac dedi, non ſolidum cibum* d: *Vnicuique enim proponendum eſt verbum Dei ſecundùm ſuam capacitatem: & tonitrua, id eſt, prædicatio ſublimis, ſonora, profunda: unde in Evangelio* e *Chriſtus quoſdam Apoſtolorum filios tonitrui nuncupavit: Et alibi Sermo Divinus teſtatur, Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum Dei: & cùm vix parvam ſtillam ſermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri* f? cùm, inquam, hæc omnia conſidero, nimirum, fulgura, quæ noſtros caligine offundunt oculos; voces, quæ noſtras demulcent aures; & tonitrua, quæ terrore mentes noſtras concutiunt; & quòd S. Bernardus eſt eorum omnium tranſumptum & imago, ſtupefactus hæreo, & neſcio quid acturus ſim. Alexander Magnus recenſetur fleviſſe prope tumulum Achillis, memor quòd invincibilis ille Dux habuiſſet Homerum ſcriptorem heroicorum ipſius facinorum; quòdque fortaſſis ipſe neminem eſſet habiturus qui præclaras ipſius ſcriptis exararet actiones bellicas, & ſic ipſum commendabilem poſteritati redderet; quòd tempus quod rodit omnia, poſſet eas profligare, & illas oblivioni tradere, nedum procuraret eis admirationem populorum, & vivere faceret illas omnibus ſæculis interventu famæ: præterquàm quòd magna gloria eſt laudari ab homine magni meriti: ſi autem ita ſe res habet, Dominæ meæ, quanta laus proveniet Patriarchæ veſtro, cùm facies veſtræ, & actiones veſtræ ita diſertè loquantur ſermone muto de eo, ut deinceps non poſſit quid amplius de illo edisseri? tamen cùm velitis ut loquar, totum conatum meum quantùmvis exilem adhibebo, ut aliquid ex mirabilibus illius operibus vobis delineem: ut autem faciliùs iſtis perfungar muniis, recurram ad auxilium Dominæ veſtræ, deprecamini eam ut mihi gratiam indulgeat tranſcribendæ imaginis illius in diſcurſu meo, ut conformemus ad eam mores noſtros, dicendo ei, *Ave Maria.*

a Dion. Carth. art. 5. in Apo. 4. 5
b Pſ. 64. 9.
c ex Luc. 7 16.
d ex 1. Cor. 3. 2.
e ex Marc. 3. 17
f ex Job 14. 26.

Magnum eſt prælium inter cœlum & terram, inter Deum & homines g, & ſi Deus bonitate ſuâ non deſcendiſſet è cœlo in terram, exiens *à Patre, & in mundum* h veniens, homo non aſcendiſſet è terra in cœlum præ neceſſitate, *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia*, ait ſanctus Paulus i. Et Dionyſius Carthuſianus k ſubdit, *Sic aſcendit, ut impleret omnia, quæ in Lege, Prophetis, ac Pſalmis de ipſo prænunciata fuerant. Vnde in cruce dicebat, Conſummatum eſt* l. *Vel, impleret omnia genera hominum, id eſt, quoſdam de univerſis generibus hominum donis & gratiis Spiritus ſancti. De quibus omnibus dixit apud Ioannem* m, *Omnia*

g Iſa. 59. 2
h Joan 16 28.
i Epheſ. 4. 10.
k Dion. Carth art. 4. in Ephe. 4. 10
l Jo 19. 30
m Joan. 12 32.

Omnia traham ad meipſum. Alii qui cognoſcentes hanc neceſſitatem commercii mutui inter Deum & homines, dicebant, quòd fieret medio ſanguine ſacrificiorum. Alii exiſtimaverunt, quòd reverentia quæ exhibebatur Deo, foveret hoc commercium Dei cum hominibus. Sed fatendum eſt, quòd vehementer hallucinabantur, & quòd Deus trahitur ad ineundum cum hominibus commercium mediâ ſanctitate ſolâ, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, ait Deus in Levitico n. Et per Cornelium o, *Sancti, id eſt, mundi eſtote: ſic ſanctus pro mundo capitur, ubi dicitur, Ut ſint caſtra tua ſancta* p. *Id eſt, munda. Quia ego ſanctus, id eſt, mundus ſum, qui deteſtor immunditiem Gentilium in ſacrificiis & epulis de quibus S. Auguſtinus* q: *quique volo vos ſanctitatem meam ſpiritalem hâc corporali veſtrâ imitari & repreſentare.* Cùm Deus invenit aliquem ſanctum in mundo, defert in eum ſuæ ſanctitatis charactêrem, ingreditur in illum ut in templum ſuum: *Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos*, ait S. Paulus r, veros fideles alloquens. Et Dionyſius Carthuſianus ſ, *Templum enim Dei vivum & ſpirituale, ſanctum eſt formaliter, quod eſtis vos, qui in Baptiſmo ſanctificati eſtis, & per opera bona exercitati.* Tunc Deus ſedet in corde ejus ſicut ſuper throno ſuo, in eo producit lumina ſplendentia, cumulat ipſum virtutibus eximiis, & ab eo exire facit oracula penitus divina. Iſtud eſt quod videmus in S. Bernardo: fatendum enim eſt, quòd ipſe erat ſuper terrâ thronus Dei, quòd deferebat imaginem majeſtatis ejus, habens ſimilitudinem cum *throno* Apocalypſis repræſentato in hoc diſcurſu, è quo procedunt *fulgura & voces, & tonitrua.* Ne autem loquar inordinatè, obſervandum eſt, quòd tota vita Jeſu Chriſti redigitur ad hæc tria capita, primùm ad ſanctitatem, ſecundùm ad ſapientiam, tertiùm ad potentiam. Sanctitas ejus fuit in vita ipſius, Sapientia illius invetiîtur in gloria ipſius, & potentia ejus in miraculis ipſius: videamus autem quomodo vita S. Bernardi fuit imago vitæ Jeſu Chriſti. Primò, Invenio ſanctitatem vitæ ejus in ipſius fulguribus: Secundò, ſapientiam ejus in vocibus ipſius: Tertiò, poteſtatem ejus in tonitruis ipſius: in quibus tribus videbimus illum aſſimilatum Salvatori, in triplici parte diſcurſus iſtius.

n Levit. 11.44
o Cornel. in Levit. 11.44
p Deut. 23.14
q S. Aug. l. 6. & 7. de Civ. Dei.
r 1. Cor. 3.17
ſ Dion. Carth. art. 1 in 1. Cor. 3.17

Diviſio

I. Pars

Incipio à ſanctitate ejus, quia repræſentans fulgura S. Bernardi, graviſſimi momenti negotium eſt ac dare Sanctum mundo; & mirabile eſt, quòd inter tot millia hominum qui ſunt in mundo, vix inveniatur aliquis, qui mereatur nomen Sancti; ſi autem in eo naſcitur aliquis, non eſt illum in eo intueri niſi poſt multa tempora. Sed unde procedit ut Sancti ſint ita rari in mundo ut ſint velut alii phœnices, qui non videntur ſemel niſi ſingulis ſeculis expletis, petetis à me, Auditores? Veſtræ ſatisfacio petitioni, quæ tam laudabilis eſt quàm curioſa, & dico quòd ratio illius mihi videtur, quia ſanctitas eſt cumulus, complementum, & perfectio vitæ Chriſtianæ, quò debemus omnes aſpirare: nemo invenitur qui pervenerit ad faſtigium & ad apicem perfectionis congruæ ſtatui Chriſtianiſmi quem profitemur: & ideò nemo reperitur qui habeat ſanctitatem. Facile eſt inventu vitas quæ ſint bonæ & ſanctæ, ſed quòd ſint tales præ perfectione, miraculum iſtud eſt, hoc eſt fulgur quod exit è nube. Si autem petatis adhuc à me quare ſanctitas ita rara ſit in mundo, tres exiguas vobis illius præbebo rationes, ex quibus agnoſcetis quàm multùm vita noſtra diſtet à ſanctitate.

Prima ratio quæ facit ut ſanctitas ita rara ſit in mundo inter homines inter tot ſecula, eſt, quia maximæ ſalutares Religionis Chriſtianæ quam profitemur, non ſatis intimè pervadunt corda noſtra, nec ſatis vivè imprimuntur eis: mens noſtra non ſpeculatur eas niſi ſecundùm ſuperficiem, nedum ſpeculationi earum praxim addat cor noſtrum, quod deguſtare deberet illas, nec tamen ſiſtit in illis, niſi per tranſennam. Secunda ratio, propterquam ita pauci ſanctitatem colunt, eſt, quia agnoſcentes principium malorum quæ nos opprimunt, originem tentationum quæ nos impetunt, & quibus Deus utitur veluti tot inſtrumentis, quibus ſua *Sapientia* t *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* u ad operandam ſalutem noſtram; infirmas opponimus reſiſtentias difficultatibus quas habemus, ut reluctemur eis. Et tertia ratio eſt, quia nimis citò contenti ſumus de nobiſmetipſis; & ſtatim ac nobis comparavimus aliquem gradum virtutis, & aliquantulùm progreſſû peregimus in hoc exercitio laudabili, & mediocrem virtutem poſſidemus, ſit nobis ſatis hoc progreſſu, nedum ſatagamus velle ulteriùs progredi. Quod autem extollit S. Bernardum in eminentem ſanctitatem, eſt, quòd tria poſſidebat, quorum interventu haberet eam in ſummo gradu. Primò, Ita intimè ſibi perſuaſerat maximas ſalutares noſtræ Religionis, eaſque ſic vivè cordi ſuo tenebat impreſſas ut de illis nunquam dubitare poſſet, ita ut virtutes Theologicas reputaret beatitudines Evangelicas, & crederet his virtutibus infuſis & ſupernaturalibus non ſecus ac Eſſentiæ divinæ. Ipſe ſibi propoſuerat pro regimine vitæ ſuæ, univerſas maximas Religionis, & omnes actiones ipſius effundebantur ſuper hæc verba, quæ periſæpè dicebat ipſe ſibimetipſi, *Bernarde Bernarde ad quid veniſti?* Secundò, Tantum præ ſe ferebat animum ad comparandam ſibi virtutem, ut obvius procederet omnibus tempeſtatibus quantùmvis proceloſis: difficultates autem omnes ſpinoſiſſimæ convertebantur ei in delicias ob reſiſtentiam quam afferebat ad deſtruenda obſtacula quæ opponebantur gloriæ conſilii tui ipſius. Tandem, Ipſe vir erat qui præditus non erat virtute, niſi præperfectâ; non erat contentus virtute mediocri: ſemper perſeverabat in progreſſu ad virtutem, ut ſancto virtutis incremento pervenire poſſet ad eminentem ſanctitatis perfectionem, ſociatus eis de quibus ait Pſalmiſta x, *Ibunt de virtute in virtutem.* Ecce origines & radices ſanctitatis S. Bernardi, en unde procedit cumulus meriti illius, generoſitas actionum ejus, & complementum virtutum ipſius. Re autem verâ ſi vultis ut exhibeam vobis umbram Sanctitatis illius, oportet ut dicam quòd primo converſionis ipſius momento ipſe perfectè fuit ſanctus, quia fuit in perpetua innocentia, nec unquam privatus fuit gratiâ Dei in hoc mundo, donec moriens perveniret ad gloriam illius. Sanctitas vitæ ejus judicatur ex ſequelâ actionum ipſius, & ſequela actionum ipſius ex vitæ ipſius ſanctitate: pueritia ejus nihil habebat puerile, obediebat parentibus ſuis, ſicut Dei Filius morem gerebat ſuis, *Et erat ſubditus illis* y. Scholis applicitus, erat amans ſtudii, morem gerens Præceptoribus ſuis, inimicus garrulitatis & confuſionis, æquè ac amicus ſilentii, & quietis, affabilis, & humilis, conformis in hoc Filio Dei, qui erat *mitis, & humilis corde, & requiem animabus* z imitatorum ſuorum pollicebatur. Obſervabatur in hoc puero pudor virginalis, mens ſimplex & candida, & mortificatio quantùm ad terrena præ omnibus ſociis

t Sap. 7.24
u Sap. 8.1.
x Pſ. 83.8
y Luc. 2.51
z Matth. 11.29

tuis,ut conformari poſſet ad Jeſum Chriſtum, de quo dicit Sponſa, ſeu anima Chriſtiana, [a Cant. 5.10] *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus* a. Juventus ejus nihil habebat inſolens; cùm juvenis eſſet, & dolore capitis aliquando corriperetur, adducta eſt ad eum mulier venefica, ut illum ab illo capitis dolore præſtigiis & faſcinationibus ſuis liberaret: ſed cùm ſcivîſſet quænam eſſet illa, ſurrexit è cubili, eamque ejecit, contentâ voce poſt illam inclamans, juſtâ irâ per zelum percitus. Ætas ipſius matura, ſeu virilitas nihil habebat violentum: ſuavitas ejus erga Religioſos ſuos efficiebat ut ipſi reduplicarent fervorem ſuum, & quâdam æmulatione contentioſâ, quò magis Pater ipſorum ſe manſuetum exhibebat erga ipſos, eò rigidiores ipſi evadebant erga ſeipſos, & obedientes mandatis ejus, aſpirantes præ majori curâ & anxietate ad perfectionem, & ad ſtrictam Regulæ ſuæ obſervantiam. Senectus ejus nihil habebat infirmum; [b S. Bern. Epiſt. 310] auſcultate eum loquentem in epiſtolâ b, quam in extremis poſitus dictavit, directâ ad Arnoldum Carnotenſem Abbatem Bonevallis amicum ſuum: *Suſcepimus charitatem veſtram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum ſibi vendicat amaritudo? Niſi quod ſolum nihil comedere, utrumque delectabile eſt. Somnus receſſit à me, ne vel beneficio ſopiti ſenſus, dolor unquam recedat. Defectus ſtomachi ferè totum quod patior, eſt. Frequenter & in die & in nocte exigit confortari modico admodum qualicunque liquore: nam ad ſolidum omne, inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non ſine gravi moleſtia ſumit: ſed timet graviorem, ſi ſe vacuum omnino dimiſerit. Si plusculum quid interdum admittere acquieſcat, id graviſſimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere ſolet. Et in his omnibus ne quid lateat amicum de ſtatu amici ſolicitum, ſecundùm interiorem hominem* [c ex Rom. 7.22] c *(ut minùs ſapiens dico* [d 2. Cor. 11.23] d*) ſpiritus promptus eſt in carne infirma* [e ex Matt. 26.41] e. Videtis ex ultimis verbis iſtis, quæ ipſe uſurpavit ex verbis Jeſu Chriſti Patrem ſuum alloquentis, quomodo ipſe ſit conformis Salvatori ſuo, quem Iſaias [f Iſai. 53.3] f nobis deſcribit *deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Tandem, Omnes virtutes erant in eo. Si autem loquamur de magnanimitate ejus in aliis actionibus heroicis, quibus incumbebat, ultra iſtam quam modo recenſui, ita coronis aſſuetus erat adipiſcendis ut deſiderium earum poſſidendarum efficeret ut ipſe ſemetipſum vinceret ad ſe propriis ſpoliis coronandum. Deinde, Si conſideremus incrementum virtutum ejus, inveniemus quòd illas omnes poſſederit: qui enim videre volet fidem ejus in ſplendore ſuo, contempletur miracula ejus: qui volet contemplari charitatem illius, metiatur mundum, cujus ipſe replevit quatuor partes exceſſu amoris ſui, & plenitudine gratiarum ſuarum: ſi metiri velit quis ad oculum humilitatem ejus, contempletur eam inter magnitudines & gloriam mundi, & quòd, cùm ad ipſum extremâ infirmitate laborantem, & in articulo mortis conſtitutum Epiſcopi, Abbates, & Religioſi locorum vicinorum conveniſſent, & omnes deplorarent jacturam tanti Patris, ipſe conſolatus eſt eos, dicens eis præ humilitate, quòd rectæ rationi conſonum erat, ut ſervus inutilis & infructuoſus non occuparet illum locum invanum, & ut arbor infertilis evelleretur. Si auſteritatem ejus intueri velit, ſuos projiciat oculos ſuper veſtes illius, ſuper pœnitentias ipſius, & ſuper aſperitatem vitæ ejus: ſi puritatem ejus, repræſentet ſibi pulchritudines eximias, quarum lenocinia commovere potuiſſent corda minùs caſta quàm eſſet cor ipſius: re autem verâ cùm adhuc juvenis eſſet, & incogitanter ſuos projeciſſet oculos ſuper quandam ſpecioſam mulierem, in ſe reverſus, tanto pudore ſuffuſus eſt ut ad ulciſcendum ſe de ſemetipſo, & ad luendam pœnam iſtius inadvertentiæ, ſe nudum projecerit in ſtagnum glacie conſtrictum (erat enim tunc tempus hybernum) quod invênit ibi propè, & ita diu manſit in aqua uſque ad fauces, ut frigus extinxiſſet ferè omnem calorem ipſius naturalem, & inde eductus ipſe fuerit velut exanimis: tamen hoc actu ferventi meritus eſt ut Deus gratiâ ſuâ mortificaret in ipſo concupiſcentiam carnalem, & extingueret flammas ignis infernalis qui dominatur membris noſtris, ſicut queritur Apoſtolus g, [g Rom. 7. 23. &c] *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Si dubitatis de amore ejus, ipſe eſt ignis quantùm ad amorem Dei: & ſi de prudentiâ ejus, contemplamini œconomiam Ordinis illius. Ecce quomodo ipſe poſſidet ſanctitatem in perfectione, habens fidem pro maximis Religionis, magnanimitatem pro victoriâ, & augmentum ac perfectionem virtutum.

Sed ne forſan exiſtimetis me loqui ſine fundamento, cautam præſtat authoritate ſua veritatem iſtam S. Bonaventura h, [h S. Bon. Opuſc. de Septem Gradib. Contemplat.] qui ait, quòd cùm homo incipit aſcendere ad ſanctitatem, diſſolvit ſe à vitio, & ſe dignum gratiâ reddit, tunc aſcendit ad gloriam per ſeptem gradus. Quorum primus, eſt gradus flammarum, qui non eſt alius niſi deſiderium ſerviendi Deo, & quæ flammæ accendentes cor & calefacientes mentem hominis illius, intuendas ipſi exhibent magnitudines illius, à quo ipſe vitam habet, *Ignis eſt vehemens divini caloris vel amoris fervor, ex camino ſuperſplendentis Ieruſalem flabellatus. Hujus ignis calor animam, cùm ſe ad orandum Deum effuderit in conſpectu Dei* †, [† ex 1. Reg. 1. 15] *eam valdè perlucido ſplendore irradians, quamplurimùm ignit, & arentes motus, affectioneſque accendit.* Ex hoc igne tranſit ad unctionem, quæ non eſt aliud niſi humor radicalis flammæ ſpiritualis, qui temperat ardores cordis ipſius, & extinguit violentiam paſſionum ejus, *Unctio eſt velut quidam roſeus liquor qui per totam animam ſe diffundens, ipſam erudit, corroborat, & confortat.* Deinde, Tranſit ad ecſtaſim, quæ eſt alienatio & raptus animæ ipſius, quæ oblita periodorum temporis, cogitationes ſuas ad æternitatem terminat, *Ecſtaſis, eſt deſerto exteriore homine, ſuiipſius ſupra ſe voluptuoſa quadam elevatio, ad ſuperintellectualem divini amoris fontem, mediantibus ſurſum activis virtutibus pro viribus ſe extendens* Has autem virtutes activas S. Bonaventura vocat *humilitatem, & puritatem.* Inde aſcendit ad contemplationem; hîc autem ſpecialiter agnoſcitur & obſervatur Sanctus quis, qui refectione generali quam facit ſpiritus ſuper carnem, adjutus oratione contemplatur in cœlis quomodo homines ſint exules in terra, *Speculatio, eſt beatorum & ſupercæleſtium, & ſoli Deo ſcibilium divitiarum, intellectualis & affectualis pia inveſtigatio. Contemplantur autem hi duo, ſcilicet intellectus & affectus: ſed intellectus longè diſſimiliter ab affectu, apex intelligentiæ ſpeculando, hæc verò,* id eſt, affectio, *deſiderando.* Inde tranſit ad alium gradum, qui eſt guſtus, quem capeſſit in hac ſpeculatione aut contemplatione, & ſuavitas ejus tribuit ipſi debilitatio-

tionem circa res mundi, & ipſum roborat circa res cœli, *Guſtus eſt ſuperinæſtimabilis divinæ dulcedinis perſuavis quædam & inſolita prælibatio, ex cellario ſancti Spiritus in Sanctorum contemplativorum animas diſtillata.* Ex iſto guſtu tranſit ad quietem, quæ eſt imperturbabilis qualitas, *Quies eſt totius animæ mira quædam, & ſuavis tranquillitas, per infuſam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata.* Tandem, Pergit ad nubem gloriæ, quæ eſt conformitas quam habet cum Deo, *De ſeptimo tantùm tacendum cenſui, quàm loquendum*, concludit S. Bonaventura, *quoniam nulli viatorum aſcenſus ſive*

i 2.Cor. 12.2

viſio hujus gradus patêre potuit, niſi illi cœleſti Paulo, qui ſe raptum ad hujusmodi per ſacram Scripturam i aſſerit. En, Auditores, gradus qui ſunt aſcendendi ad hoc ut aliquis ad perfectam ſanctitatem perveniat. Sed expectate paulisper, & oſtendam vobis quomodo S. Bernardus per iſtos omnes gradus tranſierit. Si deſideretis videre gradum ignis, per quem aſcendit ad ſanctitatem, conſiderate principium converſionis ejus, & videte quòd habebat ignem incluſum in corde ſuo, unde jugiter ardere

k Thren. 1,13

Deo, ita ut dicere poſſet cum Propheta Jeremia k. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Res inaudita quòd adoleſcens nobilis, tot lenocinius decôrus non ardeat niſi Jeſu Chriſto, nec ullas alias agnoſcat flammas, niſi amoris Dei, & adimpleat viſionem quam habuit ipſius mater ipſo fœta, illius parvi canis candidi cum notâ rubeâ! Albedo illius repræſentabat nobis candorem animæ ejus, & puritatem vitæ ipſius: hæc autem nota rubra ſignificabat ignem quo conſumendus erat iſte Sanctus! re autem verâ S. Bernardus videbatur *co-*

l Exod. 13.22
m Epheſ. 6,12

lumna ignis per noctem l *adversùs mundi rectores tenebrarum horum* m ad dirigendos Monachos ſuos in terram promiſſionis cœli, ſicut fuit magnus Prædicator, qui ut canis myſticus igne zeli accenſus latravit contra impios ad conſervandam domum

n 1.Tim. 3.15

Dei, quæ eſt Eccleſia n, & linguâ ſuâ medicinali ſanavit ulcera multarum animarum, ut illarū eſſet *portio*

o Pſ. 141.6

in terra viventium o. Vultisne videre gradum unctionis in vita ejus? conſiderate prudentiam illius quæ tanta fuit ut ipſo vel in tyrocinio juventutis, nihil juventutis ipſe præ ſe ferret, ſed eſſet prototypon propoſitum juvenibus imitandum: unctio ſeu temperamentum Spiritus ſancti moderabatur eum in directione vitæ ipſius. Si conſideremus ecſtaſes ejus, inveniemus eum ſemper extra ſe raptum, ita ut vita vegetativa & vita ſenſitiva nihil viderentur in ipſo, non agebat ipſe niſi vita intellectuali præ tanto ſplendore & tanta recollectione ut ſciamus quòd ignoraret num eſſent plures feneſtræ in templo ſeu in Eccleſia, quò ingrediebatur quotidie, quàm una; ita ut non ageret niſi medio commercio quod habebat cum Angelis & cum Deo, & ſic dicere poſſet,

e Philipp. 3.20

Noſtra autem converſatio in cœlis eſt o. Gradum cōtemplationis aſcendit æquali prævidentiâ & perſeverantiâ: fuitne enim unquam homo magis contēplativus quàm ille qui fecit *paradiſum voluptatis* p

p Gen. 2.8

terreſtrem è corde ſuo ad faciliùs alloquendū Deū? ſed paradiſum, quem cuſtodivit uſque ad mortem ſuam ſed tantâ prævidentiâ ut ad impediendū quin *ſerpens* voluptatis & deliciarum mundi in eum ingrederetur, priùs cōtriverit *caput* q illius, quàm cogitaret indulgere ingreſſum ad illum. tandem, magis divinus erat quàm humanus. Si veniamus ad

q Gen. 3. 1.& 15

guſtum, reperiemus quòd ipſe non erat ſimilis illis qui nunc morântur ſuper Cherubim, ut loquantur de Deo: *Dicunt enim & non faciunt* r. Illi lingunt

r Matth. 23.3
ſ Mich. 7.17

pulverem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ ſ, ut inde ſe inaurent vanitatibus & ſtultitiis terrenis: at S. Bernardus immoratur ſuper dulcedinibus terræ, ut aſcendat ex illis ad cœlum, & ratio ejus eſt ipſi prælibatio beatitudinis. Quantùm ad quietem, S. Bernardus habuit illam in perfectione, nunquam fuit agitatus, & ſemper eſt potitus paſſionum ſuarum tranquillitate. Inde ingreditur in nubē gloriæ, id eſt, in Jeſum Chriſtū, ubi immerſus oblectamentis & deliciis conſiderat ſtatus politicos & Monarchias, dicens, Deus mi, quàm avarus eſt ille qui te non eſt contentus, *Audivit vocem ipſius, & induxit illum in nubem* t. Mortuus eſt *enim, & vita* ejus *eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* u. Et ideò concludendum eſt quòd habeat perfectam ſanctitatē. Re autē verâ, Auditores, oportet ut ingenuè vobis fatear, quòd miror quomodo poſſibile eſt, ut ſciētes quòd debeamus eſſe ſancti ad hoc ut aſcendamus ad faſtigium gloriæ, propter quam poſſidendam Deus nobis vitam præbuit, ita puſillanimiter inquiramus gradus ejus ad conſequendam hanc nubem gloriæ in quâ diutiùs immorarer, niſi viderem quòd ipſa dividitur ut audiri faciat voces iſtas: ſed quia puto quòd voces ſint æquè potentes, ac fulgura ſunt validæ; immorabor, ſi placet in his vocibus, ut earum præbeam vobis intelligentias, quas expectatis.

t Eccli. 45.5
u Coloſſ. 3.3

II. Pars

Verum eſt quòd ſapientia videtur mundo res deſiderabilis, ſed in hoc eſt deceptio & turpis hallucinatio, quia non habemus in mundo pro termino deſideriorum noſtrorum niſi falſas ſapientias, & fallacias ſophiſmatibus ſcatentes. Ubi obſervate, ſi placet, quòd triplex eſt in mundo ſapientia. Prima eſt pro ſapientibus curioſis. Secunda eſt pro ſapientibus otioſis. Tertia eſt pro ſapientibus malignis. Sapientes curioſi ſunt illi, qui aſcendunt verbis ad Deum, qui credunt quòd Deus non eſt id omne quod de eo dicitur, qui Soli notas attribuunt, qui maculas reperiunt in Luna, & Stellis comminiſcuntur nomina; qui omnia ſciunt excepto nomine Chriſtiani; qui agentes ſubtiles, & uſie opinionibus ſuis mordicùs adhærentes, condemnant ſententias aliorum, & ſi poſſent, ſepararent ſe à communitate illorum, quos mentis infirmæ & parùm ſanæ judicant præ æſtimatione quam faciunt ſuæ: tandem, non ſunt idonei niſi arguendæ Religioni, & diſputandis maximis ejus interventu rationum impertinentium, aſtutiarum & fraudū. Sapientes otioſi ſunt illi qui habent legem in corde, ſed qui non habent cor in lege, qui nihil in lingua frequentiùs habent quàm amorem, qui vitam habent fumantem, ſed non ardentem. Sapientes maligni ſunt illi qui præſident, & prædicant quòd malum non debet exerceri, quod tamen ipſi perpetrāt, qui dicunt totum igneum, & non peragunt niſi vētum, rati ſe ſubtiles eſſe cùm invenerunt modū decipiendi alicujus, abutendi verbis ſuis, invadendorum præ injuſtitia ſpoliorum alienorum, & ſe paſcendi ſanguine innocentium, quibus ſingulis exprobrari poteſt id, quod Deus improperat animæ ſic malignè ſapienti, *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas, & in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* x? Ha! S. Bernardus non erat ſapiens curioſus & mundanus, ſed ſapiens Dei, & hoc eſt quod dicitur de illo: *Si Dominus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ* y. Si verum eſt, quòd ſoliditas ſapientiæ conſiſtit in contemplatione rerum æternarum, nemo fuit contemplantior & ſapientior S. Bernardo, cùm in contēplationibus ſuis duos iſtos ſum-

x Jer. 2. 33.& 34
y Eccli. 39.8.& 9

ſemper habuerit libros apertos, quorum primus erat mundus, ſecundus verò ſacra Biblia. Quantùm ad mundum, conſideraverat ipſe illius abuſus inter ſylvas. Quoad verò ſacram Scripturã, difficultates illius interpretatus eſt in ſolitudine, ſubjiciens oculis ſuis ſubjectum abſens materiæ ſic præſentis mẽti ſuæ. Non fuit ſapiens otioſus: Si enim vera ſapientia non eſt aliud niſi recollectio & effuſio mentis in Deum, quis meliùs eam exercuit quàm S. Bernardus qui aſcendebat ad Deum per recollectionem cogitationum ſuarum, & deinde per aperturã cordis ſui, effundebat in eum confeſtim amorem ſuũ? & in hoc ſimilis erat Salvatori ſuo, qui *erat pernoctans in oratione Dei* z, & dicebat, *Ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem* a. Verum eſt id quod ait Philoſophia, *Quò altior eſt potentia, eò univerſaliùs reſpicit objectum*. Poteſt quidem Theologus diſcurrere de Deo, Medicus loqui de morbis, & Chirurgus tractare de anatome, ſed quia illoram potentia eſt infirmata hâc mixtione, quæ fit in hoc, artis & naturæ, non poſſunt niſi obſcuram eorum ſibi cõparare notitiam, & ſatis ſunt ſapientes ut de illis adhuc dubitent: ſed S. Bernardus, cujus potẽtiæ erant roboratæ, cognoſcebat omnia, & agebat univerſa. Lumina noſtra ſunt nimis exigua, & notitiæ noſtræ nimis debiles ut ſerviant loco fundamenti veræ ſapientiæ: S. Bernardus ſolus poteſt aſcendere ab humilitate ad gloriam, & tranſire ex abyſſo depreſſionis in abyſſum magnitudinis: omnia peragit univerſaliter in ſolitudine prout Abbas, dirigit Monachos ſuos; quaſi Angelus in Curia cœleſti contemplatur Deum, ibi eſt ut Aulicus inter Seraphinos, & in mundo, prout homo, habetur ut oraculum inter homines. Sic non eſt ſapiens malignus, cùm requiratur ad definiendam veritatem Concilii Stampenſis convocati anno Domini MCXXX. contra Petrum Leonem Romanum, virum ambitioſum, qui pravo artificio uſurpaverat cathedram S. Petri ſub nomine Anacleti, & opponebat ſe Innocentio II. vero & legitimo ſucceſſori ejuſdem S. Petri, & Vicario Jeſu Chriſti; & cùm univerſitas Doctorum & Prælatorum adhæreat opinionibus ejus ut legibus, quibus nemo audeat contradicere, ut recenſet Coriolanus b, *In hac Synodo, authore S. Bernardo, damnatum eſſe Petrum Antipapam, qui ſe Anacletum nominabat; contrà verò approbatam fuiſſe electionem Innocentii canonicè & legitimè ordinati, teſtatur Vincentius*. Uno tandem verbo, S. Bernardus totum erat in vita ſua: habebat enim rationem Tertulliani, audaciam S. Hilarii, magnanimitatem S. Cypriani, ſubtilitatem S. Auguſtini, docilitatem S. Ambroſii, ſtimulos S. Hieronymi, & moralitatem S. Gregorii. Quantam habet ipſe in mundo ſapientiam! Secedit ipſe in ſolitudinem, nedum adhæreat magnatibus mundi, immoratur in ſylvis & in montibus in diſcurrendo de magnitudinibus Dei, & tamen inde revertens, nihil aliud ſcit niſi meditationem Dei, dicens cum Apoſtolo c, *In Chriſto loquimur*. Cùm loquens de Jeſu Chriſto, imitaretur vitam ejus, nedum ſibi vellet ex diſcurſu ſuo vanitatem conciliare, quod fuiſſet quærere guttam aquæ in Oceano, ſciens quòd hauriendæ eſſent aquæ *in gaudio de fontibus Salvatoris* d. Haurite ex aquis iſtis, Auditores: ſed ſicut hæc ſapientia eſt inexhauſta, ſic nunquam exhaurirem diſcurſum de illa habendum.

z Luc. 6. 12
a Jo. 14. 31
b Coriol. Capuc. in Sum. Concil. v. Cõc. Stamp citans Vincent. l. 27. c. 6. & l. 2. in vita S. Bernardi.
c 2. Cor. 2. 17
d Iſai. 12. 3

III. Pars. Sed quia audio tonitrua per totum orbem perſtrepentia, & exeuntia è throno Dei, deferentia ſecum charactêrem ſacrum authoritatis ejus, deferam voces iſtas ad examinandam ſignificationem horum tonitruoſum, quæ non ſunt aliud niſi poteſtas & authoritas, quæ eſt radius Dei, quem ipſe imprimit quibusdam vultibus qui aſpiciuntur ab ipſo ut intelligentes ſupra communitatem aliorum; quæ authoritas majorem præ ſe fert poteſtatem quàm ratio, eloquentiæ, vires, & divitiæ. Arma vi abripiunt, & decreta minis; ſed authoritas ſine vi, & abſque minis abripit omnia, & univerſa perducit ad exitum propoſitum. Ipſa eſt imperiũ quaſi ſine ſceptro, quippe quæ efficit ut homo ore carneo conterat portas ferreas, & corda emolliat adamantina: atqui dico quòd Deus tribuit illam S. Bernardo præ tanta prærogativa, ut effectûs iſtius authoritatis ejus nobis perſuadeant, quòd ipſe deferat ſuper corpus ſuum verum Divinitatis charactêrem. Verum quidem eſt, quòd ſpecioſæ obſerventur prærogativæ in aliquibus Inſtitutoribus Ordinum Regularium. S. Benedictus habebat diſciplinam Regularem; S. Bruno ſolitudinem, S. Dominicus zelum fidei, Seraphicus S. Franciſcus paupertaté, S. Franciſcus de Paula abſtinentiam à carnibus, & S. Ignatius magnanimitatem: ſed S. Bernardus habuit authoritatem, ſed in tanto gradu ut illam ſic nullus unquam habuerit. Eximia authoritas! Videte omnes libros, num ſitis unquam inventuri ſimilem, quòd vir qui erat deriſus mundi, & qui nullum gratius habebat elogium quàm contemptum, tamen præ ſe ferret pacem aut bellum authoritate quam poſſidebat, & cujus ſpecimina dedit in Concilio Senonenſi contra Petrum Abaillardum falſarum & pernicioſarum opinionum ſeminatorem, quem confudit coram multis Doctoribus & Prælatis: & in Concilio Rhemenſi celebrato ab Eugenio III. adversùs Gilbertum Porretanũ Epiſcopum Pictavienſem ſpargentẽ novũ dogma circa myſterium SS. Trinitatis, quẽ coegit ad ſe retractandum ab erroribus, quos divulgaverat; præterquàm quòd eam magnificavit in Concilio Stãpenſi, juxta ea quæ ſuprà jam recenſui: quàm ingentia tonitrua! Authoritas ejus manifeſtatur etiam in miraculis, quæ recenſentur in vita ejus multa, ſed inter cætera in eo, quòd Guilielmum Ducẽ Aquitaniæ, corpore gigantem, & moribus factioſum & corruptum, è leone feroci agnum manſuetũ reddidit.

Hæc ſunt quæ *de throno* Dei procedunt *fulgura, & voces, & tonitrua*, quæ S. Joannes vidit in Apocalypſi ſuâ. Sed ipſe ait in alio loco ejuſdem libri e, ſe audiviſſe velut voces canentium inſtrumentis muſicis, *Et audivi vocem citharœdorum citharizantium in citharis ſuis*. Quæ voces comparari poſſunt miraculis, potẽtiæ & authoritati eorum, quæ fiunt ordinariè manibus: ſi enim ad redeundum ad Deũ neceſſaria ſunt miracula, Auditores; ſi ſolæ voces ſapientiæ, & ſola fulgura ſanctitatis, quæ deberemus imitari ad exemplum S. Bernardi, non ſufficiunt ad hoc ut vos inducant ad deſerendum peccatum, pro comperto tenete, quòd unum è maximis miraculis quæ Deus operari poſſit in favorem veſtrum, eſt ut ita diu veſtra diſſimulet *peccata propter pœnitentiam* f, & ſinat vos vivere ex quo vos declaraſtis inimicos ipſius; nolo vobis allegare tot miracula quæ fiunt jugiter præ oculis veſtris, quæ vobis deſpectui ſunt propter magnũ ipſorum numerum, illud volo tantùm, quod eſt omnium maximum: nam ſi S. Auguſtinus g ſuper hæc verba S. Joannis, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*, dixit juſtificationẽ peccatoris eſſe majorem creatione mundi, *Quæ opera, niſi ut ex impio juſtus fiat? Prorſus majus hoc eſſe di-*

e Apoc. 14. 2
f Sap. 11. 24
g S. Aug. tract. 72. in Jo. 14. 12

dixerim, quàm eſt cælum & terra, & quæcunque cernuntur in cælo & in terra: propter contrariam diſpoſitionem quæ eſt in anima ejus, quod non eſt in creatione, ubi non eſt repugnantia poſitiva & formalis: erit igitur per miraculum, quòd Deus non puniat hunc peccatorem, cùm juſtificatio animæ & remiſſio peccati fiant eodem inſtanti: quòd Deus videat hunc hominem, & ſciat quòd eſt inimicus ſuus, & quòd eum ſuſtineat; quòd cognoſcat odiũ quo ille ipſum proſequitur, & quòd diligat hoc objectum iræ ſuæ; quòd prævideat quòd hic homo eſt mox vomiturus blaſphemiam, aut falſum teſtimonium; & quòd eum adjuvet ad aperiendum os, & provideat ei reſpirationem; quòd videat quòd ille adoret infamem creaturam, & præferat eam Divinitati ſuæ, ſicut aliàs prætulerunt ſibi Judæi *Barabbam* h: quòd ipſe ſit velut in angulo conclavis fœneratoris illius quandiu ille computat nummos ſuos malè acquiſitos, & tamen ipſe nihil dicat; quòd ipſe videat & audiat quàm durè iſtud induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* i ſtrictum excipiat pauperes, qui ab ipſo petunt eleemoſynam in nomine Jeſu Chriſti, quem repræſentant in miſeriâ ſuâ k, & quòd ſuſtineat crudelitates ejus, nedum præcipiat alicui ex Angelis ſuis qui ipſum reverentur, ut hunc hominem immiſericordem exinaniat, & quòd poſt tot relapſus, & tot pravas conſuetudines initas cum diabolo, carne, & peccato hic homo flagitioſus provocare nõ poſſit miſericordiam Dei ad iraſcendum contra ipſum, viderine poteſt tale miraculum? Quòd injuſtitia ipſa, & diabolus qui poſſidet hunc hominem, vivere poſſit in pace cum Deo qui eſt *Sanctus Sanctorum* l, *Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial* m? Hæ harmoniæ ſic extraordinariæ ſunt ut nonniſi manus Dei poſſit illas agere: inſtrumentum igitur muſicum, ſeu cithara, id eſt, crux ipſius facit has jucũdas harmonias peccatorum noſtrorum, quæ ſunt veluti inferius, cùm magnâ miſericordiâ n & paſſione ipſius, quæ eſt quaſi ſuperius iſtius citharæ: numquid non autem cœleſtis hæc harmonia potens erit ut te reddat attentum ſanctæ vocationi, ſi illa fulgurum, & tonitruorum procedentium *de throno* Dei, æquè ac aliarum iſtarum vocum, quæ inde oriuntur, conſonantia tremore te concutiat? Ha! vox iſta eſt tota miraculoſa, & tibi deberet cor diſrumpere, & inducere te ad dicendum Deo, *Domine, audivi auditionem tuam, & timui* o.

h Joan. 18.40
i Job 41. 15
k Matth. 25.45
l Dan. 9. 24
m 2. Cor. 6. 14. & 15
n Pſ. 50.3
o Habac. 3.2

Sed non ſufficit, Auditores, auſcultare omnes iſtas voces fulgurum, tonitruorum, & inſtrumentorum muſicorum, quæ ſunt verbum Dei, miracula ejus, &, ſi vultis etiam, minæ illius expreſſæ tonitruis, non ſatis eſt, inquam, cognoſcere id quod officii eſt, & audire vocem Dei qui vocat nos, oportet ut durities cordis noſtri emolliatur, *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra* p, Sed quomodo emollietur iſtud cor? Mediis aquis. Et hæc eſt illa vox quam audivit etiam S. Joannes q loco citato, *Et audivi vocem de cælo, tanquam vocẽ aquarum multarum.* Sine quâ aliæ voces prorſus eſſent inutiles inſpirationes interiores ſtillare faciunt cœlum aquis iſtis, quæ ſunt firma conſilia, & ſanctæ cogitationes, *Flabit Spiritus ejus, & fluet aquæ* r. Diverſæ gratiæ Dei debent emollire cor iſtud adamantinum, hæc aqua cœleſtis fœcundare debet hunc agrum ſpinoſum & ſterilem, Irrigatio aquæ fluentis eſt quidem utilis horto, ſed illa quæ deſurſum venit è ſuavi pluviâ, ſemper eſt melior, naturalior, & fœcundior: recta educatio, bona exempla, æquè ac ſalutaria monita, & cætera hujuſmodi ſervire quidem poſſunt correctioni morum veſtrorum, ſed præ illis omnibus eſt efficaciſſima gratia Dei *deſurſum deſcendens à Patre luminum* ſ. Hæc eſt, quam Sponſus tanti facit, & quam offert Sponſæ, cùm ait illi, & ſingulis vobis, Dominæ meæ, in perſona illius, *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium* t. Cùm ros noctis melior ſit agris ſemper, eò quòd nullus ſit calor in aëre, qui impediat operationem ipſius: ſic gratiæ, quas anima ſuſcipit, cùm eſt ſemota à caloribus mundi, & recepta in ſanctam ſolitudinem ſignificatam per noctem, ſunt multò efficaciores aliis. Non ambigo, Animæ Religioſæ, quin iſtæ aquæ divinæ effundantur uberiùs in Monaſterium veſtrum, in quod vos recepiſtis à caloribus importunis ſeculi, mediante nocte, quâ fruimini quiete & tranquillitate, immunes ab impedimentis quæ ſunt ordinaria hominibus mundanis ſequentibus ſeculi maximas ut plurimùm innocentiæ contrarias: hæc vox aquarum iſtarum vobis eſt audienda: ſed veſtrum renuere conſenſum non debetis iis quæ procedunt *de throno* Dei, quarum S. Bernardus Pater veſter eſt imago perfecta in ſanctitate ſua, in ſapientiâ ſua, & in poteſtate ſeu authoritate ſua. Fatendum eſt enim quòd authoritas Patriarchæ veſtri, de qua loquebar vobis modò, non poteſt meliùs manifeſtari quàm in Religione ſuâ, quam profitemini, *Emiſſiones tuæ malorum punicorum* u. Miretur malum granatum cum parvis granis ſuis quicunque voluerit, ego nihil æquè miror in verbis iſtis ac directionem S. Spiritus in Ordine S. Bernardi, inſtar parvi grani humilitate, ſed magni charitate, contenti ita diu in Monaſterio Clarevallenſi, ut abundantia granorum quæ exierunt ex ipſo ſimilia ipſi, judicare nos faciat de abundantiâ coronarum ipſius. In principio hæc Religio erat numero exigua, ſed de eâ nunc dici poteſt, *Quæ eſt iſta quæ progreditur ut caſtrorum acies ordinata* x? Puritas apparet in candore veſtis ejus, charitas in actionibus illius, & caſtitas in oculis ipſius. Magne S. Bernarde, Moniales tuæ propalant illius mirabilia, ſatagendo imitari te: ipſæ non ſunt contentæ virtute mediocri, ſed aſpirant ad ſanctitatem tuam, ut ſociari tibi poſſint in gloriâ.

p Pſ. 94. 8
q Apoc. 14.2
r Pſ. 147. 7
ſ Jacob. 1.17
t Cant. 5.2
u Cant. 4.13
x Cant. 6.9

IN OCTAVA ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Fortis eſt ut mors dilectio. Cant. 8.6.

Quàm improba eſt mors, quàm immitis, quàm crudelis, & quàm exiguam præ ſe fert miſericordiam! Videte, ſi placet, quàm dirè exceperit puriſſimam & innocentiſſimam omnium creaturarum poſt Filium ipſius; & in quàm calamitoſum redegerit ſtatum Matrem Dei, quæ poſſidebat innocentiam in ſummâ perfectione, *tota pulchra* a, ut fatetur Sponſus ipſius, & S. Epiphanius b, *Gratia ſancta Virgium eſt innocenſa*. Id eſt, per privilegium, ſicut ipſius Filius eſt *ſanctus* ſan-

a Cant. 4.7
b S. Epiph. ſe m. de Laudib. Deip.

e Dan. 9.24 d 1. Petr. 2.22. ex Iſai. 53.9 *ſanctorum* c per eſſentiam, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* d. Cùm vitam illi eripuerit. Sed hallucinor: hunc ictum immeritò morti imputo, mors illam ſuâ non ſuccidit falce, ſed amor eam in hunc redegit ſtatum, & illi vitam eripuit, *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo* e. (e Cant. 5.8) Quod LXX. vertunt, *Quoniam vulnerata charitatis ego ſum.* Ipſa eſt læſa amore Dilecti ſui, proptereà vocatur ipſa *Mater pulchræ dilectionis* f, (f Eccli. 24.24) ſicut & gratiæ, quâ erat ipſa repleta, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria.* (g Luc. 1.28)

Quæritur in Theologia, num ſanius ſit Deum cognoſcere quàm illum diligere, an cognitio Dei ſit nobis utilior quàm ejus dilectio, num operationes intellectus ſint nobis magis proficuæ, quàm actiones voluntatis. Super quod obſervare debetis differentiam quæ admittitur inter intellectum & voluntatem, quòd intellectus in operationibus & cognitionibus ſuis non exit è ſemetipſo, ſed attrahit ad ſe objecta, quæ ſibi repræſentat: Deus ex altiſſimo throno gloriæ ſuæ, in hac inviolata felicitate quæ ipſum circumcingit, cognoſcit res omnes iſtius mundi inferioris, & illæ repræſentantur omnes in mente ipſius divinâ, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo* h. (h Hebr. 4.13) Voluntas è contrà egreditur è ſemetipsâ ut uniat ſe dilecto ſuo, & ſe transformet in ſubjectum quod ipſa amat, *Dimovet de ſtatu divinus amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait ſanctus Dionyſius i. (i S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4) Et Dionyſius Carthuſianus k, (k Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12.34) *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Hoc fundamento ſuppoſito, dico quòd præſtat Deum diligere, quàm illum cognoſcere, quòd amor nobis eſt utilior quàm notitia, quia per intellectum & per cognitionem non habemus niſi repræſentationem Dei in nobis, ſed per voluntatem & per dilectionem habemus illius realitatem, id eſt, Deum ipſum, *Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, ait ſanctus Joannes l. (l 1. Joan. 4.16) Et ſanctus Auguſtinus m. (m S. Aug. l. 13. Confeſſ. c. 9) *Pondus meum amor meus, eo feror quòcunque feror.* Atqui cùm realitas ſit magis quàm ſimilitudo, evidens eſt quòd præſtat diligere Deum, quàm illum cognoſcere, quòd amor illius nobis eſt utilior quàm notitia ejus nobis poſſit eſſe proficua. Sic Cherubini qui vocantur plenitudo ſcientiæ, ſunt thronus, ſedes, & ſcabellum Dei, *Qui ſedes ſuper Cherubim* n. (n Pſ. 79.2) Sed Seraphini qui ſunt toti ignis, toti accenſi amore, qui ardent igne Deo, non ſiſtunt ibi, ſed alis ſuis ſe elevant ſupra cognitionem iſtam, *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri, & volabant* o alis iſtis. (o Iſai. 6.2) Quod manifeſtè probat quòd amor eſt magis quàm cognitio. Deus autem non tam requirit ut ipſum cognoſcamus, quàm exigit ut ipſum diligamus, & agnoſcamus charitatem perpetuam p (p Jer. 31.3) ſeu æternam quâ ipſe dilexit nos, dilectione reciprocâ, ſicut ipſe nobis præcipit, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* q. (q Matth. 22.37) Et Filius Dei non deſeruit ſinum ſui Patris æterni, nedum tamen illum reliquerit, ut veniret ſuper terram, ſicut ipſe teſtatur, *Exivi à Patre, & veni in mundum* r, (r Jo. 16.28) niſi ut ad nos ferret hunc ignem eâ intentione ut in nobis arderet, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* ſ? (ſ Luc. 12.49) Seu, *Ignem veni mittere in terram, id eſt, ad hoc à ſummo cœlo* t (t ex Pſ. 18.7) *deſcendi, hominibuſque apparui per incarnationis myſterium, ut divini amoris ardorem in cordibus hominum collocarem: & quid volo niſi ut accendatur? hoc eſt accenſus, & Spiritus ſancti motione inflammetur, atque in opus virtuoſum erumpat. Porrò, Cor humanum inſtar terræ per ignorantiam fuit obſcurum, per concupiſcentiam molle, & per malitiam frigidum, ideò eguit igne hoc charitatis inflammata contra frigiditatem, illuminante contra obſcuritatem, conſolidante contra mollitiem. Rectè ergo charitas ignis vocatur, quia per eam peccati labes conſumitur, affectus accenditur, ſpiritus in cœleſtia elevatur* †. († Dion. Carth. art. 34. in Luc. 12.49) Non ait quòd illuminet, ſed quòd accendat, quod proprium eſt amori. Sed quòd amor, cui proprium eſt accendere, ſit æquè validus ac mors, quis illud crederet? quis perſuadere ſibi poſſet quòd vires amoris æquiparari poſſent viribus mortis? cùm mors animam eripiat corpori, quam amor in eo conſtituit; cùm mors indiſcriminatim omnes homines ſuâ falce ſuccidat, nedum intueatur aliquem, & amor nemini noceat; cùm mors velut abſoluta & ſuprema Domina hominum, ideò depingatur cum ſceptro, & cum diademate pleno amaritudine, quod eſt inſigne authoritatis ipſius, amor verò ſit gratus & jucundus. Quænam convenientia, ſi placet, inter hunc & illum? Deſidero tamen vobis oſtendere (Diviſio) Primò, quòd fuit *fortis ut mors dilectio* in B. Virgine, id eſt quod amor fecit id quod mors debebat agere, quòd licentiam tribuit amor morti, & laxavit ei habenas, cùm B. Virgo mortua fuerit amore: Secundò, quòd idem amor univit corpus ipſius animæ ejus, poſtquàm illud ab ea ſeparavit: Tertiò, quia S. Paulus u hortatur nos ut (u Epheſ. 4.15) *veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus*; quòd iſtud incrementum peragere poſſumus per amorem, qui vulnerare nos debet ad inferendam nobis uſque mortem, ſicut illam intulit B. Virgini. Ex hoc eſt quod nobis eſt diſcutiendum in tribus partibus diſcurſus iſtius.

(I. Pars) Effectus non ſuſcipiunt ſimul id omne quod eſt ipſis neceſſarium ad integram ipſorum perfectionem, & hoc propter politiam generalem cauſarum, quæ ſibi complacent in continendis illis intra terminos cujuſdam veluti reverentiæ per hanc dependentiam quæ eos obſtringit ad recurrendum ad ipſas cùm neceſſitas id exegerit, ut recipiant ab eis id quod ipſis deeſt perfectionis: Flos qui elevat ſe ſuper caulem ſuum, ſingulis horis matutinis dehiſcit, ut intueatur cœlum, & petat ab eo id unde poſſit ipſe ſubſiſtere: Hedera quæ noſtras aſcendit domos, & ad excelſa ſe provehit uſque arborum faſtigia, cùm illuc pervenit mediis cognis virgis quas emittit, efflagitat à Deo cuſtodiam ſui, & ut ad ſe mittere dignetur id quod eſt ipſi neceſſarium: Tandem, Tota natura muta & inſenſibilis vacat iſti praxi. Sentibilis natura meliùs iſtud obit officium mediis viis quæ ſunt probationes indigentiæ ipſius, & auxilii quod ipſa petit à Deo, & quòd Deus ipſi indulget, *Qui dat eſcam omni carni* x. (x Pſ. 135.25) Non eſt aliquid quod non appetat habere id quod non habet, cùm omnis appetitus ſupponat vacuiſ, quod debet repleri, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione* y. (y Pſ. 144.16) Sed præ omnibus naturæ rationali ut nobiliſſimæ omnium, ſicut ait Pſalmiſta z, (z Pſ. 8.8 & 9 ex Gen. 1.) Deum alloquens, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris,*

ris, qui perambulant ſemitas maris: non denegabitur id quod ipſi deeſt : hoc deſiderium, quo ipſa ducitur, proficiendi, eſt probatio illius, quod ipſi deficit, & hæc affectio quâ cupit aſcendere uſque ad Deum, & conciliare ſibi aliquo modo Divinitatem, ſatis oſtendit quòd communicare poſſit ei, ad eſt, effici *divinæ naturæ* a *conſors*: (a 2. Petr. 1.4) *Nos verò gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur* b. (b 2. Cor. 3.18) Deus igitur iſtam replere debet naturæ rationalis capacitatem, *Qui replet in bonis deſiderium tuum* c. (c Pſ. 102.5) Et hoc eſt ſignum, quòd anima eſt imago Dei: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* d. (d Gen. 9.6) Cùm imago debeat habere convenientiam cum ſuo prototypo, ut exprimat illius perfectiones tanquam character ejus. Sed præ univerſis animabus invenio quòd deſiderium animæ beatæ Virginis erat adimplendum : nam præterquàm quòd ipſa eminebat perfectione & ſanctitate præ omnibus hominibus & cunctis Angelis, ipſa erat deinde Genitrix Dei : *Sola enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit*, ait illi ſanctus Epiphanius e: (e S. Epiph. ſerm. de Laud. b. Deip.) *naturâ formoſior ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicanda cæleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli tanquam ipſi dumtaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima Virgo ſuperior nata. Deum habitantem in cælis* * *concepit* f (a ex Pſ. 2.4; f ex Luc. 1.28) *in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & verſaretur cum hominibus* †. (a ex Baruch 3.38) *Ipſa enim eſt cæli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit.* Et ſicut amor, quo ipſa diligebat Filium ſuum, erat incomparabilis ; ita deſiderium, quo ipſa ducebatur, uniendæ ſuipſius ei per gloriam, erat immodicum, licèt hæc unio peragenda foret mediâ morte, quam amor iſte eſſet ipſi cauſaturus. Re autem verâ inter omnes amores nullum invenio excellentiorem amore parentum erga liberos ſuos : amor iſte eſt maximus omnium, iſte defert ſceptrum inter univerſos amores alios; omnes aliæ paſſiones cedunt iſti velut Reginæ ſuæ, nec diu ſubſiſtere poſſunt coram eâ in eodem corde : ſtatim enim ac ipſa apparet, omnes aliæ diſſipantur : & ſicut lumina nullum ſplendorem emittunt, cùm Sol ſuam diffundit lucem ; ſic invidia nunquam permanet in corde, ſi reperiat illud amore ductum ; ira quæ commovet ſubjectum quod accendit, mitigatur amore, & cor quod diligit, non eſt iracundum, & ſic de aliis paſſionibus quæ ſubſiſtere non poſſunt cum amore in eodem corde quod eſt ipſius ſubjectum. Obſervate autem, quòd è tribus amoribus, nimirum, commodi, virtutis, & ſanguinis, amor parentum erga liberos ſuos duobus primis eſt violentior, ſtabilior, & diuturnior. Amor commodi tandiu durat, quandiu ſplendet fortuna illius quem amamus, ſi illa ruit, labitur & amor, ſi fortuna non ſit ampliùs, nec ampliùs eſt amor, ſed ſtatim evaneſcit : fundamento deficiente, totum ædificium corruit, cùm amor iſte fulciatur commodo, & intuitu bonorum, ſi bona deſint, confeſtim perit amor, & deficit,

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Amor virtutis, qui deberet eſſe fortior & permanentior, cùm virtutis innitatur cordi ardenti, quod eſt ipſius ſubjectum, eſt ſemper in inconſtantiâ & in incertitudine : hodie enim virtute ſumus inſignio, cras verò ſumus illa deſtituti, cùm illam amittamus ; nec ſtabilis ſit ipſa in nobis, ſicut nec amor qui eſt ipſius ſubjectum. Amor ſanguinis heu quàm fragilis eſt ! Nonne videmus iſtis diebus quibus vivimus, liberos rebelles parentibus ſuis machinari mortem in principio vitæ ſuæ? Non eſt aliquid in mundo intueri præter ingratitudinem. Et inter conjugatos, vera non requiritur infidelitas, ſed vel unica ſuſpicio ſufficit ad hoc ut omnia diſrumpantur fœdera : ita verum eſt, quòd non eſt aliquid fortius amore parentum erga liberos ſuos. Sed obiter obſervate, quòd illis qui ſunt perfectè amantes, nunquam ſatisfit amore reciproco perſonarum quas diligunt, ſed teſtantur ſemper ſe experiri frigus, & ſe non eſſe ſatis contentos. Dalila queritur Sanſoni, quòd ipſam ſatis non diligit, quòd non agnoſcat amorem ſuum amore reciproco, ſed contemnat affectus ſuos, *Dixit ad eum Dalila, Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum* g? (g Iudic. 16.15) Quin imò Dei Filius ter interrogat ſanctum Petrum num ſe diligat verè, *Dicit Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis diligis me plùs his? Dicit ei, Etiam Domine : tu ſcis quia amo te. Dicit ei iterùm, Simon Ioannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine : tu ſcis quia amo te. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me* h? (h Joa. 21. 15. &c) Huic amanti cordium videtur non ſatisfacere amor Apoſtoli ſui, qui erat ardentiſſimus cæterorum, *Qui dixit ei, Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire* i. (i Luc 22. 33) Hoc idem ipſemet Deus exigit à ſancto Auguſtino, *Atque hac de cauſâ flagrans amore, aquè ac cognitione Dei, ſanctus Auguſtinus dicebat*, ait Cornelius k, (k Cornel. in Ezech. 8.3) *Domine, valdè exultat anima mea, dum cogitat quod tu ſis Deus. Verùm ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus, omnino vellem eſſe Auguſtinus, ut tu eſſes Deus.* Et ſtatim hanc ſententiam ſancti Auguſtini ſic explicat Cornelius: *Hac ſententia, ut ſana ſit, ſanè debet intelligi non de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam : ſi enim ſic accipiuntur, abſurdè ſonare videntur. Si enim Deus mutaretur in ſubſtantiam Auguſtini, protinus deſineret eſſe Deus, & inciperet eſſe alia perſona & ſubſtantia, ſcilicet Auguſtini. Vtciſſim, Si Auguſtinus mutaretur in ſubſtantiam Dei, deſineret eſſe Auguſtinus, & inciperet eſſe Deus ; ac conſequenter ipſe à ſeipſo, & à quovis alio ſuper omnia amandus eſſet, illiuſque Eſſe & conſervatio, cujuſvis alterius rei Eſſe, utpote creato & finito præponendum eſſet. Intelligi ergo hæc ſententia debet de mutatione ſtatus in ſtatum, ſive de mutatione conditionum, dotum, & qualitatum, ſalvâ utriuſque naturâ & perſonâ. Quaſi dicat. Si per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus manens in ſubſtantia & perſona Auguſtinus, dotes tamen & excellentias Dei conſequi poſſe, v. g. potentiam, ſapientiam, gloriam & honorem Dei, ita ut ab omnibus haberetur Deus: vtciſſim, ſi vice versâ per impoſſibile fieri poſſet, ut Deus manens in ſua natura, deſcenderet ad ſtatum, abjectionem, & infirmitates Auguſtini, ſi indueret formam & ſpeciem Auguſtini, ut ab omnibus haberetur Auguſtinus : ego dicerem, Domine, eſto tu Deus, ſicut hactenus fuiſti, omnipotens, omniſcius, glorioſus: ego verò ſim Auguſtinus, miſer, abjectus, inglorius, ignorans, infirmus, qui antè fui. Tua enim natura, id eſt, Divinitati debentur iſtæ*

dotes & excellentia ; mea verò natura debetur iſta ſubjectio, infirmitas & miſeria. Tibi ergo quaſi Deo meo opto, & tranſcribo omne bonum tuum, nec mihi illud cupio ſed tibi: tu enim es Deus meus, amor meus, bonum meum, orbiſque univerſi, & omnia.

Quòd cordi hominum paucis ſatisfiat, mirum non eſt; illud eſt limitatum, & res exigua replet il-
2.Cor.7 4 lud: ideò dicebat Apoſtolus l, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Et ſanctus Franciſcus Antiſtes Genevenſis ajebat Deo medias inter ecſtaſes ſuas, *Satis eſt, Domine : contine undas*
m Baruch 3.25 *amoris tui.* Sed cor Dei eſt infinitæ capacitatis, ſicut ipſe *magnus eſt & non habet finem* m. Ipſi non poteſt ſatisfieri niſi amore Mariæ, qui eſt velut
n Ibid. infinitus & immenſus, ſicut Deus ipſemet *eſt im-*
o S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip. *menſus* n. Cùm dicat ſanctus Epiphanius o, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa.* Maria erat miraculum amoris, & ſic excellens erat ut ſuperaret amorem Seraphinorum : ideò aliquantò poſt ſic illam alloquitur, & ſalutat idem ſanctus Epiphanius, *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitum Angelorum in ſtuporem deduxiſti. Ave ſanctiſſima Virgo, quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione, Divinitatis ig-*
p ex Exod. 3.2 *nem portas.* *Si Verbum caro factum eſt* q, ideò
q Jo 1.14 ut repararet caſus Angelorum apoſtatarum r, &
r Iſai.14. 12.&c Protoplaſti generis humani in paradiſo terreſtri ſ,
ſ Gen. 3.6 ad replendum hoc vacuum in cœlo. Primæ primi Seraphini fuerant extinctæ, æquè ac pulchritudo ejus obſcurata, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decôre. In deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Et elevatum eſt cor tuum in decôre tuo : perdidiſti ſa-*
t Ezech. 28.12.&c *pientiam tuam in decôre tuo, in terram projeci te* t.
B. Virgo ſuſcepit omnes illas flammas, non ardebat ipſa niſi igne divini Amoris erga Filium ſuum melius quàm Seraphini. Quòd ſi illi, quos vidit Iſai-
u Iſai.6.1. & 2 as u, *Seraphim ſtabant: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: & volabant:* ſi, inquam, *ſtabant*, quod oſtendit contemplationem beatorum iſtorum ſpirituum abſorptorum in Deum præ conſideratione magnitudinum ejus: *& volabant*, id eſt, erant deinde in motu: B. Virgo erat Seraphim habens ſex alas, *Sta-*
x Eccleſia ex Joan 19.25 *bat juxta crucem Ieſu, Mater ejus* x. Id eſt, per contemplationem, & per compaſſionem amoroſam, quâ afficiebatur ipſa erga Filium ſuum morientem: præterea, ipſa volabat, nimirum, conatus omnes ſuos adhibebat ut ſublevaret agones ejus: Stabat in contemplatione, in unione, in uniformitate, in conformitate, & deformitate ſacri Filii ſui, & volabat. Ha quis videre potuiſſet id quod peragebatur in iſto corde, motus iſtius pectoris amore accenſi! Stabat affecta cogitationibus doloris & compaſſionis : & volabat, in eo quòd cor ipſius tantos ſuſtinebat cruciatus ut mirum ſit quòd ipſa non mortua ſit cum Filio ſuo, qui cuſtodivit ipſi vitam ſpeciali miraculo divinæ ſuæ providentiæ. Amor iſte tandem ei mortem infert. Amor eſt ita violentus ut mortem inferat, *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis Dilectum, ut nun-*
y Cant. 5.8 *cietis ei, quia amore langueo* y. Seu, *Quoniam*
z LXX in Cant. 5.8 *vulnerata charitatis ego ſum* z. Quòd ſi major amor operatur effectum majorem, quodnam cauſare non debet incendium in ſpiritibus beatis, qui mediâ viſione beatificâ habent majorem ardorem & ingentiorem vim ad ipſum ſuſtinendum,
a Pſ.35.10 fortificati *lumine* a gloriæ, quod ipſos elevat ad meliùs videndum, & ad potentiùs diligendum? Quænam flammæ Seraphinorum! Sed beata Virgo quæ habuit plus ſanctitatis & meriti quàm omnes Sancti, & Seraphini, ipſo inſtanti quo ipſa conſenſum præbuit Angelo, dicens ei, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* b: & Dei mater effecta eſt, quomodo b Luc 1.38
tunc amore mortua non eſt? Illud ſanè fuit miraculum, ſicut profectò miraculum fuit, cùm Filius ipſius *Ieſus transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol* c. *Anima autem Chriſti*, ſubdit c Matth. 17.1.&2
Dionyſius Carthuſianus d, *in primo inſtanto ſuæ* d Dion. Carthuſ. art. 30. in Mat. 17.2
creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex divina diſpenſationis moderamine retracta atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata, aliquando tamen permiſſa, ſcilicet in transfiguratione. Miraculum fuit continuum, quòd gloria animæ Chriſti non communicaretur corpori ipſius, ſed cum fuit illi communicata, tunc fuit ceſſatio miraculi: ſic fuit ceſſatio miraculi, cùm beata Virgo mortua eſt: debebat enim mori ipſo divinæ ſuæ maternitatis inſtanti propter ingentem amorem: quòd tunc mortua non fuerit, miraculum eſt; quòd nunc moriatur, eſt ceſſatio miraculi: ſi enim Sancti rapti ſunt amore, ſi amor cauſat ecſtaſim, *Dimovet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius e: & Dionyſius Carthu- e S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4
ſianus f, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat*: & ante illos S. Paulus g, f Dion. Carthuſ. art. 3 [illegible] 12.34
Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Si g Galat. 2.20
tunc ſpiritus elevat ſe ut uniat ſe Deo, & relinquit corpus ſuum ſine uſu potentiarum ſuarum; quantò potiori ratione B. Virgo magis fuit rapta, quippe quæ amantior? & inde ecſtaſis. Si autem ipſa moritur, ideò quia amor permittit morti ut ipſam impetat : nullam enim mors habebat poteſtatem in Mariam, ſicut nihil poterat adversùs Filium ejus, h 1.Petr. 2.22.ex Iſai. 53 9
qui peccatum non fecit h. *Et per peccatum mors* i. i Rom. 5.12
Ipſa nunquam peccavit originaliter, nec actualiter, ſicut ait illi Sponſus ſuus, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* k. Non debebat igitur i- k Cant.4.7
pſa mori, niſi fortè amore, qui conſumebat ipſam flammis ſuis. Mors, quæ ſic eſt horribilis, ut generoſiſſimi quique illam formident, eſt effectus peccati, *Circumdederũt me dolores mortis*, ajebat David l, l Pſ. 17.5
loquens de horroribus ejus. *Et tremens dixit Agag, Siccine ſeparat amara mors* m? Sic eſt ipſa corona- m 1.Reg. 15.32
ta diademate abſinthii, quod eſt ſignum amaritudinis ipſius : ſed Maria non debebat iſtas amaritudines experiri, quia nunquam peccavit: nullas patitur ex amaritudinibus illius : moritur ergo amore, ipſa non reſiſtit, ſicut reſiſtunt hoſtes: Rex infert vim rebellibus, ſicut hæreticis, qui ipſi portas claudunt; ſed fideles ſubditi offerunt ipſi claves, ſic ſe gerunt dolores adversùs cæteros homines: ſed B. beata Virgo moritur alacriter abſque ullo dolore, & ſine ulla reſiſtentia. Dicitur de Moyſe, *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini, jubente Domino* n. n Deut. 34.5
O felix mors! Beata Virgo Maria Mater Dei laxat habenas morti per amorem, & dilectione moritur.

Cùm igitur amor iſtud præluſerit, ad ipſum 1. Pars.
ſpectat, ipſumque decet ponere tyrocinium, & operi ſuo colophonem imponere. In natura illud eſt ordinarium, quòd oporteat ut idem qui primam manum applicuit alicui operi, eidem applicet & ultimam, & extremum tribuat illi complementum: amor eduxit animam è corpore B. Virginis : oportet ut idem amor illud reuniat animæ : ipſe enim eſt opifex qui formavit illius

ideati,

ideam; & concepit ejus imaginem, nec alius, niſi ipſe, poterit opus iſtud eximium reficere. Quare putaretis quòd potiùs *miſit Deus Filium ſuum in mundum* o, [o Jo. 3, 17.] quàm Spiritum ſanctum? Ratio iſtius eſt, quia Pater æternus creans mundum potentiâ ſuâ, fecit illum ſuo Verbo, quod eſt ipſius idea, *Omnia per ipſum facta ſunt* p. [p Joa. 1, 3] Vult igitur reparare mundum; oportet ut illum eâdem ideâ reficiat: corpus B. Virginis reuniri debebat animæ ipſius, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* q. [q Pſ. 15, 10] Quæ verba licèt ad literam dicantur de Chriſti corpore, corpori tamen Matris ejus applicantur appoſitè, quia, ut ait Arnoldus Carnotenſis r, [r Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.] *Una eſt Maria & Chriſti caro.* Amor cauſavit diſſolutionem iſtarum duarum partium: oportet igitur ut illas effectivè reuniat. Sic eſt, Auditores: oportebat ut amor hanc reunionem perageret, quia alioquin Mater Dei non fuiſſet in cœlo, anima ſola non eſt Mater Dei, hæc anima erat in cœlo, ſed Dei Genitrix non erat ibi: homo enim conſtat ex corpore & anima, & cùm anima ex ipſo exivit, non eſt ipſe ampliùs homo niſi æquivocè. Prætereà, Anima ſola non fecit Matrem Dei, ipſa quidem conſenſum præbuit, cùm Angelo reſpondit Maria, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* ſ. [ſ Luc. 1, 38] Sed corpus ſubminiſtravit materiam concinnando corpori Filii Dei conſonam: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* t. [t Matth. 1, 20.] Ideò Mater Dei nòn erat in cœlo, & Jeſus Chriſtus nullam habebat Matrem: ſicut enim cùm Jeſus Chriſtus erat ſuffixus cruci, & anima ipſius erat in limbo, non erat homo, quia homo conſtat ex anima & corpore: ſic dicendum de anima B. Virginis, quæ non erat Mater Dei. Niſi amor opus iſtud refeciſſet, crudelis fuiſſet, quippe qui inflixiſſet ictum, nedum tamen ei curando remedium opportunum applicuiſſet: atqui amor eſt è natura ignis, qui ſeparat, & unit: videte in fornace quomodo ignis ſeparet paleas, & uniat metalla: ſic à B. Virgine ſeparavit amor id omne quod erat mortale, & univit in ea totum, quod erat deiforme, ſicut S. Paulus u dicit, [u Phil. 3, 20, & 21.] quòd *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.* Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus x, [x Dion. Carth. art. 3, in Phil. 3, 21.] *Qui reformabit, id eſt, ad priſtinam formam reducet, ac ſuſcitabit in die judicii, corpus humilitatis noſtræ, id eſt, corpus iſtud paſſibile, in quo dejectionem tribulationemque patimur, quod etiam nobis occaſio eſt ad humiliandum noſipſos, penſantes quòd pulvis ſumus* y. [y ex Gen. 3, 19] *Sic autem reformabit illud, quòd erit configuratum corpori claritatis ſuæ, id eſt, ſimile erit corpori Chriſti glorificato. In tali etenim corpore Sancti reſurgent. Sic igitur faciet Chriſtus, ſecundùm operationem, id eſt, virtutem operativam, quâ poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia, id eſt, de ſingulis ordinare & facere quod ſibi placuerit, hoc eſt ſecundùm Divinam potentiam, per quam reformatio iſta complebitur. Subeſt enim Deo, cùm voluerit poſſe* ut dicit Sapiens z. [z ex Sap. 12, 18.] Si anima B. Virginis ſuſcepta fuiſſet in cœlum ſine corpore ipſius, ſecutum fuiſſet inde propter inclinationem naturalem quam ipſa habet ad corpus ſuum, quòd ipſa fuiſſet dilata in perfectione beatitudinis, & non fuiſſet omnino contenta quantùm ad deſiderium ſuum, quod in hoc erat ſitum ut videret ſe glorificari ſimul cum corpore ſuo; & conſequenter habuiſſet ipſa beatitudinem minùs perfectam quàm habeant Angeli, contra id quod concinit Eccleſia, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna.* Corruptio hominis, ejusque reverſio *in pulverem* a, [a Gen. 3, 19.] eſt propter prævaricationem: B. Virgo nunquam prævaricata eſt, ſed ſemper perfectè obediens fuit Divinæ voluntati, ita ut ſanctitate ſuâ perculerit ipſos Angelos, eosque induxerit ad dicendum, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens pulchra ut Luna, electa ut Sol terribilis ut caſtrorum acies ordinata* b? [b Cant. 6, 9.] Ipſa fuit *ab æterno ordinata* c [c Prov. 8, 23.] ad hoc ut eſſet *tabernaculum Dei cum hominibus* d. [d Apoc. 21, 3.] *Surge Domine in requiem tuam tu & arca ſanctificationis tuæ* e. [e Pſ. 131, 8] Ideò non debebat ipſa eſſe præda mortis, ſeu corruptionis; nec mors ad ipſam debebat accedere, niſi ex conſenſu amoris ipſius.

[III. Pars.] Hortatur nos Apoſtolus f, [f Epheſ. 4, 15.] ut *veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* Oportet enim ut pars habeat convenientiam cum toto ſuo, & membra creſcant proportionabiliter ad caput ſuum, ne deformia ſint. Eccleſia ſancta eſt corpus, cujus Jeſus Chriſtus eſt Caput: oportet igitur ut fideles, qui ſunt partes iſtius corporis, creſcant ſemper in eo in charitate in omnibus, ut aſſimilentur Capiti ſuo, *Quia membra ſumus corporis ejus* g. [g Epheſ. 5, 30.] *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* h. [h Col. 1, 18] Dignitas corporis & partium ejus ſumitur ex excellentia capitis, ex anima quæ illud animat, & ex cibo qui ipſum alit. Caput iſtius corporis eſt Deus, anima ejus eſt Deus, & alimentum ipſius eſt Deus. Caput eſt Jeſus Chriſtus qui eſt Deus: Anima quæ ipſum animat, eſt Spiritus S. quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* i. [i 2. Petr. 1, 21.] Et cibus eſt Deus, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei* k. [k Matt. 4, 4. ex Deut. 8, 3] Cùm corpus iſtud myſticum non vivat niſi vitâ Dei, creſcere nō debemus niſi charitate, quæ vulnerare nos debet uſque ad inferendam nobis mortem, ſicut intulit illam B. Virgini dicenti, *Quoniam vulnerata charitate ego ſum* i. [i Cant. 2, 5 juxta LXX.] Ut autem loquamur de iſto amore, in quo creſcere debemus, oportet ut illum quæramus in origine ipſius, qui eſt Deus: ipſe enim eſt prima *Veritas* k [k Jo. 14, 6] per intellectum ſuum, & eſſentialis *Charitas* l [l 1. Joan. 4, 16.] per voluntatem ſuam: cùm omne quod eſt in Deo, ſit ipſemet Deus, amor in eo eſt, cùm ipſe nos dilexerit *in charitate perpetua* m. [m Jer. 31, 3] Duo nobis tribuit Deus munera, unum inviſibile, alterum verò viſibile. Donum inviſibile, eſt amor ipſius, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* n. [n Rom. 5, 5.] Donum verò viſibile, eſt mundus iſte cum omni eo quod in ipſo reperitur, juxta quod David o ait Deo de homine, [o Pſ. 8, 8, &c.] *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, &c.* Hæc univerſa præbuit nobis Deus, ut illis uteremur: ſed amor ipſius non ſiſtit ibi, non eſt contentus niſi infligat vulnera, pergit in cœlum uſque, ibi percutit ſinum Patris æterni, Filium ejus, vitam ejus, Spiritum ejus, & inde educit hunc Filium illius, qui exiit *à Patre, & in mundum* p [p Jo. 16, 28] venit, fit ibi *caro* q, [q Joa. 1, 14] & moritur in cruce, eum nimirum amor vitam abripit, ut oſtendat quòd ſit verus *Pater* r [r Iſa. 9, 6.] noſter, qui dat nobis *vitam, & abundantiùs* ſ [ſ Jo. 10, 10.] propriâ morte ſuâ. Dicunt Philoſophi, quòd ad hoc ut quis ſit Pater, debet intervenire ſimilitudo: Juriſperiti autem contendunt, quòd iſtud non ſufficiat, ſed quòd ad hoc requiratur etiam dependentia; nimirum, quòd exigatur ſubjectio ex parte liberorum, imperium verò ex parte parentum: ſimilitudo ergo & dependentia aut ſubjectio requiruntur ad conciliandos Philoſophos & Juriſperitos: atqui incarnatio tribuit iſtud omne Deo ut eſſet juſtè *Pater* noſter, & haberet hoc nomen, ſicut habebat illius effectus, & quod habere non poterat ante incarna-

tionem. Filius enim Dei habebat quidem ſimili-
tudinem Patris ſui, *In ſimilitudinem naturæ*, ut in-
quiunt Philoſophi. *Qui eſt imago Dei inviſibilis*, ut
o Col.1,15 ait S. Paulus *t*. Sed non habebat dependentiam,
quia habens eſſe ab illo, penitus ei at illi æqualis,
*Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo,
Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres u-*
u 1,Jo.5,7 *num ſunt u*. Creatura muta, æquè ac ſenſibilis,
habebat quidem dependentiam à Deo, ſed non
habebat illius imaginem, cùm tantùm eſſet illius
veſtigium: creatura rationalis facta quidem fue-
u Gen.1, 27. rat *ad imaginem & ſimilitudinem x Dei: ad ima-*
y Gen.9,6 *ginem quippe Dei factus eſt homo y*. Sed hæc ab ho-
z Thren.4, 8. mine per peccatum *denigrata eſt ſuper carbones fa-
cies z*, quam ſuſceperat: excuſſit homo *jugum o-*
bedientiæ Domino ſuo præſtandæ, dicens, *Non*
a Jer.2,20 *ſerviam a*. Ut igitur nomen Patris daretur Deo,
ſicut habebat illius effectum, neceſſaria fuit incar-
natio. Incarnatio fecit Deum hominem, & ho-
minem Deum dependentem à Deo, & obedien-
tem in omnibus voluntati ipſius, *Tunc dixi, Ecce
venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, Ut facerem*
b Pſ.39,8. & 9. *voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam
in medio cordis mei* b. Et, *Factus obediens uſque ad*
c Phil.2,8 *mortem* c. Et, *Vade & vita quoque ipſe Salvator
prætulit hanc virtutem, eligens magis animam po-*
d S.Bern. in Declamat. in princ. *nere, quàm obedientiam non implere*, ait S. Bernar-
dus *d*. Habet ſimilitudinem prout Deus, & de-
pendentiam prout homo: eſt igitur Pater noſter,
& omnes creaturæ rationales unitæ ei, deferunt i-
pſius ſimilitudinem cum dependentiâ; & homo
reparatus fuit in primâ ſuâ imagine, & interventu
gratiæ redditus obediens ſummo Domino ſuo,
cùm natura humana ſublevata fuerit à caſibus ſuis:
& ſic Deus effectus eſt Pater per incarnationem,
quod non erat anteà. Et cùm oporteat ut pater
dans eſſe, det benè eſſe; dat ipſe nobis hæredita-
e Rom.8, 17. tem gloriæ, *Si autem filii & hæredes* e. Exivimus
ab illo per creationem, peragendus nobis eſt cir-
culus per *gratiam*, & redeundum eſt nobis ad e-
f Pſ.83,12. um per *gloriam* f. Vult nobis dare benè eſſe, &
quia non poſſumus ipſum poſſidere in hoc mun-
do, cùm conſiſtat in gloria ipſius: nos omnes vult
g 1,Tim.2, 4. ſalvare, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri* g. Quia
cùm ſit bonus Pater, habet omnes qualitates, & u-
niverſa munia Patris: cùm dederit nobis eſſe, da-
re nobis vult benè eſſe, propterea nos conſtituit in
via, in qua noſtram peragere poſſimus ſalutem, &
pervenire ad beatum terminum felicitatis, propter
quam nobis ipſe vitam tribuit.

Super quod petitur, Si ita ſe res habet, & ſi
Deus ſcientiâ ſuâ infinitâ, novit *omnia antequàm*
h Dan.13, 42. *fiant* h, quare non poſuit Judam in alio exerci-
tio, v. gr. armorum, in quo fortè ſuam operatus
eſſet ſalutem, potiùs quàm in Apoſtolatu *i*, ubi
i Luc.6, 13, & 16. ſuam molitus eſt ruinam k? Si iſtud ſciebat, qua-
k Matt.26, 14. &c. & 27,3, &c. re illum alteri officio non applicabat? Si enim
veniret ad vos Angelus de cœlo, & diceret vobis,
Si applicetis filium veſtrum tali exercitio, flagitio-
ſus erit & nequam, & pravum ſortietur finem; e-
contrà ſi illum literis imbuendum ſatagatis, ſucce-
dent ei ſtudia ipſius in aliquid proficuum; nonne
veſtros conatus adhiberetis ut ille ſtudiis incum-
beret? Sed quid? diligitne nos minùs Deus,
quam vos ametis liberos veſtros? Nonne ipſe di-
xit, nos alloquens ſub figurâ Sion? *Nunquid obli-
viſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur
filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non*
l Iſa.49,15 *obliviſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te* l.
Conſtituit nos in ſtatu, in quo noſtram poſſumus
operari ſalutem, & in quo tribuit nobis gratias ei-
dem peragendæ conſonas: ſed unde fit ut Judas
damnationem ſuam incurrat? Ruina illius non
eſt attribuenda Deo: Sol illuminat hîc, non autem
in cubiculo illorum qui dormiunt: & ratio iſtius
eſt, quia hîc feneſtræ ſunt apertæ, ibi verò ſunt
clauſæ: huc ingreditur Sol, illuc autem non poteſt
intrare, quia illic obſtacula reperit: Deus eſt *Sol ju-
ſtitiæ* m, *Lux vera quæ illuminat omnem hominem* m Mal.4,2
venientem in hunc mundum n: ſi claudamus fene- n Joa.1,9
ſtras cordis noſtri, ſi *rebelles lumini* o ſimus, ſi in- o Job 24, 13.
duretur noſtrum *cor tanquam lapis, & quaſi mal-
leatoris incus* p ſtringatur, jacturam noſtram incur- p Job 41, 15.
rimus, quia volumus, & hoc non eſt attribuendum
Deo, qui ſuas nobis offert gratias, & amorem ſu- q Prov.1, 24. &c.
um q, in cujus igne per nos ſtat ut redigamus in ci-
neres omnia peccata noſtra.

Ubi obſervate, ſi placet, triplex genus peccati,
fragilitatis, ignorantiæ, & malitiæ. Peccatum fra-
gilitatis, adverſatur potentiæ Patris, cùm potentia
r attribuatur Patri. Peccatum ignorantiæ, offen- r Luc.1,51
dit Filium, cui appropriatur Sapientia, cùm ſit *Sa-* ſ Sap.7,24
pientia ſ Patris. Peccatum verò malitiæ, inſurgit
in Spiritum S. cui propria eſt bonitas *t*, cùm ſit A- t Sap.12,1
mor perſonalis *u*. Atqui Evangelium x dicit: *Qui-* u Jo.15, 26.
cumq; dixerit verbum contra Filium hominis, remit- x Matt.12, 32.
*tetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non
remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro*. Id
eſt, nonniſi difficillimè: ſed *quæ impoſſibilia ſunt a-
pud homines, poſſibilia ſunt apud Deum* y. V. gr. y Luc.18, 27.
Facilius eſt camelū per foramen acus tranſire, quàm z Luc.18, 25.
divitem intrare in Regnum Dei z. Eſto quòd pec-
catum noſtrum ſit peccatum malitiæ contra boni-
tatem Spiritûs S. Deus non deſiſtit propterea ſuas
nobis offerre gratias, præſertim à tempore Incar-
nationis ſuæ, quo natura noſtra ſic fuit elevata per
unionem hypoſtaticam: ſufficit tantùm ut illis u-
tamur ad delenda peccata noſtra, *Quia & Chriſtus
paſſus eſt pro nobis* a. Sed amor ipſius ulteriùs pro- a 1,Petr.2, 21.
greditur: videbatur debere faſtidio duci, & nos
odiſſe, & punire tanquàm reos? ſed econtrà mittit
ad nos *Spiritum* b ſuum. Iſtis non eſt contentus, b Jo.15,26
ampliora nobis etiam promittit, non videtur ipſi
ſufficere, quòd dederit nobis corpus & ſanguinem
Filii ſui d unà cum anima & Divinitate ipſius, ſed d 1,Cor.11, 24. & 25.
pollicetur etiam nobis poſſeſſionem ſuî in gloriâ e.
Quid poſſet amor dare magis? Si enim Pater eſt e 1,Jo.3,2
Sol f, Jeſus Chriſtus eſt *ſplendor* g illius: ſi ſubſtan- f Mal.4,2.
tia eſt, Salvator eſt *figura ſubſtantiæ ejus* h: ſi *boni-* g Heb.1.3 h Ibid.
tas † eſt, iſte Filius *eſt imago bonitatis illius* i. Quo- † 4,Eſdr.8, 36.
modo igitur anima noſtra non creſceret? Quare i Sap.7, 26.
non daremus ei amorem noſtrum, cor noſtrum,
voluntatem noſtram pro iſto primo dono, quod
ipſe nobis tribuit? Cùm ipſe det nobis amorem
ſuum, ut quid non retribuemus ei omnia quæ pe-
nes nos ſunt, nedum ſiſtat amor noſter donec nos
vulneraverit, & mortem nobis intulerit, ſicut a-
mor B. Virgini necem contulit? Hæc non ſunt vul-
nera inflicta à ſagittis mortis, iſti non ſunt ictus i-
ſtius numinis, quæ neminem metuetur, nec perſonas
accipit, ſed indiſcriminatim falce ſuâ quaslibet ſuc-
cîdit: nolite eam conſiderare ſub hoc ſtatu, & ſub
hac qualitate, ſed perpendite quòd ſunt ictus infli-
cti ab amore, qui ſemper magis ac magis crevit.
Viſi ſunt ab Iſaia *Seraphim: ſex alæ uni, & ſex alæ
alteri. duabus velabant faciem ejus, & duabus vela-
bant pedes ejus* id eſt, Dei, *& duabus volabant* k. Et- k Iſa.6,1. & 2.
iamſi ſancti eſſemus, deberemus ſemper alas mo-
vere, ſemper progredi, creſcere jugiter in charitate.
Sed fortè loquor hominibus amore deſtitutis:
quomodo autem creſceretis in re quam non habe-
tis? Errorem deponite, & excuſationem, Audito-

ret; amor nullam recipit diſpenſationem: diligite Deum qui eſt objectum amabiliſſimum omnium: diligite eum uſque ad moriendum more Mariæ, ut tum illa ſic perveniatis ad gloriam.

Si concio habeatur coram perſonis Religioſis, ſubdi poterunt ſequentia.

Animæ Religioſæ, maximâ perfundor conſolatione, cùm ſciam quòd dederitis cor veſtrum pro primo dono, quod Deus vobis tribuit, præbens vobis amorem ſuum; & pro ſecundo mundum, relinquentes *omnia*, *&* Salvatorem veſtrum ſecutæ ſitis *l* in voluntaria paupertate, in integerrima caſtitate, & in perfectiſſima obedientia, edoctæ in ſchola ipſius, quòd *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum* m. Parvuli ſemper creſcunt, dormiendo, comedendo: ſic & vos creſcere ſemper debetis in amore; quemadmodum vobis, æquè ac nobis conſulit Apoſtolus n, *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* Jeſus Chriſtus eſt Caput noſtrum, nos autem ſumus membra ejus: oportet ergo ut partes hujus corporis adſequantur Capiti quod ipſis *gratiam & gloriam dabit* o.

[l Matt. 19, 27, &c. — m Matt. 18, 3. — n Ephe. 4, 15. — o Pſ. 83, 12.]

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit) Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iſcarioten, qui fuit proditor. Luc. 6. 13. &c.

Mihi videor intueri hodiernâ die folium arboris, quod exiccatum ardoribus immodicis æſtatis, quæ eſt tempeſtas, quâ nunc vivimus, facilè abripitur vento violento qui flat: vel lupum, qui, ut obſervant rerum naturalium Indagatores, iturus ad fontem remotum ut ibi bibat, hoc viget inſtinctu, ut aſcendat ſuper cervum ad hunc effectum: vel umbram, ſi velitis, quæ ſequitur corpus interventu luminis, & id quod non videbatur eſſe niſi obſcuritas tenebroſa, per adventum luminis iſtius ſumit novam figuram congruentem dimenſionibus corporis, facit geſtus & actiones, & ſumit motus non ſecus ac corpus. Sumite quodlibet ex iſtis volueritis: nam id quod eſt folium arboris aridum, ſunt ipſi viri, de quibus loquitur hodie Evangelium noſtrum; folium ſiccum, deſtitutum humore pietatis ob ardores immoderatos multorum defectuum, quod tamen abripitur vento potentis vocationis, *in ſpiritu vehementi* a. Job b ipſum ſic vocat, dicens Deo; *Contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam.* Et, *Vocavit diſcipulos ſuos, quos & Apoſtolos nominavit.* Alii erant dediti piſcatui: *Ambulans autem Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum* c. Alii alligati commercio, ut Matthæus, qui erat more lupi rapacis, qui devorabat populum injuſtis exactionibus ſuis, *Benjamin lupus rapax* d. Qui ut iret bibitum *ad fontem vivum* e, id eſt, gratiam Dei valdè diſtantem ab ipſo, adhæret Filio Dei, qui eſt *Cervus emiſſus*, *dans eloquia pulchritudinis* f. Nam, ut ait Cornelius g, *Allegoricè, Nephtali eſt Chriſtus, qui quaſi cervus exiliens in virtute Spiritus* h, *juxta Genezareth, qui lacus eſt in Nephtali, alacriter & celeriter perrupit caſtra diaboli; putà Phariſæorum & Iudæorum, infidelium, & impiorum, deditque eloquia pulchritudinis, dicens in ſuo Evangelio* i, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum, &c. ubique collegit Apoſtolos, qui hæc eloquia Evangelii pulcherrima toto orbe prædicarunt* k, *tuncque impletum eſt illud Sponſæ de Chriſto: Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis eſt Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum* l. *Ita ſanctus Hieronymus, Procopius, & Ambroſius.* Qui ait Matthæo ut ſequatur ipſum: Matthæus autem arripiens cornua iſtius cervi, quæ non ſunt aliud niſi crux, *Cornua in manibus ejus: ibi abſcondita eſt fortitudo ejus* m: & abnegato ſuîipſius, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* n: velociter ivit ad iſtum fontem gratiæ: *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum* o. Tandem, ſanctus BARTHOLOMÆUS erat velut umbra, ſed umbra, quæ nullam habebat figuram, donec corpus adorabile JESU Chriſti tranſiviſſet ante ipſum, *Splendor ejus ut lux erit*, prædixit Habacuc p, & ipſum illuſtraſſet luce Spiritus ſancti, cujus beneficio hæc umbra cepit novam figuram, fecit geſtus & actiones conformes huic corpori, ſequens ipſum circumquaque, dans conſenſum ſuum verbo JESU Chriſti, ſicut ſuum verbo Angeli præbuit B. Virgo, *Dixit autem Maria, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* q, poſt hæc verba, *Ave Maria.*

Dei Filius, qui vocat homines ad obſequium ſuum, ut eos ad iſtud animet, ait quòd in domo Patris ſui multa ſunt habitacula, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* r. Et quòd iſta domus ſic ritè eſt ædificata, ut in ea totus inhabitare poſſit mundus, *O Iſraël quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* dixit Baruch ſ. Sufficiebat JESU Chriſto, ut à ſervitute diaboli nos liberaſſet effuſione ſanguinis ſui, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* t. Et ſi oportebat ut educeret ipſe ex actionibus ſuis miraculoſis & ſplendentibus aliquam ſpeciem gloriæ, ipſe debebat

[a Pſ. 47, 8. — b Job 13, 25. — c Matth. 4, 18, &c. — d Gen. 49, 27. — e Pſ. 41, 3. — f Gen. 49, 21. — g Corn. in Gen. 49, 21. — h ex Luc. 4, 14. — i Matth. 5, 3, &c. — k ex Pſ. 18, 5, & ex Rom. 10, 18. — l Cant. 2, 8 & 9. — m Habac. 3, 4. — n Matth. 16, 24. — o Matth. 9, 9. — p Hab. 3, 4. — q Luc. 1, 38. — r Jo. 14, 2. — ſ Baruch 3, 24. — t Gal. 4, 31.]

u Joan. 16, 28. *x Heb. 1, 2.*

bat eam totam recipere, & redire *ad Patrem* u ſuum, qui ipſum expectabat, ut legitimum Filium ſuum, *quem conſtituit hæredem univerſorum* x. Sed ipſe qui nunquam largitur ſtrobres, niſi integros,

y Deut. 32, 4.

Dei perfecta ſunt opera y, non ſolum contentus fuit educere nos ex inferni carcere, ſed collocare nos voluit in domo ſua, & communicare nobis hæreditatem Patris ſui, ut filiis ipſius adoptivis: *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti: ſi*

z Rom. 8, 16, & 17.

tamen compatimur, ut & conglorificemur z. Et ſic aſſignavit nobis tot loca quot neceſſaria ſunt ſic ingenti numero perſonarum. Quod nobis repræſentatur in perſonâ Apoſtolorum ipſius, qui figurant omnes fideles, quos Dei Filius vocat omnes ad gratiam ſuam, & ad gloriam ſuam, *Vocavit, & elegit.* Sed id quod eſt excellens, eſt; quòd in hoc magno numero nulla eſt confuſio: unuſquiſque ſcit ibi locum ſuum, & ordinem quem debet ibi tenere. Nam ſicut in iſto mundo gratia & merita uniuſcujuſque ſunt differentia; ſic gloria & merces Beatorum erit differens in altero.

Propoſitio

Iſtud eſt igitur quod propoſui vobis oſtendere in progreſſu diſcurſus iſtius, Quòd gloria & merces Sanctorum non erit æqualis, ſed conformis ipſorum meritis.

a Matt. 20, 8, &c.

Non me latet, Auditores, quòd in Evangelio a promittitur idem denarius ſeu eadem merces omnibus illis, qui laboraverunt in vinea, *Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos. Videlicet, vitam æternam, de qua Salvator in Apocalypſi* b *profitetur.*

b Apoc. 22, 12.

Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt. Hæc merces eſt clara viſio Divinitatis Chriſti, prout apud Ioannem c *ipſe ait, Qui diligit me, manifeſtabo ei*

c Jo. 14, 21.

meipſum. Unde Pater ait in Pſalmo d, *Oſtendam*

d Pſ. 90, 16.

illi ſalutare meum, id eſt, Chriſtum, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e. Qui paulò antè ſuper hæc verba ejuſdem Evangelii præcedentia, *Conventione*

e Dion. Carth. art. 34, in Matt. 20, 2, & 2.

autem factâ cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam, dicit, *Conventione autem factâ, id eſt, promiſſione completâ, ſeu pacto inito cum operariis jam præfatis, ex denario diurno, id eſt, de felicitate æterna eis pro ſuo labore reddenda. Conventio itaque hæc eſt vitæ æternæ promiſſio, de qua per*

f ex Jer. 31, 16.

Ieremiam f *Dominus ait, Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo. Porrò, Beatitudo ſeu vita æterna appellatur Denarius, quia eſt præmium bene agentis. Dicitur quoque Diurnus, quoniam propter eum quotidie laboratur, quotidie ingredientibus Regnum cæleſte confertur, eumque meremur in die gratiæ, & accipiemus in die gloriæ. Miſit eos in vineam ſuam, id eſt, ad Eccleſiam inſtruendam, vel ad benè vivendum in ea.* Sed hoc non impedit inæqualitatem gloriæ Sanctorum: idem denarius eſt, & eadem merces: eſt enim eadem gloria eſſentialis; & idem objectum quoad omnes, nimirum Deus, qui videbitur ab omnibus *ſicuti eſt* g, ſed ab aliquibus

g 1, Jo. 3, 2.

profundiùs & diſtinctiùs, quàm ab aliis; ſicut ſi multi biberent in eodem fonte, biberent quidem ex eadem aqua, ſed inæqualiter, aliqui plus, quàm alii juxta menſuram ſitis ſuæ. Vel, Idem denarius eſt, quia communicant eadem æternitati, ſed in hac æternitate non erunt æqualiter beati. Poteſt etiam dici idem denarius propter charitatem, quæ ipſos ſic unit ſimul, ut mutuò gaudeant alii de gloria aliorum, non ſecus ac ſi ipſi illam poſſiderent, licèt effectivè ſint differentes, & alii diligant Deum multò ardentiùs, quàm alii, juxta proportionem meritorum ſuorum, ſicut ait S. Paulus h, *Qui*

h 2, Cor. 9, 6.

parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus i, *Quamvis quiſque*

i Dion. Carth. art. 9, in 2, Cor. 9, 6.

unuſquiſque in patria de ſuo præmio contentetur, & ultra condignum præmietur, dicitur tamen parcè metere, qui parcè ſeminat, reſpectivè, non abſolutè. Primò, quoniam comparatione aliorum minus habet. Secundò, quoniam præmium correſpondet merito. Nam pulchritudo Eccleſiæ triumphantis non minùs reſultat è diverſitate gloriæ Sanctorum, quàm Angelorum, & è differentia gloriæ illorum: atqui ſcimus quòd inter Angelos diverſæ ſunt hierarchiæ, & quòd ipſi non ſunt omnes æquales in gloria & in officio: non eſt igitur abſurdum, ſi admittamus diverſitatem & inæqualitatem in gloria Sanctorum, cùm hæc differentia nullam afferre poſſit eis invidiam, æmulationem, & moleſtiam; ſicut parva vaſa cùm plena ſunt quemadmodum magna, licèt non habeant tantum liquorem, ſunt tamen contenta non ſecus ac magna: tantum enim habent, quantum continere poſſunt; capacitas Sanctorum ſumitur è gratia quam abſtulerunt ex iſto mundo, & è cumulo meritorum ſuorum: ſi ergo Deus dat eis tot gradus gloriæ, quot habebant gradus gratiæ, ſatisfacit ipſe non eorum capacitati; & ſi non habent tantum quantum alii, hoc non impedit quin ſint contenti, cùm non ſint capaces majoris gloriæ. Quinimò magnâ perfunduntur conſolatione, videntes quòd omnia merita ſua ſic fideliter remunerantur, ut minimæ actiones ſuæ, ſed & minutiſſimæ cogitationes ſuæ repræſentatæ per capillos, numeratæ ſint, ut pro iis tantundem gloriæ recipiant: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, Nolite timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos* k, ait illis Filius

k Matt. 10, 30, & 31.

Dei. *Spiritualiter verò, Capilli ſunt cogitationes affectioneſque animæ; quæ ſi bonæ & charitativæ fuerint, non carebunt beatitudinis præmio,* dicit Dionyſius Carthuſianus l. Quaſi diceret illis

l Dion. Carth. art. 44, in Luc. 21, 18.

Salvator, Omnes cogitationes veſtræ ſunt numeratæ, nec amittetis illarum mercedem: nam conditio veſtra melior eſt quàm avium, quibus perſæpè corvus aut milvus devorat ova quæ fecerunt antequàm ea excludant. Bona opera, quæ Sancti fecerunt, aut merita quæ acquiſiverunt, ſunt velut ova, per quæ ſperant renovationem vitæ in gloria cœli, *Renovabitur ut aquilæ juventus tua,* dicit David m, animam ſuam alloquens. *Hoc eſt,*

m Pſ. 102, 5.

quemadmodum aquila inveterata reparat priſtinam juventutem, ſic tu, ô anima mea, ad priſtinam atque deperditam ſpiritualis juventutis valetudinem reverteris, nunc quidem per gratiam, implendo illud Apoſtoli n, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.*

n Epheſ. 4, 23, & 24.

In futuro autē per gloriā, quia in die judicij veſtiēris duplicibus o, *id eſt, duplici ſtolâ immortalitatis, videlicet gloriâ mentis & corporis, & ultrà ſenectus non*

o ex Prov. 31, 21.

erit, ſed juventus perpetua, juxta illud Apocalypſis p, *Dixit qui ſedebat in throno, Ecce nova facio omnia.*

p Apoc. 21, 5. ex Iſa. 43, 19.

Iuventus quoque corporis in die judicij renovabitur, quia in ætate virili reſurgent defuncti q, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Non eſt ambigendum,

q ex Ephe. 4, 13. *r Dion. Carth. in Pſ. 102, 5.*

quin in diſceſſu Sanctorum ex iſto mundo, cùm videntur relinquere nidum quem in eo habebant, corvus, aut milvus inferni, qui eſt diabolus, furari vellet illorū bona opera, & devorare univerſa eorum merita, antequàm emicent per reſurrectionē,

& per

& per hanc renovationem vitæ immortalis, quæ nunquam peribit : Sed propterea *nolite timere*, dicit eis Filius Dei ; *multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Nihil enim eorum amittetis, imò verò vel calix aquæ frigidæ, quem propter amorem meum erogaveritis, cedet vobis in præmium, *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ ; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam* f. Super quod S. Auguſtinus t hortans unumquemque ad opera virtutis, ait, *Quis erit, qui ſe poſſit excuſare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit* ? Id eſt, pro operibus minutiſſimis, modo fiant ex motivo charitatis. Nam ſi oporteret ut operum noſtrorum ſubſtantia correſponderet excellentiæ gloriæ, nunquam Sancti ad eam perveniſſent : ſicut enim hæc gloria eſt omnium bonorum & univerſorum gaudiorum imaginabilium cumulus, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*, dicit Boëtius u: ad hoc ut hanc aliquis mereatur dignè, deberet pertuliſſe omnia mala & univerſas afflictiones, quæ imaginatione concipi poſſunt : & ſicut hæc gloria durabit per totam æternitatem, *Dominus regnabit in æternum, & ultrà* x, oporteret ut bona opera quæ facta eſſent, vel mala quæ tolerata fuiſſent, duraſſent æternitate integrâ. Nam licèt S. Bartholomæus fecerit multa bona opera, & innumera per vitæ ſuæ decurſum patraverit miracula, quibus ipſe conciliavit authoritatem effuſione ſanguinis ſui : Hæc tamen omnia fuerunt exiguæ durationis. Ipſe ejecit è præcipua civitate Armeniæ idolum quoddam, cui nomen erat Aſtaroth, quod illius decipiebat incolas (Deo ſic illud permittente propter illorum peccata) promittens eis ſanitatem, quam non poterat illis dare, reddendo oracula & reſponſa eis qui ipſum interrogabant de rebus futuris : ingreſſus eſt enim ſanctus Apoſtolus templum, ubi hoc idolum colebatur, & diabolus evaſit mutus, & neminem ſanabat. Præterea, Cùm ſanctus Bartholomæus ejeciſſet è corpore cujuſdam hominis diabolum, ſic percrebruit iſtius ſancti viri fama per totam civitatem, ut perlata fuerit uſque ad aures Regis Polemonis, qui habebat filiam Lunaticam, & valdè cruciatam, quam Aſtaroth ſanare nequiverat : quin imò ingreſſus erat eam alius diabolus ita furioſus, ut ipſa foret interdum tenenda, & catenis alliganda, ne, more canis rabidi, quoslibet obvios diſcerperet ; quam ſanctus Apoſtolus ſanavit abſque ullo labore. Sed ſanitati filiæ ipſe ſubdidit ſanitatem patris, quem edocuit notitiam Jeſu Chriſti, adventum ejus *in mundum* y, vitam illius tranſactam in paupertate, *& in laboribus à juventute* z ſuâ, miracula ejus a, paſſionem & mortem illius b, reſurrectionem ejus, & aſcenſionem illius *in cœlum, & à dexteris Dei* c ſeſſionem : unde venturus eſſet aliquando *in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo : tunc ſuper ſedem majeſtatis ſuæ* d ſeſſurus : tandem, omnia, quæ tenebatur Rex ille credere, & facere, ad hoc ut operaretur ſalutem ſuam. Et ad majorem certitudinem veritatis, quam ipſe prædicabat, ipſe propoſuit ſe facturum, ut diabolus Aſtaroth, quem ipſi adorabant, confeſſurus eſſet defectus ſuos, quibus ſeducebat populum, & egrederetur è templo, quod & fecit. Quod fuit motivum propter quod Rex & Regina & eorum familiares Baptiſmum ſuſceperunt, ſicut etiam duodecim civitatis Regni illorum, quò ivit ſanctus Apoſtolus prædicationis ergo, viſitans eas magnâ curâ alias poſt alias, & illuminans eas ſplendoribus doctrinæ ſuæ Evangelicæ, confirmatæ magnis miraculis, quæ ipſe patrabat. Ipſe ſanabat infirmos, ejiciebat dæmones, & eruebat è captivitate Satanæ miſeras illas animas, quas Salvator emerat *pretio magno* e. Ipſe multos habuit diſcipulos, quos inſtituit præcipuè fidei noſtræ myſteriis, & communicavit huic populo Evangelium S. Matthæi, quod ipſe tulerat incolis hujuſmodi. Cùm diabolus ſuſtinere non poſſet iſtud incrementum mirabile Chriſtianæ Religionis, & manifeſtationem gloriæ Dei, induxit Sacerdotes idolorum ad ſe ulciſcendos de ſancto Bartholomæo, ut de deſtructore templorum & altarium ipſorum : qui adierunt Aſtiagen fratrem Regis Polemonis regnantem in alia Provincia vicina, qui, cùm coram ipſo idolum, quod erat in ipſius præcipuâ civitate, corruiſſet in terram, & confractum eſſet, juſſit eum virgis ferreis cædi, deinde vivum excoriari, denique capite truncari. Omnes actiones iſtæ ſancti Bartholomæi, licèt ſplendidæ fuerint, non duraverunt tamen æternitatem: ipſæ non fuerunt factæ niſi in tempore : quod innuit, quòd Deus non eſt ſic exactus nec ita difficilis in ſuo procedendi modò : ipſe non petit à nobis labores, nec munera, nec obſequia ad æqualitatem gloriæ & mercedis quam *præparavit iis qui diligunt illum* f. Ipſi ſit ſatis ut ipſi demus id, quod eſt in noſtra poteſtate, & ut bonis aliquibus operibus incumbamus intuitu gloriæ iſtius : ſed ipſe vult ut ea libenter ſeu ex corde, & propter amorem ejus faciamus, *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut ex neceſſitate : hilarem enim datorem diligit Deus* g. Opera noſtra non devinciunt Deum ſibi, ſed intentio quam ad illa afferimus, obſtingit illum : nec ex inæqualitate munerum vel eleemoſynarum, quæ à nobis erogantur, meritum deſumitur, ſed è fervore & amore quocum hæc à nobis fiunt: ſic fieri poterit, ut largientes aſſem pauperi præ ardenti amore & magnâ charitate, plus merituri ſitis, quàm alius qui dederit centum nummos cum minori charitate, & cum ampliori reſpectu humano ; & ut jejunantes die vel unicâ cum majori devotione, plura merita conciliaturi ſitis vobis coram Deo, quàm alius qui jejunaverit totâ Quadrageſimâ cum minori devotione, licèt, cùm devotiones & intentiones ſunt inæquales, ille qui plus dat, & plura facit bona opera, plus mereatur proculdubiò quàm alius.

Unde conſtat, quòd, undequaque ſit ibi differentia vel inæqualitas meritorum, vel bonorum operum, ibi eſt ſemper inæqualitas in gloria Sanctorum, ſicut ait ſanctus Gregorius h, *Quia in hac vita vobis eſt diſcretio operum, erit in illa proculdubiò diſcretio dignitatum : ut quo alius hic alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat.* Et paulò pòſt, *Et quidem apud Patrem manſiones multæ ſunt* i: *& tamen eundem denarium diſpares laborantes accipiunt* k: *quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ,* quàm-

f Matth. 10. 42
t S. Aug. ſerm. 61. de Temp.
u Boet. lib. 3. de Conſ. Philoſ. proſ. 2
x Exod. 15. 18
y Joan. 16. 28
z Pſ. 87. 16
a Matth. c. 8. & ſeq.
b Joan c. 18. & 19
c Marc. 16. 6. & 19
d Matth. 25. 31. &c.
e 1. Cor 6. 20
f 1. Cor. 2. 9
g 2. Cor. 9. 7. ex Eccli. 35. 11
h S. Greg. lib. 4. Mor c. 31
i ex Joan. 14. 2
k ex Matth. 20. 10

quàmvis non una ſit omnibus ſublimitas vitæ. Et ecce diverſæ manſiones, vel differentia habitacula quæ ſunt in domo Dei, non quòd omnes Sancti non habitent ſimul, ſed utitur hâc ſimilitudine, & ait quòd ibi ſint diverſa cubicula, ut, quemadmodum idem Sol communicat claritatem ſuam toti alicui domui, licèt ampliorem cubiculis, quæ ſunt apertiora, & quæ majores habent feneſtras, quàm aliis; ſic iſte *Sol intelligentiæ* l, in ſplendore gloriæ ſuæ, communicet ſe liberaliter omnibus, & omnibus oſtendat eandem pulchritudinem, ſed clariùs illis, qui habent mentem plùs apertam, & meliùs diſpoſitam ad hoc ut *in lumine gloriæ Lumen* m videant æternum. Duo homines qui vident aliquam tabellam, unus qui habet viſum firmiorem & ſubtiliorem quàm alter, vident quidem eandem imaginem; ſed unus intuetur in ea plures perfectiones picturæ quàm alter. Duo homines comedunt eundem fructum, & bibunt idem vinum; ſed unus qui habet guſtum meliùs diſpoſitum quàm alter, inveniit in hoc fructu, & in hoc vino ampliorem dulcedinem & bonitatem quàm alter. Duo homines audiunt eundem concentum Muſicum, & eandem convenientiam & compoſitionem inſtrumentorum, ſed ille qui habet aurem meliorem quàm alter, obſervat in eadem concordia ſuavitates quas alter non advertit. Duo homines erunt in agro, vel in prato, & olfacient odorem innumerorum florum ibi ſparſim ſatorum, ſed ille qui habebit odoratum perfectiorem, non ſolùm olfaciet eos ſicut ſocius ſuus, ſed diſtinguet illos, & cognoſcet fortitudinem uniuſcujuſque licèt ſit inter alios. Duo homines tangent eandem monetam, ſed ille qui habebit tactum ſubtiliorem, diſtinguet digitis charactêres iſtius numiſmatis, & minima lineamenta in eo exarata, quæ tacta ab alio, non agnoſcentur diſtinctè. Hoc autem idem, quod videris in praxi corporum, judicate, Auditores, comparativè ad gloriam Beatorum. Dei Filius eſt præclara imago Patris ſui, *Eſt imago Dei inviſibilis* n. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* o. Omnes Sancti videbunt hanc imaginem, & omnes colores ejus, qui ſunt omnes perfectiones ipſius, ſicut *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* p. Sed alii videbunt clariùs in hac imagine, & meliùs intuebuntur eaſdem perfectiones quàm alii. Gloria cœli eſt convivium, ubi à Beatis comeditur idem *lignum vitæ* q. *Hîc verò per lignum vitæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r, *intelligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris, ſecundùm quod in Proverbiis* ſ *de Sapientia Salomon fatſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam. Quoniam Chriſtus ſecundùm Divinitatis naturam ubique præſens* t, *omnium Beatorum mentes alit, confirmat, felicitat, vitam gloriæ influens. Ideò Chriſtus lignum vitæ vocatur, quoniam cives in patria feliciter reficit, dona ſua illis communicans. Itaque fructus, quos Chriſtus profert in patria, quibus & Beatos illico nutrit, ſunt univerſa quæ ad plenam Electorum felicitatem pertinent, & concurrunt. Beatitudo namque eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus* u. Et ibi Sancti potantur eodem vino deliciarum, quod eſt facies Dei, & omnes ſatiantur ad ſufficientiam, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, dicit Pſalmiſta x, Deum alloquens: & omnes inebriantur, ut ait idem David y eidem Deo, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Sed in hoc eodem fructu, & in hoc eodem vino aliqui invenient plus ſaporis quàm alii. Perfectiones Dei ſunt admirabiles concordiæ; & omnes Sancti audient harmonias & convenientias quæ ſunt inter potentiam & ſapientiam ejus: quomodo ipſe facit id quod ipſe vult; & non vult id omne quod ipſe poteſt: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis* z. Inter providentiam & magnitudinem illius, quomodo, quia ipſius juriſdictio *non habet finem* a, ipſe neceſſaria providet ſummâ Sapientiâ ſuâ, quæ *attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* b. Inter divitias & liberalitatem ipſius, quomodo ipſe *dat omnibus affluenter* c: & tamen ſemper manet *dives in omnes qui invocant illum* d. Inter juſtitiam & miſericordiam ejus, quomodo caſtigans miſeretur eorum qui ferunt patienter ictus ipſius; quomodo miſerens punit illos qui ſunt abuſi beneficiis ipſius, & ſe majorum conſcios reddunt criminum pro eo quòd illa ſuſceperint, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi* e. Præclaræ concordiæ! jucundæ harmoniæ! Aliæ ſunt altioris notæ: omnes enim Sancti non ſolùm videbunt & audient præclaras convenientias, & gratas harmonias, quæ admittuntur inter tres perſonas SS. Trinitatis comparatas ad invicem, & cum natura Divina: quomodo Pater *ex utero* f producit Filium ſuum: quomodo Pater & Filius in unitate principii ejuſdem voluntatis producunt *Spiritum veritatis* g: quomodo Pater communicat Filio ſuo naturam ſuam, ſed non ſuam proprietatem Patris: quomodo reddit eum Deum ſicut ipſe eſt Deus, ſed non Patrem ſicut ipſe eſt Pater: quomodo dat ei virtutem cooperandi cum ipſo productionem Spiritus ſancti, ſed non fortitudinem generandi Filium, ſicut ipſe Filium generat: quomodo Spiritus ſanctus, qui procedit ab ambobus, eſt æquè Deus, & æquè *bonus Deus* h ac uterque ex ipſis, ſed non habet virtutem generandi, nec producendi, ſicut ipſi; & licèt non habeat hanc virtutem, tamen hoc non impedit quin æque *omnipotens* i ſit ac ipſi, & poſſideat eandem mentem, eandem voluntatem, & eaſdem operationes quas poſſident Pater & Filius: ipſi enim tres non ſunt niſi una natura, una intelligentia, una dilectio, & non conſtituunt ipſi tres niſi unum Deum, diſtincti ab invicem, ſed non differentes; tres perſonæ habentes ſingulæ eſſentiam veri Dei, & totæ tres unitæ in hac eadem eſſentia non conſtituentes niſi unum Deum: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* k. Nunquid non iſtæ convenientiæ ſunt harmoniæ admirabiles, & imperceptibiles auribus aliis ab auribus Dei? Nonne concentus iſte ſuavitate demulcebit omnes illos qui ipſum audient? Atqui omnes convenientiæ iſtæ audientur a Beatis, & unuſquiſque cognoſcet harmoniam, quæ eſt inter perfectiones Divinas, & eam etiam, quæ eſt inter tres perſonas & eſſentiam Dei, id eſt, videbunt omnes unum ſolum Deum in tribus perſonis: ſed in his iiſdem harmoniis aliqui obſervabunt admirabiliora ſecreta, & convenientias ſpecialiores.

Gloria

l Sap. 5. 6.
m Pſ. 35. 10
n Coloſſ. 1. 15
o Hebr. 1. 3
p Joan. 17. 1. &c.
q Apoc. 22. 2
r Dion. Carth. art. 23. in Apoc. 22. 2
ſ ex Prov. 3. 18
t ex Jer. 23. 24
u ex Boet. lib. 3. de Conſol. Philoſ. proſ. 2
x Pſ. 16. 15
y Pſ. 35. 9
z Pſ. 134. 6
a Baruch 3. 25
b Sap. 8. 1
c Jacob. 1. 5
d Rom. 10. 12
e Pſ. 84. 11
f Pſ. 109. 3
g Joan. 15. 26
h Math. 19. 17
i Eſth. 13. 9
k 1. Joan. 5. 7

quàm alii, & meliùs & profundiùs videbunt hoc auguſtum & ineffabile myſterium.

Gloria Beatorum eſt velut ager delicioſus variegatus innumeris ſpecioſis floribus, qui ſunt innumeræ bonitates aut perfectiones quæ reperiuntur in Deo, quod efficit ut ipſe vocet animas, quæ ſunt ipſius dilectæ, ad odorem florum ſuorum, *Flores apparuerunt in terra noſtra: ſurge amica mea, & veni* l [l Cant. 2. 12. & 13]: & ut Eccleſia reſpondens pro omnibus; non habeat animum ingrediendi iſtius agri ſpecioſi, niſi adjuta & tracta manu Sponſi ſui, *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum* m [m Cant. 1. 3]. Sed licet omnes Sancti videant omnes illos flores, & olfaciant odorem bonitatis Dei, tamen aliqui diſtinctiùs agnoſcunt effectus iſtius bonitatis. Tandem, Beatitudo Sanctorum eſt veluti pretioſum numiſma argenteum, vel aureum, pro quo Sancti dederunt ſemetipſos, poſtquam dereliquerunt res omnes mundi, præferentes pretium & valorem ejus omni alii theſauro: *Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui invênit homo, vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum* n [n Matth. 13. 44]. Et quamvis omnes Beati tacturi & tractaturi ſint hoc numiſma, quod eſt pretii inæſtimabilis, cùm plenaria, abſolutâ, & æternâ poſſeſſione; tamen aliqui tangentes & tractantes hoc numiſma Divinitatis, diſcernent ſigna & lineamenta exarata in abyſſis infinitatis ipſius, quæ alii non tangent niſi in ſumma, contenti tenere totum numiſma ſolidum & integrum, quod reddit ipſos beatos, *Beatus qui tenebit* o [o Pſal. 136. 9].

Hæc differentia operationum in experientia rerum materialium, provenit non è diverſitate objecti, quod ſe exhibet ſemper idem, ſed è meliori vel minori diſpoſitione, quæ reperitur in facultate videndi, audiendi, guſtandi, odorandi, & tangendi, quæ ſe tenet è parte illius qui operatur: Hæc facultas in eo quod intuetur gloriam cœli, non eſt aliud niſi intellectus Beati, elevatus *lumine* p [p Pſal. 35. 10] ſupernaturali, quod reddit illum capacem videndæ faciei Dei: & licèt hæc facies ſe exhibeat ſemper eandem omnibus & ſingulis Sanctis; tamen ipſi vident & cognoſcunt eam plùs aut minùs, ſecundùm plus aut minus elevationis vel luminis, quod ipſis datur: illud autem plus aut minus luminis fundatur in pluri vel minori gratiæ & meriti quod abſtulerunt ex iſto mundo, ſic ut horâ ſui diſceſſûs ex hoc mundo, ſciant gradum gloriæ ſibi debitum, locum ſibi reſervatum, coronam ſibi textam, ordinem quem tenere debent in cœlo, & menſuram felicitatis quam poſſidere debent in æternum: & hoc eſt, quod dicere vult Filius Dei, cùm ait Apoſtolis ſuis, quos vocat ad obſequium ſuum, ut animet illos ad exercitium virtutis, & ad amplectendas paſſiones, ut ſibi concilient acquiſitionem meritorum uſque ad perfectionem gloriâ dignam, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* q [q Joan. 14. 2]. Et quomodo igitur poſſet remunerare Deus incomparabilem patientiam Job, de quo ipſemet Satanæ *dixit*, *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* r [r Job 1. 8 &c.]? niſi poſſet illi dare aliquem gradum gloriæ & mercedis ſupra alios? Si ipſe dixit de S. Joanne Baptiſtâ, *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſtâ* ſ [ſ Matth. 11. 11]: & de Magdalena, *Dilexit multùm* t [t Luc. 7. 47]: oportet ut manifeſtet eis ſe non oblivisci eorum omnium, & ſe velle dare ipſis gloriam ſecundùm exceſſum amoris ipſorum, & mercedem conformem meritis ipſorum. Nam eſſetne, Auditores, rectæ rationi conſonum, ut ipſe collocaret in eodem gradu gloriæ & felicitatis Virgines & Sanctos, qui conſtantiâ incomparabili reſtiterunt inſultationibus violentis & ordinariis carnis, & eos qui hujuſmodi inquietudines non ſunt experti, & qui defectu certaminis, nullas de carne retulerunt victorias, quæ poſſent ipſis texere coronas? Si Filius Dei promittit ipſis, ſe habiturum rationem belli quod ſuſtinuerunt, & ſe mercedem illius ipſis impenſurum, ſicut ipſemet ait ipſis per Eccleſiam, *Sancti mei qui in carne poſiti, certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis*: oportet igitur ut ultra gloriam eſſentialem, quam habebunt ſicut omnes alii Sancti, habeant particularem coronam, quæ vocatur laureola correſpondens victoriæ relatæ de carne. Si martyres dederunt ſanguinem ſuum, & vitam ſuam pro fide & pro amore Dei, quod eſt maximum teſtimonium, quod ipſe Deus exigere poterat ab ipſorum fidelitate, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis* u [u Joan. 15. 13]: eritne congruum ut collocentur in ordine eorum, qui nullas ſuſtinuerunt pœnas, & qui perſecutionibus non fuerunt expoſiti? Et hoc magnum teſtimonium dilectionis ipſorum, nonne remunerabitur palmâ vel coronâ ſpeciali, quæ vocatur laureola martyrii? Si Doctores & Paſtores Eccleſiæ non contenti fuerunt ſumere iter cœli quoad ſe, ſed illud etiam voluerunt alios docere, & illud eis pandere ad hoc ut pervenirent ad gloriam, quam habent ipſi in fruitione immutabili felicitatis, & illos inſtituere doctrinâ ſuâ, & exemplo ſuo: nonne jure merito promiſit illis Deus, ipſos futuros magnos in cœlo, cùm dixerit alios futuros ex ordine infimo? *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines; minimus vocabitur in Regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit; hic magnus vocabitur in Regno cælorum* x [x Matth. 5. 19]. Et ſi ſancti Apoſtoli allegati in Evangelio noſtro, & quos ſumpſi pro materia diſcurſus iſtius, in occurſu S. Bartholomæi, cujus celebramus hodie ſolemnitatem, fuerunt primi, qui pro acquiſitione gloriæ cœli, quæ non poterat ipſis deeſſe, ſequendo hilariter Filium Dei, qui vocabat ipſos ad obſequium ſuum, reliquerunt *omnia* y [y Matth. 19. 27], quæ habebant, & univerſa quæ prætendere poterant è labore ſuo z [z Matth. 4. 18. &c.]; & commercio ſuo a [a Matth. 9. 9], & primi judicati fuerunt à tribunalibus iſtius mundi, & condemnati à Tyrannis ad ſupplicia mortis b [b Act. 12. 2]: nunquid non oportebat, ad hoc ut ſatisfieret ipſorum obedientiæ & devotioni, ut darentur ipſis in cœlo & in gloria ſedes elevatæ ſupra communitatem hominum, ad judicandos reliquos homines, & ad præſidendum in hac Eccleſia triumphanti, quemadmodum præſederant in Eccleſia militanti? *Jeſus autem dixit illis, Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël* c [c Matth. 19. 28]. Etiam, Auditores: oportebat ut ita ſe res haberet, tam propter oblectamentum ipſorum in particulari, quàm propter honorem & gloriam Domini ipſorum, qui cùm ſit *Caput corporis Eccleſiæ* d [d Coloſſ. 1. 18], & ipſi membra ipſius, *Quia membra ſumus corporis ejus* e [e Epheſ. 5. 30], voluit ut non haberent æqualitatem; ut diverſitas mem-

membrorum componat pulchram diſpoſitionem magni corporis iſtius; & inæqualitas gloriæ ipſorum, afferat ornamentum toti corpori Eccleſiæ ipſius.

Sed, Auditores, nunquid non eſt nota magnitudinis Dei noſtri, videre quomodo ipſius *in domo* f Joan. 14. 2 *manſiones multæ ſunt* f, & quòd ibi eſt unde fiat fortuna tot hominum, quos Deus eò vocat in perſona Apoſtolorum noſtrorum, ſine ulla diminutione theſaurorum ipſius? Sed nonne mirum eſt, quòd ſtatim ac Sancti ingrediuntur Curiam cœleſtem, Deus tradit eis poſſeſſionem Regni ſui, dicens eis, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum* g: g Matth. 25. 34 quòd omnes ſint Reges & poſſeſſores ejuſdem Regni, & quòd tamen non ſint æquè magni alii ac alii? Sed nunquid non eſt genus Regni valdè differens à dignitatibus Regiis communibus? Si enim ſunt omnes Reges: ergo nulli ſunt ſubditi: ſi autem nulli ſunt ſubditi, ipſorum juriſdictio eſt nulla, & duntaxat imaginaria. Hoc Regnum eſt myſterioſum, & non invenitur niſi in cœlo: ipſi ſunt omnes Reges, ſed habent Reges pro ſubditis: nam magna unio & convenientia voluntatum ipſorum facit ut ſe ita revereantur & ſibi ſic obſequantur adinvicem, ut videatur ibi non eſſe niſi unus Rex; & tamen ſunt omnes Reges. Ha! ſi in iſto mundo eſſet aliquis Rex, qui poſſet ita promovere aliquem è ſubditis ſuis, ut alii non evaderent inde minores; vel qui vaſſallos ſuos ita ditare poſſet, ut ipſius denarii nullum genus diminutionis inde ſuſciperent, quàm ſimilem æſtimarem eum huic Regi cœli! Sed ſtultitia eſt, imaginari quòd in Curiis Regum mundi procedi poſſit eodem modo: videtis quidem aliquos qui ibi promoventur, ſed faciendo recedere alios: ibi ditantur aliqui, ſed in diſpendium eorum qui erant jam divites: nam idem denarius non poteſt ditare multos homines, nec à pluribus quàm ab uno poſſideri: ſunt quidem multa officia, & multa habitacula in domo & in Curia Regis, ſed hæc ſæpè dantur nullâ habitâ ratione meritorum illorum qui ad ea prætendunt: ſed *in domo* vel in Curia Dei *manſiones multæ ſunt* h, ſeu dignitates; & hæ non h Joan. 14. 2 dantur niſi ſecundùm merita aliorum, & aliorum; & ex quo iſti eas habent, certi ſunt, ſe nunquam illas amiſſuros: Deus enim habet illarum ſatis ſuperque ad hoc ut illos omnes inhabitare faciat eas, nedum tamen ullum afferatur incommodum illis, qui ſuas ibi jam ſuſceperant manſiones. Ipſæ non poſſunt, inquam, amitti morte, nec defectu, nec fidelitate, nec ſuppreſſione, nec vi, nec infortunio, nec invidiâ, nec faſtidio.

Ha! quàm cæci ſunt illi qui prætendunt magnitudines mundi: ipſi deberent applicare mentem ſuam inquiſitioni magnitudinum cœli, quæ ſunt permanentes, & ut ſic manſiones inflexibiles. Nam quandiu vacant ſectandis ſeſſionibus mundi hujus, multi alii curas ſuas impendunt ad procurandas cathedras cœli, & ſtatim ac occupatæ fuerint à tot perſonis quot opus eſt ad perficiendum librum i Prædeſtinatorum, nullus i Pſ. 138. 16 dabitur locus ampliùs ingrediendarum earum. Mementote illius quod reſponſum fuit quinque Virginibus fatuis, quæ *acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum*, ut venirent in occurſum Sponſi ſui, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Sed hoc poſtquàm aliæ *quinque prudentes, quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua* k. Nam quinque duntaxat erant manſio- k Matth. 25. 2. &c. nes in hac domo Sponſi: illæ quinque primæ occupaverunt omnia loca. Verum quidem eſt, quòd Deus loca facere poterat in multò majori numero, ſed videtur illa omnia reductiſſe ad quinque, pro Apoſtolis, Martyribus, Doctoribus, Confeſſoribus, & Virginibus, qui ſunt præcipui ordines perſonarum, quæ ſunt in cœlo: & omnes illi qui ſunt ex hoc numero, poterunt ibi habere manſionem; ſed quoad alios, dicetur eis, *Neſcio vos.* Euge igitur, quid expectamus eligere locum noſtrum? Et quare ſanctâ non ducemur ambitione comparandi nobis iſtius Regni, quò Dei Filius nos vocat, in quo erimus omnes Reges coronati manu Dei per æternitatem gloriæ.

IN FESTO S. AVGVSTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS, ET ECCLESIAE DOCTORIS.

Magnus vocabitur in Regno cœlorum, Matth. 5. 19.

MErita S. Auguſtini non ſunt ſic exigua ut omnes Doctores & Scriptores ſacri certatim non contendant illius magnitudines ore pleno extollere: nullus ex illis eſt, qui non vocet illum magnum, omnes unanimiter honorant eum iſto nomine: re autem verâ ipſe talis eſt, cùm in eo non ſit aliquid depreſſum: ipſe habet magnum ingenium, magnum animum, magnam ſcientiam, magnam eloquentiam, animam nobilem, ipſe eſt totus magnus: propterea nomen magni propriè ad illum pertinet, *Magnus vocabitur.* Et quia in Regno cœlorum, quod eſt Eccleſia, non eſt aliquid magnum, quod non fuerit a Luc. 18. 14 parvum, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur* a: fundabo magnitudinem S. Auguſtini ſuper ipſius parvitatem, & oſtendam vobis quòd iſtam meretur altam qualitatem, hanc elevationem, iſtam gloriam, hoc nomen magni humilitate ſuâ, ſicut B. Virgo, quæ meruit parvitate & humilitate ſuâ ſupereminentem dignitatem Matris Dei, nominans ſe illius ancillam, poſtquam *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.* b Luc. 1. 28. & 38

Non ita valdè honoro S. Auguſtinum, nec ſic ſtudioſus ſum gloriæ ejus, ut taceam imperfectiones, quæ præceſſerunt converſionem ipſius, & ſilentio prætercam crimina, quibus immerſerat ipſe ſe miſerabiliter præ omni genere libertatis effrænis, inſolens eò uſque exceſſus ut erubeſceret ex eo quòd non eſſet ſatis inſolens, gloriam eruens è motivis confuſionum ſuarum, & ipſum puderet non eſſe ſatis impudentem. S. Auguſtinus fuit peccator, ipſe fuit in deordinatione vitii, non taceo defectus ejus, cùm ordinariè cuſtodiamus admirationes noſtras maximas pro illis magnis virtutibus, quę inveniuntur in illis, qui poſtquàm fuerint aliàs vitioſi, efficiuntur poſteà

auxilio

auxilio gratiæ, cui nihil eſt impoſſibile; niſi *ipſi*
c Job 24. *rebelles lumini* c ſint, prototypon omnis perfectio-
13. nis. Virtus apparet præ majori ſplendore, & ma-
jores radios emittit oppoſita vitio, ipſa mirabi-
lior eſt in operationibus ſuis, & fructus ipſius ſunt
excellentiores, cum ipſa eſt inſita huic arbori
ſylveſtri, quæ infœcunda fuerat omnibus, ſi ex-
cludatur vitium. Teneriores affectus habemus
erga S. Auguſtinum converſum, poſtquam vidi-
mus eum perverſum: ſanctitas vitæ ipſius mani-
feſtatur cum majori ſplendore, ſociam habens
deformitatem tot vitiorum quæ ipſam præceſſe-
runt: admiramur ampliori ſtupore moderatio-
nem ejus poſt diſſolutiones ipſius, caſtitatem il-
lius poſt impuritates ipſius, humilitatem ejus
poſt ſuperbiam ipſius, ſcientiam illius poſt erro-
rem ipſius, lumina ejus poſt tenebras ipſius, ſic
glorioſum finem poſt ita mala initia, majori re-
verentia ducimur erga eum, dicendo, quòd fuit
lampas & defenſor Eccleſiæ, poſtquàm fuit illius
perſecutor, quòd eſt flagellum Hæreticorum
poſtquam fuit illorum protector. Uno verbo,
Videbimus illum magnum in Regno Eccleſiæ,
Propoſi- ſed poſtquàm fuit ibi parvus, *Magnus vocabitur in*
tio. *Regno cælorum*. Hæc eſt propoſitio, quæ totius
iſtius diſcurſûs ſeriem texet.

Auguſtinus fuit parvus, cùm venerit ad nihi-
lum: ipſe venit ad nihilum, quoniam peccavit,
Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm
d S. Aug. *peccant*, ait ipſemet d. *David* e peccat, & per
tract. 1. in peccatum deſcendit in nihilum, *Ad nihilum reda-*
Joan. 1. 3 *ctus ſum* f. Quid minus? Ego non intueor niſi par-
e 2. Reg. vitatem & depreſſionem ante converſionem Au-
11. 2. &c guſtini, ſed illo converſo, non aſpicio in eo niſi
f Pſ. 72. magnitudinem & exaltationem, *Magnus vocabi-*
21. *tur in Regno cælorum*. Deus, qui eſt *Creator om-*
g Eccli. *nium* g, & Cauſa univerſorum effectuum, vult
24. 12 educere Auguſtioum è nihilo, quod ipſe non fe-
h Jo. 1. 3. cit, *Et ſine ipſo factum eſt nihil* h: è nihilo, quò la-
i Prov. 1. pſus eſt per peccatum ſuum: dat illi *manum* i ſuam,
24. ut elaboret converſionem ejus. Videte ex una
parte Auguſtinum qui ſequitur vitium, poſtquàm
ſe reddidit ſevvum ejus, *Quia omnis qui facit pec-*
k Jo. 8. 34 *catum, ſervus eſt peccati* k. Et, *Servus namque pec-*
l P. Cel- *cati, ſervus eſt tot Dominorum, quot vitiorum* l. Au-
lenſ. l. de ſcultate illum m ſuſpirantem poſt veluti deper-
Panib. c. ditam libertatem ſuam, *Suſpirabam ligatus non*
25. *ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum*
m S. Aug. *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, &*
l. 8. Conf. *conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa fa-*
c. 5 *cta eſt libido: & dum ſervitur libidini, facta eſt con-*
ſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt
neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet
annexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtri-
ctum dura ſervitus. Sed intuemini ex altera parte
Deum, qui miſericordiâ ductus, vult illum educe-
re ex hac abyſſo confuſionis, in quam ipſe proji-
cit ſe cæco impetu, ne videat illius horrorem:
aſpicite ex una parte Auguſtinum qui fugit, &
ex altera Jeſum qui illum proſequitur: Auguſti-
nus vult ſe perdere, Deus autem vult illum ſalva-
re: Deus illum vocat, Auguſtinus autem renuit
n Prov. 1 n illum audire: claudit aures ſuas Auguſtinus,
24. & Deus illas ei aperit, æquè ac oculos, ut videat
infortunium ſuum interventu gratiæ quam ei of-
fert, prout *Lux vera, quæ illuminat omnem homi-*
o Jo. 1. 9. *nem venientem in hunc mundum* o. Neſciebat Au-
guſtinus, quatenus huic rebellis *lumini*, *vias ejus*
p Job 24. *nec per ſemitas ejus* p revertebatur: & tota ſcien-
13. tia ipſius non poterat ipſum illuminare: oporte-
bat propter hunc magnum effectum, ut *Sol juſti-*
tia Chriſtus Deus noſter q, æquè ac *Sol intelligentiæ* r, q Eccleſia
oriretur ipſi, & emitteret radios ſuos in intimum ex Malac.
memoris & cordis ipſius: requirebatur ad hoc ma- 4. 2 r Sap. 5. 6
nus Dei talis, qualem petebat David s, ut educe- s Pſ. 143.
retur ex abyſſo, quò ſe præcipitaverat, *Emitte ma-* 7.
num tuam de alto, eripe me & libera me de aquis mul-
tis. Ipſe ſurgit *qui dormiebat, & à mortuis* t ex- t Epheſ. 5
urgit, illuminatus a Chriſto, cujus gratiâ fultus 14.
omnia u poteſt. Cùm anima conſentit ſuavita- u Philip.
tibus ejus, revertitur x præ miraculo ſpeciali ſic- 4. 13. x Cant. 6
ut phœnix è lignili ſuo, ubi amiſerat vitã ſuam; 12.
oritur ut pulchra roſa inter ſpinas, ut ſpecioſum
lilium inter tribulos, & incipit eſſe eo ipſo quo
denuò cœpit vivere. Auguſtinus, ſicut alter pro-
digus *filius, mortuus erat, & revixit: perierat, & in-*
ventus eſt y, juxta illud verbum Dei ipſum pro- y Luc. 15
ſequentis, *Invenerunt qui non quæſierunt me* z. Ipſe 24.
mortuus erat per peccatum, & incipit vivere per z Iſa. 65. 1.
gratiam ſtatim, ac *ſurgens venit ad Patrem* a. Ipſe a Luc. 15
venerat in nihilum per praxim vitij, & fruitur 20.
eſſe per virtutem: ipſe eſt, quia vivit; & vivit, quo-
niam operatur; operatur autem ex quo incipit
frui Deo, dicens, *Audiam quid loquatur in me Do-*
minus Deus b. Id eſt, reſpondendo motionibus in- b Pſ. 84. 9
ternis gratiæ, quæ ipſum induxerunt ad praxim
virtutum, præſertim humilitatis, quam ſemper
exercuit, & quæ acquiſivit ipſi iſtam magnam
gloriam, *Magnus vocabitur in Regno cælorum*.

Auguſtinus, Auditores, eſt filius lacrymarum
matris ſuæ: *Monica ſancti Auguſtini dupliciter ma-*
ter, quia eum & mundo & cælo peperit, canit Eccle-
ſia. Atqui lacrymæ, ſunt probationes humani-
tatis noſtræ, ſigna depreſſioois noſtræ, confeſſio-
nes humilitatis noſtræ, notæ dolorum noſtro-
rum, & indicia moleſtiarum noſtrarum: quomo-
do igitur filius matris ſic pauperis non eſſet hu-
milis? & ſi humilis eſt, quomodo non erit ma-
gnus, cùm, juxta maximas cœli præfatas, magni-
tudo nativitatem ſuam ſumat è parvitate, & hu-
militas ſit principium exaltationis? Auguſtinus
eſt humilis: ergo eſt magnus: *Magnus vocabitur in*
Regno cælorum. Vix reſolvere poſſem, num S.
Auguſtino fuerit glorioſius, fuiſſe filium lacry-
marum matris ſuæ, an lacrymis operatas eſſe
hunc magnum effectum converſionis ipſius. Si
lacrymæ ſint pinguedo devotionis; S. Auguſti-
nus eſt ergo devotiſſimus omnium Sanctorum:
ſi lacrymæ ſunt effectus amoris; ipſe fuit amantiſ-
ſimus: ſi lacrymæ ſunt ſanguis cordis; ipſe fuit ge-
neroſiſſimus: ſi lacrymæ ſunt tandem notæ hu-
militatis noſtræ; ipſe fuit igitur humillimus &
humiliatiſſimus, minimus & maximè particeps
depreſſionis matris ſuæ: ſi minimus: ergo maxi-
mus: *Magnus vocabitur in Regno cælorum*.

Et ad extollendam humilitatem voluntariam
Sancti noſtri, conſiderate fortem & naturalem
appetitum, quo ducuntur homines acquirendi
honoris, & cuſtodiendæ bonæ famæ, quam ſemel
ſibi comparaverunt, quam non perdunt niſi in-
viti, & quam conſervare volunt cum periculo vi-
tæ ſuo, quam exponunt rabiei certaminis ſingu-
laris, quod locum prælij rubere facit ipſorum
ſanguine: hic appetitus eſt effectus amoris pro-
prii, quo afficimur erga nos, & qui nos inducit
ad abſcondendos defectus noſtros, ut non pro-
mamus aliquid in publicum, niſi id quod nos
commendare poteſt. Omnes homines magnifi-
cari volunt, & bona fama facit partem gloriæ
noſtræ in mundo: perſæpè volumus id apparere,

 quod

quod non ſumus : & ſi quis nos deprehendit in aliquo defectu, vel mentis, aut voluntatis, tangit nos ad vivum, & inducit nos ad querendum, præ deſiderio, quo cupimus naturaliter æſtimari induſtrij & probi. Si hæc paſſio animat omnes homines ; eâ S. Auguſtinus proculdubio debebat affici, more cæterorum, cùm unum è ſpecie conſtitueret : ipſe cuſtodire debebat honorem ſuum, cùm eſſet homo. Præterea, Qualitas Sacerdotis inducere debebat eum ad iſtum juſtum affectum: nam cùm Sacerdos ſit dicatus obſequio Dei, debet apparere totus ſanctus, totus purus, ſine ulla miſtione imperfectionis, ad dandum majus pondus dignitati ſuæ, & ampliorem venerationem charactêri ſuo. Inſuper titulus eminens Epiſcopi, qui micare debet ut Sol ſplendidus in cœlo Eccleſiæ, invitabat ipſum ad hoc ut eſſet ſtudioſus honoris ſui, ut gradus ſuus meliùs honoraretur in perſona ſua. Tamen Auguſtinus deſpiciens omnes iſtas conſiderationes, quæ favere potuiſſent cuilibet aliî, qui minus habuiſſet virtutis, vult ipſemet eſſe præco defectuum ſuorum, & declamator imperfectionum ſuarum; & præ exceſſu humilitatis, cujus interventu ipſe redditur æquè magnus coram Deo, ac ipſe ſe deprimit palam hominibus, ipſe vult ut omnes homines edoceantur diſſolutiones & imperfectiones ipſius, quas ipſe ſcriptis exaravit in libris Confeſſionum & Retractationum ſuarum. Quid humilius ? quid minus ? cùm tot voluerit habere teſtes criminum & defectuum ſuorum, quot erunt lectores librorum hujuſmodi ab ipſo compoſitorum. Poſt hæc mirabimini ne ſi ita magnus eſt ? *Magnus vocabitur in Regno cælorum.*

Super hoc autem iſtam parvam proponere volo difficultatem, Num S. Auguſtinus poſſit humilior eſſe in Confeſſionibus ſuis, quàm in Retractationibus ſuis. In Confeſſionibus ſuis ipſe diffitetur, & in palàm proponit occulta peccata voluntatis ſuæ; & in Retractationibus ſuis defectus ſuos qui ſunt delicta mentis : atqui ſicut mens eſt nobilior voluntate, quæ ex ſeipſa non eſt niſi potentia cæca, cujus mens eſt fax, & totum conſilium ipſius, cùm voluntas non ſe determinet niſi conſequenter ex eo quod ipſa concluſit cum intellectu : propterea mihi videtur S. Auguſtinus humilior apparuiſſe in hoc, id eſt, in Retractationibus ſuis. Intellectus eſt Rex, voluntas eſt Regina, ſed tamen quę eſt illi ſubdita, cùm illuminetur ab illo, nec agat niſi ex directione luminû ejus : atqui ſi verum eſt quòd ibi, ubi eſt amplior humilitas, eſt major confuſio, cùm confuſio ſit ingentior humiliare intellectum, quàm voluntatem, ſuſtinere defectus illius quàm iſtius : ſequitur quod major eſt humilitas in Retractationibus ipſius, ubi intellectus ipſius eſt obnoxius reprehenſionibus, quas filij hominum nonniſi vix ſuſtinere poſſunt, intuitu defectuum iſtius potentiæ, qui ipſis exprobrantur : quoad vitia voluntatis, hæc non cauſant tantum horrorem, ut proptereà homines erubeſcant, licèt eorum conſcij ſint. Non latet nos quàmvis ſcientiâ, quæ nos debet affligere, quòd in mundo ſunt perjuri, blaſphematores, adulteri, & hujuſmodi farinæ homines, qui *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis* c: quod eſt ultimum criminum, dando applauſus illis, quod cœlum condemnat, & intuetur ut ſubjectum odij ſui, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* d. Interim iſti ſibi complacent eſſe & apparere tales ; ſed nemo eſt (quod ſciam) qui reputari velit ſtupidus, & minus ſapiens : & iſti defectus, quorum venia non eſt difficilis obtentu, ipſis exprobrati, plùs eos exacerbant, quam defectus voluntatis, licèt crimino ſiores, & qui non merentur minus, quàm *ſupplicium æternum* a. Nedum publicent homines defectus intellectûs ſui, à contra illos abſcondunt, & operiunt eos innumeris excuſationibus, ne deprehendantur in infirmitatibus ſuis. Poſtquam S. Paulus f de ſe loquens, dixit, *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus*: ſtatim blaſphemias, perſecutiones, & contumelias ſuas refundit in ignorantiam ſuam, *Quia ignorans feci in incredulitate.* Satis libere confitemur peccata voluntatis, ſed nonniſi inviti delicta intellectûs, & eorum convicti : quòd ſi tandem illa confitemur, ſemper ſociamus eis excuſationes : Verum eſt, illud feci, non diffiteor, ſed inopinanter, hoc accidit mihi invito. Cùm igitur S. Auguſtinus confeſſus fuerit defectus intellectûs ſui in Retractationibus ſuis, ipſe meliùs exercuit humilitatem : cùm ergo ſit humilior, eſt etiam major, *Magnus vocabitur in Regno cælorum.* Quòd ſi numiſma invertamus, invenio quòd S. Auguſtinus ſe plùs humiliavit in libris Confeſſionum ſuarum, quàm in libris Retractationum ſuarum : quia magnitudo mali conſideratur ex jactura boni : atqui quò majus eſt bonum quod amittitur, eò ingentius eſt malum : atqui per peccatum, quod non reſidet niſi in voluntate, quæ ſola eſt ipſius cauſa, ſicut ait idem S. Auguſtinus g, *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium*, homo privat ſe ſummo Bono : *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, ait Iſaias h, peccatores alloquens. S. Auguſtinus igitur allegans peccata ſua, & defectus voluntatis ſuæ in libris Confeſſionum ſuarum, humiliat ſe magis : ideò plùs debet exaltari. Præterea, Si comparemus humilitatem S. Auguſtini humilitati Filij Dei, prout menſuræ univerſarum verarum virtutum, ſcimus, & ita ſentiunt omnes Patres, quòd ipſe nunquam ſe plùs humiliavit, quàm in circunciſione ſua, ubi per hanc ceremoniam, quâ factum eſt ut *circuncideretur* i, apparuit ut peccator, *in ſimilitudinem carnis peccati* k, cùm videretur indigere hoc remedio, quod erat inſtitutum pro peccatoribus in lege naturæ l, & in lege ſcripta m, ſicut nunc eſt Baptiſma in lege gratiæ, ubi renaſcuntur *ex aqua & Spiritu ſancto* n. In omnibus alijs myſterijs, in univerſis actionibus ejus humillimis video micare radios gloriæ. Poſtquàm ipſum Mater ſua *peperit, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo : & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et paſtores venerunt feſtinantes : & invenerunt Mariam & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de Puero hoc. Et reverſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos* o. *Cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum ? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum : & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera* p, *aurum, thus, & myrrham. Et ecce Angelus*

Domi-

c Prov. 2. 13.
d Sap. 14. 9.
a Matth. 25.46
f 1. Tim. 1. 15.
g S. Aug. l. de Vera Relig. c. 14.
h Iſa. 59.
i Luc. 2. 21.
k Rom. 8. 3.
l Gen. 17. 12.
m Lev. 12. 3.
n Jo. 3. 5
o Luc. 2. 7. &c.
p ex Pſ. 71. 10. & ex Iſa. 60. 6.

Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Aegyptum q. Et ibi Puer iſte deſtruxit idola, impoſuit eis ſilentium, & diabolos tremore concuſſit, juxta prophetiam Iſaiæ r, *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Aegyptum, & commovebuntur ſimulachra Aegypti à facie ejus, & cor Aegypti tabeſcet in medio ejus.* Ecce magni effectus potentiæ ejus. *Et cùm inducerent Puerum Ieſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem Legis pro eo: & ipſe*, id eſt, Simeon, *accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum. Et erat Anna Propheteſſa: & hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Et hæc ipsâ horâ ſuperveniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël* t. Cùm ingreſſurus erat Jeroſolymam, *euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus: & adduxerunt aſinam & pullum u: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt: plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini x: hoſanna in altiſſimis y.* Condemnaturus eum ad mortem Pilatus, *acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine Iuſti hujus z.* Et poſtquam *tradidit eis illum, ut crucifigeretur: & crucifixerunt eum: ſcripſit & titulum: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* a. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte* b. Ubique Dei Filius humiliatur, ſed ubique honoratur: humiliationes ipſius nunquam ſunt ſine gloria, niſi in circumciſione, ubi reputatur æquè ac apparet peccator, inſumens remedium, quod non erat proprium niſi ſolis peccatoribus. Ibi ergo præcipuè teſtatus eſt humilitatem ſuam: jure meritò igitur S. Auguſtinus ſe pluſ humiliavit in libris Confeſſionum ſuarum, ubi apparet peccator, quàm in libris Retractationum ſuarum, cùm culpæ intellectûs ſolæ non faciant peccatores, niſi ſuum præbeat voluntas conſenſum. S. Auguſtinus igitur eſt magnus in gloria, cùm parvus fuerit humilitate, quæ eſt fundamentum & baſis omnium virtutum c. Humilitas eſt radix ligni vitæ d, fundamentum ædificii ſpiritualis, porta ſalutis, conſervatrix virtutum, thronus & templum Spiritûs ſancti, *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem e?* Ipſa, eſt prima, & expreſſiſſima lectio, quam Salvator nos edocuit. Quod induxit S. Hieronymum f ſcribentem Deſiderio ad dicendum, quòd humilitas eſt vexillifera doctrinæ Chriſtianæ, *Scis dogma noſtrum, humilitatis tenere vexillum.* Sanctus autem Doctor noſter g meliùs loquitur de hac veritate, cùm Dioſcoro ſcribens, ait, *Huic te, Dioſcore, ut totâ pietate ſubdas velim, nec aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem eſt prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem. Itaque ſicut Rhetor ille nobiliſſimus*, id eſt, Demoſthenes, *cùm interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſervari oportere, Pronuntiationem dicitur reſpondiſſe: cùm quæreretur quid ſecundò, eandem pronuntiationem, quid tertiò, nihil aliud quam pronuntiationem dixiſſe; ſi interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem liberet: & ſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret. Quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ut doceret, humiliatus eſt.* Ipſe conjunxit exemplum verbo, *Humiliavit ſemetipſum* h. Prædicatio ſequitur actionem, quæ ipſam præcedit, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde* i. Hæc eſt virtus, quam ipſe dilexit in B. Virgine, & propter quam ipſe elegit eam in Matrem ſuam, & quæ reddidit ipſam beatam, ſicut ipſamet canit in Cantico ſuo, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus* k. Quòd ſi Sanctus noſter eſt laudabilis eò quod laudibus extulerit humilitatem; laudabilior etiam eſt pro eo quòd illam ſit amplexus, & eam ſollicitè exercuerit, cùm theoria ſit minùs difficilis quam praxis. Si S. Auguſtinus eſt benè locutus de iſta virtute, ſi eam multi æſtimavit, melius etiam redegit illam in praxim, & quantùm ad actus interiores, & quoad actus exteriores, & quantùm ad mores, & quoad doctrinam. Actus humilitatis exterioris ipſius iſte recenſetur inter alios, quo lavabat pedes pauperum, & eos oſculabatur: & aliquando quidam pauper, ſeu, ut melius dicatur, Jeſus Chriſtus in perſona pauperis dixit ei, *Magne Pater Auguſtine, hodie Filium Dei in carne videre meruiſti.* Humilitas ipſius interior apparuit in hoc, quòd gradum recuſavit Epiſcopalem, ratus ſe eo indignum, non aſcendens ad thronum, niſi coactus & invitus, dicens de ſe: Quòd ipſe non agnoſcebat in ulla re tam iram Dei adverſùm ſe, quàm videre ſe alligatum gubernaculo Eccleſiæ, cujus non merebatur eſſe vel captivus. Quod idem eſt ac illud quod dicebat S. Gregorius Nazianzenus l in promotione ſua ad Epiſcopatum, promotores ſuos ſic alloquens, *Clamantem & ingemiſcentem in ſede collocaſtis, quam tyrannicam, an Epiſcopalem dicere debeam incertum habeo.* Quòd ſi ipſe ſic vehementer ſe humiliavit, quid mirum ſi ita magnus eſt, & ſi omnes Doctores ut talem eum proclamant poſt Evangeliſtam noſtrum? *Magnus vocabitur in Regno cælorum.* S. Bernardus m ait, *Auguſtinus hic eſt validiſſimus malleus Hæreticorum.* Alii nuncupant illum Puteum ſcientiæ Magiſtrum Theologiæ, florem ſubtilium ingeniorum, ornamentum ſcholarum, templum Religionis, columnam Eccleſiæ, clypeum fidei Catholicæ, exemplum bonorum Prælatorum, lumen Prædicatorum, Doctorem magnorum Doctorum, virum doctum à Deo, & qui bibit in fonte Divinitatis, ſanctiſſimum inter doctos, & doctiſſimum inter Sanctos; concludentes, quòd id quod S. Auguſtinus ignoravit, deeſt legi Dei, quaſi dicerent, quòd S. Auguſtinus ſcivit & comprehendit omne illud quod erat in lege Dei. Sic ut dicere poſſimus de illo id, quod S. Gregorius Nazianzenus n ait de S. Athanaſio, *Athanaſium laudans, Virtutem laudabo. Idem enim eſt illum dicere, quod Virtutem laudibus efferre.* Ecce pars eorum, quæ Sancti Patres, & Doctores dicunt de doctrina S. Auguſtini, quam extollunt ſupra nubes: tamen licèt hæc ſit admirabilis & Divina, multò plura ſunt dicenda de heroicis & excellentibus virtutibus ejus: quis enim novit unquam me-

q Matt. 2. 13. &c.
r Iſa. 19. 1
s ex Lev. 12. 2. &c
t Luc. 2. 27. &c.
u ex Iſa. 62. 11 & ex Zach. 9. 9
x ex Pſ. 117. 26
y Matth. 21. 6. &c.
z Matth. 27. 24.
a Jo. 19. 16. &c.
b Matth. 27. 54.
c Matth. 18. 3.
d Gen. 2. 9.
e S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt ex Iſa. 66. 2.
f S. Hier. Epiſt. 154 in princ.
g S. Aug. Epiſt. 56.
h Philip. 2. 8
i Matth. 11. 29.
k Luc. 1. 48. & 49
l S. Greg. Naz. Orat. de Seipſo.
m S. Bern. ſerm. 10. incert.
n S. Greg. Naz. Orat. de Laud. Athan.

meliùs jungere faſtigium iſtius eminentis ſcientiæ cum profunda humilitate, quàm ſapientiſſimus iſte Doctor? Et hoc ut nos humilitatem exercere doceret exemplo ſuo.

Factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens, Surge & vade in Niniven civitatē grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia ejus coram me. Et ſurrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini o. [o Jon. 1. 1 &c] *Et factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò, dicens, Surge, & vade in Niniven civitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quā ego loquor ad te* p. [p Jon. 3. 1 &c] Deus remiſit denuò Prophetam iſtum ad officium quod illi commiſerat, malens ut Ninivitæ putarent quòd ipſe non haberet ſatis potentiæ aut authoritatis ad ipſos caſtigandos & deſtruendos, quàm quòd haberet famam, ſe non ſatis ipſos dilexiſſe, aut ipſis veniam denegaſſe. *Elegit itaque Deus, prophetiam ſuam citiùs irritam cadere, quàm civitatem corruere: imò verò neque prophetia cecidit*, ait S. Chryſoſtomus q. [q S. Chryſoſt. hō. 5 ad Pop. Antioch.] Quia minæ non erant abſolutæ, ſed conditionales. Mundus agit contrarium, mavult æſtimari ſapiens, & potens, quam habere famam boni & ſtudioſi virtutis. Jonas fugiebat, quia ſciebat, quòd non obſtantibus minis hujuſmodi, Ninive non foret deſtruenda: ſed noluit habere famam falſi Prophetæ, ſicut agunt illi, qui, juxta maximas & regulas mundi utplurimùm contrarias innocentiæ, requirunt admirationes populorum, & vivere vellent ſeculis omnibus per famam: ſed S. Auguſtinus non ducitur omnibus iſtis conſiderationibus, at contrà, licèt ipſe ſit ita magnus, ut audiviſtis, humiliat ſe in publicatione defectuum ſuorum, quemadmodum dicebam vobis modò.

Aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eū Gentibus ad illudendum, & flagellandū, & crucifigendum, & tertiâ die reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorū Zebedæi cum filijs ſuis, adorās & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit, Neſcitis quid petatis r. [r Matth. 20. 17 &c] Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum s, [s Dion. Carth. a. 34. in Matt. 20. 22.] *Reſpondens autem Ieſus, dixit, non matri, ſed filijs: per quod oſtenditur quòd mater petivit inducta à filijs. Neſcitis quid petatis, id eſt, vel quid quo modo petere debeatis.* Et S. Chryſoſtomus t ait, [t S. Chryſoſt. hom. 35. in Matt. 20 23,] *Frequenter Dominus patitur diſcipulos aliquid non rectè aut dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum culpa occaſionem inveniat docendi, & exponendi regulam pietatis, ſciens quia & ipſe error eorum non nocet præſente Magiſtro.* Et S. Ambroſius u dat eandem authoritatem Apoſtolis, quàm Patriarchis, loquens de inceſtuoſo Loth x, [u S. Amb l. 1. de Abrah c 6.] [x ex Gen. 19. 33. &c] dicens, *Inſtruant Patriarchæ, non ſolùm docentes, ſed etiam errantes.* Et ſermonem habens de negatione S. Petri, dicit, *Error Petri, doctrina Iuſtorum eſt* y. [y S. Amb. l. 10. in Luc. 22. 57.] Et S. Gregorius z loquens de incredulitate S. Thomæ, ait, [z S. Greg. hom. 26. in Evā. ex Jo. 20. 24. &c.] *Quid, Fratres chariſſimi, quid inter hæc animadvertitis? Nunquid caſu geſtum creditis, ut electus ille diſcipulus tunc deeſſet, poſt autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc caſu, ſed Divinâ diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur. Sic quippe diſcipulum Dominus poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit, nec tamen in dubitatione deſeruit: ſicut ante nativitatem ſuam, habere Mariam ſponſum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non perveniret* a. [a ex Mat. 1. 18.] Nam ita *factus eſt diſcipulus dubitans, & palpans, teſtis veræ reſurrectionis, ſicut ſponſus Matris fuerat cuſtos integerrimæ virginitatis. Palpavit autem, & exclamavit: Dominus meus, & Deus meus.* Et S. Ambroſius b concludit, [b S. Amb. loco ubi ſuprà.] *Unde lapſus Sanctorum utilis eſt.* S. Auguſtinus manifeſtat defectus ſuos in Confeſſionibus æque ac in Retractationibus ſuis: debemus igitur affectus mutare, & eos ferre in cœlum, & non ad terram, *Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur* c. [c Luc. 18 14.]

Quòd ſi ſuſcepimus aliquos favores è cœlo, magnitudines aliquas è bonitate Dei, quemadmodum S. Auguſtinus, ſicut iſtæ gratiæ nobis eſſe debent humilitatis motiva, non minorem nobis porrigere debent anſam timoris, ne legitimè ipſis non utamur. *Ibat Ieſus in civitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi, Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor* d. [d Luc. 7. 11. &c.] Et à S. Gregorio e [e S. Greg. hom. 9. in Evang. Matt 25. 14. &c.] poſt Evangelium admonemur *ſolicitè conſiderare, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur ab Auctore mundi, graviùs inde judicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tantò ergo eſſe humilior, atque ad ſerviendum Deo promptior quiſque debet ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Conformiter ad hoc, *Ieſus dixit parabolam, Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere ſibi Regnum, & reverti. Vocatis autem decem ſervis ſuis dedit eis decem mnas, & ait ad illos, Negotiamini dum venio* f. [f Luc. 19 9. &c.] Aliqui pro *decem mnas*, legunt, *decem minas*, juxta iſtud S. Hieronymi g [g S. Hier. l. 14. in Ezech 45. 10.] confundentis minam cum mnâ, & dicentis, *Mina verò quæ appellatur mna*, &c. Quod non ſolùm ſignificat pecuniam, vel pondus argenti, vel auri, ſed etiam minas: largiens enim illis favores, intentavit illis totidem minas. Deus petit à nobis rationem favorum, quibus gratificatus nobis fuerit, niſi eorum faciamus uſum intentionibus ipſius conformem. Propterea poſtquàm in deſerto Judæi *diſcubuerunt viri, numero quaſi quinque millia: accepit ergo Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant: ut impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant* h. [h Jo. 6. 10. &c.] Super quod admirabiliter ait S. Chryſoſtomus i, [i S. Chryſoſt. hom. 52. in Jo. 6. 13.] *Æquali numero diſcipulis fuerunt cophini fragmentorum. Erat autem & hoc non parùm ad Iudæ damnationem, qui cophinum portabat.* Sed væ huic Apoſtolo infortunato: nam nedum agnoſceret hoc inſigne beneficium mutuâ dilectione erga Dominum ſuum, è contrà præ ingratitudine intolerabili *abijt ad Principes Sacerdotum: & ait illis,*

Quid

Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteoſ. Et exinde *quærebat opportunitatem ut eum traderet* k. [k Matth. 26.14 &c] Similiter cùm *venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, Ioannes prohibebat eum, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me* l? [l Matt. 3 13.&14.] Sunt aliqui qui hæc ultima verba ſic vertunt, *Cur tam magnâ indulgentiâ me famulum tuum gravas?* Ubi, ſi placet, obſervate, quòd ſanctus iſte Baptiſta, ſecundùm hanc verſionem, vocat hunc favorem onus grave, quod ipſum opprimit, & ipſum gemere facit. Et ratio iſtius eſt, Quia tenemur exactiſſimam reddere rationem favorum, quos ſuſcipimus: S. Joannes autem verebatur ne non poſſet ſatisfacere Deo pro ſic inſigni beneficio: Et Eccleſia loquens de Salvatore noſtro, canit,

[m ex Luc. 2.7] *Quem editum ex Virgine* m
Paveſcit omnis anima:
[n ex 1. Cor. 15 29.] *Per quem & nos reſurgere* n
Devotâ mente credimus.

Quomodo autem Jeſus Chriſtus natus eſt è Virgine glorioſa? Sicut Sol è ſigno Virginis: *Ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ* o [o ex Malach. 4.2] *Chriſtus Deus noſter*, canit eadem Eccleſia Virgini eidem Deiparæ. Sed unde procedit ut homines omnes paveſcant? Si Eccleſia diceret, quòd Salvator exiiſſet è ſigno Leonis, benè quidem: ſed veniendo è ſigno Virginis, nihil dulcius. Ha! ideò quia natus eſt de Virgine, cujus interventu mundus emendus erat *pretio magno* p, [p 1. Cor 6.20] ſic inſignis favor eſt, ut, niſi is agnoſcatur à nobis, jure merito vereri debeamus, ne pro illo deſpectu condignas luamus pœnas. Oportet igitur, Dominæ meæ, eſſe in timore pro favoribus ſuſceptis, & ad eos agnoſcendos conari proficere in perfectione, *Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es: ſi dixeris, Sufficit, & periiſti*, dicit vobis ſingulis Pater veſter S. Auguſtinus q. [q Aug. ſer. 15. de Verb. Apoſt. c. 15] Et quænam eſtis vos, ut limites imponere velitis donis Dei? quænam eſtis vos ut dicatis? Nolo niſi talem gradum gratiæ, contenta ſum tali ſanctitate, ſatis eſt profeciſſe in via ſpirituali, plantemus hîc terminos. Limites præſcribere vultis ei, quem *cælum & cæli cælorum capere non poſſunt* r? [r 3. Reg. 8. 27] Admiramini ſuavitates Divinitatis, quæ poſuit totam perfectionem hominis in diligendo Deo *ex toto corde* s ſuo, [s Matth. 22. 37] in amando Salvatore ſuo, qui *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t. [t Eph. 5.2] Quem nemo poteſt odiſſe, quin confeſtim dæmon efficiatur. *Tenera militia, delicati conflictus eſt, amore ſolo de cunctis criminibus reportare victoriam* ait S. Chryſologus u. [u S. Chryſol. ſerm. 94.] Omnes aliæ res, Dominæ meæ, ſunt viæ ad acquirendam perfectionem, ſed non ſunt ipſa perfectio, ſed non ſunt terminus, ad quem ſuſpirare debemus: is, eſt amor Dei: perfectio Chriſtiani, & Animæ Religioſæ eſt imitatio Jeſu Chriſti, quem Pater æternus dedit nobis *Ducem, ac Præceptorem* x [x Iſa. 55. 4.] in monte Thabor, qui eſt figura perfectionis, præ hoc mandato, ut adhæreamus veſtigijs ejus, & ſequamur doctrinam illius, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* y. [y Mat. 17 5.] Humanitas illius erat veluti veſtigium & umbra Divinitatis, & conveniebat cum ea, non ſecus ac juſtum horologium pugillare ſeu ſulare manuarium cum ipſo Sole, indeclinabiliter eoſdem motus ſuſcipiens. Idem Jeſus Chriſtus propoſitus eſt pro prototypo divitibus & pauperibus; non autem delicatus nobilibus, & alter *coronam de ſpinis capiti* * impoſitam [* Jo. 19. 2] habens, populo. Nam licèt verum ſit, quòd cùm *aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ut oraret, facta eſt, dum oraret, ſpecies vultûs ejus, altera; & veſtitus ejus albus & refulgens*: tamen *& ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyſes, & Elias, viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem* z. [z Luc. 9. 29. &c.] Sed hæc imitatio non debet fieri niſi cum magnis conatibus, cum certum ſit quòd Chriſtiani debeant eſſe bellatores, & Animæ Religioſæ bellatrices, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ait Job a. [a Job 7.1] Pater veſter S. Auguſtinus b [b S. Aug. l. 8. Conf. c. 11] dicebat de ſe tempore converſionis ſuæ, *Aperiebatur ab eâ parte, quâ intenderam faciem, & quò tranſire, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens ut venirem neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine, & irridebant me irriſione exhortatoriâ. Tu non poteris quod & iſti & iſtæ? An verò & iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino ſuo?* Idem dico vobis ſingulis, Dominæ meæ, *Tu non poteris quod & iſti, & iſtæ?* Nunquid non abundantia gratiarum fluit ſuper vos? Nonne promiſiſtis hanc fidelitatem in Baptiſmo? nunquid non juraviſtis ſibi, ſicut deinceps in Religione, divortium æternum cum mundo, diabolo, & carne? Tot Virgines vos præceſſerunt, & quare non ſequemini veſtigia earum? Undecim millia Virginum malunt amittere vitam, & illam re verâ perdunt, potiùs quam violent puritatem: atqui inter Chriſtianos, Virgines ſunt perſonæ, quæ plùs præliantur pro cuſtodienda puritate: ideòque debetis amantes eſſe ſolitudinis, & retrahere vos ab occaſionibus, quæ violare poſſent puritatem veſtram: ſic Virgo, Hebraicè idem eſt ac abſcondita. Sed non ſufficit eſſe Virgines: oportet ut hæc virginitas ſit fœcunda. Pater æternus producit Filium ſuum fœcunditate mentis ſuæ c, [c Pſ. 109 3.] cognoſcit ſe, hæc cognitio eſt pura & fœcunda, *Prima Trias Virgo eſt* d. [d S. Greg. Naz. in Carm. de Virginit.] Jeſus Chriſtus fœcundus fuit ſimul & Virgo, in eo quòd genuit Eccleſiam quæ exivit ex ipſius latere ictu lanceæ, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* e. [e S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103 ex Jo. 19 34.] S. Auguſtinus Pater veſter eſt purus in anima ſua, in intentionibus ſuis, & in corpore ſuo à converſione ſua, ſic eſt fœcundus. S. Urſula Mater veſtra eſt pura, ſic eſt fœcunda, *Sterilis peperit plurimos* f. [f 1 Reg. 2.5] Vos exiviſtis e vulneribus iſtius, æquè ac ex inſtitutionibus illius. Dominæ meæ, præter virginitatem, quæ ſecura eſt in Clauſtro veſtro, habete fœcunditatem, docendo virtutem tot puellas, ut cum illis eatis ad gloriam.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIAE.

Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis.
3. Reg. 10. 20.

DUo opera inter alia manifeſtant omnipotentiam Dei, nimirum incarnatio Verbi Divini, & qualitas auguſta & ſupereminens Matris Dei in perſona Virginis Mariæ, nullâ factâ mentione gloriæ Beatorum, quæ non facit nunc ad propoſitum noſtrum, quæ tria eximia opera limites imponunt Potentiæ Divinæ, ita ut Deus [a S.Th. 1 p.q.25.a. 6.ad 4] nihil ipſis facere poſſit majus, ut ait S. Thomas a, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* b, [b ex Jo. 1 14] *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* c, [c ex Jo. 17.3] *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei* d, [d ex Mat. 1.18. &c.] *habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito* e [e ex Baru. 3.25] *quod eſt Deus: & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Re enim verâ non poteſt inveniri ullum opus Divinius in cœlo, aut in terra incarnatione Filij unici Patris æterni, nec poſt incarnationem Verbi Divini, opus aliquod mirabilius conditione Matris Dei in pura creatura, quæ ſuperat omnem magnitudinem & omnem admirationem, & quæ præcedit etiam omnem pulchritudinem & totam perfectionem aliarum creaturarum. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus anunciat firmamentum* f. [f Pſ. 18. 2] Terra & rotunditas ejus, mare & univerſi ejus incolæ magnificentiam illius extollunt: ſola B. Virgo Maria, quæ hodiernâ die venit in mundum, meliùs manifeſtat omnipotentia Dei quàm quælibet alia creatura: cur igitur immorabimur incurioſè conſiderando hoc mundo viſibili & quaſi languenti ſenectute, & quem Deus fecit propter obſequium hominis? & non potiùs in admirando & contemplando hoc mundo novo, quem Omnipotens creavit ut in eo habitaret ipſemet Deus, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem* g: [g 1. Tim. 6.15. & 16.] & quem formavit ut opus perfectiſſimum inter ea quæ unquam fecerit in cœlo & in terra, dico B. Virginem Mariam, quæ eſt opus eximium gratiæ, quam in ea reveretur Archangelus, ideò dicens ei, *Ave Maria.*

Ex ipſo diſcursûs iſtius ingreſſu audio S. Chryſologum h [h S. Chryſol. ſerm. 140.] dicentem mihi, quòd ille fateri debet ſe non cognoſcere ſufficienter Deum, qui non admiratur gratias & perfectiones, quibus eſt prędita Maria, *Quantus ſit Deus, ſatis ignorat, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Quaſi diceret, quòd *ab æterno ordinata, & ex antiquis antequàm terra fieret* i, [i Prov. 8 23.] ad hoc ut efficeretur Mater Dei, tanta etiam & ſic excellens eſt convenientia inter eam & illum qui futurus eſt aliquando Filius ejus, ut neceſſariò eſſent cognoſcendæ perfectiones adorabiles Filij ejus, ad hoc ut cognoſcerentur qualitates eminentes ipſiuſmet Mariæ. Et huc tendebat conceptus Heſychij k [k Heſyc. ſer. 2. de Laudib. Deip.] vocantis eam *Arcam arcâ Noë* l [l ex Gen. 6.14. &c.] *latiorem, longiorem, illuſtriorem. Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animalium, iſta verò vitæ incorruptibilis: illa ipſum Noë, hæc verò ipſius Noë factorem portavit: illa duas & tres contignationes habebat, hæc autem univerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat. Spiritus enim ſanctus, ait,* id eſt, Angelus Gabriel, *ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* m. [m ex Luc. 1.35] *Vides quanta & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas. Unigenitum enim Dei Filium mundi Conditor, velut infans geſtabatur ab eâ, & Adamum reformabat, Evamq; ſanctificabat* n. [n ex Gen. 3 6 &c] Ad quod conformiter S. Bernardus o [o S Bern. de Verb. Apoc. 12 1. Signũ mag. &c.] ait, *Vehementer quidem nobis, Dilectiſſimi, vir unus & mulier una nocuêre: ſed gratias Deo per unum nihilominùs Virum, & Mulierem unam omnia reſtaurãtur, nec ſine magno fœnore gratiarum. Neq; enim ſicut delictum ita & donum* p: [p ex Rom. 5. 15.] *ſed excedit damni æſtimationem beneficij magnitudo. Sicut nimirum prudentiſſimus & clementiſſimus Artifex quod quaſſatum fuerat non confregit* †, [† ex Iſai. 42.3. & ex Matt. 12.20] *ſed utiliùs omnino refecit; ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. Et quidem ſufficere poterat Chriſtus: ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt* q: [q ex 2 Cor. 3.5.] *ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum* r. [r ex Gen. 2. 18.] *Congruum magis ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Fidelis planè & potens Mediator Dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus* s; [s ex 1. Tim. 2. 5] *ſed Divinam in eo reverentur homines majeſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem humanitas, non quòd mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata. Non ſola cantatur illi miſericordia, cantatur pariter & judicium* t: [t ex Pſ. 100.1] *quia & ſi didicit ex his quæ paſſus eſt* u, [u ex Heb. 5.8] *compaſſionem, ut miſericors fieret* x, [x ex Heb. 2.17.] *habet tamen & judiciariam poteſtatem. Denique, Deus noſter ignis conſumens eſt* y. [y Heb. 12 29. ex Deut. 4 24.] *Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei* z. [z ex Pſ. 67.3] *Iam itaque ne ipſa Mulier benedicta in mulieribus* a [a e Luc. 1 28.] *videatur otioſa: invenietur equidem locus ejus in hâc reconciliatione* *. [* ex Pſ. 75.20] *Opus eſt enim mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit, ſed fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis; illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.* Inde fit ut conſiderans modos, quibus utuntur Doctores ad comparandam ſibi notitiam magnitudinum & perfectionũ Dei, qui ſunt præcipuè tres, nimirum, removendo primò ab eo omne genus defectûs & imperfectionis; ſecundò, attribuendo illi omne genus perfectionis in gradu eminentiæ; tertiò agnoſcendo eum ut cauſam & principium omnis boni b, [b Jac. 1.17] ſim me conformaturus ad eos, & ſecuturus hodiernâ die vias eaſdem ad manifeſtandum vobis aliquid magnitudinum Mariæ, quæ debet eſſe Mater Dei; & ideò ſim vobis exhibiturus eam intuendam [Diviſio.] Primò immunem ab omnibus imperfectionibus quę ſunt in alijs creaturis; Secundò repletam & cumulatam omni perfectione; Tertiò ut originem & principium totius noſtrę benedictionis poſt Deum.

Licèt

Licèt univerſa quæ è manibus Dei egrediuntur opera, bona ſint & perfecta, *Dei perfecta ſunt opera* c, cùm ipſemet ea approbaverit ut talia, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona* d: tamen ipſa quaſdam habent qualitates quæ ſunt ipſis eſſentiales & neceſſariæ, quæ ſecum invehunt aliquas imperfectiones, & ſunt eæ quas removemus à Deo, ut compoſitio, limitatio ad locum proprium & determinatum, mutationes, & ſubjectiones morti, & dato quòd omnes iſtæ qualitates non eſſent defectus, tamen negari non poteſt quin peccatum multos invexerit defectus in corpus & in animam hominis, privans illum gratiâ, & lædens eum in natura, ità ut ſolus Deus dici poſſit immunis ab imperfectione per naturam, ut ait ei Habacuc e, *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Et B. Virgo per privilegium ſpeciale, ut dicit illi Sponſus ſacer, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* f. Non eſt conſilium meum probandæ vobis hic puritatis conceptionis ejus immaculatæ, cùm vobis illam ſuo loco ſatis ſuperque probaverim: ſed ſufficiet mihi nunc dicere vobis cum S. Thoma g de ea, quòd ipſa nunquam fuiſſet Genitrix Dei, ſi contraxiſſet eoſdem defectus, in quos incurrunt alij homines, *Non fuiſſet idonea Mater Dei ſi peccaſſet aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem, ſecundùm illud Proverbiorum* h, *Gloria filiorum, patres eorum. Unde & per oppoſitum ignominia Matris ad Filium redundaſſet. Tum etiam quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem, Quæ conventio Chriſti ad Belial* i? *Tum etiam, quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Sapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed etiam in utero: dicitur autem, In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* k. Propterea repræſentat eam nobis Eccleſia in Officio Minorum ut ſpecioſam virgam, quæ non habuit nodum peccati originalis, nec corticem rudem peccati actualis, quod deformavit alios homines, cùm canit in laudem ejus, *Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Spiritus ſanctus huic veritati conciliat authoritatem, dicens per Iſaiam l, *Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem levem.* Super quod ait S. Ambroſius m, *Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat; levem, quia Virgo erat nullis oneribus gravata.* Quis enim neſciat Sanctos eſſe nubes, ut dixit idem Spiritus ſanctus per eumdem Prophetam n, *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Sed iſtæ nubes ſunt oneratæ & aggravatæ peccato, ſaltem originali, quod contraxerunt in Adam, *in quo omnes peccaverunt* o. Sola B. Virgo immunis eſt ab hoc onere, ipſa eſt nubes ſemper lucida & clara, nedum fuerit unquam obvoluta tenebris, quibus alij ſunt offuſi ſaltem ad aliquantum tempus. Ratio autem requirebat ut ita ſe res haberet, cùm Deus qui gubernat & dirigit omnia infinitâ ſapientiâ, quæ *attigit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* p, tranſire non deberet ab extremo in extremum quin intereſſet medium: natura humana erat extremitas vitij & peccati, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam* q. Jeſus Chriſtus naſciturus erat aliquando ut extremitas gratiæ & virtutis, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. Quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* r. Et, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ* s. Et ipſe futurus erat origo viva totius Sanctitatis, ut *Sanctus ſanctorum* t. Requirebatur medium, & illud eſt Maria, ſancta præ privilegio, *Et tunc jam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ* u, id eſt, idem Jeſus Chriſtus, ait S. Bernardus x, *in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terra medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno*, id eſt, in purgatorio, *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis*, & cætera, quæ dicentur opportuniùs in tertia parte.

Alij concipiuntur & naſcuntur in peccato originali, iſtud eſt ſtipendiũ quod ipſos ſequitur venientes in mundum, *Nos omnes eramus naturâ filij iræ* y. Jeſus Chriſtus fuit impeccabilis per naturam ſuam: & ecce naſcitur hodie Puella, quæ debebat offendere ſecundùm ordinem naturæ humanæ, & ſaltem concipi in peccato originali, quę tamen eſt immunis ab omni genere ſordis, & fit omnino impeccabilis per gratiam & per privilegium. Jeſus Chriſtus fuit miraculum gratiæ, quia illius author eſt, ut dixi, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* z. Seu, ut ait Dionyſius Carthuſianus a, *Quia gratia, id eſt, liberatio à peccatis, juſtificatio generis humani, ſupernaturale donum Spiritûs ſancti perficiens animam, eamq; Deo acceptam, & ad promerendum idoneam faciens, per Ieſum Chriſtum facta eſt. Chriſtus namq; ut Deus, cauſa eſt principalis atq; efficiens gratiæ hujus: ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria ejus.* Fuit & prodigium gloriæ, quia, ut ait idem Carthuſianus b, *Anima Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex Divinæ diſpenſationis moderamine retracta atq; dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata, aliquando tamen fuit permiſſa, ſcilicet in transfiguratione. Porrò, Secundùm Hugonem, Chriſtus ante paſſionem ſucceſſivè ſuis diverſis temporibus aſſumpſit quatuor corporis dotes, videlicet, Subtilitatem in nativitate, egrediendo de clauſo dulciſſimæ Virginis utero* c: *Agilitatem, ambulando ſuper aquarum fluenta* d: *Claritatem in transfiguratione: Impaſſibilitatem in conſecratione ſeu porrectione corporis ſui in cœna* e. Alij homines ſunt abyſſi iniquitatis, criminis, & perditionis, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* f. Et B. Virgo eſt miraculum gratiæ, *Et ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena* g. Et S. Thomas h, *Beata Virgo dicta eſt plena gratiâ, non ex parte ipſius gratiæ, quia non habuit gratiam in ſumma excellentia, quâ poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, ſed dicitur fuiſſe plena per comparationem ad ipſam, quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, ut eſſet ſcilicet Mater unigeniti ejus.* Sed non eſt prodigium gloriæ, quam ipſa non poſſedit niſi per mortem ſuam: & præterea eſt immunis ab omni vitio & ab omni peccato. Jeſus Chriſtus ſuſcepit in conceptione ſua uſum liberum rationis, & plenitudinem ſcientiarum, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* i. Cujus utriuſque ſunt expertes homines alij: B. Virgo non ſuſcepit quidem ple-

c Deut. 32.4.
d Gen. 1. 31.
e Habac. 1.13.
f Cant. 4. 7.
g S. Th. 3 p. q. 27. a. 4. in corpore.
h Prov. 17. 6.
i 2. Cor. 6.15.
k Sap. 1.4.
l Iſa. 19.1.
m S. Ambroſ. Exhort. ad Virgines.
n Iſa. 60. 8.
o Rom. 5. 12.
p Sap. 8.1.
q Gen. 6. 12.
r Jo. 1. 14 & 17.
s Pſ. 23. 10.
t Dan. 9. 24.
u ex Pſ. 73. 12.
x S. Bern. ſerm. 2. de Pent.
y Eph. 2.3.
z Jo. 1. 17.
a Dion. Carth. a. 5. in Jo. 1. 17.
b Idem a. 6. in Matt. 17. 2.
c ex Luc. 2. 7.
d ex Jo. 6. 19.
e ex Mat. 26. 26.
f 1. Jo. 1. 8.
g Luc. 1. 28.
h S. Th. 3 p. q. 7. a. 10. ad 1.
i Coloſſ. 2. 3. & 9.

nitudinem ſcientiarum in conceptione ſua, ſed ſaltem uſum liberum rationis: ſi enim, ut ait Dionyſius Carthuſianus *k*, *Communiter tenent Doctores, quòd per omnipotentiam Dei acceleratus eſt uſus rationis in Ioanne nondum progenito, ita quòd revelante Spiritu ſancto novit Unigenitum Dei jam incarnatum, atq; in utero Virginis tunc præſentem, tuncq; præſertim in eo impletum ſit quod Angelus nuntiavit, Qui Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ* l: potiori ratione id dicendum eſt de B. Virgine, quæ immunis fuit à peccato originali ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti, à quo tantùm S. Joannes mundatus eſt poſt ſex menſes à conceptione ſua. Jeſus Chriſtus concipitur virtute ſecretâ & operatione internâ Spiritûs ſancti, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* m. Alij homines concipiuntur ſolis viribus naturæ: B. Virgo autem concipitur viribus naturæ, quippe ex patre & è matre, ſed præterea virtute cœli, cùm parentes ipſius ſteriles naturaliter, effecti fuerint fœcundi vi Divinâ, ut ait S. Epiphanius *n*, *Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum eſt templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent ſanctam Virginem adepti: Ioachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo.*

k Dion. Carth. a. 3. in Luc. 1. 41.
l ex Luc. 1. 15
m Mat. 1. 20.
n S. Epiphi. ſer. de Laud. Deip.

Sic ſanctiſſima Trinitas ditavit illam eo quod habebat ipſa pretioſiſſimum; & quælibet è tribus perſonis favorabiliter conceſſit ei ditiſſimas perfectionas ſuas, Pater dans ei fœcunditatem ſuam ſine ſorde, cùm generet Filium *o*, & ſemper Virgo permaneat, *Prima Trias Virgo eſt*, ait S. Gregorius Nazianzenus *p*. Sic Maria pariet *Filiū ſuum primogenitum* q, qui eſt idem *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* r, & erit ſemper Virgo, ſicut & fuit, ut ait S. Epiphanius *s*, *Manſit in virginitate ſancta & præclara Puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intùs Deum Verbum: ad quam vocaliſſimus Iſaias* t, *Ecce nubes levis, & veniet in Aegyptum: mons nullatenus inciſus, præruptam habens petram Chriſtum, de qua ſapientiſſimus Daniel* u *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, hoc eſt, abſq; viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit, ipſa templum nunimè compoſitum, quæ lapidem cœleſtem habet Chriſtum, ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interim in utero geſtat: ſermoniq; meo atteſtatur Divina Scriptura* x, *dum ait, Venter tuus acervus frumenti vallatus in lilijs. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* † *ſuſcipiens, etiam in manipulum germinavit.* Filius dedit ei ſimplicitatem ſuam ſine ulla miſtione, quia cùm ſit Filius Dei & hominis, eſt penitus ſine miſtione aut diviſione Filius utriuſque, & B. Maria erit Virgo & Mater ſimul. Et Spiritus ſanctus conceſſit ei totam plenitudinem gratiarum ſuarum, & præterea præſervavit eam à peccato, & à fomite peccati, qui cauſat in nobis rebelliones paſſionum noſtrarum, ſicut queritur S. Paulus *y*, dicens, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Et quo extincto in B. Virgine, effecta eſt ipſa impeccabilis per gratiam & per privilegium.

o Pſ. 2. 7
p S. Greg. Naz. in Carm de Virginit.
q Matt. 1. 25.
r Jo. 1. 18
s S. Epiphſ. ſer. de Laud. Deip.
t ex Iſa. 19. 1
u Dan. 2. 34.
x ex Cāt. 7. 2
† ex Jo. 12. 24
y Rom. 7. 23.

Admiramini igitur mecum hunc novum Solem, qui nullam paſſus eſt unquam eclypſim; hanc Lunam ſine macula; deliteſcant omnes ſtellæ coram illa, quaſi non audentes ampliùs apparere in conſpectu iſtius Auroræ myſticæ naſcentis, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol* z. Cœlum communicavit ei puritatem ſuam, & non malignitatem influentiarum ſuarum: Terra fœcunditatem ſuam, & non miſtiones & impuritates ſuas: Mare profunditatem ſuam, ſed non commotiones & agitationes ſuas: Aer ſubtilitatem ſuam, non autem mutationes, inconſtantias, & viciſſitudines ſuas: Ignis ardores ſuos, non verò rigores ſuos & ſævitias ſuas. Creaturæ omnes ditiſſimas perfectiones ſuas & glorioſas prærogativas ſuas univerſas, ſed non defectus ſuos & imperfectiones ſuas: & ſi certum eſt, omne quod eſt in mundo, non eſſe niſi puram vanitatem, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* a: &, *Veruntamen univerſa vanitas, omnis homo vivens* b: *Dicitur ergo omnis homo vivens vanitas univerſa, quia omnis homo inſtabilis, vacuus, quia nec ſatiatus: omnis ergo homo vanitas eſt, id eſt, hic vanitate vivens* c: B. Virgo non continetur ſub iſta lege, cùm ipſa ſit ſemper eadem, conſtans & inconcuſſa in firmitate & in perfectione ſua, ut ea quæ immunis eſt ab omni defectu & imperfectione, & cumulata omni perfectione, ut videbimus in hac ſecunda parte.

z Cant. 6. 9.
a Eccl. 1. 2.
b Pſ. 38. 6.
c Incogn. in Pſ. 38. 6.

II. Pars.

Deus, cujus omnipotentia eſt infinita, & ſapientia immenſa, ſicut ipſe *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* d, omnino contentus in ſeipſo *e*, & nihil habens ampliùs communicandum ad intrà, ductus amore ſuo, & ſe communicare volens ad extrà per creationem, & non inveniens inter res quas habebat producendas, aliquam quæ recipire poſſet plenitudinem communicationum ipſius infinitarum, earum multiplicare voluit ſubjecta, ut communicaret multitudini rerum id, quod una ſola non poterat poſſidere. Hæc communicatio manifeſtatur excellentiùs in Angelis, quos Deus, ut ait S. Auguſtinus *f*, *Creavit ſimul condens in eis naturam, & largens gratiam.* Et in hominibus, de quibus ait ſacer Textus *g*, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Sed multò meliùs in B. Virgine, cui ſancti Doctores tribuunt titulos qui ſuperant id omne quod eſt rarum, excellens & perfectum in univerſitate creaturarum, ideò vocantes eam quaſi infinitam imaginem bonitatis Dei. *Nulla enim ex puris creaturis eſt* ait Salazar *h*, *in quâ Trinitatis attributa, & perfectiones magis emicuerint: nulla, in quâ ſuam virtutem, & efficaciam magis prodiderint*, id eſt, Divinæ perſonæ. *Atq; adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* i, *Speculum ſine maculâ Dei operationis. Græcè, energiæ ſeu efficacitatis. Quia nimirum in eâ tanquam in ſpeculo Divinorum attributorum efficacia, & energia maximè ſpectatur.* Sicut enim Deus videtur feciſſe fontes, ut in illorum clariſſimis aquis videre poſſemus Solem materialem, qui alioquin oculos noſtros offunderet caligine, ſi auderemus illum intueri in ſeipſo: ſic naſci facit hodiernâ die beatam Virginem Mariam, quam ſic perſæpè iidem Doctores vocant fontem gratiæ, luminis, & vitæ, ut per eam cognoſcamus magnitudines Solis æterni, quem alioquin cognoſcere non poſſemus in ſemetipſo: *Ad hæc fons* ait idem Salazar k, *Virgo ſæpiùs appellatur, fons ſignatus* l, *fons gratiarum, fons paradiſi, fons iucus fons Regius, dicitur à ſolo Bernardo. Fruſtrà alios numerem, eſt enim Patribus admodum familiaris hæc appellatio. Quoties enim opera noſtra ſalu-*

d Baruch 3. 25
e Pſ. 2. 7 & Jo. 15. 26.
f S. Aug. l. 12. de Civ. Dei c. 9. ex Gen 1. 3.
g Gen. 1. 27.
h Salazar in Prov. 8. 23. n. 301
i ex Sap. 7. 26
k Salazar in Prov. 8. 25 n. 39
l Cant. 4. 12.

ſalutis mente repetunt, atque ad illorum caput initiumque cedeunt, Virginem omnium bonorum originem fuiſſe nacti, nihil aptius occurrit ad eam dignitatem notandam, quàm nomen fontis, propterea toties illud uſurpant. Aut ſi propiùs adhæreamus intentioni Doctorum illorum, qui B. Virginem vocant quaſi infinitam imaginem bonitatis Dei, fortè ſignificare volunt, quòd tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis habentes notitiam perfectam naturæ ſuæ, ſemetipſas exhibere voluerunt mundo cognoſcendas, & ideò creaturis impreſſerunt aliquam imaginem ſuæ bonitatis, præcipuè verò homini: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*

m Gen. 9. 6 *m.* Tamen quia omnes iſtæ tabellæ non erant niſi ſimplices adumbrationes valde imperfectæ ob limitationem naturæ ſuæ, Deus naſci facit hodierna die B. Virginem quaſi infinitam imaginem bonitatis ſuæ, quatenus ipſa ſola poſſidet id omne, quod aliæ puræ creaturæ poſſidere poſſunt, & quaſi ipſa eſſet radius Divinitatis. Quod non ſolum intelligere debemus de perfectionibus naturalibus, quibus ipſa ditata fuit ut opus eximium manus omnipotentis Dei, quæ ipſam reddunt præſtantem pulchritudine, nobilitate, acumine ingenii, & natura bona; ſed multò meliùs de ſupernaturalibus quæ decorant animam & cor illius. Inconcinnè enim nos gereremus, ſi ſiſteremus in illis exterioribus, cùm vocemur ad conſideranda majora & altiora, & ad penetrandum uſque ad ſanctuarium cordis ejus, ut contemplemur ibi gratias, quas Deus in illo collocavit, & quæ eam commendabilem reddunt præ omnibus creaturis: ſi enim prædeceſſores ejus fuerunt inſignes gloria & honore, & aliqui inter eos ſanctitate ſpectabiles, ipſa eos omnes antecellit, quippe quæ plantavit radices & fundamenta virtutis & perfectionis ſuæ inter nationem plenam gloria, elevando ſe ſupra omnes alios, *quaſi cedrus exaltata in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion, quaſi palma exaltata in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho; quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata juxta aquam*

n Eccli. 24. 17. &c. *in plateis n.* Id eſt, quia ipſa poſuit fundamenta virtutis ſuæ, & initia gloriæ ſuæ ſuper virtutem & gloriam Patriarcharum & Prophetarum, Judicum, Ducum, Principum, & Regum, quos enumerat Evangelium hodiernum. Ideò Andreas

o Andr. Jeroſ. ſerm. in Salut. Angel. Jeroſolymitanus o ſic eam ſalutat: *Salve Prophetarum & Patriarcharum omnium ornamentum.* Propterea & ſimiliter dicit Salazar p, *Ad id ſpe-*

p Salaz. in Prov. 8. 22. num. 262 *ctaſſe crediderim S. Epiphanium in ſermone de Laudibus Virginis, ubi Mariam cœli terræque myſterium appellavit: quia nimirum quidquid cœlum, vel terra cohibet boni & perfecti, id totum compendio quodam mirabili collegit in Mariam. Item S. Bernardus in ſermone de B. Virgine, Virginem Deiparam mundum ſpecialiſſimum compellavit. Mariam, inquit, Deus tanquam mundum ſpecialiſſimum ſibi condidit quem in juſtitia & ſanctitate fundavit, &c. Amplificavit hoc Imperfectus in cap. 1. Matth. cap. 1. ubi ſic ait, Maria, inquit, ſpecioſior facta fuit, & dignior quàm totus mundus. Itaque non ſolùm omnes totius orbis, & creaturarum omnium perfectiones adæquavit, ſed etiam ſuperavit, unde Mariam non Microcoſmum, ſed mundum quemdam mundo ipſo majorem, & ampliorem appellare debemus. Quia quem totus mundus, inquit Imperfectus, capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo uteri ſui meruit ſola ipſa ſuſcipere. Aliquid latet in his verbis, quod reſecare neceſſe eſt. Sanè ad excipiendum Verbum Dei è cœlo ad terram advertans, neceſſe erat, ut tota ſe componeret atque expediret creatura ad tantum hoſpitem lautiùs excipiendum. Oportebat ſanè ut totus geſtiret mundus, totuſque ſe advenienti gratus, jucunduſque offerret. Cæterùm longè aliter cum Verbo Dei actum eſt: tantum enim abfuit, ut totus mundus ad illud excipiendum ſeſe ornaret, ut nunquam deornatior, & turpior fuerit. Nunquam enim, ait Auguſtinus, mundus immundior fuit, quàm cùm Verbum caro factum*

q ex Joan. 1. 14 *eſt q. Et Ioannes 1 ſcribit in Evangelio, In mundo erat, & mundus eum non cognovit: in propria venit,*

r Joan. 1. 10. & 11 *& ſui eum non receperunt. Itaque vel hi, qui illi cognatione conjuncti erant, hoſpitem recuſarunt. Quid ergo Dei Verbum, ad quod excipiendum haud ſatis erat totius mundi plenum obſequium, adducere potuit, ut in mundum veniret tunc, cùm mundus imparatior, & ad illud recipiendum ineptior erat? Illa profectò induxit Fœmina, in qua totius mundi, atque creaturarum omnium coactas perfectiones contemplans Dei Verbum ad ſe recipiendum paratas & expeditas, nullum ſanè mundi, atque aliarum creaturarum obſequium deſideravit, imò contempſit. Id ſibi volunt illa verba præmiſſa: Maria ſpecioſior facta fuit, & dignior, quàm totus mundus: quia quem mundus non merebatur accipere, in cubiculo uteri ſui ſola ipſa ſuſcipere meruit.* Deus igitur illam facit hodierna die naſci ut mundum novum fundatum ſuper juſtitiam & ſanctitatem, irrigatum jugiter gratioſis influentiis Sapientiæ æternæ, latum deſideriis ipſius penitus Divinis, ſuſtentum inſtar aëris, inflammatum more ignis, deferentem in intellectu ſuo Solem ſplendentem rationis, Lunam ſcientiæ, & planetas & aſtra claritatis incomparabilis omnium veritatum. Ita ut B. Virgo ſit veluti compoſita ex omnibus aliis creaturis, quæ ſunt in ipſa per ſuas virtutes & perfectiones in gradu eminentiæ, ſicut omnes fluvii & univerſi fontes ſunt in mari, *Omnia flumina intrant in mare ſ. Flumina ſunt chariſmata*

ſ Eccl. 1. 7 *Spiritus ſancti: omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam,* ait S. Bonaventura t. Et gratia quam ipſa

t S. Bon. lect. 2. Specul. B. M. ſuſcepit, eſt aliquo modo infinita & immenſa, *Gratia ſancta Virginis eſt immenſa*, ait S. Epiphanius loco ubi ſuprà. Id eſt, æquè magna ac ipſam pura creatura poteſt recipere; quòd non ſolùm fuit in conceptione Filii ipſius, in incarnatione Verbi Divini in ventre ipſius, ſed etiam in immaculata ipſius conceptione, in qua licèt ipſamet B. Virgo non haberet titulum & qualitatem Matris Dei, tamen cùm illius electionem & nominationem haberet a ſanctiſſima Trinitate, ipſa diſponi non poterat ad hunc honorem niſi media plenitudine gratiæ, quæ fuit in ipſa ſuperabundans, & tunc major quàm fuerit unquam gratia omnium hominum, & univerſorum Angelorum. Ita ut mundo hoc viſibili formato, alter eſſet in idea Divina, cumulatus omni pulchritudine & perfectione, qui eſſet majorem aliquando Deo gloriam allaturus, ingentius gaudium & oblectamentum Angelis, & majorem utilitatem hominibus qui recurſuri eſſent ad favores ipſius, quam totus ille mundus tantis perfectionibus dives: ſic ut non eſſet aliquid in hoc mundo quod non appeteret nativitatem illius, cujus pulchritudo tantam erat allatura perfectionem, ut totus mundus ſimul ulterioris ſuſcipiendæ non eſſet capax, imò nec Deus ipſe potentia ſua ordinaria ſimilem poſſet concedere. Et ſi eſt aliqua qualitas in mundo creato, quæ poſſit nobis illam repræ-

ſentare, ipſa ſanè erit lux auroræ, quæ pollicetur nobis acceſſum Solis; aut lux Lunæ, quæ venit nos illuminatum inter noctes tenebroſas hujus miſeræ vitæ; aut lux Solis, quæ ſe communicat ſine diviſione, cùm ipſa B. Virgo ſit veluti radius Divinitatis, quippe cui Eccleſia applicat hæc verba Sapientiæ u: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Et quam ideò Doctores, ut ſuprà recenſui, vocant quaſi infinitam imaginem bonitatis Dei. Quàm felix es glorioſa S. Anna, dare hodiernâ die talem Puellam mundo! Quàm ritè cõpenſatur tua ſterilitas, cùm terminetur ad talem productionem, quæ plus valet incomparabiliter quam omnes aliæ, quæ uſque nunc factæ ſunt, & ſient impoſterùm in toto orbe! Nomen tuum parturire meretur hanc creaturam, cùm ſignificet gratiam, ad innuendum quòd gratia fecit iſtud mirabile, quod exire non poterat è ſolis manibus naturæ. Oportebat ut cœlum elaboraret hoc opus eximium, & daret hunc mundum novum mundo jam ſeni, novum iſtud cœlum cœlo jam faſtigato in curſu ſuo, & hanc novam terram terræ jam ſterili & infructuoſæ ob ſenectutem ſuam. Ipſa manus omnipotens Spiritus ſancti perfecit hanc imaginem, ſupplens incapacitatem naturæ, & faciens officium virtutum, quarum parens eſt & principium x, collocans amorem ardentiſſimum in corde ejus, ſapientiam in cerebro illius, fortitudinem in appetitu illius, ipſamque faciens abyſſum aquarum ſuarum ſpiritualium & Divinarum: *Quid mirum ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* ait S. Bonaventura y. Cùm per eam deberet aboleri noſtra maledictio, & cœleſtis in nos invehi benedictio, quippe quæ poſt Deum fuit origo totius boni noſtri.

u Sap. 7. 26

x Jacob. 1. 17

y S. Bon. in Specul. B. M. lect. 3

III. Pars.

Verbum æternum agnoſcens quòd poſt lapſum Protoplaſtorum noſtrorum, cùm uterque vetito *de fructu comêdit* z, eſſe quod nobis tribuerat per creationem, cùm nos *creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* a, nobis parùm erat utile, niſi illud repararet, voluit fieri homo; & cùm poſſet hanc reparationem peragere unico verbo, ſicut *omnia per ipſum facta ſunt* b, voluit nihilominùs ſe noſtris infirmitatibus ſubjicere, & induere ſe carne noſtrâ, & ad hunc finem eminentem, præparare ſibi Matrem ſic perfectam qualem vobis repræſentavi, imò magis quàm cogitare poſſim, & interventu ejus, in cujus utero ipſummet *Verbum caro factum eſt* c, reddere nobis vitam, gratiamque quam amiſeramus, & mundum ſenio confectum renovare, in priſtinumque ſtatum eum revocare: *Hanc,* ait Salazar d, *ob rationem Virgo Creatori rerum tunc ob oculos obſervabatur, cùm res denuò formabat. Prævi derat enim futurum, ut mundus, quem tunc ipſe novum & recentem produxerat, aliquando ſeneſceret, & interitui proximus eſſet. Atque adeò illi ſtatim in mentem venit Maria, quæ ſeneſcenti mundo, & grandævo vernantem quandam juventutem allatura erat. Accipe Andreæ Ieroſolymitani Epiſcopi venuſta verba in hanc ſententiam in ſermone de Annunciatione. Hodie, inquit, ſumma univerſi opifex potentia conceptum apud ſe jamdudum de rerum creatione conſilium ad finem perducit. (Quodnam verò hoc conſilium fuit?) Quia prior noſtra effigies novam figuram conſequitur, & ſenio quaſi confectus mundus per Mariam peccatorum ſenectam exuit. Obſerva illa verba, peccatorum ſenectam. Mundus enim non aliter, niſi per peccata ſeneſcit, & antiquatur. Nam, ut ait Paulus* e, *Quod antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt. Cùm ergo nihil mundum interitui magis proximum reddat quàm peccata, tunc ſanè illum maximè conſenuiſſe dicemus, cùm peccata plurimùm abundant. Et quidem memini me apud Auguſtinum lectitaſſe in libro de Doctrina Chriſtiana (neſcio an alibi) tria omnino delicta in mundo ſeneſcente regnaſſe, ſcilicet turpitudinem, faſtum, & avaritiam: hæc enim omnia, inquit, ſenum vitia ſunt. Nam ſenes avari admodum ſunt, & cùm honorem canis deberi putent, plùs æquo illum affectant, & ambiunt. Turpitudo autem licèt juventutis propria ſit, tamen illos qui juventutem in voluptatibus & libidinibus triverunt, turpitudo non deſerit in ſenecta: imò conſuetudine longâ confirmata aliquando in ſenibus ardentior eſt, atque adeò mundum, qui olim ſuam adoleſcentiam libidinibus mancipavit, & nunquam illas interrupit, turpitudo ad canos uſque comitata eſt. Quorſum hæc? Ut intelligamus, mundum gravi ſenio confectum fuiſſe tunc, cùm Maria ad illum innovandum venit. Avaritia faſtus, & turpitudo vigebant. Videre licebat hoc in Principibus ejus ſeculi, ad quorum mores reliqua multitudo ſeſe efformare & effingere ſolet. Quid Herode turpius* f*? Quid Auguſto Tyberio, ac reliquis Cæſaribus vel ſuperbius, vel avarius? Igitur Maria ut hâc ſenectâ mundum exueret, nata, contra illa ſenum vitia oppoſita remedia mundo invexit: nimirum virginitatem † adverſus turpitudinem, miram humilitatem * contra faſtum, & paupertatem* g *voluntariam contra avaritiam. Ita jure optimo Andreas ille Ieroſolymitanus dixerit, Senio quaſi confectus mundus, per Mariam peccatorum ſenectam exuit. Illa ſcilicet peccata depoſuit mundus, quæ illum ſenectutis arguebant.* Sicut reverâ mirum eſt, quòd cum B. Virgo ſit *hortus concluſus, fons ſignatus* ‡, tamen omne quod mundus poſſidet pulchrum, excellens, & perfectum, non eſt niſi radius & participatio gratiarum, quas Maria poſſidet, & quas ipſa communicat, non ſecus ac Sol communicat lumen ſuum, & radios ſuos. Quod Pſalmiſta *h* ritè cognoverat, dicens, quòd Deus ſtatuens creare eam, quæ futura erat Mater ſua, eamque admirabilem exhibere oculis omnium generationum, quæ dicturæ eſſent mirabilia de illa, meminit Rahab & Babylonis, & aliorum populorum ab ipſa remotorum, qui deberent ad illam recurrere, *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Quaſi diceret, quòd Deus conſiderabat eam ut aſylum & commune refugium peccatorum, & eam quæ illos reſtitueret deberet in amicitiam ipſiuſmet Dei ipſorum.

z Gen. 3. 6

a Gen. 1. 27

b Joan. 1. 3

c Joan. 1. 14

d Salaz. in Prov. 8. 22 num. 271

e Hebr. 8. 13

f ex Matt. 6. 17

† ex Luc. 1. 34

* ex Luc. 1. 38

g ex Luc. 2. 7

‡ Cant. 4. 12

h Pſ. 86. 3. &c.

Inde prodierunt tituli honorabiles, quos ſancti Doctores attribuunt ei, vocantes eam Reparatricem hominum, Redemptricem orbis, Mediatricem inter Deum & homines: *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit,* ait S. Epiphanius i. Inde manarunt tot nomina, quorum diverſitas eſt ferè infinita, & quæ pietas fidelium quotidie dat ei, qualia ſunt nomina, Dominæ gratiæ, Dominæ miſericordiæ, Dominæ boni auxilii, Dominæ vitæ, Dominæ ſpei, Dominæ bonæ viæ, & multa alia quæ quaſi ad infinitum uſque multiplicantur; quia cùm beneficia, quæ ab ea ſuſcipimus ſint innumera, nomina quæ ea exprimunt, debent ſimiliter eſſe innumera. In quo ipſa accedit ad magnitu-

i S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.

gnitudinem Dei : cùm enim ipſe cognoſci non poſſit à nobis, nec perfectiones ejus unico nomine valeant exprimi, multa attribuimus ei nomina, ut explicemus pluralitate, quantùm poſſibile eſt infirmitati noſtræ, id quod non poſſumus unitate : ſic multa tribuimus nomina B. Virgini, ut explicemus magnitudines ejus, quæ non poſſunt exprimi unico; & quæ omnia ſignificant gratias & benedictiones, quæ ab ea derivantur ut ab origine omnis benedictionis. *Ad illam enim ſicut ad medium*, dicebat ſuprà S. Bernardus k [k S.Bern. ſerm. 2. Pent.], *ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno*, id eſt, in purgatorio, *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlis, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur* l [l Eccli. 36. 18]; *qui ſequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes* m [m ex Luc. 1. 48] *Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cœli & terræ. Pater ſpirituum, ait Apoſtolus* n [n ex Epheſ. 3. 15], *ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: Ex hac ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.*

Hæc omnia inducunt nos ad exhibendam ei reverentiam omnem poſſibilem ut Matri noſtræ, ut Dominæ noſtræ, & ut Reginæ noſtræ. Sicut Mater, ipſa nobis debet amorem; ſicut Regina, debet nobis gratiam; ſicut Domina, debet nobis auxilium : ſimiliter ſicut Matri noſtræ, debemus ei obedientiam; ſicut Reginæ noſtræ, debemus ei reverentiam; ſicut Dominæ noſtræ, debemus ei honorem : ſi honoremus eam, ipſa nos diliget; ſi revereamur eam, ipſa nobis auxiliabitur; & ſi ſerviamus & obediamus illi, ipſa nobis providebit gratias ſuas, quarum interventu mitigabit ipſa Filium ſuum, qui poſtquàm dederit nobis gratiam ſuam, dabit etiam nobis gloriam ſuam.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Joan. 12 32.

Sicut certiſſima nota immenſitatis Dei noſtri eſt ut ita ſit ubique ut non poſſit mutare locum, ut repleat capacitatem cœlorum, & ita vivè ac intime pervadat omnia quatuor elementa, & omnia alia corpora, quæ ex illis ſunt compoſita, vel eis miſta, ut nullum ex eis dici poſſit abſens minimâ vel intercapedine, quantùmlibet ipſum ſit exile, ab iſta Majeſtate infinitâ; imò verò ſupergrediatur cœlum Empyreum exceſſu altitudinis illimitatæ, glorioſiùs & ſplendidiùs quàm *Olympus mons, cujus vertex uſque adeò attollitur ut ſumma ejus accolæ cœlum vocent* a [a Calepin. in Diction. V. Olympus.], apicem ſuum elevet ſuper depreſſas planities, vel herbas agrorum; ſic ut ipſe ſemper ſit ubique, nec unquam poſſit exire ex aliquo loco ut eat in alterum, propter quod ipſemet dicebat apud unum è Prophetis ſuis, puta Jeremiam b [b Jer. 23. 24.], *Numquid non cœlum & terram ego impleo?* Et quod inducebat Salomonem, qui conſiderabat capacitatem cœlorum nimis exiguam ad illum continendum, ut diceret ei per ciius admiratione & ſtupore, *Cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt* c [c 3. Reg. 8 27]: ſic aliunde ſi accidit ut Deus iſte, qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* d [d Baruch 3. 25], voluerit veluti coarctare pallium immenſitatis ſuæ, ſi ita loqui fas eſt, & quaſi reducere hanc magnitudinem in volumen exiguum, per ſumptionem corporis humani, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e [e Philipp. 2 7], *ubi venit plenitudo temporis* f [f Gal. 4. 4], *in terris viſus, & cum hominibus converſatus* g [g Baruch 3. 38]: certiſſimum teſtimonium quod inducere nos debet ad credendum, quòd eum hac abbreviatione, & iſtâ novâ figurâ ipſe ſemper habet eandem majeſtatem & eandem authoritatem quam anteà, eſt videre, quòd hoc exiguum corpus, ubicumque adeſt, illuc confeſtim ſecum trahit omnes creaturas : cùm enim ipſæ realiter & ſingulariter inveniantur in fœcunditate omnipotentiæ Dei, qui ipſas animat, qui ipſas movet, & qui dat ipſis omnibus eſſe, & ſubſiſtere : *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* h [h Act. 17. 28.]: oportet in bonâ conſequentiâ, ut ubi reperio Deum, ibi ſimiliter inveniam officinam & velut ſecluſorium omnium rerum; & ut, ſi Deus iſte habens corpus, mutat locum, attractione neceſſariâ poſt ſe venire faciat univerſas creaturas. Unde fit ut exiens *à Patre, & in mundum* i [i Joan. 16. 28] veniens, deſcendens è cœlo in terram, ipſe traxerit ſuaviter totam univerſitatem Angelorum, qui deſcenderunt in ſpeluncam Bethleemiticam, ubi Mater ſua ipſum *peperit, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio. Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo : & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* k [k Luc. 2. 7. &c.]. Hodie verò ait, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Ut oſtendat quòd ipſe eſt æqualiter potens, *Et Pater omnium* l [l Ephes. 4. 6], in cœlis ſicut in terra, & in terra ſicut in cœlis. Quòd ſi humiliatio Filii Dei nobis fuit ita favorabilis, ut tota magnitudo ipſius abbreviata fuerit intra limites humanitatis noſtræ; exaltatio quæ fit ipſius in Cruce, nobis erit utilior, cùm trahens nos poſt ſe, noſtram parvitatem ferat in vaſtas extenſiones immenſitatis : *Et ego ſi exaltatus fuero à terra*, id eſt, *in cruce levatus; omnia genera hominum, id eſt, quoſdam de omnibus, ſcilicet, juvenes & Virgines, Judæos & Paganos, doctos & ſimplices, pauperes & divites, traham ad meipſum, non violenter, ſed amorosè, id eſt, per fidem & charitatem convertam eos ad me. Chriſtus enim moriendo ſatisfecit pro omnibus, quantum fuit in ipſo, & merito ſuæ paſſionis, infuſa eſt Electis in toto mundo gratia, per quam auditâ Evangelicâ prædicatione, ad Chriſtum converſi ſunt, ſecundùm quod Iſaias* m [m ex Iſai. 55. 5] *prædixit, Gentes quæ non cognoverunt te, ad te current. Et Pſalmiſta* n [n Pſ. 21. 28], *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus o [o Dion. Carth. art. 31 in Joan. 12. 32]. B. Virgo, Filius tuus gloriatur ſe poſſe trahere creaturas omnes poſt ſe exaltatione ſuâ; ſed audeo

deo dicere, quòd ipſa habes unde plùs glorieris quàm ille, cùm non per exaltationem tuam, ſed per humiliationem tuam *p*, traxeris ad te & in viſcera tua, non creaturas, ſed eum qui eſt *Creator omnium* q. Effice ut poſſimus eum videre exaltatum in Cruce, poſtquàm conſideravimus & adoravimus eum inter brachia tua, per iſtud, *Ave Maria.*

p Luc. 2, 38
q Eccli. 24, 12

Nunquam S. Paulus *r* pronunciavit veriùs hanc generalem propoſitionem circa prodigioſos & innumeros eventus qui acciderunt aliàs filiis Iſraël, cùm dixit, quòd non erant niſi figuræ & repræſentationes ænigmaticæ perſonæ Filii Dei, & eorum omnium quæ peragenda forent per totum vitæ ipſius decurſum, *Omnia in figura centiugebant illu*: quàm in eo quod intuetur hiſtoriam ſanguinolentam & lugubrem paſſionis, quam ipſe pertulit in arbore Crucis. Eſto enim quòd infinitæ hiſtoriæ quæ peractæ ſunt ſeu repræſentatæ in illa Lege antiqua, figuraverint vel actiones, aut miracula, quæ Filius Dei patravit in vita ſua, vel myſteria Eccleſiæ, quæ adimpleta ſunt in ipſius perſona; dico quòd ipſæ referri debent veriùs ad myſterium adorabile Crucis, cùm ibi præcipuè ſumpſerit ipſe figuram, cùm tantùm ſuſcepiſſet per ſuam incarnationem formam hominis, vel ſervi, ſicut ait idem Apoſtolus *ſ* de eodem *Chriſto Ieſu*, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sed formam quæ nondum habebat ullam propriè figuram, donec vidimus *hunc crucifixum* t. Et ſicut cùm *in principio creavit Deus cælum & terram, terra erat inanis & vacua* u: id eſt, Deus fecerat quoddam chaos, quod erat maſſa cōfuſa, in qua videri non poterat forma, nec pulchritudo, donec placuit Deo diſtinguere cœlos ab elementis, & elementa abinvicem, & darè unicuique rei quandam formam, & quendam gradum perfectionis ſecundùm ſpeciem uniuſcujuſque, cùm anteà res omnes eſſent ſub indifferentiâ, ut fierent eo modo quo placiturum erat Deo, pulchræ, vel deformes: *Erat enim terra cum aquarum abyſſo ſibi ſuperfuſâ*, dicit Cornelius *x*, *quaſi chaos quoddam inane, rude & indigeſtum, de quo Ovidius:*

r 1. Cor. 10, 11
ſ Philipp. 2. 5. &c.
t 1. Cor. 2. 2
u Gen. 1. 1 & 2
x Cornel. in Gen. 1. 2

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre chaos, rudis indigeſtaque moles;
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non benè junctarum diſcordia ſemina rerum:

Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus cùm carnem ſumpſiſſet humanam, apparuit in mundo cum parvo corpore involuto *pannis*, *& in præſepio* y inter duo animalia reclinato, ſic ut ferè cognoſci non poſſet, num eſſet creatura rationalis, licèt re verâ eſſet Deus, & ſemper præſens Patri, ſicut ipſemet hoc confiteri videtur per Pſalmiſtam *z*, ſuum ſic alloquens eundem Patrem ſuum, *Vt jumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum.* Seu, juxta S. Hieronymum a, *Vt jumentum factus ſum apud te. Portans in carne peccata* b *populi tui. Et ego ſemper tecum. Ego in te & tu in me* c. Et S. Athanaſius *d* ait, *Si enim fuiſſet Pater aliquando ſine Filio, nunquam prorſus præſumens indicaſſet per Prophetam, Et ego ſemper tecum.*

y Luc. 2. 7
z Pſ. 72. 23
a S. Hier. in Pſ. 72. 23
b ex Iſai. 53 12
c ex Joan. 17 21
d S. Athan. lib. 5. de Trinit.

Non poterat in ipſo videri ulla vera & perfecta figura, quæ ipſum in omnibus & per omnia deceret, cùm modò per aliquam actionem ſe monſtraret hominem, ut cùm *eſurit, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei* e: cùm *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem* f: & cùm *lacrymatus eſt* g: Modò minùs quàm hominem, *Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim, Quoniam in furorem verſus eſt* h: Modò præ ſe ferret aliquam notam Dei, ut cùm *venit ambulans ſuper mare: qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes, Verè Filius Dei es* i: Sed relinquens ſemper in mente hominum neſcio quænam involucra opinionum, quæ faciebant ut hi non agnoſcerent ipſum pro Meſſia, & pro eo quod ipſe erat, *Et murmur multum erat in turba de eo: Quidam enim dicebat, Quia bonus eſt: Alij autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas* k: donec ſuffigeretur Cruci, ubi verè ſuſcepit ipſe figuram novam, & ſitum ſic extraordinarium, ut audacter dicere poſſim, quòd id omne quod repræſentabat myſterium Crucis iſtius in lege Moyſis, ſicut cùm inter alias umbras, in deſerto idem *fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno; quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* l: erat figurativum, non ſolùm prout habebat alicujus rei repræſentationem; ſed etiam in eo quòd figuram repræſentabat congruentiorem & decentiorem quàm Jeſus Chriſtus poſſet unquam habere: *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, ait S. Joannes *m*. Fortaſſis admiratione ciebit vos hæc mea propoſitio: ſed conſiderate quòd ſublimiſſima perfectio, quam S. Paulus *n* attribuit Jeſu Chriſto, eſt eum vocare ſplendorem Patris ſui, & figuram ſubſtantiæ ipſius, *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* Atqui hæc perfectio nunquam convênit ei meliùs quàm per hunc ſitum quem habet in Cruce. Si ergo pro eo quòd ipſe eſt in Cruce, ipſe eſt ſplendor Patris ſui, & figura ſubſtantiæ ipſius; ſi defert vivos charactêres Patris ſui, ſi micare facit attributa præcipua Patris ſui per figuram quam habet ſuper iſtâ Cruce: nonne dicetis quòd hæc figura eſt congruentiſſima & decentiſſima illarum omnium quæ poſſint ipſi dari? Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere in prima parte diſcurſus iſtius. In ſecunda verò monſtrabo vobis quòd utlic ipſe ampliorem debet habere potentiam trahendi nos ad ſe cum non poſſimus eum ſequi, quin feramus crucem noſtram.

e Matth. 4. 2 & 11
f Joan. 4. 6
g Joan. 11. 35
h Marc. 3. 21
i Matth. 14. 25. &c.
k Joan. 7. 12
l Num. 21. 9
m Joan. 3. 14. & 15
n Hebr. 1. 3. ex Sap. 7. 26
Diviſio.

In hac ergo Cruce manifeſtavit ipſe nobis magnitudinem & omnipotentiam, quam hæreditaverat à Patre ſuo, titulum veri Dei meliùs quàm in omni alia re, ſicut ipſemet Judæis alias *dixit*, *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum* o. *Id eſt, poſtquàm erexeritis, & confixeritis me in patibulo Crucis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum Chriſtus Filius Dei* p. Judæi incedebant in tenebris obſcuris, quibus erant obvoluti: ipſi non cogroſcebant Filium Dei: propterea Salvator hæc verba dixit eis. En nomen & qualitas Dei, dicere quòd ipſe eſt, *Ego ſum qui ſum. Qui eſt* q. Res omnes, aut fuerunt, aut ſunt, vel erunt: ſed totum iſtud non eſt niſi ad tempus, poſt quod ipſæ ceſſant eſſe: *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt*, ait S. Paulus *r*. Et Pſalmiſta ſ, *Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Sed Deus repræſentatur nobis à Daniele *t* prout *antiquus dierum*. Et Judæis *dixit Ieſus, Amen, amen dico vobis, Antequàm Abraham fieret, ego ſum* u. Et tempore paſſionis ſuæ,

I. Pars.
o Joan. 8. 28
p Dion. Carth. art. 22. in Joã. 8. 28
q Exod. 3. 14
r Rom. 8. 20
ſ Pſ. 101. 27
t Dan. 7. 9
u Joan. 8. 58

Google

ſuæ, quo *Iudas cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros; venit cum laternis, & facibus, & armis: Ieſus ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei, Ieſum Nazarenum. Dixit eis Ieſus, Ego ſum. Ut ergo dixit eis, Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram* x. [u Joan. 18. 3. &c.] Ut oſtenderet ipſe differentiam quæ erat inter eſſe ſuum & eſſe inimicorum ſuorum, *Ut dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Quaſi diceret, quòd id omne quod ſubſiſtere videtur, deficit expoſitum enti Dei, quod in æternum ſubſiſtit. Sed quia hæc omnia ſigna quæ ipſe dabat eis magnitudinis ſuæ, & verbo, & effectu, pluribus offundebant mentes eorum tenebris; ſicut fulgura quæ nocte corruſcant, reddunt per oppoſitionem vel antiperiſtaſim hanc noctem obſcuriorem & tenebroſiorem quàm ipſa anteà videretur: ipſe tandem volens eis dare ultimum teſtimonium certiſſimum ſuæ magnitudinis & omnipotentiæ, dixit illis, quòd quando ipſe Cruci ſuffixus eſſet, tunc cognoſcendus eſſet ipſe quis eſſet. Quia, inquit, ibi, ubi homo quantùmlibet robuſtus, ſentiens ſe oppreſſum tormentis & onere Crucis, non poſſet proferre verbum vel unicum, ſic terribiliter exaltabo vocem meam *cum clamore valido* y [y Hebr. 5. 7] quando commendabo *in manus* Patris mei *Spiritum meum* z, [z Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6] ut commotione, confuſione, & ſtupore ſim perculſurus mortem, diabolum, & infernum, ſicut his ſum minitatus per Prophetam a meum, [a Oſee 13. 14] *Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero inferne*: & deridens omnem eorum invidiam & malitiam, ſim perſuaſurus hominibus, *clamans voce magnâ* b, [b Luc. 23. 46] hâc horâ mortis meæ id, quod perſuadere non potui toto tempore vitæ meæ prædicationibus c, [c Joan. 7. 14] & miraculis meis d, [d Joan. 11. 43] & multi ex his qui adfuturi ſunt morti meæ, inde conſequentiam eruent infallibilem, quòd ego qui vocem ſic magnam ſum emiſſurus in gurgite tot tormentorum; non ſim moriturus præ neceſſitate, vel præ aliquâ impotentiâ, ſed præ oblatione voluntariâ, quam ego Patri meo fecerim corporis mei, ſanguinis mei, & vitæ meæ propter amorem quo diligebam homines, ſicut de me prædixit Propheta meus Iſaias e, [e Iſai. 53. 7] *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Quod nobis oſtendit, Auditores, quòd ipſe erat Filius Dei, & vera figura ſubſtantiæ Patris ſui, juxta præfata S. Pauli f verba, [f Hebr. 1. 3. ex Sap. 7. 26] *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.*

Præterea, Ipſe intuendam exhibuit in iſta Cruce majeſtatem ſuam, eò quòd dies crucifixionis ſuæ fuerit dies *deſponſationis illius* g. [g Cant. 3. 11] Ipſo momento ſuæ incarnationis ipſe elegit & deſignavit Eccleſiam pro Sponſa ſua, *In hora incarnationis, Filius Dei deſponſavit ſibi Eccleſiam*, dicit Dionyſius Carthuſianus h. [h Dion. Carth. art. 9. in Cant. 3. 11] Sed expectavit celebrare nuptias & conſummare Matrimonium ſuper thoro Crucis, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ait S. Auguſtinus i. [i S. Aug. conc. 4 in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. & ex Gen. 2. 21. & 22] Et alibi k, [k Idem Epiſt. 28] *Mater Eccleſia nos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit.* Diſtulit igitur ipſe celebrare ſolemnitatem nuptiarum, & conſummare Matrimonium ſuper thalamo Crucis, tam ut Sponſi creſcerent ætate & amore ſimul, quàm etiam quia ſtatuerat hanc Sponſam ſuam *Eccleſiam Dei, ſanguine ſuo* l [l Act. 20. 28] oſculari, ad manifeſtandum meliùs ei amorem ſuum. *Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* m. [m Gen. 29. 20] Pro ſpecioſâ Dinâ filiâ Jacob Patriarchæ, Princeps Sichem ſanguinem ſuorum vaſſallorum dedit per circunciſionem: *Amabat enim puellam valdè: circunciſis cunctis maribus* n. [n Gen. 34. 19. &c.] Sed Jeſus Chriſtus dedit ſanguinem qui erat in venis ſuis pro Eccleſia ſua, ut ipſa dicere poſſet ipſi, meliùs quàm Moyſi *Sephora ait, Sponſus ſanguinum tu mihi es* o. [o Exod. 4. 25] Unde loquens Apoſtolus p [p Epheſ. 5. 31. & 32. ex Gen. 2. 24] de primo Matrimonio inito inter primos Parentes noſtros, dicebat, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam: & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Jeſus Chriſtus derelictus eſt à Patre ſuo, & à Matre ſua, cùm ipſe celebravit Matrimonium cum Eccleſia, ut ipſe poſſet ſe meliùs dare Sponſæ ſuæ: unde videbatur ipſe queri Patri ſuo, *dicens, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* q? [q Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2] Mater ſua non adjuvit ipſum, quia non poterat: Pater ſuus non eſt auxiliatus ipſi, quia nolebat. Eſtne verum, ait Filius Dei, quòd Pater meus, & Mater mea me derelinquunt? Ha! iſtud mihi ſerviet ad amplectendam cum majori ardore Sponſam meam, quæ eſt Eccleſia, & ad adhærendum ei inviolabiliori fidelitate. Atqui ſicut dies nuptiarum eſt tempus, quo non ſolùm Principes & Reges, ſed etiam omnes homines ſecundùm ſtatum ſuum manifeſtare conantur præcipua ſuæ proſapiæ & nobilitatis inſignia, explicando pretioſiſſima ſupellectilia ſua, oſtentando ditiſſima veſtimenta ſua, & producendo exquiſitiſſima monilia quæ ſint domi: ſic Dominus noſter voluit ut ſuper thoro nuptiali Crucis apparerent & micarent præclariſſima & evidentiſſima ſuæ nativitatis & nobilitatis teſtimonia. Et licèt verum ſit, quòd cùm *aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* r: [r Matth. 17. 1. & 2] nulla tamen eſt comparatio gloriæ, quam mons Thabor ſuſcepit, cum gloria quam recepit mons Calvaria, ſuper quo idem Filius Dei apparuit etiam ſpecioſior atque ſplendidior, non quidem oculis corporis, ſed oculis animæ & fidei. Propterea filiæ Sion invitantur ad veniendum viſum majeſtatem & ſpeciem excellentem Sponſi ſui, non eam quæ micuit ſuper monte Thabor, ſed illam quæ ſplenduit ſuper monte Calvariâ: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus* s. [s Cant. 3. 11] Et licet hæc corona, quam Synagoga tribuit ei, eſſet compoſita *de ſpinis* t, [t Joan. 19. 2. &c.] tamen fuit ipſi jucundior & glorioſior quàm ſit corona, quam Pater ſuus dedit ipſi in cœlo in mercedem laborum ſuorum & Crucis ſuæ; non ſecus ac illi antiqui & generoſi athletæ, qui magnanimiter præliabaantur Romæ, tanti non æſtimabant coronam è floribus vel è lauro quæ tribuebatur ipſis pro præmio, quanti ducebant labores & pericula, quibus ſe expoſuerant, & quorum interventu ipſi ſe dignos reddiderant ut deferrent jure merito hanc coronam è floribus vel è lauro compactam: ſic Jeſus Chriſtus licèt abundanter remuneratus & glorificatus fuerit ſedens *à dexteris Dei* u [u Marc. 16. 19] Patris ſui; majoris tamen æſtimat flagella, ſpinas, clavos, lanceam, & Crucem, quibus mediis gloriam meruit, quàm ipſam gloriam quam

quam poſſidet, *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum* x. [x Hebr. 2. 9]

Ipſe exhibuit intuendam in iſta Cruce dilectionem ſuam immodicam erga homines, dilectionem quæ eſt origo & fundamentum omnium bonorum, quæ ſuſcipere poſſumus ab ipſo. Homo qui liberalis eſt, vel prodigus, aliquando benefaciet hominibus quos non diliget: V. g. continget ut inſanus, vel phreneticus projecturus ſit omnem domus ſuæ ſupellectilem, & pecuniam ſuam per feneſtras, exponens eas apprehendendas vel recipiendas ab illis quos non diligit æquè ac non cognoſcit, indifferenter ac ab illis quos amat; & hoc, quia non æſtimat valorem rerum quas projicit: ſed Salvator animarum noſtrarum, exercens erga nos tot genera liberalitatum, ipſe qui cognoſcit apprime pretium tot bonorum, quæ ipſe nobis procurat, hoc ipſe non facit, niſi ductus amore, quo erga nos afficitur: *Nam quos præſcivit; & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit; hos & vocavit: & quos vocavit; hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit; illos & glorificavit* y. [y Rom. 8. 29. & 30] Ratio autem ſola, propter quam nos prædeſtinavit, eſt quia nos dilexerat, *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, ait Pſalmiſta z. [z Pſ. 17. 20] Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, [a Dion. Carth. in Expoſit. Tropolog. in hunc locum.] *Salvum me fecit, non propter merita mea, ſed quoniam voluit me, id eſt, quia complacuit ſibi, & quia elegit me, ut apud Ezechielem* b [b Ezech. 36. 22] *legimus, Non propter vos ego faciam, ait Dominus, notum ſit vobis, ſed propter nomen ſanctum meum.* Et ſi Pelicanus facit pro ſuis pullis id omne quod facere poteſt parens amans, cùm referatur à Calepino d [d Calep. in Diction. V. Pelicanus.] *ſe graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi effuſo reviviſcunt*: Filius Dei nobis meliùs oſtendit quàm unquam monſtravit, quòd ipſe eſſet *Pater noſter* e, [e Matth. 6. 9] Conſervator noſter, & *Deus noſter* f, [f Pſ. 45. 2] cùm voluit undequaque aperiri, ut pluere faceret ſuper capita noſtra ſanguinem ſuum pretioſiſſimum, qui eſt pignus certiſſimum vitæ Dei, cujus oblationem faciebat ipſe Patri ſuo pro ſalvanda vita hominum, cùm carnifices *foderunt manus, & pedes* g [g Pſ. 21. 17] ipſius, & *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* h, [h Joan. 19. 34] *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* i. [i Apoc. 1. 5]

Tandem, In iſta Cruce ipſe mentibus noſtris aperuit fideliores notas ſuæ Divinitatis quàm unquam ſciri potuerint. In quo ipſe videtur feciſſe, ſicut ait Mathematicus, qui cùm conatus fuerit multis verbis edocere diſcipulos ſuos demonſtrationes ſuas, agnoſcens quòd poſt tantum laborem ipſi nondum comprehendunt quid ſignificent hi anguli, iſtæ æqualitates, hæ lineæ, iſta puncta, &c. quid agit? Ipſe ſumit virgam, & figuram ſuam delineat in tabula, & ſic demonſtrat in tabula id quod ipſi non potuerant concipere verbis: ſic Deus locutus erat, & multa dixerat mundo per Prophetas, & per Scripturas de *charitate* k [k Jer. 31. 3] ſuâ, & de *humilitate* l [l Act. 8. 33 ex Iſai. 53. 8] ſuâ: ſed homo carnalis nunquam potuerat intelligere & intimè pervadere hæc ſecreta Dei, quantùm ipſe ſit humilis, æquè ac quàm immenſa ſit ipſius Divina charitas: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* m. [m 1. Cor. 2. 14] Quid autem fecit Deus? Ipſe fecit demonſtrationem ſuper monte Calvariâ, ipſe ſuffixit Filium ſuum tabulæ Crucis, & dixit, O munde, viſne videre quàm *mitis & humilis corde* n [n Matth. 11. 29] eſt, æquè ac *quàm bonus Iſraël Deus* o; [o Pſ. 72. 1] Id eſt, quantùm te diligat? Contemplare ipſum in iſta Cruce.

Vel, ſi velitis, Sicut tapes, qui eſt plicatus, abſcondit eximias figuras & hiſtorias quæ ſunt in ipſo repræſentatæ; ſed ſi explicetur, & tribus vel quatuor clavis affigatur parieti, tunc clarè videtur id quod ibi latebat anteà: ſic Jeſus Chriſtus, qui erat fidelis tabella, vel tapes, in quo Pater æternus penicillo vel digito ſuo, qui eſt Spiritus ſanctus, repræſentaverat omnes perfectiones ſuæ Divinitatis, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* p: [p Coloſſ. 2. 3. & 9] quippe *qui eſt imago Dei inviſibilis* q: [q Coloſſ. 1. 15] quandiu *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* r, [r Baruch 3. 38] *prædicans & evangelizans Regnum Dei* ſ, [ſ Luc. 8. 1] & dicens eis id quod ipſe erat, non cognoſcebatur, nec æſtimabatur: non enim ſibi conciliabat ipſe fidem Judæorum: ſed ipſe excogitavit hanc adinventionem, dicens eis, Alligate hanc tabellam tribus aut quatuor clavis muro Crucis, explicate hanc præclaram telam, & in ipſa confeſtim videbitis charactêres Divinitatis, & cognoſcetis ipſam eſſe ſplendorem gloriæ Patris ſui, & figuram ſubſtantiæ ipſius, *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum* t. [t Joan. 8. 28]

Miramini pro eo quòd homines Dei Filium non cognoſcebant: nec ego miror quòd propter id vos miremini: *Eſt enim ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* u. [u Sap. 7. 26] Quod conſequenter repræſentabat id omne quod ipſi præponebatur: ſpeculum, ubi aderat Divinitas, & aliunde humanitas. Homines intuebantur in hoc ſpeculo: ſicut autem homines præ facie ſuâ non ferunt niſi miſeriam, paupertatem, afflictionem, & mortalitatem; ſic & viderunt in iſto ſpeculo repræſentationem omnium iſtarum infirmitatum, unde & dixerunt: *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum. Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum* x. [x Iſai. 53. 2. &c.] Sed Pater ſuus eſt ipſum intuitus aliunde, & vidit in iſto ſpeculo omnes perfectiones ſuas ſic genuinè repræſentatas, ut audita ſit ipſius *vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* y. [y Matth. 17. 5] Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum z, [z Dion. Carth. art. 6. in Matth. 3. 17] *Hic eſt Filius meus naturalis, coæternus, & unicus, non adoptivus. Dilectus, quem ſecundùm quòd Deus eſt, tantùm diligo, ſicut meipſum, videlicet ſuperæſtuanti, dulciſſimo, penituſque infinito amore. Secundùm verò humanitatem ejus aſſumptam, Verbo unitam, diligo eum ampliùs quàm totum univerſum: quoniam majus bonum contulit ei ſoli, quàm omnibus aliis ſimul, videlicet perſonalem unionem cum Verbo, & gratiam ſine menſurâ. In quo mihi complacui, id eſt, de ipſo, & ejus perfectione in meipſo complacentiam delectationemque habeo, tanquam qui talem Filium genui, tam ſpecioſum, ſanctum, & mihi omnino ſimillimum.*

Quòd ſi *Phidias nobilis fuit ſtatuarius, qui in ebore ſcalpendo claruit: Diis tamen (ut inquit Quintilianus) quàm hominibus efficiendis melior*, ut recenſet Calepinus a, [a Calep. in Diction. V. Phidias.] qui ſubdit: *Inter hujus opera præcipuè commendata eſt Minerva ſtatua, quam Athenis ex ebore fecit viginti ſex cubitorum altitudine*, &c. Et ſculptor iſte ſic peritus erat

artis

artis ſuæ, ſicut referunt alii, & ita induſtrius, ut omnes figuræ vel ſtatuæ quas ſculpebat, non ſolùm repræſentarent perſonam de qua agebatur, ſed etiam faciem ipſiuſmet authoris, qui ipſas fecerat, quod erat ipſius nota, per quam agnoſcebantur hujuſmodi ſtatuæ opera Phidiæ: multò melius Pater æternus faciens iſtam Divinam ſtatuam vel figuram, *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* b: hanc Divinam Minervam, id eſt, cœleſtem Sapientiam: *Fabulantur autem Poëtæ Minervam ex cerebro Iovis eſſe prognatam: quo commento ſignificare volunt humaniorum literarum diſciplinas humani ingenij non eſſe inventum, ſed ex Iovis cerebro, hoc eſt, ex inexhauſto Divinæ Sapientiæ fonte ad hominum uſum eſſe depromptas*, ait præfatus Calepinus c: Et Eccleſiaſticus d, *Prior omnium creata eſt Sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo: Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis: Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt: Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe*: non ſolum poſuit in ipſa omnia lineamenta, & univerſos characteres ſuæ Divinitatis; ſed etiam in ipſa dereliquit evidentia teſtimonia, quòd ipſemet fecit hoc opus eximium: alia enim manus à manu Dei omnipotentis, non poterat applicare ſcalprum huic ſpecioſæ figuræ: nunquam enim potuiſſent homines animati ſpiritu diaboli, de quo dicitur, *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei* e, ſuas injicere manus ſuper iſtum virum *ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* f eum, & ad inferendam ei minimam vel injuriam, niſi Pater æternus, qui eſt magnus iſte Sculptor, iſtud ſic decreviſſet: ideòque ipſe uſus eſt carnificibus, militibus, & Judicibus eo planè modo, quo ſculptor aliquis inſumit aliquem è miniſtris vel tyronibus ſuis, inter quos nullus auderet applicare manum ſuam, vel ſcalprum ſuum operi ipſius, niſi ipſo permittente: propterea cùm *Pilatus ingreſſus prætorium, dicit ad Ieſum, Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te? reſpondit Ieſus, Non haberes poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper* g. Re autem verâ ſusceptâ à Deo hâc poteſtate *tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Pilatus autem tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Et crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum. Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit* h.

b 1. Cor. 2. 2
c Calep. in Diction. V. Minerva.
d Eccli. 1. 4. &c.
e Job 41. 24
f Matth. 20. 19
g Joan. 19. 8. &c.
h Joan. 19. 1. &c.

Et ad finiendam primam partem diſcurſus iſtius per comparationem noſtræ imaginis: ſicut pictor vel ſtatuarius, qui perfecit opus ſuum, exponit illud palam, ut videri poſſit ab omnibus; & ſtatim unuſquiſque currit illuc undequaque cum deſiderio extraordinario, ſive ad admirandam excellentiam artificii illius, ſive ad emendam hanc imaginem; vel ſaltem illi, qui non poſſunt eam emere, quia pictor vel ſtatuarius vult eam cuſtodire domi ut opus eximium, deſiderabunt habere tranſumptum illius operis, ipſumque ſumere pro exemplari perfecto operis exquiſitiſſimi eorum omnium, quæ ipſi collocare poſſint in conclavibus ſuis, quippe quod extractum fuerit è prototypo ſic excellenti: ecce myſterium quod nobis eſt ritè conſiderandum.

II. Pars

En, inquam, fructus præcipuus quem educere debemus ex hoc opere eximio, quod Pater æternus perfecit in perſona Filii ſui, qui in infamia & in opprobrio Crucis repræſentavit totum ſplendorem & totam gloriam ſubſtantiæ ejuſdem Patris ſui, cùm ultimam manum applicuerit imagini Divinæ, quam elevavit ſuper montem Calvariam, coram omnibus viventibus: *Notum fecit Dominus Salutare ſuum: in conſpectu Gentium revelavit Iuſtitiam ſuam*, dicit Pſalmiſta i. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus k. *Notum fecit Dominus, ſcilicet, Deus Pater, Salutare ſuum, hoc eſt, Chriſtum Filium ſuum mundi Salvatorem. In conſpectu Gentium revelavit Iuſtitiam ſuam, id eſt, Chriſtum eſſentialiter juſtum atque juſtitiam, qui appellatur Iuſtitia Dei, quia Pater per eum mundum redemit, non per potentiam ſuam, ſed per modum ac viam juſtitiæ.* Etiam, Salvator adorande: cùm ſic expoſitus fuiſti coram omnibus hominibus, *exaltatus à terra, omnia ad teipſum traxiſti*: & unuſquiſque ductus eſt curioſitate videndarum raritatum, quas Pater tuus fuerat operatus in monte Calvaria: ſed heu quàm diverſimodè! Aliqui enim in illum ſanctum montem perrexerunt, ut viderent & admirarentur opus, ſtupore perciti intuitu ſpectaculi ſic horribilis, (ſicut *tres amici Iob, ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem* l) confuſione operti ad hanc viſionem, nedum ſe redderent amantes tui, qui te ſic amabilem reddideras. Sed alii venerunt illuc, mi Salvator, amantes hujus imaginis eximiæ, deſiderantes te ſibi acquirere, ut *Ioſeph ab Arimathæâ, & Nicodemus*, qui tuum *acceperunt corpus, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire* m: & aliqui alii qui comitabantur eos in devotionibus ſuis, quales erant Mariæ, exiſtimantes ſibi conciliaturos theſaurum, quem nunquam amitterent. Sed, Salvator adorabilis, ritè cognoveras, quòd iſte magnus Opifex fecerat hanc imaginem ut opus eximium, & quòd ipſam non dereret ſic ut ipſam prorſus daret, cùm tribus diebus elapſis n poſtquam ſic ipſam produxit, ipſam reſumpſerit, ipſamque retulerit in conclave ſuum æternum, ut ibi cuſtodiret ipſam chariſſimè ut rem rariſſimam, & quæ merebatur ſic cuſtodiri. O Deus, hæc imago eſt beata, & pulcherrima omnium earum quas ipſe unquam feceris, *Specioſus formâ præ filiis hominum*, ait Pſalmiſta o, loquens de hoc Filio tuo. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, *Ego piè credo, quòd Dominus meus Ieſus Chriſtus etiam quantùm ad corporalem pulchritudinem cæteras omnes, imò & Abſalonem* q *exceſſerit. Non tamen ſemper (ut arbitror) æquè pulcher in vultu apparuit, quoniam ea quæ pulchritudinem corporalem ornant, atque conſervant, non curavit, ſed ſprevit. Pulchritudo autem ejus ſpiritualis ſemper æqualis fuit, quia in gratia non profecit: pulchritudo verò corporis ſui, tempore paſſionis in tantum evanuit, ut de ipſo ab Iſaia* r *dictum ſit, Non eſt ei ſpecies, neque decor: & vidimus eum, & non erat ei aſpectus. De hâc autem multiplici pulchritudine Sponſi cœleſtis, ac Regis Meſſiæ, ait Sponſa, Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus* ſ. *Et, Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus* t. *Sic ergo* (ô *Chriſte*)

i Pſ. 97. 2
k Dion. Carth in hunc locū.
l Job 2. 11. & 13
m Joan. 19 38
n Joan. 20. 1
o Pſ. 44. 3.
p Dion. Carth in Pſ. 44. 3
q ex 2. Reg. 14. 23
r ex Iſai. 53. 2
ſ Cant. 5. 10
t Cant. 1. 16

Chriſte) tu ſpecioſus es formâ præ filiis hominum. Quòd enim idipſum ad literam de Chriſto dicitur, patet ex translatione Chaldaicâ, apud Hebræos authenticâ, quæ ſic habet, Pulchritudo tua, Rex Meſſia, major quàm filiorum hominum. Ipſe eſt, Pater æterne, quem elegiſti, & ſuſcepiſti apud te, ut ipſum collocares in altiſſimo apice paradiſi gloriæ tuæ, *Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis* u.

u Pſ. 64. 5

Euge igitur, Auditores: hoc tempore quo hæc imago appenſa eſt in Cruce, ſatis obſervare potuimus ipſius lineamenta præcipua, & vivos characteres, ad hoc ut ipſam exprimeremus in nobis, & apud nos haberemus ipſius fidelem repræſentationem. Illud eſt totum, quod Salvator animarum noſtrarum requirit à nobis, ut diligamus ipſius Crucem, & ſitum plenum amore, quem ipſe voluit habere ſuper iſtâ Cruce, ſicut pius S. Bernardus x admiratus hanc repræſentationem, ait ipſi plenus dilectione, *Super omnia reddit amabilem te mihi, bone Ieſu, calix quem bibiſti* y, *opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi. Hoc, inquam, eſt quod noſtram devotionem & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.* Obſervate, ſi placet, verba ſancti Doctoris iſtius, & videbitis in eis quatuor differentes & mirabiles effectus iſtius Divinæ repræſentationis productos in ipſius anima: *Hoc, inquam, eſt quod noſtram devotionem & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.* Hoc provocare nos debet, Auditores, ad petendum tranſumptum iſtius operis ſic eximii, id eſt, ad efflagitandam à Filio Dei participationem Crucis ſuæ, extractam è ſuâ velut è prototypo ſuo. Sed quare non ageremus iſtud, cùm hoc ſit ita facile? Si Deus nobis præcepiſſet injurias dimittere z, jejunare a, renunciare bonis, & gloriæ mundi b, &c. & ipſe iſta non fuiſſet executus, videremur habere unde nos ab iſtorum diſpenſaremus praxi: ſed cùm ipſe hæc omnia mandaverit executioni c, *Hoc eſt quod noſtram devotionem & blandiùs allicit*, ait S. Bernardus. Iſtud rapit cor noſtrum, ſuaviter hoc nos attrahit ad ipſius imitationem. Quiſnam Crucem reperiet gravem? cùm id omne, quod eſt in perſona Filii Dei, ſic fuerit mutatum, ut id quod erat anteà mortuum, ſumpſerit qualitatem vitæ; id quod erat labor, evaſerit quies; illud quod erat injuria & infamia, factum fuerit gloria & honor; & id quod erat fletus & triſtitia, converſum ſit in voluptatem & gaudium: quod inducere nos debet ad tollendam eam eò patientiùs, *Hoc eſt quod noſtram devotionem & juſtiùs exigit.* Quis inveniet eam ſatis difficilem? cùm Jeſus Chriſtus, qui eſt Caput noſtrum, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* d: *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* e: influat ſecretò & internis viribus & animo in omnia membra, ſicut è capite derivantur nervi, qui diffunduntur per totum corpus, & toti fortitudinem dant compoſito, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum.* Si projiciamus oculos noſtros ſuper hoc Divinum prototypon, id eſt, *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* f propter amorem noſtrum, Salvator iſte dabit nobis affectus humilitatis, patientiæ, & conformitatis ad ſanctam ipſius voluntatem g: hic intuitus ita corriget pravas conſuetudines noſtras, ut ſimus ituri per viam certam obſervantiæ Divinorum mandatorum ipſius, & dicturi ei cum Pſalmiſtâ h, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Et S. Bernardus concludit, *Hoc eſt, quod noſtram devotionem & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.* Tandem, Ea quæ nobis exhibebunt Crucem levem, ſunt partim minæ, quas nobis intentat ipſe, nos nunquam participes futuros gloriæ ipſius, niſi feramus alacriter crucem noſtram, *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcipulus* i. Et partim promiſſiones gloriæ ejuſdem acquirendæ, *Si compatimur, ut & conglorificemur* k. Si enim omnis homo ſapiens facit è neceſſitate virtutem, & animatur ad res difficillimas, vel quando ipſe magnum bonum expectat è talibus rebus, vel cùm timet ingens infortunium, non adimplens eas: ſi propter exiguas mercedes temporales quas ſperat aliquis à Principe mundano, tot ſuperat difficultates; & ſi veritus ne iram ejus, vel inimicitiam illius incurrat, tot rebus ſe ſubjicit importunis: quid non agere debemus ad acquirendam & cuſtodiendam amicitiam Dei, ne incurramus illius inimicitiam? Ipſe vult ut feramus crucem noſtram: quid autem expectamus? Dicamus igitur ei cum S. Paulo l, & cum S. P. Franciſco, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Quæ me exaltabunt aliquando in gloriam.

x S. Bern. ſerm. 20. in Cant.
y ex Joan. 18 11
z Matth. 5 44
a Matth. 6 16
b Luc. 14. 33
c Luc. 23. 34. Matth. 4. 2. Matth 8 2. & Joã. 6. 15
d Epheſ. 5. 30
e Coloſſ. 1. 18
f 1. Cor. 2. 2
g Matth. 6. 10
h Pſ. 118. 32
i Luc. 14. 27
k Rom. 8. 17
l Gal. 6. 17

IN OCTAVA NATIVITATIS B. V. MARIAE.

Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Cant. 4. 1.

LOcuturo de Nativitate B. Virginis Mariæ ſilentium mihi magis videtur convenire quam loquela, tùm non poſſim niſi profanare rudi diſcurſu meo magnitudinem hujus myſterii: inducor ad tacendum illud, & ſimul ad ſermonem faciendum vobis de illo: re autem verâ magnum eſt ſupplicium ac debere loqui & tacere ſimul & unà: magnitudo myſterii imponit mihi ſilentium, & pietas iſtius auditorii obſtringit me ad differendum de eo: quid agetur de me? Scio quid ſim acturus, Auditores: conformabo me nimirum ad modum procedendi S. Epiphanii a in ſimili occurſu, & illius verbis utar, *Quid dicam, aut quid loquar de præclarâ & ſanctâ Virgine? Deſiderium me trahit ut de Deiparâ verba faciam, & formido me retinet in ſilentio, ut qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iſte verò me abſtrahit. Cùm ergo ab utroque diſtinear, expedit mihi ut ſermonem habeam de percelebri & ſanctâ Virgine*, & dicam ei, *Ave Maria.*

a S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip.

Famo-

Famoſus quidam Orator antiquus cum omnem facundiam ſuam inſumpſiſſet ad evehendas eximias qualitates & magnitudines cujuſdam altiſſimæ Matronæ, poſt exhauſta omnia ingenij ſui acumina in concinnandâ virtutum ejus panegyri, concluſit tandem ſermonem ſuum verbis iſtis ſic perſæpè repetitis in ſimilibus occurſibus, ita perorando, *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, matrem te eſſe Cæſaris.* Sed dicamus meliùs incomparabiliter, Auditores, & præ majori veritate in favorem ſanctiſſimæ Virginis pro concluſione omnis panegyris, quam facundiſſimi quique Oratores poſſent de ea texere, *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, Matrem te eſſe Dei.* Iſtud eſt totum dicere, ac dicere Matrem Dei, & poſt iſtud nihil ſupereſt dicendum, cùm divina Maternitas ſit una è qualitatibus eminentiſſimis earum omnium, quas Deus poſſit dare, & quas pura creatura poſſit recipere, quippe quæ exhaurit omnipotentiam Dei, & replet totam capacitatem creaturæ, cùm opus iſtud, quod eſt ex omni parte conſummatum in ſuo genere perfectionis, non poſſit ulterius progredi, ut docet S. Thomas *b*: *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei: & beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito quod eſt Deus: & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Scriptura *c* ſacra dicit, quòd *Eſther erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur. Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis Aſſueri. Et adamavit eam Rex plùs quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema Regni in capite ejus, fecitq; eam regnare. Dixitq; ad eam Rex, Quid vis Eſther Regina, quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* B. Virgo Maria hâc fruita eſt felicitate, & dicere poſſumus poſt infortuniũ commune naturæ humanæ per peccatum Adæ, *in quo omnes peccaverunt d*, quòd Maria invênit gratiam, & miſericordiam coram Deo, magno Aſſuero cœli; ipſa eſt ſecluſorium gratiarum, & canalis miſericordiarum Dei: & licèt Deus impreſſerit charactêres magnitudinũ & perfectionum ſuarum omnibus creaturis, quæ ſunt ipſius imagines & expreſſiones, tamen gratia & miſericordia magnificantur majori ſplendore in B. Virgine, quam in omnibus operibus Dei ad extrà: ipſa habet earum plenitudinem, & Sponſus ejus proclamat ipſam bis pulchram; pulchram pro ſe, cùm ſit ſecluſorium omnium gratiarum; & pulchram pro nobis, cùm ſit canalis miſericordiarum Dei; quaſi dicat ei idem Sponſus ſuus meliùs quam diceret Aſſuerus Eſthori, Dic mihi, ſi placet, num concupiſcas aliquid à me; efflagita duntaxat quodcunque volueris, & pro certo tene quòd ſi communicare velis Regno meo hoc, contentiſſimus ero. Quale eſt deſiderium tuum? Placetne tibi Reginæ nomen? Illud tibi tribuo. Thronus meus, ſceptrum meum, & corona mea arridentne tibi? Illa omnia tua ſunt. Gratiæ meæ, & miſericordiæ meæ placentne tibi? Eſto illarum Domina abſoluta, & illas diſpone prout tibi placuerit. Illud eſt igitur quod intendo vobis monſtrare hodiernâ die, quòd B. Virgo Maria Primò eſt ſecluſorium omnium gratiarum: Secundò eſt canalis miſericordiarum Dei.

b S. Th. 1 p. q. 25. a. 6. ad 4.

c Eſth. c. 2. & c. & 5. 3

d Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6

Diviſio.

I. Pars.

Quæritur quid ſit laudandum in pueris, & in puellis circa teneros annos. Reſpondetur quòd magis luſtitur in ſpe quam præ ſe ferunt, quàm in virtutibus quas poſſident. Idem dicere poſſumus de B. Virgine naſcente, ſed potiori ratione quam diceretur de S. Joanne Baptiſta in lucem edito, *Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo e.* Et hoc eſt quod obſervavit de Ponte *f* ſuper hæc verba, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Nato Præcurſore dicebant omnes; Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Sic conceptâ Virgine aiebant Angeli, & natâ dicebant vicina, Quæ putas puella iſta erit? Quæ eſt iſta quæ modò apparet, & tam feliciter incipit, & progreditur ſicut aurora conſurgens? Sed quis progreſſum hujus auroræ poterit explicare? Aurora ſine ulla intermiſſione jugiter creſcit uſque ad perfectum diem, in quo B. Virgo reliquos Sanctos ſuperavit: qui vel aliquando retrocesſerunt, vel propter leves aliquos defectus nonnullas in ſuo progreſſu habuerunt moras: at Deipara jugiter ſine interruptione culpabili progrediebatur, & creſcebat ſicut aurora, & quolibet opere ſe ipſâ melior in dies erat. Nonne progrediebatur ut aurora, cùm puella adhuc trima in templum deducta, per quindecim ejus gradus mirabiliter aſcendit? Mirabantur quidem non ſolùm parentes & Sacerdotes, ſed ipſi Angeli qui aderant, dicentes; Quæ eſt iſta quæ in hoc templo modo novo ſine defatigatione progreditur & aſcendit ſicut aurora conſurgens? Sed plus progrediebatur intùs, quàm manifeſtabat progreſſus ille foris. Nam teſte S. Ambroſio g, inceſſu aſſ. Aug. venerabilis ro- tam ve ſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. De quâ dicere poſſumus: O quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis h! Per hos autem gradus progrediens uſque ad Angelicam Annunciationem tunc novo & prodigioſo modo apparuit, Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Agnovit hoc Gabriel Angelus, qui ingrediens ad eam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus i. Quid eſt gratiâ plena, niſi pulchra ut Luna? & quidem plena omni plenitudine gratiæ, quæ tali Virgini conveniebat, in quâ nunquam diminutionem paſſa eſt aut defectum, cujus pulchritudinem humana & Angelica natura mirantur.* Sic S. Epiphanius *k* ait ſuper hæc prætacta verba Angeli, *Ave gratiâ plena. Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa.* Et hoc modo conſiderare debemus gratiam ejus, & circa naturam, & extra naturam, & ſupra naturam; id eſt, plenitudinem ejus quantùm ad illos tres modos.

e Luc. 1. 66.

f de Pont. l. 9. in Cant. 6 9. exhor. 3. §. 4.

g S. Amb. l. 2. de Virginib. poſt init. *h* Cant. 7. 1

i ex Luc. 1. 28.

k S. Epiphã. ſer. de Laud. Deip.

Si laudare velimus eam ex parte nativitatis ejus, è prærogativis quas illinc educebat ipſa circa naturam, id eſt, conſiderare dona naturæ primò quantùm ad nativitatem ejus, ipſa deſcendit è progenie Regia, è domo David; ipſa habuit pro majoribus Duces, Reges, Patriarchas, & Prophetas: ipſa eſt tota nobilis ex parte conſanguinitatis ſuæ, & ex parte affinitatis ſuæ: cùm enim Lex *l* præciperet: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſuâ: & cuncta fœmina de eâdem tribu maritos accipient:* ipſa Matrimonium inivit cum Joſeph, qui erat ex eadem progenie Regia, ut docet S. Damaſcenus *m*, *Quòd Ioſeph ex Davidicâ tribu originem duxerit, ſanctiſſimi Evangeliſtæ Matthæus n, & Lucas o liquidò demonſtrarunt. Verùm hoc inter eos diſcrimen eſt, quòd Matthæus ex Davide per Salomonem Ioſephum deducit: Lucas autem per Nathan. Quocircà ſupervacuum pretium eſt, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam ſacram hoc in more poſitum fuiſſe, ut mulierum genus recenſeretur.*

l Num. 36. 7. & 8.

m S. Damaſc. l. 4. de Fide Orth. c. 15.

n Mat. 1. 1. &c.

o Luc. 3. 23. &c.

tur. Verùm hoc demum Lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex alterâ tribu accerſeret. Ac proinde Ioſeph, qui ex tribu Davidicâ ortum trahebat, juſtitiamq; colebat (hanc enim laudem ei tribuit Divinum Evangelium) ſanctam Virginem haudquaquam præter Legis præſcriptum deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genitam duxiſſet. Si autem agatur de affinitate ejus Divina, ha! lingua mea tace, cùm de ea loqui non poſſis niſi balbutiendo, cùm affinitatem contraxerit cum Divinitate, *Cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritûs ſancti Sponſa* p. [p Cornel in Act. 1. 14.] Iſtud eſt altiſſimum, & mentium noſtrarum captum ſupergreditur, & ideò illud taceo. Quantùm ad corpus ipſius: habebat pulchritudines omnes innocentiſſimas omnium illarum quæ fuerunt, & erunt unquam; & omne quod inventum eſt diſpei ſum pulchritudinis inter cæteras creaturas, unitum fuit in hac ſanctiſſima Virgine. Si autem ordinariè nulla alia poteſt erui conſequentia è pulchritudine, niſi quòd lenocinia ejus ſunt aliquando periculoſa, quòd imperium quod ipſa exercat, poteſt eſſe tyrannicum, quòd flammæ illius poſſunt nos conſumere, & lumina illius nos offundere caligine, & quòd ipſa ſatis ſubtilis eſt ut inter odoramenta ſua & dulcedines ſuas faciat nos haurire amaritudinem & venenum: è contrà omnes pulchritudines, quibus Maria fuit prædita, non fuerunt eiuiſi tabula raſa, in qua ipſa ſuſciperet omnes charactêres gratiarum & virtutum: & ſic non erat timendum ne lenocinia Mariæ, quibus ipſa ſe videbat ita elevatam, ut deberet eſſe *habitaculum Dei cum hominibus* q, [q Apoc. 21. 3] ipſi ſervirent loco præcipitij: quin è contrà hæc non erant niſi præludia & primæ diſpoſitiones qualitatum eminentium, quas erat ipſa recepturareliquo vitæ ſuæ tempore. Si autem deſideretis ſcire quænam ſit excellentia operis illius eximij, ſufficit ut conſideretis opificem illius, qui eſt Spiritus ſanctus, qui elaboravit hoc corpus pulchritudinibus omnibus præditum in ventre matris ipſius S. Annæ, & natura inſumpſit in illud id omne quod ipſa habebat ditiſſimum, æquè ac omnes concucurrerunt gratię ad illud ornandum & decorandum: nunquam viſa eſt ſpecioſior diſpoſitio organorum, & pulchrior ſymmetria partium: majeſtas ſedit ſuper fronte ejus, gravis quidem, ſed non contemnens; pudor ſuper facie illius; & modeſtia, puritas, & innocentia ſuper toto corpore ejus, æquè ac ſuper cunctis actionibus ipſius: omnes virtutes concurrerunt certatim ad decorandum corpus iſtud, in quo Deus humanam ſumpturus erat aliquando carnem. Converſatio ejus erat tota pura, & innocens: tota enim vita ſua erat ipſa cum parentibus ſuis, aut in templo poſt præſentationem ſuam r, [r Pſ. 44 15. & 16.] aut cum S Joſeph Sponſo ſuo poſt Matrimoniũ ſuum s, [s Matt. 1 18.] aut cum Filio ſuo poſtquàm peperit eum, [t Luc. 2. 7] aut cum conſobrina ſua S. Elizabeth u, [u Luc. 1 56.] vel cum Angelo x [x Luc. 1. 28. &c.] antequàm pareret eundem Filium ſuum, vel tandem cum Apoſtolis y, [y Act. 1 14] ita ut ipſa dicere poſſet, ſicut deinceps dixit S. Paulus z, [z Philip. 3. 20.] *Noſtra converſatio in cœlis eſt.*

Præterea, Habet ipſa plenitudinem prærogativarũ citra naturam. Ipſa concepta eſt ſine peccato originali, & vixit, & mortua eſt ſine peccato actuali, cùm tranſegerit omnem vitam ſuam in perfectione & in charitate erga Deum ſuum, & proximum ſuum, offerens propter hunc magnum effectum Filium ſuum ad tormenta propter utilitatem hominum: ipſa eum obtulit Deo Patri inter brachia S. Simeonis, æquè ac inter ſua in templo Jeroſolymitano, ſciens apprimè quòd ſine iſto pretio Divino redemptio hominum peragi non poſſet: *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit*, ait de illa S. Epiphanius a. [a S. Epiphã. ſer. de Laud. Deip. ex Luc. 2 22. &c.] Ideò ipſa gaviſa eſt magis, quantùm ad ſpitium, de morte Filij ſui, quam corporaliter de illa afflicta eſt. Erat ipſa prædita gratiis omnibus, ſed præ tanta plenitudine, ut pars ipſius inferior eſſet perfectè ſubdita rationi, & ratio ipſius perfectè obediret Deo: ipſa nullum experiebatur fomitem peccati, qui exagitat omnes homines, de quo ſic queritur S. Paulus b, [b Rom. 7 23.] *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Et ſic cùm fomes iſte in ea eſſet extinctus, nullam ſentiebat ipſa rebellionem paſſionum, perfectè ſemper unita Deo ſuo ab inſtanti conceptionis ſuæ, quo ſuſcepit ipſa rationis uſum per privilegium: ideo fuit ipſa prima c, [c Luc. 1 34.] puriſſima & firmiſſima omnium virginum. Ipſa fuit prima: in Lege enim antiqua omnis virgines tradebantur ad nuptias, & ſic Matrimonio poſtponebatur virginitas, ſic filia Jephte jam jam immolanda à patre ſuo, *flebat virginitatem ſuam in montibus* d. [d Judic. 11. 38] Maria autem fuit inventrix & vexillifera virginitatis, & prima Virgo. Puriſſima fuit, & quantùm ad corpus, & quantùm ad ſpiritum; & cùm alij homines vitare non poſſint primos motus, qui non ſunt in noſtra poteſtate, Maria per ſuperabundantiam gratiæ caſtos reddebat eos qui ipſam intuebantur. Firmiſſima fuit, cùm ipſa ſic amaverit puritatem, ut nunquam propter aliquam rem corporalem, aut ſpiritualem mutaverit firmum conſilium ſuum: ideò annunciata aliquando ab Angelo ut futura jam jam Genitrix Dei, quæſivit ab illo quonam pacto illud fieri poſſet, dicens illi, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* e? [e Luc. 1 34.] Ipſa eſt Regina Angelorum, Advocata peccatorum, & ſuprema Domina omnium creaturarum, habens omnes gratias circa naturam, citra naturam, & ſupra naturam, quæ eſt tertia plenitudo.

Hæc plenitudo conſiſtit in qualitate, quam poſſidet ipſa Matris Dei, ſed qualitate ſic excellenti, ut ſit fundamentum omnium magnitudinum, & Deus omnipotentiâ ſuâ non poſſit quid majus ipſâ facere, ut dixi ſupra poſt S. Thomam. Refertur de quodam Rege, quòd, ut oſtenderet potentiam ſuam, & ſcientiam ſuam, quòd ſciret tractare ſceptrum, & libros evolvere; quòd peritus eſſet notitiæ aſtrorum & cœleſtium rerum, æquè ac terrenarum, fecit duos globos, unum cœleſtem, & alterum terreſtrem tanto artificio, ut repræſentarent id omne quod peragebatur in cœlo & in terra, uno verbo tantâ induſtriâ elaboratos, ut æſtimaretur iſtud opus unum è magnis orbis mirabilibus; ita ut ex intuitu operis iſtius ſic eximij apprehenderent homines anſam laudandi illius Principis ob ſcientiam ipſius, & ob potentiam ipſius; & concludendi quòd iſtud opus eximium reddebat illum ignarum & impotentem ad faciendum aliquid majus eo, & quòd opus iſtud egregium exhauſiſſet totam potentiam ejus. Iſtud applico Deo, & dico, quòd in productione B. Virginis, quòd in hoc opere eximio gratiæ, Deus Pater apparuit potens, & pauper; potens ad faciendam illam excellentiſſima omnium creaturarum, quæ majorem tribuit ipſi glo-

gloriam quàm totum cœlum, quàm omnes Angeli, æquè ac univerſi homines; & cùm fecerit eam Genitricem Filij ſui, pauper effectus eſt, cùm non poſſit facere aliquid illâ excellentius; ſemetipſum exhauſit, nec poteſt aliquid producere melius eâ, prout eſt Genitrix Dei. Sicut enim non poſſunt eſſe duæ generationes in Divinitate, cùm Pater æternus exhauriat totam cognitionem ſuam, totam mentem ſuam in generatione Filij ſui, ut teſtatur idem Filius Dei, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* f: eo planè modo quo idem Pater & idem Filius inſpirantes Spiritum ſuum ſanctum exhauriunt totam voluntatem ſuam in productione ejuſdem Spiritûs ſancti, qui ab ipſis procedit, ut ait idem Filius incarnatus, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* g. *Hoc addit Salvator, ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unum in natura & voluntate: eſt namque Spiritus ſanctus amor: amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis: quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis* h, *non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentia, atque potentiâ indiſtincta, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, per id in quo idem ſunt, ſcilicet per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus fons, unumq; principium Spiritûs ſancti*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus i: ita ut Pater æternus non poſſit generare aliud Verbum intellectu ſuo; nec Pater & Filius inſpirare poſſint alium Spiritum ſanctum voluntate ſuâ: ſic in tempore non poſſunt eſſe duæ nativitates Jeſu Chriſti, aut duo Jeſu Chriſti geniti: quia Dei Filius non ſe incarnavit *in utero* k B. Virginis, niſi ad ſatisfaciendum juſtitiæ Patris ſui pro peccatis noſtris, *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt* l. Atqui ſi pro illis criminibus ſatisfecit Deo Patri ad rigorem juſtitiæ, ſicut nemo debet de hoc ambigere, & deſtruxit peccatum, & deſolavit imperium Satanæ, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* m: non eſt opus ut alter Jeſus Chriſtus ſe incarnet, cùm effectu ceſſante cauſa non ſit neceſſaria: Deus igitur non poteſt aliquid facere majus Maternitate Divinâ Mariæ, dives eſt & pauper, ſeque totum exhaurit in productione iſtius maternitatis: quia venter B. Virginis facit in tempore id quod intellectus Patris æterni facit in æternitate: Maria habet diſpoſitiones Patris æterni, ipſa cognoſcit Deum, ipſa prægnans eſt Deo, & ſinus ejus extenſior eſt cœlo Empyreo, cùm comprehendat eum, quem cœlum non poteſt continere, ſicut illi concinit Eccleſia, *Quia quem cæli capere non poterant* n, *tuo gremio contuliſti*. B. Virgo igitur eſt ſecluſorium omnium gratiarum, circa naturam in nativitate ſua, propter conſanguinitatem & affinitatem ſuam, & propter virtutes ſuas corporales; citra naturam, cùm concepta fuerit ſine peccato originali, & vixerit, & mortua fuerit ſine peccato actuali, cumulata omni genere benedictionum; & ſupra naturam, cùm ſit Mater Dei, quæ dignitas accedit ad infinitum ratione Filij ſui qui *non habet finem* o. Et cùm ipſa habeat diſpoſitiones Patris æterni.

f Pſ. 2. 7.
g Jo. 15. 26.
h ex Gen. 1. 1. &c.
i Dion. Carth. a. 38. in Jo. 15. 26
k Luc. 1. 13. ex Iſa. 7. 14
l Coloſſ. 1. 20.
m 1. Jo. 3. 8
n ex 3. Reg. 8. 27.
o Baruch 3. 25.

Theologi tres alias adhuc admittunt gratiæ plenitudines: primam vocant exceſſus, ſecundam excellentiæ, & tertiam ſufficientiæ. Prima, inquiunt, eſt plenitudo Jeſu Chriſti, qui habuit cumulum omnium gratiarum, ut ait S. Joannes p, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis*. Quia Jeſus Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis præditus fuit gratiâ habituali, quantùm ipſius anima poterat eſſe capax gratiæ. Gratia principij erat in eo ut in Capite Eccleſiæ, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium* q, unde communicabatur membris ipſius, quæ ſunt fideles, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* r. Gratia unionis erat in eo, quæ cauſabat communicationem proprietatum, & aliæ duæ pendebant ab iſta: ideò S. Joannes s dicebat, *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus*. Super quod dicit S. Cyrillus Alexandrinus t, *Quoniam largitor Spiritus eſt, nemo ambiget quin ſubſtantialiter in ſeipſo ſpiritum poſſideat*. Id eſt, prout Deus eſt: quatenus verò homo eſt, *in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ait S. Paulus u. Dionyſius Carthuſianus x ſic iſtam in Chriſto plenitudinem gratiæ triplicem dilucidat, dicens *breviter, quòd, ſecundùm Doctores, fuit, & eſt in Chriſto triplex gratia, utpote gratia unionis, gratia habitualis, & gratia Capitis. Alij dividunt ſic, quòd in Chriſto fuit gratia unionis, gratia ſingularis perſonæ, & gratia Capitis: ſed redit in idem, quoniam gratia ſingularis perſonæ fuit habitualis, ſicut & gratia Capitis: ideò illi per gratiam habitualem intelligunt gratiam illius perſonæ ſingularis hominis Chriſti: gratia autem unionis in Chriſto non eſt quid creatum, ſed ipſemet Deus, gratiosè, gratis & piè uniens naturam humanam Divinæ, vel eſſe perſonale Verbi humanitati unitæ*.

p Jo. 1. 14
q Coloſſ. 1. 18.
r Eph. 5. 30.
s Jo. 3. 34. & 35
t S. Cyril. Alex. l. 2. c. 7. in Jo. 3. 34. & 35.
u Coloſſ. 2. 9
x Dion. Carth. a. 5. in Jo. 1. 14.

Secunda plenitudo eſt excellentiæ, & hæc eſt propria B. Virgini, quæ poſt Filium ſuum plus habuit gratiarum quàm ulla creatura intellectualis, aut rationalis, ipſa ſuperavit omnes Angelos æquè ac univerſos homines, eò quòd elevata ſit ad conditionem altiorem quam ſit eorum conditio, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placitus Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater*, ait S. Epiphanius y. Et ratio iſtius eſt, quia quò propiùs aliqua creatura accedit ad primum principium, eò plus communicat virtuti ejus: atqui B. Virgo plus appropinquavit ad Deum, qui eſt fons gratiæ, quàm quælibet alia creatura; non ſecus ac quò quis magis accedit ad ignem, magis participat calorem ejus: cùm ergo B. Virgo electa fuerit ad hoc ut eſſet Mater Dei, inde ſequitur quòd magis communicet gratiæ Dei, quam quælibet alia creatura: & ideò ſancti Patres vocant eam thronum, cubiculum, templum, & tabernaculum Dei, *Illa enim reperietur eſſe cælum, templum, & thronus*, ait idem S. Epiphanius z. Ipſa habuit gratiam diſpoſitivam, cùm concepta fuit in ventre matris ſuæ, ut eſſet ipſa Mater Dei. Habuit gratiam complentem ſeu conſummantem, cùm *Verbum caro factum eſt* a in utero ejus. Tandem, Habuit gratiam conſummatam, cùm *exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*. Ipſa prædita fuit omnibus donis Spiritûs ſancti, cunctis gratijs gratuitis, univerſis virtutibus Cardinalibus & Theologicis, ut docent Idiota b, & S. Bernardus c. Ideò ipſa ſola conſervavit tempore paſſionis ardentem lucernam fidei Eccleſiæ, ſi ipſa fuerit veluti extincta in Apoſtolis, diſcipulis, & ſanctis mulieribus, ut volunt aliqui. Ter-

y S. Epiphá. ſer. de Laud. Deip.
z Idē Ib.
a Jo. 1. 14
b Idiot. de Contēplat. B. Virg.
c S. Bern. ſer. 9. ex Parvis.

Tertia plenitudo gratiæ vocatur ſufficientiæ, qualis eſt Apoſtolorum, & Martyrum, unde dicit idem S. Bernardus d. *Legimus in Actibus Apoſtolorum & Stephanum plenum gratiâ* e, *& Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu ſancto* f, *ſed longè diſſimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter* *, *quemadmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu ſancto, quomodo Maria* g. *Ave*, inquit, id eſt, Gabriel, *gratiâ plena, Dominus tecum. Quid mirum ſi gratiâ plena erat, cum quâ Dominus erat?* Prima plenitudo gratiæ vocatur fons, ſecunda canalis, tertia rivus: ſed ſi beatiſſima Virgo eſt canalis gratiæ, non eſt minùs canalis miſericordiæ, ut ſupereſt videndum.

d S. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus eſt, Luc. 1. 28.
e ex Act. 6. 8
f ex Act. 2. 4.
* ex Col. 2. 9
g ex Mat. 1. 18. & 20.

II. Pars.

Volens Deus certum reddere Noë de Divina miſericordia ſua imposterùm, ſic illum eſt allocutus, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram* h. Arcus hic non eſt ille, qui apparet aliquando in aëre & in nubibus, qui vocatur communiter Iris; ſed alter qui apparet in cœlo coram facie Dei, ut intercederet pro nobis: *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, ait ſanctus Epiphanius r de B. Virgine. Quandiu enim Jeſus Chriſtus videbit hunc arcum, non poterit ſe determinare ad puniendos peccatores, in quorum favorem Maria ſe opponet jaculis indignationis ipſius, ut ſe reddat canalem miſericordiæ & bonitatis ipſius erga eos, ſicut *Moyſes orabat Dominum Deum ſuum, dicens, Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robuſtâ* k? Sed quid? Putaretiſne quòd Maria minorem haberet auctoritatem, quàm Moyſes? Nunquam tantis cumulatus eſt Moyſes favoribus, quantis Maria. Moyſes prohibitus eſt accedere ad rubum ardentem l, qui erat figura myſterij incarnationis, quod completum eſt in Maria, quam ſic ſalutat S. Epiphanius m, *Ave ſanctiſſima Virgo, quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione Divinitatis ignem tenes.* Moyſes non potuit videre Deum, *Dixit Dominus ad Moyſen, Non poteris videre faciem meam* n. Maria autem illum vidit, ait S. Epiphanius o, *Virgo multocula effecta eſt. Seraphim incomprehenſa viſionis, quæ inventa eſt velamentum quoddam intellectuale corporis univerſalis, Cherubim tranſcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant ſpiritualem ignem Divinitatis, fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem* † *& ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat.* Quis ambiget igitur quin majorem habeat poteſtatē, quàm Moyſes, quæ eſt velut arcus faciens quaſi recordari Deum clementiæ & miſericordiæ ſuæ, cùm ipſa prædita fuerit tot gratijs & prærogativis, ut nulla ſit creatura quā ipſa non ſuperet dignitate, poſt humanitatem ſacram Jeſu Chriſti? Theologi autem dicunt jure merito, quòd nulla eſt creatura, in qua potentia Dei majori ſplendore micet, quàm in B. Virgine. Ut autem hoc intelligatur, ſciendum eſt, quòd potentia Dei circa productionem creaturarum, conſiderari poteſt duobus modis; eſſentialiter, id eſt, ſecundùm eſſe Divinum; & effectivè, hoc eſt, ſecundùm actum productum, qui ſumitur etiam dupliciter, & quantùm ad terminum à quo, & quantùm ad terminū ad quem. Si ſumatur potentia Dei eſſentialiter, aut ſecundùm ſe, non poteſt ipſa vocari major, aut minor in una creatura potiùs quàm in alia, quia Deus produxit omnes creaturas eâdem potentiâ, quæ eſt eadem ac Deus, cùm omne quod eſt in Deo, ſit Deus. Si capiatur effectivè, & ſecundùm terminū à quo, id eſt, quaſi jam res ipſa creavit, ipſa non manifeſtatur juxta ſenſum iſtum magis in una creatura quàm in alia, quia omnia creata ſunt è nihilo. Sed cùm uſurpatur ſecundùm terminum ad quem, id eſt intuitu creaturarum, tunc magis emicat in una quàm in alia: & ſic potentia Dei magis ſplendet in B. Virgine, quàm in ulla creatura, eligendo eam in Deiparam, illamq; elevando ſuper creaturas omnes, ut ipſamet ait, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt* p. Sic ipſa eſt canalis, per quem miſericordia fluit ad nos, ipſa requirit eam à Deo in favorem noſtrum, & illam conſequitur: & hoc modo dicimus, quòd ipſa facit miſericordiam: ſicut cùm vir aliquis nobilis patravit crimen aliquod læſæ majeſtatis, & Regina petit abolitionem illius à Rege, ipſe eſt Rex qui gratiam concedit, & tamen dicitur Regina feciſſe hanc gratiam, quia illam conſecuta eſt illi viro nobili: eodē modo loquendum eſt de B. Virgine, ipſa eſt canalis, per quem Divina miſericordia fluit ſuper homines, in cœlo, & in terra, imò verò in inferno, æquè ac in purgatorio. Sed, quomodo, dicetis mihi? Miſeria eſt objectum miſericordiæ: terra eſt plena miſeriâ: bene quidem quòd miſericordia reperiatur in ea: ſed quomodo reperiri poteſt in cœlo, ubi nulla eſt miſeria? *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* q. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultrà, quia prima abierunt* r. Quin è contrà, nunquid non ibi eſt omne genus felicitatis? Et quomodo in inferno, ubi juſtitia Dei perſequitur reprobos ad extremum uſque? Sic eſt, Auditores, miſericordia Dei reperitur in cœlo, gloria paradiſi eſt effectus miſericordiæ: quæ enim convenientia exiguæ actionis meriti cum æternitate felicitatis? *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ait S. Paulus s. Et Theologi dicunt, quòd Deus præmiatur citra condignum. Invenitur miſericordia in terra, *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti* t. Eſt & miſericordia in inferno, ubi Deus tantùm non caſtigat reprobos quantùm merentur, quia punit illos citra condignum, æquè ac animas purgatorij: & Maria eſt canalis hujus miſericordiæ. Vultiſne veritatem iſtam videre? Adam inobedientiâ ſuâ perdidit omnes poſteros ſuos, *in quo omnes peccaverunt* u. Crimen ejus nobis fatale fuit, & ex tunc juſtitia Dei nos eſt proſecuta ſuper terra ſicut & Angelos in cœlo, qui paulò ante *ad infernum in profundum laci* x detracti erant ob rebellionem ſuam. Ex tunc ipſa fuit exercita toto tempore legis naturæ, & legis ſcriptæ, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*, ait Tertullianus y. Deus eſt ipſamet bonitas & miſericordia, ut concinit Eccleſia, *Deus, cui proprium eſt miſereri* z *ſemper & parcere*. Sed quantùm ad id quod ſpectat nos, & peccata noſtra, eſt ipſamet juſtitia; hęc autem juſtitia videtur ei aliena, ut ait Iſaias a: *Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur: ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo.* Cùm Deus vult nobis benefacere, motiva ſuæ bonæ voluntatis erga nos educit è ſeipſo, micare faciens effectus ſuæ Divinæ miſericordiæ; ſed cùm inducitur ad caſtigandos exceſſus noſtros actu juſtitiæ ſuæ,

h Gen. 9. 13.
r S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
k Exo. 32. 11.
l Exo. 3. 5. &c.
m S. Epiphā. ut ſupra.
n Exo. 33. 17. & 20
o S. Epiphā. ut ſupr.
† ex Jer. 32. 19
p Luc. 1. 49.
q Pſ. 90. 10.
r Apoc. 21. 4. ex Iſa. 25. 8.
s Rom. 8. 18.
t Thren. 3. 22.
u Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6. &c
x Iſa. 14. 15. &c.
y Tertul. 2. contra Marcion. c. 11.
z ex Sap. 11. 24.
a Iſa. 28. 21.

ſuæ, tunc crimina noſtra cudunt fulmina, quæ ipſe ſuper impia noſtra vibrat capita.

Quale ſupplicium inflictum primo Angelo, & conſortis criminis ejus? *Et projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* b. Qualis pœna inflicta Adæ, & omnibus illius poſteris? *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis* c. *Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terrã* d) *factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram. Conſumptaq; eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram; univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt* e. Cùm increviſſet Sodomitarum impudicorum *clamor coram Domino. Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium* f. *Cùm eſſent filii Iſraël in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi, & Aaron, & univerſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moyſen Morte moriatur homo ille, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Cùmque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt ſicut præceperat Dominus* g. Eò quòd abſtuliſſet in obſidione Jericuntinâ contra Dei mandatum, *Achan inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: lapidavit eum omnis Iſraël, & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt* h. Et propter blaſphemiam Regis Sennacherib, *venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorũ centum octoginta quinque millia* k. Ha Auditores, quàm [illegible] eſt juſtitia Dei? Pro vanitate, pro ſenſualitate, pro violatione Sabbathi, pro exiguo furto, & pro blaſphemiâ tanta ſeveritas exercetur! Ha! multò plura patrantur hodie crimina, Quot violationes Dominicarum & Feſtorum? Si agendum eſt ut diſſipetur in tabernâ vinariâ, aut in cauponâ id totum quod quis lucratus eſt intra unam hebdomadam, id fit inter diſſolutiones aliquo die Dominico, aut Feſto, quæ opera ſervilia prohibentur, *Omne opus ſervile non facietis in eo* l. Cum non ſint opera magis ſervilia quàm ſint opera peccati, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* m. Si detrahendum ſit famæ alienæ, ſi ſurripienda ſint bona proximi, fit, ut hæc crimina patrentur diebus feſtis. Et ubi eſt juſtitia Dei? Videtur hæc Divina Juſtitia dormire nunc cùm crimina ſunt majora, cùm non committitur tantum unica blaſphemia, vanitas, ſuperbia, ſed infinitæ quotidie patrantur blaſphemiæ, vanitates, ſuperbiæ & alia ſcelera quorum non eſt numerus. Miror quod linguæ iſtæ diabolicæ non diſrumpantur proprio veneno, ita decernente Divinâ Juſtitiâ, & tamen ipſa tacet, nullum videtur habere zelum ampliùs. Tot ſunt ſordes, & tot crimina in civitate N. & ſi hæc omnia punirentur in rigore juſtitiæ, quid ageretur de civitate iſta? Et quænam eſt cauſa iſtius impunitatis? Sanè B. Virgo quæ ſiſtit juſtitiam Dei, quæ ligat eam in lege gratiæ, ut totum tribuat miſericordiæ. Ha! ſine B. Virgine mundus periiſſet, juſtitia Dei illum exinaniviſſet, non eſſet ampliùs ſermo de civitate N. ſed Maria orat Deum pro incolis ejus, ſiſtit curſum juſtitiæ ejus, & eſt canalis per quẽ illa fluere facit aquas miſericordiæ: *Ipſa eſt enim illa & tota Mediatrix, quamvis non naturaliter peregit*, ait S. Epiphanius n. Et in hoc occurſu dicere poſſumus ſicut dicebant olim Bethulienſes Judithæ, *Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum* o. Oratio Judith tantam habere non poterat efficaciam ad conſirmandam civitatem obſeſſam, ut interceſſiones & ſuffragia Mariæ non habeant incomparabiliter multò majorem ad efficiendum ut aqua gratiæ deſcendat ſuper corda arida peccatorum, quæ aruerunt peccato, quippe quæ habitare non poteſt in ſubjectis in quibus ſordes inveniuntur: *Dixitq; Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* p. Ego autem non puto Deum feciſſe aliquid intuitu orationis Judith in favorem conciviũ ejus, quod non feciſſet multò meliùs intuitu Mariæ in gratiam peccatorum, cùm qualitas illius nullam convenientiam habeat cum qualitate iſtius: Judith enim nunquam pervenit ad illum gradum perfectionis Mariæ, ut eſſet Virgo & Mater Dei: ideò unuſquiſque debet ad illam accedere cum fiduciâ, nullo modo dubitans de authoritate ejus, nec de bona illius voluntate, cùm perſæpè præbuerit authenticas favorum ſuorũ probationes, unde multæ aliæ ſperari poſſunt gratiæ, ſicut ipſamet ita promittit, *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino* q. Hoc autem ita verum eſt, ut dixerit de Ponte r poſt S. Anſelmũ, *Nihil utilius poſt Deum memoriâ Matris ipſius, velociorq; eſt nonnunquã ſalus memorato nomine ejus, quàm invocato nomine Ieſu unici Filii ſui, non quòd ipſa major & potentior illo ſit, cùm potiùs illa ſit potens per ipſum. Sed quia Filius ut Iudex diſcernens merita ſingulorum, juſtè quoſdam non exaudit; qui tamen ſi ad Matrem accedunt, quæ non Iudex, ſed Advocata eſt peccatorum dum ipſa pro eis intercedit, per illam obtinent, quod ipſis negatum fuerat.* Decretum eſt in cœlo, ut Filius eſſet præſes juſtitiæ: *Neq; enim Pater judicat quemquã, ſed omne judicium dedit Filio* ſ. Et ut B. Virgo præſideret tribunali miſericordiæ: ſicque determinatum eſt, ut omnes expeditiones quæ fieri deberent in hoc ſummo tribunali juſtitiæ, tranſirent priùs per tribunal miſericordiæ, cui B. Virgo præſidet, ut ibi tantiſper mitigarentur, & non eſſent ſic acres, cum offerrentur judicandæ præ tribunali juſtitiæ: *Opus eſt enim mediatore ad Mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior quàm Maria*, dicit S. Bernardus u. Et id quod Tertullianus x ajebat præ deriſione de falſis diis, verificatur de Jeſu Chriſto, & de Maria, *Dij quo magis tributarii, magis ſancti: imò qui magis ſancti, magis tributarii*. Qui majus tributum reddunt iis qui ipſos implorant, & ipſos invocant cum fiduciâ & reverentiâ: Deus enim ita ſibi complacet in efficiendâ Mariâ magnâ præ blanditiis, ut velit etiam deferre commendationi ejus id quod videretur non concedere intuitu Filii ſui. Numquid non denegabit aliquando Rex filio ſuo id, quod indulgebit amico, nedum filius ipſius, ſi benè moratus eſt, iſtud iniquo ferat animo? Sic Deus decreto æternæ ſapientiæ ſuæ poſuit plenitudinẽ bonorum ſuorum in manibus Mariæ, & vult ut ipſa honoretur à nobis ex toto corde noſtro, & ex totis affectibus noſtris, cum decreverit nullum dare nobis bonum, quin prius tranſierit per manus illius, quam ipſe inſtituit diſtributricem omnium gratiarum & benedictionum ſuarum; *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis plus excaneus*, ait S. Epiphanius y. Ipſa ſe vult reddere liberalem hujuſmodi gratiarum, quarum eſt diſpenſatrix: ipſa eſt canalis, per quem aqua miſericordiæ fluit ſuper animas noſtras: omnes aquæ vitæ hujus ſatisfacere non poſſunt ſiti cordium noſtrorum in curſu noſtræ peregrinationis, ſicut aliquando Sa-

mari-

b Apoc. 12. 9.
c Gen. 3. 23, &c.
d Gen. 6. 12.
e Gen. 7. 17.
f Gen. 19. 13, &c.
g Num. 15. 34, &c.
h Joſue 7. [illegible]
4. Reg. 18. 19. &c.
k 4. Reg. 19. 35.
l Lev. 23. 7
m Jo. 8. 34
n S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
o Judith 13.
p Gen. 6. 3
q Prov. 8. 33, & 34.
r De Pont. l. 3. in Cant. 2, 3, exhort. 23 §. 2. citans S. Anſel. l. de Excell. Virg. c. 6.
ſ Joa. 5. 22
t ex 1. Tim. 2. 5.
u S. Bern. ſerm. in Apoc. 12. 1. Signum magn. &c.
x Tert. in Apol. c. 13.
y S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

maritanæ dicebat *Ieſus, Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* z. (z Jo. 4. 13. & 14.) Anima noſtra ſatiari non poteſt omnibus aquis terræ, donec deguſtet aquas quas Maria facit effluere ſuper ipſam ſuis interceſſionibus, cùm ipſa ſit canalis, per quem aquæ iſtæ effunduntur in corda noſtra: recurramus igitur ad eam, ſumamus illam pro Advocata noſtra, & dicamus ei præ omni reverentia & affectu poſſibili: *Eja ergo, Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Ut habere poſſimus gratiam Filii tui, & aliquando gloriam ejus.

IN FESTO IMPRESSIONIS STIGMATUM IN CORPORE S.P.N. FRANCISCI.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Pſ. 45. 9.

APelles depinxit aliàs Alexandrum Magnum tenentem fulmen præ manu, ſed tantâ induſtriâ, ut repræſentare volens hominem, repræſentaverit primum Deorum, nimirum Jovem cum fulmine in manu: hæc imago erat elaborata tanto artificio, ut videretur potiùs Alexander vivus, quàm Alexander pictus, ſicut inde proceſſerit iſtud effatum, *Alexander Philippi nullâ virtute ſuperabilis: Alexander Apellis nullâ arte imitabilis.* Hodiernâ die video rem mirabiliorem & veriorem, nimirum Jeſum Chriſtum, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium* a, (a Apoc. 19 16.) pictum non in telâ, ſed figuratum in corpore viventi, & multò meliùs in corde Seraphici Patris mei S. Franciſci, ſed ita perfectè ut dicere poſſim jure merito, *Ieſus Chriſtus in ſeipſo nullâ virtute ſuperabilis: Ieſus Chriſtus in Franciſco nullâ arte imitabilis.* Licèt enim multi Sancti fuerint imitati virtutes S. Franciſci; nemo tamen ex eis potitus eſt privilegio iſto, ut ſuſciperet notas & charactêres amoris ipſius in corpus ſuum, cùm Salvator ſeipſum depingere voluerit in perſona fidelis ſervi, ut ſe redderet imitabilem, & nos induceret hoc artificio ad agnoſcendam hanc creaturam ita fortunatam pro uno è ditiſſimis mirabilibus, quæ ipſius potentia & bonitas operatæ fuerint in terra, poſt ſupereminentem dignitatem Divinæ Maternitatis, quam poſſedit B. Virgo Maria, poſtquàm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* b *Maria.* (b Luc. 1, 28, &c.)

Cœlum non eſt ſolum theatrum mirabilium Omnipotentis; terra participat etiam ea; imò audebo dicere quòd hæc meliùs illis cumulata eſt in eo quòd Salvator operatus eſt inſigniora prodigia in ipſa, quàm in illo: quod videbitur paradoxum difficillimum, ne dicam impoſſibile, conceptu, habitâ ratione magnæ diſtantiæ quæ reperitur inter hanc & illud: & tamen eſt certum quòd JESUS Chriſtus oſtendit ſe potentiorem & glorioſiorem in terra quàm in cœlo. Verum quidem eſt, quòd (c 2. Cor. 3 18.) in paradiſo *revelatâ facie gloriam* c ſuam ſpeculandam ſpiritibus beatis exhibens, tantam facere communicationem videtur, ut vix eâ majorem (d Pſ. 81, 6.) concipere poſſimus, cùm ſic ipſe faciat tot Deos d (e Pſ. 35. 9.) per participationem, quot ibi reperiuntur Beati, hoc modo uniens *lumine* e gloriæ, finitum cum (f Baruch 3 25.) Infinito f, nihilum cum Toto g, creatum cum (g Exod. 3, 14.) Creatore h, & reddens mentem limitatam capacem cognoſcendi ipſius nullos habentis limites: (h Eccl. 24. 12) non ambigam tamen aſſerere, quòd ipſe majores & utiliores fecit in terra communicationes quàm (i 1, Joa. 5. 7) in cœlo. Relinquo myſterium ineffabile Trinitatis i cum communicationibus ipſius incomprehenſibilibus k, (k Pſ. 2, 7, & Jo. 15. 26.) quæ ſunt neceſſariæ; Incarnationem Verbi Divini l, (l Joa. 1, 14) & qualitatem ſupereminentem Matris Dei m, (m Luc. 1, 38.) quæ liberæ ſunt & voluntariæ, ut terminem cogitationes meas ad conſiderationem hominis, qui non eſt Deus, nec Mater Dei ſubſtantialiter, quem tamen admiror ut unum ex eminentiſſimis prodigiis quæ Deus fuerit operatus in terra, nimirum, Seraphici Patris mei S. Franciſci, miraculi & prodigii gratiæ & virtutis, qui converſando in terra, elevat ſe ſupra reliquos homines, imò verò ſupergreditur aſtra. Magnitudines illius nullam habent menſuram, divitiæ ejus ſunt innumeræ, & gloria ipſius non habet niſi Deum pro objecto, & æternitatem pro termino: potentia ipſius limitata non eſt niſi voluntate illius; & deſideria ipſius ſemper repleta, tenent ipſius animam in cumulo perfectæ felicitatis. Vox Angelorum ſervivit loco præconis virtutibus ejus magnificandis; deliciæ ipſius ſunt Deus, & vita ipſius nullam habet aliam cauſam, & bonum ipſius nullam habet aliam originem: ipſe non reſpirat niſi aërem gratiæ ejus, nec ſuſpirat niſi in aërem amoris illius, & teſtatur in omnibus actionibus ſuis, quòd ipſe eſt unum è mirabilibus eximiis, quæ unquam fuerit Deus operatus in hoc mundo inferiori: ſic ut videntes ex una parte amorem qui ditat animam ejus, & ex altera notas amoris Domini ipſius, quæ ornant & decôrant carnem illius, debeamus unire linguas noſtras & voces linguæ & voci Pſalmiſtæ, & contentâ voce inclamare præ admiratione, *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram* in perſona S. Franciſci, quæ dividemus in duas partes. Quarum prior tractabit de amore admirabili, qui inflammabat cor ejus. Poſterior verò de vulneribus, quæ ditant corpus illius, quod hodie video inſignitum characteribus ſacris amoris Domini ſui. (Diviſio.)

(I. Part.) Veritas eſt certiſſima, quòd duo opera præcipuè nobis prædicant & annuntiant gloriam & bonitatem Dei, quæ ſunt opera naturæ, & gratiæ, cùm David n loquens de primis, dicat, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ neq; ſermones, quorum non audiantur voces eorum* (n Pſ. 18, 2. &c.) Et o, *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* (o Pſ. 8, 2.) Quaſi diceret, quod nomen Domini ſe reddidit admirabile per univerſam extenſionem orbis, cui communicare perfectiones ſuas voluit, & voluntatem ſuam in omnibus partibus hujus ejusdem mundi, approbans eas ipſemet or bonas & perfectas; & deſtinans diem quilibet hebdomadâ, qui eſt dies quietis, ad memoriam æternam ſuæ operationis & quietis, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona* p. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuũ quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* q. (p Gen. 1 31) (q Gen. 2.)

Iſtud

Iſtud tamen eſſet exigui momenti, niſi intueremur opera & effectus gratiæ, quâ Deus reparans naturam noſtram *t* lapſam per vitium *ſ*, dignatur eam elevare ad fruitionem ſuæ magnitudinis, & collocare illam in ſtatu perfectiſſimo: nam non ſolùm Deus ſe facere voluit hominem ad elevandam noſtram naturam in generali, & hanc humanitatem in particulari, ſeu illam in ſpecie, & iſtam in individuo, ad unionem ſubſtantialem Divinitati ſuæ, ſed etiam ad reparandam ruinam Angelorum, interventu hominum. Hæc eſt ſententia communis omnium Doctorum Catholicorum, quòd primus Angelorum cecidit è gratia & ex amore Dei ſui, & quòd cum eo lapſi ſunt multi alii è præcipuis, quod fuit exhibitum S. Joanni *t* in viſione ſub figurâ draconis, cujus *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram* Et inde contigit, ut Deus præ exceſſu miſericordiæ ſuæ deſcenderit è cœlo, ſicut ait ipſius Filius, *Exivi à Patre, & veni in mundum u*, ad reparanda iſta damna, ſe faciens hominem. Et cùm primus amor extinctus fuerit in perſona Luciferi, & ſequacium ejus, Deus create voluit alterum in terra, non ſolùm æqualem & parem primo, ſed aliquo modo illo perfectiorem, quem audebo dicere me poſſe reperire in corde Seraphici Patris mei S. Franciſci, quem propterea vocare poſſum prodigium & miraculum gratiæ & amoris. Quod non allego ſine ratione, cùm unus è diſcipulis ejus, vocatus Frater Leo, inter alias quas ſuſcepit de virtute Patris ſui Seraphici revelationes, hanc habuerit, in qua vidit deſcendere è cœlo ſchedam miſſam à Deo, in qua ſcripta erant hæc verba, *Hic eſt gratia Dei*. Id eſt, gratia Dei requieſcit in iſto viro, qui erat S. Franciſcus, ſuper cujus caput requievit prædicta ſcheda. Et inde debetis inferre, quod iſte Sanctus, fuit honoratus gratiâ & amore Dei, & inter Sanctos relatus adhuc vivens ex oraculo cœli. Si enim hic amor, quem Lucifer & ſequaces ipſius perdiderunt, reparandus erat in perſona hominum, illud ſanè erat adimplendum in illis, qui plùs fuerunt amici Dei, & qui certiora præbuerunt teſtimonia virtutis & ſanctitatis ſuæ, & unionis quam habebant cum ſummo Benefactore ſuo, è quorum primis fuit S. Franciſcus, cùm, inſtar Heliotropii, ſemper ſecutus fuerit Solem *intelligentiæ u*, ſicut dicere poſſet, quemadmodum *Iob ait, Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea. A mandatis laborum ejus non receſſi; & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus x*. S. Franciſcus igitur ſecutus eſt Dominum ſuum ſpiritu, affectu, deſiderio, & operibus cum tanto fervore quanto alii, imò verò majore, quippe qui reparavit notas vitæ Salvatoris ſui jam deletas longitudine ſæculorum, juxta viſionem, quam ſuper hoc habuit unus è chariſſimis filiis ipſius ſpiritualibus in illa proceſſione, in qua Salvator incedebat primus in templo ſtrato arenâ & cinere, quem Apoſtoli ſequebantur, & poſt eos multi alii Sancti, qui omnes conabantur collocare pedes ſuos ſuper veſtigia Salvatoris, nedum tamen quis poſſet ad hæc pervenire, eùm alii non ſatis progrederentur, & alii declinarent ad dextram, vel ad ſiniſtram; poſt quos veniebat pauper quidam, nudis pedibus incedens, nimirum S. Franciſcus, qui ſic accommodavit greſſus ſuos ad greſſus Domini ſui qui præceſſerat, ut renovaverit illius veſtigia, quæ longâ temporum ſeriè deleta videbantur. Unde intelligendum eſt, quòd iſte primus amor reparatus fuit in S. Franciſco, & eò vel maximè quòd ſedes, quam unus è primis Seraphinis amiſit, amittendo amorem ſuum, conceſſa eſt huic Seraphico Patri, quemadmodum Frater Maſſæus unus è diſcipulis ipſius didicit, quandiu Seraphicus iſte Patriarcha vivebat adhuc, quippe quæ debebatur virtuti & amori ipſius. Si enim certum eſt, quòd tantum gloriæ habebimus in cœlo, quantum virtutis habuerimus in terra; cùm S. Franciſcus in cœlo poſſideat gloriam unius è primis Seraphinis, debet etiam poſſedisse in terra amorē, quem ille perdidit: & ſic amor iſte Seraphicus reperietur in corde ejus, & reparabitur in perſonâ illius. In quo dicere poſſum verè quod Seraphicus S. Franciſcus fuit inſignis Eques Ordinis cœleſtis Amoris Divini. Sicut enim ſcimus, quòd omnes creaturæ, ditatæ in ſpecie ſuâ & in individuo ſuo multis perfectionibus, inter eas habent aliquam præcipuam, quæ ipſas extollit ſuper alias, ſicut Sol poſſidens multas eximias qualitates, habet tamen lucem ditiſſimam omnium: & cùm quodlibet ex elementis habeat duas, una tamen ſuperat alteram, ut calor in igne, humidum in aëre, frigus in aqua, & ſiccitas in terra: & inter mixta videmus arbores quæ ſuperant alias proprietatibus particularibus inter omnes eas, quas natura ipſis eſt largita: imò verò inter animalia leones habent fortitudinē, quæ eſt nobiliſſima qualitatum ipſorum: & aquilæ præ ſe ferunt generoſitatem: & inter homines diſtinctos à reliquis creaturis inferioribus per rationem, quæ cùm ſit indiviſibilis & ſpiritualis, dat teſtimonia majora & eminentiora in aliquibus quàm in aliis, unde procedit ut aliquis acie mentis vigeat, alius ardenti voluntate ſit præditus, & alius felici memoriâ ſit inſignitus, cùm iſtæ differentiæ nobis oſtendant aliquam qualitatem, quæ eminet in quolibet individuo, & quæ diſtingunt alia ab aliis: idem dicere ego poſſum de operibus gratiæ: nam licèt omnes illi, qui aggrediuntur pervenire ad perfectionem, debeant conari poſſidere omnes virtutes, quæ faciunt catenam admirabilem, quæ non poteſt dividi quin deperdatur: tamen unuſquiſque ex illis, qui conſecuti ſunt iſtud bonum, excelluit aliquâ virtute ſpeciali, ſicut Abrahā fide *y*, Iſaac obedientiâ *z*, Jacob ſimplicitate *a*, Joſeph caſtitate *b*, Moyſes manſuetudine *c*, Job patientiâ *d*, David pœnitentiâ *e*, S. Joannes Baptiſta humilitate *f*, S. Petrus cōtritione *g*, & S. Paulus zelo *h*: ſed S. Franciſcus perfectus & conſummatus omnibus, ſuperavit amore, qui eſt congregatio omnium virtutum, æquè ac nexus perfectionis, ut ait Apoſtolus †, *Super omnia autem hæc, charitatē habete, quod eſt vinculum perfectionis*. Et eâdem ratione dicere poſſumus abſque errore, quòd omnes Sancti ſuſceperunt à cœlo torquem Regiā: ſed ſicut, ſecundùm diverſitatem Statuum ſupremorum, reperiuntur etiam varii Ordines Equitatus, quorum defertur inſigne encauſtico emblemate meliùs deſcriptum quàm reſiduum catenæ & torquis: ſic unuſquiſque è Sanctis tulit in extremo torquis virtutum, quæ micabat in ipſo: ſic alii fuerunt Equites fidei, alii obedientiæ, alii ſimplicitatis, alii caſtitatis, alii manſuetudinis, alii patientiæ, alii pœnitentiæ, alii humilitatis, alii cōtritionis, & alii zeli: ſed S. Franciſcus fuit Eques amoris, ſed amoris Seraphici, amoris qui fuit vexillum, ſub quo generoſus hic Eques præliatus eſt toto tēpore vitæ ſuæ à converſione ſuâ, induens arma cœleſtia Jeſu Chriſti, quæ ipſi fuerunt exhibita in viſione ſignata ſigno Crucis, & conſequenter amore Salvatoris, quò ipſe ſic progreſſus eſt exiguo tempore, ut dicere poſſim quòd ipſe fuerit prodigium amoris, cùm introductus in Curiā Regiā Divinarū ceitaleō, & cœleſtiū conſolationum, vidit circum ſe erectum à Deo

t Jo. 3, 17.
ſ Gen. 3, 6.
t Apoc, 12 4.
u Joa 16, 28
u Sap. 5, 6.
x Job 23, 1 &c.
y Gen. 22, 3, &c.
z Gen. 22, 9.
a Gen. 25, 27.
b Gen. 39, 12.
c Num. 12, 3.
d Job 1, 21, & 22, & 2, 10
e Pſ. 6, 7.
f Matth. 3, 11 & 14.
g Matt. 26, 75.
h 2. Cor. 11, 29.
† Coloſſ. 3, 14.

amorem pro clypeo & [illegible] munimento, ſicut dicitur in Canticis i, juxta verſionem vulgatam, *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* (i Cant. 2, 4) Et genuinè, ſecundùm literam originalem ſeu Hebraicam, *Vexillum ejus ſuper me amor.* Et ſtatim video illum inſignitum in corde & in brachio, hoc eodem ſignaculo amoris, quod Sponſus facere offert Sponſæ, dicens, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum* k. (k Cant. 8, 6.) Et ratio quam ipſe dat illius, eximia eſt, *Quia*, inquit, *fortis eſt ut mors dilectio* l. (l Ibid.) Quod apprimè verificatur in S. Franciſco, in eo quòd ſancta dilectio faciens eum mori ſibi ipſi & affectibus ſuis, faciebat illum renaſci & vivere Deo: cùm enim hæc dilectio locum cepiſſet in ipſius voluntate, quæ erat dignum Divinâ magnitudine palatium: *Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos*, ajebat S. Paulus, ſcribens Corinthiis m: (m 1, Cor. 3, 17.) ſtatum præſcripſit ei modum vitæ, & is non fuit alius, niſi ut jugiter Divinam Majeſtatem diligeret: ſolicitando affectus ipſius ad iſtud officium ita juſtum & ſic gratum. Et ſicut amor ex natura ſua non habet alium ſcopum, niſi unionem amati cum re amata; ſic cùm invaſiſſet cor Seraphici Patris mei, animabat ipſum ſuâ vi violentiâ ad ſe meliùs ac meliùs uniendum Deo ſuo, ſoli & totali objecto deſideriorum ſuorum, ſicut vectus alis ſuis igneis, armatus flammis & ſagittis ſuis, obſedent arcem appetituum inferiorum ejus; & non ſolùm eos retraxerit ab oblectamentis & voluptatibus illicitis, ſed etiam voluerit illos ablactare à licitis & honeſtis, quæ poterant huic viro Seraphico cauſare diſtractiones contrarias ipſi, qui quieſcens in corde ejus, volebat habere ſub ſe reliquas illius potentias: *LXX. vertunt: Ala ejus, ala ignis: flamma ejus. Scilicet, eſt flamma ignis: ſeu flamma Dei, id eſt, inflammatiſſima. Alii, Sagitta ejus, ſagitta ignis. Nam etiam ſagitta formam habent alarum ad celeriter tendendum in ſcopum. Poſſunt autem hæc verba, ſicut & præcedentia, interpretari vel de amore Dei erga nos, vel de amore noſtro erga Deum: & quia Dei amor erga nos, exemplar eſt amoris noſtri erga ipſum; & illum valdè excitat: quod de illo dicitur, huic etiam facile aptabitur*, ait de Ponte n (n De Pont. l. 10. in Cant. 8, 6. exhortat. 10.) ſuper hæc verba, *Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum:*

Si amor eſt victor liberalis, qui eripit cor ut ex eo donum faciat rei amatæ; Franciſcus dedit ſuum Deo irrevocabiliter donatione inter vivos, nedum ſibi aliquid illius ſibi reſervet: Si amor eſt nuntius fidelis, qui paſſiones amici manifeſtat amico, & reciprocè renuntiat intentiones & conſilia unius alteri; Franciſcus aperiebat ſinum ſuum Spiritui ſancto, nedum aliquid ei abſconderet; & Deus vice versâ revelabat ipſi myſterioſa conſilia ſua: & ſicut hic amans Patriarcha ſe totum dederat Deo; ita Deus fecit ipſum participem omnis illius, quod habebat ipſe ditiſſimum; ſic ut eum jure merito vocare poſſim miraculum & prodigium amoris. Quod clariùs etiam nobis patebit, ſi conſideremus, quòd iſte vir Dei fuit honoratus à Deo per vitæ ſuæ decurſum, privilegiis amoris viæ, qui eſt amor quem homines poſſident in terra; & prærogativis amoris patriæ, qui eſt amor, quem Angeli & Beati poſſident in cœlo. Amor, quem habemus in terra, in hoc loco exilii & peregrinationis, hoc habet rarum & excellens, ut ſemper poſſit creſcere, & mereri jugiter; ſed in cœlo, quod erit domicilium æternum, amor hoc habet eminens ut nunquam poſſit deficere. Amor igitur in hoc mundo poteſt augeri, *Æmulamini charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro* o. (o 1, Cor. 12, 31.) Sed etiam poteſt deficere, *Charitatem tuam primam reliquiſti* p. (p Apoc. 2, 4.) In altero verò mundo, *Charitas nunquam excidit* r. (r 1, Cor. 13, 8) Sed etiam non poteſt incrementum ſuſcipere. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, in quocunque loco ceciderit ibi erit* ſ. (ſ Eccl. 11, 3) *Id eſt, homo in qualicunque affectione diſpoſitioneque cordis obierit, ibi erit, id eſt, in eâ æternaliter & incommutabiliter permanebit. Nam tota hæc vita & tota ejus duratio eſt via & peregrinatio ad futuram, cujus via mors terminus eſt. Idcircò poſt mortem non manet ſtatus aut duratio promerendi*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus t. (t Dion. Carth. in [illegible] 11, in Eccl. 11, 3) Atqui amor Franciſci in terra habebat duas iſtas proprietates: nam jugiter creſcebat: & non poterat extingui per peccatum mortale, nec fortè retardari per peccatum veniale: & ideo in iſto mundo ipſe amavit amore viatorum, & amore Beatorum: amor ipſius erat incorruptibilis, ſicut amor Beatorum; Sol, qui nullam pati poteſt eclypſim; & cœlum immune ab impreſſionibus omnibus alienis: præterea continuum faciebat progreſſum, ſicut amor viatorum. Videtur audax hæc propoſitio: tamen judicabimus eam creditu facilem, & immunem à periculo, ſi conſideremus certitudinem, quam ipſe ſuſcepit ſalutis ſuæ, & confirmationem in gratia, quæ requievit ſuper ipſum, ſicut Frater Leo vidit eo modo, quo dixi ſuprà; & per ſedem, quæ fuit oſtenſa Fratri Maſſeo, præparatam huic magno ſervo Dei; & per promiſſum quod ipſemet accepit ex ore Dei pollicentis ipſi vitam æternam, & ita certum de illa ipſum reddentis, ut nunquam poſſet ipſe eam amittere u. (u Chronic. Minor. 1, part. l. 2, c. 36.) Unde tantâ perfuſus eſt vir iſte Seraphicus conſolatione, ut per octo dies integrós formare non potuerit ullum verbum, nec recitare ſuas horas Canonicas, raptus exceſſu amoris. Et ſicut amor Divinus has habet proprietates, illuminandi amantes, revelando eis myſteria cœli, & uniendi eos objecto quod ipſi diligunt, reddendo illos poſſeſſores ejus: inde poſſumus inferre, quòd Franciſcus ſuſcepit in terra prærogativas iſtas interventu amoris, qui ardens in corde ipſius, illuminabat ipſius intellectum, & reddebat eum poſſeſſorem illius, ad quem ipſe ſuſpirabat die ac nocte, ſic ut ex iſta vita ipſe habuerit per aliquam ſimilitudinem privilegia ſpirituum triumphantium in cœlo: &, ſicut dixi vobis, amor ipſius ſium poterat excidere, ſic ipſius unio cum Deo fuit continua, æquè ac cognitio myſteriorum ſublimiſſimorum, ut judicare poſſimus ex ipſius eſtaſibus, & revelationibus. Quòd ſi verum eſt, quòd amor transformat amantem in amatum, & quòd; ſi non poteſt hoc agere realiter, iſtud agit ſaltem moraliter; videte Seraphicum Patrem meũ totum transformatum in Salvatorem ſuum per uniformitatem intentionum, affectuum, deſideriorum, modorum agendi, imò verò veſtium & inſignium, ſicut contingit in mundo, in quo amatii ſæculi deferunt inſigne objecti erga quod afficiuntur: Franciſcus hæc omnia poſſidet: nunquam enim affectum habuit alium ab affectibus Domini ſui; ipſe ſecutus eſt ubique & in omnibus vitam & mores illius, & honori gloriæque duxit ſpeciali, operire ſe inſigni illius, quod fuit crux, deſiderans martyrium pati pro eo *qui dilexit* ipſum, *& tradidit ſemetipſum pro* x ipſo, ad commendandum amorem ſuum erga illum. (x Gal. 2. 20)

(II. Pars.) En igitur hic Divinus amans crucis, & Crucifixi, ſed amans amore indicibili; quod ita clarum eſt, ut de hoc nemo poſſit ambigere, quin exciderit mente. Si enim veſtra nõ permittit vobis infirmitas, ut intimè pervadatis cor ejus, ſaltẽ projicite

oculi

oculos veſtros ſuper pedes, manus, & latus ejus, & ſtatim confitebimini, quòd ipſe eſt prodigium amoris, & filius mirabilis crucis, cùm mirabilis & prodigioſæ crucis imago nunquam ita vivè exarata fuiſſet in carne ejus, niſi priùs impreſſa fuiſſet in anima illius. Hæc eſt ſecunda pars meæ ratiocinationis, quæ vocat vos ad agnoſcendum iſtud miraculum corporis Franciſci inſigniti characteribus Domini ſui, & honorati ſignis noſtræ Redemptionis. Contemplor igitur hunc virum undequaque vulneratum infinitis jaculis amoris: ipſe ſuſpirat coram Domino ſuo pro eo quòd ipſe non poſſit mori vulneribus ejus; ipſe elevat ſe ſupra ſeipſum, & inter ſilentia ſua, & ſolitudines ſuas contemplatur vulnera Domini ſui perforati pro ſalute ipſius, & intuitus ſui hanc habent virtutem faciendi fluere tormenta illius in animam ſuam; & inter has amaras dulcedines & dulces amaritudines, amor quo ipſe rapitur, afficit ipſum erga paſſionem & mortem ſui Salvatoris vehementius, ſicut præ miraculo inaudito, & privilegio prodigioſo, vulnera illius maneant impreſſa in corpore ipſius.

Ha! quis inter homines advertens hunc virum ſub imbre, vel potiùs torrente & diluvio Sanguinis Salvatoris ſui, non exiſtimaſſet quòd debuiſſet pati naufragium in mari ita vaſto, cujus tempeſtates erant ei dulces & deſiderabiles, quia re verâ ipſius ſuſpiria eas cauſaverant, & ipſius lacrymæ fecerant hujuſmodi aquas intumeſcere? Sed quomodò poſſet ipſe naufragium perpeti coram Domino ſuo, cujus crux ipſi ſervit loco phari & portus? Verum quidem eſt, quòd ipſe contentus eſſet ibi reperire aliquem ſcopulum, circum quem perire poſſet, ne periret in mundo: ſed Nauclerus, eſt *Dominus omnium* y, qui imperat *ventis & mari* z. Si ſunt *mirabiles elationes maris*: *mirabilis in altis Dominus* a, magis eſt, qui ſe mirabilem vult exhibere in perſona Franciſci, qui eſt totus prodigium, & totus miraculum. Quodnam oblectamentum debebat experiri magnus iſte vir ad acceſſum Seraphini venientis ad ipſum cum ſex alis ignium & flammarum; & quibus conſolationibus perfundi, cùm exponens ſe radiis iſtius Solis *intelligentiæ* b, & dilectionis, illicò ſe transformatum vidit in illum, & vulneratum iiſdem plagis Dei ſui?

y Eſth. 13. 11
z Matth. 8. 26
a Pſ. 92. 4
b Sap. 5. 6

Sed poſſetiſne ſtupere intuitu novitatis iſtius? cùm dixerim vobis ſuprà, quòd ſtatus Franciſci in terra, eſt aliquo modo ſimilis ſtatui ſpirituum glorioſorum, poſſidendo hunc amorem quem Seraphini perdiderunt per caſum ſuum. cum hac prærogativa, quòd Franciſcus confirmatus in gratia, & certus de ſalute ſua, non poterat illo excidere, honoratus cognitionibus & unionibus continuis cum ſummo Bono ſuo. Unde contingit etiam, ut, ſicut ſcimus per fidem; quòd animæ quæ ſunt in cœlo, cum reſumpſerint corpora ſua, reddent ea participia felicitatis ſuæ, communicando eis dotes beatitudinis, quæ ſunt præcipuè quatuor, agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, & claritas c, & reddent ea conformia corpori Jeſu Chriſti glorificato; juxta iſtud verbum S. Pauli d, *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*: ſic per aliquam ſimilitudinem corpus Franciſci unitum animæ beatæ per amorem in terra habuerit hæc privilegia, & corpus ipſius, quod comitabatur animam ſuam quoad exercitia amoris, ſuſceperit ſimiles communicationes, cùm Franciſcus ſæpè in oratione ſurſum eſſet elevatus, & aliquando viſus ſit in aëre circumdatus nube ſplendente:

c 1. Cor. 15. 42. & c
d Philipp. 3. 21

Sic cùm ipſi *profundatum eſt crepitans ferrum in tenerâ carne, & ab aure uſque ad ſupercilium coctura protracta, quantum irrogaverit ignis ille dolorem, vir ipſe ſanctus expreſſit: Laudate, inquit ad Fratres, Altiſſimum: quia verè dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis ullum dolorem* e. *Qualiter autem abſentibus ſe præſentem exhibuit divinâ faciente virtute, evidenter innoteſcit, ſi revocetur ad mentem, qualiter abſens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit; & quomodo ſe Arelatenſi Capitulo in crucis effigie præſentavit. Quod factum eſſe divinâ diſpoſitione credendum eſt, ut ex præſentia corporalis apparitione mirabili pateniter clareſceret, quam præſens & pervius ſpiritus ejus luci Sapientia foret æterna, quæ omnibus mobilibus mobilior eſt: & ubique attingens propter ſuam munditiam* f, *per nationes in animas ſanctas ſe transfert, & Dei amicos, & Prophetas conſtituit*, ait S. Bonaventura g. Sic Franciſcus participare videbatur qualitates corporum glorificatorum, præ hac tamen differentia, quòd corpora Beatorum poſſident, ſeu poſſidebunt has qualitates ſine interruptione: ſed qualitates corporis Franciſci non fuerunt in eo niſi ad tempus, ut ſemper ſe conformaret ad Salvatorem ſuum, qui ſumpſit infirmitates carnis, *caro* h factus, ut pati poſſet pro nobis. Quod extollit etiam hunc magnum virum ſupra ſpiritus glorioſos: iſti enim non debent inſigniri vulneribus Salvatoris, non ſecus ac fruentes Deo per cognitionem i, non ſunt tamen hypoſtaticè & ſubſtantialiter uniti ei: ſed ille qui ſuſcepit ſigna ejus, debet tandem neceſſariò beari, cùm vulnera ejus non ſint aliud; niſi arrhæ fœderis quod ipſe pepigit cum Deo ſe rata habiturum ſponſalia ſua per ſanguinem. Hæc vulnera non ſunt niſi prægustus gloriæ: & ſicut hæc humanitas ſacra, quæ fuit perſonaliter unita Verbo, fuit ex tunc beata; & fruens deliciis æternitatis; & B. Virgo quæ ſubminiſtravit ſanguinem ſuum, & carnem ſuam ad formandum hoc corpus ſacrum k, ſtatim ſuſcepit jus ad hæreditatem æternam: ſic Franciſcus ſuſcipiens hodie ſacra ſtigmata, & perforatus iiſdem vulneribus Domini ſui; ſuſcipere debet irrevocabile jus ad gloriam; quam Dei Filius ſibi comparavit eorum interventu: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* l? Imò verò Deus obſtringit ſe contractu expreſſo ad eam illi concedendam obſignans hanc promiſſionem ſigillo ſuo Regio in cerâ rubrâ amoris. Sic ut dicere poſſimus, quòd ſi S. Joannes m ait, *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi: Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum: Id eſt, quoadusque ego, & Angeli ſancti mihi cooperantes, crucis vexillo fideles ab infidelibus diſcernamus: vel Prædeſtinatos ad fidem convertendos notemus eorùmque converſioni cooperemur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus n: per hunc Angelum melius intelligere debemus, juxta S. Bonaventuram o, S. Franciſcum. Signum illius Angeli non erat niſi vexillum crucis, quod fuit ipſi conceſſum ad quoddam tempus, & poſt commiſſionem ſuam fuit ipſi ablatum: ſed ſignum quod defert Angelus iſte myſticus in anima ſua, & in corpore ſuo, in pedibus, in manibus, & in latere, manet jugiter in illo, nec auferetur unquam ab eo. Et hoc modo dicere poſſumus per aliquam ſimilitudinem, quòd, ſicut Pater æternus ſignavit aliàs Filium ſuum, *Hunc Pater ſignavit Deus* p, exponens & exhibens

e S. Bon. in Legend. S. Franciſc. c. 5
f ex Sap. 7. 24
g Idem ibid. c. 12
h Jo. 1. 14
i Jo. 17. 3
k Luc. 1. 38
l Luc. 24. 26
m Apoc. 7. 2. & 3
n Dion. Carth. art. 8. in Apoc. 7. 3
o S. Bon. in Prolog. Legend. S. Franciſci.
p Jo. 6. 27

eum mundo ut ſcopum amoris ſui, cùm eum elegerit ad hoc ab æternitate, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute* q, prout *eſt imago Dei inviſibilis* r *& figura ſubſtantiæ ejus* ſ, ut omnes qui credunt in ipſum, ſint inſigniti ſigillo ipſius Regio, ſic ut non poſſimus videre Filium, quin cognoſcamus ſtatim Patrem, ſicut ipſe Filius dicebat S. Philippo, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem* t: ſic Franciſcus hodie fit imago viſibilis Filii, qui eſt Deus ſicut Pater ſuus; qui ipſum ſignat ſigillo amoris ſui, ſic ut dicere poſſimus aliquo modo, *Hunc Filium ſignavit Deus*, velut figuram amoris ſui, prout electum ad hunc finem, ut omnes qui illum intuebuntur & cognoſcent, contemplentur Filium Dei, & animent ſe ſancto deſiderio adhærendi vitæ & exemplis illius.

[q Rom. 1. 4] [r Coloſſ. 1. 15] [ſ Hebr. 1. 3] [t Jo. 14. 9]

Interventu favorum iſtorum iſte dilectus *Benjamin in mentis exceſſu* u, requieſcit, non ſicut diſcipulus, *quem diligebat Ieſus, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus* x: ſed eligitur ut ſit tabernaculum & thalamus quietis Altiſſimi: *Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet* y. *Quia ſcilicet Deus in Benjamin, putà, in templo ſuo*, ſubdit Cornelius z. Cùm enim Deus ſit in aliis creaturis per eſſentiam a, in reliquis Sanctis per cognitionem & amorem, ſive in via b, ſive in patria c, manet tamen per communicationem vulnerum ſuorum cum Franciſco dilecto ſuo Benjamin, qui eſt *filius doloris* d ipſius, vel potiùs *filius dextræ* e, ſeu charitatis ex conſolatione quâ ipſe perfunditur contemplando labores Domini ſui, qui requieſcit *inter humeros illius*, id eſt, in manibus, pedibus, & latere, æquè ac in animâ ejus. Niſi malim dicere me videre eum hìc figuratum per Joſeph ſic dilectum à patre ſuo Jacob, ut dederit ipſi idem Iſrael partem bonorum ſuorum, quam ipſe lucratus fuerat gladio & arcu ſuo: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo* f. Super quod Cornelius g, ait, *Pars hæc ſingularis, quam ex diviſione Chananææ exemit Iacob, deditque ſpeciali donatione Ioſepho, fuit ager urbis Sichem, vel Sichar ut patet Ioannis 4. v. 5. Dices, hunc agrum emit Iacob* h: *quomodo ergo dicitur hìc, quòd eum acquiſierit gladio? Reſpondent Euſebius & S. Chryſoſtomus, quòd Simeon & Levi urbem & agrum Sichem, ob ſtuprum Dinæ à Sichimitis illatum* i, *jure belli ſibi patrique ſubegerint. S. Hieronymus, In gladio, inquit, & arcu, id eſt, in fortitudine, putà in pecunia, quam multo labore & ſudore acquiſivi. Vnde Hebræum, quod noſter arcum vertit, ſignificat nummum.* In hoc eximiam video figuram doni quod Jeſus Chriſtus dat Franciſco, cùm enim ditaverit illum pretioſâ veſte † virtutum ſuarum, tribuit etiam illi hodie portionē ſuprà fratres ſuos, alios Sanctos, quæ eſt, non aliqua civitas tranſitoria, qualis erat urbs Sichem; ſed *urbes* k quinque ſacræ refugii, putà, vulnera ſua, quæ ſunt aſyla peccatorum & reorum; non ager (qualis erat ager Sichem) vel paradiſus temporalis, ſed paradiſus deliciarum, ubi noo adeſt ſolus fons, ſicut *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum* l, ſed quinque origines divinæ, unde haurimus gaudium, oblectamentū, & conſolatioonem, & quæ provident Frāciſco aquas ad refrigerandos ardores ipſius, & ad accendēdum magis ac magis cor ipſius, & quas cùm ſemel ipſe guſtaverit, ipſe faſtidit omnes aquas turbidas & luteas mundi, *Ægypti aquam turbidam, & Aſſyriorum* m. Hæc eſt portio quam divinus Jacob lucratus eſt innocentiâ ſuâ, ſicut *prædium quod dedit Iacob, Ioſeph filio ſuo; erat autem ibi fons Iacob* n; iſte Patriarcha ſibi comparavit innocentiâ ſuâ, quæ reddidit ipſum immunem à crimine filiorum ſuorum Simeonis & Levi quoad occiſionem Sichimitarum o. Vel, fortitudine ſuâ, cùm moriens triumphavit de morte & de inferno, *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne* p: & patiens injurias, æquè ac tormenta q, proſtravit rigorem & ſævitiam inimicorum ſuorum, qui cauſabant ipſi pœnas ipſius. Vel, pecuniâ, id eſt, *pretioſo ſanguine* r ſuo, cujus effuſione lucratus eſt ipſe hanc divitem portionem quinque vulnerum quæ video impreſſa in corde & in corpore iſtius myſtici Joſeph, Franciſci, per hanc partem ditati ſupra fratres ſuos, qui ſunt Apoſtoli & Martyres. Si enim S. Stephanus inter lapides, *vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantē à dextris Dei* ſ: Franciſcus vidit eundem Filium Dei coram ſe, & cor apertum illius, qui eſt *Creator omnium* t. Et ſi S. Paulus *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* u: Franciſcus in terra converſando expertus eſt res ita dulces, & delicias tantas ut non poſſit aliquis eas exprimere, nec concipere. Si cùm *aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos; & reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*; *Petrus dixit ad Ieſum, Domine, bonum eſt nos hic eſſe* x, raptus radio gloriæ qui exibat è facie Domini ipſius: Franciſcus in mōte Alvernâ raptus eſt radio vel potiùs exceſſu amoris, compatiens doloribus Salvatoris ſui crucifixi, qui cùm perforaverit corpus ipſius, reddidit illud diaphanum, & admirabile non naturæ, dando illi qualitates cœleſtes & divinas, quarum ſigna ſunt æterna. Si S. Joannes recubuit *in ſinu Ieſu* y, raptus amoris: cor Franciſci quæſivit & invênit ſimul in ſinu animæ ipſius, ſecuram quietem ſuam. Et ſi hic diſcipulus, *quem diligebat* z Salvator, fuit teſtis tormentorum ejuſdem Domini ſui: Franciſcus amans crucis & Crucifixi, fit particeps pœnarum ejus, præ hâc prærogativâ, quòd illius vulnera ferat in corpore ſuo, æquè ac in anima ſua: *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* a. Sic myſticus iſte Jonathas, Jeſus habens conglutinatos affectus ſuos *animæ David* b, Franciſci, nedum ſe ſpoliet veſtibus ſuis, armis ſuis, & baltheo ſuo; hæc omnia dat Franciſco, qui his inſtructus certamen init adversùs gigantes mundi, *& ſibi quinque limpidiſſimos lapides* c eligens, qui ſunt quinque vulnera educta ex hoc Lapide vivo, Jeſu Chriſto, *Petra autem erat Chriſtus* d, *& fundâ* e crucis jacto, proſternit omnes hoſtes ſuos, nedum aliquis poſſit ipſi reſiſtere. Sic Sponſus ſacer elaborat & dat eximias imagines & figuras auri animæ Franciſci Sponſæ ſuæ, ditatas encauſto argenteo, quæ non ſunt aliud niſi vulnera ſua: nam ubi legimus in verſione vulgatâ, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* f, LXX. legunt, *cum diſtinctionibus argenti*, apud de Ponte g, qui ſubdit: *Nam Spiritus ſanctus Apoſtolis ac dilectis ſuis primò impertivit aurum charitatis, Dei & proximorum amore flagrantis: deinde hoc aurum in murenulas reduxit, inſtar murenæ piſcis, quæ ſe in circulum revolvit, quia vermiculatum reddit variis ſtigmatibus argenti, id eſt, variis gratiarum generibus, unicuique tribuens eam quam vult* h. Cùm in anima Franciſci obſervaverimus prodigia amoris, & videamus in corpore ejus ſtigmata argenti pretii inæſtimabilis.

[u Pſ. 67. 28] [x Jo. 21. 20] [y Deut. 33. 12] [z Cornel. in Deut. 33. 12] [a Jer. 23. 24] [b Rom. 5. 5] [c Jo. 17. 3] [d Gen. 35. 18] [e Ibid.] [f Gen. 48. 22] [g Cornel. in Gen. 48. 22] [h ex Gen. 33. 19 & ex Ioſue 24. 32] [i ex Gen. 34. 2. &c] [† Gen. 37. 3] [k Ioſue 20. 2. &c] [l Gen. 2. 10] [m Ier. 2. 18] [n Ioan. 4. 5. & 6] [o Gen. 34. 25. &c] [p Oſee 13. 14] [q Ioan. 19. 1. &c] [r 1. Petr. 1. 19] [ſ Act. 7. 55] [t Eccli. 24. 12] [u 2. Cor. 12. 4] [x Matth. 17. 1. &c] [y Io. 13. 23] [z Io. 19. 26] [a Gal. 6. 17] [b 1. Reg. 18. 1. &c.] [c 1. Reg. 17. 40] [d 1. Cor. 10. 4] [e 1. Reg. 17. 49. &c] [f Cant. 1. 10] [g De Ponte l. 3. in Cāt. c. 10. Exhort. 28. parag. 3] [h ex 1. Cor. 12. 11. &c]

Venite igitur, *& videte opera Domini, quæ poſuit*

ſi-

prodigia ſuper terram. Sed cavete ne idea accedatis cum curioſitate, ſed potius ſtatuite ut ardeatis ignibus & flammis hujuſmodi: attendite ne æmulemini tantum bonum, licèt omni dignum ſit æmulatione, eo enim debetis agnoſcere vos indignos: hoc eſt privilegium, ſoli Franciſco conceſſum: Eccleſia authoritate ſuâ confirmat hæc ſacra vulnera in corpore ejus: licèt enim multi Sancti fuerint vehementer amici Dei, & amaverint eum cum exceſſu, & ſuſceperint in cor ſuum imaginem crucis, & Crucifixi, ſicut dicebat S. Paulus i, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto: Id eſt, ſigna vulnerum, & ſimilitudinem pœnarum Chriſti, bajulando crucem meam indeſinenter, & Chriſtum ſequendo* t, *ejuſque paſſioni me pro viribus conformando*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k: nemo tamen ipſorum potuit uſque nunc oſtendere notas illius foris, niſi S. Franciſcus. *Sic S. Franciſcus, ut narrat Bonaventura* l, *ab Angelo Seraphino crucifixum aluſum continente, Chriſti crucifixi ſtigmata, id eſt, clavos per pedes, & manus, vulnuſq; lateris, inſtar Chriſti, accepit, quia totus in Chriſti crucifixi amorem, imitationem, & obſequium tranſire geſtiebat*, ait Cornelius m ſuper prædicta verba Apoſtoli.

i Gal. 6. 17
t ex Luc. 9. 23
k Dion. Carth. art. 6 in Gal. 6. 17
l ex S. Bon. in Legend. S. Franc. c. 13
m Cornel. in Gal. 6. 17

Contemplemur igitur, & imitemur, Auditores, amorem Seraphici Patris S. Franciſci, & licèt non ſimus viſibiliter notati ſignis pœnarum ejus, audebo tamen dicere, quòd ea deferemus inviſibiliter, ſi mortificemus pravos affectus noſtros: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis* n. Et, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris* o. Franciſcus non ſuſcepit amorem & gratiam, & ſigna Crucifixi quandiu erat in mundo, vivens in voluptatibus & oblectamentis terræ, vel domus patris ſui, ſed cùm induiſſet ſe pœnitentiâ in locis deſertis & ſolitariis inter vigilias, lacrymas, & jejunia: ipſe non fuit evectus ad hunc ſtatum prodigioſum & mirabilem, in quo eum ſuſpeximus, inter delicias & conſortia mundi, ſed ſeorſum inter ſilentia & orationes ſedens *ſolitarius, & tacens levavit ſe ſuper ſe* p. Obſcurando lumen oculorum ſuorum corporeorum deflendo mortem Salvatoris ſui, æquè ac compatiendo paſſioni ejus, mens ipſius honorata fuit luminibus cœleſtibus & divinis. Nobis igitur *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* q, cui jugiter alligata tenere debemus corda noſtra. Et licèt non habeamus illius inſignia foris, conemur ea ferre in anima, & effectus in exteriori & per opera, mortificantes noſtra *membra, quæ ſunt ſuper terram* r, ad exemplum Domini noſtri, qui voluit reverâ crucifigi, & dare ſanguinem ſuum inter tormenta, ut nos induceret ad nos armandos ſimilibus cogitationibus, & deſideriis quæ conformarentur cogitationibus & deſideriis ipſius, *Si compatimur, ut & conglorificemur* ſ. Ut poſtquàm crucem tulerimus alacriter in iſto mundo, mercedes illius æternas ſuſcipere poſſimus in altero.

n Gal. 5. 24
o 2. Cor. 4. 10
p Thren. 3. 28
q Gal. 6. 14
r Coloſſ. 3. 5
ſ Rom. 8. 17

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9. 9.

Mihi videor intueri quomodo magnes occultâ ſed excellente qualitate expoſitus auro, argento, & ferro, relinquit argentum & aurum, & ſubtiliter attrahit ferrum: vel quòd ſpecioſus iſte flos, qui vocatur Heliotropium, ornatus & ditatus ipſo colore auri, textus in formam coronæ, & terminatus circùm pulchris radiis innumeris, ut videatur æqualiter undequaque, ex quo Sol incipit oriri, ſe convertit accuratè verſus illum, ad agnoſcendum quòd radii ſui non erant niſi commentitii, & corona ſua non erat niſi imaginaria comparatione coronæ Solis, qui reddit ipſum ſpecioſiorem & ditiorem aſpectu ſuo, quàm eſſet ipſe vel in ipſa ſubſtantia ſua: aut quo pacto ſtylus horologii manuarii, qui erat immobilis, quippe qui factus è materia gravi, tamen ſub aſpectu ſtellæ polaris novum motum ſumit, & promptâ agitatione convertit cuſpidem ſuam in eundem locum ad manifeſtandam horam quæ notari debet. Sumite quodlibet ex iſtis volueritis: nam id quod eſt ferrum magneti, Heliotropium Soli, & ſtylus ſolari pugillaris ſtellæ polari, eſt vir de quo loquitur hodiernâ die Evangelium noſtrum, qui vocabatur Matthæus: erat enim telonarius, ſeu exactor vectigalium, qui immerſus erat argento, & auro ad oculos uſque, ſed qui habebat animam ferream; & iſte Lapis vivus, qui eſt Salvator, *Petra autem erat Chriſtus* a, ad ſe trahit hanc animam, licèt eſſet ferrea, relinquendo argentum, & aurum ſuper telonio: *Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi. Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Ipſe, velut Heliotropium erat, quippe qui radiis bonorum temporalium undequaque affluens, & velut coronatus, imaginabatur quòd aurea corona ſua, & divitiæ quas habebat, reddere poſſent ipſum immortalem: ſed cùm prætereiens *Ieſus vidit* illum, ipſe, inquam, qui eſt *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* b, convertit eum ad ſe, ad innuendum, quòd omnes curæ noſtræ tendere debent ad divitias cœli, ſicut ait nobis Eccleſia Sponſa ipſius, *Si verè, Fratres, divites eſſe cupitis, veras divitias amate.* Ipſe, erat quaſi ſtylus ſolarii manuarii, qui non poterat invenire nec notare tempus & horam ſalutis ſuæ, donec Dei Filius, qui eſt hæc *Stella ex Iacob* c orta, favorabiliter eſt illum intuitus, dicens ei, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* d. Vel, *Hora eſt jam de ſomno ſurgere* e. Sed ad oſtendendam efficaciam iſtius magnetis, hujus Solis, iſtius Stellæ, erga hoc ferrum, hoc heliotropium, & iſtum ſtylum, indigemus lumine Spiritus ſancti, quo Maria erat repleta, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a 1. Cor. 10. 4
b Eccleſia ex Malach. 4. 2
c Num. 24. 17
d 2. Cor. 6. 2
e Rom. 13. 11
f Luc. 1. 28

Admirabilem refert ſanctus Joannes g viſionem, dicens, *Vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam* vo-

g Apoc. 14. 1. &c

vocem tonitrui magni: & vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Super quam viſionem [illegible] ius Carthuſianus h ait, *Per montem Sion quidam hic intelligunt Eccleſiam militantem, & alii triumphantem. Sed quantum capere valeo, utrumque dici nil prohibet. Itaque conſueta ſeu imaginaria viſione intuitus eſt Joannes Chriſtum ſtantem ſupra Eccleſiam, hoc eſt, in vertice omnium Electorum ſuorum, & tam militanti quàm triumphanti Eccleſiæ præſidentem, militantibus quoque pro ipſo auxiliari paratum, ſecundùm quod Stephanus ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei* i. *Et Chriſtus in Pſalmo* k *loquens de Patre, Ego (inquit) ſum conſtitutus Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus. Sion autem ſpeculatio interpretatur, quod militanti Eccleſiæ competit: quæ videt per ſpeculum in ænigmate* l, *revelatâque facie gloriam Domini ſpeculatur* m. *Sed triumphanti Eccleſiæ competit ſinceriſſime contemplari, quippe quæ facie ad faciem* n *contuetur. Iſte eſt mons Dei, mons pinguis* o. *De quo Apoſtolus* p, *Acceſſiſtis ad montem Sion. Denique, Per centum quadraginta quatuor millia, numerum determinatum atque finitum, indeterminatus innuitur numerus Sanctorum.* Per hunc ergo magnum numerum, ad quem reducuntur duodecim tribus *filiorum Iſrael*, ut obſervavit aliquantò antè idem ſanctus Joannes q, intelligitur generalitas Beatorum, de quibus ſubdit idem Evangeliſta r, *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Quaſi diceret, quòd tranſiverunt per ignem, per gladium, per pœnitentiam, & per perſecutionem, & conſequenter quod nunc ſequuntur eum per omnia loca & per omnes manſiones iſtius magni palatii æterni, quæ ſunt diverſæ felicitates, quibus ipſe fruitur, *Hi ſequuntur Agnum quòcunque ierit* ſ. Præterea, Ibi erant voces valde differentes, quod videtur inuſitatum: eſto enim quod Muſicæ & citharæ poſſent audiri à ſancto Joanne, cùm Muſica magnam convenientiam & harmoniam teſtetur inter Muſicos & partes, & inſuper tranquillitatem mentis, & lætitiam ac exultationem univerſalem: ſcimus autem quòd in iſta beatitudine ipſi ſunt omnes unanimes & gaudent ac exultant jugiter, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis* t: quænam videtur eſſe veriſimilitudo ut inter iſtas Muſicas & exultationes audiri poſſint etiam tonitrua, quæ pavore & tremore concutiunt audientes? *Et audivi vocem tanquam tonitrui magni.* Quænam probabilitas videtur intereſſe, quòd ibi ſint aquæ perſtrepentes, quòd audiantur ibi diluvia & inundationes, vel quòd timeantur ibi impetus torrentium qui pavore percellit unumquemque: ſicut iſta videntur innuere verba, *Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum.* Nolite mirari [illegible], Auditores, propter diverſitatem tot vocum: nam quælibet ex illis vocibus eſt tanquam Echo, ſeu omnes illæ voces, ſunt voces der[illegible] apud [illegible] oce, quæ [illegible] vox Agni. Nam ſi viri nobiles, qui ſunt in Curia magni Principis alicujus, videntes ſ[illegible] verſo è bello [illegible] nolento, cum interfuerunt cum Principe ſuo, generosè præliantes propter illius cauſam, poſtquam evaſerunt ex omnibus periculis belli, & dederunt probationes magnanimitatis ſuæ, participant cum eo delicias & quietem Curiæ, & fruuntur eâdem pace & eâdem gloriâ, & in cumulo [illegible] & g[illegible] enarrant inter ſe di[illegible] ſa ſtratag[illegible] bellica, quæ ipſi viderunt, [illegible] ibus expo in ſuorunt, fatigationes quas pertulerunt, [illegible] turbationes, commotiones, & conclamationes ad arma quibus interfuerunt, capturas quas fecerunt [illegible] hoſtes, tandem media præcipua quibus uſi ſunt ad hoc ut pervenirent ad hunc triumphum, quem poſſident pacificè, nedum iſti ſermones percellant ipſos terrore: loquuntur enim de tympanis; & nulla ibi ſunt: de catapultis, & de tormentis bellicis; & ipſi ſunt procul ab illis: de fame, de ſiti, & de fatigatione, & ab iſtis ipſi ſunt liberati: hæc enim, non ſunt niſi verba, quæ ipſis in ore remanſerunt è rebus præteritis, ut earum recordarentur propter oblectamentum ſuum, ſed non earum realitas, quæ poſſit ipſorum quietem interturbare: Sic Sancti, qui fuerunt in iſta vita velut in bello: *Militia eſt vita hominis ſuper terram* u: conſtituti nunc in iſto monte Sion gloriæ Eccleſiæ triumphantis, reminiſcuntur omnium præteritorum, & eorum memorias agunt, non ut iis torqueantur, ſed ut congaudeant cum Deo ſuo pro eo quòd communicant ipſius gloriæ, ſicut participaverunt labores ipſius, juxta iſtud verbum ſancti Pauli x, *Si compatimur, ut & conglorificemur.* Et y, *Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Et memorant media præcipua, per quæ ad periodum ſuæ felicitatis pervenerunt. Hæc autem tria genera vocum, de quibus vobis locutus ſum, ſignificant tria genera vocationum, quibus vocati ſunt ad obſequium Dei, ut nomen darent militiæ ejus, & præliarentur ſub vexillis ejus in Eccleſia militanti. Prima vox, quæ eſt vox aquarum, eſt univerſalis & generalis omnibus, & ſignificat diverſas gratias, quas Deus largitur eis quos vocat, unicuique ſecundum conditionem ſuam, *Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum.* Aliæ duæ, quæ non ſunt omnibus communes, ſunt prædicatio, & miracula. Comparo prædicationem voci tonitrui, quod ſtrepit, quod fragorem edit, & quod mundum terrore percellit, *Et tanquam vocem tonitrui magni.* Confero miracula cum ſonitu harmoniæ cithararum, qui fit nutu digitorum, ſicut miracula fiunt operatione manus, *Et vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Dico autem quòd hæc duo genera vocum non conveniunt omnibus, quia aliqui convertuntur voce prædicationis aut verbi Dei, alii verò vocantur prodigiis & miraculis è manu ejus omnipotenti exeuntibus: ſed omnes ſemper vocantur ſono aquarum fluentium, quæ ſunt gratiæ & inſpirationes interiores, quæ operantur inviſibiliter in animabus ipſorum: unde procedit ut in cœlo ſibi complaceant omnes intonare vocibus iſtis diverſis, & mentionem agere aliqui prædicationum, quæ plus habuerunt fortitudinis & energiæ ad ipſos convertendos; alii miraculorum quæ potentiora fuerunt ad ipſos educendos è peccato; & alii gratiarum & inſpirationum Spiritus ſancti, quæ fuerunt efficaciores ad inducendos ipſos ad virtutem. Non eſt hoc niſi ſola vox & ſola mentio quam ipſi faciunt omnium iſtarum rerum propter oblectamentum ſuum, & propter gloriam Principis ſui, qui eſt Jeſus Chriſtus, nedum ſit in cœlo prædicatio, nec tonitruum, nec miraculum, nec torrens, nec aliquid aliud, quod poſſit eos commovere, vel eorum quietem tantiſper interturbare, & [illegible] illorum interrumpere, vel modicum. Et iſtæ tres voces conſtituent tres diſcurſus iſtius partes.

Dico

h Dion. Carth. art. 15. in Apoc. 14. 1

i ex Act. 7. 56

k ex Pſ. 2. 6

l ex 1. Corinth. 13. 12

m ex 2. Cor. 3. 18

n ex 1. Cor 13. 12

o ex Pſ. 67. 16

p ex Hebr. 12. 22

q Apoc. 7. 4. &c

r Apoc. 7. 14

ſ Apoc. 14. 4

t Pſ. 149. 5

u Job

x Rom. 8. 17

y 2. Cor. 1. 7

Dn[illegible]

Dico igitur, Auditores, quòd aliqui vocantur à Deo prædicatione, quam comparo voci tonitrui. Sed quoniam omnes qui adſint huic concioni, neſciunt quid ſit tonitruum, hoc eſt quod illos edocere volo. Tonitruum eſt quædam exhalatio, vel, ut intelligibiliùs dicam, quidam ignis calidiſſimus & activiſſimus, qui incluſus in nube denſa, quæ conatur non ſolùm ipſum obſcurare, ſed etiam ipſum prorſus extinguere frigore ſuo & denſitate ſuâ, non valens ſuſtinere hoc involucrum ſic moleſtum, minùs etiam vinci ab hac nube infirma & tenebroſa, ipſe qui generoſus eſt, & totus vivacitate plenus, ductus veluti naturali ſed juſtiſſima indignatione, ſe colligit in ſeipſum. & ita ſe roborat, ut dirumpat promptitudine & violentia incomprehenſibili iſtam nubem, vel iſtud obſcurum pallium; & in hac fractura tantum fragorem edit, ut eo domus ſæpè dejiciantur, turres deſtruantur, civitates commoveantur, montes concutiantur, & homines, qui illo tanguntur, redigantur in pulverem, & illi qui eum ſolum audierunt, ſic maneant ſtupefacti & perculſi, ut inde ſudore perfundantur inſolito, & tremore concutiantur non vulgari per aliquot horas, quandiu hic ignis triumphans de nube, diſcindit nebulas, & reſolvit eas in pluviam, mortificans earum præſumptionem ſic ſevero ſupplicio: *Tonitruum dictum, quòd ſonus ejus terreat: nam tonus, ſonus. Qui ideò interdum tam graviter concutit omnia, ita ut cœlum diſcidiſſe videatur, quia cùm procella vehementiſſimi venti nubibus ſe repente immiſerit: turbine invaleſcente, exitumque quærente: nubem quam excavavit, impetu magno proſcindit, ac ſic cum horrendo fragore defertur ad aures. Quod mirari quis non debet, cùm veſicula, quamvis parva, magnum tamen ſonitum diſploſa emittat. Cum tonitruo autem ſimul & fulgur exprimit, ſed illud celeriùs videtur, quia clarum eſt, hoc autem ad aures tardiùs pervenit. Lux autem quæ apparet ante tonitruum, alibi fulgor vocatur. Quæ, ut diximus, ideò ante videtur, quia clarum eſt lumen, tonitruum autem ad aures tardiùs pervenit*, ait ſanctus Iſidorus a. [a S. Iſid. l. 13. Orig. c. 8. & 9] Unde procedit, ut aliqui confundant tonitruum cum fulmine, ut eruitur ex his verbis ſancti Iſidori, & ex aliis quæ ipſe ſubdit paulò pòſt, loquens de fulmine, *Tria ſunt autem ejus nomina, fulgur, fulgor, & fulmen. Fulgur, quia tangit: fulgor, quia incendit & urit: fulmen, quia findit: ideò & cum tribus radiis pinguntur.* Id eſt, fulmina. Iſta vox tonitrui, Auditores, non eſt æquè fortis ac potens ac vox Dei: ſicut enim accidit, ut peccatores, qui *ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam* a, [a Epheſ. 4. 18. & 19] videantur velle obſcurare verbum ejus divinum, quod eſt ipſamet *Veritas* b, [b Jo. 14. 6] perſuadere conantes hominibus, ipſos nunquam morituros, vel ſaltem nullam reddituros unquam rationem finalem, & ideò quòd ſit hæc vita transigenda in deliciis & in voluptatibus, quòd pœnitentia non eſt neceſſaria, & alia ſimilia quæ ſunt nebulæ, quæ circuncingunt hanc æternam Veritatem, vel hanc præclaram exhalationem: hæc vox Dei, quæ ſuſtinere non poteſt ſe videre impeditam ab hoſtibus ſic infirmis, impatiens videre ſe obſcuratam, exit aliquando non ſecus ac tonitruũ, vel fulmen, diſſipat has nebulas, fulgere facit lucem ſuam, triumphat de errore, & producit effectus in mente & corde peccatorum prorſus admirabiles, unde montes, qui ſunt magni Principes, concutiuntur, turres & arces, quæ ſunt homines divites, commoventur; & faſtus, ſeu ſtatus eorum qui benè valent, in pulverem redigitur; quia maximi peccatores, cùm Deo placet facere eos audire hoc tonitruum vocis ſuæ & verbi ſui, commoventur, & corde percelluntur, teſte Saulo c: *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco. Et ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* c? [c Act. 9. 1. &c] Sicut Saulus percuſſus voce tonitrui iſtius, evaſerit ipſemet poſteà tonitruum, ſecundùm quod conſequenter Ananiæ dixit Dominus, *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael* d. [d Act. 9. 15] Ad quod conformiter Cornelius e [e Cornel. in Exod. 19. 18] loquens de terribilibus quæ acciderunt in monte Sinai, cùm Deus daret ibi legem, inter quæ recenſentur tonitrua, ait, *Allegoricè, Tonitru ſignificabat terrorem prædicationis Evangelii. Unde Paulus à S. Hieronymo vocatur Tonitru Gentium.*

Hæc eſt vox de qua loquitur Pſalmiſta f, [f Pſ. 28. 5. &c.] quæ contrivit cedros Libani, quarum altitudo procêra minas intentabat cœlo, vox quæ humiliat animas illas elatas, quarum ſuperbia jugiter aſcendit eò, quò poteſt ipſas ferre ipſarum ambitio, *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.* Hæc eſt vox quæ dividit flammas, quæ ſibi tranſitum facit in medio locorum illorum infernalium, quas flammas paſſio immunda accenderat in corde, ut ibi virtutes in cinerem redigeret, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Hæc eſt vox quæ ſtupore concutit deſertum, quæ tremore percellit homines æquo liberiores, bonis operibus infœcundos, qui uſque ad illud tempus deriſerunt judicia Dei, & nunquam audiverunt loqui de vita futura, niſi cum deſpectu, & commovet eos ſancto timore ut fiant fœcundi, *Vox Domini concutientis deſertum.* Hæc eſt vox quæ præparat ſic animas timidas, quæ non habebant cor ad reſiſtendum voluptati, & ad ſuſtinendum impetum magnæ afflictionis, ut ex ipſis faciat leones, ſic ut ſe timeri faciant ab hoſtibus ſuis, *Vox Domini præparantis cervos.* Hæc eſt vox quæ revelat res obſcuras, inducens peccatorem converſum ad manifeſtandum interius ſuum, quod ipſe tenebat abſconditum, & ad detegenda mala ſua iis, qui ſanandis illis opportunum poſſunt afferre remedium, *Et revelabit condenſa.* Sic ut agens pœnitentiam, tandem perveniat ad ſalutem, ut ait paulò antè idem Pſalmiſta g, [g Pſ. 28. 7] *Et commovebit Dominus deſertum Cades.* Et Dionyſius Carthuſianus h [h Dion. Carth. in hunc locum.] poſt eum, *Et commovebit Dominus ad pœnitentiam & vitam laudabilem, deſertum Cades, id eſt, cor Electorum & fidem Dei habentium. Cades enim immutata vel ſancta interpretatur. Electi igitur, quoniam ad tempus errare poſſunt, ſed finaliter perire non valent, commovebuntur à Domino ad ſalutem, antequàm moriantur.* Hæc eſt vox, de qua loquebatur Jeremias †, [† Jer. 18. 16] cùm poſt deſcriptum faſtum magnitudinis populi Iſrae-

Iſraelitici ſub comparatione olivæ, ſeu ſpecioſi paradiſi, vel ſylvæ condenſæ, ait, *Ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in ea.* Quaſi diceret, quòd cùm verbum divinum reſonat in aliquo loco, ibi edit tantum fragorem, ſive exhortando, ſive minando, ſive redarguendo, vel perſuadendo, quantum agit ignis impulſus & emiſſus à tonitruo in mediam ſylvam: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & pene-*
i Hebr. 4.12 *trabilior gladio ancipiti*, dicit S. Paulus *i*. Quòd ſi gladius, arborea falx, vel ſecuris devaſtare poteſt ſylvam integram, verbum Dei non habebit minus energiæ. Multæ ſunt pulchræ rationes, propter quas Apoſtolus comparat verbum Dei gladio acuto; ſed pro nunc unica mihi ſufficiet, quæ eſt videre, quòd Deus retinuit actionem ignis, & aquæ, ne offenderent aliquos Martyres; nunquam tamen impedivit actionem gladii, cùm actum fuit de am-
k Iſa. 43.2 putando illis capite: *Cùm tranſieris per aquas*, ait ipſemet per Iſaiam *k*, alloquens populum ſuum Iſraeliticum, *tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Quia volebat ut gladius utrâque parte acutus foret ſymbolum divini verbi ſui, quod nunquam fruſtrari poteſt effectu ſuo; & id quod aquæ dulcedinum temporalium perſuadere non poterunt, illud quod ignis tormentorum vel violentiarum operari non poterit ſuper mentem & cor hominis, hoc idem ſermo divinus facilè peraget, ſaltem Deus illud non impediet, modò ex parte noſtra nullum ſit obſtaculum, licèt, ſi Deo placet emittere vocem ſuam, hæc productura ſit effectum tonitrui, aut fulminis, quod potiùs concerit & diſſipat res fortiores, & quæ videntur debere reſiſtere, quam flexibiliores. Nolite autem putare, quòd ſemper opus ſit ut vox iſta tonet more tonitrui: ejus efficacia non conſiſtit in edendo ſtrepitu: nam Sponſa reperiebat eam dulcem, *Sonet vox tua*
l Cant. 2.14 *in auribus meis: vox enim tua dulcis* l: ſed ideò quia
m Jo. 7.14 procedens ex ore Dei, vel immediatè, ſicut cùm *Ieſus docebat* m æquè ac loquebatur, vel mediatè per Prædicatores, præ ſe fert neſcio quemnam ſpiritum & quamnam vitam illabentem inſenſibiliter corda noſtra, & animantem nos ad bonum &
n Matth. 4.19.& 20 ad virtutem. S. Petrus & S. Andreas reliquerunt retia ſua audito duntaxat unico *Venite poſt me* n. *Qui receperunt ſermonem* ejuſdem S. Petri prædicantis
o Act. 2.41 die Pentecoſtes, *baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia* o. Et ſemper aliqui Chriſtiani exeunt è prædicationibus corde compuncti cum bonis propoſitis recipiendi ſe in bonam emendatæ vitæ frugem, quia audierunt vivum uſurpantem verbum Dei, quod ſine multo
p Apoc. 14.2 fragore facit operationes, quas ageret tonitruum, *Audivi tanquam vocem tonitrui magni* p. Scitu nunc qualis fuerit hæc vox, quæ eduxit Matthæum è ſtatu in quo erat, & ex officio quod profitebatur,
q Dion. Carthuſ. art. 18. in Mat. 9.9 facile eſt, cùm dicat Dionyſius Carthuſianus *q* ſuper verba Textus mei. quæ idem S. Matthæus de ſe nobis reliquit, *Glorioſus Evangeliſta Matthæus ſuiipſius converſionem deſcribit. Et cùm tranſiſſet inde, hoc eſt, à Capharnaum, vidit hominem ſedentem in telonio, id eſt, occupatum in colligendo vectigalia ſeu tributa. Et fortè ad literam tunc ſedebat quantùm ad ſitum corporis in telonio, id eſt, in domo publica, ubi ſolvebantur prædicta, vel teloneum eſt menſa in qua computantur vectigalia. Hic Matthæus alio*
r Luc. 5.27 *nomine appellatus eſt Levi, ſicque vocant eum Lucas* r
ſ Marc. 2.14 *& Marcus* ſ. *dum ejus converſionem deſcribunt. Nã propter reverentiam nolunt eum uſitato nomine deſignare, dum inhoneſtum ejus officium exprimunt. Et ait illi Ieſus, Sequere me. Reſpexit Ieſus Matthæum oculo corporali, ſed multò profundiùs oculo pietatis interna, ſeu compaſſionis affectu, quemadmodum reſpe-*
xit & Petrum poſt trinam negationem t. *Similiter* t ex Luc. 22.60
vocat Matthæum verbo vocali ad extra corporales aures pulſando, ſed multò virtuoſiùs vocavit eum verbo inſpirationis occultæ, exhortationiſque intimæ, de
quo ait Propheta u, *Audiam quid loquatur in me Do-* u Pſ. 84.9
minus Deus. Porrò verba Chriſti operativa erant, & penetrativa cordis. Et ſurgens à priſtina converſatione injuſta, à loco telonei, & ab omni affectu terreno, ſecutus eſt eum, videlicet Chriſtum, mentis religioſâ devotione, & corporis greſſu promptiſſimo. Ipſe vocatus eſt igitur voce tonitrui, *Audivi tanquam vocem*
tonitrui magni x. Hæc eſt vox quæ perſuaſit ei, x Apoc. 14.2
quòd ipſi foret optimum ad ſequendum Jeſum Chriſtum, relictis omnia: nam cum hoc fulgore & ſono vocis ipſius fuit & fulgur, ſeu lux ſubita, quæ ipſum intùs irradiavit, & oſtendit ipſi qualitatem iſtius viri qui ipſum vocabat.

Sed quia ſunt aliqui qui ſaltare nolunt ad vocem II. Part
hominis canentis, licèt ſit harmonica, pulſantur citharæ & inſtrumenta Muſica, ut excitentur illi ad ſaltandum. Sunt aliqui homines ita rudes, & ſic malè diſpoſiti ad operandam ſalutem ſuam, ut ſolum verbum Dei non ſufficiat ipſis, licèt ex ſe veriſſimum ſit & efficaciſſimum, & ſic opus ſit ipſis,
citharœdis: propterea S. Joannes *y* ait, quòd aliæ y Ibid.
voces, quæ auditæ fuerunt in cœlo, erant velut inſtrumentorum Muſicorum, *Et vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Et quia hæc inſtrumenta Muſica pulſantur motu digitorum, ideò comparavi ea miraculis, quæ ſunt ſecundus modus, quo Deus vocat peccatores, oſtendendo eis mirabilia, quæ ipſe fecit manu ſua, ſicut cùm *abiit trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia vide-*
bant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabãtur z. z Joan 6. 1. & 2.
Unuſquiſque mirabatur videre quomodo ipſe ſa-
nitatem largiebatur infirmis *a*, viſum cæcis *b*, au- a Luc. 4.39
ditum ſurdis *c*, verbum mutis *d*, motum paralyti- b Jo 9.6. & 7. &
cis *e*, & vitam mortuis f: *Benè omnia fecit, & ſurdos* Matth. 9.
fecit audire, & mutos loqui g. Sic multi Ethnici, & 29. & Luc.
Tyranni, & innumeri peccatores converſi ſunt a- 18.42
liàs, & convertuntur adhuc plùs vi prodigiorum & c Marc. 7.
miraculorum quàm virtute verbi Dei. Sicut enim 34. & 35
videntes citharœdum ita ritè tractantem tot chor- d Matth. 9.
das, omnes differentes tono, ut conciliet infimas 33. & Luc.
cum ſupremis & mediis, & ex his omnibus jucun- 11.54
da reſultet harmonia, ſentimus inde cor noſtrum e Matt. 9.
animari, lætificari, & commoveri generaliter ad 6. & Joan.
paſſionem quæ exprimitur diverſis tonis gaudii, 5.8. & 9.
triſtitiæ, furoris, mororis, & languoris: ſic cùm pec- f Matth. 9.
cator videt miracula, quæ Deus fecit omnipotenti 25. & Luc.
manu ſuâ, concilians res quæ videntur eſſe repug- 7.14. & Jo.
nantes ad invicem, ut aquam cum igne *h*, leones 11.43
cum corpore hominis *i*, idem corpus cum fame & g Marc.
ſiti diu *k*, morbos ſubitò expulſos *l*, dæmones u- 7.37
nico inſtanti ejectos *m*, & cæcos & claudos ſtatim h 3 Reg.
ſanatos *n*; hoc eſt quod ipſum potenter commovet 19.35. &c
ad gaudium interius, ad dolorem de peccatis ſuis, i Dan. 6.16
ad ſanctum furorem contra vitium, tandem ad o- k Dan. 14.
mnes paſſiones quæ ſerviunt converſioni, quia 30. &c. &
ſunt concordiæ quæ ſuper cor ipſius habent pote- Matth. 4.2
ſtatem. Quin etiam perſæpè continget, ut id quod l Matth. 8.
agere non poterit cithara omnibus chordis ſuis ſu- 3. &c
per mentem & cor illius qui ipſam audit, minima m Matth.
omnium ſola pulſata ſubtiliter, hoc factura ſit. Et 9.33
ſicut aliàs Ægyptii non poterant commoveri mul- n Matth.
tis miraculis, quæ Moyſes & Aaron fecerant co- 21.14

tam

Google

o Exod. 7. 10. &c. coram ipſis o, donec ſentientes ſe punctos ab innumeris ſciniphibus, qui non edebant multum ſtrepitum, ſed qui ſtimulabant ipſos ad medullas uſque, coacti ſunt dicere præ veritate, *Digitus Dei* p Exod. 8. 19. &c. *eſt hic* p: Quaſi diceret manus Omnipotentis reperitur hîc, & alia manus ab ipſa ſic parvis inſtrumentis & ſic exiguis chordis non poſſet facere tonos ſic acutos, & puncturas ita doloroſas: Sic cùm peccatores non potuerunt converti & tangi tot generibus mirabilium, quæ Deus fecit in ordine naturæ, & in ordine gratiæ, & accidit ut ad tonum Prædicatoris alicujus aut Apoſtoli, qui non erat niſi veluti culex, ſentiant ad vivum tangi cor ſuum, & agitari novis inquietudinibus, coguntur dicere ſinguli, Proculdubiò manus Omnipotentis operatur hîc, quia impoſſibile eſſet ut homo ſimplex & ordinarius voce ſic depreſſâ, & linguâ ſic exiguâ tantos operari poſſet effectus ſuper paſſiones meas, ſeque ſic ad vivum facere ſentiri, niſi Deus applicuiſſet ipſi manum: hæc vox, vel iſta lingua, non eſt niſi exigua chorda, vel exilis culex, ſed ſtatim ac movetur manu Dei, operatur mirabilia; *Et vocem quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis* q. S. Matthæus audiverat fragorem miraculorum, quæ Jeſus Chriſtus operatus erat r. Poſthæc unicus ſufficit intuitus ejuſdem Filii Dei ſuper ipſum ad operandum miraculum converſionis ipſius: *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit Matthæum, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.*

q Apoc. 14. 2
r Matth. 9. 6. & 7

III Pars. Sed tranſeamus ad tertiam vocem, quæ eſt communior & generalior omnibus, *Et audivi vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum* ſ: & dicamus quòd aliqui convertuntur fortitudine verbi Dei, quod erat hoc tonitruum, de quo vobis locutus ſum: alii miraculis, quæ ſunt citharæ, de quibus vobis diſſerui: ſed omnes univerſaliter aquis, per quas intelligo gratias interiores, quas Deus dat unicuique è nobis, & diverſas vocationes, quibus utitur ad nos vocandos: nam licèt gratia Dei vocetur modò ignis t, ratione charitatis, quæ eſt ignis ardens, & ſemper vadit cum gratia u; modò unguentum x, quia ſanat animæ noſtræ vulnera, & ſimilibus aliis inſigniatur titulis; præcipuè tamen comparatur aquæ, ſicut Samaritanæ Ieſus dixit, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* y. Propterea Eccleſia tribuens ei tres iſtas qualitates, aſſignat hanc illi pro primâ,

ſ Apoc. 14. 2
t Luc. 12. 49
u Rom. 5. 5
x Cant. 1. 3
y Jo. 4. 13. & 14

Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis unctio.

Et hoc propter diverſos effectus aquæ, qui mirabiles habent convenientias cum gratia Dei, de qua loquimur: Nam primò aqua lavat pannos & linteamina, & omne quod eſt immundum, refrigerat ardores nimios, non ſolùm corporis, ſed cujuslibet alius rei: vehementer lætificat domum, vel civitatem, cùm per illam tranſverſam tranſit: fœcundat agros, & reddit plantas pulchras & fertiles; & habet alias innumeras prærogativas, quas ſcitis educi ex hoc elemento: tandem, ipſa nutrit, & ut benè nutriat, nullum debet habere ſaporem. Quis autem neſcit, quòd hæc eſt gratia Dei, quæ lavat animas noſtras ab innumeris inquinamentis? Qualem aquam putatis z Pſ. 50. 4. & 9 quòd Pſalmiſta z petebat, dicens Deo, *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*: niſi hanc gratiam? Quis ignorat quòd gratia modum imponit ardoribus noſtris, & fervoribus concupiſcentiarum noſtrarum, quæ ſunt flammæ derivatæ ab igne inferni? Qualem aquam exiſtimatis petiiſſe divitem epulonem, quando nolebat illius niſi unicam guttulam, *Ut refrigeret linguam meam* a, niſi particulam iſtius gratiæ? Quid autumatis intendiſſe præfatum Regem Prophetam b, cùm volebat eam per proviſionem antequàm deorſum deſcenderet, *Remitte mihi ut refrigerer, priuſquàm abeam, & ampliùs non ero*; niſi quia non volebat in gratia Dei? Quem latet, quòd non eſt aliquid quod animam æquè contentam teneat ac bona conſcientia: & probabilitas quòd ipſa eſt in gratia Dei? Nonne ipſa, eſt iſte magnus fluvius qui tranſit per mediam civitatem Dei, id eſt, animam, eamque gaudio perfundit? *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* c. Si verò dubitatis quin Pſalmiſta loqui velit de hac gratia, quæ illam ſanctificat, videte hæc verba illius immediatè pòſt ſequentia, *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Et quis neſcit, quòd gratia Dei ſic animarum noſtrarum fœcundat agrum, ut ſine hac prærogativa nullum poſſemus unquam fructum producere, nec ullum opus bonum? *Quia ſine me nihil poteſtis facere* d, dicit nobis Filius Dei. De quo putatis, quòd querebatur prædictus Propheta e, cùm dicebat Deo, *Anima mea ſicut terra, ſine aqua tibi: velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus*: niſi quòd anima ſua ſic evaſerat ſterilis, ut non poſſet aliquid ampliùs facere ſine gratia ipſius? Et ſicut terra quæ erat macra & ſicca, interventu aquæ fit pinguis & fœcunda, & producit fructus multos: ſic anima quæ nihil poterat ex ſeipſa, fit pinguis beneficio divinæ qualitatis iſtius: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea* f. Sed id quod admirari debemus in aqua; eſt quòd cùm ipſa irrigat terram, ipſa obvias habet diverſas plantas, & videtis quòd hortulanus ſapienter diſtribuit hanc aquam, & ſuaviter deducit eam inter hortum ſuum, & dat unicuique plantæ tantundem aquæ quantum eâ illi opus eſt, & non plus: & hæc aqua, licèt in origine & in ſubſtantia ſua ſit eadem, obvias habens radices iſtarum plantarum, tale dat eis alimentum, ut cum pomo producat poma, cum ficu ficus, & ſic de cæteris: ipſa eſt virtus aquæ quæ facit hoc; & ipſa eſt ſapientia hortulani, qui diſtribuit eam cuilibet plantæ, ſicut expedit: ſic gratia eſt eadem aqua, & idem hortulanus qui eſt Deus, eam diſponit; ſed illius diverſi ſunt effectus juxta diverſitatem perſonarum: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult* g. Et ſicut torrens vel fluvius, qui eſt rapidus & violentus, abripit omnes ſordes, quæ ſunt in extremis agri; & relinquit viriditatem nudam & refrigeratam: ſic gratia Dei, cùm eſt abundans, ita mundat agrum animarum noſtrarum, ut abripiat inde conſuetudines omnes, quæ poſſent impedire fructus, qui inde debent exire. Tandem, ipſa nutrit: ſed ſicut bona aqua nullum debet habere ſaporem; quia ſtatim ac aliquem ſaporem præ ſe fert, eſt depravata & corrupta, quia ipſi immiſta eſt aliqua qualitas è locis, per quæ tranſivit, quæ depravavit ipſius puritatem, nec ita benè nos nutrit ac nos nutrivisſet aliter: ſic gratia ad hoc ut alat animas noſtras, debet eſſe pura, & ſi tranſeat per aliqua loca, unde

a Luc. 16. 24
b Pſ. 38. 14
c Pſ. 45. 5
d Jo. 15. 5.
e Pſ. 142. 6. & 7
f Pſ. 62. 6
g 1. Cor. 12. 11

ſumat aliquem ſaporem, nihil nobis proderit. Si quis miſceat gratiam Dei propriis ſuis commodis, ſicut ille qui vult induſtrius eſſe ad ineundum ſingulare certamen; qui vult habere ingenium ſubtile ad fallendum proximum ſuum; qui vult eſſe diſertus ad decipiendam aliquam puellam, vel mulierem honeſtam; qui vult eſſe dives ad fovendas diſſolutiones ſuas; qui vult eſſe ſanus ad alendas impuritates ſuas, certò ſciat hanc aquam à ſe corrumpendam, & ſe eâ non nutriendum. Iſtud eſt de quo querebatur Deus per unum *b* è Prophetis ſuis adversùs hujuſmodi perſonas, dicens eis ſingulis, *Servire me feciſti in peccatis tuis.* Qui volet igitur hâc aquâ ſpirituali nutriri, poſtulet eam puram, ut illius interventu Deus producat in ipſius anima talem effectum, qualem voluerit. Sit pauper, dives, doctus, vel ignarus, dummodò habeat hanc gratiam, ipſe ſe diſponet ad renunciandum omnibus, quia ipſa debet eſſe pura. *Et audivi vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum* †. Matthæus audit iſtam vocem, ipſe ſuſcipit interiùs gratias tales, quales erant neceſſariæ homini conditionis hujus: nam avaritia & negotiatio bonorum mundi ſic inquinat cor hominis, ut evadat terrenum & animale, elongatum velut ab extremo ad extremum à pulchritudine cœli: hæc avaritia inflammat cor, non ſecus ac ſi eſſet fornax ardens: cor quod eſt alligatum theſauris, nunquam contentum eſt: *Ubi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor* i. Et ut ſic nullum poteſt opus bonum facere, ex quo ſe dedidit poſſeſſioni divitiarum. Ha! *Beatus dives, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum* k? Sed putatisne, quòd ſolæ divitiæ, quæ deperditæ ſunt, crucient hominem avarum & cupidum? Ipſum torquent etiam illæ, quas vellet habere, & quas cùm non poſſit acquirere, angitur inde non ſecus ac ſi illas amiſiſſet: ſicut cogitet quòd omnia ſibi debentur: & in hoc ſtatu putatisne quòd cogitare poſſit Deum, quòd producere poſſit vel unicum actum amoris Dei ſuper omnia?

b Iſai. 43. 24

† Apoc. 14. 2

i Matth. 6. 21

k Eccli. 31. 8. & 9

Nequaquam: oportet ut gratia Dei ibi adſit, neceſſe eſt ut hæc aqua ſpiritualis operetur ibi, abſtergat iſtas ſordes, refrigeret iſtud cor ardens, reddat huic animæ *lætitiam ſalutaris* l divini priſtinam, & fœcundet eam ſanctis deſideriis & bonis operibus. Hæc aqua fœcunda & ſalutaris modò tranſivit per hunc *publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & ait illi, Sequere me. Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum* m. Id eſt, Authorem iſtius ejuſdem aquæ ſpiritualis, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* n.

Heu! Auditores, diceturne quòd quotidie deſurſum veniant tot potentes voces ad vocandos nos ad viam cœli, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* o, & quòd nolimus ex illis audire vel unicam? Eſtne aliquis, qui centies non audiverit hoc tonitruum, vel iſtam vocem tonantem verbi Dei? Quid? prædicationes, admonitiones ſalutares & ſecretæ quæ vobis tribuuntur in Confeſſione, tot correctiones vobis impenſæ ſuper pravos mores veſtros, nonne tot ndem ſunt voces, quæ vocant vos? Quid autem expectatis ut reſpondeatis eis? Petrus non expectavit hanc vocem, ſed ad ſolum galli cantum, ipſe putavit ſe ſufficienter vocatum, & ſtatim ploravit culpam ſuam, *Gallus cantavit. Et Petrus egreſſus foras, flevit amarè* p. Vos verò, qui habetis quotidie, non gallos, ſed ſermones vivos, qui dicunt vobis veritatem, & manifeſtant vobis, mercatores, quòd falſa pondera veſtra, & abbreviatæ menſuræ veſtræ, ſervient vobis loco ponderum & momentorum ut vos præcipitent ad inferos; vobis, fœneratores & deceptores, quòd uſuræ & fraudes veſtræ ſic diſplicent Deo, qui *verax* q eſt, & ipſamet integritas; vobis, qui habetis officia publica, quòd veſtris *in alis inventus ſanguis animarum pauperum & innocentum* r, contentâ voce inclamat adversùs vos ultionem, *Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra* ſ. Auſcultate vocem Dei, quæ vos vocat, ſicut vocavit S. Matthæum, ut ſuam det vobis *gratiam, & gloriam* t.

l Pſ. 50. 14

m Luc. 5. 27. & 28

n Jo. 1. 17

o Jac. 1. 17

p Matth. 26. 74. & 75.

q Matth. 22. 16

r Jer. 2. 34

ſ Pſ. 94. 8

t Pſ. 83. 12

IN FESTO B. V. MARIÆ DOMINÆ VICTORIÆ.

Dominica 1. Octobris.

Quid videtis in Summitate niſi choros caſtrorum? Cant. 7. 1.

SI ſit aliquid, quòd reddat arcem inexpugnabilem, eſt, cùm ipſa eſt munita commeatu, & omni illo quod eſt neceſſarium ad alendos milites, & ad continuandum exercitium bellicum, & cùm milites qui illam cuſtodiunt, præterquàm quòd ſunt cataphracti, ſunt etiam magnanimi & vigilantes: quòd ſi fortè commeatus aut munimenta incipiant ipſi deficere, videtis ſtatim quòd præſidium infirmatur, & quòd milites qui cuſtodiebant hanc arcem, coguntur ſubire deditionem hoſtium qui illam tenent obſeſſam; & quòd ex quo tantiſper commoventur, & veniunt in colloquium ad eoſdem hoſtes, in ruinam abit arx hujuſmodi, cùm non poſſint illi quid amplius agere contra iſtos: oportunum autem conſilium huic infortunio evitando opportunum, eſt, ut jugiter ſatagantur invehendi commeatus, quandiu milites decertant, ne deſpondeant animum, & arcem penitus derelinquant. Anima noſtra eſt arx jugiter impugnata à potentiſſimis hoſtibus, qui ſunt diaboli: *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide*, dicit nobis ſanctus Petrus *a*. Commeatus & munimina tam oris, quàm militiæ, ſunt gratiæ Spiritus ſancti, quibus eſt unusquiſque noſtrûm ſufficienter inſtructus, ut eo alimento fultus ſpirituali, magnanimiter ſuſtineat obſidionem, & ſe defendat adversùs hoſtes ſuos. Milites qui cuſtodiunt animas noſtras, & qui nos tuentur, ſunt boni Angeli, qui velutì ſtipendiantur, ſeu ſtipendia merent à Deo præſertim ad tuendas iſtas arces, & cuſtodiendas animas noſtras è manibus hoſtium noſtrorum. Quandiu ſumus inſtructi munimentis bellicis, & conſervamus gratias Spiritus ſancti, milites iſti nos tuentur, & impediunt oppugnationē, ut perfungantur officio ſibi impoſito à Deo, *Quoniam Angelis ſuis mandavit*

a 1. Petr. 5. 8

de

Google

de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. ait Pſalmiſta *b*, quemlibet noſtrûm alloquens. Sed ſtatim ac iſtâ gratiâ Dei excidimus, & hæ munitiones devotionis & ſpiritualitatis minuuntur, videtis quòd iſti Angeli incipiunt venire ad colloquium, & quaſi animum deſpondere, *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam* c. Iſtud eſt quod ſtatuunt, aut iſtas arces deſerere, aut illas tradere manibus diabolorum, non habentes unde tueantur ampliùs eas ſine præſidio B. Virginis Dominæ Victoriæ, cui ego dico cum Angelo, *Ave Maria.*

b Pſ. 90, 11.
c Jer. 51, 9

Multa videmus in iſto mundo, quæ ſedulò cuſtodiuntur: ſed non auderemus dicere quòd propter eandem rationem hæc omnia tam diligenter conſerventur. Duæ ſunt rationes præcipuæ, propter quas aliquid exactè cuſtoditur, nimirum, timor, & amor. Omnes enim res, aut ſunt noxiæ & moleſtæ, aut ſunt utiles & jucundæ. Si illæ ſunt noxiæ, & utſic poſſunt nobis officere, cuſtodimus eas, & strictè illas alligamus veriti ne nos lædant. Si ipſæ ſunt utiles, eas conſervamus, & illarum magnam curam ſuſcipimus, ne illas amittamus, aut aliquis eas à nobis auferat. Propter timorem, quo corripiuntur homines ne fures ſibi bona ſua eripiant, aut peremptores ipſos interficiant, eidem fures & homicidæ, concluſi tenentur in ergaſtulis & in tritemibus: ob amorem quo erga ſuus quis afficitur nummos, clavi duplici tenet illos obſeratos: intuitu timoris ne excitetur rebellio, aut ſeditio publica, tribuuntur interdum cuſtodes alicui viro nobili, qui ſic ſecurus efficitur, & terrorem incutit eis, qui fortaſſis alioquin machinarentur aliquam commotionem: & propter amorem quo proſequuntur populi Principem ſuum, cuſtodiunt illum vigilanter in palatio ſuo, ne ſibi abripiatur aliquâ proditione, vel auſo aliquo puſillanimo, & tetro: propter timorem quo quis ducitur ne mordeatur à cane, aut equorum pedibus impetatur, canem tenet alligatum catenâ, & equos includit intra carceres: & ob amorem quo bonus pater diligit filium ſuum ætatis adhuc teneræ, ſatagit ut domi maneat, & tribuit ei pædagogum, ne longè domo deviet, aut aliquod genus incurrat nocumenti: atqui non latet nos, quòd Deus eſt immunis ab omni timore, & quòd non eſt aliquid in mundo quod poſſit eum offendere, aut illi nocere, ſicut ait ei David d, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et ideò quòd ſi ipſe cuſtodit aliquid, non propterea quòd timeat ne ab illo lædatur, aut ab eo ſuſcipiat aliquod damnum; ſed propter voluntatem quam habet illius conſervandi, & reddendi melioris.

d Pſ. 90, 10

Neſcio ſanè utri magis diligantur à Deo, aut Angeli, aut homines. Dicite, ſi velitis, quòd Angeli magis ab illo debeant diligi, quippe quos ipſemet Deus creavit perfectiores, ſubtiliores, & incorruptibiles: ego autem, ſi amor quo quis amat aliquid, inferri debet ex ſedula cura & conſervatione quam illius habet, invenio quòd Deus dederit hominibus cuſtodes, qui ſunt Angeli, ut illos dirigant circumquaque, & præſervent eos à periculis & à præcipitiis in quæ labi poſſent: nec tamen reperio quòd Angeli ſimili favore donati fuerint, aut habuerint cuſtodes qui ipſos dirigerent, quando creati fuerunt, & impedirent ne tertia pars ipſorum detraheretur *ad infernum in profundum laci* e cum Principe ſuo Lucifero, qui repræſentatur nobis à S. Joanne *f* ut *draco magnus. Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.* Unde poſſemus inferre, meâ quidem ſententiâ, quòd Deus magis diligit homines quàm Angelos. Verum eſt, Auditores: res ſollicitè cuſtoditur quandiu ipſa eſt pretioſa & grata, ſed ſi ipſa incipiat diſplicere, & pretium ſuum amittere, ipſa rejicitur, deſeritur, & deſpicitur: unde fit ut cum homo multùm diligatur à Deo, cum ſit domus quàm ipſe intendit inhabitare; *Anima enim Juſti ſedes eſt Sapientiæ*, ait Euſebius Emiſſenus *g* poſt Scripturam; dederit illi Deus cuſtodes qui ſunt Angeli: ſed ſi homo iſte per peccatum ſuum incipit amittere valorem ſuum, & pretium ſuum, & domus iſta Dei labitur, & vergit in ruinam, Angeli colloquium ineunt de illa deſerenda. Quòd ſi res pretioſiſſimæ cuſtodiuntur exactiſſimè, & ſcimus quòd ſinguli ex nobis habemus Angelum cuſtodem qui nos cuſtodit, ut dicam vobis in prima parte diſcurſûs iſtius: concludere poſſumus in ſecunda illius parte, quòd Mater Dei, quæ eſt Regina mundi, integras habuerit Angelorum legiones quæ datæ ſunt ipſi ad ipſius directionem & præſidium ab ipſo primo inſtanti ſui eſſe, præſertim verò in hac inſigni victoria, quam Chriſtiani retulerunt de Turcis tali die qualis eſt hodierna, in pugna ad Naupactum, quæ data eſt die ſacri Roſarii ipſius Dominicâ prima Octobris, cum ideò vocetur ipſa Domina Victoriæ. Hæc eſt tota diſcurſus iſtius ſeges.

e Iſa. 14, 15.
f Apoc. 12, 3, &c.
g Euſeb. Emiſ. ſerm. dom. 1 Advent. ex Sap. 7, 7
Diviſio.

Quòd habeamus ſinguli Angelum qui nos cuſtodit, res eſt manifeſta, *Angeli eorum in cœlis, ſemper vident faciem Patris*, ait S. Matthæus *h*. David *i* integrum ferè Pſalmum adhibet ut nobis iſtam perſuadeat doctrinam, dicens nobis ſingulis, *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Et S. Hieronymus k inquit, *Magna dignitas animarum ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* Hiſtoriæ ſacræ redundant bonis officiis, quæ exhibuerunt aliàs Angeli hominibus valdè dilectis à Deo, ſicut cum juſtum Lot *Angeli eduxerunt, & poſuerunt extra civitatem* l Sodomam, quæ moverat incendio concremanda: Cùm Angelus percutiebat *omne primogenitum in terra Ægypti, & ſanguinem* m videns, tranſibat Hebræos mox ab Ægyptiorum tyrannide liberandos: Cùm *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit* n: Cùm *Deus miſit Angelum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt* o Danieli: Cùm *ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum* p: Cùm *& ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens Surge velociter; & ceciderunt catenæ de manibus ejus* q. Qui favor non ſolùm conceditur Juſtis, ſed etiam peccatoribus, tam ut auferatur iſtis anſa querendi Deo de inæqualitate ſic utilis tractationis, quàm ut manifeſtetur Divina Sapientia r, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* ſ. Quippe quæ defenſionem & protectionem affert illuc, quò ma-

I. Pars.
h Matt. 18, 10.
i Pſ. 90, 10
k S. Hieron. l. 3, in Matt. 18, 10.
l Gen. 19, 16, &c.
m Exod. 12, 12, &c.
n Dan. 3, 49, & 50
o Dan. 6, 22.
p Matth. 2, 13.
q Act. 12, 7.
r Sap. 7, 24.
ſ Sap. 8. 1.

lum incipiebat introduci. Et ideo *Princeps regni Perſarum* reſiſtebat Principi populi Dei, ut dicitur
t Dan. 10, 13. apud Danielem t: quem aliqui apud Cornelium
u Corn. in Dan. 13, 13 u *putant fuiſſe malum Angelum, ſive dæmonem; hic enim pugnat cum Angelo bono.* Sed quem S. Hieronymus in hunc locum dicit fuiſſe bonum Angelum Perſarum: eò uſque ut dicat S. Thomas x,
x S. Thom. 1. p. q. 113, a. 4, ad 3. *Quòd ſicut præſciti, & infideles, & etiam Antichriſtus non privantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs conceſſo, ſcilicet cuſtodiâ Angelorum, per quam etſi non juventur, quantùm ad hoc, quòd vitam æternam bonis operibus mereantur, juventur tamen quantùm ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahuntur, quibus ſibiipſis, & aliis nocere poſſunt. Nam & ipſi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt. Et ſimiliter Antichriſtus non tantum nocebit, quantum vellet.* Atqui bona officia quæ noſtri Angeli cuſtodes nobis exhibent, ſunt ferè numero infinita: ſed ſicut Da-
y Dan. 7, 10. niel y reduxit numerum beatorum iſtorum ſpirituum, qui eſt quaſi infinitus, ad quendam numerum limitatum, qui tamen ſic eſt perfectus ut ipſam dicere videatur infinitatem, *Decies millies centena millia aſſiſtebant ei*: omnes enim maximi numeri conſtant multiplicatione decadum: ſic favores quos ſuſcipimus ab Angelis, reducuntur ad decem capita præcipua: & per hæc decem genera bonorum officiorum, intelligimus infinita alia quæ nobis proveniunt illorum interventu & curis.

Primum igitur bonorum officiorum, quæ Angeli nobis exhibent, in hoc eſt ſitum, ut nos quotidie tueantur à mille periculis. Non dico quòd conſervatio noſtra pendeat ab illis: hoc eſt enim unum è præcipuis, quæ ſuſcepimus, aut quæ ſuſcipimus immediatè à Deo, beneficiis, qualia ſunt,
z Gen. 1, 27. creatio z, conſervatio a, incarnatio b, redemptio,
a Luc. 12, 24. & Act. 17, 28. vocatio, juſtificatio, & glorificatio c: ſed dico quòd ordinariè nos avertant ab occaſionibus, aut à locis, ubi magna nobis acciderent mala; ſicut
b Jo. 1. 14. cùm exitis domo, quæ labitur, aut ardet ſtatim ac
c Rom. 8, 3 & 30. ex illa egreſſi eſtis; cùm derelinquitis ſocietatem hominum quibus confeſtim latrones eripiunt vitam, æquè ac bona, cùm mutatis voluntatem, quâ ducebamini, eundi aliquò, per mare, aut per terram, ubi deinde accidit aliquod infortunium. Conſiderate, ſi placet, totam vitam hominis, & illam periculis plenam reperietis evidentibus. Quod Ethnici conſiderantes, & neſcientes cuinam attribuerent tot eventus caſuales (juxta ipſorum opinionem erroneam) imaginati ſunt Deam veluti illorum auctricem, quam vocaverunt Fortunam,

Te facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

Alii attribuebant eos prudentiæ humanæ, rati quòd homo eâ inſtructus, ab illis declinare poſſet periculis omnibus,

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia tecum.

Alii fingebant quoſdam parvos Deos domeſticos aut tutelares, quos Poëtæ appellabant Genios. Alii dixerunt, *Sæpe cæli ambitum eſſe quadam entia Divina, incorporea, nullis perturbationibus obnoxia, beatam vitam ducentia.* Et alii expreſſiùs, *Minores eſſe quoſdam Deos, ſatos à ſummo Opifice, & præfectos gubernationi rerum humanarum.* Sed nos, quos
d 1. Pet. 2, 9. Deus *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum* d, univerſos iſtos attribuimus eventus Angelis, qui nos cuſtodiunt, & Deo gratias agimus, & Angelis ejus, pro eo quod nos ab omnibus iſtis liberant periculis. Benedicens *Iacob filiis Ioſeph, ait, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris*
iſtis e. Poſtquàm *Iudith abſcidit caput Holoferni*, e Gen. 48, 15. & 16
dixit, Vivit ipſe Dominus quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem: & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra f. Et filios Iſ- f Judith 13, 6, &c.
raël *in extremis finibus ſolitudinis, Dominus præcedebat ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut dux eſſet itineris utroque tempore* g. Id eſt, Angelus Dei, ut pa- g Exod. 13, 20, & 21.
tet ex verbis iſtis ſequentibus, *Tollenſque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſraël, & cum eo pa-*
riter columna nubis h, &c. Ut autem meliùs intel- h Exod. 14, 19.
ligatis hæc auxilia, quæ ſuſcipimus à bonis noſtris Angelis tutelaribus, debetis meminiſſe curæ quam Deus ſemper ſumpſit ut nos inhabitare faceret *ſanctam civitatem Ieruſalem de cælo* i. Propterea di- i Apoc. 21, 2.
citur: *Venit Filius hominis quærere & ſalvum face-* k Luc. 19,
re quod perierat k. Ubi enim eſt Rex, ibi reperitur 10.
& Curia ejus: & licèt non poſſimus nos vocare cum tanta proprietate quantâ Angeli, cives cæli, quia nunquam habuerunt aliam patriam, tamen civitate donati ſumus per gratiam (ſicut nationes exteræ ſubjugatæ à Romanis, fruebantur privilegiis Romanorum civium, teſte S. Paulo qui querebatur quòd deberet *flagellis cædi* contra privilegia Romanorum, quibus ipſe potiebatur per gratiam: *Et cùm aſtrinxiſſent eum loris, dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, Centurio acceſſit ad Tribunum, & nuntiavit, dicens, Quid acturus es? hic enim homo, civis Romanus eſt. Accedens autem Tribunus, dixit illi, Dic mihi, ſi tu Romanus es? At ille dixit, Etiam. Et reſpondit Tribunus, Ego multâ ſummâ civilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus*
ait, Ego autem & natus ſum l. (*Non quòd Paulus na-* l Act. 22, 25, &c.
tus ſit Romæ, ſed quia pater ejus Legatis Romanorum honorificè obviavit, tam reverenter ſe & ſua eis exhibuit, quòd civilitatem hanc ſibi largiti ſunt, pro ipſo & pro filiis ſuis, antequàm Paulus eſſet natus, ſub-
dit Dionyſius Carthuſianus m.) Et hoc eſt quod m Dion. Carth. art. 22, in Act. 22, 29.
ſignificare vult idem Apoſtolus n, *Iam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & dome-*
ſtici Dei. Et Angelus S. Joanni Evangeliſtæ, qui i- n Epheſ. 2, 19.
pſum adorare voluerat, *Vide ne feceris, conſervus tu-*
us ſum o. Differentia quæ ibi eſt, in hoc eſt ſi- o Apoc. 19, 10.
ta, quòd homines habent adhuc iter peragendum, & Angeli non: iſtud iter eſt moleſtum, ſpinoſum, & incertum, in quo indigemus duce: Deus illius officium vult exercere, & illud ſimul committit Angelis, *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Cùm ceciderit, non collidetur,*
quia Dominus ſupponit manum ſuam p. Et, *Angelis* p Pſ. 36, 23, & 24
ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis
tuis q. Si autem exiſtimaretis quòd numerus illo- q Pſ. 90, 11
rum eſſet exiguus, mementote, quòd cùm *Rex Syriæ pugnabat contra Iſraël, conſiliumque iniit cum ſervis ſuis, dicens: In illo loco & illo ponamus inſidias: miſit itaque vir Dei*, id eſt, Eliſeus, *ad Regem Iſraël dicens: Cave ne tranſeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidiis ſunt: miſit itaque Rex Iſraël ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel neque bis: conturbatumque eſt cor Regis Syriæ pro hac re: & convocatis ſervis ſuis, ait, Quare non indicatis mihi quis proditor mei ſit apud Regem Iſraël? Dixitque unus ſervorum ejus, Nequaquam, Domine, mi Rex, ſed Eliſeus Propheta qui*

eſt

eſt in Iſrael, indicat Regi Iſrael omnia verba quæcumq; locutus fueris in conclavi tuo: dixitque eis, Ite, & videte ubi ſit: ut mittam & capiam eum: annuntiaveruntque ei, dicentes: Ecce in Dothain: miſit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cùm veniſſent nocte, circumdederunt civitatem: conſurgens autem diluculò miniſter viri Dei, egreſſus eſt, viditque exercitum in circuitu civitatis, & equos & currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu heu heu Domine mi, quid faciemus? at ille reſpondit, Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis: cùmque oraſſet Eliſeus, Domine aperi oculos hujus, ut videat: aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſei r. *Hi ſunt exercitus Angelorum cuſtodientium Eliſeum*, ſubdit Hugo Cardinalis ſ. Quod convenit cum verbis Textus noſtri, *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Et iſti ſunt de quibus loquitur Pſalmiſta t, Deum alloquens, & dicens ei, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Vocat eos *ſpiritus* propter velocitatem quâ feruntur ad impendendum nobis auxilium. Et *igneus* ad comburendas ſpinas difficultatum itineris virtutis; & hoc libentiùs ex quo *Verbum caro factum eſt* u, quàm antea. Quia enim vident quòd Jeſus Chriſtus, qui eſt ipſorum Dominus, venit ſuccurſum nobis: ipſi qui ſunt ipſius Aulici, non poſſunt quin nos juvent.

r 4. Reg. 6 8, &c.
ſ Hugo Card. in 4. Reg. 6, 17
t Pſ. 103, 4
u Jo. 1, 14

Secundum beneficium Angelorum, eſt, ut nunquam nos deſerant, in quocumque ſtatu inveniamur, non inſtar mundanorum, qui derelinquunt hominem cùm pauper effectus eſt, aut ſuam amiſit authoritatem, & contemnunt perſonas, quas aliàs amaverunt, cùm ſunt ætate provectæ, nec habent ampliùs lenocinia priſtina quibus merebantur amorem ipſorum: ſed eo non ſe gerunt Angeli modo. Verum quidem eſt, quòd illud quod in hoc nobis eſt utile, eſt, quòd neſciant utrùm ſimus prædeſtinati, aut reprobati; & quòd præterea videant quòd Deus non deſinit propterea nos amare, licèt ſimus peccatores, *Quia vocavi, & renuiſtis* x, &c.

x Prov. 1, 24, &c.

Tertium beneficium, eſt, quod noſter Angelus cuſtos inſpirat nobis cùm tentamur, ut horreamus id quod nobis contra legem Dei proponitur ab adverſario noſtro: quod patet ex eo quòd cùm ad maledicendum populo Dei *ſurrexit Balaam, ſtetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ, protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio. Cui Angelus, Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria: & niſi aſina declinaſſet de via, dans locum reſiſtenti, te occidiſſem, & illa viveret* y.

y Num. 22 22, &c.

Quartum, eſt, quòd non valens nos retinere, revertitur ad nos, oſtendendo nobis quodnam damnum nobis accidat, cùm ſinimus nos abripi his tentationibus: quòd ſi nobis perſuadere non poteſt ut ab illis nos retrahamus, monet nos per infortunia & pericula vicinorum noſtrorum, per afflictiones & triſtitias, ad quas nos redigit.

Quintum, eſt, quòd intercedit pro nobis, & offert opera noſtra bona, & orationes noſtras Deo: reddit ſe mediatorem noſtrum erga Deum, non ſecus ac cùm homo reus effectus eſt læſæ majeſtatis, ſi habet amicos, habet mediatores ad impetrandam ipſi gratiam ſuam.

Sextum, eſt, quòd queritur Juſtitiæ Divinæ de injuriis quas mali irrogant Bonis, & divites pauperibus, juxta illud: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt* z, ait Dei Filius.

z Matt. 18 10.

Septimum, eſt, quòd conſolatur nos in triſtitiis & afflictionibus noſtris, quæ nobis ſunt ordinariæ & innumeræ. Non latet vos quænam fuerit triſtitia Abrahæ, cùm præcepit ei Deus ut ſibi immolaret ſuum *filium Iſaac* a: quænam afflictio Tobiæ ſuper peregrinationem filii ſui b: & quænam anguſtia Agar ſuper *puerum* c ſuum jam jam ſiti quaſi morturum, quos omnes conſolatus eſt Angelus. Præterea, *Angelus* e annunciavit nativitatem Joannis Baptiſtæ: *Angelus Domini* evangelizavit, *quia natus Salvator* f eſſet: de eodem Salvatore annuncians *Angelus, dixit, Surrexit* g. Tandem, Angelus cuſtos non ſolùm nos conſolatur in hac vita, ſed etiam in purgatorio.

a Gen. 22, 2, &c.
b Tob. 15, 22, &c.
c Gen. 26, 15, &c.
e Luc. 1, 11. &c.
f Luc. 2, 9; &c.
g Matt. 28. 5.

Octavum, eſt, quòd tribuit nobis remedia contra tentationes diaboli, qui diverſis nos tentat modis.

Nonum, eſt, quòd nobis auxiliatur ipsâ horâ mortis, quæ incertiſſima eſt: tunc enim boni Angeli congregantur adversùs dæmones, qui ſunt *dicentes, Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat* h. Et Eccleſia cõcinit, bonos Angelos invocans, *Occurrite, Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus*, &c.

h Pſ. 70, 11

Decimum & ultimum, eſt, quòd nos introducat in poſſeſſionem cœli, & nos præſentet Deo, ut eadem concinit Eccleſia, *Et in ſinum Abrahæ, Angeli deducant te. Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.* Id eſt, animam, &c.

II. Pars.

Atqui ſi verum eſt, quòd animæ ſingulorum è nobis ſunt ita charæ Deo ut tribuerit eis fideles cuſtodes ad reddenda eis tot bona officia, & ad illas conſervandas ut vaſa ſacra ut præſententur ſuper altaribus ipſius in Regno æternitatis, quid debemus dicere fuiſſe factum in favorem B. Virginis, eò quòd *ſit templum Domini, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus* i bonorum illorum æternorum? Quid cogitare poſſumus ſufficere debere propter conſervationem iſtius perſonæ, quæ *ab æterno ordinata* k eſt, ut eſſet *cœli Regina, Domina mundi: quoniam Genitrix Dei* l, qui eſt Imperator triſmegiſtus, tenens *tribus digitis* m ſceptrum cœli, terræ, & inferni, ita *ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum* n? Si quò res aliqua pretioſior eſt, eò major illius cura ſuſcipienda eſt; & ſi quò majus eſt miniſterium, ad quod aliquis deſtinatur, eò ſublimiores eſſe debent qualitates quæ ipſum commendant; cogitarine poteſt aliquid pretioſius ſubſtantiâ è qua componendum erat corpus Dei? poteſtne reperiri perſona deſtinata ad nobilius & excellentius officium, quàm ad deferendum *in utero* o ſuo eum qui eſt *Dominus omnium* p? Quanta igitur eſt differentia inter homines ordinarios & Filium B. Virginis, tanta eſt etiam diſſonantia inter alias mulieres & hanc eamdem B. Virginem, quæ eſt quaſi exigui grani arenæ, comparatione totius arenæ quæ eſt in litore maris, aut velut guttæ aquæ comparatæ toti aquæ Oceani. Dicendum eſt igitur, Auditores, probabile eſſe, B. Virginem cuſtoditam fuiſſe ſolam præ tanta cura, præ quanta reliquum genus humanũ ſimul; & quantùm verum eſt, quòd nos ſinguli habemus Angelum, tantùm certum eſſe B. Virginem, nõ ſolùm unum Angelum, ſed multos habuiſſe Angelos propter obſequium ſuum, defenſionem, & protectionem ſuam toto tempore vitæ ſuæ à primo inſtanti ſui eſſe, cùm dicat S. Thomas q, *Quòd unicuique hominis*

i S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
k Prov. 8. 23.
l Dion. Carth. art. 3, in Luc. 1, 27.
m Iſai. 40, 12.
n Phil. 2, 10.
o Matth. 1, 23, ex Iſai. 7, 14
p Eſth. 13, 11.
q S. Th. 1. p. q. 113, a. 5 ad 1, & a. 4 ad 1.

mini debetur unus custos, & interdum plures deputantur ad custodiam unius. Et, *Quòd Chriſtus ſecundùm quòd homo, ratione paſſibilitatis corporis erat viator: & ſecundum hoc non debebatur ei Angelus* [e ex Matt. 4, 11.] *cuſtos, tanquam ſuperior, ſed magis miniſter, tanquam inferior. Unde dicit Matthæus, quòd acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Juxta hunc ſenſum applicare B. Virgini poſſumus hæc verba Textus noſtri, *Quid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Quid putaretis intueri prope hanc Reginam mundi? Unicum Angelum, ſicut circum [f 2. Reg. 5, 7.] nos? Nequaquam: ipſa enim eſt arx maximi momenti, figurata per *arcem Sion* f, nedum committatur unius militis cuſtodiæ: requiruntur exercitus [t Cant. 6, 9] integri, & regimenta ritè ordinata ad ipſam cuſtodiendam. Et cùm præ dicetur *Pulchra ut Luna* t, [u Col. 1, 15] [x Cant. 6, 9.] quæ quartodecimo ætatis ſuæ anno inventa eſt plena facie illius, *qui eſt imago Dei inviſibilis* u: *Electa ut Sol* x, unde omnia aſtra cœli, & elementa terræ deſumunt lumen; omnes Sancti qui ſunt in gloria, & illi qui ſunt in terra aſpirantes ad eandem gloriam, emendicant auxilium gratiarum ipſius, oppugnando hoſtes Filii ipſius Turcas, o- [y Ibid.] portet ut ipſa ſimul ſit *terribilis ut caſtrorum acies ordinata* y his aciebus infidelibus: expedit ut appareat ipſa formidabilis illis qui deferentes [z Eccleſia ex Mal. 4, 2. & ex Luc. 2, 7.] ſtemma Lunæ in vexillis ſuis, agnoſcere nolent hanc Lunam myſticam, & adorare Filium, qui *ex exortus, eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* z, qui habent ambo malignas influentias adversùs ipſos in pugna ad Naupactum, in qua Chriſtiani manent victores per auxilium quod ſuſcipiunt à Domina Victoriæ, aut Regina ſacri Roſarii, quam experiuntur infideles hujuſmodi, licèt inviti, ut aciem ordinatam & conſtantem ſpiritibus Angelicis: quippe quæ adversùs ipſos *progreditur terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Quid? nunquid non cuſtodes Regis ſunt ad obſequium Reginæ ſponſæ ſuæ, & Reginæ matris ſuæ? Nonne ſatagere debet Rex, ut iſtæ duæ perſonæ tantùm honorentur & colantur à ſubditis ſuis, quantùm propria perſona, cùm totum referatur ad eandem authoritatem, & ad idem ſceptrum, quod geſtatum ſolâ manu Regis, qualificat nomine Reginæ duas iſtas [a S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1 Signum magn. &c.] perſonas quæ ipſi ſunt ita proximæ? Et ſi B. Virgo *quam familiaris, quam proxima, imò quam intima fieri* meruit (ait S. Bernardus a) Jeſu Chriſto, ita ut dicat S. Epiphanius, quòd ſimul *ipſa & Sponſa, & Dei Mater viſa eſt in ſtabulo, quando peperit* [b S. Epiph. ſerm de Laud. Deip. ex Luc. 2, 7] *Infantem Chriſtum* b eundem, qui eſt *Rex Regum, & Dominus dominantium* c, quem Daniel d vidit inſidentem throno, & cui *millia millium miniſtrabant, & decies millies centena millia aſſiſtebant*: [c Apoc. 19 16.] [d Dan. 7, 9 & 10.] auderemusne hanc ei injuriam irrogare ut crederemus, quòd ipſe renuiſſet huic ſanctæ Dominæ auxilium & præſidium omnium iſtarum legionum Angelicorum ſpirituum adversùs hoſtes Status & Regni ſui? Nequaquam: ſed ex ipſo inſtanti quo ipſe ſtatuit in æterno conclavi ſuo producere hanc ſpecioſam Dominam, voluit & facere domum ſuam, ut teſtaretur quòd ipſa eſſet Regis filia, dando ei primo inſtanti ipſius eſſe juſtitiam originalem, ſub qua fuerunt ordinatæ omnes gratiæ & univerſæ virtutes, quæ dari poſſunt puræ creaturæ, veluti pediſſequæ quæ ſciunt omnes officium quod ipſæ habent in curia iſtius Reginæ: ut iſta domus, quam inhabitaturus erat aliquando ipſe Deus, eſſet repleta gloriâ, majeſtate, & honore per rectum ordinem qui in ea erat, *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs* e, cùm facta eſſet & com- [e Pſ. 44, 14]
poſita à Sapientia æterna, quæ errare non poteſt in conſiliis ſuis, *Sapientia ædificavit ſibi domum* f. [f Prov. 9. 1] Sed extra domum, & circa iſtud palatium, conſtituit innumeros Deus cuſtodes, præfigens eodem inſtanti ſingulis Angelis munia, unicuique ſecundùm gradum & valorem ſuum, ut impedirent omnes inſidias & univerſas inſultationes quas adversùs iſtam ſacram habitationem moliri poſſent hoſtes; ſplendorem intùs, fortitudinem foris, gloriam interiorem per ornamentum gratiarum & virtutum, *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs*, & protectionem exteriorem per varietatem bonorum Angelorum, *Circumamicta varietatibus*. Cùm ipſa ſit (meâ quidem ſententiâ) *ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* g. Qui non [g Cant. 4, 4.] ſunt alii niſi Angeli qui apparent hodiernâ die in gratiam exercitus Chriſtianorum in pugna ad Naupactum adversùs acies Turcarum, cùm vocetur ab Eccleſia *Turris Davidica*.

Sed quid? nunquid non templum refugii, ad quod recurſum ſecurum habituri erant omnes illi qui in neceſſitatibus conſtituerentur, & afflictionibus ac perſecutionibus impeterentur, ſedulò cuſtodiendum erat? Dicendumne erit quòd Deus minùs ſolicitè cuſtodiendum ſategerit illud, quàm Ethnici ſua colenda curaverint templa, decepti errore & mendacio idololatriæ? omnes enim antiqui, qui aliquam præ ſe tulerunt formam religionis, aut prudentiæ, vehementer honoraverunt templa ut loca deſtinata ad agnoſcendam & adorandam Divinitatem. Hæc autem univerſi templa materialia, & profanis ritibus & ſuperſtitionibus inquinata, poſſuntne comparari beatiſſimæ Virgini quæ ſanctificata eſt, & conſecrata manſioni Majeſtatis Dei à primo inſtanti vitæ ſuæ? *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus* h. Ut- [h Pſ. 45, 5] quid igitur non credemus, quòd iſte *Rex Regum, & Dominus dominantium* i, qui venit *ignem mittere* [i Apoc. 19 16.] *in terram* k, *& de ore ejus gladius utrâque parte* [k Luc. 12, 49.] *acutus exibat* l, habenas laxans omnibus hoſtibus noſtris viſibilibus & inviſibilibus, privilegio [l Apoc. 1, 16.] non donaverit iſtud templum, tribuens ei cuſtodes ad directionem & ad obſequium ipſius deſtinatos, æquè ac ad refugium noſtrum? Inſurgant igitur univerſa elementa adversùm nos, quantumlibet ipſis permiſerit Divina Providentia, terra tremat, mare intumeſcat, aër malignis ſuis influentiis nos inficiat, ignis abſumere nos videatur, & intueamur imminere capitibus noſtris impiis fulmina furoris Dei, qui veniet nos quæſitum cum miniſtris juſtitiæ ſuæ intra mediam civitatem, & circum eam, ubi vitia noſtra abundant, *Die ac nocte circundabit eam ſuper muros ejus iniquitas* m; ac- [m Pſ. 54, 11] cedemus ad illum ſedentem in templo ſuo, & procumbentes ad pedes miſericordiæ ipſius, inveniemus ibi auxilium noſtrum, & protectionem noſtram: hoc eſt enim privilegium templi ipſius, ut non ſolùm ſit ſanctum & ſacrum, & ut nunquam tangatur flagello indignationis ipſius, ſed etiam ut in ſecuritate conſtituat omnes eos qui ad ipſum confugiunt, *Deus noſter refugium & virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris* n. [n Pſ. 45, 2. &c.]

Quis repræſentare nobis poſſet excellentiã cuſtodum hujus templi virginei, & curam quam afferebant ad cuſtodiam ejus? Fortaſſis iſtius cuſto-

dia

diæ vigilantia poterit oobis exhiberi intuenda per eum, quem *Dominus Deus collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque* o Gen. 3, 23, &c. *verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* o, poſtquàm peccaſſet Adam. Benè quidem, cùm dicat huic beatiſſimæ Virgini ſanctus Andreas Jero- p S. Andr. Jer ſerm. de Salut. Angel. ex Luc. 1 28. & ex Gen. 2. 8. &c ſolymitanus p, *Vere tu benedicta, ſenſu intellectuq; prædita, viridi ſalutis noſtræ ligni paradiſm, quæ ipſum horti Eden colonum, Chriſtum, inquam, Dominum in te habet, figuris in te adumbratum: qui ineffabili quâdam potentiâ fluminis inſtar viviparum uterum tuum egreſſus, quatuor velut initijs per Evangelium ſuum orbis faciem irrigavit.* Præterea, q Cant. 4 12. Ipſa eſt *hortus concluſus* q, ad cujus januam, quæ eſt primum inſtans vitæ ipſius, conſtitutus aſt cuſtos. Sed nequaquam: ille enim paradiſus profanatus fuerat peccato Adæ, antequàm in ipſo poneretur cuſtos illa cœlaſtis: & non auderemus dicere, quòd B. Virgo fuarit unquam peccato profanata: dicamus igitur meliùs, quòd excellentiæ cuſtodiæ præfatæ nobis repræſentatur per duos Cherubinos ſculptos in ingreſſu templi Salomonis, in quo erant duæ januæ duplices, qui palmas præ ſe ferebant, *Salomon fecit in introitu templi, duo oſtia: & utrumque oſtium duplex erat,* r 3. Reg. 6. 14. &c. *& ſe invicem tenens aperiebatur: & ſculpſit Cherubim, & palmas* r. B. Virgo enim aſt templum quod habet duo oſtia duplicia; unum quod intuetur animam ipſius, & alterum corpus ipſius. Duo oſtia animæ, ſunt origo, & actio. Duo oſtia corporis, ſunt virginitas, & maternitas. In his duobus oſtijs duplicibus ſunt duo ſpecioſi Cherubini, qui ſunt illius cuſtodes, præ ſe ferentes palmas, quibus ſignificant, quòd anima B. Virginis cuſtodita fuit ab omnibus inſidijs, & in origine ſua, & in omnibus actionibus ſuis; & quòd corpus ipſius habuit gratiam virginitatis & maternitatis ſimul, triumphando de diabolo, qui conatur immergere animam cloacæ peccati originalis, & abyſſo peccatorum actualium; quique vellet etiam inquinare corpus hoc virgineum impuritatibus carnalibus, aut impedire in eo incarnationem Verbi Divini per ſterilitatem virginitatis: & iſti quatuor triumphi exprimuntur palmis, quas præ ſe ferebant quatuor Cherubini ſculpti in quatuor oſtijs templi illius Salomonici: dico ſculpti, non autem aliter elaborati ſuper iiſdem oſtijs; ut innuatur, quòd Angeli cuſtodes B. Virginis, ſic intimè ſunt ei uniti, & ita fortiter illi adhærent, ut ab ea ſeparari non poſſint, quòd mirabilem præbet oſtijs iſtis decôrem, & ea prorſus reddit amabilia Deo, qui *ædificavit ſicut unicornis ſanctificium ſuum in terra,* s Pſ. 77. 69. *quam fundavit in ſecula* s. Seu, juxta Incognitum t Incogn. in Pſ. 77. 69. t, *Et ædificavit ſicut unicornis ſanctificium ſuum, id eſt, ſanctum ædificium, ſcilicet, templum, ſed locum aſſignat, dicens: In terra, quam fundavit in ſecula, ſcilicet, in terra ſancta montis Sion, quam fundavit perpetuò duraturam pro cultu ſuo, & Regali ſolio, quantùm erat ex parte ſuâ, niſi eorum,* id eſt Judæorum, *peccata oppoſitum demeruiſſent.* Et ideò *diligit Dominus portas Sion ſuper om nia tabernacula Ia-* u Pſ. 86 2. *cob* u. Sed nequaquam, Auditores: licèt enim bona ſit hæc repræſentatio; tamen illi Angeli, vel illi Cherubini non potuerunt impedire, quin x 2. Paral 36. 19 templum illud Salomonis ruinam incurrerit: Babylonij *incenderunt hoſtes domum Dei* x. Et cùm denuò *Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedech, inchoaverunt ædificare domum Domini, quæ eſt* y 3. Eſdr. 6. 2 *in Ieruſalem* y: *& conſummata eſt domus* z: Hæc z 3. Eſdr. 7. 5 iterùm deſtructa eſt, ſicut cùm *egreſſus Ieſus de templo, ibat; & acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes templi, ipſe reſpondens dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur* a. At B. a Mat. 24. 1, & 2 Virgo cuſtodita fuit in prima integritate ſua ad æternitatem uſque, juxta prophetiam Davidis b, b Pſ. 92. 5 *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Ita ut dicere poſſimus de ea ad laudem ipſius id, quod per Aggæum c de ſecunda c Agg. 2 10. domo ædificata à Zorobabele comparata cum prima domo conſtructa à Salomone, *Magna erit gloria domûs iſtius noviſſimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum.*

Ex toto iſto diſcurſu concludo, quòd hic Angelus cuſtos B. Virginis, aut multi, ſi tot conſtituere velitis, qui delegati fuerint ad cuſtodiam & miniſterium ipſius ab ipſo primo inſtanti eſſe ipſius, ſemper adhæſerunt ei fixi & immobiles, quod eſt nota infallibilis, quòd ipſa ſemper fuerit in gratia Dei: illi enim qui perſeverant in hoc ſtatu, nunquam deſeruntur à ſuis Angelis cuſtodibus, donec collocentur in loco, qui eſt ipſis reſervatus in cœlo, ſicut dicitur de Lazaro, *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ* d. Qui erat typus & figura d Luc. 16 22. gloriæ cœleſtis. Et Eccleſia deprecatur Jeſum Chriſtum, ut *animas omnium fidelium defunctorum ſignifer ſanctus Michaël repræſentet in lucē ſanctam.* Sed illis qui abutuntur auxilio Dei quod ad ipſos mittit per miniſterium Angelorum, eo ſe fruſtratos inveniunt in maxima ſua neceſſitate: non enim Angeli manere poſſunt in loco ſordido, in quem nullum reparationis genus afferre poſſunt: hanc autem reparationem ſperare non poſſunt à peccatore obſtinato: nam horâ mortis, aſt velut domus quæ labitur, ut arbor quæ aret, ſicut arx expugnata, & non ſecus ac navis quæ demergitur: & ſicut cuſtodes aut incolæ domûs, videntes eam vergere in ruinam, ab ea recedunt, idem dicendum de Angelis, juxta iſtud Joſephi e, *Feſto* e Joſeph. 17 de Bello Judaic. c. 12 *autem die, quem Pentecoſten vocant noctu Sacerdotes intimum templum more ſuo ad Divinas res celebrandas ingreſſi, primum quidem motum ſtrepitumq; ſenſerunt: poſteà verò ſubitam vocem audiêre, quæ diceret, Migremus hinc.* Quod S. Hieronymus f f S. Hier. epiſt. 71. n. 16. in tom. 1. interpretatur de Angelis tutelaribus illius templi, dicens *Ioſephum, qui vernaculus ſcriptor eſt Iudæorum, aſſerere illo tempore, quo crucifixus eſt Dominus, ex adytis templi Virtutum cœleſtium erupiſſe voces, dicentium: Tranſmigremus ex his ſedibus.* Et apud Jeremiam g dicunt, *Curavimus Babylonem,* g Jer. 51. 9. *& non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Non quòd ſeparent ſe penitus ab homine quâtùmlibet obſtinato: quin imò mortis horâ ad eum accedunt: ſed iſti acceſſus illorum non tendunt niſi ad improperia: & ideò fortè dicit Propheta David h, h Pſ. 37. 12. & 13 *Amici mei, & proximi mei, adversùm me appropinquaverunt, & ſteterunt; & qui juxta me erant, de longè ſteterunt.* Primum, ut innuatur, quòd illi ſemper ſunt præſentes per ſubſtantiam: ſecundum, ut ſignificetur, quòd ab illis diſtant per auxilium, *Et vim faciebant qui quærebant animam meam.* Quod intelligitur de poteſtate quam acquirit diabolus ſuper animam, quæ derelicta eſt ab Angelo ſuo cuſtode. Utilitates ergo noſtras hauriamus, Auditores, è curis Angelorum noſtrorum cuſtodum, ne ex amicis habeamus illos inimicos: ſed præcipuè recurramus ad B. Virginem Dominam Victoriæ, quæ cùm vincere nos fecerit hoſtes noſtros, introducet nos ad gloriam.

IN FESTO S. P. N. FRANCISCI CONFESSORIS.

Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.
Pſal. 15. 10.

MAxima differentia datur inter vias, per quas deducit Deus amicos ſuos, & vias, quibus mundus implicat eos qui ſequuntur illum: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ, à vijs veſtris, & cogitationes meæ, à cogitationibus veſtris* a. Si enim iſtæ viæ, quibus mundus ſuos intricat aſſeclas, ſunt plenæ obſcuritate æquè nigrâ ac fuit illa, quæ involvit alias totam terram Aegypti, *Et factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſâ terrâ Aegypti: Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat* b, & quæ obſcuritas tandem deducit ad noctem æternam: illæ è contrà viæ, per quas Deus Juſtos deducit, non ſunt niſi lux: *Ubicumque autem habitabant filij Iſraël, lux erat* c: quæ tandem perducit ad diem beatitudinis. Si viæ impiorum ſunt pravæ & indirectæ, & tandem pertrahunt ad præcipitium inferni, *Ambulavimus vias difficiles: in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus: talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt* d: viæ amicorum cœli ſunt rectæ, & dirigunt ad felicitatem æternam: *Sapientia Iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei* e. Et ſi, ut totum dicatur uno verbo, viæ mundanorum non ſunt niſi mors, quæ incipit in iſta vita, & quæ nunquam terminabitur in altera: *Eſt via quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem* f: Et, *Mors peccatorum peſſima* g: ſeu, juxta S. Bernardum h: *Mala in amiſſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo, quem diligunt: Pejor in diſſolutione carnis, à quâ evelluntur eorum animæ à ſpiritibus malignis: Peſſima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuo ſimul addicuntur ignibus*: è contra viæ Juſtorum non ſunt niſi vita quæ incipit in terra, & quæ non finietur niſi cum beata æternitate: *E contrario Bonorum mors optima, quoniam quidem ſit ibi quies à labore, ſit jucunditas de novitate, ſit ſecuritas de æternitate*, dicit immediatè pòſt idem S. Bernardus. Hæc eſt conſolatio, quâ perfundebatur Propheta coronatus, in paſſionibus ſuis Deo gratias agens in nomine omnium Juſtorum pro eo quòd benè monſtraſſet ſibi vias vitæ, quæ ipſum tandem perducerent ad oblectamenta æterna per intuitum faciei tuæ Divinæ, dicens ei, *Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Quod in particulari applicare poſſumus Seraphico P. S. Franciſco, cujus celebramus hodie memoriam, qui vivens in terra alligatus huic corpori, vitam tamen duxit prorſus cœleſtem & divinam. B. Virgo Maria tranſegit vitam totam ſpiritûs & gratiæ, cujus plenitudinem confeſſus eſt Angelus per hæc verba, *Ave Maria.*

a Iſa. 55. 8. & 9
b Exo. 10 22. & 23.
c Ibid.
d Sap. 5 7. &c.
e Sap. 10 9. & 10
f Prov. 14 12.
g Pſ. 33 22.
h S. Bern. ſerm. 41. ex parvis

Eſt mirabile viſu hominem excellenter animatum gratiâ Divinâ, quæ tribuit ipſi eſſe ſupernaturale & divinum, & dat ipſi operationes quæ multùm antecellunt cogitationes noſtras, & prætereunt omnes notitias noſtras: ipſe eſt ſemper in actione quoad cœlum, conſilia ipſius non diriguntur niſi ad paradiſum, deſideria ipſius non habent niſi Deum pro objecto, & ſola *voluntas* i Creatoris terminat univerſas ipſius intentiones, quia gratia Dei operatur in ipſo: & ſicut ipſe non eſt aliquid niſi ejuſdem gratiæ interventu; ſic non eſt aliquid, quod ipſe non poſſit ejuſdem gratiæ virtute fultus, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, ajebat S. Paulus k. *Non proprijs viribus, ſed per adjutorium Chriſti*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus l. Talis fuit Franciſcus à converſione ſua; nam cùm gratia Dei locum cepiſſet in corde ejus, & amor æternitatis thronum ſuum collocaſſet in anima illius, ipſe evaſit totus alter; & cùm anteà ſequeretur vias mortis, una & ſimul adinvênit vias vitæ, quas oſtendit ipſi Deus, cui ipſemet ait cum Pſalmiſta noſtro, juxta interpretationem moralem ejuſdem Carthuſiani m, *Notas mihi feciſti vias vitæ, id eſt, vitam & mores Chriſti, cujus doctrinam & veſtigia imitando, rectè ambulo ad vitam æternam: quod ſi fecero perſeveranter, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, dando mihi feliciſſimam tui vultûs viſionem, quâ adeptâ nihil amplius deſiderare valebo.*

i Matt. 6. 10.
k Philp. 4 13.
l Dion. Carth. a. 4. in Philip. 4. 13.
m Dion. Carth. in expoſit. Moralem finem Pſ. 15.

Super quod hic recenſere poſſem multas vias, per quas Deus conſuevit deducere Electos ſuos, & quas nos docuit Filius ſuus incarnatus, qui eſt eorundem Electorum Caput: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui; ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus* n: & de quo intelliguntur verba Textûs noſtri juxta expoſitionem literalem præfati Carthuſiani, per quem ſic alloquitur ipſe Patrem ſuum, *Notas mihi feciſti vias vitæ, id eſt, dediſti mihi ſcientiam ſalutarem, per quam actus virtutum, quæ ſunt viæ vitæ, implevi, & alios docui. Vel, Notas feciſti mihi vias vitæ, hoc eſt, experimentaliter notificaſti, & ſenſibiliter oſtendiſti mihi reſurrectionem tertiâ die peractam, & aſcenſionem quadrageſimâ die completam. Per reſurrectionem namque & aſcenſionem ad immortalem vitam pertingitur. Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, id eſt, cùm per aſcenſionem uſque ad conſedendum tecum in dexterâ tuâ pervenero, tunc dabis mihi plenam beatitudinem, ut non ſolùm in anima felix ſim (quæ nunquam in eſſentiali præmio profecit) nec ſolùm in corpore glorioſus ſim, in quo glorificatus ſurrexi: ſed etiam ſuper omnes cœlos, ſuper omnes creaturas, ſuper omnes Angelicos ſpiritus exalter, ut omnia impleam* o, *& in nomine meo omne genu flectatur* p, *ſicque in accidentali præmio, cum vultu tuo, hoc eſt, in præſentia majeſtatis tuæ, quæ in cœlo præcipuè eſſe cenſetur, perfectè implear.* Porrò, *Quòd Pſalmus iſte ad literam de Chriſto intelligi debeat, hinc conſtat, quòd glorioſiſſimus Apoſtolici agminis Princeps beatiſſimus Petrus in Actis* q *Scripturam Pſalmi iſtius inducit ab eo loco quo dictum eſt (Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper) ad probandum quòd Chriſtus reſurrexit.* Ipſe nobis monſtravit vias ad ipſum ſequendum, juxta prædictionem Michææ r: *Aſcendet enim pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* E vijs iſtis tres eligo per

n Rom. 8 29.
o ex Eph. 4. 10.
p ex Philip. 2. 10.
q ex Act. 2. 2. &c. ex Pſ. 15. 8. &c.
r Mich. 2 13.

per quas deduxit Deus Seraphicum Patrem ſanctum Franciſcum. Prima, eſt via vitæ purgativæ. Secunda, eſt via vitæ illuminativæ. Tertia, eſt via vitæ unitivæ. Hæ tres ſunt nobis examinandæ.

Diviſio.

I. Pars.

Illi magni Duces Romani, qui proſequebantur amore virtutem, nedum tamen agnoſcerent illius pulchritudinem & perfectionem, gloriam quæſierunt & honorem in expugnatione illorum, quos exiſtimabant hoſtes ſuos, cùm ſe dedere nolebant ambitioni ipſorum: ſed poſtquam multum laboraverunt, non ſunt amplexi niſi ſolas umbras illius, ſibi formantes diverſas chimæras ejus, quibus ſuas paſcerent imaginationes: ſic ut illi multò melius ſe geſſerint, qui volentes erigere thronum gloriæ & honoris, illius firmiſſima & ſolidiſſima fundamenta ſtabiliverunt ſuper ruinam paſſionum ſuarum, quaſi volentes inde innuere, quòd ipſi non poſſent eſſe glorioſi & honorati cum illis. Sic Samſon non eduxit dulcedinem mellis ex ore leonis, quin priùs illum dilacerâſſet: *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omnino habens in manu. Et poſt aliquot dies revertens, declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis* s. Hoc eſt fundatum ſupernaturam gratiæ & dilectionis Dei: nam licet ipſa, ſit anima animarum noſtrarum, *Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ Deus*, ait ſanctus Auguſtinus t fultus Verbo ſancto, quod nobis aſſerit, quòd *anima quæ peccaverit, ipſa morietur* u: ipſa tamen eſt etiam peremptrix, quia ingrediens corda noſtra, nihil aliud intendit, niſi ut occidat amorem profanum, & ejiciat Eſau domo conſcientiarum ſuarum, ut mitis Jacob imperet ibi pacificè, *Major ſerviet minori*, prædixit Scriptura x. *Serviet etenim caro ſpiritui, & vitia virtutibus cedent*, ſubdit Origenes y tropologicè. Et Arca Dei deſiderans habere locum in templo cordium noſtrorum, debet priùs evertere & deſtruere idolum Dagon: *Tulerunt Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon. Cùmque ſurrexiſſent diluculò Azotii alterâ die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumque, manè die alterâ conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram Arcâ Domini: caput autem & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen* z. Sicut enim primus effectus lucis, eſt expellere tenebras; & primus effectus ignis eſt ejicere frigus: ſic primus effectus gratiæ Dei, qui non eſt aliud niſi lux: *Quoniam Deus lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt ullæ* a: eſt procul amandare tenebras vitij: & primus effectus charitatis Dei, qui non eſt aliud niſi ignis: *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* b: eſt auferre frigus peccati. Et illud, eſt fortaſſe motivum, propter quod ipſe qui tulit illam in mundum, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* c: & qui ait, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur?* paulò poſt ſubdit, *Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis: ſed ſeparationem: erunt enim ex hoc, quinque in domo unâ diviſi, tres in duos, & duo in tres: dividentur pater in filium, & filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filia in matrem, ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam* d. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum e, *Ignem veni mittere in terram, id eſt, ad hoc à ſummo cæli deſcendi, hominibuſque apparui per incarnationis myſterium, ut Divini amoris ardorem in cordibus hominum collocarem. Et quid volo niſi ut accendatur? hoc eſt, afficiatur, & Spiritus ſancti motione inflammetur, atque in opera virtuoſum erumpat?* Porrò cor humanum inſtar terræ fuit obſcurum, per concupiſcentiam molle, & per malitiam frigidum: ideò igniri igne hoc charitatis inflammata contra frigiditatem, illuminante contra obſcuritatem, conſolidante contra mollitiem. Rectè ergo charitas ignis vocatur, quia per eam peccati labes conſumuntur, affectus accenduntur, ſpiritus in cæleſtia elevatur. *Putatis quia pacem veni dare in terram? Quaſi diceret, Nolite putare quòd ad hoc venerim, ut pacem carnalem, mundanam & inordinatam præſtem hominibus, per quam concordent in vitijs, & proſperitatem conſequantur terrenam. Non, dico vobis, id eſt, talem pacem dare non veni, ſed ſeparationem, hoc eſt, bonam ac ſaluberrimam diviſionem ſpiritualem, imo & corporalem, ut ſcilicet homines in me credentes amore Dei deſideriòque pacis interioris diſſentiant à malis hominibus, & diſcedant ab eis, qui eos à ſpirituali profectu & ſinceritate Divini amoris quærunt avertere aut impedire nituntur. Erunt enim ex hoc, id eſt, de cætero, præſertim poſt Evangelicæ Legis divulgationem ubique, quinque perſonæ in domo unâ manentes, diviſi: hoc eſt, diſſentientes, ita quòd boni non conſentient malis. Nam tres erunt diviſi in duos, id eſt, contra duos, & ſimiliter duo erunt diviſi in tres, id eſt, contra tres dividentur, prout conſequenter exemplificatur in Textu, Pater in filium, & filius in patrem, ita ut unus eorum diſcors erit ab alio, amore, juſtitiâ, potiùs volens Deo adhærere quàm homini vitioſo, quantùm-unquè propinquo: ſicque gratia in Electis prævalebit naturæ, amorque ſpiritualis amori carnali: juxta eundem ſenſum, mater diviſa erit in filiam, & filia in matrem ſuam: ſocrus quoque in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam.* Venit ergo Dei Filius diſſolutum corda noſtra ab affectibus terrenis & animalibus, & armatum animos noſtros ad præliandum contra mundum, & infernum. Et ecce hic certamen vitæ & mortis, id eſt, gratiæ Dei, quæ eſt vita animarum noſtrarum, *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam: vitâ vivet* f: & peccati, quod eſt earum mors, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* g. Gratia enim eſt vitæ ſpirituali id, quòd mors eſt vitæ corporali: nam ſicut hæc aufert videndi functionem oculis, officium loquendi linguæ, & poteſtatem audiendi auribus: ita gratia nos reddit cæcos, mutos, & ſurdos quoad voluptates mundi: quia prima & inſigniſſima ipſius victoria eſt mitigare rebelliones paſſionum noſtrarum interiorum, & ibi inſtituere leges & regulas cœli. Et ecce triumphus de quo gloriabatur ſanctus Paulus h dicens, *Gratias ago ei qui me confortavit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio: qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et S. P. N. Franciſcus i jure merito dicebat, *Dominus dedit mihi Fratri Franciſco, ita incipere facere pœnitentiam: quia cùm eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos: & ipſe Dominus conduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod videbatur amarum, converſum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis.*

s Judic. 14.6. & 8
t S. Aug. conc. in Pſ. 70. ante med.
u Ezech. 18.4. & 20.
x Gen. 25.23
y Orig. hom. 12. in Gen. 25.23.
z 1. Reg. 5.2. &c.
a 1. Jo. 1.5
b Heb. 12. 29. ex Deut. 4 24.
c Jô. 1. 17.
d Luc. 12 49 &c.
e Dion. Carth. a. 34. in Lucæ 12. 49. &c
f Ezech. 18.21
g Ezech. 18.4 & 20.
h 1. Tim. 1.12. &c.
i S. P. N. Franciſ. in Teſtament. ſuo in princ.

ra. Contemplor igitur eum deſerentem mundum, renuntiantem hæreditati ſui patris temporalis, & nolentem habere in poſterum alium patrem niſi Jeſum Chriſtum, ut verè dicere poſſit, *Pater noſter qui es in cœlis* k [k Matth. 6.9]: nec aliam matrem quàm gratiam, nec aliud veſtimentum niſi paupertatem, relinquendo *omnia* l [l Matth. 19.27]; cùm videam quòd omnes veſtes ſuas deponat coram Epiſcopo Aſſiſiatum, à quo ipſe favorabiliter excipitur, & induitur chlamyde gauſapinâ, è qua exivit forma admirabilis iſtius habitûs, quo ego, licèt indignus, indutus ſum; & ſic vadit ſeminudus medias inter auſteritates, amplectitur pœnitentiam, & ſe jugiter exercet in continua criminum ſuorum præteritorum cogitatione: non contentus eorum exactiſſimam reddere rationem coram tribunali Pœnitentiæ, ipſe ea deflet torrente lacrymarum, eorumque veniam efflagitat a Deo cum ſuſpiriis innumeris, ſuæ veræ contritionis indiciis, adhærens conſilio Prophetæ m [m Thren. 2.18], *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Ipſe nullam quietem dat animæ ſuæ, & corpori ſuo, & oculis ſuis; & ut iſtud ipſe meliùs faciat, ipſe ſe diſponit ad reparandam & reædificandam quandam Eccleſiam materialem, quæ poſſit ipſi ſervire loco domicilii, ad vacandum ibi exercitio pietatis, & ſe ſubdit obſequio cujuſdam Sacerdotis, à quo poſſit ipſe ſuſcipere ſancta Sacramenta Eccleſiæ, & cottidiana neceſſaria ſainti ſuæ. Si autem ſcire deſideratis, annon benè noverit caſtigare defectus ſuos, & purificare conſcientiam ſuam; intuemini, ſi placet, illum tranſigentem noctes integras in lacrymis ſolâ occaſione illorum; videte quotnam emittat ipſe ſuſpiria in cœlum; quomodo carnem ſuam maceret vigiliis & flagellationibus, quæ tot ipſi cauſant morbos, præcipuè verò infirmitatem oculorum, ut adducant ipſum in diſcrimen amittendi viſûs quo deſiderat ipſe potiùs privari, quam relinquere exercitium auſteritatum ſuarum in ſatisfactionem peccatorum ſuorum, ſic ut citò viſuri ſitis ipſum perveniſſe ad puritatem Protoplaſtorum noſtrorum. Et ad probationem iſtius veritatis, ſufficit ut conſideretis obedientiam & ſubmiſſionem, quâcum omnes creaturæ obſequuntur voci ipſius. Modò aves & piſces ſiſtunt ad audiendas prædicationes ejus, nec audent ab eo diſcedere ſine ipſius licentia: Nunc ſiſtit ipſe rabiem lupi cujuſdam devaſtantis totam vallem Spoletanam: Et, ut uno verbo dicatur, omnes creaturæ cedunt virtuti illius, & nobis oſtendunt quod in eo micat hæc prima innocentia primorum Primogenitorum noſtrorum, quæ ſubmittens rationem Deo, & appetitum inferiorem rationi, reddebat illos Dominos omnium creaturarum, quæ ipſis obediebant per poteſtatem, quâ *benedixit illis Deus, & ait: Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram* n [n Gen. 1. 28]. Re autem verâ tunc felix erat Adæ fortuna; pulchrum erat viſu eum cum corona in capite, & ſceptro præ manu, cum imagine ſui Creators per animam rationalem, & ſimilitudinem Dei ſui per gratiam & ſanctitatem, quæ reddebat ipſum venerabilem in cœlo & in terra: *Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* o [o Gen. 1. 27]. Tamen per rebellionem ſuam, quâ vetito *de fructu comêdit* p [p Gen 3. 6. &c.], amittit uſum iſtius imperii, nec aliquid in ipſo remanſit, niſi jus ejuſdem imperii, quod Deus approbavit & ratum habuit in favorem Noë, & poſteritatis ejus poſt diluvium, per hæc verba, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis quæ moventur ſuper terram* q [q Gen. 9. 2]. Adam hoc perdiderat, ſed illud recuperavit innocentia Noe, qui *vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* r [r Gen. 6. 9], æquè ac ſanctitas Franciſci: cùm Deus teſtatus fuerit per infinitatem miraculorum & prodigiorum, quod in ipſo reviviſcebat prima juſtitia Protoplaſtorum noſtrorum. Quòd ſi amplius deſideratis in ſenſum moraliorem, qui nobis meliùs exponat puritatem quam ipſe recuperavit interventu pœnitentiarum ſuarum, dicere poſſum, quòd Deus dans homini poteſtatem ſuper omnia animalia, voluit oſtendere potentiam rationis ſuper omnes appetitus inferiores, qui ſicut animalia æquè furioſa ac domeſtica, cauſant rebellionem generalem paſſionum, quibus homo juſtus virtute ſapienter imperat, ſicut agit ſanctus Franciſcus: ſi enim videatis eum in multis occaſionibus, modo ſe projicere in ignem, aliquando in ſpinas, & alias in nivem, potiùs quam offendat Deum: nonne judicabitis, quòd paſſiones obediunt ei, æquè ac creaturæ inſenſibiles, quæ non audent illum lædere? Super quod obſervabitis etiam, ſi placet, quòd Moyſes, ut audiviſtis modò, deſcribens poteſtatem, quam Deus tribuit homini ſuper inferiores creaturas, non ſolùm nominat eas in generali, ſed inter eas ſpecificat quatuor, quæ ſunt piſces maris, aves aëris, animalia quadrupedia, & ea, quæ repunt ſuper terram: per quas creaturas intelligere debemus quatuor præcipuas paſſiones, nimirum paſſionem voluptatum animalium repræſentatam in piſcibus, paſſionem ſuperbiæ expreſſam in avibus, paſſionem avaritiæ figuratam in ſerpentibus non viventibus niſi terrâ, & paſſionem iræ ſignificatam per animalia quadrupedia: ſanctus Franciſcus imperavit his omnibus, domans paſſiones ſuas, & reducens eas ad obediendum rationi, non ſolùm in perſona ſua, ſed etiam in perſona filiorum ſuorum, quibus ipſe reliquit perfectam formulam benè vivendi, in Regula ſua eruta è medulla ſancti Evangelii, & fundatâ ſuper verba & exempla vitæ Salvatoris ſui, & per tria vota s, caſtitatis contra concupiſcentiam; paupertatis altiſſimæ, non ſolùm in particulari, more aliorum Ordinum, ſed etiam in communi, contra avaritiam; & obedientiæ contra ſuperbiam: & contra iram per amorem, non ſolùm erga *Deum*, ſed etiam erga *proximum* t, cujus obſequio ipſe ſe conſecravit, & devovit Ordinem ſuum. Hæc eſt prima via, quam Deus illi monſtravit, id eſt, vitæ purgativæ, quam imitari debemus in eo, nos purificantes ab omnibus imperfectionibus noſtris, mortificantes appetitus noſtros, ſiſtentes paſſiones noſtras, & ſequentes conſilium quod idem Deus nobis dat, *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc* u: procul à nobis amandantes inordinatum deſiderium divitiarum, conſilia ambitioſa ſuperbiæ, mortificantes carnem noſtram, & partem inferiorem rebellem Deo ſuo, & rationi; & reddentes nos mites omnibus amore Dei & proximi, ſi participare velimus lumina, quibus illuſtratus eſt S. Franciſcus, quæ ſunt ſecunda pars.

[s Matth. 19 27 &c] [t Matth. 22.37. & 39.] [u Apoc. 22.11.]

Anti-

II. Pars

Antiqui Philoſophi ducti deſiderio ſciendi, quod ſic eſt hominibus naturale, totalem requiſiverunt illius ſatisfactionem in ſpeculationibus curioſis ſuper effectus naturæ: ſed poſt inſumptos dies ſuos in tales curioſitates, non retulerunt inde niſi ſcientiam obſcuram, tenebroſam, & mortuam: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Invisibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum: non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum* x. Tales ſunt multi Chriſtiani hujus ſeculi, æquè ac illorum qui nos præceſſerunt, qui congregant notitiam ſuper cognitionem, nedum cogitent illud, quod ſibi foret utilius, ſicut agunt Sancti & amici Dei, & in ſpecie S. Franciſcus, qui ignarus ſcientiarum humanarum, peritus tamen, fuit ſcientiæ cœli: hic enim vir Dei, purgatus ab omnibus paſſionibus ſuis, mundatus in omnibus cogitationibus ſuis, ut ſpeculum immaculatum, ſuſcepit lumina cœleſtia, & factus eſt particeps notitiæ myſteriorum ſublimium, & omni obſcuritate diſſipatâ a mente ipſius per adventum gratiæ, non videmus in eò ampliùs niſi lumen ſupernaturale. Re autem verâ pro comperto credere debemus, quòd non eſt Magiſter peritior, nec Theologus doctior gratiâ Dei, quæ brevi docet animas virtuoſas id, quod ipſæ diſcere non poſſent in Scholis profanis per totum vitæ ſuæ decurſum. Et ſi Pythagoras volebat ut diſcipuli ſui ſilentium cuſtodirent quinque annis; gratia S. Spiritus requirit duntaxat ut ſui ſint humiles; *Super quem (inquit) requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum* y. Et ſi præditi ſunt humilitate, nullum eſt myſterium quod ipſa non edoceat eos. Ipſa, eſt mirabilis Cherubim revelans devotis myſteria z ſacra, & eos veluti manu ducit in ſanctuarium Omnipotentis. Ipſa, eſt fons ſapientiæ fluens in paradiſo animarum noſtrarum, ad eas irrigandas, & fœcundandas, ſicut *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum* a. Hoc patet in S. Franciſco, qui ſic doctè reſpondebat ad quæſtiones ſublimes ſibi propoſitas, ut unuſquiſque ſtupore percitus confiteretur, quòd in eo erat aliquid pluſquàm commune & ordinarium, & quòd nemo præ ſe ferre poterat nomen docti, niſi illi qui ſunt virtute, & gratiâ Dei præditi: hunc ſolùm Cherubinum terreſtrem, & ſimiles ipſi, poſſumus vocare doctos, & veræ ſcientiæ peritos.

x Rom. 1. 19. &c.
y S. Bern. hom. 1. Super Miſſus eſt. ex Iſai. 66. 2.
z Dan. 9. 23
a Gen. 2. 10

Et ad probationem veritatis iſtius, contemplamini eum, ſi placet in antris montis Alvernæ, in quæ ſe recipiens & ſe ſubducens a viſu Solis materialis ſic omnibus jucundi, ne infeſtetur radiis ejus, ſuſcipit vice versâ radios quos emittit abundanter ſuper ipſum *Sol intelligentiæ* b: & ibi videbitis eum meditantem *nocte cum corde* c ſuo legem Dei, & mentem revolvens beneficia ſuſcepta ab ipſius manu liberali. Ipſe accuſat ſeipſum inſufficientiæ ad non valendum ſatisfacere ei pro tot favoribus: ipſe ſe immergit conſiderationi magnitudinum Dei ſui, jugiter repetens hæc verba, *Deus meus & omnia.* Et ſic ipſe deambulat velut in extenſione immensâ eſſentiæ & attributorum Dei. Poſthæc deſcendens in ſe, in cognitionem nihili ſui, raptus humilitate ſanctâ, Quis ego ſum, inquit, Domine, cui tantam gratiam largiaris. Aliàs Sol in ortu ſuo reperiet eum in eodem ſitu, in quo reliquerat illum in occaſu ſuo meditantem hanc eximiam orationem d, quam Chriſtus ſuos edocuit diſcipulos, & in eorum perſonâ omnes Chriſtianos, &, instar S. Pauli, veluti *raptum uſque ad tertium cœlum* e. Et in hoc ſtatu ipſe interruptus radiis iſtius luminaris majoris, quod *fecit Deus ut præeſſet diei* f, velut indiſcretionis ipſum accuſabit pro eo quòd impediverit ipſius oblectamenta.

b Sap. 5. 6
c Pſ. 76. 7
d Matth. 6. 9. &c.
e 2. Cor. 12. 2
f Gen. 1. 16

Et ſi iſtud videtur vobis exiguum, projicite, ſi placet, oculos veſtros ſuper ejus ſpiritum prophetiæ, qui comitatus eſt ipſum toto tempore vitæ ſuæ, quo ipſe non ſolùm ſcrutabatur ſecretiſſimas cordis cogitationes, ſed prædixit res multas longo tempore antequam ipſæ contingerent, ſicut prænunciavit Papatum Nicolao III. cùm eſſet adhuc puerulus, commendans ei Ordinem ſuum cum abundantiâ lacrymarum. Sic ut in his omnibus dicere poſſimus jure merito de illo id, quod S. Hieronymus g aſſerit de Nepotiano, *Lectione aſſiduâ, & meditatione diuturnâ, pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti*: nimirum quòd per continuam meditationem rerum ſanctarum ipſe reddiderat pectus ſuum veluti bibliothecam, in qua Jeſus Chriſtus ſapientia æterna, quippe *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* h, incluſerat univerſos theſauros ſcientiæ cœleſtis. Et ſicut S. Bernardus interrogatus, ubinam didiciſſet ſic ſublimem Theologiam, & interpretationem ſacræ Scripturæ, quam ſciebat modo ſpeciali & ſupereminenti, reſpondebat ſubridendo, quòd edoctus eſſet eam in ſilentio Claravallenſi, & quòd arbores ſibi fuiſſent interpretatæ ſacram Scripturam, per quod innuere volebat, quod exercens mentem ſuam in contemplatione myſteriorum Divinorum, & cor ſuum in amore Dei, diſcebat ſecreta cœleſtia ex ore dilectionis: ſic ſi petatis à Franciſco, undenam ipſe hauſerit tot notitias extraordinarias mercatori, ipſe vobis reſpondebit, quòd illas didicerit in ſylvis montis Alvernæ, in ſolitudinibus Clauſtri, quòd accendendo quotidie ignem ſacræ dilectionis in corde ſuo, mens ſua ſuſcepit lumina & claritates, & quòd, cùm eſſet diſcipulus amoris, effectus eſt Magiſter cognitione rerum abſconditiſſimarum, & myſteriorum ſublimiſſimorum. Et hic eſt adimpletum id quod Pſalmiſta prædixerat, *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: id eſt, juſtis hominibus* ſiudit Dionyſius Carthuſianus k. Inter quos eſt Franciſcus, qui deſtinatus ad videndum Deum in mercedem ſuæ puritatis, juxta iſtud verbum, *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt* l; vidit per anticipationem ſuper terrâ res quas Deus non revelat niſi humilibus & mundis inter tenebras quæ involvunt peccatores & impios, *Cùm te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer* m. Cùm exiſtimabis te ſemimortuum, & quod anima eſt velut extincta mortificatione appetituum ſuorum; mens ejus ſuſceperit claritates cœleſtes, repleta fuerit ſplendoribus ſupernaturalibus, & elevata ſupra celſitudinem montium: *Dominus replebit ſplendoribus animam tuam. Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ: os enim Domini locutum eſt* n.

g S. Hier. Epiſt 3. ad Heliodor. n. 39
h Coloſſ. 2. 3
i Pſ. 111. 4
k Dion. Carth. in Pſ. 111. 4
l Matth. 5. 8
m Job 11. 17
n Iſai. 58. 11. & 14

Venite igitur, curioſi, diſcite hodie id, quod nunquam ſcire poteritis vanis ſpeculationibus & inutilibus ratiocinationibus veſtris: poſſidete gratiam Dei, inſumite veſtros omnes conatus ad

eam acquirendam, & interventu illius ſcieris il-
lud, quod nondum ſcitis, & quod nunquam ſcire
poteritis vigiliis veſtris. In terra eſt cognoſcen-
dum antequam amandum; ſed in negotiis cœli,
res eſt inverſa, eſt amandum ad benè cogno-
ſcendum. Et ſicut ſcimus, quòd Cherubini, ſpiri-
tus lucis, ſunt præ foribus paradiſi, tenentes *gla-*
o Gen. 3. 24 *dium* o in manu ad præcidendum nodos & diffi-
cultates ſcientiarum, ſed Seraphini, Angeli amo-
ris, ſunt intùs cum Deo, & fruuntur illo: ſic illi
qui contenti ſunt ſcire, antequàm ſtudeant ama-
re, ſunt extra converſationem Dei, è contrario
illorum qui benè amant, qui ſunt ſemper cum eo,
fruentes luminibus, quæ ipſe communicat amicis
ſuis. Doctiores, interdum ſunt aridiores, & mi-
nus habent pietatis, & ſæpiùs cadunt in errores
qui deſolant Eccleſiam, quandiu ſimplices & in-
nocentes, perſæpè ſunt plus illuminati, & Eccle-
ſiam defendunt ab inſidiis & aggreſſionibus cu-
rioſorum. Ecce ſecunda pars diſcurſus mei, &
fructus quem ex ea debemus colligere. Tranſea-
mus ad tertiam, quæ reſpicit vitam unitivam
cum Deo.

III Pars. Una ex eminentiſſimis perfectionibus, quas
admiramur in Deo, eſt ea quæ conſervat unita-
tem Eſſentiæ Divinæ in Trinitate perſonarum
p 1. Joan. 5. 7 per unionem eſſentialem ipſarum trium p. Ideò-
que ad ſtabiliendam hanc unionem in Eccleſiâ,
q Joan. 1. 14 *Verbum caro factum eſt* q. Et Jeſus antequàm iret
ad mortem, rogavit Patrem ſuum, ut illi qui eſ-
ſent ipſum ſecuturi, & amplexuti doctrinam &
legem ipſius, fierent unum cum ipſo, non ſecus
ac ipſi erant unum, *Ut ſint unum, ſicut & nos unum*
r Joan. 17. 22 *ſumus* r. Sed unione vel potiùs unitate Patris &
Filii, Auditores, quæ eſt eſſentiæ & naturæ: unio-
ne verò vel unitate quæ eſt in fidelibus cum Deo
per gratiam & per amorem: eſt enim certum,
quòd nunquam poterunt eſſe unum cum Deo in
ſ Exod. 3. 14 natura, cùm natura Dei ſit infinita & increata ſ,
natura verò creaturæ ſit finita & creata: tamen
id quod fieri non poteſt per eſſentiam, fit per
gratiam & per amorem, *Ut per hæc efficiamini*
t 2. Petr. 1. 4 *Divinæ conſortes Naturæ*, dicit eis S. Petrus t. Eſt
enim proprium amori unire amantes, ſi non eſ-
ſentiâ, vel perſonâ, ſaltem conformitate cor-
dium & voluntatum: *Hoc amoris verbum vim ha-*
bet faciendi unum & colligandi, præſtantique modo
res inter ſe miſcendi. Dimovet etiam de ſtatu Divinus
Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam
u S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4 *quæ amantur*, ait S. Dionyſius u. Et Dionyſius
x Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34 Carthuſianus x, *Secundùm Auguſtinum, Anima po-*
tiùs eſt ubi amat, quam ubi animat. Et ante Do-
ctores iſtos Scriptura y, *Anima Ionathæ conglu-*
tinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas qua-
ſi animam ſuam. Hoc eſt donum quod ſuſcepit S.
y 1. Reg. 18. 1 Franciſcus, hoc eſt mirabile quod ſuſpicio in
corde ejus: cùm enim ipſe eſſet mortificatus in
omnibus paſſionibus ſuis, & mens ipſius eſſet il-
luſtrata luminibus ſupernaturalibus, anima ipſius
ſic vehementer adhæſit Creatori ſuo, ut dicere
poſſimus, quòd ipſa erat conglutinata animæ
Salvatoris ſui, quem ipſe diligebat ut animam
ſuam, & à quo ipſe reciprocè diligebatur. Sic
myſticus iſte Jacob, poſtquam multum ſudavit in
obſequio Dei, & tranſivit per amplexus Liæ,
quæ *lippis erat oculis*, tandem pervênit ad poſſeſ-
ſionem ſic deſideratam & requiſitam Rachelis,
z Gen. 29. 17. &c. quæ erat *decora facie, & venuſto aſpectu* z. Sic iſta
ſacra Sunamitis, anima Seraphici P. S. Franciſci,
poſtquàm multùm quæſivit *per vicos* vitæ purga-
tivæ, caſtigans culpas ſuas; *& plateas* a vitæ illu- a Cant. 3. 2
minativæ, ſuſcipiens lumina cœleſtia: tandem
admittitur ad ſponſalia Divini ſui Amantis, &
habet ingreſſum ad cellaria ipſius, ut inebrietur
ibi vino delicioſo amoris & unionis cum ſuo
Creatore, *Introduxit me in cellam vinariam, ordi-*
navit in me charitatem b. Sic hæc anima, prout b Cant. 2. 4
Sponſa ſancta, poſtquàm diſſipavit nebulas & te-
nebras vitii, more auroræ deinde micans, inſtar
Lunæ, cognitione rerum cœleſtium; fit ſimilis
Soli, quem ipſa ſic diu proſecuta eſt, & deſidera-
vit videre: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi auro-*
ra conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol c? Sic c Cant. 6. 9
poſtquam ſuſcepit oſculum pedum Domini ſui,
non ſecus ac *mulier, quæ erat in civitate peccatrix,*
& oſculabatur pedes ejus d, ibi plorans peccata d Luc. 7. 37. & 38
ſua: & oſculum manuum ejus, in quibus tenet
ipſe lumen abſconditum, ſicut ait Job e, *In ma-* e Job 36. 32
nibus abſcondit lucem: tandem ſuſcipit ad votum
& ad delicias uſque oſculum oris quod ipſi de-
erat ad ſui perfectionem, id eſt, unionem cum
Deo ſuo, *Oſculetur me oſculo oris ſui* f. f Cant. 1. 1

S. Franciſcus agnoſcebat apprimè, quòd iſtud
erat nimis quoad miſerum peccatorem, qualem
ipſe ſe confitebatur, ac effectum ſe fuiſſe confor-
tem gratiarum Dei ſui, per remiſſionem culpa-
rum ſuarum præteritarum, & per cognitionem
ſublimiſſimorum myſteriorum: hoc porrigebat
ipſi anſam ampliorem humiliandi ſe magis ac
magis, & accuſandi ſe inſufficientiæ ad agno-
ſcendos favores illius: ſed aliunde cor ipſius pa-
tiebatur dolores indicibiles, cùm non poſſet ipſi
ſatisfieri niſi per unionem cum ſummo Bono ſuo:
ideòque ſuſpirabat jugiter poſt diſſolutionem à
corpore ſuo, ſicut S. Paulus g *deſiderium habens* g Philipp. 1. 23
diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Ipſe non diu fuit in hoc
deſiderio, cum ditatus amore Seraphico, vivens
in terra, ipſe invenit quòd ſua *converſatio in cœlis*
eſt h: aut quòd Deus ſuus regnans in cœlo, vivit h Philipp. 3. 20
& regnat in ipſo ſuper terrâ. Propterea non de-
bemus ampliùs dicere ſimpliciter id, quod dice-
bam in principio diſcurſus iſtius, quòd gratia de-
dit ei eſſe cœleſte: progrediendum eſt ultra, &
dicendum quòd gratia Franciſcum transforma-
vit in Jeſum Chriſtum: *Vivo autem, jam non ego:*
vivit verò in me Chriſtus i. Quaſi dicat, Si me re- i Gal. 2. 20
ſpicitis exteriùs, videbor vobis vivere vitâ ſimili
vitæ reliquorum hominum, & quâ vivebam an-
tea; apparebo hic Franciſcus, quem uſque nunc
vidiſtis; ſed ſi intimè pervadatis cor meum, &
conſideretis hunc hominem exteriorem annihi-
latum mortificationibus, videbitis interiorem
renovatum, mutatum, & transformatum, non
ampliùs in hominem inſtar aliorum, ſed in ho-
minem Divinum, nimirum Jeſum Chriſtum, *Vi-*
vit verò in me Chriſtus. Hæc unio perfecta, ipſum
inducebat ad melius ac meliùs exinaniendam
voluntatem ſuam, ad non volendum niſi id quod
Deus volebat, & eodem modo quo volebat, non
proponendo ſibi aliam regulam actionum ſua-
rum, niſi beneplacitum Domini ſui, redigendo
in captivitatem omnem intellectum in obſequium
Chriſti k, cujus ipſe conſulebat oracula in preci- k 2. Cor. 10. 5
bus ſuis, & in orationibus filiorum ſuorum, &
filiarum ſuarum ſpiritualium, imò verò quoad
negotia minimi momenti, obediendo cæco im-
petu cœleſtibus inſpirationibus, nec ſequendo
alias maximas, niſi maximas & leges Dei. Sed
attende, Seraphice Pater, quòd ſi ſic appropias ad
Deum tuum per inflammationem ſanctæ chari-

chari-

charitatis, ipſe tuas tandem exhauriet venas, & filii tui videbunt ſanguinem, qui ipſos ſuſtinens dabat ipſis vitam, exire è corpore tuo: *Sponſus ſanguinum tu es* l, nobis, id eſt, qui rata habes fœdera tua per ſanguinem. Et nunquid non videmus illius notas in pedibus tuis, in manibus tuis, & in latere tuo? *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum*? Hæc vulnera ſunt proculdubio ſigna fœderis quod iniviſti cum Salvatore tuo: *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me* m. Etiam, Auditores: Hæc ſunt ultima lineamenta, quæ deerant huic imagini, quæ manus Divini Apellis depinxit ſuper telam viventem corporis Seraphici Patris mei S. Franciſci repræſentantis in membris ſuis fontes aquæ vivæ, & hyacinthos amoris, imagines charitatis, linguas quæ non loquuntur niſi amorem, & portas ac feneſtras è quibus non videntur exire niſi flammæ & ſagittæ dilectionis. Non ſufficiebat ut ipſius anima eſſet dicata tot & ita raris perfectionibus, oportebat etiam ut corpus ipſius deferret imaginem amoris ſui, vel potiùs Dei amoris ſui; & hoc modo pedes & manus ipſius, quæ uſque ad illud tempus teſtimonium perhibuerát candoris & ſanctitatis animæ ipſius, rubuerunt hoc ſanguine, quem videtis in eis: & illud cor quod non reſpiraverat niſi amorem, inva- ſum ferro & lancea, ſe exhibuit totum ſanguinolentum, & corpus ipſius ſimile corpori Salvatoris ſui n, ſicut anima ipſius erat ei unita.

l Exod. 4. 25

m Zach. 13. 6

n Pſ. 21. 16. & Joan. 19. 18. & 21

Suſcepimus igitur hodie perfectum prototypon ſanctitatis: præterea inſpiciamus, *& ſecundùm exemplar, quod in monte monſtratum eſt* o nobis, faciamus; conformemus nos ad hanc imaginem elevatam ſuper apicem montis perfectionis, accedamus ad hoc prototypon, & amplectamur pœnitentiam: *Hæc eſt via, ambulate in eá: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram* p. Per illam viam perveniemus ad cœlum: diligamus Deum, & conemur acquirere gratiam, ſi non habemus eam; & conſervare & augere eam, ſi ipſa ineſt nobis, ſicut certiſſimum eſt quod transformabimur in id quod diligemus. Primus & præcipuus effectus amoris eſt unio & transformatio amantium, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror*, ajebat S. Auguſtinus q. Si affectu terram proſequimur, mutabimur in terram; ſi cœlum amamus, convertemur in cœlum; & ſi Deum diligimus, transformabimur in Deum: diligamus igitur illum, & fiemus unum cum illo, in iſto mundo per gratiam, & in altero ſeculo per gloriam.

o Exod. 25. 40

p Iſai. 30. 21

q S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9

IN FESTO S. VRSVLAE VIRGINIS ET MARTYRIS.

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius: quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. Sap. 4. 1.

VAnitas hominum qui auras aucupantur populares, adinvênit aliàs ſatis ampla media ad commendandam virtutem illuſtrium virorum, & ad animandos ut ſic ad peragenda præclara facinora omnes illos qui eis erant ſucceſſuri; propter hunc finem præ juſtitiâ elevabat ipſa columnas & pyramides, ſuper quibus collocabantur ſtatuæ illorum qui glorioſè triumphaverant. Hæc adinventio præ ſe non exiguam ferens induſtiam, teſtabatur quòd memoria triumphatorum præteribat vitam ipſorum, & quòd mori non poſſet cum ipſorum corpore: ſed conſilium Dei juſtius & æquæ rationi congruentius eſt, cùm volens commendare gloriam verorum ſervorum ſuorum, præcipuè verò ſanctarum Virginum, elevat in honorem illorum, columnas & pyramides, non ſolum in terrâ, ſed multò meliùs in cœlo, & eos collocat in templo immortali gloriæ ſuæ, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur ampliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei: & nomen civitatis Dei mei, & nomen civitatis Dei mei nova Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum* a. Putatiſne quòd loquatur fortaſſis de Eccleſia militanti in terra, aut de triumphanti in cœlo? Profectò de utraque loquitur, ut ait Dionyſius Carthuſianus b, *Qui vicerit, id eſt, peccata contempſerit, nec alicui illicito conſenſum præbuerit, faciam illum columnam, id eſt, fortem, fixum ac eminentem in templo meo, id eſt, in Eccleſia, ut poſſit aliorum imbecillitatem portare, & ſimpliciores docere. Et foras non egredietur ampliùs ab Eccleſiaſtica unitate, ac individua charitate recedendo: imò uſque in finem, me operante, in ſanctis operibus perſeverabit. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, id eſt, Dei Filium eum faciam appellari, quandoquidem & virtuoſi homines dii appellantur, juxta illud, Ego dixi, Dii eſtis* c. *Et nomen civitatis Dei mei nova Ieruſalem, id eſt, nomen Eccleſiæ militantis imprimam ei, ita quòd Catholicus, ſeu Eccleſiaſticus, ac fidelis per omnia aſſeratur. Eccleſia enim eſt civitas Dei nova per gratiam, quæ Ieruſalem nuncupatur: quia in ea eſt viſio pacis, inchoatio ac contemplatio quietis cœleſtis. Quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, id eſt, à ſupernis à Spiritu ſancto profluxit, regenerata eſt, ordinatur, ac regitur. Omne enim bonum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* d. *Nihilominùs Eccleſia aſcendit ad cœlum, ad bona gloriæ aſpirando. Hæc loquitur Chriſtus ſecundùm quod homo, dicens, à Deo meo. Et nomen meum novum ſcribam ſuper eum, ut à me Chriſto Chriſtianus vocetur. Nam Filius Dei ex tempore cœpit Chriſtus vocari. Sed quia nonnulli fidelium, qui in Eccleſia videbantur columnæ, ceciderunt, & per pravam doctrinam foras egreſſi ſunt, quorum unum dicit Berengandus fuiſſe Origenem: hinc locum hunc exponit de præmio atque Eccleſiâ triumphante; ut ſit ſenſus: Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, id eſt, in Regno cœleſti firmiſſimâ ſtabilitate locabitur: nec beatitudinem illam amittet, hoc eſt, foras non egredietur ampliùs. Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei. Nomen Dei eſt eſſe æternum, quod ſuper vincentes ſcribitur, cùm eis æternitas communicatur, ita quòd ſine fine cum Domino commorantur. Et civitas Dei mei nova Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ triumphantis, quæ Ieruſalem dicitur, quia in ea increata pax Dei omnem ſenſum exuperans e, facie ad faciem f cernitur. Huius ergo civitatis nova per dona gloriæ nomen ſcribitur ſuper Electos, quando eam ingreſſi, cives ac filii ejus vocantur. Quæ deſcendit de cœlo, quia Domino Ieſu*

a Apoc. 3. 12

b Dion. Carth. art. 4. in Apoc. 3. 12

c Pſ. 81. 6

d ex Jacob. 1. 17

e ex Philip. 4. 7

f 1. Cor. 13. 12

Chriſto

Chriſto de cœlis ad noſtram redemptionem deſcendente, ſimul ac Sancti deſcenderunt: quia jam per prædeſtinationem illi conjuncti erant. Sic ille exponit. Loquitur ergo Dei Filius de utraque Eccleſiâ; de militanti, in qua Juſti ſunt ſublimiter elevati; & de triumphanti, in qua Sancti ſunt glorificati, cùm dicat Sapiens, *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* Sicut cognita & honorata fuit à Deo in B. Virgine Mariâ Matre Filii ipſius, quæ concepit eum *in utero* ſuo, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria.*

g Luc. 1. 28, &c.

Non eſt aliquid in mundo, quod non appetat immortalitatem: entia quæ nullam habent vitam, appetunt jugem ſui conſervationem; & ea quæ fruuntur vitâ, nihil æquè metunt ac mortem. Hanc nobis enunciat Philoſophia veritatem, *Omne ens appetit æternitatem.* Propterea continua prælia videmus in natura, cujus effectus ſemetipſos deſtruunt adinvicem, ducti duntaxat eo appetitu ſibi impreſſo à natura conſervandorum ſui immortalium. Hanc veritatem nobis quotidianâ comprobare licet experientiâ, quæ oſtendit eis qui præ ſe ferunt oculos, quomodo res omnes congerunt id omne quod ipſæ habent virium & induſtriarum ad conſervationem ſuam, licèt hæc conſervatio peragi non poſſit abſque diſpendio earum quæ ſunt ipſis vicinæ. Quales effectus non producit ignis ad conſervandam flammam ſuam? Qualem vim non adhibet ſuaviſſimum elementorum omnium ad cuſtodiendam ſubtilitatem ſuam? Plantæ profundas jaciunt in terram radices: Animalia quærunt inſtinctu quodam, qui præ ſe ferre videtur aliquam rationis veriſimilitudinem, id quod conſervare poteſt ipſorum vitam, eamque reparare cùm ea periculo eſt expoſita. Poſthæc mirabimurne ſi homo tanto ducatur timore mortis, & ſi certus de obeunda aliquando morte præ experientia familiari, & præ decreto cœli, *Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* h: ſibi conciliare conatur immortalitatem mediâ longâ & felici poſteritate, aut interventu glorioſæ famæ, quæ perſæpè plus habet poteſtatis quàm deſiderium & inclinatio cuſtodiendæ vitæ, tantùm ad conſervandum honorem, & ad acquirendam tantillam gloriam, quæ ipſum poſſit reddere immortalem in memoria hominum ipſi ſuperſtitum, & eorum qui ſunt ipſum ſecuturi. Hæc eſt etiam promiſſio, quam Deus facit animabus ſanctis, ſe redditurum memoriam ipſarum æternam, quandiu recordatio impiorum peribit hominum, *In memoriâ æternâ erit juſtus: ab auditione malâ non timebit* i. Et cùm animæ puræ & caſtæ ſanctè ſe privant poſteritate, Deus ampliſſimas eis tribuit, quæ cuſtodiunt gloriam ipſarum uſque ad conſummationem ſæculorum, quia gratia & virtus quæ ipſas generat glorioſè propter cœlum, impertitur ipſis nativitatem & vitam Angelicam & Divinam, & præterea fœcunditatem interminabilem. Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere in perſona S. Urſulæ Primò regeneratæ virginitate, ſecundò regenerantis numerum innumerum Virginum; reddentis ſa immortalem, prout Virginis, deinde prout Matris multarum Virginum, in duabus partibus diſcurſus iſtius.

h Hebr. 9. 27

i Pſ. 111. 7

Diviſio

I. Pars.

Neſcio num aliquando adverteritis eos, qui incumbunt mutandis metallis juxta documenta quæ præſcribit ipſis ars chimica: diceretis quòd illi ſingulis momentis nova patrant miracula, & novas peragunt productiones mediis hujuſmodi mutationibus quæ videntur non poſſe provenire niſi è cœlo, & è cauſis univerſalibus, quæ habent influentias ſecretas, ſed prætereà mirabiles, & capaces quæ res peragant extraordinarias, & operentur has mutationes, quas Philoſophi vocant productiones aut generationes, quas vis ignis operatur arte chimicâ, licet cùm magnis defectibus, & quas perſæpè non poteſt operari propter infirmitatem quæ eſt ipſi naturalis: Hæ tranſmutationes ſunt etiam propriores igni gratiæ cœli, Soli Divini Amoris, qui tangens animas noſtras, eruit illas è tenebris & è ſordibus, ut puritatem imprimat eis Angelicam, ſplendorem omnino Divinum, & felicitatem quæ reddit eas ſimiles Angelis, imò verò & ipſi Deo, & omni ei quod eſt ditiſſimum in cœlo, faciens hoc modo ut cœlum ſit in terra, & homines vivant inſtar incolarum cœli, *Sunt ſicut Angeli Dei in cœlo,* ait S. Matthæus k. Et Tertullianus l, *Puella jam in terris non nubendo, de familia Angelica deputatur.* Et S. Baſilius m Virgines Deo ſimiles faciens, ſic loquitur, *Magnum quidem, ut verè dicam, eſt virginitas, incorruptibilis Deo, ut ſummatim dicam, hominem ſimilem faciens.* Hæc eſt ſancta regeneratio quantùm ad eos qui ſuſcipiunt præ reverentia intuitus illius Divini Solis, qui ſolus operari poteſt iſtud miraculum, *Hæc mutatio dexteræ Excelſi* n. Ego autem derideo jure merito illas metamorphoſes & mutationes quas Poëtæ ſunt aliàs auſi comminiſci, & quas Pictores repræſentant nobis; illæ non ſunt aliud niſi fabulæ & phantaſiæ licitæ hominibus conditionis hujuſmodi: quæ tamen ſub velo & cortice mendaciorum ſuorum poſſent nobis exprimere aliquid excellens & Divinum, & ingreſſum nobis aperire ad intelligentiam illarum mutationum, quas ſacra Scriptura nobis repræſentat in perſona Saulis, Nabuchodonoſor, & tot peccatorum, aut in animalibus, quorum illi imitati ſunt, ſicut & iſti imitantur appetitus animales, vitæ inordinatæ habenas laxantes, & paſſionibus ſuis in omnibus morem gerentes: æquè ac earum metamorphoſeon hominum juſtorum in Angelos, & in Deos per virtutem & ſanctitatem. De Saule priùs dicitur, *Erat Saul electus & bonus: & non erat vir de filiis Iſraël melior illo; ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum* o. Quod non tantùm eſt intelligendum de ſtatura corporis, ſed etiam de celſitudine virtutis: ſed ſtatim ac ſuis adhæſit paſſionibus, *dixit Samuel ad Saul* eundem, *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quòd ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultrà conſurget* p. Et de Nabuchodonoſor annunciat idem Divinus *Sermo, Et ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt: donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium* q. Quantùm verò ad mutationem hominum juſtorum in Angelos, & in Deos, aliqui hæc verba S. Pauli r, quæ literaliter intelliguntur de ultimo die mundi, *Canet tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*; ſic moraliter intelligunt-

k Matth. 22. 30

l Tert. lib. 1. ad Uxorem c. 4

m S. Baſil. lib. de ver. Virgin.

n Pſ. 76. 11

o 1. Reg. 9. 2

p 1. Reg. 13. 13. &c.

q Dan. 4. 30

r 1. Cor. 15. 52

liguntur de ultimo die mundi, *Canet tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*; ſic moraliter intelligunt ut dicant, quòd hæc mutatio debeat attribui ei, qui attendens ad vanitates & ineptias mundi, tanto timore corripitur ut hic ſufficiat ad mutandum cor ipſius, & ad ipſum inducendum ut expoliet ſe *veterem hominem cum actibus ſuis, & novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum* ſ, induat; id eſt, eripiat ipſi vitam humanam, quæ poſſet ei permittere voluptates ſenſuum, ut impertiatur ei vitam cœleſtem & Divinam, illumque regeneret in Jeſu Chriſto. Quid autem melius operari poteſt hanc mutationem quàm virginitas inſpirata è cœlo? Puritas eſt qualitas naturalis aſtris & cœlis: aſtra & cœli inveniuntur ubique influentiis & virtutibus ſuis inter corpora immunda, & eorum contrahere non poſſunt impuritates; & una ex operationibus ipſorum in hoc eſt ſita ut purificent id quod tangunt, imò verò mutationes quas agunt in natura, & productiones ipſorum ordinariæ non ſunt niſi purificationes: gratia autem cœli, quæ ſimilis eſt cryſtallo in puritate, nunquam tangit efficaciter animam niſi præ maximâ puritate, nec ullo unquam modo contrahit ſordes quæ inveniuntur in peccatoribus, ſed potiùs eas purificat; & ſi inveniat animam puram, quaſnam mutationes non operabitur in illa? Si homines ſancti ſunt interventu illius, Virgines pluſquàm ſancti erunt, id eſt, Angeli incolæ terræ, & animantes corpus, *Æquales enim Angelis ſunt, & ſunt filii Dei, cùm ſint filii reſurrectionis* t. Sed quid? nunquid non mirabimur quòd in hoc loco Sadducæis *ait Jeſus? Filii hujus ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & ſunt filii Dei, cùm ſint filii reſurrectionis.* Quaſi verò Angeli deberent reſurgere, quod ſupponit mortem præcedentem, cujus illi ſpiritus nullo modo ſunt capaces, cùm ſint immortales. Sed credere poſſumus ſecundùm ſenſum moralem quòd, ſicut Dei Filius hinc docere nos vult, quòd reſurrectio dat hominibus puritatem quam Angeli poſſident ex natura ſuâ, & quòd cùm corpora eorum ſint ſpiritualizata, non eſt ampliùs timendum ne contrahant ampliùs aliquas ſordes, ſed è contra credendum quòd acquirant novam vitam, & renaſcantur de novo per ſanctitatem reſurrectionis: ita hæc gratia quæ tribuitur Sanctis in cœlo, tribuitur etiam Virginibus ſuper terrâ, ſpecialiter verò S. Urſulæ, quam virginitas ſancte regeneravit, & mutavit in Angelum, renunciando carni & ſanguini, fallacibuſque promiſſis Hunnorum qui volebant ipſi eripere id quod ipſa obtulerat Deo, & eligendo potiùs mortem, quàm jacturam virtutis, quæ faciens ipſam triumphare in fragilitate corporis ſui, reddit ipſam immortalem.

ſ Coloſſ. 3. 9. & 10

t Luc. 20. 36. &c.

Triumphus admirabilis! mutatio Divina quæ faciles reddidit res difficillimas, & roboravit infirmitatem ætatis teneræ, imò verò mortem ipſam præſtitit immortalem! Quotnam mutationes in una ſolâ mutatione! quotnam productiones in una ſola productione! & quotnam regenerationes in una ſola regeneratione! Vivere in carne contra leges & maximas carnis; vivere in terra, & in eam vocare cœlum, & in ea facere triumphare interventu ſanguinis & mortis id, quod eſt infirmiſſimum inter creaturas, per id quod conditionem humanæ naturæ ſupergreditur, virginitatem dico, de qua dicit S. Ambroſius u, *Quis autem humano eam poſſit ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis incluſit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod ſupra uſum naturæ ſit? Poſtremò. Non meum eſt illud, quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei in cœlo* x. *Nemo ergo miretur ſi Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non facilè invenimus in terris? Niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit, tunc in utero Virgo concepit* †, *& Verbum caro factum eſt* y, *ut quod caro factum eſt, caro fieret Dei.* Dicendum eſt igitur quòd S. Urſula non ſolùm fuit ſimilis Angelo, ſed etiam ſimilis Deo, qui vixit in hac carne quam habemus, in virginitate perpetuâ; & ſic applicare ei poſſumus id quod idem S. Ambroſius ait ibidem de S. Agnete, *E cœlo accerſivit, quod imitaretur in terris: nec immeritò vivendi ſibi uſum quæſivit è cœlo, quæ Sponſum ſibi invenit in cœlo. Hæc nubes aëra, Angelos, ſideraque tranſgrediens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris* z *invenit, & toto hauſit pectore. Nam quis tantum cùm invenerit relinquat boni? Vnguentum enim exinanitum eſt nomen tuum. Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te* a. *Si enim ibi eſt patria, ubi genitale domicilium, in cœlo profectò eſt patria caſtitatis. Itaque hîc advena, ibi incola eſt. Quid autem eſt caſtitas virginalis, niſi expers contagionis integritas? Atque ejus authorem quem poſſumus exiſtimare niſi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem* b, *Divinitas non eſt experta contagionem?* Appoſitè igitur locutus eſt Sapiens, cùm dixit, memoriam animæ puræ eſſe immortalem, *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius.* Quia certum eſt, caſtitatem & immortalitatem eſſe inſeparabiles, ſicut pro comperto eſt, quòd ſpiritus immortales hâc glorioſâ fruantur prærogativâ, quòd perpetuam cuſtodiant caſtitatem: & hinc eruere debemus, quòd S. Urſula mediâ virginitate ſuâ acquiſivit immortalitatem ſuper terrâ, cùm vera mors animæ ſit ea, quæ ipſam ſeparat à Deo, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* c. *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* d. Et hæc mors eſt jactura voluntaria puritatis. Mors eſt corruptio corporis per ſeparationem animæ, immortalitas eſt reſurrectio ejuſdem corporis, virginitas tribuit ei hanc gloriam, & ſic immortalitatem: hoc modo S. Urſula moriens reſtat immortalis, & effuſio ſanguinis ipſius eſt conſervatio puritatis animæ & corporis ipſius, & mutatio ipſius in Angelum & in Deum immortalem & incorruptibilem. Et ratio iſtius eſt, quia ſi conſideremus hominem in conditione ipſius naturali, videbimus eum compactum è duabus partibus diverſis quæ ſunt anima & corpus: per corpus ſimilis eſt beſtiis & animalibus mortalibus & corruptibilibus, per animam verò Angelis & ſpiritibus immortalibus, & Deo: væ autem illi ſi majoris æſtimet fœdera animalia & terreſtria quæ ipſum deprimunt ad corruptionem, quam ſimilitudines & fœdera Divina, quæ ipſum elevant ad ſtatum Angelorum, & Dei. Utraque ex iſtis partibus habet operationes ſuas conformes natu-

u S. Ambr. lib. 1 de Virginib. poſt init.

x ex Matth. 22. 30.

† ex Luc. 1. 31. & 35 & ex Iſai. 7. 14

y Joan. 1. 14

z ex Joan. 1. 18

a ex Cant. 1. 3

b ex Pſ. 15. 10

c Ezech. 18. 4. & 20

d Iſai. 59. 2

naturæ principii quod ipſas producit. Pars animalis habet ſuas operationes animales & corruptas. Rationalis, cœleſtis, Angelica, & Divina habet operationes rationales, cœleſtes, Angelicas, & Divinas, cùm verum ſit iſtud axioma Philoſophicum, *Ad eſſe ſequitur operari.* Illæ ducunt ad mortem, & ad corruptionem; iſtæ verò viam pandunt ad vitam, æquè ac ad puritatem; juxta monitum ſalutare quòd præbet nobis Apoſtolus e, dicens, *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus f: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini morte culpæ in hoc ſeculo, & morte perpetuâ in inferno. Si autem ſpiritu, id eſt, gratiâ Spiritus ſancti: vel ſpiritu, id eſt, rationis veſtræ judicio facta, id eſt, opera carnis mortificaveritis, id eſt, deſtruxeritis & abjeceritis tanquam venena, quemadmodum in Eccleſiaſtico g præcipitur, Quaſi à facie colubri fuge peccatum, vivetis vitâ charitatis & gratiæ in Eccleſia militante, vitâ quoque fruitionis & gloriæ in Eccleſia triumphante. Huic documento naturalis conſonat ratio. Media namque diſponenda ſunt ſecundùm exigentiam finis. Cùm ergo caro ſit animæ inſtrumentum, & ordinetur ad ſpiritum ſicut ad finem, regenda eſt ſecundùm exigentiam animæ ſeu ſpiritus, ſcilicet ut animæ ſerviat, rationi obediat, illiuſque actibus occupetur per quos ſpiritus tendit & redit ad Creatorem. Qui autem ſecundùm carnem converſatur, pervertit hunc ordinem, dominam ancillæ ſubjiciens, finem medio poſtponens, & ſeipſum beſtiis viliorem ac deteriorem conſtituens.* Unde videtis, quod ſi ſequamur appetitus animales, moriemur in hac infami praxi, quia mors eſt ab illis inſeparabilis: ſed ſi mortificemus has paſſiones animales vi rationis & gratiæ, vivemus, quoniam hæc mortificatio appetituum eſt vita animæ, & ſic caſtitatem colentes, adipiſcemur immortalitatem.

e Rom. 8. 13
f Dion. Carth. art. 11. in Rô. 8. 13
g ex Eccli. 21. 2

Ecce quò pervenit hodie S. Urſula moriens manu barbarorum pro cuſtodiâ virginitatis ſuæ, & recuperans in morte corporis ſui, & appetituum ſuorum, duplici martyrio, ſcilicet, effuſionis ſanguinis ſui, & mortificationis appetituum ſuorum, incorruptionem Angelorum, & Dei. Quid igitur æquiparari poterit huic virtuti quæ operatur tot mirabilia ſimul? quæ non habet alium Patrem niſi Deum, aliam Matrem niſi B. Virginem Mariam, nec aliam patriam niſi cœlum, juxta ea quæ dixit modò S. Ambroſius h, & quæ repetere non ambigam, cùm ita propoſito noſtro conveniant, & alia ex eo ſubdam, *Si enim ibi eſt patria, ubi genitale domicilium, in cælo profectò eſt patria caſtitatis. Itaque hîc advena, ibi incola eſt. Quid autem eſt caſtitas virginalis, niſi expers contagionis integritas? Atque ejus authorem quem poſſumus exiſtimare niſi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem* i, *Divinitas non eſt experta contagionem. Videte igitur quanta virginitatis merita ſint. Chriſtus ante Virginem, Chriſtus ex Virgine. A Patre quidem natus* k *ante ſecula, ſed ex Virgine natus* l *ob ſecula. Illud naturæ ſuæ, hoc noſtræ utilitatis eſt. Illud erat ſemper, hoc voluit. Spectate aliud virginitatis meritum. Chriſtus Virginis Sponſus, &, ſi dici poteſt, Chriſtus virgineæ caſtitatis. Virginitas enim Chriſti, non virginitatis eſt Chriſtus. Virgo eſt quæ nupſit, Virgo quæ nos ſuo utero portavit, Virgo quæ genuit* m, *Virgo quæ proprio lacte nutrivit* n. *De quâ legimus, Quanta fecit Virgo Jeruſalem* o. Quàm ſapienter egiſti S. Urſula, quippe quæ cùm nullam rem inveneris in mundo quæ haberet meliorem & excellentiorem patrem, nobiliorem & illuſtriorem matrem, & digniorem & famoſiorem patriam, quàm virginitas, deſponſaſti eam tibi tanto affectu, ut amittens patrem, matrem, & patriam in terra, recuperaveris Patrem, Matrem, & patriam in cœlo; & magnanimiter mortem perpetiens, abſtuleris vitam Angelorum & Dei, quæ te reddit immortalem in memoria noſtra, & in cognitione illius, *qui vivit in æternum* p, & cui hodie es inſeparabiliter unita vi ſanguinis tui, & puritate animæ tuæ.

h S. Ambr. lib. 1. de Virginib.
i ex Pſ. 15. 10
k ex Pſ. 2. 7
l ex Gal. 4. 4
m ex Matth. 1. 18. &c.
n ex Luc. 11. 27
o ex Jer. 18. 13
p Eccli. 18. 1

Judicate, Animæ Religioſæ, num electio veſtra non ſit beata ſuper terrâ, cùm gratia Spiritus ſancti, cujus beneficio concluſæ eſtis in iſtis Clauſtris, & eductæ è mundo ad conciliandum vobis theſaurum inæſtimabilem puritatis veſtræ, ut vivatis hîc, ſicut Angeli, & corpore & ſpiritu: ſic debetis hîc eſſe Angeli terreſtres, Divinitates incolæ corporis, & triumphare ubic de vanitatibus, & multò magis de voluptatibus & deliciis magis ordinariis mundi. Unuſquiſque veſtram debet admirari felicitatem, & illi qui vivunt media inter oblectamenta ſeculi, fateri debent contra proprias praxes ſuas, non eſſe aliquid in mundo quod æquiparari poſſit decori animæ caſtæ & continentis, & quod veſtra virginitas prævaleat adverſùs omnes ipſorum divitias, univerſas ipſorum magnitudines, & totam ipſorum nobilitatem; & quod nihil ſit quod æquè mereatur inter ipſos, Dei intuitus, & hominum memoriam, ac puritas quæ ſanctificat animas noſtras, & corpora noſtra, & oſtendit ſuper terra felicitatē incolarum cœli. Vivite, vivite feliciter in hac Divina requie: obteſtor *Principes & poteſtates, mundi rectores tenebrarum harum* q, ne interrumpant unquā generoſas praxes veſtras; ſed potiùs ut infernus tremat ad acceſſum veſtrum; & mundus imitetur triumphos veſtros, imitans puritatem veſtram, quæ vexillum erexit in S. Urſulâ, quæ manens Virgo, evaſit Mater Virginum.

q Epheſ. 6. 12

II. Pars

Non miror ſi homines æquo liberiores ſeculi noſtri, æquè ac ſeculorum præcedentium, tanto proſequantur odio virginitatem, & ſi ita audacter detrahant pulchritudini & perfectioni ejus, cùm illa ſit ipſis incognita, aut ſi eam cognoſcant, ideò nimirum quia ea bellum univerſis indicit concupiſcentiæ voluptatibus, & adverſatur omnibus illis quæ blandiuntur & arrident ſenſibus. Imaginantur illi quòd poſſint illam deſtruere, cùm ex ipſis aliqui repræſentent eam ſibi obſervatu impoſſibilem; alii verò buccis concrepantibus illam ventilent quaſi peremptricem & inimicam converſationis hominum & propagationis ſpeciei noſtræ, cùm in veteri Teſtamento ſterilitas imputaretur infamiæ, Elcanæ uxorem *Annam affligebat æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum ut exprobraret, quòd Dominus concluſiſſet vulvam ejus* r. Et maximum ſuppliciorum, quæ Oſee ſ imprecatur animabus peccatricibus, eſt, ut Deus privet eas poſteritate quæ revivere facit homines in perſonis poſterorum ſuorum, cùm ipſi mortui ſunt in ſemetipſis, *Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam ſine liberis, & ubera arentia.* Quin imò & Deus ipſe poſtquam ipſius *factus eſt ſermo ad Abram per viſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis: eduxit eum foras, & ait illi: Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum* t. Quam ſic amplam poſteritatem non adeptus

r 1. Reg. 1. 5. & 6
ſ Oſee 9. 14
t Gen. 15. 1. & 6

adeptus eſſet Abraham, ſi fuiſſet virgo, & talis permanſiſſet. Sed conſiderare debemus, Auditores, quòd hæc promiſſa facta huic Patriarchæ, *Ut fieret pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & arena maris* u: erant myſteria & arcana Divinæ

u Rom. 4. 18

Providentiæ, quæ nihil æquè ſuper terrâ præmiatur ac virginitatem, & dat ei fœcunditates admirabiles, licèt in ſe videatur ipſa ſterilis & infœcunda, cùm privans ſe liberis corporalibus propter terram, plures filios & filias ſpirituales gignat ob cœlum. Re autem verâ quis auderet negare quòd ex quo Deus hanc ſpecioſam conſecravit virtutem in perſona ſua, & in electione Matris, quæ prima vexillum virginitatis erexit, ſicut innuunt hæc verba ipſius reſpondentis Angelo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* x? *Hoc eſt, nequaquam cognoſcere decrevi, & vovi quantùm in me eſt* y: & prætereà formavit ipſe è ſanguine ſuo educto è virginitate illius ſanctiſſimæ creaturæ, Sponſam, id eſt Eccleſiam ſanctam, ut ait S. Auguſtinus z, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*: quæ caſta & virgo eſt, ut dicit S. Ambroſius a: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole*: debeamus admirari hanc perfectionem ut omnino Divinam, & ſicut ſtatum qui nos elevans ſupra terram, reddens nos ſimiles Angelis, & Deo, teſtatur ſe obſervari poſſe ab hominibus, & habere in puritate ſuâ quæ videtur ſterilis, fœcunditates admirabiles, quæ immunes à morte reddunt eos qui ipſam profitentur, interventu numeroſæ ſpiritualis poſteritatis, quod utilius eſt univerſis fœcunditatibus corporalibus.

x Luc. 1. 34
y Dion. Carth. art. 3. in Luc. 1. 34
z S. Aug conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. & ex Gen. 2. 21
a S. Ambr. lib. 1. de Virginib. circa med.

Virgines participant prærogativas Matris ſuæ, quæ eſt Eccleſia, quæ licèt Virgo, producit quotidie novos filios: *Parturit itaque nos virgo*, ait immediatè pòſt idem S. Ambroſius, *non viro plena, ſed Spiritu. Parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudiis Angelorum. Nutrit nos virgo, non corporis lacte, ſed Apoſtoli* b, *quo infirmam adhuc creſcentis populi lactavit ætatem. Quæ igitur nupta plures liberos habet quàm ſancta Eccleſia, quæ virgo eſt Sacramentis, mater eſt populis, cujus fœcunditatem etiam Scriptura* c *teſtatur, dicens: Quoniam plures filii deſertæ magis quàm ejus quæ habet virum? Noſtra virum non habet, ſed habet Sponſum, eò quòd ſive Eccleſia in populis, ſive anima in ſingulis, ſacra doctrina verbi ſine ullo flexu pudoris, quaſi Sponſo innubit æterno, effœta injuriæ, fœta rationis.* Et S. Auguſtinus, *Ipſa quoque & Mater & Virgo eſt: Mater viſceribus charitatis; Virgo integritate fidei* d. Et iterùm, *Mater Eccleſia nos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit* e. Et alibi, *Non eſt hæc proles carnis & ſanguinis. Si harum Mater quæritur, Eccleſia eſt. Non parit virgines ſacras, niſi Virgo ſacra* f. Virgines conſecratæ Deo naſci non poſſunt niſi è Matre Virgine dicatâ Deo eidem, qui faciens illas Virgines, tribuit eis etiam fœcunditatem ſuam: quomodo autem Mater & productiones ipſius non poſſent eſſe fœcundæ, cùm iſtæ æquè ac illę ſint Sponſæ Jeſu Chriſti Virginis & fœcundi ſimul, Dei qui reſtat Virgo in fœcunditate ſuâ, & fœcundus in virginitate ſuâ? Hoc privilegium generale, quod admiramur in Mariâ, in Eccleſiâ, & in Deo, eſſe Virginem & fertilem ſimul, quod natura reperit impoſſibile, non eſt tamen impoſſibile gratiæ Dei: propterea nolite mirari ſi dico quòd inveniatur in S. Urſulâ modo eminenti, quam cùm viderimus jam immortalem in perſona ſua, facil poſſum vobis eam immortalem intuendam exhibere in poſteritate ſua, cui aptè congruunt hæc verba S. Ambroſii g, *Non uterus notum, non dolor partus, & tamen numeroſior ſoboles piamentis, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda ſucceſſoribus, ſterilis orbitatibus, neſcit funera, novit hæredes.* Quod probatur ex exhortatione quam habuit ad ſocias ſuas Virgines in navibus, & quæ deinde ſecutæ ſunt ipſam in martyrio, exemplo ſuo, & inſtitutionibus ſuis parturiens eas *donec Chriſtus in* h *eis formaretur*. Quis autem ita imperitus eſt ut neſciat, Verbum Dei eſſe *ſemen fructum centeſimum* i ferens, & eſſe principium omnis illius quod eſt in natura, & in gratia? Si Pater æternus eſt fœcundus in virginitate ſuâ, quia, ut ait S. Gregorius Nazianzenus k.

b ex 1. Cor. 3. 2
c ex Iſai. 54. 1. & ex Gal. 4. 27
d S. Aug. ferm. 16. de Temp. c. 2
e Idem Epiſt. 38
f Idem lib. de S. Virginit. c. 12
g S. Ambr. l. 1. de Virginib. circa med.
h Gal. 4. 19
i Matth. 13. 3. & 8
k S. Greg. Naz. in Carm. de Virginit.

Prima Trias Virgo eſt,

Hæc fœcunditas terminatur ad generationem Verbi ſui æterni l per actum intellectus ſui Divini; & ad productionem Spiritus ſancti m per actum voluntatis, ſeu per reflexionem amoris quam facit idem Pater æternus ſuper Verbum ſuum, quod comitatur operationem illius qui ipſum gignit, & ſic Verbum ejus eſt terminus fœcunditatis Dei in Deo. Et extra ipſum, univerſa Verbo condita ſunt, *Omnia per ipſum facta ſunt* n. Eodem Verbo cuncta reparata ſunt, *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* o. Sermo Dei nobis applicat fructus & merita illius mediis Sacramentis, quorum ipſummet Verbum eſt forma, & idem Verbum ſuſceptum per auditum, in mentibus noſtris producit fidem quæ eſt principium noſtræ ſanctitatis & juſtificationis, *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti* p! Si Deus creaturas fecit Verbo ſuo, Jeſus Chriſtus convertit homines eodem Verbo ſuo, *Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum* q. Et B. Virgo nunquam conſecrata fuit Mater Dei, niſi cùm locuta eſt, præbens conſenſum ſuum verbis Angeli ad peragendum myſterium Incarnationis in ſe. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* r. Sic ſancta Eccleſia Virgo non ſe reddit Matrem niſi verbo, quod ipſa diſtribuit & annunciat fidelibus: hoc modo S. Paulus ſ proteſtatur ſe parturire de novo fideles, qui parti primâ vicè pœnis & paſſionibus Verbi, denuò parturiebantur adminiſtratione ejuſdem verbi, cujus Apoſtolus erat fidelis diſpenſator, *Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Id eſt, prædicatione ſpiritualiter pariebat S. Paulus fideles; imò verò & vinculis ſuis parturiebat eos, ut ipſe ait ſcribens Philemoni t de Oneſimo, *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo: tu illum ut mea viſcera ſuſcipe.* Eſtne parens aliquis qui loqui poſſit præ majori teneritudine amoris? Liberi ſunt pars ſubſtantiæ viſcerum parentum ſuorum, & fideles erant portio ſpiritus S. Pauli; & omnes iſtæ Virgines quæ adhærent exemplo & credunt inſtitutionibus S. Urſulæ, quæ perpetiuntur martyrium pro cuſtodiâ virginitatis, ſunt filiæ ſpirituales hujus magnæ Sanctæ, verbi & ſanguinis illius, ſicut Gentiles fuerunt filii verbi & ſanguinis S. Pauli, & aliorum Martyrum; quemadmodum omnes fideles ſunt filii verbi & ſanguinis ſeu paſſionum Eccleſiæ; & non ſecus ac tota Eccleſia eſt filia ſanguinis Jeſu Chriſti, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ait S. Auguſtinus, æquè ac eſt filia verbi ejus: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis*, dicit S. Jacobus x.

l Pſ. 2. 7
m Joan. 15. 26
n Joan. 1. 3
o Luc. 19. 10
p Rom. 10. 17
q Matth. 9. 9
r Luc. 1. 38
ſ Gal. 4. 19
t Philem. V. 10 & 12
u S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34. & ex Gen 2. 21. & 22
x Jacob. 1. 18

Deus alloquens Filium ſuum, ait illi, *Poſui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram* y. *Ut ſcilicet crees & fundes novum orbem ſpiritualem, ſcilicet Eccleſiam, Regnumque Dei, in quo fideles agent vitam cœleſtem. Quocirca aliqui ſubaudientes, ſic vertunt, ut plantes cœlos, eoſque fundes in terra*, ſubdit Cornelius z. Quod proprium eſt virginibus: trahunt enim cœlum ad terram virginitate ſuâ quæ eſt virtus cœleſtis, & per eam repræſentant ſtatum immortalem ſpirituum qui habitant in cœlis. Sed ad ſequendam veram verſionem, certum eſt, quod Deus reparans Eccleſiam ſuam, eam ſtabilit ſub nomine & ſub titulo cœli & terræ, *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam* a. *Nota hic, Regnum Chriſti in Eccleſia vocari novum mundum, qui multò amplior, ornatior, auguſtior eſt illo quem cernimus, ut patet conſideranti ejus gratias charismata, Sacramenta, miracula, ſapientiam, efficaciam, ſanctitatem, ejuſque Principes, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, &c.* addit idem Cornelius b Cùm id omne quod eſt ſpecioſum, excellens, & rarum in cœlo materiali, & in terra ſuper quam incedimus, inveniatur ſpiritualiter in Eccleſia ſanctâ; cùm Jeſus Chriſtus plantaverit hoc cœlum, & fundaverit iſtam terrã; & cùm Martyres ſanguine ſuo ditaverint illud cœlum, & ſtabiliverint hanc terram, quod proprium eſt S. Urſulæ, eò quòd vi verbi ſui & laborum ſuorum præbuerit tot animas ſanctas Deo & Eccleſiæ, tot Virgines & tot Martyres. Et ſic, dicere poſſum quòd ipſa plantavit cœlum, & ſtabilivit terram; cœlum virginitate in perſona ſua & in perſonis ſociarum ſuarum, & terram martyrio in ſe & in iiſdem ſociabus ſuis, cùm hæc virtus ſit cœleſtis & Angelica, quæ repræſentat incorruptionem cœlorum, & ſpirituum cœleſtium; martyrium verò oſtendat pœnas & paſſiones terræ. Aliæ Virgines & Martyres repræſentaverunt has duas excellentias in perſonis ſuis ſolis, & earum dereliquiſſe poſſunt exempla: S. Urſula univit duas iſtas excellentias in perſonis ſociarum ſuarum Virginum & Martyrum, & ſic plantavit cœlum, & fundavit terram. Vel ſi tranſeamus ad conceptũ, qui ſit conformior & congruentior tempori & ſequelæ ſeculorum, dicemus quod hæc glorioſa S. Urſula plantat cœlum, & ſtabilit ac fundat terrã; cœlum tot ſanctis animabus quæ præliantur hodiernâ die ſub vexillis ipſius, concluſæ in Clauſtris, & iis ſolitudinibus, quæ re verâ ſunt cœli pro iis quæ noverũt ſuas utilitates deſumere è gratiis cœleſtibus, quæque ſibi complacent iis ſolitudine quam elegerunt ad cuſtodiendam & conſecrandam Deo puritatem ſuam: *Propter hoc ſecundum formam propoſiti veſtri, habitantes in cœlis, potiùs quàm in cellis excluſo à vobis toto ſeculo, totos vos incluſiſtis cum Deo*, ait S. Bernardus c, ſcribens ad Fratres de monte Dei. Et ſtatim pòſt ſubdit, *Cella ſiquidem & cœli habitatio cognata: quia ſicut cœlum & cella adinvicem videntur aliquam habere cognationem nominis; ſic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur; & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam eſt hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cùm ſecundùm ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, ſancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis ac in cœlis. Nam cùm in cella jugiter cœleſtia aguntur; cœlum cella & Sacramenti ſimilitudine, & pietatis affectu, & ſimilis operis effectu proximum efficitur: nec jam ſpiritus oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cellâ in cœlum longa vel difficilis via invenitur. A cella enim ſæpè in cœlum aſcenditur; vix autem unquam à cella in infernum deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta, Deſcendant in infernum viventes* d, *ne deſcendant morientes. Hoc enim modo ſæpè cellarum incolæ in infernum deſcendunt.* Prætereà, Ipſa fundat & ſtabilit terram inſtitutionibus & documentis quæ educuntur à puellis hujus ſeculi domibus ipſius, cùm nemo debeat ambigere quin ſtatus religioſus ſit cœlum plantatum in terra, & ſtatus ſecularis terra obnoxia mutationibus innumeris. S. Urſula eſt hodie Mater utriuſque; cœli, interventu tot puellarum quæ ſe recipiunt ſub protectionem ipſius, ingredientes Monaſteria; terræ, quam ſtabilit documentis & inſtitutionibus, quę ſuſcipiuntur à puellis ſecularibus è domibus ipſius, & ſic ipſa ſe reddit immortalem in perſonis omnium, & ſanctitas ipſius eſt cognita Deo & hominibus in hoc utroque ſtatu, *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.*

Nolite autem putare, Auditores, ſi placet, quòd furtuitò & abſque aliquâ providentiâ particulari Deus exire fecerit hanc ſanctam ſocietatem Virginum è ſuis regionibus Angliæ, ut venirent in Regnum noſtrum Galliæ: non eſt aliquid quod ſit humanum & ordinarium in hâc itineratione: quandiu homines cogitabant illarum interventu propagandam eſſe corporaliter unicam Provinciam, ſublimiores habebat Deus cogitationes: *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* e. Statuerat Deus propagare ſpiritualiter puritate earum, & ſanguine illarum, non unicam Provinciam Galliæ, ſed totum Regnum; nõ unicum Regnum, ſed multa; non multa Regna tantum, ſed totam Eccleſiam, & reddere memoriam magnarum iſtarum Bellatricum immortalem in cœlo, & in terra; in cœlo, ubi regnant, & regnabunt in æternum; & in terra, ubi virtutem, & ſanctitatem ipſarum, & magnanimitatem quâ ſic generosè reſtiterunt inſultationibus concupiſcentiæ, imitantur puellæ innumeræ quę ad ipſarum imitationẽ ſunt Virgines & Martyres; Virgines per puritatem quam cuſtodiunt, & Martyres per receptum in Religionem quæ martyriũ eſt eò rigidius, quò diuturniùs, cùm vita Religioſa ſit, ut ait S. Bernardus f, *Martyrium ſine ſanguine*. Veſtrâ intereſt, Animæ Religioſæ, cõtinuare glorioſè in ſanctitate conſiliorum veſtrorum, & vocationis veſtræ; & cum cœlum poſt datum initiũ Congregationi veſtrę ſub titulo ſimplicium filiarum S. Urſulæ aggregatarum ad exemplum ipſius ad propagandam Eccleſiam animabus devotis, voluerit ut addideritis etiam Congregationi veſtræ tria vota eſſentialia Religioni, obedientiæ, paupertatis g, & caſtitatis; ſatagite, ut in omnibus ſitis filiæ hujus magnæ Sanctę per caſtitatem & virginitatem corporis & mentis, cordis & affectus, & per martyrium quod invenitur in profeſſione Religioſâ S. Urſula, ſub cujus vexillis dimicatis, communicabit vobis victorias ſuas in hoc mundo, & poſtquã reddideritis memoriam ejus immortalem per ſanctam imitationem virtutum ipſius, & adimpleveritis in vobis per ſanctas praxes verba Sapientis, *O quàm pulchra eſt*, &c. communicabit vobis victorias ſuas & triumphos ſuos in immortalitate gloriæ in altero.

IN

y Iſai. 51. 16

z Cornel. in Iſai. 51. 16

a Iſai. 65. 17

b Cornel. in Iſai. 65. 17

c S. Bern. de vitâ ſolitar. ad Frat. de Mõte Dei aliquantò poſt init.

d Pſ. 54. 16

e Iſai. 55. 8 & 9

f S. Bern. in Sententiis.

g Matth. 19. 27. &c.

IN FESTO SS. SIMONIS ET IUDAE APOSTOLORUM.

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.
Joan. 15. 18. & 20.

SIcut non eſt aliquid homini deſiderabilius gaudio; ſic non eſt aliquid quod ipſe majori fugiat ardore quàm triſtitiam: & hæc inclinatio ſic eſt ipſi naturalis, ut quicumque ipſum eâ privare vellet, tentaret rem ſic abſurdam ac ſi vellet auferre rationem menti, mentem animæ, calorem igni, lumen Soli, & omne oblectamentum naturæ: *Natura maximè fugit triſtia, & appetit delectabilia*, dicit Philoſophia. Ad favendum igitur huic inclinationi, quæ nobis eſt naturalis, Dei Filius ſuos conſolari conatur Apoſtolos S. Simonem & S. Judam, dicens eis per S. Joannem, *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti vos, & vos perſequentur.* Et per Dionyſium

a Dion. Carth. a 38. in Jo. 15. 18. & 20. Carthuſianum a, *Si mundus, id eſt, homo mundanus & impius, vel congregatio talium vos odit: imò quia ſic eſt: Nunc enim oderunt vos adverſarij mei, Scribæ & Phariſæi: & poſt meam aſcenſionem cùm prædicare cœperitis, integris vos odient, deinde Principes terræ, & multi Gentilium odio vos habebunt*: Unde apud

b Matth. 24. 9. Matthæum b ait Salvator, *Eritis odio omnibus propter nomen meum: ſcitote ad conſolationem veſtram, & ut ſervetis patientiam quoniam me priorem vobis odio habuit. Hoc dupliciter legi poteſt Primò ſic, Me priorē, qui prior ac major ſum vobis, odio habuit.*

c ex Jo. 7. 7 *Unde ſuperiùs c dixit Salvator, Me odit mundus, quia ego teſtimoniū perhibeo de illo, quoniam opera ejus mala ſunt.*

d Pſ. 68. 5 *Et in Pſalmo d, Multiplicati ſunt (inquit) ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Secundò ſic Me priorem vobis, id eſt, me priùs quàm vos odio habuit mundus, id eſt, populus iſte Iudaicus, carnalis, ac reprobus. Nam ex odio quo odit me, concepit rancorē adverſùm vos. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Hoc Chriſtus*

e ex Jo. 13. 16. *cōmemorat e, ut diſcipuli, omneſque Chriſtiani exemplo Chriſti diſcant pati adverſa, in omni tribulatione*

f 1. Pet. 4 14. *gaudere. Propter quod Petrus f hortatur, Si exprobramini in nomine Chriſti, beati. Et deinde g, Com-*

g 1. Pet. 4 13. *municantes Chriſti paſſionibus, gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. Non ergo ſe putet regnaturum cum Chriſto, qui jam non vult odio haberi, & tribulari à mundo. Si (pro quia) me perſecuti ſunt Iudæi verbis, & factis, dicentes, Inſanit, dæmonium*

h ex Jo. 10. 20. *habet h, blaſphemat i, & nunc me præcipitare k, nunc lapidare volentes l: & vos perſequentur. Hoc*

i Marc. 2 7. *patet impletum in Actibus Apoſtolorum m, quomodo*

k ex Luc. 4. 29. *clauſerunt & flagellaverunt Apoſtolos.* Idemque ait illis Salvator, quòd iſtæ perſecutiones erunt ipſis

l ex Jo. 8. 59. & ex Jo. 10. 30 motivum felicitatis, & fovebunt in ipſis gaudium continuum, cùm illi qui eas ſuſtinent intuitu

m ex Act. 5. 40. &c. in juſtitiæ, ſint jam beati in iſto mundo: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam*

n Matt. 5 10. *ipſorum eſt regnum cœlorum* n. Sed ut illius media vobis proponam, quæ ſint vobis proficua, Auditores; recurro ad beatam Virginem, quæ nobis attulit omne genus felicitatis & gaudij, cùm

o Luc. 1 28 &c. *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave o Maria.*

Quòd ſolus homo orbatæ vitæ, qui perſecutionibus impetitur, eaſque ſuſtinet propter juſtitiam, beatus ſit in mundo iſto, & poſſideat ſolus vera gaudia & ſolida oblectamenta, veritas eſt, cui adverſantur æquo liberiores, & quam impij nolunt admittere, ſibi blandientes in exiſtimata beatitudine ſua, quæ totam componit ipſorum in hoc mundo felicitatem. Sed hallucinor; quia cùm ſit criminoſa, non poteſt eſſe niſi ſtipata mille languoribus, & innumeris pœnitudinibus, quæ nunquam reperiuntur in ſtatu beatitudinis. Illi ſoli qui verâ felicitate fruuntur, ac ſolidis gaudijs, habent verum bonum: & hi ſunt ſoli Juſti, qui in hoc mundo poſſident in Deo ſummum bonum. Hæc veritas eſt ſic ritè ſtabilita in mentibus hominum ſapientum, ut nemo poſſit de ea ambigere, quin inſimuletur ipſe ſtatim defectûs ſapientiæ. Sed ſi dicam, quòd verum gaudium, quòd tota felicitas conſiſtit in doloribus, in crucibus, & in tolerantijs, iſtud eſt quod inſurget in ſenſum communem, & confeſtim, & cum aliqua ſpecie rationis, apparebit paradoxum. Iſtud tamen eſt eſt, quod intendo vobis probare: & ſicut materia eſt magni momenti, accelero monſtrare vobis in priori parte diſcurſûs illius, quòd vera lætitia & felicitas conſiſtat in crucibus & in afflictionibus, quas Deus ad nos mittit: in poſteriori verò quòd ſit dulcedo & ſuavitas in crucibus & in afflictionibus. Diviſio.

I. Pars.

Quòd in crucibus & paſſionibus, quæ nos affligunt in iſto mundo, gloria & verum gaudium reperiatur, non ſecus ac aqua dulcis in medio maris, oleum in amaritudine olivæ, *mel* p in deſerto, *& manna* q in ſolitudine: iſtud eſt quod inducere debet mentes noſtras ad adorationem ſapientiæ æternæ Dei, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* r, quæ ad nos ſpectant, ſic ut etiam jacturas noſtras glorioſè convertat ad utilitatem noſtram, gaudia noſtra naſci faciens ex ſpinis quæ nos pungunt acerrimè. Sic eſt Auditores: iſtud eſt pro comperto, quòd veram felicitatem noſtram reperimus in crucibus. Sequimini conceptum meum, qui vobis aperiet iſtam veritatem. Gloria cœli & tota felicitas incolarum ipſius in hoc conſiſtit, ſecundùm ſententiam Theologorum, ut ibi Beati fruantur Deo, videant eum amando illum, & illū diligant eum cognoſcendo; cùm viſio & amor, ſeu fruitio quæ complectitur hunc & illam, ſit id quod componit hunc ſtatum felicitatis in paradiſo, ſicut apud S. Joannem s *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum dixit, Pater, hæc eſt vita æterna Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et apud Dionyſium Carthuſianum t, *Hæc eſt vita æterna, id eſt, vera atque cœleſtis felicitas conſiſtit in hoc, Ut cognoſcant clarè per ſpeciem, quod Apoſtolus u dicit, facie ad faciem, te Patrem, ſolum Deum verum, qui es Deus verus, præter quem non eſt alius Deus x, ita quòd dictio illa excluſiva, ſolum, determinat Deum, excludens omnem aliam Deitatem: quoniam non eſt Deitas præter eam, quæ eſt in Patre, & Patre, quæ eadem numero eſt in tribus perſonis, quæ ſunt unus ſolus verus Deus: eſt ſic hoc modo unaquaque earum ſolus verus Deus. Sic ergo cognoſcant te, & item quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, in claro & frui-*

p Deut. 32. 13. q Pſ. 77 24 ex Exod. 16 4. & 14 r Sap. 8. 1

s Jo. 17. 1 &c

t Dion. Carth. a. 41 in Jo. 17. 3. u 1. Cor. 13. 12 x ex Deut. 32. 39

fruitivo aſpectu Patris & Filij ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritûs ſancti beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt. Trinitatis namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatē, beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectûs eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac prima Veritatis clara & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa felicitas: tamen inquantum contemplatio habet fruitionē adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt. Hinc dicit Auguſtinus y, *quòd viſio eſt tota merces. In qua utique Ioannes* z *noſtram deiformem, & ſummam perfectionem, & per conſequentiam veram felicitatem conſtituit, dicens, Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: Scimus cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Præterea, Omnes Sancti, Dei viſionem quaſi ſummum finaleq; bonum deſideraverunt. Hinc Moyſes a Domino loquens, Si invēni (inquit) gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te*a. *Et Pſalmiſta* b, *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* In crucibus & afflictionibus noſtris toleratis patienter & cum conformatione ad decretum Divinę Providentię, reperimus iſtud totum: in his invenimus omnia commoda noſtra: utquid ergo non reperiemus ibi gaudium Beatorum? Afflicti, ſunt cum Deo, qui prior paſſus eſt quam ipſi, & promittit ipſis fruitionem ſuam per Pſalmiſtam c ſuum, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Quibus verbis Davidis Dionyſius Carthuſianus d ſubdit, *Sicut ſuperiùs* e *dictum eſt Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Non ergo formidemus, nec dedignemur tribulationes jugiter ſuſtinere, ſi cupimus Deum nobis inceſſanter adeſſe.* Illi ergo qui ſunt afflicti, beati ſunt in ſtatu iſto paſſionum & tolerantiarum ſuarum, quia ſunt cum Deo, cujus fruitio facit totam felicitatem Sanctorum in paradiſo.

y ex S. Aug. l. 1. de Trin. c. 8
z ex 1. Jo. 3. 2
a Exo. 33 13.
b Pſ. 79 4. & 8
c Pſ. 90 15.
d Dion. Carth. in Pſ. 90 15
e in Pſ. 33 19.

Conſolabatur miſſos *Sidrach Miſach, & Abdenago in medium fornacis ignis ardentis, ſpecies quarti ſimilis Filio Dei* f, qui non erat alius quàm æternum *Verbum caro factum* g in figura, quod ſuprà carne humanâ realiter, & affixum cruci, nunquam deſeruit corpus ſuum crucifixum, licèt ab hoc anima ipſius ſeparata fuerit per mortē ſuam, plùs voluntate ſuâ, quam paſſionibus, quas aſſumpſerat voluntariè, *Oblatus eſt quia ipſe voluit*, ait Iſaias h de hoc Filio Dei incarnato. Et ſi Angeli nominant eum poſt reſurrectionem ſuam; vocant illum *Crucifixum* i. Ut certi efficeremur extremo vitæ ipſius momento, quòd ipſe nunquam deſerturus eſſet eos, qui eſſent ſe alligaturi cruci, & paſſuri propter amorem ſuum, ſed amorem, Auditores, qui meliùs manifeſtatur in paſſionibus, quàm in quolibet alio occurſu, cùm verè ſit diligere ac amare patiendo. Ego autem neſcio, utrùm ſit generoſius aut diligere Deum in cœlo in medio deliciarum, vel amare illum in crucibus inter pœnas & paſſiones: ſcio equidem quòd amplius eſt meritum amare patiendo: homines igitur, beati ſunt in hoc mundo, cùm hîc fruantur Deo in paſſionibus, & diligant eum patiendo.

f Dan. 3 20 &c.
g Jo. 1. 14
h Iſa. 53 7.
i Marc. 16. 6.

Sic eſt, Auditores: cruces poſſident bona paradiſi. Si in cœlo Beati Divinis illuſtrantur luminibus, quæ mentibus ipſorum perfectas tribuunt notitias, ut prędixit Pſalmiſta k, Deum alloquens, *In lumine tuo videbimus Lumen*; in crucibus diſcimus veritates, quæ ſuperant omnes ſcientias, & in hoc ſtatu languoris quantùm ad corpus, ſpiritus clariùs videt, & generoſiores exerit conatus, *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui*, dicit Iſaias l. Prophetæ in ergaſtulis detenti inter vincula & catenas altiſſima pronunciaverunt oracula, & ſublimiſſimas ſuas ſcripſerunt prædictiones. Auſcultate quomodo ſuam auſpicetur Ezechiel m Prophetiam, *Cùm eſſem in medio captivorum, juxta fluvium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei.* S. Joanes Baptiſta ampliores habet cognitiones Dei inter vincula, *Ioannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti* n. Alter S. Joannes, qui ſeipſum vocat *diſcipulum, quem diligebat Ieſus* o, non penetravit profundiùs myſteria noſtræ ſalutis ineffabilia, quàm in exilio ſuo, conſumptus pœnis & laboribus, ubi compoſuit Apocalypſim ſuam, quę tot ferè myſteria continet, quot verba, *Ego Ioannes frater veſter & particeps in tribulatione, & Regno, & patientiâ in Chriſto Ieſu, fui in inſula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu. Fui in ſpiritu in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis, Quod vides, ſcribe in libro* p. Sed quid non ipſe vidit in hoc exceſſu doloris, quo ipſe in cœna affectus eſt? *Cùm Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me: Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei, Domine, quis eſt? Reſpondit Ieſus. Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis, Iſcariotæ* q. Innixus igitur dilectus hic diſcipulus huic pectori divinitùs humano ad ſublevanda faſtidia ſua, videt id quod non licet linguę profanę, qualis eſt mea, proferre: ideò de eo taceo, cùm mihi ſufficiat dicere, quòd lumina puriſſima, revelationes altiſſimæ, & profundiſſimæ cogitationes hauriuntur e crucibus: *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtū, & hunc crucifixū*, dicebat S. Paulus ſcribens Corinthijs r.

k Pſ. 35 10.
l Iſa. 28 19.
m Ezech. 1. 1
n Mat. 11 2.
o Jo. 21 20.
p Apoc. 1 9. &c
q Jo. 13. 21. &c
r 1. Cor. 2. 2

Sed progrediamur ulteriùs, Auditores. Si ſunt *Angeli in cœlis* s: nunquid non invenîmus Angelos in crucibus & paſſionibus? cùm homines qui eas amplectuntur, ibi mutentur in Angelos, teſtante S. Bernardo t, & quęſtionē hanc proponente, *Quid enim B. Andreas, cùm ſibi paratā crucē eminùs cerneret, loquebatur? O crux, inquit, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulū ejus, qui pependit in te, quia amator tuus ſemper fui, & deſideravi amplecti te. Obſecro, Fratres, homo eſt qui loquitur hæc, an non eſt homo, ſed Angelus, aut nova aliqua creatura* u? Jure merito vocat hic S. Abbas S. Andream novam creaturam, quia anima fidelis in crucibus & in paſſionibus eſt pluſquàm homo, & pluſquàm Angelus. Pluſquā homo, quia homines patiuntur & triſtātur. Pluſquàm Angelus, quia Angeli gaudent, *Gaudium erit coram Angelis Dei* x. Et non patiuntur. Verus Chriſtianus facit aliquid amplius quam homo, quam Angelus, cū patiatur, & gaudeat patiendo.

s Mat. 18 10. ex Pſ. 32. 8
t S. Bern. ſer. 2. de S. Andr.
u ex Gal. 6. 15
x Luc. 15 10.

Præterea, Si in paradiſo eſt ſocietas Sanctorum: nunquid non in crucibus habetur idem honor? nonne adeſt ibi fruitio ejuſdē prę rogativę? Invenite Beatum qui non tranſiverit per crucem, ſive martyrij ſicut per iſtam crucē tranſiverunt Apoſtoli S. Simon & S. Judas: ſive tentationum, ſive afflictionum: ſive per crucem ſolam Jeſu Chriſti, quemadmodū per hanc tranſiverunt infantes, qui non habuerunt tempus merendi cœlū, cum Jeſus

illud

illud ipſis acquiſiverit *in laboribus* y ſuis, quorum meritum fuit ipſis applicitum per Baptiſma, in quo renati ſunt *ex aqua & Spiritu ſancto* z. Nominate mihi unum qui non habuerit crucem ſuam, quem crux non habuerit? Auſcultate quomodo Deo loquantur omnes, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* †. Per illud iter pervenerunt ad gloriam: *Alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres* a: *lapidati ſunt* b, *ſecti ſunt, tentati ſunt* c, *in occiſione gladij mortui ſunt* d, ait S.Paulus *e*. Qui licèt fuiſſet ipſemet *raptus in paradiſum* f, tamen ait de ſe, *A Iudæis quinquies quadragenas, unâ minus accepi* g. *Ter virgis cæſus ſum* h, *ſemel lapidatus ſum* i, *ter naufragium feci* k, *nocte & die in profundum maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, & ærumnâ, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate* l. Ita verum eſt quòd veræ cruces toleratæ patienter & cum merito, poſſident bona paradiſi, & ſunt immunes à malis inferni: quod eſt altera probatio meę prioris propoſitionis, quòd in crucibus vera gaudia noſtra reperimus, & jure merito, cùm triſtitiæ, moleſtiæ, & mala non inveniantur in ipſis. Et ecce veritatis iſtius probationes.

Triſtamur, vel ob jacturas bonorum; vel propter contemptus, qui deſtruunt honorem; vel ob tentationes, præſertim eas, quæ redigunt animas uſque ad extremas anguſtias, aut paupertatis, aut languoris & morbi, vel mortis, aut peccatorum, vel tandem inferni: hæc enim ſunt omnia quæ nos affligere poſſunt in iſto mundo: afflictiones autem quæ nobis veniunt à Deo, & cruces quas ipſe mittit ad nos, medentur omnibus iſtis infortunijs, quandiu ſuſcipiuntur manu æquali, & conformi manui Dei quæ ipſas mittit. Si jactura bonorum eſt motivum tædiorum noſtrorum, utquid affligimur, cùm eadem manus, quæ nos ad paupertatem redigit, pluſquàm potens ſit ad nos ſublevandos utiliter à jacturis noſtris? *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem* m. Deus apprimè nóvit id quod nobis eſt neceſſarium: & ſucceſſus Job n, non ſinit ut ambigamus de ipſius bonitate, ſi fideles ſimus in ſimilibus occurſibus, quibus ipſius ſumma providentia volet nos exponere. Nunquid fortaſſe mundi contemptus contriſtat nos, videntes nos à mundo deſpectos in omnibus conſilijs noſtris, & depreſſos ab hominibus, qui videre nunquam volunt Solem niſi in Meridie ſuo, quandiu ſplendidius lumen emittit? Ha ignari verarum magnitudinum! nonne ſcimus quòd perfectus honor boni Chriſtiani, eſt portare crucem Domini ſui, deferre charactères & inſignia ipſius, quæ ſunt paſſiones & afflictiones, quæ facere debent omnes glorias noſtras ſolidiſſimas? *Gloriamur in tribulationibus*, ajebat S.Paulus o. Et S.Bernardus p, *In tribulatione ſpes gloria, imò & ipſa in tribulatione gloria continetur*. Sicut, quo plùs affligimur, eò plùs honoremur, cùm gloria nobis detur ad proportionem paſſionum, *Si compatimur, ut & conglorificemur* q. Tota gloria Filij Dei incarnati exivit è paſſionibus ſuis, & ignominia crucis illam produxit ipſi, *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine*

y Pſ. 87 16.
z Jo. 3. 5
† Pſ. 65 12.
a ex Jer. 37. 12. &c. & ex Judic. 16 21. & ex 3. Reg. 22. 20 & 27.
b ex 2. Par. 24. 21.
c ex Tob. 2. 10. & 11 & ex 1. Mach. 2. 17 & ex 2. Mach. 6. 18.
d ex 2. Mach. 5. 53. & ex 4. Reg. 21. 16.
e Heb. 11 36. & 37
f 2. Cor. 12. 4.
g ex Deu. 25. 3.
h ex Act. 16. 22.
i ex Act. 14. 18
k ex Act. 27. 2. & 42.
l 2. Cor. 11. 24. &c
m Pſ. 112. 7.
n Job 1 13. &c. & 24. 10. &c
o Rom. 5 3.
p S. Bern. ſerm. 17. in Pſ Qui habit.
q Rom. 8 17.

Ieſu omne genu flectatur r, *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris* s. Supplicium non reddit infamem, ſed ſolum motivum ſupplicij: cauſa mortis Salvatoris fuit ſola ſua bonitas, quæ ipſum induxit ad moriendum pro nobis, & ad delenda peccata noſtra: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et ipſe peccata multorum tulit* t. Quid glorioſius huic infinitæ bonitati Dei? Ut quid ergo non gaudebimus in paſſionibus & in perſecutionibus, cùm ipſæ naturaliter nobis glorias concilient? Cruces ſunt nobis proficuæ, cùm nunquam meliùs perfundamur conſolationibus, quam in hoc certamine, quod nunquam ingredimur niſi ad triumphandum: omnes ictus, quos ibi perpetimur, concurrunt ad reddendos nos glorioſiores, ſicut glorioſior fuit *Iob ſedens in ſterquilinio* u, quod ſerviebat ipſi ut theatrum, ut ubi videretur cum gloria ampliori. Non igitur affligi debemus in tentationibus, & in perſecutionibus, cùm ipſæ nobis provideant materiam triumphi, & non ſerviant niſi ad concinnandas nobis coronas. Fortaſſe morbi, mors, peccata, vel infernus alterare poſſent quietem noſtram? Nequaquam. Non morbi, cùm conſideratio crucis ſit lenimentum dolorum noſtrorum, fortitudo infirmitatum noſtrarum, antidotum humoribus noſtris malignis ſalutare, & unicum remedium opportunum curandis morbis noſtris, vel ſaltem quod reddit eos gratiores quàm ſit ſanitas: *Nam virtus in infirmitate perficitur* x. Id eſt, ſanctitas, quæ eſt ſanitas animæ melior, quàm ſanitas corporis, perfectionem ſuam ſortitur medias inter infirmitates. Non mors, cùm intrepidi procedamus ei obviam, ſcientes quòd ipſa nobis eſt tranſitus ad meliorem vitam, ideòque habemus *deſiderium diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* y. Non peccata: nam crux Jeſu Chriſti ea delevit, *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* z. Et aquæ ſanctarum afflictionum illa immergunt a, ſicut aliàs in mari Rubro *fugientibus Aegyptijs occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in medijs fluctibus* b. Non denique infernus, ubi reſidet triſtitia ſicut in centro ſuo, *ibi erit fletus, & ſtridor dentium* c. Crux enim Jeſu Chriſti non deſcendit illuc, niſi ut conterat portas illius, *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit* d. Et crux myſtica ſanctæ afflictionis nunquam illuc ingreditur, ſed è terra elevat ſe in cœlum, quod ipſa intuetur ut mercedem ſuam: *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur* e. Quomodo igitur Chriſtianus conſolationem non ſuſciperet ex favore, quo Deus ipſum cumulat, cùm ſinit ut aliquid patiatur propter amorem ſuum? Quo pacto ſatisfactionem ſuam non reperiret in cruce, cùm hæc compenſet ipſius jacturas, reddat ipſum glorioſum in medio contemptuum, roboret ipſum contra tentationes, ſanitatem educat è morbo, & vitam è morte, deleat ipſius peccata, præſervet ipſum ab inferno, & tandem ejiciat ab ipſo omne genus triſtitiæ.

Ha? poſt omnes iſtas utilitates, quæ nobis proveniunt è tolerantijs, & quas eruimus è crucibus, nunquid non erimus inimici felicitatis noſtræ, niſi eas duabus manibus amplectamur, & niſi diligamus illas ut inſtrumenta quæ concurrunt ad beatitudinem noſtram peragendam? Sic eſt, Auditores: debemus honorem, reverentiam, & amorem crucibus, quas cœlum mittit ad nos, nec poſſumus eas recuſare ſine crimine, cùm

ipſæ

r ex Iſa. 45. 23.
s Philip. 2. 8. &c.
t Iſa. 53 7. & 12
u Job 2. 7. & 8.
x 2. Cor. 12. 9
y Philip. 1. 23.
z Apoc. 1. 5
a Luc 7 38. & 47.
b Exo. 14 27.
c Matt. 8. 12.
d Pſ. 106. 16.
e Matth. 5. 5

ipſæ non mittantur ad nos, niſi ad faciendos nos meliores, conformiores Filio Dei, & ad reddendam gloriam noſtram abundantiorem. Diſſolutus qui non poteſt videre imaginem crucis in vita ſua, evitat afflictiones & tolerantias, quæ parva ſunt illius participatio, & poſt ablatas omnes illius notas, ſi per ipſum ſtat, imitatur crimen abominabile impiorum & ſacrilegorum illorum, qui poſuerunt idolum Veneris in eodem loco, ubi ſancta Crux plantata fuerat, ut delerent illius memoriam, & inquinarent montem ſanctum, quem Jeſus Chriſtus ſui ſanguinis adorabilis effuſione conſecraverat f. Ha! Auditores, ob amorem Dei, & propter zelum quo affici debetis erga ſalutem veſtram, honorate & diligite cruces, quas cœlum mittit ad vos: hoc enim ipſæ merentur. Nolite præſumere eas tollere, ut collocetis in earum loco conſolationes prohibitas, & idolum profanum voluptatis: nam oportet ut neceſſariò patiamur in hoc mundo, ſi velimus eſſe glorioſi in cœlo. Verum quidem eſt quòd cruces ſunt gloria incepta in iſto mundo, ſed per illas debemus eam habere conſummatam in cœlo: cruces faciunt nos illam poſſidere, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* g. Quin imò Jeſus *Chriſtus Filius Dei vivi*, *quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula* i Pater æternus, non potuit alio titulo gloriam poſſidere, *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* k? Diligamus igitur cruces & afflictiones, cùm in eis dulcedo ſit & ſuavitas. Et hoc eſt quod ſupereſt nobis examinandum in hac poſteriore parte.

f Jo. 19. 18. &c.
g Act. 14. 21.
h Matt. 16. 16.
i Hebr. 1. 2.
k Luc. 24. 26.

II. Pars.

Audiviſtiſne unquam fieri vobis ſermonem de arte chimicâ? neſcio num ſit illa fabuloſa, cùm reſpergens exiguum pulverem ſuper argentum vivum, ipſâ firmum reddat illud, & illud faciat mutare colorem, æquè ac pretium, ſic ut unico inſtanti fiat aurum puriſſimum. Quidquid ſit de hac arte chimicâ, dico quòd hoc idē cum veritate contingit ſervis Dei, virtute Amoris divini, qui operatur in eis effectùs veræ artis chimicæ, cùm, ſtatim ac projiciuntur in ignē, & dicere poſſunt, ſicut Pſalmiſta dicebat Deo, *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum* l, medio hoc excellenti pulvere amoris Dei, eorum anguſtiæ finiantur, & transformentur in delicias & in gaudium: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*, ajebat S. Paulus m. Et S. Chryſoſtomus n poſt eum legit, *Gloriamur ſub ſpe gloriæ. Vt intelligas qualì animo præditum eum eſſe oportet, qui fidem ſuam Deo obſtrinxit. Neque enim illi ſolùm plenam factam eſſe perſuaſionem oportet de iis quæ data ſunt, ſed de futuris, tanquam jam datis: gloriatur enim quis ſuper iis, quæ jam in manu habet.* Filij Iſraël in Ægypto præ manibus ſuis habebant non argentum vivū, ſed lutum & laterem; & in hoc ſtatu ſæva tormenta patiebantur inter fornaces ardentes, *Filios Iſraël Aegyptij affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris* o. Sed virtute Divinæ Charitatis, lutum, ſeu terra mutabatur in cœlum, & later in ſapphiros: propterea exeundo è ſervitute Pharaonis, Deus apparuit eis, *Et viderunt Deum Iſraël: & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum cùm ſerenum eſt* p. Ad innuendum quòd labores ſervorum Dei transformantur, & terra fit cœlum in eorum favorem, later mutatur in ſapphiros, flammæ evadunt ſuavis Zephyrus, & turbines ventoſi vertuntur in diem ſerenum. Hoc autem idem eſt, quod modò dicebat Apoſtolus, *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Examinanda ſunt hæc verba myſterioſa cum præfato S. Chryſoſtomo dicente, *Tale eſt Dei donum, cujus quidem particula nulla inſuavis. Alijs quidem in rebus certamina laborioſa eſſe ſolent, partimque tum dolorem, tum afflictionem: corollæ autem ac præmia voluptatem afferunt. At hic non ad eandem rationem ſe res habet, quin potiùs luctæ atque certamina jucunditatis haud paulò plus habent, quam vel ipſa præmia.* Quis autem non videt, quod ſi ſancti Apoſtoli noſtri magnam gloriam ſuſceperunt in exercitio laborum, majorem ſuſcipiunt obtinendo coronas & mercedes in paradiſo? Et ſi alias perfuſi gaudio dixerunt, *Gloriamur in tribulationibus*: quantò lætiùs die hodiernâ Deo dicunt in cœlo, *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala* q. *In Beatis namque eſt inceſſabilis lætitia, atque jucunda præter earum tribulationum memoria*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r.

l Pſ. 65. 10.
m Rom. 5. 2. & 3.
n S. Chryſoſt. hom. 9. in Rō. 5. 2. & 3.
o Exod. 1. 13. & 14.
p Exo. 24. 10.
q Pſ. 89. 15.
r Dion. Carth. in hūc loc.

Quæritur, quare cùm aliquis audit vocem hominis lamentantis, contriſtatur: vel cur videndo ſerpentem, baſiliſcum, leonem, vel tigridem, capilli inhorreſcunt, & facies pallet: & è contrà, ut quid ſi beſtiæ illæ ſunt pictæ, & voces iſtæ fictæ, has audimus, & illas videmus cum voluptate, & præ gaudio. Reſpondetur, quòd cùm homo ſit ratione præditus, naturaliter miſericors eſt, & cupidus artis & ſimilitudinis: ideòque id quod ipſi proponitur induſtrium, ipſi placet, & ut ſic ipſe videt & audit illud cum voluptate. Cui ſubditur, quòd cùm ſuper theatro actor plorans ridet, & mœrens gaudet, & moriens vivit, nemo flet cum iſto qui lacrymatur apparenter: indè procedit, ut cùm effectus miſericurdiæ deficiat, illuc imitationis oblectamentum producatur: quod nobis accidit cùm intuemur beſtias crudeles penicillo in tabella exaratas, & ſerpentes depictos, ubi artificium oblectat oculos, & natura non percellit cor pavore: atqui quid eſt intentus, niſi leo? qui intuendum ſe exhibens Regi Ezechiæ, induxit illum ad dicendum præ pavore, *Quaſi leo, ſic contrivit oſſa mea* s. Quid ſunt Tyranni & tormenta, niſi ſerpentes & baſiliſci? *Mittam vobis ſerpentes, quibus non eſt incantatio* t. Quia non poſſunt ſic amore faſcinari, quin cauſent pavorem naturalem, qualem expertus eſt Jeſus Chriſtus in horto Olivarum, ubi *cœpit pavere, & tædere: & ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* u. Id eſt, intuitu horum baſiliſcorum apparentium ad vivum: ſed in cœlo ubi non apparent niſi picti x, non cauſant niſi oblectamentum: ideò ibi Beati dicunt Deo, *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala* y.

s Iſa. 38. 13.
t Jer. 8. 17.
u Marc. 14. 33. & 34.
x Pſ. 90. 10.
y Pſ. 89. 15.

Quòd ſi doctrina Philoſophorum eſt vera, quòd inter motum & finem non eſt alia differentia realis, quàm in eo quòd ſubjectum perfectè non formatur in principio motûs, & pòſt acquirit in fine formam cum tota ſua perfectione; dicere poſſumus, quòd ſi omnes fatigationes Sanctorum in cœlo, quò motus ipſorum terminatur, ſunt depictæ, ipſæ tales ſimiliter eſſe debent in terra. Et forſan nobis ipſæ repræſentatæ fuerunt in throno Salomonis, ſeu tā figurâ gloriæ æternæ, de quo dici poteſt jure merito, *Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis*, juxta Scripturam z. Quæ paulò antè refert, *Fecit Rex Salomon thronum, qui habe-*

z 3. Reg. 10. 20. &c.

habebat ſex gradus. Et duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas. Quaſi ad impendendum auxilium aſcendenti. Judicare poteratis abſque errore, quòd ſex gradus, & duæ manus erant octo beatitudines, quas Evangelium *a* nobis proponere debet intra quatuor dies: & leones commoda ſeu media, quorum adminiculo ad illas perveniri poteſt. Heu! qualis leo eſt paupertas *ſpiritu*, quam S. Simon, & S. Judas exercuerunt *b* ex quo Dei Filius ipſos *vocavit diſcipulos ſuos, & elegit, quos & Apoſtolos nominavit* c. Sed quàm ſublimis eſt gradus, ad quem ſunt exaltati. Qualis leo eſt gemitus: ſed quàm jucundus eſt gradus conſolationis, qui inde perfunduntur. Quales leones ſunt fames & ſitis: ſed quàm dives eſt gradus ſatietatis, quam ipſæ illis afferunt. Quàm crudeles leones ſunt labores, fatigationes, & martyria eorum: ſed quam potentes ſunt manus, quæ eos tetigerunt, ut illos elevarent ad cœlum: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Quòd ſi præ timore non audetis accedere ad hos leones, qui circum gradus illos interturbant eum qui ſuper ipſos vult aſcendere, dicite mihi, ſi placet, cujus generis ſunt. Fortaſſis ſunt vivi & reſpirantes, ſicut eos deſcripſiſſe videtur Amos *d, Leo rugiet, quis non timebit?* Nequaquam: videntur apparenter eſſe leones, non ſunt autem vivi, nec mortui, ſed ſolum ſculpti ex auro, & aurum ipſum: *Fecit Rex Salomon thronum: & veſtivit eum auro fulvo nimis.* Serviunt ad fulciendam manum, & oblectandum oculum, & ad conciliandam admirationem menti. nedum ad eam pavore & timore replendam. Tales ſunt labores cùm ſuſtinentur propter amorem Dei: & tales eos depingit S. Bernardus *e* poſt Pſalmiſtam, *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto* f? *An non ſictus in præcepto labor, onus leve, ſuave jugum* g, *crux inuncta? Hujus enim rei ſacramentum eſt, quòd in dedicatione Eccleſiarum depictas in pariete cruces oleo ſancto Pontifex linit. Sic & olim quidem Abrahæ dictum eſt: Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offeres mihi eum in holocauſtum* h, *labor fictus eſt in præcepto. Oblatus ſiquidem Iſaac ſanctificatus eſt, non mactatus.* Judicatiſne quòd paupertas, lacrymæ, fames, ſitis, & labores ſint rudes apparenter, ſi ij qui patiuntur paupertatem, qui ſunt in lacrymis, in fame & ſiti, & in laboribus, ſunt beati? Sed ſi Theologia Boëtij *i* eſt vera, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum:* quomodò poſſunt eſſe ſimul pauperes, lacrymantes, jejunantes, impetiti perſecutionibus, & beati? Sanè non aliter, quàm juxta effatum Pſalmiſtæ, *Fingis laborem in præcepto.* Sunt pauperes apparenter, ſed verè beati: in ipſis ſunt lacrymæ fictæ, ſed riſus realis: jejunia apparentia, ſed perpetua ſatietas: tribulationes depictæ, ſed gloria beatitudinis quam poſſident, eſt vera: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint* k. Re autem verâ erunt glorioſi in fine per gloriam: debent igitur eſſe tales in motu pœnarum & laborũ, ut dicere poſſint cum Apoſtolo *l, Gloriamur in tribulationibus.* Erunt beati in quiete beatitudinis: oportet ſecundùm jus ut ſint ſimiliter tales in motu laborum, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* m. Ad innoendum, quòd ibi duplex nobis beatitudo deſcribitur. Una in motu, *Beati qui perſecutionem patiuntur.* Altera verò in fine mercedis, *Quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Quòd labores ſunt depicti, ſed quòd beatitudo quæ poſſidetur eodem tempore quo perſecutiones ſuſtinentur, eſt vera. Sed quàm differens eſt imaginatio corrupta mundanorum, quibus labores ſervorum Dei videntur leones vivi & veri, & beatitudo imaginaria & ficta! *Dicit piger, Leo eſt in via, & leæna in itineribus: ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo* n. Ha! inſenſate quomodo potes invenire leones & leænas in vijs & in plateis publicis? Ha! intueris tot viros & mulieres, tot pueros & puellas ſine timore, & tu metuis leones & leænas? Verum eſt, Auditores, quòd multi, qui in terra habentur invincibiles & generoſi, reputantur puſillanimi in domo Dei. Dicite mihi, ſi placet, vos qui æſtimatis vos magnanimos: Cùm proponuntur vobis gradus & viæ paupertatis, &c. nonne dicitis? *Leo eſt in via, & leæna in itineribus.* Opera loquuntur, ſi lingua ſilet: Et, *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Ecce nondum ſurrexiſtis è lecto divitiarum & voluptatum: quare ſic timetis, ut dici poſſit de vobis? *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* o. Quanto pudore ſuffunderemini, ſi virtus vobis obviaret *quaſi mater honorificata* p? Sicut alias intuendam ſe exhibuit Auguſtino, quandiu ipſe titubabat num ſequi deberet mundum, vel potiùs ſervire Deo, prout ipſemet *q* ait, *Aperiebatur enim ab ea parte, quà intenderam faciem, & quò tranſire, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens ut venirem, neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine, & irridebant me irriſione exhortatoriâ: Tu non poteris quod & iſti & iſtæ? An verò & iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino ſuo?* Sed, ut video, & verum eſt, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei* r. Vos eſtis ſicut illi delicatiſſimi faſtidij homines, qui imaginantur amaritudinem in cibis, quos palata ſana reperiunt dulcia, ſicut re verâ ſunt: hæc amaritudo non venit è cibis, ſed è guſtu depravato: ideò videtis tot alios, qui in ſimilibus praxibus, in quibus tantam vos invenitis reſiſtentiam, non experiuntur niſi genus omne ſatisfactionis; tot Religioſæ vitæ cultores & cultrices, ſexus infirmi, conſtitutionis teneræ, & illuſtris proſapiæ, quandiu vos ſemper deſides eſtis in voluptatibus: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Iſti cibi qui vobis apparent amari, ſunt dulces alijs. Ha! Auditores, elevate, ſi placet, intuitum veſtrum, & ſanctâ reflex[illegible] contemplamini modum procedendi ſanct[illegible] Apoſtolorum noſtrorum Simonis & Jud[illegible] *quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati* s. Sed ſi promptiſſimæ nauſeæ eſt. adhuc hom[illegible] nes, ecce diverſa condimenta ad alte[illegible] bos quos invenitis ſic amaros. Si paupertas vobis diſplicet, ecce Patriarcha pauperum, Seraphicus Pater S. Franciſcus, qui concupiſcit ardenter iſtum cibum, dicens cum viris Apoſtolicis, *Ecce nos reliquimus omnia* t. Si lacrymæ vobis videntur inſipidæ, ecce Magdalena quæ eas appetit *u*, & ait cum Davide *x*, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ pa-*

a Matt. 5. 3. &c.
b Matt. 19. 27.
c Luc. 6. 13. &c.
d Amos 3. 8
e S. Bern. in declamat. aliquantò ante fin.
f Pſ. 93. 20.
g ex Mat. 11. 30
h ex Gen. 22. 2. &c
i Boët. l. 3. de Cõſol. Philoſ. proſ. 2.
k Matt. 5. 11
l Rõ. 5. 3
m Mat. 5. 10.
n Prov. 26. 13
o Pſ. 13. 5
p Eccli. 15. 2.
q S. Aug. l. 8. Cõf. c. 11
r 1. Cor. 2. 14
s Act. 5. 41
t Mat 19. 27.
u Luc 7. 37.
x Pſ. 14. 4

panes die ac nocte. Si puritas apparet vobis nimis difficilis, ecce ſancta Clara, quæ vobis oſtendens cot ſiium purius ſtellis, & mundius cœlo, vos animat ad illius proſecutionem, de qua poteſt dici, O *quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate* y!

y Sap. 4. 1

Tandem. Si ſuſtinere non poteſtis amaritudinem incommodorum, perſecutionum, & anguſtiarum vitæ, videre exempla tot Martyrum, & tot Confeſſorum, quod vobis eſt propoſitum à S. Paulo z, *Ideòq; & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Et ſi deſideratis invenire in uno ſolo media demulcendarum virtutum, quæ ſe exhibent amaras apparenter, auſcultate eundem Apoſtolum, qui immediatè pòſt votis veſtris annuit, dicens, *Aſpicientes in Authorem fidei & Conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* S. Paulus nobis proponit exemplum Salvatoris, qui vivere poterat in voluptatibus & delicijs, & qui tamen ſubjacére voluit tormentis, & colligere fructum pretioſum gloriæ immortalis ex amaritudine mortis ignominioſæ: quod ipſe non fecit niſi ob inſtructionem noſtram, ait S. Chryſoſtomus †, *Eſt enim, inquit, eſt mortuus, cur ignominioſè? Non propter aliud, quàm nos docens, ut gloriam quæ ab hominibus datur, nihili ducamus. Propterea cùm non eſſet ei ſubjectus, eam elegit, erudiens nos, ut adverſus eam ſimus audaces, & eam nihili faciamus. Quis autem finis? Atque in dextera Dei ſedet. Etiamſi nullum propoſitum eſſet præmium certaminis, ſufficeret exemplum ad perſuadendum ut omnia ſponte noſtrâ ſuſtineremus.* Hæc eſt via felicitatis, crux: & Jeſus Chriſtus eam ſecutus eſt, illamque monſtravit Apoſtolis ſuis, & in eorum perſona omnibus fidelibus: ſequamur igitur eam, & eò perveniemus, quò pervenerunt ipſe & diſcipuli ipſius, ſcilicet ad gloriam.

z Heb. 12. 1. & 2.

† S. Chryſoſt. hō. 28. in Heb. 12. 2.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur a; *florebunt ſicut lilium in civitate Domini* b. Eccleſia.

a ex Pſ. 102. 5
b ex Iſa. 35. 1

SEcta quorundam errantium in Arabia docebat, quòd animæ noſtræ ſimul morerentur cum corpore, & quòd cùm nō eſſent minoris conditionis, quàm ſint corpora, ipſæ reſumpturæ forent novam vitam, & novum motum temporibus ultimis, *Quidam in Arabia dogmatis cujuſdam à veritate prorſus alieni auctores aſſerentes, hominum animos unà cum corporibus, uno eodemq; temporis articulo morte occumbere, & penitus extingui: at demum tempore reſurrectionis univerſæ carnis, cum eiſdem vitam denuò recuperaturos*, ait Euſebius c, erroris ſui conſcios ſibi ſociare eos videntur, qui dixerunt quòd animæ noſtræ non eſſent factæ è nihilo per creationem, ſed generatæ & productæ more corporum propagatione naturali; & quòd ſicut candela accenditur ab alia, ſic anima derivaretur naturaliter à patre in filium cum ſanguine & carne, ita ut carne moriente, moreretur etiam, juxta ipſorum falſam opinionem, & anima; & carne redeunte ad vitam, anima ſimiliter novam vitam recuperaret, & novam juventutem. Error hic, Auditores, eſt omnino contrarius rationi, & Textui quem allegavi: cùm enim anima ſit ſpiritualis, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* d, ipſa non poteſt generari, nec educi ex alio corpore, aut ex alia anima, licèt *velut aquila juventus* ipſius renovanda ſit in gloria, quæ eſt gratia conſummata, & quâ gratiâ erat Maria repleta, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* e *Maria.*

c Euſeb. l. 6. hiſt. Eccleſ. c. 30.
d Gen. 9. 6
e Luc. 1. 28.

Ingenuè fatendum eſt, quòd intolerabilis erat cæcitas antiquorum Romanorum, juxta obſervationem S. Auguſtini f, *De Romulo viderit adulatio fabuloſa, quâ perhibetur receptus in cœlum: viderint quidam Scriptores eorum, qui eum propter ferocitatem à Senatu diſcerptum eſſe dixerunt, ſubornatumq; neſcio quem Iulium Proculum, qui eum ſibi apparuiſſe diceret; eumq; per ſe populo mandaſſe Romano, ut inter Numina coleretur, eoq; modo populum, qui contra Senatum intumeſcere cœperat, repreſſum atque ſedatum:* cùm memores quòd iſte Romulus fuiſſet primus ſuæ civitatis fundator, erexerunt ei ſtatuam, & decreverunt ut adoraretur & agnoſceretur à toto populo ut Deus: & ſic imaginati quòd aſcendiſſet ad nubes uſque, ideò in celebratione exequiarum ejus, ut dicunt aliqui, ſicut etiam in ſolemnitate funerum Imperatorum aliorum omnium qui ei ſucceſſerunt, darent volatum aquilæ, quæ mirabili velocitate ibat pervaſum nubes, & quæ ſe ſubtiliter eripiebat ex oculis ſpectatorum, quaſi vellent innuere, quòd anima defuncti eandem carpſiſſet viam, & iviſſet captum locum inter aſtra, cùm ſuſcepiſſet pro portione ſua gloriam & immortalitatem: & deinde ut hanc celebritatem nomine congruo vanæ cogitationi ſuæ inſignirent, nuncupaverunt illam deificationem. Riſu dignum eſt iſtud delirium, imò verò potiùs eſt atheiſmus æquè ac impietas, quam actus religionis ac dare ordinem inter Deos illi, qui ædificaturus civitatem miſcuit cæmentum atenatum ſanguine unici fratris ſui, *Ex quibus is qui tibi nomen dedit, fraternâ te cæde fœdavit*, ait S. Leo g, Romam alloquens. Ego verò ſtabo libenter è partibus illorum qui eos vituperant, & dicam quòd in exequijs iſtius immitis fratricidę non oportebat ut volare facerent aquilam Regiam & generoſam, ſed corvum fœtidum & truculentum: & quòd ſi agatur de celebrando nomine & extollenda memoria aliquorum Fundatorum Rerumpublicarum, & de producendis eorum Hieroglyphicis, laudibus eſt evehenda recordatio Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui omnes concurrerunt ad plantandam & ędificandam Eccleſiam Catholicam, quę eſt Reſpublica Chriſtianorum, & civitas inexpugnabilis & invincibilis vel ab ipſis Satanę viribus, *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* h: illamque ędificaverunt, non effundendo ſanguinem amicorum ſuorum, vel fratrum ſuorum, ducti appetitu regnandi, aut deſiderantes eſſe ſoli & unici, inſtar Romuli, ſed tradendo vitam ſuam, & proprium ſanguinem prodigendo, ut eſſent ſimul omnes uniti, & irent univerſi ſimul ſuſceptum coronam & mercedem promiſſam veris imi-

f S. Aug. l. 3. de Civ. Dei. c. 15
g S. Leo ſer. 1. in Natal. Apoſt. Petr. & Paul. c. 1.
h Mat. 16 18.

imitatoribus Jeſu Chriſti, ſicut concinit . . . . *Iſti ſunt qui viventes in carne, plantaverunt . . . ſiam ſanguine ſuo.* Et ſi danda ſunt eis aliqua tro-
phæa, aut aſſignandæ illis aliquæ hieroglyphi-
cæ in teſtimonium generoſitatis ipſorum, me-
rentur quidem habere aquilam generoſam, quæ
ſit teſtis conſtantiæ, quam præ ſe tulerunt in ſuſti-
nenda veritate doctrinæ Evangelicæ, & in in-
i Sap. 5. 6 toendo fixis oculis Sole *intelligentiæ* i, imitando
in hoc Dominum ſuum, qui eſt idem *Sol juſtitiæ*
k Eccleſia. ex Malac 4. 2 *Chriſtus Deus noſter* k, qui *dilexit Eccleſiam, & ſe-
ipſum tradidit pro ea* l, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*
l Epheſ. 5 25. *m.* Sic hodiernâ die video, quòd eadem Eccleſia
celebrare volens eorum memoriam, ſingulis eis
m Act. 20 28. attribuit aquilam, imò verò qualificat eos no-
mine & proprietatibus aquilæ, quæ renovatur, &
quæ defert in roſtro ſuo ſpecioſum lilium candi-
dum, mundum, & odoriferum, *Sanctorum velut
aquila*, &c. Sancti igitur pro eo quòd ædificave-
runt Eccleſiam, deificari debent votis ejuſdem
Eccleſiæ; & ædificatio quam tribuerunt domui
Dei, celebrari debet deificatione, quæ deſidera-
tur ipſis in eadem domo. Et quia reperio in hoc
elogio, quod ipſis tribuitur, duas qualitates ſub-
limes & excellentes, quæ ſunt qualitas aquilæ,
Diviſio. & qualitas lilij, dividere volo diſcurſum iſtum in
duas partes, & in priori conſiderare convenien-
tiam quæ admittitur inter aquilam & Sanctos: &
in poſteriori requirere ſympathiam quę reperiri
poteſt inter eos & lilium: & inveniemus quòd
vocantur aquilę propter felicitatem animę; &
quod datur eis nomen lilij propter beatitudinem
corporis, eò quòd illa renovetur, & quòd illud
floreat.

I. Pars. Neſcio quonam modo debeamus intelligere,
quòd Sancti renovabuntur inſtar aquilę, & ſicut
renovatio dare nobis debet intelligentiam ſtatûs
felicitatis eorum, num renovandum ſit ipſorum
corpus, aut renovanda ſit ipſorum anima: ſi enim
comparemus animam Sanctorum aquilę, & a-
quilę quę renovatur, oportebit ut dicamus, quòd
Sancti renoventur è parte animę; & ſi prętereà
ſcimus quòd renovatio fieri non poteſt ſine ali-
qua mutatione, alteratione, aut viciſſitudine rei
quę renovatur, & tenemus pro comperto, quòd
anima rationalis eſt ſpiritus incorruptibilis &
immortalis, & nullo modo obnoxius mutationi
aut viciſſitudini temporis, dicendum erit, quòd
ſolum corpus renovabitur. Re autem verâ pro-
babile eſt, illud ſic eſſe intelligendum: nam beati-
tudo Sanctorum repręſentatur per ſtatum inno-
centię Protoplaſtorum noſtrorum, quorum cor-
pora licèt eſſent compoſita elementis, & è qua-
litatibus contrarijs, quę luctantur adinvicem, &
tendunt ad ruinam individui, tamen dono ſpe-
ciali dato ſupernaturaliter, erant immortalia,
n Sap. 2 23. ex Gen. 1. 27. & 2 7. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem
n.* Non quòd deberent ipſi aliquando mori, ſed
ideò quòd *lignum vitæ* o, quòd ipſis datum fue-
rat ad uſum, & ad alimentum ſuum, habebat vir-
o Gen. 2. 9. & 16 tutem cuſtodiendi ipſos benè diſpoſitos, nedum
ſeneſcere poſſent, vel cadere in aliquam infirmi-
tatem, ſed conſervandi ſemper ipſorum bonam
conſtitutionem, & rectum temperamentum, &
ęqualitatem vultûs per longum ſpatium annorũ,
quod Deus determinaſſet ſingulis, poſt quod trãſ-
lati fuiſſent ad gloriam paradiſi, ſive interventu
ſuavis & jucundę mortis, ſine tranſitu immedia-
to ex una vita in alteram: & hęc annorum longi-
tudo comparatur ordinariè immortalitati, quia
hęc erat continua renovatio, & generalis exem-
ptio ab omni genere fatigationum & laborum
uſque ad terminum quem Deus ipſis pręfixiſſet.
Dici poſſet igitur quidem, quòd cùm corpora
Beatorum pervenerint ad cœlum, reperient ibi
tempeſtatem feliciorem, quam eſſet tempus ſta-
tûs innocentię; ibidemque invenient verum *li-
gnum vitæ*, quod eſt corpus Jeſu Chriſti: *Hic verò
per lignum vitæ*, ait Dionyſius Carthuſianus *p*, *in-* p Dion.
telligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris, ſecundùm Carth. 2.
quod in Proverbijs q *de ſapientia Salomon faſſus eſt,* 23. in A-
Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam. poc 22. 2
Quod deguſtantes appetitu inſatiabili & conti- q ex Prov.
nuo ſentient ſe ſemper renovari, & hoc modo 3. 18
Sanctorum velut aquila juventus renovabitur. Et
hoc innuere videntur ſequentia verba ejuſdem
Carthuſiani, quę de beatitudine tam animę
quàm corporis loquuntur, *Aſſerens fructus duode-
cim. Ideò Chriſtus lignum vitæ vocatur, quoniam ci-
ves in patria feliciter reficit, dona ſua illis communi-
cans. Itaque fructus quos Chriſtus profert in patria,
quibus & Beatos illico nutrit, ſunt univerſa quæ ad
plenam Electorum felicitatem pertinent & concur-
runt. Beatitudo namque eſt ſtatus omnium bonorum
aggregatione perfectus* r. *Et dona hæc quamvis ſint* r ex Boët.
plurima, convenienter tamen denario deſignantur: l. 3. de
quoniam per Apoſtolorum duodecim prædicationem E- Conſol.
lecti in novo Teſtamento ſunt ſpiritualiter generati Philoſ.
atque ſalvati: ſicut in veteri Teſtamento ex duodecim proſ. 2.
*Patriarchis alij corporaliter profluxerunt. Præterea,
Duodecim fructus iſti ſic queunt taxari, ut primus di-
catur immenſa gloria, alij tres, dotes tres animæ, ſcili-
cet, viſio, tentio, atque fruitio. Quintus pax, quam S.
Thomas, & alij multi ponunt à dotibus iſtis diſtinctam.
Eſtque realiter delectatio ſeu quietatio conſummata
Beatorum in Deo. Alij quatuor, erunt quatuor do-
tes corporum glorificatorum, putà, agilitas, impaſſi-
bilitas, ſubtilitas, claritas. Decimus autem fructus,
ſit accidentalis illa beatitudo, in aſpectu humanitatis
conſiſtens. Undecimus, gaudium, quod Beati ex mu-
tuo conſortio & conſpectu, Chriſto donante concipiunt.
Duodecimus, quod ex conſideratione totius machinæ
mundialis tunc innovandæ & clarificandæ ſunt ſor-
tituri. His fructibus Chriſtus eos æternaliter, tanquam
vitis ac fructuoſa arbor, alet per menſes ſingulos anni
æternitatis reddens fructum ſuum: id eſt, Chriſtus fru-
ctus hos indeſinenter conſervabit in mentibus Beato-
rum. Aeternitas namque nomine temporum fre-
quenter exprimitur, Anni tui non deficient* s. *Et, Erit* s Pſ. 101
menſis ex menſe, & Sabbathum ex Sabbatho t. *Et* 28.
quoniam menſis eſt anni principium, verbis his inſi- t Iſa. 66
nuatur quòd in patria æterna erit innovatio inceſſa- 23.
bilisque continuatio. Sed promiſeram vobis, me
comparaturum aquilæ non corpus, ſed animam
Sanctorum, continuemus propoſitum noſtrum,
& reperiemus quòd animæ Beatorum renova-
buntur inſtar aquilarum. Hic autem adhærere
nolo opinioni, quam tenuiſſe videtur S. Auguſti-
nus *u* circa animam primi hominis, quamvis u S. Aug.
iſtud abſolutè non affirmet, cùm dixit, *Videamus,* l. 7. de
utrùm forſitan verum eſſe poſſit, quòd certè humanæ Gen. ad
opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis pri- lit. c. 24
*mis operibus quæ ſimul omnia creavit, animam etiam
humanam creaſſe, quam ſuo tempore membris ex li-
mo formati corporis inſpiraret, cujus corporis in illis
ſimul conditis rebus, rationem creaſſet cauſaliter, ſe-
cundùm quam fieret, cùm faciendum eſſet corpus hu-
manum. Nam neque illud quod dictum eſt, ad ima-
ginem ſuam, niſi in anima; neque illud quod dictum
eſt, maſculum & fœminam* x, *niſi in corpore rectè in-* x Gen. 1.
27.

telligimus. Credatur ergo ſi nulla Scripturarum authoritas ſit, vel natura ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, ut corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi; anima vero jam ipſa crearetur, ſicut primitùs conditus eſt dies y, *& creata lateret in operibus Dei, donec eã ſuo tempore ſufflando, hoc eſt, inſpirando formato ex limo* z *corpori infereret.*

y ex Gen. 1.3
z ex Gen. 2.7

Nolo, inquam, ſequi opinionem iſtam, licèt favere videatur Textui meo. Si enim animæ factæ eſſent in cœlo antequàm collocarentur in corporibus ſuis, & deinde poſt mortem corporum ſuorum reverterentur in cœlum, hoc ſenſu darentur ergo tres tempeſtates ipſarum. Prima, eſſet velut juventus ipſarum, cùm ipſæ eſſent adhuc in prima agilitate ſua. Secunda, eſſet quaſi ſenectus ipſarum, cùm unitæ corporibus ſuis, non haberent ampliùs tantum vigorem, aut tantam ſubtilitatem. Tertia, cùm eſſent denuò diſſolutæ à corporibus ſuis, & recuperare deberent primam vivacitatem ſuam, & hæc eſſet ut renovatio, aut tempeſtas ſimilis primæ: iſtud aliquo modo dici poſſet: ſed quia Scriptura a docet nos, quòd *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: id eſt, quòd Deus flatu ſuo infudit animam corpori primi hominis ſimul ac illud compoſuit: & inde infert Eccleſia, quòd animæ aliorum hominum non creantur quin ſtatim infundantur corporibus ſuis, hæc renovatio nobis eſt aliter explicanda.

a Gẽ. 2.7

Et quis neſciat animas noſtras eſſe immortales, & ratione immortalitatis quæ eſt in ipſis naturalis, ipſas ſuſcipere non poſſe incrementum, nec decrementum in ſubſtantia ſua? Inde enim dixerunt quidam Philoſophi, quòd anima eſſet pars Divinitatis: alij quòd eſſet globus ignis inextinguibilis, qui calefaceret, & qui moveret corpus: & ideò etiam nos pro certo tenemus, & firmiter credimus, quòd illam *creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* b. Quæ ſimilitudo conſiſtit in quatuor. Primò, In vaſta capacitate mentis, quæ idonea eſt penetrandis & cognoſcendis omnibus. Secundò, In deſiderio aut appetitu infinito non valente ſatiari c niſi bono infinitè deſiderabili. Tertiò, In libertate d aut indifferentiâ ad volendum talem aut talem rem in particulari. Quartò, In cupiditate naturali vivendi per æternitatem, quæ innuit ipſius immortalitatem. Prætereà, Dominium quod Deus tribuit huic animæ ſuper omnia animalia e, clarè nobis oſtendit, quòd ipſa pretij ſit altioris eis; & quòd ſicut in Monarchia benè morata licèt ſubditi quotidie pereant, tamen Rex ſubſiſtit, & ſceptrum ſemper reperitur in manibus alicujus, qui imperat: ſic in iſto magno mundo quàmvis animalia moriantur corpore & animâ, homo tamen qui conſtitutus fuit illorum Rex, perſeverat tamen ſemper poſſidens immortalitatem, ſaltem quantùm ad animam, nedum contrarietas elementorum, diverſitas tempeſtatum, inclementia aëris, influentiæ aſtrorum, ſævitiæ Tyrannorum, crudelitates ferarum, virus fructuum & plantarum, laſſitudo itinerationum, fatigatio bellorum, proditio caſtrum fortiſſimorum, longitudo annorum, frequentia contagionum, ruina tectorum, lubricum gurgitum, fragilitas navium, perfidia fluviorum, occurſus ſcopulorum, furia marium, vis procellarum, inconſtantia ventorum, confuſio fluctuum, proclivitas præcipitiorum, rigor ignis, acies gladiorum, venenum ſagittarũ, violentia fluminum, & rabies quarumlibet creaturarum poſſint unquam alterare, minùs autem perimere hanc animam, quæ facit ipſum eſſe parvum Deum in terra, hæredem immortalitatis per naturam & progeniem ſuam: ſi ergo longitudo annorum, & omnes caſus præfati, præcipuè vero bellum continuum quod eſt inter qualitates elementares, quæ reperiuntur in corpore, tendunt ſemper ad ruinam illius, & illud fieri faciunt ſenius & caducius, clarè ſequitur, quòd hæc anima nunquam poteſt ſeneſcere, cùm ipſa non ſit illis omnibus obnoxia; & ſi ipſa non poteſt ſeneſcere, ipſa non poteſt igitur juveneſcere, & neceſſariò concludendum eſt, quod animæ noſtræ ſunt ſemper juvenes, id eſt, veluti æque recentes, & æque ſanæ ac inſtanti quo ipſæ creatæ ſunt: & tamen aſſeritur, quòd Sancti ad hoc ut perveniant ad fruitionem invariabilem gloriæ, debent veluti ſuſcepiſſe recentem nativitatem & vitam novam, ut renoventur & rejuveneſcant, *Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur*. Credendum eſt igitur quòd in ipſis eſt aliquid dignum quòd meliùs inquiratur, ratione cujus inſtar aquilarum renovati fuerint. Sic eſt, Auditores: hæc renovatio eſt alia, quam intelligatis: anima enim rationalis duas habet vitas, unam naturalem, alteram verò ſupernaturalem: prima datur ei per creationem; ſecunda verò per juſtificationem: in primâ ipſa non ſuſcipit niſi eſſe, & motum; in ſecunda ipſa acquirit gratiam & ſalutem: illa è ſemetipſa eſt immortalis, eò quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ non ſubjacet caſibus mortis, qui nunquam aggrediuntur niſi corpora, quæ compoſita ſunt ex elementis; ſed hæc eſt obnoxia morti, quia conſiſtit in qualitate, quæ à Deo datur ipſi voluntariè, ſed quæ non conſervatur niſi quantùm placet huic animæ ſubjicere ſe Divinis legibus ipſius, & vivere in illius obedientia; alioquin amittit ipſa gratiam iſtam, quæ eſt hæc ſecunda vita, quam perdens ipſa moritur, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* f. Sed licèt prima vita iſtius animæ ſit immortalis, ſi tamen comitem non habeat ſecundam, multò ſatius eſſet ut foret ipſa mortalis, imò verò mortua eſſet, aut nunquam fuiſſet, ſicut Dei Filius dixit de illo perfido & ſolemni collegij Apoſtolici deſertore, qui mox erat ſociaturus oſculum pacis & amici, proditioni Dei, *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille* g. Atqui tempeſtates juventutis & ſenectutis non ſunt alligatæ niſi illi vitæ, quæ mori poteſt, *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt*, ait S. Paulus h. Quaſi diceret, quòd ſicut ſenectus eſt vicina morti; ſic animæ noſtræ juxta ſecundam vitam, quæ eſt vita gratiæ, mori poſſunt, per unicum peccatum mortale, ſecundùm prædictum effatum Prophetæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Et ſic animæ noſtræ juxta hanc ſecundam vitam erunt obnoxiæ duabus tempeſtatibus, juventutis, & ſenectutis. Verum eſt, Auditores, omnes illæ animæ, quæ nunc ſunt beatæ, juvenes fuerunt, ſed omnes non fuerunt ſenes: ipſarum aliquæ ſunt, quæ perſeveraverunt in ſtatu primæ ſuæ juventutis, & quod plus eſt, per annorum decurſum factæ ſunt juniores; aliquæ ſenuerunt, & inter has aliquæ mortuæ ſunt in hac magna ſenectute, & aliæ ſemper vixerunt: ſed tam iſtæ, quàm reliquæ ſuſceperunt novas vires, & recuperaverunt primam juven-

b Gen. 1. 27.
c Pſ. 16 15.
d Eccli. 15. 14
e Gen. 1. 28.
f Ezech. 18. 4. & 20.
g Mat. 26 23.
h Heb. 8. 13.

ventutem ſuam. Anima Chriſtiana, cùm placuit Deo tuo venientem te in mundum facere renaſci *ex aqua & Spiritu ſancto* i, & in hac regeneratione ſeu renovatione imprimere ſibi vivum charactêrem Divinitatis ſuæ, qui eſt gratia ipſius, acquiſiviſti novam vitam, & *divinæ Naturæ* k conſors effecta es per veriſſimum germen immortalitatis: ecce igitur ipſa quaſi virgo juvenis incipiens reſpirare aerem cœli, & experiri motus qui te ferebant ad beatitudinem: hæc juventus perſeveravit in te uſque ad tempus quo fruita es uſu rationis: ſicut enim antea non eras capax mortis ullius incorrendæ per peccatum; ita nec ſeneſcere poteras; & iſta prima gratia ſemper cuſtodita eſt in ſplendore ſuo, in eodem ſtatu, & in eodem nitore, quo tibi Deus eam tribuerat.

i Joan 3. 5
k 2. Petr. 1. 4

II. Pars.

Sed promiſeram vobis, Auditores, quòd faciens juveneſcere Beatos inſtar aquilarum, eoſdem florere facerem more liliorum, *Sanctorum velut aquilæ juventus revocabitur: florebunt ſicut lilium in civitate Domini.* Nec retracto ſermonem meum: habent enim proprietates aquilæ, & lilii. Non ignoratis quòd Sponſa Canticorum ſæpè nomen lilii tribuit Sponſo, modò dicens de eo, *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam* l, non ſecus ac ipſe dicit de ſe, *Ego flos campi, & lilium convallium* m. Aliàs dicens de illo, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia* n. Et præterea quòd Sponſus aggrediens celebrare laudes Sponſæ ſuæ, utitur eâdem comparatione, modò dicens de ea, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic anima mea inter filias* o. Modò dicens ei, *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis* p. Et aliàs, *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis* q. Si enim Filius Dei, qui eſt verus animarum noſtrarum Sponſus, & *Rex gloriæ* r, Princepſque Beatorum, & lilium, oportet ut iſtæ animæ, quæ idem ſunt cum Sponſo ſuo, habeant & eandem naturam, & eaſdem proprietates; & ut hujuſmodi cives cœli deferant ſui Principis charactêres & inſignia. Igitur, ait de Ponte ſ, illum *Hinc eſt vocari florem campi (ut ſancti Ambroſius* t, *Auguſtinus* u, *Cyrillus* x, *Gregorius, aliique Patres hic teſtantur) quia decus eſt totius mundi, honor, & gloria univerſi generis humani. Ante incarnationem enim, flos erat ſepto incluſus Judæorum, modò autem aperto loco flos eſt etiam omnium Gentium: quia propter omnes homines factus eſt homo, cujus odor diffunditur in univerſum orbem.* Vocatur etiam *lilium convallium.* Quia ſicut lilia quæ creſcunt in vallibus, ſunt ſemper magis odorifera, ob abundantiam humoris, qui eſt ipſis neceſſarius; ſic Dei Filius ſibi ſemper magis complacet cum humilibus, & communicat eis abundantiùs humores gratiarum & benedictionum ſuarum dicens, *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum* y? Prætereà, Quoniam in lilio ſunt quinque res notabiles: nam ad extra candidum eſt, intus habet grana aurea, odoriferum eſt, apertum eſt, & vergit deorſum: ſic Jeſus Chriſtus eſt candidus & purus in humanitate ſua z, pretioſus ſicut aurum in Divinitate ſua a, odorifer in doctrina & prædicatione ſuâ b, apertus ad recipiendos *peccatores* c ad pœnitentiam, & ſemper proclivis deorſum, id eſt compatiens miſeriis & fragilitatibus illorum d. Sed reciprocè Sponſus alloquens Sponſam ſuam, quæ eſt Eccleſia, prout Matrem fidelium, & Beatorum etiam, ait illi, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* e. Quaſi diceret illi, Ipſa fuiſti more lilii in medio ſpinarum, dum aderas Synagogis & congregationibus falſorum fratrum, qui ſunt Hæretici, & homines malè viventes, quas Synagogas & hujuſmodi congregationes voco filias meas, quia illas omnes creavi, & regeneravi. Homines hujuſmodi voco ſpinas, quia pungunt, & lædunt, ſicut ipſa querebaris aliquando. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* f. Et alibi, *Percuſſerunt & vulneraverunt me* g. Et quia ſunt aridæ, & vacuæ ſucco gratiæ, cùm ſint extra paradiſum, ſemota à ligno *vitæ* h, & à fonte aquæ vivæ, & productæ decreto maledictionis i potiùs quam præventæ bono ſemine. Sum igitur, ait Sponſus, *ego lilium convallium*, id eſt, ornamentum humilium & quietorum, & ſicut aliàs eram ſpecioſum lilium inter ſpinas, quæ me pungebant, & vulnerabant mihi *caput* k; ſic ipſa fuiſti, chara mea Sponſa, inter filias *Babylonis* l, id eſt, confuſionis, quæ te pupugerunt violentiis & perſecutionibus ſuis: ſed ſicut non obſtantibus iſtis ſpinis impoſitis capiti meo, non deſtiti propterea florere glorioſâ reſurrectione m, ſicut floret lilium; ſic tu, caſta mea Sponſa, non obſtantibus perſecutionibus, quibus impetita fuiſti, non deſiiſti florere in perſonis filiorum tuorum fidelium, qui ſunt nunc in fruitione invariabili gloriæ, poſtquàm tranſierunt per tranſverſas pœnas contradictionum, de quibus dicitur, *Florebunt ſicut lilium.* Hæc ſacra Sponſa dicit etiam de illo, *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam* n. Dicamus, quòd per quandam figuram Sancti vocantur labia Filii Dei, quia concepti ſunt & geniti ſpiritualiter verbo egreſſo è labiis ejus, *Genuit nos verbo veritatis* o. Sed labia quæ comparantur liliis, quæ Dei Filius nobis præcipit ut conſideremus, dicens, *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloriâ ſuâ veſtiebatur ſicut unum ex iſtis* p. Et ſunt Apoſtoli & ſervi Dei, qui nullam curam habentes diei craſtinæ, nec ſuam mentem applicantes inquiſitioni & curioſitati bonorum mundi, ſe dirigendos ſinunt à providentia Dei, non petentes, *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur* q? quærentes potiùs Regnum cœli quàm abundantiam bonorum fortunæ, fulti hoc promiſſo infallibili, *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis* r. Semper meliùs fuerunt cooperti, & magis contenti quam Salomon, *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes* †. Semper enim Salomon plus deſiderabat quàm haberet, & ideò illius, quod ipſe non habebat, patiebatur privationem & indigentiam, licèt invitus, dicens, *Dixi ergo in corde meo, Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis* ſ. &c. At veri ſervi Dei dicunt cum S. Paulo t, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Sed non multum eſſet, ſi nullâ aliâ conſolatione perfunderentur, quam ut eſſent contenti in hoc mundo; præcipuum, in quo aſſimilantur lilio, eſt quòd in gloria quam poſſident in cœlo, infinitè ſuperant gloriam Salomonis, & totum ſplendorem Curiæ ejus: nam cùm ſint legitimi filii Eccleſiæ, quæ eſt illa *Mulier*, de qua S. Joannes loquitur in Apocalypſi u, ipſi ſunt amicti *Sole, & Luna ſub pedibus* ipſorum, *& in capite* ipſorum *corona ſtellarum duodecim*, quæ omnia ſunt ſymbola Regiæ dignitatis & immortalitatis. Specioſa *lilia diſtillantia myrrham primam.* Secunda enim non pertinet

l Cant. 5. 13
m Cant. 2. 1
n Cant. 2. 16
o Cant. 2. 2
p Cant. 4. 5
q Cant. 7. 2
r Pſ. 23. 7. &c.
ſ De Pont. lib. 4. in Cant. 2. 1. Exhort. 20. §. 1.
t ex S. Ambr. ſer. 5. in Pſ. 118. 33 octon. 5. ſeu
u ex S. Aug. lib. de Salutar. document. c. 34
x ex S. Cyrill. Alex. de Incarn. Unigenit. c. 9
y Iſai. 66. 2 juxta S. Bern ſer. 1. ſuper Miſſus eſt.
z 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9
a 1. Cor. 11. 3
b Matth. 5. 1. & Joã. 6. 1
c Luc. 15. 1
d Joan 8. 6. &c.
e Cant. 2. 2
f Cant. 1. 5
g Cant. 5. 7
h Gen. 2. 9. &c.
i Gen. 3. 18
k Matth. 27. 29
l Pſ. 136. 8
m Marc. 16. 6
n Cant. 5. 13
o Jacob. 1. 18
p Luc. 12. 27
q Matth. 6. 31
r Matth. 6. 33
† 2. Cor. 6. 10
ſ Eccl. 2. 1. &c.
t 1. Tim. 6. 8
u Apoc. 12. 1

Digitized by Google

tinet ad hujuſmodi filios Eccleſiæ. Per primam,
Auditores, debemus intelligere primam mor-
tem, quæ eſt mors corporis, de qua loquitur Apo-
x Rom. 5. 12 ſtolus x, *Per peccatum mors.* Per ſecundam intel-
y Apoc. 2. 11 ligenda eſt ſecunda mors, de qua S. Joannes y di-
cit, *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecundâ.* Nul-
lam autem irrogamus eis injuriam, cùm dicimus
quòd prima mors, quæ eſt mors corporis, effuſa
eſt ſuper omnes homines, cùm ipſa non peper-
cerit ſpecioſiſſimo & florentiſſimo liliorum, in-
vento induto in modum peccatorum, id eſt Jeſu
z Joan. 19. 30 Chriſto z, operto *in ſimilitudinem carnis peccati*
a Rom. 8. 3 a. ut nos eximeret à ſecunda morte, ſubiens
ipſemet primam. Expertus eſt igitur in ſemet-
ipſo amaritudinem primæ myrrhæ, quæ eſt
mors, ut potenter pelleret ex animabus noſtris
amaritudines ſecundæ, quæ eſt peccati, diſtillans
è labiis ſuis, guttis amariſſimis primæ myrrhæ,
quæ erant timores mortis, dicens, *Triſtis eſt ani-*
b Matth. 26. 38 *ma mea uſque ad mortem* b. Igitur prima myrrha
in eo, eſt effectus bonitatis ipſius, & in nobis eſt
c Rom. 5. 12 productio malitiæ noſtræ, *Per peccatum mors* c.
Eadem eſt myrrha, ſed valdè differens in eo & in
nobis. In illo ipſa eſt punitio peccati ſine pec-
cato, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et*
ipſe peccata multorum tulit d. *Qui peccatum non*
d Iſai. 53. 8. & 12 *fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* e. In nobis
e 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9 ipſa eſt punitio peccati cum peccato. In eo ipſa
eſt mors indebita, & in nobis mors debita, at-
trahendo nos ad ſecundam mortem: atqui la-
bia hujus Sponſi, qui eſt Jeſus Chriſtus, non di-
ſtillant hâc myrrhâ, quatenus lilia ſunt, ſed
prout imbuta ſunt amaritudine inſtar aliorum
filiorum Adæ, qui ingratitudine intolerabili
non extollunt magnitudines & excellentias hu-
milibus exiſtimationibus ſuiipſorum, & teſtimo-
niis dependentiæ ab ipſo, & operiunt ſilentio
id quod eſt in ipſis commendabile, nedum illud
manifeſtent ut dona Dei, quibus ejus bonitas
ipſis gratificata fuerat, reddendo illi pro eis
f 2. Cor. 12. 6 gratiarum actiones. Unde S. Paulus f dicebat,
Parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod vi-
det in me, aut aliquid audit ex me. Sed Sancti ſe
continentes intra terminos humilitatis, ne-
dum mentionem peragant ſpecioſarum ſuarum
qualitatum, deplorant conditionem hujus na-
turæ mortalis, quæ ipſis eſt communis cum
aliis, & dicunt cum eodem S. Paulo g, *Infe-*
g Rom. 7. 24 *lix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hu-*
jus? Inſuper, Poſtquàm Sponſa dixit Sponſo
h Cant. 1. 6 ſuo, *Indica mihi ubi paſcas* h, aliquantò pòſt di-
i Cant. 2. 16 cit de illo, *Qui paſcitur inter lilia* i. Re autem
verâ locus ubi Deus paſcit & ſatiat amicos ſuos,
eſt gloria cœli, quæ quia diffluit omni genere
deliciarum, vocatur nomine convivii k; quia
k Luc. 14. 16 dulcedo quæ eſt ſymbolum omnis voluptatis, re-
peritur principaliter in cibis: atqui Sancti pa-
ſcuntur præcipuè triplici genere ciborum in cœ-
lo, ut colligitur ex Scriptura, herbis, floribus,
& pinguedine tritici. Herbis, quas ipſimet ſe-
minaverint, ſuſcipientes fructus laborum & bo-
norum operum ſuorum: *Quæ enim ſeminaverit*
l Gal. 6. 8 *homo: hæc & metet* l. Et, *Labores manuum*
tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi
m Pſ. 127. 2 *erit* m. Quòd ſi iſtæ herbæ ſpirituales ſic ritè eos
nutriunt, quid facient flores, & lilia, quibus
aluntur? Dicimus tamen quòd homines & be-
ſtiæ illis paſcuntur, quatenus delectant viſum
& odoratum iſtarum, æquè ac illorum: ſi enim
res aliqua placet oculo noſtro, dicimus quòd
viſus noſter paſcitur hoc objecto: & quia hæc
paſcua non ſunt propria, ſed metaphorica, id
eſt, non propriè Sancti paſcuntur liliis, *Qui*
paſcitur inter lilia: iſtud nobis innuit, quod
ſicut Dei Filius oblectamento perfunditur ſin-
gulari videre ſe in medio Sanctorum, qui ſunt
veluti radii circum Solem; ita Sancti cumu-
lum dant felicitati ſuæ, conſiderantes ſemet-
ipſos adinvicem. Dei Filius qui eſt pulcherri-
mum omnium liliorum, *Specioſus formâ præ filiis*
hominum n, ſibi complacet & paſcitur viden- n ex Pſ. 44. 3
do ſe communicaſſe fideliter omnibus Beatis
candorem ſuum, *Candidi facti ſunt Nazaræi*
ejus o: odorem ſuum, *Curremus in odorem un-* o Eccleſia ex Thren. 4. 7
guentorum tuorum p: grana aurea ſuæ charita-
tis, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris* p Cant. 1. 3
per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis q. Et quòd, q Rom. 5. 5
cùm ſe aperuerit more ſpecioſi lilii in arbore
crucis, vocavit ipſos omnes ad delicias ſuas
æternas, dicens, *Venite ad me omnes qui labo-*
ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos r. Et r Matth. 11. 28
quòd quia *inclinato capite*, ſicut agit etiam li-
lium, *tradidit ſpiritum* ſ in eadem arbore cru- ſ Joan. 19. 30
cis, ut humiliorem redderet obedientiam vo-
luntati Patris ſui, & daret pacis oſculum pec-
catoribus, meruit exaltari & coronari Rex E-
lectorum *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſ-*
que ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod
& Deus exaltavit illum t. Iſtud omne nunquid t Philipp. 2. 8. & 9
non ſufficiens eſt ad paſcendum cor ipſius &
mentem ipſius innumeris voluptatibus in ſocie-
tate Sanctorum, propter quorum ſalutem &
redemptionem meruit ipſe florere tanquam li-
lium in æternum coram Deo, & producere in
his campis Elyſiis paradiſi innumera lilia ad
imaginem & repræſentationem ſuam? *Juſtus*
germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante
Dominum, canit Eccleſia u poſt Oſee. Etiam,
Auditores. Et ut videatis hanc productionem u Eccleſia ex Oſee 14. 6
innumeram, & convenientiam quæ admittitur
inter milites & Ducem ſuum, imagines &
prototypon ſuum, filios & Patrem ſuum, par-
va lilia & magnum, & Beatos & Jeſum Chri-
ſtum, conſiderate quomodo Apoſtolus x dicat, x Philipp. 2. 10
Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium.
Et S. Joannes, *Mittebant coronas ſuas ante thro-*
num y: *& adoraverunt viventem in ſecula ſeculo-* y Apoc. 4. 10
rum z. Videte quomodo iſti Beati, more lilio-
rum, aperti ſunt, ut digniores invenirentur, z Apoc. 5. 14
qui ſe ſocios *Agno* a jungerent individuos, &
huic primo lilio adhærerent, dicentes ei cum a Apoc. 5. 13
Davide b, *Viam mandatorum tuorum cucurri,* b Pſ. 118. 32
cum dilataſti cor meum. Et cum S. Petro, *Ecce*
nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te c. Quaſi c Matth. 19. 27
dicerent, Aperuimus brachia, ſicut tu, ut non
amplectamur ampliùs bona hujus mundi, & ut
ſequamur te, ferendo crucem tuam. Intuemini
quomodo proteſtantur ſe factos eſſe odoriferos
odore bonæ, ſanctæque famæ, *Quorum nomina*
ſunt in libro vitæ d. Sic & confitentur ſe ſuſce- d Philipp. 4. 3
piſſe ab eo totum odorem quem habent, *Dum*
eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem
ſuum e. Conſiderate quomodo habent intra ſe e Cant. 1. 11
hæc grana aurea quæ ſignificant amorem Dei:
Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego
diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum f. Cùm f Joan. 14. 21
amor reciprocus qui eſt inter ipſos & Jeſum
Chriſtum, ſit complementum felicitatis ipſo-
rum. Tandem, Obſervate eos eſſe indutos ve-
ſtibus candidis, more lilii, ut ſe conforment
quan-

quantùm poſſunt ad inſignia Domini ſui, & ad
innocentiam illius, eumque ſequantur quò-
g Apoc. 7. 9 cumque pergat, *Amicti ſtola albâ* g, *ſequuntur*
h Apoc. 14. 4 *Agnum quòcumque ierit* h. Et ut uno dicatur
verbo, iſtud eſt mutuum oblectamentum,
quod datur inter Jeſum Chriſtum & Sanctos,
qui ſunt omnes ſpecioſa lilia, intuendo ſe, &
paſcendo viſus ſuos diverſis pulchritudinibus
quæ repeniuntur tam in prototypo quàm in
i Cant. 2. 16 tranſſumptis ipſius, *Qui paſcitur inter lilia* i, Sed
ſemper optimus & præcpuus cibus iſtius con-
vivii æterni eſt viſio eſſentiæ Dei, quæ eſt
communis omnibus Beatis, & quæ compara-
tur pinguedini tritici, *Qui poſuit fines tuos pacem,*
k Pſ. 147. 3 *& adipe frumenti ſatiat te* k. Frumentum enim
integrum ſemper habet aliquid furfuris admi-
ſtum, nec unquam ritè purum eſt, ſed pingue-
do tritici eſt puriſſima farina, & eſt cibus Bea-
torum: omnia enim alia oblectamenta præter
viſionem eſſentiæ Dei, habent ſemper aliquem
defectum; quin imò & ipſa viſio humanitatis
Filii Dei non eſt ſic abſolutè delicioſa, quate-
nus eſt res creata; ſed quantùm ad eſſentiam
Dei, nihil circa eam deeſt, ipſa eſt pura boni-
tas quæ diligitur & deguſtatur propter ſemet-
ipſam, cætera autem amantur & deguſtantur
propter ipſam. Sic videtis quòd Sponſus ait
Sponſæ ſuæ, quæ eſt anima beata, *Duo ubera tua,*
ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in li-
l Cant. 4. 5 *liis* l. Duæ beatitudines ejus, primitiva & de-
rivativa, animæ & corporis, eſſentialis & ac-
cidentalis ſunt inſtar duorum hinnulorum ca-
preæ, qui habent viſum ſubtiliſſimum, & pa-
ſcuntur inter Sanctos, qui ſunt lilia, viſione
eſſentiali Dei, quæ eſt uber lævum propius cor-
di, & origo amoris; & viſione humanitatis
Filii Dei, quæ eſt uber alterum, quod deſu-
mit ſuum calorem, & ſuam bonitatem à primo.
Tandem, Ait Eccleſiæ triumphanti, quæ eſt
chariſſima Sponſa ſua, *Venter tuus acervus fru-*
m Cant. 7. 2 *menti, vallatus liliis* m. Id eſt, quòd ipſa eſt re-
pleta ſpecioſo hoc frumento puro & nutriente,
quòd eſt Eſſentia Divina ſemper aſpecta & con-
ſiderata ab animabus beatis renovatis inſtar
aquilarum, *Sanctorum velut aquilæ juventus re-*
novabitur. Et quòd ad ornamentum beatitudi-
nis iſtius, innumera ſunt lilia, quæ ſunt cor-
pora Filii Dei & omnium Sanctorum, quæ ſunt
ſemper ſpecioſiora, candidiora, & florentiora
in domo Dei, è quâ nunquam egredientur, *Flore-*
bunt ſicut lilium in civitate Domini.

Peccatores & hominês mundani qui antiqua-
mini & ſeneſcitis quotidie, non ſolùm annis
& ætate, ſed præcipuè pravis habitibus, &
qui libentiſſimo velletis animo dediſſe partem
annorum veſtrorum alicui, ut rediretis in æta-
tem adoleſcentiæ veſtræ, ecce remedium op-
portunum, quod in hoc eſt ſitum, ut ſocietis
vos conſortio Sanctorum, juveneſcendo more
aquilarum, & quantùm ad animam, & quan-
tùm ad corpus; ſed incipere debetis à parte no-
biliori, quæ potiùs corrumpitur, renovando ani-
mam veſtram, applicando roſtrum Lapidi vi-
vo, qui eſt Filius Dei, *Petra autem erat Chri-*
ſtus n, per veram contritionem o, & confeſ- n 1. Cor. 10. 4
ſionem peccatorum veſtrorum p, alioquin eri-
tis corvi & nycticoraces fœtidi. Vos verò qui o Pſ. 50. 19
florere deſideratis & micare in circulis & ſocie- p Matth. 16. 19. & 18: 18. & Joan. 20. 23
tatibus honeſtis, conamini effici lilia per inno-
centiam, ſimplicitatem, charitatem, hu-
militatem, &c. alioquin eritis ſicut illi flores
qui ſunt apparenter ſpecioſi, ſed effectivè fœten-
tes, nec videri poſſunt niſi à longè. Sancti ſunt
lilia; B. Virgo eſt lilium puriſſimum, *ſicut Li-*
lium inter ſpinas q. Dei Filius eſt Rex liliorum, q Cant. 2. 2
Lilium convallium r, & ſibi non complacet niſi r Cant. 2. 1
cum humilibus & mitibus, *Beati pauperes ſpiri-*
tu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Beati
mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram ſ *viventium* ſ Matth. 5. 3. & 4
t, ubi ſedebunt in menſa Dei, judicaturi *duo-* t Pſ. 141. 6
decim tribus Iſraël u in ſocietate Filii Dei, *qui* u Matth. 19. 28
paſcitur inter lilia x, id eſt, inter Beatos, dicens,
Deliciæ meæ, eſſe cum Filiis hominum y, ut com- x Cant. 2. 16
municet eis delicias infinitas & incomprehenſi- y Prov. 8. 31
biles Divinæ gloriæ ſuæ *in æternum, & ultrà* z. z Exod. 15. 18

IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieraſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam: & movebantur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Hunc cùm vidiſſet Ieſus jacentem, & cognoviſſet quia jam multum tempus haberet, dicit ei, Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus. Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Joan. 5. 2. &c.

EXpoſitores iſtius Evangelii, inter quos eſt
a Seguirſ. Fer. 6. Dõ 4. Quadra. Seguiranus a, dicunt communiter, quòd
aqua iſtius piſcinæ Eccleſiæ militantis, eſt ſan-
guis quem Jeſus Chriſtus effudit in cruce: quòd
hæc piſcina, quæ continent aquam, ſunt Sacra-
menta, vel potiùs eſt Sacramentum Pœnitentiæ:
quòd infirmi qui accedunt ad iſtam piſcinam,
ſunt peccatores: quòd Angelus, qui movet a-
quam, eſt Sacerdos: & quòd ille qui projicit in
piſcinam, eſt applicatio meritorum præfati Filii
Dei: Non exiſtimabo me deeſſe reverentiæ
quam debeo Interpretibus iſtis, ſi dicam poſt
eos, & cum aliis Doctoribus, quòd hæc piſcina
eſt ſanguis Jeſu Chriſti: quòd infirmi ſunt animæ
languentes à longo tempore in purgatorio:
quòd Angelus ſunt fideles Chriſtiani, propinqui,
vel amici, qui turbant aquam ſuffragiis & bo-
nis operibus ſuis, quorum interventu ipſæ ſa-
tisfaciunt Juſtitiæ Divinæ, quæ ſua decreta tulit
in cœlo in favorem Beatorum, quos honora-
vimus heri videntes *in lumine Lumen* b. Quæ ſen- b Pſ. 35. 10
tentiam proferet ipſo judicii die adversùs eos
qui

c Job 24. 13

qui fuerunt *rebelles lumini* c quos mittet *in ignem æternum* d.

d Matth. 25.41

Et quæ hodie exercetur contra præfatas animas patientes in purgatorio inter flammas, quas ipſa ibi accendit: *Ipſe enim quaſi ignis conflans: & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum*, dicit Malachias e, loquens de Deo.

e Malach. 3.3

Maria interpretatur Myrrha maris, ait S. Epiphanius f.

f S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

Quod innuit, eam habere aquas ad extinguendas flammas, & mitigandos ardores quibus affliguntur iſtæ animæ in purgatorio. Iſtæ aquæ non ſunt aliud niſi gratiæ, quarum iſta Mater Suffragii ſuſcepit plenitudinem, cum *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria*.

g Luc. 1. 28

Statutum eſt invariabile Juſtitiæ Divinæ, quæ decrevit, ut is qui moritur in gratia Dei inquinatus aliquo peccato veniali, vel qui nondum ipſi ſatisfecit omnino pro peccatis quæ fuerunt ipſi dimiſſa quantum ad culpam, ad aliquantum tempus privandus ſit gloriâ Beatorum donec penitus mundatus ſit ab iſtis & ab illo, cùm ſcriptum ſit de Jeruſalem cœleſti, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* h.

h Apoc. 21.27

Et cùm Juſtitia eadem Divina decreverit, ut, ſicut nullum eſt opus bonum, parvum, æquè ac magnum, quod non habeat mercedem ſuam: ſic nullum ſit peccatum quod non recipiat pœnam ſuam: iſtæ animæ in purgatorio detentæ, efflagitant auxilia noſtra, & implorant noſtra ſuffragia; ipſæ clamant è medio flammis quibus affliguntur, ut ſibi detur modus ex illis exeundi. Deus non reliquit hæc mala ſine remedio: ipſe fecit piſcinam è ſanguine ſuo; & ſufficit ut immergantur in eam ad hoc ut inde ſuam recipiant ſanitatem. Sed heu! ipſæ non poſſunt ex ſeipſis in illam immergi; ipſæ clamant, *Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam*. Propinqui noſtri, amici noſtri habent viſcera marmorea, nulla reperitur manus charitativa quæ nos mittat in hanc piſcinam, quam Divinæ bonitas tua nobis paravit. In hac piſcina, ſicut in piſcina Probatica, ſunt *quinque porticus*: & hæ ſunt quinque modi, quorum interventu auxiliari poſſumus his animabus patientibus, jejunium, eleemoſyna, oratio, *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna* i.

i Tob. 12. 8

Indulgentiæ, *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* k.

k Sap. 7.14

Et ſanctum Miſſæ ſacrificium, *Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus exercituum* l.

l Malach. 1.11

Quos quinque modos deducam in hac Octava, poſtquam locutus ero de purgatorio, & de illius pœnis. Hodiè oſtendam vobis Primò, quòd eſt purgatorium. Secundò, quare Deus illud inſtituerit.

Diviſio

I. Pars

Non eſt aliquid certius, quòd eſt purgatorium. Huic veritati conciliat authoritatem praxis univerſalis Eccleſiæ, quæ offert quotidie Deo preces & ſuffragia pro ſublevandis animabus in purgatorio detentis. Ipſa facit Memento ſpecialiter eis affectatum in Miſſa, *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*. In Offertorio Miſſæ, Sacerdos orat ſummam Majeſtatem Dei, ut acceptare dignetur hanc Hoſtiam, quam ipſi offert in perſona Filii ipſius *pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis atque defunctis*. Ipſa inſtituit Miſſas pro defunctis, in quibus procuratur quies vitæ æternæ animabus mortuorum: & ipſa terminat omnes Horas Officiorum Divinorum per hanc pacem quam deſiderat generaliter omnibus animabus patientibus in flammis purgatorii, *Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace*.

Iſta praxis Eccleſiæ confirmatur verbo Scripturæ m, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*.

m 2. Mach. 12.46

Quod docet nos, quòd poſt mortem remanent in nobis aliqua peccata venialia, aut aliqua pœna pro peccatis mortalibus, quæ nobis remiſſa fuerunt, purganda. Agnoſcimus quidem, quòd Jeſus Chriſtus ſolus purgare poteſt per miſericordiam Patris ſui, & per meritum infinitum ſui ſanguinis, peccata omnium hominum, *Purgationem peccatorum faciens*, ait S. Paulus n.

n Hebr. 1. 3

Id eſt, peccatores emundans, ſeu peccata originalia & actualia merito ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis delens juxta illud Propheticum o, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et Joannes ait, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* p, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q.

o Iſai. 53.5

p Joan. 1. 29

q Dion. Carth. art. 1. in Hebr. 1.3

Sed etiam viæ applicandi effectus iſtius miſericordiæ, merita ſanguinis iſtius adorabilis, & hanc actualem purgationem, ſunt diverſæ: ideòque confitemur locum medium inter cœlum & infernum, quem juſtitia Dei deſtinavit ad conſummationem iſtius exactæ & integræ purificationis. In hoc loco detinentur animæ fidelium, quæ in exitu è corpore ſuo remanent oneratæ vel aliquibus culpis venialibus, aut aliquibus pœnis temporalibus, quarum ſunt ipſæ debitrices eidem juſtitiæ Dei, poſt dimiſſa ſibi peccata graviora ab illius miſericordiâ. Ipſæ igitur ſunt ibi ſub manu Dei, donec per ſupplicium ſatisfecerint juſtitiæ ejus, & omnino purgatæ & mundatæ, dignæ ſint ut ingrediantur gloriam Beatorum, & uniantur in æternum huic Spiritui adorabili, qui eſt puritas r ſuprema.

r Iſai. 6. 3

Verum quidem eſt, quòd Hæretici non conſentiunt nobiſcum ſuper hanc materiam: ipſi ſuſtinere non poſſunt, ut ſibi dicatur, quòd poſt iſtam vitam eſt ſtatus medius inter ſtatum Beatorum & ſtatum damnatorum, in quo animæ patientes aliquam pœnam pro offenſis quas commiſerunt in iſto mundo, poſſunt adjuvari jejuniis, eleemoſynis, orationibus, æquè ac aliis bonis operibus fidelium viventium (ſicut dicam in iſtius Octavæ decurſu) conformiter ad terminos Concilii Tridentini ſ, quod nihil amplius fert in deciſione ſuâ *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvenda vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio; antequàm ad Regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit.*

ſ Conc. Trid. ſeſſ. 6. can 30. & ſeſſ. 25. Decret. de Purgat.

Et, *Cùm Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, ex ſacris Literis* t, *& antiquâ Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſimè in hâc Oecumenicâ Synodo docuerit, purgatorium eſſe; animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris ſacrificio juvari; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis ut ſanam de purgatorio Doctrinam, à ſanctis Patribus, & ſacris Conciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, diligenter ſtudeant. Curent autem Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta piè & devotè fiant, & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus*

t ex 1. Cor. 3. 12. & 13

vel

vel aliâ ratione debentur, non perfunctoriè ſed à Sacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris, & aliis qui hoc præſtare tenentur, diligenter, & accuratè perſolvantur. Dicunt igitur Hæretici, quòd iſte ſtatus medius eſt imaginarius, & quòd cùm præfatus liber Machabæorum, quem allegamus, non ſit Canonicus, nullam fidem facit ut nos inducat ad credendum id quod recipimus ut unam è maximè neceſſariis veritatibus noſtris : & quòd ſanctus Auguſtinus, quem ipſi admittunt, dicit, quòd iſte liber legendus ſit cum ſobrietate. Sed iſtud non impedit quin ſit Canonicus : & ſi legendus eſt cum cautela, non ideò quòd illud quod ipſe continet, non ſit verum : ſed quia in hoc libro eſt aliquid quod debet potiùs eſſe objectum admirationis noſtræ, quàm imitationis noſtræ, ut ait Barbier *u* Capucinus poſt Bellarminum : *Dices, Auguſtinum dicere, debere ſobriè legi. Reſpondeo Auguſtino, eſſe Canonicum, licèt apud Iudæos non ſit : eſſe autem ſobriè legendum, non ob defectum veritatis, ſed ob aliqua quæ ibi admiranda, non imitanda ſunt, ut eorum qui ſe occiderunt x.* Et ſic cùm iſte liber ſit Canonicus, confirmat veritatem purgatorii.

u Barbier Capuc. in Compend. Controv. Bellarm. diſp. 6, controv. 1
x ex 2, Mach. 12, 40.

Sanctus Joannes *y* loquens de Jeruſalem cœleſti, dicit, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Et aliquantò antè *z* loquens de incolis ejuſdem Jeruſalem triumphantis, ait, quòd *veſtiti ſunt byſſino albo & mundo* in ſignum puritatis & innocentiæ. Sanctus Paulus *a* docet idem, cùm diſſerens de eadem Eccleſia triumphanti, dicit, *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Et Pſalmiſta *b* Deum deprecans, ait, *Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.* Quem locum commentans ſanctus Auguſtinus *c*, dicit eidem Deo, *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit.* Sanctus Matthæus *d* hanc nobis oſtendit veritatem per hæc verba, *Qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Certum eſt, quòd ſunt peccata, quorum culpa, vel pœna remittitur in altero mundo : atqui hæc peccata quæ inveniunt veniam in altero mundo, illam neceſſariò reperiunt vel in paradiſo, vel in inferno, vel in tertio loco, qui non eſt paradiſus, nec infernus : Locus iſte, non poteſt eſſe paradiſus, in quem non ingreditur aliquid inquinatum : infernus, non eſt locus remiſſionis, *Quia in inferno nulla eſt redemptio.* Et ibi juſtitia finalis exercetur æquè ſeverè ac æternaliter : reſtat igitur tertius locus, in quo aliqua peccata abſolvuntur & dimittuntur, mortalia quantùm ad pœnam, cujus aliquis erat debitor poſt Confeſſionem, & venialia quantùm ad totale. Dantur enim peccata venialia, ob levitatem materiæ, ſicut eſſet verbum otioſum, mendacium jocoſum, vel officioſum, vel propter defectum deliberationis : ita ut, ſi contingat ut homo, qui pluries diebus ſingulis cadit in imperfectiones, moriatur cum hac voluntate peccandi venialiter, non iturus ſit in paradiſum, quia inquinatus eſt iſtis ſordibus ; minùs autem in infernum, quia juſtus eſt : oportet igitur ut purgetur ab hujuſmodi inquinamentis, & hæc purgatio fieri debet in purgatorio, ibi mundari debet ab his imperfectionibus, in quas multoties quotidie labitur *Septies enim cadet juſtus*, ait Salomon *e*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *f*, *Septies enim in die cadet juſtus, id eſt, frequenter, præſertim in venialia, ſicque ponitur numerus determinatus pro indeterminato.*

y Apoc. 21 27.
z Apoc. 19 24.
a Epheſ. 5, 27.
b Pſ. 37, 2.
c S. Aug. in Pſ. 37, 2.
d Matt. 12 32.
e Prov. 24. 16.
f Dion. Carth. art. 24. in Prov. 24, 16.

Hæc peccatorum diverſitas obſervatur à ſancto Paulo *g*, cùm ait, *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam : uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur ; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit : mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur ; ipſe autem ſalvus erit : ſic tamen quaſi per ignem.* Et à Dionyſio Carthuſiano *h* poſt Apoſtolum ſic diſſerente, *Illa itaque dies, ſeu Dominus in die illa, declarat quale ſit opus hominis, quem ſtatim cùm mortuus fuerit judicat, quia in igne purgatorii revelatur ſeu declaratur, quale ſit opus hominis, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ſcilicet purum, vel impurum, ignis purgatorii probabit : non quòd omnes illum ignem ſuſtinebunt, quia nec de omnibus ſimpliciter eſt jam ſermo, ſed de his omnibus qui manent in fundamento hoc, hoc eſt, in Chriſto per gratiam, & ſuperædificant opera perfectionis, quæ non ardent, vel opera imperfecta quæ ardent. Si cujus opus manſerit immune ac liberum ab igne purgatorii, ut ſunt opera ſanctificata per aurum, argentum, & lapides pretioſos, quód ſuperædificatum eſt, hoc eſt, opus hoc in Chriſto, ſeu in fide fundatum, mercedem accipiet, & gloriam ſempiternam ſine mora, ita quòd evolabit. Si cujus opus arſerit in purgatorio, detrimentum patietur, pœnam luendo, gloriamque minorem habendo. Ipſe autem ſalvus erit, cùm fuerint opera ejus dignè cremata & expurgata : ſic tamen quaſi per ignem purgatorii, per quem tranſibit ad gloriam, quoniam non diſceſſit à fundamento, nec aliquid prætulit Deo : ſed ultimo fini magis inhæſit, quàm alicui bono creato, quàmvis à terrenis affectibus non fuerit ſatis mundatus.* Undè poſſumus agnoſcere differentiam quæ reperitur inter peccata venialia, & eorum puniones in purgatorio. Quia aliqua aſſimilantur ligno, & hæc ſunt peccata imperfectorum, quæ diutiùs durant in igne. Alia ſunt leviora, ſicut fœnum, qualia ſunt eorum qui profecerant in virtute aliquantulùm, & hæc minùs ardebunt quàm prima. Tandem, Alia ſunt leviſſima, non ſecus ac palea, & hæc ſunt peccata perfectorum, quæ multò minùs manebunt in igne quàm alia, quia citiùs quàm illa purgabuntur. Hanc autem differentiam idem Carthuſianus paulò antè ſic oſtendit, *Per lignum, fœnum, ſtipulam, intelliguntur peccata venialia triplicem gradum habentia, ut per lignum deſignentur peccata venialia magis tenacia & mortalibus viciniora, quæ ardebunt diutiùs, niſi modò purgentur, quemadmodum lignum diutiùs ardet quàm fœnum aut ſtipula. Per fœnum verò ſignantur peccata venialia medio modo ſe habentia. Per ſtipulam peccata leviſſima, quæ citiùs purgentur quàm prædicta, ſicut & ſtipula citiùs conſumitur quàm fœnum aut lignum.* Culpa igitur peccati venialis remittitur in purgatorio, ubi ſolvenda eſt pœna debita peccatis mortalibus, niſi pro iis ſatisfactum fuerit in hoc mundo Juſtitiæ Divinæ, ſicut patet in perſona Davidis, cui dixit Propheta Nathan, quòd Deus dimiſiſſet ipſi peccatum ipſius, *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Nihilominùs quòd filius ipſius eſſet moriturus in pœnam criminis ab ipſo patrati, *Veruntamen filius*

g 1. Cor. 3, 12, &c.
h Dion. Carth. art. 3. in 1. Cor. 3, 12, &c.

i 2. Reg. 12, 13, & 14. *lium qui natus eſt tibi, morte morietur* i. Quod innuit pœnas ſuſtinendas remanere in purgatorio poſt culpam remiſſam. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* ait ſanctus Paulus k.

k 1. Cor. 15, 29. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus l, *Alioquin quid facient qui baptizantur, hoc*

l Dion. Carth. art. 15, in 1. Cor. 15, 29 *eſt, lacrymis pœnitentiæ, ſeu aquis afflictionum perfunduntur pro mortuis, id eſt, pro remiſſione peccatorum mortuis impendenda, ſi omnino mortui non reſurgunt? Quaſi dicat, Inanis eſſet labor eorum, ſicut habetur de Iuda, quòd niſi eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis* m.

m ex 2. Mach. 12, 44. Poſt authoritates Scripturæ, & Conciliorum, ſanctus Auguſtinus n ait, *Qui fortè agrum non*

n S. Aug. l. 2. de Gen. contr. Manich. c. 20. *coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis* o, *& poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.*

o ex Gen. 3, 17. Et alibi p, *Temporarias pœnas alij in hac vita tantùm, alij poſt mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante*

p S. Aug. l. 21. de Civ. Dei, c. 13. *judicium illud ſeveriſſimum noviſſimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud judicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales.* Quin imò & Plato q, licèt Gentilitatis tenebris involutus, hanc

q Plato in Gorgia. percepiſſe videtur veritatem, cùm dixit, *Qui apud Deos & homines ita dant pœnas, ut utilitatem inde aliquando referant, hi ſunt qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor cruciatuſque prodeſt, & apud homines, & apud inferos: non enim aliter quis poteſt ab injuria liberari: qui autem extremâ injuſtitiâ detinentur, ac propter hujuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſique nullam ampliùs utilitatem inde reportant, utpote qui ſanari non poſſunt.* Quid dici poteſt expreſſius ad probandum purgatorium? Sed videamus quare Deus illud inſtituerit.

II. Pars. Ratio propter quam Deus inſtituit purgatorium, eſt ea quam vobis obiter tetigi, inter probationes quas vobis attuli ejuſdem purgatorii, nimirum, quòd virtute abſolutionis Sacerdotis, pœna peccati mortalis quæ debebat eſſe æterna & infinita, eò quòd peccatum mortale auſo ſacrilego aggrediatur perſonam quæ *non habet finem* r, mu-

r Baruch 3, 25. tatur in pœnam temporalem: quia cùm gratia, quæ nobis datur per hanc abſolutionem, ſit principium vitæ, & germen gloriæ, nos liberat à morte æterna, vel à janua inferni. Vel iſta eſt, ad purgandà in ipſomet purgatorio peccata venialia. Sed quòd non obſtante hàc gratiâ remaneat in nobis aliqua ſemper obligatio ad pœnam poſt remiſſionem peccati mortalis quantùm ad culpam, vel in hoc mundo, vel in altero ſcilicet in purgatorio ſuſtinendam, facile eſt viſu, ſi projiciatis oculos ſuper omnes miſerias quæ regnant in mundo, ſicut etiam ſuper hiſtorias veteris, & novi Teſtamenti.

Locuta eſt Maria contra Moyſen. Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix. Clamavitque Moyſes ad Dominum, dicens, Deus obſecro ſana eam. Cui reſpondit Dominus, Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtrà revocabitur. Excluſa eſt

s Num. 12, 1, &c. *itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus* s, licèt jam Deus dimiſiſſet ei peccatum ipſius. *Murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron cuncti filij Iſraël, dixeruntque alter ad alterum, Conſtituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum. Et ait Moyſes ad Dominum, Dimitte, obſecro, peccatum populi tui hujus ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto uſque ad locum iſtum. Dixitque Dominus, Dimiſi juxta verbum tuum. Attamen omnes homines qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto & in ſolitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam* t. Et, *Locutus* t Num. 14, 1, &c.

eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregatâ multitudine ante petram, dixitque eis, Audite rebelles & increduli, Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cùmque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron, Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis u. Deus u Num. 20, 7, &c.

impoſuit illis hanc pœnitentiam, quàmvis jam dimiſiſſet eis inobedientiam ipſorum. *Dixit Rex*, id eſt, David, *ad Ioab Principem exercitus ſui, Perambula omnes tribus Iſraël à Dan uſque Berſabee, & numerate populum, ut ſciam numerum ejus. Percuſſit autem cor David eum, poſtquàm numeratus eſt populus: & dixit David ad Dominum, Peccavi valdè in hoc facto: ſed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis. Surrexit itaque David manè, & ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam & videntem David, dicens, Vade, & loquere ad David, Hæc dicit Dominus, Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. Cùmque veniſſet Gad ad David, nunciavit ei, dicens, Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Dixit autem David ad Gad, Coarctor nimis: ſed melius eſt ut incidam in manus Dei (multæ enim miſericordiæ ejus ſunt) quàm in manus hominum. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, de manè uſque ad tempus conſtitutum* x. Tandem, Daniel y ait Regi x 2. Reg. 24, 1, &c.

Nabuchodonoſor, *Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Atqui hoc non y Dan. 4, 24.

poteſt intelligi de culpa: nam S. Paulus z ait, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt.* z 1. Cor. 13, 3

Eſt igitur intelligendum de pœna quæ ſuſtinenda eſt pro ſatisfactione culpæ dimiſſæ, vel in hac vita per bona opera, vel in purgatorio. Quod fuit cauſa propter quam David egit pœnitentiam, licèt Deus ipſi dimiſiſſet peccatum præfatum, cujus intuitu pœnitentiæ Deus tres illos dies peſtilentiæ ab ipſo acceptatos redegit ad unum, ſicut innuere videtur Lyranus a ſuper hæc verba, *Venit autem* a Lyr. in 2. Reg. 24, 18.

Gad ad David in die illa, dicens: *Et videtur loqui Scriptura de prima die peſtilentiæ. Ad hoc enim venit Gad, ut David offerret holocauſtum, & ceſſaret plaga inchoata.* Et nonne ſcitis id quod dicebat ſanctus Joannes Baptiſta? *Facite fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt* b. b Matth. 3, 8

Super quod omnes Doctores admittunt differentiam inter fructus pœnitentiæ & fructus bonorum operum ordinariorum. Primi, requiruntur à

pecca-

peccatoribus verè pœnitentibus. Secundò, exiguntur ab omnibus hominibus, à Baptiſmo uſque ad mortem, & hi ſunt fructus mandatorum Dei, quæ debent ſemper à Juſtis obſervari. Sed fructus digni pœnitentiæ ſunt opera laborioſa, quæ quis amplectitur voluntariè, abſtinendo ſe à voluptatibus licitis, & vacando exercitiis rudibus & difficilibus, ad quæ non obſtringebatur. Quid autem putatis quòd ſignificare vellet Dei Filius, cùm ſanato paralytico *triginta & octo annos in infirmitate ſua* habenti, qui eſt imago animarum languentium in purgatorio, dixit, *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*: niſi quòd illi qui ſanati ſunt à paralyſi animæ ſuæ, laborare debent, & agere pœnitentiam in iſta vita, vel quòd facturi ſunt eam in purgatorio?

Propter tres autem præcipuas rationes Deus à peccatore requirit aliquam ſatisfactionem poſtquàm ipſi culpa dimiſſa eſt. Prima eſt, ad puniendam puſillanimitatem, quâ cum converſus eſt: nemo enim conatur, quantùm poteſt, formare verum dolorem, & perfectam contritionem de peccatis ſuis. Secunda eſt, ne homo videns ſe liberum à peccato, ſi ſe videret etiam immunem à pœna ſuſtinenda, nimis de ſe præſumeret, & negligentior efficeretur in obſequio Dei, qui propterea ipſum continet in timore. Tertia eſt, ut reddat illum cōformem ſibi, dicens, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me* e. Non ait, meam, ſed, *ſuam*. Unde

e Luc. 9, 23.

procedit ut S. Paulus d dixerit, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*. Et aliquantò antè: *Si filii; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Et alibi e hortatur nos ad opera laborioſa, dicens, *In omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate*, &c.

d Rom. 8, 29, & 17.

e 2. Cor. 6. 4, &c.

Benè quidem, dicetis mihi, Auditores: ſed idem S. Paulus f ait, quòd Filius Dei morte ſuâ non ſolùm delevit peccata noſtra, & nobis vitam tribuit; ſed etiam delevit quandam obligationem, quæ erat contra nos, *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversùs nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis*. Hæc autem obligatio non erat aliud quàm pœnitentia, quæ debebatur peccatis noſtris, quæ nobis eſt peragenda in hac vita, vel in purgatorio: ſi ergo Dei Filius delevit hanc obligationem effuſione ſanguinis ſui, non eſt igitur opus ut multùm anxiemur ad hoc ut ſatisfaciamus huic obligationi: alioquin aſſereremus inſufficientiam paſſioni JESU Chriſti: & ſi S. Joannes g nobis aſſerit, quòd *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*: videmur inſimulare mendacii Spiritum ſanctum, qui loquitur per os ejus, aut velle facere Deum noſtrum crudelem, quaſi vellet bis punire eandem offenſam, contra id quod ſcriptum eſt h, *Non conſurget duplex tribulatio*. Seu, ſecundùm verſionem S. Gregorii i, & S. Cypriani k, *Non judicat Deus bis in idipſum*. Si enim omnia peccata noſtra punita fuerunt in perſona Filii Dei, ſicut ait Pater æternus, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* l: quare debitores adhuc ſumus juſtitiæ ejus in hoc mundo, vel in purgatorio? Sed abſit à nobis, Auditores, ut ita ſimus impii, ut attribuamus ſævitiam Deo, vel imperfectionem meritis Jeſu Chriſti. Confitemur quòd merita illius ſunt infinita, & quòd, ſi ipſe vel-

f Col. 2, 13 & 14.

g 1. Jo. 2, 2.

h Nahum 1, 9.

i S. Greg. l. 18, Mor. c. 12.

k S. Cypr. tract. de Dupl. Martyr. n. 19.

l Iſa. 53, 8.

let ea applicare ſecundùm totam noſtram neceſſitatem, ipſa ſatisfacerent, non ſolùm pro noſtris peccatis, ſed etiam pro criminibus mundorum infinitorum, ſi tot eſſent qui offendiſſent: ſed ipſe non vult hoc: non enim ad iſtud tenetur; & nobis ſufficere debet, quòd ipſe fecerit præcipuum; & poſthæc ipſe vult ut propter utilitatem noſtram aliquid faciamus in hac vita, vel ipſe id exigit à nobis in purgatorio; nunquid non id nos etiam velle debemus? Paſſio Filii Dei eſſet ergo ſuperflua: ſi enim una pars meritorum ejus nobis applicatur, quid agetur de altera? ad quid utilis erit tantus ſanguis quem ipſe effudit in cruce, ſi unica pars illius ſufficiebat? Ha! Auditores: iſtud non intelligitis, ſi ita loquimini: non dico quòd Filius Dei non applicuerit nobis niſi partem meritorum ſuorum: ipſe nobis ea omnia applicuit: alioquin dicendum eſſet, quòd non ſumus obſtricti toti ſanguini Jeſu Chriſti: ipſe nos lavit toto ſanguine ſuo, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* m. Sed non applicuit ea totaliter: omnia merita Filii Dei ſimul eunt indiviſibiliter: cùm enim ſint infinita, malè loquitur qui attribuit illis partes: operantur in unoquoque ſecundùm totam vim, quam habent, ſed non operantur id omne quod operari poſſunt. V. g. Deus facit arborem: peto à vobis, Deus fecitne hanc arborem potentiâ ſuâ? Etiam. Sed potentia Dei *non habet finem* n. Hæc autem arbor eſt finita. Ha nonne videtis quòd Deus non habet niſi unicam potentiam, & quòd hæc potentia eſt infinita? Ipſe igitur non poteſt aliquid facere, quod ipſe non faciat potentiâ ſuâ: ſed hâc potentiâ non facit ſemper id omne quod poſſet facere. Si verò velitis iſtius exemplum familiarius, Ecce mulier quæ loqui poterit quatuor horis continuis nedum conſpuat, ſicut dicitur, continget interdum ut ipſa non dictura ſit vobis niſi quatuor verba duntaxat: peto à vobis, Hæc mulier eſtne locuta vobis totâ linguâ ſuâ? Dicetis mihi quòd ſic: Sed ipſa non dixit vobis niſi quatuor verba, & aliquando ipſa loquetur totâ die. Quid intereſt? Ipſa eſt lingua ejus quæ loquitur, & ad hoc ut ipſa loquatur parùm, vel multùm, oportet ut ipſa moveat totam linguam ſuam: ſic meritum paſſionis Filii Dei eſt ſemper idem: & ipſe non poteſt vobis applicare minimam guttam ſanguinis ſui, & minimam actionum ſuarum, quin vobis applicet meritum infinitum, ſed ipſum non applicat infinitè, & non facit interventu meriti ſui id omne quod beneficio illius poſſet facere. Poſſet quidem nos abſolvere à culpa & à pœna, ſed ipſe vult nos ſubjicere pœnæ, ut duplici favore nos cumulet: uno, in eo quòd anima noſtra immediatè ſuas haurit utilitates ex ipſius merito per gratiam quam ipſe nobis dat, & per remiſſionem culpæ in Baptiſmo, & in aliis Sacramentis: altero, in eo quòd opera noſtra fundata ſuper gratiam ipſius, redduntur meritoria & ſatisfactoria, ut poſſimus habere paradiſum duplici titulo. Prout filii Dei adoptivi, poterimus habere illum per formam hæreditatis, *ſi filii; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti* o. Et virtute operum bonorum noſtrorum fundatorum ſuper iſtam gratiam, per formam mercedis, dicentes ſinguli cum S. Paulo p, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.*

m Apoc. 1, 5.

n Baruch 3, 25.

o Rom. 8, 17.

p 2. Tim. 4, 7. & 8.

Verùm quidem eſt, quòd ut oſtenderet potentiam ſuam, dimiſit aliquibus & pœnam & culpam

ſimul, ut Magdalenæ, *Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata; vade in pace* q. Dimas, (q Luc. 7, 48, &c.) ſeu bono Latroni, *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* †. Et mulieri adulteræ, († Luc. 23, 43.) *Dixit autem Ieſus, Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare* r. Sed ideò ut oſtenderet (r Joan. 8, 11, &c.) id quod ipſe facere poſſet erga omnes, ſi vellet: & tamen illi multas & magnas fecerunt pœnitentias vel ante, vel poſt abſolutionem ſuam: Magdalena in ſancta caverna plorans & jejunans toto tempore vitæ ſuæ: bonus Latro ex quo ſuſcepit hanc abſolutionem, paſſus eſt reſiduum martyrii ſui in ſatisfactionem culparum ſuarum: & mulier adultera, per pudorem quo ipſa ſuffuſa eſt, videndo ſe accuſatam coram numeroſa multitudine hominum, multum pertulit, & hoc ipſa paſſa eſt, meâ quidem ſententiâ, æquanimiter, cùm Dei Filius ipſam ſic ſuaviter exceperit. Sed quid vocas pati? dicetis mihi. Ergo omnes homines qui patientur aliquid in iſto mundo, ſatisfacient pro peccatis ſuis: & ſic unusquisque ſatisfaciet optimè: nemo enim eſt, qui non patiatur aliquid, cujuslibet ſit ipſe conditionis. Ha! Auditores, multum patimur, ſed parùm meremur; facimus opera laborioſa, & patimur res quæ poſſent eſſe ſatisfactoriæ, ſed ipſæ non ſatisfaciunt, eò quòd non dirigantur nec applicentur ad ſatisfactionem: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum* ſ. Omnia enim (ſ Agg. 1, 6) fiunt pro mundo; & dato quòd illa faceretis pro Deo, & ad ſatisfaciendum pro peccatis veſtris, hæc omnia ſunt exiguæ conſiderationis ad ſatisfaciendum pro minimo peccatorum veſtrorum, non dico ad omnem rigorem, juſtitiæ Dei, quod ſolus Dei Filius facere poteſt, cùm ſolus infinitè mereri potuerit, ſed nec juſtitiæ moderatæ, quæ mutavit debitum æternum in debitum temporale, quæque nobis tribuit poteſtatem & jus intrandi in paradiſum poſt peractam aliquam ſatisfactionem temporalem, aut in iſta vita, vel in purgatorio: *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ait S. Paulus t. Vocat (t Rom. 8, 18.) hujus mundi pœnas Apoſtolus eas quæ non tangunt alterum mundum: nam martyrium non vocatur pœna hujus mundi, cùm terminetur ad alteram vitam: & omne quod non eſt martyrium, vocatur pœna hujus mundi: & omne hoc non eſt dignum gloriâ, dico quod nos ad eam perducat immediatè ſine tranſitu per pœnas purgatorii. Deus vult ut anima noſtra purgetur igne, vel igne purgatorii, vel altero igne, qui eſt ſic ardens charitas & contritio de peccatis noſtris ut ſit veluti martyrium, contritio excellens, & non communis, quæ afferat animæ ſic acrem dolorem ac ſi martyrium pateretur, inſtar Magdalenæ, de qua dictum eſt, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* u. Illius enim contritio æqui- (u Luc. 7, 47.) valebat martyrio: nam, ut ait Dei Filius, *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* x. Sed omnes illi qui non (x Jo. 15, 13) habebunt hanc excellentem charitatem, certi ſint, quòd non obſtante gratiâ quam poſſideut, & remiſſione culparum ſuarum quam obtinuerint, tranſibunt per purgatorium: ſic ut redeam ad effatum S. Pauli y, *Uniuscujusque opus quale ſit ignis* (y 1. Cor. 3, 13.) *probabit*. Quòd omnia opera noſtra probabuntur uno è duobus ignibus iſtis, aut charitate ardentiſſimâ in iſto mundo, quæ pertranſeat communé, & quæ valeat Martyrium, aut flammis purgatorii, quod eſt inſtitutum à Deo propter hunc effectum, licèt culpa dimiſſa ſit per effectum Divinæ Miſericordiæ.

Ex toto iſto diſcurſu duas educere debemus reflexiones; primam pro nobis, ſecundam pro animabus purgatorii. Quantum ad nos: deſcendere debemus *in infernum viventes* z, id eſt, in purgato- (z Pſ. 54, 16) rium cogitatione, & continuâ memoriâ, ne fortè cogamur inviti illuc deſcendere realiter poſt mortem: non debemus renuere ibi adeſſe ſpiritu ad horam tantùm, ne compellatur tandem anima noſtra ibi commorari per multos annos. Re autem verâ quomodo fieri poteſt ut is non convertatur, & in meliorem emendationis vitæ ſe non recipiat frugem, qui applicat mentem ſuam tali cogitationi, quæ eſt una è maximè neceſſariis ad operandam ſalutem ſuam? *Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Nunquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi* a. (a Pſ. 76, 6 &c.)

Quantùm ad animas purgatorii; Ipſæ clamant è medio pœnarum ſuarum, & implorant auxilium noſtrum per hæc verba, *Domine, hominem non habeo*. Ipſæ deprecantur nos ut per compaſſionem deſcendamus uſque ad ipſas in purgatorium, quod eſt locus redemptionis, & conſideremus quòd Deus ipſas deſerit ut bonus Pater ad aliquantum tempus, ut filias ſuas adoptatas per gratiam, & *cohæredes* b gloriæ Filii ſui inter ſupplicia; non ut (b Rom. 8, 17.) ipſas perimat, ſed ut ipſas purget; non ut ipſas deſtruat, ſed ut ipſas inſtruat; non ut ipſas reddat *vaſa iræ apta in interitum*, ſed ut oſtendat *divitias gloriæ ſuæ in ipſas, ut in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam* c. Clamant ipſæ, *Miſeremini* (c Rom. 9, 22, & 23.) *mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me* d. Imploremus Divinam (d Job 19, 21.) miſericordiam ad hoc ut ſit illis propitia: & ſi compatiamur earum pœnis, ſi ſublevemus illas ſuffragiis noſtris, Deus mitigabitur, mutabit earum labores in quietem, ſupplicia illarum in delicias, & ipſarum miſerias in gloriam æternam.

SECUN-

SECVNDA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Jo. 5. 2. &c.

SEnior Tobias videns ſe redactum ad extremas anguſtias funeſtæ cæcitatis, ſermonem ſuum dirigens ad Deum in hoc ſtatu, qui nullum poterat ipſi ſubminiſtrare motivum conſolationis poſt amiſſionem illius quod habebat ipſe chariſſimum in mundo, dicebat, quòd affectus ſui, licèt omnes redacti ſub obedientiam ſummæ majeſtati ipſius, fluctuabant tamen inter timorem & ſpem, & quòd anima ſua ipſum deprecabatur humillimè ut dignaretur ipſam diſſolvere à catenis quæ alligabant ipſam mundo, & è ſervitute quæ ipſam inducebat ad ſuſpirandum adhuc diutiùs in vita ſic infelici, *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, dicens, Iuſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt: & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas, & judicium. Et nunc Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum*
a Tob. 3. 1. &c.
meum: expedit enim mihi mori magis quàm vivere a. Verum enim eſt (ajebat ipſe Deo) quòd, ſi ſua mors erat ipſi grata, ipſe educeret ex ea commodum, cùm ſatius ſit vitam terminare in innocentiâ, quàm illam tranſigere inter pericula ſcandaloſa, quæ ſervire poſſent ut motivum imprecationibus propinquorum ſuorum, & eſſe cauſa quæ ipſum induceret ad aliquam impatientiam. Quænam comparatio tenebrarum iſtarum exteriorum cum privatione quàm animæ languentes in purgatorio ſuſti-
b Sap. 5. 6.
nent luminis Solis *intelligentiæ* b. Et ſi cùm Angelus Raphaël *ingreſſus ſalutavit eum*, id eſt eundem Tobiam, *& dixit, Gaudium tibi ſit ſemper, ait Tobias, Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſe-*
c Tob. 5. 11. & 12.
deo, & lumen cœli non video c? quânam lætitiâ per-
f Pſ. 35. 10.
fundi poſſunt iſtæ animæ deſtitutæ *lumine, lumen* f non videntes æternum, quod incepit effundere radios ſuos ſuper terram *in utero* B. Virginis Mariæ,
g Luc. 1. 26. &c.
cùm *Gabriel ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria?*

Invenio in Scripturâ, quòd à mediatoribus ſollicitatur Rex David ad concedendam filio ſuo Abſalom gratiam, quam filius hic immanis & rebellis non merebatur, & ad permittendum ut juvenis iſte
h 2. Reg. 13. 28.
Princeps jam exul à *tribus annis* h inter populos extraneos, veniat frui ſuâ antiquâ ſuâ libertate, quâ potiebatur in domo patris ſui, qui præcipit ut revocetur filius ſuus in palatium ſuum, *Et ait Rex ad Ioab, Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalom. Surrexit ergo Ioab, & abiit*
i 2. Reg. 14. 21. &c.
in Geſſur, & adduxit Abſalom in Ieruſalem i. Cùm perveniſſet Abſalom ad locum, quem ſic deſiderabat, & quandiu expectabat frui intuitu patris ſui, ad quem ſic ardenter ſuſpirabat, ecce relatum eſt ei, quòd pater ſuus nollet ipſum videre; ideòque præcepiſſet ut abiret ipſe domum ſuam; ſupplicium maximum omnium illorum quæ ſeveriſſima juſtitia poſſit adinvenire ad puniendum filium, & tale, ut multi potiùs elegerint mortem, quàm vitam ſic infelicem, & putaverint futurum ſibi honorabilius mortem ſimul, quàm paſſu tot tormenta, & tot pœnas in ſic triſti & ſic probroſo receſſu, *Dixit autem Rex, Revertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat. Reverſus eſt itaque Abſalom in domum ſuam, & faciem Regis non vidit. Manſitque Abſalom in Ieruſalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* Repræſentate vobis quales aggreſſiones in cordibus iſtorum Principum, quale prælium juſtitiæ & miſericordiæ in anima patris, & quale certamen amoris & reverentiæ in corde filii, qui jugiter habet in cogitatione hoc ſuave & amabile ſubjectum, cujus, etiamſi ipſe ſit ei propior, non licet ipſi habere fruitionem, quæ eſſet ipſi favor charior propriâ vitâ ſuâ, *Obſecro ergo, ut videam faciem Regis.* Qualis afflictio animarum purgatorii, quæ languent quaſi paralyticæ per *triginta & octo annos*, & plùs, privatæ viſione Dei per pœnam damni; cujus pœnæ damni quatuor examinabo circumſtantias, quæ quadruplicem conſtituent diſ- Diviſio.
curſus iſtius partem.

I. Pars.
Animæ cruciantur in purgatorio pœnâ duplici, pœnâ damni, & pœnâ ſenſus: nam ſicut in peccato duæ ſunt res, averſio à Deo, & converſio ad creaturam, juxta iſtud effatum Jeremiæ k, *Quare a-* k Jer. 8. 5. & 6.
verſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium: ſic pœna damni, quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei, reſpondet averſioni à Deo; & pœna ſenſus, converſioni ad creaturam. Pœna damni eſt, quòd poſſeſſio paradiſi differtur, & quòd eodem inſtanti quo anima debebat illum ingredi, collocatur in carcere, ut ibi ſeverè crucietur. Dolor, quem iſtud cauſat, eſt maximus, cùm anima tunc videat ſe privatam ſummo Bono, ſic ardenter à ſe concupito, & quòd hæc privatio acciderit culpâ ſuâ; cùm poſſet ipſa in iſtâ vitâ interventu pœnitentiarum & bonorum operum ſatisfacere juſtitiæ Dei, & acquirere magnos theſauros in cœlo, cùm verum ſit iſtud Salomonis l dictum, l Prov. 13. 12.
Spes quæ differtur, affligit animam. Hæc eſt prima circumſtantia pœnæ damni (cùm ſim vobis locuturus craſtinâ die de pœnâ ſenſus) ſcilicet, hæc expectatio, quæ eſt cauſa doloris animarum purgatorii: nam ſpes iſta, quam ipſæ habent fruendi aliquando felicitate æternâ, dilata, eſt ipſis motivum afflictionis, nedum conſolationis: propterea ipſæ potantur, non calice vini puri, in quo continetur omne genus ſuavitatis; ſed hâc potione miſtâ iſtius expectationis, quæ facit ſeveriſſimum ſupplicium ipſarum, *Calix in manu Domini, vini meri, ple-* m Pſ. 74. 9.
num miſto, dicit Pſalmiſta m. Quam vertit Hugo n Hugo Card. in Pſ. 74. 9.
Cardinalis n in hunc ſenſum appoſitè ad rem noſtram, dicens, *Calix in manu Domini, vini meri, quantùm ad Sanctos qui ſunt in patria. Plenus autem miſto, quantùm ad Sanctos qui ſunt in via, & in purgatorio, quia gaudium quod habent de felici expectatione, non eſt merum, quia, ſecundùm quod dicitur, Spes quæ differtur,* &c. Et ſic iſta ſpes hoc modo dilata, magis ipſos affligit, cùm majus ſit bonum, videre Deum unico momento; & major felicitas, quàm frui omnibus voluptatibus, divitiis, & dig-

nitatib⁹, quas homo poſſidere poſſet in iſtâ vitâ, *Spes qua differtur, id eſt, à deſiderati boni adeptione retardatur, affligit animam cupientis, quam facit avidè & anxiè aſpirare ad bonum ſperatum, præſertim ad beatificam Altiſſimi fruitionem, ipſaque dilatio tanti boni affligit*, ait Dionyſius Carthuſianus o. Quantus igitur debet eſſe dolor animæ, quæ prout à corpore ſuo diſſoluta, capacem ſe videt iſtius viſionis, & eâ tamen ſe intuetur privatam ad tot momenta, horas, dies & annos. Quàm ingenti amaritudine animi afficeretur mulier nobilis, ſi veniendo à longè ad deſponſandum ſibi Regem, ſtatim ac acceſſit ad palatium Regium, mitteret ad ipſam ſponſus ſuus, ut ipſa expectaret per duos aut tres annos in ſtabulo donec ipſi gratior efficeretur, & abſtuliſſet aliquas exiguas maculas à facie ſua.

o Dion. Carth. art. 13. in Proverb. 13. 12

Iſtam Job p nos edocet veritatem, cùm ait, *Noctes laborioſas enumeravi mihi*. Quod LXX. vertunt, *Noctes dolorum data ſunt mihi*. Quòd noctes ſuæ, fuerunt noctes importunæ, impletæ doloribus intolerabilibus, Gloſſa Ordinaria legit, *Tenebras adverſitatum*. Et Lyran. ſcribens in hunc locū, *Quia laborioſum eſt expectare bonum deſideratum, ſecundùm illud, Spes quæ differtur, affligit animam*. Hâc præventus cogitatione idem Job, dicit etiam alibi q, *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*. Super quod idem Lyranus exponens hunc locum, ait, *Expecto, deſidero, donec veniat immutatio, id eſt, reſurrectio ad conditionem Bonorum. Dicit enim Apoſtolus r, Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Quia Boni & mali reſurgent, ſed Boni tantùm immutabuntur reſurgendo ad meliorem ſtatum*. Et paulò infrà, *Reſurrectio mea in corpore glorioſo*, dicitur in Morali apud Gloſſam Ordinariam. Re autem verâ jure meritò, poſtquàm idem *aperuit Job os ſuum, & maledixit diei ſuo, & locutus eſt, Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo* ſ, tandem contentâ voce cogitur inclamare, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* t. Quòd vita humana eſt bellum non intermiſſum, & quòd, ſi hæc ſemper durare deberet, nulla unquam eſſet pax, nec ullæ forent induciæ in terra, & quòd ſic dies apparent ipſi diuturniores, quàm vel ipſi ſint anni. Sed ſicut hæc deſideria ſunt inutilia, & vita eſt jactura irreparabilis, cùm nobis illam mors ſemel eripuit, expecto, dicit ſanctus iſte vir, Deum alloquens, favorem quem natura tribuere poteſt omnibus miſeris: & cùm non debeam ſperare ſecundam vitam poſt mortem meam, expecto ſaltem, Domine, quòd ſpiritui meo concedes ultimam conſolationem ſuam, & quòd veniet dies, quo exire me facies è tumulo meo, ut mihi tribuas fruitionem divinæ faciei tuæ: *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circundabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo* u. Miſeria eſt immodica homini miſero habere ſemper in cogitatione motivum miſeriæ ſuæ; & non poſſe ſe diſſolvere ab hac importuna cogitatione: & hæc eſt miſeria animæ patientis: ſemper ipſa cogitat bonum quod ipſa perdit in expectatione ſua. Ad videndam hanc ſpecioſam faciem Dei vel unico momento, omnia tormenta hujus mundi eſſent benè aſſumpta: & tamen ipſa tranſigit tot momenta, nec tamen iſtum glorioſum Dei vultum intuetur: quænam triſtitia juncta huic cogitationi, quòd peccata ſua præterita, ſunt cauſa dilationis iſtius, & motivum iræ Dei ſuper ipſam. *Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum: & abſcondam faciem meam ab eo: invenient eum omnia mala, & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Verè quia non eſt Deus mecum, invenerunt me hæc mala* x. Anima patiens, Deum diligit amore ardentiſſimo, & incomprehenſibili: Heu! quàm ingenti pœnâ afficitur ipſa cùm tandiu tardat videre eum: ipſa non eſt ampliùs alligata corpori, quod impediebat quin haberet ipſa has amoroſas impatientias. Inter creaturas reperiuntur aliquæ, quæ quaſi moriuntur in expectatione viſionis rei quam diligunt: qui aliquando dilexit, novit quid ſit ita expectare: propterea S. Auguſtinus y dicebat, Deum alloquens, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Quomodo autem cor noſtrum non eſſet inquietum, cùm non aliquod os, ſed ipſum cor ſitum ſit extra locum ſuum; quod eſt ſuppliciorum omnium maximum? Heu! *Nihil violentum durabile*, dicit prologium commune. Atqui anima patiens diu cum violentia detinebitur in purgatorio, nedum poſſit uniri Deo ſuo ad quem ſuſpirat. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie. Ubi eſt Deus tuus?* ajebat Pſalmiſta z. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus a, *Sitivit, id eſt, ardenter & calidâ affectione concupivit anima mea ad Deum fontem & omnipotentem vivum, & omnis vitæ fontale principium, à quo eſt vita naturæ, vita gratiæ, & vita gloriæ. Quando veniam de corpore mortis hujus ad impaſſibilem ſtatum, de exilio iſto ad Regnum, & de peregrinatione hujus viæ ad patriam. Et apparebo ante faciem Dei, ita ut ipſe mihi appareat, & ſeipſum mihi per ſpeciem manifeſtet. Hoc modo ſitivit anima Pauli ad Deum, qui clamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* b? *Moyſes quoque qui ait ad Dominum, Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te* c. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, hoc eſt, non ſolùm fuit mihi conſolatio, recreatio, atque refectio mentis ad Deum ſitientis, quòd præ deſiderio Dei interim lacrymari & ingemiſcere potui die ac nocte, hoc eſt, certis temporibus diei ac noctis. Spes enim quæ differtur, affligit animam* d. *Similiter deſiderium cruciat ardenter amantem donec uniatur dilecto. Tunc autem fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie Ubi eſt Deus tuus, in quo ſperas. & quem ita deſiderat* Vel contentâ voce inclamat hæc anima deſolata cum Ezechia, qui mox iturus erat in tenebras limbi Patrum, *Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viventium* e. Id eſt, non intuebor Deum Patrem, qui me creavit. *Non aſpiciam hominem ultra* f. Hoc eſt, Filium, de quo ſcriptum eſt, *Nunquid Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea* g? *Id eſt, Chriſtus Deus & homo genitus eſt in populo Sion, quoniam natus eſt ex Virgine glorioſâ, quæ eſt digniſſimum membrum in ipſa Eccleſia*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus h poſt Pſalmiſtam. *Et habitatorem quietis* i. Id eſt, Spiritum ſanctum, de quo poſt Iſaiam, per S. Bernardum k dicit Deus, *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?* Iſtæ ſunt querelæ animarum purgatorii, quæ per aliquot annos non videbunt in terra viventium, Deum Patrem, non intuebuntur Verbum incarnatum, nec aſpicient Spiritum ſanctum, licèt creatæ ad imaginem Trinitatis, ut eam videant in gloria: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* l.

p Job 7. 3
q Job 14. 14
r 1. Cor. 15. 51
ſ Job 3. 1. &c.
t Job 7. 1
u Job 19. 25. &c.
x Deut. 31. 17
y S. Aug. l. 1. Conf. c. 1
z Pſ. 41. 3. & 4
a Dion. Carth. in hunc locum.
b Rom. 7. 24
c Exod. 33. 13
d ex Prov. 13. 12
e Iſai. 38. 11
f Ibid.
g Pſ. 86. 5
h Dion. Carth. in hunc locum.
i Iſai. 38. 11
k S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt ex Iſai. 66. 2
l Gen. 9. 6

Primum ſupplicium dolorum paralytici noſtri

fuit

fuit expectare *triginta & octo annos* in piſcina, ubi erat remedium curandæ infirmitati ipſius opportunum. Expectatio multam pœnam cauſat, & inter omnia tormenta quæ affligunt cor, non reperitur majus, quàm expectare, juxta prædicta verba Salomonis m, *Spes quæ differtur, affligit animam.* Litera hebraica dicit, *Spes protracta, infirmitas cordis.* Morbus cordis eſt moleſtiſſimus, cùm Deus ipſemet eo utatur velut exaggeratione ad oſtendendum dolorem ſuum, quaſi verò iſtius eſſet ipſe capax, *Tactus dolore cordis intrinſecus* n. Eſt enim dolor cordis acutiſſimus omnium: quòd ſi eſt acerrimus univerſorum dolorum, cùm à Salomone *ſpes protracta, infirmitas cordis* vocatur, idem eſt ac ſi diceret Sapiens, quòd maximum tormentorum omnium eſt expectare, & quòd ingentiſſimum univerſorum ſuppliciorum eſt deſiderium quod non eſt adimpletum: quia pœna expectationis dilatæ tanta eſt ut non poſſit ſatis remunerari.

[m Prov. 13,12] [n Gen. 6,6]

S. Ambroſius o ſuper hæc verba S. Matthæi p, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit:* ait, *Multos quidem in hoc ſeculo, qui ſua pauperibus donaverunt, uberiore theſauro locupletatos fuiſſe cognovimus. Sed non debent à Domino ſecularem hujuſmodi exigere mercedem: ſed magis quia ii qui omnia reliquerint, Deus portio eſt. Ipſe eſt utique merces q perfecta virtutum, qui non centupli enumeratione, ſed perfecta plenitudinis æſtimatione cenſetur. Ego, inquit, Deus tuus ſum* r. *Non dixit, ero, ſed jam ſum, jam inhabito, jam poſſideo. Aufert dilationem, ubi invenit Iuſti confeſſionem.* Licèt vita æterna remuneret ultra condignum, Deus promittens charitativis vitam æternam, pollicetur etiam eis bona temporalia in hoc mundo, ad mitiganda deſideria gloriæ quæ expectatur, quia dilata, hæc deſideria nos affligunt immodicè: ut autem Deus ea ſublevet, nobis in iſta vita dat bona temporalia, quæ ſunt pignora bonorum alterius vitæ. In cœlo cognoſcemus quanta eſt hæc pœna, cùm videatur Deus ibi non remunerare niſi ſpem gloriæ quam Juſti habuerunt, ſicut ait Iſaias ſ, *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ.* LXX. vertunt apud ſanctum Hieronymum in hunc locum, *Erit Dominus Sabaoth corona ſpei, quæ compacta eſt gloria.* Non dicit Propheta, quòd Deus erit corona jejuniorum, pœnitentiarum, macerationum, & aliarum virtutum exercitarum propter amorem ipſius, ſed ſolùm, *Erit Dominus Sabaoth corona ſpei.* Quia non eſt pœnitentia, nec martyrium æquivalens pœnitentiæ vel martyrio ardentis deſiderii, & ſpei dilatæ, juxta verba prædicta, *Spes protracta, infirmitas cordis.* Quod evidenter apparet ex eo quòd homines malunt privari voluptatibus & deliciis, quàm eas diu expectare. Videte hoc in parabola nuptiarum, quas Rex fecit filio ſuo. *Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterùm miſit alios ſervos, dicens, dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata: venite ad nuptias* t. Sed quare cum hac conditione, quòd ſtatim ac adeſſent, menſæ aſſiderent? Ideò quia invitati primâ vice timebant ne diu expectandum eſſet ad celebrandas nuptias, propterea *nolebant venire*, & maluerunt illis ſe privare, quàm illas expectare. Quod cùm ſciviſſet Rex, miſit denuò præ hac certitudine, quòd univerſa eſſent diſpoſita, quòd ſolùm eſſet menſæ aſſidendum, nedum eſſet aliquid expectandum, *iterùm miſit alios ſervos, dicens, Dicite invitatis, Omnia parata: venite ad nuptias.*

[o S. Ambr. octon. 8 in Pſ. 118. 57] [p Matth. 19,29] [q ex Matth. 5,12] [r ex Gen. 17,7] [ſ Iſai. 28,5] [t Matth. 22,2. &c.]

Non eſt aliquid intolerabilius quàm expectare. Judas cruciabatur, cùm ſtatuiſſet vendere Dominum ſuum, *Dicit ei Ieſus, Quod facis, fac citiùs* u. Non imperat illi poſitivè & per præceptum, ut exequatur pravas intentiones ſuas; nam cùm Jeſus Chriſtus ſit origo boni, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* x, non poteſt eſſe Author mali, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* y. Hoc fuit permiſſio, quam obſtinatio Judæ merebatur. Sed quare hæc permiſſio, cùm per eam conſequenter Judas deberet incurrere jacturam ſuam, ſicut & re verâ tandem *laqueo ſe ſuſpendit* z? Ha! Auditores, in hac permiſſione erat miſericordia: nam *Iudas quærebat opportunitatem ut eum traderet* a. Judas angebatur hoc deſiderio, ideòque miſertus illius, *dicit ei Ieſus, Quod facis, fac citiùs.* Ita verum eſt quòd non eſt pejor carnifex, quàm deſiderium. Ad quod conformiter recenſetur de Rutilia matrona Romana, quòd habens filium ſic nequam, ut decreto Senatus exulaverit Româ propter diſſolutiones ſuas, maluit exilium pati, quàm deſiderium revidendi illius, ideòque ſecuta eſt eum ad exilium. Deus affligit animas purgatorii deſiderio videndi ſuîipſius: quale martyrium his animabus languentibus permanſiſſe *triginta & octo annos*, & diutiùs in ſpe videndi illius, nedum tamen eo frui potuerint, licèt ipſe eſſet propè, & ecce ſecunda circumſtantia,

[u Jo. 13,27] [x Jacob. 1,17] [y Pſ. 5,5] [z Matth. 27,5] [a Matt. 26, 14. & 16]

[II. Pars]

Paralyticus non ſolùm torquebatur malo ſuo, & ſpe recuperandæ ſanitatis ſuæ, ſed etiam eò quòd videret remedium curando morbo ſuo opportunum, nedum tamen eo poſſet uti, & illud applicare infirmitati ſuæ: ipſe habebat corpus ſuum extenſum contra piſcinam, quæ erat remedium ſanandæ eidem infirmitati ipſius accommodum, nec poterat obtinere ſanitatem; junctus erat bono, nedum poſſet illo frui; & videbat remedium ſuum, nedum poſſet illud habere, *Erat ibi*, dicit Evangeliſta noſter. Id eſt, velut alter Tantalus qui ſiti peribat in aquis Eridani fluvii, nedum poſſet ex iis bibere. Tormentum crudelius eſt, habere remedium malo ſuo curando congruum propè ſe, & non poſſe eo frui, quàm ſi remedium eſſet remotum: tunc enim malum tolerabilius eſſet, & pœna minùs dura, & toleratu facilior, *Attollens Ioſeph oculos, vidit Benjamin fratrem ſuum uterinum. Feſtinavitque, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit* b. LXX. vertunt, *Convolvebantur enim inteſtina ejus ſuper fratrem ſuum: torquebantur viſcera ejus.* Sed unde procedebat hæc pœna Joſeph, cùm haberet ante ſe fratrem ſuum, quem ita ſæpè deſideraverat? Reſpondet ſanctus Ambroſius c, *Quia complectendi ejus, quem deſiderabat, libertas differebatur.* Amor fraternus inducebat ipſum ad blandiendum fratri ſuo; ſua verò dignitas Proregis Ægypti invitabat ipſum ad ſe moderandum: ſicut frater, debebat illum ſuaviter excipere; & prout primus poſt Principem, cujus poſſidebat ipſe cor, & participabat authoritatem, continere ſe debebat in geſtu pompatico: præſentem videbat illum, quem ſic ardenter concupierat; & tamen compellitur præ maxima ſtatus politici ut ſe exhibeat indifferentem illi, quem ſic tenerè diligebat. *Torquebantur viſcera ejus.* Non eſt tormentum crudelius quàm videre bonum propè ſe, & non poſſe eo frui, ſicut contingit animabus in purgatorio languentibus.

[b Gen. 43, 29. & 30] [c S. Ambr. l. de Joſeph c. 10]

In

rei Cain non poterat intueri niſi torvis oculis fratrem ſuum Abelem. Quòd cùm ita ſit, conſiderate dolorem animarum quæ ſunt in purgatorio, quæ vident quòd multæ aliæ ſunt in cœlo, quandiu ipſæ languent in pœnis. Videte hoc in perſona paralytici noſtri, & quale tormentum ipſe ſuſtinere poterat, videndo quòd alii infirmi redirent ſani, quãdiu ipſe manebat ſemper infirmus. Peccata earum proculdubiò merentur tale ſupplicium; Deus enim ſolitus eſt ſic hominum peccata caſtigare, permittens ut indigentia quam ſinit evenire peccatoribus ſit propè abundantiam Juſtorum, ut videntes miſeriam ſuam in proſperitate iſtorum, plùs affligantur. Præterquàm quòd gloria eſt ſpecies inferni, ſi quis eam poſſideat, nedum tamen illa fruatur, quod eſt quarta circunſtantia,

IV. Pars.

Unde colligo, quòd pœnæ animarum languentium in purgatorio debent eſſe magnæ, ſicut dolores quos noſter paralyticus patiebatur, erant immodici. Infirmitas quam languens iſte ſuſtinebat, diffundebatur per totum corpus & per omnia mẽbra ipſius, cùm ipſemet hoc fateatur, dicens, ſe nullo modo poſſe movere ſemetipſum, nec conſequẽter ſe projicere in aquam: quæ autem pœna poteſt eſſe major, & quis dolor vehementior, quàm habere membra, & non poſſe illis uti, habere corpus & non poſſe eo frui? Dicamus igitur, quòd cùm non poſſet uti corpore ſuo, erat plùs in pœna quàm in gloria: eſt enim ſpecies inferni, habere gloriam, & non poſſe eâ frui: & ſic animæ languentes in purgatorio, habent gloriam per anticipationem, cùm habeant gratiam quæ eſt gloria inchoata; ſed ipſæ nondum fruuntur eâ, ipſæ patiuntur pœnam damni, quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei, quæ facit maximum ſuppliciorum ipſarum. Ille qui intravit ad nuptias, *non habens veſtem nuptialem, ligatis manibus & pedibus ejus, in tenebras exteriores* q miſſus eſt, ut nunquam videret lumẽ. Nonne præſtitiſſet præcidere ei pedes & manus, quàm illum ſic in tenebras ejicere? Nequaquam: eſt enim majus tormentum, habere manus & pedes, & non poſſe illis uti. Sophonias r loquens de divitibus avaris, qui nolunt eſſe miſericordes erga pauperes, ait, *Diſperierunt omnes involuti argento.* Sed quare Deus non punit illos, permittendo ut latrones ſuffurentur eis divitias ipſorum, non autem ut ſolùm diſpereant *omnes involuti argento*? Ratio iſtius eſt, quia argentum & aurum ipſorum ſerviunt ipſis vice tormẽti majoris, cùm ipſis nullo modo proſint: nam bonum, quod quis poſſidet, nedum eo fruatur, eſt maximum malorum omnium, quia, ut ait Philoſophia, *Contrariorum eſt eadem ratio & diſciplina.* Quare impius & ſacrilegus ille qui tradidit Jeſum Chriſtum, vocabatur Judas, quo ſignificatur confeſſio? debebat enim potiùs vocari confuſio, vel negatio, cùm, ut perfidus diſcipulus, negavent leges divinas & humanas, quas cuſtodire debebat in favorem Domini, qui ipſum ſic ſibi devinxerat ſ, cui tempore teterrimæ malitiæ ipſius, & executionis deteſtabiliſſimorum conſiliorum ſuorum, *Ieſus dixit, Iuda, oſculo filium hominis tradis* t? nedum præciperet terræ ut dehiſceret ad eum deglutiendum; aut cœlo, ut ſua vibraret fulmina ad illum conterendum. *Fermè hoc ad ipſum dixit, admonens eum per ipſius appellationem: Iudas enim vocatur confeſſio: intellige, Accepiſti argentum, confitere citò*, ait S. Cyrillus Jeroſolymitanus u. Jeſus vocavit eum conſultò Judam, ut invitaret eum ad implendum nomen ſuum, & ad confitendam culpam ſuam. Sed ille perfidus & contumax noluit effiagitare veniam. Quare ergo defert nomen ſic honorabile ac nomen confeſſionis? Ut nomen ipſius faciat ipſum pati pœnas ſeveriores in inferno: quid enim prodeſt habere nomen confeſſionis, & non poſſe eo uti, niſi vice tormenti ingentis; cùm non ſit quid quod plus affligat, quàm habere bonum, & non poſſe eo frui? Confeſtim ac Adam vento *de fructu comẽdit*, eundem *Dominus Deus ejecit Adam: & collocavit ante paradiſum voluptatis*, ait Scriptura x. S. Chryſoſtomus y autem ſubdit, quòd *miſericordiæ argumentum oſtendit. Non enim hoc ſolùm miſericordiæ & benignitatis argumentum erat, quòd emittebat, & ejiciebat: ſed & quòd contra paradiſum illum habitare faciebat, ut jugem dolorẽ haberet, quotidie cogitans unde exciderit, & in quem ſtatum ſe conjecerit.* Cùm non ſit ſupplicium gravius, quàm habere bonum, & non poſſe eo frui. Secundùm hanc doctrinam, Jeſus Chriſtus fuit valdè miſericors erga paralyticum, qui habebat in corpore ſuo tot infirmitates: nam liberavit eum à malo ſpei dilatæ, à pœna habendi bonum prope ſe, nec valendi eo frui, à dolore quem cauſant propriæ adverſitates intuitu proſperitatum alienarum, & à morbo habendi bonum, & non valendi eo frui, quæ ſunt quatuor circunſtantiæ quas obſervamus in animabus languentibus in purgatorio, inſtar iſtius paralytici, *triginta & octo annos in infirmitate ſua*, & plùs: quas debemus conari ſublevare, poſtquàm aliquantulùm pro nobis fecerimus reflexionem.

q Mat. 22. 12. & 13

r Sophon. 1. 18

ſ Luc. 6. 13. & 16. & Jo. 13. 5. & 26 & 12. 6

t Luc. 22. 48

u S. Cyrill. Jer. Catech 13

x Gen. 3. 6. &c

y S. Chryſoſt. hom. 18. in Gen. 3. 23. & 24

Faciamus igitur ſuper totum diſcurſum iſtum duas reflexiones, unam pro nobis, alteram pro animabus quæ ſunt in purgatorio. Ha! quàm proficua nobis eſſet meditatio pœnarum quas ibi patiuntur hæ animæ, ſi vellemus ei vacare. Cùm ſomnium Regis Nabuchodonoſor didiciſſet *Daniel, cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi unâ horâ: & cogitationes ejus conturbabant eum.* Sed quænam proportio, ſi placet, inter punitionem quam Deus exercuit *ſuper Nabuchodonoſor, Et ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comẽdit* z, per ſeptem annos inter beſtias, & pœnas acerrimas quibus affligit animas quæ ſunt in purgatorio? Nunquid non eſt facilius victu inter feras, quàm in privatione viſionis Dei? & nonne acerbius eſt toleratu pœnas incomprehenſibiles per *triginta & octo annos*, & plùs, quàm per ſeptem annos ſolùm? Et tamen pœnæ illius Principis, comparatæ pœnis animarum quæ ſunt in purgatorio, non ſunt niſi veluti pœnæ momentaneæ.

z Dan. 4. 16. &c

Quod ſpectat ad iſtas animas, eas adjuvare debemus ſuffragiis noſtris, ſicut volemus aliquando adjuvari bonis operibus ſucceſſorum noſtrorum. Nihil amittemus, applicantes pro eis opera noſtra ſatisfactoria: hæc enim charitas augebit merita noſtra, & minuet pœnam peccatis noſtris debitam, ſtatuendo ſatisfacere ex iſta vita, juſtitiæ Dei pro pœna quam ipſæ meruerunt quandiu unitæ erant corporibus ſuis in hoc mundo. *Deus dilectionis* †, aperi portas cœli his animabus patientibus, & languentibus *amore* * tuo divino, Ipſæ ſunt Sponſæ tuæ: quantùmvis exiguum pertulerint, ita multum paſſæ ſunt: tormentum eſt tormentorum, non videre Dilectum ſuum: ipſe diligis eas incredibiliter, ſed dilige eas uſque eò ut miſerearis amoroſorum ſuſpiriorum ipſarum, & oſtendas eis quàm citò ſpecioſiſſimam faciem tuam in gloria.

† 2. Cor. 13. 11

* Cant. 2. 5

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Jo. 5. 2. &c.

Vidit aliàs ſanctus Joannes in *inſula qua appellatur Patmos, in ſpiritu, ſimilem Filio hominis, præcinctum ad mamillas zonâ aureâ* a. Quaſi inſtitutus eſſet hâc viſione, quòd ubera Verbi incarnati ſic repleta fuerunt miſericordiâ ut homines omnes per totam vitam ſuam ſugere poſſent ex iis gratam dulcedinem lactis ejus. Magdalena, erat proſtituta, *Mulier erat in civitate peccatrix* b. Erat *Saulus ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* c. Uterque adhæſit his divinis uberibus, & ex eis hauſit lac ſapidiſſimum miſericordiæ. De illa dicitur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Iſte verò ait de ſeipſo, *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam Dei conſecutus ſum. Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu* d. Sed ſi quis ſuas non educat utilitates per iſtam vitam ex iſtis divinis uberibus, ipſa ſic clauduntur ut ex ipſis manare non poſſit vel unica lactis guttula: quod eſt inuſitatum conſideratu quòd præcinctæ ſint iſtæ divinæ mamillæ *zonâ aureâ*. Ad ſignificandum, quòd cùm miſericordia figurata per aurum, nobis oblata fuerit in iſta vita; ita claudetur poſt mortem, ut non ſimus ampliùs illius effectus experturi, niſi tardè: animæ purgatorii ſibi conciliare poterant hanc glorioſam prærogativam quàndiu unitæ ſuis erant adhuc corporibus, adhærere poterant his divinis uberibus. Sed ſi non reperiunt modò lac in ipſis in favorem ipſarum, ipſæ invenient lac in uberibus Dominæ Suffragii, quæ eſt Mater ejuſdem miſericordiæ, *Ego mater pulchræ dilectionis* e. Quam ipſa concluſit *in utero* ſuo, poſtquàm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a Apoc. 1. 13. &c
b Luc. 7. 37. &c
c Act. 9. 1
d 1. Tim. 1. 13. & 14
e Eccli. 24. 24
f Luc. 1. 31. & 28

Non poteſt quis dignè loqui de igne, cujus nunquam expertus eſt ardores & violentiam: linguæ non ſunt ſatis diſertæ, nec Oratores ſunt ſatis facundi, nec noverunt niſi de illo balbutire. Debet ſcire quis quid ſit pœna, ad hoc ut de illâ loquatur ſicut decet; nec eſt aliquid quod poſſit meliùs aliquem illâ inſtruere, quàm ipſa experientia. Propterea fortaſſis aliàs Judæi ibant conſultum capita mortuorum, ut ab illis diſcerent oracula, alloquebantur cineres defunctorum, ut edocerentur nuntia alterius vitæ, & jure merito: nam homines nobis adulantur; ſive quia neſciunt id quod in illa peragitur, ſive quoniam non audent illud dicere, veriti ne nos timore & tremore concutiant. Ideòque dives epulo, flammis cruciatus, efflagitabat ab Abraham, ut mitteret Lazarum prædicatum fratribus ſuis, eoſque monitum infortunii ad quod erat ipſe redactus, & quod imminebat eorum capitibus, & quo erant infallibiliter involvendi, niſi in bonam emendatæ vitæ frugem ſe reciperent, *Elevans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus. & ipſe clamans dixit. Pater Abraham, rogo te ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum* g. Utinam aliqua ex iſtis animabus in purgatorii flammis patientibus veniret ad edocendos vos rigores pœnarum ſuarum; ad tangenda corda veſtra miſeratione, per conſiderationem ſuppliciorum, quæ ſentiri poſſunt; ſed non exprimi. Ipſæ quidem ſunt ad gloriam deſtinatæ, ſed nunquam pervenient ad illam felicem manſionem niſi ex transverſis ignibus & flammis: ipſæ ferri debent in paradiſum in curru igneo, ſicut cùm *ecce currus igneus, & equi ignei, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum* h. Nec dicere debent Deo cum ſancto Laurentio Martyre; *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*, niſi poſtquàm tranſiverint per craticulas ſicut ille, & dixerint eidem Deo æquè ac ipſe, *Igne me examinaſti* i. Id eſt, niſi poſtquàm cruciatæ fuerint flammis purgatorii. Cùm ergo vobis heri locutus fuerim de pœna damni, volo vobis hodie diſſerere de pœna ſenſus, quam ipſæ patiuntur, & vobis oſtendere tres illius circumſtantias in tribus partibus.

g Luc. 16. 23. &c
h 4. Reg. 2. 11
i Pſ. 16. 3
Diviſio

Ad hoc ut eamus ad Deum, creaturæ nobis ſerviunt loco gradus & ſcalæ, cujus interventu ad illum aſcendamus: *Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* k. Sed ad hoc ut veniamus ad creaturas, deſcendere debemus à Deo; & ab illo educere univerſarum actionum noſtrarum regulam; & à pœnis quas ipſe *paſſus eſt pro nobis* l in paſſione ſua, judicare de pœnis & ſuppliciis quæ tolerari poſſunt. Paſſio Jeſu Chriſti cognoſci poteſt duabus viis, nimirum, effectus & cauſæ. Effectus ejus, fuit gloria paradiſi; quam nobis acquiſivit, cùm perdidiſſemus eam per peccatum. Theologia dicit quòd gloria cœli eſt infinita propter objectum ſuum quod eſt Deus, qui *non habet finem* m. Si effectus eſt infinitus, ergo cauſa eſt infinita, cùm ordinariè cauſa tantam debeat habere perfectionem, quantam effectus ſuus: paſſio fuit igitur infinita quoad effectum ſuum. Secundò, Pervenitur ad illius notitiam per cauſam, quæ non eſt alia niſi amor, qui induxit Dei Filium ad ſuſtinendum hunc exceſſum paſſionum pro nobis, licèt inimicis ſuis: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt* n. Atqui ſicut ipſe erat infinitus, ſic ipſius paſſio fuit infinita, & quantùm ad effectum, & quantùm ad cauſam: atqui pœnæ animarum patientium in purgatorio ſunt incomparabiliter majores paſſionibus Salvatoris, & conſequenter omnibus illis quæ tolerari poſſunt in iſta vita, quod eſt prima circumſtantia pœnæ ſenſus, quam ipſæ patiuntur in illo ergaſtulo juſtitiæ Dei. Quia Jeſus Chriſtus patiebatur in corpore

I. Pars
k Rom. 1. 20
l 1. Petr. 2. 21
m Baruch 3. 25
n Rom. 5. 8

pore, animæ verò iſtæ patiuntur in ſpiritu ; & in omnibus potentiis ſuis : atqui quò delicatior eſt pars, ſed etiam acrior eſt dolor : unde procedit ut, ſi paleâ tangatur manus mea, non experiar inde dolorem ; ſed ſi eâdem paleâ tangatur vel leviter pupilla oculi mei, ſtatim inde emanant lacrymæ. Quare ? Quia pars iſta delicatior eſt illâ. Sic ſi Martyres paſſi ſunt, ſua tormenta pertulerunt in ſolo corpore ; propterea cecinerunt in medio ſuppliciorum ſuorum ; aſſati, cruciati, deriſerunt Tyrannos ; & eorum tormenta, ſicut & illorum carnifices ſeu miniſtros ; quos inſimulaverunt infirmitatis ; accuſantes eos quòd præ ſe non ferrent ſatis crudelitatis ad examinandam ipſorum conſtantiam & generoſitatem ad ſuſtinenda magnanimiter ſupplicia quæ ſibi ab ipſis infligebantur. Omnes iſtæ pœnæ erant exteriores, ipſæ non tangebant animam : ſed in igne purgatorii paſſio ſuſtinetur in hac parte, quæ cùm ſit ſpiritualis, eſt etiam nobilior ; & delicatior, ideòque dolor ipſius eſt acrior. Propterea ſtans

b Jo.19.25 *juxta crucem Jeſu Mater ejus* o, plus paſſa eſt quàm omnes Martyres ; ideòque vocatur ab Eccleſia *Regina martyrum*. Quia toleravit in anima ſua, juxta prædictionem ſancti Simeonis, *Tuam*

p Luc.2.35 *ipſius animam pertranſibit gladius* p. Imò verò plusquàm Martyr à ſanctis Patribus : ait enim ſanctus Bernardus q, *Martyrium ſanè Virginis, tam in Simeonis prophetia, quàm in ipſa Dominica Paſſionis hiſtoria commendatur. Poſitus eſt hic (ait ſanctus ſenex de parvulo Jeſu) in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam (ad Mariam autem dicebat) pertranſibit gladius. Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertranſivit, Alioquin non niſi eam pertranſiens carnem Filii tui penetraret. Et quidem poſtea quàm emiſit ſpiritum tuus ille Jeſus* r *(omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus) ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, qua ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet) aperuit latus* ſ, *ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut plusquàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus. Annon tibi plusquàm gladius fuit ſermo ille reverà pertranſiens animam, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus* t*: Mulier, ecce filius tuus* u*? O commutationem! Joannes tibi pro Jeſu traditur, ſervus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, Filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licèt ſaxea, licèt ferrea, pectora ſola recordatio ſcindit? Non miremini, Fratres, quòd Maria Martyr in anima fuiſſe dicatur.*

q S. Bern. ſerm de Ver. A. po. 12. 1. Signum magnum, &c.

r ex Joan. 19.30

ſ ex Joan. 19.34

t ex Hebr. 4.12

u Jo.19.26

Acerrimum tormentum, quod affligit has animas patientes, eſt ignis, qui ſic ardens eſt, & ſic urens, ut nunquam homo vivens tantum pertulerit, quantum patiuntur animæ ex iſto igne intolerabili. *Gravior erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita. Hic ignis etſi æternus non ſit, eſt tamen miro modo gravis*, ait ſanctus Auguſtinus x.

x S. Aug. in Pſ.37.2

Qui propterea ſic Deum deprecatur, *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit.* Hic ignis eſt idem ac ignis inferni, nec unus eſt activior altero; & hæc ſola datur inter utrumque differentia, quæ attenditur penes durationem, quæ in uno eſt æterna, & in altero temporalis. Cæterò uterque ſic activus eſt, ut ignis noſter, quantumvis extraordinarium ſit ipſius incendium, & ingens ipſius activitas, non ſit niſi velut ignis pictus, comparatus his ambobus. S. Auguſtinus y ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, ait, *Nõ erit iſte ignis ſicut focus tuus, quò tamen ſi manum mittere cogaris, facies quidquid volueris qui hoc minatur. Si dicat tibi, Scribe contra caput patris tui, ſcribe contra capita filiorum tuorum; nam ſi non feceris, manum tuam mitto in focum tuum : facies ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non ſemper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, & facis malum : minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum, nec minæ te compellere deberent; à bono faciendo, nec minæ te terrere deberent. Minæ enim Dei, minæ æterni ignis prohibent à malo, invitant ad bonum. Unde piget, niſi quia non creditis? Excutiat ergo unuſquiſque cor ſuum, & videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum judicium, Fratres, benè vivamus.*

y S. Aug. in Pſ.49.3

Sed quomodo fieri poteſt ut ignis materialis agat ſuper animas, quæ ſunt ſpirituales? Super illas agit non ſecus ac aqua, quæ ſanctificat illas in Baptiſmo, *Quæ eſt materiale elementum, corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans*, ait Dionyſius Carthuſianus z. Deus utitur igne ſicut inſtrumento juſtitiæ ſuæ ; & licèt ille ignis ſit ejuſdem naturæ cujus eſt noſter ; tamen agit potentiùs quàm noſter, qui habet limites, quos præterire non poteſt, calidus, ajunt Philoſophi, uſque ad octavum gradum, poſt quem non poteſt ultra progredi: ſed ignis purgatorii, cùm ſit inſtrumentum juſtitiæ Dei ; elevatur à Deo, quantùm placet omnipotentiæ ipſius, ita ut pœna ejus ſit acrior futura intra unam horam, ſi Deus velit, quàm dolor quem infligere poſſet ignis noſter intra decem annos : Deus tribuit illi igni tantam virtutem & vim ; quantam ipſe vult. Sed quamnam vim habebit ignis ille? *Ignis, cùm ſit anguli peracuti ; penetrabilior eſt naturâ cæteris elementis, ac iiſdem efficacior*, ait Plato a. Nunc quænam erit vis iſtius ignis purgatorii creati à Deo cum angulis ſic ſubtilibus & ſic acutis ; ut velut inſtrumentum juſtitiæ vindicativæ Dei ; intimam pervadat uſque ſubſtantiam animæ? Iſtæ igitur languentes animæ ultra pœnam damni, quam patiuntur in his locis ſubterraneis ; quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei ; ſuſtinent etiam pœnam ſenſus, quæ eſt maxima omnium pœnarum, quæ tolerari poſſunt in iſto mundo: Congregate ; ſi velitis, Auditores, in cumulum omne id quod univerſi Martyres ; hi generoſi & invincibiles milites Jeſu Chriſti paſſi ſunt propter cauſam ejus ; & ob defenſionem veritatis Chriſtianæ quam profitebantur ; eorum torturas ; ſupplicia ; patibula ; cruces, ſecures ; rotas novaculis, gladiis, & unguibus armatas ; balnea aquæ glacie conſtricta ; cacabos oleo fervente repletos ; craticulas ignitas ; fornaces accenſas, tandem univerſa illa quæ rabies perſecutorum Eccleſiæ, & membrorum ejus, quæ ſunt fideles, comminiſci potuit violenta & acerba ad exercendam magnanimitatem generoſorum iſtorum fidei defenſorum coacervata, ſi velitis etiam, illud omne, quod paſſus eſt Job ; quem *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus : qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* b: & univerſum illud quod inſigniſſimi malefactores pertulerunt unquàm quantumvis acerbum propter enormia crimina ſua punienda : hæc omnia ferè nihil ſunt compara-

z Dion. Carth. art. 8. in Joan. 3.5

a Plato in Timæo.

b Job 2.7. & 8.

Digitized by Google

ratione pœnarum purgatorii, quæ ſuperant omnes majores qui tolerari poſſunt.

Cum *venit Ieſus in villam quæ dicitur Gethſemani, procidit in faciem ſuam, orans: iterùm ſecundò oravit: iterùm oravit tertiò* c. Hâc autem tertiâ vice, quâ *factus in agonia, prolixiùs orabat, factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decidentis in terram* d. Dicunt aliqui, quòd tunc ipſe ſibi repræſentavit, & præ ſuæ mentis oculis poſuit omnes pœnas & torturas, univerſa tormenta & ſupplicia, quæ ſuſtinere debebant Sponſæ ſuæ, animæ Electorum ſuorum in hoc ergaſtulo purgatorii, ubi juſtitia ipſius vindicativa purgat eas ab ipſarum ſordibus. Quòd ſi ſola idea ſeu repræſentatio iſtius ignis & rigoris flammarum ipſius, potuit educere ſudorem ſanguineum è venis Salvatoris mei; judicate, ſi placet, quantus futurus eſt dolor quem infliget hic ignis, cùm actu toleranda erit illius violentia.

c Matth. 26.36. &c

d Luc. 22. 43. & 44

II. Pars.

Mala, quæ patimur in iſto mundo, cauſata à peccatis noſtris, non ſunt niſi velut alphabetum tormentorum alterius mundi. Puer qui diſcit legere, pronunciat ſeparatim quamlibet literam, ſed ille qui confirmatus eſt in lectura, pronunciat totum verbum, & ſyllabas conjunctas: dolores iſtius mundi ſunt literæ diviſæ, velut a, b, c: cùm dolemus capite, nec oculus, nec brachium ſentiunt iſtum dolorem: ſed in altero mundo omnes iſti dolores uniuntur, omnes iſtæ partes congregantur ad torquendum majori activitate: Hîc violentus dolor impedit ſenſum alterius: ſed in altero mundo omnia mala ſenſum ſuî imprimunt: atqui ut videamus quantùm pœnæ purgatorii ſunt terribiles, hoc cognoſcemus per locum Tertulliani e, à quo ignis alterius mundi vocatur *jugis ignis*. Id eſt, ignis ſemper in actione, quod eſt ſecunda circunſtantia pœnæ ſenſus. Duplex eſt iſtius loci expoſitio. Prima ſumitur ab illis, qui condemnantur propter exceſſum vitiorum ſuorum, qui criminoſâ temeritate ſuâ contendunt deſtruere majeſtatem Dei, quia peccata mortalia directè adverſantur Deo; quibus ignis inferni, quaſi ratione vigeret, dicit, Maledicti damnati, qui conjuraſtis deſtructionem & ruinam Dei, nunc volo vos deſtruere, & vos conſumere. Sed ſicut damnati confuſi fuerunt in conſiliis ſuis, ſic ignis invanùm exequi conabitur intentum ſuum; propterea ſemper erit in actione continuâ, & perſiſtet jugiter in hoc exercitio. Secunda expoſitio eſt, quòd ignis alterius vitæ ſic eſt activus, & ſimul ſic diſcretus, ut videantur hæc activitas & hæc diſcretio ipſi provenire à cæcitate ſua. Ignis iſtius mundi habet duos effectus, ardorem, & lumen; ſed ignis alterius mundi, non habet niſi ardorem, cùm ſua cæcitas eripiat ipſi claritatem. Iſte conceptus eductus eſt è ſancto Gregorio f, qui ait, *Dum damnatus quiſque foris flammâ ſuccenditur, intùs cæcitatis igne devoratur, atque in dolore poſitus, exteriùs interiùſque confunditur, ut ſuâ deteriùs confuſione crucietur.* Ignis iſte eſt cæcus, & ideò ſine claritate: ſic idem contingit igni purgatorii quod homini cæco, qui amittens ſenſum viſus, acquirit ampliorem perfectionem quantùm ad ſenſum tactus, & defectum illius reparat ſubtilitate iſtius, ut videre eſt in cæcis, qui æquè induſtriè & appoſitè tangunt organa & alia inſtrumenta muſica ac Muſici perſpicaces. Ratio autem illius eſt, quòd defectus viſus reparatur perfectione tactus. Sunt aliqui cæci tanto præditi judicio ut vel ſolo tactu cognoſcant qualitatem hominum, & quomodo ſe gerere debeant cum illis: ignis purgatorii cæcus eſt, ſed defectus claritatis ipſius, cum uſura remuneratur & reparatur ſubtilitate tactus ipſius: re autem verâ, quaſi ratione vigeret, tactu cognoſcit qualitatem animarum, & diſcernit quale ſupplicium unaquæque debeat pati, habitâ ratione gravitatis offenſarum. Hoc eſt quod ſignificant hæc verba, *jugis ignis*. Scilicet, ignis, quem cæcitas reddit activum & promptum, ſemper in actione ad cruciandos eos qui in hac vita ſeminaverunt vitia, peccata, & imperfectiones: non enim colligere debent in altera vita niſi turbines & tempeſtates pœnarum.

e Tert. in Apologet. c. 48

f S. Greg. l. 9. mor. c. 39

Inter alias plagas, quas Deus inflixit Pharaoni, ſuperbo & contumaci illi Monarchæ Ægyptiorum, locum habuit flagellum tenebrarum, *Sint tenebræ ſuper faciem Ægypti tam denſæ, ut palpari queant. Et factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat*, ait Scriptura g. Et poſt eam Cornelius h, *Et factæ ſunt tenebræ horribiles. Hebraicè, tenebræ caliginis, id eſt, maximè caliginoſæ & denſiſſimæ, ideòque horribiles. Nam primò, erant tantæ, ut eſſent palpabiles. Secundò, duraverunt tres dies & noctes. Tertiò, fuerunt in univerſa terra Ægypti. Quartò, in eis non viderunt ſeſe invicem Ægyptii, nec moverunt ſe lecto vel loco ſuo, quaſi eſſent vinculis in carcere conſtricti, ut ait Sapiens* † , *cum interim reliqui homines toto orbe, quin & Hebræi in Ægypto, clariſſima luce fruerentur. Quintò, non audebant præ pavore Ægyptii loqui, comedere, aut è cubili ſurgere, ſed per ſilentium fame cruciabantur, nulli vacantes ſenſui, niſi ut præſens malum ſentirent. Addunt Septuaginta, cum tenebris fuiſſe turbinem, procellam & tempeſtatem. Nemo vidit fratrem (proximum) ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat. Hebraicè, & non ſurrexit vir de ſubter ſe, quaſi diceret, de ſede, vel loco cui inſidebat. Septuaginta, & non ſurrexit ullus ex cubili ſuo: nimirum attoniti tanto prodigio, præſertim in tenebris tam horrendis poſiti, omnia formidabant, ut ſe loco movere non auderent. Metuebant enim, ne, ſi ſe moverent, in ſpectra & monſtra, aut præcipitia incurrerent: nam ex tam inſolitis tenebris putabant totum mundi ordinem perverti & diſſolvi. Unde Sapientiæ 17. 18. dicitur, Ægyptios fuiſſe tunc quaſi catena quadam vinctos, & in carcere recluſos, ideòque miſerabiles tunc emiſiſſe voces, quæ ab Hebræis audirentur: omni enim Solis, cæli, ignis, candela, omnique omnino lumine orbati erant. Unde Philo, Ignis, ait, quo utimur, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à craſſiſſimis tenebris. Et Sapiens* i *ait: Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere.* Sed quales erunt tenebræ purgatorii? Tenebræ Ægypti fuerunt palpabiles, & non duraverunt niſi per tres dies & tres noctes; ſed tenebræ purgatorii ſunt incomprehenſibiliter horribiliores, ipſæ ſemper erunt in actione, id eſt, ignis tenebroſus, qui comburet animas patientes, nedum tamen illas illuminet, nullam dabit eis intermiſſionem, donec illas omnino purgaverit: *Antequàm vadam, & non revertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo inhabitat* k. Quid igitur? ajebat Job, Deum alloquens, ipſe qui *teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* l, velut in theatro mi-

g Exod. 10. 21. &c

h Cornel. in Exod. 10. 22. & 23

† ex Sap. 17. 18

i Sap. 17. 5

k Job 10. 21. & 22

l Job 2. 8

miſeriarum ſuarum. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi m?* Nonne deſideria ſic juſta, vota ſic legitima, & ſupplicationes ita rationabiles exaudientur aliquando? Et ſi numerus annorum qui faciunt texturam vitarum noſtrarum, ſic breves habet viciſſitudines, nunquid non mihi dabitur aliqua mora, nonnulla intermiſſio inter rigores paſſionum mearum? nonne mihi tribuentur aliqua momenta ad ſuſpirandum præ omni libertate? Domine, non puto quòd velis mihi denegare ita juſtam ſupplicationem: & hæc eſt etiam unica, quam tibi propono, priuſquàm mundum deſeram: obſecro autem te per hæc ultima ſuſpiria, antequàm deſcendam in illam regionem horribilem, quam ſemper operiunt tenebræ, & in qua nunquam videntur niſi phantaſmata circundata confuſionibus, pavoribus, & tædiis non interruptis, quæ ſunt ſub umbris mortis, ubi hæc implacabilis tenet homines ſub legibus ſuis.

m Job 10, 20.

Ubi, ſi placet, obſervate, quòd terminum iſtum tenebrarum Job quater repetit: loquitur enim de tenebris, de caligine, de umbra, & de horrore. Litera Hebraica, verſionis vulgatæ verba, *ad terram tenebroſam*, legit, *in terram tenebræ.* Et LXX. dicunt, *ad terram tenebrarum, ubi non eſt lux, neque eſt videre vitam hominum.* Id eſt, tenebrarum ita denſarum, ut ne tantillum videatur inter ipſas lumen, quod illuſtrare poſſit hanc noctem horribilem. Heu! in altero mundo jugiter ignis eſt in actione, habet vim urendi, ſed lumine privatus eſt, ad augendas pœnas animarum patientium, ut ait S. Baſilius n ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Vox Domini intercidentis flammam ignis. Diſſecta eſt equidem ignis flamma, juxta hiſtoriam trium puerorum in Babylonia, quando ad quadraginta novem cubitos fornax diffuſa eſt. & omnes circùm circà ſtantes ambuſſit o. Diſſecta autem præcepto Dei, ſpiritum in ſe ſuſcepit, ut ſupplicii quidem ignis obſcurus ſit, lux verò requiei expers, urendi, id eſt, vis permaneat.* Sicut in fornace Babylonis, Deus ſeparavit calorem ignis à ſplendore ignis: ſic in purgatorio ſeparat calorem ignis à ſplendore ignis. Nec mirum, aderat *in medio ignis ſpecies quarti ſimilis Filio Dei* p. Sed hîc non adeſt ille, qui eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem* q. Et cujus præſentia illuminat noctem, non ſecus ac diem, *Et nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*, dicitur apud Pſalmiſtam r. Et apud Dionyſium Carthuſianum ſ, *Et nox, id eſt, caligo limbi, ſicut dies illuminabitur, me ad inferos deſcendente. Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Poteſt etiam accipi de tenebris limbi, & lumine ejus, quod à Chriſto recipit.*

n S. Baſil. conc. 5. in Pſ. 28, 7
o ex Dan. 3 47, &c.
p Dan. 3, 92.
q Joa. 1, 9.
r Pſ. 138, 12.
ſ Dion. Carth. in hunc loc.

Præfatus Job t loquens de hoc igne tenebroſo, qui eſt ſemper in actione, nec ullam indulget intermiſſionem, dicit, *Devorabit eum ignis qui non ſuccenditur.* Imaginor videre has animas patientes in hoc ſtatu miſeratione digno, ubi jugiter cruciantur hoc igne tenebroſo, quem ultio Divina accendit ad ipſas puniendas, nedum ſit ibi aliqua interruptio, vel ulla diminutio, vel conſuetudo reddat ipſarum pœnas minùs acres, ſicut contingit pœnis iſtius mundi, quæ ſublevantur ſomno, viſitatione amicorum, colloquiis, applicatione mentis aliis rebus, & conſuetudine. In quamnam ſe convertent ergo partem? & quònam confugient, ut inveniant ibi aliquod aſyli genus? cùm undequaque ſint ipſæ cinctæ cumulo tenebrarum, nec videant niſi ſpectra quæ ipſas terrore concutiunt, & umbras peremptrices, & flammas miraculoſas quæ aluntur ſeipſis, & ubi ipſæ non videbunt quamdiu ibi torquebuntur, niſi imaginem ſupplicii ſui. Sanctus Gregorius u explicans iſtum locum Job, dicit, *Gehennæ ignis, cùm ſit incorporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur: ſed creatus ſemel, durat inextinguibilis, & ſuccenſione non eget, & ardore non caret.* Litera Hebraica pro, *non ſuccenditur*, legit, *non ſufflatus.* Vel, quod idem eſt, Nicetas in Gloſſa Ordinaria dicit, *Aquila, Theodotion, & Symmachus, Non excitatus flatu, id eſt, non conſultò accenſus, ſed caſu, ut qui greges Iobi conſumpſit* x. Et Iſaias y ait, quòd ſpiritus iræ Dei more torrentis ſulphurei impetuoſi accendit hunc ignem miraculoſum, ut illum foveat jugiter in actione ſua. *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Id eſt, Tophet. Super quod ait Pintus z, *Tophet erat locus prope Ieroſolymam in valle filiorum Ennon, quò cadavera & alia immunda projiciebantur. Sed quæ hic de Tophet dicuntur, loco illi, qui eſt prope Ieroſolymam, convenire non poſſunt, ſed inferno, pro quo hic accipitur, & de quo Iſaias in præſenti loquitur. Ait igitur Propheta, hunc locum eſſe præparatum à Rege, hoc eſt à Deo, ab heri, hoc eſt, ab initio mundi, & eſſe profundum & capaciſſimum, juxta id quod ſuprà* a *dixerat, Dilatavit infernus animam ſuam. Præterea, Dicit eſſe ignem, quia Deus accendit flatu ſuo pyram, quemadmodum ignis ſulphure injecto ardet, & alitur.* Ignis qui ſervit uſibus noſtris in iſto mundo, & quem accendimus flatu, non habet ſemper eamdem & æqualem flammam; ſed per quædam intervalla cùm flamma incipit minui, ipſe illam elevat, & roborat: ſed ignis alterius mundi, qui non indiget alimento, nec flatu, eſt ſemper idem, perſeverat jugiter in eadem ſtabilitate, non minuit actionem ſuam, nec unquam deprimit ardorem ſuum, nunquam extinguitur, ſed ſemper manet in eodem gradu violentiæ qui eſt ipſi ordinarius. Quod induxit ſanctum Chryſoſtomum b ſcribentem ad Theodorum lapſum, ut eum relevaret à caſu ſuo hâc conſideratione, ad dicendum ei, *Cùm ignem audis, ne arbitreris eſſe ſimilem huic igni: accenſus enim deferveſcit, & mutatur: ille ardet perpetuò, nunquam intermoritur. Hic quidem non ſimul contingunt vehementia pœnarum, & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis corporis, immortalitate autem ſuccedente ſolvitur hæc pœna.* Et Eccleſiaſticus c ait, *Ignem ardentem extinguit aqua.* Id eſt, quòd noſter ignis extinguitur aquâ: ſed ignis purgatorii ardebit vel in ipſa aqua. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, ait ſanctus Paulus d. Non dicit Apoſtolus, manum, quia Deus in iſto mundo non utitur ordinariè niſi unâ manu, *Manus Domini tetigit me*, dicit Job e. Et Pſalmiſta f, *Poſuiſti ſuper me manum tuam.* Et alibi g, *Gravata eſt ſuper me manus tua.* Videte quomodo utatur hîc manu in numero ſingulari: ſed in altero mundo adhibebit manus in numero plurali, *Horrendum eſt incidere in manus, id eſt, in judiciariam poteſtatem & juſtum rigorem Dei viventis, præſertim poſt vitam præſentem;* ſubdit Dionyſius Carthuſianus h præfatis verbis Apoſtoli. In hac vita gladius Dei eſt in vagina miſericordiæ ipſius; ſi percutit nos interdum, iſtud agit ipſâ

t Job 20, 26.
u S. Greg. l. 15. Mor. c. 17. in Job 20, 26.
x ex Job 1 16.
y Iſai. 30, 33.
z Pintus in Iſa. 30, 33.
a Iſa. 5, 14.
b S. Chryſ. Epiſt. 5. ad Theod. lapſum.
c Eccl. 3, 33.
d Hebr. 10 31.
e Job 19, 21.
f Pſ. 138, 5
g Pſ. 31, 4.
h Dion. Carth. art. 10. in Hebr. 10, 31.

 hoc

hoc gladio, quatenus eſt in vagina clementiæ ipſius, ſed unicâ manu: ſed in altera vitâ percutit animas purgatorii gladio juſtitiæ ſuæ extra vaginam duabus manibus, *Ecce ego ad te, ejiciam gladium meum de vagina ſua* i.

i Ezech. 21 3.

III. Pars.

Tertia circumſtantia pœnæ ſenſus, quam animæ patiuntur in purgatorio, eſt duratio, vel longitudo ſuppliciorum ipſarum. Multæ animæ manent ibi per multos annos: dici poteſt igitur, quòd diu manent animæ in purgatorio, quia quantùmvis parùm ibi maneant, tempus ibidem tandiu durat, & dies unus qui ibi tranſigitur, durat mille annos, *Et cùm de die judicij ſcriptum ſit, quòd erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies unus: unde ſcit unuſquiſque utrùm diebus aut menſibus, an fortè etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus?* ait S. Auguſtinus k.

k S. Aug. Serm. 41, de Sanctis, qui eſt 4, de Animab. Def. ex Pſ. 89, 4

Habemus figuram durationis & longitudinis pœnarum animarum purgatorii in peregrinatione quam filii Iſraël aggreſſi ſunt in deſerto, ut, pervenirent ad terram promiſſionis, ad cujus poſſeſſionem ſuſpirabant magnis aviditatibus: hanc facilè peragere poterant itinerationem intra ſpatium quadraginta dierum: ſed quia inſurrexerunt in cœlum, & levaverunt ora ſua contra Providentiam, & murmuraverunt contra Deum, & adverſùs Moyſen, quem idem Deus ipſis propoſuerat, quique vices agebat ejuſdem Dei, non exierunt ex hac peregrinatione niſi poſt quadraginta annos; & cum multo labore: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens, Vſquequò multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Querelas filiorum Iſraël audivi. Dic ergo eis, Vivo ego, ait Dominus: ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun. Parvulos autem veſtros, de quibus dixiſtis quòd prædæ hoſtibus forent, introducam: ut videant terram quæ vobis diſplicuit. Veſtra cadavera jacebunt in ſolitudine. Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram; annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam: quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit adversùm me: in ſolitudine hac deficiet, & morietur* l. Idem contingit animabus languentibus in purgatorio, quæ quia neglexerunt vacare bonis operibus quandiu ſuis erant unitæ corporibus, & ſic defectu meritorum, coguntur ibi pati diu in ardoribus incomprehenſibilibus pœnam, quam ſolvere potuiſſent in iſta vita intra tempus exiguum meritis ſuis, incumbendo praxi pœnitentiæ, *Sicut deſignari videtur Ezech. 4. 5. & 6. Fili hominis, diem pro anno: diem, inquam, pro anno dedi tibi. ut filiis Iſraël factū eſt, qui ideò quòd malè ſe habuerint in deſerto: viam quam potuiſſent feciſſe per quadraginta dies, vix perfecerūt in deſerto per quadraginta annos: quia pœna, de qua poſſet homo expediri, dum vivit, in ſpatio unius diei, protenditur in purgatorio per ſpatium unius anni*, dicit Vincentius Bellovacenſis m. Ratio autem quæ induxit Deum ad decernenda hæc ſupplicia ita longæ durationis, atque ac tantæ violentiæ, quam nulla ſequitur intermiſſio, eſt, quòd homines qui quantùm ad maximam partem parùm ſoliciti ſunt de præſervandis ſe ab offenſa Dei, facilè ſtatuiſſent ferre pœnas purgatorii, quod fuiſſet brevius, minùſque moleſtum, præſertim ſi data fuiſſet aliqua intermiſſio inter ipſius pœnas, & habenas laxaſſent præ exceſſu omnibus criminibus abſque timore juſtitiæ Dei.

l Num. 14 26, &c.

m Vinc. Bellov. in Specul. Mor. diſt. 11 c. 1, §. 1

Dicite nunc mihi, delicati, qui voluptatibus & deliciis diffluitis, qui nihil pati vultis in iſta vita, qui ſicut idola corpora veſtra colitis, Quid fiet de vobis in altero mundo? Quandiu corpora veſtra erunt cibus vermium n, animæ veſtræ flammis ardebunt, *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* ait Iſaias o. Et poſt eum Pintus p, *Eſt enim Deus ignis comburens impios, juxta id quod in Deuteronomio q ſcriptum legimus: Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt. Et in Epiſtola ad Hebræos r: Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt. Deus eſt ignis, ut hic aſpicis: homo autem fœnum, juxta id quod ait alio loco Iſaias ſ: Omnis caro fœnum. Si igitur peccator es fœnum, Deus autem ignis devorans & conſumens, cur cum Deo contendis? Nonne fœnum comburetur igne? Nonne incendio flagrabis? Quomodo audes aridum fœnum cum igne devorante pugnare? O audaciam incredibilem, & inſipientiam intolerabilem! Vis more gigantum, quorum impium facinus antiqui fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Deo ipſi bellum inferre, dæmoni autem te conjungere & ſociare. Revertere ad teipſum, & conſidera tuam miſeriam & fragilitatem, Dei autem omnipotentiam, & immenſam magnitudinem.* Ha! ſi ſerio cogitaremus de iſto igne, ſi immoraremur ſicut deceret in hac cogitatione ſalutari, non autem perfunctoriè & obiter, ſicut leviter manum tranſire facimus ſuper ignem, ſed manum noſtræ mentis teneremus immobilem ſuper hunc ignem purgatorii, quàm proficua nobis eſſet utilitas, quam inde educeremus. Cùm enim hîc levi pœnitentiâ eluere poſſimus reatus noſtros, quæ inſania eſt differre illos ad tam dirum tormentum? Attendere debemus ad eos qui purgatorium aliquando viderunt, & ad vitam redierunt, quid poſteà fecerint, ut narrant nobis Hiſtoriæ. Sancta Chriſtina poſt obitum ad purgatorium deducta: poſteà ad corpus reducta, pro liberandis animabus, quas ibi viderat, mirabilia egit: Ingrediebatur enim ardentes clibanos, ubi horrendè cruciebatur, ſine læſione tamen exibat. Cùm Dei Filius de tormentis ſuæ paſſionis imminentis cogitabat, *factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram* t. Et tamen paſſio Salvatoris nunquam pervênit ad rigorem pœnarum purgatorii, ſicut docet ſanctus Thomas u. Iccirco cum ...letantiæ Job à diabolo percuſſi *ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio*, vocem eripuerunt tribus Principibus amicis ipſius, qui *audientes omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo. Condixerant enim, ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur. Cùmque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſíſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem* x. Quid autem eſſet, ſi attentè cogitaremus horribilia ſupplicia purgatorii? *Pericula inferni invenerunt me*, ait Pſalmiſta y. Et Dionyſius Carthuſianus z,

n Iſa. 14, 11
o Iſa. 33, 14.
p Pintus in Iſai. 33. 14.
q Deut. 4, 24.
r Hebr. 12, 29
ſ Iſa. 40, 6 ex Eccl. 14 18.
t Luc. 22, 44
u S. Th. 3, q. 46, a. 6 ad 3.
x Job 2, 7, &c.
y Pſ. 114, 3
z Dion. Carth. in Pſ. 114. 3.

Peri-

Pericula inferni ſunt omnia illa quæ hominem trahunt ad ſpiritualem interitum. *Hæc pericula non ignorabat beatus Iob* † *qui ait, Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Quare? Quia non facimus ſuper ea reflexionem, quæ eſt prima.

† Job 6,4.

Secunda reflexio, quam facere debemus ſuper hunc diſcurſum, eſt conſiderare, quòd animæ parentum, propinquorum, & amicorum noſtrorum, quæ patiuntur in purgatorio, à nobis efflagitant aliquod levamen a pœnis ſuis interventu ſuffragiorum noſtrorum. Sed quænam crudelitas, ſi clamores earum lamentabiles audire recuſemus? Ipſæ clamant ad nos ſingulæ, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* *. Ipſæ non erunt immemores iſtius beneficii, quo ipſas nobis devinciemus, ipſæ vices nobis reddent reciprocas, cùm mediis noſtris ſuffragiis & bonis operibus noſtris, quæ pro ipſis Deo præſentaverimus, ipſæ pervenerint ad gloriam ſempiternam.

* Job 19, 21.

IV. DIE INFEA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum: Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua,
Joann. 5.2, &c.

TAnta ſocietas eſt inter membra corporis ejuſdem ut adjuvent ſe adinvicem cùm neceſſitas id exigit, inviolabili fidelitate, quæ nullam admittit diſpenſationem. Sanctus Paulus † ait, quòd Eccleſia eſt corpus, cujus omnes fideles ſunt membra, quæ ipſum componunt: & ſicut in corpore omnia membra mutuum ſibi præſtant auxilium medios inter occurſus; ſic fideles qui ſunt Eccleſiæ membra, reciprocam ſibi ferre debent operam ſic *ut pro invicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Et alibi a, *Deus, Domini noſtri IESV Chriſti Pater, gloria, omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Id eſt, ſupra Eccleſiam triumphantem cœli, militantem mundi hujus, & patientem purgatorii. Animæ patientes in purgatorio, ſunt membra Eccleſiæ quæ eſt in pœnis: non eſt aliquid magis rationi conſonum, quàm ut ſuffragia recipiant à membris ejuſdem corporis, quod eſt Eccleſia militans; quæ cùm ſit adhuc in via, producere poteſt opera ſatisfactoria pro pœnis, e quibus iſtæ patientes animæ non poſſunt exire niſi tardè ſine hoc auxilio favorabili: ipſæ non poſſunt ex ſeipſis liberari ab his ergaſtulis horribilibus, ad quæ Juſtitia Divina ipſas projecit, ut ipſas purget ab ipſarum ſordibus: propterea ipſæ implorant auxilium noſtrum, & dicunt, ſicut paralyticus *triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Sed ſi nemo compatiatur earum miſeriis, ipſæ recurrent ad beatiſſimam Virginem, quæ vocatur ab Eccleſia *Mater Miſericordiæ*, quæ obtinuit miſericordiam generalem toti mundo, cùm eandem Miſericordiam concepit *in utero* ſuo, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.*

† 1. Cor. 12,25 &c.
a Epheſ. 1, 17.
b Luc. 1, 31, & 28.

In materia bonorum operum proponitur difficultas, & petitur, Num ad lucrandum cœlum, & ad perveniendum ad gloriam, neceſſarium ſit facere bona opera, qualia ſunt jejunare, eleemoſynam facere, orare, &c. vel an bona voluntas ad hoc ſufficiat. Aliqui putaverunt quòd bona voluntas ſufficeret ad ſalvandos nos, & quòd ad iſtud non requireretur aliquid amplius. Authores iſti innitebantur authoritatibus, quas benè non intelligebant, pace illorum dixerim. Prima, educta eſt è ſancto Bernardo c, qui ait, *Valet intentio ad meritum, actio ad exemplum.* Secunda, eruta eſt è Naturalibus, qui dicunt, quòd id primum quod leo requirit in homine, eſt cor: ſic, inquiunt ipſi, Dei Filius, qui eſt *Leo de tribu Iuda* d, petit primum ab homine cor, ſeu bonam voluntatem, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* e. Et per has authoritates malè intellectas, exiſtimant ſe litem propoſitam perduxiſſe ad victoriam. Sed omnes Theologi contendunt unanimiter, quòd authoritates præfatæ debent intelligi quantùm ad eos; qui non poſſunt bonis operibus incumbere: tunc enim bona voluntas ipſis ſufficit; ſed cùm poſſunt illis vacare, tenentur ea in praxim redigere: alioquin enim nullus reſervatur eis paradiſus, qui non eſt deſtinatus niſi ad coronanda bona opera meritoria: & ſicut proprium eſt operibus arduis & laborioſis, ut ſint etiam ſatisfactoria, inde fit ut, juxta doctrinam Sanctorum, & Eccleſiæ, conſtituamus tria genera operum iſtius qualitatis, nimirum jejunia, eleemoſynas, & orationes. Ratio iſtius eſt, quòd omnia hæc opera præterquàm quòd ſunt ſancta, & virtuoſa, ſunt etiam laborioſa carni, & ſic ſatisfaciunt pro deliciis culpæ; interventu doloris & pœnæ, quibus ſe ſubjiciunt illi qui ipſis vacant. His addo indulgentias, & ſanctum Miſſæ Sacrificium, quæ omnia deducam in reſiduo iſtius Octavæ (& quæ jam obiter attigi in principio ipſius) applicando merita Jeſu Chriſti: *Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens.* Hodiernâ verò die mihi ſufficit ut oſtendam vobis, Primò, quòd animas in purgatorio languentes adjuvare debemus bonis operibus in generali: Secundò, quòd auxiliari debemus illis jejunio in ſpeciali.

c S. Bern. tract. de Grat. & Lib. arbit. ante fin.
d Apoc. 5, 5.
e Prov. 23, 26.
Diviſio

I. Pars

Dico igitur quòd vacare debemus bonis operibus, ad hoc ut auxiliemur animabus in purgatorio patientibus; & conemur mediis ſuffragiis noſtris libe-

liberare eas ab ipſa tum pœnis: & aſſero cum Philoſophia, quòd impoſſibile eſt ut res aliqua perveniat ad finem, ad quem ipſa ſuſpirat, ſi ipſa non habeat media quæ ſunt ipſi neceſſaria ad hoc ut illum attingat, *Nihil poteſt tendere in finem niſi per debita media.* Atqui qualis eſt finis hominis, ſi placet? Ad quemnam finem ipſe ſuſcepit eſſe, motum, & vitam? Nunquid ad terram, ad voluptates, ad divitias, & ad honores? *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ f.* Nequaquam: res omnes iſtæ ſunt nimis depreſſæ, indignæ ſunt proſecutionibus illius: cor hominis altiùs ſe protendit. Quinam igitur eſt finis hominis? Ipſe Deus: ecce finis propter quem ipſe vitam ſuſcepit à Deo, cui ideò dicit ſanctus Auguſtinus g, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Cùm ergo Deus ſit centrum, & finis hominis, *Ego ſum finis h: Eſt nempe beatificus finis, quia vera felicitatis objectum, & ipſe beatitudo objectalis eſt Electorum.* ſubdit Dionyſius Carthuſianus i: oportet ut homo eat ad illum: ad hoc ut ad illum vadat, requiritur ut habeat media: & quænam ſunt hæc media? Sanè bona opera: ſic ut bona opera ſint neceſſaria propter hanc rationem. Animæ purgatorii ſunt oneratæ aliquibus debitis, quæ ipſæ non poſſunt ſolvere; & licèt ipſæ non ſint penitùs extra viam, cùm nondum pervenerint ad patriam, tamen in iſto ſtatu nulla bona producere poſſunt opera, quorum interventu ipſæ ſe ſublevare poſſint à pœnis quas patiuntur: ideòque eis ad hanc impotentiam redactis applicare debemus opera noſtra bona, ut liberemus illas quàm citò à rigoribus quos tolerant, & ſatisfaciamus pro illis juſtitiæ Dei.

f 1, Joan. 2, 16.
g S. Aug. l. 1, Conf. c. 1.
h Apoc. 1, 8.
i Dion. Carth. art. 1, in Apoc. 1, 8

Omnium entium quæ tendunt ad perfectionem ſuam, tria dantur genera, dicit Ariſtoteles. Primum genus intuetur Deum, qui habet in ſe omnimodam perfectionem, nedum tamen ad eam tendat aliquo motu, quia eſſentialiter beatus eſt, habet in ſe fœlicitatem, ſitam in cognitione, & in amore ſui k: & in hoc ſtatu non opus eſt ut motu operetur, ait ſanctus Thomas, explicans iſtum Philoſophum. Secundum genus reſpicit Angelos, qui primo inſtanti ſuæ creationis non fuerunt beati, ſed oportuit ut laborarent ad merendam gloriam, quæ coronare debebat ipſorum conſtantem fidelitatem: & iſte labor non fuit longæ durationis: nam non fuit niſi unicus actus obedientiæ, quam exhibuerunt Deo, *Et factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone l.* Tertium genus ſpectat homines, qui cùm ſint naturæ inferioris Angelis (ſicut ait Pſalmiſta †, de homine ſic Deum alloquens, *Domine, minuiſti eum paulo minùs ab Angelis*) & ſic plùs remoti ab origine ſuæ fœlicitatis, pervenire non poſſunt ad centrum ſuum, & ad fœlicitatem ſuam ita facilè, ſed oportet ut illam conſequantur multis motibus, & bonis operibus, juxta hæc verba ſancti Pauli m de ſe ſic edifferentis, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Sic autem loquitur præfatus Doctor Angelicus n, exponens conceptum Philoſophi, *Vt enim dicitur in ſecundo de cælo, Eorum quæ nata ſunt habere bonum perfectum, aliquid habet ipſum ſine motu, aliquid uno motu, aliquid pluribus. Habere autem perfectum bonum ſine motu convenit ei quod naturaliter habet illud: habere autem beatitudinem naturaliter eſt ſolius Dei: unde ſolìm Dei proprium eſt, quòd ad beatitudinem non moveatur per aliquam operationem præcedentem. Cùm autem beatitudo excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura convenienter beatitudinem conſequitur abſque motu operationis, per quam tendit in ipſam: ſed Angelus qui eſt ſuperior ordine naturæ quàm homo, conſecutus eſt eam ex ordine Divinæ Sapientiæ uno motu operationis meritoriæ. Homines autem conſequuntur ipſam multis motibus operationum, qui merita dicuntur. Unde etiam ſecundùm Philoſophum o, beatitudo eſt præmium virtuoſarum operationum.*

k Pſ. 2, 7, & Jo. 15, 26.
l Apoc. 12, 7.
† Pſ. 8, 2, & 6.
m 2, Tim. 4, 7, & 8.
n S. Th. 1, 2, q. 5, a. 7, in corp. citans Ariſt. 2, de Cœlo, tex. 64
o ex Ariſt. l. 1, Ethic. c. 9

Iſte conceptus roboratur hoc communi prologio, *Non dormientibus, ſed vigilantibus promittuntur præmia.* Non pigris paratur cœlum; non deſidibus qui nulli vocant bono operi, gloria reſervatur, ſed illis qui vigilant, & qui laborant incumbendo exercitio ſanctitatis. Re autem verâ ſi haberetis aliquem ſervum domi, qui manſiſſet toto anno brachiis in modum crucis complicatis, ut dicitur, otio vacando, proculdubiò denegaretis ei præmium quod illi promiſiſſetis: animæ quæ languent in purgatorio, quandiu ſuis erant unitæ corporibus, vitam ſuam tranſegerunt in magnâ negligentiâ quantùm ad id, quod ſpectat ad obſequium Dei: propterea privantur præmio ſuo, quod eſt gloria. *Domine, quis requieſcet in monte ſancto tuo?* petit à Deo Propheta p. Et ſtatim ſibi reſpondet, *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.* Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum q, *Quis ô Domine, requieſcet in monte ſancto tuo, id eſt, poſt præſens auxilium laborioſum, æternâ requie perfruetur in cælo Empyreo, in quo poſt vitam hanc ſuaviter requieſcent, qui nunc pro Dei amore piis laboribus fatigantur? Inſuper Propheta quaſi eruditus à Domino, qui pulſantibus aperit r, ad hanc quæſtionem reſpondet. Qui ingreditur ſine macula, id eſt, qui declinat à malo, qui nemini nocet, qui ſine mortali crimine converſatur. Cur potiùs dixit Propheta, Qui ingreditur, quàm qui egreditur? cùm tamen utrumque dici poſſit Salvatore conteſtante, qui ait, Per me ſi quis intraverit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur ſ. Accipit ergo Propheta hoc loco ingreſſum pro operatione, quæ ſine errore ducit ad finem, qui Deus eſt. Quoniam verò non ſufficit declinare à malo, propterea addit, Et operatur juſtitiam, hoc eſt, actum juſtitiæ, prout juſtitia dicitur virtus communis, & virtualiter eſt omnis virtus. Vel etiam, prout juſtitia eſt virtus ſpecialis.* Ad hoc igitur ut animæ quæ languent in purgatorio, recipiant præmium gloriæ, debent eſſe immaculatæ, & inſuper facere debent bona opera: ſed quia in ſtatu in quo ipſæ ſunt, non poſſunt hujuſmodi bonis operibus vacare, & impotentes ſunt ad illa peragenda more paralytici noſtri, propterea debemus ipſas noſtris adjuvare ſuffragiis.

p Pſ. 14, 1, & 2.
q Dion. Carth. in Pſ. 14, 1, & 2.
r ex Luc. 11, 9
ſ ex Joan. 10, 9

Laban cum audiſſet veniſſe Iacob filium ſororis ſuæ, occurrit obviàm ei: complexuſque eum, & in oſcula ruens, duxit in domum ſuam. Auditis autem cauſis itineris, reſpondit: Os meum es, & caro mea. Et poſtquàm impleti ſunt dies menſis unius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen majoris Lia: minor

verò

verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venuſto aſpectu. Quam diligens Iacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, ſeptem annis. Reſpondit Laban: Meliùs eſt ut tibi eam dem quàm alteri viro: mane apud me. Servivit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia jam tempus impletum eſt, ut ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum. Ad quam cùm ex more, Iacob fuiſſet ingreſſus, facto manè vidit Liam: & dixit ad ſocerum ſuum, Quid eſt quod facere voluiſti? nonne pro Rachel ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores antè tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſerviturus es mihi ſeptem annis aliis. Acquievit placito: & hebdomadâ tranſactâ, Rachel duxit uxorem. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſerviens apud

t Gen. 29, 10, &c.

eum ſeptem annis aliis t. Speciosa Rachel nobis repræſentat paradiſum, ad hoc ut habeamus eum pro mercede, & fruamur voluptatibus illius, oportet ut laboremus, ſudemus, & vacemus bonis operibus: alioquin non debemus expectare fruitionem ejus: animæ patientes in purgatorio non poſſunt ſeipſas juvare; ipſarum tolerantia, patientia, & ſuſpiria non mitigant ipſarum pœnas: ipſæ ſunt impotentes quantùm ad hoc, non ſecus ac paralyticus, qui ſeipſo non poterat ſe projicere in aquam. Ipſæ ſunt inſtar illius arboris, quæ cadit: ibi manet hæc arbor, quò eſt caſus ipſius, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ait Eccleſiaſtes u. Et Dionyſius

u Eccl. 11, 3.
x Dion. Carth. art. 11, in Eccl. 11, 3

Carthuſianus x aſſerit quòd per hæc verba Salomon *conſequenter inſinuat quàm neceſſarium ſit in præſenti vita operibus inſiſtere virtuoſis. Quia in morte ceſſant tempus & ſtatus merendi ac demerendi. Si ceciderit lignum, id eſt, ſi homo per mortem corruerit, atque devenerit ad Auſtrum, id eſt,*

y ex Mal. 4, 2.

ardorem Solis juſtitiæ y, *ad numerum, partem, atque conſortium Electorum, ſive ad Aquilonem, id eſt, ad frigus iniquitatis, & ad charitatis omnimodam extinctionem, & ad partem ac numerum reproborum: In quocumque loco ceciderit, id eſt, in qualicumque affectione, diſpoſitioneque cordis obierit: ibi erit, id eſt, in ea æternaliter & incommutabiliter permanebit. Si enim receſſerit anima à corpore in charitate & converſione ad Deum, inavertibiliter manebit ad ipſum in æternum converſa. Si autem in averſione, ſeu culpa mortali, inconvertibiliter & inflexibiliter manebit averſa à*

z ex S. Damaſc. l. 2, de fid. Orth. c. 4.

Deo. Ideò aſſerit Damaſcenus z, *Quod Angelis fuit ruina, hoc hominibus eſt mors. Quemadmodum enim Angeli tenebrarum immutabiliter manent in illa electione & averſione, in qua erant peccando & corruendo ex cœlo: ita & anima jugiter manet in diſpoſitione & affectione, quâ receſſit à corpore horâ mortis. Nam tota hæc vita & tota ejus duratio eſt via & peregrinatio ad futuram, cujus viæ mors terminus eſt. Idcircò poſt mortem non manet ſtatus aut duratio promerendi aut demerendi.* Iſtæ animæ pervenerunt ad noctem, per quam non eſt ampliùs operandi locus, *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, dicit Dei Filius apud ſanctum Joannem a. Et apud eundem Dionyſium Carthuſianum b, *Venit nox, id eſt, finis vitæ præſentis, quando nemo poteſt operari, id eſt, meritoriè agere, quoniam viâ finitâ eſt ſtatus. Cùm ergo hæc vita ſit via, & curſus ad aliam vitam, nemo poteſt poſt hanc vitam mereri, vel pœnitere.* Si

a Jo. 9, 4.
b Dion. Carth. art. 14, in Jo. 9, 4

igitur verum eſt, quod ſuffragia bonorum operum proſint animabus patientibus in purgatorio, & quòd ipſæ ſublevari poſſint à fidelibus Eccleſiæ militantis, cùm ipſæ non poſſint operari & mereri ſeipſis, & quòd, ſicut dixit ſanctus Paulus in principio diſcurſus iſtius, membra ſumus ejuſdem corporis, quod eſt Eccleſia, & proprium eſt membris auxilium ſibi dare reciprocum, & quòd iſtæ animæ in ſtatu paſſionum ſuarum poſſunt orare pro nobis, & nobis impetrare favores è cœlo, ſicut legimus de ſancto Severino & de ſancto Paſchaſio, quòd operabantur miracula, quandiu ipſorum animæ erant adhuc in purgatorio: & quòd Onias & Jeremias qui erant in limbo, viſi ſunt *orare pro omni populo Judæorum*

c 2. Mach. 15, 12, &c.

c: debemus reciprocè ſatisfacere pro illarum pœnis, & eis applicare merita bonorum operum noſtrorum ad aperiendum illis cœlum. In corpore humano, natura intervenit unius membri ſupplet indigentiam alterius: ergo, cùm gratia ſit potentior naturâ, in corpore myſtico Eccleſiæ, unum membrum ſatisfacere poteſt neceſſitati alterius: & inde procedit, ut ſuffragia membrorum Eccleſiæ prodeſſe poſſint aliis membris, quæ iis indigent: & quia per mortem non deſinunt eſſe membra Eccleſiæ, cùm ſint membra ejuſdem corporis, proptereà ſuffragia vivorum ſunt ipſis favorabilia. Ad hoc enim ut defunctus adjuvetur in ſtatu deplorabili miſeriarum ſuarum, duæ res requiruntur ex parte ipſius. Una, indigentia, ideòque ſuffragia non proſunt Beatis, quia ſunt in fruitione invariabili gloriæ, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* d. *Et*

d Iſa. 32, 18

abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce nova facio omnia e. *Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f, *terram & cœlum, ac corpora Electorum jam innovo, melioraque facio. Et tunc nova faciet Deus omnia, de quibus & Chriſtus prædixit, Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* g. Altera, eſt meritum conditionale, id eſt, ut hîc meruerit ut hæc ſuffragia ipſi applicentur in ſtatu paſſionum ubi nunc eſt. Utraque res reperitur in animabus quæ ſunt in purgatorio, & quia ſunt membra corporis ejuſdem cujus nos ſumus, adjuvari poſſunt ſuffragiis noſtris, & nos applicare debemus eis merita bonorum operum noſtrorum.

e Apoc. 21, 4. & 5. ex Iſa. 25, 8, & 43, 19.
f Dion. Carth. art. 22, in Apoc. 21, 5
g Jo. 12, 32

Super quod poſſetis à me petere num hæc bona opera, quæ facere debemus in favorem animarum purgatorii, produci debeant ab homine qui ſit in ſtatu gratiæ, vel non, ad hoc ut eis eſſe poſſint utilia. Ad hoc reſpondeo, quòd ſi ſtatuimus facere bona opera, & laborare pro paradiſo, oportet ut, ſi velimus ut hæc ſint meritoria gloriæ, ipſa præ ſe ferant fervorem, perſeverantiam, & præſertim charitatem: ſi autem iſta virtus nobis deſit, quidquid agemus, nobis erit inutile; ſi ſimus in peccato mortali, omnia bona opera noſtra, nobis prodeſſe non poſſunt quantùm ad gloriam. Ita ſentiunt omnes Theo-

logi. Ratio autem, quam ipſi dant iſtius veritatis, eſt, quòd actiones iſtæ procedunt à principio quod eſt mortuum, & quod non habet vitam, quia anima quæ eſt in peccato mortali, mortua eſt, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* h.

h Ezech. 18,4,& 20

Atqui ſicut res mortua non poteſt producere aliquid vivens, ſicut patet in arboribus: ſic anima mortua per peccatum mortale, non poteſt aliquid vivum producere quantùm ad vitam æternam. Ideò Aggæus i loquens de ſingulis his hominibus, qui bona faciunt opera in ſtatu peccati mortalis, ait, *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*

i Agg. 1,6

Illi collegerunt mercedes ſuas, id eſt, bona opera ſua, & poſuerunt eas mercedes, vel bonas actiones, in ſacco perforato: ſicut enim cùm triticum, vel quodvis aliud granum ponitur in ſacco perforato, vel qui non habet fundum, totum granum effunditur: ſic anima perforata gladio peccati mortalis (*Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas* k) non poteſt retinere aliquid bonum, quod ſit meritorium gloriæ: ſic ut unuſquiſque debeat eſſe in ſtatu gratiæ, ad hoc ut faciat actiones meritorias.

k Eccl. 21, 4.

Sanctus Paulus l clariùs loquitur, cùm ait, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas enim vita eſt animæ, ideò charitate ablatâ, deſinit eſſe & vivere coram Deo*, dicit Dionyſius Carthuſianus †, explicans immediatè præcedentia verba ſancti Pauli, æquè ac iſta, *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, id eſt, omnia bona mea pauperibus nutriendis erogavero, & ſi tradidero corpus meum tormentis pro obſervatione juſtitiæ, ita ut ardeam, hoc eſt, comburar, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt ad promerendam vitam æternam. Charitas enim vivificat mentem, jungitque affectum cum Deo, referens cuncta ad ultimum finem.*

l 1, Cor. 13,3

† Dion. Carth. art. 13, in 1, Cor. 13,2, &c.

Res inaudita, Auditores: dato quòd transegiſſetis totum veſtræ vitæ tempus in exercitio pœnitentiæ more ſanctæ Magdalenæ, erogaſſetis omnia bona veſtra pauperibus, & vacaſſetis actionibus quibuslibet ſanctiſſimis, hæc omnia bona opera non prodeſſent vobis quantùm ad gloriam, ſi feciſſetis ea in peccato mortali, privati gratiâ. Sed quantùm ad opera ſatisfactoria, licèt communiter ſentiant Theologi cum ſancto Thomâ, ſancto Bonaventurâ, & multis aliis quos citat Suarez m, & doceat Bellarminus n, quod requiritur ut quis ſit in ſtatu gratiæ ad hoc ut ea faciat: tamen eſt opinio Scoti o, & multorum aliorum, quos citat idem Suarez, iſtud non eſſe abſolutè neceſſarium. Propterea non debemus ambigere vacare hujuſmodi bonis operibus in gratiam animarum in purgatorio languentium, præſertim verò jejunare.

m Suarez in 3, p. S. Thom. diſp. 37, ſect. 2.

n Bellarm. l. de Purg. c. 17.

o Scot in 4 ſent. diſt. 15, qu. 1, a. 4.

Fit igitur pro comperto, quòd bona opera fidelium Eccleſiæ militantis applicata animabus quæ patiuntur in purgatorio, proſunt ipſis ad liberandas ipſas ab ipſarum pœnis, *Benedictione juſtorum exaltabitur civitas*, ait Salomon p. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus q, *Benedictione, id eſt, imprecatione & oratione, quâ juſti imprecantur civibus pacem & proſperitatem, exaltabitur civitas.*

p Prov. 11, 11.

q Dion. Carth. art. 31, in Prov. 11, 11

Purgatorium liberabitur bonis operibus hominum probatæ vitæ, præſertim verò jejunio. *Mortuus eſt Saul, & tres filii ejus, & armiger ejus, & univerſi viri ejus in die illa pariter. Factâ autem die alterâ, venerunt Philiſthiim, ut expoliarent interfectos, & invenerunt Saul & tres filios ejus jacentes in monte Gelboë. Et præciderunt caput Saul, corpus verò ejus ſuſpenderunt in muro Bethſan. Quod cùm audiſſent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philiſthiim Saul, ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulaverunt totâ nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus de muro Bethſan: veneruntque Jabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igni: & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus* r.

r 1, Reg. 31,6,&c.

Quare charitativi iſti incolæ Jabes Galaad jejunio vacaverunt per ſeptem dies, niſi ut jejunia ſua prodeſſent quatuor illis Principibus, quorum corpora ſepelierunt? Ipſi ſciebant procul dubio quod ſuffragium jejunii erat proficuum quieti defunctorum, *jejunaverunt ſeptem diebus in ſignum mœroris & luctus, & pro defunctorum ſpiritibus*, ſubdit prædictus Carthuſianus † verbis iſtis ultimis Scripturæ. Quod innuit, quòd illi qui jejunant pro defunctis, exercent erga eos magnam miſericordiam.

† Dion. Carth. art. 51, in 1, Reg. 31, 13

Iſtorum incolarum Jabes Galaad exemplum imitatus eſt David, ſtatim ac funeſtum iſtud nuntium ſuſcepit, *Apprehendens autem David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Jonathan filium ejus, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſraël, eò quòd corruiſſent gladio* ſ. Quibus verbis addit prædictus Carthuſianus *, *Jejunabant autem ex mœrore, & forſan pro animabus occiſorum, ut citiùs transferrentur de purgatorii pœnis ad limbum Patrum, quod de David & cæteris devotioribus credi poteſt.*

ſ 2, Reg. 1, 11, & 12.

* Dion. Carth. art. 1, in 2, Reg. 1, 12.

In multis Scripturæ locis jejunium unitur orationi, imò verò eleemoſynæ, quæ ſunt opera ſatisfactoria, quibus vacare poſſumus ad ſublevandas animas in purgatorio languentes: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam* t. Et, *Exaudiet Dominus preces veſtras, ſi permanſeritis in jejuniis & orationibus* u.

t Tob. 12, 8. & 9.

u Judith 4, 12.

Firmi eſtote, Auditores, ſi placet, in fiduciâ, quam habetis in Deum, & pro certo tenere, quòd ipſius bonitas, quæ ſemper favorabilis fuit orationibus veſtris, debet eas etiam exaudire iſtâ vice, dummodò conſtantes maneatis in petitionibus veſtris, & fideles in promiſſis veſtris: humiliate ergo corpora veſtra, & mentes veſtras coram majeſtate ejus; ſatagite ut cor ejus, & oculi illius mitigentur videndo vos opertos cineribus & ciliciis: & dato quòd ipſe non ſtatuiſſet habere adverſus has animas patientes in purgatorio, pro quibus interceditis efflagitantes earum liberationem, niſi rigores & ſeveritates Judicis irati, compellite eum ſuavi violentiâ jejuniorum veſtrorum, & precum veſtrarum, & ſilentio muto & eloquenti lacrymarum veſtrarum, ad reſumendam erga has animas afflictas miſericordiam, quam bonus pater exhibere tenetur filiis ſuis, cùm ipſe ſit *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* x.

x 2, Cor. 1, 3.

Oratio eſt quidem mirabilis, & habet potentias ſecretas, quæ compellunt Deum ſuaviter ad hoc ut ſit ipſi propitius, ſicut dicam vobis eodem Deo dante, perendino die: ſed experiemini quòd ipſa habet etiam majorem vim, cùm ipſa eſt unita jejunio, & eleemoſynæ: ſic invenietis in precibus quas offeretis Deo, ad ſublevandas animas in purgatorio languentes, arma inviſibilia ad inducendum

Deum

Deum ut largiatur eis miſericordiam : & in jejunio dabitis eis alas, quibus ad Deum uſque eleventur.

y S. Bern. ſerm. 4. in Capit. Jejunii.

Sanctus Bernardus *y* loquens de jejunii prærogativis, ait, *Pro eo quòd ab ipſis licitis abſtinemus, ea nobis quæ priùs commiſimus illicita, condonantur.* Abſtinentes interventu jejunii ab illis quæ nobis licent, impetramus veniam actionum prohibitarum, & ſic remiſſionem pœnæ, quam animæ quæ languent in purgatorio, incurrerunt, poſtquàm culpa ipſis remiſſa eſt miniſterio Sacramentorum : & hoc modo exiguâ diætâ redimimus tormentum jejuniorum, quæ animæ iſtæ languentes patiuntur in purgatorio ad ita longum tempus, eò quòd deſit ibi victus, id eſt conſolatio, quandiu ibidem eſt omne genus miſeriarum. Fœlix igitur abſtinentia, cujus beneficio iſtæ animæ liberantur ab his jejuniis ſic auſteris, & datur ipſis modus evadendi à tormentis ita crudelibus, cùm ſanctus Cyprianus *z* dicat, quòd jejunium adjuvat admirabiliter has animas patientes ; & extinguit has horribiles prunas quæ ipſas cingunt, ſic ut jejunium faciat eas tranſire ad convivia æternæ gloriæ paradiſi ; *Jejuniis extinguitur ardentis Æthnæ incendium.* Minimà & facillima bona opera proſunt his animabus ; facta ad earum intentionem ſublevandarum : laborioſiſſima igitur, & quæ carnem maximè affligunt, qualia ſunt jejunia, meliùs habebunt hanc poteſtatem educendarum illarum è pœnis ipſarum. Debemus igitur jejunare in gratiam animarum quæ languent in purgatorio ; applicare eis jejunia noſtra ; cùm jejunium ſit opus proprium ſatisfactionis, id eſt, cùm illius interventu ſatisfaciamus juſtitiæ Dei pro offenſis quas iſtæ animæ commiſerunt quandiu erant adhuc unitæ corporibus ſuis in iſto mundo. Ut autem meliùs intelligatur hæc veritas, ſciendum eſt, quòd ſicut ille qui violat leges Reipublicæ ; tenetur ſubire pœnas conſtitutas propter hanc violationem : ſic ille qui tranſgreditur leges Dei ; addicit ſe quibuſdam ſuppliciis quæ Divina Juſtitia decrevit ad puniendam hanc infractionem ; & tenetur ad ſolvenda hæc debita, vel in hac vita, vel in altera, id eſt, aut in inferno ; vel in purgatorio, vel in iſto mundo. In inferno hæc debita ſolvuntur per *ſupplicium æternum a.* In purgatorio non ſolvuntur pœnâ quæ ſit æterna ; ſed hæc eſt ſic ſevera, ut dicebam vobis heri ; ut nullum ſupplicium ſit in iſto mundo quod poſſit eam adæquare ; dato quòd in unum cumulum redigeretis omnia ſupplicia Martyrum quæ fuerunt ita acerba ; imò verò tormenta quæ Salvator pertulit in paſſione ſua ; quæ fuerunt omnium horribiliſſima ; quia nec illa ; nec iſta accedunt ad rigorem pœnarum quæ ſuſtinentur in purgatorio, juxta id quod ait ſanctus Thomas *b*, *Quòd dolor animæ ſeparatæ patientis, pertinet ad ſtatum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, ſicut Sanctorum gloria excedit omne bonum præſentis vitæ. Unde cùm dicimus Chriſti dolorem eſſe maximum, non comparamus ipſum dolori animæ ſeparatæ.* Ab hoc igitur horribili dolore, licèt incomparabiliter majore, jejunia & abſtinentiæ liberant animas languentes in purgatorio. Deus enim non tam intuetur in his exceſſus dolorum, quàm voluntatem ſacrificii, quia id quod patimur in iſto mundo, eſt voluntarium, cùm illud quod ſuſtinetur in al-

z S. Cypr. tract. de Jejun. & Tentat. Chriſti, n. 4.

a Matt. 25 40.

b S. Tho. 3 p. q. 46, a. 8, ad 3.

terò ſæculo, ſit coactum : unde procedit ut unica pœnà voluntariè tolerata in iſtâ vitâ, plus valeat incomparabiliter, & ampliùs ſatisfaciat Juſtitiæ Dei pro peccatis adverſus ipſius majeſtatem commiſſis, quàm multæ in alterâ vitâ coactè ſuſtentæ. Propterea ſanctus Hieronymus *c* ſcribens Salvinæ, commendat ei exercitium jejunii ſuper obitum viri ſui, oſtendens illi quòd amor ipſius erga virum ſuum non poterat præclariori ſplendore manifeſtari, quàm jejunando pro quiete animæ illius, *Tu verò quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates ; quæ litam purpuriſſo & ceruſſa faciem, ſuper feretrum ejus lacrymis diluiſti ; quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione, ſumpſiſti ; nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeverare in jejunio. Pallor & ſordes gemmæ tuæ ſint.* Intuemini quantâ eloquentia ſanctus iſte Doctor perſuadeat huic viduæ praxim jejunii ſuper mortem mariti ſui : quo innuit, quòd non eſt hoc ſuffragium denegandum defunctis ; ad liberandos eos à flammis purgatorii.

c S. Hier. Epiſt. 9, ad Salvin. 14.

Dum rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo : & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in ultionem ſanguinis Aſaël fratris ejus. Quod cùm audiſſet David rem jam geſtam, ait ; Mundus ego ſum, & Regnum meum apud Deum uſque in ſempiternum à ſanguine Abner filii Ner. Igitur Ioab & Abiſai frater ejus interfecerunt Abner, eò quòd occidiſſet Aſaël fratrem eorum in Gabaon in prælio. Dixit autem David ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner : Porrò Rex David ſequebatur feretrum. Cùmque ſepeliſſent Abner in Hebron ; levavit Rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner : Flevit autem omnis populus. Plangenſque Rex & lugens Abner, ait, Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner. Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggravati : ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti. Congeminanſque omnis populus flevit ſuper eum. Cùmque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David, clarâ adhuc die juravit David dicens, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum Solis guſtavero panem, vel aliud quidquam d. Rex iſte vehementer afflictus ob mortem amici ſui, poſt exhibitos ei ultimos honores ſepulturæ, nolens aliquid comedere niſi poſt Solis occubitum, manifeſtè oſtendit hac ſeverâ abſtinentiâ, quòd ipſe intendebat ſublevare animam chariſſimi amici ſui defuncti.

d 2. Reg. 3 27, &c.

Ex iſto toto diſcurſu duas eruere debemus reflexiones ordinario modo noſtro. Primam pro nobis. Secundam pro his animabus in purgatorio languentibus. Quantùm ad nos, *Cogitemus mala quæ ſunt in gehenna, ſic nos quoque componamus, & erudiamus : ſic nos ipſos inducamus ad ea quæ ſunt agenda. Nullus ex iis qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis qui gehennam deſpiciunt, effugiet gehennam,* ait ſanctus Chryſoſtomus *e*. Sanctus iſte Doctor dicit, quòd ſi præ noſtræ mentis oculis jugiter haberemus ignem alterius vitæ, nunquam caderemus in illum ; & quòd ſi ſæpè deſcenderemus in eum imaginatione, juxta monitum Pſalmiſtæ *f*, *Deſcendant in infernum viventes*, nunquam deſcen-

e S. Chryſ. hom. 2, in epiſt. 2, ad Theſſ.

f Pſ. 54, 16.

deſcenderemus in illum realiter. Propterea Dei Filius volens in nobis illius horrorem melius imprimere, ipſum ſic ſæpè repetivit, cùm dixit, *Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inex-*
g ex Iſa. 66. 24. *tinguibilem, ubi ignis non extinguitur* g. *Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi ignis non extinguitur. Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in Regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi ignis non extin-*
h Marc. 9. 43, &c. *guitur* h. Sed ſi cogitatio iſtorum ignium ſubterraneorum nimio vos concutit horrore, veſtræ mentis oculos educite è flammis iſtis implacabilibus, quæ comburunt animas patientes, ferte eos
i 1. Cor. 2. 2. ſuper *IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum* i. Et ſi tantam crudelitatem obſervatis exercitam ſuper hoc lignum viride, quanta exercebitur ſuper lignum aridum? ſicut ipſemet *IESVS dixit, Quia*
k Luc. 23. 28, & 30. *ſi in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet* k? Et, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite &*
l Thren. 1. 12. *videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus* l. Ipſe paſſus eſt tormenta in omnibus partibus ſui corporis, ad agonem redactus uſque, traditus omnino dolori-
m Luc. 22. 43. bus, *Et factus in agonia* m. Non eſt aliquid quod nobis meliùs declaret purgatorium, quàm paſſio JESU CHRISTI. Omnes dolores iſtius vitæ, ſunt dolores particulares, id eſt, partium particularium: qui dolet oculo, ordinariè habet aurem ſanam, ſi brachium eſt infirmum, pes eſt benè diſpoſitus, & ſic de reliquis: qui nullus eſt dolor ita generalis, qui non parcat alicui parti ex-
n Job 19. 20. ternæ, vel internæ corporis. Job n dicebat, *Derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Sed JESUS Chriſtus nullam habuit partem ſui corporis, nec ullam potentiam ſenſitivam animæ ſuæ immunem à dolore. Si JESUS Chriſtus tantos dolores pertulit, quantos dolores perferet inimicus ejus? id eſt, quid patientur animæ, quæ languent in purgatorio, quas ipſe excipit ut inimicas ſuas tanto rigore, & ſic ingenti ſeveritate? *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me,* ait ipſe, Patrem ſuum alloquens per Davidem o. o Pſ. 87. 8.
Et per Dionyſium Carthuſianum p, *Omnes fluctus tuos, id eſt, omnia genera tormentorum induxiſti, id eſt, induci permiſiſti ſuper me. Paſſio enim Chriſti generaliſſima fuit, quia omnes cruciatum genera humana pertulit quantùm ad genus. In omnibus enim viribus animæ, & membris corporis paſſus eſt. ſcilicet captus, vinctus, colaphizatus, conſputus, contriſtatus, ab omnibus derelictus, contemptus, deriſus* q, *& ſic omnia genera pœnarum, quæ infligi debuerunt generi humano pro peccatis, Deus Pater Chriſto induxit quodammodo. Unde in Iſaia* r *dicitur, Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cujus livore ſanati ſumus.* Quid erit de animabus languentibus in purgatorio? Hæc cogitatio nos inducere debet primò ad ingrediendos noſmetipſos: ſecundò ad ſublevandas has animas patientes ab ipſarum pœnis interventu bonorum operū noſtrorum.

p Dion. Carth. in hunc loc.
q ex Matt. c. 26, & 27.
r ex Iſa. 53. 5.

Ipſæ clamant, *Hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Ipſæ implorant auxilium noſtrum, & nos inducunt ad compatiendum ſibi per hæc verba, *Iuſtus eſt Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: audite, obſecro univerſi populi, & videte dolorem meum* ſ. Reperitiſne difficile, Auditores, jejunare in earum favorem? ne recuſetis ſaltem applicare jejunia veſtra obligatoria in gratiam illarum; ſic

ſ Thren. 1. 18.

Deus largietur eis miſericordiam interventu bonorum operum veſtrorum, & introducet illas ad gloriam.

V. DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFUNCTORUM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum: Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.
Joann. 5. 2. &c.

APpoſitè locutus eſt ille, qui dixit, *Amicitia quærebatur olim, nunc præda.* Quærebant aliàs homines amicitiam, ſed nunc ipſi non diligunt, niſi intuitu proprii commodi, & conſideratione reſpectûs humani, qui amor mercenarius eſt, amor concupiſcentiæ, non autem amor benevolentiæ, ut inſumam terminos Philoſophiæ Moralis; cùm amor benevolentiæ ſit verus amor, amor verò concupiſcentiæ non ſit talis niſi nomine tenus. Qui verè diligit, quærit amicum ad hoc ut ſacrificet ſua commoda privata propter amorem eius, ut exhibeat illi obſequia ſua, ut patiatur pro illo, & effundat uſque ad ultimam ſanguinis ſui guttam ad amplectendam cauſam eius: ſic verè præ ſe fert amicitiam, nedum cùm viderit amicum ſuum in neceſſitate conſtitutum, ab illo recedat, & ſine ope eum deſerat, illumque deſpiciat, *Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt,* ait Salomon a. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus b, *Qui deſpicit amicum ſuum ex elatione, quem debe-*
ret diligere ex charitate, & propter communionem naturæ, religionis quoque ac fidei unitatem: indigens corde eſt, id eſt, defectuoſus, carens ſapientiâ atque virtutibus, quibus perficeretur proximum ſuum, etiam peccantibus compateretur, non elatè aſpernaretur: ſicut ait Apoſtolus †, *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Confeſtim ac mors nobis eripuit propinquos noſtros, & chariſſimos amicos noſtros, ſepelimus eorum corpora, & illorum memoriam ſub eodem monumento, & tumulus qui propinquos & amicos iſtos operit, eripit eos cogitationi noſtræ; non cogitamus ampliùs de illis, quaſi non eſſent ampliùs. Ipſi ſunt in flammis purgatorii, ipſi clamant è medio ardorum ſuorum,
Homi-

a Prov. 11. 12.
b Dion. Carth. art. 11. in Prov. 11. 12.
† Rom. 15. 1.

Hominem non habeo, ut: cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. quòd nemo reperiatur, qui ipſos ſic impotentes projiciat in piſcinam Sanguinis Jeſu Chriſti, ad purgandos ipſos ab ipſorum ſordibus interventu exiguæ eleemoſynæ, quæ mitigaret pœnas quas ipſi ſuſtinere coguntur, quàmvis ſint in gratia, quâ repleta erat B. Virgo Maria, Deipara mox futura, priusquàm verbis iſtis ab Angelo ſalutaretur, *Ave Maria*.

Si requiramus rationes propter quas homines renuunt eleemoſynam largiri pauperibus in gratiam animarum in purgatorio languentium, reperiemus eas eſſe tres præcipuas. Prima, eſt avaritia, & formido quâ ducuntur ne deſit ipſis bonum: hæc eſt loquela ordinaria, quá homines ſunt inſtructi, dicentes ſe habère liberos alendos, familiam fovendam, ſibique incumbere rei domeſticæ neceſſaria providere, & ideò ſe nolle eripere ex ore proximorum ſuorum id quod ipſi acquiſiverunt tanto labore, ut illud præbeant alienis. Iſtud eſt idem quod reſpondit Nabal nuntiis ad ipſum miſſis à Rege David in neceſſitate conſtituto in ſolitudine, *David deſcendit in deſertum Pharan. Erat autem vir quispiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis: & accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo. Nomen autem viri illius erat Nabal: porrò vir durus, & peſſimus, & malitioſus. Cùm ergo audiſſet David in deſerto, quòd tonderet Nabal gregem ſuum, miſit decem juvenes, & dixit eis, Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum ex nomine meo pacificè Et dicetis, Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque habes ſit pax. Ex multis annis ſalvos faciens tuos, & omnia tua. Audivi quòd tonderent paſtores tui qui erant nobiscum in deſerto: nunquam eis moleſti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bonâ venimus: quodcunque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & filio tuo David. Cùmque venissent pueri David, locuti ſunt ad Nabal omnia verba hæc, & ſiluerunt. Reſpondens autem Nabal pueris David, ait, Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? Hodie increverunt ſervi qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris quos neſcio unde ſint* c. Secunda ratio, quæ retrahit homines ab eroganda eleemoſyna, procedit ex defectu charitatis. Hi mendici qui præ foribus noſtris contentâ voce inclamant efflagitantes eleemoſynam, ſunt veluti miſſi ab animabus in purgatorio languentibus, ut impendamus ipſis charitatem, ſicut præfati nuntii miſſi fuerunt ad Nabal à David ad hoc ut ab eo ſibi neceſſaria providerentur; ſic ut illis eleemoſynam impertiri, hoc ſit eam dupliciter erogare, ſi velimus. Tertia ratio, propter quam recuſant homines eleemoſynam tribuere in gratiam animarum in purgatorio patientium, eſt inſatiabile deſiderium augendorum bonorum ſuorum, quo ducuntur, faciendo quotidie novas acquiſitiones. Ego verò volo vobis hodiernâ die monſtrare, Auditores, quòd propter eadem motiva tenentur homines eleemoſynam erogare pro animabus quæ languent in purgatorio. Primò quòd

Diviſio

facientes eleemoſynam pro his animabus, augent ſibi bona temporalia. Secundò, quòd hæc eleemoſyna remittit ipſis iniquitates ipſorum, cùm proprium ſit charitati eas expugere, *Quia charitas operit multitudinem peccatorum* d. Tertiò, quòd hæc eleemoſyna acquirit illis bona vitæ æternæ.

c 1. Reg. 25. 1. &c

d 1. Petr. 4. 8. ex Prov. 10. 12 I. Petr.

Aliàs *factus eſt ſermo Domini ad* Eliam, *dicens, Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cùmque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei, Da mihi paululum aquæ in vaſe ut bibam. Cùmque illa pergeret ut afferret, clamavit poſt tergum ejus, dicens, Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tua. Quæ reſpondit, Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait, Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſteà. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur uſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipſe, & illa, & domus ejus: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ* e. Ex quo inferre poſſumus, quòd eleemoſyna quam erogamus pauperibus eâ intentione ut ſublevemus animas quæ languent in purgatorio, à pœnis ipſarum, non minuit bona temporalia, ſed ea potiùs auget.

e 3. Reg. 17. 9. &c

Sanctus Cyprianus f conſiderans actionem heroicam iſtius viduæ, inde capeſſit anſam vituperandæ puſillanimitatis noſtræ, & reprehendendi defectus charitatis, quâ exercere debemus erga pauperes, dicens, *Non filiis abſtulit mater quod Eliæ dedit, ſed magis conſuluit filiis, quod benignè & piè fecit. Et illa nondùm Chriſtum ſciebat, nondùm præcepta ejus audierat: non cruce & paſſione ejus redempta, cibum & potum pro ſanguine rependebat, ut ex hoc appareat quantùm in Eccleſia peccet, qui ſe & filios Chriſto anteponens, divitias ſuas ſervat, nec patrimonium copioſum cum indigentium paupertate communicat.* Hæc eſt querela ſancti Cypriani, è qua edocemur pauperibus eleemoſynam largiri in gratiam animarum in purgatorio languentium, allecti ad hanc charitatem exercendam intuitu proprii commodi, cùm hæc eleemoſyna quam largituri ſumus pauperibus in favorem iſtarum animarum, ſit nos ditatura, nedum penuriam ſit nobis allatura, cùm dicat nobis ſingulis Salomon g, *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et filio ſuo *Tobias*, *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam* h. Et Dei Filius ipſemet in Evangelio i, *Et quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

f S. Cypr. tract. de Oper. & Eleemoſ. num. 38

g Prov. 3. 9

h Tob. 4. 1. &c

i Matth. 10 42

Narrat ſanctus Gregorius k de ſancto Bonifacio Ferentinæ civitatis Epiſcopo, *Quòd eo tempore quo cum matre ſua puer habitabat: egreſſus hoſpitio, nonnunquam ſine lineo, crebrò etiam ſine tunica revertebatur: quia mox ut nudum quempiam invenit, veſtiebat, hoc ſe expolians, ut ſe ante Dei oculos illius mercede veſtiret. Quem mater ſua frequenter*

k S. Greg. l. 1. Dial. c. 9

in-

increpare conſueverat, dicens, quòd juſtum non eſſet ut ipſe inops pauperibus veſtimenta largiretur. Quæ illo quadam horreum ingreſſa, penè omne triticum quod ſibi in ſtipendium totius anni præparavit, invênit à filio ſuo pauperibus erogatum. Cùmque ſemetipſam alapis pugniſque tunderet, quòd quaſi anni ſubſidia perdidiſſet: ſupervênit Bonifacius puer Dei, eamque verbis quibus valuit, conſolari cœpit. Quæ cùm nihil conſolationis admitteret; hanc rogavit ut ab horreo exire debuiſſet, in quo ex omni eorum tritico parum quid inventum eſt remanſiſſe. Puer autem Dei ſeſe illic protinus in orationem dedit. Qui poſt paululum egreſſus ab horreo, matrem reduxit, quod ita tritico plenum inventum eſt, ſicut plenum antè non fuerat; cùm mater illius totius anni ſumptus ſe congregaſſe gaudebat. Quo viſo miraculo compuncta mater jam ipſa cœpit hortari ut daret, qui ſic celeriter poſſet quæ petiſſet accipere, Hinc debemus tenere pro comperto quòd eleemoſynæ quas erogamus pauperibus, & præcipuè pro animabus in purgatorio languentibus, nobis proficuæ ſunt, cùm multiplicent bona noſtra, ſicut ait ſanctus Iſi-
l S. Iſid. l. 3. de Summo Bono, c. 64. dorus l; *Terrena omnia ſervando amittimus, largiendo ſervamus: patrimonium enim retentum perit, manet autem erogatum.* Sanctus Chryſoſtomus
m S. Chryſoſt. hom. 7. de Pœnitent. m in eandem abit ſententiam, & conceptum ſancti Iſidori confirmat eximiâ ſimilitudine, cùm ait, *Ab ipſis agricolis diſce. Nam illi quidem frumenta ſi domi concluſa teneant, vermium in eſcâ amittent: ſi verò diſperſerint in terras, non modò cuſtodiunt: ſed etiam augent: ſic & opes ſtantes quidem in arca, atque ſub ſerâ & vecte defoſſæ, cito transfugiunt: ſi verò eas in ventres diſperſeris pauperum, non modò non fugiunt, ſed & majores inde reſurgunt.* Eſt igitur certum quòd eleemoſynæ pauperibus erogatæ in gratiam animarum in purgatorio languentium; multiplicant & augent bona eorum qui ipſas impertiuntur. Atqui; Auditores; qui ſic afficimini erga bona mundi, qui tantum laborem impenditis ad acquirendas divitias; & ad augendos redditus veſtros, en modus acquirendæ multæ pecuniæ accommodus ſine multo labore; Sufficit ut detis eleemoſynam, ut buccellam panis erogetis huic pauperi qui illam à vobis efflagitat; ut tribuatis ei denarium cum intentione ſublevandæ alicujus animæ languentis in purgatorio, & iſtud agatis propter amorem Dei: hoc non eſt difficile. Quotidianâ comprobamus experientiâ; quòd quo plus hauritur aquæ ex aliquo puteo, eò plus aquæ puteo eidem providet natura; ut eum plus repleat; & quò plus pecuniæ educetis è crumenis veſtris; eò plùs Author naturæ eas replebit. Date ergo pauperibus eleemoſynam ad adjuvandas animas in purgatorio languentes; *Date, & dabitur vobis*, ait
n Luc. 6. 38 vobis Dei Filius n. Et Dionyſius Carthuſianus o;
o Dion. Carth. art. 36. in Luc. 6. 38 *Generoſi animi eſt promptum eſſe ad dandum, quoniam juxta divinum Dionyſium p; Bonum eſt ſui diffuſivum, & amor eſt communicativus ejus quod ha-*
p ex S. Dion. l. de Div. Nom. c. 4 *bet. Dare quoque, ad liberalem eſt pertinens. Liberalitas verò facit hominem aliis valdè acceptum & charum, ſecundùm Philoſophum, ut patet in beato Martino, quando adhuc militavit. Tenaces verò, & ſemper ad ſeipſos reflexi, ignobilis extant animi:*
q ex Act. 20. 35 *Hinc in Actis q Paulus, Oportet (inquit) reminiſci verbi Domini Ieſu, quia beatius eſt magis dare quàm accipere. Et in Proverbiis r quoque inducitur;*
r Prov. 22. 9 *Victoriam & honorem acquirit, qui dat munera. Et in*
ſ Eccli. 4. 36 *Eccleſiaſtico ſ, Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Attamen pauci (heu!) ſunt, qui non promtiores ſint ad accipiendum, quàm ad dandum, juxta illud Iſaiæ t, Omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem.* t ex Iſai. 1. 23 *Et Paulo u teſtante; Omnes quæ ſua ſua ſunt quærunt.* u Philipp. 2. 21 *Nihilominus multi plùs abundarent ſi faciliùs darent, quia individua ſortis ſunt dare & dari. Nam & Deus miſericordibus ac liberalibus etiam in temporalibus benedicit. Eſtque commune dictum. Qui non dat quod amat, non capit quod optat.* Non ſolùm autem eleemoſyna data pauperibus pro animabus purgatorii, augebit bona veſtra, ſed & ſatisfaciet prò peccatis veſtris.

Ut benè intelligatur hæc veritas, ſciendum eſt, II. Pars quòd in peccato mortali eſt pœna, & culpa, quæ nos privat gratiâ & amicitiâ Dei, & quam reparamus Confeſſione Sacramentali, juxta id quod S. Petro x ſuo dixit, *Tibi dabo claves Regni cœlorum, Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* z. x Mat. 16. 17. & 19 Pœna, quam meriti eramus, quæ eſt infernus, & quæ debebat eſſe æterna, nobis mutatur in temporalem in purgatorio, pro qua ſatisfacere debemus in hoc mundo, vel in altero, & quam ſolvere debemus abſolutè Deo. Et quòd propterea eleemoſyna quàm pauperibus impendimus in gratiam animarum in purgatorio languentium ad ſublevandas eas ab ipſarum pœnis, eſt etiam remedium efficaciſſimum & maximè opportunum liberandis nobis ab illis quas incucurrimus per peccata noſtra; *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*; ait Eccleſiaſticus y. y Eccli. 3. 33 Aqua miſericordiæ & charitatis extinguit ignes purgatorii, & hæc eadem charitas quam exercemus erga pauperes in favorem animarū quæ patiuntur in purgatorio; ſervit etiā ad liberandos nos à pœna peccatis noſtris debita. Et Tobias dicebat, quòd eleemoſyna eſt veluti ſecundus baptiſmus, in quo ſordes omnium criminum noſtrorum lavari poſſunt, & quòd ille qui utitur hoc lavacro ſalutari, non habet unde timeat: è contrà ſperare debet vitam diuturniorem & feliciorem iſtâ vitâ, cùm hæc liberet homines ab interitu, & ſit remedium opportunum evitandis tenebris mortis æternæ, *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras* z. z Tob. 4. 11

Hæc veritas eſt expreſſa in verbis quæ Noëmi utrique nurui ſuæ dixit, *Faciat vobiscum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis* a. a Ruth. 1. 8 Quòd Deus erga nos exercebit miſericordiam ſuam, remittendo nobis pœnam peccatorum noſtrorum, ſi interventu eleemoſynarum noſtrarum procuremus animabus in purgatorio patientibus liberationem à pœna ipſarum. Requirit id recta ratio, ut eas adjuvemus, ſi velimus ut [illegible] ceterùm alii nobis auxilientur, cùm ope eorum [illegible] *Eâdem quippe menſurâ quâ m*[illegible] *tur vobis* b, b Luc. 6. 38 ait nobis Dei [illegible] Et [illegible] cus c, c Eccli. 3. 15 & 16 *Eleemoſyna pa*[illegible] *in die tribulationis commemorabi*[illegible] Quaſi diceret, ore pauperum, cùm erimus in purgatorio. Ideòque non debemus affligere cor pauperis, qui diu expectat à nobis hanc eleemoſynam, juxta monitum ſalutare quod nobis tribuit idem Eccleſiaſticus d, d Eccli. 4. 3 *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti.* Quod innuit, quòd ſublevare quàm citò debemus eleemoſynis noſtris animas languentes in purgatorio, juxta iſtud proloquium; *Ingratum eſt beneficium, quod diu eſt inter manum dantis.* Hæc miſericordia; quam impendemus eis, erit nobis proficua; ſicut ait idem Salomon e; e Eccli. 17. 18. & 19 *Eleemoſyna viri quaſi jac-*

ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit. Et poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput ipſorum, & convertet in interiores partes terræ. Quaſi diceret, quòd Deus eleemoſynam convertet ad mortuos, ut meritum iſtius eleemoſynæ illis applicetur, nedum tamen illius meritum nos ipſi amittamus: *Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis* k, ait nobis Dei Filius. Impendite miſericordiam pauperibus in gratiam animarum in purgatorio languentium: & univerſa vobis erunt munda, id eſt, ſecundùm pœnam: quia ſecundùm culpam non poſſumus eſſe mundi, niſi per Baptiſmum, in quo renaſcimur *ex aqua & Spiritu ſancto* g: vel per *pœnitentiam* h.

f Luc. 11. 41
g Joa. 3. 5
h Luc. 13. 3
i Mag. Sent. l. 4. diſt. 15. lit. C.

Magiſter Sententiarum *i*, & cum eo omnes Theologi, dicunt, quòd tres ſunt modi, quorum interventu ſatisfacere poſſumus Deo pro peccaris noſtris, oratio, jejunium & eleemoſyna. Primus & ſecundus habent magnam poteſtatem, ſed tertius eos ſuperat, inquiunt ipſi. Ratio autem quam ipſi afferunt ſententiæ ſuæ, eſt, quia eleemoſyna continet virtutem orationis, & jejunii. Ipſa continet virtutem orationis dupliciter, ajunt ipſi. Primò, Ille qui eam recipit, tenetur orare, & facere id quod poteſt pro benefactore ſuo: propterea Deus loquens de Sacerdotibus, prædixit, *Peccata populi mei comedent* k. Quaſi diceret, quòd Sacerdotes remanent obligati ad orandum pro illis, à quibus ſuſcipiunt eleemoſynas. Secundò, Quia eleemoſyna facta pro Deo, eſt ſimilis oblationi, quæ ei fit, quæ habet virtutem orationis, *Qui facit miſericordiam, offert ſacrificium* l. Præterea, Eleemoſyna continet virtutem & efficaciam jejunii, quia jejunio mortificamus corpus, & ſubjicimus illud ſpiritui. Interventu eleemoſynæ, hoc fit, quia per eam ſe privat quis pane, vino, cibis, & bonis, quæ ſunt ordinata ad fovendam vitam, ut ea pauperibus eroget in gratiam animarum quæ languent in purgatorio. Propter iſtas duas rationes eleemoſyna habet majorem vim ad ſatisfaciendum Deo pro pœna peccatis noſtris debitâ, quàm jejunium, & oratio.

k Oſee 4. 8
l Eccli. 35. 4

Sed ſi Theologi extollunt eleemoſynam ſupra jejunium & orationem, ſancti Patres Eccleſiæ plùs eam exaltant: *Sicut lavacro aquæ ſalutaris, gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque operibus juſtis, delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in Baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & jugis operatio, Baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam largitur*, ait ſanctus Cyprianus *m*. Imò verò videtur eleemoſyna extolli ſupra Baptiſmum, quia Baptiſmus non confertur niſi unicâ vice, & non remittit niſi ſemel peccatum; ſed eleemoſyna dimittit pœnam peccati quotieſcunque volumus, & ſæpiùs quàm Baptiſma, quod non remittit peccatum niſi vice unicâ, ſicut docet ſanctus Ambroſius *n*. Pro levi eleemoſyna quàm hilariter pauperibus impendimus, Deus nobis impertitur gratias, quæ ſuperant omnia dona naturæ, *Sic anima miſericors fœneratur Deum, ſic dum dat in neceſſitate, ſibi conſulit ad ſalutem*, dicit ſanctus Proſper *o*. Hoc eſt unum ex artificiis, quibus anima uti poteſt ad obtinendam remiſſionem peccatorum ſuorum cum calice aquæ, & cum buccella panis, cùm Deus ſe alligaverit, ut ſuprà dixi ex Evangelio, ad reddendam cum uſura minimam guttam aquæ quæ datur pauperibus in nomine ipſius, & in favorem animarum in purgatorio languentium, *Qui miſeretur pauperis, Deo ad uſuram tradit*, ait ſanctus Baſilius *p*. Et S. Chryſologus *q*, *Deum humanam miſericordiam petit, ut largiatur divinam.*

m S. Cypr. tract. de Oper. & Eleemoſ. num. 3. & 4 ex Eccli. 3. 33
n S. Ambr. ſerm. 2. de Eleemoſ.
o S. Proſp. part. 2. de Prædict. & Promiſſ. Dei c. 29
p S. Baſil. conc. 2. in Pſ. 14. 5
q S. Chryſol ſerm. 8

Eccleſia clarè demonſtrat, quòd eleemoſyna ſatisfacit Deo pro pœna peccatis debita. Propter quid enim diceretis, quòd cùm quis dives mortuus eſt, propinqui ejus induunt pauperes, tribuunt eis pannos, & ponendo præ manibus illorum cereum, obſtringunt illos ad comitandum defuncti cadaver ad ſepulturam? ad quid hic homo cum crumena, qui diſtribuit pecuniam ſingulis, vel alius qui porrigit eis panes, vel obſonia? cur tot legata pia? quare omnes iſtæ miſericordiæ? niſi ad citò liberandam animam defuncti quæ dolores immodicos patitur in purgatorio, pro peccatis commiſſis, & in Confeſſione dimiſſis, ſed pro quibus non ſatisfecerat Deo quantùm ad pœnam quæ remanet poſt culpam in Sacramento Pœnitentiæ condonatam. En ſecunda utilitas quæ nobis provenit è praxi eleemoſynæ in favorem animarum purgatorii, quæ eſt ſatisfacere Deo pro peccatis noſtris, & ſecundum motivum, quod nos inducere debet ad illius exercitium. Tot peccata mortalia perpetraſtis, Auditores, adversùs Deum, tot eſtis onerati debitis erga divinam Majeſtatem, ut ea neceſſariò ſolvere debeatis aut in hoc mundo, vel in altero: quare penſum iſtud non perſolvetis ei? Dixi vobis, tres eſſe modos ſatisfaciendi Deo, jejunium, orationem, & eleemoſynam. Non multùm ſatisfacere poteſtis oratione, cùm ſitis occupati negotiis mundi, quæ vos avertunt ab oratione. Majorem reperitis etiam difficultatem circa jejunium, cùm aliqui dicant, ſe eſſe debiles, alii ſe labori incumbere, & alii hoc eſſe impoſſibile. Hoc ergo facere debetis per eleemoſynam, diſtribuendo bona veſtra pauperibus ad ſublevandas animas in purgatorio languentes. In praxim redigite conſilium quod Daniel *r* tribuit Regi Nabuchodonoſor, *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Vos, inquam, Auditores, qui habetis unde poſſitis dare. Vultiſne evitare pœnas iſtas purgatorii? date eleemoſynam pro animabus quæ in eo patiuntur. En dulcis ſatisfactio, quæ vos liberabit ab iſto debito, & vobis aperiet oſtium paradiſi, quod eſt aliud motivum.

r Dan. 4. 24

III. Pars.

Non ſufficit eleemoſyna ut exoneret hominem peccatis ſuis præteritis, & ſatisfaciat juſtitiæ Dei pro pœna contracta per illorum demeritum; ſed prætereà ipſa acquirit ei mercedem ſine fine, quæ eſt gloria Beatorum. Ratio iſtius eſt, quia hoc opus miſericordiæ, prout eſt laborioſum, eſt ſatisfactorium, & ſi fiat in charitate, eſt etiam meritorium vitæ æternæ. Talis fuit modus procedendi viduæ Sareptanæ, de qua loquebar vobis in principio diſcurſus iſtius, quæ interventu modicæ farinæ merita eſt ut anima ſua ſuſciperet primas diſpoſitiones & ſemina meſſis divinæ & æternæ, id eſt, gratiæ, quæ eſt principium gloriæ, *In pugillo farinæ, ſeminarium ſibi meſſis æternæ præparavit*, ait ſanctus Hieronymus *ſ*. Charitativus Tobias *t* clariùs etiam loquitur, *Eleemoſyna facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Non eſt aliquid quòd poſſit meliùs augere theſauros immortales, & divitias incorruptibiles, quàm diminuendo aliqua exigua fruſta panis, & aliqua bona, quorum acquiſitio pœnis innumeris eſt obnoxia, & fruitio totidem habet jacturas, inquietudines, & perſecutiones.

ſ S. Hier. Epiſt. 10. ad Furiam, num. 43
t Tob. 12. 9

Sed

Sed ne multiplicem authoritates, verba quæ Dei Filius dicet ipſâ die judicii, & merces quam aſſignabit illis, qui exercuerint eleemoſynam, ſufficiunt ad perſuadendam nobis iſtam veritatem: *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc dicet his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi; & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram; & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei Juſti, dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus: ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te; aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere: & venimus ad te? Et reſpondens Rex, dicet illis, Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* u. Super quod ſanctus Cyprianus x ait, *Quid potuit nobis magis Chriſtus edicere? quo modo magis potuit juſtitia ac miſericordia noſtra opera provocare, quàm quòd præſtari dixit ſibi, quidquid egenti præſtetur & pauperi. Et idcircò, Fratres chariſſimi, quibus mentis in Deum pronus eſt, & ſpreto calcatoque jam mundo ad ſuperna & divina animus erectus eſt; fide plenâ, mente devotâ, oratione continuâ promerendo, Domino obſequium præbeamus: demus Chriſto veſtimenta terrena, indumenta cœleſtia recepturi. Demus cibum & potum ſecularem, cùm Abraham Iſaac & Iacob ad convivium cœleſte venturi: ne parum metamus, plurimum ſeminemus. Securitati ac ſaluti æternæ, dum tempus eſt, conſulamus, Paulo Apoſtolo y admonente & dicente: Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus*: Si ſubveniamus pauperibus in gratiam animarum purgatorii.

u Matth. 25.31.&c

x S. Cypr. tract. de Oper. & Eleemoſ. num 53

y ex Gal. 6.10. & 9

Eſt igitur pro comperto, quòd eleemoſyna, quam pauperibus erogamus in gratiam animarum in purgatorio languentium, nobis acquirit paradiſum, aperiendo nobis januam ad vitam beatam. Ipſa eſt, quæ nos liberat à pœna, cui eramus addicti propter peccata quæ commiſeramus contra Deum, nullâ factâ mentione quòd augeat vel ipſa bona noſtra temporalia, ſicut ſupra dixi. Tandem, Ipſa eſt, quæ multiplicat merita noſtra, & dat incrementum mercedi, dummodò fiat cum contritione, & non in ſtatu peccati mortalis, è bono proprio, non autem ex alieno. S. Auguſtinus z ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*, ait, *Amaverunt præſentia, & dormierunt in ipſis præſentibus, & ſic illis facta ſunt ipſa præſentia deliciosa, quomodo qui videt per ſomnium invenisſe theſauros, tandiu dives eſt, quandiu non vigilat. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit. Tranſit ſomnus iſte, tranſit vita iſta: & nihil invenerunt in manibus ſuis, quia nihil poſuerunt in manibus Chriſti*. Sed non eſt ſomnium reſpectu illorum, qui collocaverunt divitias ſuas in pauperum manibus in gratiam animarum languentium in purgatorio: iſti cùm dormiverunt ſomnum ſuum, id eſt, cùm exiverint ex iſtâ vitâ, & tranſierint ad meliorem vitam, realiter invenient theſaurum æternum in manibus ſuis, eò quod poſuerint divitias ſuas in manibus pauperum. Debemus igitur exercere miſericordiam erga pauperes in favorem iſtarum animarum patientium, ſi velimus aliquando audire hæc prædicta verba conſolatoria, quæ Dei Filius Electis aliquando dicet, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. In hoc autem ſitum eſt meritum illius qui devotus eſt animabus his languentibus: auxiliando eis, & procurando illarum liberationem, excipit illas miſericorditer, & ſibi pandit hoc modo iter ad *vitam æternam*. Quid enim datur pauperi qui moritur fame, ſitique perit? Fragmentum panis, panis integer, ſi velitis, calix aquæ, parum vini: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere*. Animæ verò, quæ in igne purgatorii ardent immodicâ ſiti? Torrens voluptatis paradiſi, & facultas bibendi è fonte vitæ æternæ, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ*, dicit Pſalmiſta a, Deum alloquens. Fidelis qui devotus eſt animæ parenti in purgatorio, exercet erga eam omnia alia opera miſericordiæ. Collocat eam non per unam noctem, vel per unam diem, ſed per æternitatem in domo Dei, quæ eſt gloria, quam illi procuravit, *Hoſpes eram, & collegiſtis me*. Tribuit ei, ſeu facit illam habere veſtem immortalitatis, cùm ipſa juvare ſeipſam non poſſit ad eam ſumendam, ſeu ad illam merendam, *Nudus; & operuiſtis me*. Non viſitat ægrotantem, ſed à procul auxiliatur ei, & ſolamen illi tribuit interventu ſuffragiorum ſuorum, *Infirmus; & viſitaſtis me*. Non pergit ad carcerem, ut illam videat, ſed eam exire facit ex hoc horribili ergaſtulo, ubi juſtitia Dei exercetur cum omnibus rigoribus imaginabilibus, ut perducat eam *in libertatem gloriæ filiorum Dei* b. *Id eſt, Electorum, ſeu Beatorum in patriâ, qui Deo perfectè aſſimilantur, & plenâ dilectione inceſſabiliter conjunguntur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c his verbis Apoſtoli. *In carcere eram; & veniſtis ad me*. Hæc miſericordia quæ exercetur erga pauperes in gratiam animarum in purgatorio languentium, non eſt exigui meriti, & non poteſt eſſe niſi maximi emolumenti omni illi qui illam in praxim redigit, cùm non minus valeat quàm poſſeſſionem vitæ æternæ, *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi*. Ecce merces, quam Deus promittit electis, & quam proferet ipſâ judicii die in favorem illorum qui exercuerint opera miſericordiæ, & adimpleverint hoc monitum ſalutare quòd aliàs ipſis tribuerat in Evangelio d, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Sed quinam ſunt iſti amici, quos nobis conciliare debemus mediis divitiis & bonis temporalibus noſtris? Animæ purgatorii, quas adjuvare debemus, eleemoſynas erogando in earum favorem, & hoc modo nobis eas reddere amicas, ut ait ſanctus Vincentius Ferrerius e, *De divitiis, quæ aſſociant vos in deliciis ſed in tranſitu periculoſo mortis deſerunt Dominum ſuum, de his lucrandi ſunt amici, ſcilicet mortui: heredes & manumiſſores mortui debent dicere. O peſſima divitiæ, dimiſiſtis Dominũ veſtrũ? Certè vos ibitis cũ eo, dantes eas in Miſſis, eleemoſynis: ſic ſequuntur Dominũ ſuũ; & mortui tunc efficiuntur amici veſtri*.

z S. Aug. in ...

a Pſ. 35.9. & 10

b Rom. 8.21

c Dion. Carth art. 12. in Rõ. 8.21

d Luc. 16.9

e S. Vinc. Ferrer. ſerm. 1. Dom. 9. poſt Trin.

Hoc

Hoc modo debemus uti ad reddendos nobis mortuos amicos, id eſt, eleemoſynas erogando in favorem animarum illorum: cùm enim eorum animæ recipiant ſolamen è ſuffragiis & bonis operibus quæ agimus, & quæ ipſis applicamus; præ compaſſione quâ erga miſerias & pœnas earum afficimur, iſtæ ſe reddunt amicas illorum, qui ipſis impendunt hoc officium charitativum miſericordiæ, quo ipſas educunt è medio ignium & flammarum purgatorii.

Ex toto hoc diſcurſu duas educere debemus reflexiones ad modum noſtrum ordinarium, unam pro nobis, alteram pro his animabus. Pro nobis, Super conſiderationem ignis quem animæ iſtæ patiuntur, referre debemus ad utilitatem noſtram monitum ſalutare, quod S.Chryſoſtomus *f* nobis tribuit, *Si libidinis igne flagras, ignem illum oppone, atque hic confeſtim extinguetur & evaneſcet. Si quid, quod turpe & abſonum ſit, loqui geſtu, dentium ſtridorem* g *cogita: & frænum inſtar tibi hic metus erit. Si animum induis cuipiam aliquid eripere, audi Iudicem imperantem, Ligate manus ejus ac pedes, & ejicite eum in tenebras exteriores* h. *Si vino deditus es, nec à crapula abſtrahi pates, audi divitem illum dicentem, Mitte Lazarum, ut extremo digito ſuo linguam meam, ignis ardore conflagrantem, refrigeret, nec tamen id obtinentem* i: *atque ita hoc vitio laborare deſines. Si immiſericors es, memor eſto virginum, quæ extinctis lampadibus à thalamo excluſæ ſunt* k, &c. Cùm hæc cogitatio retrahat hominem a peccato, ſicut etiam docet S. Baſilius l, *Cùm ad peccatum aliquod progredi voles, conſidera quòd barathrum eſt profundũ, & tenebræ impenetrabiles, & ignis non ſplendens in tenebris, uſtoriam quidem vim habens, luce verò privatus. Hæc time, & hoc timore eruditus, animam à concupiſcentia ad mala velut fræno quodam retine.*

f S.Chryſoſt. hom. 10. in c. 5. epiſt. 2. ad Cor.
g ex Matth. 8.12
h ex Matth. 22.13
i ex Luc. 16.24. &c.
k ex Matth. 25. 8. &c.
l S.Baſil. in Pſ. 33.12

Quantùm ad id quod intuetur animas in purgatorio languentes, obſecro vos ex toto corde meo ut aperiatis viſcera miſericordiæ erga pauperes, qui efflagitant à vobis eleemoſynam propter amorem Dei, & ut eam impendatis illis in favorem iſtarum animarum patientium, *Date eleemoſynam* m, ſi velitis ut Deus vobis tribuat hæc tria emolumenta, de quibus vobis locutus ſum in progreſſu iſtius diſcurſus: & dato quòd in eroganda pauperibus eleemoſynâ non reperiretis commoda veſtra, ſaltem deberetis eam illis impendere in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ ſuſcepiſtis à Deo. Hæc eſt ratio quâ S. Paulus n utebatur ad perſuadendum fidelibus Corinthi exercitium virtutis iſtius, *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.* Si ergo Deus ſe fecit pauperem propter amorem hominum, eritne res inſolita, quòd homines efficiantur pauperes propter amorem Dei? Et ſi Deus permiſit ſe vendendum o propter amorem hominum, eſtne nimium, quòd homines vendant partem boni ſui propter amorem illius? Quis renuet buccellam panis illi, qui ſivit ſe vendi propter amorem ipſius? Quis non non dabit partem boni ſui illi, qui dedit pro ipſo totum ſanguinem ſuum p? Quis non patietur libenter exiguam inopiam, largiendo pauperibus eleemoſynam pro animabus purgatorii propter amorem Dei qui ſacrificavit vitam ſuam propter amorem ipſius? *O ſi cognoviſſes & tu* †, *quàm multa, & quàm multis debeas, videres quàm nihil ſit quod facis, quàm nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum,* (dicit S.Bernardus q, hominem ingratum alloquens) *Vis ſcire quæ & quibus debeas? Primò Ieſu Chriſto debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit* r *pro vitâ tuâ, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres.* Poſthæc, Auditores, eritiſne ſic ingrati ut renuatis ei buccellam panis, aſſem, vel denarium, cùm petit à vobis eleemoſynam in perſona pauperum ſuorum pro animabus in purgatorio languentibus? Agnoſcite quàm intolerabilis eſt hæc ingratitudo: & reddite vos miſericordes: *Eſurientis eſt panis, quem tu retines: nudi eſt veſtis, quam in arca cuſtodis: diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit: egentis argentum, quod tu in terram fodis*, ait vobis S.Baſilius *ſ*. Heu! auſcultate voces iſtas lamentabiles, *Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me piſcinam.* Aurem præbete querelis animarum iſtarum Defunctorum, *Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde* t. *Id eſt, vicini ac noti mei obliti ſunt mei, nil curando de me, nec compatiendo, neque ſuccurrendo miſeriis meis* u. Et ideò dicunt, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus* x? Ipſæ non habent quid amplius quàm collocare ſpes ſuas in Deo, qui miſertus ipſarum, introducet ipſas ad gloriam.

m Luc. 11. 41
n 2. Cor. 8. 9
o Matth. 26. 14. & 15
p Joan. 19. 1. &c.
† ex Luc. 19 42
q S. Bern. ſerm. de Quadrupl. debit.
r ex 1. Joã. 3. 16
ſ S. Baſil. ſerm. 1. in Divites avaros ſuper Luc. 12. 16. &c. Hominis cujuſdam, &c.
t Pſ. 30. 13
u Dion. Carth. in Expoſit. Tropolog. in hunc locum.
x Pſ. 38. 8

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annis habens infirmitate ſuá. Joan. 5. 2. &c.

INvenio in libro Joſue, quòd hæc, quæ *fecit Deus, duo luminaria magna; luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti* a; obediunt voci victoris iſtius; & quòd ipſe Deus ſe ſubjicit voluntati hominis, retardando curſum naturæ, & imprimendo cœlis omnibus veluti affectum honoris & reverentiæ propter amorem generoſi Ducis iſtius exercituum ſuorum, *Locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit anteà & poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël* b. Si ad orationem iſtius Ducis exercitus populi Iſraëlitici, dies fuit prolongatus; pœnæ animarum in purgatorio languentium abbreviabuntur interventu orationum fidelium Chriſtianorum, præcipuè verò iſtius *Ave Maria*,

a Gen. 1. 16
b Joſue 10. 12. &c.

Is eſt ordo ſtatutus à ſumma ſapientia Dei, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* c, ut creaturæ inferiores ferantur ad finem ſuum per quædam media, quorum interventu conſequuntur illius poſſeſſionem: licèt enim omnia agentia non producant operationes ſuas, niſi intuitu finis alicujus; non poſſunt tamen unquam ad eum pervenire, niſi per media quæ ſunt illi convenientia. Verum eſt, quòd cauſæ inferiores recipiunt motum ab agente ſuperiore, ſicut omnia agentia naturalia deſtituta intellectu, quemadmodum ignis, & hæc recipiunt impreſſionem ſuam a Deo: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* d. Nam, ut ait Philoſophia, *Opus naturæ, opus intelligentiæ non errantis.* Et hæc agentia non recedunt à ſcopo, vel à fine, ad quem Deus ipſa dirigit: ſed cum hac directione non perveniunt tamen ad hunc finē niſi interventu mediorum ipſis adæquatorum. Alia agunt motu phantaſiæ ſuæ, ſicut animalia, quibus natura determinavit fines, ad quos ferri debent, ſed nunquam poſſunt illos attingere niſi per media finibus iſtis congruentia. Alia agunt intellectu & ratione, & hæc ſola, prout habentia dominium ſuiipſorum, ſe determinant ad unum finem ſuis ideis congruentem, & in hac cathegoria colloco Angelos & homines, qui præditi libertate, nulli fini ſunt alligati præ neceſſitate & præ coactione: proponunt ſibi multos fines, licèt ferantur ad ultimum e & ad perfectiſſimum, qui eſt ſummum *Bonum* f, operatione ſuæ mentis, & diſcretione ſuæ rationis: tamen hæc omnia agentia nunquam adipiſcuntur poſſeſſionem finium ſuorum, niſi per media illis congrua. Ignis non poteſt calefacere, niſi caloris interventu: animalia producere non poſſunt ſimilia ſibi, niſi mediâ applicatione virtutis, quæ eſt propria ſpeciei ipſorum: Et homo, qui vocatur ab aliquibus animal Divinum, quia æquiparari poteſt Angelis; ab aliis, menſura omnium rerum; ab aliis, magnum orbis miraculum; ab aliis, Princeps totius naturæ, quod confirmant per hunc Scripturæ g locum, *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*; ab aliis, creatura admirabilis, ſuperior omnibus aliis, & inferior Deo; ab aliis, Prælatus omnium creaturarum; ab aliis Princeps cœleſtis, qui habet Angelos pro miniſtris quantùm ad id quod intuetur æternam ſalutem ipſius, juxta iſtud, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* h? Sed qui magis appoſitè vocatur ab aliis, animal domeſticum & familiare Deo, eò quòd poſſit cum Deo tractare de negotiis ſuæ ſalutis interventu orationis, non poteſt quidquam obtinere niſi beneficio ejuſdem orationis. Quod inducit me ad oſtendendum vobis Primò, qualis ſit poteſtas orationis factæ pro animabus in purgatorio languentibus. Secundò, quales eſſe debeant conditiones orationis, ad hoc ut reddatur efficax in earum favorem.

c Sap. 8. 1
d Sap. 7. 24
e Apoc. 1. 8
f Exod. 33. 19
g Gen. 1. 28
h Hebr. 1. 14
Diviſio.

I. Pars

Talis eſt orationis poteſtas, ut ſuperet captum & extenſionem virium naturæ. Infirmitas inconcuſſa terræ ſuſtentæ proprio pondere inter agitationes elementorum, a quibus juges recipit ipſa aggreſſiones, *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*, ait David i: & Salomon k: *Terra in æternum ſtat*: non poteſt reſiſtere aggreſſionibus orationis: aperit ipſa ſinum ſuum ad mandatum Moyſis, & recipit in abyſſos ſuas quoſdam ſeditioſos ad ſumendam vindictam de eorum temeritate, & caſtigandam eorum rebellionem, *Iſti ſunt Dathan & Abiron Principes populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſùs Dominum rebellaverunt: & aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis* l. Solus aſpectus maris, timore & tremore concutit mentem nautarum quorumcunque, quamvis videantur intrepidi, ſed præcipuè cū agitatur tempeſtate, & hi vident ipſum modò deprimi in abyſſos, & poſteà elevari ad nubes, quamdiu ipſi ſunt expoſiti fluctibus ejus implacabilibus. Aſpiciunt ipſi primâ fronte fluctus incipere caneſcere, & ventos Orientis perflare majori violentiâ quam antea, quod eſt motivum propter quod Nauclerus videns inſurgere turbinem, contentâ voce pluries inclamat ut deprimatur malus, & plicentur vela circum antennas: ipſe clamat, ipſe imperat, ſed tempeſtas quæ paulatim creſcit, non permittit ut audiatur vox ipſius, nec ut impleantur ipſius mandata: idem ventus qui conatur facere eos deglutiri univerſos, deglutit in aere vocem & verbum ipſius: unuſquiſque tamen ſatagit circa id quod ſui muneris eſt: alii retrahunt remos; alii erigunt aliquos aſſeres ad latus navis, ut impediant quin undæ ingrediantur intus; alii hauriunt aquam quæ jam intraverat, & rejiciunt mare in mare; alii plicant vela, ut retundant vim venti: ſic omnes ſimul opponunt ſe tempeſtati, quæ ſemper creſcit, excitata rabie aquarum; ſed tota ipſorum reſiſtentia eſt veluti vana; tempeſtas talis efficitur ut ille qui præ manu tenet gubernaculum, decidat omni judicio, & neſciat quamnam ſequi debeat viam: malum ſuperat ipſius induſtriam, ſed ita furiosè ut inde patiatur ipſe veluti deliquium animi præ pavore, ſtrepitus ipſum contundit æquè ac confundit, non eſt ampliùs ipſe ſui compos: Nam audiuntur circùm horribiles clamores hominum mixti ſtrepitibus funium, colliſiones formidabiles fluctuū, & terribiles fragores tonitruorum in aere crepitantium: fluctus intumeſcunt, & elevantur aliquando ſic ſublime, ut videantur intendere ſe collocare in cœlis; poſteà deprimentes ſe ad ima maris, ſimiles apparent arenis illius. En effectus naturæ, qui non prætereunt limites poteſtatis ejus: tamen ad ſolam Moyſis orationem, compeſcit ipſum mare fluctus & turbines ſuos, apparere facit ſuper ſuâ ſuperficie Halcyones præſagientes magnam tranquillitatem: oratio Moyſis facit ut ipſum ſe dividat in duos veluti muros aquæ quaſi glacialis ad dandum facilem tranſitum filiis Iſraël, quos iſte vir incomparabilis deducebat in terram promiſſionis: hi tranſeunt ſecuri per tranſverſas ipſius aquas: poſthæc ipſum reunit eas, ut ſepeliat in abyſſis ſuis Ægyptios, *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris. erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eorum & levâ. Perſequētesque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris. Iamque advenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum; & ſubvertit rotas curruum, ferebanturque in profundū. Dixerunt ergo Ægyptij, Fugiamus Iſraelē: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Domi-*

i Pſ. 92. 1
k Eccl. 1. 4
l Num. 26. 9. & 10

nus

nus ad Moyſen, Extende manum tuam ſup. r mare, ut cevertantur aqua ad Ægyptios ſuper cuccus & equites eorum. Cùmque extendiſſet Moyſes manum contra mare, ceverſum eſt primo diluculo ad priorem locum: ſugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aqua, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reverſaque ſunt aqua, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidem ſuperfuit ex eis. Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aqua eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris m. Poteſtas orationis quæ ſuperat extenſionem virium naturæ. Ignis eſt violentiſſimus omnium elementorum in activitate ſuâ, tamen ad orationem trium puerorum projectorum in fornacem Babylonis, mutatur in dulcem rorem, nec affert eis ullum nocumentum, *Viri hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flamma laudantes Deum, & benedicentes Domino Stans autē Azarias oravit. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtia intulit* n. Proprietas eſt ſeparabilis a natura ejuſdem ignis ut ſurſum ſemper tendat, ut eat unitum ſe ſphæræ ſuæ; tamen ad orationem Eliæ, evertit hunc ordinem; & nedum aſcendat, deſcendit, ſed tanto ardore ut vel ipſos lapides conſumat, *Elias Propheta ait, Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte quia tu es Dominus Deus. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam qua erat in aquaductu lambens* o. Idem Propheta fecit oratione ſuâ eâdem, ut tribus annis & ſemi, agri Samariæ privati fuerint benedictionibus cœli, quod denegavit eis per totum tempus illud imbres. Et denuò factâ oratione, pluviam impetravit: *Et dixit Elias, Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto: ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba* p. Nec hallucinor attribuere effectus iſtos extraordinarios orationi ejus, cùm S. Jacobus q cautam præſtet hanc veritatem. & attribuat hoc opus miraculoſum vi orationis illius, *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram: & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit: & cœlum dedit pluviam.* Iſtud nos edocet, quòd oratio fidelium facta in favorem animarum purgatorii, impetrat eis refrigerium, imò verò gloriam æternam à Deo, juxta obſervationem Armandi, eodem modo quo Elias impetravit à cœlo pluviam vi orationis ſuæ: dicit enim ſacer Textus r, quòd poſtquàm *Elias aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua, ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* Quare igitur iſte Propheta potuerit impetrare pluviam viventibus, & fideles non poterunt obtinere defunctis gloriam cœli eâdem oratione, eoſque liberare à pœnis purgatorii? Ecce verba Doctoris ſ illius convenientia cum verbis S. Jacobi præfatis, *Elias erat homo ſimilis nobis, paſſibilis, & oravit; & cœlum dedit pluviam: ita ad orationem viventium Deus dat mortuis refrigerium, & gloriam.*

m Exod. 14.21.&c.

n Dan. 3. 23. &c.

o 3. Reg. 18.36.&c.

p 3. Reg. 17.1

q Jacob 5. 17.& 18

r 3. Reg. 18.42 & 45

ſ Armand. ſerm. 58

Ægrotavit Ezechias uſque ad mortem: & introivit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei, Hac dicit Dominus, Diſpone domui tua, quia morieris tu, & non vives. Et convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum, & dixit, Obſecro Domine, memento quaſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens, Vade, & dic Ezechia, Hac dicit Dominus Deus David patris tui, Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce, ego adjiciam ſuper dies tuos, quindecim annos t. Ita bonus eſt Deus, & ſic miſereri vult animarum in purgatorio languentium, ut mitigetur cùm oratur in favorem earum, licèt antequàm exirent è corporibus ſuis non diſpoſuiſſent pro ſe orandum Deum: & ſi Deus addidit vitæ Ezechiæ quindecim annos intuitu orationis ipſius; abbreviat etiam annos integros pœnæ defuncto languenti in purgatorio, cùm oratur pro eo: *Si voluerimus illi leve facere ſupplicium, itaque ſi preces pro illo faciamus continuas, & ſi ille indignus ſit, nobis Deus placatior erit. Si per Paulum alios ſervavit* u, *& per alios aliis pepercit: quomodo non & propter nos iſtud ipſum faciet?* ait S. Chryſoſtomus x.

t Iſai. 38. 1.&c. ex 4. Reg. 20.1. &c. & ex 2 Par. 32. 24.&c.

u ex Act. 9.15

x S. Chryſoſt. hom. 21. in Act. 9.15

Cùm te præſento mihi S. Laurentium extenſum ſuper flammas devorantes, ſed magis combuſtum igne amoris Dei, quàm *igne* y ſupplicii ſui examinatus, contentâ voce inclamare, voce lætitiæ medios inter ardores qui ipſum conſumunt, *Verſa*, id eſt, ut in alterum latus verſetur, quaſi verò non putaret ſe mori niſi dimidiatiam, cùm eſſet duntaxat ſemiuſtus; extra me rapior iiſdem conatibus gaudii qui ipſum abripiunt: mors ſic eſt ei grata ut delicioſè corpus ſuum reverſet ſuper carbones, non ſecus ac ſi eſſent thalami floribus ſtrati: quòd ſi dolore aliquo afficitur, dolet eò quòd nihil patiatur: quia vita ipſius amore ſcatens reperit elementum ſuum in igne ardentium orationum ſuarum, qui ipſum conſumit: & ſic ſuſpirat lætitiâ inter violenta tormenta ſua: quantâ lætitiâ perfunduntur animæ languentes in purgatorio, cùm oratur pro ipſis, ſcire quòd ſupplicia ſua minuantur, & quòd illorum terminus citò ſit finiendus potenti interceſſione orationum, quas fideles viventes offerunt Deo quotidie pro ipſarum liberatione.

y Pſ. 16.3

Quid eſt in natura fortius diabolo? *Non eſt ſuper terram poteſtas qua comparetur ei* z. Videtur Deus imperium mundi diviſiſſe cum illo, & velle ut iſte Tyrannus ſit in eo Dominus abſolutus, & ſtatuiſſe ei ſubjicere omne illud quod in eo eſt: in hoc ſtatu ſi Deus habenas illi laxaret, hic unico inſtanti totum mundum everteret: tamen coactus eſt aliàs deditionem ſubire ad orationem Tobiæ, eique nullo modo nocere, ſicut & ſponſæ ejus pariter oranti, *Hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei, Sara, exurge, & deprecemur Deum. Surgentes autem pariter, inſtanter orabant ambo ſimul, ut ſanitas daretur eis* a, &c. Non latet vos quoties S. Antonius Abbas, incola ſolitudinis, reverſus eſt è certamine cum lauro præ fronte, habens manus veluti purpuratas ſanguine iſtius hoſtis generis humani, munitus ſolis armis orationis. Sæpè ſimul inierunt prælium, & manus iſtius antiqui ſerpentis, qui *erat callidior cunctis animantibus terra, qua fecerat Dominus Deus* b, aſſuetæ vincendis puſillanimis, oſtenderunt quòd erat armatus ipſe magis arrogantiâ & calliditate, quàm fortitudine: quod innuit quòd oratio ſic potens eſt ut animas in purgatorio languentes eripiat *de poteſtate tenebrarum, & in Regnum Filij dilectionis ſua* c transferat Deus Pater

z Job 41. 24

a Tob. 8. 4.&c.

b Gen. 3. 1

c Coloſſ. 1. 13

ter, intuitu ſuffragiorum quæ ipſi offeruntur pro eorum liberatione, ſicut ait S. Auguſtinus *d*, *Neque negandum eſt Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia ſiunt. Sed eis hæc proſunt qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt.*

d S. Aug in Enchrid. c. 109

Idololatria filiorum Iſraël, qui *fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; ſic Deum exacerbavit ut ſtatuerit omnes illos exterminare, qui erant criminis illius conſcii. Moyſes oppoſuit ſe huic conſilio Dei, & preces ipſius tantam præ ſe tulerunt efficaciam, ut videretur veluti brachia Deo alligaſſe ad impediendam hanc punitionem. Deus intuitus eſt ſe ſic ſtrictè urgeri ardore precum Moyſis, ut inductus ſit, veluti faſſus ſe victum oratione, ad ſupplicandum huic Legislatorem populi ſui, ut ſibi permitteret exequi id quod propoſuerat, *Ait Dominus ad Moyſen, Cerno quòd populus iſte, duræ cervicis ſit: dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos* e. Poteſtas orationis quæ Deo offertur pro animabus in purgatorio languentibus, tanta eſt, ut ſtatuat idem Deus eas liberare, vel ſaltem ſublevare ab ipſarum pœnis, cùm propter hunc effectum oratur ipſe à fidelibus viventibus. Nec his obſtat id quod ſibi Barbier Capucinus *f* objicit, nimirum, *Patres vetantes curam pro mortuis.* Ipſemet enim ſtatim ſibi reſpondet, *Vetare nimium dolorem, & pompas inutiles, non autem preces. Imò S. Ambroſius loquens defunctis Valentiniano & Gratiano, ait ſe quotidie pro eis oraturum.*

e Exod. 32. 8. &c.

f Barbier Capucin Compend. Controv. Bellarm disp. 5 de Purgat controv. 2

Erat *Eſther pulchra nimis, & decora facie. Cùmque percrebuiſſet* Aſſueri *imperium, & juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur Eunucho: Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, ut ſervaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei. Et adamavit eam Rex plùs quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema Regni in capite ejus, fecitque eam regnare* g. *Dixitque ad eam Rex, Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi. At illa reſpondit* h. *Si placet Regi, & ſi inveni gratiam in oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur eſſe contraria, obſecro, ut novis epiſtolis, veteres Aman literæ inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis Regis Provinciis perire præceperat, corrigantur. Quomodo enim ſuſtinere potero necem & interfectionem populi mei? Reſponditque Rex Aſſuerus Eſther Reginæ, & Mardochæo Iudæo, Scribite Iudæis, ſicut vobis placet, ex Regis nomine, ſignantes literas annulo meo* i. Oratio eſt Regina, ipſa non eſt minùs ſpecioſa quàm Eſther; poteſtas ipſius non cedit poteſtati ſponſæ Aſſueri: *Rex gloriæ* k ſic eam diligit, ut non poſſit ipſe recuſare quicquam ex illis, quæ ab ipſo efflagitabuntur, etiamſi liberatio ipſa animarum in purgatorio patientium, quæ conſtituunt partem Regni ſeu Eccleſiæ ipſius, *quam acquiſivit ſanguine ſuo* l, cùm ſciamus eſſe *ipſum Caput ſupra omnem Eccleſiam* m. Ecce poteſtas orationis, quæ reddit hominem domeſticum & familiarem Deo (ſicut ſuprà dixi) ut impetret ab eo quidquid eſt ab ipſo poſtulaturus pro liberatione animarum Eccleſiæ patientis in purgatorio. Sed quò hæc gratia conceſſa hominibus, eſt inſignior, eò magis ipſa manifeſtat ingratitudinem hominum adversùs animas propinquorum & amicorum ſuorum in iiſdem flammis languentium, cùm non frequentetur hodie quid minùs quàm iſtius orationis exercitium in favorem earum.

g Eſth. 2. 7. &c.

h Eſth 5. 3. & 4

i Eſth. 8. 5. &c.

k Pſ. 23. 10

l Act. 20. 28

m Ephef. 1. 22

Theologi cum S. Thoma *n* conſtituunt tres conditiones, quibus ſuppoſitis orationes noſtræ erunt efficaces, & impetrabunt infallibiliter illud omne, quod ipſæ efflagitabunt. Prima eſt, ut fiant pro nobis. Secunda eſt, ut ſecum habeant perſeverantiam annexam. Tertia eſt, ut ſocia ſit eis pietas. Oportet primò ut offeramus preces noſtras ante thronum Divinæ Majeſtatis pro nobis, ad implorandam immenſam miſericordiam ejus. Non quòd charitas Chriſtiana non conſultat nobis, & non requirat à pietate noſtrâ ut rogemus Deum pro aliis, præſertim verò pro animabus in purgatorio languentibus; ſed perſæpè contingit, ut, licèt orationes, quas facimus pro aliis, fiant cum multo ardore, non ſint tamen efficaces, quia ibi reperitur obſtaculum ex parte ſubjecti, cui applicantur, quod non habens diſpoſitionem ad receptionem gratiæ propter iſtud obſtaculum, non ſuſcipit earundem orationum effectus. Sic Eccleſia, quæ eſt bona Mater, quæque miſeretur omnium fidelium qui ſunt ipſius membra, quorum Jeſus Chriſtus eſt Caput, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* o; *& pro omnibus mortuus eſt* p, & pro ſingulis in particulari; orat pro infidelibus, qui ſunt extra ſinum ipſius, qui tamen rarò convertuntur.

n I. Pars S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 7. ad 2

o Coloſſ. 1. 18.

p 2. Cor. 5. 15

Secunda conditio orationis, eſt perſeverantia, quia Deus nobis aliquando renuit id quod ab ipſo petimus, non ut aliud nobis abſolutè recuſet, ſed ut illud differat in aliud tempus opportunius, cùm præ majori ſatisfactione poſſideamus res, quas magis deſideravimus, & parvipendamus, eas quæ citò conceduntur. *Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei, Miſerere mei Domine Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes, Dimitte eam: quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait, Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine, adjuva me. Qui reſpondens, ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſâ Dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus, ait illi, O mulier, magna eſt fides tua. fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora* q. Exauditio ſupplicationis mulieris iſtius debebatur perſeverantiæ orationis ipſius. *Oportet ſemper orare, & non deficere* r in hoc ſancto exercitio in favorem animarum iſtarum afflictarum, recitando coronam B. Virginis, roſatium ejus, officium Defunctorum, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & ſimiles orationes, quæ eas incredibiliter ſublevant, & ſi continuentur cum perſeverantia, impetrant illis tandem requiem vitæ æternæ.

q Matth. 15. 21. &c.

r Luc. 18. 1

Tertia conditio orationis, eſt, ut præ ſe ferat pietatem, id eſt, habeat omnes diſpoſitiones requiſitas ad hoc ut reddatur efficax: ut offeratur Deo cùm attentione convenienti, & cùm magnâ puritate mentis: ſi enim velimus ut Deus nos exaudiat in favorem animarum in purgato-

tio

rio languentium, oportet ut ipſi audiamus nos ipſos ſi deſideremus ut Deus illas educat, aut ſaltem ſubleveteas ab ipſarum pœnis; & nobis concedat liberationem vel allevationem, quam ab ipſo poſtulamus in earum favorem, oportet ut attendamus ad ea quæ dicimus: ſicut enim vox prolata ſine conſideratione, eſt velut grunnitus porcorum; ſic oratio oblata Deo ſine attentione, eſt quaſi mugitus boum; & ideo ipſa non poteſt exaudiri in favorem animarum in purgatorio patientium.

Sed quia orationes ſunt veluti pennæ, quę ferre debent & introducere has animas afflictas in cœlum, in quo debet ab illis reperiri *Sanctus Sanctorum* s, qui facere debet ipſarum felicitatem, ſicut *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, Hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* t; conſtituo pro quarta conditione orationis, ſanctitatem, cùm preces noſtræ debeant eſſe more pennarum, quarum adminiculo iſtæ animæ ſanctæ comparatæ avibus ab Oſee u, volare debent & aſcendere in cœlum, *Et avolabunt quaſi avis ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum: & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus*. Sed quare, dicetis mihi, iſtæ animæ patientes in purgatorio, vocantur aves? Quidnam eſt commune inter aves quæ volant in aera, & animas quæ domicilium ſuum faciunt in abyſſo? Quænam convenientia inter aves cœli & ſpiritus purgatorii? Vultiſne ſcire iſtius effati Prophetici rationem? Animæ purgatorii ſunt inſtar avium: quia ſicut aves ſurſum feruntur interventu pennarum ſuarum; ſic animæ purgatorii feruntur in gloriam beneficio ſuffragiorum noſtrorum, & precum noſtrarum, quæ ſunt quaſi pennæ, quæ eas illuc volare faciunt, ut ait Joannes à S. Geminiano x, *Sicut avis aſcendit ſurſum duabus alis; ſic anima purgatorii, eleemoſynâ & oratione, ad gloriam paradiſi facilè tranſmigrare poteſt*. Ad procurandam autem his animabus hanc glorioſam prærogativam, prædictis conditionibus tribus orationis juxta mentem S. Thomæ addo quartam, quæ debet eſſe ſanctitas. Ille qui orat pro animabus in purgatorio languentibus, debet eſſe ſanctus; debet eſſe juſtus: licèt enim ad agenda opera ſatisfactoria in gratiam hujuſmodi animarum afflictarum, quæ ſufficiant ad educendas ipſas, vel ſaltem ſublevandas à pœnis ipſarum, non ſit abſolutè neceſſarium ut quis ſit in ſtatu gratiæ, ſicut dicebam vobis nudius tertius, ſaltem juxta opinionem Scoti & aliorum quos citat Suarez y: tamen ſi is qui orat, eſt juſtus & ſanctus, citiùs exaudietur, *Quia peccatores Deus non audit* z. Soli amici fruuntur hoc privilegio, illi ſoli qui diſſoluti ſunt ab objectis ſenſibilibus, & ab affectibus terræ, ſuas afferre poſſunt orationes ante thronum Divinæ Miſericordiæ cum plena fiducia ſe exaudiendos: Deus intuetur ipſorum merita, & concedet illis id omne quod ab ipſo efflagitabunt, *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos* a. Cùm peccatores, qui ſunt criminibus immerſi, ordinariè ab eo repellantur, *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus* b. Oportet ut ſanctitas ſit comes individua precum noſtrarum, ſi deſideremus ut Deus illas exaudiat & ſatisfaciat ſupplicationibus noſtris in gratiam animarum iſtarum afflictarum. Propterea in Scriptura oratio comparatur odoramentis, & recenſentur proſtrati *viginti quatuor ſeniores coram Agno, habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum* c. Et Pſalmiſta d facit illam convenire cum thure, dum dicit Deo, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd in Arabia, ubi thus producitur, non licebat alias omni generi hominum illud colligere, ſed ſolis Menæis, & inter hos erant circiter triginta familiæ, quæ fruebantur hoc privilegio, quæ propterea Deo erant conſecratæ, & quando debebant ire collectum illud, abſtinebant ab habitatione cum uxoribus ſuis, & à tactu corporum mortuorum: ſic illi qui volunt ut fumus thuris myſtici orationū ſuarum aſcendat ante conſpectum Dei in favorem animarum in purgatorio languentium, abſtinere debent à peccatu, quod eſt mors animæ, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* e. Et illi qui ſunt in ſtatu conjugali, huic commercio renunciare debent *ad tempus, ut orationi vacent*, juxta monitum Apoſtoli f. Ideòque Eccleſia, quæ vult ut Sacerdotes ſint ſancti; *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos* g, quia Deo jugiter offerunt thus myſticum orationum ſuarum, decrevit ut cuſtodiant inviolabilem caſtitatem. Menæi erant conſecrati Deo, quod innuit, quòd oratio, quam Deo præſentamus in gratiam animarum in purgatorio patientium, debet eſſe juncta puritati & ſanctitati vitæ, quæ inſeparabilis eſſe debet ab his duabus qualitatibus, agere, & pati. Agere, id eſt, bonis operibus vacare, exercere miſericordiam; eleemoſynas erogare illis qui ſunt in neceſſitate conſtituti, in favorem earum animarum. Pati, ſcilicet exercere mortificationes, vigilias, & jejunia, juxta conſilium quod tribuit nobis ſacra Scriptura h, *Bona eſt oratio cum jejunio*. En agere, & pati, & praxis bonorum operum, de quibus loquebar vobis nuper.

Refertur de quodam fonte; quòd, ſi projicerentur in eum faces accenſæ, ſtatim ibi extinguebantur; quòd, ſi è contrà in illum injicerentur faces extinctæ, ibidem ſtatim accendantur. Hoc ſignificat, quòd illi qui accenſi ſuperbiâ præſumunt accedere ad ſummam Dei majeſtatem interventu orationis; & ab eo petere aliquem favorem, confeſtim extinguuntur: & ſicut alij exinaniti in cognitione ſuarum infirmitatum, accedunt ad thronum miſericordiæ cum fiducia, & ibi reperiunt gratiam, vitam, & prærogativas, quas prætendunt in favorem illorum, pro quibus eas deſiderant; ſuperbi è contra inveniunt ibidem mortem & reprobationem, *Quia Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam* i. Conformiter ad hunc ſenſum Pſalmiſta k dicebat de humilibus, *Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit precem eorum*. Aliqui Interpretes vertunt ex Hebræo, *Reſpexit in orationem cicadæ*. Alij verò legunt, *Reſpexit in orationem juniperi*. Per primam interpretationem eſt obſervandum; Auditores, quòd David non loquitur de cicada, ſed de iis qui ſe reddunt imitatores illius. Naturales dicunt de cicada, quòd ipſa non videt; quòd ipſa paſcitur rore, & experientia nos edocet, quòd ipſa non canit ore, ſed quòd cantus ipſius procedit ex percuſſione quam ipſa facit cordis ſui contra ventrem ſuum: atqui illi qui orant pro animabus in purgatorio languentibus, iſtas habere deberent qualitates, & ipſorum oratio ritè ſuſciperetur à Deo; oporteret ut eſſent oculis privati; id eſt, ut renunciarent proprijs voluntatibus ſuis,

s Dan. 9. 24.
t Jo. 17. 1 &c
u Oſee 11. 11.
x Joan. à S. Gemin. Conc. 9 Funeb. Dolorib. 4
y Suarez in 3. p. S. Th. diſp. 37. ſect. 2 citans Scot. in 4 ſent. diſt. 15. q. 1. 2. 4
z Jo. 9. 31.
a Pſ. 144 19.
b Pſ. 65 18.

c Apoc. 5. 8
d Pſ. 140 2.
e Ezech. 18. 4. & 20.
f 1. Cor. 7. 5
g Exo. 19 22.
h Tob. 12 8.
i 1. Pet. 5 5. & Jac. 4. 6
k Pſ. 101 18.

& ut

Digitized by Google

& ut quaſi cæci ſinerent ſe dirigendos motu, quem Dei voluotas ipſis imprimeret, dicendo illi cum Filio ipſius Jeſu Chriſto, *Non mea voluntas, ſed tua fiat l.* [l Luc. 22. 42.] Prætereà, Orationes ipſorum vehementer eſſent fructuoſæ, ſi ipſorum animę alerentur ſolo rore gratię, & non voluptatibus illicitis. Tandem, Eſſent perfectiſſimę, ſi ipſę non procederent ex ore ſolo, ſed ex profundo corde, ne ipſis improperaretur, *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me m.* [m Mat. 15. 8. ex Iſa. 29. 13] Quantùm ad id quod intuetur ſecundam verſionem, obſervant Naturales eſſe duplicem juniperi ſpeciem. Una eſt quę non producit fructus, ſed abundat folijs. Altera è contrà pauca emittit folia, ſed multos fructus generat: & hęc non producit vermes, & conſequenter non putreſcit. Prima ſpecies juniperi nobis repręſentat eos, qui recitabunt multas orationes, ſed ſine attentione; iſti ſunt tanquam juniperi, quę non dant niſi folia. Altera ſpecies juniperi, è contrà nobis eſt ſymbolum illorum, qui Deo offerunt preces, ſed efficaces, quę procedunt ex anima pura, ſancta, & immuni à peccato, breves quantitate, ſed quę pręſervant animam à corruptione peccati, & producunt multos fructus bonorum operum in favorem animarum patientium, ut educant eas, vel ſaltem illas ſublevent à flammis purgatorij.

Ex toto hoc diſcurſu eruamus duas reflexiones more ſolito. Unam pro nobis. Alteram pro animabus purgatorij. Pro nobis, E conſideratione ignis qui eas cruciat, educere debemus motivum timoris, qui nobis erit proficuus. Job n [n Job 10. 20. & 21.] alloquens Deum, dicebat, *Dimitte me, ut plangam paululùm dolorem meum: antequàm vadam & non revertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* Sed quid, Auditores? *Vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo o,* [o Job 1. 1.] timet: nos verò nunquid non timebimus? Job loquitur hic figurativè, *Antequàm vadam.* Quaſi diceret, *Ne vadam.* Nimirum, quòd, licèt à diabolo percuſſus *ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio p:* [p Job 2. 7. & 8] tamen conſideratione pœnarum alterius vitæ, judicabat ipſe expedire ut jugiter lacrymas effunderet, cùm lacrymæ in iſta vita poſſint extinguere ignes alterius vitæ: eſſetne verò poſſibile ut conſideratio pœnarum, quas iſtæ animæ patiuntur in flammis, non induceret nos ad nos recipiendos in meliorem emendatioris vitæ frugem?

Secunda reflexio, quam facere debemus, eſt in favorem animarum purgatorij, quę clamant, *Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Ipſæ queruntur de ſævitia propinquorum ſuorum, & de eo quod proprij liberi ſui non reminiſcuntur ampliùs ipſarum, *Filij alieni mentiti ſunt mihi q.* [q Pſ. 17. 46.] Ipſi promiſerant ſe ſoluturos legata pia, ſe futuros ſolicitos ut preces offerrentur Deo pro allevamento animæ meæ (dicunt iſti defuncti ſingdli deſolati) & tamen non ſategerunt ut pro me diceretur vel unicum *De profundis:* cujus interventu ſublevari poſſem à pœnis, quibus affligor. *Uſque ad terminum emiſerunt te: omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi,* dicit Abdias r, [r Abd. v. 7.] velut ſingulas animas iſtas deſolatas & derelictas alloquens. Collocaveram fiduciam meam in affinibus meis, ajunt iſtæ animæ afflictæ ſingulæ, ſed heu! hodiernâ die comprobo quòd derident me. Natura, dilectio, fidelitas, heu! quònam receſſiſtis? Nunquid igitur nulla eſt ampliùs reverentia, nulla ampliùs ſinceritas, & nulla ampliùs unio inter homines, ſicut nulla eſt charitas erga mortuos? Natura, quàm infidelis es! Dilectio, quàm inconſtans es! Fidelitas, quam mercenaria es! Heu! ubi ſunt affines mei? ubi ſunt fratres mei, & ſorores meæ? & ubi ſunt parentes mei, æquè ac propinqui mei? *Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me s.* [s Thren. 1. 21.] Ipſos non latet, quòd ego ſum in pœnis, & non ſunt ſoliciti de procuranda mihi liberatione, vel ſaltem allevatione ab illis interventu precum ſuarum. Et ubinam ſunt liberi mei, dicet hæc mater infortunata, quæ oblita eſt eorum in vita ſua, nedum tunc eſſet ſolicita de illorum inſtitutione, *Facta eſt extera ſemini ſuo t,* [t 1. Mach. 1. 40.] cùm nullam præ ſe ferant bonitatem erga me, & me derelinquant immiſericorditer in medio flammarum, quibus acriter exagitor, è quibus educere me facilè poſſent medijs orationibus ſuis? *Et nati ſui reliquerunt eam u.* [u Ibid.] Heu! Auditores, *Eâdem menſura quâ menſi fueritis, remetietur vobis,* ait vobis Dei Filius apud S. Lucam x. [x Luc. 6. 38.] Et apud Dionyſium Carthuſianum y [y Dion. Carth. ſ. 16. in Luc. 6. 38.] tribuit nobis hoc monitum ſalutare, *Quòd ſicut fecerimus, fiet nobis, id eſt, retribuetur nobis ſecundum exigentiam meritorum noſtrorum: & ſi nos fuerimus alijs immiſericordes ac duri, Deus quoque erit nobis ſeverus, quemadmodum Iacobus z* [z ex Jac. 2. 13.] *aſſerit, Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam.* Poſt mortem veſtram, Auditores, permittet Deus vos excipiendos eodem modo quo exceperitis parentes & propinquos veſtros: ſi reliqueritis opera pia exequenda, teſtamentum veſtrum non invenietur, ſic decernente juſto judicio Dei, nec illa mandabuntur executioni; & excipiemini, ſicut exceperitis alios. Parentes veſtri queruntur de veſtra crudelitate, *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis quaſi ſtruthio *.* [* Thren. 4. 3.] Reperitur amor inter lamias, ſed nulla charitas invenitur inter liberos & parentes; cùm more ſtruthionum crudelium relinquant illos ſine auxilio & abſque ſuffragijs. Heu! orate pro illis, & aperietis eis iter ad gloriam.

IN OCTA-

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVA COMMEMORATIONIS DEFUNCTORUM.

Eſt autem Ieroſolymis Probaticapiſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Joan. 5. 2 &c.

[a Sap. 7. 14.] SApiens *a* ait quòd habemus in Eccleſia theſaurum, qui eſt valoris infiniti, *Infinitus theſaurus eſt hominibus.* Qui non eſt alius niſi theſaurus indulgentiarum. Nunquam Synagoga habuit theſaurum ſimilem iſti theſauro, ſive ratione tabernaculi, [b Exo. 26. 1. &c.] quod Moyſes & Magnates populi opulentè ornaverant *b*, cùm erant in via per quam ibant ad terram promiſſionis: ſive reſpectu templi Salomonici ædificati cùm tantis ſumptibus & ſic ingenti magnificētiâ *c*. [c 3. Reg. 5. 6. &c] Quid enim erat in illo tabernaculo, quod in Eccleſia non reperiam præ majori ſplendore? Iſtud tabernaculum erat compactum è tabulis cupreſſi inſtructis auro, quæ ſignificant merita Jeſu Chriſti, de quo dicitur, *Quaſi cypreſſus in monte Sion* d. [d Eccli. 24. 17] Ex hac cupreſſu incorruptionis eductæ ſunt tabulæ ad ædificandum tabernaculum Eccleſiæ, id eſt ad conſtruenda ejus merita, tabulæ politæ in ſancta paſſione *e* ejuſdē Salvatoris. [e Jo. c. 18 & 19] Illud tabernaculum, erat ditatum tribus ſpecioſis velis diverſorum colorum. Primum, erat rubrum, ſignificans nobis opera SS. Martyrum qui quoniam *laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni* f, [f Apoc. 7. 14.] decoraverunt Eccleſiæ tabernaculum. Secundum, erat cœruleum, figurans merita SS. Confeſſorum & Virginum, qui alis ſuæ contemplationis, & cœleſtis converſationis, quippe quorum *converſatio in cælis* g erat, [g Philip. 3. 20.] elevaverunt ſe ſupra nubes uſque ad Solem *juſtitiæ* h. [h Malac. 4. 2.] Tertium, erat obſcurum, ex materia pellis caprinæ, quæ erat intexta auro obrizo & argento, & erat figura SS. Monachorum & Eremitarum, qui induti vilibus veſtimentis *i*, [i Heb. 11. 37.] interiùs ditati erant auro mundo & argento bonorum operum ſtabilitorum ſuper fundamentum Eccleſiæ, cujus præcipua *petra Chriſtus* k eſt: [k 1. Cor. 10. 4] & in hoc ſtatu decorant tabernaculum Eccleſiæ meritis pretij infiniti, cùm actiones Jeſu Chriſti ſint infinitæ, ſicut ipſe *non habet finem* l. [l Baruc. 3. 25.] Iſte theſaurus non eſt aliud niſi indulgentiæ, quæ conſervantur in tabernaculo Eccleſiæ in favorem fidelium viventium & defunctorum quas B. Virgo, quæ vocatur à S. Epiphanio *m* *Theſaurus diſpenſationis planè arcanus*, [m S. Epiphan ſer. de Laud. Deip.] diſtribuet animabus in purgatorio languentibus, ſi dicamus ei, *Ave Maria.*

Fecerat Abſalom convivium quaſi convivium Regis. Præceperat autem Abſalom pueris ſuis, dicens, Obſervate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis, Percutite eum, & interficite; fecerunt ergo pueri Abſalom adverſum Amnon, ſicut præceperat eis Abſalom; fugit Abſalom: Abſalom autem cùm fugiſſet, & veniſſet in Geſſur fuit ibi tribus annis n. [n 2. Reg. 13. 27. &c] *Intelligens autem Ioab, quòd cor Regis verſum eſſet ad Abſalom, miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem*, ut iſtius interventu impetraret à Davide revocationem filij ipſius Abſalom in civitatem Jeroſolymitanam. *Et ait Rex ad Ioab, Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalom. Surrexit ergo Ioab, & abijt in Geſſur, & adduxit Abſalom in Ieruſalem* o. [o 2. Reg. 14. 1. &c.] Hic Abſalom nobis figurat peccatorem: nam, ſicut ait Salomon *p*, [p Prov. 10. 23] *Stultus ſcelus operatur.* Quia Princeps hic immanis, conſcius jam fratricidij, *poſt hæc fecit ſibi currus & equites, & quadraginta viros qui præcederent eum* q, ut rebellaret adverſùs patrem ſuum, & deturbaret eum è throno ſuo. [q 2. Reg. 15. 1. &c.] Peccator autem mortem infert Jeſu Chriſto, Patri ſuo, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*, dicit S. Paulus *r* de peccatoribus. [r Heb. 6. 6.] Et idem Deus de illis ſic queritur, *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me s.* [s Iſa. 1. 2.] Tandem, Peccator perſeverans, ut rebellis *lumini* t, in peccato ſuo, eſt Abſalom moriens, & pendens *de quercu* u, [t Job 24. 13.] id eſt, capillis vanarum ſperum ſuarum adhærens quercui Divinæ Juſtitiæ, perforatus a Joab ſeu diabolo, tribus lanceis, quæ ſunt *concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* x. [u 2. Reg. 18. 10. &c] [x 1. Jo. 2. 16.] Poſtquàm igitur hic fugitivus Abſalom incurrit inimicitiam patris ſui, ille recipit in *Geſſur*, quo nomine ſignificatur amaritudo id eſt, ad *Pœnitentiam* y, [y Luc. 13. 3.] quæ eſt Sacramentum, & eſt *ibi tribus annis*, repræſentatis per tres partes hujus Sacramenti, quæ ſunt contritio *z*, [z Pſal. 50. 19.] confeſſio *a*, [a Mat. 16. 19.] & ſatisfactio *b*; [b Luc. 19. 8.] confeſſim *Deus, Pater miſericordiarum* c, [c 2. Cor. 1. 3] qui non vult *mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat* d; [d Ezech. 33. 11] mitigatur, parcit illi crimen ſuum, & illum reſtituit in priſtinum ſtatum ſuum: tamen non permittit ei ſtatim ingreſſum in cœleſtem Jeruſalem; quia ſi moreretur, iret in purgatorium ad purgandam ibi pœnam peccato ſuo debitam. Sed ecce altera ſancta mulier, vel potiùs Virgo Sponſa Jeſu Chriſti, *una columba* e, [e Cant. 6. 8] id eſt, Eccleſia ſancta, *quam acquiſivit ſanguine ſuo* f, [f Act. 20. 28.] ſicut dicit Scriptura: *Ipſa quoque & Mater & Virgo eſt: Mater viſceribus charitatis, Virgo integritate fidei*, prout ait S. Auguſtinus *g*: [g S. Aug. ſer. 16 de Tēp. c. 2.] Et alibi *h*, [h Idem Epiſt. 38.] *Mater Eccleſia nos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit*: quę conſiderans incertitudinem illius contritionis, difficultatem pœnitentię exercendę in iſto mundo, & rigorem pœnę quę exercetur in altero, adinvênit modum diſſolvendorum filiorum ſuorum vivorum & defunctorum ab iſto debito interventu indulgentiarum. Deſidero vobis igitur oſtendere, Primò, quòd adjuvare poſſumus mediis indulgentijs animas in purgatorio languentes. [Diviſio.] Secundò, unde hauriantur iſtę indulgentię. Tertiò, quid requiratur ad hoc ut ipſę proſint his animabus patientibus.

[I. Pars.] Suppono primò, quòd hoc nomen indulgentię non eſt aliud, quam remiſſio quę fit alicujus pœnæ, vel alicujus debiti, quòd in omni peccato diſtinguendæ ſunt duæ res, pœna & culpa, quemadmodum dicebam vobis nuper, ſicut in omni peccato eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam, ut dicunt Theologi *; [* Jer. 8. 5 & 6] cùm culpa reſpondeat averſioni à Deo, & pœna converſioni ad creaturam: quòd ſicut omnis actio virtuoſa meretur mercedem, ſic quælibet vitioſa digna eſt ſup-

ſupplicio: quod ordinariè culpa peccati dimittitur, ſed non pœna: & quòd peccator, licèt virtute contritionis, & confeſſionis reſtituatur in gratiam, & talibus actionibus pœna æterna debita peccato mortali mutetur ipſi in temporalem, & temporalis debita peccato veniali minuatur, quæ tamen non omnino tollitur; is, inquam peccator pœnitens tenetur tolerare eam, vel in iſto mundo, vel in altero in purgatorio: quòd hæc pœna ſolvi poteſt in hoc horribili carcere juſtitię Dei, ſi quis pro ea non ſatisfecit eidem Divinę Juſtitiæ ante mortem ſuam, ſive voluntarijs expiationibus, quas unuſquiſque facit peccatorum ſuorum, quales ſunt jejunia, auſteritates, vigiliæ, mortificationes, preces, eleemoſynæ, & alia opera laborioſa; vel pœnitentijs ſalutaribus quæ injunguntur in Confeſſione, aut operibus ſatisfactorijs aliorum peractis ad intentionem noſtrã, & applicitis nobis prout membris ejuſdem corporis, *Quoniam ſumus invicem membra* i. Aut tandem indulgentijs, per quas ſatisfactiones infinitæ Jeſu Chriſti, & ſupererogatoriæ B. Virginis, & Sanctorum, quæ ſunt ipſis inutiles, nobis applicantur loco earum, quas agere debebamus in iſto mundo, vel in pœnis purgatorij. Hoc ſuppoſito,

i Epheſ. 4. 25.

Dico quòd juvare poſſumus medijs indulgentijs animas in purgatorio languentes: quia cùm non omnino ſatisfecerint juſtitię Dei pro pœna peccatis ſuis debita, flammę purgatorij, quas ipſę patiuntur, mitigantur iſto rore theſauri illius infiniti, qui conſervatur in arca k Eccleſię ſanctę. Indulgentias jure merito voco rorem: quia ſicut proprium eſt rori refrigerare ſubjectum, ſuper quod ipſe diffunditur: ſic indulgentię refrigerium afferunt pœnis, quas animę fidelium patiuntur in flammis horribilibus purgatorij. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*, ajebat David l, Deum alloquens. Quaſi diceret ei, Domine, virga quâ dignaris me viſitare, eſt diſciplina & correctio mea; & baculus paſtoralis gratię tuę, qui me ſuſtentat & me fulcit in infirmitatibus meis, me conſolatur in ſupplicijs quę mihi infligis, & oſtendit mihi quòd adhuc meminiſti mei, & curam mei geris: propterea cùm me vocas ad te virgâ tuę correctionis paternę, ſtatim innitor huic baculo elevato, ſeu cruci tuę, unde motivum haurio maximę conſolationis. Videtur Pſalmiſta loqui in nomine animarum purgatorij, quæ conſolationem ſuſcipiunt à baculo crucis Jeſu Chriſti, (quatenus ab ejus cruce ac paſſione valorem habent indulgentiæ, quæ aliquando extenduntur ad defunctos, ut dicam infra) crux ſeu paſſio Jeſu Chriſti conſolatur has animas purgatorij, prout virtute iſtarum indulgentiarum, fructus iſtius crucis ſeu paſſionis eis applicatur: & ſicut ipſæ educunt ex illis motiva conſolationis & refrigerij, non debemus denegare eis hæc ſuffragia, quæ mitigant rigorem pœnarum quas ipſæ patiuntur.

k Exo. 25. 30.

l Pſ. 22. 5

Eccleſia ſancta miſeratione commota erga patientes iſtas animas, quas intuetur ipſa ſicut filias ſuas, inſtituit ſingulis annis diem deſtinatum ad earum allevamentum; & iſto ſeculo facit ut iſtum diem ſequatur octava concionum & indulgentiarum plenariarum in gratiam illarum in quibuſdam Eccleſijs. In alijs ſunt etiam altaria privilegiata ſingulis diebus, ubi, ſi dicatur Miſſa defunctorum, impetratur eis indulgentia plenaria. Et in alijs eſt ſaltem dies Lunæ ſingularum hebdomadarum aſſignatus ad obtinendam illis integram remiſſionem pœnarum, quas ipſæ patiuntur, quæ ipſis applicatur interventu ſacrificij corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, quod offertur Patri æterno in favorem ipſarum. Iſte modus procedendi Eccleſiæ, quæ eſt bona Mater, nobis oſtendit officium noſtrum, & nos edocet ut applicemus ad ipſius imitationem, theſaurum infinitum meritorum indulgentiarum, cujus ipſa eſt arcaria & diſpenſatrix, animabus purgatorij, quæ ſunt ipſius filiæ, ſicut & nos ſumus ipſius filij, cùm ipſæ ſint membrum ejuſdẽ corporis, *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, dicit nobis S. Paulus m.

m 1. Cor. 12. 27

Ad hunc theſaurum infinitum indulgentiarum Jeſus Chriſtus Sponſus ipſius nobis conſulit ut accedamus, ut applicemus eis illius meritum interventu ſuffragiorum noſtrorum: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non furantur* n. Sed heu! obſervo quòd latrones ad illum accedunt medijs auxilijs & ſuffragijs noſtris; latrones, inquam, ſimiles illi, qui pendens in cruce, *dicebat ad Ieſum, Domine, Memento mei, cùm veneris in Regnũ tuum* o: ſcilicet, animæ purgatorij, quæ cùm beneficio bonæ Confeſſionis, vel ſaltem contritionis præviæ interventu obtinuerint remiſſionem culpæ, accedunt ad hanc porticum piſcinæ ſanguinis Jeſu Chriſti, ad hunc theſaurum infinitum meritorum ejus, ad obtinendam veniam pœnæ interventu auxilij quod ipſis ſubminiſtramus, cum more paralytici noſtri *triginta & octo annos in infirmitate ſua* habentis, ipſæ ſe movere non poſſint, ut ſe projiciant *in piſcinam* ſanguinis illius, ad lavandas ibi univerſas maculas ſuas, & ad ſe diſponendas ad apparendum coram illo, qui in gloria eſt ſumma Puritas, prout *Sanctus Sanctorum* p. Habemus igitur authenticum veritatis iſtius exemplum in perſona Dimæ, ſeu boni Latronis, qui agnoſcens Jeſum Chriſtum cruci ſuffixum, & petens ab eo veniam criminum vitæ ſuæ anteactæ, non ſolùm obtinuit ab eo remiſſionem culpæ, ſed etiam indulgentiam totius pœnæ, & evitavit rigores pœnarum purgatorij, & conſecutus eſt paradiſum & fruitionem gloriæ eâdem horâ quâ mortuus eſt, beneficio indulgentiæ plenariæ, quâ Dei Filius ipſi conceſſit, antequàm ſpiritum exhalaret, *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* q. Quòd ſi petatis rationem propter quam bonus Latro ita citò conſecutus eſt paradiſum, & liberatus fuit à pœnis purgatorij, ipſe qui vitam ſuam inquinaverat tot criminibus ſic enormibus, nulla poteſt alia aſſignari, niſi quòd Jeſus Chriſtus infinitâ miſericordiâ ſuâ conceſſit ei illorum amneſtiam ſeu abolitionem generalem per indulgentiam plenariam quam illi tradidit. Propterea Arnoldus Carnotenſis r vocat bonum iſtum Latronem præconem indulgentiæ, *Inter cætera pietatis exempla, Latro noſter nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum; qui dum ingemit, ſubitò quod quærit invenit, quod petit, accipit* s, *& illico audit, Hodie mecum eris in paradiſo. Non ad loca purgatoria, flammaſq; peccatorum ultrices, confitens deſtinatur.* Dimas igitur evitavit purgatorium per indulgentiam, quam Jeſus ipſi tribuit: nos autem adjuvare debemus animas purgatorij eodem modo, & eas ſublevare ab ipſarum pœnis. Bonus ergo Latro liberatus à pœnis purgatorij præ effectu bonitatis Jeſu

n Matt. 6. 20.

o Luc. 23. 42.

p Dan. 9. 24.

q Luc. 23. 43.

r Arnold. Carnot. tract. de ſeptem Verb. Dom. ſuper illo verbo, Amen dico tibi, Luc. 23. 43. &c.

s ex Luc. 11. 10

Chri-

Chriſti per indulgentiam plenariam, nos edocet quòd ſublevare poſſumus animas purgatorij remedijs ſuffragijs indulgentiarum, quas lucrari poſſumus in earum favorem, applicando eis merita infinita Jeſu Chriſti, merita B.Virginis, quæ
e Cant. 4, 7. nunquam peccavit e, & merita aliorum Sanctorum, qui fecerunt opera ſupererogatoria, ideſt, ſupra quod tenebantur ſatisfacere juſtitiæ Dei pro pœna peccatis ſuis debita.

II. Part. Hæc eſt ſecunda conſideratio, quam facio ſuper hunc diſcurſum, ad ſciendum unde indulgentiæ iſtæ hauriantur. Ubi obſervabitis, quòd in omnibus operibus Jeſu Chriſti, B.Virginis Matris ejus, & reliquorum Sanctorum, & indifferenter in univerſum bono opere facto in charitate, duo reperiuntur, nimirum, quòd opus quodlibet ex illis, eſt meritorium, & ſatisfactorium. V.g. ſi erogo aliquam eleemoſynam, aut ago aliquod aliud opus charitatis, ſatisfacio primò juſtitiæ Dei pro parte pœnæ, quam jam incurri per peccata mea; & præterea mereor per hoc opus bonum, aut aliquam gratiam in iſto mundo, aut aliquem gradum gloriæ in altero. Conſideranda tamen ſunt opera & merita Jeſu Chriſti aliter quam opera & merita Sanctorum. Nam in Jeſu Chriſto meritum excedit proprium ſubjectum, ideſt, non ſolùm Salvator meruit pro ſe, ſed etiam pro nobis, & pro animabus purgatorij. Imò verò audeo dicere, quòd plus meruit pro nobis, quàm pro ſe: nunquam quippe meritus eſt primam gratiam pro ſeipſo, ſicut illam meritus eſt pro nobis, cùm ab inſtanti ſuæ conceptionis totus fuerit gratiâ repletus, *Verbum caro factum eſt,*
u Jo. 1, 14. *plenum gratia* u. Meritum autem Sanctorum non eſt talis extenſionis, cùm non poſſint mereri gratiam, nec gloriam, quæ obtinetur per pro-
x Mat. 19, 17. prium opus & meritum uniuſcujuſque x unitum & incorporatum merito Jeſu Chriſti,
y Jo. 15, 5. qui ait, *Sine me nihil poteſtis facere* y. Si ſermo eſt de operibus Jeſu Chriſti, ſive conſideremus ea, prout meritoria, vel prout ſatisfactoria, certum eſt ea nondum eſſe remunerata, contra ſententiam eorum, qui ſuper hunc locum S.Pauli z, *Hu-*
z Philip. 2, 8, &c. *miliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum,* &c. dicunt quòd Jeſus Chriſtus ſatis amplam ſuſcepit operum bonorum ſuorum mercedem, & quòd, cùm nihil illorum remaneat quod non ſit remuneratum, ideò nulla eſt indulgentia fundata ſuper tale meritum; quod potiori ratione aſſerunt illi habere locum in Sanctis, nimirum, quòd non ſolùm mercedem ſuſcepetunt bonorum operum ſuorum, ſed etiam ul-
a Rom. 8, 18. tra condignum, juxta eundem S.Paulum a docentem, *Quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Dico igitur quòd indulgentiæ, vel pro nobis, aut pro animabus purgatorij, hauriuntur è meritis Jeſu Chriſti, B.Virginis Genitricis ejus, & Sanctorum. Nam quantùm ad ſatisfactiones operum Jeſu Chriſti, quis neſciat eas eſſe infinitas, & quòd nunquam poſſunt exhauriri? Voco eas infinitas intuitu illius qui ſatisfacit, qui eſt Dei Filius perſonaliter unitus naturæ humanæ; infinitas ratione amoris qui ipſum induxit ad ſatisfaciendum; infinitas quantùm ad valorem ſuum, cùm paſſio iſtius *Agni immaculati Chriſti & incontami-*
b 1. Petr. 1, 19. *nati* b, qualificata fuerit nomine exceſſus, die
c Luc. 9, 31. transfigurationis ipſius, *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem,* ait S.Lucas c, loquens de Moyſe & Elia viſis ſuper monte Thabor. Idem dicere poſſem circa meritum, ſed ſufficit ut oſtendam vobis, quomodo jugiter illius mercedem ſuſcipit, non in ſe, ſed in membris ſuis, quæ ſunt fideles vivi & defuncti, in quæ influit meritis ſuis infinitis, prout *Caput corporis Eccleſiæ* d patientis, æquè ac militantis, ſicut caput influit in reliqua membra corporis natura- d Coloſſ. 1, 18.
lis. Nam dicite mihi, ſi placet, Quomodo ſalvatur infans moriens ſtatim poſt Baptiſmum, in quo erat *renatus ex aqua, & Spiritu ſancto* e? Non e Jo. 3, 5.
meritis ſuis: nunquam enim meruit, nec demeruit: oportet ut ſalvus fiat meritis Jeſu Chriſti: ſi ergo meritum, cujus beneficio ſalvatur hic infans, eſt Jeſu Chriſti, dicendum eſt quòd merces ipſius eſt; & ſi quotidie Salvator remuneratur in membris ſuis, oportet ut hæc remuneratio fiat intuitu meritorum ipſius, quæ nondum ſunt penitus remunerata, cùm merces præſupponat meritum. Unde facilè poſſumus educere intelligentiam authoritatis præfatæ S.Pauli, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Quæ non dicit, quòd Jeſus Chriſtus totalem ſuſceperit operum bonorum ſuorum mercedem, ſed tantùm aliquorum, per quæ meruit exaltationem humanitatis ſuæ, & excellentiam nominis ſui: ideoque indulgentiæ quas lucramur pro nobis, aut quas applicamus animabus purgatorij, fundantur ſuper reſiduum meritorum & ſatisfactionum ipſius, quæ pretij ſunt infiniti. Vultiſne autem nunc videre quomodo opera Sanctorum dicuntur eſſe penitus remunerata, & quo pacto indulgentiæ ſunt etiam fundatæ ſuper talia opera? Hæc ſunt conſideranda, vel prout meritoria, vel quatenus ſatisfactoria. Si ipſa conſideremus ut meritoria, certum eſt, ipſa eſſe verè remunerata, imò verò ultra condignum, & hoc modo debet intelligi authoritas Apoſtoli f, *Quòd non ſunt condigna paſ-* f Rom. 8, 18.
ſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Sed ſi conſideremus ea prout ſatisfactoria, dico ea nondum eſſe ſufficienter remunerata, & quòd ex illis bonis operibus eſt compoſitus theſaurus indulgentiarum, quas lucramur pro nobis, aut quas animabus Eccleſiæ patientis applicamus. Ratio iſtius eſt: Quia cum ſatisfactio ſit inſtituta pro pœna, quæ provenit ex culpa, & debeat eſſe ad proportionem pœnæ, multi Sancti factis operibus abundantibus ſatisfactione, nunquam iis indiguerunt, & ideò hæc manſerunt in theſauro Eccleſiæ militantis. Quis enim ſic ſtupidus eſſet ut auderet aſſerere, quòd B.Virgo Maria, quæ nullâ fuit unquam inquinata culpâ actuali, imò verò originali, *tota pulchra* g, g Cant. 4, 7.
indiguerit tot operibus ſatisfactorijs, quæ ipſa exercuit? Quis non fatebitur S.Joannem Baptiſtam ſatisfactionibus exceſſiſſe? cùm dicat S. Matthæus h, *Ipſe Ioannes habebat veſtimentum de* h Matt. 3, 4.
pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre. Et S.Marcus i, quòd mortuus eſt propter defen- i Marc. 6, 26. &c.
ſionem veritatis ex mandato Regis Herodis *Rex miſſo ſpeculatore præcepit afferri caput ejus in diſco. Et decollavit eum in carcere.* Licèt ipſe confirmatus eſſet in gratia, imò verò repletus *Spiritu ſan-* k Luc. 1, 15.
cto adhuc ex utero matris ſuæ k. Nunquid non dicemus

cemus idem de numero ferè infinito Martyrum, [l Sap. 3.6] qui *tanquam aurum in fornace* l martyrij, probati, pervenerunt ad gloriam, ad quam non ingreditur impuritas, [m Apoc. 21.27] *Non intrabit in eam aliquod coinquinatũ m.* Quis auderet hoc negare de tot Confeſſoribus, Virginibus, & alijs Sanctis, qui nonniſi pauca commiſerunt peccata? Auſcultate [n Job 6. 2 & 3] quid dicat Job *n* in lege naturæ de ſe, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in ſtaterâ. Quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Quod cùm ita ſit, dicemuſne tot opera ſatisfactoria eſſe in vanùm? Nequaquam: hoc enim eſſet irrogare injuriam Deo ipſi, qui nullum relinquit opus bonum ſine mercede; [o Rom. 2. 6.] reddens *unicuique ſecundùm opera ejus o.* Iſtud eſſet detrahere Sanctis, qui cum tanto labore ea fecerunt; privare opus fine ſuo, quod eſt ſatisfacere; & adverſari ſanctæ conſuetudini Eccleſiæ, quæ eſt hujuſmodi operum arcaria, & ijs utitur cùm ipſi placet. Ex iſtis igitur operibus Jeſu Chriſti, B. Virginis Matris ejus, & Sanctorum, hauriuntur indulgentiæ, quę nobis conceduntur, & quas applicamus animabus purgatorij.

[p Ruth 2. 3. &c.] Huic appoſitè convenit id quod refertur in libro Ruth *p*, de iſta vidua, *Abyt, & colligebat ſpicas poſt terga metentium. Et ait Booz ad Ruth, Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum. Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens: De veſtris manipulis projicite de induſtria, & remanere permittite, ut abſque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Eodem modo ſe gerit Deus: ipſe enim eſt Dominus meſſis, & meſſores habet, *Exyt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum* q. [q Luc. 8. 5. &c.] Qui cùm ſeminaverit in animabus Sanctorum velut in terra fertili abundantiam gratiarum ſuarum Divinarum, ubi venit tempus meſſis, id eſt, mors prędictorum Sanctorum, collegit in granarium gloriæ ſuæ fructus bonorum operum & meritorum ipſorum, *In tempore meſſis, dicam meſſoribus, Triticum congregate in horreum meum r.* [r Mat. 13. 30.] Et voluit ut de induſtria ſatisfactiones hujuſmodi Sanctorum caderent in theſaurum Eccleſiæ, ut ijs adjuvaret filios ſuos, tam Eccleſiæ militantis, qui ſunt vivi, quàm Eccleſiæ patientis, qui ſunt defuncti, quibus applicamus indulgentias. Imò verò hæc fuit intentio Sanctorum, applicandarum ſatisfactionum ſuarum utilitati Eccleſiæ, quod S. Paulus *s* teſtatur, [s Coloſſ. 1.24.] dicens in nomine omnium, *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.*

Ipſamet natura nos iſtud edocet: ſi enim videmus quòd in corpore humano membrum ſanum auxiliatur membro infirmo, & omnia membra mutuam ſibi præſtant opem ad invicem, primò propter utilitatem & conſervationem ſuam, & conſequenter ob emolumentum & conſervationem totius corporis: nunne rectæ rationi conſonum eſt, ut in iſto corpore myſtico Eccleſiæ, fideles qui ſunt omnes membra Jeſu Chriſti, qui eſt [t Coloſſ. 1.18.] ipſorum Caput, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ t*, reciprocum ſibi præſidium impendant; & ut alij cùm ſumpſerint tantum ſatisfactionum quantùm ijs indiguerint, charitativè diſtribuant reſiduum earum alijs qui illis indigent? Quod confirmat [u 1. Cor. 12.26. & 27.] Apoſtolus *u*, dicens, quòd *pro invicem ſollicita ſint membra. Et ſi quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Quod figuratur [x Deut. 25.5. & 6] nobis in Lege *x* antiqua ubi dicitur, *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſraël.* Sancti ritè cuſtodiverunt iſtam legem: Jeſus Chriſtus eſt Sponſus Eccleſiæ, *Qui habet Sponſam, Sponſus eſt y.* [y Jo. 3.29] Cùm igitur iſte Sponſus mortuus eſſet abſque liberis, vel ſaltem paucos haberet, qui proportionabiliter ſuccedere poſſet æternæ hæreditati quam acquiſiverat illis *pretio magno z*: [z 1 Cor. 6.20] id eſt, cùm eſſet *aſſumptus in cœlum, à dextris Dei a* ſeſſurus, [a Marc. 16.19] & paucos reliquiſſet in ipſum credentes; Apoſtoli, & alij Sancti per bona opera ſua vocantur fratres Jeſu Chriſti, ſic *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* b. [b Rom. 8. 29.] Quid autem putatis quòd ipſe ſuis innuere vellet Apoſtolis, cùm miſit ad illos per Magdalenam poſt ſuam reſurrectionem, *Vade ad fratres meos* c: [c Jo. 20. 17.] niſi ut recordarentur quòd ipſi eſſent fratres ſui, & quòd, prout fratres, deberent dare ipſi filios ſpirituales è Sponſa ſua Eccleſia, quam relinquebat in viduitate, qui legitimè ſuccedere poſſent hæreditati, quam eis acquiſiverat? Auſcultate, ſi placet, fratrem fidelem, ſcilicet S. Paulum Apoſtolum ſic Corinthios *d* alloquentem, [d 1. Cor. 4.8] *In Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Quid exiſtimatis quòd ſignificare vellet, niſi quòd genuiſſet ipſos ſpiritualiter per converſionem animarum ſuarum; ſed non pro ſe, ſed pro Jeſu Chriſto: propter quod iſti filij vocantur Chriſtiani? Apoſtoli ergo, cùm produxerint tales filios ſpirituales, ceperunt bona Jeſu Chriſti fratris ſui defuncti propter utilitatem & commodum prædictorum filiorum, quæ bona non ſunt alia niſi merita ejuſdem Jeſu Chriſti. Propterea dicebat idem Apoſtolus ijſdem Corinthijs *e*, [e 2. Cor. 2.10.] *Nam ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos, in perſona Chriſti. Id eſt, ac ſi Chriſtus donaſſet,* ſubdit Gloſſa apud S. Thomam *f*. [f S. Th. 3 p. q. 25. a. 1.] Hoc modo Sancti reddunt Matrem noſtram Eccleſiam ſic fertilem & abundantem filijs ſpiritualibus: ſic evidenter oſtendunt ſe non habere aliam intentionem, nec ingentius deſiderium, quàm adjuvandorum fratrum ſuorum ſpiritualium, tam Eccleſiæ patientis, quàm Eccleſiæ militantis, interventu bonorum operum ſuorum.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens, Iſta eſt religio victimæ, quam conſtituit Dominus. Præcipe filijs Iſraël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum: tradetiſq; eam Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium: & tingens digitum in ſanguine ejus, aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus. Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum, coccumq; bis tinctum Sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extrà in loco puriſſimo, ut ſint multitudini filiorum Iſraël in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: quia pro peccato vacca combuſta eſt g. [g Num. 19.1. &c.] Hæc vacca rufa, eſt humanitas ſacra & immaculata Jeſu Chriſti, quæ nunquam portavit jugum iniquitatis, *Chriſtus peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* h. [h 1. Pet. 2.21. & 22. ex Iſa. 53.9] Hæc vacca, immolata eſt extra caſtra, *Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt* t. [t Heb. 13. 12.] Tinxit poſtes ſancti tabernaculi ſui, id eſt, Matrem noſtram ſanctam Eccleſiam, eodem ſanguine ſuo, *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* u. [u Apoc. 1. 5.] Et, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro,*

vacro, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata x. Jam lignum cedri, coccus, & hyſſopus, conſumpta ſunt igne Divini amoris ipſius. Intelligo per lignum cedri, ſanctos Doctores & Prælatos, qui ſunt ſupra populum Chriſtianum, *Juſtus ut palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur* y. Per coccum ſanctos Martyres, *qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni* z. Et per hyſſopum humiles Confeſſores & Virgines, quibus dicit idem Chriſtus, *Nolite timere puſillus grex* a. *Puſillum gregem Electorum, ob humilitatis devotionem nominat*, ſubdit Beda b. Quorum cineres habemus in Eccleſia, id eſt, quorum merita habemus collecta *in loco puriſſimo*. A quo? A Papa, *Colliget autem vir mundus*. Ad quid? *In aquam aſperſionis, quia pro peccato vacca combuſta eſt.*

x Epheſ. 5. 25. &c. — y Pſ. 91. 13. — z Apoc. 7. 14. — a Luc. 12. 32. — b Beda l. 4. c. 54. in Luc. 12. 32.

III. Pars.

Supereſt ut oſtendam vobis id, quod requiritur ad hoc ut iſtæ indulgentiæ, quæ hauriuntur è meritis Jeſu Chriſti, B. Virginis Matris ejus, & Sanctorum, proſint animabus purgatorii. Super quod petitur, num applicari poſſint indulgentiæ animabus defunctorum. Nemo eſt qui de hac ambigere debeat veritate: quia cùm viventes adjuvari poſſint bonis operibus, quare denegaretur iſte favor defunctis, cùm Eccleſiæ membra ſint, æquè ac viventes? Et ſi homo particularis applicare poteſt aliis opera ſatisfactoria quæ facit, quare ſummus Pontifex non poterit applicare ſatisfactiones Jeſu Chriſti, B. Virginis Deiparæ, & Sanctorum, cùm ſit diſpenſator generalis indulgentiarum, quippe cui in perſona S. Petri idem Jeſus dixit, *Tibi dabo claves Regni cælorum* c? Ut autem iſtud benè intelligatur, eſt conſideranda proprietas hujus nominis Eccleſiæ, quod nihil aliud ſonat niſi congregationem fidelium coadunatorum ſub idem caput: atqui neceſſarium eſt, ut ad gubernandam hanc multitudinem ſit aliquis ſupremus, ad quem omnes alii referantur ut ad principium ſuum. Natura nos iſtud edocet: nam inter aves reperitur aquila; inter ſerpentes regulus ſeu baſiliſcus; inter animalia leo; & inter piſces cete. Quòd ſi altiùs aſcendam uſque ad naturam Angelicam, S. Dionyſius d ait, in ea eſſe novem ordines reductos ad tres hierarchias, & totum iſtud relatum ad unum ſolum Deum. Quòd ſi pergam uſque ad Naturam Divinam, in ea video tres perſonas diſtinctas, quæ referuntur ad unam ſolam eſſentiam & ſubſtantiam unius Dei, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt* e. Quòd ſi addam rationem naturæ, clariùs apparebit iſtud: Sicut enim natura nobis oſtendit, quòd in corpore humano non eſt niſi unum caput, cui omnia mēbra obediunt, quod ſuas communicat influentias his membris, quæ immediatè pendent ab ipſo: ſic ratio nobis dictat, quòd in corpore myſtico Eccleſiæ non debet eſſe niſi unicum Caput, cui omnia membra morem gerunt, & quod ſolum habet poteſtatem communicandarum eis influentiarum ſpiritualium, quæ ſunt indulgentiæ, id eſt, omnibus fidelibus. Caput iſtud eſt Papa, Vicarius Jeſu Chriſti: & licèt, prout Caput, habeat poteſtatem diſtribuendi iſtum theſaurum Eccleſiæ, tamen ſicut in corpore humano ſunt membra nobiliora alia aliis, tam in natura, quàm in functione; ſic in corpore myſtico Eccleſiæ ſunt Cardinales, Legati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi qui cum licentia Papæ poſſunt etiam eas indulgentias, cum hac differentia tamen, quòd, ut ait S. Thomas f. *Solus Papa plenarias indulgentias pro libito ſuæ voluntatis, leg…* [illegible] *tamen exiſtente causâ facere poteſt, cæteri autem Epiſcopi quantum ſibi à Papa taxatum fuerit*. Papa poteſt eas concedere perpetuas, alii verò habentes juriſdictionem ab eo, ad tantum tempus, quantum ſolis ille conceſſerit: Papa poteſt eas largiri per totum mundum, cùm alii habentes juriſdictionem, vel commiſſam, quales ſunt Legati, vel ordinariam, quales ſunt electi, non poſſint eas dare niſi intra diſtrictum ſuæ diœceſis, ſeu juriſdictionis. Quantum ad modum, quo ſummus Pontifex applicat indulgentias animabus purgatorii, iſtud ipſe non agit immediatè, ſed tribuit eas viventibus, ſuper quos habet juriſdictionem, qui lucrantur indulgentiam, & per poteſtatem quam Papa ipſis indulget, virtutem illius applicant animabus purgatorii *per modum ſuffragii*. Propterea requiritur ut Papa faciat expreſſam mentionem, quòd talis indulgentia poterit applicari defunctis. Inſuper, Oportet ut exactè adimpleatur id quod fertur per bullam indulgentiarum, & ut non applicetur indulgentia in generali animabus quæ ſunt in purgatorio, ſed aliquibus animabus in particulari ad placitum, vel illi quæ eâ plus indiget. Dico, animabus purgatorii; quia alii mortui, ſunt extra fidem & charitatem: & defuncti qui ſunt in purgatorio, quamdiu erant in iſto mundo, fecerunt ut lucrarentur indulgentias pro ſe, vel pro aliis, *Sic enim hoc ſuffragia mortuis proſunt, qui dum viverent hic, ſibi ut poſteà poſſent prodeſſe meruerunt*. *Unde patet quòd per merita præcedentia ſe habilitaverunt ut fructum ſuffragiorum ſuſciperent*, ait S. Thomas g. Idem dicere debemus de ſuffragiis Eccleſiæ particularibus, quæ ſunt indulgentiæ, quòd non proſint illis omnibus qui ſunt in purgatorio, ſed iis ſolis, quæ quandiu erant in iſto mundo, meruerunt ut hæ ſibi prodeſſent.

c Mat. 16. 17. & 19. — d S. Dion. l. de Cœleſt. Hierar. c. 6. & 7. — e 1. Jo. 5. 7. — f S. Th. 3. p. q. 26. a. 3. — g S. Th. 3. p. q. 71. a. 12.

Ex toto iſto diſcurſu duas eruere debemus reflexiones morales, ſicut conſueti ſumus. Unam pro nobis. Alteram pro animabus purgatorii. Pro nobis, Conſiderando flammas, quibus iſtæ cruciantur animæ, perpendere debemus ſuper id, quod S. Matthæus h ait de ſignis quæ præcedent judicium extremum, *Conſurget gens in gentem, & Regnum in Regnum: & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca*, quòd *hæc omnia initia ſunt dolorum*. Quaſi diceret, quòd univerſa hæc non ſunt niſi principia pœnarum & flammarum, quæ ſuſtinentur in altera vita. Præterea, Debemus attendere cum Origene i illud quod Jeremias k dicit, *Vidi, inquit, lebetem vel cacabum ardentem, & facies ejus à facie Aquilonis. Veliterùm prius virgam vidit nuceam. Requiramus ergo de iſta ſententia, quid propterea ſimul virgam oſtendit, & cacabum igne ſuccenſum, niſi quidem diſciplinas accipias per virgam, & emendêris cacabo non indigeas ſuccenſo: ſi verò permanet indiſciplinatus, & virgâ non emendaris, id eſt, verbo correptionis vel confutationis, vel pœnitentiæ, & tali verbo correptus qualem dicit Paulus* l, *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate ſpiritûs & manſuetudinis? Si ergo tali virgâ non emendaris, in cacabum mitteris, & cacabus ſuccendetur. Propterea ergo vidit Jeremias ſimul utrumque, & virgam, & cacabum ſuccenſum, ut metuemus utrumque, alterum videamus ex altero.*

h Mat. 24. 7. & 8. — i Orig. hom. 2. in Pſ. 38. 12. — k ex Jer. 1. 11. & 13. — l 1. Cor. 4. 21.

Secunda reflexio eſt pro his animabus purgatorii,

torij quibus compati debemus, & eis applicare indulgentias, ne Dei Filius nobis ſingulis improperet ſicut improperabat ſervo cuidam ingrato, m Mat. 18 33. *Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui* m? Quantò potiori ratione animæ parentū, propinquorum, amicorum, benefactorum, &c. n Amos 6.6 Aut ne nobis dicat id quod ait Amus Propheta n, *Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Id eſt, iſtius animæ, quæ eſt in iſto puteo, vel in carcere purgatorij. Heu! bus cadit in foveam, præbet unuſquiſque manum ut eum inde educat: iſtæ animæ ceciderunt in puteum abyſſi purgatorij: ipſæ auxilium inclamant, more paralytici iſtius habentis *triginta & octo annos in infirmitate ſua, Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Et nemo ipſis manum præſtat auxiliatricem. Quænam ſævitia! Ignis combuſſit aliquam domum, omnes certatim currunt ad extinguendum illud incendium, quod immodicum vicinis etiam poſſet domibus inferre damnum: animæ autem parentum & propinqoorum noſtrorum igne ardent: nec tamen ſatagimus ut afferamus eis refrigerium medio rore indulgentiarum. Lex naturæ o clamat, ut faciamus alijs, o Tob. 4. 16. & Mat 7. 12 quod vellemus nobis fieri: hoc non facimus; pari modo excipiemus à ſucceſſoribus noſtris p. p Luc. 6 38. Ipſæ clamant ſingulæ, *Infirmata eſt in paupertate virtus mea* q. q Pſ. 30 11. Ipſæ non habent aliquid, quo ſe juvare poſſint, & nihil lucrari queunt: vel ſi præ ſe ferunt aliquam exigoam fortitudinem, eam habent conſortitam in ſilentio & in ſpe, quòd aliquis ſit ipſis applicaturus aliquam indulgentiam ad ipſas ſublevandas, *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra* r. r Iſa. 30. 15. Vel, *Spes illorum immortalitate plena eſt* s. s Sap. 3. 4 Ipſæ ſunt deſolatæ videntes ſe derelictas. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus ſpreverunt eam* t. t Thren. 1. 2 Quandiu defunctus iſte vivebat, multi dicebant, *Ecce quem amas, infirmatur.* Sed vix tres dies effluxerunt à morte ejus, cùm ijdem non meminerunt ampliùs illius, *Iam fœtet, quatriduanus eſt enim* u. u Jo. 11 3. & 39 Miſeremini animarum iſtarum, ut ire poſſint ad gloriam.

IN OCTAVA COMMEMORATIONIS OMNIVM FIDFLIVM DEFVNCTORVM.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Joan. 5. 2 &c.

QUàm admirabiles Providentia Dei curas habet eorum, quos diligit! *Erat Habacuc Propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum, ut ferret meſſoribus. Dixitq; Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Et dixit Habacuc, Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitq; eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamavit Habacuc, dicens, Daniel, tolle prandium quod miſit tibi Deus* a. a Dan. 14. 32. &c En, Auditores, figura ſancti ſacrificij Miſſę oblati Deo manibus Sacerdotis, qui capillo ſanctę intentionis (*Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ*, dicit Dionyſius Carthuſianus b) b Dion. Carth. a. 44. in Luc. 11. 58. &c. fertur ad animas purgatorij, quę ſunt in medio leonum, & quę expectant iſtud auxilium à charitate noſtra, cùm debeamus juvare defunctos ſacrificijs, ęquè ac alijs ſuffragijs, de quibus uſque nunc vobis ſum locutus. S. Paulus c c Heb. 11 33. & 34 ait quòd Sancti *obturaverunt ora leonum*: de quibus Eccleſia ſic Deum erans, canit, *Libera eas de ore leonis.* Et quòd *extinxerunt impetum ignis.* Id eſt, interventu altarium privilegiatorū erectorum in honorem ipſorum propter allevamentum animarum purgatorij, quod efficit ut hodie una ſublevetur, cras verò altera ſuſcipiat liberationem ſuam & gratiam ſuam, ſed præcipue mediâ interceſſione Mariæ, quæ eſt *Mater gratia, Mater miſericordia.* Dicamus ei, *Ave Maria.*

Appoſitè locutus eſt ille, qui diſſerens de debito hominis, dixit, *Non ſolùm nobis nati ſumus, ſed & patria, & parentibus, & amicis.* Sumus addicti patriæ, ad reddenda ei auxilia noſtra: parentibus, ad exhibendas illis noſtrarum probationes reverentiarum: & amicis, ad tribuenda illis affectuum noſtrorum teſtimonia. Idem dico ego de Chriſtiano: Ipſe natus eſt Eccleſiæ, ad juvandam eam auxilijs ſuis: triumphantem gaudio medijs laudibus ſuis; militantē orando pro progreſſu ejus; & patientem, rogando pro ſublevatione ejus, pro parentibus, propinquis, & amicis in ea detentis. Præcipue verò hoc edulero de Sacerdotibus, qui offerunt Deo ſacrificia. Propterea obſervo quòd à mundo condito ſemper fuerunt Sacerdotes in omnibus legibus, in lege naturæ, in lege ſcripta, & in lege gratiæ. Ab Adam uſque ad Moyſen fuit lex naturæ. A Moyſe uſque ad Jeſum Chriſtum fuit lex ſcripta, *Quia lex per Moyſen data eſt* d. A d Jo. 1. 17 Jeſu Chriſto lex gratiæ uſque ad finem mundi, *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* e. e ibid. Qui ait nobis, *Ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* f. f Mat. 28 20. Et in omnibus illis legibus fuerunt ſacrificatores. In lege naturæ, *Factum eſt, ut offerret Cain de fructibus terra munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum* g. g Gen. 4. 3. & 4 Tunc omnes primogeniti, erant Sacerdotes. In lege ſcripta, Deus deſtinaverat *Aaron cum filijs ſuis de medio filiorum Iſraël, ut Sacerdotio* h h Exo. 28 1. fungerentur. In lege gratię, *Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* i. i Heb 6 20. ex Gen 14. 16. & ex Pſ. 109. 4 Et cùm ipſo omnes Sacerdotes conſecrati, & deſtinati ad hoc officium, *Quoniā Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem* k: &c. k 1. Cor. 11. 23. &c In lege naturæ, Sacerdotes offerebant ordinariè fructus terræ *panē & vinum* l. l Gen. 14. 18. In lege ſcripta, animalia diverſi generis, ut videri poteſt in Levitico m. m Lev. c. 1 & ſeqq. Et in lege gratiæ, offertur Euchariſtia. Semper igitur fuerunt leges, Sacerdotes,

dotes,& ſacrificia. Duæ primæ l[illegible]erant velut umbræ iſtius ultimæ , quæ eſt corpus;ut figuræ, cujus lex gratiæ eſt res figurata & realitas, *Omnia in figura contingebant illis* n. [n 1.Cor. 10.11] Habemus eandem prærogativam , & majorem in lege gratiæ , in qua habemus Sacerdotes nobiliores. Et ego volo [Diviſio.] vobis oſtendere, Primò, quòd habemus eundem Sacerdotem & idem ſacrificium in altari ac in cruce in favorem animarum purgatorii. Secundò, Monſtrabo vobis efficaciam virtutis iſtius ſacrificii pro allevamento iſtarum animarum patientium. Tertiò, Quòd Jeſus Chriſtus in ſacrificio Miſſæ continuat tria conſilia,quæ habebat in cruce,quæ ſunt illis valdè proficua.

[I. Pars] Conſecratio panis & vini virtute verborum iſtorum Sacramentalium, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus* o, [o Matth. 26.26.& 28] eſt verum ſacrificium Religionis Chriſtianæ in qua habemus eundem Sacerdotem & idem ſacrificium ac in cruce in favorem animarum purgatorii. Ad veritatis iſtius intelligentiam , ſupponendum eſt primò , quòd omnis vera Religio debet habere aliquod ſacrificium : quia Religio non tendit niſi ad agnoſcendum & adorandum Deum modo puriſſimo & ſanctiſſimo : & ipſe non poteſt meliùs agnoſci & honorari in magnitudine ſua quàm ſacrificio : & omnes homines exiſtimaverunt ſacrificium ita intimum & ſic eſſentiale Religioni , ut, ſtatim ac novam aliquam Religionem formaverunt,in ea ſemper poſuerint aliquod ſacrificium, cùm non poſſet aliter ſubſiſtere: ſic ut S.Paulus p [p Hebr. 7. 12] judicaverit quòd connexio unius alteri, eſſet penitus indiſſolubilis, *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat.* Id eſt , Religio mutetur. Re autem verâ ſacrificium eſt oblatio externa & publica quæ fit Deo in honorem ipſius , & in teſtimonium ſummi dominii ipſius, à Sacerdote legitimo cum mutatione & deſtructione rei oblatæ. Eſt oblatio publica, quæ non pendet à voluntate & nutu cujuslibet particularis. Eſt etiam oblatio externa,quia fit ad teſtandam & manifeſtandam ſummam excellentiam Dei,potentiam ejus,& magnitudinem,cujus *non eſt finis* q, [q Pſ.144.3] quâ excellit ſuper res omnes,quæ *quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo,& quaſi nihilum,& inane reputata ſunt ei* r. [r Iſai. 40. 17] Et per quam habet poteſtatem vitæ , & mortis , *Dominus mortificat. & vivificat, deducit ad inferos,& reducit* ſ. [ſ 1.Reg. 2.6] Et reddendi juris, æquè ac largiendæ gratiæ animabus purgatorii, & liberandi eas à pœnis ipſarum. In cujus ſignum res quæ ipſi offertur in ſacrificio,mutatur, aut deſtruitur, velut ad innuendum tacitè, quòd creatura nihil eſt coram illo. In quo ſacrificium diſtinguitur à ſimplici oblatione quæ Deo fit alicujus rei , nedum tamen hæc mutetur, aut deſtruatur , veluti ſi daretur Eccleſiæ aliqua pecunia,vel aliqua tabella,vel aliquod vas pretioſum, ad hoc ut Miſſæ celebrarentur pro animabus purgatorii. Tandem, Hæc oblatio fieri debet à Sacerdote legitimo: nam , ſicut ait S.Paulus t, [t Hebr. 5. 4. ex Exod 28. 1. & ex 2. Par. 26. 18] *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem , ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quia cùm ſacrificium ſit actus publicus Religionis , fieri debet à perſona publicâ,& quæ habeat poteſtatem & authoritatem : atqui res iſtæ pertinentes ad ſacrificium, reperiuntur in conſecratione panis & vini , cùm Sacerdos profert verba Sacramentalia in Miſſâ, faciens tunc oblationem externam propter verba quæ ipſe pronunciat : & publicam etiam, cùm inſtituta fuerit à Chriſto , qui illius exemplum tribuit , & mandatum ejus fecit in ultimâ cœnâ agni paſchalis, *Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem : & gratias agens fregit, & dixit : Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquàm cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine : hoc facite , quotieſcunque bibetis,in meam commemorationem* u. [u 1.Cor. 11.23.&c.] Res quæ offertur pro fidelibus vivis , & pro animabus in purgatorio languentibus, eſt corpus & ſanguis Jeſu Chriſti qui ſe præſentem reddit ad prolationem verborum : & Sacerdos habet intentionem offerendi ipſum Deo , ad perhibendum teſtimonium dominii ipſius abſoluti , & magnitudinis ipſius ſupremæ: propterea Jeſus Chriſtus, qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* x, [x Baruch 3.25] in Euchariſtiâ reducitur velut ad nihilum , cùm ſit ibi ſub ſpeciebus mortuis , & in ſtatu maximæ humiliationis, ut majores imprimat affectus reverentiæ erga Divinam magnitudinem , pro quâ ſe redigit ipſe ad formam ſic vilem & depreſſam coram ſenſibus , & ad modum ita differentem ab eo, quo agnoſcitur *in templo ſancto ſuo , in cœlo* y. [y Pſ. 10. 4. & ex Habac. 2. 20] Cùm Jeſus Chriſtus dixit , *Hoc eſt corpus meum*, docuit oblationem novi teſtamenti, quam Eccleſia, ſumens illam ab Apoſtolis poſt Jeſum Chriſtum, offert per totum mundum, ſicut inquiunt Patres, juxta iſtud effatum Dei apud Malachiam z, [z Malach. 1. 11. ex Pſ. 112.3] *Ab Ortu Solis uſque ad Occaſum , magnum eſt nomen meum in Gentibus , & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Cain non habuit animam ſic depravatam : ut hoc obſequium Deo recuſaret abſolutè a, [a Gen. 4.3] ſicut audiviſtis ſuprà. *Habemus altare : de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt* b. [b Hebr. 13.10] Hoc altare non intelligitur de cruce , cujus fructus eſt communis Judæis & Gentilibus, qui omnes inde ſuam trahere poſſunt utilitatem : ſed de altari Eccleſiarum Jeſu Chriſti, ubi offertur Deo ſacrificium corporis & ſanguinis ipſius pro animabus defunctorum , æquè ac pro vivis , & ubi habemus eundem Sacerdotem, & idem ſacrificium ac in cruce. A S.Paulo c [c Hebr. 6. 20] vocatur *Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Ipſe, Sacerdos fuit in cruce, & Sacerdos eſt in altari. In cruce, *Semetipſum obtulit immaculatum Deo* d. [d Hebr. 9. 14] *Oblatus eſt , quia ipſe voluit* e. [e Iſai. 53.7] *In capite libri ſcriptum eſt de me , ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui* f. [f Pſ. 39.9] Ipſe , eſt Sacerdos in altari, quia ipſe eſt illius inſtitutor. Cum Sacerdos conſecrat, iſtud non agit in nomine ſuo ; ſed in nomine Jeſu Chriſti , qui eſt verus Pontifex, dicit, *Hoc eſt corpus meum* g. [g Matth. 26.26] Nam, ſicut ait S. Ambroſius h, [h S. Ambr. lib. 4. de Sacrament. c. 4] *Ubi venitur ut conſecratur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* Jeſus Chriſtus eſt igitur *Sacerdos in æternum* i. [i Pſ. 109.4] Sed quomodo Sacerdos eſt? Non ſecundùm Divinitatem , ſed ſecundùm humanitatem : nam Sacerdos habet relationem ad eum, cui ſacrificium offertur , & conſequenter offerens eſt inferior eo , cui ſacrificium præſentatur : non eſt igitur Sacrificator pro vivis,& pro animabus defunctorum, ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem; & talis erit in æternum : quia ſemper erunt Sacerdotes, qui offerrent ſacrificia in nomine ipſius, *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* k. [k Matth. 28.20] *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia per Sacramentalem*

[l Dion. Carth. art. 45. in Matth. 28. 20] *præſentiam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus l. *Sacerdos in æternum.* Id eſt, a parte poſt, pro vivis, & pro defunctis. Sacrificium eſt etiam idem in altari ac in cruce in gratiam animarum purgatorii. Verum quidem eſt, quòd actus humani ſpecificantur a fine: ſi finis eſt diverſus, actiones erunt diverſæ: ſed in rebus ſupernaturalibus gratiæ, ipſæ actiones ſuum educunt meritum è principio; ſicut eleemoſynam largiri, facere bona opera, ſatagere ut Miſſæ celebrentur pro animabus purgatorii: totum hoc eſt meritorium, cùm fiat propter Deum, qui eſt principium hujuſmodi bonarum actionum, quibus gratia tribuit valorem. Sacrificium altaris habet Deum pro principio & pro Authore, ſicut ſacrificium crucis, quod eſt idem ratione principii, imò verò idem ratione finis. Cur enim ſacrificium crucis oblatum fuit, niſi propter redemptionem hominum, & remiſſionem peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, quæ ſolvenda Deo ab animabus in purgatorio remanet? Ecce finis illius. Sacrificium altaris offertur ob eundem finem, eſt idem unitate. Dico quid amplius, quòd Sacerdos offerens & ſacrificium oblatum pro vivis & defunctis, eſt eadem res, quod non eſt in aliis ſacrificiis: cùm Sacrificator non ſit ſacrificium, ſicut hic, ubi Jeſus Chriſtus eſt Sacerdos & offert ſeipſum ſuper cruce, & in altari. Super cruce, *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m. [m Ephes. 5. 2] Super altari, offert ſeipſum Patri ſuo, cùm ſit Sacerdos & ſacrificium ſimul, *Hoc eſt corpus meum* n. [n Matth. 26. 26] Idem educo, quòd eſt Hoſtia, è conditionibus, quas habere debebat victima. Primò, Ipſa debebat eſſe innocens, & criminoſa o. [o Levit. 9. 2] Innocens, quia alioquin Deus eam non acceptaſſet. Criminoſa, cùm offerretur pro peccatis vivorum & mortuorum. Jeſus Chriſtus in cruce, & in altari eſt innocens, & criminoſus. In cruce, *Innocens* p. [p Hebr. 7. 26] Nam quomodo ſatisfacere potuiſſet Deo, ipſiuſque ſacrificium fuiſſet Patri æterno gratum ſine innocentiâ? Criminoſus, cùm ſe vadem conſtituiſſet, *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm* r. [r Iſai. 53. 6] In altari innocens, & criminoſus, cùm offeratur pro peccatis criminoſorum, & pro remiſſione pœnarum animarum purgatorii. Secundò, Victima debebat eſſe ſeparata ſ; [ſ Levit. 13. 12] Jeſus Chriſtus in cruce, & in altari eſt ſeparatus. In cruce, ſeparatus ab hominibus in regione aëris; *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex ſegregatus* t. [t Hebr. 7. 26] In altari, ſeparatus ab accidentibus, quæ ipſum non tangunt. Tertiò, Victima immergenda erat mari æneo u: [u Exod. 30. 18 & 3 Reg. 7. 23] Jeſus Chriſtus immerſus eſt in cruce, & in altari, mari ſanguinis & aquæ. In cruce, *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua* x. [x Joan. 19. 34] Paſſio ipſius fuit mare tolerantiarum, *Cum clamore valido & lacrymis exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ* y. [y Hebr. 5. 7] In altari eſt aqua, Sacerdos ponit aquam in vino, quod convertitur in ſanguinem, *Hic eſt ſanguis meus* z. [z Matth. 26. 28] Quartò, Victima debebat eſſe ſanguinolenta a: [a Lev. 1. 5] Jeſus Chriſtus in cruce, & in altari eſt ſanguinolentus. In cruce, *Vidimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo* b. [b Iſai. 53. 2. & 4] In altari eſt repræſentatio paſſionis ipſius, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis* c, [c Eccleſia ex 1. Cor 11. 24. & 25] ait ipſemet. Quàm felices ſumus nos, Domini mei Sacerdotes, quos Jeſus *idoneos fecit miniſtros novi teſtamenti* d [d 2. Cor. 3. 6] in iſto ſacrificio. Ne privemus *ſanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, Iuſtos ſubſidio & gratiâ, in purgatorio exiſtentes refrigerio* e. [e Beda de Euchariſt. Sacramẽt.] Inſumamus hoc ſacrificium præſertim pro mortuis, cum ſerviat eis, æquè ac vivis: ſoìæ animæ tinctæ hoc ſanguine præſervantur f: [f Exod. 12. 13] mittamus animas purgatorii *in piſcinam* hanc ſacram, quæ eſt magnæ efficaciæ in favorem earum.

[II. Part.] Indigebamus tali ſacrificio, in quo Jeſus Chriſtus eſſet victima ſeu res oblata & ſacrificata Deo. Quatuor res infinitæ requirebant ſacrificium, quod eſſet valoris infiniti. Nimirum, Deus qui *non habet finem* g [g Baruch 3. 25] in perfectione. Peccatum quod eſt infinitum in malitiâ. Pœna debita peccato, quæ eſt etiam infinita in duratione, quia debet eſſe æterna h, [h Matth. 25. 46] & nunquam finiri debet: & ſi mutatur in temporalem in purgatorio, hoc fit per miſericordiam Dei, & per beneficia ejus, quæ ſunt etiam infinita, prout omnia terminantur ad gloriam infinitam in duratione ſuâ, quæ eſt etiam æterna i [i Ibid.] & infinita quantùm ad objectum ſuum, quod eſt Deus, qui ibi dat poſſeſſionem & fruitionem ſuiipſius k. [k Joan. 17. 3] Quatuor iſtæ res efflagitabant oblationem victimæ infinitè dignæ, qualis eſt oblatio ſanctæ Miſſæ, in quâ Jeſus Chriſtus excellens infinitè, tenet locum victimæ: nam quia *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis* l: [l Pſ. 144.] ideò meretur infinitè honorari: ad quod requiritur ut offeratur ipſi ſacrificium valoris infiniti. Sic peccatum quod committitur contra Deum, cùm ſit malitiæ infinitæ, petit ſacrificium bonitatis infinitæ. Eodem modo loquendum eſt de pœnâ debitâ peccato, quæ cùm ſit ex ſe durationis infinitæ, requirit infinitatem in ſacrificio propitiatorio m, [m 1. Joan. 2. 2] quod ipſam debet exhaurire. Tandem, Cùm beneficia Dei habeant infinitatem, gratiarum actio pro illis debet eſſe infinita: ideòque ſacrificium euchariſticum quod offertur Deo ut ſic, id eſt, in gratiarum actionem, debet eſſe infinitum: atqui ſicut omnes creaturæ ſunt limitatæ in ſuis perfectionibus, & Jeſus Chriſtus eſt infinitus, eò quòd ipſius natura humana eſt unita perſonæ Verbi, *Verbum caro factum eſt* n: [n Joan. 1. 14] indigebamus tali ſacrificio, in quo eſſet ipſemet victima valoris infiniti in favorem animarum purgatorii, æquè ac ipſa eſt infinita in gratiam hominum viventium.

Præterea, Conſiderare poſſumus, quòd Jeſus Chriſtus tria ſuſcepit officia ſpiritualia ad procurandam ſalutem hominum viventium, & defunctorum, nimirum, Sacerdotis o, [o Pſ. 109. 4] Advocati p, [p 1. Joan. 2. 1] & Medici q, [q Joan. 5. 2. &c.] propter quorum exercitium debet eſſe præſens ſacrificiis. Prout Sacerdos, conſecrare debet, & applicare meritum ſacrificii animabus purgatorii, eaſque ſanctificare: propterea ſicut ſacrificium Miſſæ eſt propter ſanctificationem iſtarum animarum, ipſe debet ei eſſe præſens, ut exerceat ibi fideliter & per ſeipſum officium ſuum Sacerdotale. Agitur etiam in ſacrificio de negotiis & de cauſâ iſtarum animarum, ut acquiratur ipſis requies quæ eſt ipſis neceſſaria: atqui bonus Advocatus debet intereſſe in perſona, ut agat utiliter cauſam Partis ſuæ, eamque tueatur: & ſic conveniebat ut Jeſus Chriſtus fideliſſimus Advocatus animarum purgatorii *apud Patrem* r [r 1. Joan. 2. 1] æternum, interveniret huc, & intereſſet ſacrificio. Similiter bonus Medicus viſitare debet perſonaliter infirmum ſuum, cùm infirmitas eſt periculoſa, & indiget remediis: atqui è ſacrificio Miſſæ fit medicamentum pretioſum ad ſublevandas animas purgatorii, quæ clamant

inſtar

Digitized by Google

inſtar paralytici noſtri habentis *triginta & octo annos in infirmitate ſuâ, Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam* ſanguinis tui. Jeſus Chriſtus igitur, prout charitativus Medicus, viſitat eas in hoc ſacrificio per ſeipſum, influendo eis virtute & efficaciâ meritorum ſuorum. Præterea, Niſi ipſe ibi adeſſet; Sacerdotum manus eſſent vacuæ: nam dato quòd homines offerrent Deo omnes divitias & theſauros terræ, hoc eſſet nihil offerre: hæc enim omnia ſunt velut nihilum coram Patre æterno, qui non æſtimat aliquid niſi Jeſum Chriſtum Filium ſuum unicum, *quem conſtituit hæredem univerſorum* f. Unde procedit ut ipſe tota ſit opulentia Eccleſiarum; quæ eſſent egenæ ſine ipſo; & tota conſolatio animarum purgatorii, quibus applicat valorem ſanguinis ſui. In quo habemus anſam, Auditores, admirandi & laudandi conſilia Dei & providentiam ipſius in hoc ſacrificio quod ipſi offertur pro animabus purgatorii; ex eo quòd propter ipſius infinitam dignitatem Deus honoratur proportionabiliter ad magnitudinem ſuam; aguntur ipſi gratiæ juxta beneficia ſua; & fit ipſi ſatis ad proportionem injuriæ, quam irrogabat ipſi peccatum, cujus puniebat ipſe pœnam in purgatorio: congratulandi Jeſu Chriſto, per quem res ſic mirabiles adimplentur in gratiam iſtarum animarum: & agnoſcendi fidelitatem amoris ipſius erga eas, cùm ſe exhibeat præſentem perſonaliter ad ſanctificandas illas meritis ſuis, prout Sacerdos; ad tractanda earum negotia, & tuendam illarum cauſam, quatenus Advocatus; & ad ſublevandas eas, in quantùm Medicus; & ad ditandas illas bonis gloriæ, virtute meritorum ſuorum.

f Hebr. 1. 2

Sacrificium Miſſæ hanc habet virtutem impetrandorum multorum bonorum ſpiritualium vel temporalium viventibus: nam per illud obtinentur multa lumina, ſancti motus, ſacræ illuminationes & inſpirationes, tam pro Juſtis, quam pro impiis, ad hoc ut eant illi *de virtute in virtutem* t, & exeant iſti è miſero ſtatu peccatorum ſuorum, ſibi & illi nullum motionibus iſtis internis opponant obſtaculum, ſed è contrà ad eas concurrant. Per illud etiam obtinentur multa bona temporalia, ſicut Divinæ Providentiæ placet ea largiri, eò quòd hoc ſacrificium ſanctiſſimum ipſi offertur. Propterea panis iſte ſacer, qui offertur in ſacrificium, vocatur pinguis ab Eccleſiâ u, *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.* Unde Cornelius x dicit ſuper hæc verba Scripturæ, *Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus. Allegoricè, Aſer eſt Chriſtus nos lætificans, impinguans & beatificans deliciis Euchariſtiæ. Pulchrè S. Ambroſius: Paupertas Chriſti, inquit, nos ditat.* Nam quare ſic vocatur, niſi quia prodeſt viventibus qui ſunt in iſto mundo, & eſt utilis defunctis qui ſunt in purgatorio? *Adeò pinguis eſt, ut nedum vivis ſit Sacramentum, ſed etiam mortuis, & in purgatorio cruciatu ſit ſacrificium, quod aliis Sacramentis non contigit*, ait Alphonſus de Oroſco y. Hoc ſacrificium eſt proficuum vivis, & mortuis: illis, liberando eos à culpâ quæ eos opprimit: iſtos, eximendo eos à pœnâ quæ illos cruciat. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus* z, *gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſâ. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrimè percipiuntur: tantùm abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apoſtolorum traditionem offertur*, ait Concilium Tridentinum a. Sic medius validus obtinendi favoris alicujus ab aliquo, eſt offerre illi aliquid pretioſum, & quod ſit ei gratum: atqui in hoc ſacrificio offertur Deo id quod eſt chariſſimum & pretioſiſſimum, nempe Filius ſuus unicus, qui plus valet quam quidquid eſt creatum: propterea ipſe libenter exaudiet juſtas ſupplicationes quæ ipſi proponentur conſideratione iſtius prædivitis oblationis: naturale quippe eſt, ut ſuſcipiantur preces propter amorem filii. Et recenſetur de Moloſſis, quòd ſemper exaudiebantur à Rege ſuo, cùm procumbebant ad genua ejus, tenentes præ brachiis ſuis unum è filiis illius. Quòd ſi Deus tribuit hunc affectum hominibus, ipſe ſe reddit liberalem, magnificum, & miſericordem propter amorem Filii ſui qui ſibi offertur, quantum convenit intuitu neceſſitatis & captus perſonarum pro quibus offertur ipſi ſacrificium. Quòd ſi in lege antiquâ ſacrificia erant impetratoria favorum, ſicut patet ex illo quod obtulit *David* b Deo ad avertendum flagellum peſtis: & ex illo quod Onias *ſummus Sacerdos obtulit pro ſalute* c Heliodori: potiori ratione ſacrificium Miſſæ quod virtute & excellentiâ ſuperat illa omnia, gratias impetrabit. Sic Sacerdos illud offert pro animabus purgatorii, ſicut pro bonis caducis, pro pace, pro avertendis malis, tandem pro omnimodâ neceſſitate. Quòd ſi quis non ſuſcipit ex eo illud quod ipſe expectabat ab illo, hoc non provenit ex impotentiâ iſtius ſacrificii: nam Jeſus Chriſtus, prout homo; quatenus Sacerdos & Hoſtia, poteſt impetrare quidquid vult à Patre ſuo, *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit, Pater, ego ſciebam quia ſemper me audis* d. Et S. Paulus e ait, quòd *exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ*. Sed non prodeſt niſi dignis & benè diſpoſitis. Sic Sol non illuminat æqualiter omnia corpora ſecundùm totam extenſionem ſplendoris ſui; & ignis ea non calefacit juxta totam vim caloris ſui, ſed ſecundum quod diſpoſita ſunt ad ſplendorem & calorem ſuſcipiendum: ſic Jeſus Chriſtus non operatur ſecundum totam potentiam & excellentiam meritorum ſuorum, ſed juxta diſpoſitionem eorum pro quibus offertur hoc ſacrificium: ipſe facit id quod judicat eſſe rationabilius. Quod edocet nos ut ſatagamus offerenda Deo Miſſarum ſacrificia in favorem animarum purgatorii. Quòd ſi poſt hæc ipſæ non obtinent id quod intendimus, & quod ipſæ deſiderant, credamus quòd ſi Jeſus Chriſtus totam potentiam ſuam non inſumit ad eas liberandas, idcò quia judicat id non expedire: hæc, ſunt ſecreta providentiæ ipſius, quæ legem non ſumens à creaturis, omnia diſponit cum juſtitiâ.

t Pſ. 83. 8
u Eccleſia ex Gen. 49. 20.
x Cornel. in Gen. 49. 20.
y Alphonſ. de Oroſc. tract. in Cant. Magnificat.
z ex S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei. c. 20
a Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2
b 2. Reg. 24. 25
c 2. Mach. 3. 32
d Joan. 11. 42 & 43
e Hebr. 5. 7

III. Part.
Sed ſi conſilia Divinæ Providentiæ nobis ſunt incognita, *Quis enim cognovit ſenſum Domini* f? Ea quæ Jeſus Chriſtus habebat in cruce, & quæ ipſe continuat in ſacrificio Miſſæ, nobis ſunt proficua, ſicut etiam animabus purgatorii. Jeſus Chriſtus offerens ſe in cruce, intendebat honorare Deum quantùm fieri poterat, & ipſe continuat hoc idem conſilium in ſacrificio Miſſæ, ſe ibi offerendo Deo manibus Sacerdotis pro vivis, & pro mortuis. Ut intelligatur hæc veritas, eſt conſideran-

f Rom. 11. 34. ex Iſai. 40. 13

g Math. 17.5 h Joan.1. 14 ſiderandum, quòd ipſius anima videns ſe infinitè dilectam à Deo g propter unionem perſonæ Verbi ſecum initam h, dilexit eum amore immodico: hoc ardenti amore ſuccenſa, deſideravit ipſa nanciſci aliquam occaſionem exhibendi ei alicujus inſignis obſequii, illique procurandæ maximæ gloriæ, & ipſius vehementer honorandi: atqui conſiderans quòd obſequium quod foret illi gratiſſimum, eſſet, ſi repararet honorem ipſius offenſum peccatis hominum, offerendo ei ad hunc effectum ſacrificium latriæ & honorarium per deſtinctionem victimæ, quæ haberet quandam dignitatem infinitam, ut eo ſacrificio honoraretur velut infinitè, cùm verùm ſit quòd Deus eò plùs honoratur, quò victima oblata & conſecrata gloriæ ipſius, dignior eſt & pretioſior; cùm præterea non eſſet in mundo quid dignius & pretioſius humanitate Deificatâ ardore & exceſſu amoris, ipſamet voluit iſtius eſſe victima ſacrificii, & ſe obtulit ſuper altare crucis, & ibi vitam amiſit per effuſionem pretioſi ſanguinis ſui, ut Deo redderet maximum honorum omnium; ſicut re verâ nunquam Deus ſic fuit honoratus ac à Ieſu Chriſto ſacrificato in cruce, cùm honor, quem ab eo ſuſcipit, abſorbeat & ſuperet infinitas injurias, & dedecora quorum non eſt numerus, quæ omnia peccata hominum univerſorum illi irrogaverunt, peccata quæ delentur hoc ſacrificio, tam vivis in iſtâ vitâ, quàm defunctis quantùm ad pœnam in purgatorio. Sed ignis amoris non ſtitit ibi; humanitas adorabilis Ieſu voluit honorare Deum ſacrificio latriæ & honorario diutiùs quam tribus horis, & inter nationes alias à natione Iudæorum, & in locis aliis ab eo,
i Joan.19. 17.&c. *qui dicitur Calvaria* i, loco: propterea præ conſilio generoſo ipſa inſtituit ſacrificium latriæ & honorans ſanctiſſimæ Miſſæ, in quo hæc eadem humanitas ſerviret loco victimæ ſine effuſione ſanguinis, quem Deus non deſiderabat ampliùs ab ipſa propter amorem indicibilem quo ipſam diligebat, ut ipſummet Deum honoraret ſacrificio, quod duraret *omnibus diebus uſque ad conſum-*
k Math. 28.20 *mationem ſeculi* k, imò verò quod millies quotidie reiteraretur, non ſuper monte, ſed in omnibus locis mundi, inter omnia Regna terræ, ubi eſt aliquis Sacerdos qui offerat hoc ſacrificium ad honorem Dei, & ad utilitatem animarum vivorum & mortuorum. Deus cognoſcens hoc admirabile conſilium Verbi ſui incarnati, & animæ ſanctiſſimæ conjunctæ Filio ſuo unione perſonali, veluti delectatus honore quem ſuſcepturus erat ex hoc ſacrificio, & quaſi à procul odoratus odorem ſuaviſſimum, quem illud ſacrificium eſſet exhalaturum versùs cœlum, non eſt ampliùs delectatus ſacrificiis & holocauſtis legis
l Pſ.50.18 m Malach. 1.10.&11 Moſaicæ, ſicut ait illi David l, *Holocauſtis non delectaberis*. Et Malachias m introducit eum ſic ſeipſum meliùs & clariùs exprimentem, *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtrâ. Ab Ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum*. Ipſe præcipit claudi oſtium templi, & extingui ignem altaris ejus, ut ſibi complaceat in ſacrificio novæ legis utili animabus vivorum & defunctorum.

Secundò, Jeſus Chriſtus ſuper cruce intendebat agere gratias Divinitati pro gratiis & perfectionibus ſupereminentibus, quas ſuſceperat in humanitate ſuâ; & ipſe continuat idem conſilium in ſacrificio Miſſæ, ubi ſeipſum ſacrificat ad agendas ipſi gratias jugiter in omnibus locis mundi, ut ipſi referetur in omnibus rebus, & ubique quanto ducatur affectu gratitudinis anima ſua erga ipſam pro eo quod ab ipſa fuerit dilecta præ omnibus creaturis: nam humanitas Ieſu
Chriſti conſummata omni genere [illegible] n, & n Pſ.23.10
memor infiniti beneficii, quo Deus ipſam cumulaverat, cum ſe dedit ipſi per unionem perſonalem modo excellentiſſimo omnium illorum quibus ſe communicare poterat creaturæ, deſideravit pariter ſe dare ei, [illegible] ſe conſecrare illi modo perfectiſſimo omnium illorum quibus creatura ſe poteſt ei dare, nimirum, medio ſacrificio, per quod ipſa deſtituit ſeipſam, ſeque redigit ad nihilum, quantùm poſſibile eſt ad manifeſtandam magnitudinem ipſius immenſam per oppoſitionem depreſſionis ſuæ: ipſa non agnovit perfectiores [illegible] modos agendarum gratiarum Divinitati: [illegible] ea hoc motivo ducta, ipſa abiit ad ſacrificium [illegible] uentum crucis, ut ibi moreretur, & vitam [illegible] redderet Authori ſuo.
Illud Propheta o [illegible], & nobis repræſen- o Pſ. 115. 3.&4
tat Ieſum Chriſtum [illegible] mortem, ductum hoc motivo [illegible], ideòque dicentem, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.* Et Dio-
nyſius Carthuſianus p, *Quid retribuam Domino* p Dioni. Carthuſ. Pſ. 115.3. & 4. in Expoſit. de Chriſto.
pro omnibus quæ retribuit mihi? id eſt, pro incomparabilibus gratiis mihi conceſſis: quia non ad menſuram dedit mihi Deus ſpiritum q, *& ſine præviis* q ex Joan. 3.34
meritis aſſumpſit meam humanitatem ad ſuum eſſe Divinum Dei Verbum, imò plus dedit mihi quam toti univerſo. Sicut Chriſtus Deo gratiſſimus fuit, ſic ſtâ affectuoſiſſimè dixit. Et reſpondet, Calicem ſalutaris accipiam, id eſt, paſſionem ſalvificam, & mortem quâ mundus vivificetur, ſuſtinebo, quatenus Dei honorem recuperem, moriendo pro omnibus, ut reducantur ad Deum. Hoc eſt, quod Chriſtus paſſione inſtante dixit, Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum r? Ego morior pro gloria ejus, cum r Joan.18. 12
ipſe me ſic devinxerit ſibi, & dabo ei vitam in gratiarum actionem, *Dilectus meus mihi, & ego illi*
ſ. Atqui hæc humanitas ſacra non contenta hâc ſ Cant.3. 16
actione gratiarum, ad hoc ut hæc actio gratiarum perpetua foret, & nota in omnibus terræ partibus, ipſa voluit eam perpetuare in ſacrificio altaris propter idem conſilium: propterea vocatur Euchariſtia, id eſt, bona gratia, ſeu bona actio gratiarum: quia Ieſus Chriſtus ibi gratias agit Patri ſuo pro bonis quæ tribuit humanitati ipſius, & omnibus membris ipſius, quæ ſunt in Eccleſia, tam patienti, quàm militanti.
Inde fit ut Evangeliſtæ t faciant expreſſam t Matth. 26. 27.& Luc.22.19
mentionem, quòd inſtituens hoc myſterium, *gratias egit*. Et ubi verſio vulgata fert ſuper verba prædicta Pſalmiſtæ, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*: litera Hebraica ſic legit hæc tria ultima verba, *Calicem ſalutum levabo*. Ut nobis oſtendat quòd ceremonia quæ exercetur in Miſſa in elevatione calicis, fit in actionem gratiarum pro beneficio à Deo ſuſceptis in favorem ipſius humanitatis ſacræ, & in ſalutem animarum vivorum, & mortuorum. Unde enim majores Deo rependere poſſemus actiones gratiarum, quàm per Dominum noſtrum Ieſum Chri-

Chriſtum ? Re autem verâ per hoc ſacrificium ſumus ſatis divites ad agendas Deo gratias pro maximo beneficiorum ipſius, quod eſt donum [u Rom. 5. 32] Filii ſui unici, quem *pro nobis omnibus tradidit* u, ſicut & pro animabus purgatorii : & quem nobis dat in Euchariſtia : nam per hoc ſacrificium reddimus ei eundem : & ſic juſtas & æquales retribuimus illi gratiarum vices : atqui ſi hoc ſacrificium ſufficit ad agendas Deo gratias pro hoc dono ineffabili, multò magis ſufficit ad impendendas graces reciprocas pro aliis favoribus ipſius, præſertim verò pro iſtis, quibus nos cumulat, cùm per hoc ſacrificium quod ipſi offerimus, tribuit ipſe nobis modum liberandarum animarum a purgatorio.

Tertium conſilium Jeſu Chriſti in cruce, fuit mitigandi Dei Patris ſui ſuper peccata hominum : ipſe continuat idem conſilium in ſacrificium Miſſæ, quod eſt propitiatorium pro pœna debita peccatis fidelium, tam vivorum, quàm defunctorum, imò verò & omnium hominum. [x 1. Joan. 2. 2] S. Joannes x declarat priorem partem conſiderationis iſtius, cùm ait de Filio Dei, *Ipſe eſt propitiatio pro peſsatis noſtris : non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Nam ſe ſacrificans ſuper altari crucis, ipſe veniam petivit pro peccatis omnium hominum, tot oribus & vocibus quot habebat vulnera in corpore ſuo, & quot effudit guttas ſanguinis, *preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à* [y Hebr. 5. 7] *morte, cum clamore valide & lacrymis offerens* y, ut eorum miſeretur. Effectus autem iſtius ſacrificii fuit talis, ut Deus voluerit conſequenter & propter hanc cauſam dare media ſalutis omnibus hominibus, ut eos ſibi conciliaret effectivè, ſi iſti ea ſibi applicarent, vel illis benè uterentur : [z Apoc. 3. 20] quæ media : ſunt gratiæ excitantes z, fides a, [a Jacob. 2. 22] Sacramenta b, bona opera c, & ſacrificium Miſſæ d : [b Luc. 13. 3] atqui ſicut *copioſa apud eum redemptio* e, volens præ exceſſu ſatisfacere Juſtitiæ Divinæ, hoc quod ipſe fecit in cruce, idem ipſe [c Tob. 12. 8] continuat ſuper altaribus noſtris, ubi ſacrificatur ipſe, ut reddat Deum propitium peccatis homi- [d Malach. 1. 11] num vivorum & mortuorum. Propterea in [e Pſ. 129. 7] Miſſa Deus exoratur ut acceptet oblationem pro peccatis populi, quæ *ſit ablutio ſcelerum*, ſicut canimus ipſimet in eadem Miſſa, *ſit vivorum, atque mortuorum fidelium remiſſio omnium delictorum.* Ratio autem propter quam hoc ſacrificium eſt propitiatorium, eſt, quia honorat Deum: nam qui læſus eſt in honore ſuo, mitigatur, ſi honor ipſius recuperatur. Deo ſimiliter in eo aguntur gratiæ pro beneficiis ipſius : & non eſt aliquid quod æquè poſſit aliquem mitigare, ac ſe gratum reddare erga ipſum : propterea cùm ſacrificium Miſſæ ſit honorans & Euchariſticum, non eſt mirum ſi ſit etiam propitiatorium & reconcilians. Id quod Hæretici noſtri afferunt contra hanc veritatem, eſt, quòd ſolum ſacrificium crucis ſufficit ad delenda omnia peccata hominum, & quòd eſt ei injuriam irrogare ac loqui de ſacrificio Miſſæ. Sed fateodum eſt, quòd iſtud eſt habere cogitationes depreſſas, & non concipere aliquid magnum de zelo & deſiderio Jeſu Chriſti erga ſalutem hominum vivorum & mortuorum. Hoc ſacrificium non eſt inutile, dato quòd non dimitteret peccata vivorum, nec pœnas animarum purgatorii. Nam ſervit ad honorandum Deum, ad agendas ei gratias excellenter ſecundùm deſiderium Jeſu Chriſti. Propitiatorium eſt pro peccatis, nedum faciat injuriam cruci, & merito ejus. Nam ſicut oblatio crucis non impedivit effectum oblationis quam Jeſus Chriſtus fecit ſuiipſius *ingrediens mundum* f, [f Hebr. 10. 5. &c. et Pſ. 39. 7. &c.] & illius quam fecit in templo in præſentatione ſuâ g, & omnium illarum quas ipſe fecit in totâ vitâ ſuâ, *Quia copioſa apud eum redemptio* h: [g Luc. 2. 22] ſic ipſa non debet impedire effectum oblationis ſuiipſius, quam idem Salvator quotidie reiterat in hoc ſacrificio poſt mortum [h Pſ. 129. 7] ſuam, ut ſic ipſe copiosè nos redimat, ſe tradens millies pro remiſſione culparum vivorum, & pœnæ animarum purgatorii. Et ſi S. Paulus i dixit, [i Hebr. 10. 14] *Unâ oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*, non vult loqui de Judæis, qui erant mortui in ſtatu ſanctitatis ante paſſionem, qui cùm non potuiſſent lavari a peccatis ſuis per multitudinem victimarum legis Moſaicæ, ſanctificati fuerunt virtute & meritis ſacrificii unici crucis, & hâc ſolâ oblatione. Sed ſacrificium Miſſæ non fuit inſtitutum pro illis, ſed pro Chriſtianis, tam vivis, quam defunctis qui venerunt poſt paſſionem, qoos Ieſus Chriſts adjuvat non ſolùm ſacrificio ſanguinolaoto crucis, ſed etiam incruento altaris. Quòd ſi ſumamus in ſingulari verba S. Pauli, unam oblationem pro una ſulâ re oblatâ, quæ eſt humanitas, idem Aprſtolus k opponit in eodem loco, [k Hebr. 10. 1. &c.] & præfert unicam victimam crucis, multitudini ſacrificiorum Aaronicorum quæ non habebant virtutem ſanctificandorum Iudæorum. Atqui licèt perficiat Sanctos, & oblatione crucis, & ſacrificio altaris, ſemper verum eſt, quòd eſt unica victima, & unica res oblata, cùm in utrâque oblatione hoſtia ſit verè eadem pacificatoria l pro peccatis vi- [l Coloſſ. 1. 20] vorum, & pro pœnis animarum purgatorii.

Ex iſto diſcurſu educamus duas reflexiones, ſicut moris eſt. Unam pro nobis. Alteram pro animabus purgatorii. Pro nobis, Ieremias m ait, [m Thren. 1. 7] *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis.* Sed in vanum deſcendere debemus purgatorium *in infernum viventes* n, [n Pſ. 54. 18] & conſiderare id quod ait S. Hieronymus o de animâ ſuper præfatum locum Ieremiæ, [o S. Hier. lib. 1. in Thren. 1. 7] *Maximo dolore torquetur, cùm in pœnis conſtituta, jam ſerò dolet ſe tunc negligentem fuiſſe, quando per bona opera, & rectam converſationem potuit ſibimetipſi ſubvenire. Infructuosè præterita peccata deplorat. Tunc & ipſi ſpiritus maligni deridens otium, quod negligentes inutiliter duxerunt per præſentis vitæ ſpiritum. Unde & nunc per Prophetam dicitur, Viderunt eam Hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus.* Id eſt tot media faciendorum bonorum operum, tot Sacramenta, &c. *Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te* p. [p Apoc. 18. 14] Id eſt, evanuerunt omnes fructus imaginarii pœnitentiæ, & deſideria inefficacia emendationis, *Quia tempus non erit amplius* q. [q Apoc. 10. 6]

Secunda reflexio debet eſſe pro animabus purgatorii, quæ ſingulæ clamant, *Hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam.* Et quia ſacrificium Miſſæ *offertur in Eccleſiâ pro vivis & mortuis : ut proſit omnibus quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum*, dicit S. Thomas r, [r S. Thom. Opuſc. 57 Offic. SS. Sacramēt. lect. 9] ne renuamus eis hoc ſacrificium, ne querantur de nobis per Ieremiam ſ, [ſ Thren. 2. 12] *Matribus ſuis dixerunt : Ubi eſt triticum, & vinum ?* Quòd nullus è proximis ſuis ſatagat ut pro ipſis offeratur Patri æterno ſacrificium corporis & ſanguinis Filii ſui.

Vſquequò affligitu animam meam ? En decies confunditu me, dicunt ipſæ ſingulæ Job t. [t Job 19. 2. & 7] Id eſt, tot vanis ſpebus, & auxiliis inutilibus. *Et non erubeſcitis, Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non eſt qui judicet.* Id eſt, quàm ingentes ſint pœnæ noſtræ, ut curet celebrandum pro nobis ſacrificium Miſſæ, ut nos ab iis liberet, & nos introducat ad gloriam.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ.

Elegit eam Deus, & praelegit eam, in tabernaculo ſuo habitare facit eam.
Eccleſia.

DOcet me Philoſophia, quòd locus ſemper eſſe debet conformis & adæquatus corpori, quod ipſe debet continere; & functionibus, ad quas eſt deſtinatum id quod debet ſuſcipere: ſic poſtquàm *dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram: & factum eſt ita* a [a Gen. 1. 14. &c.]: collocavit illa in eminentiſſimo loco mundi, ut motu ſuo continuo circum centrum producerent effectus, ad quorum productionem peragendam Creator ipſorum ipſa diſpoſuerat: & ſic de reliquis: Illud eſt etiam certius quantùm ad effectus gratiæ: ſicut enim prædeſtinatio non eſt ſolùm præparatio beatitudinis, ſed etiam mediorum eidem conſequendæ accommodorum; ſic Deus præbet illis *quos* b [b Rom. 8. 30] prædeſtinat, id quod ipſis eſt neceſſarium ad hoc ut iſtum finem conſequantur: & vocans aliquem ad officia eminentiora exercenda in Eccleſia, offert ei etiam media efficaciora, quorum interventu muniis ritè perfungatur illis, & collocat eum in loco, unde ſuas feliciter producere poſſit functiones. Sic mittens ſuum Præcurſorem ad prædicandam pœnitentiam, poſuit eum *in deſerto* ut congruentiori ad prædicandam *Pœnitentiam* c [c Matth. 3. 1. & 2] exemplo, æquè ac verbo: & veniens ipſemet ad docendum nos effectu exercitium virtutis, naſcitur *in præſepio* d [d Luc. 2. 7], quod eſt ſignum humilitatis ipſius, quæ noſtram debebat expurgare ſuperbiam: & cùm elegiſſet B. Virginem ad eminentiſſimam totius orbis dignitatem, nimirum ad hoc ut eſſet *tabernaculum Dei cum hominibus* e [e Apoc. 21. 3], vocat eam hodie in tabernaculum ſuum, ſeu in templum ſuum, ut diſponat illam tanquam *templum* f [f S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.], in quo habitare debet Filius ipſius, poſtquàm ipſa conſenſerit Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

Licet univerſa opera Dei ſecum invehant infinita mirabilia, quæ interdum noſtras rapiunt mentes ſtupore intuitu perfectionum & Divitiarum ipſius: tria tamen ſpecialiter obſervat S. Thomas *g* [g S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6 ad 4], circa quæ ſuam Deus videtur exhauſiſſe potentiam, cùm ait, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* h [h ex Joan. 1. 14]: *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* i [i ex Joan. 17. 3]: *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei* k [k ex Matth. 1. 25], *habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ne autem ſiſtamus in deducendis perfectionibus quæ reperiuntur in fruitione Dei, in qua tota noſtra felicitas ſita eſt, quæ modò non pertinet ad rem noſtram; tantiſper immoremur in conſideratione incarnationis Verbi, & maternitatis Divinæ, quæ eò magis magnificant potentiam Creatoris ſui, quò magis accedunt ad excellentiam ejus. Quid enim Divinius incarnatione Verbi, unione perſonæ Divinæ & increatæ cum naturâ finitâ & creatâ? & quid mirabilium in totâ naturâ dignitate ſupereminenti Matris Dei? Iſta duo opera verè excedunt captum omnium intellectuum creatorum quantùmlibet ſubtilium, qui omnes ſimul pertingere non poſſunt ad integram & perfectam notitiam entium ſic ſublimium. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum* l [l Pſ. 18. 2]. Terra, & cætera elementa, & univerſa quæ in iſto continentur orbe, contentâ voce, licèt mutâ inclamant, quòd ille fecerit ipſa, & quòd ipſa non fecerint ſemetipſa: ſic enim loquuntur omnes effectus iſti Divinæ Potentiæ, *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos* m [m Pſ. 99. 3]. Angeli ſunt ſpiritus ordinariè alligati exequendis mandatis ejus, *Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus*, ait illis Pſalmiſta *n* [n Pſ. 102. 21]. Et ad auxilium hominibus impendendum deſtinati, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis* o? [o Hebr. 1. 14] Homines prædicant magnitudinem Domini ſui medio radio Divinitatis impreſſo in frontibus ſuis & in animabus ſuis, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* p [p Pſ. 4. 7]. Virgo ſola inter omnes creaturas iſtam perfectè nos edocet veritatem, quia ipſa eſt mundus novus, cœlum novum, & terra nova. Unde dicit Salazar q [q Salaz. in Prov. 8. 30 adn. 380. & 381], *Auguſtinus* r [r ex S. Aug. tract. 1. in Joan. 1. 3] *ad illa verba Ioannis, Quod factum eſt, in ipſo vita erat, in ſummis Dei laudibus ponit, quòd omnes creaturæ ſint in Deo longè melioris conditionis, quàm in ſeipſis. Nam cùm pleraque in ſeipſis vitâ careant, in Deo quidem vita ſunt: & cùm omnia creata ſint in ſe, in Deo creata ſunt, & (ut compendio dicam) ipſemet Deus. Pari ratione de ſanctiſſimâ Deiparâ prædicare licet, omnes quidem creaturas quodammodo in ipſâ eſſe. Verba ſunt Arnoldi Carnotenſis, Maria creaturis conſtat omnibus: quidquid enim Creator ſingulis diſtributor juſtus contulit, Matri adornandæ congeſſit. Profectò ſi omnibus creaturis conſtat Maria, omnes in illa ſunt, omneſque ſibi hoc gratulari poſſunt, quòd in illa meliores ſint, quàm in ſeipſis. Nam cùm in ſeipſis caduca, debiles inſtabileſque ſint, atque alia ejuſmodi vitia, vel naturæ, vel morum habeant, in Mariâ omnis vitii expertes ſunt, & (ut compendio dicam) cùm in ſemetipſis nihil diverſum à ſeipſis eſſe poſſint, in Mariam tranſlatæ Maria ſunt, quia nihil ſub cœlo nobilius, aut excelſius eſt. Itaque cùm Deus ſuis creaturis bonorum plurimum, atque decoris impertiri vellet, illis omnibus Deiparam conſtare voluit, ut quemadmodum in ipſo cuncta Deus erant, ſic etiam in Mariâ cuncta Deus fierent.* Propterea ſic illam ſalutat Andreas Jeroſolymitanus ſ [ſ Andr. Jeroſ. ſerm. in Salut. Angel.], *Salve cœlum,*

Solii

Solis gloria cœleſte tabernaculum : Salve Dei ager ampliſſime ; quem nullus alius locus , niſi in ſola, comprehendere poteſt : Salve ſancta virginalis tellus , ex quâ novus Adam ineffabili fictione formatus eſt , qui veterem ſaluti reſtitueret. Ipſa eſt quæ conſolatur hodie ſpes noſtras per ingreſſum ſuum in templum, in quo ille qui eam ab æterno prædeſtinaverat , ſicut ipſamet ait , *Ab æterno ordinata ſum* r: & ſicut ipſam ſalutat immediatè ante idem Andreas , *Salve electa Deo antequàm nata fueris*: præparaverat ei locum , ut omnia collocaret in ordine ſuo. Ipſa ingreditur hodiernâ die igitur in templum Dei, ubi præſentatur à parentibus ſuis , *Elegit eam Deus , & prælegit eam : in tabernaculo ſuo habitare facit eam.* Et nos videbimus conſequenter , Primò excellentias iſtius præſentationis in templo : Secundò utilitates ejus.

r Prov. 8. 23

Diviſio

I. Pars

Ecce *ſancta Puella Virgo Maria Sponſa Trinitatis , columba pura* u, quæ egreditur domo parentum ſuorum , ut præſentetur Deo ſuo : en *Regina in veſtitu deaurato, circumdata varietate* x. Id eſt, induta veſtibus candidis innocentiæ ſuæ , ſplendentibus cæruleo colore amoris ſui cœleſtis , & infinitate virtutum , tanquam diverſis coloribus, emicantibus: ecce proculdubio ſignum prænuncium gloriæ futuræ , quæ ipſam extollet ad altiſſimam ſedem paradiſi, ſicut ipſa locum terræ poſſidet ſublimiſſimum. Ipſa ſuſcipit hodie primitias & arrhas gratiæ , quæ ipſam debet aliquando abundantiſſimè induere : ipſa ingreditur templum, non ſicut commune vulgi , ſed *tabernaculum quod dicitur Sancta ſanctorum* , quod *ſemel in anno ſolus Pontifex* y ſummus veſtimentis ſuis Pontificiis indutus ingrediebatur : quia ipſa debebat eſſe *Sancta ſanctorum* , quò *pro nobis Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* z, introiturus erat non debebat alibi commorari. Audacter aſcendit ipſa gradus templi, ſignum certiſſimum progreſſus ipſius in perfectionem, quæ ſuperat omnem ordinem naturæ, ſive humanæ, ſive Angelicæ.

u S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip. ex Cant. 6. 8

x Pſ. 44. 10 &c.

y Hebr. 9. 3. & 7. ex Exod. 3. 10

z Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18 & ex Pſ. 109. 4

Aliquas invenio præſentationes iſtius ſanctæ Dominæ. Prima eſt in æternitate per prædeſtinationem, ſicut ipſamet ait , *Ego ex ore Altiſſimi prodivi , primogenita ante omnem creaturam* a. In illo enim eſſe ideali & repræſentativo quod Deus habuit ita perfectæ creaturæ, ipſa ſe obtulit Deo , ut in æternum foret ipſius ancilla. Et ſi verum eſt , quòd ipſa defert *imaginem* b Divinarum perſonarum perfectiùs quàm cæteræ creaturæ quæ ſunt illius capaces : *Nulla enim ex pura creatura eſt , in qua omnia Trinitatis attributa , & perfectiones magis concurrerint : nulla , in qua ſuam virtutem , & efficaciam magis prodiderint : atque adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* c, *Speculum ſine macula Dei operationis : Græcè , energia , ſeu efficacitatis : quia nimirum in ea tanquam in ſpeculo , Divinorum attributorum efficacia , & energia maximè ſpectatur* , ait Salazar d: verum erit etiam dicere, quòd ipſa tunc ſemetipſam præſentavit in hoc eſſe ideali , eodem modo quo verè & effectivè Filius Dei æternus ſe præſentaverat Patri ſuo , *Tunc dixi , Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me , ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui . & legem tuam in medio cordis mei* e. Nam *Deus qui omnia antequàm fiant* f, novit, etiam perfectè vidit ex tunc amorem quo hæc creatura afficienda foret erga obſequium ſuum, & quòd eſſet ſibi conſecratura penitus omnes affectus ſuos majori ardore quàm omnes homines, & cuncti Angeli ſimul. Vel, Dicamus meliùs, quòd ſicut Filius æternus ab ipſa æterna ſua generatione ſe præſentavit Patri ſuo : aut ab ipſo inſtanti ſuæ incarnationis, quatenus homo , quo habuit plenum rationis uſum , & integram notitiam voluntatis illius , qui ipſum *miſit in mundum* g: ſic B. Virgo vera imago perfectionum Filii ſui , immunis à peccato originali , cùm eſſet *tota pulchra , & macula non eſſet in* h ipſâ, ſuæ conceptionis primo vel inſtanti poſſidens integrum rationis uſum , ditata gratiâ , & illuſtrata luminibus & cognitionibus extraordinariis , *Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata , utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei* , dicit S. Epiphanius i: eodem inſtanti ſemetipſam exhibuit Deo *hoſtiam viventem , ſanctam , Deo placentem* eidem , *rationabile obſequium* k illi vovendo , ad exequendam in æternum Divinam ipſius voluntatem. Quod ipſamet exercet etiam hodiernâ die eò majori fervore, quò ipſa ad illud inducitur promiſſione parentum ſuorum : ſicut Filius ipſius deinde ſe præſentavit etiam denuò Patri ſuo *poſtquàm impleti ſunt dies purgationis* Matris *ejus ſecundùm legem Moyſi* , & Parentes ipſius *tulerunt illum in Ieruſalem , ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini* l, &c. Licèt ad illam non eſſet obſtrictus. Et omittens alias præſentationes , quæ ſe obtulerunt per decurſum vitæ ipſius , ſicut cùm *miſſus Angelus Gabriel à Deo* m ſalutavit ipſam : & cùm ipſa *ſtabat juxta crucem* n, offerens ſe corde & affectu ad moriendum pro Filio ſuo præfato : ſiſto duntaxat in ea quæ fit hodie , in qua neſcio quid magis mirer, aut fidelitatem parentum ejus : aut amorem & fervorem ipſius.

a Eccli. 24. 5

b Gen. 1. 27. & 9. 6

c ex Sap. 7. 26

d Salaz. in Prov. 8. 23 num. 332

e Pſ. 39. 8. & 9

f Dan. 13. 42.

g Joan. 3. 17

h Cant. 4. 7

i S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

k Rom. 12. 1

l Luc. 2. 22. &c. ex Levit. 12. 6 &c. & ex Exod. 13. 2. &c.

m Luc. 1. 26. &c.

n Eccleſiâ ex Joan. 19. 25

Diſputant ordinariè Doctores uter Deo gratior fuerit , aut *Abraham* , cùm *extendit manum , & arripuit gladium , ut immolaret filium ſuum* o: aut Iſaac , qui ſic libenter ſubibat decretum mortis. Unuſquiſque circa hoc promit id quod ſentit , æquè ac de oblatione matris Samuelis p. Aliqui dixerunt, quòd actio Iſaac qui mori debebat , erat eò gratior Deo , quò ipſe pati debebat in corpore per jacturam vitæ, & in mente per apprehenſionem mortis. Alii ſenſerunt , quòd actio patris eſſet magis meritoria , cùm vellet ipſemet eſſe miniſter & executor voluntatis Dei ſui tradendo morti ſuum filium , qui erat caro & ſanguis ipſius , & propter aliquas alias rationes quas afferunt. Neſcit ferè S. Chryſoſtomus q num mirari magis debeat , aut oblationem Samuelis , qui ſe offerebat Deo ; vel oblationem matris ipſius Annæ , quæ ipſum eidem Deo præſentabat , dicens de matre, *Adduxit , ac reliquit. Nec puer à mamma divulſus, moleſtè tulit , cùm ſciatis quàm ſoleant indignari pueri quoties à lacte depelluntur. Verùm nec ipſe puer ægrè tulit à matre divulſus, ſed ad Dominum reſpexit qui matrem creaverat : nec ipſa mater doluit à puero ſejuncta , propterea quòd naturalem affectum vicit interveniens gratia , & uterque ſe alteri convivere exiſtimabat : quemadmodum eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites , & uva multo intervallo pendens , cum radice habet commercium. Itidem & in hac accidit*

o Gen. 22. 8. &c.

p 1 Reg. 1. 24. &c.

q S. Chryſoſt. hom. de Annâ & Samuel.

fœminâ , quæ in urbe manens uſque ad templum extendit ſuum palmitem , atque illic uvam ſuſpendit maturam : nec intervallum illud ullum attulit impedimentum , cùm charitas quæ ſecundùm Deum eſt †, *puerum matri copularet.* [† ex 1. Joã. 4. 7] Quòd ſi ex hoc exemplo mihi licet ei elevare mentem meam ad conſiderationem illius quod peragitur hodiernâ die in ſimili occurſu , ubi video S. Joachim & S. Annam qui ingrediuntur templum cum fructu ſacro , quem eduxerunt è terrâ promiſſionis cœli *r* mediis orationibus & lacrymis ſuis [*r* ex Num. 13. 24] , *Cujus parentes fuerunt Ioachim & Anna , qui quidem in vita ſua Deo placuerunt , atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt , ſanctam Virginem Mariam , templum ſimul & Matrem Dei : Ioachim porrò , Anna , & Maria , hi tres Trinitati palàm ſacrificium laudis ſ offerebant* [*ſ* ex Pſ. 49. 23] *: Ioachim enim interpretatur præparatio Domini , eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini , nempe Virgo : Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur : propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt , ut accedentibus precibus talem fructum germinarent , ſanctam Virginem adepti : Ioachim ſiquidem precabatur in monte , & Anna in horto ſuo* , ait S. Epiphanius *t* [*t* S. Epiph. ſerm de Laudib. Deip.]: & appendunt hunc fructum in ſanctuario pro inſigniſſimo memoriali trophæi ſui , aut ut pignus certiſſimum victoriæ , quam *Dominus Deus exercituum u* [*u* Iſai. 6. 3] relaturus eſt illius interventu de eo qui eſt *Princeps hujus mundi* , quique ab illo *ejicietur foras x* [*x* Joan. 12. 32]: viderem ex una parte parentes contentos quòd oblatio ſua ſuſciperetur præ generali applauſu ſuſcitato à gaudio ſecreto & ignoto Sacerdotum & populi , qui omnes admirabantur in hâc Puellâ liberalitates cœli , & è pulchritudine corporis ejus educebant perfectionem incomparabilem animæ ipſius , & odorem ſanctiſſimum , qui exibat ex iſtâ ſacratiſſimâ Puellâ : ſed etiam ex alterâ reſpicerem Puellam trimam , quæ ſtans ſuper primo gradu altaris , aſcendit audacter ſola , vadit ſe projectum inter manus ſummi Pontificis , conſecratum ſe Deo ſuo , & promiſſum in corde ſuo ſe nunquam habituram alium ſponſum , præter ipſum, velut agnoſcens apprimè valorem iſtius Divini theſauri, quem favorabiliter ipſa repererat : ita ut *facta quaſi navis inſtitoris de longè panem ſuum y* [*y* Prov. 31. 14] portatura intra aliquot annos , nunc delata vento gratiæ cœli , & auxilii Spiritus ſancti , ſic altum aſcendit exiguo tempore in mare praxis omnium virtutum , ut puellæ quæ antiquiores erant in hoc exercitio , non poſſent ad eam accedere niſi à longè , & contentæ eſſent certatim poſſidere ſanctam illius converſationem. Nemo præſumat igitur comparare oblationem Abrahæ & Iſaac , aut Annæ & Samuelis , hodiernæ præſentationi : utraque enim illa oblatio comparata iſti : nihil ferè eſt : & ſi comparetur ei, idem prorſus erit ac ſi compararetur Reginæ vaſſallus, matri Regis unus è captivis ejus aut ſubditis : prædicti illi quidem nati ſunt de parentibus ſterilibus *z*, [*z* Gẽ. 21. 2 & 1. Reg. 1. 5. & 20] & conſecrati Deo ; Iſaac, ipſo ſic præcipiente *a*, [*a* Gen. 22. 2. &c.] quippe qui probare vellet reſignationem & conformitatem patris ejus ad Divinam Voluntatem in oblatione filii ſui , & patientiam filii in ſuſtinendâ morte quæ ipſi imminebat : Samuel promiſſus Deo à matre ſuâ Annâ tempore importuno ſuæ ſterilitatis , quam improperabat ipſi Phenenna ipſius adverſaria *b*; [*b* 1. Reg. 1. 5. &c.] & B. Virgo præſentata Divinæ Majeſtati in templo propter implementum voti parentum ſuorum , qui iſtam prolem precibus inſtantibus efflagitaverant à Deo ; ſed præ hac conditione quòd eam ipſi conſecrarent , poſtquàm ablactaſſent eam , quod & faciunt hodie (*cùm tertio ætatis ſuæ anno ablactata juxta votum præſentaretur à parentibus Ieroſolymis in templo , ſola per quindecim gradus aſcendit in templum , ubi cum aliis virginibus, nubiles uſque ad annos Domino ſerviens, ac ſanctitate florens ; prima virginitatem ſuam , Deo vovet : Divinæque contemplationi intenta , ibi permanet uſque ad 14. ætatis ſuæ annorum , tunc deſponſata Ioſeph fabro* , dicit Chriſtianus Adrichomius in Theatro Terræ ſanctæ & Biblicarum Hiſtoriarum, anno mundi 3945 :) nulla tamen eſt ferè comparatio præſentationis iſtius cum præfatis oblationibus. *Verùm quemadmodum illa priſca Anna , cùm ſterilitatis morbo laboraret , per orationem ac promiſſionem Samuelem procreavit ; eodem modo hæc etiam per obſecrationem & promiſſionem Dei Genitricem à Deo accepit , ut ne hic quoque cuiquam ex illuſtribus matronis cederet. Itaque gratia (nam hoc ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine ſignificatur) vere etenim rerum omnium conditarum Domina facta eſt ; cùm Creatoris Mater extitit. In lucem autem editur in domo probatica Ioachim , atque ad templum adducitur : ac deinde in domo Dei plantata , atque per Spiritum ſaginata , inſtar olivæ frugiferæ c virtutum omnium domicilium efficitur* [*c* ex Pſ. 51. 10] *: ut quæ videlicet ab omni hujuſce vitæ & carnis concupiſcentiâ mentem abſtraxiſſet , atque ita Virginem unà cum corpore animam conſervaſſet , ut eam decebat , quæ Deum ſinu ſuo exceptura erat*, ait S. Damaſcenus *d*.

Super hoc autem obſervate quod præfatus ſanctus Chryſoſtomus comparans ſacrificium Annæ matris Samuelis cum ſacrificio Abrahæ, [*d* S. Damaſc lib. 4. de Fid. Orth. c. 15] reperit illud eſſe excellentius iſto, dicens , *Imitata eſt Patriarcham Abraham , cumque illo certamen ſuſcepit. Sed ille quidem filium receptum reduxit de monte , hæc verò reliquit in templo , ut illic perpetuè maneret. Quin potiùs ille totum dedicavit , cave jam illud ſpectes quòd non occidit , ſed quòd animo totum peregerit. Vidiſti fœminam cum viro decertantem. Vidiſti nihil à ſexu vetitam, quominùs æmularetur Patriarcham.* Nunquid illud non eſt figura oblationis quæ hodie peragitur? Abraham conſecrat filium ſuum Deo , ipſemet vult ei manu propriâ mortem inferre : iſte filius ſemetipſum offert morti manu proprii patris oppetendæ : & B. Virgo filia Abrahæ *e*, [*e* Matth. 1. 1. &c.] & futura Mater Dei , defertur hodiernâ die à parentibus ſuis in ſancta ſanctorum , ubi ipſa ſe Deo conſecrat morte civili, vovens ſanctitatem & innocentiam, & renuncians mundo , ut Divinæ ſerviat Majeſtati : unde ipſa non recedet, niſi ut deſponſetur *Ioſeph* , fideli cuſtodi puritatis ipſius , & ſigillo ſecretiſſimo mirabilium quæ Deus eſt operaturus *in utero f* ipſius. [*f* Matth. 1. 18. & 23. ex Iſai. 7. 14] Quòd ſi idem S. Chryſoſtomus loquens de præſentatione Samuelis peractâ à matre ipſius , dicit, *Aſcendit in templum , & agnellum induxit in ovile , ac vitulum perduxit ad armentum , & in pratum deduxit roſam à ſpinis liberam , roſam, inquam , quæ nunquam marceſcit , ſed floret perpetuò , quæque poſſit ad ipſum uſque cœlum extolli , cujus fragrantia in hodiernum uſque diem juvantur*

ac

ac reficiuntur omnes qui terrarum incolunt orbem : quantò potiori jure referre debeo ſermonem iſtum ad S.Virginem, quæ eſt *ovis immaculata, quæ Agnum Chriſtum* paritura eſt; & *juvenca nunquam jugum experta, quæ Vitulum* genitura eſt, ait S. Epiphanius g: & quæ ſe offert in ſacrificium Deo ſuo, quodque ſacrificium offereretur in perſona Filii ipſius, cùm tradet iſte *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi* h, *Chriſtus ſemetipſum oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* i, in illa carne, quam Deus hic educet è viſceribus ipſius, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas*, ait Arnoldus Carnotenſis k. Qui aliquantò antè loquens de conformitate B. Virginis illius ſtantis *juxta crucem* l, ad voluntatem Patris æterni, dicit, *Omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo : hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.* Quæ B.Virgo eſt *quaſi plantatio roſæ* m. Nam, ut ait Hugo Cardinalis n, *De ſpinis naſcitur roſa non ſpinoſa : & B.Virgo de Judæis incredulis non incredula. Unde ſicut ſpina roſam genuit, ita Judæa Mariam. Item, Roſa in vere poſt hyemem apparet : ſic gloria B.Virginis in præſenti vita non apparuit, ſed poſt aſſumptionem. Nigra ſum, ſed formoſa* o. *Nigra in mundo, formoſa in cælo. Item, Roſa modica in ſtatura : & beata Virgo humilis. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* p. *Item, Roſa grana crocea habet intra folia : quæ ſignificant charitatem Virginis, quam geſſit in corde, in verbo, in opere.* Præterea, Roſa iſta viret admirabili diverſitate deſideriorum ſuorū, quæ ad cœlum uſque protenduntur, & Deum ipſummet attrahunt ad odorem virtutis & ſanctitatis ipſius, ſicut ipſemet fatetur, ipſam alloquens, *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum ; & in uno crine colli tui* q. *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes affectioneſque animæ*, dicit Dionyſius Carthuſianus r. Roſa, quæ conſolatur animas, quæ ad ipſam recurrunt, perfectum ſolamen malorum noſtrorum, & verum remedium ſanandis noſtris infirmitatibus opportunum, *Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus* s *accipiant univerſi ; captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus* t, ait S. Bernardus u. Et ut uno verbo dicatur, Roſa, *quæ Roſam illam incomparabilem Chriſtum* genitura eſt, æquè ac *Vitis* x *Veritatis* y *fertiliſſima, & quòd ad virginitatem minimè vindemiata quæ licèt non foſſa, uvarum tamen feraciſſima nempe quæ maturā Uvam Chriſtum* eundem germinatura eſt, ait S.Epiphanius z. Ego autem mihi videor non inconcinnè poſſe referre huc in gratiam B.Virginis id, quod S.Bernardus a ait de ipſius Filio, in purificatione ipſius, *Hodie ſiſtitur Creatori fructus terræ ſublimis* : & dicere quòd ipſa eſt ille fructus ſublimis, qui extendit palmites ſuos ad quatuor orbis uſque regiones, ſicut ipſamet dicere videtur, *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris : & flores mei fructus honoris & honeſtatis* b. Ipſa eſt fructus miſſus a paradiſo ad conſolandam ſterilitatem parentum ſuorum : Ipſa eſt arbor, è qua prodire debet *Lignum vitæ Chriſtus Sapientia Dei Patris : Secundùm quod in Proverbiis* c *de Sapientia Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam*, dixit poſt S. Joannem Carthuſianus d.

g S.Epiphá. ſer. de Laud. Deip.
h Jo.1.29
i Eph.5.2
k Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.
l Jo.19.25.
m Eccli. 24.18.
n Hugo Card. in Eccli. 24 18.
o Cãt. 5
p Luc.1 48.
q Cãt. 4. 9.
r Dion. Carth. a. 44. in Luc.1 18.
s ex Jo.1. 16.
t ex Pſ.18 7.
u S.Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12.1 Signum mag. &c.
x Eccli. 24.23.
y ex Jo. 14.6.
z S. Epiphan. ut ſupr.
a S.Bern. ſer.2. in Purif. B. Virg.
b Eccli. 24.23.
c ex Prov. 3.18.
d Dion. Carth a. 23. in Apoc. 22.2

Sed tranſplantata æquè ac tranſlata in Sancta Sanctorum, ut ibi creſcat virtute & perfectione, ſuſcipiendo *irriguum ſuperius, & irriguum inferius* e. Id eſt, continuam abundantiam gratiæ cœli, & ſanctas inſtructiones Sacerdotum. Ipſa eſt *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum ; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo* f. Ipſa eſt *Urna aurea* g *manna cæleſte* contentura : *quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatiabit*, ait S. Epiphanius h. *Et virga Aaron quæ fronduerat* i. Sed audebo ne dicere quòd ipſa ſit proles illius mulieris Apocalypſis k, ubi dicitur *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura : ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret* ? Et quare non? cùm dicat Dionyſius Carthuſianus l, *Quia hoc loco per mulierem non intelligitur ad literam ſancta Maria, ſed Eccleſia ; per filium maſculum intelligi puto cœtum fortium & virtuoſorum Chriſtianorum.* Juxta hunc ſenſum autem dicere poſſum quòd S. Anna ſit veluti hæc Eccleſia, cùm ſit membrum Eccleſiæ (*Quia membra ſumus corporis ejus* m, id eſt, Eccleſiæ Chriſti) quæ enixa eſt B.Virginem, quæ in corpore infirmo puellæ teneræ deferens animam maſculam & generoſam, conterere debebat *caput ſerpentis* n inferni : & propter hunc finem hodiernâ die rapitur domo, & a matre ſua, ut præſentetur Deo ſuo, & maneat in throno, ſeu in tabernaculo ipſius, *Elegit eam Deus, & prælegit eam, in tabernaculo ſuo habitare facit eam:* ſicut *raptus eſt filius* præfatæ mulieris Apocalypſis, *ad Deum, & ad thronum ejus.* Ideòque *ſiſtitur Domino*, ut uſurpem prædicta verba S.Bernardi, id eſt, in hujuſmodi tabernaculo immoratur ipſa donec ipſam velit evehere idem Deus ad eminentiora munia. *Hodie placabilis & Deo placens hoſtia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à ſenibus expectatur*, proſequitur idem S.Bernardus, dicens hæc verba de Jeſu Chriſto, quæ poſſunt etiam applicari Mariæ. Etiam, Auditores. Ipſa ſe præſentavit Deo cum tribus virtutibus eximiis, virginitate, amore, & conſtantiâ : virginitate quæ manifeſtabatur in pudore extraordinario corporis ipſius ; amore qui apparebat in deſiderio, quo ipſa ducebatur inveniendæ gratiæ Dei ſui ; & conſtantiâ ſignificatâ per aſcenſum ſic audacem graduum : & in hoc apparatu repræſentato per triplices iſtas perſonas, virginitate exhibitâ in perſona ſua ; amore demonſtrato in parentibus ſuis ; & conſtantiâ apparente in ſenibus, ipſa nihil aliud offert Deo, niſi ſemetipſam, quæ eſt *placabilis & Deo placens hoſtia.* Id eſt, quam nos ipſi mitigare debemus, æquè ac ipſa eſt Deo grata. Si enim verum eſt quòd jura patrum & liberorum, debent eſſe cauſæ quas amplecti debent liberi & matres : peccata quæ quotidie committimus contra Deum, qui eſt *Pater* o, & *Filius* p B.Virginis, offendent & ipſam, quæ eſt Filia & Mater ejuſdem Dei. Errorem deponamus, putantes quòd offendamus ſolum Creatorem, cùm patramus aliquod peccatum mortale : offendimus enim tunc omnes creaturas, præcipuè verò Angelos, & Sanctos, qui zelo ardent erga honorem Domini ſui communis, & inter illos omnes ſanctiſſimam Matrem ejus, quæ ipſum portavit in viſceribus ſuis pro nobis ingratis, quæque ipſum chariùs diligit quàm ſemetipſam. Et ſi ipſa tot dolores ſuſtinuit in corde ſuo ſtans *juxta crucem* q illius, quot ille tormenta patiebatur in corpore ſuo: profectò æquè exacerbabunt ipſam crimina noſtra, ac Filium

e Judic. 1 15.
f Pſ. 1.3
g ex Heb. 9.4
h S. Epiphan. ut ſupr.
i Heb. 9.4 ex Num. 17.8.
k Apoc. 12.4. &c
l Dion. Carth. a. 13. in Apoc. 12.4
m Eph. 5. 30.
n Eccleſia ex Gen. 3 15.
o Iſa. 9. 6
p Mat. 25 31.
q Jo. 19 25.

lium ipſius : debemus ergo illam mitigare primam, cum per eam debeamus adire *cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* r. Ipſa eſt enim canalis, per quem gratiæ ejus fluunt ad nos, & Deus ſtatuit nullam nobis indulgere gratiam quin tranſiverit per manus Mariæ. Propterea *hodie placabilis & Deo placens hoſtia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à ſenibus expectatur*. Id eſt, ab omnibus hominibus.

r Heb 4. 16.

II. Pars.

Hic autem mutatur ordo naturæ, qui docet, quòd *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* s. Hic verò Deus intuetur primò munus, deinde eos qui illud offerunt, quia munus erat idem cum offerente: & nunquam re verà oblatio gratior facta eſt in mundo. Si enim dixerunt antiqui, quòd munera ad hoc ut ſint acceptabilia, tres iſtas habere debent conditiones; primam, ut ſint neceſſaria, aut ſaltem utilia; ſecundam, grata perſonæ quæ ipſa ſuſcipere debet; tertiam, durabilia, & quæ non conſumantur: nunquam munus glorioſius ditatum fuit iſtis tribus prærogativis, quàm fuerit iſtud. Suppoſito enim decreto æterno & immutabili Divinæ Sapientiæ, quòd Deus naſciturus eſſet è puella, quæ omni genere perfectionis eſſet conſummata, quæ non erat alia, quàm B. Virgo, quæ concipere & parere debebat ipſum, *ab æterno ordinata* t ad hanc eminentem qualitatem, ipſa neceſſariò præſentanda erat Deo, propter ſatisfactionem & complementum voti parentum ipſius, qui promiſerant ipſam Deo, qui vult ut ſibi fideles ſimus in promiſſis noſtris, *Vovete & reddite Domino Deo veſtro* u. Super quod vellem equidem, ut illi qui promittunt abſque conſideratione, & poſteà nullo modo cogitant de adimplendis votis ſuis, reflecterent ſe tantiſper ſuper crimina, quæ ipſi committunt. Cum ipſos impetunt afflictiones, probatæ vitæ videntur homines: gratias, quas non expectabant, ſuſceperint interventu Sanctorum, & poſt evitatum periculum, non meminerunt amplius Dei: eodem S. Joachim & S. Anna non ſe geſſerunt modo: unicam habebant filiam, & aliam naturaliter ſperare non poterant, eà tamen ſe privant, & illam Deo in templo conſecrant. Hæc oblatio erat etiam neceſſaria B. Virgini, quia per eam ipſa ſe diſponebat ad hoc, ut eſſet Mater Dei. Verum eſt quòd Creator redimere mundum poterat nedum fieret homo; & volens homo fieri, ſibi creare poterat corpus è nihilo, aut illud educere de terra, ſicut primum *formavit hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* x. Tamen ut magis ſuam magnificaret creaturam, naſci voluit è Virgine, quæ ſeipſam erat ipſi conſecratura modis omnibus, ut mereretur, quantùm pura creatura mereri poteſt, tantum favorem: propterea Eccleſia concinit ei hæc verba, *Sola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto*. Ipſa placuit ei voto virginitatis, quod ipſi emittit hodie: & multò magis humilitate ſuâ, quam ipſa incipit exercere exhibendo templo obſequium ſuum.

s Gen. 4. 4.
t Prov. 8. 23.
u Pſ. 75. 12.
x Gen. 2. 7.

Deus ut Pictor ſupremus depingere volebat in carne noſtra hanc ſpecioſam imaginem, quæ ab æterno *eſt in ſinu Patris* y. Nempe Filium ſuum: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* z. Et ideò requirebat aliquam tabulam raſam: ſcribere volebat Verbum æternum *ſtylo hominis* a. Et proprer hunc effectū neceſſaria erat ipſi aliqua membrana candida, fortis, & munda: hodiernâ verò die invenit id, quod quærebat: hæc tabula raſa, in qua nihil unquam fuit figuratum, hæc charta pura, in qua nihil unquam ſcriptum fuit eſt B. Virgo, quæ ſemetipſam offert in templo ad hunc effectum, unde ipſa non diſcedet donec ingrediatur ipſa domum S. Joſeph, in qua Deus hæc omnia operaturus eſt mirabilia. En igitur munus perfectum, quod erat neceſſarium Deo, quod fuit ipſi gratum, & quod diu durabit, cùm ipſa à primo ſuo nunquam diſceſſura ſit conſilio: ita ut cùm mittetur *Angelus Gabriel à Deo* b ad annunciandam ipſi Divinam Maternitatem, perplexa ſit ipſa futura, utra ſibi ſit eligenda, aut dignitas ſupereminens Matris Dei, aut perſeverantia in firmo conſilio ſuo, nondum ritè edocta novitatem myſterij: & tandem ſit ipſa futura Mater, nedum tamen ipſa deſinat eſſe Virgo.

y Jo. 1. 18.
z Sap. 7. 26.
a Iſa. 8. 1.
b Luc. 1. 26.

Si autem nunc tranſire velitis ad præmiū quod ipſa merita eſt hoc primo conſilio. Dicam vobis, quòd quò magis meritoria fuit ipſius actio, eò major fuit & ipſius merces. Singulari ſanè prærogativâ donata eſt Anna mater Samuelis, cùm ipſam *viſitavit Dominus, & concepit, & peperit tres filios & duas filias* c pro unico eodem Samuele, quem ei præſentaverat, & *quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini* d, æquè ac Magiſter Regum qui uncti fuerunt manibus ipſius e: ſed iſtud nihil eſt intuitu mercedis, quam ſuſcipiunt SS. Joachim & Anna interventu filiæ ſuæ, quæ facit ipſos avos Filij Dei, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* f, & totam progeniem ſuam nobilitat conſanguinitate cum illo, qui eſt ungendus *Sanctus ſanctorum, Chriſtus* g. Unde aliàs: *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in litore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* h. Verba iſta dixit Deus Abrahæ poſtquàm ſacrificare voluit ipſi filium ſuum Iſaac, quæ videmus adimpleta in B. Virgine, in qua tota ipſius progenies benedicitur à Deo. Ipſa eſt benedicta ſupra reliquas mulieres, ut *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Benedicta tu in mulieribus* i. Et univerſa proſapia ipſius honoratur propinquitate Dei interventu ipſius: ipſius filij multiplicantur more ſtellarum, qui non ſunt alij niſi Juſti & fideles, qui ſunt verè filij Mariæ, & poſſident ipſius interventu ſedes Angelorum apoſtatarum, qui *in terram miſſi ſunt* k, id eſt, *ad infernum in profundum laci* l. Tandem, Nationes univerſæ per eam recuperant benedictionem, quam amiſerant per inobedientiam Evæ m. Omnes Fideles ſunt filij Mariæ: Jeſus Chriſtus eſt Nepos SS. Joachim & Annæ, & Filius Mariæ, & quicumque ſalvantur, adipiſcuntur ſalutem ſuam *redempti pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati* n, quem iſte Dei Filius edixit è Maria, quam parentes ipſius ſic libenter offerunt in templo, & quæ ſeipſam vovet ibi Deo. *Chriſtus ergo ibi primùm medicinam appoſuit, ubi primus vulneri patebat locus; & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus, de Spiritu ſancto conceptus eſt* o, *ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus,*

c 1. Reg. 2. 21.
d 1. Reg. 3. 20.
e 1. Reg. 10. 1. & 16. 13.
f 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
g Dan. 9. 24. & 26.
h Gen. 22. 16. &c.
i Luc. 1. 28.
k Apoc. 12. 9.
l Iſa. 14. 15.
m Gen. 3. 6.
n 1. Pet. 1. 18. & 19.
o ex Mat. 1. 18. & 20.

lus,ſi non ſecerat, tamen inſecerat,ut non eſſet etiam
in utero vita ipſius otioſa,dum novem menſibus pur-
gat vulnus antiquum, ſcrutans, ut dicitur,uſque ad
imum putredinem virulentam , ut ſanitas ſemp terna
p ex Dan, 9. 24. p *ſuccederet. Et tunc jam operabatur ſalutem no-*
q ex Pſ. 73.12 *ſtram in medio terræ q, in utero ſcilicet Virginis Ma-*
riæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appella-
tur. Ad illam enim ſicut ad medium ,ſicut ad arcam
Dei, ſicut ad rerum cauſam ,ſicut ad negotium ſecu-
lorum reſpiciunt, & qui in cœlo, & qui in inferno, &
qui nos præceſſerunt,& nos qui ſumus, & qui ſequen-
tur,& nati natorum,& qui naſcentur ab illis. Illi qui
*ſunt in cœlo,ut reſarciantur;& qui in inferno,*idest,
in purgatorio,*ut eripiantur ; qui præceſſerunt,ut*
r Eccli. 36.18. *Propheta,fideles inveniantur* r; *qui ſequuntur , ut*
glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generatio-
s ex Luc, 2.48. *nes* s, *Genitrix Dei , Domina mundi, Regina cœli.*
Omnes,inquam,generationes. Sunt enim generatio-
nes cœli & terræ. Pater ſpirituum , ait Apoſtolus, ex
quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur
t ex Eph. 3.15. t. *Ex hac ergo beatam te dicent omnes generationes,*
quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genui-
ſti. In te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, pecca-
tores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te re-
ſpiciunt oculi totius creaturæ,quia in te, & per te, &
de te benigna manus Omnipotentis quidquid creave-
u S.Bern. ſer. 2. in Pent. *rat,recreavit*, ait S.Bernardus u.

Ecce quomodo Deus benedixit oblationi Ma-
riæ,ita ut pro parentibus ; quos ipſa ſic libenter
dereliquit, ipſa tot habeat filios,quot ſunt fideles
in mundo: & pro una filia quam S.Joachim & S.
Anna præſentaverunt Deo , multos habeant fi-
lios ſpirituales interventu filiæ ſuæ ; & ipſa quæ
voluit eſſe ſterilis per votum virginitatis, multò
plures nunc habeat filios , quàm ij qui diu vixe-
runt in Matrimonio cum felici & copioſa fœcun-
ditate, *Quia multi filij deſertæ,magis quàm ejus quæ*
x Gal. 4. 27. ex Iſa. 54.1. *habet virum* x. Hæ ſunt prærogativæ actionis ita
ſanctæ & ſic ſolemnis. Quis autem non inducitur
hodie ad imitandum hoc exemplum, & ad ſta-
tuendum conſecrare ſe Deo? Iſtud eſt officij no-
ſtri : cùm omne quod habemus, ad illum perti-
neat;ita & illud reddere debemus ei, *Omnia po-*
y Cant.7. 13. *ma nova & vetera,dilecte mi, ſervavi tibi* y, dice-
bat Sponſa Sponſo ſuo. Qui nihil æquè requirit
ac illud, ideòque ait nobis , *Præbe,fili mi,cor tuum*
z Prov. 23 26 *mihi* z. Non exigit à nobis ut *omnia* a relinqua-
a Mat, 19 27.&c. mus, id eſt, ut mundum corpore deſeramus, ut
divitias noſtras projiciamus in mare,ut abrenun-
ciemus ſeculo , ſicut Religioſæ vitæ cultores &
cultrices agunt abſque numero,cùm oporteat ut
aliquis in mundo remaneat ; ſed ſaltem ut cor
noſtrum non adhæreat terræ, voluptatibus ſen-
ſuum,vanitatibus aut magnitudinibus mundi; ut
correſpondeamus nomini noſtro, & pijs inten-
tionibus ſanctæ noſtræ Matris Eccleſiæ. Cùm
b Jo. 3.5 renati ſumus *ex aqua & Spiritu ſancto* b per Ba-
ptiſmum,ipſa nos promiſit Deo ; vel potiùs,ipſi
noſmetipſos vovimus & conſecravimus Deo :
c Oſee 2 20. ipſe nos ſibi ſponſavit *in fide* c per integram reſi-
gnationem quam fecimus ipſi affectuum & obſe-
quiorum noſtrorum : hæc eſt prima præſentatio,
prima promiſſio quam cum ipſo pepigimus , &
ideò non tardemus ampliùs eam exequi. Eamus
igitur, Auditores, redditum id quod ita liberali-
d Pſ. 75 12. ter promiſimus , ut conſulit nobis Pſalmiſta *d*,
Vovete & reddite Domino Deo veſtro. Et ſi velimus
intelligere illa verba ſecundùm totum ſenſum
ſuum moralem, audiamus quid dicat Dionyſius
Carthuſianus in expoſitione tropologica ſeu mo-
rali ſuper illum locum , *Vovete,id eſt, conſulo vo-*
bis ut voveatis , vel in ſuſceptione ſacri Ordinis, vel
in ingreſſu Religionis , vel aliquid aliud ad Dei hono-
rem agendo,vel dando : & reddite, id eſt, jubeo ut
reddatis Domino Deo veſtro. Vovere enim conſilium
eſt,quia ad ſupererogationem pertinet ; ſolvere au-
tem vota,præceptum , quemadmodum Moyſes aſſerit,
Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſervabis , &
facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo e. *Imò & ci-* e ex Deu. 23.21
tò reddendum eſt , ſecundùm quod habetur , Si quid
voviſti Domino,ne moreris reddere : diſplicet enim ei
ſtulta & infidelis promiſſio *. *Ideò Thomas affirmat,* * ex Eccl. 5.3
quòd votum plus obligat quàm juramentum. Dein-
que,Multò perfectius eſſe , & magis meritorium bo-
num ex voto facere,quàm ſine voto , ſicut & majus
eſſe dare arborem, quàm fructum tantùm. Voluntas
namque eſt veluti arbor , unde fructus boni & mali,
hoc eſt, opera virtuoſa ac vitioſa naſcuntur. Qui er-
go promittit voluntatem , ipſam Deo offert & obli-
gat , oſtenditur quoque homo talis magis promptus &
ardens ad Dei obſequium,quàm non promittens . ſed
& ipſum votum ſeu promiſſio , cùm ſit actus virtutis
quæ latria dicitur,magnum recipit præmium, ſicque
ex voto operans, dupliciter promeretur, videlicet ra-
tione voti , & item ratione operis boni. Sunt autem
quædam vota cunctis communia , ſine quibus nemo
valet ſalvari , ſicut in fonte Baptiſmi promittimus
credere,& operibus Satanæ renunciare , & iſta ca-
dunt ſub præcepto , ſicut Baptiſmus. Alia verò ſunt
ſpecialia vota , quemadmodùm votum caſtitatis,
paupertatis, & cætera , & iſta ante promiſſionem
ſunt in conſilio;vota autem emiſſa, ſunt ſub præcepto.
Sic ergo vovete & reddite Domino Deo veſtro, ò om-
nes fideles,qui in circuitu ejus affertis munera,hoc eſt,
qui ex omni parte ad Deum confluitis , atque per mo-
dum coronæ ad eum acceditis, qui utique eſt in medio f ex Mat. 18.20
veſtrûm f, *non tamen ſicut ſunt omnes homines in*
circuitu Dei ,quaſi Deum intra ſe claudant ac termi-
nent,quoniam ipſe immenſus eſt g. g ex Baru. 3.25.

Et ſi velimus ut B. Virgo nos fateatur ut filios
oblationis ſuæ , imitemur eam in fervore & in
fidelitate ipſius. : *Sit ergo & in oblatione noſtra*
conſtantia virilis, ſit continentia carnis, ſit conſcien-
tia humilis , ait nobis ſanctus Bernardus *h*. Sic h S. Bern. ſer. 3. in Purific. B.Virg.
participabimus favores B. Virginis , ſi imitemur
illius exempla: & cùm tertio ætatis ſuæ anno ab-
lactata juxta votum præſentaretur à parentibus
ſuis ſanctis Joachim & Annâ Jeroſolymis in
templo , & ſola per quindecim gradus aſcende-
rit in templum , ſatagamus aſcendere per om-
nes gradus virtutum , eundo de virtute in vir-
tutem , è perfectione in perfectionem uſque ad
cumulum æternâ gloriâ dignum , juxta vatici-
nium prædicti Pſalmiſtæ *i* de veris fidelibus ſic i Pſ. 83.8
edisſerentis , *Ibunt de virtute in virtutem. Id eſt,*
de bono in melius , donec ad optimum perducantur,
ibunt de unius virtutis actu in opus virtutis alterius,
nunc orando, nunc alijs ſuccurrendo , nunc propria
mala deflendo , ſubdit idem Carthuſianus verbis
iſtis , poſtquàm in verſu immediatè præcedenti
ſic expoſuit verorum fidelium Chriſtianorum
ſpirituales *aſcenſiones. Id eſt , ſpiritualium profe-*
ctuum gradus, virtuoſorum proceſſuum incrementa.
Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ , ut
miſericordiam conſequamur , & gratiam invenia-
mus in auxilio opportuno k: ſic ipſa nobis erit bo- k Heb 4 16.
na Mater , & nos ſuſcipiet ut veros filios ſuos,
impetrans nobis interceſſionibus ſuis gratias &
fa-

favores cœleſtes. Memento igitur, B. Virgo, quòd verè nos ſimus filij tui, quòd ipſa nos pepereris in perſona Jeſu Chriſti Filij tui, qui fieri voluit frater noſter *in utero* m tuo: & inter hanc amoroſam oblationem, quam facis ei tuiſpſius, offer etiam illi, ſi tibi placet, corda omnium fidelium ſervorum tuorum, qui diſperſi ſunt per totum mundum, præſertim populi N. & ſingulariter eorum qui hìc adſunt, & alibi audiunt excellentias tuas. Verum quidem eſt, quòd non eſt in

a Matth. 23, et Iſa. 7, 14.

oblatione noſtrâ conſtantia virilis, continentia carnis, conſcientia humilis, quas præ te ferebas; & quòd Filius tuus noſtrorum *bonorum non* n eget: a tamen cùm requirat cor noſtrum, libenter illud ipſi tribuimus: ſed cùm ſit indignum ut ipſi offeratur, ſuſcipe illud in manus tuas, & offer illud ei cum tuo, ut interventu tuo redire poſſimus in amicitiam ejus, conciliare nobis gratiam illius, & aliquando conſequi gratiam ipſius.

a Pſ. 15, 2.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

CAPITVM, QVÆ IN HOC TOMO I. CONTINENTVR.

In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

AMbulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 18. &c.

Quòd tripliciter vocamur à Deo. Prima vocatio eſt ea, quâ vocat nos ad notitiam ſuiipſius. Secunda, eſt ea, quâ facit nos venire in cognitionem noſtri ipſorum, inſtar S. Petri agnoſcentis ſe peccatorem. Tertia, eſt ea, quâ ſic inflammat cor noſtrum amore ſuo, ut deſeramus omnia ad ipſum ſequendum, ut reliquerunt omnia iſti duo fratres ſancti Andreas & Petrus. pag. 1

Dominica I. Adventûs.

Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitûs maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi: Nam virtutes cœlorum movebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate. Luc. 21. 25. &c.

Primò, Quòd in judicio Sapientia Dei omnia diſcooperiet ut infallibilis. Secundò, Quòd Sanctitas ipſius erit inexorabilis. Tertiò, Quòd Potentia ipſius erit inflexibilis. 7

Feria II. poſt Dominicam I. Adventûs.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum Ait illi. Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi, &c. Gen. 22. 1. &c.

Primò, Quid ſint propriè paſſiones humanæ. Secundò, Quotnam illæ ſint. Tertiò, Quare Deus illas animæ noſtræ diſpoſitioni reliquerit. Quartò, Media, quibus debeamus eas mortificare, & ſacrificare Deo. 12

Feria III. poſt Dominicam I. Adventûs.

Ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium. Gen. 22. 6.

Primò, Quòd ſi perfectum Deo velimus offerre holocauſtum, totum debeamus igne comburere, id eſt, conſumere omnes & ſingulas paſſiones noſtras ad unam uſque, quantùmlibet exigua ſit illa. Secundò, Oſtenditur modus, quo id ritè & facilè ſit agendum. 16

Feria IV. poſt Dominicam I. Adventûs.

Cùmq; duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit. Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Gen. 22. 7. &c.

Primò Unicum eſſe tantum Deum. Secundò, Hunc Deum unicè, & ex toto corde diligendum eſſe. 22

Feria V. poſt Dominicam I. Adventûs.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Gen. 22. 9. &c.

Primò, Divitias eſſe contemnendas, cùm non poſſint integrè nobis ſatisfacere. Secundò, Illas præterire, cùm non ſint permanentes. 26

Feria VI. poſt Dominicam I. Adventûs.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Gen. 22. 9. &c.

Primò, Quòd eleemoſyna nos in mundo parvos efficiat Deos per imitationem. Secundò, Quòd noſtrorū nos conſtituat redemptores peccatorum per interceſſionem. 31

In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Quæretur peccatum illius, & non invenietur. Pſ. 9. 39.

Oſtenduntur tria privilegia Mariæ conceſſa ipſo ſuæ Conceptionis immaculatæ primo momento

mento

mento. Primum, Quòd Deus ex tunc ipſam fuerit intuitus, & amaverit amore complacentiæ. Secundum, eſt impeccabilitas, cum non ſolùm Deus prævenerit eam gratiâ ſuâ, præſervans illam à peccato originali, imò verò reddiderit ipſam incapacem perpetrandi peccatum. Tertium eſt, Ipſam accepiſſe gratiam faciendi, dicendi, & patiendi omnia propter purum amorem Dei: quod invenitur perfectè tantùm in cœlo. 35

Dominica II. Adventûs.

Quid exiſtu in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtu videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Matth. 11.7.& 8.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Gen.22.9.

Primò, Oſtenditur infelicitas & funeſtus finis ſuperborum & ambitioſorum. Secundò, Cùm perſequatur eos Deus ut inimicos, gloriam ipſius volentes ipſi eripere. 41

Feria II. poſt Dominicam II. Adventûs.

Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixitq; ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neq; facias illi quicquam, nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Gen.22.9.&c.

Primò, Quod ignorantia Dei, facit ut quis elevet ſe in ſuperbiam, & amore proprio ductus, gloriam Deo debitam ſibi vendicet. Sed ſecundò, Quòd cognitio Dei nos ducit in nihili noſtri notitiam, & efficit ut deprimamus nos, ad hoc ut magis appareat eadem gloria ejuſdē Dei. 46

Feria III. poſt Dominicam II. Adventûs.

Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham Qui reſpondit, Adſum. Dixitq; ei. Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognovi quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Levavit Abraham oculos ſuos, viditq; poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Gen.22.10.&c.

Primò, Quòd Deus eſt. Secundò, Quòd hic Deus ſuorum curam agit. 51

Feria IV. poſt Dominicam II. Adventûs.

Pergebant ergo pariter · & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus. Gen.22.9.&c.

Primò, Quòd homo pravo ductus deſiderio poſſidendę turpiter alicujus creaturę, ex eo propriâ exire non poſſit induſtriâ; nec facilè oblviſci illius, quod ipſe ſuis conforme invênit affectibus. Secundò, Exhibentur inquietudines hominis amore impudico affecti, qui non obſtantibus iſtis ſpinis ſibi proponit ſua prava & impura deſideria executioni mandare. 56

Feria V. poſt Dominicam II. Adventûs.

Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus. Gen.22.9.&c.

Primò, Oſtenditur horror peccati. Secundò, Satius eſſe mortem perpeti, quam lethifero conſenſum præbere peccato. 61

Feria VI. poſt Dominicam II. Adventûs.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmq; concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Gen.22.2.&c.

Primò, Monſtratur nihil horribilius eſſe deſperatione. Secundò, Propter rationem contrariorum, nihil melius eſſe, quàm ponere ſpem ac fiduciam ſuam in Deo, qui ſolus nobis ferre poteſt ſuppetias. 66

In Octava Immaculatę Conceptionis B.V. Marię.

Ipſa conteret caput tuum. Gen.3.15.

Primò, Oſtenditur victoria Mariæ ſuper peccatum. Secondò, Monſtrantur emolumenta, quę proveniunt nobis ex hac victoria Marię. 71

Dominica III. Adventûs.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? & confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Joan.1.19.&c.

Levavit Abraham oculos ſuos, viditq; poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Gen.22.13.&c.

Primò, Quòd quicumque ſpecialem ſuſcepit à Deo favorem, pro eo debitas tenetur ei rependere gratiarum & laudis actiones. Secundò, Quòd hæ gratiarum actiones, quę illi exhibentur, ſunt veluti diſpoſitio, quę ad novos favores viam pandat ſuſcipiendos ab eo, qui à nullo homine ſe vinci, amoris intuitu permittit. 76

Feria II, poſt Dominicam III. Adventûs.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Gen.22.2.&c.

Primò, Quòd modus efficaciſſimus, quo quis intueatur Deum præſentem, eique adhęreat, eſt ut afflictionibus & perſecutionibus impetatur. Secundò, Nos debere præſentiam & opem Divinam implorare in omnibus afflictionibus, non tam ut ab illis eximamur, quàm ut in illis ad Divinam Voluntatem conformemur. 81

Feria

Feria III. Poſt Dominicam III. Adventûs.

Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hîc cum aſino: ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos. Gen.22.3.&c.

Primò, Oſtenditur timor & pudor impiorum. Secundò, Monſtratur Juſtorum & Bonorum magnanimitas medias inter pudoris occaſiones. 86

Feria IV. poſt Dominicam III. Adventûs.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Gen.22.2.&c.

Primò, Texitur apologia pulchritudinis innocentiæ. Secundò, Invehitur contra pulchritudinem criminoſam. 91

Feria V. poſt Dominicam III. Adventûs.

Cùmque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: ubi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Gen.22.7.&c.

Primò, Quòd nihil tam detrahit authoritati Magnatum, quam vindicta. Secundò, Quòd nihil tam decet eos, quàm compaſſio & miſericordia. 96

Feria VI. poſt Dominicam III. Adventûs.

Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmq; concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Gen.22.1.&c.

Quòd Divina Providentia ſinat ut amici ſui tententur, & patiantur, Primò, Ut medijs tolerantijs ſuis efficiantur digni gloriâ, quam ipſe paravit eis. Secundò, Ut illis ſuum ipſa teſtetur amorem. 101

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Thomas dixit, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Ieſus deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Joan.20.24.&c.

Primò, Quare Deus permittat caſum multorum, imò verò Juſtorum. Secundò verò & in ordine particulari, Quare permiſerit lapſum S. Thomæ Apoſtoli. 106

Dominica IV. Adventûs.

Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Luc.3.5.&c.ex Iſa.40.3.
Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Gen.22.10.&c.

Quòd ira criminoſa, eſt Primò contraria proximo. Secundò, damnoſa nobis ipſis. Tertiò, injurioſa Deo. 112

Feria II. poſt Dominicam IV. Adventûs.

Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum. Gen.22.10.&c.
Omnes res hujus mundi habere duplicem faciem; & eos valde decipi, qui ſiſtunt in apparentijs vanis hujus ſeculi, non conſiderantes finem, quem illæ ſunt ſortituræ. 118

In Nativitate Domini.

Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Tit.3.4.& 5.

Exhibetur amor Dei erga nos, Primò, ut benefaciens. Secundò, ut complacens. Tertiò, ut patiens. 122

In Feſto S. Stephani Protomartyris.

Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. Act.7.59.&c.

Oſtenduntur tres convenientiæ inter S. Stephanum & Jeſum Chriſtum. Prima, Quòd ſicut Jeſus Chriſtus mortuus eſt per invidiam Judæorum: ita S. Stephanus lapidibus obrutus eſt ex invidia eorundem Hebræorum. Secunda, Quòd ſicut Jeſus Chriſtus fuit Martyr ſui Patris æterni, teſtans & obſignans ſanguine ſuo veritatem eſſe illius: ſic etiam S. Stephanus fuit Martyr Chriſti, teſtificans gloriam ejus, & illam ſuo ſanguine obſignans. Tertia, Quod ſicut Jeſus Chriſtus cruci ſuffixus, Patrem ſuum exoravit pro illis, qui ipſum crucifigendum fecegerant, æquè ac pro illis, qui ipſum patibulo affixerant: ita S. Stephanus Deum deprecatus eſt pro illis, qui ipſum lapidibus impetebant. 128

In Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus. Joan.21.20.&c.
Quòd amor Ieſu Chriſti erga S. Ioannem, fuit Primò, obligans. Secundò, affligens. Tertiò, remunerans. 134

In Feſto SS. Innocentium.

Herodes mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus. Matth.2.16.&c.

Quòd altiſſima providentia Dei manifeſtatur in hoc, quòd illi, qui maximè derelicti ſunt apparenter, ſunt ij, quorum idem Deus maximam curam habet. 140

In Circunciſione Domini.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

Oſtenduntur duo magni effectus amoris Dei erga nos. Prior circa Circunciſionem. Poſterior circa impoſitionem ſacri nominis Jeſu. 145

In Epiphania Domini.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

Primò, Quòd tenebræ & umbræ præſepis, diſſipant totam ignorantiam mundi, & nos æquè ac Magos docent id quod Deus eſt. Secundò, Quòd ſtultitia apparens Jeſu Chriſti in præſepi confundit totam ſapientiam mundi. 150

In Feſto Purificationis B. Virginis Mariæ.

Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum Legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. 22. & ex Levit. 12. 6. &c.

Quòd myſterium Purificationis, eſt myſterium depreſſionis & humilitatis, & ſimul exaltationis & elevationis propter tres ſupereminentes qualitates Mariæ, nimirum, Matris, Virginis, & Dominæ: quæ conſtituunt tres partes diſcursûs. 156

In Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

Et dederunt ſortes eis. Et cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Act. 1. 26. &c.

Oſtenditur magnitudo, in quam loco Judæ eligitur S. Mathias ſorte, id eſt, gratiâ Dei Primò. Secundò verò, virtutibus ſuis. 161

Feria IV. Cinerum.

Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Matth. 6. 16.

Quòd iiſdem motivis, quibus quis exiſtimat ſe ab exercitio pœnitentiæ & jejunij diſpenſari, ad praxim ejuſdem pœnitentiæ & jejunij obligatur. 166

Feria V. poſt Cineres.

Cùm intraſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio. Matth. 8. 5. &c.

Primò, Oſtenditur Fides, quâ Centurio Deum intuetur. Secundò, Charitas, quâ ad proximum refertur. Tertiò, Humilitas, quâ ſemetipſum reſpicit. 171

Feria VI. poſt Cineres.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Matth. 5. 44. &c.

Primò, Exhibetur ſuavitas & facilitas mandati dilectionis inimicorum. Secundò, Monſtratur ejuſdem præcepti obligatio & neceſſitas. 177

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Cineres.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquàm flagellaverunt, occident eum. Luc. 18. 31. &c.

Primò, Quòd memoria Paſſionis Jeſu Chriſti, ſit nobis præſens remedium contra tentationes, ne conſentiamus peccato. Quòd, ſi fortè quis ei conſenſerit, ſola cogitatio ipſius, eſſet Secundò ſatis fortis ad educendum eum inde. Cùm illius recordatio, ſit Tertiò talis virtutis, ut omnia tædia noſtra convertat in gaudia. 181

Dominica I. Quadrageſimæ.

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. &c.

Primò, Quomodo nobis ſit agendum, ut ſemper vincamus. Secundò, Oſtenduntur arma, quibus ſit utendum nobis, ut coronam mereamur. 187

Feria II. poſt Dominicam I. Quadrageſimę.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Matth. 25. 31. &c.

Quòd Dei Filius in judicio, Primò parebit ut Judex, qui examinabit omnia. Secundò, ut Judex, qui condemnabit ſine appellatione. Tertiò, ut Judex, qui puniet abſque remiſſione. 192

Feria III. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic? Matth. 21. 10. &c.

Quòd Deus cauſat Primò motum reflexum, Secundò motum progreſſivum, Tetiò motum circularem in anima eodem momento, quo ipſam ingreditur per gratiam ſuam. 197

Feria IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Magiſter, volumus à te ſignum videre Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Matth. 12. 38. &c. ex Jon. 2. 1. &c.

Primò, Quòd Prædicator facit id, quod Jonas fecit, ut peccatores inducat ad pœnitentiam. Secundò, Oſtenditur potentia pœnitentiæ. Tertiò, Monſtratur non eſſe abutendum pœnitentiâ. 201

Feria V. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Miſerere meî, Domine, Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. &c.

Oſten-

Oſtenduntur quatuor qualitates,quas habere debemus in orationibus noſtris. Prima, eſt Humilitas. Secunda, eſt fiducia filialis. Tertia, eſt perſeverantia. Quarta eſt egreſſus a peccato,more,Chananææ. 207

Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrageſimę.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina. Joan. 5. 1. &c.

Primò, Quòd Baptiſma ſit nobis loco portæ Orientalis ad æternitatem, ad quam nobis pandens viam, nos hæredes paradiſi conſtituit. Secundò, Quòd nos membra Chriſti efficiat. Tertiò, Quòd recta nos ad gloriam dirigat. 212

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam. At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Matth.26.14.&c.

Cùm id omne quod tranſactum eſt in venditione Joſeph, factum fuerit in venditione Jeſu Chriſti, monſtratur quòd una eſt figura alterius. 217

Dominicam II. Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Matth.17.1.&c.

Quomodo ratio agendi ordinaria hominis cõformantis ſe affectibus primi Parentis, ſit exercitium infelicis transfigurationis, ſeu funeſtæ deformationis: nimirum, Quomodo ſe transfiguret, aut deformet homo. 222

Feria II. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan.8.21.

Oſtenditur quantus ſit horror peccati, ut illud unuſquiſque odio proſequatur, ac deteſtetur. 228

Feria III. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite. Matth.23.1.& 2.

Primò, Oſtenditur Sacerdotum dignitas. Secundo, Illorum poteſtas. 232

Feria IV. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Matth.20.22.&c.

Quòd oporteat ut neceſſariò amplectamur cruces cum Sanctis, ut complaceamus nobis in afflictionibus, & amemus perſecutiones, ſi velimus more illorum, æternâ gloriâ frui; cùm per eas jam beati ſimus aliquo modo in hac vita. 238

Feria V. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc.16.22. &c.

Primò, Pronunciatur areſtum felicitatis in gratiam Lazari mendici. Secundò, Fertur areſtum damnationis adversùs divitem epulonem. 243

Feria VI. poſt Dominicam II. Quadrageſimę.

Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Matth.21.43. &c.

Primò, Oſtenduntur effectus fidei. Secundò, Recenſentur conditiones requiſitę ad eandem fidem, quibus medijs proficua nobis eſſe poſſit ac utilis. 248

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. 1.Cor.1. 23.

Afferuntur cauſæ timoris & triſtitiæ Jeſu Chriſti in horto Olivarum. 253

Dominica III. Quadrageſimæ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc.11.14.&c.

Oſtenduntur utilitates, quę nobis ex bona Confeſſione proveniunt. 258

Feria II. Poſt Dominicam III. Quadrageſimę.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Dixit autem Pater, Citò proferte ſtolam primam. Luc.15. 22.&c.

Primò, Potentia invenitur in Patre cœleſti in gratiam filij prodigi. Secundò, Sapientia. Tertiò, Bonitas. 264

Feria III. poſt Dominicam III. Quadrageſimę.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Matth.18.15.

Primò, Omnem hominem teneri, quantùm in ipſo eſt, exercere correctionem fraternam. Secundò, Quonam modo ſit illa exercenda. 269

Feria IV. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Matth.15.1.&c.

Oſtenditur debitum parentum triplex erga liberos ſuos. Primum, amor. Secundum, inſtitutio. Tertium, exemplum. 274

INDEX CAPITUM.

Feria V. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Matth. 15. 3. ex Exod 20. 12.

Monſtratur debitum liberorum triplex erga parentes ſuos. Primum, honor. Secundum, amor. Tertium, obedientia. 279

Feria VI. poſt Dominicam III. Quadrageſimę.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere. Joan. 4. 6. &c.

Primò, Oſtenditur Jeſum Chriſtum ſolis delectari pœnis, & ſemper abhorruiſſe à delicijs. Secundò, Crimina noſtra cauſare ipſius fatigationem, & efficere ut ipſe pro nobis velut agat plùs quàm poſſit agere. Tertiò, Illum tandem à nobis exigere levamē aliquod a pœnis ſuis. 284

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Joan. 19. 1.

Primò, Monſtratur quàm ignominioſa fuerit Jeſu Chriſto flagellatio. Secundò, Quam doloroſa. 290

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna. Joan. 6. 1. &c.

Primò, Oſtenditur exiſtentia Providentiæ Dei. Secundò, Fiducia, quâ ad ipſam debeamus accedere. 295

Feria II. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan. 2. 15. &c.

Primò, Monſtratur, infelices eſſe illos, qui imaginantur Deo potiùs ſatisfieri ſacrificijs animalium, quàm oblationibus cordium noſtrorum, & libentiùs illum ſuſcipere oblata provenientia ex negotiatione mercatorum, quam orationes procedentes ex anima pœnitentis humiliter contriti, occaſione illorum, qui in templo ipſius vendebant, & emebant animalia, & ſacrificaturis pecuniam ad uſuram tradebant. Secundò, Quomodo ijdem homines inſolitam inveniant punitionem, quâ ab eo excipiuntur; ſeque injuriâ affectos exiſtimantes, dum flagello de funiculis compacto vapulant a Filio Dei, & ignominioſè exulant à templo, ſunt tamen feliciſſimi, ſicut & omnes illi, qui puniuntur in hoc mundo ob peccata ſua, maleque judicent, vocantes tolerantiam Dei dulcem, & punitionem ejus amaram. 299. & 300

Feria III. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Aſcendit Ieſus Ieroſolymam, & invênit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan. 2. 13. &c.

Primò, Oſtenditur, quòd cor noſtrum eſt templum, in quo inſanies exercentur negotiationes ab ementibus & vendentibus in eo. Secundò, Quomodo campſores in eo negotiantes, qui ſunt peccata, furantur nobis theſaurum gratiæ. Tertiò, Monſtratur modus tuendi theſaurum iſtum à manibus illorum. 305

Feria IV. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate, & interrogaverunt eum diſcipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Joan. 9. 1. &c.

Primò, Monſtratur gravitas peccati præſentis, ſeu peccati conſuetudinis; quòd nihil eſt quod plùs offendat Deum, quàm hoc peccatum, & quòd eum inducat ad ipſum ſeverè puniendum. Secundò, Affertur remedium huic infortunio curando accommodum. 311

Feria V. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Luc. 7. 12. &c.

Primò, Mortis infallibilitas exhibetur intuitu omnium hominum. Secundò, Monſtratur, quòd præſentiſſimum remedium, quo quis ad eam ſe diſponat, eſt illud, quo eam ſæpè cogitet. 316

Feria VI. poſt Dominicam IV. Quadrageſimę.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. &c.

Oſtenduntur diſpoſitiones, quæ præcedunt miraculum ſuſcitationis Lazari. 321

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Matth. 27. 28. &c.

Primò, Oſtenditur quinam fuerint illi, qui coronaverunt ſpinis Dominum noſtrum. Secundò, Quænam motiva eos ad hoc induxerint. Tertiò, Monſtrantur cauſæ, propter quas Dominus noſter ſic coronari voluerit. 326

Dominica Paſſionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. 46. &c.

Primò, Monſtratur, Jeſum Chriſtum fuiſſe Victimam veram. Secundò, Victimam perfectam. Tertiò, Victimam innocentem, ad expianda omnia peccata hominum. 331

Feria II. poſt Dominicam Paſſionis.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. &c.

Recenſentur circunſtantiæ miraculum ſuſcitationis Lazari perficientes. 336

Feria

Feria III. poſt Dominicam Paſſionis.

Et murmur multum erat in turbâ de eo. Quidam enim dicebant : quia bonus eſt. Alii autem dicebant : Non, ſed ſeducit turbas. Joan.7.12.&c.

Primò, Oſtenditur, quòd, cùm mundus iſte Bonis permiſtus ſit & malis, eſt quædam nota, quâ cognoſcantur quales ſint, quia Boni prudenter loquuntur de rebus bonis, mali verò de rebus malis. Secundò, Quòd licèt detractio, quæ eſt vitium loquelæ, ſit peccatum commiſſu facillimum, eſt remiſſu difficillimum. Tertiò tandem, Quòd cùm detractio ſit maximum & graviſſimum omnium criminum, meretur etiam ſuppliciorum omnium maximum & graviſſimum. 341

Feria IV. poſt Dominiam Paſſionis

Oves meæ vocem meam audiunt : & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis. Joan.10.27.& 28.

Primò, Monſtratur obligatio, quâ tenemur diligere Deum ex totis nobis ipſis. Secundò, Quòd dilectio operatur ecſtaſim in ſubjecto, quod diligit. 346

Feria V. poſt Dominicam Paſſionis.

Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi. Luc. 7. 37.&c.

Quænam cognitio ſit illa, quæ eſt principium pœnitentiæ & juſtificationis Magdalenæ. 352

Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis.

Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo. Joan.11.50.&c.

Vel, *Nos Legem habemus ; & ſecundùm Legem debet mori.* Joan.19.7.&c.

Oſtenditur Primò quomodo Lex naturæ, Secundò Lex ſcripta, Tertiò Lex gratiæ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum damnent ad mortem. 358

De Paſſione Domini pro die Veneris poſt Dominicam Paſſionis.

Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam : ipſis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. 1.Cor.1. 23.

Compendioſè referuntur ea, quæ Jeſus Chriſtus pertulit in Paſſione ſua. 362

Dominica Palmarum.

Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21.5.ex Iſai.62.11. & ex Zach.9.9.

Primò, Quòd Deus infirmitatem induit, & exuit potentiam. Secundò, Quòd utitur injuſtitia, & juſtitiam excludit. Tertiò, Quòd eligit rigorem, & renunciat amori, ut thronum ſuum in Regno cordium noſtrorum collocet ac ſtabiliat. 368

In Feſto S. Joſeph Confeſſoris.

Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph. Eccleſia ex Matth.1.18.&c.

Primò, Quod Pater æternus dat S. Joſeph qualitatem Patris. Secundò, Quòd Filius tribuit ei prærogativas ſanctarum benedictionum ſuarum. Tertiò, Quòd Spiritus ſanctus facit eum Coadjutorem myſterii Incarnationis. 373

In Feſto Annuntiationis B.V. Mariæ.

Ecce ancilla Domini. Luc.1.38.&c.

Primò, Oſtenditur Mariæ humilitas. Secundò, Monſtrantur illius magnitudines. 378

Feria VI. in Paraſceve.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Secundùm Matth.c.26.& 27.Marc.c.14.& 15.Luc.c.22. & 23. & Joan. c.18.& 19.

Primò, Recenſentur ſupplicia, quæ Salvator paſſus eſt in anima ſua. Secundò, Tormenta, quæ paſſus eſt in corpore ſuo 385

In Feſto Paſchæ.

Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum : Surrexit non eſt hic. Marc.16.6.&c.

Quòd è tribus reſurrectionibus, quæ habentur in Scripturâ, & quæ faciunt tres partes diſcurſus, imitanda eſt Reſurrectio Salvatoris. 396

Feria II. poſt Paſcha.

Et ecce duo ex illis ibant ipſâ die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus. Luc.24.13.&c.

Recenſentur tres lectiones, quas Salvator nos docuit. Prima, fuit ea, quam docuit nos in ipſo ingreſſus ſui in mundum initio. Secunda, fuit ea, quam nos docuit in medio mundo. Teria, fuit ea, quam nos docuit, cùm reliquit mundum. 401

Feria III. poſt Paſcha.

Stetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis : Pax vobis. Luc.24.36. &c.

Primò, Quòd Deus è bello, quod nos indicimus ipſi, eruit pacem ac reconciliationem noſtram. Secundò, Quòd peccator non petit pacem, ſed inducias ſolas. 406

In Feſto S. Franciſci de Paulâ, Confeſſoris.

Oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus. Eccli. 11.13.

Quòd S. Franciſcus de Paulâ fuit major & perfectior Angelis in tribus punctis, quæ ſunt tres partes diſcurſus. 411

In Feſto SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ioan. 14.2.&c.

Quòd Deus proponit & offert his Apoſtolis domum gloriæ ſuæ, ut eos diſtrahat ab affectibus erga objecta ſenſibilia iſtius mundi, quæ non habent niſi apparentias doloſas ; & animet eos

ad tolerantiam paſſionum, per ſpem, quam facit ipſos concipere mercedis, quæ eſt ipſos coronatura. 417

In Feſto Inventionis S. Crucis.

Sub umbrâ illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2. 3.

Primò, Quòd in Cruce habemus perfectam notitiam veritatis meliùs quàm in aliâ re. Secundò, Quòd amor apparet ibi cum excellentiâ. Tertiò, Quòd nulla poteſt haberi voluptas ſpiritualis, niſi in Cruce. 421

In Aſcenſione Domini.

Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Act. 1. 9.

Primò, Quomodo oportebat propter gloriam Filii Dei, ut ipſe aſcenderet ad cœlum; & quòd cœlum & terra gaudia & oblectamenta ſua conferre debebant ad hanc gloriam. Secundò, Monſtratur utilitas nobis inde proveniens; cùm capiens poſſeſſionem Regni ſui, doceat nos viam, per quam debeamus ad illud aſpirare. 427

In Feſto B. Felicis à Cantalicio, Confeſſoris.

Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non eſt ſtimulatus in triſtitiâ delicti: & non excidit à ſpe ſuâ. Eccli. 14. 2.

Primò, Quòd felicitas Juſtorum in hâc vitâ, ſita eſt in quiete & in pace interiori conſcientiæ, quæ non patitur turbationes triſtitiæ, & commotiones cauſatas à peccato. Secundò, Quòd ipſa conſiſtit in nunquam decidendo à felicitate ipſi ſuâ, ſed in habenda illius felici poſſeſſione, & pacificâ fruitione. 432

In Feſto Pentecoſtes.

Dominus Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini ibi libertas. 2. Cor. 3. 17.

Quòd duplex eſt libertas, quam Spiritus ſanctus nobis dat. Una generalis pro totâ Eccleſiâ, in eo quòd mutat hodie Legem ſervitutis in Legem libertatis, nimirum vetus Teſtamentum in novum Fœdus. Altera ſpecialis Juſtis, qui ſuſcipientes Spiritum ſanctum, accipiunt Amorem Divinum, qui nunquam eſt ſine libertate. 438

Feria II. poſt Pentecoſten.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joan. 3. 16.

Oſtenditur immenſa magnitudo amoris Dei, Primò, in eo quod dedit nobis Filium ſuum. Secundò, in modo, quo nobis illum tribuit. Tertiò, in eo quòd eum nobis gratis præbuit quandiu eramus maximi inimici ipſius. 445

Feria III. poſt Pentecoſten.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. Act. 2. 4. &c.

Primò, Spiritus ſanctus conſideratur ut Vivificator. Secundò, ut Liberator. Tertiò, ut Conſolator. 448

In Feſto SS. Trinitatis.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5. 7.

Cùm Dei Filius dicat, quòd tres perſonæ Divinæ ſunt tres Teſtes è cœlo, & non ſunt niſi quid unum: & quòd è terra triplex etiam nobis teſtimonium perhibetur interveniu ſpiritus, aquæ, & ſanguinis; ideòque duæ ſint res differentes, quarum teſtimonium nobis perhibetur è cœlo, & è terrâ; Primò oſtenditur quod cùm è nobis ipſis cognuſcere non poſſimus myſterium SS. Trinitatis, hæc magna unio trium perſonarum in uno Deo, teſtimonium ſufficiens præbet inſufficientiæ noſtræ. Et ſicut beneficio gratiæ poſſumus habere praxim rerum, quæ convenientiam habent cum hoc myſterio, & quæ nobis ſpem tribuunt videndi illius aliquando facie ad faciem: Secundò monſtratur, quòd hæc convenientia ſpiritus, aquæ, & ſanguinis in Baptiſmo eſt veluti tranſumptum hujus myſterii, & magnum teſtimonium bonitatis Dei, & pignus quod ipſe nobis dat ſuper omnia bona domus ſuæ. 454

In Feſto Corporis Chriſti.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Joan. 6. 52.

Primò, Repræſentantur magna bona, quæ adveniunt illis, qui accedunt ad hoc Sacramentum cum diſpoſitionibus requiſitis. Secundò, Magna pericula, quibus ſe exponunt ii, qui ipſum ſuſcipiunt in malo ſtatu, & qui ad ipſum non afferunt reverentiam ipſi debitam. 460

Feria VI. infra Octavam Corporis Chriſti.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 56. &c.

Primò, Qualis ſit unio, quam habemus cum Jeſu Chriſto in hoc Sacramento. Secundò, Quænam ſint notæ iſtius unionis, inter quas videbimus, an uniti ſimus etiam cum hominibus. 465

Sabbatho infra Octavam Corporis Chriſti.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Joan. 13. 1. &c.

Primò, Quomodo Potentia Dei ſplendeat in hoc Sacramento. Secundò, Sapientia ejus. Tertiò & præcipuè, Bonitas illius. 471

Dominica infra Octavam Corporis Chriſti.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Joan. 13. 1. &c.

Primò, Quomodo amor Dei requieſcat in hoc Sacramento ut in centro ſuo. Secundò, Quomodo Jeſus Chriſtus in eo habeat omnes qualitates perfecti amantis. Tertiò, Conſiderantur motiva, quæ nos inducunt ad uniendos nos ei, ut meliùs honoremus eum in memoriâ tanti beneficii. 476

Feria

Feria II. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 56. &c.

Primò, Quomodo maneamus in Filio Dei, & ipſe maneat in nobis, uniendo ſe nobis, aut ſe unum faciendo nobiſcum. Secundò, Recenſentur aliquæ diſpoſitiones ad merendam iſtam unionem, aut unitatem requiſitæ. 482

Feria III. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Hoc facite in meam commemorationem. 1. Cor. 11. 24. & 25.

Primò, Expenduntur excellentiæ & utilitates Euchariſtiæ, prout eſt ſacrificium. Secundò, prout eſt alimentum animarum noſtrarum: in quo oſtenditur, quòd ut ſic nihil habeamus Angelis æmulandum; ſed è contrà Angeli habeant aliquid æmulandum nobis. 487

Feria IV. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 1. Cor. 11. 26. &c.

Oſtenditur magnitudo Jeſu Chriſti, prout Filii Dei, & prout Filii hominis, in Euchariſtiâ, quæ eſt repræſentatio mortis ipſius. 493

In Octava Corporis Chriſti.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 56. &c.

Quomodo glorioſam reportare poſſimus victoriam de communibus inimicis naturæ noſtræ per S. Communionem. 496

In Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Quis putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Luc. 1. 66. &c.

Primò, Quòd manus Patris æterni, purificavit Joannem Baptiſtam à peccato. Secundò, Quòd manus Filii, ipſum illuminavit cognitione magnitudinis ſuæ, ut poſſet alios illuminare. Tertiò, Quòd manus Spiritus ſancti, illum perfecit omnibus gratiis ſuis. 504

In Feſto SS. Petri & Pauli Apoſtolorum.

Tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Matth. 16. 19. &c.

Primò, Quomodo anima, quæ habet vitam gratiæ, cùm exit ex hoc mundo, non poteſt tamen intrare in gloriam, quin ſolverit aliqua debita, quæ in ipſa remanent poſt peccatum. Secundò, Quâ ratione S. Petrus, vel ſummus Pontifex, aperit ei cœlum, utens clave ſuâ per jubileos, & per indulgentias. 510

In Feſto Viſitationis B. V. Mariæ.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda. Luc. 1. 39. &c.

Primò, Oſtenditur itineratio B. V. Mariæ ſuper montes feſtinantes. Secundò, Per reflexionē expenditur num ſequamur veſtigia illius. 515

In Feſto S. Jacobi Apoſtoli.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo. &c. Matth. 20. 21. &c.

Quòd ſolùm medium conſequendæ gloriæ opportunum, & iter ſecuriſſimum ad attingendum cœlum, neceſſarium omni homini à lapſu Protoplaſti noſtri Adæ, eſt ſola via crucis: illo tempore innocentiæ, ſeculo illo aureo, quo omnia quaſi ridebant in felicitate, illud non erat neceſſarium: ſed ex quo gratia deperdita eſt, nemo gloriam ingreditur, niſi per hanc portam crucis & paſſionum. 519

In Feſto S. Dominici Confeſſoris.

Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini. Gal. 1. 15. & 16.

Primò, Conſideratur in S. Dominico gratia. Secundò, Cooperatio gratiæ, quæ ipſum ſimilem aliquo modo Deo reddidit in tribus è præcipuis ipſius attributis, nimirum, ſanctitate, potentiâ, & miſericordiâ. 525

In Feſto S. Claræ Virginis.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Matth. 5. 15.

Si unquam ſplendens charitas decenter collocata eſt, quòd hoc fuit, cùm ipſam in perſona S. Claræ poſuit Deus, utens corpore ipſius ut candelabro, & animâ ejus ut candelâ inflammatâ amore, ſeu ardente charitate. 531

In Feſto Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Coarctor autem, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Philipp. 1. 23.

Primò, Quòd Maria Deipara mortua eſt ſenſibus ſuis, prout Virgo. Secundò, Quòd ipſa dedit vitam ſuam: & hoc tribuit ipſi titulum Martyris amore. 535

In Feſto S. Bernardi Abbatis.

De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apoc. 4. 5.

Quomodo vita S. Bernardi fuit imago vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et Primò invenitur ſanctitas vitæ ejus in fulguribus ipſius. Secundò, Sapientia ejus in vocibus ipſius. Tertiò verò, Poteſtas illius in tonitruis ipſius. In quibus tribus, quæ ſunt tres partes diſcurſus, proponitur aſſimilatus Salvatori. 541

In

In Octava Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Fortis eſt ut mors dilectio. Cant. 8. 6.

Primò, Quòd fortis fuit ut mors dilectio in B. Virgine, id eſt, quòd amor fecit id, quod mors debebat agere, quòd amor licentiam tribuit morti, & laxavit ei habenas, cùm B. Virgo mortua fuerit amore. Secundò, Quòd idem amor univit corpus animæ ejus, poſtquam illud ab ea ſeparavit. Tertiò, Quia S. Paulus Epheſ. 4. 15. hortatur nos, ut *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus*; Quòd iſtud incrementum peragere poſſumus per amorem, qui vulnerare nos debet uſque ad inferendam nobis mortem, ſicut intulit illam B. Virgini. 546

In Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

Vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit) Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomaeum, Matthaeum & Thomam, Iacobum Alphei & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iſcarioten, qui fuit proditor. Luc. 6. 13. &c.

Quòd gloria & merces Sanctorum non erit æqualis, ſed conformis ipſorum meritis. 552

In Feſto S. Auguſtini Epiſcopi, & Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris.

Magnus vocabitur in Regno cœlorum. Matth. 5. 19.

Proponitur S. Auguſtinus, magnus in Regno Eccleſiæ, ſed poſtquam fuit ibi parvus. 557

In Feſto Nativitatis B. V. Mariæ.

Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis. 3. Reg. 10. 20.

Primò, Maria proponitur immunis ab omnibus imperfectionibus, quæ ſunt in aliis creaturis. Secundò, repleta & cumulata omni perfectione. Tertiò, ut origo & principium totius noſtræ benedictionis poſt Deum. 562

In Feſto Exaltationis S. Crucis.

Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Joan. 12. 32.

Si pro eo quòd Jeſus Chriſtus eſt in Cruce, ipſe eſt ſplendor Patris ſui, & figura ſubſtantiæ ejus; ſi defert vivos charactêres Patris ſui, ſi micare facit attributa præcipua Patris ſui per figuram, quam habet ſuper Cruce: Primò oſtenditur, quòd hæc figura eſt congruentiſſima & decentiſſima omnium quæ poſſint ipſi dari. Secundò monſtratur, quòd ut ſic ipſe ampliorem debet habere potentiam trahendi nos ad ſe, cùm non poſſimus eum ſequi, quin feramus crucem noſtram. 568

In Octava Nativitatis B. V. Mariæ.

Quàm pulchra es, Amica mea, quàm pulchra es! Cant. 4. 1.

Primò, Quod B. V. Maria eſt ſecluſorium omnium gratiarum. Secundò, Quòd eſt canalis miſericordiarum Dei. 573

In Feſto Impreſſionis Stigmatum in corpore S. P. N. Franciſci.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Pſ. 45. 9.

Primò, Tractatur de amore admirabili, qui inflammabat cor S. P. N. Franciſci. Secundò, de vulneribus, quæ ditant corpus illius, quod hodie videmus inſignitum characteribus ſacris amoris Domini ſui. 578

In Feſto S. Matthæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthaeum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9. 9.

Primò, Quòd aliqui convertuntur voce prædicationis, aut verbi Dei. Secundò, Quòd alii vocantur prodigiis & miraculis è manu ejus omnipotenti exeuntibus. Tertiò verò, Quòd omnes ſemper vocantur ſono aquarum fluentium, quæ ſunt gratiæ, & inſpirationes interiores, quæ inviſibiliter operantur in animabus ipſorum. 584

In Feſto B. V. Mariæ Dominæ Victoriæ.

Quid videtis in in Sunamita niſi choros caſtrorum? Cant. 7. 1.

Quòd ſi res pretioſiſſimæ cuſtodiuntur exactiſſimè, & ſcimus quòd ſinguli ex nobis habemus Angelum Cuſtodem, qui nos cuſtodit, ut oſtenditur Primò: concludi poteſt Secundò, quòd Mater Dei, quæ eſt Regina mundi, integras habuerit Angelorum legiones, quæ datæ ſunt ipſi ad ipſius directionem & præſidium ab ipſo primo inſtanti eſſe ipſius; præſertim verò in hac inſigni victoriâ, quam Chriſtiani retulerant de Turcis tali die, qualis eſt hodierna, in pugna ad Naupactum, quæ data eſt die ſacri Roſarii ipſius Dominicâ primâ Octobris, cùm ideo vocetur ipſa, Domina Victoriæ. 589

In Feſto S. P. N. Franciſci Confeſſoris.

Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo. Pſ. 15. 10.

Quòd Deus deduxit S. P. N. Franciſcum, Primò per viam vitæ purgativæ. Secundò per viam vitæ illuminativæ. Tertiò per viam vitæ unitivæ. 595

In Feſto S. Urſulæ Virginis, & Martyris.

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius: quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. Sap. 4. 1.

Primò, Repræſentatur S. Urſula regenerata virginitate. Secundò, Regenerans numerum Virginum innumerum. Sic reddens ſe immortalem, prout Virgo: Deinde, prout Mater multarum Virginum 600

In Feſto SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Joan. 15. 18. & 20.

Primò,

Digitized by Google

Primò, Quòd vera lætitia & felicitas conſiſtit in crucibus & in afflionibus, quas Deus ad nos mittit. Secundò, Quòd ſit dulcedo & ſuavitas in crucibus & afflictiunibus. 605

In Feſto omnium Sanctorum.

Sanctorum vult aquila juventus renovabitur: florebunt ſicut lilium in civitate Domini. Eccleſia ex Pſ. 102. 5. ex Iſai. 35. 1.

Primò, Conſideratur convenientia, quæ admittitur inter aquilam & Sanctos. Secundò, Requiritur ſympathia, quæ reperiri poteſt inter eos & lilium: & invenitur, quòd vocantur aquilæ propter felicitatem animæ: & quòd datur eis nomen lilii propter beatitudinem corporis; eò quòd illa renovetur, & quòd illud floreat. 611

In Commemoratione omnium fidelium Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Hunc cùm vidiſſet Ieſus jacentem, & cognoviſſet quia jam multum tempus haberet, dixit ei, Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd eſt purgatoriū. Secundò, Quare Deus illud inſtituerit. 616

Secundâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Examinantur quatuor circunſtantiæ pœnæ damni, quàm animæ Defunctorum patiuntur in purgatorio, & quæ conſtituunt quatuor partes diſcurſus. 621

Tertiâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Expenduntur tres circunſtantiæ pœnæ ſenſus, quam animæ Defunctorum ſuſtinent in purgatorio, & quæ triplicem faciunt diſcurſus partem. 625

Quartâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd animas in purgatorio languentes adjuvare debemus bonis operibus in generali. Secundò, Quòd auxiliari debemus illis jejunio in ſpeciali. 631

Quintâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd facientes eleemoſynam pro animabus quæ ſunt in purgatorio, augent ſua bona temporalia. Secundò, Quòd hæc eleemoſyna remittit ipſis iniquitates pſorum, cùm proprium ſit charitati eas expungere: *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. 8. ex Prov. 10. 12. Tertiò, Quòd hæc eleemoſyna acquirit illis bona vitæ æternæ. 637

Sextâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo manga languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo habens annos in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Qualis ſit poteſtas orationis factæ pro animabus in purgatorio languentibus. Secundò, Quales eſſe debeant conditiones orationis, ad hoc ut reddatur efficax in earum favorem. 642

Septimâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd adjuvare poſſimus mediis indulgentiis animas in purgatorio languentes. Secundò, Unde hauriantur iſtæ indulgentiæ. Tertiò, Quid requiratur ad hoc ut proſint his animabus patientibus. 647

In Octavâ Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Joan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd habemus eundem Sacerdotem & idem ſacrificium in Altari ac in Cruce in favorem animarum in purgatorio languentium. Secundò, Oſtenditur efficacia virtutis iſtius ſacrificii pro allevamento iſtarum animarum patientium. Tertiò, Quòd Jeſus Chriſtus in ſacrificio Miſſæ continuat tria conſilia, quæ ipſe habebat in Cruce, quæ ſunt illis proficua. 653

In Feſto Præſentationis B. V. Mariæ.

Elegit eam Deus, & prælegit eam, in tabernaculo ſuo habitare facit eam. Eccleſia.

Primò, Oſtenduntur excellentiæ iſtius Præſentationis B. V. Mariæ in templo. Secundò verò, utilitates ejus. 659

AD LECTOREM.

CVm toti quatuor iſti Tomi ſemel & unà in quatuor diverſis Officinis procul diſtantibus ab invicem typis mandarentur, nec poſſet ſemper Author intereſſe reviſioni Operis ſui corrigendi, parce, Lector amice, mendis aliquantulis, quæ nonniſi vix evitari poſſunt currente prælo, & quæ invito eodem Authore quantùmvis conante, irrepſerunt in prædictum opus ſuum , licèt exigui momenti, ob tranſpoſitam aliquam literam, vel omiſſam, vel ſuperfluam, aut alteratam, vel propter omiſſum, aut tranſpoſitum, vel alteratum, aut ſuperfluũ verbum aliquod ex inadvertentiâ ipſius, aut Concorrectorum ſuorum, vel Typographorum, quod videatur reddere ſenſum parùm obſcurum, quem tamen defectum facilè ſupplebis, æqui ac boni conſulens. Sicut enim *Charitas non cogitat malum.* 1. Cor. 13. 5. ſic & eadem met *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Petr. 4. 8. Id eſt, defectuum, quos obſervare poteris in hoc Opere, curæ & vigilantiæ, non ignorans quòd *quandoque bonus dormitat Homerus.* Et dato quòd Authori, & Concorrectoribus ſuis, & Typographis tot fuiſſent oculi, quot ſcatebat Argus, vix fieri potuit ut aliquando non cæcutiverint. Penes te ſit exiguas mendas obvias corrigere ex motivo charitatis, ſicut ex eodem charitatis principio tibi ſuas offert Author lucubrationes, quibus fruere, & Deum Optimum Maximum pro ipſo exora.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google